Digitized by Google

XIII
G
8

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
G
8
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MORALIS ENCYCLOPÆDIA ID EST SCIENTIARVM OMNIVM CHORVS,

EXPENDENS MORALITER SACRO-SANCTA EVANGELIA Quadragesimæ, præmisso sensu literali, qui appenditur ad trutinam alti scrutinij, consultis textibus Hebræis, Chaldæis, Syriacis, & Græcis.

AD SCIENTIARVM OMNIVM GAZAS IN HOC OPERE RESERATAS Adiectæ sunt antiquitates omnium ferè nationum moraliter explicatæ.

PRÆCIPVE' RECENSENTVR RITVS HEBRÆORVM, CHALDÆORVM, Indorum, Persarum, Medorum, Scytharum, Ægyptiorum, Arabum, Æthiopum, Græcorum, & Romanorum.

Auctore R. P. MARCELLINO DE PISE, *Matisconensi, Prædicatore Capucino Prouinciæ Lugdunensis.*

PRÆTER INDICES CAPITVM, SCRIPTVRÆ SACRÆ, ET VERBORVM, Accesserunt alij septem Indices, scilicet Theologiæ, Philosophiæ, Symbolorum, Medicinæ, Iuris Canonici, Iuris Ciuilis, & Historiarum.

TOMVS TERTIVS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Anisson.

M. DC. LVI.

CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

OMNIPOTENTI DEO
SPIRITVI SANCTO,
SCRIPTVRÆ SANCTIORIS
SCATVRIGINI INDEFESSÆ,
VOTVM.

SPIRITVS alme Deus, vt inconcessa est homini copia omnis fandi sine præuio spiritu attracto; ita & inferioribus huiusce voluminis ingenuè profiteor, me prorsus esse imparem ad enuntiandum sensum litteralem Euangelij à te cœlitus inspirati, quin Dauidis indolem æmulatus, illud eius effatum vsurpem: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Psal.118.
Hocce Voto explicato tibi resero os meum, vt auram tuam copiosè ducam, qua afflatus eructare queam oracula, quæ recondit sacer Euangeliorum Codex, spissâ difficultatum nebulâ obtectus, atque adeò plurima concludens inuia versantibus hæc volumina Sacro-sancta, ad quæ me accingo, secutus industriam Vatis ædium Delphicarum. Conscius hic futurus arcanorum Dei sui, sese Plin. l.24. c.43.
in antrum demittebat, positum in medio templi, vbi de- Iustin lib. 24.
hiscens terra faucibus angustis concameratam specum Strabo l.9.
effecerat, vnde spirans aura singularis, eos omnes faciebat Diodor. Sicul. l.16. c.6.
fatidicos, qui eam ore patulo supplices ebibebant. Cassa

Digitized by Google

tamen plerumque fuit illa ſolertia : quippè ſpiritus ille nequam , homini afflans indaganti notitiam rei ancipitis, & inſtantis, perſæpe neſcius euentuum, dubia præfatus, irritam fecit fidem omnium conſultorum.

Cautior ſanè ſententia meam ſubiit mentem, quando animo meo inſedit, te Deum Spiritum Sanctum conſulere, vt tuo flamine percitus edam oracula, quorum ſeriem pollicetur titulus huius libri: recreata namque tuo flamine anima nihil non peruium habet, cùm ſcrutatur arcana Scripturæ ſanctioris, cuius etiam caligo obducta variorum textuum inuolucris, animum meum ſollicitat ad

Pauſan. in Corinth. ſectandum Trœzeniorum morem peruetuſtum. Illi nocte opaca gallum gallinaceum ventis immolabant, arbitrati fore ſibi ventos propitios, illo ritu galli deuoti ſpirantibus auſtris. Diſcurſio Euangelij ſalebroſa eſt, & implexa, ac proinde nox eſt, vtique denſiſsima, cuius tenebras diluere, negotium non eſt humanæ ſolertiæ. Ego in eo cœlo ſubobſcuro, non gallum gallinaceum, ſed hominem Gallum facio ſacrum vento, quando tibi Spiritui Sancto, me totum deuoueo, hoc limine conſecratum.

Diod. Sicul. lib. 5. Sacrificium illud, vt indubium mei amoris argumentum, eaſdem etiam faciet coniecturas, quas Æolo Liparæ Regi ſuggeſſerunt ignes montis Ætnæ, cuius flammæ ab eo viro induſtrio exploratæ, ingerebant notitiam venti qui inſtabat, ita vt Æolus ignium obſequio, præſcius eſſet quænam ventorum flabra montibus imminerent. Simili ferè modo, mei omnes conſultores, ſtatim atque in aditu libri huius aduerterint illucere faces amoris mei in te Deum Patri Filioque coæqualem, facili negotio coniicient, qualis aura beneuola meis hiſce fœtibus aſpirarit. Neque quidem credo eſſe mihi inglorium illud quod de vulturibus circumfertur; ſcilicet aues illas concipere hauſto flatu. Imò in gloriæ incrementum, hoc vnum anhelus opto, nimirum vt ſuſpicentur omnes, me initio libri huius adeò fuiſſe tuo Spiritu afflatum, vt inde effluxerit vis fœcunda, qua

mens

mens mea fœta potest adhuc plura volumina parturire.

Spiritui suo ad arbitrium litent scriptores inanis gloriæ aucupes, sibique arrogent quicquid vernat in editis à se libris, suæque peritiæ dicant opus, illud omne quod rutilat; ab hoc ego vento caueo, timens inde naufragium. Quippè hoc iniquo reflante æstu ratis incurrit in cautes, expertura cladem, quæ deponit in barathrum incautos omnes superbiæ nisus, qui turpiter absorpti, congruo fluctuum vortice castigantur. Satius duco alium ventum consulere, qui noxiam illam auram superet, & auertat, placetque adhærere Græcis, qui accepto oraculo, esse sacrificandum ventis, si declinare vellent arma Xerxis Græciam inuadentis, morem gessere omnes aris instructis, vt ventos sibi propitios cœlitus accerserent. Votum hocce meum in capite libri istius exaratum, esto vice altaris, quod tibi erigo, Deus Optime Maxime, illic te Spiritum Sanctum inuoco supplex, vt facessat hinc pestilens alia omnis aura. Sicut enim Athenas populata est olim virulenta lues, quia vrbem illam anno redeunte venti Etesij non perflarant; ita libri omnes spirant lethale virus, si non eos aura tua salutaris antea ventilarit. Ne ergo nutans lector suspicetur hîc subesse contagium, tuum inuro afflatum fronti operis huius ardui, cui incumbit reserare claustra penitiora quæque Euangelij à te desuper inspirati. Eo flamine mea dignata volumina, nihil prorsus insalubre referent, sed viuidum omne dabunt, quo animus hominum decurrentium mea scripta opiparè saginetur.

Herodot. lib. 7.

Diodor. Sicul. lib. 12.

Fas fuerit Thuriis distulisse grates, quas debuere ventis adeò beneficis, vt in summo discrimine nacti sint salutem reflante Borea, cui vt Deo tandem fecere sacra. Nolo meæ gratitudinis argumenta rependere post illapsum gratiarum, quæ influent in hoc opus, vt in alueum, quo alluentur omnes, mea volumina perlustrantes. Tuas anteuerto dotes, SPIRITVS MAGNIFICE, & priusquam reserem arcana Codice sacro recondita,

Ælianus lib. 12. vari histor.

iſtud faciam palàm hoc reſcripto, videlicet, tuum eſſe totum, quod optimum mihi occurret; meum verò illud omne, quod deflectet à ſcopo antea præſtituto. Præterea, ne quis hæreat in limine libri huius, anxius vnde conquiſitæ ſint gazæ rerum diſcolorum, quæ hîc proſtant; cenſui rem eſſe animi perquàm grati, appendere pro foribus nomen tuum, vt teſſeram eius, à quo eſt iſtud qualecumque penu factum publici iuris ſub tuis auſpiciis: vt namque inſurgentes Auſtros largior imber excipit; ita & ſpirantis auræ tuæ afflatum copioſi gratiarum latices conſequuntur.

Inſtabunt fortaſsis aliqui, me ad grandia aſpiraſſe, enitendo ad ſolium tuum? Sed hoc idem mihi argumentum fuit aduolui tuis altaribus, & pendulum hunc librum tuis tholis apponere; quia quælibet aſpiratio ſollicitans animum ad ſuperna, donum eſt SPIRITVS SANCTI, nuſquam abnuentis vota ſpirantium eius obſequia. Non me deorſum inflectere potuit ille cogitatus de te, ſed euexit eò vnde effluxit; ſcilicet ad te, quo irradiante rimabor ſenſum illum primarium, quem tu ſacris Euangelij textibus intendiſti. Te inconſulto nefas fuiſſet tentare indaginem huius ſenſus, qui te ſuggerente occurret mihi ſcrutanti ſagaciter illa myſteria, tot figuris, & verborum vectibus obſerata. Ne excidam votis, ô SPIRITVS SANCTE, arcanorum omnium oraculum veridicum, te compello vocibus Auguſtini, quem perflaſti aliàs abundanter. *O diuini amor numinis, Patris omnipotentis, proliſque beatiſſima, ſancta communicatio, omnipotens Paraclete ſpiritus, mœrentum conſolator clementiſſime, iam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebroſa quæque laris neglecti latibula coruſci luminis fulgore habitator lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcentia ſquallore viſitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana, tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris, flammis ſalutaribus penetrando ſuccende, ſanctoque feruoris igne illuſtrando, intima mentis & corporis vniuerſa depaſce.*

PRÆFA

PRÆFATIO

APERIENS MENTEM AVCTORIS.

INDIGESTA librorum moles, quæ exurgit discutiens textus implexos sancti Euangelij, non modicam nauseam ingerit lectori cupido rei nouæ. Quippe laborãtis hodie præli chartæ desudãtes refricant tantùm memoriam aliorum voluminum, quæ ipsa hæc ætas nuper enixa est; hocque sibi plures indixere negotium, vt libros transcribant, nescij conscribere Marte suo. Fit eo ritu plerisque inolito, vt scriptores laude digni, nanciscantur homines improbos, quia credunt emergentes libros esse repetitam cramben. Ego ipse euoluens plurium huius æui auctorum opera, miseratus sum iniquam sæculi sortem in dedecus hoc damnatam, vt cruda hæc & opaca tempora sint veluti porticus ἑπτάφωνος, vbi Echo multisona septies eadem semel dicta referebat.

Reuocanda sanè esset lex Flauia De plagiariis, vtpote qua tenentur illi omnes, qui nomen suum inurunt fœtibus alienis. Ea vigente non prostarent tot opera sæpe sæpius decantata. Hæc ego volumina aspicio vt huius ætatis iniuriam, vel vt naues, quas meminit Diodorus ille Siculus, quæ cùm decurrentes sinum Arabicum conterminum Troglodytis in arenas impegerunt, Regio edicto infelici hærent vado, vt suo naufragio cautiores faciant nautas transfretantes; præmonentes eos, vt ab ea resiliant plaga infami plurium discrimine nauium. Duos hactenus edidi tomos Moralis Encyclopædiæ, & equidem credo citra suspicionem plagij, cùm intentato ab aliis calle processerim. Secunda hominum aura aspirans meis hisce præludiis suggeßit præarduum adhuc opus; scilicet vt singulos quoque versus Euangeliorum expenderem primò ad trutinam omnium linguarum, quarum dialecto Scriptura Sacra ad nos transmissa est, & quarum obsequio vtuntur Doctores sacri vt sua sensa probent. Assensi genio qui me sollicitauit ad facinus operosum. Nimirum aperio hîc sensum literalem omnium versuum ad trutinam linguarum, si quid est singulare in illis deuians à versio-

ff. ad Leg. Flau. De plagi. leg. finali.

Diod. l. 3. Biblioth. histor.

ne

ne noſtra, quæ vbi conſonat aliis, ſola exprimitur. Subdo Sanctorum Patrum oracula, & mea item lumina adiicio, quibus elicio radios abditæ veritatis. Verumenimverò ſe totam minimè ſic prodidit veritas, vt non adhuc ampliori indagini locus pateat animis, qui voluerint in hac alea concurrere, iuxta illud Senecæ effatum. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt.

Senec. epiſt. 33.

Enucleato ſenſu literali principum linguarum obſequio, calculo Sanctorum Patrum, & ea luce quæ mihi cœlitus affulſit, attexo ſenſum moralem adſcitis variis diſciplinis, & ritibus antiquis idoneis ad mea ſenſa moralia fulcienda. Diu hæſi antequam vaſto cenſuræ hominum pelago committerer, arbitratus inaſpectum huius voluminis argumentum habiturum pleroſque qui perluſtrent, anſte terim ego pollicitis, & operis contextura congruat titulo, necne. Non me fugit quàm ſciolorum hominum ferax ſit hoc æuum, quibus in ſagaci librorum ſcrutinio, non animo capere, ſed carpere animus eſt. Tametſi calleam hæc præfata; nutantem fixit adhortatio R. A. Patris Ioannis à Monte Calerio Generalis noſtri viri ſcientiſsimi, quem tinxerunt omnium diſciplinarum latices vberrimi. Communicato videlicet cum eo conſilio de texendo hoc commentario in Euangelia recenſita methodo multiſciâ: ille me ancipitem duxit in propoſitum illud, ad quod vrgebar antea à pluribus inſigni ingenio viris, impensè colentibus illud ſchema explanandi ſenſum intentum à Spiritu Sancto conſultis textibus Hebræis, Chaldæis, Syriacis, & Græcis adiectâ tropologiâ adornatâ lenociniis & pigmentis ab omnigena diſciplina mendicatis; aduocatis inſuper ritibus antiquorum hominum, quos memoriæ noſtræ obſoleta ſæcula ſubduxerunt.

Itaque hæc mihi prouincia demandata eſt, & meæ hæ ſunt partes, quas ob eo Dei hactenus opem expertus, & de eadem comite certior effectus, praeunte mihi ſuperiorum iuſſu, cui morem gerens, opportunè vſurpabo præludium Gregorij ſe accingentis ad libros Moralium. Sic ille: Mox vt in obſcuro hoc opere, atque ante nos hactenus indiſcuſſo, ad tanta me pertrahi, ac talia cognoui, ſolo auditus pondere victus (fateor) laſſatuſque ſuccubui. Sed repente inter formidinem deuotionemque deprehenſus, cùm in largitorem munerum oculos mentis attollerem, cunctatione poſtpoſitâ, illico certus attendi, quia impoſſibile eſſe non poterat, quod fraternis mihi cordibus charitas imperabat. Fore quippe idoneum me ad iſta deſperaui: ſed ipsâ meâ deſperatione robuſtior, ad illum ſpem protinus erexi, per quem aperta eſt lingua mutorum, qui linguas infantium facit diſertas, qui immenſos brutoſque aſinæ ruditus per ſenſatos humani colloquij

Greg. c. 2. præfat. in lib. Moral.

quij distinxit modos. Quid igitur mirum, si intellectum stulto homini præbeat, qui veritatem suam cùm voluerit etiam per ora iumentorum narrat? Huius ergo robore considerationis accinctus, ariditatem meam ad indagandum fontem tantæ profunditatis excitaui, & quamuis eorum, quibus exponere compellebar, longè me vita transcenderet; tamen iniuriosum esse non credidi, si fluenta vsibus hominum plumbi fistula ministraret. *Hæc Gregorius, cuius etiam naue vectus Augustinus moliens libros de ciuitate Dei Marcellino nuncupatos, sic suum hunc Marcellinum compellat:* Marcelline, suscepi magnum opus, & arduum; sed Deus adiutor noster est. Nam scio quibus viribus opus sit, vt persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis, qua fit, vt omnia terrena cacumina, tem porali mobilitate nutantia, non humano vsurpata fastu, sed diuinâ gratiâ donatâ celsitudo transcendat.

Ego nomine Marcellinus habeo in eo Augustini proloquio vnde labantem erigam animum, me prælibato textu sollicitans, hoc tenore: O Marcelline, equidem suscepisti magnum opus, & arduum, hoc penso tibi imposito; videlicet vt grassantis orbe toto vitij typhum deprimeres obiectâ Euangelij humilitate. Esto tua hæc anhela vota vires superent vernaculas; macte; Deus aderit. Tamen etsi supero fretus auxilio plurima volumina moliar eiusdem indolis, cuius est iste tomus, ab aliis Scriptoribus in Euangelia bifariam dissitus, quia linguarum potiorum scrutatur argutias: & quia omnium ferè nationum refert ingenium, & mores idoneos ad meliorem frugem; non cunctabor meam præbere industriam vt diluam instantias, quas patietur contextura libri quem expono. Nimirum quispiam obijciet, debuisse mihi sufficere vulgatæ editionis textum Euangelij, vtpote totâ annuente Ecclesiâ canonicum; alios verò omnes textus esse exoticos. Respondeo, me Sanctorum Patrum inhærere vestigiis; hi nimirum in veritatis indagine aduocarunt varia idiomata, vt eorum suffragio veritas fieret apertior. Sic monet Hieronymus. Sicut in nouo testamento siquando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontes Græci sermonis, quo nouum scriptum est instrumentum; ita in veteri testamento, siquando inter Græcos, Latinosque diuersitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, vt quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in riuulis. *Hæc ille, cui adiice Augustinum ita fatum:* Latinæ linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, & duabus aliis ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet, & Græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.

Hieron. epist. ad Suniam, & Fretellam.

Aug. lib. 2. de doctr. Christian. cap. 11.

Illa

Illa linguarum peritia hoc æuo duriùs excepta est ab hominibus nesciis illorum idiomatum, quasi covti esset Iudæis, callere linguas, quibus erat ille populus assuetus. Nec defuere alicuius momenti homines improbantes me linguarum obsequio rimari literalem sensum Euangelij, causantes hoc sapere rabinismum, cui omnia constant ab apice dictionum, & formula literarum. Hoc argumento velum obducunt suæ ignorantiæ homines imperiti. O sordidos patronos ignorantiæ, qui suam faciunt iniuriam, aliorum multisciam disciplinam. O homines inglorios, qui carpunt in me altam sensus literalis indaginem petitam à variis linguis, quarum studio & familiaritate Hieronymus toti orbi illuxit, vnde & maximè commendatur.

Rursus, frequens commemoratio Gentilium in re sacra, quam ego verso, bilem mouebit iis, quos fugit omnigena literaturæ peritia, quasi inglorium esset Euangelio aduocare peregrinorum hominum ritus, historias, & egregia facinora. Huic malo nodo validum cuneum adfert Hieronymus, hoc contextu: Quis nesciat, & in Moyse & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri, & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? Vnde in exordio prouerbiorum commonet, vt intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientum, & ænigmata, quæ propriè dialecticorum, & Philosophorum sunt Sed & Paulus Apostolus Epimenidis poëtæ vsus versiculo est, scribens ad Titum. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαὶ, id est, Cretenses, semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. In alia quoque epistola, Menandri ponit senarium. Φθείρουσιν ἤθη χρήσθ᾽ ὁμιλίαι κακαί. Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala. Et apud Athenienses in Martis curia disputans, Aratum testem vocat. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Ipsius enim & genus sumus. *Multus est Hieronymus illic in recensendis Sanctis Patribus, qui adscitis literis merè profanis, quasi opere tessellato fecere sua volumina ditiora. Ego æmulatus procerum Ecclesiæ genium multiscium, mutuatitiâ omnium ferè Gentium supellectile feci mea volumina polymita, illudque propositum duobus antè tomis inceptum, nunc altiùs animo meo insedit, quia ex prospera huius æui aura afflante, mihi hominum indoles innotuit, quibus eiusdem argumenti tenor omnis prolixior haudquaquam placet; secus verò arridet discolor rerum omnium contextura, cui in hoc libro multiplex scientia collaborat.*

Hieron. epist. ad Magnum oratorem.

Si

Si alios quiſpiam nodos quærit in hoc ſcyrpo, & omnium ſcientiarum agmen conſcriptum, Euangelio aſſerit importunum; ille conſulat primum Tomum meæ Moralis Encyclopadiæ: inde vt è prædiuite penu reperiet quo ſuas tergat anguſtias, & ſubſcribat intento, cui editione plurium voluminum ſpero imponere coronidem, Dei illapſu mea conanima iugiter adiuuante. Cui præfici canones Morales.

IDEA

IDEA CONTEXTVRÆ TOMI HVIVS.

PRIMO, & altero Tomo, Moralis Encyclopædia sua fecit incunabula. Iam pertæsa cunas, mittit nuces, & excutit puerilia crepundia. Solos edidisse conceptus morales fuit tyrocinium eius, & rudimentum potioris operis, ad quod modò grandior assurgit, nacta vires supra ætatem. Spiritu namque anhelante ad ardua, aggressa est principes Euangeliorum Quadragesimæ sensus, videlicet, literalem, moralem, & orthodoxum. Quid illa præstiterit in reserandis arcanis cortice literali conclusis, videre est, ex refutatione aliorum Interpretum, quorum censura non mihi conciliabit inuidiam. Nempe voco meas rationes coniecturas, ne mea argumenta typho tantulum intumescant.

Decurrendo quatuor prima Euangelica Quadragesimæ multus fui in sensu morali, vt & in orthodoxo, quia materiæ illic agitatæ quotidie ad manum sunt; earum vbertate consului multorum inopiæ. In sensu morali illic abundè discusso ludit scientiarum omnium chorus, aduocatis insuper ad morum tersiorem industriam Gentium ferè omnium ritibus obsoletis. Ibidem sensus orthodoxus enucleat theses, quas hæretica proteruia fecit ancipites. Etenim è singulis quibusque Euangeliis seligo argumenta idonea ad controuersias quas plerumque nouis dirimo rationibus, & respergo historiis & symbolis, vt asperitas controuersiæ hac polymita methodo condiatur.

Ne tamen sensus literalis immemor videar adhuc isto Tomo texuisse locos communes morales, dum alia Euangelia expendo; fusior sum in litera penetranda, & parcior in sensu cùm morali, tum orthodoxo: Quippe hactenus expositorem ago, & paro in Euangelia literaliter expedita commentarium absolutum. Tertius iste Tomus explorabit, quæ sint hominum sensa, vt si meo intento quadrent, plures alios edam Tomos haudquaquam degeneres, qui decurrent hoc tramite, sub expertis propitiis Dei auspiciis excudendi.

Demum hoc vnum rescias velim, beneuole lector, me suspectam habere fidem Munsteri hominis apostatæ, ideoque flocci facere testamentum Hebræum, quod ille effinxit, & censere esse ei præferendum textum Hebræum, quem superiori sæculo Ioannes Telius Episcopus Briocensis retulit à Iudæis. Hunc solum adhibeo, quando peregrinâ dialecto est veritati dubiæ consulendum.

INDEX CAPITVM, SEV TITVLORVM, QVIBVS SERIES HVIVSCE Tomi coniicitur.

FERIA QVARTA Cinerum.

EVANGELIVM.

LITERALIS EXPOSITIO.

CVIVS Paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij. Pag. 1
Sensus Litteralis.
Fugienda est in virtutum praxi singularitatis affectatio, vt perniciosa soboles hypocrisis, quam ne Scribæ affricarent Apostolis, Christus cauit.
In hac verba : Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.
§. 1. Coniectura prima ex linguis. pag. 2
Sensus Literalis.
Virtus ementita præterit terminos sibi præstitutos, ideoque exterminium petit eorum, qui ei litant.
In hac verba : Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus, & ratione. pag. 3
Adeo tenuis est merces hypocritarum, vt Christus affirmatione prauia æquum censuerit illam explicare.
In hac verba : Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.
§. 2. Coniectura prima ex linguis, & ratione. p. 4
Sensus Literalis.
Vanitatis aura diuerberans animam, excutit præcipuos bonorum operum flores.
In hac verba : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus. p. 5
Sensus Literalis.
Vt sunt bona opera sarta tecta, magnam attentionem, & hilarem animi consentionem postulant.
In hac verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput, & faciem tuam laua.
§. 3. Coniectura prima, ex ratione, & linguis. p. 6
Sensus Literalis.
Vt virtus sit omnibus suis numeris absoluta, impigros animos petit, & intentionem sinceram.
In hac verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, &c.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus. p. 8
Sensus Literalis.
Quidquid homo deperit vt vltimum finem suum, hoc illi est thesaurus, reuera caducus, si res amata sit infra Deum.
In hac verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
§. 4. Coniectura prima ex ratione. p. 10
Sensus Literalis.
Quidquid animi firma intentio sibi præfigit locò mercedis, hoc homini thesaurus est.
In hac verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus. p. 11
Sensus Literalis
Quidquid amorem hominis obstringit, illud est thesaurus eius.
In hac verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Coniectura tertia ex linguis. p. 12
Sensus Literalis.
Homo alicui rei affectum suum deuouens, ita illi obstringitur, vt impos sit ad alterius rei obsequiũ: nam amor intẽsus omnia secũ vota rapit.
§. 5. Coniectura prima, ex linguis. p. 13
Sensus Literalis.
Cor totam affectuum turmam secum vehit.
In hac verba : Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus. p. 15
Sensus Literalis.
Abstrahendus est animus, ab affectu rerum terrenarum, ne homo sit impos assurgere ad cœlestia.
In hac verba : Vbi est thesaurus, ibi est cor tuum.
Coniectura tertia, ex ratione. p. 16
Moralis Expositio, Euangelij proximè literaliter expensi.
Euangelium.
Euangelij Moralis expositio. p. 18
Sensus Moralis.
Vt anima deuia à delectatione interna, incœpit delinquere; ita anima ad Deum redux debet auspicari à sincera tristitia, longè ab ea, quam profitentur hypocritæ.
In hac verba : Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.
Sectio prima. p. 19
Sensus Moralis.
Pœnitentiæ rudimenta auspicanda sunt à tristitia castigante præteritas voluptatis illecebras.
In hec verba : Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.
Articulus primus.
Ex Philosophia, ex vtroque Iure, & ex Theologia. p. 19
Sensus Moralis.
Tristitia pœnitentium, est antidotum iniquæ lætitiæ.
In hac verba : Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

Articulus secundus.

Ex Historia, ex Iure canonico, ex Medicina, & ex SS. Patribus. p.20

Sensus Moralis.

Pœnitentis animæ mœror eam aptat sicuti par est, ad æterna tripudia nanciscendum.

In hæc verba: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

Articulus tertius.

Ex antiquitate plurium nationum, ex SS. Patribus. p.21

Sensus Moralis.

Quàm perniciosum sit hypocritarum ingenium.

In hæc verba: Exterminant enim facies suas.

Articulus quartus.

Ex linguis, & antiquitate. p.24

Sensus Moralis.

Quàm sit iniqua indoles hominũ hypocritarum.

In hæc verba: Exterminant enim facies suas.

Articulus quintus.

Ex Symbolis, ex Historia, & ex SS. Patribus. p.25

Sensus moralis.

Quàm sit virulentum hypocritarum ingenium.

In hæc verba: Exterminant enim facies suas.

Articulus sextus.

Ex SS. Patribus. p.26

Sensus Moralis.

Legitimum esse tristitiæ argumentum homini recordanti, se fuisse Deo iniurium, ob res cinere dissoluendas.

In hæc verba: Nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

Item.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

Sectio secunda. p.27

Articulus primus.

Ex Philosophia, ex vtroque Iure, & ex Theologia. p.28

Sensus Moralis.

Anima recolens se peccasse, debet à se exigere pœnas congruas, vt indices animi pœnitentis, qui plus nimio cineres adamauit.

In hæc verba: Nolite fieri sicut hyocritæ tristes.

Articulus secundus.

Ex SS. Patribus. pag.29

Sensus Moralis.

Digressio de aspersione cinerum vsurpata in argumentum tristitiæ pœnitentium.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus tertius.

Ex antiquitate, ex SS. Patribus, & Iure canonico. p.30

Sensus Moralis.

Cineris aspersio prodit animam pœnitentem.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus quartus.

Ex Theologia, Philosophia, & ex SS. Patribus. pag.32

Sensus Moralis.

Cineris aspersio, consulit animæ pœnitenti, & ijs, quos quondam læsit malâ famâ.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus quintus.

Ex Medicina, & SS. Patribus. p.34

Sensus Moralis.

Anima cinere aspersa cadit in ius Dei.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus sextus.

Ex Historia. p.35

Sensus Moralis.

Non debere hominem affici rebus, quæ in cinerem aliquando desinent.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus septimus.

Ex Philosophia, & vtroque Iure. p.37

Sensus Moralis.

Deus morte inflicta consuluit hominibus.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus octauus.

Ex Theologia, & ex SS. Patribus. p.38

Sensus Moralis.

Memoria mortis antidotum est salutare contra virus omnium voluptatum.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus nonus.

Ex antiquitate, ex Symbolis, ex Historia, & ex SS. Patribus. p.39

Sensus Moralis.

Mortis memoria animam ditat multis gratiarum gazis.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus decimus.

Ex antiquitate, & ex SS. Patribus, & Mathematica. p.41

Sensus Moralis.

Cineres obstant, ne quid perennare queat.

In hæc verba: Memento homo quia puluis es.

Articulus vndecimus.

Ex re Medica, & ex Historia. p.43

Sensus Moralis.

Oculi hominum deprædantur mercedem debitam bonis operibus, si eo intento fiant, vt gloriam aucupentur inanem.

In hæc verba: Receperunt mercedem suam.

Sectio tertia, Articulus primus.

Ex Philosophia, & SS. Patribus. p.44

Sensus Moralis.

Virtus, quæ oculis hominum litat, excidit merito.

In hæc verba: Receperunt mercedem suam.

Articulus secundus.

Ex SS. Patribus, & ex Theologia. p.45

Sensus Moralis.

Quàm reprobus sit ambitus gloriæ humanæ.

In hæc verba: Receperunt mercedem suam.

Articulus tertius.

Ex Mathematica, ex Historia, & ex Iure ciuili. pag.47

Sensus Moralis.

Anima pruriens immodico appetitu gloriæ in grauia incurrit discrimina.

In hæc verba: Receperunt mercedem suam.

Articulus quartus.

Ex antiquitate plurium nationum, & vtroque Iure, & ex SS. Patribus. p.49

Sensus Moralis.

Gloria humana in perniciem quæritur eius, qui anhelat ad hoc ludibrium gloriæ.

Articulus quintus.

Ex Medicina, & ex Symbolis. p.51

Sensus Moralis.

Quomodo citra mercedis dispendium, possimus bona opera nostra oculis hominum exponere, & inde aliqualem gloriam aucupari.

Sectio quarta.

Articulus primus.

Ex Philosophia, Theologia, & SS. Patribus. p.52

Sensus Moralis.

Gloria humana suis stipata cautelis innocens est.

In hæc verba: Receperunt mercedem suam.

Articulus

Articulus secundus.
Ex Historia, ex vtroque Iure, ex Medicina & ex Mathematica. p.55
Sensus Moralis.
Tutior lõgè est fuga gloriæ humanæ quàm cupido.
In hæc verba : Receperunt mercedem suam.
Articulus tertius.
Ex Medicina, ex Theologia, ex Historia, & ex SS. Patribus. p.56
Sensus Moralis.
Gloria humana suos asseclas semper male excepit.
In hæc verba : Receperunt mercedem suam.
Articulus quartus.
Ex antiquitate plurium nationum, & vtroque Iure. p.58
Sensus Moralis.
Gloria humana aspirat in perniciem animarum.
In hæc verba : Receperunt mercedem suam.
Articulus quintus.
Ex Historia, & Symbolis. p.60
Sensus Moralis.
Sine gratia venustate, ieiunium est indecorum.
Sectio quinta, articulus primus.
Ex Theologia, ex Philosophia, & ex SS. Patribus. p.61
Sensus Moralis.
Ieiunium eleemosyna comite roboratur.
In hæc verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.
Articulus secundus.
Ex Theologia, SS. Patribus, & Historia. p.63
Sensus Moralis.
Ieiunium eleemosyna chrismate consecratur.
In hæc verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.
Articulus tertius.
Ex antiquitate plurium nationum. p.65
Sensus Moralis.
Infirmum est ieiunium, & marcescit, si non eleemosynæ succo saginetur.
In hæc verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.
Articulus quartus.
Ex Medicina, ex vtroque Iure, ex Historia, & Symbolis. p.66
Sensus Moralis.
Eleemosyna ieiunio imponit colophonem.
In hæc verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.
Articulus quintus.
Ex SS. Patribus, & ex Medicina. p.68
Sensus Moralis.
Eleemosyna, & gratia Dei, duo fulcra sunt, quibus ieiunium innititur.
In hæc verba : Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.
Articulus sextus.
Ex Philosophia, ex SS. Patribus, & ex Historia. pag.69
Sensus Moralis.
Quanam industria quisque sibi debeat thesauros in cœlis adstruere.
In hæc verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Sectio sexta.
Ex Philosophia, & SS. Patribus. p.70
Sensus Moralis.
Hominem dedecet affectus thesaurizandi in hoc sæculo.
In hæc verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Articulus primus.
Ex Philosophia, & SS. Patribus. p.70
Sensus Moralis.
Homo pluribus argumentis deterreri debet ab appetitu congregandi opes in hoc sæculo.
In hæc verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Articulus secundus.
Ex Theol. vtroque Iure, & ex SS. Patribus. p.72.
Sensus Moralis.
Suspecta est omnis affluentia terrenarum opum.
In hæc verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Articulus tertius.
Ex Medicina, ex SS. Patribus, & ex Mathematica. p.75
Sensus Moralis.
Plus nimio concupita opes huius sæculi, dubiam faciunt æternam salutem.
In hæc verba : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Articulus quartus.
Ex hist. & antiquitate plurium nationum. p.77
Sensus Moralis.
Vbi & quomodo perennare queant thesauri.
In hæc verba : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.
Articulus quintus.
Ex Theologia, & ex antiquitate plurium nationum. p.78
Sensus Moralis.
Opportunè thesaurizas, qui virtutes congregat, & præcipuè charitatem.
In hæc verba : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.
Articulus sextus.
Ex SS. Patribus, & Philosophia. p.79
Sensus Moralis.
Opes effusa in manus pauperum, thesauros in cœlo componunt, & secus coaceruata in terra dispereunt.
In hæc verba : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.
Articulus septimus.
Ex historia, Symbolis, & SS. Patribus. p.81
Sensus Moralis.
Quam cautelam deposcat ab homine cordis custodia, ne diffluat ad thesauros ignobiles.
Sectio prima. p.82
Quàm debeat esse anima sollicita, ne capiatur illecebris rerum, quæ illudunt oculus.
In hæc verba : Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
Articulus primus.
Ex antiquitate plurium nationum, & ex Theologia. p.83
Sensus Moralis.
Incongrua res est homini deperire creaturas.
In hæc verba : Vbi est thesaurus, ibi est & cor tuum.
Articulus secundus.
Ex Philosophia. p.84
Sensus Moralis.
Quàm parcè homo debet affici rebus infra Deum.
In hæc verba : Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
Articulus tertius.
Ex SS. Patribus, & ex Philosophia. p.85

Sensus Moralis.
Quæ pernicies animam excipiat incuriam custodia cordis sui.
In hac verba: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
Articulus quartus.
Ex historia, ex SS. Patribus, & ex Mathematica. p.86
Sensus Moralis.
Cor peruium creaturis pessum datur.
In hac verba: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
Articulus quintus.
Ex SS. Patribus, & Symbolis. p.88
Sensus moralis.
Omnia sollicitant hominem, vt cordi suo sedulus inuigilet.
In hac verba: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
Articulus sextus.
Ex Medicina, & SS. Patribus. p.89
Sensus Moralis.
Homo cordis sui dominium Deo detrahens, illi est iniurius, detrahitur autem cor affectu.
Articulus septimus.
Ex vtroque iure, & historia. p.90
Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio.
Orthodoxa expositio Euangelij. p.91
Sensus orthodoxus.
An superstitiosus sit ieiunandi ritus.
In hac verba: Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ.
Controuersia prima. p.92
Sensus Orthodoxus.
Prima pars controuersiæ.
Quibus machinis haretici arietarunt in ieiunium. pag.92
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda controuersiæ.
Sanctissimè esse à Deo instituta ieiunia.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, ex SS. Patribus. p.94
Sensus Orthodoxus.
Deo inspirante instituta sunt ieiunia.
In hac verba: Cum ieiunatis; nolite fieri sicut hypocritæ.
Argumentum secundum.
Ex iure canonico, & ex SS. Patribus. p.97
Quàm ab incunabulis fuerit propositi tenax Ecclesia in ieiunijs obseruandis.
Argumentum tertium.
Ex historia Ecclesiæ primitiuæ. p.100
Pars tertia controuersiæ.
Quàm benignè sit Ecclesia ieiunia decernendo. p.101
Sensus Orthodoxus.
An abstinere à carnibus, sit de ratione ieiunij.
In hac verba: Exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.
Controuersia secunda. p.103
Quibus argumẽtis impugnetur carnis abstinẽtia.
Pars prima controuersiæ. ibid.
Abstinendum esse à carnibus indicto ieiunio.
Pars secunda controuersiæ.
Ex Scriptura, & ex Iure canonico. p.107
Non est superstitiosa, sed suspicienda vt par est à fidelibus abstinentia à carnibus.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. p.107
Non est carpenda, sed commendanda abstinentia à carnibus.
Argumentum secundum.
Ex Iure canonico. p.109
Coëunt Proceres Ecclesiæ ad astruendã abstinentiam à quibusdam cibis, diebus ieiunio sacris.
Argumentum tertium.
Ex SS. Patribus. p.110
Cultioris vitæ gratià, plerique sibi indixerunt abstinentiam à lautiore & pinguiore cibo.
Argumentum quartum.
Ex historia. p.112
An Ecclesia congruè instituerit Quadragesimam, quatuor Tempora, Vigilias, & alios singulares ieiunandi modos.
In hac verba: Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.
Controuersia tertia. p.114
Quibus argumẽtis insurgant haretici in Quadragesimam, aliosque dies ieiunio prænotatos.
Pars prima Controuersiæ. pag.114
Congrua est Quadragesima institutio.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. pag.116
Quadragesima obseruatio est de præcepto.
Argumentum secundum.
Ex Iure Canonico. pag.118
A quibus, & quantis encomijs, Quadragesima fuerit commendata, & vnde originem habeant Quatuor tempora, & Vigiliæ.
Argumentum tertium.
Ex SS. Patribus. pag.119
De Vigiliis.
Vnde Vigiliarum ritus emerserit. p.122
Quàm religiosè obseruata fuerint semper ieiunia, ab Ecclesia instituta.
Argumentum quartum.
Ex historia. p.125
Sensus Orthodoxus.
An ieiunium sit meritorium, & qua cautela indigeat, vt à Deo compensetur.
In hac verba: Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.
Controuersia quarta. p.127
Quibus argumentis impugnetur meritum ieiunij.
Pars prima controuersiæ. ibid.
Ieiunij vtilitas, & commoda explicantur.
Pars secunda Controuersiæ.
Ex Scriptura, & ratione. pag.129
Quanti meriti sit ieiunium.
Argumentum secundum.
Ex iure canonico. pag.131
Ieiunij merita & virtutes explicantur.
Argumentum tertium.
Ex SS. Patribus. pag.133
Quàm singulares exerat effectus ieiunium.
Argumentum quartum.
Ex historia. p.134

FERIA QVINTA Cinerum.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. p.136
Sensus Literalis.
VBi miseriarum maior est cumulus, illic etiam plures misericordiæ Dei effectus emicant.
In

In hac verba: Cùm introisset Iesus in Capharnaum, accessit ad eum Centurio.
§.1. Coniectura prima ex ratione. p.137
Sensus litteralis.
Historiam Centurionis, cuius puer paralyticus sanatus est, præcipuè commendare misericordiam Christi.
Coniectura secunda, ex linguis. p.138
Sensus Literalis.
Sanitas impertita paralytico, suggerit Dei misericordiam pronam ad gratias.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.139
Sensus Literalis.
Perfectæ fidei signa petuntur, à professione eiusdem fidei, & bonis operibus, exemplo Centurionis, qui vidit Christum.
In hac verba: Domine non sum dignus, &c.
§.II. [illegible] p.140
Sensus Literalis.
Non per internuntios tantùm, sed & ipse Centurio coram positus, Christum Deum professus est.
In hac verba: Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus.
§.3. Coniectura prima, ex ratione. p.142
Sensus Literalis.
Quomodo rursus constet Centurionem personaliter adiisse Dominum Iesum.
In hac verba: Et respondens ait.
Coniectura secunda ex linguis. p.143
Sensus Literalis.
Idem Christi, & Centurionis concursus adstruitur.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.144
Sensus Literalis.
An reuera Christus miratus sit fidem Centurionis, & quænam fuerint illi admirationis argumenta.
In hac verba: Audiens autem Iesus miratus est.
§.4. p.145
Sensus Literalis.
Christus, non fictè, sed reuera admiratus est fidem singularem Centurionis.
In hac verba: Audiens autem Iesus miratus est.
Coniectura prima ex Theologia. p.146
Sensus Literalis.
Iterum patet, Christum reuera miratum fuisse fidem Centurionis.
In hac verba. Audiens autem Iesus miratus est.
Coniectura secunda, ex linguis. p.147
Sensus Literalis.
Quàm excelsa fuerit fides Centurionis.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
§.5. Ex SS. Patribus. p.148
Sensus Literalis.
Fides Ecclesiæ multò nobilior est & amplior fide Synagogæ.
In hac verba: Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.
§.6. Coniectura proxima ex ratione. p.151
Sensus Literalis.
Ecclesia dicitur Catholica, quia orbe toto propagata est.
In hac verba: Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.
Coniectura secunda, ex linguis. p.152
Sensus Literalis.
Ecclesiam suffectam in locum Synagogæ, illi etiam quamplurimis titulis eminere.
In hac verba: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.
Sensus Litteralis.
In quas tenebras & ærumnas damnati incurrant.
In hac verba: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, &c.
§.7. Coniectura prima, ex ratione. p.156
Sensus Literalis.
De caligine & fletibus inferni.
In hac verba: Eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.
Coniectura secunda ex linguis. p.157
Sensus Literalis.
Damnati opaca inferorum caligine cruciantur, necnon inexhaustis fletibus alluuntur.
In hac verba: Eiicientur in tenebas exteriores, ibi erit fletus, &c.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.158

Moralis Expositio Euangelij proximè Literaliter expensi p.160
Sensus Moralis.
Homo alterius Domini quàm Dei obsequio addictus, ingloriam patitur seruitutem.
In hac verba: Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.
Sectio prima. p.161
Quàm multis titulis rerum omnium dominium summum ad Dominum Deum præpotentem pertineat.
Articulus primus.
Ex Iure ciuili. p.161
Sensus Moralis.
Omnium Regum dominium esse infra dominium Dei.
In hac verba: Puer meus iacet in lecto.
Articulus secundus.
Ex Historia. p.162
Sensus Moralis.
Indubium est Dei dominium in omnia, quæ orbe toto prostant.
In hac verba: Puer meus iacet in lecto paralyticus.
Articulus tertius.
Ex Philosophia. p.164
Sensus Moralis.
Nihil omnino potest effugere dominium Dei.
In hac verba: Puer meus iacet in lecto paralyticus.
Articulus quartus.
Ex Theologia. p.165
Sensus Moralis.
Quibus castigentur opprobrijs illi, qui à Deo deficiunt, vt alteri domino deseruiant.
In hac verba: Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.
Articulus quintus.
Ex Antiquitate plurium nationum. p.167
Sensus Moralis.
Quàm acerbè Deus excipiat suos seruos transfugas.
In hac verba: Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur,
Articulus sextus.
Rursus ex Antiquitate plurium nationum. p.169
Sensus Moralis.
In quam perniciem deueniant omnes qui abiurant Dei dominium.

In hac verba : Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.
Articulus septimus.
Ex Medicorum disciplina. pag.172
Sensus Moralis.
Vitiorum dominium est reprobis ominosum.
In hac verba : Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.
Articulus octauus.
Ex Mathematica. p.173
Sensus Moralis.
Quàm molestum sit abdicare Dei dominium, & dura vitiorum seruitute premi.
In hac verba : Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.
Articulus nonus.
Ex SS. Patribus. p.174
Sensus Moralis.
Dura vitiorum seruitus, debet vrgere reprobos, vt Deo priori suo Domino reduces obsequantur.
In hac verba : Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.
Articulus decimus.
Ex Symbolis, & SS. Patribus. p.176
Sensus Moralis.
Magno apparatu virtutum sese debet anima accingere ad illapsum gratiarum Dei.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Sectio secunda. p.178
Sensus Moralis.
Deus non influit in animas, nisi congruis sese dispositionibus accinxerint.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus primus.
Ex Philosophia. p.179
Sensus Moralis.
Quibus praeambulis animam subeant diuina charismata.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus secundus.
Ex Theologia. p.180
Sensus Moralis.
Homines adulti non ornantur grata Dei, nisi eam pro modulo suo procurkrint.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus tertius.
Ex SS. Patribus. p.181
Sensus Moralis.
Congrua cautione aptanda est anima futura compos gratiarum Dei.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus quartus.
Ex Medicorum Disciplina. p.183
Sensus Moralis.
Quos gratia Dei sortiatur effectus in anima, vt par est aptata.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus quintus.
Ex Mathematica, & Theologia. p.185
Sensus Moralis.
Quibus priuilegiis gaudeat anima Deo grata.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus sextus.
Ex iure ciuili. p.187
Sensus Moralis.
Quos insignes effectus, ex gratia influxu referat anima Deo grata.
In hac verba : Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.
Articulus septimus.
Ex Iure Canonico. p.1[illegible]
Sensus Moralis.
Natura gratia, influxus eius, & effectus discutiuntur, ad trutinam Sanctorum Patrum.
Articulus octauus.
Ex SS. Patribus. p.189
Sensus Moralis.
Quàm salutares sint effectus gratia Dei.
Articulus nonus.
Ex Historia. p.192
Sensus Moralis.
Quàm decora sit anima insignita Dei gratia.
Articulus decimus.
Ex Symbolis & SS. Patribus. p.193
Sensus Moralis.
Omnia hominum beneficia superat illa gratia, qua Deus cauit hominibus.
Articulus vndecimus.
Ex Antiquitate plurium nationum. p.195
Exhortatio ad gratiam quantocyus amplectendam. p.198
Sensus Moralis.
Nemo planè fit compos gloria aeterna, nisi gratia Dei illapsu rutilus, eiusdem gratia ortum deducat vsque ad occasum vita.
In hac verba : Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, &c.
Sectio tertia. p.200
Sensus Moralis.
Gratiâ Dei inconsultâ, inuius est aditus ad gloriam.
In hac verba : Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.
Articulus primus.
Ex Theologia. p.201
Sensus Moralis.
Nemo citra gratia habitualis influxum potest esse conscius gloria aeterna.
Articulus secundus.
Ex Philosophia. p.204
Sensus Moralis.
Citra gratiam, nemo potest adire hereditatem Dei.
In hac verba : Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.
Articulus tertius.
Ex Iure ciuili. p.205
Sensus Moralis.
Nefas est arbitrari hominem proprio tantùm Marte posse assurgere ad coelestia.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Articulus quartus.
Ex Iure canonico. p.205
Sensus Moralis.
Gratia Dei, qua in morte excidit, non dignatur animam beatitudine aeterna.
In hac verba : Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Articulus quintus.
Ex SS. Patribus. p.205

Sensus

Sensus Moralis.
Ab Occidente, id est à vitæ occasu, pendere æternam hominum sortem.
In hac verba: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.
Articulus sextus.
Ex Historia. pag.208
Sensus Moralis.
Omnium hominum salus est penes perseuerantiam in gratia Dei, ne in morte excidat.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Articulus septimus.
Ex Mathematica, & SS. Patribus. p.210
Sensus Moralis.
Parum est egregia moliri, si non perficiantur.
In hac verba: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham.
Articulus octauus.
Ex Medicorum disciplina. pag.211
Sensus Moralis.
Abdicato vitio, semper est virtutum praxis profitenda.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Articulus nonus.
Ex Symbolis. pag.212
Sensus Moralis.
Perseuerantia in gratia vsque ad occasum vitæ, sola est digna coronari.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, &c.
Articulus decimus.
Ex antiquitate plurium nationum. p.213

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio.

Orthodoxa expositio Euangelij.

Sensus Orthodoxus. p.217

In quo propriè sita sit ratio fidei.
In hac verba: Dic tantùm, & sanabitur puer meus.
Controuersia prima. pag.218
Quas hæretici machinas opponunt Ecclesiæ decernenti, in quo sita sit ratio fidei.
Pars prima Controuersiæ. pag.219
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda Controuersiæ.
Fidei proprium est assentiri incunctanter ijs omnibus, quæ Deo reuelante didicimus.
In hac verba: Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. pag.223
Sensus Orthodoxus.
Fidei rationem consistere in assensu.
In hac verba: Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus.
Argumentum secundum.
Ex SS. Patribus. pag.224
Sensus Orthodoxus.
Fidem non consistere in certa fiducia, sibi esse remissa sua piacula.
In hac verba: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.
Argumentum tertium.
Ex Iure Canonico. pag.227
Sensus Orthodoxus.
Denuo impugnatur hæreticorum insania, fidem totam constituens in sola fiducia misericordiæ.
In hac verba: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.
Argumentum quartum.
Ex ratione, & SS. Patribus. pag.227
Sensus Orthodoxus.
Fidei essentia est penes assensum, & non penes fiduciam.
In hac verba: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.
Argumentum quintum.
Ex ritibus Ecclesiæ primitiuæ. pag.230
Sensus Orthodoxus.
An fides sine operibus iustificet.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
Controuersia secunda. pag.231
Sensus Orthodoxus.
Quibus medijs hæretici tentarint probare, fidem solam iustificare sine bonis operibus.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
Prima pars Controuersiæ. pag.232
Sensus Orthodoxus.
Denuo insurgunt hæretici, conclamantes, fidem solam iustificare sine bonis operibus.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël. pag.235
Sensus Orthodoxus.
Tertiò insaniunt hæretici, conantes adstruere, fidem iustificare sine bonis operibus.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël. pag.238
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda Controuersiæ.
Fides ad iustificationem animarum, bonorum operum adsciscit suffragium.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
Ex Scriptura, & ratione. pag.240
Sensus Orthodoxus.
Denuo Scriptura sacra, & variæ rationes probant, fidem, vt iustificet, petere bonorum operum commercium.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël. pag.242
Sensus Orthodoxus.
Adultorum hominum iustificatio refundenda est in fidem stipatam bonis operibus.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
Argumentum secundum.
Ex Iure Canonico. pag.244
Sensus Orthodoxus.
Fides est indiga bonorum operum, vt homines adulti æterna stipendia demereant.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
Argumentum tertium.
Ex SS. Patribus. pag.245
Sensus Orthodoxus.
Varijs adhuc sententijs Sanctorum Patrum adstruitur necessitas bonorum operum cum fide.

In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël. pag. 248
Sensus Orthodoxus.
Salus hominum adultorum deposcit fidem implexam bonis operibus.
In hac verba: Non inueni tantam fidem in Israël.
Argumentum quartum.
Ex Historia Ecclesiæ primitiuæ, & ex SS. Patribus. pag. 250
Sensus Orthodoxus.
An sit singulare signum veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica, id est, orbe toto diffusa.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Controuersia tertia. pag. 253
Sensus Orthodoxus.
Quibus instantijs hæretici impugnent notas Ecclesiæ.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Pars prima Controuersiæ. pag. 254
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda Controuersiæ.
Solam veram Ecclesiam esse Catholicam visibilem, & sanctitate conspicuam.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Argumentum primum.
Ex Scriptura. pag. 259
Sensus Orthodoxus.
De ratione veræ Ecclesiæ est, vt sit Catholica seu vniuersalis, & peruia sensibus.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum secundum.
Ex ratione. pag. 260
Sensus Orthodoxus.
Indubia Ecclesiæ tessera est, vt sit Catholica.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum tertium.
Ex SS. Patribus. pag. 263
Sensus Orthodoxus.
Singularis est titulus veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica, id est, vniuersalis.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum quartum.
Ex Iure Canonico. pag. 264
Sensus Orthodoxus.
Sola Ecclesia Romana toto orbe diffusa est, ac proinde sola est Catholica.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum quintum.
Ex Historia Ecclesiæ primitiuæ. p. 266
Sensus Orthodoxus.
An quis possit fieri saluus extra Ecclesiam.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente & recumbent cum Abraham, &c. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.
Controuersia quarta. pag. 268
Sensus Orthodoxus.
Quales næuos hæretici tentarint affingere illibatæ Ecclesiæ sanctitati.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Pars prima Controuersiæ. pag. 269
Sensus Orthodoxus.
Soli Ecclesiæ Romanæ, meritò affingi possunt omnes præcipuæ sanctitatis notæ.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. pag. 272
Sensus Orthodoxus.
Soli Romanæ Ecclesiæ affingi potest titulus sanctitatis illibatæ.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum secundum.
Ex SS. Patribus. pag. 273
Sensus Orthodoxus.
Nunquam Romana Ecclesia desiit esse Sancta.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente.
Argumentum tertium.
Ex Historia Ecclesiæ primitiuæ. p. 274
Sensus Orthodoxus.
Sola Ecclesia Romana sanctitate refulget.
In hac verba: Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.
Argumentum quartum.
Ex vtroque Iure. pag. 276
Sensus Orthodoxus.
Pars altera controuersiæ.
Omnibus extra Ecclesiam positis, inuius est aditus ad regnum cœlorum.
In hac verba: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & SS. Patribus. pag. 277
Sensus Orthodoxus
Nulla salus manet eos, qui sunt extra Ecclesiam.
In hac verba: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.
Argumentum secundum.
Ex vtroque Iure. pag. 278
Sensus Orthodoxus.
Salus indubia animarum in sola Ecclesia Romana prostat.
In hac verba: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.
Argumentum tertium.
Ex Historia Ecclesiæ primitiuæ. pag. 280

FERIA SEXTA Cinerum.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. pag. 282
Sensus Literalis.
EVangelij summa penes amorem est, cuius igne decoquitur immatura lex Hebræorum, & carpitur cruda interpretatio Iudæorum.
In hac verba: Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
§. 1 Coniectura prima ex ratione. p. 282
Sensus Literalis.
Scribarum liuor anhelãs in odia suasit vltionem, quã Christus amore inducto funditus extirpauit.

In hac verba: Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Coniectura ſecunda ex linguis. p.285

Senſus Literalis.

Chriſtus amoris igne accenſo, legis intentum aperit, & damnat Iudæorum adulterinum ſenſum.

In hac verba: Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.287

Senſus Literalis.

Penes charitatem eſt, adſciſcere homines in numerum filiorum Dei.

In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt.

§.2. Coniectura prima, ex ratione. p.289

Senſus Literalis.

Charitatis obſequio præſtito inimicis, euehimur in ſortem filiorum Dei.

In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt.

Coniectura ſecunda ex linguis. p.291

Senſus Literalis.

Charitas diffuſa vſque ad inimicos, animam dignatur infulis filiorum Dei.

In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt.

Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.291

Senſus Literalis.

Perfectionis cardo omnis, in amore vertitur.

In hac verba: Eſtote ergo perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

§.3. Coniectura prima ex ratione. p.293

Senſus Literalis.

Dilectio inimicorum, teſſera eſt perfectionis.

In hac verba: Eſtote ergo perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

Coniectura ſecunda ex linguis. p.294

Senſus Literalis.

Amor inimicorum ſumma eſt inſtituti Chriſtiani.

In hac verba: Eſtote ergo perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.295

Senſus Literalis.

Virtus quantumuis emerita litans oculis hominum, æterna Dei mercede cadit.

In hac verba: Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

§.4. Coniectura prima, ex ratione. p.295

Senſus Literalis.

Gloria humana bonis operibus iniuria eſt.

In hac verba: Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin non habebitis mercedem apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Coniectura ſecunda, ex linguis. p.296

Senſus Literalis.

Virtus omnis, & præſertim eleemoſyna flacceſcit, perflata flabris inanis gloriolæ.

In hac verba: Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.297

Moralis Expoſitio Euangelij proximè Literaliter expenſi. pag.300

Senſus Moralis.

VT Euangelica lex præcipuè amorem ſonat, ad eam maximè pertinuit ſummum amoris argumentum, quod eſt dilectio inimicorum.

In hac verba: Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Sectio prima. p.301

Senſus Moralis.

Prima pars ſectionis.

Dilectio inimicorum teſſera neceſſaria eſt ad ſalutem.

In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Articulus primus.

Ex Theologia. p.301

Senſus Moralis.

A ſalute æterna procul facit homines odium acerbum, quod exercent cum ſuis inimicis.

In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Articulus ſecundus.

Ex Philoſophia. p.303

Senſus Moralis.

Diligere inimicos, res eſt digna imperio.

In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Articulus tertius.

Ex Iure Ciuili. p.303

Senſus Moralis.

Conciliari nequit Deus, niſi reconciliato inimico.

In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Articulus quartus.

Ex Iure Canonico. p.305

Senſus Moralis.

Quàm ſit ſalutare repurgium odij inimicorum.

In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Articulus quintus.

Ex medicorum diſciplina. p.305

Senſus Moralis.

Ad dilectionem inimicorum Deus ſingulos quoſque homines obſtrinxit.

In hac verba: Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt.

Articulus ſextus.

Ex Mathematica. p.307

Senſus Moralis.

Vltionis cupido coercita, res eſt glorioſa.

In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.

Articulus ſeptimus.

Ex antiquitate plurium nationum. p.308

Senſus Moralis.

Commemoratio Chriſti condonantis, argumentum eſt efficax, ad omnem iniuriarum memoriam expungendam.

In

In hac verba: Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.
Articulus octauus.
Ex Historia, & SS. Patribus. p.311
Sensus Moralis.
Quàm sit vltio iniuriarum noxia vindicanti.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Articulus nonus.
Ex Symbolis, & SS. Patribus. p.313
Sensus Moralis.
Pars altera sectionis.
Hac cautela diligendi sunt inimici nostri, vt eorum vitia detestemur.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Dilitе inimicos vestros.
Articulus decimus.
Ex Theologia. p.314
Sensus Moralis.
Quomodo possit esse odium homini salutare.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Articulus vndecimus.
Ex Philosophia. p.315
Sensus Moralis.
Citra charitatis dispendium, quisque debet habere exosa vitia inimicorum.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Articulus duodecimus.
Ex Medicina, & SS. Patribus. p.316
Sensus Moralis.
Quomodo sint, salua charitate, nostrorum inimicorum vitia castiganda.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Articulus decimus tertius.
Ex vtroque Iure. p.317
Sensus Moralis.
De integritate amoris inimicorum est, vt se congruis actibus prodat.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.
Sectio secunda. p.320
Sensus Moralis.
Pars prima sectionis.
Dilectio inimicorum, hominem totum deuincit, vt pro modulo suo se eis beneficum praestet.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus vos.
Articulus primus.
Ex Theologia. p.320
Sensus Moralis.
Perfectio amoris erga inimicos, dum res exigit, beneficiorum postulat argumentum.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos.
Articulus secundus.
Ex Philosophia. p.321
Sensus Moralis.
Cœlestes animos decet, acceptas iniurias reddito beneficio compensare.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos.
Articulus tertius.
Ex Symbolis, & SS. Patribus. p.322
Sensus Moralis.
Anima amore decocta, iniurias transmutat in gratias.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos.
Articulus quartus.
Ex medicorum disciplina. p.323
Sensus Moralis.
Vt Deus ingi gratiarum influxu suos etiam inimicos deuincit, ita & homines beneficos se praestare debent in osores suos.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos.
Articulus quintus.
Ex Mathematica, & SS. Patribus. p.324
Sensus Moralis.
Amoris est suspecta fides, quam gratiæ impensæ indubia non adstruunt argumenta.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos.
Articulus sextus.
Ex antiquitate plurium nationum. p.325
Sensus Moralis.
Pars altera sectionis.
Beneficia collata inimicis, magno cum fœnore resiliunt in homines illas gratias erogantes.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri.
Articulus septimus.
Ex variis Historiis. p.329
Sensus Moralis.
Multa mala manent vindicantes, vt secus præmia decernuntur iniuriam condonanti.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri.
Articulus octauus.
Ex vtroque Iure. p.332
Sensus Moralis.
Varijs titulis sollicitamur ad benefaciendum inimicis nostris.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui est in cœlis.
Articulus nonus.
Ex sententiis Sanctorum Patrum, & dictis aliorum hominum. p.334
Sensus Moralis.
Virtutis apicem nactus est ille, qui Deum sibi praestituit in scopum, congruis actibus assequendum.
In hac verba: Estote vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.
Sectio tertia. p.337
Sensus Moralis.
Pars prima sectionis.
Perfectioni sedulò quisque debet incumbere.
In hac verba: Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus primus.
Ex Theologia. p.338
Sensus Moralis.
Conditione sua quisque ad perfectionem obstringitur.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus secundus.
Ex Iure Ciuili. p.339
Sensus Moralis.
Christiani nomen sollicitat nos ad perfectionem.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus tertius.
Ex Iure Ciuili, & SS. Patribus. p.340
Sensus Moralis.
Natura nouercante deterior fit homo incuriis anhelare ad perfectiorem statum.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.

Articulus

Articulus quartus.
Ex Mathematica, & SS. Patribus. p.342
Sensus Moralis.
Homo perfectionis incurius, in peiora ruit.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus quintus.
Ex Philosophia, & SS. Patribus. p.343
Sensus Moralis.
Disciplina Christiana ingiter vrget suos professores ad perfectionem comparandam.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus sextus.
Ex Historia, & vtroque Iure. p.345
Sensus Moralis.
Ipsa etiam corporis humani conditio animam sollicitat ad perfectiorem statum.
In hac verba: Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus septimus.
Ex Medicorum disciplina. p.348
Sensus Moralis.
Pars secunda sectionis.
Anima inhians perfectioni, ne aberret, Deum tantùm sibi debet in scopum præfigere.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus octauus.
Ex Theologia, & SS. Patribus. p.349
Sensus Moralis.
Anima sollicita de sua perfectione debent vota omnia in Christum Dominum anhelare.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus nonus.
Ex Symbolis, & SS. Patribus. p.351
Sensus Moralis.
A Deo petendi sunt perfectionis omnimoda typi.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Articulus decimus.
Ex antiquitate plurium nationum. p.353

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio.

Orthodoxa Euangelij expositio. p.356

Sensus Orthodoxus.

Gratia Dei influente in animam, homo aptatur ad subeundum iugum mandatorum Dei.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Controuersia prima. p.357
Sensus Orthodoxus.
Pars prima Controuersiæ.
Anima expers Dei gratia nequit morẽ gerere omnibus mandatis homini à Deo indictis p.357
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda Controuersiæ.
Homo beneficio gratia Dei aspirantis potest obseruare mandata Dei.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. p.358
Sensus Orthodoxus.
Mandata Dei, gratia obsequio, possunt obseruari.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Argumentum secundum.
Ex SS. Patribus. p.359
Sensus Orthodoxus.
Gratia facilem facit obseruationem mãdatorum.
In hac verba: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.
Argumentum tertium.
Ex Iure Canonico, & ex Historia Ecclesiæ primitiuæ. p.361
Sensus Orthodoxus.
Fomes peccati non obstat, quin gratia Dei influxu homines adsciscantur in numerum filiorum Dei.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.
Controuersia secunda. p.363
Sensus Orthodoxus.
Pars prima Controuersiæ.
Fomes peccati nullam nequitiam inurit animæ, in quam gratia Dei cœlitus influxit.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.
Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. p.364
Sensus Orthodoxus.
Concupiscentia nullum reatum affingit animæ, in quam gratia Dei cœlitus influxit.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.
Argumentum secundum.
Ex SS. Patribus. p.365
Sensus Orthodoxus.
Concupiscentia inuitis non affricat reatum aliquem.
In hac verba: Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.
Argumentum tertium.
Ex Iure Canonico, & Historia Ecclesiæ primitiuæ. p.366
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda Controuersiæ.
Concupiscentia minuitur natta sollicitas animas, illecebris fortiter obsistentes.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Parænesis.
Ex SS. Patribus, & Iure Canonico. p.367
Sensus Orthodoxus.
Homo de sua perfectione sollicitus, & dignatus gratia Dei, iustitia inhærente perficitur.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Controuersia tertia. p.369
Sensus Orthodoxus.
Prima pars Controuersiæ.
Refelluntur sententia hæreticorum, dissona ab ea, qua adstruit iustitiam inhærentem.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. p.369
Sensus Orthodoxus.
Pars secunda Controuersiæ.
Singulis quibusque hominibus iustis quadam affingitur iustitia inhærens.
In hac verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.

Argu

Argumentum primum.
Ex Scriptura, & ratione. | p.373
Sensus Orthodoxus.
A iustitia inhærente, anima iusta suos titulos aucupatur.
In hæc verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Argumentum secundum.
Ex SS. Patribus. p.373
Sensus Orthodoxus.
Iustitiæ inhærentis animæ iustæ veritas adstruitur.
In hæc verba: Estote ergo perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.
Argumentum tertium.
Ex Iure Canonico, & Historia Ecclesiæ primitiuæ. p.374

DOMINICA PRIMA Quadragesimæ.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. pag.375
Sensus Literalis.
CHristus baptizatus, Spiritu sancto impulsore, fuga sæculi, abstinentia, alijsque duris agonibus Ecclesiasticæ disciplinæ iecit fundamina.
In hæc verba: Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
§.1. Coniectura prima ex ratione. p.376
Sensus Literalis.
Quisquis Spiritu Dei percellitur, ille se illico accingit ad facinora ardua perpetranda.
In hæc verba: Iesus ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Coniectura secunda, ex linguis. p.377
Sensus Literalis
Christus consulturus Ecclesiæ, illam suo exemplo erudijt, angustias eius leuans, illas superando.
In hæc verba: Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.377
Sensus Literalis.
Diabolus suspicans in Christo aliquid supra hominem, eum realiter deforis tentauit, vt induceret illum ad peccandum.
In hæc verba: Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.
§.2. Coniectura prima ex ratione. p.378
Sensus Literalis.
Non in imaginatione, sed deforis & realiter Christum tentauit lucifer Angelus refuga.
In hæc verba: Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.
Coniectura secunda, ex linguis. p.379
Sensus Literalis.
Dæmon dubius an Christus esset Deus, eum sola suggestione tentat non inuitum, vt sic homini consuleret, omnia diaboli ludibria superando.
In hæc verba: Accedens tentator dixit ei; Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.381
Sensus Literalis.
Dei mandata obseruata sicuti par est, animam & corpus impinguant.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
§.3. Coniectura prima ex ratione. p.383
Sensus Literalis.
Quidquid à Deo decernitur homini in cibum, illud est congruum hominis alimentum.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Coniectura secunda ex linguis. p.384
Sensus Literalis.
Anima sollicita de salute sua, & spiritualibus intenta, non curat ea, quæ pertinent ad corpus.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.385
Sensus Literalis.
Vt Christus suspectam faceret suam diuinitatem diabolo, permisit se ab eo realiter adsportari, & variè tentari.
In hæc verba: Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinaculum templi. Et dixit ei. Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te.
§.4. Coniectura prima, ex ratione. p.386
Sensus Literalis.
Dæmon experturus quid in Christum posset viâ tentationis, illum realiter in aera raptauit.
In hæc verba: Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem.
Coniectura secunda ex linguis, p.388
Sensus Literalis.
Omnes diaboli technæ eò vergunt, vt homines à Dei cultu auertat, & dementatos agat præcipites in ruinam.
In hæc verba: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.389
Sensus Literalis.
Scriptura sacra idonea est panoplia, ad omnia dæmonum spicula retundenda.
In hæc verba: Vade Satana; scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.
§.5. Coniectura prima, ex SS. Patribus. p.391
Sensus Literalis.
Cultus, qui Deum decet, nemini debet communicari.
In hæc verba: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.
Coniectura secunda ex linguis. p.392
Sensus Literalis.
Tentationibus exercetur anima, demum coronanda.
In hæc verba: Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.393

Moralis Expositio Euangelij proximè Literaliter expensi. pag.394
Sensus Moralis.
CHristus à Spiritu sancto actus in desertum, suo schemate repugnãdi erudijt homines, quantam

quanam industria sint omnia dæmonum spicula retundenda.
In hæc verba: IESVS ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Sectio prima. p.395
Sensus Moralis.
De cautelis obseruandis ad tentationem.
Prima propositio.
Nihil omnino auspicandum, Deo inconsulto.
In hæc verba: IESVS ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Articulus primus.
Ex Theologia. p.396
Sensus Moralis.
Absque iugi Dei influxu animas vegetante, homo impar est certamini cum dæmone.
In hæc verba: Ductus est IESVS in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Articulus secundus.
Ex Philosophia. p.397
Sensus Moralis.
Feriante Dei influxu, anima deses nequit diabolo resistere.
In hæc verba: Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Articulus tertius.
Ex Medicorum disciplina. p.397
Sensus Moralis.
Vt vitiis bellum vtiliter indicatur, à Deo petenda sunt auspicia votis anhelis.
In hæc verba: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Articulus quartus.
Ex antiquitate plurium nationum, & ex vtroque Iure. p.398
Sensus Moralis.
Auspicatò fit, quidquid Deo consulto fit.
In hæc verba: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Articulus quintus.
Ex Mathematica, & ex variis Historiis. p.400
Sensus Moralis.
Fit anima Deo influente vegetior.
In hæc verba: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Articulus sextus.
Ex Symbolis, & SS. Patribus. p.402
Sensus Moralis.
Secunda Propositio.
Secessus à mundi consortio, congruus est apparatus ad superanda diaboli tentamenta.
In hæc verba: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Articulus septimus.
Ex SS. Patribus. p.403
Sensus Moralis.
Solitudo valida est armatura, contra illud omne, quod potest aliquod facessere animæ negotium.
In hæc verba: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Articulus octauus.
Ex Historia, & SS. Patribus. p.404
Sensus Moralis.
Ea præcipuè solitudo appetenda est, quæ non tam corpus quam animam abstrahit à sæculo.
In hæc verba: Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.
Articulus nonus.
Ex symbolis, & ex SS. Patribus. p.408
Sensus Moralis.
Propositio tertia.
Anima, quæ vitiis bellum indixit, opportunè sibi cauet ieiuniorum armaturâ.
In hæc verba: Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.
Articulus decimus.
Ex Theologia, & ex SS. Patribus. p.409
Sensus Moralis.
Ieiunium conducit ad ardua quæque facinora.
In hæc verba: Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.
Articulus vndecimus.
Ex antiquitate plurium nationum, & ex SS. Patribus. p.412
Sensus Moralis.
Pars secunda sectionis.
Quanam industria superandæ sint tentationes.
Quarta propositio.
Gula compescitur appositè meditatis incommodis, in quæ hoc vitium præcipites agit homines.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Articulus duodecimus.
Ex Theologia, & ex SS. Patribus. p.416
Sectio quarta.
Multa est malorum supellex, quam gula secum vehit.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Articulus decimus tertius.
Ex Medicina, & ex SS. Patribus. p.418
Sensus Moralis.
Gula vitium multis titulis indecorum.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Articulus decimus quartus.
Ex variis historiis, & ex Iure canonico. p.420
Sensus Moralis.
Ingluuies est detestanda, vt res omnibus indecora.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Articulus decimus quintus. p.422
Sensus Moralis.
Callidus hostis ingluuie sibi obstringit animas, quæ sola sobrietate possunt declinare dæmonis astutiam.
In hæc verba: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Articulus decimus sextus.
Ex Symbolis, & SS. Patribus. p.424
Sensus Moralis.
Propositio quinta.
Diffidentia sui obstat, ne præsumat anima.
Articulus decimus septimus.
Ex Philosophia, & Theologia. p.426
Sensus Moralis.
Diffidentia sui salutare est præsumptionis antidotum.
In hæc verba: Non tentabis Dominum Deum tuum.
Articulus decimus octauus.
Ex Iure ciuili, & ex Iure canonico. p.427
Sensus Moralis.
Quisquis de se humiliter sentit, is infirmitatis suæ conscius, non tentat inconcessa.
In hæc verba: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Articulus decimus nonus.
Ex variis historiis,& ex SS.Patribus. p.428
Sensus Moralis.
Propositio sexta.
Contemptu facultatum occurritur auaritiæ.
In hac verba: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.
Articulus vigesimus.
Ex Theologia, Philosophia, & SS. Patribus. pag.429
Sensus Moralis.
Homines inducuntur ad peccandum nimio affectu erga diuitias, quæ idcirco sunt flocci facienda.
In hac verba: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.
Articulus vigesimus primus.
Ex Symbolis, ex historiis, & ex SS. Patribus. pag.431
Sensus Moralis.
Opes eo nomine aspernanda, quia sunt momentanea.
In hac verba: Ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis.
Articulus vigesimus secundus.
Ex variis historiis,& SS Patribus. p.433
Sensus Moralis.
Propositio septima.
Satellitio Angelorum stipantur homines, qui se fortes præstitere in agone contra spiritum nequam.
In hac verba: Ecce Angeli accesserunt,& ministrabant ei.
Articulus vigesimus tertius.
Ex prædiuite scientiarum omnium penu. p.435

Encomia vitæ Religiosæ.

Argumentum. p.436

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio.
Sensus Orthodoxus.
Orthodoxa expositio Euangelij. p.437
Controuersia prima.
Quàm ineptis argumentis impetatur vita monastica.
In hac verba: Iesvs ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Impetus primus in nomen monachorum. pag. 438
Sensus Orthodoxus.
Non esse ludibrio habendas vestes monasticas.
In hac verba: Iesvs ductus est in desertum à Spiritu vt tentaretur à diabolo.
Impetus secundus in habitum monachalem. p.439.
Sensus Orthodoxus.
Quàm ardua res sit, & sancta, professio consiliorum Euangelij.
In hac verba: Iesvs ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Impetus tertius in vota. p.442
Diluuntur obiectiones in vota Monastica ex Theologia,& ex SS.Patribus. p.444
Sensus Orthodoxus.
Impetus quartus in votum castitatis. p.448
Sensus Orthodoxus.
Quàm sit eminens, & vtilis status continentia.
Ex SS. Patribus,& ex variis historiis. p.452
Sensus Orthodoxus.
Multis titulis status continentiæ commendatur.
In hac verba: Iesvs ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Ex Iure canonico, & ex Iure Cæsareo. p.455
Sensus Orthodoxus.
Impetus quintus in votum obedientiæ. p.456.
Sensus Orthodoxus.
Diluuntur obiectiones iniuriæ voto obedientiæ.
Ex historia, & SS. Patribus, & vtroque Iure. p.459
Sensus Orthodoxus.
Impetus sextus in votum paupertatis. p.463
Sensus Orthodoxus.
Ecclesia licitè bona possidet, nec violatur votum paupertatis à Religiosis illis, qui ex præscripto regulæ suæ in communi affluunt bonis.
Ex SS. Patribus, ex vtroque Iure,& ex historia. p.466
Pars altera tituli de bonis Ecclesiæ.
Citra vllum dispendium voti paupertatis possideantur in communi bona à Religiosis.
Ex Iure canonico,ciuili,& ex historia. p.469
Sensus Orthodoxus.
Diluuntur obiectiones iniuriæ voto paupertatis.
Ex vtroque iure, ex historia Ecclesiæ primitiuæ. p.470
Sensus Orthodoxus.
Filiis maturæ ætatis liceat nec ne inuitis parentibus dare nomen suum vitæ monasticæ.
In hac verba: Iesvs ductus est in desertum à Spiritu. Vltimus impetus in ingressum Religionis. p.473
Pars secunda controuersiæ, Encomia vitæ Monasticæ.
Ex Theologia,& ex SS. Patribus. p.477
Encomia vitæ Religiosæ.
Ex Philosophia, & ex SS.Patribus. p.481
Encomia vitæ Religiosæ.
Ex iure canonico,& ex SS.Patribus. p.484
Encomia vitæ Religiosæ.
Ex iure ciuili,& ex SS.Patribus. p.486
Encomia vitæ Religiosæ.
Ex Medicina,& ex SS.Patribus. p.490
Encomia vitæ Religiosæ.
Ex priscis historiis,& ex SS Patribus. p.495
Encomia vitæ Religiosæ.
Ex variis Religionum institutis. p.500
Sensus Orthodoxus.
Controuersia secunda.
An Quadragesima fuerit superstitiosè instituta.
In hac verba: Cùm ieiunasset quadraginta diebus,& quadraginta noctibus,esuriit. p.505

FERIA SECVNDA. Dominicæ primæ Quadragesimæ.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. p.507
Sensus Literalis.

NOn ea maiestate, qua Deus est, Christus apparebit in die iudicij, sed ea quam meruit humilitate sua.

In

maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

§.1. Coniectura prima ex ratione. p.508

Sensus Literalis.

Maiestatem, qua coruscus apparebit Iudex non esse diuinitatem, sed gloriam corporis Christi.

In hac verba: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo:

Coniectura secunda, ex linguis. p.509.

Sensus Litteralis.

Christus Passione sua mercatus est gloriam illam, qua in die iudicij recreabuntur iusti, dum territi eo fulgore impij percellentur.

In hac verba: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

Coniectura tertia, ex SS.Patribus. p.510

Sensus Literalis.

Beneficio Angelorum, omnia hominum capita sistentur Christo domino iudicanti.

In hac verba: Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

§. 2. Coniectura prima ex ratione. 512

Sensus Literalis.

Ministerio Angelorum sistentur omnes Iudici.

In hac verba: Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

Coniectura secunda ex linguis. pag.513

Sensus Moralis.

Angeli localiter congregabunt omnes siue bonos, siue malos, in die iudicij.

In hac verba: Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

Coniectura tertia ex SS.Patribus. p.514

Sensus Literalis.

In die iudicij realis erit bonorum & malorum discretio, & collocatio ad dextram & sinistram.

In hac verba: Separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

§. 3. Coniectura prima ex ratione. p.514.

Sensus Literalis.

Realis erit discretio bonorum & malorum, sicut collocatio ad dexteram & sinistram Christi in die iudicij.

In hac verba: Separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hœdis, & statuet

Coniectura secunda, ex linguis. p.515.

Sensus Literalis.

Non promiscuè congregabuntur homines in die iudicij, sed seorsum boni à malis dispescentur.

In hac verba: Separabit eos ab inuicem sicut Pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

Coniectura tertia ex SS.Patribus. p.516

Sensus Literalis.

Præcipuus effectus prædestinationis Dei, est corporis & animæ glorificatio, refundenda in benedictionem Patris æterni.

In hac verba: Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.

§. 4. Coniectura prima ex ratione. p.517

Sensus Literalis.

Inauguratio beatorum est vltimus effectus, seu finis prædestinationis æternæ, cuius causa est bonitas Dei.

In hac verba: Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.

Coniectura secunda ex linguis. p.519

Sensus Literalis.

A mera Dei bonitate est prædestinatio, cuius finis est glorificatio beatorum.

In hac verba: Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.

Coniectura tertia, ex SS.Patribus. p.521

Sensus Literalis.

Quod beati fuerint benedicti à Deo ab æterno, est ratio prædestinationis eorum, ideo refundenda in solam Dei voluntatem.

In hac verba: Venite benedicti Patris mei, possidere regnum.

Coniectura quarta ex Theologia. p.524

Sensus Literalis.

Ad prædestinationem in exequutione ita pertinet bonorum operum praxis, vt nemo planè adultorum euehatur ad gloriam sine bonis operibus.

In hac verba: Esuriui enim, dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me, nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me.

§. 5. Coniectura prima.
Ex ratione. p.582

Sensus Literalis.

Prædestinatio in ordine ad exequutionem petit suffragium bonorum operum.

In hac verba: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

Coniectura secunda, ex linguis. p.531

Sensus Literalis.

Nemo adultorum dignabitur gloriâ æternâ, quin eam mercatus sit obsequio bonorum operum.

In hac verba: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.

Coniectura tertia.
Ex SS. Patribus. p.532

Sensus Literalis.

Iusti de se humiliter sapiunt, vtique deponentes omnes quod conducit ad fastum.

In hac verba: Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te; sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus; aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

§.6. Coniectura prima, ex ratione. p.533

Sensus Literalis.

Iusti sui nihili conscij stupent ad recensionem suarum laudum, si quando insonuerint.

In hac verba: Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem & pauimus te? &c.

Coniectura secunda, ex linguis. p.534

Sensus Literalis.

Iusti nihil omnino sibi arrogant eorum, quæ sunt laude digna in suis bonis operibus.

In hac verba: Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te?
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.535
Sensus Literalis.
Omnia opera iustorum solo Dei intuitu facta cedunt in ipsius Dei gloriam.
In hac verba: Respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex fratribus meis his minimis, mihi fecistis.
§.7. Coniectura prima ex ratione. p.536
Sensus Literalis.
Deus in suas refert rationes opera illa bona, quæ eduntur à iustis ad maiorem Dei gloriam.
In hac verba: Respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex fratribus meis his minimis, mihi fecistis.
Coniectura secunda, ex linguis. p.537
Sensus Literalis.
Deus præclaris quibusque bonis operibus excolitur, in quibus eleemosyna ab eo maximè prædicatur.
In hac verba: Respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.538
Sensus Literalis.
Reprobi nullo defectu ex parte Dei, sed suo dumtaxat vitio consciuere sibi maledictionem.
In hac verba: Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum.
§.8. Coniectura prima.
Ex ratione. p.540
Sensus Literalis.
Reprobatio non adigit malos in peccatum, sed suo vitio sunt maledicti, & damnati.
In hac verba: Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.
Coniectura secunda ex linguis. p.543
Sensus Literalis.
Maledictio reproborum est in eorum tantùm pessima opera refundenda, & non in Deum.
In hac verba: Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.543
Sensus Literalis
Status beatorum, omnium bonorum aggregatione perfectus, nomine vitæ congruè describitur.
In hac verba: Ibunt iusti in vitam æternam.
§.9. Coniectura prima, ex ratione. p.545
Sensus Literalis.
Vndequaque perfectus beatorum status apprimè exprimitur nomine vitæ.
In hac verba: Ibunt iusti in vitam æternam.
Coniectura secunda ex linguis. p.546
Sensus Literalis.
Vitæ nomen idoneum est, ad exprimenda ea, quæ conducunt ad æternam beatitudinem.
In hac verba: Ibunt iusti in vitam æternam.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. p.547
Sensus Literalis.
Reproborum sors iniqua, nomine supplicij congruè designatur.
In hac verba: Ibunt hi in supplicium æternum.
§.3. Coniectura prima ex ratione. p.548
Sensus Literalis.
Pœna reprobis indicta a iudice in die iudicij appositè nominatur supplicium.
In hac verba: Ibunt hi in supplicium æternum.
Coniectura secunda, ex linguis. p.548
Sensus Literalis.
Supplicium reproborum omnes concludet angustias.
In hac verba: Ibunt in supplicium æternum.
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.549

Moralis Expositio Euangelij proximè Literaliter expensi. pag.551
Sensus Moralis.
Meditatio Christi venturi in maiestate sua suggerit homini, quomodo se aptare debeat, vt iudici occurrat.
In hac verba: Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo &c. congregabuntur ante eum omnes gentes.
Sectio prima.
Ex SS. Patribus. p.552
Sensus Moralis.
Iudicium extremum meditatum sollicitat hominem, vt omnes suos actus recolat, & repurget.
In hac verba: Congregabuntur ante eum omnes gentes.
Sectio secunda.
Ex Symbolis, & ex SS. Patribus. p.553
Sensus Moralis.
Metus iudicij extremi confert ad secretionem vitiorum ijs, qui sunt prædestinati; reprobi verò hinc desperant.
In hac verba: Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.
Sectio tertia.
Ex Medicina, & SS. Patribus. p.554
Sensus Moralis.
Fugienda sunt mala consortia, ei qui non vult recenseri inter hœdos in die iudicij.
In hac verba: Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.
Sectio quarta.
Ex Philosophia, & ex SS. Patribus. p.556
Sensus Moralis.
Meditatio iudicij extremi potens est, vt obsequio eius homines fiant idonei ad occupandam Dei dexteram.
In hac verba: Statuet oues quidem à dextris suis.
Sectio quinta.
Ex variis historiis, & ex SS. Patribus. p.559
Sensus Moralis.
Absque bonorum operum suffragio gloria æterna in die iudicij adultorum nemini concedetur.
In hac verba: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere.
Sectio sexta.
Ex Theologia, & ex SS. Patribus, p.561
Sensus Moralis.
Christus in die iudicij reprobos durè excipiet, ideoque cauendum est omnibus à sinistra.
In hac verba: Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

Sectio

Sectio septima.
Ex Symbolis, ex Mathematica, & ex SS. Patribus. p.563
Sensus Moralis.
Imprudenter agunt impij genio indulgentes, cùm omne peccatum suum auctorem efficiat pœnis obnoxium.
In hac verba: Ibunt hi in supplicium æternum.
Sectio octaua.
Ex Iure Ciuili, & ex SS. Patribus. p.565.
Sensus Moralis.
Ea est peccati nequitia, vt indubiam pœnam afficiet eis, qui aliquale nefas perpetrant.
In hac verba: Ibunt hi in supplicium æternum.
Sectio nona.
Ex Iure Canonico, & ex SS. Patribus. p.566
Sensus Moralis.
Inconsultè peccat homo illectus amore voluptatis, cùm singula quaque peccati sua maneant supplicia.
In hac verba: Ibunt hi in supplicium æternum.
Sectio decima.
Ex antiquitate Iudæorum, & ex SS. Patribus. p.568
Sensus Moralis.
Christiani maximè plectendi quando peccant, cum gentes etiam infideles semper asperè crimina castigarint.
In hac verba: Ibunt hi in supplicium æternum.
Sectio vndecima.
Ex antiquitate plurium nationum. p.570

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio explicato.

Orthodoxa Expositio Euangelij. p.573
Sensus Orthodoxus.
Attritio est dispositio ad gratiam, accedente Sacramento Confessionis, ac proinde salutare est non peccare timore pœna.
In hac verba: Ite maledicti in ignem æternum.
Controuersia prima.
Argumentum primum, ex ratione & Scriptura. p.574
Sensus Orthodoxus.
Eadem controuersia discutitur contra quosdam Catholicos temerè affirmantes attritionem non sufficere ad iustificationem, etiam accedente pœnitentiæ Sacramento.
In hac verba: Ite maledicti in ignem æternum
Argumentum primum.
Ex Iure Canon. & ex sententiis SS. Patrũ. p.576
Sensus Orthodoxus.
Soluuntur instãtia, qua carpunt vt malum, dolorem de peccatis ortum intuitu pœna æterna.
Ex sententia Sanctorum Patrum. p.580
Sensus Orthodoxus.
Controuersia secunda.
An Sacerdos absoluendo hominem ritè confessum, conferat aliquid ad iustificationem eius, aut tantùm significet hominem hunc esse à Deo absolutum.
Argumentum.
Ex ratione, conciliis, & Sanctis Patribus. p.582
Sensus Orthodoxus.
Decisio Controuersiæ.
Sacerdos, vt minister Dei, & instrumentum, vnà cum Sacramento pœnitentia concurrit effectiuè ad iustificationem anima pœnitentis.
Argumentum primum.
Ex ratione, & Sanctis Patribus. p.582
Sensus Orthodoxus.
Sacerdos absoluens hominem attritum, non solum declarat eum esse Deo gratum, sed reuera vt minister & causa instrumentalis sanctificat animam attritione dispositam.
Argumentum secundum.
Ex Conciliis, & ex Sanctis Patribus. p.584
Sensus Orthodoxus.
Controuersia tertia.
An bona opera adultis necessaria sint ad salutẽ.
In hac verba: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. p.588
Sensus Orthodoxus.
Controuersia quarta.
An eleemosynam erogare, sit opus meritorium vita æterna.
In hac verba: Quod vni ex minoribus his non fecistis, mihi non fecistis. p.588

FERIA TERTIA Dominicæ primæ Quadragesimæ.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij.
Sensus Literalis.
Omnis motio hominem inducens ad quærendum Christum, arguit Christi accessum ad hanc animam.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, cõmota est, vniuersa ciuitas, dicẽs: quis est hic?
§.1. Coniectura prima, ex ratione. p.589
Sensus Literalis.
Salutaris fuit commotio ciuitatis Ierosolymæ introeunte Christo, vtpote ab eo facta ad eius salutem.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?
Coniectura secunda, ex linguis. p.591
Sensus Literalis.
Commotio ciuitatis Ierosolymæ diuina fuit, non liuoris, aut animi iniquioris Christo argumentum.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?
Coniectura tertia ex SS. Patribus. p.592
Sensus Literalis.
Christus se communicans humilibus tantùm, turbis innotuit vt Messias.
In hac verba: Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.
§.2. Coniectura prima ex ratione. p.593
Sensus Literalis.
Turba conclamãtes in triumpho Christi, eum prædicauere Ierosolymitis vt Messiam & Deum.
In hac verba: Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.
Coniectura secunda, ex linguis. p.594
Sensus Literalis.
Quamuis populi conclamarint Iesum esse à Nazareth

zareth Galileæ, hoc non obstat, quin crediderint eum esse Messiam, atque Deum verum.
In hac verba: Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ.
Coniectura tertia. ex SS. Patribus. *pag. 595.*
Sensus Literalis.
Christus annuendo professioni fidei editæ à turbis, templum ingreditur, vbi diuinitatis suæ exhibet argumenta.
In hac verba: Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dixit eis: Scriptum est: Domus mea, Domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.
§. 3. Coniectura prima, ex ratione. *pag. 596.*
Sensus Literalis.
Christus triumphantis habitu templum adit, vbi suæ diuinitatis edidit argumenta, damnans Sacerdotum auaritiam.
In hac verba: Intrauit Iesus in templum &c. cathedras vendentium columbas euertit, & dixit eis, &c.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus. *pag. 599.*
Sensus Literalis
Scribæ & Pharisæi audiere, diuinitatem Christi altè prædicari in templo, vt hinc inexcusabiles essent.
In hac verba: Exore infantium & lactentium perfecisti laudem.
Coniectura tertia, ex linguis, & ex SS. Patribus. *pag. 601.*
Sensus Literalis
Christus non coütitur impijs, ideo, exosus nequitiam Iudæorum, ab eis se se expedit, & recedit.
In hac verba: Relictis illis abiit foras extra ciuitatem, in Bethaniam, ibique mansit.
§. 4. Coniectura prima, ex ratione. *pag. 604.*
Sensus Literalis.
Quia Scribæ & Pharisæi erant fidei desertores, ideo Christus illos deseruit.
In hac verba: Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem, in Bethaniam.
Coniectura secunda, ex linguis. *pag. 605.*
Sensus Literalis.
Christus impietatem hominum nequam exosus, eos tandem derelinquit.
In hac verba: Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem, in Bethaniam.
Coniectura tertia, ex SS. Patribus. *pag. 605*

Moralis Expositio Euangelij proximè Literaliter expensi.

pag. 607

Sensus Moralis.

Anima suo Marte nequit assurgere ad actiones supernaturales.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic?
Sectio prima.
Ex Philosophia, Theologia, & SS. Patribus.
Articulus primus. *pag. 608*
Sensus Moralis.
Non propria virtutis, sed gratiæ Dei est, quòd homo se accingat ad edenda ardua facinora, vnde & hinc operæpretium est humilitatis capias argumentum.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas.
Articulus secundus.
Ex SS. Patribus, & Iure canonico. *pag. 609.*
Sensus Moralis.
Anima, quam Deus inhabitat, iisdem ferè priuilegiis gaudet, quibus olim Ierosolyma, & alibi omnes ciuitates dignatæ Regum incolatu.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?
Sectio secunda.
Ex antiquitate, ex SS. Patribus, & iure Cæsareo.
Articulus primus. *pag. 611*
Sensus Moralis.
Locuples est & beata anima, quam Deus subit.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens, Quis est hic?
Articulus secundus.
Ex Mathematica, & Historia, & Symbolis, & ex SS. Patribus. *pag. 613.*
Sensus Moralis.
Anima debet humilitate sincera aptari, vt se se Deus in eam insinuet, velut in congruum suæ diuinitatis sacrarium.
In hac verba: Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galileæ.
Sectio tertia.
Ex Theologia, & ex SS. Patribus. *pag. 615*
Sensus Moralis.
Christus facturus animam templum suum, eam repurgat ab omni vitiorum colluuie.
In hac verba: Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo.
Sectio quarta.
Ex historia, ex Medicina, & SS. Patribus. *pag. 618*
Sensus Moralis.
Deus exosus iniquos hominum impiorum ritus, longè fit ab eis, vtpote dedignantibus gratiæ illapsum.
In hac verba: Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem.
Sectio quinta.
Ex Theologia, ex antiquitate, & ex vtroque iure. *pag. 620.*

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio.

ORTHODOXA EVANGELII Expositio. *pag. 622.*

Sensus Orthodoxus.

Quibus nam sit motibus obnoxia anima, cui Deus illabitur, cælestis gratiæ obsequio.
In hac verba: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?
Controuersia prima.
Argumentum, ex scriptura, ratione, & SS. Patribus. *pag. 623*

Sensus

Sensus Orthodoxus.
Controuersia secunda.
An motio diuina tollat libertatem arbitrij.
In hac verba : Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens : Quis est hic ?
Argumentum ex Scriptura, & ex Sanctis Patribus. p.625
Sensus orthodoxus.
Controuersia tertia.
An in homine resideat liberum arbitrium ?
In hac verba : Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens : Quis est hic ?
Argumentum primum, ex Scriptura, & ratione. p.625
Sensus Orthodoxus.
Denuo propugnatur humani libertas arbitrij.
In hac verba : Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas.
Argumentum secundum.
Ex Conciliis, & SS. Patribus. p.628
Sensus Orthodoxus.
Controuersia quarta.
An gratia influens in animas, peccata expellat, aut homo dicatur iustus iustitiâ Christi tantùm imputatiuâ.
In hac verba : Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.
Argumentum.
Ex Scriptura, ratione, & sanctis Patribus. p.631

FERIA QVARTA Dominicæ primæ Quadragesimæ.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. p.634
Sensus Literalis.
IVdæi defectionem suam à Deo probant, volentes suam adstruere fidem, editis de cœlo prodigijs.
In hac verba : Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi, dicentes : Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis : Generatio mala & adultera signum petit.
§. 1. Coniectura prima.
Ex ratione, & linguis. p.635
Sensus Litteralis.
Infidelitas omnis est diabolo patre sata, ideoque Iudæi infideles Christo, generationis adulteræ nomine sũt velut inglorio stigmate castigati.
In hac verba : Accesserunt Scribæ & Pharisæi ad Iesum, dicentes : Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis : Generatio mala & adultera signum petit.
Coniectura secunda.
Ex Sanctis Patribus, & linguis. p.636
Sensus Literalis.
Christus non edidit signa ad arbitrium Iudæorum, quia non ad ædificationem ea petebant, sed animo iniquo.
In hac verba : Signum petit, & signum non dabitur ei.
§. 2. Coniectura.
Ex ratione, ex linguis, & ex SS. Patribus. pag.638
Sensus Literalis.
Christus congruis argumentis adstruit hominum fidem, & non miraculis editis ad eorum libitum.
In hac verba : Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.
§. 3. Coniectura.
Ex ratione, ex linguis, & ex SS. Patribus. pag.639
Sensus Literalis.
Plerique Iudæi, comparati Niniuitis & Reginæ Saba, erunt deterioris conditionis in die Iudicij.
In hac verba : Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, &c.
§. 4. Coniectura, ex ratione, ex linguis, & ex SS. Patribus. 641
Sensus Literalis.
Iudæi Deo miserante reuocati ab idolorum cultu, immemores huius gratiæ, postmodum grauioribus se se deliquijs atque vitijs obstrinxerunt.
In hac verba : Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, &c. sic erit generationi huic pessimæ.
§. 5. Coniectura prima.
Ex ratione, & ex linguis. p.642
Sensus Literalis.
Iudæi excidentes gratiâ à Deo acceptâ, abiurato idolorum cultu, innumeris se vitijs obstrinxerunt, &c.
In hac verba : Sic erit & huic generationi pessimæ.
Coniectura secunda.
Ex SS. Patribus. p.643
Sensus Literalis.
Christo fuit potior cura, seu salus animarum, quàm temporale obsequium fratrum eius, id est hominum, qui ad eum pertinebant cognatione.
In hac verba : Adhuc eo loquente ad turbas ; ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te.
§. 6. Coniectura.
Ex ratione, linguis, & SS. Patribus. p.145
Sensus Literalis.
Christo non fuere fratres, nec sorores.
In hac verba : Qui sunt fratres mei ?
§. 7. Coniectura.
Ex ratione, linguis, & SS. Patribus. p.647
Sensus Literalis.
Quisquis se componit ad arbitrium Dei, ille singulari affinitate Christo Domino sociatur.
In hac verba : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est ; ipse meus frater, & soror, & mater est.
§. 8. Coniectura ex ratione, linguis, & SS. Patribus. p.659

Moralis Expositio Euangelij.

Sensus Moralis.

Gratia est signum de cœlo probans, nos perfectos esse Christi discipulos.
In hac verba: Magister volumus à te signum videre.
Sectio prima.
Ex Theologia, & ex Patribus. *p.661*
Sensus Moralis.
Nihil omnino auspicandum inconsulta gratia, quæ est signum de cœlo valde propitium.
In hac verba: Generatio mala, & adultera signum petit.
Sectio secunda, Articulus primus.
Ex antiquitate plurium nationum, & ex SS. Patribus. *p.662*
Sensus Moralis.
Labes contracta ab incunabulis hominem sic affecit, vt nihil sine supernis auxilijs tuto valeat auspicari.
In hac verba: Generatio mala & adultera signum petit.
Articulus secundus.
Ex re Medica, ex Mathematica, ex SS. Pªbus, & ex Philosophia. *p.664*
Sensus Moralis.
Crux, seu mortificatio appetituum carnis, indubium est argumentum & tessera animæ pænitentis.
In hac verba: Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.
Sectio tertia.
Ex Historia, ex Symbolis, & SS. Patribus. *pag.666*
Sensus Moralis.
Anima pænitens, & nescia noxij humoris, importunum dæmonis respuit incolatum.
In hac verba: Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.
Sectio quarta.
Ex SS. Patribus, & vtroque Iure. *p.667*

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio.

Orthodoxa expositio Euangelij. *p.669*

Sensus Orthodoxus.

An fides subijciatur sensibus, & necessarium sit oculorum obsequium ad adstruendam fidem.
In hac verba: Magister volumus à te signum videre.
Controuersia prima. *p.670*
Sensus Orthodoxus.
An pœnitentia coalescat tribus hisce partibus, scilicet contritione, confessione, & satisfactione.
In hac verba: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.
Controuersia secunda.
An pœnitentia sit Sacramenta. *p.671*
Sensus Orthodoxus.
De contritione, vt est prima pars pœnitentiæ. *pag.672*
Sensus Orthodoxus.
De confessione, vt est secunda pars pœnitentiæ. *pag.674.*
Sensus Orthodoxus.
De satisfactione, vt est tertia pars pœnitentiæ. *pag.676*
Sensus Orthodoxus.
An sit aliquod purgatorium expiandis animis institutum, postquam homines cessere fatis.
In hac verba: Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.
Controuersia tertia. *pag.676.*
Sensus Orthodoxus.
An ad rationem pœnitentiæ pertineat facessere corpori negotium laboriosis operibus, & ieiuniis, &c.
In hac verba: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.
Controuersia quarta. *pag.678.*

FERIA QVINTA Dominicæ primæ Quadragesimæ.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. *pag.679.*

Sensus Literalis.

Christus Iudæorum & Gentium Saluator est, sicque nemo excipitur à benefico eius influxu.
In hac verba: Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sydonis.
§. I. Coniectura prima ex ratione. *p.68*
Sensus Literalis.
Christus etiam Gentes inuisit, præstans se eis beneficum, animas & corpora sospitando.
In hac verba: Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.
Coniectura secunda, ex SS. Patribus. *p.681*
Sensus Literalis.
Christus non dedignatus est inuisere terras Gentilium.
In hac verba: Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.
Coniectura tertia, ex linguis. *p.682*
Sensus Literalis.
Mulier Chananæa fuit de semine Chananæorum.
In hac verba: Ecce mulier Chananæa.
§. II. Coniectura ex ratione, SS. Patribus, & linguis. *p.682*
Sensus Literalis.
Quare mulier Chananæa dicatur Syrophœnissa.
In hac verba: Ecce mulier Chananæa.
Ratio ex Historia Geographica. *p.683*
Sensus Literalis.
Sincera fides tentata ærumnis constat sibi semper.
In hac verba: Mulier Chananæa egressa de finibus illis clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid; filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.
§. III. Coniectura prima ex ratione. *pag.685.*
Sensus Literalis.
In Chananæa perfecta fidei specimen proponitur.
In hac verba: Mulier Chananæa egressa de finibus

bus

bus illis, clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid; filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.

Coniectura secunda, ex linguis & SS. Patribus. *pag.686*

Sensus Literalis.

Meritis fidelium, Sanctorum preces adiuuantur.

In hac verba: Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

§. 4. Coniectura ex ratione, linguis, & SS. Patribus. *p.6*[illegible]

Sensus Literalis.

Promissio incarnationis Christi facta est solis Iudæis, licet Christus missus sit in gratiam omnium hominum.

In hac verba: Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.

§. 5. Coniectura ex ratione, & ex SS. Patribus. *pag.689*

Sensus Literalis.

Christus eo tempore missus est ad Iudæos, quo fuerunt apud eos omnia deplorata.

In hac verba: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. *p.691*

In hac verba: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. *p.691*

Sensus Literalis.

Miraculis alenda fuit fides Iudæorum, vt sic enutrita pubesceret, & litaret Christo.

In hac verba: Non est bonum mittere panem filiorum canibus.

§. 6. Coniectura prima ex ratione. *p.692*

Sensus Literalis.

Christo existente in humanis, tempus nondum effluxerat, quod Deus ab æterno præstituit idoneum conuersioni omnium Gentium.

In hac verba: Non est bonum mittere panem filiorum canibus.

Coniectura secunda, ex linguis, & SS. Patribus. *p.692*

Sensus Literalis.

Fides perfecta stipatur aliis virtutibus, animamque totam componit ad arbitrium Dei.

In hac verba: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

§. 7. Coniectura prima ex ratione & linguis. *pag.694*

Sensus Literalis.

De industria virtus omnis emerita tentatione concutitur, vt sic elimata, & facta palam, cæteros homines prouocet ad exemplum.

In hac verba: etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Coniectura Secunda, ex SS. Patribus. *pag. 695.*

Sensus Literalis.

Viua fides etsi quandoque in oratione passa repulsam, numquam indonata recedit.

In hac verba: Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Coniectura, ex ratione, SS. Patribus, & linguis. *pag.696.*

Moralis expositio Euangelij proximè Literaliter Expensi.

Sensus Moralis.

Quo apparatu anima refuga, facta redux & pœnitens debeat accingi aditura Christum.

In hac verba: Mulier Chananæa egressa de finibus illis clamauit.

Sectio Prima.

Ex Philosophia, & Theologia, & SS. Patribus.

Articulus primus. *p.699*

Sensus Moralis.

Anima de meliori fruge sollicita debet prauos abdicare ritus insolitos, vt Deum faciat sibi propitium.

In hac verba: Mulier Chananæa egressa de finibus suis clamauit.

Articulus secundus.

Ex Historia & SS. Patribus. *p.700.*

Sensus Moralis.

Oratio indefessa salutare subsidium est contra molestias omnes, quæ ingruunt vndequaque.

In hac verba: Dimitte illam, quia clamat post nos.

Sectio secunda.

Ex Symbolis, ex antiquitate, & ex SS. Patribus. *pag.702.*

Sensus Moralis.

Rebus afflictis homo debet suas omnes spes in Deū refundere, vt in Dominum suum adiutorem.

In hac verba: Illa venit, & adorauit dicens: Domine adiuua me.

Sectio tertia

Ex Theologia, Philosophia, Iure ciuili, & SS. Patribus. *p.704.*

Sensus Moralis.

Ominosum est & lethale homini malè sibi conscio, indignè accedere ad Eucharistiam.

In hac verba: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Sectio quarta. Articulus primus.

Ex historia, & ex SS. Patribus. *p.706*

Sensus Moralis.

Malè sibi consulunt illi, qui conscientiâ infirmâ, & sauciatâ vitijs, panem sanctum deglutiunt.

In hac verba: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Articulus secundus.

Ex re Medica, & ex SS. Patribus. p.708

Sensus Moralis.

Quibus præcipuè apponendus sit panis regius.

In hac verba: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Articulus tertius.

Ex vtroque iure, & ex SS. Patribus. *p.709*

Sensus Moralis.

Iustis tantùm hominibus, & non canibus, est instructa sacra Dei mensa.

In hac verba: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Articulus quartus.

Ex Mathematica, & ex SS. Patribus. *p.712*

Contro

Controuerſiæ emergentes ex proximo Euangelio.

ORTHODOXA, ET CATHOLICA Expoſitio Euangelij. p.713

Senſus Orthodoxus.

AN Chriſto illabente in animam Baptiſmi obſequio, homo ſortiatur ſtatum neſcium peccati originalis.

In hac verba : Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis ; & ecce mulier Chananæa egreſſa à finibus illis.

Controuerſia prima. p.714

Senſus Orthodoxus.

Beneficio Baptiſmi homo educitur è finibus iniquis peccati originalis.

In hac verba : Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa egreſſa de finibus illis.

Argumentum, ex Conciliis, & SS. Patribus. p.716

Senſus Orthodoxus.

An adhibere Sanctos interceſſores apud Deum ſit actio congrua fidei Chriſtianæ.

In hac verba : Accedentes diſcipuli eius rogabant eum.

Controuerſia ſecunda. p.718

Senſus Orthodoxus.

Legitima eſt, & Chriſtiana Sanctorum inuocatio.

In hac verba : Accedentes diſcipuli eius rogabant eum.

Argumentum ex Scriptura, & SS. Patribus. pag.719

Senſus Orthodoxus.

Sanctorum inuocatio dignè fuit priſcis ſæculis vſurpata.

In hac verba : Accedentes diſcipuli eius rogabant eum.

Argumentum ex Conciliis & hiſtoria Eccleſiaſtica. p.721

Senſus Orthodoxus.

Retunduntur ſpicula, quæ hæretici intorquent in Catholicos, qui frequentant Sanctorum interceſſionem.

In hac verba : Accedentes diſcipuli eius rogabant eum.

Ex ſententiis Sanctorum Patrum. p.722

Senſus Orthodoxus.

An oratio ſit opus meritorium.

In hac verba:Dimitte illam,quia clamat poſt nos.

Controuerſia tertia.

Ex Scriptura,& ex SS. Patribus. p.724

Senſus Orthodoxus.

An fides indigeat ſuffragio bonorum operum.

In hac verba : O mulier,magna eſt fides tua!

Controuerſia quarta. p.725

FERIA SEXTA DOMINICÆ primæ Quadrageſimæ.

LITERALIS EXPOSITIO Euangelij. pag.726

Senſus Literalis.

DIes Paſcha recolitur in recenſione Piſcinæ, ad cuius oram ſanatus eſt paralyticus.

In hac verba : Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.

Coniectura ex ratione, linguis, & SS. Patribus. p.727 Senſus Literalis.

Probatica Piſcina fuit hoc nomine nuncupata ab extis ouium, quæ inibi tingebantur.

In hac verba : Eſt Ieroſolymis probatica Piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida.

Coniectura ex ratione, linguis, & SS. Patribus. p.729 Senſus Literalis.

A quo, & ad quid Piſcina extructa ſit, vnde, & quando virtus ſalutaris illi ſit indita.

In hac verba : Probatica Piſcina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium,cæcorum,claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat.

Coniectura, ex hiſtoria linguis, & SS. Patribus. p.731 Senſus Literalis.

Colloquium Chriſti cum homine illo paralytico, qui iacebat ad oram probaticæ Piſcinæ.

In hac verba : Erat quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei Vis ſanus fieri?

Coniectura ex ratione, linguis,& ex SS.Patribus. p.734 Senſus Literalis.

De his quæ geſta ſunt poſt ſanitatem homini paralytico erogatam à Chriſto Domino.

In hac verba : Dicebant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat : Sabbathum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.

Coniectura,ex ratione,& SS. Patribus. p.736

Senſus Literalis.

Qualibus obſequiis paralyticus teſtatus ſit animum ſuum benè affectum erga Chriſtum Dominum.

In hac verba : Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis,quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

Coniectura ex ratione,ex linguis,& SS.Patribus. pag.738

Moralis Expoſitio Euangelij proximè Literaliter explicati. p.740

Senſus Moralis.

DÆmon traducit animas per quinque ſenſuum portas,vt eas immergat voluptatum aquis,vbi eas infatuat. Deus huic malo occurrit beneficio pœnitentiæ,quæ eſt Piſcina ſalutaris.

In hac verba : Eſt Ieroſolymis Piſcina probatica quinque porticus habens.

Sectio prima.

Ex ſcientiarum omnium choro. p.741

Senſus Moralis.

Anima more gerens motioni Angelorum, vt par eſt ſe accingit ad gratiã reducẽ quã exciderat.

In hac verba : Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in Piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumcumque detinebatur infirmitate.

Sectio ſecunda

Scientiarum omnium floſculis polymita. p.741

Senſus Moralis.

Patientia eſt gratiarum ferax, & virtutum cuſtos.

In hac verba : Erat quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate.

Sectio tertia.
Articulus primus, ex Philosophia, SS. Patribus & historia. p.741
Sensus Moralis.
Anima tentata molestijs, patientia redditur illustrior.
In hac verba: Erat quidam homo triginta octo annos habens in infirmitate sua.
Articulus secundus.
Ex Symbolis, ex SS. Patribus,& antiquitate. pag.744
Sensus Moralis.
Peccati recidiua, malorum omnium summam parit.
In hac verba: Noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.
Sectio quarta. Articulus primus.
Ex Medicina, ex Historia,& ex SS. Patribus. pag.745
Sensus Moralis.
Peccati recidiua delinquentes in maiora inducit discrimina.
In hac verba: Noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.
Articulus secundus.
Ex Mathematica, Symbolis, & SS.Patribus. pag.747
Sensus Moralis.
Peccatum malorum omnium summam secum vehit.
In hac verba: Noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.
Articulus tertius.
Ex Theologia, historia, & vtroque Iure. pag.748

Controuersiæ emergentes ex proximo Euangelio. p.750
Sensus Orthodoxus.
AN Ecclesia proslet pœnitentia diluens omnes noxas.
In hac verba: Est Ierosolymis probatica Piscina quinque porticus habens.
Controuersia prima.
Comparatio omnimoda Piscinæ cum pœnitentia.
Ex Scriptura, & SS. Patribus. p.751
Sensus Orthodoxus.
An pœnitentia secum aliquam pœnam vehat.
In hac verba: Qui prior descendisset in Piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.
Controuersia secunda.
Ex Scriptura, & SS. Patribus. p.753
Sensus Orthodoxus.
An singuli quique homines suis stipentur Angelis.
In hac verba: Angelus Domini secundùm tempus descendebat in Piscinam.
Controuersia tertia.
Ex SS. Patribus. p.755
Sensus Orthodoxus.
An congruè decernantur festa, vt diebus illis præcipuè Sanctorum memoria recolatur.
In hac verba: Sabbathum est, Non licet tibi tollere grabatum tuum.
Controuersia quarta.
Ex Scriptura, & SS. Patribus. p.756
Obseruatio necessaria
In quæstionem de Prædestinatione. p.757

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVIBVS IN HOC TOMO, lucis seu intelligentiæ accesſit aliquod incrementum.

EX GENESI.

Cap.1. CRESCITE, *& multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Pag.84.col.2

Nota, nihil planè excipi ab hominis imperio: namque Deus hominem vult omnia terrena ſibi ſubiicere. Verbi gratiâ tenetur homo voce illa, *ſubijcite*, honores, opes, eſcas, & infima alia conculcare. Deus item ſciens hominem fore pronum ad beſtiarum cultum, quicquid in aëre aperto volat, quicquid in aqua natat, & quicquid diſcurrit orbe toto, illud omne iuris hominum fecit ea voce, *Dominamini*, vnde liquet, eos cedere iuri ſuo, qui venationi & aucupio intenti, ſtultè canes, equos, aues amant, imò colunt; impensè ſuos affectus omnes vni beſtiæ mancipãtes.

Cap.3. *Aperientur oculi veſtri.* p.35.col.2

Dæmon reuerà fuit præſcius ærumnarum Adæ, quando moras nectenti dixit: *Aperientur oculi veſtri:* nempe rei euentus dicto fidem fecit; etenim ſtatim atque reus peccauit homo, quaſi effrænes oculi aperti, illectam forma rerum pulchriorum animam miſerè dementarunt.

Maledicta terra in opere tuo, &c. ſpinas & tribulos germinabit tibi. p.37.col.2

Anima delinquendo quaſi degener, fit terrena, Dei maledicto obſtricta, diris conſcientiæ tribulis inquies & anxia vellicata.

Vide & aliam explicationem. p.37.col.2

Puluis es & in puluerem reuerteris. p.43.c.2

Aliquando furunt & præliantur apes, ſed cinere proiecto ſuam ponunt ferociam. Eadem arte Deus depreſſit Adæ typhum quo tumebat. Obiecit ei cinerem, in quem reſoluendus erat, vt memoria mortis eum à faſtu turgido reuocaret.

Vide plura egregia. p.43.col.2

Cap.4. *Factum eſt poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* p.478.col.1

Eſt Mundi figura Cain, vt Religionis Abel ſpeciem apprimè refert. Poſt multos dies ſacra fecit Cain: nam Mundi deuotio tarda tepet, & de fructibus terræ ſua ſacra facit: verbi gratiâ, de malè partis aliquas erogat eleemoſynas, quas idcirco Deus vt reprobas auerſatur. Religioſus verò ſicut Abel deuotè ſuum cor vt primogenitum offert vltro Deo, cui & ſatagit pinguiora quæque, bona ſcilicet multa opera conſecrare.

Vidè plura. p.478.col.1

Cap.9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* p.104.col.2

Hæretici inde volunt probare, datam homini facultatem eſſe cibis omnibus veſci, ac proinde malè ab Eccleſia carnes quibuſdam diebus homini prohiberi.

Vide ſolutionem huius inſtantiæ. p.104.col.2

Carnem cum ſanguine non comedetis. p.108. col.2

Inde patet, fuiſſe quædam à Deo prohibita comedi, vt his obſequiis ad obedientiam homines erudiret.

Cap.13. *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam Dominus ſubuerteret Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, &c. Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente; diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo.* p.201.col.1

Terrena bona procul ab Oriente, Deo ſcilicet, homines diuites auertunt; dumque plures congeruntur opes, illæ plura mala ſuis dominis conſciſcunt: namque fratrum etiam animos ſcindunt, odij & rixarum ſemina peſſima miniſtrantes.

Vidè plura. p.201.col.2

Cap.25. *Factus eſt Eſaü vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis.* p.490. col.1

Præcipua ſæcularium cura penes terram eſt; nempe nihil eſt in cœlo, cuius cupido nequam homines afficiat: Religioſi verò degunt in tabernaculis, id eſt, in locis minimè fixis, cùm & ipſi mobiles ſint ad ſuperiorum nutum; namque nihil habere volunt in hoc labili ſæculo diuturnũ.

Accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt, paruì pendens, quòd primogenita vendidiſſet. p.417.col.2

Homo gulæ obſtrictus, vbi benè paſtus ſe immerſit vino, procul abit à Deo, de beatitudine æterna parum ſollicitus; imò ridet & ſubſannat eos omnes, qui de meliore capeſſenda fruge ſana monita ſubminiſtrant.

Cap.27. *Acceſſit ille ad patrem, & palpato eo dixit Iſaac: Vox quidem, vox Iacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſaü.* p.291. col.2

In ſupremo agone Deus homines non ex voce, qua ſe Chriſtianos eſſe dicent; ſed ex palpatis manibus, id eſt, ex perpetrato bono ſiue malo opere iudicabit.

Vide plura. p.291.col.2

Cap.45. *Pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.* p.309.col.1

Ioſepha

Ioseph amore fraterno flagrans, immemor offensæ fuit: quidni diuinus amor agat idem apud eos, qui de Christiano nomine gloriantur.

Cap. 49. *Collegit pedes suos super lectulum, & obijt, & appositus est ad populum suum.* p.490. col.1

Anima Religiosa supremo fato imminente suos omnes affectus colligit, illos in Deum eiaculans, quia nullis omnino rebus afficitur, quibus aliorum hominum animi demulcentur. In præmium verò vitæ innoxiæ, anima hæc beata choris Angelorum inseritur quippe fugax æuum decurrendo, vitam egit concolorem Angelis, id est, à vitiis omnibus abhorrentem.

EX LIBRO EXODI.

Cap.7. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* p.123.c.2

Virga manu Aaron apprehensa fuit virga patrans mirabilia, præstigias etiam dæmonum soluens; deuorauit enim virgas magorum à Pharaone Rege pessimo conductorum. Sed hæc virga cadens in terram virgæ nomen & speciem perdit transiens in serpentem linguis ore trisulcis horribilem, sibilis horrisonum, & in varios sese gyros & voluulos inflectentium. Ita correctio virga quædam est dirigens animas, & ab eis dæmonem arcens, quando Præsul ea sicut par est vtitur, deuios à virtute reos ad obsequia debita reuocando. Si verò talis virga cadit in terram, id est, si correctio acerba fiat animæ terrestri, & de cœlo parum sollicitæ, hæc censura sua virtute cadit, & serpentis indolem nacta, nequam fit animæ virulenta.

Cap.9. *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. Sitque puluis super omnem terram Ægypti: erunt enim in hominibus & iumentis vlcera, & vesica turgentes in vniuersa terra Ægypti.* p.43. col.2

Quando cinis ante hominem spargitur, id est, quando suæ mortis homo memor est, tunc apparet hæc vesica, seu tumor superbiæ, qua assurrexit Adam, obedire nolens, & inde necem consciscens generi humano, tali vesica seu vlcere sauciato.

Vide plura. p.43.c.2. & p.44.c 1

Cap. 10. *Moyses orauit Dominum, qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & arreptum locustam proiecit in mare rubrum.* p.174. col.2

Reprobi florente ætate sicut locustæ ebulliunt in gramine pingui, nullumque viret pratum luxuriæ peramœnæ, quod non voluptuosè terant: sed aliquando flabit æstus non à plaga Occidentis, sed à Deo Occidente reos illos, eos immergendo mari lachrymarum, quarum perennes erunt fontes etiam in fornace, nequam hominum animas & corpora cruciante.

Vide plura. p.174. col.2

Cap.23. *Non eyciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.* p.334 col.2

Pessimum sanè genus est ferarum, vitium, quod nequando lædat animas, opportunè Deus obstat beneficio inimicorum, qui perspicaces ita nos obseruant, vt illis insciis, omnino nihil animas nostras subeat indecorum. Si namque nobis assentator auram vanitatis inspirat, adest æmulus qui conuitiando, virus hoc detergit, occulta sæpe vitia detegendo.

Vide plura egregia. p.334. col.2. & pag.335. col.1

Cap. 29. *Aaron & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cùmque laueris patrem cum filijs suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, &c. & oleum vnctionis fundes super caput eius.* p.66. col.1

Præire debet aqua lacrymarum, vt anima contrita lota bonos virtutum habitus induat, quos abundè sequi diuina solet vnctio gratiarum.

Cap. 34. *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* p.203.col.2

O Religiose, caue à consortio & affectu hominum terræ; tibi namque lutum terra suum affricans profectò suis te vitiis inquinabit.

EX LIBRO LEVITICI.

Cap.3. *Offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino; adipem & caudam totam.* p.214. col.1

Vt hostiam offerre Deo sine cauda nefas erat; ita Dei gloriam non conciliat animæ, virtus quæ vsque ad finem minimè perseuerat.

Cap. 13. *Omni tempore, quo leprosus est immundus, solus habitabit extra castra.* pag.557. col.1

Adeò perniciosum est vitij contagium, vt citò suum lethale virus offundat eis, qui se dyscolis hominibus immiscent: Caueant ergo boni, ne incautè viris reprobis assuescant.

Vide plura. p.557.col.1

Cap. 14. *Ibit cuius est domus nuntians Sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur esse in domo mea. At ille præcipiet vt efferant vniuersa de domo.* p.366.c.2

Profectò domus est leprosa viri, qui male partas opes habet. Vt mundentur ædes illæ foras egerantur opes, quas auarus homo sibi pessimè comparauit.

Vide aliam explicationem p.366.col.2

Cap.19. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* p.283.c.1

Ille ciuis est cœli, ac proinde tuus conciuis, homo, cuius odium corde bile delibuto foues; ama ergo virum, atque ciuem, cui aliquando debes in æterna gloria sociari.

Cap. 24. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum; sicut fecit, sic fiet ei, fracturam pro fractura.* p.285.col.1

Nemo malum aliis irrogat impunè, quia Deus vltor adest, isque velox iniuriarum, quæ ab hominibus noxiis inferuntur.

Vide plura. p.285. col.1

EX LIBRO NVMERORVM.

Cap. 6. *Vir siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni quod inebriare potest abstinebunt.* p.108.col.2

Nihil commune debet esse voto sacro, & noxiæ huius sæculi voluptati.

Cap. 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* p.417. col.2

Quò effrænis libido magis luxuriat, eò acriùs consciscit iram Dei, quæ in fragranti delicto reos occupat suppliciis æternis à tortore dæmone cruciandos.

Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi. p.501.col.2

Vita Religiosa sibi hoc negotium indixit, vt Apostolorum vestigia sectetur; sed quia congregatio nulla sola potest adæquatè referre dotes omnes & virtutes Apostolicas, illæ plures in ordines vt in diuersos alueos influxerunt.

Vide locum istum fusiùs explicatum. p.501. col.2. & p.502. col.1

Cap. 13. *Detraxerunt terra, quam inspexerant apud filios Israël dicentes: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos.* p.722.col.1

Dæmon desides & ignauos reuocat à gloria æterna dicens esse viam cœli difficilem, virtutes horridas & habitu austero feras; at peramœnas esse nequam huius sæculi voluptates.

Vide aliam applicationem. p 722.col.2

EX LIBRO DEVTERONOMII.

Cap. 6. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima mea.* p.15.col.1

Diuinus amor socium non admittit; nihil namque potest summo rerum omnium Domino comparari.

Cap. 11. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* p 503.col.1

Quia Capucini paupertatis supremæ voto emisso totum hunc Mundum spernunt, orbe toto benè excipiuntur, etiam à Turcis, qui mirantur eos sic omnia conculcasse.

EX LIBRO IOSVE.

Cap. 2. *Nuntiatum est Regi Iericho, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filijs Israël, vt explorarent terram.* p.367.col.2

Cùm peccati caligo toti se animæ effudit, dæmones irrepunt, & explorant qua ratione queant hanc animam æternis peccatorum laqueis irretire.

Vide plura. p.367.col.2

Cap. 7. *Lapidauit eum omnis Israël, & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.* p.37. col.2

Sæpe Deus sæuit in auaros, & in malè partas opes, quæ post iacturam, quam iniquus homo fecit animæ suæ, pessimè dilabuntur.

EX LIBRO IVDICVM.

Cap.20. *Omnes filij Israël venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino; ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt holocausta, atque pacificas victimas.* p.95. col.1

Oratio lacrymis & ieiunio arcto sicut alis instructa velox ad Deum fertur; his verò carens serpit, indigna cuius vota Deus exaudiat, optatas gratias erogando.

EX LIBRO I. REGVM.

Cap.2. *Dominus iudicabit fines terræ.* p.206, col.1

Est iudicandus homo suo ex fine, cuius è momento tota pendet æternitas. Vnde nihil omnino prodest incepisse benè, nisi optimè finiatur.

Vide in hoc argumento locum egregium Augustini. p.206.col.1

Cap. 7. *Conuenerunt in Maspha, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* p.130.col.2

Non sufficit pœnitenti flere retrò actæ vitæ mala, verùm necesse est adiicere ieiunium generale, malis ab actibus abstinendo.

Cap.8. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* p.224.col.1

Qui detrectat obedire suo superiori, ille Deo iniurius est, à quo potestas omnis in hominum capita deriuatur.

Cap. 13. *Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël; cauerant enim Philisthijm, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* pag.574.col.1

Quando dæmon aliquem subegit, astutè cauet ne Sacerdotes adeat, aut fortè vacet orationi, aliisque bonis operibus, quæ sunt arma, quibus ipse vafer hostis & vitia profligantur.

Vide plura. p.574.col.2

Cap.14. *Gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.* p.30.col.1

Voluptas quæque parum mellis habet; sed momentaneum illud quod delectat, habet æternum quod cruciat animas, quæ se lethali crimine sauciarunt.

Cap.16. *Dimitte eum vt maledicat, &c. si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* p.262. col.1

Æquo animo sumpta Dei amore mala nobis inflicta, gazas prædiuites meritorum in cœlo parant homini patienti.

Cap.19. *Abijt etiam Saül in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, & factus est etiam super eum spiritus Domini: & expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & cecinit nudus tota die illa & nocte.* p.494.c.2

De vita Religiosa fusè locum hunc expendo, satis apta allegoria, quam quæso vide. p.494.c.2. & p.495.col.1. & 2

EX LIBRO II. REGVM.

Cap.1. *Apprehendens David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saül.* p 107.c.1

Hoc Christiane ritu plange necem Christi. Scinde tuæ animæ vestem, scilicet corpus, & infligendo pœnas congruas peccatis, quæ consciuere Regi Regum mortem; ieiuna malis ab actibus, & expressis à contritione crebris lacrymis inũdare.

Cap 3. *Iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem.* p.23.col.2

Cap.12. *Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, vnctusque est; cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit.* p.7 c.1

O egregium schema Deum deprecandi! Surge primò de terra, procul agens ideas omnes huius sæculi. Si flere vales, educ lacrymas indices mœroris eius, quem conciliauere tibi præteritæ noxæ, præuiis his cautelis gratiâ vnctus, habes vnde Deo te sistas, orás vt dignetur veniam indulgere.

Cap.15. *Manè consurgens Absalon stabat iuxta introitum portæ, &c. cùm accederet ad eum homo vt salutaret illum, extēdebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.* p.216.col.1

Astutè dæmon manè fores occupat animæ nostræ, rerum profanarum species ingerendo, fucos ei vt faciat, & præsertim æmulatur Absalonis ingenium, qui homines osculo dementabat.

Vide plura. p.416.col.2

Cap.25. *Ait David seruis suis qui erant cùm eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus.* pag. 500. col.2

In fuga Regis Dauid ante suum filium meditor ego crucem paratam Christo, cuius ille fugam suadet eis, qui se volunt à prætensis huius sæculi laqueis expedire.

Vide plura. pag.500.col.2

EX LIBRO III. REGVM.

Cap.12. *Venerunt autem seniores domus eius cogentes enim surgere de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum.* p.23.col.2

Quisquis humi decumbit in volutabro iacens peccati, de illa sua terra nolens surgere, ille panem Angelorum, scilicet Eucharistiam fastidit, vtpote voluptati obscœnæ seu porcorum siliquis assuetus.

Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cadam vos scorpionibus. p.171. col.1

Mundus ita suos asseclas alloquitur: Ego diabolo patre fatus onerosus ero vobis sicut ille gratis extitit. In honores, opes, escas, luxuriam, & & vindictam inquietos agam & rotabo. Demum vt in hoc æuo pœnis inferni vexemini, ego diris vos conscientiæ stimulis agitabo.

Vide plura. p.171.c.2.& p.172.col 1

Ieroboam fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. p.582.col.2

Lixas, calones, & fæcem populi initiauit Ieroboam sacerdotio vitulorum, & reuerà fuit patella tali dignum operculum, vt scilicet Diis inglorijs sacrificulos daret populum indecorum. Homo fœdis vitiis animum obstringendo nutat nihil esse sibi & cœlo commune, quia ad terrena natus, ea sola sapit, quæ rationis experti congruunt animali.

Vide plura. p.582.col.2

Cap.16. *Erat autem Ela in Thersa bibens & temulentus, &c. Irruens ergo Zambri percussit, & occidit eum.* p.172 col.2

Rex Ela, Deo derelicto, thura vanis idolis obtulit, vnde pœnas iustè luit, seruo rebellante, Dei iniuriam districto gladio vindicante. Sic hominis dominio se subduxere plures creaturæ, quas Deus addixerat ei, & in illum anhelum ad gloriam & eius desiderio immenso ebrium, abeuntem ad simulacra rerum inanium meritò rebellarunt.

EX LIBRO IV. REGVM.

Cap.4. *Mors in olla, vir Dei.* p.107.col.1

Ex olla necem mors consciscit ei, qui vt indulgeat gulæ, cibos edit vetitos, ita suam animam lethali vulnere sauciando.

Cap. 5. *Lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo vsque in sempiternum.* p.71.col.1

Profectò rarus est diues, qui non vitiorum omnium lepra fœda turpiter inhorrescat.

Cap.6. *Consurgens diluculo minister viri Dei egressus est, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nuntiauitque ei dicens: Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus? At ille respondit: Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis: cùmque orasset Elisæus, ait: Domine, aperi oculos huius vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* pag.97.col.2

Estò totus infernus horrendè fremat in nos, & inferni dracones ore hiante minas truculentæ necis intentent, plura nobis adsunt auxilia ex parte Dei & Sanctorum, quàm pericula & insultus ex rabie hostium infensorum.

Cap. 9. *Introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.* p.7.col.1

Ornauit se Iezabel Regina, fucos vt ita Regi Iehu faceret; sed ille ream hanc fœminam benè comptam iussit eiici per fenestras, & equorum eam calcantium vngulis enecari. Ita plerumque suam in perniciem fœminæ ornantur eo intento, viris vt placeant: siquidem amasij illi in adulteria, furta, cædes, & vitiorum omnium præceps: agunt has fœminas, stibio, cerusa, fucis, & pigmẽtis excultas, & pretiosis vestibus exornatas.

Cap.10. *Inuenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Nunquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille leuauit eum ad se in currum.* p.325 c.2

Christus ait oportere manus & cor deuouere suis inimicis, eis benefaciendo, quia manibus truncus amor est deformis. Rex Iehu accepta manu Ionadab, quam vltro Regi porrexerat, traxit eum in regium currum, ita morem gerentes Christo, manum beneficam porrigentes inimico, læti & beati ad gloriæ currum triumphalem cohæredes Christi postmodum euehentur.

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

Cap. 7. *Omnes hi filij Aser, principes cognationum, electi, atque fortissimi Duces Ducum.* pag.532.col.1

Aser beatitudinem significat Filij beatitudinis sunt Principes, vtpote Deo Rege sati; sunt electi, quia prædestinati, sunt fortissimi ob singulare robur animi, quo dæmonis impetum frangunt; sunt Duces, namque suo exemplo ducunt alios ad beatitudinem; etenim exempla viam sternunt ad beatitudinis æterna præmia sortienda.

Cap.29. *Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est; neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* p.178.col.1

Homo suis in penetralibus consecrare volens sanctuarium Deo, quem in communione sacra sumit, esse debet vnus & simplex, & puer, id est, purus, innocens, & à vitiorum omnium colluuie sordida segregatus.

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap. 23. *Constituit ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immundus in omni re.* p 90.col. 2

Christiane, Dei templum es, esto vigil, & obserua fores animæ tuæ, scilicet sensus, ne fortè tibi, neglectis iis ostiis, in perniciem animæ, noxiæ & immundæ rerum species ingerantur.

EX LIBRO I. ESDRÆ.

Cap.2. *De filijs Sacerdotum, filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, &c. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de Sacerdotio.* p.260.c.1

Sacerdotes esse debent doctrinâ congruâ & & pietate sati: ideoque nefas est Sacerdotio mitiare viros impios & ignaros, hos enim necessarij virtutum habitus vt parentes legitimi minimè genuerunt.

Cap.4. *Reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui & damnati sunt omni regioni, quæ trans fluuium est, &c. Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur.* pag.474. col.1

Diabolus è vita Religiosa luget prodiisse viros, qui vicere totum Mundum, ipsos etiam dæmones, & vitia omnia debellandos. Ne ergo tale vitæ genus altiores radices agat, astutè dæmon etiam hoc sæculo conduxit homines hypocritas, nempe pios tantùm cute tenus, qui homines à professione Religiosæ vitæ procul agunt & auertunt; sed estò fremant acies aduersæ, viget status ille, Dei & influente gratia propagatur.

Vide plura. p.474.col.1

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap.1. *Qui faciunt eleemosynam & iustitiam, saturabuntur.* p.68. col.2

Concolores sunt virtutes eleemosyna & iustitia. Cùm namque suum reddere vnicuique, munus sit iustitiæ; eleemosynam egenis opes distribuendo sicut eis proprias, iure potest iustitiæ nomine designari. Saturabitur hic iustus egeno gazas communicans; nam beatus erit; & beatitudine æterna boni omnigeni affluxu fœlix anima satiatur.

EX LIBRO ESTER.

Cap.15. *Ester stetit contra Regẽ, vbi ille residebat super solium regni sui, &c. cùmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit, &c. Cùmque loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est.* p.559. col.2

Si hominis idea fuit adeò terribilis, vt ipsa Regis huius consors innoxia sit deliquium passa tali specie horrenda, sui impos effecta. Si inquam mortalis iudicis obtutus austerior Reginam percutit morte tenus; in quos quæso metus & horroris anfractus deuenient homines malè sibi conscij, cùm videbunt iudicem Christum cogentem omnia supplicia, vt puniat & diuexet animos hominum impiorum.

EX LIBRO IOB.

Cap.2. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* p.193. col.1

Homo supremo suo in agone vitæ vesperam attingit, sed si gratiâ diuinâ instructus obit, meridianus ei fulgor exoritur: namque Deus in gloria æterna micans ei obiicitur, in præmium egregiorum facinorum, quæ fortiter exantlauit.

Cap.5. *Ipse vulnerat & medetur, manus eius sanabunt.* p.318.col.1

Deus corpus affligendo sanat animam, vnde liquet esse manus eius semper animæ salutares.

Cap.6. *Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt.* pag.742. col.1

Vt reprobi in laqueos dæmonis impingunt transigentes æuum in peccatis; ita pedes habent, id est, affectus plurium voluptatum nexibus irretitos.

Cap.7. *Ego habui menses vacuos & noctes laboriosas enumeraui mihi.* p.742.c.1

Reproborum vita dies vacuus est & inanis; namque caret gratia diuina, cuius est dare verum & congruum animæ complementum. Laboriosa quoque dici potest nox hominis impij vita, quia illa diris conscientiæ stimulis agitata, cæcis peccatorum tenebris opacatur.

Cap.15. *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* p.33. col.2

Contra Deum tendit homo manum suam, quando morem gerere detrectat eius mandatis, agens æuum in peccatis. Roboratur item contra Deum, quando prauis actibus assuescit.

Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus eius arescent. p.211.c.1

Peccata dies hominis abbreuiant, & ante suprema fata manus eius arent, humore Dei gratiæ destitutæ.

Cap.20. *Gaudium hypocritæ instar puncti.* Momentum quod delectat, æternum quod cruciat. p.46.col.2

Cap.40. *Ecce Behemot, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet, &c. Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum salices torrentis.* p.667.col.2

Diabolus dicitur manducare fœnum, quia est omnis caro fœnum; carnales autem & voluptuosi homines à dæmone deuorantur. Gaudet ille locis humentibus: illic enim scaturiunt vermes, & serpentes, id est, diabolus præcipuè in Mundo suas strages edit, vbi cuncta voluptate madent, & inanis gloriolæ calamo, seu iunco virent: dormit in vmbra, suis tenebris animas inuoluens: salices steriles hunc circumdant: reprobi namque, quia nullas edunt actiones egregias, sunt homines infœcundi.

Vide plura. p.668.col.1

EX LIBRO PSALMORVM.

Psalm.2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* pag.266. col.2

Synagoga breui angulo terræ fuit conclusa, verùm Ecclesia sancta suæ ditionis habet orbem totum sub eius labaro militantem.

Psalm.4. *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* p.51.col.2

Aura popularis vt gloriæ phantasma fucos facit & mentitur. O superbi, illa micans gloria Mundi non est corusca satis, vt omnia concludat vota, quibus incunctante nisu ad gloriam anhelatis.

Vide plura. ibid.

Psalm.6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* p.20.col.1

In corde velut in lecto iacent affectus, qui si fuere praui, infecere cubile suo contagio, ideoque debet ab anima pœnitente fœdum hoc stratum abundè fusis lacrymis emundari.

Vide plura. p.20.col.1

Anima mea turbata est valde. p.33.c.2

Anima, quæ peccauit, inquies est, in varios acta gyros à præualente graui turbine peccatorum.

Psalm.11. *In circuitu impij ambulant.* p.170. col.2

Impij vt damnati ad molam & pistrinum die & nocte gyrant, & deuiant à centro rerum omnium Deo, ideoque vitam agunt perpetuis motibus inquietam.

Psalm.29. *Vita in voluntate eius.* pag.384. col.2

Qui

Qui se ad arbitrium Dei componit, ille perenni vita viuit, eum gratiâ diuinâ totú cœlitus animâte.

Psal. 37. *Ego in flagella paratus sum.* p. 20. c. 2

Profectò dicta flagella manent eos, qui itam Dei peccando suæ animæ consciuerunt.

Psalm. 38. *Dolor meus renouatus est: concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* p. 33. col. 2

Anima contrita modum non imponit tristitiæ, sed ineffabili mœrore perculsa dolet acerbè, Deum se offendisse, cuius dum recolit clementiam, nescia quid rependat ei, succensa sacri eius amoris facibus inardescit.

Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ.* p. 68. col. 1

Gratia diuina suum ante illapsum in animam, odium peccatorum & virtutis affectum in homine prærequirit.

Psalm. 62. *In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* p. 668. c. 2

Cùm loca humentia diabolis arrideant, si quis declinare velit hostem hunc acerbum, ille citò prauo omni humore exhausto, fletu præuio repurgetur. Ita sibi cautè Dauid consuluit, factus olim hospitium diaboli, vtpote libidine obscœna madens: ille fusis lacrymis innumeris, expressis à contritione, fœdam omnem exhausit illuuiem animæ, quæ se in cœno prius voluptatis sordidæ volutarat.

Anima inaquosa & arida est deserta, quia coactè dæmon eam deseruit, pulsus igne Dei amoris; quo æstuante rea & voluptate madens anima desiccatur. Nuncupatur item inuia hæc anima inaquosa & deserta: namque via nulla patet diabolo eiecto priùs illud humidum stratum repetédi, vbi ante iacens placidè recubabat. Anima hæc inuia, deserta, & inaquosa Deo apparet vt in sancto, id est, in templo; siquidem illa Dei templum est, vtpote repurgata fletu, & accenso Dei amoris igne, rerum omnium Domino consecrata.

Psalm. 113. *Simulacra Gentium argentum & aurum.* p. 431. col. 2

Quisquis opes supra modum auarè colit, ille velut Gentilis est, & indignus nomine Christiano.

Vide plura. p. 431. col. 2

Psalm. 118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* p. 87. col. 2

Ego reor potiorem cordis custodiam pendere ab oculis, qui dum incautè impingunt in speciosas corporum formas, cor sensim deliniunt & inclinant ad amorem, qui dum nimium tenax est, obstat ne plenè sui iuris homo fiat, & thesaurum cordis habeat illibatum. Ab aliis sensibus ruina minor imminet, quia ignoti nulla cupido: oculis namque solis consciis illectus amat homo. Si ergo fidas agat excubias oculi, cor non flagrabit amore rerum, quæ obiectæ suas species oculis intentatút.

Psal. 142. *Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* p. 33 col. 2

Peccatum lethale suum virus offundit intellectui, & voluntati. Intellectum obscuris ignorantiæ tenebris inuoluit; voluntatem turbat, eam affectibus noxiis obstringendo. Adeò malè affectus spiritus anxius & inquies est: cùm namque Deum mens nesciat, & ab illo procul agat se deuius affectus, homo nequit æquum agere periucundum. Vide plura. p. 33. col. 2

EX LIBRO PROVERBIORVM.

Cap. 4. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* p. 38. col. 1

Scitè docet Augustinus, bonos vel malos amores efficere bonos vel malos mores. Si ergo bonus esse cupit homo sedulò & attentè suo cordi inuigilare debet, ne se insinuante prauo amore tota anima corrumpatur. Diligat ergo Deum homo ex toto corde suo, vt creaturæ procul abactæ cadant omni spe deuinciendi animæ affectum, in penetralia cordis hominis irrumpendo.

Cap. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam.* p. 710. c. 2

Anima, quæ vult assidere Dei mensæ, sacta in communione, debet esse Dei templum, septem virtutibus atque donis sancti Spiritus instructum, & suffultum. Columnæ notant singulare robur & constantiam huius animæ, cuius virtutes in æterna debent sæcula perennate. Victimas immolatas ante sacrá mensam erectam significare credo prauos omnes affectus, qui ab anima pœnitente debent ante panis huius vsum penitus extirpari.

Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. p. 710. col. 2

Cùm audis inuitatos duci ad arcem & ad mœnia ciuitatis, infer inde, sactis in epulis Eucharistiæ strenuos homines & pugiles exercitatos, ita Deo decernente, locum principem obtinere.

Venite, comedite panem meum, &c. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. p. 710. col. 2

Hæc verba clamant, virtutes esse velut pretium aditus ad epulas Eucharistiæ: quippe panis hic regius non frangitur inimicis.

Vide plura. p. 710. c. 2. p. 711. c. 1. & 2

Cap. 14. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia est Principis.* p. 45. col. 1

Quantò plures animæ potentiæ rationi subsunt, tantò maior est animæ principatus. Quòd si fortè furunt effrænes animæ potentiæ, & detrectant subire iugum rationis, inde minor est animæ præstantia, quia paucas habet subditas facultates, sed illas in rationem patitur insurgentes.

Cap. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.* p. 164 col. 2

Bonitas diuina prodit se, remunerando bonos; iustitia verò patet, æterna reis tormenta malis eorum congrua decernendo.

Cap. 21. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* p. 69. col. 2

Anima iusta diues virtutibus, oleo gratiæ delinita, tali vnctione Regi Regum vt Regina inclyta consecratur.

Cap. 27. *Stillicidia eiiciunt hominem de domo sua in die hyemali.* p. 345 col. 1

Venialia peccata totam animam non submergunt, sed vt stillantes guttæ trabes lapsu diuturno lædunt, & exire domo cogunt; sic ob leuia peccata primò tepet charitas; tentatione demum inualescente, frigens anima congelascit.

EX LIBRO CANTICORVM.

Cap. 1. *Recti diligunt te.* p. 47. col. 1

Diligendo Deum, rectitudo vera animæ comparatur.

Cap. 2. *Columba mea in foraminibus petræ, &c. sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* p. 320. col. 1

Columbæ nomen sortitur amans anima;instar enim columbæ bile caret, vox eius suaue sonat, quando suis inimicis orat fausta, morans in foraminibus petræ, suo scilicet animo versans vulnera Saluatoris. Imprimitur cordi signaculum Christi, si deperit amore suos æmulos, brachia quoque talem tesseram amoris habent quando ruunt in amplexus hominis infensi, & beneficiis eum afficiũt, iuxta legem à Christo Domino præstitutam.

Cap. 7. *Videamus si floruit vinea, si flores parturiunt fructus.* p. 211. col. 2

Sponsus animarum Christus non de floribus tantùm est sollicitus; quippe flores exordia sola boni operis significant: sed præcipua eius cura penes fructus est, id est, opera bona suo tempore decerpenda.

Vide loci huius aliam explicatitionem. pag. 68. c. 2.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

Cap. 14. *Da pauperi, & accipies.* p. 68. c. 2

Regnum cœlorum eleemosynâ erogatâ pauperi nundinamur.

Cap. 41. *Curam habe de bono nomine.* p. 53. c. 2

Inscriptum in libro vitæ nomen profectò bonum est, ideoque nobis est cauendum ne fortè malis actibus eradatur.

EX LIBRO ISAIÆ.

Cap. 2. *Abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.* p. 553. col. 2

Homo memor se esse lutum, deprimet altè typhum, quo superbiendo tumet, & se humiliando, Dei gratiam ita suæ conciliabit animæ pœnitenti. Vide plura. ibid.

Cap. 3. *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, & in domo mea non est panis; nolite me constituere Regem.* p. 493. c. 2

Incautus homo fidit aliis hominibus; quasi verò queant propulsare mala propè infinita, quibus petitur vndequaque. Sed instante fato supremo, sciet homo, serò licèt, incautè coli Mundum; quippe velut inops ille nequit assedas suos de præstitis obsequiis congruè compensare.

Cap. 8. *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis.* p. 127. c. 2

Ieiunium corporale suas habet inducias; sed à vitiis abstinere suo æuo toto quique homines obstringuntur.

Cap. 10. *In die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, computrescet iugum à facie olei.* p. 357. c. 1

Synagogæ durum sanè iugum à Christo fuit ablatum quando ritus indictos olim Hebræis penitus antiquauit. Et estò iugum lex Christiana dici iure queat, quia strictè suos professores obstringit; diuinæ tamen vnctio gratiæ à Christo nobis conciliatæ facit ita leue iugum Euangelij, vt nullam experiatur ei inesse pia anima grauitatẽ.

Cap. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vouent Domino, & soluent.* p. 505. c. 1

Ad literam credo verax oraculum istud pertinere viros ad Religiosos, qui Ecclesia emergente, totam lustrauere plagam Ægypti, prædicando fidem Saluatoris, ibi statas adeò figendo sedes, vt illic floruerint multa millia Monachorum. Illic altaria erecta, ritusque sacri viguere diu, imò plures ex Ægypto profitendo vitam monasticam se solenni emisso voto totos Domino consecrarunt.

Vide aliam egregiam explicationem. p. 505. c. 2

Cap. 35. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* p. 155. col. 1

Gentilitas ignara Dei, nescia virtutum, vt solitudo inculta, solò latè & longè effusâ arenâ diues, à bestiis tantùm iisque feris frequentata, malè audiuit apud Hebræos, exosos omne genus incircumcisum; sed gentes illæ fide initiatæ suum exuère horrorem, & edito specimine virtutum omnium, floruere Dei gratia cœlitus irrigatæ.

Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum. p. 639. c. 1

Christo illucente, cæca rerum cœlestium ignorantia detersa est; aures hactenus obseratæ, voci patuere Dei; iniere Dei calles homines antea tardigradi, & qui nesciere Deum orare, fusis eum precibus inuocarunt.

Cap. 46. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit.* p. 17. c. 2

Peccato perpetrato, duo in mala reus incurrit homo. Primò nubes seu caligo quædam se animæ offundit: vnde velut hebes acies intellectus penetrare nequit necessarias ad salutem animæ veritates. Secundò robur, quo præstabat homo Dei gratia instructus, abit; idcirco malè habet homo reus, cuius hæ sunt partes; scilicet nescire; primis & exhaustis viribus, eneruari.

Cap. 56. *Non dicat eunuchus: Ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & seruauerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus; nomen æternum dabo eis, quod non peribit.* p. 452. c. 1

Religiosi sunt eunuchi spontanei, qui à Christo dotes præclaras animæ sortiti, titulis innumeris filiis huius sæculi præferuntur.

Cap. 58. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti; humiliauimus animas nostras & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra.* p. 62. c. 2

Vt opera bona Deo sint accepta, debet homo suam voluntatem in peccata pronam exuere, seque totum ad arbitriũ diuinæ fingere voluntatis.

Cap. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* p. 624. col. 1

Vt dona solent amicis distribui, non infensis hominibus; ita suis gratiis abundè Deus dignatur eos, qui arrident; hostium verò preces, vt corde fusas impuro, velut ingratas præterit indonatas.

Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. p. 624. c. 1

Homo malo seu peccato graui se obstringendo, necis Christi conscius est; idcirco reus omnis obnoxius mortifero peccato, manus habet Christi sanguine cruentatas.

EX LIBRO IEREMIÆ.

Cap.5. *Saturaui eos, & mœchati sunt.* p.168. col.2

Quando nobis aspirant omnia secunda, Dei obliuiscimur; nam prospera fortuna solet amasios suos, vt plerumque suæ salutis incurios, multiplici vitio mancipare.

Equi amatores, & emissarij facti sunt; vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. p.168. col.2

Vt luxuria mentis aciem obtundit, ita Sacra Scriptura solet homines obstrictos huic peccato, velut inglorios atque viles, bestias appellare.

Cap.14. *Populus hic diligit vacillare pedibus, & non abstinet, vel cohibet se.* p.127.c.1

Vacillant animæ pedes quando nutant affectus, cunctantes amare Deum supra totam Mundi supellectilem. Homines sic nutantes odit Deus & à gloriæ templo procul agit vt immundos, in his quæ pertinent ad salutem animæ claudicantes.

EX LIBRO LAMENTATIONVM.

Cap.36. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* p.87.c.2

Peccata, furum instar, in animam per fenestras, id est, consciis sensibus illabuntur.

EX LIBRO EZECHIELIS.

Cap. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,* &c. *Et dabo vobis cor nouum.* p.203. col.2

Gratia diuina roris instar ex alto venit; & animas emundando, nouum cor eis inspirat: namque Deum amant, quem oderant; & res odere, quibus antea tenebantur.

Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. p.204.c.1

Vt spiritus animales corpori humano motum & sensum impertiunt, ita Dei Spiritus operandi ex præscripto legis gratiam impertitur.

EX LIBRO DANIELIS.

Cap.4. *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* p.65.c.1

Peccata trucis hostis & tyranni diaboli vinculis nos obstringunt. A ferreis his catenis homo datis eleemosynis pauperi liberatur.

Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi. p.163.c.1

Quisquis altè suo animo versat ea quæ ad cœlos pertinent, citò redit ad se, vnde Deum offendendo procul abierat. Factus verò sui compos, ad Deum conuertitur, illique totus ore sicut & exantlato bono opere consecratur.

Cap. 10. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, &c. sed neque vnguento vnctus sum.* p.7.c.1

Anima peccato graui obstricta mœret cruciata diris conscientiæ stimulis: stante tali angustia horret illa pane Angelorum pasci, diuinæ demum vnctionis est gratiâ destituta.

Cap.13. *Iniqui illi iusserant vt discooperiretur; erat enim cooperta, vt vel sic satiarentur decore eius.* p.a5.c.1

Mulier apertò sinu incedens, & ambiens sic videri discooperta, suæ parentat mortuæ castitati.

EX LIBRO OSEÆ.

Cap.7. *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* p.17.c.1

Seductus homo suum cor obstringit iis rebus quas supra Deum amat. Idcirco reus læsæ Dei maiestatis homo suum cor dicitur exuisse.

EX LIBRO IOEL.

Cap.2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra.* p.93.c.1

Expers contritionis homo reus, nec abstinentiâ, neque fletu conciliare Deum potest, à quo corde procul abest, & cui res infimas anteponit.

Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium. p.95.c.1

Tuba vocat ad bellica signa viros. Prædicator euangelica tuba monens & hortans homines vt ieiunent, illos prouocat ad bellum contra gulam, luxuriam, & rixas ex epulis emergentes. Concionatores item ieiunium sanctificant quando suos auditores instituunt circa modum obseruandi ieiunium, quod profectò nequit sanctum esse nisi eleemosynæ, orationi aliisque bonis actibus annectatur.

EX LIBRO AMOS.

Cap. 4. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris: Afferte & bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* p.421.c.1

Ad gulosos pertinere puto locum istum, quos ita dapes distenderunt, vt eis obesa caro pedum vsum ademerit, & sit necesse in sella cibis referta eorum corpora circumferri. Prædicit eis Deus suprema fata, vitam illorum exceptura, dicens eorum reliquias, scilicet, animas, quæ supersunt corpore extincto, fore prædam diaboli, igne æterno vindice concremandas.

EX LIBRO IONÆ.

Cap. 3. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus.* p.228.c.1

Estò dolor incessat animam pœnitentis; ob peccata tamen nusquam esse debet sine metu, ne fortè deses otio torpescat, aut de venia indulta quasi peccati nescius insolescat.

EX LIBRO MICHEÆ.

Cap.2. *Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit; & mons templi in excelsa siluarum.* p.597.c.2

Templi excelsa fetis obtinuerunt propter auaritiam, quando propter opes supremæ Ecclesiæ dignitates ab hominibus obnoxiis vitiis ambiuntur.

EX LIBRO HABACVC.

Cap.1. *Ipse de Regibus triumphabit.* p.44.c.1

Dæmon superbiæ spiritum afflans hominibus genitis ad ardua facinora audenda sua pestilenti aura bona illorum opera inficit, sicque viris magnis faciendo fucos, dicitur Regibus insolere.

EX LIBRO ZACHARIÆ.

Cap.8. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, &c. domui Iuda, & Ierusalem, in dies festos vertetur, & in gaudium.* p.107.c.2

Virtutis indoles hæc est, vt illa licèt videatur austera, tamen eius praxis indefessa suos recreet supremo gaudio professores.

EX LIBRO MALACHIÆ

Cap. 1. *Magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus Deus exercituum.* p.152.c.2

Ecclesiæ ex Gentibus ortæ maior sanè Dei notitia affulsit, quàm Iudæis olim cœlitus illustratis.

EX LIBRO I. MACHABÆORVM

Cap. 1. *Scripsit Rex Antiochus omni regno suo, vt esset omnis populus vnus, & relinqueret vnusquisque legem suam. Et consenserunt omnes Gentes,&c. Et multi ex Israel consenserunt seruituti eius.* p.103.c.1

Dæmon sollicitat omnes homines, vt contra legem Dei peccent: eius susurro morem gerunt omnes qui Gentilium more viuunt, sicque fiunt diaboli serui, excidentes à præferenda rei omni gratiæ libertate.

EX MATTHÆO.

Cap. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* p.53.c.1

Opera bona, quibus obstringimur ex præcepto, debent publicè fieri, vt ad similia perpetranda boni operis editi conscios omnes homines inducamus. Vide plura. p.53.c.2

Non veni soluere legem aut Prophetas, non veni soluere, sed adimplere. p.284.c.2

Erant in lege lacunæ quædam & hiatus; duobus his occurro modis. Primò, meis sequacibus gratiam largiendo, quam lex erogare nequit. Secundò, adiiciendo verba quædam, quibus legislatoris animus meliùs innotescit. Rursus aliquid impletur quando perficitur, & illa perfectio non est eius dissolutio. Verbi gratiâ, consilia euangelica adiecta legi, eam profectò legem perfectiorem constituunt, quia suadent homini nobiliorem modum legibus obsequendi.

Cap. 6. *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* p.47.c.1

Intentionem esse reor oculum animæ: namque sicut oculus pellucidus bellè totum corpus agit atque regit inoffenso pede, sic & intentio sincera facit opus ingenuum: si verò Deum non attendit intentio, est illa bonis actibus iniuria; quippe sicut oculo lippiente pedes hærent nescij qua ratione viam rectam inire queant: sic aliò collimante quàm in Deum deuia actione, bona opera reprobantur.

Cap.7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* p.240. col.1

Fides sincera bonis actibus innotescit.

Vide plura. ibid.

Cap.9. *Dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* p.139.c.1

Remittuntur peccata primo velut causa mali, quo iacebat æger, vt causâ sublatâ, malè habenti corpori sanitas erogetur.

Cap.21. *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* p.599.c.2

Quando Deo est anima intenta, domus orationis est tunc; sed fit spelunca latronum, cùm homo Deo gloriam subripit, arrogando sibi laudem cuiusque boni operis, aut cùm furatur opes proximi, vel quando caro, dæmon, & Mundus homini concessa dona gratiæ deprædantur.

EX LVCA.

Cap.1. *Ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus.*

Iustitiam, & incessum nexu indiuiduo implectit, quia hiulca & deficiens est iustitia, quæ virtutum progressu maiora in dies non suscipit incrementa.

Rursus iste locus erroris arguit hæreticos, blasphemantes non posse Dei mandata obseruari; quasi verò Deus inscius virium humanarum, humeros nostros ea mole nimia prægrauarit.

Cap.4. *Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* p.40.c.2

In momento fugax huius Mundi gloria demonstrata fuit, vt illo breui spatio discat homo, nihil perennare breui in hoc sæculo, cùm non sint hæc etiam sæcula diuturna. Noli ergo breui pro momento vitæ in deliciis actæ dira & æterna tormenta tuæ illectæ malis animæ procurare.

Cap. 5. *Cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in diebus illis.* p.96.c.1

Cùm animæ sponsus abest ob peccatum, tunc anima ieiuna carens gratiâ diuinâ mœret, & vexata diris conscientiæ stimulis anxia cruciatur.

Cap. 6. *Bonus homo de thesauro cordis sui profert bonum.* p.83.c.1

Est charitatis opus homo bonus, & charitas illa gaza seu thesaurus est, abundè ditans homines virtutibus, & affingens singularem edito præclaro operi bonitatem.

Cap.10. *In eadem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud eos sunt.* p.104.c.2

Vide loci huius germanum sensum contra hæreticos, vsurpantes eum, vt inde probent nullos esse cibos vetitos, estò secus Ecclesia decernat, quando iubet, indicendo sacrum ieiunium, à carnibus abstinere.

Vide inquam textus huius sensum. p.105.c.1

Samaritanus appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum. p.68.c.2

Christus oleum est à Deo Patre nobis infusum, vt omne genus Adæ sanaret multiplici vulnere sauciatum.

Cap. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* p.65.c.1

O homo fusas, attentè preces serie longa Deo offers, arcta tibi ieiunia indicis; sed præterea operæpretium est vt mendicos elingues efficias porrecta manu larga malè habentibus & egenis, ne querela loquax inopum bona tua cætera remoretur. Vide plura. p.65.c.2

Cap.12. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* p.3.c.2

Vt acido fermento tota massa corrumpitur, ita vanæ gloriæ cupido, bono operi nequitiam affricat, spolians illud & meritis & gratia, imò pœnis illud faciens obnoxium, quia vult superbè tibi, duntaxat vni Deo debitam, gloriam vsurpare.

Ne terreamini ab his qui occidunt corpus. p.70.c.2

Ieiunia arcta, preces, humi discubitus, & alia austera necant corpus; sed vt à tyrannis Martyrum corpore enecto, cœlum versus ibat anima, sic ieiuniis & aliis asperis exercitiis corpore macerato, salus animæ procuratur.

Cap.17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* p.204.c.1

Nota, bonum opus nostrum esse quidem prorsus inutile Deo; sed non nobis, quippe vitæ æternæ meritorium est, quæ fortiter exantlato Dei gratiâ instructo bono opere comparatur.

Regnum Dei intra vos est. p.633.c.2

Cùm

Cùm gratia diuina nobis hæret, eius obsequio aptamur ad regnum cœlorum, quod initiatiuè nobis insitum est, quando Dei gratia decoramur.

Cap. 18. *Descendit hic iustificatus.* p.616.c.1

Descensus, id est, humilitas & iustitia concolores sunt virtutes; nam se deprimendo, sibi conciliat iustitiam & gratiam anima pœnitentis.

Cap. 22. *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* p.261.c.1

Sincera nota veræ conuersionis est adeò sanctè vita instituta, suo vt exemplo, nequam homines inducat ad pœnitẽtiam, & iustos confirmet in virtutum praxi, quam congruo opere confitetur.

EX IOANNE.

Cap. 6. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* p.181.c.1

Homo primò Deum audit suggerentem meliora; si verò Deo annuit & consentit, tunc addiscit; influente demum gratia diuina vadit homo, Deoque morem gerens eius anima sociatur.

Cap. 8. *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* p.639.c.2

Christus potissimùm è cruce sui amoris argumenta erga reos homines expressit, imò crucis obsequio præcipuæ Christi virtutes omnibus innotescunt.

Cap. 11. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.* p.147.c.2

Passiones vt mare fremens homines ad alta vehunt, aut deprimunt ad abyssos: Christus verò suum ad arbitrium illis animæ motibus vtebatur.

Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. p.148.c.2

Quando Deus inest animæ per gratiam, si in ea sorte sibi constat homo, nequit eum mortiferi peccati vibratum à dæmone spiculum enecare.

Cap. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* p.201.c.1

Frustra dicit homo, Dei amore totum se accendi, si detrectat obseruare legem eius: etenim cùm amare sit idem velle & idem nolle; Deum amantes, eius nutibus obsequuntur.

Cap. 15. *Pater meus agricola est: ager est Mundus.* p.10 c.1

Quia ex luto coalescit homo, benè generi humano quadrat agri nomenclatura, sicut aptè Deo nomen congruit agricolæ. Faustè cedet homini, si commissa sibi semina virtutum foueat, alioquin vitiorum omnium ingratis sentibus inhorrescet.

Iam non dicam vos seruos, sed amicos. p.167. col.2

Magna sanè Dei gratiæ dignitas est; eius enim obsequio diuinæ naturæ fiunt consortes homines, & ad amicorum Dei sortem inclytam euehuntur.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. p.189.c.1

Electi à Deo, id est prædestinati, non stant, sed de virtute in virtutem procedunt, nescij feriarum.

EX LIBRO ACTORVM.

Cap. 2. *Sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* p.97.c.1

Apostoli refecti communione sacra, læti, vtpote innoxiâ vitâ freti, intentatas à Synagoga minas spernentes, intrepidi & animo infracto sæuis Christi æmulis occurrebant.

Cap. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* p.301.c.1

Textus iste lucem magnam accipit ab Augustino, cuius hæc sunt verba: *Vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Ad hoc vnum non nos perducit, nisi multi habeamus cor vnum.*

Vide locum hunc fusiùs explicatum. pag. 301. c.2

Cap. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis* p.316. c.1

Non est ergo Dei gratia omnis efficax, vt delirant Iansenistæ, proles Caluinianam Iudæi, Sancto Stephano auctore, Dei gratiæ resistebant.

Cap. 15. *Perambulabat Syriam, & Ciliciam, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* p.110.c.1

Traditiones Apostolicas, quicquid secus ore canonico latrent hæretici, hoc allegato loco vides maximè commendari.

Abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & suffocato & sanguine. p.105.c.1

Hæretici ergo gulæ quærunt patrocinium, quando dicunt nullos omnino cibos Christianis sacro codice prohiberi.

Cap. 27. *Incipiebat enim periculosa esse nauigatio quia ieiunium iam præterierat.* p.121.c.1

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 2. *His qui sunt secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem.* p.52.c.2

Ad trutinam patientiæ gloria æterna nobis appenditur; vnde liquet, æuo in futuro fore viros inglorios, qui pro Christo pati aliquid in hoc sæculo detrectarunt.

Testimonium reddente ipsis conscientia illorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum. p.531.c.1

Conscientia mala reos traducit, & tortoris instar eos suppliciis cruciat infinitis.

Cap. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* p.186.c.1

Vt Adæ culpa nobis est affricata labes hærens animæ; ita Iesu Christi beneficio, non imputatiua, sicut Caluinus ait, sed realis iustitia contritis animis inhærescit.

Cap. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* p.371.c.2

In adultis gratia mediante bona opera facta suos auctores sanctificant, estò secus Caluinus obganniat, æternâ vitâ nolens bona opera compensari.

Cap. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* p.626.c.2

Iste locus adæquatè nequit intelligi sine præuia distinctione trium libertatum, quas ego fusè tibi expendo nodis omnibus extricatis. Vide pag. 626. col.2. & p.627.c. 1. & c.2.

Cap. 9. *Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israël autem sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus.*

Vide locum istum multis fidei arcanis fœtum, fusè sicut congruit explicatum. pag.233. col. 1. & c.2

Cap. 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* p.129.c.2

Si

Si iuxta legem & dictamen rectæ rationis homo viuit, & gratia affulgente Deo suum corpus offert vt hostiam, profectò nihil Mundus ei facesser negotij, neque caro quia in hostia sancta totum Domino consecratur.

Cap. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* p. 164. c. 2

Profectò Deo debitum pendit obsequium, qui Prælato motem gerit. Et econtrà Deo iniurius est, qui præfecto iure sibi homini renuit obedire.

Cap. 14. *Qui non manducat, manducantem non spernat.* p. 3. c. 2

Vt est indoles humana prona vanam in gloriam, Paulus cautè monet eos qui ieiunant, ne edentes aspernando, suis de bonis actibus intumescant.

Quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Opera bona velut lapides ad fabricam æternæ domus inseruiunt; sic ædificationis opus est, illud omne quod conducit ad salutem animæ comparandam. p. 108. c. 2

Noli propter escam destruere opus Dei. pag. 108. col. 2

Gula gratiam eliminat, quæ est singulare Dei opus tanti ponderis & momenti, vt instaurare Dei gratiam ab anima expunctam facinus sit ipsis etiam Angelis inconcessum.

Bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum. p. 108. c. 2

Ergo malè suis censuris hæretici carpunt Ecclesiam, quæ sanxit esse die ieiunij carnibus abstinendum.

Quod non est ex fide, peccatum est. p. 218. c. 2 Fides ibi sumitur pro conscientia seu dictamine rationis, insinuante bonum & malum: Vnde reus est & peccat homo patrans aliquid, quod ratio dictat esse malum; nam contra fidem, id est, contra legem à ratione sibi indictam nequiter operatur.

EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

Cap. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* p. 70. c. 2

Gloriæ cupido nobis insita est vt stimulus ad gloriam æternam, ad quam capessendam editi sumus; sed vt ementita bona veris substituit dæmon; ita veræ gloriæ, ab illo vana fuit gloria substituta. Si quis ergo Dei ad gloriam assurgit? illamque bonis operibus assequi contendit, eo intento sibi conciliatâ Dei gratiâ, ille potest licitè gloriari.

C. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* p. 92. c. 1

Homo totus carni immersus, ea natura ferè cadit, in qua paulò minor Angelis editus est, & in bestiam transit, factus ita vile sui corporis mancipium, cui summa suæ salutis incuria est: vnde suum oleum & operam perdit qui diuina loqui huic satagit animali.

Vide locum hunc fusiùs explicatum. p. 92. c. 1 & 2

Cap. 3. *Vt sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* p. 376. c. 2

Apostolus hoc contextu recenset duos superædificandi modos, quorum vnus fundamento quadrat, alter verò secus est discolor. Ille prior est imitatio Christi: virtutes enim probati sunt lapides, ex quibus cœlestis fabrica coalescit. At contrà vitam ducere in bonis huius sæculi, genio indulgendo, fœnum est & stipulam fomites incendij æterni imponere Christi Domini fundaméto.

Cap. 4. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris, quasi non acceperis.* p. 52. c. 2

Non inanis ea tantùm est gloria, imò pœnæ æternæ obnoxia, quæ superbè Deo detrahit omne decus, quod redundat ex facinore præclaro, Deo ipso conscio, perpetrato.

Nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, &c. Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. p. 501. c. 2

Qui sanctè viuunt, generosè caput suum morti obiiciunt, vltro sibi, id est, carni, deliciis, atque rebus cunctis huius sæculi morientes. Spoliari omnimoda supellectile Mundi, in summa rerum omnium inopia transigendo vitam, esse velut hominum ludibrium, lacera veste, nudis & pedibus ambulare, famem, sitim & alia acerba pati æquo animo, profectò genus est mortis, qua ex hoc sæculo electi homines efferuntur.

Vide plura. p. 501. c. 2

Cap. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* p. 179. c. 2

Ratione praui habitus sortiti ætatis iniquam indolem, nunc abdicate ritus inolitos, vt ita noui hominis, id est Christi, censeamini discipuli, dimissis actibus obsoletis.

Cap. 6. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, &c. in vigiliis, in ieiuniis, in castitate.* p. 96. c. 1

Non lingua sola prodit Christi discipulos; nam verba bonis operibus spoliata fidem non faciunt. Virtutes sunt tesseræ ministrorum Christi, qui hisce notis ab ingloriis seruis huius sæculi discernuntur.

Cap. 7. *Nolite fieri serui hominum.* p. 460. c. 1 Ille locus nobis obiicitur ab hæreticis contra votum obedientiæ, quam in claustro solent cœnobitæ suis præfectis vt dominis exhibere. Respondeo, Paulum noluisse solo hominum intuitu obsequium pendi hominibus, sed propter Deum, cui, quãdo morem superiori gerimus, obedimus.

Cap. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* p. 215. c. 2

Qui adhæret Deo, vnus spiritus est, & hic vnus eò tendit, quò appellentes immarcescibili corona gloriæ decorantur.

Sic curro, non quasi in incertum, &c. sed castigo corpus meum. p. 529. c. 1

Brauio se aptantes non currebant tantùm, sed abstinebant Cerere & Baccho, ne viscere distento foret homo quasi ineptus ad stadium; in quod etiam discrimen potuit incurrere ab obscœna Venere corpore colliquato. Iisdem præuiis etiam cautelis itur ad gloriam, quæ idcirco nomen brauij sortitur, vt eam ieiunio & castitate, Dei gratia instructus, tanquam mediis congruis assequatur.

Cap. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra.* p. 641. col. 1

Si Christus gratia mediante nobis non surrexit, frustra fidem iactamus etenim illa iacet vt extincta, nisi à peccato fiat anima rediuiua.

EX

EX EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

Cap.1. *Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ.* p.54.c.2

Conscientia serena notat gratiæ illapsum in animam, quæ incipit Deo grata, vita ex hac, gloriæ æternæ quædam gaudia delibare.

Cap.7. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam, in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur.* p.19.c.2

Conceptus ab electo mœror de peccatis, eum ad pœnitentiam inducit. Sed cùm de iactura rerum huius sæculi contristatur homo, mœror ille nihil conducit ad salutem, imò sæpe necem animæ consciscit: namque furens & præ dolore sui impos, in Deum & Sanctos blasphemus ore rabido debacchatur.

C.9. *Hilarem datorem diligit Deus.* p.19.c.1

Qui perculsus amore diuino totum vltro Deo se consecrat, ille lætus habet charitatis fructus sapidos & suaues, pacem scilicet & gaudium, quibus benè pasta Deo obstricta fœlix anima recreatur.

Cap.10. *Omne quod in macello venit manducate.* p.105.c.1

Ille locus nobis opponitur ab hæreticis, vt inde probent carnes edi posse à fidelibus, nullo facto discrimine temporum, & id contra ritum Ecclesię, carnes indicto quodam tempore prohibentis. Vide nodum hunc optimè dissolutum. pag. 105. col.1

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. 5. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* p.236 c.2

Christo rediuiuo, crucis angustiis eluctatis, & ad cœlos euecto, ritus omnes Iudaici fuere velut inutiles penitus antiquati. Christiana verò fides omnes homines obstrinxit: sed ne cassa foret, charitate Deus hanc stipauit, ei in gratia facta bona opera sociando.

Cap.6. *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* p.54.c.2

Vt effectus & causa solent concolores esse, quia effectus assimilatur suæ causæ. Cùm homo nihil sit, ab illo nihil omnino potest propriis eius viribus emanare. Dæmon ergo fucos ei astutè facit quando vilis & abiectus homo, sui nihili immemor, alta sapit de se, putans se aliquid esse, vnde quasi ventosa pila tumens superbia turgidus insolescit.

Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia. p.325.c.2

Quando frugem in meliorem se recepit homo, priùs in peccati volutabro iacens, gerendo morem Dei præceptis, ita Dei misericordiam sibi conciliat, & inquies eius animus, iam sedatus & pacatus, nullis synderesis æstibus agitatur.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* p.109.c.1

Vergit eò Hieronymus, quando dicit, ventrem solitum æstuare mero, in obscœnam libidinem sordidè despumare.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. *Sitis sinceri, & sine offensa in die Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei.* p.538.c.2

Nota, decus omne boni operis, & gloriam eius debere Deo attribui, & non homini, quem ipse Deus auctor omnium bonorum assumit vt editi præclari operis instrumentum.

Cap. 3. *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed eam, quæ ex fide.* p.232.c.2

Iustitia legalis erat cute tenus aqua lotos purificans & emundans à maculis quas corpora contraxerant, estò purus animus esset à vitiis illibatus. Iustitia verò nobis parta veræ fidei obsequio & gratiæ illapsu sanctificat animas, easque sanat peccati vulnere sauciatas.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 2. *Videte ne quis vos decipiat, per Philosophiam, & inanem fallaciam.* p.106.c.1

Si quis dogmata Christiana velit appendere ad trutinam Philosophiæ, tantùm abest vt inde lumen accipiat ad credendum, quinimò fides eius opacata cœcis rationis humanæ tenebris offundetur.

Si mortui estis cum Christo ab elementis Mundi huius; quid adhuc decernitis? ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne contrectaueritis; quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundùm doctrinas hominum. p.105.c.2

Isto loco freti hæretici magnas excitauere lites, & tragœdias iniurias Ecclesiæ; sed vide locum istum, atque nodos ab his æmulis implexos, scitè sicut congruit explicatos. p.105.c.2

Cap. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere; omnia in nomine Domini Iesu Christi.* p.49.c.1

Ille Dei nomen non inscribit operibus suis, qui stultè sua virtute putat agi, quicquid fortiter exantlatur.

EX EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

Cap.4. *Qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum Sanctum suum in nobis.* p.106.c.1

Ecclesia Sancta Deo afflata ritus instituit, quos qui contemnit, ille Deo iniurius est, cuius oracula sancta sacro Ecclesiæ organo promulgantur.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. p.342.c.1

Ergo Deus neminem vult damnari, quicquid contrà clament hæretici, in Deum reproborum crimina refundentes.

EX EPISTOLA I. AD TIMOTHEVM.

Cap.4. *In nouissimis diebus discedent quidam à fide, prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit.* p.94.c.1

Hieronymus lib.2. contra Iouinianum hoc loco credit Paulum spiritu prophetico designasse duos apostatas, Marcionem scilicet, & Tatianum, necnon Manichæos qui dicebant, immundas esse dapes & nuptias, à diabolis institutas. Ergo suo more malè volunt hæretici, Paulum hac censura notam ingloriam inurere Ecclesiæ, cùm illa fide non exciderit, neque dicat esse cibos immundos, aut nuptias damnet, imò secus matrimonium dignetur titulo Sacramenti.

Vide. p.94.c.1

Cap. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* p.74.c.1

Vide locum hunc à Chrysostomo fusè suis pigmentis & flosculis illustratum. p.74.c.2. & p.75. col.1. & 2

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

Cap. 1. *Ita frater, ego te fruar in Domino.* p.85.c.2

Noluit

Noluit ille frui Philemone nisi in Domino; namque Deum ille sui amoris scopum præcipuum vt afflatus eius numine præfigebat. Vide locum istum ab Augustino scitè sicut congruit illustratum. p.85.c.1. & 2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* p.220.c.2

Hæretici soliti delirare, locum hunc deprauant. Vide quibus argumentis eorum sensus deuius explodatur. p.220.c.1. & 2

Cap. 13. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* p.256.c.1

Dixit varias has doctrinas, quæ non sunt concolores oraculis Apostolicis. Peregrinas etiam nuncupauit eas doctrinas, quas fideles Ecclesiæ Sanctæ seu Ierusalem nouæ ciues nusquam Numine dictante suis auribus exceperunt.

Vide plura. p.256.c.1. & 2

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem.* p.364.c.1

Quatuor isto loco dicit Apostolus, scilicet concupiscentiam, tresque motus eius, qui sunt suggestio, delectatio, & consensus. Suggestio præludens abstrahit, & allicit animam. In præludio illo labis expers est anima. Si verò suggestio titillans, aliquam voluptatem sensibus illinit animâ inuitâ, næuum non contraxit homo, quia delectationi anima reluctatur. Sed si anima titillata suum consensum vltro præbet, peccatum lethale suum animæ deceptæ virus aspergit, & illa perit intortorto quasi virulento spiculo sauciata.

Cap. 5. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* p.745.c.1

Adultorum nemo sine ærumnis æquo animo exceptis ad beatitudinem euectus est, nullus enim in cœlo comes est Christi, nisi in terra crucem antea baiularit.

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap. 2. *Si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis.* p.352.c.1

Quò grauiores è cœlo cruces incumbunt, eò maius gloriæ æternæ pondus eos manet, qui aduersa læto animo patiuntur. Vnde quia cœlo nati sumus, Deus nos ad acerba vocat; quippe via cœli sata duris angustiis, sensibus ingratis, sentibus inhorrescit.

Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. p.459.c.2

Innoxia vita facit elingues eos, qui indixere sibi negotium illud, vt scilicet in sanctiores quosque viros calumniis eo intento cusis nequiter inuehantur.

Cap. 4. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit.* p.157.c.2

Ille quasi peregrinus abit è cœlo procul, qui in feruore bona opera perpetrata sibi arrogat deceptus sibilo tentatoris.

EX EPISTOLA I. IOANNIS.

Cap. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat peccata nostra.* p.242.c.1

Hæc verba notant, Christum promisisse reis veniam, si congruo sacerdoti crimina fateantur.

Cap. 2. *Qui seruat verbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est.* p.477.c.2

Non possunt absque Dei gratia homines obseruare Dei mandata; si ergo morem gerit homo latæ legi desuper, ne quære sacri eius amoris erga Deum aliud fortius argumentum.

Cap. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* p.186. col.1

Iustitiam imputatiuè nobis inesse solùm, Caluinus ait; sed ex Ioanne manens in anima iusta semen Dei, significat gratiam esse nobis insitam instar habitus inhærentis.

EX EPISTOLA II. IOANNIS.

Cap. 1. *Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* p.215.c.2

Homo, Dei gratiâ expunctâ graui à peccato, cadit merito bonorum operum, quæ antea perpetrauit.

EX APOCALYPSI.

Cap. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* p.79.c.2

Sola charitate diues homo potest fieri: namque licèt ei opes affluant; sine charitate nudus eget eo, quod conducit ad salutem animæ comparandam.

Cap. 18. *Quantùm glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* p.20. c.1

Profectò nihil impune reis erit in alio sæculo; namque malum omne pœnis plectetur; appensis ad trutinam insitæ grauitatis. Superbit homo, nolens obedire Deo; ille typhus habet congrua tormenta suæ nequitiæ. Voluptas verò comes cuiusque mali operis, luctu & mœrore iugi damnatæ animæ compensatur.

Vide plura ad hoc pertinentia. p.20.c.1

FERIA QVARTA CINERVM.

EVANGELIVM

Sectum in tot numeros, quot sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. CVM ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

II. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

III. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

IV. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros, in cælo; vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

V. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

LITERALIS EXPOSITIO

cuius Paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. I. *QVIA iusti procul sunt ab omni fœtida vitiorum colluuie, dæmon eorum virtutibus affricat virus inanis gloriæ, vt eius aspergine virtus illico contabescat. Christus hodie occurrit huic astutæ dæmonum indoli, præmonendo suos sequaces, ne contagio Scribarum & Pharisæorum anhelent ad gloriam popularem.*

§. *II. Quippe vanitatis aura virtutibus afflans, demetit omnes præcipuos bonorum operum flores, falce mercedis incongrua, atque adeò contemnenda.*

§. *III. Ne quid ergo irrepat hiulcum & reprobum in bona opera nostra, est sedulò defæcanda intentio nostra, & conciliandæ Dei gratiæ, animo hilari & spirante delicias innoxias, quibus dignatur Deus animas sibi iugiter obsequentes.*

§. *IV. Qui secus faxit, & litat gloriæ inani, aut aliud quidpiam expectat ab hominibus; ille thesaurizat sibi thesaurum in terra. Quicquid enim homo deperit, vt vltimum finem suum, hoc illi thesaurus est, reuera caducus, si res amara sit infra Deum, cui anteponere vilia crepundia, illud est turpiter insanire.*

§. *V. Itaque cautè inuigilare sibi quisque debet, ne affectus citra dilectum spatientur. Nempe homo alicui rei affectum suum deuouens, ita illi obstringitur, vt impos sit ad alterius rei obsequium: nam amor intensus omnia secum vota rapit, & copiam omnem negat animæ, alia audendi, quàm quæ dictat amor, cui se totum homo ex animo mancipauit.*

SENSVS LITERALIS.

Fugienda est virtutum praxi singularitatis affectatio, vt perniciosa soboles hypocrisis, quam ne Scribæ affricarent Apostolis, Christus cauit.

In hæc verba :

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

§. I.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Lingvis.

NEmo sanè adeò impietatis amans extitit, vt omnem pietatis sensum abegerit. Ille nimirum genius est pietatis, etiam adumbratæ cute tenus, vt obuiorum sibi hominum animos conciliet. Scribas, & Pharisæos, Iudæorum proceres non latuit hoc effatum : quotidiana nempe praxi experti sunt, hypocritas, virtutis inania simulacra, sibi demerere hominum cultum singularem, quem vt sibi perpetuum vendicarent, aliqua virtutis abditæ argumenta omnibus explicabant, orantes in plateis, stipem erogantes palàm, & ementitâ tristitiâ simulãtes inediam. Ne enascentis Ecclesiæ germina adhuc tenella aspergeret ille adulterinus Iudæorum ritus, opportunè hodie cauit Christus, hanc Iudæorum carpens indolem infidelem, dum illam esse hypocrisim clamat. Quippe hoc scommate pungit acriter spuriam hanc virtutem, quam profitebatur Scribarum & Pharisæorum impia colluuies, emẽtita pietate spectabilis plebi, plerumque nesciæ quale abditum virus operiant intima præcordia hominum, qui tunc pessimi sunt quando optimorum gratis personam induunt. Induere enim alienam personam, indoles est hypocritarum, vt eorum inglo ria nomenclatura sonat : siquidem Græcis ὑποκριτὴς perinde est ac histrio; vnde Aristoteles 3. politicorum ita fatur; ὑποκρίνεσθαι χαίρω. Est autem sors iniqua histrionum, & damnata, vt placeat oculis spectatorum, mutato habitu, & plerumque fuco inducto, facie deturpata, vt sic imponant adstantibus, dum adstantibus ingerunt speciem aliam prorsus ab ea, quam reuera versant.

Christus maximè ab hypocritis abhorruit.

Quid sit hypocrisis. Ex lingvis. Græca.

Hebræa. Eò collimat vox Hebræa חנף *chaneph*, quæ hypocritam & simulatorem significat, iuxta verbum primitiuum חנף *chaneph*, quod est coniugationis Kal secundæ formæ Hebræorum, vt זקן *zaken*, senuit. Nec præfata Hebræa dictio simulare tantùm significat, sed & polluere, & maculare, vt ab Hieronymo accipitur Ieremiæ tertio capite. Hebræis consonant Chaldæi, vtpote adsciti in communionem eiusdem linguæ, paucis literis interiectis, vt videre est in recensita radice Hebræa, à qua fluit dictio Chaldaica חנפא *chanepha*, quæ & hypocritam significat, & hominem personatum, in quo sensu accepit Targumista apud Isaiam cap. 10. Vt lingua Syriaca propius accedit ad Chaldæam, quàm ad Hebræam, Syri eodem nomine חנפא *chanepha*, notant hypocritam, & hominem infidelem. Ita vsurpauit illud

Chaldæa.

Syriaca.

vocabulum Syrus interpres versans epistolam primam ad Corinthios cap. 10. Cùm ergo Christus erudiret suos discipulos, noluit eos virtuti operam dare vt conciliarent sibi hominum gratiam, cui duntaxat student hypocritæ theatrale ingenium æmulati, iuxta censuram Augustini. Sic ille : *Noli sic velle innotescere, vt hypocritæ. Manifestum est autem, hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragædia, verbi gratia, siue alicuius alterius ad historiam vel fabulam pertinentis, verè ipse est, sed simulat eum & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim iustum, & non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos, quibus videntur boni, ab eisque laudantur.* Hoc contextu vides eum esse animum hypocritæ, vt fingat habitum iusti, à quo tamen peregrino ritu suo, toto cœlo dissitus est.

Ex SS. Patribus. Aug. l. 2. de ser. Dom. in monte c. 2. Tom. 4. Pulchra descriptio hypocritæ.

Huic descriptioni editæ ab Augustino concors est deriuatio Græca nominis hypocritæ ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνειν, id est, simulare, quod proprium est histrionum, quibus hoc vnum est in voto tãtùm, vt illudant oculis, & inde aucupentur aliquam gloriolam apud vulgus imperitum. Eo nomine Chrysostomus perstringit hypocritas, ita commentatus : *Tandiu hypocrita clarus apparet, quandiu assistit spectantium multitudo, imò nec tunc quidem coram omnibus clarus est. Norunt enim videntium plurimi, quis cùm sit, quem esse se simulet. Veruntamen theatro illo subitò dissoluto, qualis sit manifestissimè omnibus reuelatur. Hoc igitur gloriæ cupidos pati prorsus necesse est. Nam & hic plerisque liquet quòd non hoc sint quod videntur, sed tantummodo sub hac studeant latere persona.* Totum hypocritæ negotium esse theatrale, insinuat dialectus illa Græca Euangelij, quod terimus, vbi Christi hoc edictum, *Nolite facere coram hominibus, vt videamini ab eis*, sic effertur : Μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς : vox θεαθῆναι, alludit ad theatrum, verbumque θεάομαι non simpliciter significat video, vt βλέπω, sed obseruo, seu attentè considero, vt in more positum est eis, quos delectant inania theatrorum ludibria.

Chrysost. hom. 21. in Matt.

Ex lingvis. Matth. 6.

Græca.

Quomodo autem hypocritæ alienos oculos sollicitent, collige ex histrionum industria. Hi mutuatitio habitu accincti, aspectum hominum pelliciunt; ita & hypocritæ more simiarum se componunt ad aliorum speciem ementitam. Verbi gratiâ longior inedia decolorem vultum facit, & quamdam inducit mœroris asperginem, quia inuita & querula caro luget subtrahi sibi insolitum pastum, quo facies antea subliuida rubet, saginam nacta, qua genæ tument, & homo hilarior efficitur. Hunc ieiunantis animæ typum adumbrare volens hypocrita, tristitiam simulat, & mœrente vultu prodit, vt explicat dictio σκυθρωποὶ, quæ homines austeros significat, vt σκυθρωπασμὸς tetricam seueritatem sonat. Vt compotes voti fiant hypocritæ, *exterminant facies suas.* Non placet Hieronymo vox illa exterminium clamans, mauult ille ἀφανίζουσι explicare alio consimili verbo, scilicet demoliri. Sic ille : *Verbum, exterminant,* quod

Quid sit exterminare faciem suam. Ex SS. Patribus. Hieronym. in Matt. 6.

quod in Ecclesiasticis Scripturis vitio interpretum tritum est, aliud multo significat quàm vulgo intelligitur. Exterminantur quippe exules, qui mittuntur extra terminos: pro quo ergo sermone accipere debemus quod Græcè videtur ἀφανίζουσι. Demolitur autem hypocrita faciem suam, vt tristitiam simulet, & animo fortè latante luctum gestat in vultu. Chrysostomus in eo verbo Græco subodoratur faciei corrumpendæ studium. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα ἑαυτῶν, τουτέστι, διαφθείρουσιν, ἀπολλύουσιν. *Exterminant facies suas, hoc est corrumpunt, atque disperdunt.*

SENSVS LITERALIS.

Virtus ementita præterit terminos sibi præstitutos, ideoque exterminium petit eorum qui ei litant.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex SS. Patribvs et Ratione.

Prisca Gentiliũ ætas plus nimio credula, arbitrata Deos esse iniquos, quibus hoc erat præcipuum negotium, vt nocerent, peculiaria illis sacra instituit ne nocerent. Vnde emersit hoc adagium: *Sacrificandum est Diis Manibus ne noceant.* Huius generis esse hypocrisim credidisset illa Gentilis Theologia, si accepisset omne hypocrisis ingenium esse ad demoliendas & corrumpendas animas: nulla tamen hostia litasset antiquitas; nam nihil sartum tectumque potest superesse illic, vbi degit hypocrisis, cùm tota eius indoles attendatur ex demolitione & corruptione, sicut præfati sunt Hieronymus, & Chrysostomus, Ecclesiæ lumina micantia.

Esto horum Patrum sincera sententia sit; ei tamen præfero textum toti Ecclesiæ placitum, vtpote congruum etiam Græco contextui, præter singulare auctoritatis pondus, quod sibi vendicat illa vetus editio. Nam ἀφανίζω idem significat ac è conspectu aufero. At è conspectu alicuius auferre, illud est extra terminos ponere obiectum, quod subducitur oculis. Ergo cùm hypocrita alium prorsus vultum à genuino circumferat, & cum cute tenus tristitiam simulet, quam ieiuna caro præstat, sicque recondat insitum sibi vultum; profectò exterminat faciem suam, quia eam egerit extra fines, & terminos sibi à natura præstitutos, vt videatur etiam illo exteriore cultu præterire vernaculam aliorum hominum sanctimoniam, quemadmodum suggerit glossa interserens istas voces: *Vt dissimiles aliis videantur, & ipsa vilitate vltra homines prædicentur.* Itaque qui vltra quàm par est progredi satagit, ille egreditur terminos, quibus vt cancellis cuiusque rei status legitimus ritè concluditur. Mihi adhuc liquidiùs adstipulatur glossa, sic expendens versum illum quem decurro. *Exterminant, id est, extra terminos humanæ conditionis obducunt. Sicut de nitore vestium iactantia est, sic de nimio squalore, & macie.*

In quo sit finis faciei exterminiũ, cũ studene hypocritæ.

Glossa interlinear. in Matth. 6.

Ibidem.

Lyranus arbitratur, hypocritas Pharisæos conquisito extrinsecus fuco fuisse solitos maculare vultum, cui vegetus subinde deperibat color. Præierat ei Chrysostomus, qui ex hypocritarum fucis argumentum sumpsit declamandi in mulieres, quæ ad formæ incrementa illinunt faciem. Suffumigationes quædam obstetricantur intento horum hominum insidorum, quos pharmacorum suffitus excepti facie inclinata obnubilant, & pro voto macilentos efficiunt, tametsi distento abdomine gulæ indulgeant. Congruo sanè fumi obsequio vtuntur hypocritæ, quibus de fumo totum constat: quid namque nisi fumum nundinantur, quando captant auram popularem? Cùm ergo iniquum sit hoc hominum genus, assumens virtutis insignia in perniciem suam; cautè Christus suos symmystas præmonuit, quanta hæc mali labes esset, ne discipuli incauti in hæc discrimina incurrerent. Quare autem Christus non dixerit esse fugiendam iactantiam, quæ ieiunos homines vtplurimum insequitur, vtpote ventilantes, quot decurrant dies impastos in sabbato? Cur autem non aliquo censuræ aculeo punxerit auaritiam, quæ crebris ieiuniis vt compendiosa via litat auro, cui aliquid adiicitur ex parciore victu? Demum quare tenellos adhuc Ecclesiæ fœtus, non seriò hortatus est, vt cauerent ab iniquis iudiciis, quibus ieiunantes alios subiiciunt homines, quia non sectantur hunc sobrium vitæ ritum, vt suggerit Paulus: *Qui non manducat, manducantem non iudicet;* Neminem sanè vidi, qui hunc nodum soluat, cùm præfata vitia præ hypocrisi magis affinia sint illis, quos crebra ieiunia exercent.

Lyran. in Matth. 6
Chrysost. in hom. 21. in Matth.

Hypocritæ olim vsi fumo.

Rom. 14.

In re ancipiti atque hactenus indiscussa accipe meam sententiam, & equidem facientem palam intentum Christi abditum cortice recensito. Omniscius hic præceptor in vitia aperta odium plusquam Vatinianum suis discipulis infuderat, & capite quod expendo seriem orationis Dominicæ dilucidè explicarat, & in genere damnarat quidquid hypocrisim sapit ita fatus: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Tamen denuo carpit hoc vitium, primò quia rarus ille est, qui non se meliorem titulo tenus prodat, quàm sit in pixide: nemo namque adeò hominem exuit: vt planè incurius sit aliis arridere, si credere fas est Augustino, ita suadenti: *Hypocrisis maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum est. Nam quicunque vult videri quod non est, hypocrita est.* Cùm itaque subtile virus hypocrisis omnem cautioris animæ sensum anteuertat, operæpretium fuit rursus configere crimen compositum in similitudinem virtutis emeritæ. Sed præcipua ratio hypocrisis obiurgatæ acriter à Christo hæc est. Discipuli amantissimi huius Domini, iugi aspectu eius recreati, ingentes ad virtutẽ animos conceperant, atque ita faciles erant ad obuias quasque virtutum species ebibendas. Ne ergo hallucinarẽtur in delectu, hypocrisim suis lineatã pigmentis explicat, & æternâ damnatione ferit, vt exosos faciat suis discipulis Scribas & Pharisæos, quos citra ambages vocauit hypocritas in magna hominũ frequentia, ne quem lateret astuta indoles hominum impiorum. Hoc tenore rem enarrat Lucas: *multis autẽ turbis circumstãtibus, ita vt se inuicẽ cõculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attẽdite à fermẽto Pharisæorũ, quod est hypocrisis.* Ne quotidiana igitur frequẽtatione offenderẽtur discipuli hac Pharisæorũ tabe,

Quare Christus præcipuè declamauerit in hypocritas.

Matth. 6.

Aug. serm. 59. de tempore.

Luc. 12.

tabe, eos Christus erudiit sanctitatem cùm se prodit esse eo solo censuræ obnoxiam, quia exurgens in tumorem abit, qui nimio gloriolæ flatu distentus rumpitur.

Viris etiam sanctis suum virus affricat hypocrisis.

Repetita crebrò animaduersione castigandus fuit ille ritus, exponendi omnibus suarum virtutum praxim, ne discipuli Christi in has cautes impingerent; maximè obseruantes eo astu Pharisæos facere sibi nomen præcipuum apud imperitum vulgus. Ideoque præmuniendi fuere fideles in cunabulis Ecclesiæ, hac prouida cautione, ne feruidus eorum ad virtutem appetitus inanibus pasceretur, idque summo hallucinantis animæ dispendio. Et esto alia vitia insidias nectant ieiunio; maiori tamen solertia occurrendum fuit hypocrisi: quia inde ruina instabat, & vitium hoc validos habebat professores, videlicet Scribas & Pharisæos, penes quos pietatis summa fuit credita residere. Adiice, vitia quæ in aperto sunt non vrgere animas sollicitas de statu suo innoxio; ideoque satis fuisse Christo semel & iterum execrabilem superbiam, & sordidam notare auaritiam, cùm tamen sæpè sæpius traduxerit hypocritas, ob iniquè vsurpatum pietatis habitum, quo fascinant oculos hominum incautorum. Quam malorum iliadem secum vehat hypocrisis, proxima sectione rescies. Iam sat erit explicasse, Christum illo præludio de hypocritis consuluisse his omnibus, qui se accingunt ad edenda egregia specimina virtutum, ne Pharisæorum contagio profiterentur vmbram tantùm pietatis.

SENSVS LITERALIS.

Adeò tenuis est merces hypocritarum, vt Christus affirmatione præuia aquum censuerit illam explicare.

In hæc verba:

Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

§. II.

CONIECTVRA PRIMA.

Ex Lingvis, et Ratione.

CHristus erudiendo tyrones suos, multifariam pupugit hypocritas, eorum detestatus ingenium procul à Deo, qui verax est, ac proinde longè ab hypocritis, quorum esse, mendacium est, vtpote situm in simulatione tantùm, & inani simulacro rerum, quarum vmbram duntaxat offundunt oculis imperitis. Castigatâ hypocrisi, & & reprobata serie tota bonorum operum, quæ exantlant hypocritæ, censuram suam concludit hoc repudio virtutum, quas homines illi nequam impiè profitentur: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Nota, Christum Dominum non promiscuè vsurpasse vocem illam, *Amen dico vobis*, sed eam cautè adhibuisse prout operæpretium fuit. Namque vox Hebræa, אמן *Amen*, idem sonat ac verum, seu verè. Eam Christus adhibuit tantùm quando voluit conciliare dictis suis hominum fidem, vt proposita sua dogmata crederent incunctanter; siquidem dictio

Ex lingvis. Hebræa.

illa, *Amen*, deducitur à radice, אמן *aman*, id est credidit. Vnde quia fides est tantùm de veris; credere, & verum, iisdem radicalibus constant, nec dispescuntur nisi punctis.

Obseruatio illa petita ab Hebræis, Syris, & Chaldæis, qui in ea voce communicant, nobis insinuat Christum ea dictione præuia voluisse insinuare aliquid superans hominum fidem, cùm suam ipsius fidem oppignerare solitus sit Christus illa præfatiuncula. Illud autem incredibile Iudæis auditoribus Christi fuit, Deum nihili facere ieiunia Pharisæorum, qui suam omnem inediam aptabant, vt homines prouocarent ad aspectum agonum, quos fortiter obibant. Vt hanc suam sententiam Christus adstrueret, præmisit vocem illam, *Amen*, vnde deducitur dictio hęc, אמנה *amenah*, quam Guido Fabricius in dictionario suo Syrochaldaïco ait esse notam condemnationis. Desiderassem ego à Guidone aliqua Chaldæorum & Syrorum exempla in re singulari, vt & apud Hebræos inueni, nescio etiam Sancte Pagnino, quem præteriit ista animaduersio; videlicet illam vocem אמנה *amenah*, præiuisse sententiæ capitis, vt videre est in Acham, qui malè sibi conscius seipsum sic damnauit, אמנה אנכי חטאתי *amena anochi chatati*, id est, Verè ego peccaui. Emphatica vox est illa, ac proinde incrementum adiicit singulis quibusque effatis, quibus apponitur. Vnde vt damnatio habetur rata & fixa, damnationis sententiæ præfixa est. Erudita hæc discussio vocis, *Amen*, scitè admodum explicat intentum Christi, eo maledicto perstringentis opera Pharisæorum, vt scilicet omni mercede diuina exciderent, quia hominum tantùm intuitu singula sua quæque opera perpetrarunt. Illud prępositum, *Amen*, non simpliciter significare idem quod verè, sed esse reprobationis notam subindicat Græcus interpres, illam vocem commemorans, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, licet in veteri testamento passim substituant vocem, γένοιτο fiat, Septuaginta interpretes.

Quid sonet dictio, *Amen*. Chaldæa Syriaca.

Quare Christus damnaturus hypocrisim Scribarum præmiserit has voces. *Amen dico vobis.*

Quare autem Christus affirmarit ieiunia illa recensita carere præmio apud Deum, & iam accepisse suam mercedem omnem, hoc est literalis instituti, ad quod pertinet iste paragraphus in hoc dissitus à morali sensu, quòd sincerè aperiat intentum Christi, qui vt erat scrutator acutus cordium, penitiora quæque rimans, aduertit Pharisæos eo tantùm animo exterminasse faciem suam, eam demoliendo fucis illitis, aut obuelando, damnatorum instar, vt sic contritionem animi magis proderent, vt ita sisterent sibi aspectum hominum, quorum oculis sic litabāt. Christus inquam, cui peruia sunt hominum corda, videns totam illam pœnitentiæ supellectilem esse instructam, vt demereret oculos hac specie inani delinitos, & hærentes hisce simulacris pœnitentię; hoc vt constans asseruit, videlicet eos accepisse mercedem suam. Græca non refundunt in præteritum hanc mercedem, sed in pręsens. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. *Amen dico vobis, quia recipiunt mercedem suam.* Præferenda est nostra versio præteritum referens, etsi Græca concolor sit intento Christi. Vtramque concilio, explicato hypocritarum scopo, qui ille vnus est, vt videantur ab hominibus, sicut ait Christus: *Exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Cùm ergo eo fine ieiunent vt videantur, singulariq; oris habitu prouocent oculos ad videndum sua præclarè facta; profectò ille hominū aspectus est merces, cui omnes hypocritæ collaborant, ac proinde

Hypocrisis intentum est litare oculis hominum spectantium.

Græca.

Quænam sit merces intenta ab hypocritis.

proinde hypocritæ nacti spectatores dum sua iactant ieiunia, eadem morula temporis apparent hominibus ieiunantes & recipiunt mercedem suam: quia merces hypocritæ, & videri ab hominibus, res sunt synonymæ, ideo Græcus interpres benè ait ἀπέχουσι recipiunt in præsenti. Rursus verbum illud ἀπέχω, significat, recipio id quod me ex debito spectat: vim eius probè callens Græcus interpres, quem quidam arbitrantur esse ipsum Matthæum, verbum ἀπέχουσι adhibuit, vt notaret deberi hypocritis hos aspectus, quia eorum gratia tot agones obeunt. Quia ergo hypocritæ dum ieiunant se in conspectum hominum dant, eo intento vt videantur; reuera cùm ieiunant accipiunt mercedem suam ex tunc, eam vtique quam volebant, scilicet, videri. Ille autem hominum intuitus debetur hypocritis vt congrua merces. Primò quia magno emunt hanc oculorum gratiam, cui soli litant tot ærumnis vltro assumptis. Secundò omne obsequium aliqua mercede dignandum est. Sed ille omnis hypocritarum habitus in tristitiam compositus vsurpatur vt oculis hominum præstet singulare obiectum: concepto itaque voto nefas est excidere illum apparatum solis oculis explicatum, qui cùm hypocritas aspiciunt, eos tunc dignantur mercede sua, referentes pensum ab eis impensè conquisitum. Idcirco ait Græcus interpres eos recepisse μισθὸν αὐτῶν, id est mercedem propriè suam.

Momentanea est merces hypocritarum.

Videri ab hominibus est tota merces, ad quam anhelant hypocritæ.

Quare autem canonica versio inducat Christum loquentem in præterito de hac mercede hoc tenore, *Receperunt mercedem suam*, ea id fecit industria, vt liquidiùs constaret nobis de intento Christi, qui damnare volens Pharisæorum mores aliquo virtutum fuco tinctos, dixit eos recepisse mercedem suam, quia adeò tenuis est & exilis, vt eo momento quo accepta est præterierit, iuxta naturam rerum caducarum, quæ nequeunt constare sibi. Rursus præteritum illud, *Receperunt*, sinceriùs explicat indolem mercedis huius, ita præteritæ, vt nullas eius omnino reliquias hypocritæ ostentare queant; quippe totum illud præmium fuit, videri ab hominibus: videri autem res est reposita inter inanes temporis exuuias, quæ vanescunt; ideoque ditiores hypocritæ nequeunt fieri accepta mercede, quæ loculos non distendit, & laborantes ingloria conficit egestate. Momentaneam hanc mercedem fuisse, vtpote sitam in momento Hebræa lingua opportunè suggerit, graphicè lineans hanc mercedem, קכלו שכרם ככר *cena canelu schecaram*, id est, Nunc receperunt mercedem suam. Sed quare nunc? quia nunc est momentum temporis, cuius nullæ sunt partes. Et hoc momentum fuit merces hypocritæ, qui dum recipit Nunc, mercedem idoneam refert operi, quod prætereunti hominum aspectui pessimè consecrauit. Inde liquet, quàm conuenienter canonica Scriptura præteritum adhibeat, quo melius exprimitur ratio mercedis, quæ decet hypocritas, adeò paruo ære merentes, vt tota eorum merces obolo compensetur, dignaque sit præterito tempore quasi non sit ampliùs in præsenti.

HEBRÆA. Pulchra meditatio Hebræorum, de mercede hypocritarum.

Mihi suffragatur Syrus interpres, qui derelicta radicali Hebræa, שכר *schacar*, quæ etiam communis est Syris, alia voce expressit mercedem hypocritæ, vocans eam obolum, id est, minutum æs, דקבלו אגרהון *decabbelu agrehun*, id est, acceperunt obolum suum. Radix nempe אגר *agar* apud Syros idem est ac mercede conduxit, & אגורה *agorah*, auctore Guidone Fabricio, obolum significat. Hunc consule in eius dictionario Syro-Chaldaico, in radice אגר *agar*. Cùm ergo obolo tantùm appendatur merces hypocritæ, exilitas eius appositè præterito tempore lineatur. Præterea Christus subindicare voluit flocci pendendam gloriolam illam, quæ consequitur applausum & oculos hominum; ditior namque non fit anima, censu qui obolo computatur, & cuius nihil planè relinquitur, quo leuare suam possit inopiam, ille quem hominum oculi conduxerunt. Vtque præterita, vt sic, non sunt; ita quicquid gloria hominum refundit in penu nostrum, pro nihilo est, quia fugax est, æmulata gyros temporis minimè consistentis.

SYRIACA. Elegans animaduersio Syrorum circa mercedē hypocritarū.

Recensione mercedis ingloriæ Christus industriè traducit hypocritas, eorum virtutes æstimans ex mercede, quæ vt in hominum intuitu reposita est, ita & virtus hypocritarum est inane ludibrium oculorum; siquidem abhorrentes à solida virtutum praxi, profitentur vmbram tantùm, quam ostentare queant non tenere. Ait enim Christus eos seriem omnem suarum actionum componere, non vt sinceræ virtuti obsequium præstent, sed *Vt appareant hominibus*, ὅπως φανῶσι. Optimè interpres Græcus ait φανῶσι, quia rutila quæque hypocritarum opera, sunt veluti φαινόμενα: Proclus ait φαινόμενα esse lumina illa nocturna, quæ corusco splendore illudunt oculis, dum extinguuntur ea ferè mora, qua visa sunt oculis illucere. Ita & hypocritarum virtutes omnes sunt φαινόμενα, vera oculorum ludibria; emicant quidem, quia apparent, sed nequeunt constare sibi, quia citò citiùs euanescunt. Aduerte obiter, hoc contextu Dominum non damnare opera quæ videntur ab hominibus, alioquin rara essent opera virtutis emeritæ; sed ea tantùm reprobare, quæ eo fine fiunt vt videantur ab hominibus, gloriolæ aucupandæ gratiâ, quæ demetit omnem virtutum fructum, si quis eam aucupetur.

Quænam sit virtus hypocritarum.

GRÆCA. Proclus lib. de sphæra.

SENSVS LITERALIS.

Vanitatis aura diuerberans animam, excutit præcipuos bonorum operum flores.

In hæc verba:

Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

CONIECTVRA SECVNDA.

EX SANCTIS PATRIBVS.

TVrcarum gens inhumana hoc habet in more positum, vt peculiares seruet gazas, nusquam reserandas, nisi quando bellum indicitur Christianis exosis ritus impios Mahometis. Habet & Ecclesia thesauros reconditos, quibus vtitur præcipuè in homines inducentes peregrinos ritus. Illæ opimæ gazæ sunt sententiæ Sanctorum Patrum, quos operæpretium duxi conducere, vt configant suis spiculis hypocritas.

Quando suos Turca aperiat thesauros.

Prior occurrit Chrysostomus ita fatus: *Sciebat Dominus gloriam vanam ex omni bono procedere: ideo spinam vanæ gloriæ, quæ nascitur in terra bona, iubet præcidere, ne suffocet ieiunij fructum*

EX SS. PATRIBVS. Chrys. hom. 15. in opere imperf.

fructum. Non autem potest fieri, vt non sentiatur qui ieiunat, sed melius est, vt ieiunium te ostendat, quàm tu ieiunium. Non autem potest fieri, vt sit hilaris qui ieiunat. Ideo non dixit: Nolite esse tristes, sed: Nolite fieri tristes. Qui enim per imposturas aliquas fallentes apparent, illi non sunt tristes, sed fiunt. Qui autem naturaliter propter assiduum ieiunium tristis est, non fit tristis, sed verè est. Augustinus conuincit hypocritas seruire oculis hominum tantùm, quia virtutum omnium ille tenor, quem in propatulo iactant, non facit eos sanctiores, sed duntaxat eos constituit vilia oculorum mancipia, quibus totis nisibus obsequuntur. Sic ille eos pungit;

Quàm cautè sit vitanda vana gloria. *Aug. l. 2. de serm. Domini in monte c. 19.*

Maximè aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem quò sub nomine seruitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestibus, vel cæterarum rerum nitore fulget, facilè conuincitur rebus ipsis pomparum sæculi esse sectator: nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autem in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se hominum oculos facit, cùm id voluntate faciat, non necessitate patiatur, cæteris eius operibus potest cognosci, vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat.

Quomodo dignoscatur indoles hypocritarum.

Cùm ergo vitæ Pharisæorum contextus omnis fuerit scaturigo quædam vitiorum, vt præostendit Christus carpens eorum superbiam, qua ambiebant primos discubitus in Synagogis, & suggillans illorum sordidam auaritiam in decimando mentam, anethum, & cyminum; profectò citra suspicionem iniqui iudicij, stips palam erogata egenis, editæ preces in angulis platearum, & austera ieiunia demolita facie comprobata clamant, hæc omnia fuisse symbola vanitatis, cuius præmium est videri, vt aduertit Remigius. *Fructus ieiunij hypocritarum manifestatur, cùm subinfertur: Vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem suam, id est, quam desiderauerunt.* Eò namque collimarunt suo ieiunio, vt viderentur ab hominibus: visi sunt, ergo attigêre scopum; neque aliam conquirunt mercedem, vtpote auta populari pro libito ventilati.

Matth. 23

Remigius in Matth. 6.

Quare Deus nullum impertiat stipêdium virtuti hypocritarũ. *August. in Psal. 23.*

Rursus Deum nullum prorsus impertiri præmium hypocritis, res est in confesso ex ipsa notione hypocrisis, quæ summa iniquitas est, ac proinde nescia mercedis, & procul à præmio reportando. Accipe Augustinum. *Simulata aquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia iniquitas est simulatio.* Quid sit hypocrita, alibi explicat congruè ad institutum quod decurro, laruam illam ita definiens: *Quisquis appetit videri quod non est, hypocrita est: simulat enim iustum nec exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit.* Quanta sit huius mali labes, Hieronymus referat hoc contextu: *Si castum me simulo, & aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris; & in ea comparatione duorum malorum, leuius est malum apertè peccare, quàm simulare, & fingere sanctitatem.* Nec mercede sua tantùm cadit fictitia virtus hypocritæ; sed eam pœna manet expiatura scelus, quo se contaminat, fucos offundendo oculis hominum imprudentium. Audi capitis sententiam dictatam in iniquum hoc hominum genus. Iudicem agit Gregorius in hac causa. Sic ille tonat: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Duabus quippe viis ingreditur terram peccator, quando & Dei est quod opere exhibet, & mundi quod per cognitionem quærit.* Mitiùs agam ego cum hypocritis, si dixero eos esse insanos, venari gloriam opere ementito ingenuum virtutis habitum, cùm nihil omnino perennare queat fictitium. Cypriano vtor vt vade in mea sententia, quam ille hoc suo firmat eloquio. *Hæc est verè dementia, non cogitare, nec scire quòd mendacia non diu fallunt: noctem tandiu esse, quamdiu illucescat dies: clarificato autem die, & Sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare.*

Tract. de ser. Domini in monte.

Hieron. lib. 6. in Isaiam.

Greg. Moral.

Quare insani sint hypocritæ.

Quamdiu tacuit Christus non dignatus orbem suâ præfulgidâ disciplinâ, fuere multâ caligine offusâ opaca hominum pectora. Cæcutiente mundo fuit facilè Pharisæis populo imponere, & agere personam aliam ab ea quæ latebat. Abdita eorum hypocrisis fecerat eis grande nomen sanctitatis, annuente plebe, quæ vtplurimum pascitur cruda virtutum specie. Glíscenti errori hodie occurrit Christus, & opportunè irradians tersit tenebras illas, quibus obumbrati Iudæorum animi nigricabant. Peritus ille nomenclator singulas quasque res nuncupans nomine cõgruo, vocauit hypocritas, Scribas & Pharisæos, exosamque fecit turbis eorum sanctitatem, recludens eorum nequitiam, cuius pernicies tantò magis erat noxia, quantò erat abdita, & amicta pallio sanctitatis. Grassata sunt latrocinia inualescente illa nocte, Pharisæi furati sunt gloriam debitam Deo soli, suumque fecere laudum pignus Domino consecratum. Sed vbi Christus illuxit, doctrinâ suâ coruscante diluit has tenebras, & plebs antea cæcutiens, edocta cœpit discernere distantiam veri & falsi; ideoque fucos Pharisæorum pertæsa Christo adhæsit solida prædicanti.

Quare Pharisæorum virtus ante Christi in humanis ortum fuerit credita singularis.

SENSVS LITERALIS.

Vt sint bona opera sarta tecta, magnam attentionem, & hilarem animi contentionem postulant.

In hæc verba:

Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA.

EX RATIONE, ET LINGVIS.

EA rerum disparium compagine coalescit homo, vt ad spiritualia nequeat assurgere sine præuio sensuum obsequio. Vt ergo suos erudiret discipulos Christus, & virtutis integræ sinceros ritus ingereret, damnauit Pharisæorum hypocrisim, cui vt plus odij conciliaret, traduxit hypocritas ementito pietatis habitu, & facie deiectâ, conductâ eo intento tristitiâ, fucis etiam pharmacorum deforis aduocatis quibus illuderent

Deus abhorret à pœnitentia hypocritarum.

illuderent oculis demirantibus illa inania simulacra pietatis. Fictitiam hanc pœnitentiæ supellectilem ait Christus nullius esse momenti apud Deum, simulatam illam tristitiam hominum abhorrentem, cùm intrinsecus anima voluptate diffluat, tantùm oculorum Dei refuga, quantùm incautæ plebis oculos aucupatur. Cùm hypocritas nuncupauit, dixit, mendaces, infideles, personatos, histriones: nam hæc omnia, significat vox

Ex linguis.

hæc, hypocrita, expensa ad trutinam Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, & Græcorum, vt ostendi paragrapho primo, vbi vox, חנפא *chanepho*, qua

Syriaca.

vtitur hoc capite Syrus interpres, significat hypocritam, & hominem infidelem, siquidem ille infidelis est, qui insurgit in Dominum suum, iura eius sibi turpiter arrogando. Eam Deo Domino suo iniuriam facit hypocrita, nundinando gloriam suarum virtutum suffragio, cùm tamen bonorum omnium operum sit gloria tota Domino vendicanda. Quia tristior oris habitus in ieiunante sapit hypocrisim, & fucata illa tristitia prouocat oculos vulgi; hanc hodie Christus eliminat, suadendo lætitiæ singularis indicia, ipsomet etiam oris habitu præferenda, iuxta morem ea tempestate omnibus ferè populis vsurpatum, præ-

Ex antiquitate.

Hilarem datorem diligit Deus.

cipuè Hebræis, Græcis, & Romanis, qui diebus festis, aut aliis indictis ad lætandum speciali quodam oleo facies illinibant.

Eo ritu Dauid suas tersit angustias, animumque suum recreauit antea afflictum ob dubiam salutem infantuli, quo extincto se totum composuit ad arbitrium Dei, gestientis habitum induens,

2. Reg. 12.

quem describit hic contextus: *Surrexit ergò Dauid de terra, & lotus vnctusque est; cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit, & venit in domum suam, petiitque vt ponerent ei panem, & comedit.*

Variarum Gentium ritus, quibus suã lætitiam sunt testatæ.

Eiusdem etiam plagæ incola Iudith adorsura Holofernem & testatura quàm gestiret ad occursum eius, vnxit se & lauit, eoque se accinxit apparatu, quem meminit Codex sanctus.

Iudith 10.

Abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui. Iezabel etiam placitura

4. Reg. 9.

Iehu, *introitu eius audito depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.* Daniel item explicare volens quàm fuerit expers lætitiæ, ait se

Daniel. 10.

nullo vnguine suum corpus affecisse. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum.* Vicinia Hebræo-

Senec. lib. 4. natural. qu.

rum fortè morem illum Græcis affricuit, quibus adeò frequens fuit vnctio illa tripudiorum index, vt Lacædemonij gaudia intempestiua volentes arcere, omnes vnguentarios expulerint, vt auctor est Seneca. Roma tripudians, & in argu-

Plin. lib. 13. cap. 3.

Solin. c. 48.

mentum suæ lætitiæ vnguento delibuta, resipuit tandem à Iulio Cæsare præmonita, qui Censorem agens pœnis inhibuit nimium illum vnctionum ritum, vt testantur Plinius & Solinus. Fuisse & hunc vnguentorum vsum percelebrem apud Indos in publica lætitia liquet adhuc ex eorum instituto, cuius & hodie sunt tenaces, vt recensent nostrates, qui eos inuiserunt.

Quare Deus velit homines hilari vultu opera pœnitentiæ perficere.

Eò allusit Christus, quando inuehens in simulatam hypocritarum tristitiam, consuluit facies inungere, & lauare, vt habitu composito lætantium more non ostentent sua ieiunia, mercantes gloriam hominum facie tristiore. Eo loquendi tropo Dominus insinuat esse Deo hilariter seruiendum, suaque omnia vota componenda vt illi soli quisque placeat, & non hominibus. Breuius dicam. Tota illa metaphora petita à ritu hominum lætantium Christus hortatur suos discipulos, ne quid ieiunando faciant eo animo, vt oculos hominum captent; fore enim tunc eorum irrita ieiunia: sed omni industria enitendum esse conciliare Deum sua hac inedia, cuius satis locuples testis est Deus, hominum testimonia non requirens, vt gloriam eorum affricet operibus bonis, quasi in stipendium, & coronam. Dominus ille omniscius probè callens, quàm operosum sit edere aliqua specimina virtutis emeritæ absque aliquo sensu captandi hominum gratiam, speciale schema loquendi adhibuit, vsurpans vnctionum ritum, vt inde rescirent discipuli, quàm procul abeundum esset ab illo hypocritarum more, qui hominum laudes ementitâ tristitiâ mercabantur.

Quid moraliter sonet illa vnctio, quam Christus suasit ieiunantibus.

Nec citra mysterium Christus illam vocem vnctionis adhibuit; ea nempè est arcanorum ferax, si varia idiomata consulantur. Vox Græca prior occurrit. Σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλήν. *Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum.* Etsi verbum χρίω significet vngere, &

Ex linguis.

ab eo deducantur nomina Christi, & chrismatis; noluit tamen Scriba sacer dicere χρῖσαι, sed potius ἄλειψαι: nam verbum ἀλείφω non simplicem vnctionem sonat, sed illam præcipuè, quæ palæstritarum animos acuebat ad certamen. Vnde & ἀλείφω perinde est ac exerceo, acuo, incito, vt ille qui athletas vngebat in procinctu dicebatur ἀλειπτής, qua etiam voce Cicero vsus est, vocans aliptem ludi magistrum.

Cicero epist. ad Lentul.

Præuio hoc scrutinio petito à linguis, vide Christum ea phrasi voluisse monere suos, bonum opus requirere hominem cataphractum & vigilem, ne sua stipe cadat. Illa enim sententia,

Græca.

Vnge caput tuum, idem ferè sonat, ac, apta te in prælium, animum tuum acue, & excita ne succumbat hominum oculis impetitus. Ardua namque res est, hominem virtute insignem esse refugam gloriæ, & declinare testes & præcones factorum suorum illustrium.

Ardua res est pugnare cum gloria humana.

Strenuos sanè athletas postulat hæc palæstra, cui non tantùm sufficit vnctio; sed ratione periculi instantis est multiplex vnctio refricanda. Et hoc textus Hebræus insinuat vsurpans futurum tempus pro præsenti, חסוךאת ראשך *thasuceth roscheca*, vnges caput tuum. Vox, חסוך *taasuc*, est futuri temporis, à

Hebræa.

radice, סוך *suc*, id est, vnxit. Quamuis ergo quis se accinxerit ad pugnandum contra vanitatem, & se præuia vnctione aptarit; debet repetere illam cautionem in posterum, ne excidant bona opera donatiuo. Verbi gratiâ, Esto hodie te vnxeris ad certamen, cras adhuc te vnges, id est, acues ad prælium contra gloriam illam, quæ bonorum omnium merita suffuratur: atque ita singulas quasque moras instantes & futuras sua manet vnctio, qua sit anima vegetior vt repugnet.

Pulchra explicatio vnctionis quã suasit Christus.

Tota autem illa pugna consistit in rectitudine finis, penes quem est regula bonitatis, & nequitiæ. Rem bellè explicat Syrus interpres, ומשוח רישך *vamschuc rischoc*, id est mensura caput tuum: Nam Chaldæis & Syris radix משח *maschac*, quæ Hebræis idem est, ac vngere, significat mensurare, & vngere.

Chaldæa

In eo metiendi sensu vocem hanc accepit Targumista capite 35. Numerorum, & 8. capite libri secundi Regum. Et in Bertab. cap. 94. משיחא *meschicho*, significat funiculum,

Syriaca.

quo

quo res metienda dirigitur. Illa igitur vnctio, quam suadet Christus, est penes intentionem, qua omne specificatur opus, ideoque illam iudico incongruam sententiam, quæ nimium verborum tenax credit Christum suasisse discipulis suis reuera vngerentur diebus sacris inediæ, vt hoc festiuo oris habitu fallerent oculos, dum ieiunos homines crederent epulis indulsisse. Haudquaquam sanè ad vnctionem materialem aspexit Christus, alioquin ampliorem campum aperuisset hypocritis, sua ieiunia ventilandi, dum doceret virtutum praxim gaudere latibulis. Quippe si facies olei aspergine cultior deberet esse præuia ieiunio, hypocritæ æmulantes gloriam, quæ ieiunis affulget, olei vnctione tersiores cæteris apparerent, ac dum fingerent se opiparè pastos, ea fictione suum proderent ieiunium, cui multum deperit si deforis innotescit. Itaque sistendum est in metaphora, vtpote familiari Christo, qui vt superius tristitiam illam hypocritarum vocauit exterminium faciei; ita & remedium illius dispendij nuncupat vnctionem.

Intentio est mensura actionum.

Metaphora fuit figura familiaris Christo.

Quare autem Christus insinuet litandum esse duntaxat gloriæ Patris absconditi, quo largitore stipendia congrua virtutum merita consequuntur; idcirco hoc suggerit, vt Theologales omnes virtutes nostra stipent ieiunia: qui nempe recolit Deum absconditum rimari penitiora quæque cordium, ille fidei actum elicit intuendo Deum inuium corporis oculis. Præterea, qui gloriam hominum conspuit, vt iniuriam Deo, cuius tantùm desiderio capitur, profectò ille charitatis actum prolicit, cumque intensum. Demum nullo intuitu humani præmij, ad ardua assurgere, sua omnia vota eucliendo in cælum, illud est sperare in Deo, dato libello repudij aliis omnibus stipendiis, quæ æterna præmia remorantur. Græcus interpres inducit Christum promittentem fore publica donatiua. Vbi enim versio nostra sic effert: *Pater tuus qui est in abscondito reddet tibi.* In Græco contextu aliquid adiectum est hoc tenore: ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ, id est, *Pater tuus, qui est videns in abscondito, retribuet tibi in manifesto.*

Quare Christus voluerit nos soli Deo placere.

GRÆCA.

Demirare amabo institutum Dei, omnino procul à consiliis hominum. Hi vt velificentur honori, prodeunt foras anhelantes ad hominum plausum: Deus verò secus hortatur ad latebras, quas tandem excipient munera concessa cælo ipso toto applaudente; vt contra hypocritæ nescij gloriæ immarcessibilis, æterni despicatus pœnam incurrent, serò pertæsi sua deliria. Esse autem hanc doctrinam magni momenti subindicauit Christus eo præludio, quo auspicatus est caput istud. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vox illa, *Attendite*, impigros & vigiles animos prouocat ad arduam aliquam disciplinam discolorem plane ei, quam Scribæ & Pharisæi callido opere ventilabant.

Fuga gloriæ inanis verâ gloriâ compensatur à Deo.

Matth. 6.

SENSVS LITERALIS.

Vt virtus sit omnibus suis numeris absoluta, impigros animos petit, & intentionem sinceram.

In hæc verba:

Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex SS. PATRIBVS.

AVdiendi Patres euntes in meam sententiam. Dixi primò, vocem ἀλεῖψαι, quæ vnctionem significat, aliud item portendere; nam idem est ac excitare & acuere ad certamen. Esse autem præualidam pugnam hominis cum gloria, quia hæc depascit flores meritorum, & ab ea cauendum esse iuxta sensum literalem versiculi, quem expendo, disce ex Chrysostomo insinuante Christum hic præcipuè nostras excitasse curas, ne defluerent in inane ludibrium, si attenderemus ad hominum gloriam importunam. Sic ille. *Cautius hoc cauendum mandat, dicens: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: Cor autem nostrum attendere debemus; inuisibilis enim est serpens, quem obseruare iubemur, & latenter ingreditur, & seducit, sed in corde mundo si surreptio inimici successerit, mox homo iustus discernit, quia spiritu alieno pulsatur.* Illam vnctionem suaderi vt præambulum pugnæ, suggerit Augustinus commemorans quantum facessat negotium rixa hæc assidua hominis probi dedignantis gloriam irrepentem. *Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit nisi qui bellum ei indixerit: quia etsi cuiquam facile est laudem non cupere dum negatur; difficile tamen est ea non delectari cùm offertur.* Proxima sectione non inficiatus sum posse legitimè accipi gloriam cùm debetur; sed quia res hæc sua discrimina patitur, redij ad intentum Christi, cui toto pectore adhæreo, ingenuè confitens, satius esse ad tutamen abscondi bona opera, quàm ea submittere gloriæ humanæ, optima quæque merita delibanti. Fauet Gregorius: *Valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere, quam infirmi, quia perfectè contemnendo non superant, necesse est vt bonum quod operantur abscondant.*

Ex SS. PATRIBVS. Acerrimum est prælium animarum cum inani gloria.

Chrysostom. hom. 19. operis imperf.

Prosper. lib. 3. sentent. S. Augustin. serm. 317. Perfectorum est non moueri gloria humana.

Greg. lib. 18. Moral. c. 3.

Præterea adieci, vocem Syriacam idem sonare, ac vngere & mensurare, vnde affirmaui, intentum Christi fuisse, vt dirigeret intentiones nostras ad gloriam Dei, eas distrahendo ab inani aura, quæ decerpit omnes bonorum operum fructus. Accipe Augustinum eò collimantem. *In hoc quod dicit: Vt videamini ab eis, nihil addens, apparet hoc eum prohibuisse, vt ibi finem nostri propositi collocemus. Nam & Apostolus qui dicit: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, alio loco dicit: Ego hominibus per omnia placeo. Quod non ideo facit*

Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte.

Perniciosa res est velle placere hominibus.

facit vt placeret hominibus, sed Deo, ad cuius amorem corda hominum volebat conuertere, ex eo quod eis placebat. Sicut enim non absurdè loqueretur qui diceret: In hoc opere quo nauem quæro, non nauem quæro, sed patriam. Nullius autem esse momenti labores editos in gratiam oculorum hominum, bellè adstruit Chrysostomus, hoc discursu: *Quid à Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo recipietur: quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quæ est autem sapientia, res dare, & verba vacua comparare, & mercedem Dei contemnere? Vel illum aspice, à quo laudem expectas, qui te propter Deum facere putat, alioquin vituperare te magis. Ille autem, qui plena voluntate propter homines facit, ille propter homines fecisse videtur. Si autem per alicuius cor cogitatio vana ascendit, desiderans hominibus apparere, anima autem intelligens contradicit, ille non propter homines fecisse videtur, quia quod cogitauit passio carnis est, quod elegit iudicium animæ.*

Chrysost. hom. 13. oper. imperf. Quare sua mercede cadant illi, qui ideo virtutes colūt vt placeant oculis spectatorum.

Itaque si res adeò delicata sit, inoffenso pede decurrere salebras, quibus gloriæ humanæ calles obrupti sunt; prudenter admonuit Christus esse attendendum, quo intuitu enitatur homo fœtus bonis operibus, ne reflante gloriæ inanis æstu anima protinus abortiat. Vnum est quod desiderare queas ex sensu literali petito à linguis, quæ velut agmine facto lacessunt hypocritas, scilicet an quis sanctiorum Patrum tantam crediderit esse perniciem hypocrisis, quantam ego lineaui, ex nomenclatura Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, & Græcorum. Non decto votis reuera legitimis, vt hinc etiam ingeram odium plusquam Vatinianum ad hypocritas abigendos. Si idcirco in nominibus tuis sum, lector cupide alicuius sententiæ congruæ huic argumento, Chrysologus diluet hoc æs alienum, sic mihi suffragatus: *Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Aduersa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palàm: vnde cauentur tam facile, quam videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam misericordia prosternit. Hypocrisis cognata febris, frigido poculo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus: hoc est, hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. Exterminant enim facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes. Hypocrisis dum cupit captiuare oculos, oculis fit ipsa captiua: Exterminant enim facies suas. Et si facies exterminatur, ornamentum corporis quod manebit? Hypocrita, sit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus inuenisti laudem, & apud Deum fructum ieiunij perdidisti. Hypocrita, elaborasti ieiuniis, vt labor tibi ieiunij non prodesset. Hypocrita abstinentia fructus intrasti, continentia conscendisti vndas, enatasti ieiunij pelagus, & in ipso portu ieiunij naufragasti: quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Hinc est quòd Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti misera fraudis vsuram. Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cauenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vicit; qui incurrerit, cadit.*

Chrysol. ser. 7. Grauis inuectiua in hypocrisim.

Elegans descriptio malorū, in quæ incurrit hypocrisis.

Fusior illa declamatio mihi occinit, imò iniquiorem facit hypocritarum sortem cùm tot maledictis incessit hypocrisim, matrem tot & tantorum discriminum. Sed quia parum est denotasse virus abditum, nisi è regione remedia prostarent ad leuamen; præfatus ille Chrysologus, ad castigandum hoc venenum, pharmaco vtitur indicto à Christo suadente latibulum cupidis auræ popularis. Eodem igitur quo pede cœpit pergit ille. *Fugiamus hypocrisim, sit nostrum de simplicitate ieiunium, de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de sinceritate sincerum, sit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notum. Thesaurum qui non abscondit, prodit, virtutes prodita non manebunt. Virtutes sicut proditores suos deserunt; sic suos instant custodire custodes. Ergo ieiunium, quod contra vitia virtus prima est nobis, in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt. Hoc Christus, vt Christianus habere possit, hortatur cùm dicit: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem laua, ne videaris ab hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Ibidem. Diserta oratione monet hic Chrysologus fugiendam hypocrisim.

Hoc Christi consilium dixi esse intelligendum spiritali modo, contra eos qui credidere, Christum voluisse suos discipulos dies impastos facere festiuos vnctionis aspergine, ritu inolito plagis illis, quas tunc decurrebat ille prouidus animarum rector. Et mihi in hoc assentitur eloquens ille Antistes, ita commentatus. *Cùm dicit: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua; non vt coma capitis illecebroso redundet vnguento serius magister iniungit, neque faciem nitere solito vult lauacro; sed habitu prandentis vult celari ieiunium à Christiano, quia Christianum vendicare non vult artifici mœrore ieiunium. Vnge caput tuum. Non voluptuosos indulget aspectus, sed vultus qui simulantur excludit. Facies mœrore deiecta innuit famem, non ieiunium voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non vult, ieiunus quare? Meritò talis pœna viuit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum.* Hactenus ille, quem assequi in carpenda hypocrisi, & medendo malis quæ parturit, res est ardui negotij. Non cunctabor tamen præfatis luculenter ab eo Sancto adiicere hypocritas habituros intentum suum, si noluerint esse sectatores hypocrisis: nam suam omnem operam conferunt, vt appareant hominibus, erecturi fortè mausolæa in concamerata fornicibus hominum mente. Sed heu quid homine fragilius, & quot casibus decurtatur æuum istud, quo properante fugacem gloriam pessimè nundinamur? Magnam hominum frequentiam conquirunt hypocritæ, vt se in conspectum dantes demerere queant eorum suffragia. Non ego carpo cupidinem gloriæ, modò ea sit immortalis. Non damno magna comitia, quorum suffragio virtus approbata crescit. Sed si hypocrita cautè latet, in Beatorum omnium celebri consessu apparebit diademate redimitus; siquidem Deus ἀποδώσει ἐν τῷ φανερῷ.

Non est accipiēda literaliter illa faciei vnctio, quam meminit Christus.

Egregiè hic consulitur hypocritis.

Gloria humana fugax.

SENSVS

Noluit ille frui Philemone nisi in Domino; namque Deum ille sui amoris scopum præcipuum vt afflatus eius numine præfigebat. Vide locum istum ab Augustino scitè sicut congruit illustratum. p.85.c.1. & 2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* p.220.c.2

Hæretici soliti delirare, locum hunc deprauant. Vide quibus argumentis eorum sensus deuius explodatur. p.220.c.1. & 2

Cap.13. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* p.256.c.1

Dixit varias has doctrinas, quæ non sunt concolores oraculis Apostolicis. Peregrinas etiam nuncupauit eas doctrinas, quas fideles Ecclesiæ Sanctæ seu Ierusalem nouæ ciues nusquam Numine dictante suis auribus exceperunt.

Vide plura. p.256.c.1. & 2

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum, peccatum vero cùm consummatum fuerit generat mortem.* p.364.c.1

Quatuor isto loco dicit Apostolus, scilicet concupiscentiam, tresque motus eius, qui sunt suggestio, delectatio, & consensus. Suggestio præludens abstrahit, & allicit animam. In præludio illo labis expers est anima. Si verò suggestio titillans, aliquam voluptatem sensibus illinit animâ inuitâ, næuum non contraxit homo, quia delectationi anima reluctatur. Sed si anima titillata suum consensum vltro præbet, peccatum lethale suum animæ deceptæ virus aspergit, & illa perit intortotto quasi virulento spiculo sauciata.

Cap. 5. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* p.745.c.1

Adultorum nemo sine ærumnis æquo animo exceptis ad beatitudinem euectus est, nullus enim in cœlo comes est Christi, nisi in terra crucem antea baiularit.

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap.2. *Si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis.* p.352.c.1

Quò grauiores è cœlo cruces incumbunt, eò maius gloriæ æternæ pondus eos manet, qui aduersa læto animo patiuntur. Vnde quia cœlo nati sumus, Deus nos ad acerba vocat; quippe via cœli sata duris angustiis, sensibus ingratis, sentibus inhorrescit.

Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. p.459.c.2

Innoxia vita facit elingues eos, qui indixere sibi negotium illud, vt scilicet in sanctiores quosque viros calumniis eo intento cusis nequiter inuehantur.

Cap.4. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit.* p.137.c.2

Ille quasi peregrinus abit è cœlo procul, qui in feruore bona opera perpetrata sibi arrogat deceptus sibilo tentatoris.

EX EPISTOLA I. IOANNIS.

Cap.1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat peccata nostra.* p.242.c.1

Hæc verba notant, Christum promisisse reis veniam, si congruo sacerdoti crimina fateantur.

Cap.2. *Qui seruat verbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est.* p.477.c.2

Non possunt absque Dei gratia homines obseruare Dei mandata; si ergo morem gerit homo latæ legi desuper, ne quære sacri eius amoris erga Deum aliud fortius argumentum.

Cap. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* p.186. col.1

Iustitiam imputatiuè nobis inesse solùm, Caluinus ait; sed ex Ioanne manens in anima iusta semen Dei, significat gratiam esse nobis insitam instar habitus inhærentis.

EX EPISTOLA II. IOANNIS.

Cap. 1. *Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* p.215.c.2

Homo, Dei gratiâ expunctâ graui à peccato, cadit merito bonorum operum, quæ antea perpetrauit.

EX APOCALYPSI.

Cap.3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* p.79.c.2

Sola charitate diues homo potest fieri: namque licèt ei opes affluant; sine charitate nudus eget eo, quod conducit ad salutem animæ comparandam.

Cap.18. *Quantùm glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* p.20. c.1

Profectò nihil impune reis erit in alio sæculo; namque malum omne pœnis plectetur; appensis ad trutinam insitæ grauitatis. Superbit homo, nolens obedire Deo; ille typhus habet congrua tormenta suæ nequitiæ. Voluptas verò comes cuiusque mali operis, luctu & mœrore iugi damnatæ animæ compensatur.

Vide plura ad hoc pertinentia. p.20.c.1

DOMINICA

FERIA QVARTA CINERVM.

EVANGELIVM

Sectum in tot numeros, quot sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. CVM ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

II. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

III. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

IV. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros, in cælo; vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

V. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

LITERALIS EXPOSITIO cuius Paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. I. *QVIA iusti procul sunt ab omni fœtida vitiorum colluuie, dæmon eorum virtutibus affricat virus inanis gloriæ, vt eius aspergine virtus illico contabescat. Christus hodie occurrit huic astutæ dæmonum indoli, præmonendo suos sequaces, ne contagio Scribarum & Pharisæorum anhelent ad gloriam popularem.*

§. II. *Quippe vanitatis aura virtutibus afflans, demetit omnes præcipuos bonorum operum flores, falce mercedis incongrua, atque adeò contemnenda.*

§. III. *Ne quid ergo irrepat hiulcum & reprobum in bona opera nostra, est sedulò defæcanda intentio nostra, & concilianda Dei gratia, animo hilari & spirante delicias innoxias, quibus dignatur Deus animas sibi iugiter obsequentes.*

§. IV. *Qui secus faxit, & litat gloriæ inani, aut aliud quidpiam expectat ab hominibus; ille thesaurizat sibi thesaurum in terra. Quicquid enim homo deperit, vt vltimum finem suum, hoc illi thesaurus est, reuera caducus, si res amata sit infra Deum, cui anteponere vilia crepundia, illud est turpiter insanire.*

§. V. *Itaque cautè inuigilare sibi quisque debet, ne affectus citra dilectum spatientur. Nempe homo alicui rei affectum suum deuouens, ita illi obstringitur, vt impos sit ad alterius rei obsequium: nam amor intensus omnia secum vota rapit, & copiam omnem negat animæ, alia audendi, quàm quæ dictat amor, cui se totum homo ex animo mancipauit.*

SENSVS LITERALIS.

Fugienda est virtutum praxi singularitatis affectatio, vt perniciosa soboles hypocrisis, quam ne Scribæ affricarent Apostolis, Christus cauit.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

§. I.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Lingvis.

NEmo sanè adeò impietatis amans extitit, vt omnem pietatis sensum abegerit. Ille nimirum genius est pietatis, etiam adumbratæ cute tenus, vt obuiorum sibi hominum animos conciliet. Scribas, & Pharisæos, Iudæorum proceres non latuit hoc effatum: quotidiana nempe praxi experti sunt, hypocritas, virtutis inania simulacra, sibi demerere hominum cultum singularem, quem vt sibi perpetuum vendicarent, aliqua virtutis abditæ argumenta omnibus explicabant, orantes in plateis, stipem erogantes palàm, & ementitâ tristitiâ simulâtes inediam. Ne enascentis Ecclesiæ germina adhuc tenella aspergeret ille adulterinus Iudæorum ritus, opportunè hodie cauit Christus, hanc Iudæorum carpens indolem infidelem, dum illam esse hypocrisim clamat. Quippe hoc scommate pungit acriter spuriam hanc virtutem, quam profitebatur Scribarum & Pharisæorum impia colluuies, emẽtita pietate spectabilis plebi, plerumque nesciæ quale abditum virus operiant intima præcordia hominum, qui tunc pessimi sunt quando optimorum gratis personam induunt. Induere enim alienam personam, indoles est hypocritarum, vt eorum ingloria nomenclatura sonat: siquidem Græcis ὑποκριτὴς perinde est ac histrio; vnde Aristoteles 3. politicorum ita fatur; ὑποκρίνειν χαίρω. Est autem sors iniqua histrionum, & damnata, vt placeat oculis spectatorum, mutato habitu, & plerumque fuco inducto, facie deturpata, vt sic imponant adstantibus, dum adstantibus ingerunt speciem aliam prorsus ab ea, quam reuera versant.

Christus maximè ab hypocritis abhorruit.

Quid sit hypocrisis.

Ex lingvis. Græca.

Eò collimat vox Hebræa חנף *chaneph*, quæ hypocritam & simulatorem significat, iuxta verbum primitiuum חנף *chaneph*, quod est coniugationis Kal secundæ formæ Hebræorum, vt זקן *zaken*, senuit. Nec præfata Hebræa dictio simulare tantùm significat, sed & polluere, & maculare, vt ab Hieronymo accipitur Ieremiæ tertio capite. Hebræis consonant Chaldæi, vtpote adsciti in communionem eiusdem linguæ, paucis literis interiectis, vt videre est in recensita radice Hebræa, à qua fluit dictio Chaldaïca חנפא *chanepha*, quæ & hypocritam significat, & hominem personatum, in quo sensu accepit Targumista apud Isaiam cap. 10. Vt lingua Syriaca propius accedit ad Chaldæam, quàm ad Hebræam, Syri eodem nomine חנפא *chanepha*, notant hypocritam, & hominem infidelem. Ita vsurpauit illud vocabulum Syrus interpres versans epistolam primam ad Corinthios cap. 10. Cùm ergo Christus erudiret suos discipulos, noluit eos virtuti operam dare vt conciliarent sibi hominum gratiam, cui duntaxat student hypocritæ theatrale ingenium æmulati, iuxta censuram Augustini. Sic ille: *Noli sic velle innotescere, vt hypocritæ. Manifestum est autem, hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragœdia, verbi gratia, siue alicuius alterius ad historiam vel fabulam pertinentis, verè ipse est, sed simulat eum & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim iustum, & non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos, quibus videntur boni, ab eisque laudantur.* Hoc contextu vides eum esse animum hypocritæ, vt fingat habitum iusti, à quo tamen peregrino ritu suo, toto cœlo dissitus est.

Hebræa.

Chaldæa

Syriaca.

Ex SS. Patribvs. Aug. l. 2. de ser. Dom. in monte c. 2. Tom. 4.

Pulchra descriptio hypocritæ.

Huic descriptioni editæ ab Augustino concors est deriuatio Græca nominis hypocritæ ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνειν, id est, simulare, quod proprium est histrionum, quibus hoc vnum est in voto tàtùm, vt illudant oculis, & inde aucupentur aliquam gloriolam apud vulgus imperitum. Eo nomine Chrysostomus perstringit hypocritas, ita commentatus: *Tandiu hypocrita clarus apparet, quandiu assistit spectantium multitudo, imò nec tunc quidem coram omnibus clarus est. Norunt enim videntium plurimi, quis cùm sit, quem esse se simulet. Veruntamen theatro illo subitò dissoluto, qualis sit manifestissimè omnibus reuelatur. Hoc igitur gloriæ cupidos pati prorsus necesse est. Nam & hic plerisque liquet quòd non hoc sint quod videntur, sed tantummodo sub hac studeant latere persona.* Totum hypocritæ negotium esse theatrale, insinuat dialectus illa Græca Euangelij, quod terimus, vbi Christi hoc edictum, *Nolite facere coram hominibus, vt videamini ab eis*, sic effertur: Μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς: vox θεαθῆναι, alludit ad theatrum, verbumque θεάομαι non simpliciter significat video, vt βλέπω, sed obseruo, seu attentè considero, vt in more positum est eis, quos delectant inania theatrorum ludibria.

Chrysost. hom. 21. in Matt.

Ex lingvis. Matth. 6.

Græca.

Quomodo autem hypocritæ alienos oculos sollicitent, collige ex histrionum industria. Hi mutuatitio habitu accincti, aspectum hominum pelliciunt; ita & hypocritæ more simiarum se componunt ad aliorum speciem ementitam. Verbi gratiâ longior inedia decolorem vultum facit, & quamdam inducit mœroris asperginem, quia inuita & querula caro luget subtrahi sibi insolitum pastum, quo facies antea subliuida rubet, saginam nacta, qua genæ tument, & homo hilarior efficitur. Hunc ieiunantis animæ typum adumbrare volens hypocrita, tristitiam simulat, & mœrente vultu prodit, vt explicat dictio σκυθρωποὶ, quæ homines austeros significat, vt σκυθρωπασμὸς tetricam seueritatem sonat. Vt compotes voti fiant hypocritæ, *exterminant facies suas.* Non placet Hieronymo vox illa exterminium clamans, mauult ille ἀφανίζουσι explicare alio consimili verbo, scilicet demoliri. Sic ille: *Verbum, exterminant, quod*

Quid sit exterminare faciem suam.

Ex SS. Patribvs. Hieronym. in Matth. 6.

quod in Ecclesiasticis Scripturis vitio interpretum tristum est, aliud multo significat quàm vulgo intelligitur. Exterminantur quippe exules, qui mittuntur extra terminos: pro quo ergo sermone accipere debemus quod Gracè videtur ἀφανίζει. Demolitur autem hypocrita faciem suam, vt tristitiam simulet, & animo fortè lætante luctum gestat in vultu. Chrysostomus in eo verbo Græco subodoratur faciei corrumpendæ studium. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα ἑαυτῶν, τουτέστι, διαφθείρουσιν, ἀπολλύουσιν. *Exterminant facies suas, hoc est corrumpunt, atque disperdunt.*

SENSVS LITERALIS.

Virtus ementita præterit terminos sibi præstitutos, ideoque exterminium petit eorum qui ei litant.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex SS. Patribvs et Ratione.

PRisca Gentiliũ ætas plus nimio credula, arbitrata Deos esse iniquos, quibus hoc erat præcipuum negotium, vt nocerent, peculiaria illis sacra instituit ne nocerent. Vnde emersit hoc adagium: *Sacrificandum est Dijs Manibus ne noceant.* Huius generis esse hypocrisim credidisset illa Gentilis Theologia, si accepisset omne hypocrisis ingenium esse ad demoliendas & corrumpendas animas: nulla tamen hostia litasset antiquitas; nam nihil sartum tectumque potest superesse illic, vbi degit hypocrisis, cùm tota eius indoles attendatur ex demolitione & corruptione, sicut præfati sunt Hieronymus, & Chrysostomus, Ecclesiæ lumina micantia.

Esto horum Patrum sincera sententia sit; ei tamen præfero textum toti Ecclesiæ placitum, vtpote congruum etiam Græco contextui, præter singulare auctoritatis pondus, quod sibi vendicat illa vetus editio. Nam ἀφανίζω idem significat ac è conspectu aufero. At è conspectu alicuius auferre, illud est extra terminos ponere obiectum, quod subducitur oculis. Ergo cùm hypocrita alium prorsus vultum à genuino circumferat, & cum cute tenus tristitiam simulet, quam ieiuna caro præstat, sicque recondat insitum sibi vultum; profectò exterminat faciem suam, quia eam egerit extra fines, & terminos sibi à natura præstitutos, vt videatur etiam illo exteriore cultu præterire vernaculam aliorum hominum sanctimoniam, quemadmodum suggerit glossa interserens istas voces: *Vt dissimiles aliis videantur, & ipsa vilitate vltra homines prædicentur.* Itaque qui vltra quàm par est progredi satagit, ille egreditur terminos, quibus vt cancellis cuiusque rei status legitimus ritè concluditur. Mihi adhuc liquidiùs adstipulatur glossa, sic expendens versum illum quem decurro. *Exterminant, id est, extra terminos humanæ conditionis obducunt. Sicut de nitore vestium iactantia est, sic de nimio squalore, & macie.*

In quo sit situm faciei exterminiũ, cui student hypocritæ.

Glossa interlinear. in Matth. 6.

Ibidem.

Lyranus arbitratur, hypocritas Pharisæos conquisito extrinsecus fuco fuisse solitos maculare vultum, cui vegetus subinde deperibat color. Præierat ei Chrysostomus, qui ex hypocritarum fucis argumentum sumpsit declamandi in mulieres, quæ ad formæ incrementa illinunt faciem. Suffumigationes quædam obstetricantur intento horum hominum insidorum, quos pharmacorum suffitus excepti facie inclinata obnubilant, & pro voto macilentos efficiunt, tametsi distento abdomine gulæ indulgeant. Congruo sanè fumi obsequio vtuntur hypocritæ, quibus de fumo totum constat: quid namque nisi fumum nundinantur, quando captant auram popularem? Cùm ergo iniquum sit hoc hominum genus, assumens virtutis insignia in perniciem suam; cautè Christus suos symmystas præmonuit, quanta hæc mali labes esset, ne discipuli incauti in hæc discrimina incurrerent. Quare autem Christus non dixerit esse fugiendam iactantiam, quæ ieiunos homines vtplurimum insequitur, vtpote ventilantes, quot decurrant dies impastos in sabbato? Cur autem non aliquo censuræ aculeo punxerit auaritiam, quæ crebris ieiuniis vt compendiosa via litat auro, cui aliquid adiicitur ex parciore victu? Demum quare tenellos adhuc Ecclesiæ fœtus, non seriò hortatus est, vt cauerent ab iniquis iudiciis, quibus ieiunantes alios subiiciunt homines, quia non sectantur hunc sobrium vitæ ritum, vt suggerit Paulus: *Qui non manducat, manducantem non iudicet;* Neminem sanè vidi, qui hunc nodum soluat, cùm præfata vitia præ hypocrisi magis affinia sint illis, quos crebra ieiunia exercent.

Lyran. in Matth. 6. Chrysost. in hom. 21. in Matth.

Hypocritæ olim vsi fumo.

Rom. 14.

In re ancipiti atque hactenus indiscussa accipe meam sententiam, & equidem facientem palam intentum Christi abditum cortice recensito. Omniscius hic præceptor in vitia aperta odium plusquam Vatinianum suis discipulis infuderat, & capite quod expendo seriem orationis Dominicæ dilucidè explicarat, & in genere damnarat quidquid hypocrisim sapit ita fatus: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Tamen denuo carpit hoc vitium, primò quia tatus ille est, qui non se meliorem titulo tenus prodat, quàm sit in pixide: nemo namque adeò hominem exuit: vt planè incurius sit aliis arridere, si credere fas est Augustino, ita suadenti: *Hypocrisis maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum est. Nam quicunque vult videri quod non est, hypocrita est.* Cùm itaque subtile virus hypocrisis omnem cautioris animæ sensum anteuertat, operæpretium fuit rursus configere crimen compositum in similitudinem virtutis emeritæ. Sed præcipua ratio hypocrisis obiurgatæ acriter à Christo hæc est. Discipuli amantissimi huius Domini, iugi aspectu eius recreati, ingentes ad virtutẽ animos conceperant, atque ita faciles erant ad obuias quasque virtutum species ebibendas. Ne ergo hallucinarẽtur in delectu, hypocrisim suis linearã pigmentis explicat, & æternâ damnatione ferit, vt exosos faciat suis discipulis Scribas & Pharisæos, quos citra ambages vocauit hypocritas in magna hominũ frequentia, ne quem lateret astuta indoles hominum impiorum. Hoc tenore rem enarrat Lucas: *multis autẽ turbis circumstãtibus, ita vt se inuicẽ cõculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attẽdite à fermẽto Pharisæorũ, quod est hypocrisis.* Ne quotidiana igitur frequẽtatione offenderẽtur discipuli hac Pharisæorũ

Quare Christus præcipuè declamauerit in hypocritas.

Matth. 6.

Aug. serm. 59. de tempore.

Luc. 12.

tabe, eos Christus erudiit sanctitatem cùm se prodit esse eo solo censuræ obnoxiam, quia exurgens in tumorem abit, qui nimio gloriolæ flatu distentus rumpitur.

Viris etiam sanctis suum virus affricat hypocrisis.

Repetita crebrò animaduersione castigandus fuit ille titus, exponendi omnibus suarum virtutum praxim, ne discipuli Christi in has cautes impingerent; maximè obseruantes eo astu Pharisæos facere sibi nomen præcipuum apud imperitum vulgus. Ideoque præmuniendi fuere fideles in cunabulis Ecclesiæ, hac prouida cautione, ne feruidus eorum ad virtutem appetitus inanibus pasceretur, idque summo hallucinantis animæ dispendio. Et esto alia vitia insidias nectant ieiunio; maiori tamen solertia occurrendum fuit hypocrisi: quia inde ruina instabat, & vitium hoc validos habebat professores, videlicet Scribas & Pharisæos, penes quos pietatis summa fuit credita residere. Adiice, vitia quæ in aperto sunt non vrgere animas sollicitas de statu suo innoxio; ideoque satis fuisse Christo semel & iterum execrabilem superbiam, & sordidam notare auaritiam, cùm tamen sæpè sæpius traduxerit hypocritas, ob iniquè vsurpatum pietatis habitum, quo fascinant oculos hominum incantorum. Quam malorum iliadem secum vehat hypocrisis, proxima sectione rescies. Iam sat erit explicasse, Christum illo præludio de hypocritis consuluisse his omnibus, qui se accingunt ad edenda egregia specimina virtutum, ne Pharisæorum contagio profiterentur vmbram tantùm pietatis.

SENSVS LITERALIS.

Adeò tenuis est merces hypocritarum, vt Christus affirmatione praula aquum censuerit illam explicare.

In hæc verba:

Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

§. II.

CONIECTVRA PRIMA.

Ex Lingvis, et Ratione.

Christus erudiendo tyrones suos, multifariam pupugit hypocritas, eorum detestatus ingenium procul à Deo, qui verax est, ac proinde longè ab hypocritis, quorum esse, mendacium est, vtpote situm in simulatione tantùm, & inani simulacro rerum, quarum vmbram duntaxat offundunt oculis imperitis. Castigatâ hypocrisi, & & reprobata serie tota bonorum operum, quæ exantlant hypocritæ, censuram suam concludit hoc repudio virtutum, quas homines illi nequam impiè profitentur: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Nota, Christum Dominum non promiscuè vsurpasse vocem illam, *Amen dico vobis*, sed eam cautè adhibuisse prout operæpretium fuit. Namque vox Hebræa, אמן *Amen*, idem sonat ac verum, seu verè. Eam Christus adhibuit tantùm quando voluit conciliare dictis suis hominum fidem, vt proposita sua dogmata crederent incunctanter; siquidem dictio illa, *Amen*, deducitur à radice, אמן *aman*, id est credidit. Vnde quia fides est tantùm de veris; credere, & verum, iisdem radicalibus constant, nec dispescuntur nisi punctis.

Ex lingvis. Hebræa.

Obseruatio illa petita ab Hebræis, Syris, & Chaldæis, qui in ea voce communicant, nobis insinuat Christum ea dictione præuia voluisse insinuare aliquid superans hominum fidem, cùm suam ipsius fidem oppignerare solitus sit Christus illa præfatiuncula. Illud autem incredibile Iudæis auditoribus Christi fuit, Deum nihili facere ieiunia Pharisæorum, qui suam omnem inediam aptabant, vt homines prouocarent ad aspectum agonum, quos fortiter obibant. Vt hanc suam sententiam Christus adstrueret, præmisit vocem illam, *Amen*, vnde deducitur dictio hæc, אמנה *amenah*, quam Guido Fabricius in dictionario suo Syrochaldaïco ait esse notam condemnationis. Desiderassem ego à Guidone aliqua Chaldæorum & Syrorum exempla in re singulari, vt & apud Hebræos inueni, nescio etiam Sancte Pagnino, quem præteriit ista animaduersio; videlicet illam vocem אמנה *amenah*, præiuisse sententiæ capitis, vt videre est in Acham, qui malè sibi conscius seipsum sic damnauit, אמנה אנכי חטאתי *amena anochi chatati*, id est, Verè ego peccaui. Emphatica vox est illa, ac proinde incrementum adiicit singulis quibusque effatis, quibus apponitur. Vnde vt damnatio habetur rata & fixa, damnationis sententiæ præfixa est. Erudita hæc discussio vocis, *Amen*, scitè admodum explicat intentum Christi, eo maledicto perstringentis opera Pharisæorum, vt scilicet omni mercede diuina exciderent, quia hominum tantùm intuitu singula sua quæque opera perpetrarunt. Illud præpositum, *Amen*, non simpliciter significare idem quod verè, sed esse reprobationis notam subindicat Græcus interpres, illam vocem commemorans, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, licet in veteri testamento passim substituant vocem, γένοιτο fiat, Septuaginta interpretes.

Quid sonet dictio, *Amen*. Chaldæa Syriaca.

Quare Christus damnaturus hypocrisim Scribarum præmiserit has voces, *Amen dico vobis*.

Quare autem Christus affirmarit ieiunia illa recensita carere præmio apud Deum, & iam accepisse suam mercedem omnem, hoc est literalis instituti, ad quod pertinet iste paragraphus in hoc distitus à morali sensu, quòd sincerè aperiat intentum Christi, qui vt erat scrutator acutus cordium, penitiora quæque rimans, aduertit Pharisæos eo tantùm animo exterminasse faciem suam, eam demoliendo fucis illitis, aut obuelando, damnatorum instar, vt sic contritionem animi magis proderent, vt ita sisterent sibi aspectum hominum, quorum oculis sic litabát. Christus inquam, cui peruia sunt hominum corda, videns totam illam pœnitentiæ supellectilem esse instructam, vt demereret oculos hac specie inani delinitos, & hærentes hisce simulacris pœnitentię; hoc vt constans asseruit, videlicet eos accepisse mercedem suam. Græca non refundunt in præteritum hanc mercedem, sed in pręsens. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. *Amen dico vobis, quia recipiunt mercedem suam.* Præferenda est nostra versio præteritum referens, etsi Græca concolor sit intento Christi. Vtramque concilio, explicato hypocritarum scopo, qui ille vnus est, vt videantur ab hominibus, sicut ait Christus: *Exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Cùm ergo eo fine ieiunent vt videantur, singulariq; oris habitu prouocent oculos ad videndum sua præclarè facta; profectò ille hominũ aspectus est merces, cui omnes hypocritæ collaborant, ac proinde

Hypocrisis intentum est litare oculis hominum spectantium.

Græca.

Quænam sit merces intenta ab hypocritis.

proinde hypocritæ nacti spectatores dum sua iactant ieiunia, eadem morula temporis apparent hominibus ieiunantes & recipiunt mercedem suam: quia merces hypocritæ, & videri ab hominibus, res sunt synonymæ, ideo Græcus interpres benè ait ἀπέχουσι recipiunt in præsenti. Rursus verbum illud ἀπέχω, significat, recipio id quod me ex debito spectat: vim eius probè callens Græcus interpres, quem quidam arbitrantur esse ipsum Matthæum, verbum ἀπέχουσι adhibuit, vt notaret deberi hypocritis hos aspectus, quia eorum gratia tot agones obeunt. Quia ergo hypocritæ dum ieiunant se in conspectum hominum dant, eo intento vt videantur; reuera cùm ieiunant accipiunt mercedem suam ex tunc, eam vtique quam volebant, scilicet, videri. Ille autem hominum intuitus debetur hypocritis vt congrua merces. Primò quia magno emunt hanc oculorum gratiam, cui soli litant tot ærumnis vltro assumptis. Secundò omne obsequium aliqua mercede dignandum est. Sed ille omnis hypocritarum habitus in tristitiam compositus vsurpatur vt oculis hominum præstet singulare obiectum: concepto itaque voto nefas est excidere illum apparatum solis oculis explicatum, qui cùm hypocritas aspiciunt, eos tùnc dignantur mercede sua, referentes pensum ab eis impensè conquisitum. Idcirco ait Græcus interpres eos recepisse μισθὸν αὐτῶν, id est mercedem propriè suam.

Momentanea est merces hypocritarum.

Videri ab hominibus est tota merces, ad quam anhelant hypocritæ.

Quare autem canonica versio inducat Christum loquentem in præterito de hac mercede hoc tenore, *Receperunt mercedem suam*, ea id fecit industria, vt liquidiùs constaret nobis de intento Christi, qui damnare volens Pharisæorum mores aliquo virtutum fuco tinctos, dixit eos recepisse mercedem suam, quia adeò tenuis est & exilis, vt eo momento quo accepta est præterierit, iuxta naturam rerum caducarum, quæ nequeunt constare sibi. Rursus præteritum illud, *Receperunt*, sincerè explicat indolem mercedis huius, ita præteritæ, vt nullas eius omnino reliquias hypocritæ ostentare queant; quippe totum illud præmium fuit, videri ab hominibus: videri autem res est reposita inter inanes temporis exuuias, quæ vapescunt; ideoque ditiores hypocritæ nequeunt fieri accepta mercede, quæ loculos non distendit, & laborantes ingloria conficit egestate. Momentaneam hanc mercedem fuisse, vtpote sitam in momento Hebræa lingua opportunè suggerit, graphicè lineans hanc mercedem, קבלו שכרם כבר *ceua caueluschecaram*, id est, Nunc receperunt mercedem suam. Sed quare nunc? quia nunc est momentum temporis, cuius nullæ sunt partes. Et hoc momentum fuit merces hypocritæ, qui dum recipit Nunc, mercedem idoneam refert operi, quod prætereunti hominum aspectui pessimè consecrauit. Inde liquet, quàm conuenienter canònica Scriptura præteritum adhibeat, quo melius exprimitur ratio mercedis, quæ decet hypocritas, adeò paruo ære merentes, vt tota eorum merces obolo compensetur, dignaque sit præterito tempore quasi non sit ampliùs in præsenti.

HEBRÆA. Pulchra meditatio Hebræorum, de mercede hypocritarum.

Mihi suffragatur Syrus interpres, qui derelicta radicali Hebræa, שכר *schacar*, quæ etiam communis est Syris, alia voce expressit mercedem hypocritæ, vocans eam obolum, id est, minutum æs, דקבלו אגרהון *decabbelu agrehun*, id est, acceperunt obolum suum. Radix nempe אגר *agar* apud Syros idem est ac mercede conduxit, & אגורה *agorah*, auctore Guidone Fabricio, obolum significat. Hunc consule in eius dictionario Syro-Chaldaïco, in radice אגר *agar*. Cùm ergo obolo tantùm appendatur merces hypocritæ, exilitas eius appositè præterito tempore lineatur. Præterea Christus subindicare voluit flocci pendendam gloriolam illam, quæ consequitur applausum & oculos hominum; ditior namque non fit anima, censu qui obolo computatur, & cuius nihil planè relinquitur, quo leuare suam possit inopiam, ille quem hominum oculi conduxerunt. Vtque præterita, vt sic, non sunt; ita quicquid gloria hominum refundit in penu nostrum, pro nihilo est, quia fugax est, æmulata gyros temporis minimè consistentis.

SYRIACA. Elegans animaduersio Syrorum circa mercedē hypocritarū.

Recensione mercedis ingloriæ Christus industriè traducit hypocritas, eorum virtutes æstimans ex mercede, quæ vt in hominum intuitu reposita est, ita & virtus hypocritarum est inane ludibrium oculorum; siquidem abhorrentes à solida virtutum praxi, profitentur vmbram tantùm, quam ostentare queant non tenere. Ait enim Christus eos seriem omnem suarum actionum componere, non vt sinceræ virtuti obsequium præstent, sed *Vt appareant hominibus*, ὅπως φανῶσι. Optimè interpres Græcus ait φανῶσι, quia rutila quæque hypocritarum opera, sunt veluti φαινόμενα: Proclus ait φαινόμενα esse lumina illa nocturna, quæ corusco splendore illudunt oculis, dum extinguuntur ea ferè mora, qua visa sunt oculis illucere. Ita & hypocritarum virtutes omnes sunt φαινόμενα, vera oculorum ludibria; emicant quidem, quia apparent, sed nequeunt constare sibi, quia citò citiùs euanescunt. Aduerte obiter, hoc contextu Dominum non damnare opera quæ videntur ab hominibus, alioquin rara essent opera virtutis emeritæ; sed ea tantùm reprobare, quæ eo fine fiunt vt videantur ab hominibus, gloriolæ aucupandæ gratiâ, quæ demetit omnem virtutum fructum, si quis eam aucupetur.

Quænam sit virtus hypocritarum.

GRÆCA. *Proclus lib. de sphæra.*

SENSVS LITERALIS.

Vanitatis aura diuerberans animam, excutit præcipuos bonorum operum flores.

In hæc verba:

Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

CONIECTVRA SECVNDA.

EX SANCTIS PATRIBVS.

TVrcarum gens inhumana hoc habet in more positum, vt peculiares seruet gazas, nusquam reserandas, nisi quando bellum indicitur Christianis exosis ritus impios Mahometis. Habet & Ecclesia thesauros reconditos, quibus vtitur præcipuè in homines inducentes peregrinos ritus. Illæ opimæ gazæ sunt sententiæ Sanctorum Patrum, quos operæpretium duxi conducere, vt configant suis spiculis hypocritas.

Quando suos Turca aperiat thesauros.

Prior occurrit Chrysostomus ita fatus: *Sciebat Dominus gloriam vanam ex omni bono procedere: ideo spinam vanæ gloriæ, quæ nascitur in terra bona, iubet præcidere, ne suffocet ieiunij*

Ex SS. PATRIBVS. *Chrys hom. 15. in opere imperf.*

fructum. Non autem potest fieri, vt non sentiatur qui ieiunat; sed melius est, vt ieiunium te ostendat, quàm tu ieiunium. Non autem potest fieri, vt sit hilaris qui ieiunat. Ideo non dixit: Nolite esse tristes, sed: Nolite fieri tristes. Qui enim per imposturas aliquas fallentes apparent, illi non sunt tristes, sed fiunt. Qui autem naturaliter propter assiduum ieiunium tristis est, non fit tristis, sed verè est. Augustinus conuincit hypocritas seruire oculis hominum tantùm, quia virtutum omnium ille tenor, quem in propatulo iactant, non facit eos sanctiores, sed duntaxat eos constituit vilia oculorum mancipia, quibus totis nisibus obsequuntur. Sic ille eos pungit;

Quàm cautè sit vitanda vana gloria. *Aug. l. 2. de serm. Domini in monte c. 19.*

Maximè aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eò periculosiorem quò sub nomine seruitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestibus, vel cæterarum rerum nitore fulget, facilè conuincitur rebus ipsis pomparum sæculi esse sectator: nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autem in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se hominum oculos facit, cùm id voluntate faciat, non necessitate patiatur, cæteris eius operibus potest cognosci, vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat.

Quomodo dignoscatur indoles hypocritarum.

Cùm ergo vitæ Pharisæorum contextus omnis fuerit scaturigo quædam vitiorum, vt præostendit Christus carpens eorum superbiam, qua ambiebant primos discubitus in Synagogis, & suggillans illorum sordidam auaritiam in decimando mentam, anethum, & cyminum; profectò citra suspicionem iniqui iudicij, stips palam erogata egenis, editæ preces in angulis platearum, & austera ieiunia demolita facie comprobata clamant, hæc omnia fuisse symbola vanitatis, cuius præmium est videri, vt aduertit Remigius. *Fructus ieiunij hypocritarum manifestatur, cùm subinfertur: Vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem suam, id est, quam desiderauerunt.* Eò namque collimarunt suo ieiunio, vt viderentur ab hominibus: visi sunt, ergo attigêre scopum; neque aliam conquirunt mercedem, vtpote aura populari pro libito ventilati.

Matth. 23

Remigius in Matth. 6.

Quare Deus nullum impertiat stipēdium virtuti hypocritarū. *August. in Psal. 13.*

Rursus Deum nullum prorsus impertiri præmium hypocritis, res est in confesso ex ipsa notione hypocrisis, quæ summa iniquitas est, ac proinde nescia mercedis, & procul à præmio reportando. Accipe Augustinum. *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia iniquitas est simulatio.* Quid sit hypocrita, alibi explicat congruè ad institutum quod decurro, laruam illam ita definiens: *Quisquis appetit videri quod non est, hypocrita est: simulat enim iustum nec exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit.* Quanta sit huius mali labes, Hieronymus reserat hoc contextu: *Si castum me simulo, & aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris; & in ea comparatione duorum malorum, leuius est malum apertè peccare, quàm simulare, & fingere sanctitatem.* Nec mercede sua tantùm cadit fictitia virtus hypocritæ; sed eam pœna manet expiatura scelus, quo se contaminat, fucos offundendo oculis hominum imprudentium. Audi capitis sententiam dictatam in iniquum hoc hominum genus. Iudicem agit Gregorius in hac causa. Sic ille tonat: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Duabus quippe viis ingreditur terram peccator, quando & Dei est quod opere exhibet, & mundi quod per cogitationem quærit.* Mitiùs agam ego cum hypocritis, si dixero eos esse insanos, venari gloriam opere ementito ingenuum virtutis habitum, cùm nihil omnino perennare queat fictitium. Cypriano vtor vt vade in mea sententia, quam ille hoc suo firmat eloquio. *Hæc est verè dementia, non cogitare, nec scire quòd mendacia non diu fallunt: noctem tandiu esse, quamdiu illucescat dies: clarificato autem die, & Sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare.*

Tract. de ser. Domini in monte.

Hieron. lib. 6. in Isaiam.

Greg. Moral.

Quare insani sint hypocritæ.

Quamdiu tacuit Christus non dignatus orbem suâ præfulgidâ disciplinâ, fuere multâ caligine offusâ opaca hominum pectora. Cæcutiente mundo fuit facilè Pharisæis populo imponere, & agere personam aliam ab ea quæ latebat. Abdita eorum hypocrisis fecerat eis grande nomen sanctitatis, annuente plebe, quæ vtplurimum pascitur cruda virtutum specie. Gliscenti errori hodie occurrit Christus, & opportunè irradians tersit tenebras illas, quibus obumbrati Iudæorum animi nigricabant. Peritus ille nomenclator singulas quasque res nuncupans nomine cōgruo, vocauit hypocritas, Scribas & Pharisæos, exosamque fecit turbis eorum sanctitatem, recludens eorum nequitiam, cuius pernicies tantò magis erat noxia, quantò erat abdita, & amicta pallio sanctitatis. Grassata sunt latrocinia inualescente illa nocte, Pharisæi furati sunt gloriam debitam Deo soli, suumque fecere laudum pignus Domino consecratum. Sed vbi Christus illuxit, doctrinâ suâ coruscante diluit has tenebras, & plebs antea cæcutiens, edocta cœpit discernere distantiam veri & falsi; ideoque fucos Pharisæorum pertæsa Christo adhæsit solida prædicanti.

Quare Pharisæorum virtus ante Christi in humanis ortum fuerit credita singularis.

SENSVS LITERALIS.

Vt sint bona opera sarta tecta, magnam attentionem, & hilarem animi contentionem postulant.

In hæc verba:

Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA.

Ex ratione, et lingvis.

EA rerum disparium compagine coalescit homo, vt ad spiritualia nequeat assurgere sine præuio sensuum obsequio. Vt ergo suos erudiret discipulos Christus, & virtutis integræ sinceros ritus ingereret, damnauit Pharisæorum hypocrisim, cui vt plus odij conciliaret, traduxit hypocritas ementito pietatis habitu, & facie deiectâ, conductâ eo intento tristitiâ, fucis etiam pharmacorum deforis aduocatis quibus

Deus abhorret à pœnitentia hypocritarum.

illuderent

illuderent oculis demirantibus illa inania simulacra pietatis. Fictitiam hanc pœnitentiæ supellectilem ait Christus nullius esse momenti apud Deum, simulatam illam tristitiam hominum abhorrentem, cùm intrinsecus anima voluptate diffluat, tantùm oculorum Dei refuga, quantùm incautæ plebis oculos aucupatur. Cùm hypocritas nuncupauit, dixit, mendaces, infideles, personatos, histriones: nam hæc omnia, significat vox hæc, hypocrita, expensa ad trutinam Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, & Græcorum, vt ostendi paragrapho primo, vbi vox, חנפא *chanepho*, qua vtitur hoc capite Syrus interpres, significat hypocritam, & hominem infidelem, siquidem ille infidelis est, qui insurgit in Dominum suum, iura eius sibi turpiter arrogando. Eam Deo Domino suo iniuriam facit hypocrita, nundinando gloriam suarum virtutum suffragio, cùm tamen bonorum omnium operum sit gloria tota Domino vendicanda. Quia tristior oris habitus in ieiunante sapit hypocrisim, & fucata illa tristitia prouocat oculos vulgi; hanc hodie Christus eliminat, suadendo lætitiæ singularis indicia, ipsomet etiam oris habitu præferenda, iuxta morem ea tempestate omnibus ferè populis vsurpatum, præcipuè Hebræis, Græcis, & Romanis, qui diebus festis, aut aliis indictis ad lætandum speciali quodam oleo facies illinibant.

Ex linguis.

Syriaca.

Ex antiquitate. Hilarem datorem diligit Deus.

Eo ritu Dauid suas tersit angustias, animumque suum recreauit antea afflictum ob dubiam salutem infantuli, quo extincto se totum composuit ad arbitrium Dei, gestientis habitum induens, quem describit hic contextus: *Surrexit ergò Dauid de terra, & lotus vnctusque est; cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit, & venit in domum suam, petiitque vt ponerent ei panem, & comedit.* Eiusdem etiam plagæ incola Iudith adorsura Holofernem & testatura quàm gestiret ad occursum eius, vnxit se & lauit, eoque se accinxit apparatu, quem meminit Codex sanctus. *Abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui.* Iezabel etiam placitura Iehu, *introitu eius audito depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.* Daniel item explicare volens quàm fuerit expers lætitiæ, ait se nullo vnguine suum corpus affecisse. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum.* Vicinia Hebræorum fortè morem illum Græcis affricuit, quibus adeò frequens fuit vnctio illa tripudiorum index, vt Lacædemonij gaudia intempestiua volentes arcere, omnes vnguentarios expulerint, vt auctor est Seneca. Roma tripudians, & in argumentum suæ lætitiæ vnguento delibuta, resipuit tandem à Iulio Cæsare præmonita, qui Censorem agens pœnis inhibuit nimium illum vnctionum ritum, vt testantur Plinius & Solinus. Fuisse & hunc vnguentorum vsum percelebrem apud Indos in publica lætitia liquet adhuc ex eorum instituto, cuius & hodie sunt tenaces, vt recensent nostrates, qui eos inuiserunt.

2. Reg. 12.

Variarum Gentium ritus, quibus suã lætitiam sunt testatæ.

Iudith 10.

4. Reg. 9.

Daniel. 10.

Senec. lib. 4. natural. qu.

Plin. lib. 13. cap. 3. Solin. c. 48.

Quare Deus velit homines hilari vultu opera pœnitentiæ perficere.

Eò allusit Christus, quando inuehens in simulatam hypocritarum tristitiam, consuluit facies inungere, & lauare, vt habitu composito lætantium more non ostentent sua ieiunia, mercantes gloriam hominum facie tristiore. Eo loquendi tropo Dominus insinuat esse Deo hilariter seruiendum, suaque omnia vota componenda vt illi soli quisque placeat, & non hominibus. Breuius dicam. Tota illâ metaphora petitâ à ritu hominum lætantium Christus hortatur suos discipulos, ne quid ieiunando faciant eo animo, vt oculos hominum captent; fore enim tunc eorum irrita ieiunia: sed omni industria enitendum esse conciliare Deum sua hac inedia, cuius satis locuples testis est Deus, hominum testimonia non requirens, vt gloriam eorum affricet operibus bonis, quasi in stipendium, & coronam. Dominus ille omniscius probè callens, quàm operosum sit edere aliqua specimina virtutis emeritæ absque aliquo sensu captandi hominum gratiam, speciale schema loquendi adhibuit, vsurpans vnctionum ritum, vt inde rescirent discipuli, quàm procul abeundum esset ab illo hypocritarum more, qui hominum laudes ementitâ tristitiâ mercabantur. Nec citra mysterium Christus illam vocem vnctionis adhibuit; ea nempè est arcanorum ferax, si varia idiomata consulantur. Vox Græca prior occurrit. Σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλήν. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.* Etsi verbum χρίζω significet vngere, & ab eo deducantur nomina Christi, & chrismatis; noluit tamen Scriba sacer dicere χρῖσαι, sed potius ἄλειψαι: nam verbum ἀλείφω non simplicem vnctionem sonat, sed illam præcipuè, quæ palæstritarum animos acuebat ad certamen. Vnde & ἀλείφω perinde est ac exerceo, acuo, incito, vt ille qui athletas vngebat in procinctu dicebatur ἀλειπτὴς, qua etiam voce Cicero vsus est, vocans alipten ludi magistrum.

Quid moraliter sonet illa vnctio, quam Christus suasit ieiunantibus.

Ex linguis.

Cicero epist. ad Lentul.

Præuio hoc scrutinio perito à linguis, vide Christum ea phrasi voluisse monere suos, bonum opus requirere hominem cataphractum & vigilem, ne sua stipe cadat. Illa enim sententia, *Vnge caput tuum*, idem ferè sonat, ac, apta te in prælium, animum tuum acue, & excita ne succumbat hominum oculis impetitus. Ardua namque res est, hominem virtute insignem esse refugam gloriæ, & declinare testes & præcones factorum suorum illustrium. Strenuos sanè athletas postulat hæc palæstra, cui non tantùm sufficit vnctio; sed ratione periculi instantis est multiplex vnctio refricanda. Et hoc textus Hebræus insinuat vsurpans futurum tempus pro præsenti, חסוקאת ראשך *thasuceth roschecha*, vnges caput tuum. Vox, חסוך *taasuc*, est futuri temporis, à radice, סוך *suc*, id est, vnxit. Quamuis ergo quis se accinxerit ad pugnandum contra vanitatem, & se præuia vnctione aptarit; debet repetere illam cautionem in posterum, ne excidant bona opera donatiuo. Verbi gratiâ, Esto hodie te vnxeris ad certamen, cras adhuc te vnges, id est, acues ad prælium contra gloriam illam, quæ bonorum omnium merita suffuratur: atque ita singulas quasque moras instantes & futuras sua manet vnctio, qua fit anima vegetior vt repugnet. Tota autem illa pugna consistit in rectitudine finis, penes quem est regula bonitatis, & nequitiæ. Rem bellè explicat Syrus interpres, ומשוח רישך *vamschuc rischoc*, id est mensura caput tuum: Nam Chaldæis & Syris radix משח *maschac*, quæ Hebræis idem est, ac vngere, significat mensurare, & vngere. In eo metiendi sensu vocem hanc accepit Targumista capite 35. Numerorum, & 8. capite libri secundi Regum. Et in Berrab. cap. 94. משיחו *meschicho*, significat funiculum,

Græca.

Ardua res est pugnare cum gloria humana.

Hebræa.

Pulchra explicatio vnctionis quã suasit Christus.

Chaldæa

Syriaca.

quo res metienda dirigitur. Illa igitur vnctio, quam suadet Christus, est penes intentionem, qua omne specificatur opus, ideoque illam iudico incongruam sententiam, quæ nimium verborum tenax credit Christum suasisse discipulis suis reuera vngerentur diebus sacris inediæ, vt hoc festiuo oris habitu fallerent oculos, dum ieiunos homines crederent epulis indulsisse.

Intentio est mensura actionum.

Haudquaquam sanè ad vnctionem materialem aspexit Christus, alioquin ampliorem campum aperuisset hypocritis, sua ieiunia ventilandi, dum doceret virtutum praxim gaudere latibulis. Quippe si facies olei aspergine cultior deberet esse præuia ieiunio, hypocritæ æmulantes gloriam, quæ ieiunis affulget, olei vnctione tersiores cæteris apparerent, ac dum fingerent se opiparè pastos, ea fictione suum proderent ieiunium, cui multum deperit si deforis innotescit.

Metaphora fuit figura familiaris Christo.

Itaque sistendum est in metaphora, vtpote familiari Christo, qui vt superius tristitiam illam hypocritarum vocauit exterminium faciei; ita & remedium illius dispendij nuncupat vnctionem.

Quare Christus voluerit nos soli Deo placere.

Quare autem Christus insinuet litandum esse duntaxat gloriæ Patris absconditi, quo largitore stipendia congrua virtutum merita consequuntur; idcirco hoc suggerit, vt Theologales omnes virtutes nostra stipent ieiunia: qui nempe recolit Deum absconditum rimari penitiora quæque cordium, ille fidei actum elicit intuendo Deum inuium corporis oculis. Præterea, qui gloriam hominum conspuit, vt iniuriam Deo, cuius tantùm desiderio capitur, profectò ille charitatis actum prolicit, eumque intensum. Demum nullo intuitu humani præmij, ad ardua assurgere, sua omnia vota euehendo in cælum, illud est sperare in Deo, dato libello repudij aliis omnibus stipendiis, quæ æterna præmia remorantur. Græcus interpres inducit Christum promittentem fore publica donatiua. Vbi enim versio nostra sic effert: *Pater tuus qui est in abscondito reddet tibi.* In Græco contextu aliquid adiectum est hoc tenore: *ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ,* id est, *Pater tuus, qui est videns in abscondito, retribuet tibi in manifesto.*

GRÆCA.

Fuga gloriæ inanis verâ gloriâ compensatur à Deo.

Demirare amabo institutum Dei, omnino procul à consiliis hominum. Hi vt velificentur honori, prodeunt foras anhelantes ad hominum plausum: Deus verò secus hortatur ad latebras, quas tandem excipient munera concessa cælo ipso toto applaudente; vt contra hypocritæ nescij gloriæ immarcessibilis, æterni despicatus pœnam incurrent, serò pertæsi sua deliria. Esse autem hanc doctrinam magni momenti subindicauit Christus eo præludio, quo auspicatus est caput istud. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vox illa, *Attendite*, impigros & vigiles animos prouocat ad arduam aliquam disciplinam discolorem plane ei, quam Scribæ & Pharisæi callido opere ventilabant.

Matth. 6.

SENSVS LITERALIS.

Vt virtus sit omnibus suis numeris absoluta, impigros animos petit, & intentionem sinceram.

In hæc verba:

Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex SS. PATRIBVS.

Ex SS. PATRIBVS. Acerrimum est prælium animarum cum inani gloria.

AVdiendi Patres euntes in meam sententiam. Dixi primò, vocem ἀλεῖψαι, quæ vnctionem significat, aliud item portendere; nam idem est ac excitare & acuere ad certamen. Esse autem præualidam pugnam hominis cum gloria, quia hæc depascit flores meritorum, & ab ea cauendum esse iuxta sensum literalem versiculi, quem expendo, disce ex Chrysostomo insinuante Christum hic præcipuè nostras excitasse curas, ne defluerent in inane ludibrium, si attenderemus ad hominum gloriam importunam. Sic ille. *Cautius hoc cauendum mandat, dicens: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: Cor autem nostrum attendere debemus; inuisibilis enim est serpens, quem obseruare iubemur, & latenter ingreditur, & seducit, sed in corde mundo si surreptio inimici successerit, mox homo iustus discernit, quia spiritu alieno pulsatur.* Illam vnctionem suaderi vt præambulum pugnæ, suggerit Augustinus commemorans quantum facessat negotium rixa hæc assidua hominis probi dedignantis gloriam irrepentem. *Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit nisi qui bellum ei indixerit: quia etsi cuiquam facile est laudem non cupere dum negatur; difficile tamen est ea non delectari cùm offertur.* Proxima sectione non inficiatus sum posse legitimè accipi gloriam cùm debetur; sed quia res hæc sua discrimina patitur, redij ad intentum Christi, cui toto pectore adhæreo, ingenuè confitens, satius esse ad tutamen abscondi bona opera, quàm ea submittere gloriæ humanæ, optima quæque merita delibanti. Fauet Gregorius: *Valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere, quam infirmi, quia perfectè contemnendo non superant, necesse est vt bonum quod operantur abscondant.*

Chrysostom. hom. 19. operis imperf.

Prosper. lib. 3. sentent. S. Augustin. sent. 317.

Perfectorum est non moueri gloria humana.

Greg. lib. 18. Moral. c. 3.

Præterea adieci, vocem Syriacam idem sonare, ac vngere & mensurare, vnde affirmaui, intentum Christi fuisse, vt dirigeret intentiones nostras ad gloriam Dei, eas distrahendo ab inani aura, quæ decerpit omnes bonorum operum fructus. Accipe Augustinum eò collimantem. *In hoc quod dicit: Vt videamini ab eis, nihil addens, apparet hoc eum prohibuisse, vt ibi finem nostri propositi collocemus. Nam & Apostolus qui dicit: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, alio loco dicit: Ego hominibus per omnia placeo. Quod non ideo facit*

Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte.

Perniciosa res est velle placere hominibus.

facit vt placeret hominibus, sed Deo, ad cuius amorem corda hominum volebat conuertere, ex eo quod eis placebat. Sicut enim non absurdè loqueretur qui diceret: In hoc opere quo nauem quæro, non nauem quæro, sed patriam. Nullius autem esse momenti labores editos in gratiam oculorum hominum, bellè adstruit Chrysostomus, hoc discursu: *Quid à Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo recipietur: quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quæ est autem sapientia, res dare, & verba vacua comparare, & mercedem Dei contemnere? Vel illum aspice, à quo laudem expectas, qui te propter Deum facere putat, alioquin vituperare te magis. Ille autem, qui plena voluntate propter homines facit, ille propter homines fecisse videtur. Si autem per alicuius cor cogitatio vana ascendit, desiderans hominibus apparere, anima autem intelligens contradicit, ille non propter homines fecisse videtur, quia quod cogitauit passio carnis est, quod elegit iudicium animæ.*

Chrysostom. homil. 13. operis imperf. Quare sua mercede cadant illi, qui ideo virtutes colũt vt placeant oculis spectatorum.

Itaque si res adeò delicata sit, inoffenso pede decurrere salebras, quibus gloriæ humanæ calles obrupti sunt; prudenter admonuit Christus esse attendendum, quo intuitu enitatur homo fœtus bonis operibus, ne reflante gloriæ inanis æstu anima protinus abortiat. Vnum est quod desiderare queas ex sensu literali petito à linguis, quæ velut agmine facto lacessunt hypocritas, scilicet an quis sanctiorum Patrum tantam crediderit esse perniciem hypocrisis, quantam ego lineaui, ex nomenclatura Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, & Græcorum. Non deero votis reuera legitimis, vt hinc etiam ingeram odium plusquam Vatinianum ad hypocritas abigendos. Si idcirco in nominibus tuis sum, lector cupide alicuius sententiæ congruæ huic argumento, Chrysologus diluet hoc æs alienum, sic mihi suffragatus: *Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Aduersa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palàm: vnde cauentur tam facile, quam videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam misericordia prosternit. Hypocrisis cognata febris, frigido poculo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus: hoc est, hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. Exterminant enim facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes. Hypocrisis dum cupit captiuare oculos, oculis fit ipsa captiua: Exterminant enim facies suas. Et si facies exterminatur, ornamentum corporis quod manebit? Hypocrita, sit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus inuenisti laudem, & apud Deum fructum ieiunij perdidisti. Hypocrita, elaborasti ieiuniis, vt labor tibi ieiunij non prodesset. Hypocrita abstinentiæ fructus intrasti, continentia conscendisti vndas, enatasti ieiunij pelagus, & in ipso portu ieiunij naufragasti: quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Hinc est quòd Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti misera fraudis vsuram. Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cauenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vicit; qui incurrerit, cadit.*

Chrysol. ser. 7. Grauis inuectiua in hypocrisim.

Elegans descriptio malorũ, in quæ incurrit hypocrisis.

Fusior illa declamatio mihi occinit, imò iniquiorem facit hypocritarum sortem cùm tot maledictis incessit hypocrisim, matrem tot & tantorum discriminum. Sed quia parum est denotasse virus abditum, nisi è regione remedia prostarent ad leuamen; præfatus ille Chrysologus, ad castigandum hoc venenum, pharmaco vtitur indicto à Christo suadente latibulum cupidis auræ popularis. Eodem igitur quo pede cœpit pergit ille. *Fugiamus hypocrisim, sit nostrum de simplicitate ieiunium, de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de sinceritate sincerum, sit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notum. Thesaurum qui non abscondit, prodit, virtutes proditæ non manebunt. Virtutes sicut proditores suos deserunt, sic suos instant custodire custodes. Ergo ieiunium, quod contra vitia virtus prima est nobis, in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt. Hoc Christus, vt Christianus habere possit, hortatur cùm dicit: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem laua, ne videaris ab hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Ibidem. Diserta oratione monet hic Chrysologus fugiendam hypocrisim.

Hoc Christi consilium dixi esse intelligendum spiritali modo, contra eos, qui credidere, Christum voluisse suos discipulos dies impastos facere festiuos vnctionis aspergine, ritu inolito plagis illis, quas tunc decurrebat ille prouidus animarum rector. Et mihi in hoc assentitur eloquens ille Antistes, ita commentatus. *Cùm dicit: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua; non vt coma capitis illecebroso redundet vnguento serius magister iniungit, neque faciem nitere solito vult lauacro; sed habitu prandentis vult celari ieiunium à Christiano, quia Christianum vendicare non vult artifici mœrore ieiunium. Vnge caput tuum. Non voluptuosos indulget aspectus, sed vultus qui simulantur excludit. Facies mœrore deiecta innuit famem, non ieiunium voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non vult, ieiunus quare? Meritò tali pœna viuit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum.* Hactenus ille, quem assequi in carpenda hypocrisi, & medendo malis quæ parturit, res est ardui negotij. Non cunctabor tamen præfatis luculenter ab eo Sancto adiicere hypocritas habituros intentum suum, si noluerint esse sectatores hypocrisis: nam suam omnem operam conferunt, vt appareant hominibus, erecturi fortè mausolæa in concamerata fornicibus hominum mente. Sed heu quid homine fragilius, & quot casibus decurtatur æuum istud, quo properante fugacem gloriam pessimè nundinamur? Magnam hominum frequentiam conquirunt hypocritæ, vt se in conspectum dantes demetere queant eorum suffragia. Non ego carpo cupiditatem gloriæ, modò ea sit immortalis. Non damno magna comitia, quorum suffragio virtus approbata crescit. Sed si hypocrita cautè latet, in Beatorum omnium celebri consessu apparebit diademate redimitus; siquidem Deus ἀποδώσει ἐν τῷ φανερῷ.

Non est accipiẽda literaliter illa faciei vnctio, quam meminit Christus.

Egregiè hic consulitur hypocritis.

Gloria humana fugax.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Quidquid homo deperit ut vltimum finem suum, hoc illi est thesaurus, reuera caducus, si res amata sit infra Deum.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

§. IV.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

QVi purgare volunt hortum, & extirpare virulentas herbas, non herbarum caules & stipites tantùm euellunt, sed altè defossâ humo minutiores etiam radicum fibras sedulò inuestigant, ne adulterini germinis atque malefici propagata soboles exhausto viuido soli succo sincera semina depascatur. Simili propè industria Christus, quem Magdalena credidit hortulanum, & cuius pater agricola est, ipso etiam Christo assertore. *Pater meus agricola est. Ager est mundus.* Christus inquam mundi huius latè patentis agri curam suscipiens, optima sanè semina solo commendauit, quando hoc capite luculentam mentionem fecit de oratione, ieiunio, & eleemosyna, suos discipulos erudiens, quali cautione salutares bonorum operum frutices excoluntur. Vt gramini autem nouello enitenti consuleret prouidus hic Dominus, noxias & circumquaque fusas eradicat fibras, quæ officere possunt opimo semini à se sato. Obices hi remorantes bonorum omnium operum incrementum, sunt surculi prioris huius noxæ, qua delirus Adam bona omnia sibi cælitus insita suffocauit. Noxa hæc fuit immodicus gloriæ appetitus, quo intempestiuè nimis voluit assurgere. Huiusce piaculi labes altas radices egit in tota Adami prosapia, apud quam etiam nunc cupido gloriæ inanis gliscit, adeoque germinis infidelis, hæc propago diffunditur, vt fibræ eius adhæreant plerumque radicibus virtutum, quarum praxim impigram anima meditatur. Radix illa bonorum operum est intentio, cui si fuerit affricata cupido gloriæ, vitiata radice marcescit opus illud, suapte natura quidem bonum, sed obliqua intentione factum censuræ obnoxium. Peruertitur autem intentum animæ, quando Deo omisso, deorsum vergit homo, & eo fine bonum opus edit, vt placeat hominibus, expectans aliqualem fructum ab eis.

Ioan. 15.
Matth. 13.
Magna cautione Deus vult bona opera edi à Christianis.

Quàm noxia sit cupido gloriæ bono operi emergenti.

Nota, virtutis emeritæ præmia concessa ab hominibus esse in duplici genere, in gloria scilicet, vel in collatis opibus, & vtrumque vocari à Christo mercedem, dum ait eos, qui se accingunt ad aliquod facinus arduum vt oculos hominum captent, recepisse mercedem suam, vel gloriam, vel æs erogatum in testimonium abditæ sanctitatis, vt plerique nunc hypocritæ factitant, ementita pietate facultates in cumulos asseruantes. Omnes itaque qui ieiunant, orant, & pauperes vocant in partem suarum facultatum vt in hoc sæculo sibi mercedem comparent, illi thesaurizant in terra, & hos carpit Dominus isto versiculo: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Hic velut in vado hæsit Maldonatus, ingenuè confitens facessere sibi negotium, hunc thesaurum, & non sibi occurrere, quid indubiè Christus hoc thesauri nomine præsignarit. Sic ille: *Quid Christus per thesaurum intelligat non satis compertum est.* Rursus ait, eos propiùs accessisse ad scopum Christi, qui hunc thesaurum de opibus intelligunt, quia inquit eodem capite Dominus ait neminem posse seruire Deo & mammonæ. Non placet hic discursus, vtpote deuius ab adæquato intento Christi, qui reuera hic non duntaxat opes notat, sed omnem mercedem concessam ab hominibus damnat, si eius intuitu fiant bona opera. Si autêm illa merces sit gloria; profectò qui gloriæ aucupandæ gratiâ virtutum obit calles, ille dum auram popularem & laudes hominum redigit in cumulos, hanc inanium applausuum congeriem, suum thesaurum facit, & sic thesaurizat in terra: namque licet vox illa, thesaurus, cumulos opum significet; ipsi etiam proceres linguæ Latinæ eamdem vocem vsurparunt pro cumulo alterius cuiuscumque rei, vt Cicero ita fatus: *Thesaurus rerum omnium memoria.* Dixit thesaurum rerum omnium, illam facultatem animæ, quæ inexhausto penu suo altè recondit rerum, quas præsensit anima, propria simulacra. Plautus item sic: *Is mihi thesaurus ingis in nostra domo est, fletuum scilicet, ac verberum.* Idem de homine excepto flagris. *In tergo thesaurum geris.* Id est, flagris exarata cutis, plagarum reliquias habet reconditas. Quidni ergo mihi liceat nuncupare thesaurum, illud omne gloriolæ pondus, quod homo congerit in mercedem suorum operum. Si vero Magistratum ambit, aut aliquas infulas Ecclesiæ, erit & hic alius thesaurizandi ritus; vt & alter thesaurus horum, qui ærarium condunt.

Quænã merces boni operis possit expectari ab hominibus.

Maldonat. in cap. 6. Matth.

Non placet Maldonati sententia.

Cicero 2. de oratore.

Plautus Pseud. scen. 4. act. 1. Idem in Asin. scen. 2. act. 2.

Hæc igitur esto conclusio, explicans ipsissimum sensum literalem, atque adeò reserans intentum Christi. Dominus Iesus præfatus, bona opera non debere fieri vt videantur ab hominibus, subiecit statim non esse thesaurizandum in terra, sed in cælo, vt homines erudiret, eos non debere hîc mercedem exigere virtutum, quas ditior in cælo thesaurus manet, si sint ab intento inanis gloriæ defæcatæ. Sic nomine thesauri intellexit Christus, & cumulos laudum, & dignitates, & gazas gemmis auroque fœtas, & demum quidquid mercedis nomine designatur. Nam cùm totam suam parænesim ad sinceram virtutum praxim fecisset tropico loquendi modo, vtpote vsurpans continuam ferè metaphoram, dicens non esse canendum tuba, nec exterminandas facies, sed lauandas vnctione etiam adhibita capiti; orationem illam totam conclusit eadem metaphorâ dicens, non esse thesaurizandum in terra, sed in cælo, vt sic edoceret non esse adeò sollicitè attendendam mercedem hominum, vt penes hanc reponamus spem omnem, quasi nos beare debeat illa merces in æternum. Nec vim facit instantia Maldonati, dicentis thesaurum illum debere propriè intelligi de opibus, quia Christus ait nos non posse simul Deo seruire, & mammonæ. Etenim illic mammona vsurpata est metaphoricè, sicut & thesaurus, & ablutio faciei, & capitis vnctio, iuxta phrasim à Christo Domino hoc capite sæpius vsurpatam.

Quid literaliter Christus intellexerit monẽs, non esse in terra thesaurizandum.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Quidquid animi firma intentio sibi præfigit loco mercedis, hoc homini thesaurus est.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex SS. Patribvs.

ITa à me explicatus ille versus cohæret textui antea recensito, vbi Christus ait, operantes hominum gratiâ tantùm, recepisse mercedem suam, quia vel laudati sunt, vel mercati suffragia ad dignitates, vel acceperunt aliquem censum, quem in suarum facultatum compendia retulerunt. Sic autem thesaurizare rem iniquam esse ait Christus, nolens ea intentione tantùm homines operari, vt varia mercedis genera coacervent. Ita concolor est hic textus versui præeunti; alioquin Christus transiisset de genere in genus, differens de auaritia post vanam gloriam, si vera esset sententia Maldonati affirmantis præcisè & propriè Christum declamasse in thesauros opum, quando noluit suos thesaurizare discipulos. Cùm ergo mea sententia concordes faciat illos versus, credo huic standum, præcipuè quia Sancti Patres à meis stant partibus, dicentes illam gloriæ mercedem, in quam anhelant hypocritæ, esse thesaurum, cui omnia eorum opera collaborant.

Ex SS. Patribvs. *Hilarius in Matth. canon 5.*

Prior Hilarius occurrit, humanæ & diuinæ laudis disparitatem ostendens ex relatione thesauri terreni ad cælestem. Sic ille: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Prætermissa igitur humana gloria & opulentia solicitudine, omnem placendi Deo curam sumi oportere demonstrat, quia humanam laudem, vel corporum vitia, vel obtrectatio inuidentium corrumpat; & hic thesaurus pecuniæ, aut detrimento sit periculosus, aut furto. Cæterum laus cælestis æterna est, nec subrepentis furto subtrahenda, nec tinea aut rubigine inuidiæ exedenda, corde nostro sedem thesauri vtram sit secutus habituro, & intelligentiæ nostræ lumine, aut cum pecunia damnosa futuro, aut cum Deo sempiterna.* Quasi diceret, Christum noluisse nos è gloria humana thesaurum conficere, quia omnis ille apparatus gloriæ iisdem dispendiis obnoxius est, quibus opum thesauri dispereunt. Etenim sicut omnia pessum eunt vitiata ab intrinseco, ratione materiæ sitientis multas formas; alia verò sortita nobiliorem indolem suos deforis insultus habent, quibus & læduntur: ita gloria hominum qua cumulata ditescunt hypocritæ, reputantes suas opes hanc auram popularem; hæc inquam gloria, non est æuiterna, sed suopte ingenio dissoluitur instar fumi, suam sic habens æruginem, à qua iugiter exeditur. Exteros item habet æmulos hæc gloria, qui ei iuges insidias nectunt, inuidos scilicet, qui calumniæ nebulas offundunt huic lumini coruscanti. At secus gloria illa, quam suis sequacibus Deus in cælis impertiet, omnis deliquij impatiens semper sibi constabit, vtpote nescia deficere ab intrinseco, quia in Dei fruitione sita est, de cuius ratione est vt sit æterna, cùm homo illic in termino sit, quem Deus esse voluit æuiternum. Rursus ab extrinseco inglorius esse nequit ille, quem hæc gloria condecorat: nemo namque in cælo Deum auferre poterit ei, qui Dei gloriæ penitus immergetur.

Placere Deo debet esse omnis animæ thesaurus.

Quàm sit obnoxia corruptioni illa gloria, quæ in hoc mũdo conquiritur.

Quare gloria in cælo nunquam deficiat.

Fauet & mihi Chrysostomus, arbitratus Christum thesauros hîc commemorare, vt emungat immodicum appetitum gloriæ, cuius tantùm gratiâ cumulantur opes, vtpote idoneæ ad homines illustrandos. Sublato itaque hoc medio procurante inanem gloriam, homo flocci faciet omnem hominum pompam, quam thesaurum faciunt superbi, eò dirigentes reculas omnes, quibus coalescũt gazæ. Accipe Chrysostomum meæ sententiæ propitium. *Quia inanis gloriæ morbum fugarat, facilè iam contemptum habendi, & mundi consequenter inducit. Nihil quippe ita ad amorem diuitiarum vt gloriæ cupiditas inflammat. Propter hanc namque homines, & seruorum greges, & eunuchorum cateruas, & equos aureis phaleris insignes, & argenteas mensas, & alia magna ridenda conquirunt, non vt expleant necessitatem, non vt capiant voluptatem, sed vt sese possint ostentare quamplurimis.* In meam sententiam it pedibus Augustinus, metiens thesauros ex cuiusque intento. Sic ille: *Quidquid homo facit modo, in thesaurum mittit.* Id est, aliquid inde sperat, quod mercedis loco erit: illa autem merces in cumulos asseruata thesauros facit eiusdem rationis, cuius est intentum hominis operantis. Si ergo reflantis auræ præmium quispiam auidè desiderat, huic reuera thesaurus omnis de vento constat, vt pilæ ventosæ, quæ elisa resurgit beneficio reconditæ auræ, qua duntaxat inspirata tumet pila tota teres atque rotunda. Gloriæ plusquàm par est cupidi homines, afflati lenibus his gloriolæ flabris, in orbicularem formam se componunt, æmulantes perfectiorum hominum ritus, nullamque aliam mercedem metunt, quàm turbines, & procellas, quæ suo incremento thesaurum venti efficiunt, illum omnino, in quem inuehitur Christus versiculo quem decurro.

Chrysostom. hom. 21. in Matth.

Opes inani gloriæ suffragantur.

Augustin. serm. 220. de tempore.

SENSVS LITERALIS.

Quidquid amorem hominis obstringit, illud est thesaurus eius.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.

CONIECTVRA TERTIA

Ex Lingvis.

ADest & linguæ Græcæ suffragium. Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυρούς. Nolite thesaurizare vobis thesauros. Lepida est hîc allusio subindicans Christum in ea recensione thesauri damnasse cupidinem auræ, quæ sui cupidis adblanditur; siquidem vox Græca θησαυρὸς est quasi θέσις αὔρας, locus auræ: quippe superborum caput perflatum strepitu sonoro laudum, est sanè locus auræ ventilantis hominem factum ludibrium venti. Si in re ancipiti fas est prouocare

Ex Lingvis,

Græca.

ad

ad Syrum interpretem, profectò causâ cadent omnes, qui præcipuè thesauros istos de opibus intelligunt, procul à mea sententia explicante locum istum de intentione ad thesauros gloriæ collimante. Sic namque Syrus interpres effert

Syriaca. Chaldæa

hunc textum לאתסימון לכון סימתא *lo thesiman lecun simotho*, id est, nolite caliginem vobis inducere, cùm iam caligetis; vox enim Chaldæa & Syriaca סמא *semo*, idem est ac cæcutire, ab hac radice vt surculus enascitur סימתא *simotho*, vox dubia, thesaurum, & cæcitatem significans. Targumista cæcitatem vocat סמיותא *saminthe*, & hoc sonat vox illa vsurpata Chaldaicè Zachariæ 12. Isaiæ 16. Itaque Syrus interpres insinuat illum cæcutire, cuius acies oculorum gloriæ lumine perstringitur: ideo quod Græci dicunt, Nolite thesaurizare; Syrorum dialectus ait, Nolite cæcutire, & excæcari luce laudum, quando affulget. Profectò opes non adeò excæcant hominem sicuti gloriæ fulgor, quoties irradiat.

Gloriæ inanis splendor excæcat homines quibus affulget.

Rursus thesauri nomine intelligi omne quod homo recondit, & cumulat auidè, quidquid illud sit quod congregat, & abscondit, apertè sonat Hebræus textus אל תקבצו לכם אוצרות *al thecabetsu lecem otsarot*. Ne congregate auidè quascunque res, quæ reponuntur in abdito penu. Vox enim אוצרות *otsarot* thesaurum significat, & generaliter omne quod seorsim reponitur, iuxta primitiuum suæ radicis ingenium: quippe radix אצר *atsar*, significat, abscondere, seu seorsim aliquid reponere. Et quia res alicubi reposita thesaurum non componit, adiecta est vox אל תקבצו *al thecabetsu*, non congregabitis auidè: nempe vox תקבצו est futuri temporis verbi קבץ *kibets*, quod perinde est, ac auidè congregare. Exquisita hæc linguarum anatome suo calculo meam stabilit sententiam, quæ concludit Christum post sermonem de mercede sua recepta ab hypocritis subiecisse hoc præceptum: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, vt moneret haudquaquam in hoc æuo conquirendam esse sedulò mercedem bonorum operum, quia quantumuis assurgat cumulus ille præmiorum, thesaurus omnis inde coalescens sæpe reconditur in perniciem domini sui perperam excubantis; siquidem latebræ quoque penitiores, non faciunt gazas furibus inuias: nimirum sedula fures indagine reculas omnes hominum abditas inuestigant, rati quidquid absconditur auidè, illud idem esse optimum, & opimum. Si verò vigiles excubiæ occurrunt astuto furum scrutinio, nulla tamen cura sagax vendicare potest sibi thesauros perpetuos, quia quidquid congerit homo receptum ab homine, illud totum hominem sapit, ac proinde est corruptioni obnoxium.

Hebræa.

Quid propriè significet vox illa, thesaurus.

Non citra mysterium Christus ait, non esse thesaurizandum in terra, quia terra non est locus thesauro propitius: nimirum illa metallis rubiginem affricat, vtpote concludens semina corruptelæ. Tamen præcipuum intentum Christi non fuit hoc textu commemorare terram, quà terra est, sed insinuare breuem hanc quam agimus vitam, sicut nomine cæli vitam æternam notat, quæ dicitur terra viuentium. Vnde exurgit iste literalis sensus. Oleum & operam perditis, ô mortales, cùm laborum omnium scopus est conciliare vobis hominum gratiam, vt inde seorsim aliquid reponatis in cumulos. Nempe illa præmiorum congeries modicum tantùm vsum sui & ad morulam præstabit vobis, quia vel corrumpetur ærugine, aut tineis: vel si cumulus ille vester sit rerum nobilium, quas edax æui lima nequit eradere; thesaurus ille diu vobis non erit thesaurus, quia non erit hæc vita diuturna. Satagite igitur, vt opera vestra eo intento fiant, quo oportet esse opera immarcessibili gloria præmianda: siquidem hæc gloria fons est & scaturigo bonorum omnium, quæ inclinare possunt hominem vt ritè thesaurizet.

Quid terra significet in Scriptura sacra.

Quare imprudétes sint illi, qui thesaurizant in terra.

Cæterùm mea hæc sententia non excludit opes, quasi Christus non ad eas attenderit, præcipiens non esse thesaurizandum in terra; sed eas etiam concludit, quia pertinere possunt ad mercedem, quam nundinantur hypocritæ, edentes aliquando specimina virtutum, eo solo fine vt sibi aliquam vim argenti comparent. Sed affirmare cum Maldonato, præcipuè Christum & præcisè meminisse auri & argenti cumulos vt inueherentur in gazas, est coarctare nimis intentum Christi, & detrahere sensui literali gratiam, quam deposcit sacer hic contextus, qui totus est in suadendis hominibus, ne faciant bona sua opera coram hominibus, vt videantur ab eis, accepturi inde aliquam mercedem, quam vt sibi in scopum constituunt, & acceptam seorsim reponunt. Hanc qualiscunque sit illa merces, Christus thesaurum nuncupat, cuius supellex tota talis erit qualis fuit intentio hypocritæ, qui si aliquo bono opere anhelauit ad gloriam, thesaurizauit gloriam; si opes hiante affectu appetiit, thesaurizauit aurum. Denique ad hunc thesaurizandi modum pertinet illud omne, quo afficitur intentio: & reuera hoc thesauri genus esse petendum ab intentione, & non ab opibus tantùm, satis superque aperuit Christus, orationem hanc de thesauro concludens suasione egregia ad ritè dirigendos actus nostros. Cùm ergo thesaurizandi mentio fiat à Christo inter duos versus, qui pertinent ad congruam intentionem finis operum nostrorum; nescio sanè vnde irrepserit ansa hallucinandi in re adeò perspicua, quæ seipsam prodit ex contextu, à quo attentè meditato accipe genuinum sensum à me recensitum. *Cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; sed patri tuo, qui est in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit: si ergo lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Hactenus ille.

Quare carpatur explicatio Maldonati hoc loco.

Intentio sibi statuit thesaurum.

Matth. 6.

Hanc seriem verborum illud omnino resonare quod antea prælibaui, liquet ex paraphrasi hac sincera. Si vestro animo insedit aliqua cupido rei alicuius, quæ in cumulos acta thesaurum efficiat, nolite hominum beneficia congregare, neque ea ieiuniis, aut quouis alio opere demereri. Nihil namque homines, quantumuis benefici, conferre possunt idoneum ad thesauros: sed vt perennare queant gazæ vestræ, ita aptate virtutes vestras, vt Deo placituræ captent gratiam eius, qua congruè parta, thesauri in cælis exurgent, qui nusquam deficient. Satagite igitur ne extinguatur

Egregia parænesis, qua cautè consulitur homini, vbi debeat congregare suos thesauros.

gatur hæc lucerna : lucernam dico intentionem vestram , cuius est illucere & prætendere faces operibus , sicut est oculi totum corpus dirigere. Nempe vt oculus pellucidus luminis obsequium præstat omnibus membris , quibus inuigilat , ne à recto tramite deuient ; ita intentio animæ si sincera sit , & fideliter excubet , Deo soli litans , omni operi gratiam Dei conciliat præuia charitate. Vnde cùm opera,quibus bona intentio suum lumen offudit , copiosum meritorum pondus accumulent , ille reuera aceruus erit opportunè thesauri nomine recensendus , quem virtutum merita congesserunt. At secus vt oculo orbo lumine , corpori tenebrescunt omnia,ideoque offendiculis patet corpus densa caligine circumfusum, ita vbi mercedis humanæ caligo intentioni nostræ se offudit, quidquid eo intento compararit homo, nigrescit; atque adeò congeries qualiscunque præmij humani multis obnoxia deliquiis indigna est , cui thesauri titulus affingatur.

Intentio est oculus animæ.

Ex SS. Patribus.

Quàm consona Sanctis Patribus sit mea sententia, vide ex Gregorio magno , & Augustino, qui lumen & oculum de intentione operum intelligunt , vnde facile est coniicere Christum appellasse thesaurum illud omne , quod homo intendit suo opere nundinari : ita vt thesaurus sit cælestis,si cæli intuitu operatur homo ; & terrestris si ad terram aspicit enixus aliquod facinus egregium. Audi Gregorium. *Si lumen quod in te est , id est , si hoc quod nos bene agere cœpimus , ex mala intentione offuscamus ; ipsa quæ mala esse non ignoramus , etiam cum facimus , quantæ tenebræ erunt ?* Adiice Augustinum , hanc Christi sententiam de oculo referentem ad animæ intentum. *Oculum hic accipere debemus intentionem nostram , quæ si munda fuerit , & recta , omnia opera nostra , quæ secundùm eam operamur , bona sunt ; quæ quidem omnia totum corpus appellauit , quia & Apostolus membra nostra dicit quædam opera , vbi ait : Mortificate membra vestra , & fornicationem , & immunditiam. Non ergo quid quisque faciat , sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est , bono animo nos facere quod facimus. Omne enim quod manifestatur, lumen est. Ipsa verò facta , quæ ab hominum societate procedunt , incertum nobis exitum habent ; & ideo tenebras eas vocauit: non enim noui cùm pecuniam porrigo indigenti, quid sit inde facturus. Si ergo ipsa cordis intentio , quæ tibi nota est , sordidatur appetitu temporalium rerum , magis ipsum factum , cuius est incertus exitus , sordidum erit ; quia etsi benè alicui proueniat , quod tu non recta intentione facis , quomodo tu feceris , imputabitur tibi , non quomodo illi prouenerit. Si autem simplici intentione , id est , sine charitate opera nostra fiant , tunc munda sunt , & placent in conspectu Dei.* Quia autem sola intentio bonis operibus orba haudquaquam sufficit ad cumulandas opes , sine actionum suffragio;operæpretium est videre quanam industria possimus in cælis thesaurum instituere.

Greg. lib 8. Moral. c. 6.

Aug. lib. 2. de serm. Domini cap. 21.

Elegans discursus de bona & mala intentione operum.

SENSVS LITERALIS.

Homo alicui rei affectum suum deuouens ita illi obstringitur , vt impos sit ad alterius rei obsequium : nam amor intensus omnia secum vota rapit.

In hæc verba:

Vbi enim est thesaurus tuus , ibi est & cor tuum.

§. V.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Linguis.

INficiari nemo potest , thesaurum & cor esse res concordes , cùm thesaurus sit cumulus rerum,quæ maximè esse solent cordi : itaque versiculus iste nostra sollicitudine non indiget , vt probemus esse quid indiuiduum , thesaurum & cor. Sed nodus abditus hac litera non se illico prodit : nimirum res est alti scrutinij , explicare quorsum Christus subiecerit istum versum illi benè suadæ orationi, distrahenti hominem à thesauris huiusce sæculi ; vt animus superis inhiaret. Quare inquam Christus hoc contextu rem adeò communem dixerit , vt cautiores efficeret homines in delectu thesauri,arbitror esse arcanum scitu dignissimum , etsi Maldonatus tacitus hunc versum prætererit expendens hoc Matthæi caput,& Lucæ duodecimum , vbi repetitur hic contextus. Accipe ergo meam sententiã vtique explicantem intentum sensum à Spiritu sancto , cuius diuino afflatu Christus Dominus agebatur. Noluit Christus simpliciter dicere thesauros esse valde amabiles:hoc namq; argumento non sedasset appetitum auri aliarumque rerum, vt gloriæ,dignitatum, & laudum,quibus vrgetur homo,inde thesauros sibi constituens. Nempe infirma est hæc ratio, videlicet non esse thesaurizandum in terra,sed in cælo, quia thesauri sunt amabiles. Imò potius amorem acuisset Christus hoc discursu, insinuans thesauros esse congruos fomites ad amoris incendia suscitanda. Cùm namque fruitio rei amatæ gaudium sit,& status animæ quiescentis;plerique æmulantes illam sortem gestientis animæ , hinc accepissent ansam componendi gazas , vt earum possessione quiesceret eorum animus errabundus. Quia igitur alia prorsus fuit mens Christi, ea colligenda est ex verbis antecedentibus & subsequentibus. Antea Christus acriter inueteratam nequitiam hypocritarum castigauit , damnans eorum propositum aucupandi gloriolæ inanis auram. Reprobato hoc affectu placendi hominibus, monet Christus incongruam esse eorum mercedem, vt in cumulos redacta queat thesauros effingere; ideoque esse mutandum scopum, & actiones nostras aliò dirigendas,scilicet in cælum. Vt autem denotet , vltimum finem seu intentum nostrum omnes sibi deuincire affectus, ait ibi esse cor, vbi est thesaurus ; ita vt sit iste sensus literalis verborum Christi,quæ paraphrasticѐs sic expendo.

Locus difficilis explicatu licet prima fronte videatur esse facilis.

Quæ fuerit mẽs Christi hortãtis homines ne thesauros in terra defoderent.

Quidquid hominibus placet , id ab eis thesauri loco reponitur.

Verus sensus literalis explicãs à quonã thesauro cõgregãdo Christus discipulos suos auerterit.

O discipuli amantissimi , non damno cupidinem , quæ vos sollicitat ad thesauros. Ille appetitus desuper insitus est,ad veras opes, gloriam scilicet ambiendam. Magna tamen cautela indiget

diget hæc cupido, ne animum suæ salutis incuriosum efficiat, dum hic pruritus habendi bona, sua impetigine vellicans hominem, alium omnem affectum rapit, animum planè impotem reddens alterius indaginis. Nam quidquid animo præfigitur in scopum seu vltimum finem, cuiusmodi est thesaurus, illud absorbet hominem totum, qui diuisionis impatiens est, atque adeò integrum se deuouet obsequio rei, quam thesaurum suum fecit. Vt ergo sui iuris sit affectus vester, & anhelare queat ad cœlestia, nolite magni facere res istas infimas quantumuis emicent; nimirum singulas quasque sua manent deliquia: quod autem ad morulam nitet, non censeri debet idoneum ad thesauros. Et quod præcipuum est, illud recolite, viles quisquilias, quas reprobi in thesauris habent, hoc eis affricare virus, vt proposito sibi thesauro in terris, statim torpeant ad diuina; quia quidquid amorem deuincit, illud idem hominem totum occupat irretitum. Eamobrem non tam ingero fastidium thesauri huius terreni, ob tineam, æruginem, & fures, quàm ob cor miserè lancinatum. Nimirum illusus animus corruptione rerum, non esset adeò deplorandus, si sibi constans assurgere posset ad superna. Sed rationum omnium hæc caput est: Maximè laborandum esse in delectu thesauri, quia ibi est cor, vbi est thesaurus, id est, statim atque homo, vltimum sibi finem seriò præstituit, ex tunc ita suos omnes obstrinxit affectus illi rei, vt alteri vix valeat postea deuoueri; saltem quamdiu suum thesaurum fecit. Vnde hoc animo reuoluite, ancipitem esse salutem vestram, si repens affectus deorsum inclinet animas ad res infimas anhelantes; & secus indubiam vos manere sortem vtrique beatam, si toto affectu ad cœlestia collimatis. Cœlo namque à vobis electo in thesaurum, nullus eo stante intento vigebit affectus ad infima detiuandus.

Cupido nimia congregādi thesauros in hoc sæculo obstat ne homo cogitet, de thesauro æterno.

Hoc fuisse intentum Christi liquet ex particula, *enim*, quam meminere etiam Græci, & Syri interpretes: non enim simpliciter dixit Christus ibi esse cor, vbi est thesaurus, quasi illum versiculum faceret epilogum parænesis suæ; sed hunc adiecit textum vt validam rationem, ad propositum thema, homines inclinantem. Ideò adiecit illam particulam, *enim*, quæ est tessera causæ subsequentis. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Græca, ὅπου γὰρ ἐστὶν ὁ θησαυρὸς, *Vbi enim est thesaurus.* Syriaca אכא גיר *aicha geir.* Hebræa, pro *enim*, habent, כי *chi*, id est, *quoniam*, quod perinde est, & causam eo planè modo refert, quo particula, *enim.* Hinc videre est Christum ea recensione thesaurorum, hoc præcipuè intendisse, scilicet ita expedire affectus nostros à visco rerum infimarum, vt liberum esset nobis eniti ad cœlestia, & hac potissimum ratione voluisse nos fastidire omnem suppellectilem mundi, quia illud omne, cui enixè incumbimus, præpedit hominem totum nescium alterius imaginis, quia omnia vota sua collegit vt ea dirigeret in illum scopum sibi antea præstitutum. Non ergo debet homo exosas habere gazas huius sæculi, quia infra hominem sunt, sed quia eum distrahunt à supernis.

Ex linguis. Græca. Syriaca. Hebræa.

Fastidiū rerū infimarum animæ appetitū acuit ad cœlestia anhelanda.

Hoc fuisse intentum Christi, collige ex subsequentibus annexis versiculo, quem expendo. Sic fatus est Christus: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Series tota orationis huius eò vergit, vt hominem abstrahat à terrenis, ne si præpeditus amor humi serpat, totum hominem deponat, in huius sæculi volutabrum. Quasi diceret: Vt cætera membra non offendunt quando lumini peruius est oculus, & secùs in offendicula impingit totum corpus oculis excæcatis; ita si præcipua animæ intentio salutaris extiterit, erunt omnes animæ partes innoxiæ: aliàs verò si potissimum animæ intentum fuerit iniquum; exempli gratiâ, si anima corporis curam impensè nimis agat, ei anxiè procurans escas opiparas, & vestes splendidas exotico ritu compositas, profectò illa animæ ingloria intentio, erit ipsimet animæ iniuria, quia illa velut sui oblita totam se contrahet, vt corporis tantùm sensibus obsequatur. Quippe anima suis conclusa carceribus finita est, ac proinde nequit intendere simul rebus à se inuicem dissitis, vt sunt cœli & terra. Ideóque debet sedulò explorare animus cuinam se illecebræ deuinciat: nimirum quale fuerit illud animæ simulacrum talem etiam tesseram inuret affectibus qui illi velificant; id est, si homo corpori suam præcipuam solicitudinem deuoueat, despicatui habebit animam, cuius passiones omnes adiget obsequio sensuum: sicque anima suam ipsius salutem negliget, sibi & corpori minimè sufficiens, vtpote non valens duobus dominis ancillari.

Matth. 6.

Tota salus seu bonitas actionū nostratum ab intentione patet, vt cōtra pernicies seu nequitia etiam colligitur ex intentione.

Impossibile est cœlū simul, & terrā intēdere vna eademque actione.

Itaque hoc constans esto, Christum voluisse dicere, illud quod maximè deuincit amorem, hominem etiam totum obstringere, quādo præmonuit cor esse vbi thesaurus inest. Etenim nomine cordis intelligitur animus omnibus suis stipatus affectibus, vt liquet ex Hebræis, Chaldæis, Syris, Græcis, & Latinis. Textus Hebræus hic est לבבך *leuaueca*, id est cor tuum. Dictio Hebræa לבב *leuau*, primariò quidē cor significat, deinde multifariam in Codice sacro vsurpatur; hæc præcipuè annotat Mercerus significare ea voce לבב *leuau*, scilicet, animum, mentem, intellectum, sapiētiam, cogitationem, consilium, voluntatem, & actiones omnes, quæ in corde sedem habent.

Amor totum hominē obstringit rei, quæ impēsè adamatur.

Hebræa. *Mercerus in Lexico Hebræo in voce* לבב.

Syrus interpres ita vertit, לבכון *leuecun*, id est, fortitudo tua, siue cor tuum. Nota radicalem Chaldæam, & Syriacam huius vocis esse לבב *lauau*, quæ primariò apud Chaldæos, & Syros, perinde est ac consolari, exhortati, gratulari, in quo sensu vsurpatur à Paulo 1. Thess. cap. 5. Præterea eadem vox primitiua significat roborare, & inflāmare, vt videre est in Aruc, & in Guidone Fabricio expendente dictiones Syro-chaldaicas. Græcis vox καρδία affectum sonat, vt & Latinis cor, mentem, animam, & fortitudinem refert, imò & omnes animæ vires, vt ipso etiam loquendi schemate Scripturæ sacræ liquet, vbi dictio cordis omnia hæc innoluit, quæ cor variis linguis significat.

Chaldæa.

Quid significet cor in Scriptura sacra.

Sic

Deut.6.

Sic Moyses Dei amorem insinuat: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Ibi, cor, anima, & fortitudo, voces sunt synonymæ, amoris summam graphicè lineantes. Christus eodem afflatus spiritu quo Scriptura sanctior emanauit,

Matth.22.

legisperitum sic olim affatus est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Eo fandi tropo Christus cor & mentem eadem dictione retulit. Ille idem Dominus, dictionum omnium vim apprimè callens, vtpote Verbum Patris, in quo sunt thesauri scientiæ & sapientiæ Dei, dixit diligere Deum ex toto corde, perinde esse ac eum diligere quantùm homini fas est. Sic ille apud Lucam, iurisperitum initians sacris mysteriis:

Luc.10.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Hæc omnia vnum idem resonare patet ex eo quod dicendo omnes vires, liquidò commemorat mentem, & animam totam, citra quam nequeunt esse vires. Ita rem se habere non eunt inficias interpretes sacri.

SENSVS LITERALIS.

Cor totam affectuum turmam secum vehit.

In hæc verba:

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex SS. Patribvs.

Ex SS. Patribvs.
August. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22.

PRæstò est Augustinus adstruens meam sententiam de identitate cordis cum ea affectuum turba. Hunc accipe. *Hac regula dilectionis diuinitus constituta est: Diliges, inquit, proximum sicut teipsum. Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum, in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait: Toto corde, tota anima, tota mente; nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Vides hoc stylo

Nomine cordis tota affectuũ animæ turba intelligitur.

Augustini cor totam vitæ nostræ summam comprehendere; ita vt qui thesaurum habet; & ei cor suum apposuit, nihil planè residui habeat quod vacare possit. Vt ergo omniscius hic præceptor Christus Dominus deorsum inclinantem affectum nostrum erigeret, cautè præmonuit suos symmystas, vt seriò resilirent ab amore sæculi huius, si compotes esse vellent sæculi potioris.

Quàm cautè sit noster dispensandus amor creaturis, & quare.

Eam namque esse indolem rerum omnium, quæ amantur, vt hominem totum sibi despondeant, & inhabilem cælo efficiant, si res, quas deperit homo, sint à cælo penitus alienæ. Eamobrem vbi ostendit, thesauros in terra reconditos non habere vnde demereant affectus nostros, quia tineæ & ærugini subsunt, furumque patent insidiis; aliam prævalidam rationem subtexuit, nimirum res thesauri loco nobis existentes adeò demulcere amorem nostrum, vt nihil animæ supersit, quo valeat ad diuina postmodum anhelare.

Opportunè hoc argumentum versat Chrysostomus ita commentatus:

Chrys. ho. 20. in Matth.

In quæ discrimina anima incurrat auidè inhiãs thesauris huius sæculi.

Quid igitur? aurum tinea corrumpitur? Nequaquam profectò, sed quod à tineis non consumitur, asportatur à furibus. Quid ergo? Omnes spoliatos putamus? Etsi non omnes, sed certè quamplurimos: propterea quippe & aliam, vt paulò antè dixi, rationem inferens ait: Vbi fuerit thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Etiamsi nihil inquit tale contingeret, non tamen exiguum patereris incommodum, terrenis rebus affixus, & seruus factus ex libero, & cælestibus bonis excidens, nunquam de sublimibus cogitans; sed pecunias iugiter, & vsuras, & fœnus semper, ac lucra, & reditus tabernarum illiberales. Quo quid tandem queat infelicius inueniri? huiusmodi quippe deterius quam quilibet seruus afficitur, tyrannidi huic sæuissimæ subiugatus: quæque omnibus potiora sunt abiiciens pariter, propria scilicet libertatis, ac nobilitatis insignia. Quantacunque enim tibi aliquis voluerit de veritate disserere, mente pecuniis affixa, nihil ex vtilibus poteris audire: sed quasi quidam canis ad sepulchrum reuinctus, & tyrannide pecuniarum omni catena tenacius illigatus, adeuntes te atque poscentes latratibus tuis personas, vnum atque idem iuge opus exequens, vt aliis reposita conserues: quo quid vnquam possit miserius iudicari? Sed tamen quia hoc celsius erat, quam vt ad illud auditorum mens possit ascendere, & neque custoditi thesauri damnum, neque contempti lucrum facilè poterat intelligi; sed opus erat sapientiore ac perfectiore sententia, quæ id vtrumque perpenderet: sic quidem illa præmisit, vt tamen postea manifestiora subiungeret. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit cor tuum.

Elegans oratio Chrysostomi monẽtis esse cauẽdũ ab amore rerum infimarum.

Quare potissimum non sint amandi impensè thesauri huius sæculi.

Nonne hæc benè quadrant præfatis à me, scilicet thesauros non esse relinquendos eo tantùm nomine, quod instabiles sint, sed quia in extremam perniciem deducunt animas nostras, captiuantes amorem nostrum, quo deuincto, premimur iugo vtique importuno. Prudenter Christus hanc vltimo mentionem fecit de corde degente vbi thesauri latent; quasi diceret: O Auare, instabis non omnes thesauros deperire suis possessoribus. Proferes Hircanum, qui rerum potiens apud Hebræos, obsessa Ierosolyma redemit vrbis excidium, reclusis opibus hactenus obseratis.

Ioseph. lib. 7. antiq. iudaic. cap. 12.

Sed esto gazæ fartæ tectæque deueniant ad posteros, & ingruentibus occurrant angustiis; hoc tamen vnum virus affricant custodibus suis, scilicet vt cor astutè pelliciant, omnes animæ vires illico depascentes. Ita facultatibus illibatis, anima depereuntis opes non est sui iuris, ac proinde diues est peioris longè sortis, quàm sit inops, suos moderatus affectus, inde liber, vnde pauper.

Diuitiarum amor nimius seruos facit homines suis thesauris incubantes.

Quia autem præfatus sum, mea sensa probari ex verbis subsequentibus, vbi desumpta similitudine ab oculo corporeo Christus insinuat, quali intento moderari quisque debeat affectus suos, vt supra prælibaui; placet aduocare Chrysostomum, quo sanè inconsulto decurri versum illum, quem dum appẽdi ad trutinam Sanctorum Patrum, vidi concurrere nostras sententias. Eamobrem ne suo frustretur honore sanctus ille scholiastes, æquum censui referre illius commentarium hoc tenore.

Chrysost. vbi supra.

Facit illud etiam alio sermone lucidius, à rebus quæ intellectu percipiuntur, ad res sensibus subiectas sermonem traducens, hisce verbis:

Cor suum terræ affigit, qui terræ amore capitur.

Lucerna corporis tui, oculus est, ac si diceret: Ne defoderis aurum in terra, nec quidquam aliud eiusmodi; siquidem tineæ illa, & ærugini, ac furibus congregabis: si verò has aliquo modo pestes effugeris, tuum tamen cor seruitio subiugare, terraque affigere non omnino effugies. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Igitur si thesaurum tuum condideris in cælo, non illum tantùm fructum capies, quod præmia illic reposita consequeris, sed magnam hic mercedem capessis, quod illuc mente transgrederis, & ea quæ ibi sunt cogitas, déque illorum es possessione sollicitus. Vbi enim thesaurum tuum reponis, illuc transponis & mentem. Cæterùm si id facias in terra, in ipsa proculdubio totus hærebis. Sed si obscurum putas esse quod dictum est, audi etiam cætera quæ sequuntur: Lucerna corporis est oculus, &c. Quod enim oculus corpori, hoc intellectus est animæ. Vt enim nequaquam optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus indicabis: quæ si tibi certè depereat, nihil te iam reliqua vita delectat; quantò magis hoc pro oculis mentis debes efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, pleraque iam membra suo vsu, ac officio carent, lumine ipsis extincto; ita etiam mente cæcata, innumeris prorsus malis vita tua cumulatur. Quemadmodum igitur in corpore hoc maximè prouidemus, vt oculos habeamus incolumes; sic etiam in anima, intellectus conseruemus salutem. Si verò cæcamus istum, quo aliis quoque debemus lumen inferre, vnde iam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exsiccauit & fluuium; sic etiam qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus vna confusione cæcauit. Hæc ille, summam hanc in thesauro perniciem animaduertens, quòd oculum animæ scilicet intellectum obumbret: quippe etiam cor intellectum sonat, vt vidimus ex Hebræis.

Cæli amor hominē omnino liberum facit.

Intellectus est oculus animæ.

Thesauri huius sæculi hominem excæcant.

Cor apud Hebræos intellectum quandoque significat.

Quibus præcipuè argumentis præcones verbi Dei debent homines auertere ne thesauris huius sæculi suos deuoueant affectus.

Nolim itaque præcones verbi Dei declamare in thesauros, eo nomine quòd sint alternantes sortes fortunâ labiles, vel quia reconditi nullis consulunt angustiis, vel demum quia multo labore fiunt gazæ. Displicent illæ rationes, vtpote infirmæ, dum quisque videt ditiores indulgere genio, primas tenere in publico consessu, epulari opiparè, & splendido amictu, cunctis aliis, polymitis vestibus eminere. Alia igitur machinâ arietandum est in serpentem hominum cupidinem: scilicet inculcanda est miseranda animæ seruitus, quæ vt primum rei placitæ amore flagrat, statim ab amore in amentiam transit, nihil prorsus animo versans, quàm concupitæ rei inania simulacra, quibus anhelis litat votis, pessimum sic æuum agens præpediti affectus vinculis irretitum. Non auri duntaxat congesti in cumulos illud est singulare dispendium animæ affrictum, sed & rerum omnium, quarum appetitu incongruo perurgetur homo: illis nempe omnibus ea est insita nequitia, vt plusquam par est adamatæ animas infatuent, subodorantes aliquid insolens in illa suæ cupidinis illecebra, cui se totos ex animo deuouerunt. Ita Hieronymus: *Hoc autem non solùm de pecunia, sed de cunctis possessionibus sentiendum est. Gulosi enim Deus venter est. Lasciui thesaurus sunt lubrica, amoris libido, huic seruit vnusquisque à quo vincitur.* Cautè igitur homo debet inuigilare suis affectibus ne rebus infimis impliciti animam efficiant vile mancipium reculæ forsan anxiè concupitæ. Anima sic malè habita, lugenda est, etsi multos patiatur æmulos inuidentes fortunæ, quæ cùm irradiat creditur eminere.

Hieron. in c. 6. Matthæi.

Est deploranda salus animę quę amorem suum despondit rebus huius mundi.

Ita planè deploranda salus est animæ huius, quæ suis obstricta votis, obsequitur rebus his terrenis, quarum desiderio incautus æstuat appetitus. Huic animæ austero conclusæ ergastulo ita Chrysostomus ingemit: *Quando lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem subditis supererit spes salutis? Propterea nunc quidem omisit dicere eas quæ diuitiis tenduntur insidias, lites, pugnas; quanquam superius memorauit, etiam ista dicendo: Ne fortè aduersarius te tradat iudici, & hic ministro, & in carcerem mittaris: sed ponens his omnibus saniora, & quæ absque dubio semper accidunt, à maligna concupiscentia liberat audientes. Etenim multo horribilius est, mentem huic ægritudini mancipare, quàm carceris squalore macerari. Et alterum non semper accidit, alterum verò indiuisibile habet cum pecuniæ cupiditate consortium. Et idcirco post illud, istud locauit, vtpote pessimum, & quod soleat omnibus accidere. Dedit enim nobis intellectum Deus, vt ignorantiam fugemus è mentibus, vt ratum teneamus iustumque rerum iudicium, atque ad alia huiusmodi dirigamur: & contra diuersarum impugnationum varios incursus, hoc quasi quodam scuto vsi ac lumine maneamus innocui atque muniti. Nos verò tantum hoc Dei donum temerè prodimus, propter superflua ac vana prorsus. Quid enim prodest auratis armis milites refulgere, cùm ducitur Rex ipse captiuus? Quod lucrum est ornata depictaque nauis, cùm ipsius mergitur gubernator? Quænam illa est benè compositi corporis pulchritudo, cùm faciei oculos amisit?*

Chrysost. vbi supra.

Quanta sit clades animę cuius intellectus offunditur tenebris.

Rerum terrenarū amor animam excæcat.

SENSVS LITERALIS.

Abstrahendus est animus ab affectu rerum terrenarum, ne homo sit impos assurgere ad cælestia.

In hæc verba:

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

CONIECTVRA TERTIA

Ex Ratione.

HÆc prælibata meam stabiliunt sententiam, affirmantem hoc fuisse præcipuum intentum Christi, scilicet deterrere homines ab affectu rerum caducarum non eo duntaxat intuitu, quòd aliquando deficiant, sed quia principes animæ dotes imò quæ sunt hominis omnia deprædantur. Quippe asserere, thesaurum sibi vendicare cor hominis, perinde est ac dicere, hominem excordem esse, ac proinde in omnem mollitiem fractum, torpentem ignauia, & impotem prorsus ad ardua meditanda. Cùm itaque animus sui

Excors est homo qui thesaurizat & quare.

Excordem esse hominem quid significet.

Osee 7.

sui iacturam patiatur amando noxia; nullo alio potiore argumento potest ingeri nausea mundi huius illius allectis, quàm resonando hæc verba Christi suadentis meliora, ne si deperimus hæc terrena, pereamus & nos, patientes deliquium cordis, cuius omne robur res amatæ solent infringere, & affectus singulos vsurpare. Vt Spiritus sanctus sibi concolor est in serie tota Scripturarum, vtitur eodem typo cordis, vt carpat insaniam tribus Ephraim, quæ Deo abdicato, totam se terræ affixerat, vacando negotiis huiusce sæculi, & à Deo penitus alienis. Hoc contextu Vates damnat populi huius insanum morem; *Humiliabitur superbia Israel in facie eius: nec reuersi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum in omnibus his. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* In quæ autem discrimina deuenerit ille populus excors, præfatur ille idem censor, errabundi populi socordiam deflens: Quippe iners & acedia dissolutus fuit Ephraim, corde suo exutus: nimirum inde fluunt viuaces hi spiritus, vnde corpora vegetantur. Sic ille: *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit.*

Ibidem.

Quare amor huius sæculi hominẽ ferè impotẽ reddat ad salutem suæ animæ procurandam, & hoc nota.

Prænotaui ex Hebræo fonte, cor significare intellectum, & ex lingua Syris vernacula, cor referre fortitudinem. Quid ergo mirum si populus excors, nescius sit miseriæ, qua sorte iniqua premitur imbecillus; cùm corde careat, id est, hebes sit intelligendi acies, & depascente amore robur exhaustum. Hinc accipe indubiam causam, dubiæ salutis hominum, quos varia rerum humanarum cupido sollicitat. Anxius ille appetitus totum hominem effert eò quò rapitur, ita vt sit velut impos sui, & nihil planè supersit ei, quo resilire queat vnde iacet implicitus. Præcipuè autem cæcutit mens excæcata caligine, quam offundit amor puluerem spargens, quo singula quæque hæc infima coalescunt. Etenim hallucinatur mens in delectu boni ementiti, ac proinde nescit in quod discrimen deueniat. Præpedita ratione voluntas in inane simulacrum boni offendit, & incauta capitur illecebris rei cuiusque opaca pectora demulcentis. Eamobrem cùm langueat omnis amantis, necesse est eum infirmari, qui cor suum obstrinxit inanibus; sicque eius partes sunt, nescire, & pariter eneruari. Quippe constans est diuinum hoc effatum, carpens hominem sui cordis incurium: *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit.* *Isa. 46.*

Quisquis itaque volet prælibata vitare dispendia, is satagat sedulò reuocare cor suum incautè deforis occupatum; iuxta Domini sententiam ita compellantis homines errabundos: *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis, & fecistis similem? Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, vt faciat Deum, & procidunt, & adorant. Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo, & stabit, ac de loco suo non mouebitur, sed & cùm clamauerint ad eum, non audiet, de tribulatione non saluabit eos. Mementote istud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor.*

Quomodò Deus intuehatur in homines, qui cor suum creaturis obstrinxerunt.

Hoc contextu Deus ait, animam non posse fieri reducem à peccato nisi repetat cor, quo exuta caligat, & ægrota iacet. Nempe animarum conuersio auspicanda est ab intuitu miserandi habitus, quo reprobus angitur. Nequit autem anima resipere, & explorare suum statum, si fuerit expers intellectus. Rursus præuium hoc examen congruos non sortitur effectus si non præpollet anima viribus opportunis. Ergo cùm cordis nomine, Codex sanctus denotet intellectum, & omne animæ robur, operæpretium est hominem repetere suum cor deperditum, si ab ingruentibus periculis optat se quantocyùs expedire. Prolixior ista versiculi huius expensio non erit onerosa, si perpendas quàm sit animæ proficua, & inde rescias vulgatissimas etiam Scripturæ sacræ phrases, medullosum quidpiam recondere, si vti par est simpliciore vocum cortice denudentur. Enucleato iam textu hoc de indiuidua cordis & thesauri sede, hoc superest edocendum, qua scilicet cautela debeant humani cordis intima custodiri. Hoc morale institutum erit pensum Sectionis, quæ paragraphum istum excipiet. Hanc consule, vt factus hic doctior, fias inde melior, subiectis illic ritibus obseruatis.

Vndè sit auspicanda salus seu conuersio animæ, quæ à Deo deuiauit.

Quàm sit necessaria sui status notitia.

MORALIS EXPOSITIO EVANGELII PROXIME literaliter expensi.

EVANGELIVM SECTVM IN TOT numeros, quot sunt propositiones discussæ moraliter.

I. II. CVm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Matth. 6.

III. IV. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

V. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.

VI. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

VII. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

EVANGELII MORALIS expositio digesta in tot titulos, quot prostant sectiones moraliter discutientes textus prælibatos.

I. VT anima deuia à delectatione incœpit delinquere; ita eadem hæc anima redux ad Deum debet auspicari à sincera tristitia longè ab ea, quam profitentur hypocritæ.

II. Qui si recolerent omnia deficere, & abire in cineres, inde argumentum validum desumerent ad tristandum, eò quòd tandiu indulserint carni, quæ breui in cinerem resoluetur.

III. Si præterea meminerint hi homines solliciti de meliori fruge, totam hanc sæculi pompam esse infra mercedem, quæ bona opera manet; profectò resilient à fœdere inito cum hoc sæculo nequam, cuius oculis arridere, eorum gratiam conciliando virtutum praxi, illud est excidere mercede sua.

IV. Cuius tamen nullum dispendium patitur ille, qui gloriam hominum captat, vt medium ad Dei obsequium, cui homo inglorius ægrè potest attendere. Etenim plerumque tenella virtus laudibus irrigata pubescit, eoque incrementi prouehitur, vt adulta fiat. Tunc hominem peccare pudet, ne excidat gloria comparata Deum offendendo, qui etsi præcipuus sit finis actionum; illud etiam quàm maximè probat, ne quis fama sua incurius, gloriæ suæ omnino desit, cùm eius cura conducat etiam ad salutem animarum, & tutamen gratiæ.

V. Quæ maximè influit Deo inungente nos. Vnde & citra hanc Dei vnctionem inania sunt ieiunia nostra, suumque non sortiuntur effectum, illum vtique, quo beãda est anima inediã passa, vt Deum demereatur, & expungat omnes reliquias vitæ aliàs præpeditæ illecebris huius sæculi.

VI. Sed esto Dei vnctione præuia, id est, comite gratia, anima nundinari queat dotes Beatorum, & mercari cœlũ, eò deferendo suos omnes thesauros; tamen pelliciente mundo multis patet insidiis, vt abstrahatur à voto thesaurizãdi in cælo. Ab his se tricis expediet anima, cui insedit potiores huiusce sæculi gazas esse viles quisquilias, ac proinde indignas, quibus adhæreat mundus hominis animus, cautè pertæsus omnem huius vitæ supellectilem, vt alteri & potiori thesauro intendat, scilicet cælo, cui se bonis operibus aptare satagit.

VII. Et præcipuè cautè inuigilando cordi suo, de cuius custodia maximè sollicitus esse debet homo, vt de thesauro, cui vim inferre tentant dæmones omnes, stipati mundo, carne, & toto agmine vitiorum. Hunc thesaurum cordis anxiè cupit mundus suis etiam gazis adiicere, vt eo cordis humani turgeant incremento. Hos declinat astus homo cautus, sua omnia colligendo vota & affectus, vt Christo Domino mancipentur. Ne autem peruius sit æmulis hic thesaurus, anima impigra & de sua salute sollicita omnem mouet lapidem, nullasque omnino præterit excubias, vt thesaurus ille sartus tectusque suo & rerum Domino conseruetur.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Vt anima deuia à delectatione interna incæpit delinquere; ita anima ad Deum redux debet auspicari à sincera tristitia, longè ab ea quam profitentur hypocritæ.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

SECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

Reprobi vt plurimum abutuntur Scriptura sacra vt quærant vitiis suis patrocinium.

INdustriam suam omnem acuit dæmon in extremam hominum perniciem, omnemque mouet lapidem, vt eum in animas intorqueat: grauiori autem plaga sauciatur homo, & eò lethali magis, quò sanctius est penu, vnde sicarius ille sua deptomit tela. Eamobrem dubia ferè salus est eorum, quibus Angelus hic nebulo illudit, Scripturæ sanctioris obiiciens textus idoneos, ad probanda sua deliria: hoc potissimum astu callidus ille hostis conciliat sibi animos tinctos aliqua disciplina: hi nimirum vt probe callent, neminem posse delinquere conscio & præeunte Codice sacro, non cunctantur dare manus & annuere suasori, qui sua ex Euangelio prompserit argumenta. Vbi illud hominum ingenium diabolis innotuit, Scripturas ex se innoxias aptauere sibi in pharetras multiplici telo fœtas, vt spicula inde exerta cautè configerent homines eruditos, quos ideo iniquos plerumque ferunt viri probi, si quando resiliunt à tramite quem decurrunt impij voluptatis asseclæ, suo genio perperam indulgentes. Nempe hi assueti deliciis offenduntur sanctiore ritu hominum pœnitentum, quos mœror angit elicitus à commemorata vita nefaria. Et quasi tristitia hominum lugentium sua piacula, sugillaret effrænes debacchantium mores; illi omnes nequam insurgunt in insontes, eorumque luctum carpunt velut incongruum, & damnatum ipsâ etiam censurâ Christi præmonentis, cauendum esse illud schema pœnitentum, quorum tristior habitus hypocrisim sapit. Sic ille: *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Adiiciunt illi laxioris vitæ patroni, gratam esse & apertam virtutis indolem, atque adeò odisse rugas, & tesseras omnes tristiores, quæ contrahunt vultus, Deumque magis placari æquo & hilari animo, quàm mœrente, iuxta illud Pauli effatum: *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Prælibati illi textus adiuti obsequio carnis exosæ omne austerum, deuinxere sibi animos sectatores dogmatum Epicuri, cui beatitudo tota de voluptate constat.

Quare nolint reprobi tristari de peccato.

Matth. 6.

2. Cor. 9.

Sed esto, adblandiantur sibi dyscoli omnes, præfatis textibus innixi, & omnigenam tristitiam clament esse iniuriam virtutum praxi; stat tamen illibata & inconcussa thesis huiusce sectionis, videlicet deuias animas, siquando fiant reduces, debere meliorem frugem auspicari à sincera tristitia, cuius amarore diluant noxas, quas dulcedo noxia voluptatis enixa est. Namque vt Scriptura sacra damnat ementitam hypocritarum tristitiam; ita & commendat quàm maximè mœrorem ingenuum, qui diuexat animas malè sibi conscias: quippe hoc luctu anima cautior fit, vtpotè liquidò erudita virus inesse illecebris, quæ fugaci lætitia gestiunt, & elapsæ iugi tristitia lancinant sua vilia mancipia. In hanc spuriam hypocritarum tristitiam inuehar, postquam commendauero illam tristitiam, quæ encomiasten habuit ipsum etiam Paulum Apostolum, ita affatum Corinthios deflentes facinus impium, quod Paulus antea condemnarat. Accipe contextum Apostoli. *Si contristaui vos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd epistola illa etsi ad horam vos contristauit, nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.*

Commendatur tristitia de peccato.

Diuisio sectionis.

2. Cor. 7.

SENSVS MORALIS.

Pœnitentiæ rudimenta auspicanda sunt à tristitia castigante præteritas voluptatis illecebras.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX PHILOSOPHIA, EX VTROQVE IVRE, ET EX THEOLOGIA.

Quare debeat anima pœnitens auspicari à tristitia suam conuersionem.

XErxes Persarum Rex numeroso agmine populatus est Græciam: sed vt extremis rebus periculosa est desperatio hostium, quos eò adegit iniqua sors armorum; Græci parua sed valida manu fregerunt immensum penè exercitum Xerxis, cui longiores in Græcia moræ malè cessissent, ni consultor opportunus monuisset esse retrocedendum in Persidem eadem via, qua Græciam inuaserat. Ille consilio obsecundans retrogrado gressu consuluit sibi. Eâ tantùm industriâ cauere potest sibi anima Deo iniuria: nempe luxurians effusa est in omnë voluptatum colluuiem saturata deliciis; vt ergo iram Dei fugiat imminentem, auspicetur pœnitentiam suam à salutari tristitia, quæ est pharmacum gaudij illiciti, & species iustitiæ commutatiuæ.

Iustitiæ commutatiuæ ratio tota est in æqualitate, quæ in eo sita est, vt quantùm quisque indebitum sibi accepit, tantùm & rependat ex propriis. Cùm ergo pœnitentia satisfactionem dicat, quæ est species iustitiæ commutatiuæ; pœnitens tantùm debet ex proprio penu rependere, quantùm de inconcessis antea præripuit. Vnde quia incongruè gestiens, effusus est in noxias quasque delicias, earum dulcedine delectatus; operæpretium est eum, qui exultauit in rebus pessimis, diluere hæc illicita gaudia congruâ tristitiâ, & tantùm angustiarum subire pondus, quantùm noxiæ lætitiæ assumpsit, vt Deo ipso decernente sancitum est hoc tenore recensito à Ioanne: *Quantùm glorificauit*

EX PHILOSOPHIA. *Aristot. l. 5. Ethic.*

Quare debeat homo pœnitens contristari.

Apoc. 18.

B 4

ficauit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum. Eo spontaneo luctu tristior anima effecta renuntiat tripudiis omnibus iniquis, quibus intenta sese hactenus obstrinxerat.

Voluptatis illecebra expungenda tristitia pœnitentis.

Philosophiæ huic morali concinit & Physica, affirmans contraria accidentia præire formis oppositis, vt videre est in aëre, qui deposita forma sua accenditur, & induit naturam ignis, calore præuio corrumpente priorem eius statum. Igne extincto, & eius materia subeunte formam aëris, compertum est illum eumdem aërem quandoque adeò frigore concrescere, vt tandem diffluat factus aqua. Similia Deus præambula requirit ab anima sui oblita. Nempe anima Deum auersata, obscœno hominum commercio primum incaluit, deinde æstu gliscente, postmodum igne libidinis accensa est, & hoc depasta incendio, exultabunda rogum illum suas delicias fecit. Quid iuris? Sanè conclamante vtroque iure, Canonico scilicet & Ciuili, eadem animæ potentia incongruè delectata doloris mulctam vltro pati debet. Ecce Canon. *Ibi semper causa agatur, vbi crimen admittitur.* Hoc decreto castigari debet pars appetitiua animæ, quam subiit delectatio intempestiua de scelere perpetrato. Eò etiam collimarunt Imperatores Arcadius & Honorius ista sanctione. *Sancimus ibi esse pœnam, vbi noxa est.* Ea lege cor irrepente illecebra dilatatum fruendo & gaudendo illicitis, si velit redire in gratiam cum Deo, debet subito mœrore contrahi, vt doloris acerbitas cor castigans, omnem pellat gaudij sensum, à quo omnia quæque facinora capiunt exordium. Animâ has alternante vices gaudij & mœroris, ibi sanè infligitur pœna, vnde effluxit noxa, idemque cubile cordis, stratum illecebræ, purgabitur lacrymis, quæ sunt indubia argumenta doloris insiti, ipso etiam Dauide teste, qui lacrymarum repurgio abluit cor suum, luxuriæ contagio conspurcatum, totumque illud negotium expressit symbolo lecti fletuum imbre desudantis. In eo quippe suo affectu illicito, velut in cubili suauiter strato, obscœnè quieuerat: ibidem etiam dolore vrgente luit pœnas, integræ pœnitentiæ specimen editurus. Sic ille: *Lauabo per singulas noctes lectum meum.*

Ex Ivre Canonico. *Can. ibi. 3. qu. 6.*
Ex Ivre Civili. *Lege Sancimus Cod. de pœnis.*
Psal. 6.

Illud Dauidis ingenium rimans Augustinus, ait lectum hunc fuisse id, cuius suauitate delinita peccantis anima iacuit vt in lecto, vbi tandem irradiante Deo cautior effecta, & pertæsa suos mores improbos, dolendo punit quod plus nimio gaudens impiè perpetrauit. Quia hoc schema pœnitendi debent æmulari omnes qui meditantur meliorem frugem, libet audire Augustinum meæ sententiæ suffragantem, dum expendit verba Psaltis, pœnitentiæ suæ seriem enarrantis. Accipe eius sententiam. *Laboraui in gemitu meo. Et tanquam parum profuerit, addidit: Lauabo per singulas noctes lectum meum. Lectus est hoc loco appellatus, vbi requiescit animus æger & infirmus, id est, in voluptate corporis, & in omni delectatione sæculari. Quam delectationem lacrymis lauat qui sese ab illa conatur extrahere. Videt enim se iam damnare carnales concupiscentias: & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in ea libenter iacet, vnde resurgere nisi sanatus animus non potest. Quod autem ait: Per singulas noctes; hoc fortasse accipi voluit, quod ille qui spiritu promptus sentit aliquam lucem veritatis, & tamen in dilectione huius sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit, tanquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati.* Hæc ille, versans vices alternas mœroris & gaudij, vbi res est de anima meditante sana consilia.

Ex SS. Patribvs. *August. in Psal. 6.*
Quomodo sit lauandus animæ lectus vitio conspurcatus.

Theologia etiam suas prætendit faces in eo argumento prælucidas, & quarum obsequio liquet, dolorem siue tristitiam esse pœnitentis animæ rudimentum. Sic illa Deo fœta disciplina. Anima expers gratiæ, auersata Deum, proprio nisu tantùm nequit repedare eò vnde deuiauit sponte suâ, id est, nequit redux fieri reassumptis gratiæ infulis, quia status ille præterit modum agendi naturæ ordini præstitutum. Sed esto animæ iustificatio transiliat omnes naturæ fines positos longè infra gratiam, quæ est superioris ordinis; ne tamen iners omnino anima esse videatur in operoso illo negotio, Deus ab ea prærequirit aliqua prelludia, quibus se accingat ad donum illud, cui ex se impar est. Has dispositiones Theologia refundit in principes animæ potentias, intellectum scilicet & voluntatem: ita vt illæ potentiæ moueantur ritu planè contrario ei quem prius inierunt. Verbi gratiâ, hallucinans intellectus antea delicias proposuit appetitui veluti congrua quædam bona conducentia ad vitam nesciam ærumnarum. Eâ ementitâ specie boni decepta voluntas effusa est in obiectas illecebras, quarum fruitione delinitum cor magnam concepit lætitiam. Vt tantis ergo deliquiis eatur obuiam, ratio adiuta superno lumine delicias debet intueri vt præsentissimum virus saluti iniurium, & voluntas odisse malum, quod antea fuit amplexata abditum inuolucris boni illucentis. Et quia malum nocituum non odium sui tantùm ingerit, sed & tristitiam quando animam premit; non odisse tantùm voluptates sufficit, sed insuper est mœrendum, quia noxa residua malum est faciens animam obnoxiam flagello Dei. Non quòd pœnæ intuitus debeat esse argumentum luctus pœnitentum, qui ex se debent vltro occurrere Deo castiganti; sed ideo tristandum est, quia commisimus vnde potest ira Dei in nos meritò desæuire.

Ex Theologia. *Thom. 1. 2. q. 110. art. 1.*
Quomodo anima fiat redux ad gratiam, quam excidit.

SENSVS MORALIS.

Tristitia pœnitentum est antidotum iniquæ lætitiæ.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Historia, ex Ivre Canonico, ex Medicina, et SS. Patribvs

EO animo sua deliquia commemorat Dauid, non dedignans excipi flagris, doloremque suum fouens assiduum, vt tortorem noxæ quam lugebat. *Ego in flagella paratus sũ. Et dolor meus in cõspectu meo semper.* Etsi flagella defuerint aliquando Regi mœrenti sua piacula; nusquã tamen tersit omnes tristitiæ suæ reliquias, quas vegetas criminũ refricata memoria conseruabat. Audiendus hîc Augustinus ita commentatus: *Vnde iste dolebat? De flagello quo flagellabatur? Absit: Et dolor meus, inquit, ante me est semper. Et quasi diceremus, quis dolor? vnde dolor? Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio, & curã geram pro* peccato

Psal. 37.
Ex SS. Patribvs. *August. in Psal. 38.*

peccato meo. Ecce vnde dolor. Non de flagello dolor: de vulnere, non de medicina. Vt Dauid iniquitatis suæ multos habuit Reges conscios; ita & habuit aliquos consortes suæ tristitiæ & mœroris. In his recensentur Ludouicus iunior Rex Galliarum Christianissimus, Boleslaus Rex Polonus, & Sueuo Rex Daniæ, quorum facta pete ex Secundo Tomo meæ Moralis Encyclopædiæ: illic consule indicem, & eo rectore disces quo mœrore prælibati illi Reges suas expiarint noxas. Eorum vnus, scilicet Ludouicus, concepta acerbitate criminis sui perpetuam sibi indixit inediam, vt impastus deficeret, fuissetque voti compos, ni Bernardus ille celebris Abbas fecisset modum huic dolori. Huic Galliarum Christianissimo Regi, adeò contrito suppar fuit Boleslaus, duro sibi penso imposito, quo testatus est quanto tristitiæ pondere premeretur. Qualia angustiæ suæ præstiterit argumenta Rex Daniæ malè sibi conscius, res est scitu dignissima; vt si quos sequaces habeat in scelere, eosdem etiam comites in reditu nanciscatur. Non ergo pigeat lustrare Tomum secundum, vbi fusè decurro pœnitentiæ specimina egregia, quæ præfati principes ediderunt. His adiice historiam illam, quam meminit Clymachus referens immaturam mortem adolescentis cœnobitæ, qui pœnitens facti eo dolore confixus est, quo die octauo præcoci fato elatus est.

Ex Historia. Historia Galliæ in Ludouico Iuniore. Item, Herbus. in hist. Polon. sub an. 1114. Saxo. Gram. lib. 11. histor. Danic. — Egregia exempla pœnitentiæ. — Ioan. Clymachus gradu de pœnitentia.

Prælibata exempla fidem faciunt meæ conclusioni, cuius hæ sunt partes, vt suadeat nullú esse pœnitentiam eius, qui citra dolorem ambit titulos animæ egregiè pœnitentis. Occurrit iste Canon meo intento propitius. *Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis ostẽdat.* Hoc textu vides pœnitentiam quasi definiri ex dolore, quo quis intus angitur, animo reuoluẽs nefandos actus suos. Et reuera dolor indubiè prodit propositum tenax componendi mores suos, vt secus indolens anima suam satis superque explicat incuriam redeundi in gratiam cum Deo, cuius obsequio rea se subduxit. Ita rei Medicæ periti malè ominantur morbo, qui desiit sine criticis angustiis, infidamque nuncupant illam sanitatem, cui crisis integra non præiuit. Nimirum vt absit suspicio omnis noxij humoris abditi in venis, aut hypochondriis, natura sagax rimans penitiora quæque loca, tentat expellere quidquid facessere potest negotium ægro, qui decumbit. In eo autem procinctu, quo molitur natura repurgium noxij huius fermenti, plerumque febriens homo multiplici angustia diuexatur. Sed lancinans ille dolor, est præambulum sanitatis, quæ imminet. Paucis expedit Hippocrates. Ὁκόσοισι δ' ἂν οἱ πυρετοὶ παύωνται, μήτε σημείων γενομένων λυτηρίων, μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσιν, ἀποστροφὴν προσδέχεσθαι χρὴ τουτέοισιν. *Quibus febris desinit, non cum indicijs solutionis, neque diebus decretorijs, recidiuam expectare oportet.* Galenus assecutus mentem Hippocratis ait, ea quæ fiunt præter rationem in præcipiti sanitate facere recidiuam. Est autem anomalum valde, sanari febrientem hominem citra effluxum causæ morbiferæ, cuius eruptio fieri nequit absque aliquo tormine seu dolore præeunte crisi, quia humor ille iniquus adglutinatus vasis, dum moliente natura truditur, validè discruciat, hoc labore reuocans sospitatem ægri.

Ex Ivre Canonic. — Can. Quem pœnitet de pœnit. dist. 1. — Ex re Medica. — Hippocrat. l. 3. praes. 24. — Galen. in l. 3. prasag. — Egregia cõparatio crisis cum contritione animæ.

Simili prope modo anima diuexatur conciliatura sibi Deum. Prauos affectus sibi inolitos ægrè deponit; deponit tamen, quia sunt hi semina peccatorum, quæ à tergo instant, si latentes illas scelerum reliquias homo conscius enutriat. In eo agone rixatus animus tristior effectus, ob perpetratum nefas, & propter repudium ineundum cum his omnibus illecebris, quæ animam imprudentem antea demulserunt. Grauis sanè controuersia est illa, sed Deo suffragante anima effecta superior, curatur ab infirmitate sua, & suo experimento probat, esse tristitiam salutarem. Has animæ molestias expertus est Dauid, Deum sollicitans vt sua manu benefica, animam labantem erigeret, ne dum nutante vestigio frustra nitebatur, deorsum iterum inclinaret. Quia sic orauit, exorauit. *Conuertere Domine, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.* Illa eius animæ erectio in Deum deiectioni occurrit, quam suggerebat sarcina peccatorum. Deo aduocato composita discordia corporis cum anima dissidentis, Deoque facto propitio, & quasi conuerso ad animam adiuuandam, illa salutariter est conuersa, quæ Deum auersata, & Deo aduerso antea decumbebat. Meam sententiam suo calculo probat Augustinus, enucleans versum illum Psaltis hoc contextu. *Conuertens se orat, vt ad eam conuertatur & Deus, sicut dictum est: Conuertimini ad me & conuertar ad vos, dicit Dominus. An ex illa locutione intelligendum est, conuertere Domine, id est, fac me conuerti, cum in ipsa sua conuersione difficultatem laboremque sentiret? Dum nos conuertimur, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum; durum sentimus, & laboriosum, ad serenitatem, & tranquillitatem diuinæ lucis, à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Et in tali difficultate dicimus: Conuertere Domine, id est adiuua nos, vt perficiatur in nobis conuersio, quæ te paratum inuenit, & fruendum te præbentem dilectoribus tuis. Et ideò postquam dixit: Conuertere Domine, addidit: Et erue animam meam; tanquam inhærentem perplexitatibus huius sæculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conuersione patientem.*

Psalm. 6. — Ex SS. Patribus. August. in Psalm. 6. Zachar. 1. — Anima in sua conuersione magnas patitur angustias.

SENSVS MORALIS.

Pœnitentis animæ mœror eam aptat sicuti par est ad æterna tripudia nanciscendum.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex Antiqvitate plvrivm nationvm, et Sanctis Patribvs.

Hæc eruta hactenus è vario scientiarum penu, adstruunt propositum à me dogma, quo pœnitentes hortor animas, vt tristentur ob retroacta facinora nequam, si animo insedit aliquando, Christo Domino collætari. Et equidem credo, eo intento Ecclesiam præmisisse Quadragesimam festo Resurrectionis Christi, vt inedia, & contritione castigati homines, illâ tristitiâ præmiâ Resurrectionis gaudia mercarentur. Non erit

incon

Ex Antiquitate

Herodot. l. 6. Varij ritus explicandi suum mœrorem.

incongrua isti titulo recensio ritus perantiqui olim vsurpati, quando Principes & Heroës fuere adscripti inter Diuos. Nempe prisca hæc ætas suorum obseruantissima rituum, antequam referret extinctos Reges in Deorum album, iussit omnes regni fines luctu publico nigricare; arbitrata lacrymas, mœrorem, & anhela suspiria esse vehicula quibus indigetes sidera transcenderunt. Auctor est Herodotus, Laconum Rege emortuo, statim indictum fuisse cursoribus, vt rumore hoc sparso afficerent omnes tristitia, & dolore. Mulieribus autem (vt hoc est semper queruluin genus) ea erat prouincia demandata, vt defluente coma libero conquestu, luctum suum crebro proderent eiulatu. Meminit Homerus, in Heroum funere fuisse inolitum Græcis detonsos crines deponere in cadauer, vt suo exemplo Achilles probat, qui Patroclo occiso auream propria manu dissecuit comam. Mela, & Diodorus aiunt, Ægyptios solitos fuisse deturpare faciem, & pectore aperto ita plangere Regem suum sublatum è medio. Cares & Phœnices suos Dynastas efferebant tristi modulo lugubre canentium tibiarum. Fuit & mos Æthiopum ex Diodoro, tondere caput, & committere rogo crines suos, in argumentum luctus, quem maximum testabantur olim Galli, quos Iulius Cæsar ait vltro occubuisse in morte suorum dominorum. Eodem propè animo fuere in Reges suos Scythæ, apud quos Gerri funus Regis sui multo seruorum eius sanguine cruentabant. Et quia cupressus arbor excisa non pullulat, habita est vt figura mortui, à quo nihil omnino est sperandum. Ideo vt probarent se lugere multæ nationes, Plinius ait eas appendisse suis foribus cupressos, veluti ferales arbores, & Diti sacras. Ex Lucano soli Senatores Reipublicæ proceres cupresso vtebantur in tesseram luctus. Sic ille.

Hom. l. 3. Iliad.

Mela lib. 1. cap. 9.

Diodor Sicul. lib. 2. cap. 3.

Cæsar. l. 6. de bell. Gall.

Plin. l. 16. c. 31.

Lucan. l. 3.

Ritus antiqui lætandi post exequias.

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Tandem quia non semper imbres, in more fuit positum illis sæculis obsoletis, vt editis argumentis suæ tristitiæ & mœroris in funere Regum seu propinquorum, postea tripudiarent. Sic testantes mortuos esse inauguratos sacris Deorum infulis, aut saltem degere in campis Elysiis, iuxta illud Virgilij.

Virgil. l. 5. Æneid.

-------------amœna piorum

Concilia, Elysiumque colo.

In signum fidei suæ Græci mortuorum oculos recludebant, & cælo ostendebant, antequam corpora concremarent, vt sic innuerent mortuos eò suas animas dirigere, quò oculos intendebant, vt explicat Plinius commemorans illum ritum reserandi lumina demortui hominis eo momento, quo imponebatur busto igne depascendus. Tristia hæc præludia finem habuisse lætum liquet ex concordi more plurium nationum, quæ peractâ funebri pompâ vacarunt epulis, & solemnia edidere spectacula. Primi occurrunt Argiui, quibus hoc fuit institutum, Plutarcho auctore, vt epulæ celebres funus exciperent. Romani vt Græcorum simiæ, & ad eorum normam instituti, plerumque publicas instruxere dapes conuiuio communi sacras post elatum funus, vbi fas erat omni populo conuiuari. In his fuit famosus Marcius ille Flauius, quem meminit Liuius, scribens eum Romæ parentasse matri suæ publica visceratione data populo. Viscerationem Roma nuncupabat, solennes epulas, vbi tauri integri exerto viscere apponebantur populo. Fera Scytharum Gens nequaquam abhorruit ab illo instituto concludendi funera conuiuiis: quippe Herodoto teste celebratis exequiis amicos conuocabant, & opiparo epulo planctui suo modum imponebant. Huic opimo epularum apparatui Romani adiecere ludos, ex institutione Iunij Bruti, quem Valerius ait primum gladiatorum munus exhibuisse populo in honorem defuncti patris. Meminit & Liuius ludos funebres additos muneri gladiatorio, quales edidere toto quatriduo filij Valerij Leuini in gratiam patris sui sublati de medio. Eiusdem etiam animi grati in parentem notas indubias dedit Titus Flaminius, qui visceratione populo data, per quatriduum ludos scenicos exhibuit. Plutarchus suæ Gentis haudquaquam immemor, luculenta oratione commemorat gymnica certamina Græcis vsitata in defuncti memoriam.

Plin. lib. 11. cap. 37.

Plutarch. probl. c. 137.

Liuius 1. Decad. lib. 8.

Herod. l. 4.

Valer. l. 2. c. 1.

Liuius 5. Decad. l. 1.

Plutarc. in Theseo.

Fortè instabis: Quorsum ista commemoratio rituum horum antiquorum? Ad quid ista recensio luctus vsurpati in funere, & gaudij post funera: Nonne est hæc intempestiua relatio ad probandum titulum sectionis, quo me obstrinxi explicare animas deuias non fieri reduces, nisi beneficio tristitiæ, quam operæpretium est exhibere veluti præludium sinceræ pœnitentiæ conciliantis Deum animæ sua crimina castiganti? Non deero postulatis, quæsitoque satis superque faciam, explicata peccatoris indole, cui reuera conueniunt præfati ritus omnes, si à peccato resilire velit. Primò peccatum animam extinguit, vtpote faciens illam gratiæ Dei expertem, qua solâ anima vegetatur. Et esto residua sit spes aliqua redeundi in gratiam cum Deo; transitus ille à morte ad vitam, multa tristitiæ symbola prærequirit. In his laudatur tristior & austerus habitus pœnitentium, quorum est omnem vestium pompam deponere, & æmulari ingenium Græcorum & Romanorum, qui pullati incedebant funera comitantes. Ita Homerus ait, Thetim nigello sibi consuluisse velo, quando adiit Iouem defletura natum suum, Achillem videlicet. Ridet Macrobius insaniam Crassi, qui atratus luxit muræncam in sua piscina extinctam: pullus namque ille color fuit index tristitiæ rationabilis, qualis fuit illa, quam describit aurei asini agaso Apuleius, traducens in theatrum mulierem lacrymosam, & flebilem atra veste contectam, & aliam commemorans matronam pullo amictu lugentem filium perquàm charum. Si veteres, arbitrati suos mortuos incolere campos Elysios, noluere celebrare beatorum illum statum, quin prius extinctorum funus lacrymis alluissent; nonne potiori ratione fas est, vnumquemque mœrere animam suam perpetrato crimine demortuam, antequam fiat compos gratiæ, qua excidit antea delinquendo?

Anima peccatis obnoxia mortua est, ac proinde eam decet in lugubrem componi morem.

Homer. l. 18.

Macrob. lib. 3. Saturn. c. 15.

Apul. l. 3. Metamor.

Verè anima est plangenda quæ peccauit.

Et ne arbitreris esse meum hoc inuentum petere morales sensus ex priscis vsibus, audi Augustinum mihi præeuntem, quando damnat eorum mores, qui multo lacrymarum imbre desudant moriente filio, quo peccante nulla prorsus edidere signa tristitiæ. Sic ille in eos inuehitur: *Audite, fratres, Christiani sumus, & tamen plerumque si filius cuiuspiam moriatur, plangit illum; si peccet, non illum plangit. Tunc plangeret, tunc doleret, cùm peccantem videret, tunc modum imponeret, tunc normam viuendi doceret, disciplinam daret. Aut si fecit, & ille non audiuit, tunc erat plangendus: tunc peius mortuus luxuriosè viuens, quam moriendo luxuriam finiens.*

Ex SS. Patribus.

August. in Psal. 37.

Eleemosynæ & sacrificia pro mortuis.

finiens. Tunc ergo quando ista faciebat in domo tua, non solum mortuus erat, sed putebat. Hæc dolenda sunt, illa sustinenda: illa ferenda, ista plangenda. Hæc ille ibidem alludens ad vetustos mores plurium nationum, quando suadet vt pœnitentes dolorem conceptum ob sua piacula, explicent multâ stipe egenis erogata. Nimirum Maro notat in funere Miseni multo vini oleique libamine fuisse litatum. Credidere Gentes illæ effusione vini & olei, dolorem quoque suum effundere. Accipe Virgilium.

Ex antiquitate.

Virgil. l. 6. Æneid.

--------congesta cremantur

Thurea dona, dapes fuso crateres oliuo.

Vulgare etiam fuit Æthiopum hoc facinus, scilicet vt in solenni luctu boues, aliaque pecora iugularent, in testimonium suæ tristitiæ, vt testis est Diodorus, qui eiusdem instituti participes facit Scythas. Vrgente autem mœrore concepto ob immaturam alicuius mortem, amici superstites nulli planè rei parcebant, sed omnem suam supellectilem funeri deuouebant; vt prisca Latinorum Gens suo exemplo testatum fecit in rogo Pallantis, cuius hoc lugubri carmine Virgilius istam mentionem fecit.

Diodor. l. 4. cap. 1. Idem l. 3. c. 1.

Virgil. l. 11. Æneid.

Coniiciunt igni galeas, ensesque decoros,

Frenaque, feruentesque rotas, pars munera nota

Ipsorum clypeos, & non felicia tela.

Sanctiore ritu Christiani lugentes animæ suæ necem aliquo crimine intentatam largas eleemosynas fundunt, vt hac oratione Augustinus adhortatur: *Ne securus sis, cùm confessus fueris peccatum, tanquam semper preparatus ad confitendum, & committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, vt curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato tuo? curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam vt sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto; semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere, vt sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed fortè lacrymæ currunt, & manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges & tu: eget ille ad te; eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui. Ergo impleto tu egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua.* Hactenus Augustinus.

Ex SS. Patribus. August. in Psal. 37.

Quibus operibus maximè tota coalescat series pœnitentiæ.

Capite sexto Matthæi, vnde effluxit Euangelium hodiernum, Christus conclusit totam pœnitentiæ summam, suos discipulos instituens quomodo orare deberent, qua cautela esset facienda eleemosyna, demum quo animo sincero & alieno à fastu essent obeunda ieiunia, his quasi annulis ieiunio scilicet, oratione, & eleemosyna, catenam nectens animæ pœnitentis vltro vincula subeuntis. Illo triplici funiculo castigatur homo lugens sua piacula. Eleemosynæ autem adiicere orationem atque ieiunium, res est consona valde ritibus antiquis, quorum aliquos prælibaui, quibus & hunc adiice, videlicet in gratiam defunctorum. Vt luculentior index esset luctus, Romanos accendisse magnam vim aromatum, quorum tanta fuit copia in funere Syllæ, vt ex his compactæ fuerint imagines staturam hominis adæquantes. Morem illum carpit Propertius, eum pertæsus, & orans sibi humiliori funere parentari.

Ex Antiquitate. Plutarch. in Sylla.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint

Plebeij parua funeris exequiæ.

Propert. l. 2. eleg. 14.

Vtriusque moris, aromatum scilicet, & feralis cœnæ, memor est Persius hac satyra.

--------sed cœnam funeris hæres

Negliget iratus, quod rem curtaueris, vrna

Ossa inodora dabit.

Persius satyr. 6.

Plinius aromata affirmat ritè vsurpari in funere, cui adiectus Strabo meo intento fauet, dum describit funera Albanorum, quos ait sepeliri cum loculis pecunia multa tumentibus. Nempe pecunia & aromata vsurpata in luctu, clamant eleemosynæ & orationis congruum esse consortium, & optimè assumi ab anima lugente casum suum. Ne verò anxius me de ieiunio sollicites, scribit Alexander Græcos diu impastos fuisse, longamque tulisse inediã in ingenti luctu, qui mos fluxit ab Hebræis, qui spõtaneo ieiunio magnum tristitiæ suæ pondus ostentabant, vt sæpè sæpius indicauit Dauid. Primò occiso Abner, noluit ille ante occasum pasci, vt Codice sacro liquet, vnde accipe seriem rei huius. *Cùm venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die, iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem, vel aliud quidquam.* Ille idem mœrens præcocem mortem infantis suscepti ex adulterio Bethsabeæ, ieiunium suæ addidit angustiæ, vt patet hoc contextu. *Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum surgere de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum.*

Plin. l. 12. c. 18. Strabo l. 11.

Alex. ab Alex. dier. genial. l. 3. cap. 7.

2. Reg. 3.

2. Reg. 12.

Quàm benè concordent eleemosyna & ieiunium, breuiloquio suo probat Chrysologus, ita fatus: *Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas: sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium pellucere; sic pietas facit splendere ieiunium, & ad totam continentiæ radiare charitatem: quod diei Sol est, hoc eleemosyna noscitur esse ieiunio.* Vt myrrha & thus adhibita focis sua fragrantia funus honorabant, mœrorémque suo suffitu afflabant; ita & ieiunium in myrrha figuratum, adiectum thuri orationis, valdè idoneum est ad explicandam tristitiam, quam concepit anima de crimine perpetrato. Ideo Ambrosius hæc duo pœnitentiæ argumenta consociat, orationem & ieiunium concilians, ita sua sensa prodens: *Si volumus Deo placita exhibere ieiunia, simus in oratione continui, in iudiciis iusti, in amicitia fideles, in iniuriis patientes, in contentionibus temperati, turpiloquia fugientes, aduersus iniqua constantes, in conuiuiis continentes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, contumacibus resistentes, in suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales.* Hæc ille, ieiunium & orationem stipans bonorum omnium agmine luculento. Beda Ambrosij sectatus ingenium ait, coire orationem, & virtutum omnium chorum. Sic ille: *Multum iuuat orationis puritatem; si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis; si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus & linguam: quæcunque enim sæpius agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriamque recurrant ad sedem, & sicut sues volutabra siue palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta; ita cogitationes puram mentem immunda perturbant, castam spirituales sanctificant.*

Ex SS. Patribus. Chrysol. ser. 8.

Ambr. l. de spiritu & anima.

Ieiunij & orationis grata est societas.

Ille

Ille eleemosynæ, orationis, & ieiunij nexus clamat sinceram pœnitentum tristitiam non esse inanem, & cute tenus, adinstar eius, quam simulant hypocritæ toti in mendacium compositi.

SENSVS MORALIS.

Quàm perniciosum sit hypocritarum ingenium.

In hæc verba:

Exterminant enim facies suas.

Altera Pars Sectionis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Lingvis, et Antiqvitate.

Ex lingvis.

QVemadmodum varia putamina nucum diuersas etiam species nucleorum concludunt; ita & discors nomenclatura rerum discolores earum naturas arguit: quippe vt nuclei suo putamine, ita & plerumque abditæ essentiæ recluso nominum cortice dignoscuntur. Itaque iuxta vetus adagium, nucem frangamus, si nucleum esse, id est, comedere volumus. Exploremus alto scrutinio verba Christi damnantis hypocritas, quos proculdubio eo recensuit nomine

Syriaca.

quod vsurpat Syrus interpres חנפא *champhe*, quod est plurale, singularis huius vocis חנפא *chanepho*, qua vsus est Christus, cui lingua Syriaca fuit vernacula. Quid autem sonet apud Hebræos, & Chaldæos, à quibus ad Syros effluxit illa vox, dixi supra dum expendi radicem, quæ præcipuè polluere significat, & hominem infidelem notat. Et hoc sanè optimè quadrat verbo, quo hypocritarum perfidiam configit Christus, ita fatus: *Exterminant facies suas.* (Matth. 6.) Nimirum exterminium benè quadrat eis, qui suo contagio optima quæque polluunt, suntque sinceræ fidei desertores. Etenim quid fidei residere potest penes hypocritas, quibus hæc vna est cura, vt simulent aliud omnino ab eo quod sunt.

Hypocritæ quare dicantur infideles.

Verbi gratiâ, dum ieiunant fiunt tristes, etsi reuera non sint. Fiunt autem arte, quam duplicem subodoror coniecturâ petitâ à ritibus antiquis, & à significatione linguarum. Primò ea callebant industria Palæstini, vt pro arbitrio suo faciem suam in mœrorem componerent. Syrus interpres compositionem illam vultus induentis alium oris habitum vocat deturpationem. Quod namque Latinus interpres ait,

Chaldæa Hebræa.

Exterminant; Syrus sic explicat מחבלין *mechabbelin*, deturpant. Est radicalis חבל *chabal* Chaldæis & Hebræis communis, quibus in coniugatione pihel significat corrumpere, & dissipare, vt accepit Hieronymus Ecclesiastæ 5. & Michææ 2. Qui autem deturpat, ille corrumpit, & dissipat, & exterminat, sicque principes illæ linguæ coëunt ad explicandam perniciem hypocritæ, qui non destruit ad ædificandum, vt plerumque facit peritus artifex demoliens maceriem, vt alterius fabricæ fundamina stabiliat; sed versutus hypocrita mutuaticiis oris habitu vtitur, vt imponat hominibus. Vnde Chal-

Chaldæa

dæi à radice חבל, qua vsus est Syrus interpres, deducunt vocem תחבולא *tachbula*, quæ astutiam significat, vt videre est apud Rabbinos, in More l. 1. c. 33. & Targumista ab eadem radice deduxit vocem חבלא *chabala*, quæ restem significat. Ita Chaldæus interpres ea vtitur 2. Reg. 18. Hebræis ab eodem fonte manat nomen sex

Hebræa.

punctorum חבל *chebel* quod significat laqueum idoneum ad capiendas aues, vt videre est in Iob 18. & 40.

Exquisita illa linguarum anatome prodit callidum hypocritarum ingenium. Nempe eo intento tristitiam simulant, vt hoc veluti laqueo homines irretiant, & veluti rapiant in admirationem abditæ alicuius virtutis: duplexque ita exterminium versat animo suo astutus hypocrita, quia à se ingenuæ virtutis speciem eliminat, & aliis fucos facit, sic omnem à se & ab aliis exterminans veritatem.

Ex Antiqvitate.

Chrysostomus ait inolitum fuisse Scribis atque Pharisæis suffitu excepto decolorem vultum efficere; siquidem ea singularis est insita vis pharmacis quibusdam, vt tosta fumum excitent idoneum ad tergendum viuidum hunc colorem, quo natura tingit vegeta corpora. (Chrysost. in v. 6. Matth.) Ex deformi specie credidere veteres magnam prodere tristitiam, sicuti etiam liquet ex Ægyptiorum more illo, quem Pomponius Mela commemorat, scribens illos luto oblinire facies suas in funere propinquorum, vt mœrorem suum explicarent facie conspurcata. (Pom. Mela lib. 1. c. 9.) Strabo illud etiam institutum affingit Assyriis, quibus hoc familiare fuit, pigmentis obnubilare faciem in signum tristitiæ singularis. (Strabo 16.) Congruit textus ille Syriacus, quem expendi, & qui idem sonat ac deturpare מחבלין *mechabbelin*. Eamobrem cùm vox illa Syriaca à Christo vsurpata notet hypocritas fuisse solitos deturpare faciem suam, facilè adducor vt credam Chrysostomo, suspicanti Pharisæos obsequio pharmaci alicuius faciei suæ contextum protinus immutasse.

Facies deturpata fuit olim signum tristitiæ.

Suggerit & mihi aliam coniecturam textus Græcus, qui non *exterminant*, sed vertit, *faciunt inuisibilem faciem suam.* Hoc namque sonant istæ voces, Ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν. Vt enim φαίνω significat se dare in conspectum; ita adiectâ particulâ priuante, verbum ἀφανίζω idem significat ac me subduco conspectui. Inde coniicio illos hypocritas aliquando opertâ facie fuisse solitos ambulare. Quippe olim duabus de causis obducebatur facies. Primò hominum damnatorum, vt qui jamjam lucis vsura casuri erant assuescerent tenebris. Secundò reorum ante capitis sententiam oris habitus abdebatur. Primum illum ritum commemorat textus sacer, vbi operta fuit facies Aman à Rege Assuero condemnandi.

Faciem velare quid antiquitus significanit. Esther. 7.

Accipe tragœdiam, quæ sic inducit Assuerum. *Cum reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse in quo iacebat Esther, & ait: Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea. Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius.* Adijce legem hanc Romanorum de damnatis. *Caput obnubito, & infelici arbori suspendito.* Pharisæi, quasi se proprio dictamine condemnantes, pallio suo velabant ora, prouocantes sic hominum oculos, vt miserantes eorum sortem, speciem illam pœnitentis animi mirarentur, & adiecto virtutis elogio prædicarent.

Rursus reorum adstantium in iudicio facies erat obducta velo, ne fortasse rei facies in

mœrorem

mærorem fracta; iudicum animos inflecteret ad veniam plerumque bonis iniuriam, quando indignis conceditur. Hunc fuisse Areopagi morem Iuuenalis insinuat.

Iuuenal. satyra 12. *Commissave teges, vt curia Martis Athenis.*

Lucian in Hermotimo. Macrob. l. 7. Saturn. c. 1. Illius etiam instituti meminere Lucianus atque Macrobius, infractum Areopagi iudicium sic notantes. Fuisse & hunc Hebræorum ritum probat sententia lata in Susannam, falsò insimulatam adulterij. Nimirum illa conuocata ad iudicium perrexit tecta velamine, vt videre est ex hac serie historiæ. *Dan. 13.* *Venerunt duo presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam vt interficerent eam. Et dixerunt coram populo. Mittite ad Susannam filiam Helciæ vxorem Ioakim. Et statim miserunt. Et venit cum parentibus, & filiis, & vniuersis cognatis suis. Porro Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie. At iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur; erat enim cooperta, vt vel sic satiarentur decore eius.* Alludit Honorius. *Honorius Augustodunen. lib. de antiquo ritu Missal. cap. 248.* *Ante sacerdotem debet se mulier velare velut rea, & originalis peccati conscia sibi, coram iudice se celare.*

Quia pœnitentes reatus suos improbent & castigant, hunc etiam vetustum reorum morem vsurpant velantes faciem sacco obducta, & capite cinere deturpato, eo habitu profitentes se indignos hac vsura lucis, qua abusi sunt in creatoris iniuriam. Eo apparatu se accinxit Achab, Deum inclinare volens ad mitiorem sententiam; vt colligere est ex sacra Regum historia. *3. Reg. 21.* *Cùm audiuisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Septuaginta interpretes reddidere Græcè ἐπορεύετο κεκυφώς, ambulauit incuruatus: hoc namque significat participium κεκυφὼς deriuatum à κύπτω quod corporis inclinationem notat, similem ei quam referunt nostrates illi pœnitentes sacco amicti, qui obuelata facie triduo ante pascha cateruatim noctu Ecclesias frequentant, & corpore inflexo flagris plectunt noxas, quas incautè antea perpetrarunt. Hi equidem pœnitentes obuoluti sacco ἀφανίζουσι, etsi incedant palàm, facie inaspecta intuitus hominum falluṅt. *Quare publici pœnitentes ambulent velata facie & corpore incuruo.* Horum pœnitentum habitum æmulati hypocritæ Pharisæi, capite inclinato simulabant se declinare oculos hominum, aliquo panniculo caput obuoluentes. Mihi suffragatur textus Hebræus, ille scilicet qui circumfertur nomine Matthæi, vbi voces istæ, *Hypocritæ tristes;* sic habentur שכודרים חונפים *hechanaphin schechodarin*, id est, hypocritæ obscurati. Obscurare autem faciem suam aliquo tegmine, illud est eam extra terminos aspectus hominum ponere; ac proinde exterminare, vt sic suo intento gaudeant hæ simiæ hominum pœnitentum, quos fingunt se æmulari, vt eâ industriâ auram popularem aucupentur. Nimirum ad instar reorum se componunt facie obducta, simulantes eo ritu se sua crimina castigare.

SENSVS MORALIS.

Quàm sit iniqua indoles hominum hypocritarum.

In hæc verba:

Exterminant enim facies suas.

ARTICVLVS QVINTVS.

EX SYMBOLIS, EX HISTORIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Dixi paragrapho primò huius Euangelij eamdem vocem חנפא *chanepha* significare hypocritam, & hominem personatum. Dicitur homo personatus qui in faciem suam inducit similitudinem vultus alieni, eo animo vt imponat spectatoribus, & plerumque vt aliquod nefas impunè perpetret. Eamobrem Ambrosius opportunè consulit hypocritis hoc symbolo. Pingit ille hominem personatum, istâ epigraphe superinductâ. DA VERVM CERNERE LVMEN. *Ex Symbolis. Ambrosius l. symbol.* Id est, ô homo abdite ementita specie, teipsum prode qualem effinxere mores tui, alioquin suspicabor aliquod inesse malum his tuis inuolucris, quibus vt laqueis animus est tibi, imprudentes homines irretire, captando eorum suffragia, vt immeritis gaudeas honoribus, quibus adeptis naturam reperas vitiis indecoram. Itaque hypocrita, DA VERVM CERNERE LVMEN. Noli virtute fucata facere tibi nomen grande; sed indue animos anhelantes praxim virtutis ingenuæ.

Quàm sit nefaria hypocritarum indoles; fecit palàm Ioannes quidam nomine ieiunator, cui longior inedia cognomen hoc peperit. *Ex Historia. Gregor. l. 8. epist. 4. Egregia historia notans subdolum hypocritarū ingenium.* Fuit ille cœnobita austera facie cibos fastidiens, & ieiunio regulari hominum gratiam deuinciens. Is audita morte Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani, finxit se velle aliò demigrare, ne inauguraretur infulis, quæ vacabant morte Antistitis, vtque suspicionem fugæ faceret, omnia parabat idonea ad fugam capessendam, vt eo se accingente ad secessum, alij monachi subodorantes animum aliò diuertere meditantem spargerent hunc rumorem, & suffragia compararent ad electionem instantem pro Antistite sufficiendo in locum demortui. Res è voto successit, & huius hypocritæ versutia sortita est exitum antea meditatum. Namque vbi clerus audiit Ioannem monachum timere sibi, & velle declinare honorem, cui se imparem simulabat, credidit eo solo virum hunc esse dignum cuius fieret mentio proximis comitiis, eo animo celebrandis vt consuleretur Ecclesiæ orbæ, suo Præsule destitutæ. Tantumque potuit illa fugæ initæ fama, vt coëuntibus votis Ioannes ille renuntiatus sit Patriarcha: quo audito ille nihil cunctatus exuit ouinam pellem, & se præstitit lupum toti Ecclesiæ infensum. Nempe statim atque initiatus est, eo typho intumuit, vt Romano Pontifici insultans titulum eius assumpserit, prædicans se esse Patriarcham œcumenicum. In eum sic Gregorius Papa inuectus est: *Greg. l. 4. epist. 38.* *Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inueneris, recolit. Sed quo ausu, quòve tumore nescio, nouū sibi conata est nomen arripere; vnde omnium fratrū corda potuissent ad scandalū prouenire*

Inuectiua in hypocritam.

prouenire. Qua inre vehementer admiror; quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse te velle memini: quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Huic reuera hypocritæ quadrat illud Bucolicum.

Virgil. in Bucol.

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Nihil namque minus quàm fugam cogitat hypocrita secessum parans, si quando instat aliqualis electio ad infulas destinandas. Hoc hominum genus cute tenus initiatum virtutis insignibus, esse vitiis omnibus obnoxium luget Papa Hormisdas, expertus illorum hominum indolem importunam, vtpote impetitus à Monachis Scythiæ, quos vulgus imperitum credidit sanctitate conspicuos, quia deforis induerant sanctioris vitæ institutum. Sic eos pungit præfatus Pontifex:

Hormisd. epist. ad Possessor.

Per hunc ferè annum rugem quorumdam Scytharum, qui Monachos præ se ferebant specie, non veritate; professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu famulantia odiis suis venena pertulimus, studentes eos ab interno vulnere medicabili patientiæ moderamine sanare, B. Pauli monita non tacentes: Noli verbis contendere; ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Sed quando virus, quod viscera penetrauit, euellitur? Quando corda sibi malè credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci contentionum studiis assueti, sola certamina amantes de religione captare, & mandata negligere? Nunquam apud eos charitas nouo commendata præcepto, nunquam pax Dominico relicta discessu, vna pertinaciæ cura propositi, rationi velle imperare non credere, contemptorque auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet concepta facilitate sententiam: eò vsque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque orbis putent inclinandum esse iudicium: nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si sua viderint nolle cedere sententia: dolis crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, inuidiam concitare, & pro obedientia quæ in cœnobiis principatum regularis obtinet disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbia. Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. Hæc sanctus ille Præsul detestatus animos infideles, qui eò peiores sunt, quò sanctiores se aliis præstant.

Elegans descriptio hypocritarum facta a Sũmo Pontifice.

Erasm. Chiliad. 4. cēt. 2.

Veteri prouerbio hypocrita dictus est Δούρειος ἵππος, id est Græcorum equus, quod delusa Troia fuit adæquata solo, suorum ciuium sanguine conspurcata. Esto illi equo ligneo species fuerit mansueta, pietatem afflans, vtpote Mineruæ donum; tamen noxia hæc machina fœta viris anhelis in necem Phrygum aptior erat insidiis, quò omnem mali suspicionem ademerat. Ita & hypocrita omnium vitiorum colluuie infamis, leuiuscula virtutum aspergine tingitur, vt illudat, & postea desæuiat, si quando fruatur optatis, & conquisita hypocrisis suæ præmia nanciscatur. Mox illud immitte ingenium luxit mus, carpentem insaniam Ioannis ieiuni quidem, sed nimio vento pasti, qui vt in soliũ euectus est, abditam rabiem

Cauendum maximè ab hypocritis & quare.

omnibus explicauit. Nihil namque coactum potest esse diuturnum, sed vltro suam naturam repetit illud omne, cui vis aliqua indicta est, vt optimè Neronem Seneca præmonuit ita fatus: *Nemo potest personam fictam diu ferre; ficta in naturam suam citò recidunt: quibus autem veritas subest, vt ita dicam, quæcunque ex solido enascuntur, in maius meliusque procedunt.* Ille idem pungens hypocritas, malè eis ominatur, affirmans mansuetos eorum mores acescere, & fieri acerbos, naturali eis insita feritate. Sic ille suum compellat Lucilium: *Nunquam bona fide vitia mansuescunt: tigres, & leones nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, & cùm minimè expectaueris, exasperatur toruitas mitigata.*

Senec. l. ad Neron.

SENSVS MORALIS.

Quàm sit virulentum hypocritarum ingenium.

In hæc verba:

Exterminant enim facies suas.

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex SS. Patribvs.

SI osores suos habuit hypocrisis apud Gentes fidei Christianæ nescias, quales existimas fuisse Sanctos Patres in vitium illud, in quod præcipuè Christus acuit zelum suum, crebriùs damnans hypocritas, quia spurcissimi homines ornamenta virtutis ingenuæ conquirebant. Aduocandi sunt in eo argumento versando Patres, è quorum choro prodit Chrysostomus, breuiori ductu penicilli congruè delineans hypocritam. Sic ille: *Homo verè iustus similis est pulchræ mulieri, nihil externorum indigenti, sed naturalem habenti pulchritudinem: homo fictè iustus, hypocrita similis est meretrici cuidam turpi, atque deformi, multos tamen habenti fucos, nec tamen turpitudinem obumbrare valenti; sed quando quis propius accesserit, magis redargutioni obnoxia.* Gregorius ille Nazianzenus acriter in hoc hominum genus inuehitur, quia licet in humilem se habitum componant; tamen nihil nisi altum iugiter inuestigant. Accipe censuram huius viti sancti. *Turpe est, vt quis vestem & victum eligat non splendidiorem, sed viliorem, gemitumque; callis, ac oculorum fontibus, ieiuniis insuper, & vigiliis, in humo præterea dormitatione, labore, ac cunctis in rebus humilitatẽ, & propriæ imbecillitatis conscientiam ostendat: in sermonibus verò de Deo, se cunctis præferat hominibus, & planè Imperatorem aut tyrannum agat, nullique omnino cedat; sed supercilia vltra omnes legis doctores attollat; cùm interim humilitas cum gloria securitatem etiam habeat.*

Ex SS. Patribvs. Chrysost. hom. 57. d. diuers.

Acrior censura in hypocritas.

Gregor. Naz. de modestia in disputation.

Adeò longè lateque serpit abditum illud virus hypocrisis, vt ipsi etiam homines sanctissimi seipsos veluti conscios huius contagij castigarint sermone aspero. In eo genere occurrit Papa Gregorius, officio & pietate magnus, suum in se contorquens stylum hoc tenore: *Quid dicturi sumus qui iniqua operibus docemus, & sola voce ea quæ sunt iusta prætendimus? ossa ieiuniis atteruntur, & mente turgemus; corpus despectis vestibus tegitur*

Gregor. in Registro.

vigilamus, & elatione cordis purpuram superamus; incedimus in cinere, & excelsa aspicimus; doctores humilium, duces superbiæ; ouina facie lupinos dentes abscondimus. Hæc ille. Tamen licet hypocritæ in suam perniciem iniquum prorsus agant æuum, aliquali possunt esse subsidio spectatoribus suis, qui ex hypocritarum insania cautiores effici possunt bifariam. Primò ad virtutum praxim animos inclinare poterunt excitati exemplo eorum, qui deforis omnem impendunt curam, vt à vitio aperto sibi penitus alieni. Rursus ita se vrgebunt: Si hypocritæ perciti œstro inanis gloriolæ exantlant tot egregia facinora; quænam debeo specimina virtutum edere, futurus aliquando compos gloriæ æternæ? Discursus ille stimulos addet ad virtutum tramitem obeundum sincero animo, quem decurrunt hypocritæ duplici ingenio. Ea cautela Augustinus præmonuit esse discernendos Pharisæorum mores à doctrina, cuius erant pompatico eloquio professores. Sic ille. *Inde ergo lædit, vnde mala fecit, non vnde bona dicit. Qui malè facit, non prædicat de cathedra Christi: inde lædit vnde malè facit, non vnde benè dicit. Botrum carpe, spinam caue. Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus; botrum carpe, spinam caue, quia botrus aliquando de radice exortus pendet in sepe; crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum: non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubat. Noli interrogare nisi radices. Quære radicem spinæ, extra inuenies à vite. Quære originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysi vitis erat; Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina verò per malos, palmes in sepe. Botrũ inter spinas cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum. Et cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt facite: legite vuas; quæ autem faciunt, facere nolite, cauete spinas.*

Sanctiores etiã viri suspicari sunt in se hypocrisim.

Quale commodum potest aduenire Sanctis ex cõsideratione hypocritarum.

August. tract. 46. in Ioan.

Cautè est exhibẽda doctrina sana, quam propinant homines impij.

Optimè Augustinus commemorat spinas, dum meminit hypocritas magno verborum fastu ventilantes virtutis encomia, cùm degeneres eorum mores vitio suffragantur: quippe eadem mora offendunt, qua ambitioso eloquio profitentur obsequium Dei, cui tunc maximè detrahunt, cùm se maximè deuotos simulant. Et quia quælibet noxa spinis horrida lacerat animam, quæ hunc hispidum fœtum enixa est; quiuis hypocrita inquies est, vtpote spinarum aculeis totus obnoxius, vt scitè aduertit Gregorius, ita pungens insaniam horum hominum callidorum: *Hypocrita vt sine fine crucietur, viuere sine fine compellitur, vt cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors viuit in pœna, nec tamen consumetur, quia cruciatur, & non extinguitur: moritur, & viuit; deficit & subsistit; finitur, & sine fine est.* Compendiosè dixeris vitam hypocritæ esse senticetum, cuius aculei laniant iugi punctione noxiam hanc vitiorum omnium prosapiam à Deo reprobatam multis symbolis in lege veteri, vbi præcipuè notantur struthio, & cygnus, aues reuera idoneæ, quibus hypocrisis explicetur. Nimirum struthio alas aperit ad volatum, & eas semper expandit, licet impos sit assurgere, corpore obeso inclinante deorsum hoc animal, illudens oculis, dum se aptat ad volandum. Illius auis indolem æmulatur hypocrita, semper enitens ad superna exteriore nisu, sed imbelli, quia serpit semper humi degens, suorum scelerum pondere oppressus. Eodem ferè titulo damnatur cygnus, quia nigricat eius caro, albicante pluma. Vnde ingenuus typus exurgit lineans hypocritas, quibus illud omne quod albicat pluma est & lanugo venti ludibrium, cùm tamen interiora eorum superent omnem nigredinem. Etenim quidquid arduum edit hypocrita, illud est in gratiam laudis humanæ, quam venatur: gloriola autem hæc inanis est, & leuior pluma, quam versat aura stipulas circumuertens. Si verò res est de animæ statu, ea atrata luget gratiæ occasum, & iniquam sortem, quam proinde nacta est litans auræ populari.

Gregor. l. 2. Moral.

Leuit. 11.

Quibus symbolis in lege veteri Deus hypocritas reprobarit.

Homines hos gloriæ quàm cupidos, & moribus atris, sic depingit Gregorius: *Qualis hypocrita imperitis innotescit, talis vult ab omnibus æstimari. Hypocrita quot vitijs est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni iudicis illius pectus fœtet.* Ille idem Pontifex versutos hos animos carpi credit ea lege, quæ vetuit quemquam indui veste lana, & lino intexta. Sic commentatur idem Præsul: *Non indues vestem ex lino lanaque contextam, per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoque contexitur, linum interius celat, lanamque exterius demonstrat. Vestem ergo ex lino lanaque contextam induit, qui in locutione vel actione, qua vtitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit.* Hieronymus detestatus omnem hypocritarum ritum, eos recenset inter monstra, & alludit ad discolorem habitum cygni, qui candore externo nigredinem celat, qua caro conspersa est. Si ille: *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monstrum est, velut quædam bestia compacta, secundum illud poëticum,*

Cauda leo, pars prima draco, media ipsa chimæra.

Gregor. l. 8. Moralium.

Ibid.

Hypocrita vt mõstrum describitur.

Hieron. ... epist.

Tot titulis atque censoribus damnata hypocrisis, deterrere debet nos ab efficta tristitia, qua reprobi nundinantur gratiam spectatorum, quibus arrisisse, illud est, totum & tantum hypocritarum votum. Prælibata tamen nemini debent imponere, reprobari illam tristitiam, qua hodie in luctum frangitur Ecclesia cinere aspersa, recolens omnia breui in puluerem abitura.

SENSVS MORALIS

Legitimum esse tristitiæ argumentum recordanti se Deo fuisse iniurium, ob res cinere dissoluendas.

In hæc verba:

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

In hæc quæ hodie vsurpat Ecclesia ante lectionem Euangelij.

Memento homo quia puluis es.

SECTIO SECVNDA.

PRÆFATIO.

Petri Apostoli lapsus eum adeò anxiè perculit vt quotiescumque gallus gallinaceus

E 2 occineret

occineret magnam vim lacrymarum effunderet. Is nempe commemorans se refugam & oblitum gratias singulares perceptas ab amantissimo Christo suo, non poterat temperare sibi à iugi fletu, cuius profluuium alluendo genas, eas veluti sulco depresserat. Cuique animæ pœnitenti suus inest gallus refricans memoriam periurij, & defectionis iniquæ à Christo, cui nomen dedimus in baptismo, iureiurando firmiter obsignatum. Singula quæque peccata lethalia fidem frangunt Christo datam, nosque sic periuros efficiunt. Sed ne tacita prætereamus in confessione illa deliquia, data est vnicuique garrula synderesis excitans animas immemores piaculi, vt diluant flendo facinora, quæ indulgendo genio perpetrarunt. Assiduitas peccandi multis aures occlusit, ita vt incassum susurret illa bene suada synderesis. Aliis verò residuæ sunt aures patulæ, & perviæ salutaribus monitis, vt iis exceptis tergant lacrymis sordes quas hactenus multo scelere contraxerunt. Dicam prima parte sectionis istius, animam pœnitentem habere validum argumentum tristandi, cùm recolit se peccasse & fuisse Deo infidelem ob res cinere dissoluendas & hic obiter agam de ritu Ecclesiæ aspergentis cinere capita fidelium initio Quadragesimæ. Secundò dicam non debere hominem affici rebus quæ in cinerem dissoluentur.

Quare sit garrula synderesis.

Diuisio sectionis.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Multa habet argumenta tristandi anima quæ deliquit.

In hæc verba:

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex Philosophia, ex vtroqve Ivre, et ex Theologia.

Aristot. l. 2. cap. 5.

SOlenne est Philosophiæ effatum, passiones esse ancipites, & nullam induere rationem boni, aut mali, nisi à ratione imperentur. Cùm ergo tristitia sit passio in parte concupiscibili sita, debeo explorare quomodo legitima esse queat illa tristitia, quæ exurgit ex memoria iniuriæ Deo illatæ, cùm anima ei prætulit vilia crepundia, & mortis exuuias. Vt fiat res ista liquidior, auspicandum est à natura passionis eius, quam tristitiam nuncupamus: quomodo item anima passionibus accincta sit, operæpretium est expendere. Anima duobus modis afficitur circa bonum & malum; mouendo se scilicet & quiescendo. In motu attenditur accessus, aut recessus; nimirum accessus ad bonum, & recessus à malo. Quia vtraque motione patitur anima, dispares illi motus dicuntur esse passiones. Verbi gratia, amore anima inclinatur ad bonum adsciscendum, odio verò abstrahitur à malo: camobrem amor & odium censentur esse animæ passiones. Rursus, quia motus haudquaquam interminus est, anima in bono requiem nacta gaudet; & illud gaudium passio est animæ quiescentis in bono. Si verò vrgente malo resilire nequit anima præpedita grauitate mali apprehensi sub ratione noxij, mens grauatur & oppressa gemit. Pressura hæc animæ decumbentis in malo apprehensioni internæ obiecto, tristitia nuncupatur, quæ est passio anxiæ voluntatis, impotis se expedire à malo instanti, & incumbenti animæ inuitæ, iuxta definitionem hanc Augustini: *Lætitia est voluntas in eorum consensione quæ volumus; tristitia autem est voluntas in dissensione ab his quæ volumus.*

Quomodo constare queat esse in anima passiones.

Aug. l. 14. de ciuit. Dei. c. 5.

Ex præfatis per me non stabit quin ita tristitia describatur: Tristitia est passio animæ afflictæ ex intuitu mali quo grauatur. Quomodo autem bona malave queat esse tristitia, illud omne est penes rationis arbitrium, cuius est humanis actibus inurere characteres bonitatis siue malitiæ. Verbi gratiâ, cùm quis virtute singulari eminet, & suis speciosis animæ dotibus demeretur hominum gratiam; si virtus spectatur ab aliquo inuido vt malum proprium, & velut obex ad gloriam quam anhelat, & quæ præripitur ei ab illo cuius æmulatur indolem, reuera tristabitur inuidus, & alterius bonum apprehendet vt malum sibi coniunctum, ideoque hæc tristitia lethalis erit & iniqua, vtpote exorta ex pessimo fonte, animo videlicet impio, & experte charitatis, cuius est benè affici alienis bonis vt propriis. Ideoque species illa tristitiæ refunditur in colluuiem vitiorum, vbi specialem caueam sortita est sub nomenclatura inuidiæ. Vbi autem anima haudquaquam hallucinans, vt par est, afficitur rebus, illas ad rectæ rationis trutinam pensans, tristitia erit legitima si sit de re congrua, qualis est mali alicuius ingentis inflictio, & boni alicuius insignis amissio. Cùm ergo in malorum omnium serie peccatum primas teneat, anima contristata de peccato profectò angitur tristitia rectæ rationi consentanea; siquidem in peccato est malum coniunctum, & equidem magnum, cui adiecta est amissio boni, à quo habent omnia vt bona sint. Quippe omnis peccans contrahit culpam, & excidit gratiâ, quorum vnum inuehit immane dispendium, aliud verò malum graue dicit, cui impar est anima, illa importuna grauedine oppressa, vel vt Angelicus Doctor explicat, homo peccando incurrit in deformem maculam, quæ nitorem gratiæ expungit, & animam turpiter inficit: præterea bonum naturale corrumpitur, prout voluntas iniqua deuiat à Deo, quo inspirante natura ratione percellitur. Demum peccatum inducit reatum pœnæ æternæ, cuius se conscium fecit homo dum peccauit. Omnigeno itaque malo coëunte dum peccatur, locuples est argumentum tristitiæ in delicto, cuius grauitas meditata iugi tristitiæ facit obnoxium hominem, qui recolit leuibus se abstractum illecebris à Deo defecisse. Vnde editus est iste Canon. *Præteriti semper nos debet pœnitere peccati.* Pœnitere autem idem est ac tristari, vt alio Canone liquet, quo pœnitentia Regis Achab nomine tristitiæ recensetur hoc contextu. *Sicut Achab Rex iniquus à Propheta reprehensus, cùm contra se diuinam sententiam audiuisset, pertimuit, & magno mœrore deprehensus est; ita vt Propheta suo Dominus diceret: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur mei causa humiliatus est, non inducam malum in diebus eius. In quibus Domini verbis pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deũ, si sic ei reprobi pœnitentia placuit,* quã

Quid sit tristitia & quomodo induat naturam boni, & mali.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q. 109. art. 7.

Quibus animæ dispendiis afficiatur incurrens in peccatum.

Ex Ivre Canonico.

Can. Repetiuntur. de pœnit. dist. 3. Can. Sicut. de pœnit. dist. 3.

qui timebat perdere præsens seculum: aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis, in iis qui placent, si hac ad tempus placuit, & in eis qui displicebant.

Tristitiam suam Achab non conclusit intimis animæ suæ recessibus, sed indubia etiam specimina dedit extrinsecus, corpore aduocato in partem tristitiæ, qua animus malè sibi conscius angebatur. Etenim cilicio hirsuto, & sordido sacco carnem afflixit, vt Deum citiùs deliniret animâ contritâ, & corpore macerato. Equidem optimè sibi consuluit Rex impius, vtrinque mœrorem suum probans: cùm namque peccatum sit deuij hominis actio nefaria, & homo corpore & anima coalescat; congruum est in vtramque partem diffundi pœnitentiæ angustias, iuxta hanc regulam iuris Cæsarei. *Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur; cum quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittamus. Vt igitur nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum est.* In confesso est apud omnes, peccati illecebras demulcere vtrumque sensum, externum scilicet & internum; ac proinde peccando gaudere animam in fruitione rei illicitæ, & delectari carnem contagio voluptatis. Nonne igitur tristitia expiatura labem illam debet perstringere corpus & animam, cùm homo à Deo vtraque parte consciâ deuiarit.

Ex Ivre Civili Lege 196 ff. de regul. iuris.

Quare pœnitens animo & corpore debeat concipere tristitiam.

Ex Theologia. Thom. 3. p. q. 85. art. 1.

Theologia tricas istas elocuta diluet hoc tenore: Pœnitentia bifariàm accipitur, prout tristitiam & dolorem dicit, nam de ea, vt est sacramentum, habes multa primo & altero Tomo meæ Encyclopædiæ. Si pœnitentia spectetur vt angit appetitum sensitiuum tantùm, tunc erit mera passio, & non virtus satagens conciliare Deum. At si attendatur pœnitentia, vt dolor diuexans & castigans animam, & voluntate insitus, tunc maximè erit virtus: quia virtus ex Aristotele 2. Ethic. c. 2. est habitus electiuus secundùm rectam rationem. Pertinet autem ad rationem rectam, vt quisque doleat de quo dolendum est, & eo modo quem postulat argumentum doloris. Ad pœnitentiam ita acceptam nos hortatus est Christus; nam legislatoris intentum est facere virtuosos, vt ait Philosophus 2. Ethic. c. 1. Vnde non est intelligenda pœnitentia de simplici passione appetitus sensitiui, sed de habitu electiuo, qui dolorem suggerit ad mensuram nequitiæ, cui se anima corpore etiam comite mancipauit. Itaque ratione decernente ritum pœnitendi, pœnitentia hominem totum congruè castigabit, quia malo ingenti obnoxium fecit cùm deliquit, nec vllum tristandi reperies vsquam fortius argumentum.

Quare initio Quadragesimæ legatur Euangelium Matthæi c. 6. vbi fit mentio orationis, eleemosynæ & ieiunij.

Profectò opportunè Ecclesia Quadragesimam hodie auspicatur ab Euangelio desumpto ex capite sexto Matthæi, vbi commemorat orationis, eleemosynæ, & ieiunij præceptum, à Christo fidelibus indictum, & cui præcipuè in Quadragesima morem gerere debent omnes Christiano nomine recensiti: siquidem tempus hoc præcipuè omnes ad pœnitentiam sollicitat, quæ non animam duntaxat angit abditâ tristitiâ, sed & carnem plectit in deliciis aliàs volutatam. Nostrates hæretici, & multi ignaui Catholici, mentione facta pœnæ obganniunt, & quia deliciis assueti, vt Epicuri de grege sues grunniunt, instantes pœnitere perinde esse ac dolere, sicque satis esse tristari de peccatis, seclûsâ censurâ in corpora sæuiente. Hi obesi voluptatum asseclæ, idonei sunt patroni luxuriantium corporum, & luculenter animum suum produnt incurium Dei, ad quem si reduces repedare vellent, omnem operam impenderent, nullâ habita ratione reluctantis animæ, & corporis pœnitentiæ onera aspera detrectantis.

SENSVS MORALIS.

Anima recolens se peccasse, debet à se exigere pœnas congruas, vt induces animi pœnitentis, qui plus nimio cineres adamauit.

In hæc verba:

Nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Sanctis Patribvs.

Chorus Sanctiorum Patrum mihi concinit, hoc decernens, scilicet esse subeundam aliquam pœnam in mulctam criminis antea perpetrati. Sic Augustinus Deum inducit scelera condonantem: *Iustitia de cælo prospexit tanquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: ignoscamus quia ipse agnoscit: conuersus est ad puniendum peccatum suum; conuertar & ego ad liberandum eum.* Ille idem decurrens argumentum, aliqua specimina mulctæ commemorat, ita fatus: *Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de his quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Nota, Augustinum inducere pœnitentes ad satisfaciendum Deo per pœnitentiæ dolorem, circa quem aduerte cum Sancto Thoma, dolorem propriè pertinere ad corpus, sicuti liquet tristitiam esse animæ passionem. Gratis ergo vilia carnis mancipia impugnant illam conclusionem, quæ tristitiam pœnitentum etiam diffundit in corpora, vt salutaris ille amaror carnem saliat, humoremque exugat, quo antea computruit dissoluta sanie vitiorum. Eò allusit Ambrosius, quem accipe. *Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in anima quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde, iam tunc benè ingemiscis ad Deum.* Si puniendi actum liquidò desideras, consule Hugonem Victorinum, cuius hoc est eloquium: *Pœnitentia appellata quasi punientia, eò quod ipse homo in se pœnitendo punit quod malè admisit. Tria enim quæ sunt in percussione pectoris, id est, pectus, sonus, & manus, significant, quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce, & opere peccauimus.*

Ex SS. Patribvs. August. in Psal. 84.

lib. de pœn.

Thom. 3. p. qu. 84.

Ambros. serm. 10.

Pœnitentia vnde sic nuncupata.

Hugo l. 3. de myst. Eccles.

Bellè accepit Hugo percussionem pectoris pro tessera pœnitentiæ, quæ se carnem quatiendo prodit esse sinceram & integram. Gregorius totam hanc censuram laccymarum symbolo concludit, sic expendens: *Cùm mentem Deus ingreditur, constat proculdubio, quod mox pœnitentia*

Gregor. lib. Moral.

pœnitentia gemitus sequatur, vt ei iam salubriter flere libeat, quæ prius in iniquitatibus flenda iucunditate gaudebat: sed quò vberius culpa fletur, eò altius agnitio veritatis attingitur: quia ad videndum lumen internæ bonitatis, polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renouatur. Vide, eum detergere delicias acerbitate fletuum, qui vt feraces sunt bonorum operum, non impunem carnem linquent, sed eam excipient pro grauitate noxæ, quæ aspergit lacrymis hominem pœnitentem, quem hortatur Hieronymus, vt pœnas appendat criminis ad stateram. Sic ille: *Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat.*

Hier. epist. ad Susan.

Tametsi Dei intuitus, quem grauiter offendimus, homines vrgere queat validè ad vltrò obeundas omnes pœnitentiæ partes; magnos etiam adiicit aculeos consideratio rei, quæ nos diuino subduxit obsequio. Simili argumento moriturus Ionathas præcipitis fati mœrorem auxit. Nempe eum nequicquam remorante præcepto Regis, qui ieiunium indixerat, ille fauum mellis comedit inscius edicti, atque ita eo piaculo capitis sententiam audiit, quam iniquo prorsus animo accepit, quia imprudens mellis esus erat leuis ansa necandi Principem solio progenitum. Sic ille instantis suæ necis luctum auspicatus est: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paulùlum mellis, & ecce morior.* Habuit sanè quod plangeret ille regius adolescens tollendus è medio præcoci morte, quia modico dulcore pastus, omnes debitas sibi regni delicias amittebat. Erat velut impos sui commemorans illas fuisse breues illecebras fati, quo incautè captus properanti fato se obstrinxit. Mœreat ad libitum Ionathas, & vrgente tristitia, eius anima contabescat; nobis sanè vberior seges est fletuum, & mœroris: etenim longè abacti sumus à Deo optimo maximo, ob res puluere concretas, & in cinerem cito citius abituras.

1. Reg. 14. Vnde lugendi argumentum possit anima pœnitẽs petere

---

SENSVS MORALIS.

Digressio de aspersione cinerum vsurpata in argumentum tristitiæ pœnitentum.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS TERTIVS.

EX ANTIQVITATE, EX SS. PATRIBVS ET IVRE CANONICO.

Belissarius in Græcia quondam Prætor rei militaris, & aspirantis fortunæ amasius, eò honoris assurrexit, vt infra Imperatorem summus esset. Sed vt fortuna gyrans nusquam est propositi tenax, rerum omnium sors instabilis iniqua fuit Belissario, qui ex decreto Iustiniani Imperatoris excæcatus, & iacturam opum passus, compulsus est ingloriè corrogare stipem; fortuna sic ludente in humanis, & versante vices altas, quas votis hominum afflans hactenus erogarat.

O iniquam hominum sortem in dedecus hoc damnatam, vt Deo neglecto creaturis inhient, quæ quantumuis sub cœlo emineant pulueri reddentur vnde primitus emerserunt! Quidni vsurpemus has voces indices tristitiæ nostræ: Heu incautè deuouimus nos diris, adhæsuri rebus inanibus, quæ nos à bonorum omnium fonte longiùs abduxerunt. Huius imprudentiæ crebra memoria pudorem incutit, meliora suggerens in posterum, & cauet ne anima delinita cupediis huius sæculi abdicet Domini famulatum. Omnia verò esse in mundo cineri obnoxia, probare incumbit calci istius sectionis, vt consulam præconibus verbi Dei, sollicitis aliquid reperire idoneum feriæ hodiernæ, quæ à cinere nomen trahit, vtpote nuncupata Feria Cinerum, etsi quibusdam cineris vox haudquaquam arrideat, cum ipsa Ecclesia eam non vsurpet in ipsa etiam distributione cinerum, quos fidelium capiti imponit, hac præuia sententia: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Noluit namque Ecclesia in aspersione cinerum illam immutare capitis Sententiam latam in hominem fœdifragum, quem Deus hoc maledicto feriit: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Quare pulueris aspersus capiti fideliũ initio Quadragesimæ dicatur etiã cinis.

Genes. 3.

Vnde ergo cinerum nuncupatio, cùm pulueris tantùm meminerit Ecclesia, vnumquemque præmonens de instante fine suo? Respondeo, promiscuam pulueris & cineris vsurpationem esse apud Hebræos, ob affinitatem litterarum vtriusque dictionis; siquidem עפר *ngaphar*, puluerem tenuissimum significat; cinis autem dicitur אפר *epher.* Vnde quia duæ illæ litteræ quæ discordant, in vtraque voce sunt gutturales & aspiratæ, scilicet ע, & א communione familiari Hebræis facilè commutantur. Et reuera Moyses in lingua Hebræa apprimè doctus, legislatorem agens vsurpauit vocem עפר *negaphar*, pro cinere: dicturus enim quomodo cineres vaccæ combustæ expiarent immundos, ita sanxit: *Tollentque de cineribus combustionis.* Vt cineres exprimeret Moyses ait מעפר *mengaphar*, qua etiam voce vsus est Onchelos in sua paraphrasi Chaldaica, licet vox illa puluerem significet; in quo sensu à Deo vsurpata est bis in eodem versu תשוב
עפר אתה ואל עפר *ngapharattas veel ngaphar taschub. Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Illam verò dictionem prælibato Numerorum loco debere intelligi de cinere, probat primò nostra vulgata editio, quam conclamante Ecclesia cæteris antepono. Accedit septuaginta interpretum Græca discussio, cuius accipe dialectum. λήψονται τῷ ἀκαθάρτῳ ἀπὸ τῆς σποδίας τῆς κατακεκαυμένης. Nomen σποδία cinerem significat; vnde Plato lib. 1. de legibus verbum fecit σποδίζω, id est coquo sub cinere. Itaque pulueris & cineris promiscua vsurpatio in sacris potuit à cinere denominare exordium Quadragesimæ, quia eo die recolitur memoria pulueris, in quem sunt hominum corpora dissoluenda.

Num. 19.

Gen. 3.

Rursus à cinere mutuatitium nomen capit illa dies auspicata pœnitentiam, cui deuouetur series tota Quadragesimæ institutæ ad lugenda facinora, quibus incurrimus in discrimen mortis, cuius mulctam cineres hodie refricant, adhibitâ illâ præfatiunculâ sæpesæpius insonante: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ideo inquam dicitur illa dies, dies cinerum, quia tunc Ecclesia ad pœnitentiam se componit, & accingit ad luctum singularem edendum, quo Deum conciliet, ad iram multiplici crimine prouocatum. At vetustissimus ille fuit ritus in solenni luctu, vt & in publica penitentia puluere, & cinere conspergi. Vt ante legem factitatum esse,

Cineris aspersio olim adhibita ad prodendum animorum pœnitentiam.

EX ANTIQVITATE.

esse, videre est exemplo Iob viri sancti, qui suæ pœnitentiæ propositum expressit, voto emisso de corpore suo cinere & puluere conspergendo. Sic ille: *Ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.*

Iob.42.

Exempla sacra ad probandam societatem cineris & pœnitentiæ.

Hebræa meminere pulueris & cineris, hoc tenore ונחמתי על-עפר ואפר *venichamti ngal nghaphar vaepher. Resipiscam in puluere, & cinere.* Hunc morem fuisse Hebræis molitum, in confesso est apud omnes vel leuiter tinctos lectione bibliorum, vbi solemnis est commemoratio eius pœnitentiæ, quam assumpsit Esther, placatura Deum subiratum Iudæis, quorum internecionem in Perside moliebatur Aman. En contextum feralis huius pompæ. *Esther quoque Regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis variis, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis.*

Esther.14.

Fortè instabis, Esther in Perside educatam hunc ebibisse morem à Persis, quos Herodotus ait in celebri luctu prodiisse cinere conspersos, ac proinde Esther assuetam ritibus exoticis edidisse mœroris sui specimina, quibus erant assueti Persæ.

Herodot.l.3. & 8.

Tota igitur ista controuersia componenda est alio textu sacro probante Hebræos cinere conspersos demeruisse Deum. Præstò sum, adiutus Ieremiæ suffragio, cui habitus aspergine cineris inglorius creditus est idoneus ad placandum Deum. Sic ille contribules suos hortatus est: *Filia populi mei, accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repentè veniet vastator super nos.*

Ierem.6.

Ab aliis etiam Gentibus fuisse vsurpatum illud pœnitendi schema, clamat Niniuitarum pœnitentia, sacro etiam Codice commendata, vnde hæc habemus. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniuæ; & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.*

Ionæ 3.

Ex SS. PATRIBVS.

Cyprian. ser. de lapsis.

Vetusta hæc pœnitendi norma placuit Ecclesiæ, vt meminere Patres illorum temporum, in quibus accipe Cyprianum egregium pœnitentiæ præconem & encomiasten, qui hortatur pœnitentes ad cinerem assumendum, vt congruo habitu Deum demulceat reus homo, cui maximè conuenit ille austerus pœnitendi ritus, quem etiam Tertullianus commemorat ita fatus: *Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est; conuersationem indicens illicem misericordiæ. De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco & cineri incubare, corporis sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere.*

Tertul. l. de pœnit. c.9.

Eadem medendi methodo virgini lapsæ cauit Ambrosius ita consulens: *Lugubris tibi accipienda est vestis; & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt; defluant oculi lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt; pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus iniuriis & ieiuniis maceretur, cinere aspersum; & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cera, ieiuniis inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans quare sit ab inimico subuersum.*

Amb. ad virgin. lapsam.

Quo apparatu sit inducnda pœnitētia ab homine pertæso sua piacula.

Recensiti textus luculenter probant coiuisse cineres atque cilicium, quando operæpretium fuit edere pœnitentiæ celebris argumenta.

Cùm itaque totus Quadragesimæ contextus pœnitentiæ sit deuotus, opportunè fidelibus suis consuluit Ecclesia, eos hodie cinere conspergendo, vt vel sic induceret ad deflenda piacula, quibus abstergendis erat hoc salutare tempus omnibus institutum. Et licet euanescente Ecclesia, homines graui aliquo crimine præpediti, nulla habita ratione temporis, publicâ sibi indictâ pœnitentiâ extra Ecclesiam conspersi cinere residerent; sexto tamen emergente sæculo, ritus iste singularis inualuit, vt hodie pœnitentes in Ecclesiam confluerent aduoluti pedibus Episcopi, qui eos cinere aspersos, & monitis salutaribus instructos deducebat foras, definiens tempus, quo interdictus eis aditus Ecclesiæ ostendebat criminum grauitatem. Fuit hoc sancitum in concilio Agathensi habito anno D. VI. sub Symmacho Papa regnante in Gallia Cludoueo, qui primus sacris fidei nostræ mysteriis initiatus est. Anno XXV. regni eius edita est hæc sanctio, quam proinde vides esse vetustissimam, vtpote obseruatam ante plura sæcula.

Quando fuit celebrior vsus cinere aspergere capita pœnitentum.

Ne desideres hoc decretum, consule Gratianum, vnde accepi ego Canonem istum. *In capite Quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, id est, archipresbyteri parochiarum, & presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ, pœnitentiam per præfatos gradus iniungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni oleo septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet: tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu, & crebris suspiriis denuntiet eis, quòd sicut Adam proiectus est de paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia proiiciuntur. Post hæc iubeat ministris, vt eos extra ianuam Ecclesiæ expellant: clerus verò prosequatur eos cum responsorio: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. vt videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna, rursus ab eorum decanis, & eorum presbyteris, Ecclesiæ liminibus repræsententur.*

EX IVRE CANONIC.

Can. in cap. dist.50.

In Gallia primum institutus est mos quotannis fidelium capita cinere aspergere initio Quadragesimæ.

Quod aditus Ecclesiæ fuerit inhibitus cinere aspersis, & aliquo infami piaculo obstrictis, illud iam erat in more Ecclesiæ positum trecentis annis ante concilium Agathense, vnde & suspicor fuisse hoc Apostolorum institutum obseruatum prioribus Ecclesiæ temporibus, vt meminit Gregorius ille Neocæsariensis, quem Photius in canone suo commemorat. Ait ille prisci illius æui testis, quinque fuisse olim stationes pœnitentibus assignatas, vt congruè suas expiarent noxas. Prior statio pœnitentum dicta fuit πρόσκλαυσις, à fletu. Namque illic pœnitentes secreti ab aliis, vtpote deforis, largo lacrymarum imbre sua crimina detergebāt, prostrati ante limen Ecclesiæ, aliorum fidelium introeūntium suffragia mendicantes.

EX ANTIQVITATE.

Greg. Neocæsarien. in ep. Canon. apud Photium.

Olim pro mensura criminis varij fuere ritus pœnitendi vt videre est testimonio Gregorij.

cantes. Alia pœnitentum sedes aliquanto honoratior erat intra septa Ecclesiæ, iuxta vestibulum, ita vt inde possent audire concionem inter catechumenos, ideoque illa sedes appellata est ἀκρόασις, id est, auscultatio. Rursus inclinante pœnitentia procedebant in alium locum orantes promiscuè cum aliis fidelibus seorsim à catechumenis; ibi tamen non dabatur eis copia sacramentorum, sed ius tantùm communi oratione frui, vnde illa templi regio dicebatur ὑπόπτωσις, id est, submissio, quia illic tantùm flexis genibus orabatur. Dato illic humilis animi specimine deducebantur in vlteriorem templi situm, vbi sacris intererant cum aliis hominibus innoxiis; illic pro arbitrio suo orabant stantes, aut in genua prouoluti. Eamobrem illi loco inditum est nomen σύστασις, quod stationem significat. Eò tamen prouecti pœnitentes, sacra adhuc communione non gaudebant. Demum sartâ tectâque pœnitentiâ, & omni deterso puluere residuo, pœnitentes adibant locum penitiorem, vbi præuia absolutione criminum omnium reficiebantur viuifico pane Angelorum. Intimum illud penetrale Ecclesiæ dicebatur μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων, id est, participatio sacramentorum. Tepente zelo fidelium, & Ecclesia relaxante rigorem suum, Christiani quidem submisere caput cineri, prima quidem die Quadragesimæ, sed non abstinuere sacris. Eamobrem pij quique obseruantes non amplius esse ingloriam aspersionem illam cineris, vltro submisere caput presbytero cinerem imponenti, vt hac saltem supellectile antiquæ pœnitentiæ contriti animi proderent argumentum.

Quare hodie viri etiā pij nō detrectēt excipere suo capite cineres initio Quadragesimæ.

Itaque in confesso est apud conscios iuris canonici, Concilium Agathense instituisse solennem cineris aspersionem prima die Quadragesimæ: inde effluxit vt dies illa diceretur Feria cinerum, quia licet quouis etiam tempore infligeretur reis publica illa mulcta; tamen quotannis erat hæc præfixa dies, vt peccatores cinere perfusi denuo sisterentur. Vnde stante inconcusso hoc decreto, non inficior illo æuo vocatam esse diem illam Feriam cinerum à vulgo, cui inolitum est leuiori etiam argumento indere nomina rebus inaspectis. Sed esto plebs illi Feriæ hoc nomen cinerum indiderit; tamen apud auctores, Ecclesiasticos dies illa priori suo titulo non excidit: nimirum vocata est feria in capite ieiunij, vt ipso etiam prælibato canone liquet, qui sic auspicatur: *In capite Quadragesimæ.* Nempe Ecclesia sui instituti tenax populorum œstrum non sequitur in suis ritibus explicandis. Vbi verò vsus inualuit, & orbe toto fideles sparsi, illa die confluxere in Ecclesiam cineres accepturi; Ecclesia annuens inditæ à populis nomenclaturæ, recensuit illum diem sub illo vocabulo Feriæ cinerum.

SENSVS MORALIS.

Cineris aspersio deforis prodit animam pœnitentem.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Theologia Philosophia, Et SS. Patribvs.

Nilus totam Ægyptum alluens adeò alta habet exordia, vt desiderium sui hactenus effecerint: inaspectum namque fuit hominibus Nili caput. Fas sit ludere in Nilo & in peccatore qui nihilum est, iuxta Dauidis eloquium: *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Difficile est inuestigare caput huius nihili cinere aspersi: ardua nimirum res est aperire quis prior cinere respersit caput suum in tesseram animæ pœnitentis. Psalm. 72.

Quid significet cinerum aspersio.

Grauis est sanè quæstio de origine ritus huius vsurpati etiam ante Moysem, vt pœnitētes essent cinere conspurcati: siquidem pœnā hæc non est consona grauitati criminum, quibus imponitur, nec vllum doloris sensum secum vehit, quo purgetur delectatio illicita comes deliquij. Neminem vidi pro voto dissoluentem illas tricas. In re implexa satis, meam ego promam sententiam, quam accipe fortè idoneam ad soluendum propositum nodum. Sincera pœnitentia suis omnibus numeris absoluta non ideo est specialis virtus, quia dolet de malo perpetrato, sed ex eo quòd pœnitens dolet de peccato, in quantùm est offensa Dei, cum proposito diluendi piaculum, illud emendando. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit ex sola cessatione offensæ, sed præterea operæpretium est intercedere aliquam recompensationem, quam exigunt iniuriæ omnes alij illatæ, quas nemo expiare potest, nisi beneficio compensationis & retributionis. Recompensatio (vt cum S. Thoma loquar) est ex parte eius qui offendit, quia satisfacit homini à se perperam impetito. Retributio verò est penes illum, qui iniuriam accepit. Vtrumque sanè ad materiam iustitiæ pertinet, quia vtrumque est commutatio quædam. Sicque liquet pœnitentiam, quatenus est virtus, esse partem iustitiæ commutatiuæ, cuius est pro beneficiis gratias agere, & pro iniuriis illatis rependere pensum, quo aliundè satisfiat ei, cui se reus præstitit iniurium. Quòd si reus conditione impar est offenso, vt filius respectu patris, & homo respectu Dei; Aristoteles ait, esse in arbitrio superioris imponere modum debito obsequio, in gratiam sceleris abstergendi. Cùm ergo homo Deo offenso redux vult fieri, cuius iniuria nequit omnimodè compensari, ob disparem statum Dei, infra quem sunt homines; Dei erit præscribere normam, qua obseruata queat homo conciliare sibi gratiam Dei subirati. Vt huius sui voti compos homo fiat, debet recolere, se fuisse iniquum Deo, sibi, & proximo. Deo quidem in quem insurrexit, flocci pendens illius imperium: sibi autem, quia gratiâ excidit, vtpote conspurcatus macula peccatorum. Denique proximum

Ex Philosophia.

S. Thom. 3. p. q. 85. art. 3.

Quibus partibus constet vera pœnitentia omnibus numeris absoluta.

Aristot. lib. 8. Ethic. c. vlt.

Quomodò debeat inferior satisfacere suo superiori offenso.

simum ostendit suo exemplo, eum pelliciens ad peccandum. Itaque trifariàm obligatur homo, si velit pœnitentiæ obsequio restitui in integrum. Ne autem dubij pœnitentes hærerent in delectu obsequij Deo exhibendi, vt redirent ad meliorem frugem, Deus ipse præscripsit schema reis omnibus obeundum; scilicet, vt sincero animo reprobos affectus exuerent, corque suum arcta tristitia castigarent, in pœnam suauitatis illicitæ, qua gestiit animus delicijs irretitus.

Quare pœnitentes obstringantur ad edenda extrinsecus signa suæ pœnitentiæ.

Esto intimus ille dolor assumptus vltro, ob Deo illatas iniurias, sit præcipua pars pœnitentiæ; voluit tamen Deus adijci aliquid deforis, quo correi homines inducerentur ad terendos etiam calles concoloris pœnitentiæ, vt quos impius socios illexerat ad peccandum, eosdem sibi comites adiungeret resiliens à peccato. Ita Deus aliquando deuium populum reuocauit misso Ioele Propheta, cuius fuit ista parænesis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.* Cordis angustias scissio illa commemorata probat, qua Deus congruè delinitur. Ieiunium castigat illecebras; & lacrymarum profluuium alijs satisfacit hominibus, quos illo intuitu plerumque pœnitet commisisse nefas, cui expiando debet aliquando multis fletibus anima desudare. Omnem illum pœnitentiæ apparatum concludit cineris aspersio accepta eo ritu, quem quotannis recolit Ecclesia: nimirum prostat in cinere compendium omnium actionum, quibus homo malè sibi conscius obligatur. Primum namque quod Deus exigit ab homine reo fastidiente retroactam vitam suam, est sui iniqui status notitia, vt inde argumentum accipiat deprimendi fastum; quo aduersus Deum tumidus insurrexit, iuxta illud Iobi effatum: *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est. Operuit faciem eius crassitudo, & de latere eius aruina dependet.* Typhus ille fecit hominem Deo iniurium, vile abdominis mancipium, intentum duntaxat gulæ, & veneris illecebris. Refricata memoria iniquæ huius sortis, homini speciem sui ipsius obiicit, eoque horrore quatit, vt eum tædeat viuere, nihilque anhelet nisi mortem, quam incurrit pessimis actibus exantlatis. In tesseram suæ agnitæ perfidiæ cinere se aspergit, vt eius tenuitas explicet, quàm se exilem homo fateatur & inopem, qui exhausto humore gratiæ abiit in cineres, vt in reliquias ignis concupiscentiæ, cordis intima depascentis. Hoc cinerum typo innuit homo se esse ludibrium venti, quo acti cineres euanescunt, vt præfatus est Dauid isto versiculo. *Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ.* Et quia cineres etiam sunt supremæ mortis exuuiæ; animus improbus vltro se Deo offert immolandum, vt moriendo luat quod impiè hactenus vixit.

Ioel. 2.

Cineris aspersio quare cógrua sit ad expiandum animum pœnitentis.

Iob. 15.

In cinere est typus animæ tedacis post peccatum.

Psalm. 1.

Itaque cùm nihil æquè Dei sæuientis iram demulceat ac vltronea sui oblatio ad expiandas noxas, congruâ profectò industriâ consuluere sibi pœnitentes, qui cinere aspersi occurrere Deo, illâ elingui tesserâ suum confitendo scelus, quod incautè hactenus abdiderant. Adde edoceri homines eo cinere, tale obeundum esse pœnitentiæ genus; quod virtute sua resecat omnem cineris in-

Ad diluenda peccata cineres efficaces.

dolem in eò sitam, vt è cinere fiat lixiuium maximè idoneum maculis abstergendis. Alia etiam virtute cineres pollent; nimirum ignem fouent, & carnis humorem siccant, ne caro sanie diffluens putredini fiat obnoxia. Ita anima exosa nefas eo dolore vegetur, qui cor soluit in lacrymas indices angustiæ suæ, & quibus abluitur illa sordida colluuies, qua fuit hactenus anima conspurcata. Dauid expertus vim lauacri huius salutaris, illo eodem se balneo tinxit & quàm sæpe. Audi turbinem quo, anima eius percita concussa est. *Anima mea turbata est valde.* Proculdubio hunc gemituum anhelorum æstum, fletuum largus imber excipiet, vt ipse ominatus est. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Rursus accipe eumdem in flagella compositum, dum reuoluit animo contrito sua iniqua facinora, vnde emersit iugis dolor discrucians illum hominem pœnitentem, ita molestiam suam facientem palam. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Quem autem amoris ignem fouerit ille cinis, disce ab eo sua spirante amoris incendia hoc igneo afflatu. *Dolor meus renouatus est: concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Psalm. 6.

Ibidem.

Psalm. 37.

Psalm. 38.

Hæc præfata clamant pœnitentiam sortiri vices omnes cinerum, quibus homo aspersus melius animum suum pœnitentem exprimit, quàm si fimo oblitus & conspurcatus esset: nam fimus aliquo humore coalescit, quo vt coagulo compactus est, nullamque ingenuam mortis ideam obiicit oculis, qui alta & sublimia superbiendo fuere meditati: cinis verò humoris expers, diffluit & sibi constare nequit, mortisque simulacrum vehit semper. Duo autem hæc, scilicet ariditas, & capitis sententia, consequuntur impios reuera arentes, & capite plectendos nisi resipiscant. Vtrumque agnoscit Dauid dum recenset seriem hanc malorum, quam Deo iniurius expertus est. Cautior factus & veluti cinere pastus, vtpote panem suum tanquam cinerem manducans, ita compellat Deum: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam.* Profectò anima, Diaboli suasione, Deum auersata, ad terram conuersa est, ideo facta morti obnoxia, quia Dei obsequium turpiter abiurauit. In hoc discrimen vitæ incurrit Dauid peccato obstrictus, vt ibidem deflet. *Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* In eo vitæ & gratiæ deliquio anima Dauidis æmulata siccitatem cineris, nescia humoris exaruit. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

Cineres magis animum pœnitentem probát quàm fimi aspersio.

Psalm. 142.

Benè ergo Ecclesia consulit fidelibus; cinere eorum capita conspergens, vt à cinere vt elingui præceptore discant, quomodo sit ritè pœnitendum, auspicati vitæ cultioris institutum à sui nihili notitia; siquidem vt opportunè monet doctissimus ille Clemens Alexandrinus, μετάνοια σύνεσις μεγάλη, id est, pœnitentia est magna intelligentia. Ingenuè autem nihilum suum profitetur is, qui cinere aspersus, vt symbolo idoneo pessimæ suæ sortis, tantùm abest vt assurgat, quinimò infra Deum se demittit, recolens quan-

Ex SS. PATRIBVS. Clem. Alex. l. 2. Strom.

tum

tùm eminens ille, in quem hactenus insurrexit, cui duntaxat esse proprium est, vt liquet hac locuplete sententia Gregorij. *Omnes Sancti quantò magis interna diuinitatis conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nunquam Abraham se cinerem & pulnerem esse professus est, nisi cùm Dei habere meruit collocutionem: ait enim: Loquar ad Dominum meum cùm puluis sim, & cinis. Esse enim se aliquid fortasse credidisset, si veracem essentiam, quæ supra ipsum erat, minimè sensisset. At vero vbi ad immutabilem contemplandum super se raptus est, impletus tanta contemplationis potentia, dum illum videt, nihil se esse nisi puluerem vidit. Eadem quoquè repletus sapientia Propheta quidam exclamat: Memento Domine quòd puluis sumus. Vnde Moysi etiam dixit Deus: Ego sum, qui sum, & dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. Solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modò sic, & modò aliter est, iuxta non esse est: permanere enim in statu suo non potest; atque aliquo modo ad non esse itur, dum ab eo quod fuerat, semper ad aliud per momenta temporum ducitur.* Tandem concludit ille summus Antistes neminem posse fieri conscium supremæ illius essentiæ, nisi beneficio cineris assumpti, id est, obsequio notitiæ propriæ vilitatis. Sic ille: *Vt ergo in participatione illius essentiæ aliquid simus, cognoscamus nosmetipsos, quia propè nihil sumus.*

Greg. lib. 18. Moral.

Contemplatione eminentiæ Dei, homo maximè sui nihili conscius efficitur.

Vide hic egregiũ textum Gregor.

Congruè autem explicari pœnitentis animum cineris aspersione, enarrat idem Papa, suo calculo stabiliens meam sententiam illam, qua affirmo cineres etsi elingues, suam tamen habere facundiam, quâ benè suadâ alios homines sollicitant ad sana consilia, Deumque flectunt ad crimina condonanda. Rimare amabo ex Gregorio, opportuna locutus sim necne. En contextum huius Sancti. *In peccato quisque positus mortalitatis suæ obliuiscitur, & terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conuersionis autem suæ gratiam, cùm humilitatis spiritu tangitur, quid aliud se quam cinerem esse recordatur? Iam in cinerem Dauid conuersus fuerat, cùm dicebat: Memento Domine quòd puluis sumus. Abraham quasi iam in cinerem reuersus dicebat: Loquar ad Dominum meum, cùm puluis sim & cinis. Nam etsi viuentem carnem eorum necdum in terram mors resolnerat; hoc tamen illi apud se erant, quod se absque dubitatione futuros præuidebant. Hinc alias dicitur: Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Quis autem eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum vt deficiant, id est, subducto superbiæ spiritu, nihil se esse cognoscant. Et reuertantur in puluerem, id est, humilientur ex infima conditione. Propter hunc puluerem, ad cuius memoriam qui seipsos considerant, reuocantur, per Sapientem dicitur: Iusti fulgebunt, & sicut scintillæ in arundineto discurrent. Sancti etiam viri, dum peccatoribus permiscentur, eos suorum exemplorum igne succendunt, atque per id quod nitent, & ardent, in cinerem redeunt: quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem suæ conditionis conspiciunt, nihil aliud se quàm fauillam esse cognoscunt; vt à superbia suæ duritiæ resoluti per pœnitentiam dicant id quod supra memorani: Memento Dominè quia puluis sumus. Benè ergo dixit Iob, cùm ad se spiritum hominis Dominus trahit, deficiet omnis caro, & homo in cinerem reuertetur.* Hactenus ille.

Idem l. 24. Moral. c. 27.

Quisquis ad meliorem frugem conuertitur, is statim se cinerem esse aduertit & fatetur.

SENSVS MORALIS.

Cineris aspersio consulit animæ pœnitenti, & iis, quos quondam læsit malâ famâ.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS QVINTVS.

EX MEDICINA, ET SS. PATRIBVS.

VT hirudo cuti affixa sugens sanguinem ad arbitrium, cinere respersa cadit oblita suas delicias; ita & homo memor cineris sui, & recolens omnia subolere cinerem, illico fastidit ea quæ incautus antea depetibat. Idcirco appositè Iob in calce prioris articuli ait, homine in cinerem reuertente, Deum sibi deuincire omnia eius vota.

Hinc collige, Deum traxisse spiritum impiorum hominum, si quando videris eos cinere conspersos; nimirum non coeunt cineres & voluptas. Quomodo autem iidem cineres aliis consulant hominibus, quos reprobi assueti deliciis antea dementarunt, accipe. Cùm quis genio indulgens, omnes expertus illecebras, quæ suauitate sua constantes etiam animos frangunt; cùm inquam dyscolus aliquis fastidiens sæculi voluptates, pœnitens cinere aspergitur, suo illo exemplo probat, omnem sæculi dulcorem esse amarori finitimum, & esse amara omnia quæ amantur iniquè, ideoque esse sibi cauendum cinerum obsequio, id est pœnitentiæ pharmaco salutari, quo læsis partibus congruè consulitur, iuxta canones Medicinæ, quæ cùm curam aggreditur plurium partium ægrorum, decernit potionem vario medicamine compositam, vt dissitis antidotis occurrat etiam variis regionibus, & partibus malè affectis. Eâ industriâ Fernelius prouidit ægro, quem omnium penè viscerum praua affectio diuexabat. Sanxit ei propinari & parari potum, in quo erant varia hæc & congrua pharmaca conglobata. Ecce remedium. ℞. *betonicæ, saluiæ, lupulorum ana manipulum vnum. Florum cordialium, ana pugillum vnum. Foliorum sennæ mundatorum dragmas tres. Fiat decoctio. In colatura infunde rhabarbari electi scrupulos quatuor. Agarici trochiscati dragmam vnam, cinamomi dragmam semis. In expressione dissolue sacchari albi semidragmam, fiat potio. Si quando id medicamentum parcè deiiciet, addi poterit diaphœnici dragma vna.* Tota illa pharmacorum congeries remediis constat idoneis ad reuocandam sanitatem, quã variæ decumbentis partes exciderant. Betonica & agaricum capiti consulunt. Saluia, lupuli, & rheum barbarum stomacho conueniunt, & flores cordiales præsens auxilium cordi conferunt. Cinamomum ventriculum corroborat, ne grauetur aliorum pharmacorum qualitate iniuria. Adiicitur saccarum amicum hepatis, vt dulcedine sua veluti vehiculo

Cineres peccati acrimoniam clamant.

EX RE MEDICA. Fernelius consilio 5.

Egregia Medicinæ comparatio cum pœnitentia cineres vsurpante.

traiiciat

traſiciat in ſubſtantiam hepatis facultatem hepaticam rhei barbari. Demum ne pigrior vis remedij fruſtra quid moliatur, diaphœnicum adiicitur vt ſcammonium acuat virtutem expulſiuam quæ quandoque fatiſcit.

Peccatum malè afficit omnes animæ facultates, ideoque pœnitens indiget remedio Catholico, id eſt, Vniuerſali.

Quia igitur anima tota labefacta iacet cùm peccauit, Deus ei prouidè decumbenti cauit cinere indicto, cui eſt inſita ſalutaris virtus, eaque multiplex, qua languidis omnibus animæ partibus occurritur. Peccati autem contagio anima in hoc diſcrimen incurrit. Primò hallucinante intellectu malè affectum eſt caput, anima errante in conſona boni indagine: dumque à Deo procul, genio indulſit hæc anima detrectans ſubire iugum legis, intumuit. Et hinc ſuperbia. Gliſcente malo & ſuauitate voluptatis peruadente penitiora quæque, & incongrua lætitiâ explicante cor, hoc principale viſcus fuit imbecillum. Præterea, vt valetudine infirmâ feſſum corpus nequit aſſurgere; ita intellectus & voluntas principes animæ potentiæ deuiæ, inclinauere deorſum hominem totum perfuſum humore noxio, quo deſudant illecebræ. Inde illa iniqua animæ propenſio, ſemper vetita concupiſcens. Rurſus vt cerebro opaco, & corde infirmo, caligat oculorum acies, non diſcernens rerum imagines ſincerè vt occurrunt; ſic decumbens anima decipitur, & iuge ludibrium patitur, intuens res editas aſpectu qui dedecet animam conſciam diuinorum. Nam gratiâ deperditâ cæcutiens homo afficitur huiuſce ſæculi rebus, vt bonis congruis ad beandum; ſitque incurius rerum cæleſtium, dùm interitè arbitratur nihil eſſe melius illis crepundiis, quibus illuditur oculis excæcatis. Ex præfata hac radice malè habita, ſurculorum ſobolem collige vitiatam. Quid namque ingenuum & laude dignum potuit emergere ex ſubiecto quaſi impote ſui, & prauorum rituum vinculis irretito?

Quo tenore peccatũ inficiat omnes animæ potentias.

Vt iretur obuiam ſerpenti malo, quo inualeſcente variis homo deliquiis erat obnoxius, Deus inſtituit pharmacum idoneum ad reparandas omnes animæ ruinas, quas in triplici diſpendio prænotaui: ſiquidem præcipua animæ diſcrimina attenduntur penes caliginem rationi offuſam, & voluntatem pronam in ſenſuum illecebras; & demum circa prurigem oculorum, quibus imperitis, ad animæ perniciem, opum & corporum egregiorum ſpecies inuruntur. Multiplex illa animarum labes opportunè detergitur cinere vt pharmaco ſalutari, dummodo aſſumatur illud remedium ex præſcripto Dei. Primò omnis tumor inſurgit, affluxu humoris alluentis partem mole indebitâ grauiorem, vt videre eſt in ſuperbia, qua animus intumuit aſperſus voluptatum illuuie: arenti ſua facultate cineres deprimunt hunc tumorem, dum ſpecie cinerum edoctus homo recolit, ſe gratiæ expertem eſſe adinſtar pulueris exigui, mobilis ad arbitrium venti. Etenim ſicut aqua collectum puluerem firmat, aptumque facit ad vaſa conflanda in honorem; ſimili planè modo Deo irrorante homo ſibi conſtat, & compos efficitur diuinorum, vtpote effectus vas electionis. Eo autem humore exhauſto feruido alicuius libidinis æſtu, tota animæ compages illa grata diſſoluitur, & in ordinem homo redigitur, ſuo pulueri reſtitutus. Hoc ſi mente reuoluit homo, deponet faſtum quo tumidus attollitur; ſiquidem omnia cineri argumenta deſunt gloriæ aucupandæ; vt Bernardus ingerit, increpans hominum ſuperbiam hac cenſura: *Cur adhuc extento collo ambulas, ô terra, & cinis? Adhuc te ſuperbia eleuat? adhuc te impatientia exagitat?* Proculdubiò dehiſcet tumor omnis ſi ſeriò perpendit anima, quàm vilia fuerint omnium hominum rudimenta, quibus denuo redditur aliquo crimine perpetrato.

Quomodo cineres occurrunt eis omnibus diſpendiis, in quæ anima incurrit dum peccauit.

Ex SS. Patribus. *Bern. ſerm. de Inf. Dom.*

Alia mali labes virus in cor infudit, cùm carnis illecebra delinitus animus delectationis illicitæ ſenſum cordi offudit, quod ea perfuſum lætitia in mortem incurrit indubiam, deliquium gratiæ ſubſequentem. Iniqua illa lætitia, quæ ſubiit animam deliciis indulgentem, corrigitur amarore cinerum, quibus etiam eſt inſita vis ſtiptica potens ad conſtringendum cor antea deliciis malè reſeratum. Auſterus ille cinerum ſapor inſinuat pœnitentiæ rigorem illum, qui caſtigat percepta gaudia ex voluptate corpori blandiente. Quàm ſit proficuus ille amaror cinerum comes indiuiduus, inſinuat Hieronymus ita monens: *Amaritudinem radicis dulcedo pomi compenſat, periculum maris ſpes lucri delectat, dolorem medicinæ ſpes ſalutis mitigat. Qui deſiderat nucleum, frangit nucem, pœnitentiamque agit qui vult æterno adhærere bono.* Demum oculorum error eruitur hoc cinere. Præſcius reuera fuit Diabolus ærumnarum hominis, quando ei dubio an peccaret, ait: *Aperientur oculi veſtri.* Rei euentus fidem fecit præſagio: nempe vt peccauit homo, oculi effrænes animam deprædati ſunt, illectam intuitu rerum pulchriorum, quæ ſpecie ſua rutilante animam miſerè dementarunt. Illi delictio prouiſum eſt pharmaco illo cinereo: quiſquis enim attentè inueſtigat omnium corporum indolem illam ſpecioſam, ſtatim deprehendit eam breui eſſe cinere diſſoluendam, eoque ſic cinere edoctus cauet inſidias, quas prætendunt hæ ſpecies ementitæ veram rationem boni. Et hoc credo etiam intendi ab Eccleſia, dum hodie capiti imponit cineres defluentes in oculos. Prouida illa animarum parens, probè ſciens homines allici pulchris rerum omnium ſimulacris, puluerem ſpargit, præmonens vnumquemque eſſe puluerem, & in eum quoque puluerem redituram. Fitque eâ cautelâ homo prudentior, abſtrahens affectum ſuum à creatis, vtpote pulueri mancipandis.

Quàm ſit proficua amaritudo pœnitentiæ.

Hieron. in Matth.

Geneſ. 3. Cineres capiti aſperſi defluunt in oculos vt eos auertant ab aſpectu vanitatum.

SENSVS MORALIS.

Anima cinere aſperſa cedit in ius Dei.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex Historia.

Mathematici figurarum ſeriem & contextum demonſtraturi, lineas in puluere ducunt, quarum obiectu diſcipuli compotes quandoque fiunt huius diſciplinæ. Quotieſcunque famoſi pœnitentes reſperſere caput ſuum cinere, toties in puluere duxerunt lineas idoneas ad docendum quàm ſit hæc cineris aſperſio ſalutaris.

Ex Historia.

Deſiderabis fortè exemplum, quo cineris aſperſio humiliarit animam, caſtigarit vſum retro vſurpatæ illecebræ, & affectum ſæculi penitus extinxerit. Non cunctabor è pluribus vnam hiſtoriam

historiam congruam ingerere, eò magis fide dignam, quòd teste Hieronymo tota illa tragœdia peracta est. Narrat ille veridicus auctor, Fabiolam fœminam iuniorem pruriente carne fuisse nimis sollicitam de secundis nuptiis, ad quas plus æquo anhelans corpus suum composuit, specie placitura procis, tametsi nihil vnquam præstiterit indecorum. Vt erat eleganti forma, breui sortita est sponsum, cui adhæsit eius morte tenus. Sed vt mœror & voluptas, deliciæ & pœnitudo, res sunt conterminæ: mortuo illo coniuge fato immaturo, Fabiola pertæsa salacem suam indolem eo fuit dolore percita, vt in animum suum induxerit castigare suam præteritam impetiginem carnis, quâ malè suadâ conuolarat ad alterum vinculum coniugale. Specimen igitur editura singularis pœnitentiæ, cinere & sacco se accinxit, defletura piaculum, quo se obstrinxerat priore viro adultero dimisso, vt alteri coniugi adhæreret. Audiendus Hieronymus ita fatus: *Post mortem secundi viri in semetipsam reuersa quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso agere se liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum induit, vt errorem publicè fateretur, & tota vrbe spectante Roma ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus: sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret. Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant? Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysis separata consedit, vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalciatis pedibus, transiuit fluenta lacrymarum. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat, quasi adulterium commisisset, & multis impendijs medicaminum, vnum vulnus sanare cupiebat.*

Hieron. epist. ad Oceanum de epitaphio Fabiolæ.

Mirum exemplum pœnitentiæ editū à fœmina pœnitente.

Audisti quá ratione priorem fastum deposuerit pœnitens hæc fœmina induta sacco consito cinere, quo magistro didicit se esse dignam, quæ hominum vestigio calcaretur, ad instar pulueris: & hoc meminit Hieronymus, dum recenset eam colla sordida demisisse. Vnde hæc colla sordida nisi ex defluente cinere, quo conspersit caput humi prostratum iuxta limen Ecclesiæ. Amator cinerum tersit omnes voluptatum reliquias, cum pœnitentiæ acerbitate castigauit corpus sensuum illecebris antea mancipatum. Quàm flocci postea fecerit prædiuitem suam supellectilem pergit enarrare ille Fabiolæ eloquens encomiastes. *Omnem censum quem habere poterat (erat autem amplissimus, & respondens generi eius) dilapidauit, ac vendidit: & in pecuniam congregatum, vsibus pauperum præparauit: & primo omnium νοσοκομεῖον instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foueret. Describam ego nunc diuersas hominum calamitates, truncas nares, effossos oculos, semiustos pedes, luridas manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia, & de exesis ac putridis carnibus vermiculos bullientes? Quoties morbo regio, & pedore confectos, humeris suis ipsa portauit? quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria manu, & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat.* Hactenus ille. Fabiola arbitrata omnia vt stercora, suas effudit opes vt puluerem: percita namque Spiritus Sancti flamine, non potuit in cumulos illum aureum puluerem asseruare, cuius aceruí cedunt in detrimen possessorum, qui duntaxat opum suarum larga effusione ditiores fiunt.

Vbi suprà. Pœnitentia fastidit omnem mundi pompam.

Nunc amabo, expende vera sit necne illa conclusio, qua præfatus sum cineres esse medicamen idoneum ad curandas omnes animæ facultates, pessimè laborantes, & in vna Fabiola meditare demissionem fastus, coërcitas illecebras, & rerum omnium despicatum. Præterea demitare prudentiam fœminæ pœnitentis. Illa elegantis viri specie capta inconcessos petiit hymenæos; namque adhuc erat superstes prior sponsus, quem de adulterio conuictum dato libello repudij dimiserat. Ne ergo speciosa corporum forma illuderet oculis, in quos incurrunt species egregiæ, prudens hæc matrona obsequio ægrorum se deuouit, vt scaturigo vermium ebulliens in vlcere, & sanies inde diffluens, & subolida corpora fœtore suo amorem extinguerent, quem olim hominis formosi culta facies accenderat. Et hoc arbitror esse præsentissimum remedium contra amoris sensum, qui insurgit ex intuitu corporis compositi in habitum illum, qui conciliare solet gratiam oculorum. Scilicet vt impunè oculos diuerberent egregiæ illæ formæ, cogitare amœnum & virentem illum luxuriantis faciei florem breui tempore marcidum fore, & posse ex momento hoc incurrere in discrimen vlceris alicuius, pulchriora etiam corpora depascentis. Vegetior erit ille cogitatus, si inuisantur ægri illi, quos audimus sorte miseranda pure liuido desudare. Horum hominum species subhorrida profectò ingeret fastidium aliorum omnium corporum, quandoquidem eodem limo omnia gentis nostræ corpora coalescunt. Fauet Hieronymus ista hac sententia. *Ille quem despicimus, quem videre non possumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis est, de eodem nobiscum formatus est luto, ijsdem compactus elementis. Quidquid patitur, & nos pati possumus.* Eo consilio hodie memoriam nostram cinere aspergit Ecclesia, vt cogitemus, omnem mundi apparatum aliquando destitutum in cinerem, non habere vnde sibi deuinciat animæ affectum, qui æterna tantùm ambire debet charismata, nullis vnquam æui alicuius iniurijs abolenda.

Pœnitentia sola paupertate diues.

Qua sibi cautela prouidit Fabiola, vt luxuriā extingueret.

Qua meditatione cōpescatur amor corporum, quæ sua venustate oculos conciliant.

Hieron. ibid.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Non debere hominem affici rebus, quæ in cinerem aliquando desinent.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

PARS ALTERA SECTIONIS.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

EX PHILOSOPHIA, ET VTROQVE IVRE.

Quare omnia infra cælos edita dissoluenda sint in cineres.

MVltifariam sanè angi debet homo memor obsequij, quod imprudens exhibuit rebus editis ad vsum nostrum, & non ad fruitionem. discolor enim ista corporum omnium pompa haudquaquam nobis obiecta est, vt extorqueret cultum ab homine, sed vt pro Dei arbitrio singulis inseruiret. Eamobrem ne corusca rerum facies imponeret homini, cui specie pomi diabolus illuserat, Deus hoc maledicto ferit omnem mundi supellectilem, vt sit indubiè passura deliquium tempore præstituto, iuxta illud Cypriani: *Hac lex omnibus indicta est, vt oritura occidant.* Omnia autem corpora infra cælos, in hoc deuenire discrimen, vt quandoque dissoluantur, hac ratione liquere potest. Homo principatum tenet in rebus sensibus obuiis, ac proinde præstare debet eis. Ergo cum nobilissimum illud animal desinat in cinerem, profectò necesse est vt omnia etiam alia quæ rutilant; subeunte deliquio dissoluantur. Quid namque superstes esse potest, cùm sibi haudquaquam constet homo, in cuius gratiam condita sunt cætera, vnde exurgit rerum omnium hæc supellex. Fauet istud axioma: *Quod maximè est tale, cæteris causa est, vt talia sint.* Adiice, corpora quæque sublunaria, quantumuis emineant, coalescere ex contrariis, quibus illud omnibus insitum est, vt alternas vices agant, vtique suo subiecto iniurias, quia corrumpitur hac discordi contrariorum pugna, speciosiora quæque corpora dissoluente. Inde emersit hoc effatum: *Quidquid corrumpitur, à suo contrario corrumpitur.*

Ex PHILOSOPHIA.

Arist. lib. 2. Metaph. c. 2.

Lib. 1. de cælo text. 20.

Quare Deus noluerit esse æternã huius mundi supellectilem.

Quare autem noluerit Deus res aliquas perennare longo annorum tractu, & sibi statum vendicare perpetuum, illud sanè prouidè sanxit. Primò ne quid eorum quæ facta sunt in hominis subsidium, esset homine nobilius. Nimirum quæ à Deo sunt, ordinata sunt: at ordo attenditur penes prius, & posterius. Cùm ergo homo dignitate antecedat omnia hæc, æquum censuit prudens ille rerum moderator, eadem corruptionis sententia concludere cætera quæ suum pendunt homini famulatum. Imò vt singulari beneficio corpus humanum compegerat Deus, eâ peritia vt nesciam mortis extitisset homine non peccante; ita & potuisset alia omnia citra corruptionem condere. Si autem condidisset incorruptibilem rerum hunc apparatum, indubium credo pereunte homine fuisse etiam reliqua peritura; non quia tantùm fuisset illud incongruum, homine extincto, stare res editas in obsequium eius; sed vt hominum noxa plecteretur in omnibus quæ ad hominem pertinebant. Namque Dei iustitiæ ritus ille est, vt non reos tantùm exterminet, sed & pœnæ etiam faciat consciam eorum substantiam, vt videre est in capitis sententia lata contra perduelles Adam, cuius piaculi nescia etiam terra luit pœnas, hoc horrendo iræ Dei fulmine concussa. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hac censura Deus animaduertit in hominem, & in terram, quam homini subiecerat: terræ autem nomine intellige omnia quæ tellus suo prædiuite & fœcundo sinu complexa postea parturiit. Omnia hæc dispendium passa, ingemuere homini cinere dissoluendo. Hoc Dei iudicium æmulatæ sunt Gentes aliquæ, non reos tantùm noxæ immanis, sed & eorum gazas igni deuouentes.

Homine peccante luit pœnas illud omne quod ad hominem pertinuit.

Genes. 3.

Ex ANTIQVITATE. Iosue 6.

In his fuere Hebræi, qui vlturi iniuriam Dei, vrbem Iericho solo æquarunt, & quæ eius erant omnia succenderunt, vt innuit sacer iste textus. *Vrbem, & omnia quæ erant in ea succenderunt.* Fuisse & hunc morem obseruatum ab Hebræis, non damnatos tantùm occidere, sed & eorum penu in fauillam redigere, liquet ex eodem sancto Codice, vbi prostat inglorium funus militis huius, in quem Iosue dixit capitis sententiam. Nempe eo lapidibus obruto, Iosue præterea sanxit mandari flammis illa omnia quæ accèderant appetitum huius hominis infelicis, cuius fata extrema recenset historia hoc tenore: *Misit ergo Iosue ministros, qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, & argentum simul. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Iosue, & ad omnes filios Israel, proiecerunt que ante Dominum. Tollens autem Iosue Acham filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, boues, & asinos, & oues, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem; & omnis Israel cum eo, duxerunt eos ad Vallem Achor: Vbi dixit Iosue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Israel: & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.* Fuit & Romanorum idem institutum, vt igne delerent eorum penu, quos scelus infandum obstrinxerat. Ea lege sæuitum est in Cæsaris homicidas, quos vt audiit populus consuluisse sibi fugâ, Romani vindices faces eorum ædibus admouerunt. Græcis etiam inolitum fuit flammis deuouere substantiam hominum impiorum, vt suo dispendio expertæ sunt Thebæ Alexandro iniuriæ. Fuit hæc vrbs bello clara, & æmula Spartanorum, quos aliquando fugauit magna strage affectos. Rerum præclarè gestarum gloria insolescens vrbs, arbitrata alias omnes impares sibi, Alexandrum illum Heroëm Macedonem conuiciis turpibus impetiit. Ille æstuante bile impos sui obsidione cinxit Thebas, & validè arietem intorquens in mœnia, parte eorum prostrata, viam sibi in vrbem fecit, vbi multa cæde edita, adiecit tandem flammas, quæ Thebas, Græciæ quondam decus, aggerem cinerum effecerunt.

Iosue 7.

Ritus ille olim inualuit, vt in reos animaduerteretur, & in eorũ omnem supellectilem.

Plutarc. in Iulio Cæs.

Plutarc. in Alexand.

Quare Alexander Thebas addixerit flammis.

Hoc sanè ritu Deus vltus est suam iniuriam: hominem namque rebellem tulit è medio, capite eum plectens; deinde res editas in adminiculum lapsi hominis adsciuit in partem pœnæ, dum corruptioni obnoxias fecit. Ea lege Ius Romanum reorum bona castigauit, ea fisco vindicando, sic adimendo facultatem reis disponendi de suo peculio, & hæc pœna, bonorum publicatio

EX IVRE CIVILI.

Lege 1. ff. De bonis damnatorũ l.48. tit.10. Lege 2. Cod. De bonis proscriptor. lib.9. tit.49.

publicatio nuncupatur. Hanc Callistratus sic recenset. *Damnatione bona publicantur, cùm aut vita adimitur, aut ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur.* Publicari autem bona, est illa adimere priori Domino, vt cedant in ius alterius, ipso etiam sontis hærede perperam reclamante, vt sanxit Imperator Alexander, cuius hoc est edictum. *Deportati nec earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, heredem habere possunt, sed & hæ publicabuntur.* Esto Adami prosapia vetitum pomum non carpserit, ac proinde non in Deum insurrexerit quando dicta est capitis sententia in Adamum; tota tamen proles hominis huius deportati longè à paradiso excidit iure, quod Adam acceperat ante deliquium suum. Iure etiam Canonico fit mentio præfatæ illius pœnæ publicandi bona clericorum, in quos Ecclesia animaduertit.

Ex Ivre Canonic. Cap. Nolentes Clement. De hæreticis l.5. tit.3.

Quia ergo enormiter homo Deum offendit, non luit tantùm in corpore, passus exilium, sed & in omnibus iacturam fecit, rebus ferè omnibus detrectantibus reddere obsequium homini deportato. Quòd si Deo miserante res aliquæ famulatum homini præstant, adeò breuis est & parcus ille rerum vsus, vt modicò tantùm tempore perseueret: nam corporum omnium hæc compages parum tenax citò dissoluitur, nihilque perenne dominis suis concedit, nisi cinerem diuturnum.

SENSVS MORALIS.

Deus morte inflicta consuluit hominibus:

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Ex Theologia et SS. Patribvs.

HOc hominis & rerum omnium deliquium à Deo indictum est, & equidem iustè, quidquid reclamet Philosophia insurgens, & obiiciens Deum nihil posse facere nisi positiuum, at exterminium esse quid defectiuum, ac proinde longe à Deo, cuius est condere, & non destruere.

Ex Theologia.

Theologia huic nodo suum cuneum adfert, sic discurrens. Mors bifariam considerari potest. Primò vt est malum naturæ humanæ destructiuum. In eo sensu mors est defectus consequens peccatum, à primò omnium homine perpetratum, Deumque mors spectata sic habere nequit auctorem. Alio modo mors attendi potest, vt pœna iustè inflicta homini incurio mandatorum Dei, & sic ad iustitiam Dei pertinet, cuius est compescere iniquos hominum ausus, & castigare nefandos actus. Eo intuitu mors aspecta bonum quoddam est, iustitiam Dei explicans, qua eliminantur omnes debita Deo obsequia dedignantes. Et vt misericordiâ insciâ, nihil castigat iustitia Dei; in morte inflicta maxima elucet gratia Dei miserantis iniquam hominum sortem, infinitis propemodum angustiis obnoxiam, quam, ne diuturna foret, morte instante & cuique obuia decurtauit. Quis namque Angelorum non homini ingemeret, si damnatus ad ærumnas perpetuas in hoc sæculo perennasset? Itaque licet mors iustitiam Dei prodat; est etiam illa misericordiæ eius congruum argumentum, quandoquidem salutaris est mors, hominem expediens à longa & importuna serie tot malorum, quibus vita hæc ærumnosa scatet.

S. Thom. 2.2. q.164. art.1. ad 5.

In morte homini inflicta elucet Dei misericordia.

Ex SS. Patribvs. Gregor. Naz. orat. 38. Chrysostom. hom 49. in Matth.

In eo argumento vernat stylus Sanctorum Patrum, dum commoda mortis enumerant. Prior occurrit Gregorius ille Nazianzenus, ita fatus opportunè ad meum intentum: *Mortem vt peccati præcisionem homo elucratur, ne malum immortale esset. Ita pœna ipsi in misericordiam cessit. Sic enim Deum supplicia inferre censeo.* Eodem œstro Chrysostomus actus, mortem euehit vt malorum omnium pharmacum salutare. Eam dicit amplexandam vt omnium terminum ærumnarum, & veluti transitum ad gaudia sempiterna. Aduocandus ille sic sua sensa promens: *Omnibus laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat vbi sit mansio: mercenarius frequenter computat quando annus compleatur: agricola semper tempus messis expectat: negotiator die ac nocte thecā sua discutit rationem: mulier pragnans semper de decimo mense cogitat. Sic serui Dei libenter de morte sua cogitant. Vbi enim thesaurus eorum, ibi & cor est. Si haberes solidorum quantitatem in arca tua, oculos illuc sæpe intenderes. Sic Sancti locum illum aspiciunt, vbi repositam habent coronam.* Vita perennis pœnas nostras fecisset interminas; sed mors posita modum malis, pios homines traiicit in bonorum omnium statum inconcussum, vt iubilat Bernardus, ita gestiens: *Mors peccatorum pessima, quorum & natiuitas mala, & vita peior, sed pretiosa mors Sanctorum. Pretiosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoria conuersatio, tanquam vitæ ianua, & perfecta securitatis ingressio.*

Quare mors sit desiderabilis.

Bernard. de transitu Malach.

Longè latèque serpebant mala, quæ homo incautus inuexit in hanc vitam ideo deplorandam; sed mors ingruens breuiori compendio conclusit malorum hunc contextum, factaque est succincta epitome nostrorum discriminum, cùm mors inualuit. Quàm sit illa benefica, disce ex Petrarcha consolante hominem in extremis, qui morte iminéte aiebat: *Morior.* Animum hunc demissum sic ille erexit: *Hoc est impassibilem fieri, & iugum fortunæ pariter ac mortis excutere. Geminum ingens bonum, quod viuenti nulla vnquam prosperitas largiretur. Cogita autem quæso, quot tibi & quàm graues curæ, qui superant labores. Si non dicam infinitam, sed annorum mille, qui vnius iam præterita diei spatio comparantur certam vitam accepisses, quod optimè æstimabis, si huius breuis ac fugacis & incertæ vitæ tædia, proque hac toties susceptos labores molestiasque memineris. Ita mortem fletis, ô mortales, quasi magnum aliquid vita esset. Quod si esset, magnum aliquid musca haberent, & aranea, & formicæ. Si semper beneficium vita esset, semper maleficium esset mors, quæ magnum beneficium est interdum, dum vel ab intolerabilibus malis, vel ab his quæ summa sunt mala peccatis nostris instantibus animam eripit præseruatque. Atque vt magnum aliquid inter vos sola est virtus, si sic per se spectetur, vita hæc miseriarum innumerabilium est officina, quam quisquis claudi dolet, is ferias respuit malorum, & quietem odit, quam qui appetit laboriosæ finem vitæ cupiat necesse est. Quando nullus alius est vel laborum vel malorum finis, quid fles igitur? Dies*

Quare sic pretiosa mors Sanctorum.

Petrarc. de remediis aduers. fortunæ Dial.118.

Quibus argumentis mors probetur esse benefica, hic fusè ostenditur.

Dies adest, qui si traheretur votis, erat optandus, & fortassis vt res hominum sunt, & fortuna vis immensa, & insultus varij, sæpe etiam optatus est tibi. Ex terrea & caduca domo ad æthereum atque æternum migras habitaculum, & in limine pedem habens mœstus auelleris, atque inuitus, & nescio quid retro anxiè respectans, an sordium quas dimittis oblitus, an bonorum ad quæ pergis incredulus? Si vestra quæ dicitur vita mors est, illud consequens est, vt eius finis, quæ mors dicitur, vita sit.

Argutè equidem hæc Petrarcha dum componit mortem cum termino omnium ærumnarum, vnde colligit mortem esse bonum, quia expungit sensum mali quod lancinat hîc degentes. Huiusmodi enarratio recensens mortem vt modum impositum nostris angustiis, potest esse solamini etiam homini infideli: sed nobis initiatis fidei mysteriis sanctiora suppetunt argumenta, petita à prouidentia Dei, qui morte inflicta viam strauit ad gloriam hoc medio capessendam, vt laudatus ille Petrarcha meminit pergens in dialogo prælibato. Si ille: *Rex te tuus carcere liberat, iam vincula franguntur, quæ fecisse mortalia primum patrem libuit. Idque vel maximè ad illius misericordiam pertinere, & Plotino visum est. Vocat te Rex tuus, felix nuntius. Sæpe est enim, nec videtur faustum, quod inuitis acciderit. Consensum adhibe; tum sentire incipies quàm benè tecum agitur, hic quem metus carceris, exitium, & mala vitæ reputans, & mortis bona præsagiens, quasi olor ille Socraticus diuinationis particeps, & ob id sacer Apollini moriendo cantabis, si non voce, saltem animo.* Hæc ille appositè ad institutum meum, cuius erat hoc probare, videlicet in morte, etiam insigne misericordiæ Dei facinus elucere. Adiicio eo etiam intento Deum fecisse res perituras, ne si iugi tenore superessent, suo perenni statu oculis illuderent, ementita specie alicuius abditæ deitatis. Huic ludibrio cautè occurrit Deus, aspergens pulchriora quæque corpora aliquo semine corruptelæ, quam nihil omnino sublunare declinare potest, si aliquo corpore coalescat.

Mors homini debet esse grata, eo solo nomine quòd tunc Deus hominem vocat.

Optimè igitur Ecclesia Deo afflata vellicat hodie memoriam hominum, recolens eorum cineres, vt meminerint alia etiam omnia, quæ infra hominem sunt passura dispendium, nacta finem qui manet omnia peritura. Eo mundi cinere refricata memoria retundit omnia hominum vota anhela in obsequium huius sæculi, cineres expectantis. Quis namque nisi mentis inops, velit suos deuouere affectus inani simulacro boni, cùm sit penes vnumquemque bonis optimis adhærere? Nos Ecclesia more hirudinum tractat: quippe hirudo sanguisuga admota venis sanguine turgentibus adeò se sanguine ingurgitat, vt nimio cruore epoto plerumque crepet, nisi quantocyùs cinere conspergatur, vt quotidiano experimento liquet. Est namque ea vis insita cineribus vt his affricta hirudo, statim velut oblita cutem, cui pendula adhærebat, sanguine abstineat, quem præcipuè sitibunda potat. Aduertêre olim Patres Sancti proceres Ecclesiæ, fideles instante Quadragesima genio indulgere, vacare epulis, & choreis, denique vsquequaque litare illecebris. Vt ergo voluptatis sensum omnem tergat Ecclesia, animosque procul arceat ab iniquo omni cogitatu deliciarum, quas nuper experti sunt Christiani! bacchanalia celebrantes; Quadragesimam auspicatur cineres effundendo, ne quæ voluptatis reliquiæ contaminent illud sanctius institutum. Credidere Præsules adunati in Concilio Agathensi, obiectu cinerum fore vt fideles sese expedirent ab iniquis ritibus insolitis, idonea namque est mortis meditatio ad nauseam ingerendam rerum omnium, quas corusca mundi facies ventilat & ostentat.

Quare Ecclesia mentionẽ faciat cinerum eos aspergendo.

Mira vis cinerum in hirudine, & quid morale significet.

SENSVS MORALIS.

Memoria mortis antidotum est salutare contra virus omnium voluptatum.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS NONVS.

Ex Antiqvitate, ex Symbolis, ex Historia, et SS. Patribvs.

Qvantumuis oculi perspicaces sint, si cinere aspergantur cæcutiunt; ita quamuis homo capiatur aspectu rerum infimarum, si tamen earum finem considerat, non eas amplius oculo cupido desiderat. Hinc emersere ritus hi celebres, quos meminere Damianus, Lyranus, & Curopalata, quos accipe, & in his priorem Cardinalem, scilicet Damianum virum sanctum. Sic ille: *Apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, vt cùm Imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, coronà simul ac sceptri gloria decoratus; cùm denique procerum vallatur obsequiis, cùm excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præstò sit obuius, qui videlicet vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat; in alia verò stuppam lini, pexam subtiliter, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flamma subitò vorante consumitur. Vt in altero debeat considerare quod est, in altero valeat considerare quod habet. In cineribus quidem se cinerem recognoscit, in stuppa iam colligit in die iudicij quàm subitò mundus ardebit, quatenus dum se simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat; de imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat, & dum possessor, atque possessio subiicere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa proiectus est, non infletur.* Vide amabo quàm benè quadret ista antiquitas præfatis à me, quando insinuaui omnem mundi pompam aspectam cinere conspersam, id est, deliquio obnoxiam, impotem esse omnino ad faciendam cupidinem sui, ratione breuioris æui, quo prætereunte dehiscunt hæc omnia, quæ assurgunt. Non vlla planè est anima tam tenaci adhæsione affixa rutilis hisce rebus, cui profectò amor ille non tepescat, dum recolit se cinerẽ esse, & omnia quæ deperit esse peritura.

Ex Antiqvitate. *Petr. Dam. epist. 37. ad Alexand. II. Pontific.*

Solennis ritus inaugurandi Imperatorem, quo rerum omnium caducitas ostenditur.

Cõsideratio breuis æui rerũ, earum parit fastidium.

Eò collimat alius ille ritus, quem Lyranus refricat, hoc contextu: *Antiquitus Imperatore creato, statim quærebatur ab eo, quo marmore vellet sepulchrum habere.* Non alio sanè intento

Lyran. in c. 34. Iob.

Alius ritus inaugurandi Imperatorem.
Marij breue fuit Imperium.

reuocata est sepulchri memoria inaugurato Principe, nisi vt referret, non longè abesse Imperij infulas & sepulchrum, vt Marius ille faber expertus est, qui de gregario milite euectus ad Imperij culmen, eo fere temporis articulo, quo renuntiatus est Imperator, desiit imperare, vtpote triduo sublatus è medio ab æmulo nequeunte ferre hominem antea fabrum potiri rerum. Totam illa tragœdiam sic perstringit Trebellius: *Vna die factus est Imperator, alia die iussus est imperare, tertia die interemptus est.* O fugacem sæculi pompam! O tripudia mundi ludicra, & felicitatis ementitæ inania simulacra! Imperator statim referre pedem cogitur è solio, cui semel insedit, vt resideat in sepulchro, vnde nunquam resiliet, quin tota hæc mundi moles pessum eat.

Trebellius in Mario.
Gloria mundi fugax aspernanda.

Tertius ritus inaugurandi Imperatorem.
Curopalata lib. 1. de officiis magn. Eccles. Constantin. c. 6. num. 37.
Memoria mortis fastū deprimit Imperij, vt præclarâ historiâ probatur.

Ne quid rituum antiquorum desideres in hac ferali materia, consule Curopalatam, qui alium morem initiandi Imperatorem sic recenset: *Imperator crucem in dextera semper portat, in sinistra vero inuolucrum codici simile ligatum mantili, habetque intus cauitatem, & vocatur ἀκακία, quasi dicat illud, Imperatorem humilem esse vt mortalem, neque propter imperij sublimitatem efferri, neque insolenter se iactare. Per mantile significatur eiusdem Imperij inconstantia, & mos ab vno ad alium transeundi.* Arbitror ego inuolucrum illud concauum fuisse quoddam scriniolum, & idem quod meminit Damianus, vocans illud vasculum plenum ossibus mortuorum: alioquin non cohærerent illi auctores, detraherentque fidem historiæ, quam posteræ ætati commendare volunt, commemorantes religiosum illum Imperatorum morem, quo regnandi appetitum, forsan immodicum, obiecto cinere condiebant. Coniecturam auget religiosa illa supellex, quam filio suo Philippo tradidit Imperator Carolus V. Princeps hic bello & pace clarus, abdicato Imperio, dedit Philippo II. scriniolum, quo demortui caput erat reconditum, vt his mortalibus exuuiis hoc disceret, quandoque fore cinerem capita diademate redimita. Illud idem scriniolum moriens hic Philippus hæredi suo dono dedit vt vasculum, antidotum gloriæ quæ exurgit ex fastu culminis eminentis.

EX HISTORIA.
Pet. Matth. in histor. sub anno. 1598.

Eâ etiam cautelâ consuluit sibi Sigismundus Rex Polonus, iconem cudens, vbi mors obiecta circumferebat istam epigraphen. IVS OMNE VIVENS POSCIT. Nescio an ad iudicium extremum, aut ad mortem aspexerit. Sed hæc mortis idea remedium est valde idoneum ad deponendum typhum, quo homo tumet infulis exornatus. Verbi gratiâ, valde salutare erit soliloquium istud, quod vtinam sæpe Principes vsurparent. O anima mea, Deo dispensante tui iuris habes ditiones longè latéque diffusas; sed memento te etiam alterius iuris esse, nempe mortis, OMNE VIVENS POSCIT.

EX SYMBOLIS.
Ægid. Sadel. lib. iconum Symbolicar.
Egregium facinus Sigismundi Regis.

Hoc vnum animo reuolue semper & maturè, te tuaque omnia esse succindenda falce mortis. Iugis illa meditatio mortis, speciosa quæque vendicantis sibi, adeò perculit Principem Iosaphat natum solio Indiarum, vt viso corpore hominis senio confecti & animam agentis, confestim flocci fecerit omnia, quæ exurgunt, & sæculi huius repudium seriò cogitarit; indignum ratus hunc orbem affectu suo, quia in hoc æuo nihil omnino potest constare sibi: nec dæmon ipse suis præstigiis volens illudere Christo, & eum dementare præostensa sæculi pompa, potuit hanc celare inconstantiam fugacis huius gloriæ, quam explicando, moras longiores haudquam traxit, sed præcipiti aspectu Christo exposuit, non valens gloriolæ labentis speciem vel ad breues morulas ampliare. Etenim in momento sitam fuisse totam illam historiam Lucas congruè aduertit. *Duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Hunc locum versans Ambrosius, locuples argumentum sumpsit, ad despiciendum mundum, ratione præsertim durationis eius adeò decurtatæ. Sic ille: *Benè momento temporis sæcularia & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula. Docemur hic inanis ambitionis flabra despicere, quod omnis dignitas sæcularis diabolicæ subiacet potestati, ad vsum fragilis, inanis ad fructum.*

EX HISTORIA.
S. Damascen. in vita Barlaam & Iosaphat.
Mortis meditatione Princeps infulas regni despicit.

Luc. 4.

EX SS. PATRIBVS.
Ambros. in Luc. c. 4.

Momentaneum etiam esse hunc sæculi apparatum omnem, hodie monet Ecclesia refricans memoriam cinerum: quod namque de microcosmo affirmat, cum monendo cinerem esse, & in cinerem reuersurum; illud idem etiam subintelligit de altero mundo, qui concludit omne hominum genus degens in hoc æuo. Imò ipse Dominus mundi deliquium instare suis prædixit Apostolis, ne rei præcipiti sua obsequia consecrarent. Luculenter hoc Gregorius enucleat, ideo est sistendus. *Dominus ac redemptor noster, fratres charissimi, paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denuntiat, vt nos ab eius amore compescat.* Quomodo autem sensim hoc sæculum deficiat, atque adeò sollicitet ne ametur, pergit ille enarrare. *Nouis quotidie, & crebrescentibus malis mundus vrgetur. Ex illa plebe innumerabili quanti remanseritis aspicitis, & tamen adhuc quotidie flagella vrgent. Repentini casus opprimunt, noua nos & improuisa clades affligunt. Sicut enim in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, torosa ceruix, plena sunt brachia: in annis autem senilibus statura curuatur, ceruix exsiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus vrgetur: virtus deficit, loquentis anhelitus intercidit: nam etsi languor desit, plerumque sensibus ipsa sua salus ægritudo est: ita mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crebrescentibus crebrius vrgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere quem videtis diu stare non posse. Præcepta Apostolica in animo ponite, quibus nos admonet dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Hactenus ille.

Quare fiat crebra mentio mundi prætereuntis.

Greg. hom. 1. in Euang.

Ibidem.

Pulchra descriptio mūdi senio tabescentis.

Ecclesia hodie cinere aspergendo caput, hoc sæculi tædium non intendit tantùm, sed & de nostra salute sollicita satagit accendere desiderium rerum cælestium, quæ duntaxat perennare solent. Earum rerum beatarum intuitu lenit

Breue æuum huius sæculi nos sollicitat vt quæramus æternum bonum.

Ecclesia

Ecclesia quidquid pœnitentia acerbum sapit in fructibus suis asperis insito amarore. Ideoque sic animos pœnitentum erigit, vt audacter decurrant hos quadraginta dies institutos ad lugenda piacula, quorum pœnitentia nos traiicit in cælum. Ita suos solatus est discipulos Christus, hortatus eos vt leuarent capita sua quando pessum iret mundus: vltima namque fata sæculi cedere in æterna præmia Beatorum. Præstat audire denuo Gregorium sic spatiantem in hoc stadio. *Cùm plaga mundi crebrescunt, cùm terror iudicij virtutibus commotis ostenditur: leuate capita, id est, exhilarate corda: quia dum finitur mundus, cuius amici non estis, propè fit redemptio quam quæsistis. In Scriptura etenim sacra sæpe caput pro mente ponitur: quia sicut capite reguntur membra; ita & cogitationes mente disponuntur. Leuare itaque capita, est mentes nostras ad gaudia patriæ cælestis erigere. Qui ergo Deum diligunt, ex mundi fine gaudere atque hilarescere iubentur: quia videlicet cum quem amant, mox inueniunt, dum transit is quem non amauerunt. Absit enim vt fidelis quisque qui Deum videre desiderat, de mundi percussionibus lugeat, quem finiri eisdem suis percussionibus non ignorat. Scriptum namque est: Quicumque voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicus se illius esse testatur, atque per hoc inimicus Dei esse conuincitur. Sed absit hoc à fidelium cordibus: absit ab his qui & esse aliam vitam credunt per fidem, & eam per operationem diligunt. Ex mundi enim destructione lugere, eorum est, qui radices cordis in eius amore plantauerunt; qui sequentem vitam non quærunt, qui illam non esse suspicantur. Nos autem qui cælestis patriæ gaudia æterna cognouimus, festinare ad ea quantocyùs debemus. Optandum nobis est citius pergere, atque ad illam breuiore via peruenire. Quibus enim malis mundus non vrgetur? Quæ nos tristitia, quæ aduersitas non angustat? Quid est vita mortalis, nisi via? Et quale sit, fratres mei, perpendite, in labore viæ lacessere, & tandem eamdem viam nolle finiri? Quod autem calcari mundus ac despici debeat, Redemptor noster prouida comparatione manifestat, cùm protinus adiunxit: Videte ficulneam, & omnes arbores; cùm producunt iam ex se fructum, scitis quia propè est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri scitote quoniam prope est regnum Dei. Ac si apertè dicat: quia sicut ex fructu arborum vicina æstas cognoscitur; ita ex ruina mundi propè esse agnoscitur regnum Dei. Quibus profectò verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit vt cadat, ad hoc cadit vt germinet, ad hoc germinat vt quæcumque germinauerint cladibus consumat. Benè autem regnum Dei æstati comparatur: quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, cùm vitæ dies æterni Solis claritate fulgescunt.* Non piguit hæc referre, quia consona sunt titulo, qui præmonet non esse præpediendum affectum nostrum hisce vilibus sæculi crepundiis, quæ vrgente fato cinere dissoluentur.

Greger. vbi supra.

Elegās Gregorij oratio homines excitans ad contemptum mundi.

Quibus argumētis suaderi possit contemptus mundi.

SENSVS MORALIS.

Mortis memoria animam ditat multis gratiarum gazis.

In hæc verba:

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS DECIMVS.

Ex Antiqvitate, Ex SS. Patribvs, Et ex Mathematica.

Cinerum métionem, dum suggerit fastidium mundi, sollicitare nos etiam ad amorem sæculi instantis & gloriæ æternæ, subindicat Gregorius. Vnde & ego coniicio recondi cineribus illis thesauros, & prægrandes, cùm tam locuples sit gratiarum hic prouentus, quo ditescit anima meditans rerum omnium deliquium. Nimirum is cui animo insedit ille cogitatus, scilicet hanc totam congeriem fore aliquando magnum cumulum cinerum, profectò referet magnas gratiarum gazas ex hoc maturo rerum omnium examine, nec habebit vnde inuideat sortem Belesis hominis astuti Chaldæi, qui ea die qua Arbaces Niniuen oppugnauit, audiens ab Eunucho, Sardanapalum prædiuitem Regem coacta magna lignorum struc. circa suas ædes regias viuum conflagrasse. Ille inquam Belesis suspicatus magnam vim auri recondi cineribus illius incendij callidè accessit ad Arbacem, dicens se voti causa expetere cinerum cumulum, qui assurgebat ex regiis ædibus explanatis: se etenim velle deferre Babylonem cineres hos in templum Beli Dei Chaldæorum. Annuit Arbaces nescius indolis astutæ, qua Belesis actus, hos cineres ambiebat. Itaque ad arbitrium suum Belesis magnum cinerum pondus in grandia vasa congessit, vnde eruit cautè latentes opes, & sic euasit in virum ditissimum, quo audito & ipse Arbaces sanxit euoluendas easdem cinerum reliquias, quæ etiam hominem illum industrium effecere locupletem.

Thesaurus gratiarum reconditur meditatione cinerum.

Ex Historia. *Diodor. Sicul. lib. 2.*

Egregia historia probans quàm salutares sint cineres.

Ea cautela hodie ditescunt plerique Christiani reuoluentes hos cineres, qui in Ecclesia prostant, opimas opes inde reportant pertæsi sæculi pompam, & concipientes animo meliorem frugem, vt fieri possint compotes vitæ nesciturae finem. Illa cinerum alta meditatio, animum acuit ad pœnitentiæ ritus asperos amplexandum. Et hoc reuera est ditescere ex cinerum vasis. Illic profectò est reperire reconditas gazas, vnde fit anima locuples. Non erit hic incongrua recensio moris antiqui congerendi opes in sepulchra. In his recensentur Hebræi, qui magnam auri copiam quandoque deferebant in sepulchra, vt Iosephus commemorat de tumulo Dauid, tantis opibus prædiuite, vt multis post sæculis Pontifex Hircanus sepulchro illo aperto, illinc acceperit tria millia talenta auri, quibus erogatis Antiocho pio, ciuitas illa sancta liberata est obsidione, qua antea premebatur. Syri verò & Ægyptij, quorum præcipuum penu erant aromata, hoc censu mortuorum loculos affatim condiebant, ita vt sepulchra violantibus ingens aromatum prouentus accederet. Meminit illum Assyriorum morem Strabo; vt & Herodotus, Diodorus,

Olim opes in sepulchris reconditæ, & quid hoc morale significet.

Ex Antiqvitate. *Ioseph. lib. 7. antiqu. Iud. cap. 12. Strabo l. 16. Herodot. l. 2. Diodor. Sic. lib. 2. cap. 5. Mela. l. 1. c. 8. Plin. lib. 11. cap. 37.*

Diodorus, & Mela cum Plinio passim recensent Ægyptios, myrrha, aloë, cedro, bitumine, thure, aliisque vnguentis corpora saburrantes. Credidere Gentes illæ benè affectæ erga sepulchra, vindicari corpora à corruptione obsequio aromatum, & opes congestas in sepulchra, conducere ad meliora fata sepultorum.

Quàm sit proficuum mortem sæpe recolere. Ex SS. PATRIBVS.

Hic sanè se aperit campus peramœnus discurrendi de thesauris, quos comparant sibi homines solliciti de cumulandis opibus animæ. Nempe eos manet virtutum omnium census, qui tumulos effodiunt, & cineres versant animo attento; siquidem iugis ille cogitatus mortis à tergo instantis, vt vitia eliminat, ita & stipat nos multo agmine gratiarum, vt experti rescripsere Patres Sancti, in quibus accipe Gregorium, & eius hoc suffragium. *Perfecta vita est mortis meditatio, quam dum iusti sollicitè peragunt, culparum laqueos euadunt, vnde scriptum est: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis. Vnde, & beatus Iob, quia dies suos considerat breuiari, & solum sibi superesse sepulchrum pensat, aptè subiungit: Non peccaui.*

Greg. lib. 13. Moral. c. 10.

Fusiore stylo rem hanc enucleat Sanctus Zeno, cuius meditatio alicui forsan arridebit. Sic ille: *Diuitiis flores & polles, & illustrium proauorum consulatibus intumescis, patria parentumque nobilitate te iactas, pulchritudine corporis erigeris & decore, honoribus extolleris, & affectarum fulciris officiis; tum maximè attende tibi ipsi, & memento quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis: & quia potest & ad te dici: Stulte hac nocte auferent abs te animam tuam, & quæ præparasti cuius erunt? Intuere eos qui ante te similis potentiæ dignitatibus effulserunt. Vbi sunt? quid agunt? vbi fasces eorum? vbi magistratus? vbi diuersarum infulæ dignitatum? vbi denique eloquentissimi Rhetores, & vehementissimi Oratores? vbi hi qui crebros conuentus orationum tuarum celebrabant? Vbi popularis? vbi largitio muneralis? vbi exquisita equorum præparata certamina? vbi denique Satrapæ? vbi Reges? vbi tyranni? Nonne omnia puluis, & cinis est? nonne omnia antiqua fabula, superfluaque narratio est? nonne perexiguis ossibus angusta vasculo vrna conclusis, omnis eorum memoria continetur? Denique intuere & inspice eorum sepulchra, si potueris discernere, quis ibi seruus, quisve sit Dominus; quis pauper, quisve sit diues. Discerne ibi si potes plebeium à Rege, virum fortem ab imbecilli, decorum ab informi. Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occasio, sed semper memor eris tui, si præcepti memor attenderis tibi.* Hactenus ille.

S. Zeno serm. de præcepto. Attende tibi.

Elegãti oratione describitur rerum omnium inconstantia & finis instans.

Meditatio vitæ nostræ est commemoratio mortis, & quare.

Hoc contextu magnas vides opes comparari ab eo, qui sepulchra effodit, versando cineres Regum, aliorumque procerum orbis, qui nunc iacent æquali sorte depositi, quamuis aliàs omnibus eminerent. Perfectionis summam, id est, virtutum omnium chorum, Gregorius supra reposuit penes hos cineres, quando dixit, perfectam vitam esse meditationem mortis. Argutulè dicam, perfectam & accuratam meditationem vitæ, esse commemorationem mortis; viuere siquidem mori est, cùm assiduè sui ipsius deliquium vita nostra patiatur, detractis morulis, quibus conficitur series hæc annorum. Ideoque sicuti par est illæ vitæ suæ rationem discutit, qui mortem meminit, cineres animo volutando;

Quidni etenim vetat mente recolere illud idem, quod facimus semper inscij & inuiti, vt Seneca benè monet. *Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, vsque ad hesternum quidquid transit temporis perit, hunc ipsum quem agimus diem cum morte diuidimus.* Hæc ille, cui non erit incongrua illa obseruatio Mathematicæ cælestis, quæ in diuisione domorum cæli & signorum Zodiaci, septimam domum vocat domum coniugij, & sedem Libræ. Hanc domum excipit octaua domus, quæ domus mortis nuncupatur, habetque Scorpium, vt debitum sibi signum. Diceres, velut ex composito cæli sectiones esse nominatas iuxta singulare ingenium rerum infimarum. Verbi gratiâ, coniugium institutum ad propagationem generis nostri, domum habet conterminam morti, quæ reuera consequitur chariora quæque pignora coniugij, quia vbi primum fœtus editus est, appenditur in statera, proque insita ei temperie vita decernitur ad libram pondere sanctuarij, Deo moderante totum contextum vitæ hominis, hac vitæ vsura potientis. Vbi autem infans cœpit delibare morulas temporis indicti ad curriculum, tunc etiam cœpit esse spolium mortis, & inquilinus octauæ domus, quæ est mortuorum. Nimirum tot deperiere momenta vitæ nostræ, quot morulas iam viximus, ac proinde mortui sunt præteriti illi dies, quotque annos decurrimus, tot etiam sunt de tota nostra serie detruncati.

Senec. ep. 24.

Ex MATHEMATICA.

Ptolemæus l. 3. de Iudiciis c. 12. & 13.

Pulchra consideratio breuitatis vitæ nostræ ex dispositionibus signorũ Zodiaci.

Cùm ergo nutent omnia, cedantque in ius mortis, quæ ad instar scorpij virus abditum in cauda latens stillat dum minor est cautio hominum imprudentum; arbitror ego esse mente captos homines illos, qui voto seu affectu irreuocabili sæculo mancipantur. Vt planè delirus censeretur ille, qui nutante vestigio inniti vellet homini collabenti; quasi verò is, qui in præceps abit, alium firmare posset. Ita ille animo prorsus excidit, qui mundo iam carie exeso suam spem affricat, validum in ancipiti positus præsidium quærens à sæculo titubante. Reuera ille ad ludibrium effectus est, qui æuiternam credit rem breui cinere dissoluendam. Hoc maximè Gregorius carpit hac censura: *Ecce mundus qui diligitur fugit, iam in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur; & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos iam mundus mittat ad Deum. Pensate ergo quia nulla sunt quæ temporaliter currunt. Finis temporalium ostendit, quàm nihil sit quod transire potuit. Casus rerum indicat, quia res transiens, & tunc propè nihil fuit, cùm stare videretur. Hæc ergo fratres pensate charissimi sollicita mente: in æternitatis amore cor figite, vt dum terrena culmina adipisci contemnitis, perueniatis ad gloriam, quam per fidem tenetis.*

Quàm sint insipiẽtes illi, qui cõfidunt mundo, & quare.

Ex SS. PATRIBVS. Greg. homil. 28. in Euang.

Egregia descriptio mũdi pereuntis.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Cineres obstant ne quid perennare queat.

In hæc verba :

Memento homo quia puluis es.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Ex Re Medica, et ex Historia.

NOn est prætereunda res medica, vt tacita in funere rerum, quæ hîc prostant. Omnibus ait imminere occasum, quia discordes omnino qualitates, sua mistura compaginant istud vniuersum omne quod rutilat. Cùm autem discordia quæque perniciem secum vehat, in hac rerum omnium rixa nequit homo perennis esse, vtpote in quo etiam pugnant dissitæ qualitates, quas esse semina discriminis atque interitus ita Fernelius enuntiat : *Vbi longo interuallo impares concurrunt qualitates, addubitare non licet mox à praecellente infirmiorem obliterari, nec continenter esse vno & eodem statu. Quin etiam quæ in permistionem, & temperamentum venerunt, quodammodo pares, etiamsi per initia non luculenter se vicissim demoliuntur; diuturnitate tamen, & dierum numero, disparili proportione euadunt. Sic per ætates temperamentorum incidit conuersio, sic morborum, sic senij & occasus ingenitam nobis causam circumferimus.* Diceres, sponte Deum edidisse res omnes properas in occasum, ne coruſco oriente suo nobis imponerent. Et quia plerumque versicolor & amœnus rerum campus oculos allicit, & longiore quàm par sit mora conciliat aspectum, quo affectus obstringitur; Deus vt prouidus opifex, totam hanc mundi supellectilem similem fecit pomis Sodomorum, quæ deforis reuera nitent, & suaue fragrant; tacta verò vapescunt, & effuso cinere conspergunt oculos, fugacem illam elegantiam antea demirantes. Experti hos fructuum fucos & hunc cinerum iactum, quem prolicit imprudens hæc pomorum attrectatio, nusquam eorum repetunt tactum, imò reformidant intuitum, ne denuo capti specie hac mendaci, offuso hoc puluere castigentur.

Ex re Medica. Fernel lib. 3. Physiol. cap. 2.

Mundus similis pomis Sodomorũ.

Ecclesia Dei flamine percita, cineres mundi versat, & hodie in oculos hominum mittit, ne suspicentur inesse nitorem ingenuum rebus, quæ attenta meditatione attrectatæ, in cinerem disperguntur, quo Deus vtitur ad plectendum hominis fastum eadem industria, qua Sertorius olim Characitanos fregit. Erat Gens illa ferox degens in aspero & inuio monte rupibus obsito, quas concamerante naturâ specus innumeræ fœtas incolis effecerant. Munimen hoc loci animos auxerat Gentis inhumanæ, quæ populans illam plagam, quotidianas agebat prædas, quas bestiarum more referebant in hæc concaua munimina. Insolescebant hi barbari freti præsidio loci, quòd nemo adhuc impunè deuenerat illaturus bellum Genti furtis & cædibus assuetæ. Increbrescente fama hominum illorum nequam, qui se iniurios præstabant oris etiam conterminis, quasi nouercante solo editi essent procul ab omni hominum commercio. Sertorius bello clarus detestatus illam ferociam Gentis incultæ, statuit exterminare trucem hunc populum, quamuis nunquam hactenus expugnatum. Non obstitit prærdua rupium moles consilio Sertorij, non eum terruere asperi calles. Demum haudquaquam remissiore fuit animo vir ille impiger, considerans se moliri facinus intentatum. Nimirum vbi aduertit patulas omnium antrorum fauces vergere ad Aquilonem, & in radice montis huius esse magnam vim pulueris exigui, in quem solum illud minimo attritu soluebatur: totum suum coëgit exercitum, singulisque indixit, vt in magnos cumulos & aggeres componerent hunc puluerem, deportatum ex aduerso specuum aperto ore patentium, vt Borea reflante puluis excitatus, summo Gentis illic abditæ dispendio, specuum ostia permearet. Voti huius cautè meditati compos extitit Heros ille. Nam sereno cælo, & acceptis à vento induciis, congeriem magnam pulueris fecit, quæ postera die valido spirante Aquilone deportata est in antra ex aduerso posita, quæ illo puluere opplera, omnem ademerunt spem salutis, Genti expertæ fortiora quæque minuto puluere profligari.

Ex Historia. Plutarch. in vita Sertorij. Egregia historia probatur quàm sint efficaces cineres ad deponendam hominum superbiam.

Sertorij facinus prudens cinere consummatum.

Eo Marte Deus iniquos hominum ausus compescuit. Nempe vt animaduertit, Adam castra metatum in edito loco, quando superbiens, Deitatis infulas ambiit, arbitratus se fore Deum post demorsum pomum; Deus inquam detestatus illam superbiam, totam illam molem exiguo puluere comminuit. Quamuis enim vocatus Adam fugerit in latebras, & velut antro concauo & affabrè facto sibi consuluerit; turgidum tamen hunc animum Deus exili puluere depressit, eum isto feriens maledicto : *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vt irrita hominum conamina efficeret Deus, noluit ad classicum conuocare militiam cæli, sed pulueri indixit, vt in hominum perniciem, rerum Domino militaret. Conductus itaque puluis suas egit partes, hominemque de suo fastu deposuit hactenus intumentem. Non aliâ prævalidâ manu Pharaonis typhum depressit hic Dominus. Vbi enim blasphemus ille Ægyptius has iniurias Deo voces effutiit : *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? nescio Dominum.* Deus vltor suæ iniuriæ, numerosum militem non conduxit, vt rebellem Principem prosterneret, & victum exauthoraret : sed hoc vnum sanxit; scilicet vt Moyses cinerem effunderet ante Pharaonem, eo cinere prosternendum. En edictum vindicis Domini : *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone. Sitque puluis super omnem terram Ægypti : erunt enim in hominibus & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes in vniuersa terra Ægypti. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cælum : factaque vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis : nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti.*

Adami superbia fracta exiguo puluere, & quomodo.

Genes. 3.

Exod. 5. Deus Pharaonis fastũ cinere comminuit.

Exod. 9.

Effusione cinerum intumuit hominum caro, facta typus superbiæ Principis insurgentis contra Deum, superbi illius typhum sparso cinere comprimentem. Quanta autem fuerit vis insita cineribus illis, abundè refert præfata series historiæ, illud singulare notans, maleficos qui aliis plagis seuienti

Quàm fuerint efficaces cineres à Moyse effusi coram Pharaone.

Sæuienti Deo non cesserant, dedisse manus, nec tulisse Moysis conspectum post cinerum mysterium antea recensitum. Puduit hos maleficos dare in conspectum Regis fœdum sui corporis habitum circumfuso vlcere diffluentem. Noluere impia hæc capita sisti Moysi, ne constaret eorum proteruiam vili fuisse cinere coercitam. Eodem nunc repugnandi ritu Deus omnes homines deprimit insurgentes. Characitanios æmulati hodie plerique superbiunt; & velut cautes incolerent, obdurescunt salutaribus Dei monitis. Sed vt Barbaræ Gentis editus mons habebat in radice puluerem multum, quo oppleti sunt specuum aditus, Borea percellente puluerem comportatum in aggeres; ita elati quique homines quantumuis assurgant, delere nequeunt cineres positos in radice. Radix enim nostra puluerulenta vult nos monitos recolere ortum nostrum petitum à puluere, qui tunc aditus animæ occupat, quando oculis obiicitur, vt mortis imminentis memoria refricetur. Eò crediderim allusisse Prophetam illum, cuius accipe præsagium. *Ipse de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet.*

Omnium hominum est puluerulenta radix.

Habac. 1.

Præcipuæ hominum munitiones, vnde rebellare solent contra Deum, sunt prædiuites opum gazæ, ætasque vegeta, & omnium copia voluptatum. His velut armis impij mandatorum Dei prorsus incurij, omnia eius iura & sacra temnunt. Sed vt has oppugnet arces Deus nullum militem conscribit: solo contentus aggere cinerum, quo obiecto statim compellit dyscolos omnes ad deditionem. Quid igitur hodie longiores trahitis moras, ô reprobi confisi opibus, & valentibus annis? *Ipse super omnem munitionem ridebit.* Frustra nitimini, & irrito conamine satagitis declinare potentiam Domini præpotentis, qui hac imbelli cinerum panoplia elidit summos hominum apices, vt demortua Pontificum Regumque capita protestantur. Quisque igitur hodie semetipsum conueniat, & seriò exploret, Dei obsequium declinauerit necne, illudque ratum habeat, obiectos cineres esse aggerem, qui paratur ad suam proteruiam congruè castigandam. Esto dignitate emineas & assurgas, ô reprobe, æmulans altitudinem montis; in ima crepidine tua cineres abditi, Deo flante tuum deponent fastum. Crepido tua mors est, corporis & animæ compaginem suo cinere solutura. Maturè igitur dato manus Deo, ne inuitus incidas in vindices eius manus, quas indubiè effugies si morem geris Ecclesiæ benè suadæ, dum naturæ imbellis speciem sic prætendit:

Moralis exhortatio ad meditandos rerum omnium cineres.

Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

SENSVS MORALIS.

Oculi hominum deprædantur mercedem debitam bonis operibus, si eo intento fiant, vt gloriam aucupentur inanem.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

SECTIO TERTIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX PHILOSOPHIA.

ET videre, & videri, res sunt, quæ desiderio sui vnumquemque sollicitant. Nescio sanè vnde homini maior pernicies immineat, videndo illicita, aut explicando alienis oculis egregia sua facinora fortiter exantlata. In quæ discrimina incurrant oculi incauti, dicam alibi; nam illud argumentum extra aleam est, quam decurro, vbi duntaxat hoc mihi incumbit negotium, scilicet expendere quomodo depereat sanctiorum operum merces, quæ satagunt hominum oculis arridere: vt autem hallucinandi ansa omnis abigatur, explicandus est titulus damnans opera facta in gratiam oculorum hominum: illi negotio fecero satis, si dixero Sectionem istam totam esse de fugienda inani gloria, quia demetit falce sua opimam meritorum segetem, quæ consequitur virtutum praxim. Quid verò sit inanis gloria accipe. Gloria & honor etsi res sint conterminæ; haudquaquam tamen concolores sunt, ideoque vtriusque appetitus immodicus duo vitia constituit, ambitionem scilicet, & inanem gloriam. Nempe ambitio est immoderatus appetitus honoris. Inanis gloria est appetitus indebitus humanæ gloriationis; sicque duo illa vitia non coëunt in obiecto, sed discordant. Ex Aristotele, honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis vel excellentiæ. At gloria est quædam cognitio clara bonorum alicuius, cum laude eius, aliquo præclaro elogio prædicata. Duæ hinc conditiones emergunt, quas ritè dixeris indiuiduas honoris socias. Prima est, honorem deposcere hominis præsentiam; siquidem honor ex præfatis, est exhibitio reuerentiæ, quæ absenti non defertur, cùm reuerentia sit meditata alicuius celsitudine, dehiscere in propriam vilitatem. Et hoc nemo hominum præstat nisi eo adstante cuius magnitudo recolitur, & quæ suo intuitu nostram oculorum aciem percellit, & suggerit aliquale corporis obsequium, qualia sunt, dare locum & cedere transeunti, inclinari, aperire caput, aliaque id genus argumenta, quibus honorem exhibentes, ingenuè se fatentur impares honorato. Cùm igitur absenti nequeant deferri illæ honoris tesseræ, liquidò est honorem exigere præsentiam eius, qui honore debito commendatur.

Quàm sit perniciosa vana gloria.

Quid sit vana gloria.

EX PHILOSOPHIA. Aristot. lib. 1. & 4. Ethic.

Quid sit ambitio, & quæ descriptio honoris.

Altera conditio honoris comes est, quòd honor esse potest ab vno vel à multis. Cùm namque situs sit honor in reuerentia exhibita, si ea ab vno duntaxat præstetur alicui, vel à multis, tunc erit talis honor, qualis reuerentia exhibita.

Quò

Quò autem clariores erunt homines alium reuerentes, & quò plures ei præstabunt obsequium, eò etiam honor erit illustrior: est siquidem honor in honorante, & non in honorato, vt ait Philosophus: ideo quò plures alicui cultum singularem deferent, eò etiam dignior honor erit, vt & de principatu arguit Aristoteles, qui ait illustriorem esse principatum, qui plures habet sibi subiectos homines. Hoc Salomon Aristotele antiquior est præfatus isto versu: *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia est Principis*; ita etiam quò dignitate & sapientia magis eminebunt hi qui aliquem reuerentur, eò etiam erit honor insignior. Eamobrem ait Aristoteles, desiderare homines honorari à potentioribus, & à sapientioribus.

Prouerb. 14. Verus honor est ille qui exhibetur ab homine honorato.

Hæc prælibata de honore facient palàm quomodo differant honor & gloria & penes quid sit vtriusque disparitas. Primò gloria pertinere potest ad absentes, & præsentes, quod de honore nequaquam est, vt iam præmonui. Gloriam autem diffundi posse ad præsentes, & absentes, videre est ex natura rei. Nimirum gloria est quædam cognitio clara bonorum alicuius cum laude ipsius: at istud fieri potest inter præsentes, qui cognitionem habent rerum præclarè gestarum ab aliquo, cuius merita miris efferent encomiis. Potest increbrescente virtutum fama spatiari notitia alicuius, itavt etiam positis procul Gentibus innotescat, & illic laudetur egregiè ob singulares animi dotes, quarum affluxu creditur cæteris eminere. Quia tota hæc historia notitiæ meritorum, non requirit præsentiam viri emeriti; patet non requiri præsentiam eius, qui gloria afficitur, & sic distingui honorem à gloria, quæ si absentes afficit, amplior longè est eà, quæ perstringit adstantes tantùm: nequit enim notitia meritorum latè patere, & conciliare præcocem gloriam absentibus, quin gloriam hominum præsentes antea delibarint.

Quomodo honor & gloria differant.

Alia honoris & gloriæ differentia in eo sita est, vt honor etiam ab vno exhiberi queat, gloria verò secus. Etenim ea est clara meritorum notitia testata laudibus. At notitia vni vel paucis illucens non est clara sed potius subobscura. Operæpretium fuit ista præmittere, ne res crederentur esse concordes honor & gloria. Item ex præmissis liquet, hypocritas quando subiiciunt oculis hominum speciem virtutis ementitæ, non statim honorem quærere, sed gloriam, quæ est honoris præludium. Hoc nempe primò ambiunt hypocritæ suis omnibus fucis, vt homines norint virtutum omnium specimina; quibus operam suam impendunt, vt præclara hæc agnita facinora suos spectatores sollicitent ad laudandum hos parentes fœtuum optimorum. Et vt serpit iniquitas, gloria comparata sollicitat animum ad honorem ambiendum, exigendo reuerentiam ab aliis, vt tributum debitum excellentiæ suæ, quæ laudibus innotescit. Qui ergo hominum oculos captat, vt illis ingerat notitiam virtutis suæ ad hoc vt laudetur; ille honorem non quærit sed gloriam, quam dum sibi vendicat vt propriam, & in ea sistit veluti in fine congruo suis operibus, tunc ille notatur vt cupidus inanis gloriæ, caditque tota mercede debita virtutibus, quarum praxim gloriæ tantùm nomine profitetur. Hoc probare est pensum huiusce sectionis, quæ aduocatâ Philosophiâ titulum suum sic adstruit. Merces omnis excidit operi bonitate consona destituto. At virtus edita in gratiam oculorum hominum est expers congruæ bonitatis; quia ex Philosopho, *Peccare contingit multipliciter; rectè verò agere vno tantum modo.* Vnus autem ille modus præcipuus est, vt bono fine fiat actio dignanda præmio. At gloria hominum præfixa in scopum virtutis editæ, non est bonus finis. Ergo actio eo fine oculis emicans, vt nescia bonitatis exuitur mercede, quæ tantùm manet bonas actiones, finem idoneum sibi præfigentes. Esse autem gloriam hominum adulterinum finem bonorum operum, patet; quia finis ille iniquus est, qui alteri rei iniurius vendicat sibi ius indebitum. Sed huiusmodi est gloria humana præfixa in finem virtutis exercitæ. Nam ex Aristotele, *Finis melior est iis, quæ sunt ad finem* Ergo cùm gloria hominum, quæ infra virtutes est, ingerit se in locum virtute digniorem, vsurpat indebitum ius, ac proinde iniqua est illa gloria arrogans sibi rationem finis, & boni nobilioris mediis ad tale bonum assequendum.

An hypocritæ gloriam, vel honorem ambiant.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 2. Ethic. c. 6.*

Quare virtus conquirens hominum gloriam excidat merito suo. *Arist. lib. 2. Phys. text. 31.*

Vt ratio hæc conuincentis liquidior sit, & impudentia inanis gloriæ euidentior fiat: nota egregium virtutis facinus editum ad aucupandam gloriam, duo habere attendenda in omni actione humana. Primum est finis, alterum est medium, quo in finem deuenitur. Finis est illa hominum plerumque insana iactatio, & laudis indebitæ recensio. Medium ad finem illum est virtutum praxis, vt verbi gratiâ, eleemosyna, oratio publicè fusa, ieiunium austerum, quo carnis indomitę petulca salacitas ritè compescitur. Cùm ergo singuli quique virtutum actus præstent gloriæ humanæ, nonne iniuria fit virtutibus eas assumere vt media ad finem degenerem? Nonne hoc est prostituere virtutum dignitatem, eas cogere fini inglorio turpiter ancillari? Ita sanè res est omnino præpostera, pręponere virtutibus gloriolam hominum, quæ multo inferior est virtutum praxi. Nam virtus est qualitas hominem perficiens; gloria verò humana est inanis aura ventilans aures, & plerumque excæcans hominem cui aspirat: ideoque imprudenter ab hypocritis assumitur in finem suarum omnium actionum, quibus nulla indicitur merces, quia sic deuiant à congrua bonitate.

Quomodo gloriæ inanis cupidi insania dignoscatur.

SENSVS MORALIS.

Virtus, quæ oculis hominum litat, excidit merito.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Sanctis Patribvs. et ex Theologia.

EX vetustis historiæ monimentis didicimus, olim in templo Apollinis apertam fuisse specum hactenus obseratam, vnde spirauit aër adeò pestilens, vt perniciem magnam intulerit illi plagæ. Esto lues illa fuerit infesta corporibus; mitior tamen fuit eo contagio, quod virtutibus affricat aura popularis. Itaque gloriosa malè reputatur illa gloriolæ merces conquisita ab hypocritis, cùm potius sit tinea exedens omnem virtutum praxim,

Quàm pestilens sit aura vanæ gloriæ.

praxim, & exhauriat omnem laborum nostrorum fructum, vt benè suggerit Augustinus. *Inanis gloria huius sæculi fallax est suauitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas.* Eruditè vocat periculosam, quia hæc aura lethalis est, & depascens præmium operis exantlati. Fauet Isidorus ita mecum sentiens. *Quisquis ex deteriore iam melior esse cœpit, caueat de acceptis extolli virtutibus, ne grauius per vanam gloriam corruat, quàm prius per lapsum vitiorum iaceat.* Prudenter aduertit Gregorius, in quas incurrat cautes ille, qui eleganti virtutum fœtu emisso, inani gloria percellitur. Sic ille: *Sub hoste quem, quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat eleuatur.*

Ex SS. Patribus. *August. in Psal. 49.* Inanis gloriæ perniciea. *Isidor. lib. 1. de summo bono.* *Gregor lib. 20. Moral.*

Esto hi præfati Patres acutè perstringant inanem illam gloriam; acrius tamen in eam inuehitur Chrysostomus, multaque enarrat dispendia, quæ attentè meditata, sollicitare debent animos ad declinandam hanc abyssum, quæ suo gurgite absorbet omnes virtutum gazas. Audiendus ille. *Intolerabilis quædam est ebrietas vana gloria: quem sua subiecit ditioni, is ægrè in sanitatem restituitur. Et quam pestifera tabe infecit animam, à cælo abscindens, terræ affigit, neque eam amplius sinit, vt ad veram lucem ducere possit intuitum. Qui enim hoc modo afficitur, nullo præceptore omnia sua operatur sponte, qualia placere arbitratur: vt aliis admirationi, præceps agitur. Vis huius intelligere tyrannidem? Si quempiam negociatorem, qui pretiosissimas sibi merces magno auri pondere compararit, rogaueris, quanam gratia tantum auri profundat, quidve tantus sibi sumptus velit, nullam aliam ab eo rationem accipies, quàm vt populo placeat. Quòd si deinde, qui populus sit percunctaberis? Quidam, inquit, tumultus, perturbationisque plenus, & stultitia maiori ex parte constans, atque compositum temerè, per maris fluctus varia & pugnante sententia sæpe numero iactatum. Qui igitur sub huius seruitij domino premitur, nonne omnium miserrimus est? Inanis gloria est, nihilque rectum, elatum, nec gloriosum in se habens, tanquam persona, quæ pulchra quidem visu, & decora; intus autem inanes reperiuntur: quare aspectu cum ipso elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad se amandum allexerunt; ita nihil miserius ea quæ à multitudine comparatur gloria: difficilem vobis & violentum affectum significat; aspectu namque solo pulchra & elegans videtur; intrinsecus autem; non inanis modo, verùm etiam ignominiosa, crudelitatis & violentiæ plena.*

Chrysost. hom. 2. in Ioan. Elegans Chrysostomi discursus quo inanis gloriolæ dispēdia describuntur.

Crudelis equidem est hæc gloria, quæ hypocritas agit ad exterminandas facies suas longiore inedia, & plerosque hodie sollicitat, vt catenulis ferreis flagellatam lacerent cutem in frequenti hominum consessu. Ignominiosa item est, quia sapientes quique homines despiciunt, & inglorios habent eos, qui plus æquo humana hac gloria percelluntur. Suspicantur in eis insaniam, quia tot prodigunt opes, vt prætereuntis auræ flatum nundinentur. Nempe suarum omnium virtutum iacturam faciunt, vt in sua compendia referant obolum vnum: sic enim Syrus interpres supra nuncupauit hypocritæ mercedem אגרהון *agrehun*, id est; obolum suum, & appositè ad nomenclaturam hominum nihili, quos triobolares appellamus, quorum stipendia in obolis sunt. Hanc etiam gloriæ vilitatem graphicè pinxit Democritus vocans illam *λόγον ἔργου σκιὴν, sermonem operis vmbram.* Excusatur ille canis Æsopicus, qui reiecta carne pendula ex ore suo, vmbram sectatus est, quia oculis speciem maiorem obiecerat. Nihil omnino dissonum à sua indole canis ille effecit; insitum namque est bestiis, rebus exteris occupari. Sed in homine carpitur hoc facinus, & arguit inopiam mentis, mercari corporis vmbram. Virtutes, ex Democrito, corpora sunt solida; hominum autem plerumque indigesta laus est vmbra fugax, quam qui emit virtutum praxi, ille deterior est cane Æsopi; quia ille nescius rationis ducatum sensus secutus est, nihilque egit infra dignitatem naturæ suæ addictæ tantùm sensuum obsequio: sed homo conscius intellectus; homo inquam, cui lumen rationis cælitus illuxit, infra suam sortem se demittit, quando imprudens patitur virtutum dispendium, vt vmbra muneretur, cuius vsura labilis hypocritam diu non afficit, vt ostendi proximo paragrapho, vbi textus Hebræus commemorans hypocritæ mercedem ait recipi כען *cean*, id est nunc. Nunc autem est prætereuntis temporis instans, quod sibi vendicare vt præmium virtutis, illud sanè est indubium hominis sui impotis argumentum, quod etiam perstringit Iob isto aculeo. *Gaudium hypocritæ, instar puncti.*

Inanis gloriæ appetitus facit homines contemptibiles. Ex Profanis. *Laërtius lib. 9. cap. 7.* Pulchrum epithetum inanis gloriæ. Merces hypocritæ quā modica sit. *Iob. 20.*

Veram quidem gloriam æmulari vult illa inanis; sed frustra enititur, vt benè Tullius aduertit isto aureo decurrens eloquio. *Gloria est solida quædam res, & expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox benè iudicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat, tanquam imago gloriæ, quæ quia rectè factorum plerumque comes est, non est bonis repudianda viris. Illa autem quæ se eius imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, & plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis, simulatione honestatis, formam eius pulchritudinemque corrumpit. Tu ergo, quæ habent speciem gloriæ, collecta ex inanissimis splendoris insignibus contemne: breuia, fugacia, & caduca exsistima.* Hactenus ille stylum suum acuit in gloriam illam, quam exosam fecit Christus dicta sententia in opera omnia intuitu illius gloriæ perpetrata.

Cic. lib. 3. Tusc. Quàm magna sit differentia veræ & falsæ gloriæ.

Quàm autem æqua sit illa sententia animaduertens in huiusmodi actiones, quas æquus rerum omnium moderator mercede indignas pronuntiat, eruditè Theologia probat sic discurrens: Cessante merito, cessat & operum merces, quæ nulla potest consequi opera hypocritarum, vtpote nescia meritorum: meritum namque actionum attenditur penes charitatem, quæ in eo maximè elucet, vt homo postpositis rebus infimis Deum tantùm vt finem sibi præstituat. Ergo cùm quis agit, vt gloriolam hominum captet, alium sibi decernens finem ab eo, quem charitas præstituit, profectò nihil merebitur, quantumuis operosum fuerit illud negotium, quo oculis hominum litat. Siquidem præcipua meriti radix non petitur à difficultate facessente agenti negotium, sed à charitate ad Deum dirigente nisus nostros. Idcirco defectu charitatis actio omnis deficit & fatiscit, non assurgens in finem, quo duntaxat præfixo meritum inuritur operibus nostris. Itaque non est mercede digna virtutum praxis, quæ hominum oculis percussa viget, eo solo intento vernans, vt aspecta luxuriet in pampinos infœcundos.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 104. art. 3.* Ratio Theologica probans opera hypocritarū præmio carere.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Quàm reprobus sit ambitus gloriæ humanæ.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS TERTIVS.

EX MATHEMATICA, EX HISTORIA, ET EX IVRE CIVILI.

Cicero lib. 2. de diuinatione.

RECenset Tullius mulieres quasdam sagas, quæ solo obtutu virus fundunt in perniciem illorum hominum, quos oculorum suorum spiculo percutiunt. Præcipuè obsunt illæ fœminæ veneficæ quando incurrunt in infantes. Etenim ætas hæc tenella incautè ebibit hoc venenum. Iniquior sanè est hominum aspectus, conquisitus vt lustret nostra bona opera: nimirum spectatorum oculus prædo depascit virtutum omnium succum opimum, & præsertim quando tenera sunt adhuc opera nostra, & quasi in incunabulis, id est cùm de nouo emergunt, & eo intento fiunt vt videantur ab hominibus.

Matth. 6.

Christus huiusce rei pondus æqua lance perpensans, præmonuit suos, vnumquemque ita conueniens: *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Nomine oculi Augustinus intentionem bellè explicat. Namque vt pellucidus oculus totum corpus agit inoffensò pede; ita & intentio sincera opus ingenuum facit. At illa intentio quæ deuiat à Deo non est pellucida, sed talis quales sunt lippientes oculi hominum, quos intendit actio illa ideo reprobanda. Nec valet instantia, esse duas res dissitas, bonum opus, & gloriam expetitam, ac proinde mercedem non deperire bono operi, vt ieiunio, & eleemosynæ, licet obliqua deorsum vergat intentio. Respondeo enim cum Sancto Thoma, vna eademque motione voluntatem ferri in finem, & in media volita propter finem, sicque media & finem considerari vt vnum quid in genere morum. Vnde cùm res non sint meritoriæ nisi in quantùm sunt volitæ, mala intentio suam affricat nequitiam operi, quod aliàs esset laude dignum, ac proinde deficiente merito, tale opus erit expers mercedis, quia ea bonitate caret, quam meritum poscit.

August. lib. 2. de serm. Domini in monte. Oculus animæ est intentio.

Thom. 1. 2. q. 12. art. 4. Mala intentio bonam actionem vitiat.

Eam bonitatem peti ab intentione recta, & rectitudinem attendi ex charitate, sapienter ait Sponsa illa Canticorum desuper edocta, vtpote afflata Deo. *Recti diligunt te*: id est, rectitudo omnis diligendo Deum comparatur. Nota, amorem & dilectionem esse quidem vnum materialiter, scilicet voluntatis motionem in bonum apprehensum; sed dilectionem formaliter adiicere amori aliquam electionem, ita vt coëuntibus obiectis pluribus, aliis sepositis, optimum eligatur. In hoc maximè se commendat rectitudo intentionis, vt prouocata oculis hominum non declinet à Deo rerum omnium scopo, sed recto ad eum calle tendat: est enim Deus orbis centrum, quo coire debent lineæ omnes è circulo ductæ. Dicitur autem linea, quælibet actio, iuxta veterem loquendi ritum; cui, Nullam hodie lineam duxi, perinde est ac, nullum prorsus opus egi.

Cant. 1. Quomodo dilectio ab amore distinguatur.

EX MATHEMATICA. *Euclides l. 1. elem. Geom. Definit. 4.* Quando & quomodo voluntas humana fiat recta.

Consule Euclidem, & rescies, in quo sita sit illa linearum rectitudo. Sic ille: *Linea recta, est ab vno puncto ad alium breuissima extensio.* Est autem breuis extensio operis alicuius, si voluntatis intentio referatur in Deum, qui magis est intimus ipsi voluntati, quàm sit ipsa. Quòd si voluntas, illecta hominum oculis, deforis vrgetur, Intentio tunc inflexa deuiat à rectitudine sita in extensione breuissima. Nam non est breuis extensio, quæ resiliens à termino propè sito, circuit obliqua effecta, ratione finis alterius quem sectatur. Tales patratores bonorum operum, eo intento vt eorum sibi gloriam arrogent, censeo relegandos cum his qui monetam seu nummos adulterant: hos sanxere reos Majestatis leges Cæsareæ, in quibus audi Constantinum Imperatorem, fisco vendicantem omne æs cusum iniquis artibus, & decernentem pœnam ignis illi, quem malè sibi conscium quis probarit. *Si quis nummos falsa fusione formauerit, vniuersas eius facultates fisco nostro præcipimus addici. In monetis etenim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus, cuius obnoxij, maiestatis crimen committunt: & præmio accusatoribus proposito, quicunque solidorum adulter poterit reperiri, vel à quocumque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota, flammarum exustionibus mancipetur.* Vides fisco addicti omne æs cusum in Principis iniuriam, & proprio domino deperire. Et ea etiam animaduersione castigantur virtutes editæ quasi in contumeliam Dei, bona videlicet opera, ideo facta non vt Dei gloriæ inseruirent, sed vt hominum gratiam prouocarent. Ea scilicet opera depereunt auctori suo, mercede congrua defraudata, eum obstringunt flammis æternis, si eò deuenerit ille appetitus gloriæ, vt ad lethale piaculum defecerit. Si verò hæc cupido gloriæ, venialis tantùm fuerit, saltem hypocrita iacturam patietur eius boni operis, cui vetitam imaginem, id est appetitum inanis gloriæ inussit; quia tunc ea species adulterat monetam operis, & virtutem eius contaminat.

EX IVRE CIVILI. *Leg. 2. Cod. de falsa moneta lib. 9. tit. 24.*

Virtutes hypocritarum similes monetæ adulteratæ.

Pœna monetam adulterantis.

Genus hoc mulctæ coincidit cum ea, quam indixere olìm Orientales, quos Constantinus Harmenopolus ait amputasse manum reis falsæ monetæ. Ecce legem: *Qui adulterinam monetam cudunt, & ipsis, & qui in eis in ea re ministerium exhibuerunt, manus amputantor.* Lotarius Rex Longobardorum legem tulit huic affinem, quam habes hîc subiectam. *Si quis aurum sine iussione Regis figurauerit, aut monetam confecerit, manus ei incidatur.* Hæc pœna à Christo decernitur operi edito inanis gloriæ causâ. Patrator operis extirpationem manuum patitur; id est, illud opus mutilum est, quia excidit hac virtute, qua vigent opera sicuti par est annuente Deo Domino perpetrata.

Const. Harmenop. lib. 6. prom. iur. titul. 14. *Lib. 1. leg. Long. tit. De eo qui fals. mon. fec. leg. 1.*

EX HISTORIA. *Ex chronic. Minor. l. 1. in vita B. Franc.*

Adstruere hoc exemplis, & probare inanem gloriam carpere omnem virtutum fructum, non erit operosum. Prior occurrit Seraphicus ille Pater meus Franciscus, crucifixi Domini Iesu typus, & prodigium sanctitatis. Sanctus ille habiturus concionem in supremo hominum consessu, id est, ante Summum Pontificem, cui curia tota adstabat, aliqualem gloriæ titillatis pruritum sensit, quo gliscente Pater plus solito suũ sermonē compsit, ne quid incultum excideret è pulpito.

Memoriæ

Egregiâ historia probatur quantùm Deo displiceat inanis gloriæ appetitus.

Memoriæ mandauit omnia capita illius industriæ concionis, quam sententiarum delectu, & singulari aucupio & contextu antea decoxerat. Eo apparatu hora condicta Sanctus è suggestu se in conspectum dedit, dicturus ea pompatica serie, ad quam se priùs accinxerat. Sed vt sanctitas næuorum impatiens est, hæc etiam minima impetigo vanitatis congruâ sibi mulctâ dignata est: quippe Beatus ille orator Pontificius mente recolens ea quæ tanto studio digesserat, tersioris huiusce concionis seriem non potuit auspicari, quamuis id irrito conamine sæpius attentasset. Rei nouitate perculsi omnes, stupebant in homine elingui. Ille autem ipsa actione hac ingloria cautior effectus, ingenuè confessus est, se in ea texenda concione fuisse sectatum inusitatum sibi schema cultioris eloquij, ne suo humiliore stylo grauaret aures coronæ huius celeberrimæ, cui ne abiecto dicendi tropo fieret iniurius, in cothurnos assurrexerat; sed hoc suum intentum displicuisse Deo, qui hac obliuione damnauerat illam concionem, in quam gloriolæ alicuius species irrepserat. Eiusdem etiam auræ flatum præsentiens Bernardus in magna populi frequentia hæsit, an pergeret prædicare populo, qui ingenti applausu suo gloriam prouocabat. Nempe ille Sanctus non erat nescius, oculos hominum propitios virtutibus, earum merita deprædari.

Displicent Deo conciones nimis ornatæ vt placeant hominibus. Ex vita S. Bernard.

In eo argumento captatæ gratiæ ab oculis alienis Macrobius suggerit historiam opportunam. Ait ille, Iuliam Augusti filiam grauiter offendisse Augustum nimio vestium luxu, quo nitebatur; postera autem die conciliasse sibi gratiam patris sui, ista industria. Mulier illa salax in Venerem fractura suos amasios, ornamenta quæque speciosa conduxerat in dedecus pudoris sui, & pulchritudinis incrementum. Sic accincta inuisit patrem qui subodoratus, hanc vestium pompam nôn instrui suis oculis, sed procorum, ægrè tulit filiam hanc petulcam, quæ postera die depositis luxuriæ exuuiis, modestè ornata, gratiosè excepta est à patre, ita illam compellante: O Iulia, quàm gratior est hic habitus eo, in quem heri composita mihi bilem commouisti. Iulia suas haudquaquam deserens partes, hæc subiecit: Heri me ornaui, captatura gratiam oculorum viri; hodie me ornaui, oculis placitura patris. Ita hypocritæ oculis alienis ornantur, ideoque Deo displicent, etsi aliis arrideant. Nimirum Deus exosam habet pompam operum, quæ se ostentat vt illudat oculis imperitis. Idcirco hæc pompa, Dei fastidio percussa, mercede cadit, quam alioquin egregia opera reportassent. Imò plerumque cupido gloriæ lethalis est eam insectanti, vt antea præfatus sum; & probatur ea catastrophe ferali, quam sortem maneat appetitus gloriæ, quæ Iudæos quosdam prouocauit ad Iudæ Machabæi gloriam æmulandum. Iudas ille Dux strenuus Deo tantùm placiturus, non numerosum militem conscripsit, sed parua manu fudit ingentes acies, vnde & fama fuit super æthera notus. Rumor ille increbrescens perstrinxit oculos inuidorum, in quibus recensentur Iosephus, & Azarias, qui sperantes assurgere in eumdem gloriæ apicem, copiosam aciem instruxerunt.

Macrob. l. 2. Saturn. c. 5.

Eleganti historia ostenditur quàm sint iniurij hypocritæ placere oculis Dei.

Singulari exéplo Deus inanis gloriæ appetitum morte castigauit. *1. Mach. 5.*

Sed quia non Deo, sed gloriæ sæculi militabant, Deo vindice fuerunt hæc agmina profligata, factura fidem huic effato, scilicet ea omnia pessum ire, quæ eo nomine duntaxat fiunt, vt inanis gloriolæ stipendium homines aucupentur. Rei gestæ seriem accipe ex Codice sacro. *Iudas exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda, & ascenderunt in montem Sion, cum lætitia, & gaudio, & obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reuerterentur in pace.* Vides Iudam ob memoriam gratiæ acceptæ Deo rependisse grates, & ob incolume seruatum agmen, quod reluctantibus etiam hostibus in Iudæam traiecerat. Pergit textus enarrare Iudæos aliquos venantes auram popularem se accinxisse ad prælium, quod tamen eis fuit inglorium, quia processere facturi sibi nomen grande, & non Dei gloriam quæsituri. *Audiuit Iosephus Zachariæ filius, & Azarias principes virtutis, res benè gestas, & prælia, quæ facta sunt, & dixit: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus Gentes, quæ sunt in circuitu nostro. Et præcepit his qui erant in exercitu suo, & abierunt Iamniam. Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius obuiam illis in pugnam. Et fugati sunt Iosephus, & Azarias vsque in fines Iudææ, & ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo: quia non audierunt Iudam & fratres eius, existimantes se fortiter facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel. Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel.*

Vbi suprà.

Omnia benè cedunt eis, qui Dei tantùm gloriam captant.

Vnde amabo illa disparitas sortis in eodem populo Iudæorum? Inde profectò quòd Iuda se Deo deuouente, alij se totos inani hominum gloriæ manciparunt. Ideoque dispar eorum moneta pœna affecit adulterantes æs Principis, alios verò dignata est mercede congrua probitati æris cusi ad Principis arbitrium. Et quia quadrat meo instituto illa monetæ recensio, inde liquidiùs apertiam quomodo accedente inani glória, bona opera reprobantur. Ad hoc vt numisma probatum sit, & sincerum, Ius ciuile tria prærequirit. Primum, vt sit materia congrua. Alterum vt signetur ad Principis arbitrium. Tertium denique vt valeat quantum ei indixerit Principis institutum. Tria hæc sancita iure antiquo, vigent & hac tempestate. Colliguntur autem hoc textu Iuris. *Quia non semper, nec facilè concurrebat, vt cùm tu haberes quod ego desiderabam, inuicem haberem quo tu accipere velles; electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis subueniret; eaque materia forma publicâ percussa, vsum dominiumque non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate.* Quantitatem vocat lex æstimationem factam à Principe.

EX IVRE CIVILI. *Lege 1. ff. de contrahenda emption. l. 8. tit. 1.*

Tria præcipuè requiruntur vt moneta sit probata.

Tria hæc coëunt in quouis opere Christiano; scilicet materia, forma, & æstimatio. Monetæ probatæ materia est æs, aurum, & argentum, statuitque Tacitus Imperator pœnam capitis, illis omnibus, qui vel ipsi æri plumbum adiicerent, iuxta edictum legis Corneliæ, quam meminit Vlpianus, referens ea lege prohiberi nummos plumbeos, & stanneos. Charactere insito dignoscitur vnde sit moneta, & quo Principe rerum potiente cusa. Capitale fuit suam ipsius imaginem nummis inurere, vt apud Herodianum suo discrimine expertus est Perennius. Pretium autem numismati decernere, ita Principis est proprium, vt Philippus Christianissimus Rex Galliarum nomine pulcher, suspendio necarit viginti

Flauius Vopiscus in Tacito.

Leg. 9. ff. Ad legem Corneliam de falsi.

Perennij supplicium.

Guaguin. lib. 7. in Philip. Pulch.

viginti octo ciues auctores turbinis excitati contra edictum Regis, de taxato pretio monetarum, vt auctor est Guaguinus. Materia bonorum operum sunt actiones omnes, quarum editio redundare potest ad gloriam Dei. Aliæ verò, quibus nihil animæ commodi adiicitur, Deique intuitu non fiunt, illæ plumbeæ sunt & stanneæ. In his rationem auri obtinent illæ actiones, quæ ad religionem spectant, vt sunt orare, sacrificare. Character inustus, quo numisma Principis dispescitur ab alio, est parma Gentilitia, vt lilia in Galliis, castella & leones in Hispania. In moralibus necessarius hic Character est charitas dirigens omnes actus nostros ad gloriam Dei. Ad charitatis trutinam virtutis valor seu meritum appenditur. Quare autem meritum gratiam seu charitatem consequatur, hoc est ex beneplacito Dei, qui coronat nos in misericordia & miserationibus, sicut ait Psaltes.

Egregia cōparatio operis meritorij, & monetæ probatissimę.

Psal. 102.

SENSVS MORALIS.

Anima pruriens immodico appetitu gloriæ, in grauia incurrit discrimina.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS QVARTVS.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM; EX VTROQVE IVRE, ET EX SS. PATRIBVS.

EX HISTORIA. Herodot. lib. 4.

CApita Principum in numismate cudi, Persarum inuentum fuit, vbi Darius anceps qua ratione nomen suum commendaret posteræ ætati, hoc præsidio suæ cupidini consuluit: scilicet ex auro purissimo monetam conflauit sua specie prænotatam, vt scribit Herodotus. Credidit Rex industrius imaginem suam semper præ oculis hominum fore, quia numismata semper hominum oculis obiecta recurrunt. Darij industriam æmulari voluit Arzandes Ægypti Prætor; ille enim desiderio immortalitatis argenteum numisma cudit, cui pro charactere imaginem suam fecit, ratus se monetæ obsequio immortalem fore. Darius eo Arzandis facinore suspicatus defectionem, eum apprehendit, & vt reum Majestatis tulit è medio. Deus bonorum nostrorum haudquaquam indigus non perennat ratione gloriæ illius, quam resonat homo memor beneficiorum eius; tamen omnia bona opera edita intuitu gloriæ Dei quàm maximè erudiunt homines, certioresque faciunt quantùm emineat Deus, quo inscio nihil planè operati possumus, & cuius est totum quod vegetat. Vt in moneta nomen Principis apponitur; ita & nomen Dei inscribitur operibus nostris, quando ad maiorem Dei gloriam diriguntur. Eò allusit Paulus ita Colossenses adhortatus: *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi*; id est, Qualecunque sit opus arduum, quod anima vestra enixa est, hoc vnum recolite illud esse referendum ad Dei gloriam, quia omne bonum nostrum, donum est, de sursum veniens à Patre luminum. Eo itaque refundendum est bonum opus vnde semina deriuarunt. At ille non inuruit Dei nomen suis operibus, qui virtutis suæ præsidio intendit facere sibi nomen grande. Ergo reus erit majestatis, vt suo Principi iniurius, cuius arrogat sibi partes, numismati adiiciens imaginem suam.

Supplicia excepta de his qui nimia vanitas acceperat. Quare omnia sint facienda ad maiorem Dei gloriam

Coloss. 3.

Homo gloriam inanem appetens, est reus læsæ majestatis diuinæ.

Hist. Gallica sub an. 1464.

Illa fuit discordiarum ansa, quæ Galliam olim fœdauit cladibus intestinis. Nam Regulus citerioris Britanniæ conflauit nummos sua ipsius tessera consignatos. Iniquè tulit Reguli ausum Christianissimus Ludouicus XI. Rex Galliarum, infra quem erat præfatus ille Princeps, causatus de re sua esse numismata procreare. Hæc fuit bellorum fax, qua in varias factiones dissiti Galliæ Proceres exarserunt. Non solùm adulterare monetam vetitum est olim, sed & iure Cæsareo cautum, ne quis auro imprimeret imaginem suam, alioquin aurum illud ita signatum cedebat in ius Imperatoris, vt habet textus legis latæ à Valentiniano & Gratiano. Eadem manet pœna eos omnes, qui sibi gloriam arrogant alicuius boni operis: hi reuera imaginem suam auro imprimunt, ac proinde eis deperit illud aurum, nullaque mercede vnquam à rerum omnium Domino dignabuntur, vt huiusce sectionis titulus insinuat.

EX IVRE CIVILI. Leg. 6. De fac. mon. Cod. Theod. lib. 6. tit. 21.

EX ANTIQVITATE Plin. lib. 33. cap. 3.

Quia supra dixi deliros homines, qui prurigine inanis gloriæ ad egregia se accingunt facinora; lepidè dixero eos reuocare ritus antiquos plerisque Gentibus inolitos, apud quas cælatura numismatum erat imago bestiæ alicuius, vt videre est reuoluenti penu omnium nationum, in quibus vt floruere Romani, primi occurrunt, apud quos ex Plinio, Seruius Tullius Rex prior æs signauit imagine pecudis, vnde & Plinius arbitratur æs signatum accepisse nomen pecunię, quia primò fuit pecudis imagine prænotatum. Prima signatura æris apud Græcos Theseum auctorem habuit, qui numismata sua bouis speciem voluit præferre; Plutarcho auctore, vt Græcos ab armorum strepitu reuocaret ad segetes excolendas. Apud Athenienses bouis iconem excepit noctua, veluti Mineruæ sacra. Et hinc emersit scomma serui Gilippi, qui cùm furatus esset magnam vim nummorum, quos tecti sui tegulis occultarat, & serui non audirentur in iudicio, præclaro ioco dominum suum detulit dicens, multas noctuas sub ædium Gilippi tegmine delitere. Tempestiuus ille in noctuæ nomenclatura lusus Gilippi facinus explicauit, fecitque fidem Plutarcho & Polluci dicentibus, noctuæ esseram Græcorum nummis fuisse vernaculam. Idem Pollux ait, Dardanos duos gallos gallinaceos habuisse in nummis, & Rheginos leporem. Rodiginus Cephalenes fuisse delectatos ait equi figura. Nicolaus Leonicus meminit Tarentinos Delphino vsos in moneta. Eupolides Polluce auctore refert, Peloponesios testudinem nummis insculpsisse; forte quia vt testudo suam omnem supellectilem vehit; ita & moneta virtute sua concludit quidquid conducit ad institutum vitæ. Apud Cyzicenos leo nota fuit, eorum numisma dispescens à cæteris, vt placet Alexandro genio suo indulgenti. Lysimachus tauri caput suis adiecit nummis, in mnemosynen facinoris egregij editi, quando ferocem taurum ambabus prehendens manibus prostrauit & occidit, vt recenset Appianus.

Plutarc. in Theseo.

Cal. Rhod. lect. antiqu. lib. 20. c. 2.

Plutarc. in Lysandro. Pollux lib. 9.

Idem lib. 9. cap. 6.

Cal. Rhod. lib. 10. c. 2.

Pollux lib. 9. cap 6.

Alex. ab Alex. lib. 4. c. 15.

Appianus in Syriacis.

Me deficeret tempus errantem per exoticas Gentes, & conducentem bestias in officinam eorum, quorum muneris est æs signare; hoc sufficiet prælibasse, opaca illa tempora Dei nescia,

Antiquæ olim Gentes numismata sua signabant imagine bestiæ alicuius.

nescia, vt vixere pecorum ritu, nihil nisi brutale habuisse præ oculis, aurum etiam bestiarum consignando. Eorum sanè indolem æmulantur illi, qui seipsos suis inscribunt operibus: nimirum hi bestiæ imaginem cudunt, quando se insculpunt suis virtutibus; & hoc agere est cadere mentis vsu, suamque sic prodere rationis inopiam. Quod autem fit citra rationem non est quid pertinens ad rationem meriti, sicque ea ratione cadunt mercede sua illi omnes, qui numisma fabricant sub bestiarum typo.

Quare non sit in hoc sæculo desideranda merces virtutū.

Quia pauci declinant illud periculum, Canones sancti incautos præmonent hac benè suada sententia. *Cauendum nobis est, vt si fortè aliquid boni agimus, in præsenti sæculo remunerationem accipiamus; ne fortè dicatur nobis: Receperunt mercedem suam.* Benè monet iste Canon, timendum esse à mercede præsentis sæculi, quod cùm prætereat, nihilque de præterito residuum seruet asseclis suis, momentanea tantùm stipe suos sequaces remunerat, aliqua scilicet recensione laudum, quæ indignis vt plurimum affinguntur. Eo namque ingenio sunt homines, vt hallucinante animo fucos substituant veris, vt prudenter Petrarcha suggerit hoc susurro. *Caue ne quam gloriam veram putas imago sit falsa gloria. In rebus hominum magna regnat illusio.* Et esto quandoque fucus absit à gloria quam homines insusurrant: non inanis tamen gloriæ titulum iniurium effugiet ratione parui sui ponderis & momenti. Enimuero nequit aliquid magnum parturire mundus, qui suapte natura modicus est, suoque tenui compendio fuit argumentum prælaudato auctori despicandi gloriam mundi, quam plerique nimis anxiè nundinantur. Sic ille: *Magna in exiguo qualiter explicantur non intelligo. Si temporum, si locorum angustias metiare, magnam hic gloriam non esse fateberis. Non ingeram tibi, vt terra omnis punctus est, cuius ipsius partem maximam natura fecit inhabilem, atque inaccessibilem fortuna: vt tempus præsens puncto minus, idque ipsum semper instabile fugaque tam rapida, vt vix illam animo sequi possis. Duæ reliquæ temporis partes semper absentes, ita vt altera nos lubrica memoria, altera expectatione anxia fatiget, vt omne simul tempus, aut diluuiis, aut æstu nimio, aut peste aliqua, aut cæli inclementia, vel terrarum denique per seipsum lapsu proprio ita discerptum atque confusum sit, vt vna ætas propè nihil habeat commune cum altera. Neque minus in temporibus, quàm in locis videas exiguo interuallo notissimum non agnosci. Vulgata omnia, quibus liquido cernitur, quænam hæc mortalis ac terrena gloriæ magnitudo est.* Hactenus ille, animos nostros sollicitans vt conspuant omnia defluentis gloriæ simulacra, quorum cultus est virtutis iniuria, vtpote eam debitis infulis exuens, cùm eam damnet quasi asseclam vanitatis.

EX IVRE CANONICO.

Can. Cauendum. de pœnit. dist. 3.

Petrarch. l. de remediis prosp. fort. Dial. 92.

Egregio discursu Petrarcha probat vanitatem gloriæ humanæ.

Quisquis itaque volet sibi consultum esse, is omnem suam operam impendat, vt procul sit ab ea Marpesia caute, cui affricata nauis fœta gazis opimis; statim conglomeratis fluctibus absorbetur. Longè profectò erit ab illo discrimine quicunque auscultabit Chrysostomo. Sic ille: *Quod solum videtur onerosum, hypocritis nobisque commune est. Nam & illi vtique ieiunant: quod verò est leuissimum, ne scilicet laborantes mercede priuemur, hoc nobis Dominus imperauit, laboribus quidem nostris addens nihil, mercedem verò nobis congregans cautione: neque incoronato sicut hypocritas abire iubens, atque illorum non esse imitatores volens, qui in Olympico agone decertant, qui tanto certè populo considente, tantisque principibus, vni placere festinant, victoriam scilicet brauiis splendentibus honoranti: licet longè ille sit inferior. Tu verò cùm duas habeas caussas ostentandi illam victoriam, quia scilicet & solus est ipse, qui possit brauio honorare victoriam, & absque vlla collatione spectantes omnes dignitate præcellis, te aliis ostentas: non modo te nihil iuuantibus, sed etiam multùm profectò lædentibus: attamen ne hoc quidem inquit veto. Nam etsi etiam hominibus vis placere, expecta paululum, & ego istud tibi maiore copia, & cum maxima quidem mercede præstabo. Nunc etiam ab ea te istud, quæ ex me est, laude diuellit, vt contra humana gloria neglectus, despectusque coniungit, per quod in futuro quidem plurima cum licentia, laude omnium perfrueris: sed non mediocre tamen etiam hîc commodum capessurus, vbi & humanam hanc, præsentemque gloriam, virtute proculcas, & à pessimo hominum seruitio liberatus, & idoneus operarius virtutis efficeris: nunc verò è regione si humanam gloriam concupiscis, etiamsi in deserto fueris, omni virtute eris desertus atque destitutus, non habens spectatores, quod certè maximam est iniuriam ipsi facere virtuti, si scilicet eam non propter ipsam, si propter ararios, funarios, & reliquum plutearum vulgus sequaris.*

EX SS. PATRIBVS.

Chrysost. hom. 21. in Matth. c. 6.

In virtutum praxi quomodo sint imitandi athletæ, qui Olympico agone decertant.

Vera gloria quomodo sit aucupanda.

Hoc fusiore eloquio Chrysostomus annuit rationibus à me antea expensis vt configerem inanem illam gloriam, & præcipuè illam perstringit insaniam, quam confodi, carpens eorum mentis inopiam, qui vt compotes fiant finis ignobilis, pretiosa quæque media insumunt, ita degeneres actus incongruè perpetrantes. Huiusmodi sunt homines, qui ad instar vtris leuiore flatu turgent: hi placituri lixis atque calonibus, virtutis prænobilem praxim ingloriè prostituunt, & egregia edunt facinora, suo sic animo nouercante. Profectò virtutes & vitia non coëunt, sed in eodem subiecto ita alternant, vt virtus omnino deficiat vitio subeunte. Qui ergo inanem gloriam pellicit in argumentum boni operis, ille lenoni & meretrici commendat insigne pudoris decus virginis ingenuæ, quæ profectò vel inuita patietur aliquod contagium, ex commercio hominum iniquorum. His affinia sunt quæ Chrysostomus dictis antea subtexuit. Sic ille. *Vt te mirentur mali, & à virtute procul remoti, ad ostentationem atque ad spectaculum tu ipsos quoque aduocas virtutis inimicos: quod certè tale est, quale si esse quispiam vtique velit pudicus, non vt pudicitiæ bonum impleat, sed vt placeat impudicis. Et tu igitur nequaquam elegisses vtique virtutem nisi aduersariis eius placere voluisses, quam profectò admirationi esse decet, quia à propriis quoque laudatur inimicis. Admirari ergo debemus eam, vt dignum est, non propter alios vtique, sed propter ipsam omnino virtutem: qui & nos quando non propter nosmetipsos, sed propter alios amamur, huiusmodi dilectionem arbitramur iniuriam. Hoc igitur etiam in virtutis ratione considera, vt eam neque propter alios appetas, neque propter homines obedias Deo, sed propter Deum deferas hominibus. Alioquin si virtutem etiam videaris sequi, nihilominus similis non sequenti, Deum in iracundiam concitasti.*

Chrysost. vbi supra.

Quàm sit res insipiens velle placere hominibus præclaris operibus eo fine editis.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Gloria humana in perniciem quæritur eius qui anhelat ad hoc ludibrium gloriæ.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS QVINTVS.

EX RE MEDICA, ET EX SYMBOLIS.

EX RE MEDICA. *Fernel.l.6. Pathol cap.8.*

Ne tacitam in hoc themate prætercam Medicinam, lubet aliquid ex ea proponere, quo fiat ista sectio liquidior, & probare queam, animam, quæ aura populari inflata tumet, corrumpere omnem gratiam & mercedem boni operis exantlati. Ait hæc disciplina, febris incendia suscitare sitim inexhaustam, qua vrgente decumbens homo esculenta quæque opima fastidit, tantùm anhelus ad aquæ potionem, cui dum liberali haustu indulget, venter assurgit liene inflato nimia suffusione potus, qui ex liene refluens in venam portam, & hinc alluens hepar, inde etiam in omnes venarum tubos influit, & id summo discrimine discumbentis. Etenim humore noxio redundante madet corpus, vitiumque carpit ex sero irrorante, quia omnium alimentorum succum laudabilem diluit humor ille excrementitius & redundans, quo etiam summo vitæ dispendio calor omnis extinguitur, homine toto assurgente in molem indecoram, ob corpus humore noxio delibutum. Quidquid congesseris alimenti in flatuosum illud corpus, excidit statim virtute sua salutari, quia immergitur aquis, quæ restagnant in vnoquoque viscere vitiato. Nempe in hydrope flatus & aqua concurrunt, vt citiùs extinguatur. In ea fuit sententia Fernelius describtionem flatuosæ hydropisis sic concludens. *Rarus certè hic hydrops, vixque sincerus flatus sub abdomine, citra humoris permistionem vnquam est animaduersus.*

Egregia comparatio hydropici, & hominis inanis gloriæ cupidi, quem popularis aura distendit.

Similis planè est hydropi homo quem sollicitat appetitus immodicus inanis gloriæ; ille se nimia ingurgitat aqua dum amat frequentiam populorum, vt is atrideat. Nam aquæ multæ, populi multi. Aquæ illæ epotæ comitem habent flatum, quo ventilata tumet anima cupida gloriæ: nimirum omnis populi applausus, aura leuis est perflans animam, quæ sitibunda potat immeritas populi laudes, quibus anima afflata assurgit in molem indebitam, quæ replicato haustu flatus & aquæ turpiter ingrauescit. Anima hanc iacturam passa valetudinis suæ, licet edulio salutari pasta non nutritur, sed in propriam perniciem potiores etiam cibos trahit: siquidem professa virtutum omnium praxim, eo intento tantùm vt populo complaceat, laudabiles illi cibi nullam conciliant ei saginam, sed cedunt in discrimen, quia in intimis animæ præcordiis gloriæ inanis obmurmurant flatus, & magna illuuies aquæ stabulatur; fitque fides eloquio Christi affirmantis, eos omnes recepisse mercedem suam, qui ieiunant vt appareant hominibus: apparere enim hominibus, est in conspectum dare suas actiones vt laudentur; quod perinde est, ac hydropem ob aquæ desidentis copiam, & conclusionem flatus, cibis, etiam optimis intumere, ac proinde nullum com-

Hypocritis virtutes omnes in perniciem cedunt.

modum recipere ex quolibet alimento, iuxta canonem hunc medicorum; corpora videlicet impura lædi quò plus nutriuntur.

Ferrus in suo penu Symbolorum; egregio symbolo luget iniquam eorum hominum sortem, quos sine induciis torquet gloriæ inanis noxius appetitus. Pingit ille leonem, in fugam actum præostensa face, hac epigraphe adiecta. MAGNOS VANA FVGANT. Picturæ argumentum petitur à peritis in rerum Physicarum indagine: aiunt illi seduli scrutatores arcanorum, leonem esse igneum animal, & habere igniculos intimis ossibus abditos, quod eo experimento probant, leonis extincti ossa affirmantes collisione mutua scintillare. Præfati naturæ interpretes inde inferunt, obiecta face suscitari in leone abditos igniculos, quibus leo percitus incalescit. Ne autem leo conflagret eo incendio, interiore succrescente, volunt nobile hoc animal consulere sibi fugâ, solo intuitu facis, cuius imbello lumen sustinere nequit ille idem leo ad nullius animalis occursum pauens. Tota hæc picturæ historia graphicè delineat vanitatis ingenium. Illa nempe ad instar facis, exiguo quidem lumine irradians perstringit oculos hominum assectarum gloriæ. Sed vbi lumen suum hoc tenue virtuti offundit, illa omnis virtus percussa radiis gloriæ inanis, quasi in fugam acta loco cedit, imò protinus euanescit; ac proinde congruit inani gloriæ titulus ille homini inglorius, MAGNOS VANA FVGANT, id est, præclara quæque & egregia facinora pessumeunt, neque vllius perfugij præsidio sese tutari queunt, prætenta face vanæ gloriolæ affulgentis.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus part. 2. Theat. symbol.*

Egregio symbolo vanitatis indoles ostenditur.

Homo refuga ægrè admodum autem patientem accommodabit Psaltis modulis suauè resonantibus hoc accentu: *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.* Id est: Non improbo gloriæ appetitum, qui vobis insitus est, ô animæ sitibundæ, sed castigo modos incongruos, quos incautè initis ad gloriam assequendam. Illa omnis hominum gloria quæ rutilat, non est coruscа satis, vt omnia concludat vota, quibus incunctante nisu ad gloriam anhelatis. Aura popularis ementitur aliqualem typum gloriæ, cui adhærentes, *Diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Gloria sincera hæc est, quæ Sanctos consequitur, Deo cælitus emicante: hoc lumine animæ perfusæ mirabiles sunt, & illustres; quodque maximum lætitiæ argumentum est, præuia Dei gratiâ volentibus effectiuè, hæc gloria conceditur. Ad alium itaque scopum collimantes, acuite vestrum desiderium gloriæ, habentes despicatui vana hæc, quæ imponunt oculis, & altiora sapite, quæ Deus nulli hominum prorsus denegat inuocanti. Hoc sanè insinuat ille versus: *Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.* Id est, Deus annuet votis, si bona intentione fiant. Intentio namque est animæ clamor, quo cuiusque operis indoles innotescit, vt prudenter ait Prosper. Si ergo dirigimus ad Deum omne intentum nostrum, bona omnia opera nostra mercede consona dignabuntur.

Psal. 4.

Non damnatur in homine appetitus gloriæ, sed eius tantùm quæ est inanis.

Prosper. lib. sententiar.

SENSVS MORALIS.

Quomodo citra mercedis dispendium possimus bona opera nostra oculis hominum exponere, & inde aliqualem gloriam aucupari.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

SECTIO QVARTA.

PRÆFATIO.

Commoda & incommoda, quæ emergunt ex opibus ritè aut secus administratis, reposuerunt eas inter res dubias, quarum indoles bona aut iniqua petitur ab vsu. Huius generis est gloria humana, penes quam plerique reponunt omnes thesauros suos. Quippe illa quandoque à Deo decernitur in præmium virtutis exercitæ à Sanctis; tunc illa gloria non quæsita, imò animo eam auersante ratione periculi est bona, vt quidpiam consequens egregia facinora. Si verò animam nimia impetigo gloriæ lancinet, vt ea pascatur velut aura ventilante emeritas actiones, eo intento factas vt videantur ab hominibus, gloria hæc iniqua est, & reprobanda. Quibus argumentis possit vtraque gloria dignosci, erit pensum istius sectionis bipartitæ. Dicam primò, quàm cautè excipienda sit gloria humana, ne illudat oculis imperitis. Secundò dicam, tutius esse eam aspernari ratione periculi emergentis ex natura nostra prona in malum.

Diuisio sectionis.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Qua cautione queat esse gloria humana innoxia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex Philosophia, Theologia, et ex SS. Patribvs.

Qua ratione queat discerni vana gloria à vera, & licita.

Delicata sanè thesis est hæc, & exponenda tantùm hominibus ab inani gloria penitus alienis, ne dum aliquo gloriæ laudabilis aucupio virtutum suarum praxim oculis hominum explicant, gloria inanis imponat, & astutè omnia virtutum merita depascatur. Vt elimata sit discussio rei huius ancipitis, reuocanda est gloriæ definitio proximè recensita, vt noscamus quàm discordet gloria inanis à sincera. Itaque hoc est recolendum, scilicet gloriam esse claram cognitionem bonorum alicuius cum laude eius. Iuxta modos varios participandi rationem definitionis huius, diuersæ etiam species enascuntur, quas quandoque bonitas denominat, aliàs nequitia. Verbi gratiâ, si cognitio actuum nostrorum laudem proliciat nobis indebitam, illa gloria iniqua est & mendax, & opera omnia eo fine edita reprobantur. Contingit autem trifariàm, esse inanem hanc gloriam, quam adeò cupidè homines insectantur: Primò ex parte rei, ratione cuius gloriatur homo. Secundò ex parte eius, à quo gloriam nundinatur homo. Tertiò ex parte eius, quem immodica gloriæ impetigo sollicitat.

Priori modo ex parte rei, vanitas affigitur gloriæ, quando virtus abest, cuius vacuam speciem prætendimus oculis hominum; vt cùm quis saburrato abdomine ieiunium simulat, ambiens gloriam; velut si impastus premeretur inedia. Rursus si res, quæ iactatur vt argumentum operis ardui, cui gloria conquiritur, sit adeò exilis & parui momenti, vt vel etiam à laude minima superetur, gloria inde emendicata inanis est & ludicra. Ex parte eius, à quo quisque deposcit gloriam, vanitas attenditur, quia cùm gloria sit cognitio rei laudabilis, & homines vtplurimum opaca cognitione cæcutiant, non est quòd assurgat homo, quem cælo tenus euehunt encomia conquisita dubia præeunte notitia: & sanè demiror homines, qui conscij quàm ancipiti scientia fulciatur omnis historia rectè factorum, ambiunt tamen puerilia balbutientium hominum elogia. Tandem inanis gloria esse potest ex parte eius, qui appetit hanc gloriam; scilicet vendicando sibi gloriam illam, vt meritorum suum finem, vel arbitrando facinus egregium, quod laudatur, fuisse quidpiam sui tantùm iuris, & quasi Deo inscio perpetratum. Hic præcipuè modus Deo iniurius est, vt præmonet Apostolus. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris, quasi non acceperis?* Non inanis tantùm, sed & pessima illa est gloria, vtpote Deo detrahens omne decus, quod redundat ex opere eo conscio perpetrato.

Quot modis gloria possit esse vana.

1. Cor. 4.

In quo præcipuè sita sit nequitia vanæ gloriæ.

Itaque non quæro, an inanis gloria possit appeti citra deliquium: id namque in confesso est apud omnes, scilicet inanem gloriam esse peccatum, quod intenditur iuxta modum sui excessus. Quæstio igitur est de illa gloria, quæ à Deo instituta est in præmium virtutis exercitæ, cuius meminit Paulus ita fatus: *His qui sunt secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem.* Circa hanc gloriam hæc esto verax conclusio: Quisquis gloriam rependit virtuti emeritæ, is opus exerit laude dignum. Etenim illud est absolutè bonum, ac proinde laudabile, quod est actus iustitiæ. At gloriâ afficere eos, qui Deo fauente edunt egregia facinora, illud est reddere cuique suum, quod pertinet ad iustitiam. Rursus illa actio est laude digna, qua quis perficitur secundùm voluntatem, & secundùm intellectum. Ergo gloriam rependens homini digno laudabilis est, quia specimen edit rectæ voluntatis, quæ congrua virtuti exoluit stipendia quando laudibus effert facinus emeritum. Rursus perficitur intellectus ex liquida apprehensione veri, circa quod versari, est pensum illi à natura institutum. Sed is qui gloriâ condignâ afficit hominem insigni virtute fœtum, notitiâ pollet sincerâ, & referente rem iuxta indolem suam. Ergo ille laudabilis est, qui meritâ gloriâ alios afficit. Fauet Aristoteles affirmans præmium virtutis esse honorem. Nullum ergò periculū est congruâ gloriâ dignari eos qui eam congruo opere meruerunt. Secus est de appetitu illius gloriæ humanæ: nimirum ille adeò lubricus est, vt suspectus semper fuerit vnicuique bono. Ideoque cautè intelligendi sunt Patres, si quando occurrunt, dicentes gloriā exhibitā virtuti non esse vsquequaque aspernandā. Ne imprudētibus imponat hoc effatum accipe micam salis.

Rom. 2.

Laudabilis est gloria qua homines afficiūt alios virtute præditos.

Ex Philosophia. Aristot. lib. Ethic.

Hæc

Quare sit damnandus appetitus gloriæ humanæ.

Hæc esto conclusio: Appetitus gloriæ est absolutè bonus, sed relatiuè tantùm, & quandoque expedit aliqualem captare ab hominibus gloriam pro meliori bono prouehendo. Trimembris est ista assertio, in qua vertitur cardo omnis istius materiæ, cuius praxis quotidie occurrit, & animos ancipites in varias trahit partes, anxios quanam industria retundere debeant gloriam cùm influit, aut reuocare cùm euolat. Dixi appetitum gloriæ non esse bonum; quia illud tantùm absolutè bonum est in genere morum, quod meliorem hominem facit: Sed nihil extrinsecum vt sic hominem perficit; ergo gloria res merè extrinseca homini qui laudatur non est appetenda absolutè, quia vt sic appeteretur vt finis: & hoc esset incongruum, quia laudes Deo debitas vsurparet, quod esset summum piaculum. Huc accedit, gloriam non quæsitam, sed vltro oblatam, & ex præclaris actibus emergentem plerosque malè afficere, dum quasi sui discriminis inscij applaudunt sibi plus nimio de insigni gloria confluente. Ergo gloria appetita lethale virus asperget homini, si gloria sponte occurrens aliquam labis asperginem facit, dùm imprudens appetitu gloriæ percellitur, & sua prurigine in præceps rapitur.

Aristot. 1. Poster. c. 1.

Fauet hoc tritum axioma Aristotelis: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale est.* Id est, si ipsa gloria etiam innoxia declinanda est, quia cautè appetitum inclinat ad consensum; potiori ratione ipse appetitus anhelus ad gloriam est carpendus. Non eo tamen inficias posse relatiuè gloriam appeti, si tunc illa medium idoneum sit ad salutem, aut commodum proximi: vt prædicator qui magis attenditur ex opere quàm sermone, debet palàm, sine fastu tamen, laudabilem vitam transigere, suaque bona opera dare in conspectum, vt exemplis adstruat quod verbo tenus annuntiat: quippe infœcundus est sermo Dei, si virtute obstetricante non parturit fructus pœnitentiæ. Idcirco prædicator citra dispendium meritorum & mercedis potest publicè sua præclarè gesta tacitus explicare. Dico, tacitus; vt omnem suspicionem iactantiæ eliminem, quam plerumque multiloqua eructat oratio, sua laudum illuuie submergens copiam meritorum. Adiice effatum illud Philosophiæ etiam vsurpatum à S. Thoma; scilicet voluntatem vna eademque numero motione ferri in finem & in media, quæ tantùm appetuntur propter finem; vnde fas est coniicere hominem, qui procurat salutem animarum, dum appetit gloriam hominum, vt huius gloriæ suffragio maioris momenti sint eius consilia; liquet inquam, talem non appetere gloriam, sed salutem animarum, cùm eo duntaxat intuitu attendat ad gloriam.

Quomodo possit homo sine discrimine sua bona explicare palàm, & gloriam hominum non respuere.

Ex Theologia. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2.

Sed quid tergiuersor in Physicis, cùm Theologia illud ipsum adstruat præcipuis argumentis. Hoc accipe. Ibi maxime reperire est bonitatem, vbi viget meritum, cuius radiis vegeta est charitas. Sed opera bona facta vt videantur ab hominibus, inde accepturis ansam glorificandi Deum, sunt à Deo imperata hoc contextu: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Ergo bona sunt, suaque laude non excidunt opera, eo fine edita vt gloria inde parta redundet in Deum, bonorum omnium largitorem, qui impensè honoratur ab hominibus, cùm alios suæ sortis homines reuerentur, ob singularem virtutum eminentiam eis cælitus impertitam. Eò respexit Paulus instituens enascentis Ecclesiæ mores, ista parænesi. *Prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Adiice & illud Iesu Syracidæ præceptum eiusdem notæ. *Curam habe de bono nomine.* Eâ cautione tamen præuia quam memini, scilicet ne gloria humana induat rationem finis: alioquin sicut ex Aristotele, non sunt verè fortes, qui intuitu honoris fortiter agunt; ita Augustino assertore, virtutes illæ fuco offusæ sunt, quarum actus ab humana tantùm gloria prouocantur.

Matth. 5.

Rom. 12.

Eccles. 41.

Aristot. l. 3. Ethic. Aug. lib. de ciuit. Dei.

Ex Historia. Ex Chronic. Minor. in vita S. Francisci.

Cùm ergo gloria relatiuè ad Deum appetitur, appetitus ille gloriæ humanæ non sistit in homine, sed nihil eum remorante in Deum enititur, à quo vt fine debito suam nomenclaturam accipit illa motio voluntatis, calle inoffenso prætereuntis hanc gloriam hominum, vt maior Dei gloria cæteris innotescat. Eo nutu tantùm gloriæ hominum annuit B. Pater Franciscus citra vllum humilitatis suæ dispendium. Confluentibus enim turbis, ille Sanctus asino insidens quo vehebatur infirmus, non renuit obsequia populi effusi obuiam. Passus est oscula infigi limbo vestis suæ, imò & pedibus, quibus inhærebant homines aduoluti. Vir ille humilitate insignis vltro occurrit illis honoribus, nullo dato eis repudio, licet hæc gloria prætenret omne hominum decus. Eamobrem rei nouitate perculsus B. Francisci socius, ancipiti animo distractus hærebat in discernenda illa actione Patris sui Sancti, qui dubium hunc socium suum ita affatus est: Fili vidisti me affectum gloria singulari exhibita à populo coëunte in occursum meum; modica tamen fuit hæc gloria, & impar argumento cui litauit. Eo eloquio stupens obriguit ille comes Sancti, vt pote conscius quàm impensè humilitatem excoleret ille Sanctus; suo tamen hoc sermone deuius ab honorum omnium despicatu. Ne diu anxium animum eius relinqueret hic Beatus, ait: Fili dum recolo omnem animæ meæ supellectilem, mihi extrema patet inopia gratiarum, quibus conciliatur honos, & è regione occurrit magna sordium illuuies de proprio penu meo emergens. Ille intuitus totum me terra dehiscente deponit in abyssum nihili, vnde oriundus accepi laceros hos centones fluida scilicet hæc membra, reliquias naturæ in primo homine vitiatæ. Hoc miserando corruptelæ omnis habitu instructus dum meæ mentis intentæ obuersor oculis, deficio totus, nullamque magis mihi congruam decerno sedem, quàm barathrum, locum videlicet infimum fæcibus assignatum. At secus dum reuoluo animo, Deum è nihilo conflasse hanc rerum molem, in qua plerique rutilant radij lucis propriæ conditoris, qui inde laudatur ab Angelis, & aduerto eumdem opificem alio etiam nihilo vti, me scilicet, vt reduces fiant animæ hactenus errabundæ; profectò impos sum, & stupidus hæreo demiratus Dei bonitatem, quæ dignatur indignum tanto influxu charismatum, in quibus populos tuli Deum honorantes, & non detrectaui gloriam hanc vltrò impensam, sed omne illius pondus sacris appendi tholis Dei, qui gestit etiam in suis seruulis honorari. Ea ratione vir Deo afflatus erudiuit socium suum, nescium qua ratione gloria humana impunè queat diuerberare aures alicuius hominis virtutis emeritæ, cui nulla deperit merces, etiamsi palàm suos actus proliciat, dummodo soli Deo placere intendat.

Egregiâ historia docetur homo quomodo ad Deum debeat dirigere ordinem gloriam quam ab hominibus excipit.

Quàm de se humiliter senserit B. Franciscus.

Audi Chrysologum enarrantem, illam hominum gloriam haudquaquam remorari fructum boni operis foras prodeuntis, dum abdita intentio soli rerum Domino mancipetur. Si namque de ratione boni operis esset vt omnino lateret, profectò singulis quibusque virtutibus sua gratia deperiret, quia virtus etiam inuita rutilat, eiaculans radios suo lumine perstringentes oculos hominum obuiorum. Sed quid mea inculta phrasi moror Chrysologi eloquia tersiora? Sic ille: *Quomodo quod fit ab hominibus, coram hominibus non fit? Patentis iustitiæ latet sensus. Publici operis quod secretum? Qui potest celare radios Solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum, consiliis non velatur obscuris. Iustitia cùm sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est quòd eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam statum capiunt res humanæ? Et vbi est illud: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est? Quomodo iustitiam vult celare, cuius opera vult sic elucere? Fratres, hic præceptio cœlestis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam; sic iustitiam vult celare. Iustitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita cælum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mista semper à Deo solo vt glorificetur expectat. Sed hæc est iustitia, quæ ex Deo est: illa verò iustitia, quæ est hypocrisis, iustitia non est; mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes; seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa non videns, vult videri, propter quam cæcitatem Christus præsenti sic inchoat in præcepto. Attendite, hoc est, ne gestiatis attendi: Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Quare? Ne videamini ab eis. Et si visi fueritis: quid? Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est. Hic Dominus non indicat, sed exponit; pandit cogitationum dolos, secreta mentium nudat iniustè iustitiam tractantibus, modum iustæ retributionis indicit. Iustitia quæ se humanis oculis locat, diuini Patris non potest expectare mercedem: voluit videri, & visa est: voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem quam voluit: præmium quod habere noluit non habebit.*

Ex SS. Patribus. *Chrysol. ser. 9.*

Iustitiæ seu gratiæ Dei splendor foras erumpit etiam inuitis sanctis hominibus.

Quàm iniquo sit bonis operibus intentio gloriæ humanæ aucupandæ.

Vides hoc discursu, virtutis vsum non quærere latebras, vt his sibi consulat inuolucris, nec homini officere oculos spectatorum, si Dei duntaxat oculis afficitur. Imò & concrepantibus encomiis humilitas boni operis minimè labefacta viget sinceræ intentionis impenetrabili tegmine cataphracta. Nec, vt præfatus sum, dici potest absolutè appetitus gloriæ humanæ illa consolatio Sanctorum, quos gloria humana tantisper vellicans in Deum euehit, à quo bonorum omnium latices assiduè deriuantur. Hos hominum plausus, & demirantes oculos, nihil omnino detrahere emeritis actibus, disce ab eodem Chrysologo, rem hanc ita discutiente sicuti par est. *Dicet aliquis: Ergo in conuentu, in plateis, in triuiis, neganda est misericordia? non præbendus est victus? non nuditas est tegenda? sed sic quomodo docuit misericordiæ auctor, vt misericordia non sit nota terræ, sed cælo: non hominibus insinuata, sed Deo. In plateis, in triuiis suum pietas habet secretum: è contra platea, triuium est, cùm in secreto facit hypocrita nihil secretum. Deus monendo sic, vota culpat, non loca; sensum, non opera; studium non datorem: arguit largientem ad suam formam, non ad pauperis famam: indicat non vbi facias, quando facias, sed qualiter facias, quia Deus de cordibus, non de manibus facta metitur, & de sensu, non de locis operum colligit qualitatem.* Hactenus ille & opportunè.

Chrysol. vbi suprà.

Hominum applausus nô quæsiti nihil mali affingût sanctis operibus si eis nô malè afficitur anima.

Meæ etiam conclusioni suffragatur illa Tostati Episcopi Abulensis assertio, qua adstruit, hominem posse aliquo appetitu gloriæ licitæ commoueri. Verbi gratiâ, cùm quis Deo irradiante deuenit in notitiam gratiarum, quibus à Deo dignatus est, & agnoscit se suffragio donorum Dei multa fecisse laude dignissima, quæ tunc etiam maximè approbat. Illa sanè cognitio clara cum approbatione suarum virtutum, gloria humana est, & sic gestire de agnito cumulo meritorum, illud profectò gloriari est, nec à Deo vetitum est, dummodo anima eo intuitu recreata Deo grates referat opportunas, vt quo influente vigent hæ virtutes, quæ subitò marcidæ flaccessérent, propitio Domino feriante. Non est inanis gloria ex parte rei: suppono namque esse Dei gratias singulares, neque item gloria illa vana censeri potest ex parte eius, à quo emergit, quia præfatus sum eam oriri ab intellectu cælitus illustrato, cui gratiæ à Deo acceptæ tota series innotescit. Demùm nullum est in ea gloria periculum ex parte animæ prolicientis gaudium, quod effluit ex hac gloria enata: siquidem gestiens illa anima cautior effecta ex cumulo meritorum, in Deum effunditur gratitudinis causâ, vt ipsi cultiore ritu postea famuletur.

Tostat. q. 6. in c. 6. Matth.

Quanam gloria possit licitè gloriari anima in hoc sæculo, ob bonas actiones.

Huius gloriæ appetitum laudat Apostolus ita fatus: *Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ.* Et reuera gloria hæc antecedit illam, qua plerumq; perflamur ab aliis, quos virtus fucata fallit. Conscientia autem neminem palpat, ideoque speciem ingenuam sui status singulis ingerit, ac proinde sincera est gloria ex conscientiæ dictamine nata, quia hæc permeat penitiora quæque animæ, nihilque ei inuium est. Et hoc ait Paulus damnans gloriam illam reciprocam, quam homines ab inuicem quærunt, monens illam duntaxat gloriam esse defæcatam, quam suggerit propria suiipsius cognitio. Sic ille: *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero.* Gloriam autem illam non debere hominem abstrahere à Deo, sed potius ad eum euehere, à quo effluxere gratiæ, & omnes animæ dotes vnde anima gloriatur, ita subiicit Apostolus: *Qui gloriatur in Domino glorietur: non enim qui se commendat ille probatus est; sed quem Deus commendat.*

2. Cor. 1. *Galat. 6.* *2. Cor. 10.*

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Gloria humana suis stipata cautelis innocens est.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EX HISTORIA, EX VTROQVE IVRE, EX RE MEDICA, ET MATHEMATICA.

EX HISTORIA. *Eusebius l. De vita Constan.*

DIxi, quando expediret fieri bona opera, quibus concilietur gloria humana cessura in bonum melioris notæ, vt est fidei ampliatio, & animarum salus. Etenim quidquid non est vetitum, illud est assumendum ad pomœria Ecclesiæ promouenda. Ergo non cunctari debet homo in conspectum dare sua bona opera, si inde aliquod fides Christiana suscipit incrementum. Verbi gratiâ, vt ad virtutis æmulationem alij excitentur, debet vnusquisque satagere, depromere virtutis omnigenæ specimina luculenta. Eo animo fuit Constantinus Imperator, qui diebus solennibus foras prodibat, vt assiduum se in Ecclesia præstaret diebus his institutis ad ædificationem animarum; aliis verò feriis infra hebdomadam clam sacris intererat in suo palatio. Is etiã vt probaret quàm sincerè daret manus Christo, & profiteretur humile Christianorum schema viuendi, in magna populorum frequentia ligone terram aperuit, fundamina sic lineans Ecclesiæ in Vaticano erectæ, & citra vllam suspicionem inanis gloriæ duodecim cophinos terræ suis humeris hinc extulit, in gratiam Apostolorum, quorum apici Petro hanc Ecclesiam commendabat. Constantini habitus ad humilia quæque compositus, in gratiam religionis nostræ, cuius mysteriis erat recenter initiatus, plerosque Gentilium perculit ad eosdem fidei tramites ineundum.

Constantini Imperatoris zelus ad homines suo exemplo excitandum in bonum.

Ioinuillæus in vita S. Ludouici.

Sanctorum etiam Regum typus Beatus Ludouicus Christianissimus Rex Galliæ, duodecim quotidie pauperes ad regias epulas adhibebat, non quæsiturus inde fastum, sed suo exemplo humilitatis & misericordiæ praxim alios edocturus. Et ne populo imponere crederetur piissimus ille Princeps, aiebat palàm se malle fœtido lepræ contagio infici, quàm contrahere aliquod lethale piaculum. Si qua afflaretur aura populari ob tot & tanta facinora, fiebat inde vegetior eius in Deum eleuatio: quippe sua omnia negotia in Deum dirigebat; gloria etiam humana cautè vtens, ad gloriam potiorem iugiter assequendam. Eorum qui præsunt esse præcipuè bonis operibus oculos hominum recreare, vt inde nulla fiat iniuria fidei, & dignitati, præfatus est Paulus, Episcopum sibi charissimum ita monens: *In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

S. Ludouicus Rex Christianissimus palàm sua bona opera explicabat, & quare. *Tit.2.*

Itaque non est aspernanda omnis gloria humana, consequens egregiè facta, quandoquidem ita à Deo comparatum est, vt non sint virtutes ingloriæ iuxta illud Psalmi. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Vnde vtens illâ gloriâ, sicuti par est, non est temerè castigandus, vt celebri historiâ constans est. Increbuerat orbe totâ fama Beati Gregorij Pontificis, quem alius item Sanctus positus in extasi vidit in columnæ igneæ typo coruscantem. Videndi huius viri Sancti desiderio Romam venit ille extaticus, vbi videns Pontificem tota stipante curia rutilum gemmis & auro, quibus Ecclesiæ ornamenta radiabant; suspectam habuit hanc gloriam, veritus ne summus ille Pontifex hoc pondere vacillaret. Sed deuium eius animum Deus eò reduxit vnde defecerat, eum certiorem faciens Sanctum Gregorium cute tenus tantùm excipere hanc gloriæ molem, quæ erat eius humeris importuna. Nec ea vti quàm ad decus Ecclesiæ, & religionis Christianæ incrementum, cui magna fiebat accessio, quandò singularis quædam reuerentia summo Ecclesiæ capiti præstabatur. Hinc est quòd Pontifex crepidæ suæ crucem assuit, ne qui admittuntur ad oscula pedum, credant honorem hunc sistere in crepida, sed ea cruce resciant reuerentiam illam resilire in Christum Dominum crucifixum.

Psalm.38.

Gloria humanâ sanctis viris afflans, non eos tamen deiicit.

Quare Pontifex assuat crucem suis crepidis.

Tantùm abest, quin gloria illa humana iustè promerita sit culpabilis, quinimò Canones sancti præcipiunt singulos quosque Pontifices esse tenaces ordinis sui, ne si quando se deserant, fiat inglorium onus Episcopi. Ipse Gregorius Papa, licet humillimus, noluit eminentiam suam diuidere cum Patriarcha Vrbis Constantinopoleos, quem ambientem titulum Summi Pontificis acriter obiurgauit. In gratiam primatus sui cudi Canonem istum eadem sanxit Ecclesia, gloriæ suæ apicem nolens diuidere cum alia vlla Ecclesia. Sic de se illa Romana Ecclesia in Canone protestatur. *Quamuis vniuersa per orbem Catholica Ecclesia vnus thalamus Christi sint; sancta tamen Romana, Catholica, Apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est; sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nemo sanus dixerit fuisse deliram Ecclesiã aucupando illam gloriam, infra quam est omne quod exurgit sub Summo Pontifice. Ne verò superbiæ notã incurreret iste Canon, anteponens Romanam Ecclesiam cæteris orbe toto diffusis, explicitè meminit, hunc apicem esse irreuocabile Christi institutum, & non titulum vsurpatum. Itaque eo etiam sensu quisque tutari potest gloriam congruam suæ dignitati, cùm sit iustitiæ negotium omnia sua iura pro modulo propugnare.

Greg. lib. 1. ep. 4.

EX IVRE CANONIC. *Can. Quamuis dist. 21.*

Sācta Ecclesia Romana cæteras omnes Ecclesias antecellit.

Gloriam ab homine acceptam non eliminare semper Dei maiorem gloriam, constare etiam potest ex Dei instituto, qui vt in cælis gloriæ suæ participes facit beatas mentes, aliqualia etiam gloriæ rudimenta concedit in hoc æuo, ad animos acuendos, vt immarcessibilem gloriam alacres insectentur. Ita Imperatores permisere Præfectis prouinciarum suum nomen inscribere publicis operibus, infra nomen Principis rerum illo tempore potientis. Ecce sanctionem Imperatorum Theodosij, Arcadij, & Honorij. *Si qui iudices perfecto publicis pecuniis operi suum nomen sine nominis nostri mentione inscripserint, maiestatis teneantur obnoxij.* Ergo ea lege erunt Præsides innoxij, qui non prætermerint commemorationem Principis, adiiciendo suum nomen operi consummato, stipendiis ærarij publici. Ea etiam

Deus aliqualem gloriam etiam in hoc sæculo probis hominibus impertit.

EX IVRE CIVILI. *Leg. 10. Cod. De publicis operibus l. 8. tit. 12.*

Dei indulgentia non sunt insimulandi maiestatis læsæ illi, qui aliquale nomen sibi parant ex bono opere absoluto meritis Christi, penes quem est ærarium Ecclesiæ, dummodo Dei nomen operi præponatur. Id est, quamuis à meritis Christi vt à fonte inexhausto hauriamus vim merendi, ac proinde omnia opera nostra fiant quasi impensis alienis, cùm merita nostra sint latices ex eo fonte deriuati; gloria tamen inde emergens in gratiam operantis, non est Deo iniuria, si nihil eius inde gloriæ detrahatur.

Præcipua omnium virtutum laus Deo danda.

Ex Re Medica. *Hippocr. lib. de ratione victus.*

Illud etiam probari potest similitudine petita ex re Medica, quæ in cura decumbentis hominis, primas dat regulis huius disciplinæ, quæ incumbit reduci sanitati. Tamen non est adeò tenax sui instituti ars illa salutaris, etsi ingrata suis pharmacis, vt non quandoque ægris indulgeat, ex placito Hippocratis, qui concedit ægro cibum deterioris succi, si auidè nimis appetat illum cibum, & eo parcè vtatur. Dummodo in cæteris non aberret æger, morem gerens regimini indicto, non frustrabit medici intentum. Non eo inficias, gloriam esse cibum, quo modicè & parca manu pasci debet homo sauciatus Adami contagio. Ad eius pristinam sanitatem reuocandam pleraque bona instituta sunt, ad quæ homo se accingit, vt ad pharmaci potionem. Hominem decumbentem & vtentem decreto medicamine sæpe sollicitat aliqua cupido gloriæ eius, quæ consequitur virtutum omnium praxim. Si parcè decerpat hanc gloriam, ei citra vllum scrupulum est hæc parcitas indulgenda.

Quàm cautè & parcè homo debet vti gloria quæ ab hominibus erogatur.

Nec valet instantia, vrgens contraria non coire, & gloriam hominum eliminare Dei gloriam. Nam procedit illa obiectio de gloria iniqua, & lethali, qua pessimè afflatus homo in Deum insurgit. Nostra autem conclusio est de gloria laudabili Deo semper intenta, à quo ingenuè confitetur homo, se omne suum egregium facinus auspicatum. Nimirum etsi dispares sint Dei & animæ viæ, in his quæ pertinent ad gloriam illam hominum bono opere conquisitam; nihil tamen obstat quin vtrumque velle, Dei scilicet & animæ, coëant in eodem virtutis argumento. Etenim sicut Mathematica obseruat, infinitas propè lineas ex oppositis limbi partibus oriundas concurrere ad idem centrum, etiamsi oppositæ sint circuli partes vnde emanarant lineæ; ita etiam appetitus gloriæ Dei, & appetitus gloriæ humanæ, licet longa intercapedine dissiti sint; conuenire tamen possunt, in idem centrum, scilicet Deum, congruè collimantes.

Ex Mathematica. *Euclides l. 1. elem. geomet.*

SENSVS MORALIS.

Pars Secvnda Sectionis.

Tutior longè est fuga gloriæ humanæ, quàm cupido.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex Re Medica, ex Theologia, ex Historia, et SS. Patribvs.

CÆterùm ne quis arbitretur hanc sectionem esse compactam in gratiam inanis gloriæ, cuius videtur sibi patrocinium indixisse omnis hic discursus, duo calci huius sectionis interseram. Primò Catholicas esse conclusiones meas, quibus tacitis mutila fuisset ista materia quam expendo, scitu valde necessaria, ne quis alios iudicet imprudenter. Etenim illud inualuit hominum delirium, vt si quis auspicatus sit arctius aliquod institutum vitæ, is statim procaci lingua diuerberet aliorum omnium ritus velut exoticos. Vt his ergo consulerem præbendo remedium, quo curarent hunc prutitum carpendi illud omne quod discordat ab eorum viuendi more, ostendi non inanem semper esse appetitum gloriæ humanæ, easque posse adhiberi cautiones, vt gloria hæc vtilis sit, & conducat ad propagationem fidei, & quandoque ad virtutum omnium incrementum. Meis rationibus appensis ad trutinam fortè sibi temperabunt à censuris iniuriis iniqui illi rerum æstimatores: alij verò, quos hæc gloriæ libido sollicitat, rescient hinc quanta sit opus prudentia, vt dum gliscit hæc cupido, anima sibi constare queat flatibus impetita.

Non debent imprudenter damnari illi quos aliqua gloriolæ aura excitat ad maiorè Dei cultum.

Alterum quod inculcare volo est, gloriæ humanæ illud esse ingenium, vt tutiùs planè sit eam fugere, quàm illius obsequio conciliare sibi aliquod gratiarum incrementum: tinea namque comes gloriæ illius etiam bonis artibus influentis, est contemptus aliorum, quos quisque habet despicatui dum se experitur cæteris anteponi. Nempe ille rarus est, cui non ingrauescat caput afflatum aura populari, quæ dum spirat è regione deserti concutit omnes angulos domus nostræ, & omne extinguit quod antea vegetabat. Eamobrem existimo rem esse plenam periculi, anhelare ad gloriam hominum, maximè cùm intempestiuo appetitu gloriæ deuiatit homo ab immarcessibili gloria Dæmone suadente. Vnde Adami prosapia infirmior effecta cauere debet omnia delirij similis argumenta, iuxta Medicorum hoc effatum: *Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere solent.* Verbi gratiâ, bilis æruginosa stabulatur in stomacho, ibi suo contagio inficit chymum, quem alma decoxit natura prouidens animali: chymus ille, cui se bilis affricuit, traiectus in hepar, nobilissimum hoc viscus accendit, & inde incendium serpens progignit febres, cùm cor accenditur eo æstu, membra omnia depascente. Peritus Medicus huic morbo decernit medicamen catharticum præmissa sectione venæ, si turgeant vasa, & fecerint suspicionem plethoræ. Pro dignitate morbi curatus æger, & corpore repurgato secundùm regulas artis reddetur pristinæ sanitati. Tamen suspecta sanitas hæc Hippocrati est, si adhuc in hepate resident aliquæ reliquiæ febrientis materiæ: nimirum ab eo fomite resurgenti ægro, pessimè doctus hic Medicus ominatur. Accipe malum omen. Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα καύματα ἐν ὑποχονδρίῳ πυρετοῦ περιψυχθέντος, κακόν. *Reliquiæ febris extinctæ superstites in hypocondrio, male.*

Tutiùs est fugere gloriam humanam, quam in ea vel leuiter demorari.

Ex Re Medica. *Hippocrat. l. aphorism.*

Quare aliquando redux sanitas hominis ægri sit suspecta.

Hippocrat. prorrhet. 7. sect. 1.

Huius præsagij pernicies etiam in moribus attenditur, fidemque ei fecit discrimen summum naturæ in primo homine vitiatæ. Ægritudine pessima decubuit Adam, sauciatus appetitu gloriæ, qua peritus petiit inconcessa. Tumorem hunc depressit humilitas Christi, qui prætereà suo sanguine vt balsamo deliniens vlcus hoc putidum, salutem conciliauit homini decumbenti. Non ideo tamen restitutus est in integrum id est, redemptione Christi homo non recepit omnes

Quàm difficilis cura fuerit inanis gloriæ in Adamo.

naturæ

naturæ integræ dotes: nam præter mulctam mortis quæ non est reuocata, remansit in homine propensio quædam in malum, quam Theologi vocant fomitem peccati. Fomes ille, Christo, Maria, & Iosepho exceptis, insitus est omnibus hominibus, quos quædam prurigo intimis abdità visceribus deorsum inclinat vtraque sui parte: siquidem caro libidinis æstu flagrans incauta in præceps ruit; spiritus verò imbecillus ob plagam ambitæ gloriæ nequit assurgere ex se ad diuina, ideo retrocedens, idem Adami deliquium patitur, inanem gloriam ambiendò. Hanc mali labem Theologi affirmant in omnes homines influxisse, Adamo mali sui semina diffundente in totam prolem suam. Morbi huius reliquiæ præcipuè resident in hepate, cui est affixa sedes concupiscentiæ. Dicitur autem à Medicis dextrum hypocondrium, sicuti splen est sinistrum. Præterea, cogit amare iecur. In eo hypocondrio vigent reliquiæ febris extinctæ, quando homò ex natura sua ad gloriæ illucentis sensum afficitur, & insurgit. Ideoque semper imminet periculum homini, gloria deforis affulgente; satiusque censuere Sancti omnes declinare gloriam humanam, quàm cum ea agone dubio decertare.

Ex Theologia. S. Thom. 1.2. q. 82. art. 1. Quibus argumentis probem Iosephum non sensisse fomitis molestias vide Tomo 1. tractatu de Iosepho.

Quia supra recensui Gregorium illum Magnum vt strenuum propugnatorem dignitatis suæ, cuius gloriam sartam tectamque voluit suo transmittere successori. Iam ab omni incongruo appetitu gloriæ vindicare par est Sanctum hunc virtutis emeritæ, qui vt accepit pestilentia extinctum Pelagium Summum Pontificem,& se suffragio cleri & populi votis expeti ad supremas infulas, omnem mouit lapidem, vt gloriæ illucentis radios extingueret. Mauritio Imperatori rescripsit, ne suum assensum adiiceret calculo Romanorum: interceptis autem his literis à Præfecto vrbis, ille insciis omnibus abiit in desertum. Vicinus illorum temporum Ioannes Diaconus historiam hanc ita recensuit: *Gregorium licet totis viribus renitentem, clerus, Senatusque, populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus euitare decernens, se indignum omnino tali honore clamitabat, videlicet metuens ne mundi gloria, quam prius abiecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo surrepere potuisset.* Pergit ille enarrare quomodo Mauritium Imperatorem literis enixè rogarit, vt hanc auerteret gloriæ procellam ingruentem; literas autem has fuisse irritas astu Germani Præfecti vrbis. Quod deinde consilium inierit Gregorius, ille scriba sic recenset: *Imperiale responsum, quod videlicet contrarium voluntati suæ rebatur præueniens: quia palàm egredi portas ciuitatis non poterat, à negotiatoribus exponendo se dissimulato, vt fertur, habitu, callidus impetrauit, syluarum saltus expetiit, cauernarum latibula requisiuit. In quibus dum ab omnibus summa solicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ super se iugiter à cælo dependentis agnoscitur, capitur, trahitur, & apud Beati Petri Apostolorum principis templum Summus Pontifex consecratur.* Hactenus ille hanc suam historiam dicans alteri Summo Pontifici, Ioanni videlicet septimo.

Ex Historia.

Ioan. Diac. lib. 1. vita Greg. c. 40. Quàm impensè laborarit Gregorius vt gloriam humanam effugeret.

Ibidem. cap. 44.

Sed ipse Gregorius in demortui Pelagij locum suffectus, quàm ægrè tulerit huius gloriæ pondus immensum,& quas inde querelas texuerit, ipse enarrat. Sic amico suo congaudenti sub-irascitur post inaugurationem suam. *Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arriserit, non valde penso: de vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minimum doleo, qui desiderium meum scitis plenissimè, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui: si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optata quietis perceptione voluissem. At nunc quia honoris huius vinculis in ciuitate teneor Romana religatus.* Ille idem suas querimonias explicat Theoctistæ sorori Imperatoris hoc lamento: *Sub colore Episcopatus ad sæculum sum reductus: tantis terrenis curis inseruio, quantas me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quietis mea gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videar, vnde me à conditoris mei facie longè expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre. Sed repentè à rerum vertice, turbine tentationis huius impulsus, ad timores, pauoresque corrui. Pressum hoc onere & tumultu sæcularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Neque enim dixit: Deiecisti eos postquam alleuati sunt; sed, dum alleuarentur: quia praui quique dum sæculari honore suffulti foras videntur surgere, intus cadunt. Alleuatio ergo ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt, à vera gloria vacuantur. Hinc iterum dicitur: Deficientes vt fumus deficiant. Fumus quippe ascendendo deficit, & se dilatando euanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur vt non sit. Hinc rursus scriptum est: Deus meus pone illos vt rotam. Rota quippe ex posteriori parte attollitur, in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ relinquimus; anteriora verò sunt æterna, & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo attestante, qui ait: Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt priora me extendens. Peccator ergo cùm in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur, quia in anterioribus corruens ex posterioribus eleuatur. Nam cùm in hac vita gloriam percipit, quam reliquit, ab illa cadit, quæ post hanc venit.*

Greg. epist. ad Paulū Scholasticum.

Idem epistola ad Theoctistam.

Quàm periculosum sit euehi ad magnas dignitates explicat Gregorius suo exẽplo probans quid inde patiatur anima.

Diceres, hoc contextu Gregorium innuere, gratiam Dei effluere dum gloria hominum affluit, & reproborum peculium esse, hic iugiter honorari: tamen hoc nequaquam intelligit, sed subodorans imminere periculum, à gloria humana cauet sibi, ne imprudens illâ cadat gloriâ, ad quam vnicuique est totis nisibus anhelandum. Me charta deficeret, si animo meo insideret omnes recensere Sancti huius querelas ob assumptionem suam ad Papatum. Sufficiet ergo has adhuc eius voces querulas annectere prælibatis. *Dum contemplationis dulcedinem altè describitis, ruinæ meæ mihi gemitum renouastis: quia audiui quod intùs perdidi, dum foras ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me perculsum mœrore cognoscite, vt vix loqui sufficiam. Oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident: triste est quidquid aspicitur, quidquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quàm deiectum exterioris*

Gregor. epist. ad Narsem patricium. Summæ dignitates animam in discrimen trahunt.

rieris prouectus culmen ascendi: & pro culpis meis in occupationis exilium à facie Dominantis missus, quasi destructa Iudaa vocibus cum Propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Eodem flamine actus Augustinus, factus Episcopus Hipponensis, aiebat se inaugurationem suam meditari vt argumentum iræ Dei, gloriam enim ille Sanctus suspectam semper habuit in hoc sæculo.

Ex vita S. Augustini.

Notabile verbũ Augustini contra dignitates ad quas multi anhelant.

Nihil in hoc themate magis opportunum occurrere potest, quàm Sancti Hilarionis vita à Beato Hieronymo posteræ ætati commendata. Ait ille, Hilarionem præcipuam æui sui partem egisse errabundum, in diuersas orbis plagas fugiendo, quia vbique à populo colebatur. Sed præcipuè enituit eius auersio à gloria, quando Epidaurios eripuit ab instante diluuio maris; postera namque die ab eo prodigio, Sanctus ille, honoris & gloriæ refuga, clam abiit in exteras oras. Rem sic quasi oculis subiicit Hieronymus: *Ea tempestate, terra motu totius orbis, qui post Iuliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos: & quasi rursum Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes scilicet fluctus, & vndarum moles, & montes gurgitum inferre littoribus, verentes quod iam euenisse cernebant ne oppidum funditus euerteretur, egressi sunt ad senem Hilarionem, & quasi ad prælium profecti posuerunt eum in littore. Qui cùm tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum sit. Hoc Epidaurus, & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam. Mirabatur omnis ciuitas, & magnitudo signi Salonis quoque percrebuerat. Quod intelligens senex in breui lembo clam nocte fugit, & inuenta post biduum oneraria naui, perrexit Cyprum.* Hactenus ille, notans Hilarionem expauisse magis intumentes gloriæ refluentis fluctus & vortices, quàm ingruentes gurgites vastissimi maris exundantis.

Hieron. in vita S. Hilarionis.

Gloriæ humanæ æstus magis quàm fluctus pelagi fugiendos ostendit S. Hilarion.

Gloriæ humanæ hausit lethale virus Stilico vir illustris, socer Imperatoris Honorij. Is subodorans in Ruffino homine Consulari immodicum appetitum gloriæ, pro Republica impigras egit excubias, obseruans sedulo Ruffini ingenium, ne quid moliretur in Imperij detrimentum. Suâ hac industriâ Stilico rimans actiones viri illius nequam, deprehendit eum aspirare ad infulas & coronam. Re aperta perduellis ille Ruffinus capite luit scelus, quo capiti suo coronam texere cogitabat. Credidere omnes Stiliconem esse Genium Imperij, & sincerum supremi huius culminis assertorem, quia suis artibus extinxerat perduellium hominum vota emissa ad rerum dominium vsurpandum. Quis dubiam posthac fidem fecisset Stiliconis, quo vindice stabat imperium, ab homine perdito vendicatum? Nemo planè ausus esset, vel minimum quid suspicari iniurium Stiliconi, qui adeò benè meritus erat de Romano Imperio. Imò omnes certatim benè precari homini vigilantissimo, in Imperatorem benè affecto: & quantò populi detestati sunt Ruffini perfidiam, tantò etiam Stiliconis animum strenuum extulerunt. Denique ei applausere omnes, & studium eius erga Rempublicam collaudantes, ei gloriæ summæ cumulos adiecerunt. Sed vt hoc perpetuò gyrans æuum stare nequit, quidquid etiam isti subest æuo alternas etiam patitur sortes, vt hic homo insignis supremo inglorioque suo discrimine comprobauit. Quippe gloriæ immensæ affluxum haudquaquam ferre valens Stilico, seipsum appendens ad stateram auræ popularis tanti fecit, vt grandiora animo suo versans, Honorium despexerit, arbitratus se digniorem imperio, quod ex eo temporis articulo tentauit adstruere filio suo Eucherio. Tamen vt gloria hominum suo lumine perstringit oculos, offundens caliginem suis sequacibus, Stilico excæcatus non aduertit suas insidias esse apertas, ac proinde ipsum manere eadem fata, quæ Ruffini conamina irrita castigarunt. Vtque in præceps & abrupta ruit ambitio, Stilico nescius patere suas technas, oppressus est, sua morte luens piaculum, quod in Ruffino prius capite vindicarat.

Claudian. l. 2. in Ruffin.

Appetitus gloriæ Ruffinum & Stiliconem perdidit.

Fulgosius lib. cap. 9.

SENSVS MORALIS.

Gloria humana suos asseclas semper malè excepit.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Antiqvitate plvrivm Nationvm, et vtroqve Ivre.

QVotidiano experimento liquet; eos qui conscendunt summos turrium apices, vt affigant culmini pinnulas versatiles, sæpe deorsum agi præcipites, ni firmo capite sint nesciò vertiginis, ideoque tutius esse aliis mandare illas bracteolas indices venti, quàm eas suo vitæ discrimine in sublime ferre. Bracteis hisce gyrantibus arbitror esse concolorem gloriam humanam, quia ad eam ægrè ascenditur citra discrimen vertiginis; ideoque reor cautius declinari gloriam, quam ambiri. Longum esset recensere elisa capita, ob sublimes ausus, quos excepere casus adeò funesti, vt cadere, & cedere fatis perinde fuerit multis, quos gloriæ inanis cupido perculit importuna.

Gloria humana vertiginem suis asseclis parit.

Ex præfatis videre est, quàm plena periculi sit gloria humana affricta imbecillæ hominum menti, quæ adeò facilè corrumpitur aura populari afflata, vt exteræ etiam nationes crediderint inglorios homines hos, quos nimia cupido gloriæ inflatos distendit. Ita sanè Gentes etsi idololatræ exosum habuere illum immodicum appetitum gloriæ, vt argumentum nequitiæ eius, quem hæc pompæ libido noxia percellebat. Hinc oriundæ leges editæ contra ambientes in ciuitate titulos eminentes. Prior occurrit Roma Gentilis, quam Cicero commemorat in incunabulis suis ita incuriam gloriæ inanis, vt nemo honores ambierit. Vbi autem gliscente appetitu gloriæ, homines abiere pessum, & de gloria anxij populi suffragia mercati sunt; Senatusconsulto itum est obuiam malo ingruenti, & lex lata est de ambitu rescindendo, quam meminit Plinius iunior.

Inglorij sunt gloriæ inanis cupidi.

Ex Antiqvitate. Cicero orat. pro Murena.

Plin. iunior. lib. 6. ep. 19.

Liuius

Plin. lib. 35. cap. 12.

Liuius arbitratur primam hanc legem latam à Tribunis, qua non tantùm honore quæsito iniquis artibus excidebant rei, sed & grauiter mulctabantur, vt suo exemplo probat Quintus Coponius criminis huius conscius asperè castigatus, ex Plinio. Quia autem Candidati toga replicata nummos recondebant, quibus mercabantur suffragia populi obuij; Plutarchus ait cautum, ne candidati togati procederent. Vtque magis sincera foret electio, Asconius scribit, lege Calphurnia sancitum, ne quis à candidatis vel minima etiam munuscula reciperet. Quamdiu gloriæ humanæ refuga fuit Roma, tandiu orbe toto honorata floruit: sed statim atque oblita prioris huiusce ritus, animum appulit ad ambitum, vrbs olim illustris corrupto populo luxit sua comitia multo effuso sanguine desudare. Hanc ignominiam deflet Appianus, dum recenset Romam octo fuisse mensibus orbatam magistratibus, quia candidati ferro & igne armati, curias in suas pellicere partes attentabant.

Plutarc. in vita Coriol.

Asconius Pedianus orat. pro C. Cornelio.

Appianus lib. 2.

Roma Gentilis floruit quamdiu longè fuit ab ambiendis præfecturis.

Græcia corruptelæ nescia declinare cœpit à rerum præclarè gestarum fama, quando Athenis gloria væniit auro effuso in manus auaræ plebis, sua suffragia ære subhastantis. Primam hanc labem Athenis affixit Anytus Anchemeonis filius, qui loculis apertis, venalem Rempublicam fecit, vt auctor est Plutarchus. Anyti æmulus extitit Lycurgus, non ille legislator Laconum, sed alius inferioris notæ, qui meritorum inopiam largitione munerum compensauit, ita faciens sibi grandè nomen apud Græcos, quibus & præfuit adeptus rerum summam pretio populis impertito, vt Polybius ait. Athenienses aliàs edocti, appetitum gloriæ non cadere nisi in homines pessimæ indolis, legem condiderant, qua exilio mulctabatur ille, qui aliis eminebat: vocauere legem illam Ostracismum, quia municipes conuocati ad comitia scribebant in ostreis nomen eius, cui instabat exilium ob suspicionem. Simili edicto Syracusana Respublica deportauit eos, quibus fortuna propitia singulares animi dotes inusserat. Ostracismi iniuriam sensere Solon, Themistocles, Aristoteles, quia specialis eorum virtus Græcos adduxerat in suspicionem gloriæ conquirendæ, vt testes sunt Cicero, Thucydides, Probus Æmilius, quibus adiice Aristotelem damnantem illum ingratum morem, quasi impunè nemo Athenis posset præferre facem virtutis, aliis elucendo. Hos æmulati Siculi coëgere præcipua Syracusarum capita aliò demigrare, patria nouercante. Siculus auctor Diodorus vocat hanc legem petalysmum, quia describebatur in folio oliuæ nomen eius, in quem erat dicenda exilij sententia. Idcirco lex illa nuncupata est petalysmus, à nomine Græco πέταλον, quod folium significat. Maluere Græci & Siculi incurrere in ingratitudinis notam, quàm inanis gloriæ mancipia vilia sustinere.

Polib. l. 4.

Quando fuit Græcia corrupta gliscēte ambitu.

Cicer. lib. 5. Tuscul. qu. Thucydides in Pericle. Probus Æmil. in Miltiade. Arist. lib. 4. polit. c. 5.

Diodor. Sicul. lib. 11.

Quid fuerit petalysmus Syracusis.

Vt omnis occluderetur aditus ad gloriam hominum anxiè nimis aucupandam, plerique populi ritus indixere sibi, rescindentes omnia ambitus argumenta. Nimirum aliquæ Gentes reposuere suum principatum penes vnam familiam. Plato ait Persas ab Achemenidarum familia accepisse inaugurandos Reges. Ex Pausania, Heraclidarum genus tantùm summam rerum tenuit apud Lacedæmonios. Homero assertore stirps Erichtei supremo honore semper excepta est, vt & apud Iones Codri progenies semper infulas induit teste Herodoto. Eum ebibere morem Milesij, quos Alexander ait, non tulisse Reges nisi ex prosapia Hectoris. His adde ex Strabone Quados, & ex Cornelio Tacito Marcomannos, qui ex Tudri, & Marobudui stirpe Principes eligebant. Non sunt prætereundi Rhegini, quos Strabo commemorat ex Messeniorum nepotibus Principes assumpsisse. Hoc institutum inolitum tot Gentibus, quasi ex vno tantùm stipite sceptra sibi conficere, extinxit omnem appetitum gloriæ ambiendæ, qui earum nationum Magnates alioquin perurgere potuisset, cuius tamen nec minimum sensum percepere, quia non cupidini gloriæ deferebatur regnum, sed peculiari tantùm familiæ, quæ longa proauorum serie præcipuos rerum titulos asseruarat.

Plato lib. de natur. hum.

Pausan. l. 3.

Herodot. l. 1.

Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 23.

Strabo lib. 7.

Cornel. Tacit. lib. de morib. German.

Quomodo plures olim nationes obstiterint ne quis ambiret regnum.

Aliis Gentibus in more fuit positum inaugurare in Regem eum hominem, qui aliqua corporis dote cæteros anteiret. Eius farinæ Pomponius Mela recitat Automolas, quibus faciei decor adeò cordi fuit, vt pulchriores eligerent, quibus vt Regibus obedirent. Ex Zenodoto, Gordij aliquem initiaturi in Regem, eum maximè probant, qui procero corpore aliis præstat, arbitrati ampliorem corporum molem arguere etiam potiorem animæ quantitatem. In his omnibus Straboni arridet Medi, quibus imperare nemo potest, nisi sit hominum fortissimus. Ad eos accedunt Libyam incolentes, quos meminit Alexander. Hi electuri Regem, conspirant vnanimes in illum, qui pernice cursu cæteros antecellit, fortè rati velocitatem illam corporis innuere animum expeditum. Apud Indos nihil omnino dabatur corporis industriæ, vt Arrianus est auctor, sed inaugurandum Regem virtutis emeritæ examine comprobabant. Apud Herodotum Æthiopes sibi in Regem præficiunt hominem viribus adeò insignem vt cæteris longè præpolleat. Sed quia extirpandi ambitus gratiâ, hi sunt à Gentibus adinuenti modi, arbitror ego Sidonios omnibus esse cautiores, quos enarrat Curtius Rege suo elato de medio, nolle quemquam assumere principatum si stirps regia deficit in extincto.

Pomp. Mela lib. 3. cap. 10.

Zenodorus in Prouerbio [illegible] χεῖρας.

Strabo l. 11.

Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 23.

Arrianus lib. 8. de gestis Alex.

Herodot. l. 2.

Q. Curtius lib. 4. de gestis Alex.

Nimium gloriæ appetitum arbitratæ sunt Gentes esse obicem ad gloriam: cùm autem vltro sese Regis alicuius arbitrio submitterent, præcipua hæc eis cura fuit ne inani gloria pasceretur Rex ille à populis excolendus. Imò & Sabæi Principem designatum in Regem nolunt egredi extra septa palatij; alioquin, Diodoro vade, lapidibus obruunt hominem accinctum ad auram popularem deforis aucupandam. Profectò illæ Gentes, licet opaco sæculo caligantes, non fuere nesciæ, præcipuam animæ dotem, quam postulat verax honor, esse animum refugam gloriæ humanæ, vt etiam Iure Cæsareo liquere potest, vbi Imperatores Leo & Anthemius in Episcopo ordinando animum procul à gloria prærequirunt, ista sanctione. *Castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propria integritate purificet. Nec pretio sed precibus ordinetur Antistes. Tantùm ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* Quibus item artibus concilietur honos audi edicto Imperatorum Arcadij & Honorij. *Honoris argumentum, non*

Diodor. l. 4. cap. 3.

Ex Ivre Civili.

Qualitates veri Episcopi quæ sint.

Leg. Si quemquam. Cod. de Episcopis.

Leg. Contra Cod. De re militari.

Arist. lib. 3. Ethic.

non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire. Labori autem sua omnis gratia deperit, si gloriæ inanis intuitu laboretur, iuxta recensitam Aristotelis sententiam, qua negat esse fortitudinis opus, illud omne quod agitur ad captandos hominum oculos, ideo fortè arbitratus imbelles animos qui à vera gloria ad inanem oculorum lumine prosternuntur. Siquidem ille imbecillus est, quem in varias agit partes aspectus hominum plerumque laudantium aliquod facinus indecorum.

Non licet Prælatis abdicare se sua dignitate ob periculum inanis gloriolæ.

Ecclesia Deo irradiante erudita, sciens homines euehendos ad gloriam abhorrere à gloria, nutantes an deberent deponere pedum pastorale, sic firmauit, vt diceret abesse periculum inanis gloriæ, si obediendi gratiâ Pontifici, Episcopus in suo culmine perseueret. Ea cautela Celestinus Papa III. occurrit ancipiti animo Archiepiscopi Calaritani, qui pertæsus omnem gloriam comitem infulatum erat importunus Summo Pontifici, volens ab eo demissionem sui muneris obtinere. Imò & prædicationis officium cogitabat deserere, ne ea perflaretur aura populari, quæ diuerberat aures hominis eloquentis; Vtrumque argumentum gloriæ sartum tectumque Papa illi Præsuli iniunxit, eiusque Apostolica sanctio Canonem hunc fecit Præsulibus cæteris obseruandum. Sic Papa decreuit: *Si in huiusmodi cessione frugem tibi melioris vitæ promittis, scire te debes non esse sanctificato in vtero sanctiorem, & ideo non oportere te prædicationis iam susceptæ deserere ministerium, cùm ille, cuius fieri baiulus recusabat, tandem prædicandum receperit verbum Dei. Quod si forsan humilitatis causâ de culmine quæris pontificali descendere, eo ipso humilitatis videris erigere malè verticem, cum te nimis in resignandi proposito exhibes pertinacem: quia tunc in te veram humilitatem custodies, cum & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes.*

Ex Ivre Canonic. *Cap. Nisi, §. Si in huiusmodi. De renuntiatione. Lib. 1. Decretal. tit. 9. cap. 10. §. 1.*

SENSVS MORALIS.

Gloria humana aspirat in perniciem animarum.

In hæc verba:

Receperunt mercedem suam.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ex Historia, et Symbolis.

Familiaris est cautio Medicinæ, homines instruere cardiacis remediis, si quando se exponunt aëri qui malè audit, ob suspicionem contagij. Hac cautela præmuniunt Sancti eos, qui ob res præclarè gestas assiduè ventilantur aura populari. Cautiores illæ sunt, auersari hanc gloriam, & oblatam in Deum refundere; alioquin aura popularis perflans emeritam sanctitatem, inficiet eam suo contagio, & illa patietur aliquale deliquium.

Vanitas Milonis Crotoniatæ ei lethalis fuit.

Si tot cautionibus præmuniendi fuerint etiam Sancti, vt gloriam collatam inuitis ægrè paterentur, nonne locuples est nobis ansa metuendi, si gloriam ipsam quandoque refugam votis omnibus ambiamus? Profectò ponderi huic immani fessus succumbet animus, qui ei vltro colla subiecerit, & in Milonis Crotoniatæ sortem iniquam incurret, qui virium suarum facturus periculum, tentauit robore manuum arborem distrahere. Sed huic facinori impar luit pœnas irriti conaminis: nam arbor lacera, & prævalido conatu Milonis in duas acta partes, in suo hoc hiatu nequam stetit, vtpote non validè satis intorta, sed virtute recondita truncus ille apertus vtraque sua coëunte parte rediit ad se, concludens manus hominis iniurij, qui exstirpatione arboris incautè conatus est suam gloriam ampliare. In illis angustiis Milonem à feris deuoratum perhibuere Valerius & Gellius, digno equidem fato, vt qui cum belluis olim decertarat ad captandam gloriam ex robore lacertorum, plecteretur à bestiis ob earum gloriam vsurpatam. Ita etiam plerumque euenit, vt qui se iactant non vellicari inani gloria, ipsi etiam succumbant gloriæ, eo raptati vento, quo stipulæ percelluntur. Quamuis igitur gloria humana præcisè spectata vt est indiuidua virtutum comes (nunquam enim est virtus inglorià) Licet inquam propitia plebis aura excipiat iustè egregia quæque facinora, nec damnandi sint illi, quos recreat illa aliqualis merces bonorum operum, dummodo referant in Deum omnem illam acceptam gloriam; nemini tamen vnquam consulam appetere vllam ab homine gloriam, cùm hæc etiam cautiores deduxerit in abyssum, vnde mens eorum naufraga resilire nequiit. Testes locupletes sunt Saul, Ieroboam, & Iehu Reges à Deo electi ad ducatum populi sui, cui eos etiam præfecerat nihil planè cogitantes de Regum gloria comparanda. Hi inebriati gloriæ haustu immodico, Dei immemores, turpitèr ab eo defecerunt. Quid ergo putas decernendam ei, qui se ingerit ad mercandum gloriam conducta virtutum praxi? Non reor bonum hoc nomen, quod anxiè sic conquirit esse bonum omen, sed potiùs in eo appetitu subodoror præambulum ruinæ instantis, quam vt caueas, Christiane, suggeram tibi symbolum opportunum; petitum ab indole bestiæ industriæ. Quid enim vetat discere à bestiis remedium contra virus animæ, cum & ab eis mendicemus pharmaca idonea corpori sospitando?

Valer. Maxim. lib. 9. cap. 12. Gell. lib 15. cap. 16.

1. Reg. 16. 3. Reg. 14. 4. Reg. 10.

Egregia indoles echini seu ericij vt sibi consulat contra ventos importunos.

Experimento compertum est, echinos spinis hirsuta animalia degere in antris & specubus, multiplici aditu peruiis, vt explorare queant vnde spiret aura, & sibi contra eam consulere. Etenim singuli quique venti iniurij sunt echino. Itaque cum leuiusculè iactatu aër præludit, & se aptat ad valida ventorum flabra, echinus præsentiens illa præambula occludit illud ostiolum, quod vergit in partem illam vnde reflare debet ventus, quo affici timet. Inde ansam arripuit Ferrus effingendi tabulam echini obserantis aditum antri instante turbine. Picturæ hanc adiecit epigraphen. QVAQVE VOCAT, VERTAMVS ITER. Id est, non fidendum vento vndequaque reflet: nihil namque leuius aura, ac proinde diffidendum est à singulis quibusque ventorum flabris, vndequaque spirent: namque suam non deponit nequitiam aura popularis, etiamsi virtutes emeritæ sint argumentum gloriæ qua perflamur. Itaque caueamus dum laudamur, alióque diuertamus encomia, quibus euehimur. QVAQVE VOCAT, VERTAMVS ITER; ne ad arbitrium venti, velut fumus elati miserè dissipemur. Si quis igitur initio sectionis huius, amore gloriæ

Ex Symbolis. *Ioan. Ferr. part. 2. Theat. symbolor.*

gloriæ captus rem credidit innoxiam, suamque inde cupidinem gloriæ legitimam fecit, nihil sinistrum metuens ab hoc aquilone; is demum eruditus in quam vertiginem incurrat caput obnoxium auræ populari, æmulabitur industriam echini, suasque conuasabit sarcinulas meritorum, ne malè eas afficiat ventus, cui se inuium faciet, hoc symbolum vsurpando. QVAQVE VOCAT, VERTAMVS ITER.

SENSVS MORALIS.

Ieiunium misericordia vnctionem, & gratia repurgium petit, ne mercede sua cadat apud Deum.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.

SECTIO QVINTA.

PRÆFATIO.

Parabola virginum fatuarum recensita à Christo est multis fœta arcanis, & grauida mysteriis. Obstetricem agam, vt prægnans illa parabola parturiat. Christus ait has virgines cælo pulsas, quia non habuerunt oleum in vasis suis, & eorum lampades extinctæ sunt. Non incongruè virgines illæ referunt ieiunia. Vt enim virgines odere carnalia; ita & de ratione ieiunij est, abstinere à carnibus. Sed vt ignis deliquium, & olei inopia obfuere virginibus, earum merita demetendo; ita duo sunt quæ decurtare solent gratiam ieiunij, scilicet charitas extincta, & misericordiæ penuria: hæc namque duo irrita faciunt ieiunia, quæ stipendio æterno dignantur tantùm, quando puri gratiæ latices alluunt animas inedia afflictas, & decoctas igne amoris, ad quem etiam pertinet succurrere egeno, quem necare est, si negetur ei eleemosyna oppresso extrema penuria. Duo itaque sunt quibus ieiunia incumbunt vt fulcris idoneis ad subsistendum. Vnum est gratia Dei socia charitatis; alterum est misericordia in pauperes, qua vt oleo ieiunia salubriter inunguntur. Hæc duo congruè lineantur illo textu, quem decurro moraliter. Faciem enim ille lauat, cui gratia Dei cælitus illapsa decorem contulit. Adest & vnctio, quando eleemosyna stipat ieiunia. Hoc ergo velim insidere mentibus eorum qui ieiunant; scilicet non placere Deo ieiunia, quibus se macerant homines incurij gratiæ & charitatis, exosi misericordiam in pauperes erogare: in duplici namque hoc cardine vertitur tota ratio ieiunij sarti tecti. Itaque ne quid ieiunio depereat, duo hæc præfata expediam. Dicam primò, ieiunium debere stipari gratiâ. Secundò explicabo, necessariam esse eleemosynam ieiunio, cùm coëunt facultates ieiuni hominis, & pauperis summa egestas. *Diuisio sectionis.*

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Sine gratia venustate, ieiunium est indecorum.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX THEOLOGIA, EX PHILOSOPHIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Adeò concors est virtutum omnium chorus, vt illæ omnes velut agmine facto conglobatim eant, ideo seorsim virtus aliqua non subsistit, nisi imbellis & mutila. Cùm ergo charitas, misericordia, & ieiunium pertineant ad virtutum omnium contextum indiuiduum, non erit operosa probatio tituli sectionis, quam ordior, & cuius iste est sensus moralis enucleans verba Christi suadentis vnctionem, & lauacrum, ne iudicis censuram incurrat ieiunium, perperam indicens inediam corpori macerato. Sensus, inquam, pertinens ad morum institutum hic est: Ieiunium vt cætera omnia suos patitur næuos, qui detrahunt aliquid ieiunio. Omne autem quod deperit, patitur hoc discrimen ab intrinseco, aut deforis. Ergo cùm virtutis intrinseca ratio sit penes intentionem, eius integritas attendetur ex intentione, quæ si recta sit, in Deum directa voluntate feruida, & repurgata ab omni illuuie vitiorum, tunc maximè Deo placitum est illud ieiunium, quia fit in gratia, quæ decorem affingit singulis quibusque virtutibus. Rursus ab extrinseco virtuti dispendium inuritur si non sit stipata suis modis: quippe virtus in medio consistit, deuians ab extremis. Cùm ergo ieiunium gulæ imponat modum, & moderetur impensas, cauendum est ne restrictio hæc annonæ, dum adauget cumulum facultatum, suffragetur auaritiæ, cuius eò magis feruent incendia, quò plus ligni iniecti moles assurgit. Itaque vt intentio sancta animam purgat & abluit; ita eleemosyna vnctio est athletica, animam impenetrabilem reddens spiculis auarorum. Probare igitur, ieiunum hominem debere esse in gratia, & comitem adhibere eleemosynam, illud perinde est ac adstruere, salutarem inediam stipari vnctionibus & lauacris. Vt cultior sit decursus huius sectionis, eam auspicabor à gratiæ repurgio, vnde præcipuè nitorem suum ieiunia emendicant.

Quomodo ieiunium induat ratione boni & mali, & quibus cautelis indigeat vt Deo placeat.

Ieiunio plerumque accéditur auaritia, & quare.

Quæ requirantur vt ieiunium sit meritorium.

Ille actus est virtutis, qui à ratione recta præscribitur ad congruum animæ bonum. Ieiunium ergo corpori indictum ab anima, vt sanctior fiat, Deoque gratior, est recensendum inter virtutis actus præcipuos, cùm præcipuè eius meminerit Paulus enumerans gratiorem animæ supellectilem, qua Deo maximè commendatur. Sic ille: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, &c. in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis.* Rursus ex Aristotele, virtus est, quæ meliorem facit eum, qui eo habitu instructus est. At qui moderata inediâ homo carnis importunam pruriginem sedat,

Ex Theologia.

2. Cor. 6. *Ieiunare pertinet ad virtutē operosam.*

sedat, ille tersior est, ac proinde probat ieiunium esse actionem virtutis emeritæ. Cùm ergo ex Theologia charitas sit veluti anima virtutum; profectò ieiunium erit expers vitæ, si anima sit expers charitatis. Vt enim cum charitate infunduntur omnes virtutes morales; ita nec vlla etiam virtutum est insciâ charitate: non enim Deus ditior est in operibus naturæ quàm gratiæ. In his autem, quæ ad naturam pertinent, vbicunque viget aliquod principium operandi, statim accingitur iis omnibus, quibus indiget ad agendum, vt videre est in animalibus, quorum natura rudimentum delineans, ea simul organis instruit idoneis ad suos actus exercendos. Quia agitur natura longè infra gratiam est, operæpretium est, ea quæ sunt superioris ordinis, statim atque eo statu gaudent beneficio charitatis, accipere etiam omnem illum apparatum necessarium ad agendum congruè. Nequit autem anima conscia charitatis exerere actiones emeritas sine virtutum obsequio. Ergo charitas & virtutes indiuiduo nexu sociantur; ac proinde ieiunium nequit mercede vlla superioris ordinis affici in gloria, inscia charitate, à qua suam omnem gratiam tota virtutum series emendicat.

S. Thom. 1. 2. q. 65. art. 3.

Ieiunium sine charitate suo decore cadit.

Ex Philosophia.

Arist. lib. 2. de anima text. 2.

Rursus ex Aristotele, *Forma est, quæ dat esse rei.* Eâ namque parente sata est copiosa accidentium proles, qua compositum ad suas actiones accingitur. Nimirum forma inclinat vnumquodque iuxta proprium vniuscuiusque ingenium. Verbi gratiâ, lignum deorsum vergit, quia grauitas consequitur formam ligni. Si verò accendatur lignum, & eadem materia induat formam ignis, nouum illud compositum assurget, & efferetur sursum ratione formæ ignis, cuius est eniti & sursum ferri. Philosophandum est ea ferè ratione de virtutibus, quia earum actus varias plerumque formas induunt. Potest autem virtus considerari in ratione sua, qua in bonum aliquod dirigitur: si bonum illud totam latitudinem sibi debitam non habeat; profectò erit illa virtus imbecilla, etsi nomenclatura virtutis emineat. Nam ad complementum virtutis emeritæ requiritur, vt sit vltimum potentiæ, id est, vt potentia, cuius virtus actio est, suas ita vices agat, vt nihil omnino desiderari queat in illo actu exercito; siquidem ex Philosopho, Ad rationem virtutis pertinet, non solùm vt operemur bonum, sed vt benè operemur. Verbi gratiâ, qui ieiunat vt gulæ luxuriantis illecebras arceat, & compescat impetiginem carnis, quæ dum ad obscœna sollicitat hominem, eum facit inglorium: Qui inquam sic ieiunat, vt viuendo castè consulat famæ suæ, ille virtutis ope bonum edit, sed non perfectè, si gratiæ nescia anima, sit aliis vitiis obnoxia. Enimverò ieiunans homo haudquaquam benè elicit actum voluntatis, quæ sic gulæ cupedias auersata sistit in bono nomine quod intendit homo. Nempe ad complementum operis exigitur directio appetitus in Deum vt in vltimum finem, & mercedem bonorum operum. Ergo cùm ille actus pertineat ad charitatem, quæ dat complementum virtutibus, sine illa forma labant, & deorsum vergunt virtutes omnes, ac proinde nullam in cælo mercedem sibi vendicare queunt; quia non induerunt formam illam, qua sursum actiones hominum euehuntur, vt de ligno præfatus sum, quod infra iacet, donec assumptâ formâ ignis, materia eius assurgat beneficio illius formæ in sidera iugiter anhelantis. Sic nulla remorante

Conditiones requisitæ ad virtutis perfectionem.

Arist. lib. 2. Ethic. cap. 6.

Gratia Dei vltimâ perfectionem adiicit operi bono rectâ intentione facto.

Quare sine charitate virtutes indignæ sint gloria æterna.

instantia liquet, ieiunium illotâ animâ, id est, animâ præpeditâ lethali noxâ, non censeri inter opera laureanda.

Deum non placari ieiuniis, quæ aliquod immane scelus contaminat, ipsemet Dominus ait rogatus à Iudæis quare non eo propitio vterentur, cùm tamen impasti dies agerent, vt eum conciliarent sibi. Accipe querulas Iudæorum voces, & responsum Dei, Isaia assertore, & vindice textus huius. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Voluntas illa in malum effusa nostra est, Dei verò quando assurgit ad superna. Voluntatis huius actus iniquus elicitus, est peccatum, tinea ieiunij, quod corrumpit. Deum procul esse ab hoc schemate ieiunandi, pergit Isaias adstruere, Deum inducens talem inediam penitus abhortentem. Sic ille: *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud vocabitis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Colligatio impietatis est peccatum, quod animam illaqueat, impotemque facit vt euolet ad superna. Fasciculi deprimentes immediatè excipiunt impietatis hoc ligamen, quia anima vitiorum laqueis irretita, deuians à recto tramite rationis, prauis diffluit affectibus, quos inolitos consuetudo nequam componit in fasciculos, deorsum hominem inclinantes. Quid namque audeat homo, qui malo assuetus, ægrè admodum resilire potest ab eo pessimo instituto, cui pessimus insenuit? Præco verbi Dei, hoc præcipuè hodie inculca, scilicet esse auspicanda ieiunia ab animæ repurgio, ne mercede defraudata ieiunia parum prosint. Dic fasciculos, deprimentes esse tot affectus obscœnos, quorum scaturigo ebullit in cordibus nostris. Alios item recense fasciculos, scilicet auarorum loculos, qui auro tument iniquis artibus acquisito. Demum hoc conclude, animam graui sarcina peccatorum premi, & iacturam pati ieiunij, quod cum peccato coit; quamuis enim aliquod temporale bonum ieiunanti conciliet vltro hæc assumpta inedia; nulla tamen ei decernitur merces in cælo, quia nihil illorum cælos subire potest.

Isai. 58.

Quid sit inueniri voluntatem nostram in die ieiunij nostri.

Ibidem

Quomodo ieiunium sit ingratum Deo.

Peccatũ animam contaminans, omnia bona eius opera inficit

Concinit mihi Sanctorum Chorus, quando ieiunium vitiorum præfert alteri ieiunio coërcenti gulam, ne patula nimis cibos absorbeat inconcessos. Audiendus Leo Papa, suadens magna cautione prætereundos esse dies Quadragesimæ, ne ieiunij virtus facta deterior excidat ante Deum. Sic ille: *Quamuis principaliter nouos homines faciat regenerationis ablutio; quia tamen semper necessaria est omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renouatio, & inter profectum gradus nullus est, qui non semper melior esse debeat; generaliter adnitendum est, vt in die redemptionis, (id est Paschæ) nemo inueniatur in vitiis vetustatis. Quod ergo dilectissimi, in omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc sollicitiùs est, & deuotiùs exequendum, vt Apostolica institutio quadraginta dierum*

Ex SS. Patribus.

Leo serm. 6. Quadrag.

Elegans S. Leonis oratio hortans homines vt à vitiis ab-

ſtineant diebus Quadrageſimæ.

dierum ieiunijs impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, ſed priuatione maximè vitiorum. Nam cùm ad hoc caſtigatio iſta ſumatur, vt carnalium deſideriorum fomites ſubtrahantur; nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quàm vt ſemper ſimus ab iniuſta voluntate ſobrij, & ab inhoneſta actione ieiuni. Quæ deuotio non omittit agros, non ſecernit inualidos: quia etiam in languido atque inutili corpore poteſt animæ integritas reperiri, ſi vbi fuit ſedes prauitatis, ibi confirmentur fundamenta virtutis. Et ideo infirmæ carnis iſta ſufficit ægritudo, quæ ſæpe menſuram voluntariæ afflictionis excedit, tantùm, vt mens officij ſui impleat partes, & quæ corporea epulatione non vtitur, nulla iniquitate paſcatur. Eò etiam alluſit Chryſoſtomus, moraliter interpretans illam ablutionem faciei de conſcientia benè ſibi conſcia. Ecce eius ſententiam. *Spiritaliter facies animæ conſcientia intelligitur. Sicut enim in conſpectu hominum gratioſa eſt facies pulchra; ſic in oculis Dei ſpecioſa eſt munda conſcientia. Has facies hypocritæ, qui propter homines ieiunant, exterminant, fallere volentes Deum, & homines; nam ſemper eſt vulnerata conſcientia eius qui peccat. Si ergo abſtuleris nequitiam ab anima tua, lauaſti conſcientiam tuam, & benè ieiunas.*

Quomodo animæ facies abluatur.

Chryſ. ho. 15. operis imper.

Conuerſio animæ debet eſſe præambula ieiunio ex Scriptura ſacra.

Theologicum hoc dogma Scripturæ etiam ſanctioris pondere ſtabilitur, vbi Deus prærequirit conuerſionem animæ ante ieiunium. Accipe Ioëlem præconem huius edicti. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, ait Dominus omnipotens.* Vide præmitti conuerſionem ieiunio, Deo ſic inſinuante, ieiunium hoc fœtere, cui non præiuit ablutio faciei, quam meminit Chryſoſtomus ſupra, dicens faciem animæ eſſe conſcientiam. Ne ergo impaſti iactutam faciamus inediæ noſtræ, Deus contulit hoc lauacrum, cuius beneficio fiunt opera terſiora. Chryſologus demiratur hanc ſolicitudinem Patris omnium noſtrum, qui in hoc ſæculo ſatagit ne quid nobis excidat in futuro. Sic ille: *Vbi Deus Dominum mutauit in patrem, voluit charitate magis quàm poteſtate regnare, & amari maluit quàm timeri: paterno monuit affectu, ne quid nobis de labore iuſtiſſimo deperiret.* Quare autem Chriſtus eodem capite quod expendo, de eleemoſyna eruditam fecerit mentionem antequam texeret ſermonem de ieiunio, cui etiam ſubiecit eleemoſynam, quam antea meminerat hoc contextu: *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis.* Recenſita eleemoſyna, de ieiunio luculentum ſermonem fecit, cuius epilogus fuit, ſalutaris admonitio theſaurizandi in cælo, paupere ſcilicet aduocato in partem facultatum, quæ ſic fœnore traiectitio in cælum euehuntur. Quare inquam eleemoſynam ieiunio ſociarit, titulus ſectionis enucleat, dum affirmat maximam ieiunio conciliari gratiam capitis vnctione. Hoc nobis penſum indictum eſt, explicare congruum ieiunij & eleemoſynæ nexum.

Ioel. 2.

Chryſolog. ſerm 7.

Matth 6.

Quare Chriſtus eleemoſynā voluerit comitem eſſe ieiunij.

SENSVS MORALIS.

Pars Secvnda Sectionis.

Ieiunium eleemoſynâ comite roboratur.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Theologia, ex SS. Patribvs, et ex Historia.

Ne cui fortè videatur exotica explicatio hæc vnctionis vſurpatæ pro ieiunio, hoc præmitto, totum hoc caput Matthæi eſſe plenum metaphoris, quas ſi quis vellet ad literam exponere, ille delirus eſſet. Verbi gratiâ, quis ſanæ mentis arbitretur Chriſtum hoc impoſuiſſe Scribis, & Phariſæis, vt clangore tubæ pauperes conuocarint, vt eo veluti claſſico adunatos facerent erogata ſtipe ditiores? Tamen hoc adſtruit ſacer textus commemorans tubam: *Cùm facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.* Ne ergo puerilis & inſana ſit explicatio nimium de tuba ſollicita, & vendicans vſum eius, conſulendus eſt ille abditus loquendi tropus, vt quiſque reſerare queat, quid recondat illa phraſis. Tuba ſonat bellum, procul auditur, & congregat homines. Ergo voluit Chriſtus eâ figura præmonere non eſſe conuocandos homines, quando erogamus ſtipem, nec publicandas eleemoſynas, ne ipſæ bellum inferant nobis, factæ ad vanitatem, & non pauperis ad ſolamen. Sic eſſe expendendam Scripturam ſacram, ſuo exemplo probat Chryſologus, ita diſcutiens præfatum illum verſum: *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te.* Ille inquam non deuians ab intento Chriſti, ſic expendit: *Benè tuba, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis; non miſericordia dedita, ſed clamori; ſeditionis vernula, non alumna pietatis; oſtentationis nundinatio, non commercium charitatis.* Ita ſanè ineptus eſſet qui capitis vnctionem de oleo illito capiti prædicaret, vt ille idem adſtruit ita fatus: *Sic non voluptuoſos indulget aſpectus, ſed vultus qui ſimulantur excludit.* Canonem hunc prælibatum diluendi nodos Scripturæ ſanctæ magni facit Gloſſa ordinaria ſic commentans. *Ecce non omnia in nouo teſtamento ad literam accipiuntur. Ridiculum enim eſt in ieiunio oleo delibari; ſed ſpiritu amoris eius, cuius paſſionibus debemus participare nos macerando, mens debet inungi.* Liquidiùs Sancti Patres illam vnctionem de eleemoſyna explicant, vt Chryſoſtomus appoſitè ſic adhortans homines impaſtos: *Spiritualiter caput tuum Chriſtus eſt, ſitientem pota; eſurientem ciba, & ſic oleo miſericordiæ vnxiſti caput tuum, id eſt, Chriſtum qui clamat in Euangelio: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Quid ſit tuba canere antequam erogare ſtipem.

Chryſolog. ſerm. 9.

Idem ſerm. 7.

Gloſſa ordinar. in cap. 6. Matthæi.

Chryſ. ho. 15. operis imper.

Ratio autem illius indiuidui nexus eleemoſynæ, & ieiunij meritorij petitur à natura operis illius, quod non tantùm eſt meritorium, ſed etiam ſatisfactorium. Quippe omnis actio edita in ſtatu gratiæ, eſt dignanda à Deo mercede

Ex Philosophia.

S.Thom.2.2. q.108.art.4.

sua, ratione charitatis, qua stipatur. Hæc autem merces erit æterna ex instituto Dei, de cuius munificentia est, vt perennent ea quæ pertinent ad gloriam. Rursus quia in editione boni operis, aliqua vis infertur corpori prono ad sensuum illecebras; pœna illa facessens negotium corpori, beneficio charitatis & gratiæ satisfacit iustitiæ Dei, cui sumus obnoxij ratione illecebrarum, quibus indulsimus dando nomen voluptati. Quò autem maior est angustia, eo etiam magis tergit & diluit hoc debitum. Vnde operæ satisfactoria, pœnalia nuncupantur. Pœna verò à Theologis bifariam attenditur. Primò in ratione pœnæ, vt dicit angustias, & molestiam parit. In eo sensu pœna est quid consequens peccatum; quia pœna sic spectata consulit æqualitati iustitiæ, in quantum is qui deliquit adhærendo tenaciter voluntati suæ, aliquid iam inuitus patitur voluntate sic domita. Vnde cùm omne peccatum sit voluntarium, in mulctam eius indictæ sunt pœnæ, à quibus abhorret noxius appetitus. Alio item modo spectari potest pœna, vt est salutare remedium ad malum præteritum, & cautio malo instanti occurrens. In eo sensu pœna quandoque infligitur sine culpa quidem, sed non sine causa. Vt quando Deus morbis corpora Sanctorum quatit, illa molestia non præsupponit culpam, quæ culpa castiores has animas haudquaquam contaminat, sed eo intento infligitur, vt subducantur alicui malo, quod Deus præscius instare vidit his quos assolet nullo præuio crimine castigare.

Eleemosyna adiecta ieiunio magnum gratiarũ illi adiicit incrementum.

Quare à Deo hominibus infligantur pœnæ.

Ieiunium est pœna salutaris, qua anima Deo satisfacit.

Vtramque rationem pœnæ sortiuntur præfatæ illæ actiones, ieiunium scilicet, & eleemosyna. Nam si res est de ieiunio, in confesso est ægrè admodum corpora ieiunare, & non modicam vim inferre voluntatem sibi quando annuit Ecclesiæ decernenti inediam. In ea lucta renuens appetitus luit pœnas deuiæ voluntatis, nimirum etsi gula reluctetur, & hominem impastum vrgeat ad epulas; tamen sibi hæc voluntas constat, Deo debitum pendens obsequium, suoque luctamine expungit pœnas, quibus se antea homo reprobus obstrinxerat. Præterea ieiunium pœna est salutaris vendicans sibi rationem medicinæ, & curantis præterita mala, & euntis obuiam morbo ingruenti: quippe ieiunium sanat vlcera contracta gulæ piaculo, & occurrit incendio Veneris æstuantis.

Quàm sit efficax ieiunium.

Ex SS.Patribus.

Chrys. ho 16. de diuersis.

Præstò sunt Patres suo suffragio fulcientes intentum meum. Ita Chrysostomus: *Neque vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus: deliciis antè temulentia diffluebas, ieiunio, & aqua potu vtrumque compensa.* Alius item Doctor vtique sanctus, scilicet Basilius suppar Chrysostomo, ait ieiunium esse congruum pharmacum ad vitia inolita penitus extirpanda. Sic ille: *Quemadmodum vermes, qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur; ita peccatum in intimis secessibus habitans extinguit eneccatque, simulatque in animam superuenerit ieiunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine, quod inedia purget anima viscera.* Dum inedia animam purgat, consulit item ei ne incurrat in discrimen, contrahendo nouas noxas, vt monet Augustinus. *Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.* Sæpe ieiunus Ambrosius egregium se præstitit encomiasten ieiunij, hac serie encomiorum eius: *Ieiunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad Deum citius peruenitur, hoc gradu antequam currus Helias ascendit.*

Ieiunij laudes editæ à Sanctis.

Basil. serm. de ieiunio.

Ambros. lib. de Helia.

Si ergo ex præfatis ieiunium est opus satisfactorium præeunte gratia Dei, & de ratione virtutis alicuius sit, non duntaxat vt bonum opus faciat, sed vt & benè bonum faciat, id est perfectè; ieiunium seorsim sumptum est quidem opus satisfactorium, sed non plenè, nisi adsciscat eleemosynam, quia satisfactio adæquata debet pertingere eos omnes quos inuoluit noxa. At reprobus tres præcipuè delinquendo offendit: Deum videlicet, insurgendo in eum. Se item lædit factus iniurius animæ & corpori, libidine & crapula. Denique aliis est scandalo, suo exemplo pelliciens ad noxia, imò vtplurimum proximorum facultates dilapidat, eis fœnerando, aut eas iniquis artibus vsurpando. Ieiunium quidem Deum aliqualiter placat, si eo intuitu homo impastus ei aduoluatur; corpori & animæ adfert medelam, quam antea recensui; scandala diluit, quibus alios ad ruinam induxit, sed non resarcit damna illata bonis. Nec prodest instantia opponens, frustra indici eleemosynam ei, qui malè parta restituit, quia ille qui in nullius nominibus est, ære alieno non tenetur, atque ideo intempestiua decernitur eleemosyna. Diluo hanc instantiam præclarâ historiâ. Vladislaus Rex Polonus genio indulgens magnam vim auri per nefas extorserat à subditis suis, adeò diuexatis vt propè deficerent impares his tributis. Populo fatiscente resipuit Rex, & rediit ad meliorem frugem auscultans precibus Heduigis, quæ benè suada compescuit ferociam Regis effusi in abruptum præceps omnium vitiorum. Eius suasione Princeps ille sui compos effectus, non relaxauit solum æs graue impositum, sed & largitiones amplas adiecit, quibus præteritam plebis læsæ solaretur inopiam; ideoque animæquior factus Reginæ ait: O Heduigis, supersede, & pone modum querulis hisce vocibus, quæ refricant memoriam ærumnarum plebis: satis superque malum hoc tersi, plurima mihi iura debita relaxando. Quid importuna sonas publicam inopiam, cùm liberali manu gazas effuderim, vt populo effecto ditiore fiam ego pauperior? An fortè tibi hoc parum est, Regem induere plebis inopiam, vt populi egestas regio penu finiat erogato?

Quare ad perfectionẽ ieiunij requiratur eleemosyna.

Ex Historia.

Ioan. Herb. in histor. Pol. in Vladislao.

Luculenta historia explicatur quã sit necessaria eleemosyna ad expianda peccata.

Heduigis meditata iniqui huius sæculi sorte, prudenter adorsa Regem, ait: Deo reuocanti dedisti equidem manus, ô generose Princeps: tandem aliquando exosus illecebras concepisti nauseam, quæ excipit omnem voluptatis vsum immodicum: liberali manu refudisti in pauperum sinus quas inde sitibundus opes extuleras. Bellè sanè, nec cunctabor appellare negotium istud, Dei manum, quæ reducem te abstraxit à sinuosis anfractibus, quos obibas incurius animæ tuæ, quam collata longiore in populum stipe congruè redemisti. Sed heu, quò pretio appendes querulas populi voces, in quos refundes alueos, largos fletuum imbres, quibus summa percitus auaritia populos aspersisti? Quo æstu restante, plebis anhelæ vota & suspiria ritè compensabis? Eadem trutina

Querulæ voces pauperũ à Deo audiuntur, & quomodo sint compescendæ.

trutina appenditur æs, qua etiam refunditur. Sed gemitus pauperum, & querimoniæ iustæ, suos auctores damnant in similes angustias, ni prudenter Deum faciant sibi propitium. Substitit hic Regina, deponens ita fastum Regis, cui animo insederat obducta esse omnia crimina perpetrata. Idoneum sanè consilium suggessisset Regina, si æmulata Danielis ingenium, Principem hunc compellasset simili eloquio, quo Daniel alium Regem hortatus est ad placandum Deum, quem grauiter offenderat. *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis.*

Dan. 4.

Nota, peccata quædam esse velut in vinculis; inde sola eleemosyna potest illa eripere. Eò allusit Christus ista sententia: *Veruntamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quasi diceret: Sese plerique torquent dum pœnitent: nempe prolixam orationum vocalium seriem texunt: arctiora ieiunia indicunt sibi; parta iniquo fœnore pignora refundunt in penu eorum, quos vexarunt. Veruntamen hoc superest; videlicet vt gemitus & querelas pauperum elingues facias, liberali manu pauperi porrecta, ne querela loquax inopum bona tua cætera remoretur. Rursus ieiunium citra eleemosynam vltro assumptum est plerumque fomes auaritiæ, fitque eo pacto vitio obnoxius ille, qui ieiunij panopliam induit ad vitia profliganda. Namque tument loculi ex reseruata annona, dum impasta viscera castigantur.

Luc. 11.

Ieiunium sine eleemosyna comite suffragatur auaritiæ.

Hunc eleemosynæ comitatum ieiunia deposcere luculenter Chrysologus eloquitur, & hoc pacto: *Quia per campos nudos, per falsos vertices, per incertas solitudines acturi sumus vitam; nobis tota est esca & potus portanda substantia: imponamus abundantem misericordiam nostra sitarchia profuturam. Fratres, esurit ieiunium, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordia non rigatur. Alget ieiunium, ieiunium deficit, quod non eleemosyna vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut verni flatus tota faciunt germina florere camporum; ita misericordia tota ieiunij semina producit in florem, in cælestem messem totam ieiunij facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas; sicut lucerna lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium pellucere: sic pietas facit splendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei Sol est, hoc eleemosyna noscitur esse ieiunio. Sicut iubar Solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem; sic eleemosyna ieiunij sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, à corpore anima cùm recedit; ita mors est ieiunij largitatis abscessus. Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Est ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animorum. Est ieiunium castitatis murus; propugnaculum pudicitiæ, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina. Est ieiunium Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas ieiunij sunt alæ, per quas tollitur & portatur in cælum, sine quibus iacet, & volutatur in terra. Ieiunium sine misericordia simulacrum est famis, imago nulla est sanctitatis: sine pietate ieiunium occasio est auaritiæ: non est propositum parcitatis; quia parcitas ista, quantùm siccatur in corpore, tantùm tumescit in sacculo. Ieiunium sine misericordia non est veritas sed figura: vbi autem misericordia & veritas, probante Propheta, cùm dicit: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, &c. Qui non ieiunat pauperi, Deo fingit: qui ieiunans prandium suum non erogat, sed deponit, cupiditati probatur ieiunare, non Christo. Ieiunantes ergo, fratres, prandium nostrum reponamus in manu pauperis, vt seruet nobis manus pauperis quod venter fuerat nobis perditurus.* Hæc ille, cui etiam Gregorius occinit, compendiosè eadem hæc concludens ista breuiloqua sententia: *Illud ieiunium Deus approbat, vt hoc quod tibi subtrahit, alteri largiaris, vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Benè ieiunat, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris, cum indigentibus percipit, & qui ea, quæ sibi ad tempus subtrahit, nequaquam ventri offerenda custodit.*

Ex SS. PATRIBVS. Chrys. ser. 8.

Hac elegãti oratione Chrysologus ostẽdit eleemosynã debere necessario adiici ieiunio.

Ieiunium deficit, si non eleemosyna suum præstat auxilium.

Greg. Homil. in Euang.

SENSVS MORALIS.

Ieiunium eleemosynæ chrismate consecratur.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.

ARTICVLVS TERTIVS.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

VT lux Solis est fœcunda, simul illuminans & impraegnans elementa fœta miris effectibus; ita & Christus compendioso verborum textu multa recondit arcana, quæ maximè conducunt ad salutem, vnoque sæpe vocabulo concluditur à Christo rerum vberrima seges: vt cùm hodie sociauit vnctionem, & lauacrum, non tantùm hoc moraliter indixit, videlicet vt ieiunus homo dilueret animæ sordes balneo pœnitentiæ, & eleemosynam adsciseeret in comitem ieiunij; sed prætereà illo vnctionis typo nobis singulares eleemosynæ effectus abditos explicauit. Nempe vt in liquoribus oleum maximè diffunditur, & peruadit corpora quæque peruia; ita & eleemosynæ proprium est ad alios porrigi: nemo namque dicitur stipem erogare sibi. Eleemosyna etiam abdita permeat, quando pia indagine pudibundos pauperes inuestigat. Diffundi autem, & penitiora rimari, locupletes sunt tesseræ deitatis; ideoque fortè ritus Hebræorum ille solennis

EX ANTIQVITATE.

solennis fuit, Deo res deuotas adiectione olei consecrare, Deo ipso etiam assertore moris huius, quo adhibito sacerdotes antea lotos fecit sui iuris. Vide sic initiatos esse Aaron & filios eius. *Aaron, & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumque laueris patrem cum filiis suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, &c. & oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur.* Eadem etiam vnctione præmissâ præcipua templi supellex erat diuino cultui mancipata, ista sanctione. *Facies vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum, & vtensilia eius, altaria thymiamatis, & holocausti, & vniuersam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet: sanctificabisque omnia, & erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea sanctificabitur.* Potior sanè vis eleemosynæ insita est ad deuouendum animas Deo. Etenim virtus illa refundens opes mundi huius in egenos pauperum sinus, animam ditat, & dedicat Deo, eò ditiorem, quò in gratiam pauperum est ipsa effecta pauperior.

Exod. 29.
Quare sit oleum typus eleemosynæ.
Exod. 30.
Eleemosyna erogata dicat animas Deo.

Præterea vnctio adhibita corporibus aqua lotis inolita fuit plerisque Gentibus, quæ idcirco in thermis peculiarem locum assignabant, vbi oleo singulari corpora perungebant. Dictus est ille balneorum situs, eloëthesion, id est, cella olearia. Credula fortè nimis antiquitas arbitrata est inesse salutarem vim oleo, ac proinde eius obsequio adundcta corpora vegetari. Ideoque, vt præfatus sum, adeò creber eius fuit, vt Gordianus Imperator quinquies in die lotus & vnctus fieret inde robustior, ex Capitolino auctore. Gordiani æmulus alter Imperator scilicet Galenus toties etiam in die lotus vngebatur, vt recenset Trebellius. Familiarem vnctionis vsum fuisse apud Græcos, liquet ex censura Apollonij Tyanei, qui vehementer excanduit in Spartanos nimio oleo delibutos à balneis. Ipsi etiam extremis terrarum oris contermini Æthiopes, Macrobij tantùm fonte abluuntur, quia in olei similitudinem facta illa aqua corpora adungit, membraque facit agilia, vt recensent Herodotus, & Solinus.

Rosinus lib. 1. antiq. c. 14. Iulius Capit. in Gordiano. Trebell. Pollio in Galeno. Philostrat. in vita Apollon. lib. 1. c. 12. Herodot. l. 3. Solin. c. 43.

Tanta fuit hæc cupido vnguenti apud priscas Gentes, diffusas orbe toto, vt certatim prouinciæ omnes vnguenta componerent suo nomine nuncupata, aut ab auctore sortita nomen, vt Athenæus notat de vnguento Megalio inuento à Megalo Siculo vnguentario. Hanc se vngendi libidinem suis incrementis permeasse totum orbem, videre est in ea recensione locorum, quos meminit Herophilus dicens pridem vnctionem fieri optimam in Elide, & Cyzico: rosaceum vnguentum componi in Phaselide, vt & Eroninum in Cilicia, & apud Colotlenses, quos æmulati Tarsenses nardinum vnguentum confecere. Athenæ vnguento Panathenaico celebres extiterunt. Ægyptus vnguentis excelluit, Metopio scilicet & Mendosio. Vrbes Ænanthe Cypria, & Adramyttium fecere etiam nomen vnguentis Oenanthino, & Adramyttio. Vna item Berenice Regina adeò vnguentis capta est, vt tota Alexandria fluxerit in vnguenta.

Athenæus lib. 15 c. 16. Apollonius Herophilus libro de vnguentis.

Vt mens humana suo limite coërcita nequit constare sibi; ita nec est vnquam posituta modum vsui rerum, quas Deus ad salutem corporum censuit expedire. Non est reprobanda vnguentorum compositio ab ipso etiam Deo primitus instituta, sed est castiganda libido vnguenta in perniciem hominum vertens; cùm tamen salubria sint vnguenta, quæ etiam gula adhibuit ad luxum & ebrietatem auertendam. Ait enim Myronides, veteres in epulis opiparis capita inunxisse, vt madente cute vapescens vinum suis igniculis cerebrum non siccaret. Sic vnctio impunes fecit liberaliores haustus vini. Tamen vt nemini impunè licet offendere, plerumque lethalis fuit ille immodicus vnguentorum vsus, vt capitis sui dispendio sensit C. Plotinus Plancus, homo etiam ad inuidiam semper vnctus. Is cum Triumuiratus ambitio furore adscito popularetur orbem, & nemini ferè bono fas esset viuere, is inquam proscriptus cùm latebris credidisset momentum vitæ quod ei supererat, delicatiore vitæ genere, & odore vnguenti, occultam salutis suæ custodiam detexit. Illis enim vestigiis eorum qui miseros persequebantur sagax inducta cura, abditum fugæ illius cubile odorata est; ita vis odora vnguenti noxia fuit homini delicato, quem sic periisse commemorant Plinius, & Solinus. Infidelis etiam vnctio fuit Muleaspi Tunetano Regi, cui cùm infelici sorte res cessisset; ille profligato exercitu latibulo arcano solertiam militum fefellerat. Sed vt mercedis appetitus acuit ingenium hominum auidorum; miles victor omnem lapidem mouit, & totam castrorum viciniam perlustrauit, vt præda hæc opima colophonem victoriæ imponeret. Sagacitas illa, spe concepta haudquaquam excidit. Nempe suaue olens Rex abditus spirans inolitam sibi fragrantiam inuentus est, suo sic vnguine proditore.

Immodicus fuit antiquorum luxus in conquirédis variis vnguentis.
Myronid. lib de vnguentis.
Ex Historia.
Plin. lib. 15. cap. 3. Solin. c. 48.
Luxus suo est auctori plerumque lethalis, vt patet his exéplis.
Paul. Iouius lib. historiar.

SENSVS MORALIS.

Infirmum est ieiunium, & marcescit, si non eleemosynæ succo saginetur.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Re Medica, ex Vtroqve Ivre, Historia, et Symbolis.

QVod in vnctione viuidum est & nobile, illud omne intendit Christus, adhortatus suos discipulos vt caput inungerent. Et quia ablutionem meminit cum vnguento, fortè allusit ad Balnea, vbi lota & inuncta corpora, alacrius suas actiones exerebant. Anima lota suis lacrymis, & exosa nefas omne, ieiunans in mulctam suæ nequitiæ, si præterea largam stipem erogat, profectò expeditior erit ad egregia quæque facinora perpetranda. At secus, esto anima confessa scelus suum, & retrogressa vias alias inierit virtuti consonas; si tamen parca manu suas opes communicat, illa sanè imbecillam est sortita sanitatem, cui periculum imminet à latente morbo. Namque illa parcitas ad erogandum stipem arguit adhuc animam sitibundam, & cupidam opum, quarum appetitus animæ noxius est & lethalis. Hos tantùm Hippocrates vult securos, qui pure euomito, & extincta febre, sitis æstum importunum minimè patiuntur. Sic ille: Περιγίνονται μάλιστα τούτων μὲν ὧν ἀφῇ ὁ πυρετὸς αὐθήμερον μετὰ τὴν ῥῆξιν, καὶ

Necessaria est eleemosynæ & ieiunij societas.
Ex Re Medica.

νιτίοντα

Hippocrat. lib. 2. aref. ag 43.

Industria Medicorum obseruatione probatur eleemosynæ erogatio esse salutaris homini perniciosi.

σιτίων τε ἐπιθυμέουσι, καὶ δίψης ἀπαλλαγμένοι ἔωσι. Hi potissimum superfunt, quos febris eodem die dimiserit, post eruptionem puris, ac cibum citius appetunt, & siti liberantur. Pus vocat Hippocrates humorem illum, qui restagnans in aliquo viscere computruit: eo pulso foras tepet ignis, quem accenderat hæc putredo. Igne extincto sedatur sitis, & fit æger animæquior reduce sanitate, cuius argumenta indubia statim medicis innotescunt. Æs alienum in arcula iniquis artibus asseruatum computruit conscio auaro, qui patitur iugem cupidinem opum. Febriens ille appetitus misere animam lancinat, anxiam semper qua ratione queat aliorum etiam prædia deglutire. Si tamen Deo Medico propitio abditum pus extra producitur, ære recondito restituto ei ad quem pertinebat, & statim eleemosynarum largitio prodat sedatam esse illam sitim auri, nihil profectò nisi faustum & felix huic animæ possumus ominari. Ideo quamuis anima ieiunio assiduo præteritas puniat illecebras, si adhuc aurum sitit immodicè, periculi imminentis hoc est pessimum argumentum.

Hortandi itaque sunt fideles hodie, vt auspicantes curriculum Quadragesimę cautè ieiunent, ne mercede cadant debita ieiunis hominibus. Cautio illa est quam inculco, scilicet vt lauemur, & vngamur. Ablutio illa attenditur penes statum animæ in gratia, & vnctio penes eleemosynam. Vtriusque partis accipe Canones. Sic textus ille Pontificius. *Ieiunium autem magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi: quod est perfectum ieiunium.* Profectò anima voluptatum refuga nitet, vtpote vitiis emundata. Tamen illud opus arduum gulæ coërcitæ, deposcit & aliud generosum facinus, scilicet contemptum auri illius in cumulos assurgentis, vt inde consulatur inopiæ hominum egenorum. Aliàs claudicabit inedia, decurtata pede quo itur ad pauperes, & sic actio bona non sortita rationem boni perfecti, ieiunantis angustias faciet imperfectas, vt suggerit iste Canon. *Non satis est benè velle, sed etiam benè facere; nec satis est iterum benè facere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate proficiscatur.* Illa sanctio canonica probat imperfectum ieiunium, quod alia benefacta haudquaquam stipant. Præterea insinuat, non ideo esse decurrendos virtutum calles, vt aliquam gloriolam aucupemur; sed Dei gloriam attendendam, vt fontem vnde deriuantur ad nos latices gratiarum. Non esse autem innoxium hominem illum, qui ieiunus abhorret ab egenis adstruit idem Canon sic pergens: *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam pati, qui præsertim egere erubescat: si in causam ceciderit aut captiuitatis suorum, aut calumniæ, & non adiuues: si sit in carcere; & pœnis; & suppliciis propter debitum aliquod iustus crucietur; nam etsi omnibus debetur misericordia, iusto amplius, si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret: si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia valeat, quàm vita morituri, non est leue peccatum.*

Ex Ivre Canonic. *Can. Ieiuniū. de consecrat. dist. 5.*

Can. Non satis dist. 86.

Ibidem. §. Perfecta liberalitas. Non vacat nec longe à culpa est homo difficilis in eroganda stipe.

Quàm sit efficax eleemosyna.

Audacter dicam, post sacramenta nihil validius inclinare Deum ad misericordiam, quàm misericordiam exhibere egenis: illud bellè innuit olei proprietas; nimirum oleum liquores omnes superat enitendo, ita & Christus eleemosynæ hanc virtutem affinxit vt superet omne peccatorum pondus: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Diceres, hominem miserantem aliorum hominum miserias, Deum prouocare vt misereatur eius, & quasi retundere aciem gladij vindicis erratorum. Celebris est in eo themate Zenonis Imperatoris historia. Vir ille libidine æstuante deperiit virginem speciosam: & vt culmen Imperij multa sibi arrogat inconcessa, si eò euehantur homines suæ salutis incurij; Zeno virginem illam inuitam rapuit, vt eam faceret Veneris holocaustum. Puellæ huius constupratæ mater tantum exosa scelus, Deiparam sæpe obtestata est, vt durè exciperet hominem virginitati iniurium. Non fuere irritæ omnino preces fœminæ ægrè ferentis dedecus insigne. Etenim Virgo adfuit præstò parenti afflictæ, & ait: Ego iampridem vlta fuissem immane piaculum quod deploras, nisi Zenonis porrecta manus pauperi sæpius obstitisset. Erat ille pauperum amantissimus, in quos munificentia insigni liberalis erat, ideoque vrgente Deum eleemosyna vt parceret, cassa fuit oratio expetens vt puniret.

Luc. 11.

Luculenta historia Zenonis Imperatoris probat efficaciā eleemosynæ.

Ex Historia. *Ex prato spirituali c. 175.*

Vt oleum vnctioni Regum impensum fuit, vt inaugurationis insigne, ita & eleemosyna animum planè regium prodit: siquidem Regum est, Dei instar influere in egenos. Suum ideo testaturi ingenium dignum Imperio Valentinianus & Theodosius Augusti, speciali lege curam pauperum habuerunt ista constitutione. *Id quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non vt incertis personis relictum euanescat, sed omnibus modis ratum firmumque consistat.* Si hac sanctione sua edita in gratiam pauperum fecere sibi nomen aliquod præfati Imperatores; hi qui ieiuni reficiunt pauperes, ad quem gloriæ apicem euehentur? Ad eum sanè, quem præfixit eis Rex Regum, dicturus eis vt fiant compotes regni, quod præparatum est eis à constitutione mundi.

Eleemosyna prodit animū regium.

Ex Ivre Civili. *Leg. 24. Cod. de Episcopis lib. 1. tit. 3.*

Quàm locuples sit merces futura eleemosynæ.

In gratiam eleemosynæ adiicientis singulare pondus gratiæ ieiunio, reuoca symbolum alibi recensitum ex Ioanne Ferro, qui gladium pinxit oleo aspersum, & adiecta epigraphe ista. Lenimine acutius. Nempe aliqua desudans vnctione gladius faciliori negotio permeat ea, in quæ validè distringitur. Dixi ieiunium esse veluti panopliam, sed si hæc armatura madet oleo hoc præfato feriet. Lenimine acutius. At secus inedia, comite cupidine auri gladius est rubigine exesus, qui ægrè admodum exeritur & in cassum: frustra quippe is ieiunat fastidiens cibos, qui pascitur opum appetitu immodico. Is reuera nec faciei næuos detergit præuia lotione, neque caput vngit ac proinde nequaquam Christo morem gerit præscribenti modum, quo singuli quique debent conciliare sibi Deum congruè ieiunando.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 2. Theat.* Boni cuiusq; operis virtus acuitur adiecta eleemosyna.

SENSVS MORALIS.

Eleemosyna ieiunio imponit colophonem.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ex SS. Patribvs, et Re Medica.

HIc se aperit longè latèque patens campus disserendi de eleemosyna, petita virtute eius ab oleo, quod vt maximè diffunditur, sectionem istam nimis effunderet illa facultatum olei recensio, ideoque pauculas olei dotes perstringere sufficiet. Primò occurrit virtus illa olei, quam Christus indigitat suadendo capitis vnctionem, id est, lætitiam. Illic enim Christus decernit antidotum tristitiæ. Prælibauit Christum allusisse ad ritum plurium nationum, quibus erat in more positum, oleo inungi, in tesseram animi gestientis. Fauet Psaltes. *Exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Cùm ergo inedia corpori ingrata sit, imò & molesta, luget caro impasta: ne autem illâ mœstitiâ nundinentur homines auram popularem, Christus animæ consulens suadet eleemosynam, vt oleum idoneum ad detergendam omnem tristitiam. Etenim suauitate quadam afficitur anima dispergens egenis opes, quarum congeries asseruata curarum tristium ferax est, & solicitudine multa suum possessorem torquet.

Psal. 103. Olei cum eleemosyna comparatio congrua.

Animæ misericordi, copiosam eroganti stipem congruit ille applausus Psalmi. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ.* Qui eleemosynas liberali manu spargit, ille equidem diligit iustitiam: siquidem cuique suum reddit quando cum paupere communicat opes superfluas, quæ ideo concessæ sunt, vt eas cum egenis partiamur gratis, & non fœneremur. Ita Basilius: *Si fateris ea diuinitus tibi prouenisse, scilicet temporalia bona, an iniustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? cur tu abundas, & ille mendicat, nisi vt tu bonæ compensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brachiis decoretur? Panis est famelici quem tu tenes; nudi tunica quam in conclaui conseruas; discalceati calceus, qui penes te marcessit; indigentis argentum quod possides: quocirca tot labefactas, quot subuenire vales.* Consonat Ambrosius probans simili argumento eleemosynam esse negotium iustitiæ. Sic ille. *Hoc est occidere hominem, vitæ sua ei subsidia denegare. Caue ne inter loculos tuos includas salutem inopum; tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum.* Eum qui deerit illi officio, non iniquum tantùm, sed & sacrilegum Hieronymus arbitratur, feriens eum hac censurâ: *Pars sacrilegij est, rem pauperum dare non pauperibus: laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta conuiuia.* Hanc iustitiæ partem qui impleuit, habet quòd laudetur.

Psal. 44. Eleemosyna iustitiæ opus perficit.

Ex SS. Patribvs. *Basil. hom. 1.* Diuites sunt dispẽsatores opum Dei.

Ambros. in Psal. 118. Sacrilegium est negare eleemosynã.

Hier. epist.

Alia occurrit olei proprietas, ea videlicet, qua hominem nutrit recreans inediam. Vnde à Propheta recensetur inter ea quæ ad alimentum pertinent. Accipe Ieremiam. *Colligite vindemiam, & messem, & oleum, & condite in vasis vestris.* Idcirco appositè ieiunio adiicitur eleemosyna, vt ieiuno corpore queat anima saginari. Quippe potior esca animarum est gratia, quæ copiosa influit in homines, sua bona pauperi largiẽtes. Hanc succulentam eleemosynæ vim optimè norat ille Tobias, qui sæpe impastus suis eleemosynis vacua egenorum viscera recreabat. *Qui faciunt eleemosynam & iustitiam, saturabuntur.* Hæc ille, cui præierat Salomon dicens, à Deo retribui ea quæ mutuo egenis damus. Ita fatur Rex sapientissimus: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei:* Id est, qui Dei intuitu pauperem pauit, ille vicissim à Deo annonam accipiet. Eò attendit Iesus Syracides, hoc contextu. *Da pauperi, & accipies, iustifica animam tuam. Ante obitum operare iustitiam: quoniam non est quod quæras apud inferos cibaria.*

Ierem. 40.

Eleemosyna prudenter consulit homini ieiunãti & quare.

Tob. 1.

Prouerb. 19. Eleemosyna animam impinguat.

Eccles. 14.

In re medica solenne quidpiam est oleum ratione plurium facultatum, quas fusè commemorat Fernelius dum describit varias species oleorum. Sed ne cunctemur in hoc olíueto, satis erit indicare genericam olei vim ad medendum, ex eodem Fernelio, sic narrante. *Oleum simplex relaxat, emollit scyros, concoquit, maturat, & mouet pus.* Olei virtus propitia ad medendum, Christum etiam Dominum assertorem habet, dum meminit Samaritanum illum beneficum curantem vulnera hominis, qui inciderat in latrones. Christus ait misericordem hunc hominem, auspicatum fuisse curam illam ab infusione olei. *Samaritanus appropians alligauit vulnera eius infundens oleum.* Vide in eleemosyna parem facultatem. Anima delinquendo Deum offendit. In eo statu homo refuga vitæ saucius extinguitur vulneribus plenus. Quid facto operis est impendendi? Sunt transfundendæ opes in pauperum sinus, vbi amore decoctæ resoluentur in oleum, quo vulnera animæ inuncta salutem recipient. Quare autem insita sit vis illa salutaris eleemosynæ, accipe. Nullum planè vulnus animæ infligitur nisi ex defectu charitatis, qua dehiscente fatiscit anima, donec penitus euanescat. Vt ergo rediuiua fiat anima suæ salutis oblita, debet suas reparare ruinas modo planè contrario ei, quo malè disperiit suscitando charitatis ignem extinctum. Quia autem ille ardor non est solius arbitrij, sed est præterea facinus gratiæ efficacis, cuius influxum præpediunt multa hominum deliquia, operæpretium est hominem sibi consulere aliquo rudimẽto charitatis, ad quod sufficiat gratia Dei excitãs atque concomitans. Illud rudimentum amoris Dei est eleemosyna, quæ vt præludium charitatis affectum inclinans in proximum, quem Dei causâ iuuat, hominem accingit ad charismata meliora. Vbi autem anima amore Dei incanduit, si oleo inungatur eleemosynæ, tunc illa tota flagrat, ingensque eleemosynæ obsequio, amoris accipit incrementum. Sicque liquet, quàm efficax sit eleemosyna ad medelam animæ decumbentis. Eleemosynam conducere pauperes, vt Deum nobis subiratum inflectant ad veniam, Salomon est assertor ita fatus: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

Ex Re Medica. *Fernel. l. 4. method. meden. c. 2.*

Luc. 10.

Vnde mastimè colligatur efficacia eleemosynæ ostenditur hoc discursu.

Eleemosyna est rudimentũ charitatis.

Eccles. 29.

Eleemosynæ, & rei Medicæ analogiam meminere Sancti Patres, in quibus audi Chrysostomum, qui hanc ita commemorat: *Medicamentum fortius quod maximè operetur in pœnitentia*

Ex SS. Patribvs. Eleemosynæ potens est medicamentum.

Chrysost. in Matth. ser. 9.

tentia, eleemosyna: & sicut in præceptis medicinæ accommodis, medicamentum quidem multas herbas accipit, vnam autem dominantissimam; sic & in pœnitentia ista dominantior, & potentior est, & vniuersum ipsa efficit. Quos autem sortiatur effectus salutares illa medicina, pergit ille explicare: *Eleemosyna amico Deo consistit, & semper ei propinqua est, pro quibuscunque voluerit facilè munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem: tunc cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur, & veluti regina intrante, nullus ianitorum, nullus custodum, qui assistunt, audent dicere: Quæ tu es, vel Vnde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circumscripta per omnia venustate, sed succincta, vultum habens candidum atque mansuetum: pennata est, & leuis, & semper ante solium regale consistit.*

Ibidem.

Locupletes hic eleemosynæ effectus recensentur.

Conditiones quæ eleemosynam Deo acceptam efficiunt petuntur ex qualitatibus olei optimi.

Nota olei bonitatem attendi penes tria, quibus eleemosynæ perfectio concluditur. Primò debet oleum esse recens; fit enim vetustate deterius. Ita qui bona sua cum paupere communicat, expurgare debet omnem peccati vetustatem, & gratiæ nouitatem induere, ne sit reproba talis eleemosyna prodiens ab anima conspurcata. Alterum quod petitur ab oleo, est vt è torculari defluat facili negotio, alioquin magna torcularis expressio, oleo immiscet magnum pondus amurcæ & sordium. Ita & eleemosyna citò & vltrò erogari debet; ne extorta fæces colligat, fiatque sic sordibus obnoxia. Denique oleum non defæcatum modo esse par est, sed & limpidum, ne si subobscurum extiterit, eius opacitas suspicionem faciat oleum hoc non valere. Eleemosyna item debet esse pellucida, placitura Deo tantùm, non hominibus, quorum oculi virus aspergunt, si eorum gratiam captare volunt bona opera perpetrata. Profectò tale oleum præstat ei, quo vidua creditorum æs omne diluit, eo diuendito, sic abigens à se illos homines importunos. Qui tale oleum comparauerit in vasis nouis, ille non timeat creditorem; sed thesauro hoc locuplete gaudeat, iuxta illud effatum Salomonis: *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.*

Eleemosyna debet esse velox & non tarda.

3. Reg. 4.

Prouerb. 21.

SENSVS MORALIS.

Eleemosyna, & gratia Dei, duo fulcra sunt, quibus ieiunium innititur.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex Philosophia, ex SS. Patribus, et ex Historia.

SCrupulum fortè mouebit illa locutio Christi decernentis rationem capitis in re, quæ tota negotium est manuum: eleemosyna namque fit manibus, non capite. Ea nimirum excogitata solamini non est pauperibus, sed duntaxat erogata prodest. Hoc ego diluo sic dubium: Eleemosyna bifariàm attenditur. Primò vt est largitio suæ facultatis, in gratiam leuandæ inopiæ, quæ aliquem vrget. In eo sensu manus sunt oleo delibutæ, & faciles ad motionem illam, quæ nummos exerit ex arcula. Vt sic tamen & præcisè eleemosyna illa non est virtus Deo digna: ad hoc enim vt aliqua actio humana sit virtus præmianda brauio æterno, debet esse in genere virtutum; at illæ tales sunt ex fine vnicuique actioni congruo, qui bonus esse debet, vt suam bonitatem inurat actioni, iuxta illud axioma Philosophi. *Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est.* Ergo cùm præstituere finem alicui facinori, non sint vices manuum, sed capitis; prior est eleemosyna in capite, quàm manibus. Ideoque optimè Christus admonet ieiunos homines, vt inediam suam vnctione præmuniant, ita tamen vt è capite in manus defluat; quia non est Deo grata eleemosyna, quæ non dirigitur à capite ad gloriam Dei. Imò Deus reprobat illas manus, quæ se in conspectum hominum dant de industria vt videantur ab hominibus, cùm præstant aliquod pauperi subleuamen.

Ex Philosophia.

Aristot. 3. Topicor.

Bonitas eleemosynæ non petitur à manibus, sed à capite, vide hîc explicationem philosophicam.

Est itaque illa vnctio adhibenda capiti, ne sua mercede cadat apud Deum eleemosyna, duntaxat inunctis manibus erogata. In ea largitione Christus attendi debet, sine quo ipsa etiam tota bonorum proiectio non laudatur, vt Hieronymus resonat opportunè. *Non est satis perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proiicere quod in momento & perdi & inueniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quàm mundi Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris. Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, & virtutum comes est.*

Ex SS. Patribus.

Hieronym. epist. 26.

Virtutum chorus inutilis ad salutem ei qui non sequitur Christum.

Si exempla desideras, quibus adstruam ieiunium perfectum debere stipari eleemosynâ, & gratiâ Dei, sicuti paginæ titulus insinuat, consule historias Heroum, quos commemorant Sancti, & videbis Magnates omnes, qui ex sæculo dedere nomen suum Christo, amplexatos fuisse simul ieiunium, & eleemosynam. Ne nimius sim in texendis historiis, sufficiet vnus Pammachius, nobilis veterum Romanorum Consulum stemmatis patre satus. Ille diuitiis affluens, & apprimè doctus, inter Patricios non extremus, nobilitatis suæ consciam Paulinam virginem duxit in vxorem, quam præcoci morte elatam non tam luxit ereptam, quàm seipsum miseratus est adhærentem sæculo, cuius præcipuæ illecebræ adeò fugaces sunt, vt in suo ferè ortu occidant. Huic meditationi intentus, gulæ cupedias fastidire cœpit, indicens sibi annonam breuem. Gliscente autem amore ieiunij, Pammachius omnem opum affectum exuit, vt illis erogatis pauperes indueret. Sic ieiunium & eleemosyna fuere virtutes indiuiduæ, quibus vir ille potens inauguratus est in discipulum Christi.

Ex Historia.

Hieron. epist. ad Pammach. super obitum Paulinæ.

Pammachij exemplo adstruitur societas ieiunij & eleemosynæ.

Hieronymus facinus hoc miris prosequitur encomiis, demiratus hominem florente adhuc ætate, opibus instructum, suas omnes abdicasse gazas, vt in ius cederent hominum egenorum. Sic ille rem quasi oculis subiicit, enarrans quomodo etiam gemmæ & monilia Paulinæ vænierint in gratiam pauperum. *Ardentes gemmæ, quibus antea collum & facies ornabantur, egentium ventres saturant. Vestes sericæ, & aurum in fila lentescens, in mollia lanarum vestimenta*

mutata

Elegans descriptio hominis amore Dei sua bona in pauperes erogantis.

mutata sunt, quibus repellatur frigus, non quibus nudetur ambitio. Deliciarum quondam supellectilem virtus insumit. Ille cæcus extendens manum, & sæpe vbi nemo est clamitans, hæres Paulinæ, & cohæres Pammachij est. Illum trimum pedibus, & toto corpore se trahentem, tenera puellæ sustentat manus. Fores quæ prius salutantium turbas vomebant, nunc à miseris obsidentur. Alius tumentis aqualiculo mortem parturit: alius elinguis & mutus, & ne hoc quidem habens vnde roget, magis rogat, dum rogare non potest: hic debilitatus à puero, non sibi mendicat stipem: ille putrefactus morbo regio, superuiuit cadaueri suo. Hoc exercitu comitatus incedit, in his Christum confouet, horum sordibus dealbatur. Munerarius pauperum, & egentium candidatus, sic festinat ad cælum. Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris, his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat: his pigmentis atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Non dolet, opes ad alium peruenisse, quas cernit iisdem, quibus ipsa voluerat, erogari. Hactenus ille. De hoc argumento plura te manent infra, ô lector beneuole. Vide sectionem proximam, vbi copiosè damno sollicitos hominum animos, his rebus infimis inhiantes. Rursus in Euangelio de iudicio finali, & de mendico Lazaro, versatur eadem materia denuo reuocata.

SENSVS MORALIS.

Quanam industria quisque debeat thesauros in cælis adstruere.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

Sectio Sexta.

PRÆFATIO.

Homo à Deo instructus omni semine ad virtutes concipiẽdas.

EDitus homo ad ardua & egregia facinora, à Deo accepit semina rerum omnium, quorum conscius esse potest. Verbi gratiâ homo Deo miserante effectus compos gratiæ, & futurus beatarum mentium consors æternùm victurus, opibus affluens, & gloria insigni rutilus & coruscus, nascitur instructus appetitu ad hæc tria prælibata: quippe perennare volens, mortem arcet multifariàm, anxius qua ratione queat æuum suum producere. Præterea coruscantis gloriæ quosdam præsentiens igniculos, intimè vrgetur ad gloriam appetendam. Demum ægrè ferens moras, quæ differunt vsum opum quæ beatos ditant in gloria, homo thesaurizat in hoc æuo, sollicitus de incremento suarum facultatum. Hi omnes appetitus insiti singulis quibusque hominibus maximè conducunt ad salutem, si ad Dei arbitrium hos componat. Idcirco non expunxit eos Deus ab homine, sed præscripsit modum, qui debet adhiberi quando vrgetur homo appetituum æstibus importunis. Etenim instante morte, quam præcocem nobis accelerant homicidæ, Christus non castigat cupidinem vitæ, sed ostendit ad quam debeamus anhelare vitam, & quales sicarij debeant incutere nobis terrorem. Sic ille. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis hunc timete.* Luc. 12.

Non damnatur appetitus gloriæ dummodo assurgat ad gloriã æternam.

Rursus aurâ resonante populari, laborat homo pruritu gloriæ; huic ego impetigini parco, pruriat per me licet; siquidem non vetitum est gloriari dummodo animus assurgat ad gloriam, ad quam aliquando bonis actibus euchetur. Ad hoc gloriandi schema nos sollicitat Paulus ista parænesi: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. Cor. 1. Denique homo suspicatus inesse thesauris vim quandam beandi homines, auidè congregat omnia, quibus accessio quædam fit æri in arcula recondito. Non reprobat Christus hos animos opum auidos, si satagant veras congregare diuitias: nimirum sic suadet consultor ille opportunus. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Matth. 6. Duo concludit capita versiculus ille; vnum negatiuum, aliud positiuum. Priori carpitur hominum insania inhians terræ, vnde planè nihil emergit nisi corruptela. Altera parte orationis huius homini indicitur modus sinceris opibus affluendi.

Diuisio sectionis.

Itaque bimembris erit hæc sectio iuxta duplex intentum Christi. Auspicabor à rationibus, quæ abstrahunt hominem à nimia cupidine congregandi. Inde deflectet hic discursus ad industriam; quam sectatus homo congregabit opes, quæ in cumulos assurgent animâ cælis insertâ. Hæc igitur esto prior conclusio.

SENSVS MORALIS.

Hominem dedecet affectus thesaurizandi in hoc sæculo.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex Philosophia, et SS. Patribvs.

ILlud est succi melancholici ingenium in muliere prægnante, vt eam pelliciat ad appetenda incongrua, vt sunt carbones, aliàque id genus noxia. Huic incommodo occurritur solo repurgio humoris iniqui, quo sic homo miserè dementatur. Patitur & anima molestiam huic affinem, quando scilicet multis fœta votis seu desideriis, terrena plus nimio appetit, vt sunt aurum, & argentum, quorum terra rudimentum fuit. Ille appetitus hominem dedecet vtpote maleficus. Ideoque ne gliscat hæc cupido, hominem quasi succo terrestri alluens, est rescindenda falce rationis, & præcipuè recolendo quidquid homo auarus refundit in thesauros suos, illud omne infra hominem esse, atque adeò indignum eo

affectu.

affectu, quo flagrat animus opum cumulo mancipatus. Huius effati veritas adstruitur facta inductione rerum, quibus singuli coalescunt thesauri. Hanc omnem supellectilem, & vsum eius describit apposité Elisæus, carpens auarum animum serui sui Giezi, quem eò perculerat opum vesania, vt inuito Domino thesaurizare voluerit in terra. Ita in eum inuehitur Vates diuino flamine percitus: *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas olueta, & vineas, & oues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsque in sempiternum. Et egressus est leprosus quasi nix.* En quibus còggregatis exurgat thesaurus, argentum scilicet & vestes. Cui autem vsui sit hic cumulus, ille insinuat commemorans, armenta, greges, agros, cateruam seruorum, & demum lepram, qua ingloria semper diuites incrustantur.

4. Reg. 5. Quàm noxij sint effectus opum.

Iam aduerte quàm vera sit assertio præmissa & sic probata. Illud non debet demerere hominum affectum, quod citò corrumpitur, affectumque suo deliquio vexat, & cruciat: etenim affectum nihil planè mouere debet, nisi bonum. At quod citò corrumpitur non est homini bonum, quia bonitas cuiusque rei vt alteram afficit, sita est in aliquo relatiuo, scilicet in conuenientia. Quod autem alteri iniquum est, & molestum, illud non ei conuenit, ac proinde nequit sortiri rationem boni, nec ideo congruè hominem pellicere. Ergo cùm opes suo affluxu hominem torqueant sollicitum plusquàm par est de earum custodia, & plerumque in vitæ discrimen agant quando fures effodiunt, vel aliunde dispereunt; non arbitror hominem sanæ mentis, velle deuouere affectum suum rei pessimæ, vnde ebullit scaturigo malorum omnium, cuius intuitu ipsæ etiam opulentæ gazæ debent ingerere fastidium sui, ne earum amore præpeditus homo tantam ærumnarum vim sibi paret, quantum erit auri pondus in cumulos asseruatum.

EX PHILOSOPHIA. Aristot. l. 1. Ethic. c. 7.

Quàm importuni sint thesauri in sua custodia.

Nequando hallucinetur homo, arbitratus se inopiæ occurrere congerendo facultates; Basilius apposité suggerit esse abditam opibus egestatem. Sic ille: *Auarus pauper est: pauper enim est, qui multis indiget; multorum autem indigentes vos facit insatiabilis auaritia, & cupiditas. Quemadmodum ebriosis occasionem bibendi præbet vini copiosior accessio; sic recens ditati, vbi multa acquisierunt, plura cupiant, eò quòd semper accendunt morbum. Non enim lætificant ipsos præsentia, quæ tanta sunt, quantùm contristant, quæ desunt, & quæ sibi deficere putant, vt animi ipsorum semper curis consumantur: quæcumque videt oculus ea cupit auarus: non exsatiatur oculus videndo, & non impletur auarus accipiendo. Orcus non dicit, sufficit; neque auarus dicit vnquam, satis est.*

EX SS. PATRIBVS. Basil. hom. 7. ex variis. Opes congestæ non ditàt hominē sed magis inopē reddunt.

Reuera par est auarum confici suis angustijs, & auro premi, cuius iniquum pondus tam auidè concupiuit. Sed hæc insana cupido vt flamma vorax vbi cor auari depasta est, prorumpit foras, & sua indole edaci quidquid obuium est, illud suum pabulum fomitemque facit, multisque cladibus afficit omne hominum genus, vt pergit explicare idem Sanctus ita fatus: *Væ vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum connectitis, vt de vicino aliquid auferatis. Nonne cupiditas Achab, Naboth occidit? Auarus ignis violentiam imitatur, omnia corripit, omnia depascitur, & quemadmodum flumina ex paruo primo principio progredientia, deinde incrementis paulatim contingentibus intolerabile accipientia augmentum per violentiam impetuosæ lationis, quidquid obstiterit secum trahunt: sic etiam hi ad magnam potentiam progressi. Nihil diuitiarum violentiam sustinet, omnia tyrannidi succumbunt, omnia ipsius potentiam formidant. Ditissimus es. Quid igitur postea? nonne tres in vniuersum cubiti ad sepulturam te expectant? nonne paucorum lapidum onus ad infelicis corporis custodiam sufficiet? quid inanes stipulas manibus colligis? atque vtinam inanes, & non æterno igni materiam: non fies aliquando sobrius ab hac ebrietate? Aurum animarum laqueus, mortis hamus, peccati inescatio. Diuitiæ belli causa, ob quas conflantur arma, ob quas acuuntur enses, propter has cognati ignorant naturam, fratres mutuò se toruè intuentur, ac cædes spirant: propter opes solitudines alunt homicidas, mare pyratas, ciuitas sycophantas & calumniatores. Quis est mendacij pater! quis confectæ accusationis opifex? quis periurij parens? nonne diuitiæ? nonne opum studium. Quid facitis, ô homines? quis vobis vestra in insidias contra vos conuertit? In adiumentum vitæ, non viaticum malorum pecuniæ datæ sunt, ad redimendam animam, non ad perdendi occasionem.*

Iidem. Elegans Basilij declamatio contra auarum.

Diceres certare Patres quis eorum acriùs inuehetur in auaros, omnium hominum opprobrium & pestem. Sic Chrysostomus: *Auarus terrarum pestis est, vrbium pernicies, singulorum calamitas, omnia rapit, pauciora putans cæteris habere: nam cum cupiditati eorum quæ nondum possedit, ea quæ habet confert, nihil prorsus habere opinatur. Propterea quidam ait, nihil esse auaro iniquius. Est enim communis omnium hominum hostis: auarus non parum dolet: quia terra pro spicis aurum non producit: quia fontes non manant auro: quia montes loco lapidum aurum non habeant: auarus fertilitatem temporum molestè fert, & communi felicitate contrahitur, omnemque fastidit causam, vnde argentum colligere non potest: è regione verò, cuncta suffert, vnde duos solummodo capere obolos possit: omnes homines tam pauperes quàm diuites odio prosequitur; pauperes, ne quid ab eo petant; diuites, quia quæ illorum sunt non possidet: vniuersos enim simpliciter, quæ sua esse deberent, occupare putat, ac ideo quasi ab omnibus læsus, omnibus infensus est: hic quod plenum sit nescit, saturitatem ignorat, omnium denique ita miserrimus est, quemadmodum expers auaritiæ, & opposita virtuti deditus omnium est beatissimus: nulla enim est vtilitas pecuniæ, si anima paupertate deprimitur; nec vllum onus paupertatis, si animus diues existit.*

Chrysost. hom. 31 in Matth. Aspera inuectiua contra homines auaros.

Non esse inhiandum bonis huiusce sæculi, quia nomine tantum tenus bona sunt, patet ex eorum indole: nimirum illud quod alicui conuenit, aliquam cum eo affinitatem habet, & ad eum pertinet, vt sunt virtutes, quæ acquisitæ animo adhærent, & dicuntur hominis bona. Sed opes omnes extra hominem sunt, nihilque habent quod conducat ad salutem animæ: totum namque bonum animę salutare quod spirant opes, non ab auro est, vt aurum est, sed ab vsu bono, qui vsus petitur à recta ratione, quæ impensas dirigit & præscribit. Ergo cùm auidè nimis congregare facultates sit opus alienum prorsus ab homine profecto, est incongrua hæc cupido auri, quæ tantam hominum

Opes nihil ex se omnino boni possunt attingere diuitibus.

cateruam

cateruam agit in præceps, ideoque salutare est consilium Christi distrahentis homines ab hac vesania congerendi nummos, quia negotium illud alienum planè est ab homine, vt scitè admodum explicat Hieronymus hoc tenore: *De diuitibus auaris quidam putant Prophetam dixisse: Væ qui multiplicant sibi quæ non sunt sua, qui possessionum terminos dilatant, & ea quæ non sunt hominis, hominis arbitrantes congregant sibi, à quibus subitò relinquuntur: quod autem non sit hominis, hoc est, animalis rationalis terrena possessio, Dominus demonstrat dicens: Si in alieno non fuistis fideles, quod vestrum est, quis dabit vobis?*

Hier. lib. 2. in Habac. c. 3.
Maligna est plerumque opum possessio.

SENSVS MORALIS.

Homo pluribus argumentis deterreri debet ab appetitu congregandi opes in hoc sæculo.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Theologia, ex SS. Patribvs. et ex vtroqve Ivre.

Ex Theologia.
Thom. 1. p. q. 75. art. 1.
Quanta sit nequitia in quam auri cupido homines inducit.

SI homine spectato eo intuitu, quo reliquus rerum contextus occurrit nobis in naturæ cancellis, thesauri suos opifices malè habent. Si inquam homo physicè aspectus innumeris penè cladibus afficitur auro velificans, in qualia putas discrimina eum incurrere si ad Theologiæ trutinam appendatur? In ea statera homo attenditur à Deo editus ad gloriam æternam, quam demerere debet actibus consonis, à Christo Domino præstitutis. Sed tantùm abest vt auri cupiditas, & anxietas opum congregandi conducant ad hunc finem, quinimò magis eum à supernis abstrahunt, vtpote nimium deforis occupatum. Intercapedo equidem magna est inter Deum, & hominem auri vile mancipium; quia noxius appetitus opum, vitiorum omnium colluuiem in animam inducit: Deus autem & vitia non coëunt. Quomodo verò ille lethalis thesaurizandi affectus hominem Deo indignum damnet; accipe. In confesso est apud omnes, hominem iniquum nullas sibi vendicare partes in cælo, & proinde à Deo dissitum in cœno & puluere volutari. Sed Deum postponere auro, quod pro rudimento terram habet Sole influente decoctam, est summa iniquitas auari, penes opes suas reponentis spem omnem, & nihili planè facientis virtutum praxim dummodo thesaurizet. Ergo cùm auarus agat æuum vitiis inglorium, sitque suæ salutis incurius ob immodicum auri affectum; malè sibi consulit homo thesauros condens in terra, à quibus debuisset potius abhorrere.

Ex SS. Patribvs.
August. ser. 25. de verbis Domini.
Declamatio aspera in auaritiam.

Quamuis res ardua sit, texere catalogum vitiorum, quæ homini affingit noxius amor opum, è choro Sanctorum Patrum aliqui suas partes agent in hoc argumento. Prior prodit Augustinus sic declamans: *Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cùm ipsæ belluæ habeant modum? tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem: inexplebilis est sola diuitum auaritia: semper rapit, & nunquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reueretur: non patri parcit, non matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Quæ est ista rogo animarum insania, amittere vitam, appetere mortem; acquirere aurum, perdere cælum.* Compendiosè conclusit totam malorum iliadem dicens, hanc thesaurizandi in terra vesaniam hominem procul à cælis abigere, quia Dei gloria & opes inferæ non concordant.

Ser. 48. ad fratres in eremo.
Alia item declamatio in auaritiam.

Ille idem Augustinus, si is scripsit ad fratres in eremo, sic recensuit mala quæ inuehit hæc libido cumulandi opes. *O homo, non ignoras quòd omnium malorum radix auaritia est, & seruitus idololatriæ, mater vsuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, pœnæ via, nutrix gehennæ? O auaritia, abyssus insatiabilis, semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis: ò pestis interminabilis, ò famelica rabies: nam omnia suis terminis clauduntur, sola auaritia nullo clauditur fine: omnia in homine senescunt vitia, sola auaritia iuuenescit. O rabies omni fine carens; terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aër suo fine concluditur, cælum suis terminis arctatur, sola auaritia terminum nescit. O auaritia, si terræ & cæli Dominus fueris nunquam quieueris, donec te Deo adæquaueris, vel fueris superior Altissimo. O pestis dæmone sæuior: nam dæmon similis Altissimo esse voluit; sed auarus super Deum, si posset, ascendere vellet.* Nempe auarus aurum Deo præfert, ideoque volens aurum suâ arculâ recondere, subiicere sibi vult rem, infra quam Deum ponit. Sed esto auarus auidè congerat auri pondera immensa; tamen instar scarabei lutum voluit: terra namque madens est fermentum auri, æris, & gemmarum. Ineptè igitur quis hîc luteas ædes erigit, cùm posset marmoreas in cælo construere. Insipienter agit ille qui limosos hîc parat thesauros in terra, cùm detur ei copia gazas in cælis instruendi, quæ prædiuites coalescunt pretiosa supellectile.

Quàm insipienter agat auarus, hîc thesaurizando.

Chrysost. hom. 40. in cap. 12. Matth.
Opes huius mundi sunt luteæ, ex Chrysostomo.

Nostrates opes esse luteas audi à Præsule, qui omnia arbitratus est vt stercora, vt cederet ipse in ius Christi. Is est Chrysostomus hæc suppeditans de suo ditiore pênu. *Nullum est inter auri sollicitos collectores, & cœni atque laterum operarios discrimen: nam vt tunc Pharao, atrocissimus ille tyrannus, flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos; sic etiam nunc diabolus ad officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud aurum est, quàm cœnum? & argentum quid aliud, quàm palea? sicut ergo palea ignem, sic pecunia cupiditas auaritiæ flammam incendit, & quasi cœnum inquinat possidentes; à quo vt nos liberaret, venit verus Moyses Christus Dominus in Ægyptum huius sæculi.*

Alia item ratio potentissima deducitur ex Iure Cæsareo, qua monemur ne thesaurizemus in terra, si nolumus deperire nobis omne quod assurgit in cumulos. Eo Iure cautum est ne quis in alieno solo ædes erigat, ni velit oleum & operam perdere. Ecce legem latam ab Imperatore Iustiniano. *Si non rectè ædificauerit, omne opus quod post denunciationem fecerit, suis sumptibus destruet.* Ea constitutione tenentur auari omnes thesauros in terra congerentes: siquidem *Domini est terra, & plenitudo eius.* Eamobrem qui suam omnem adhibent industriam, vt conquirant opes, illi in alieno solo delineant nouas ædes, quas dum moliuntur, eas faciunt ruinæ obnoxias.

Ex Ivre Civili.
Leg. 1. Cod. De noui operis nunciatione lib. 8. tit. 11.

Reuera

Quare homo non debeat thesaurizare in terra.

Reuerà totus hic mundi ambitus, est homini solum extraneum: siquidem homo degens in terris peregrinatur à Domino, & vtitur terra precariò vt solo alieno, quod ante hominum incunabula bestiæ primitus occuparunt. Ideo namque Deus bestiarum ortum præmisit hominum natalibus, vt inde resciret homo terram esse veluti sortem bestiarum, quas nulla beatitudo manet, nisi ea quam terra suppeditare potest; ac proinde homini, cupido potioris boni, esse aliò collimandum. Itaque in confesso est, eum qui thesaurizat in terra, ædificare in alieno solo, cùm terra bestias incolas habuerit ante homines efformatos.

Eò crediderim aspexisse Elisæum quando obiurgauit famulum suum cæli incurium, vt suos omnes affectus terræ addiceret, quæ propriè plantarum & bestiarum regio est, non hominum alibi beandorum. Hac censura animaduertit Elisæus: *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Nota, Vatem meminisse oliueta, frutices, & armenta, quando damnauit vsum argenti eo fine comparati, vt inde homo terram plantis & bestiis traditam vsurparet. Quòd autem subiecit lepræ mentionem, illud fuit in mulctam operis noui editi in solo alieno. Igitur ô auare supersede, & noli thesaurizare in terra vbi tinea, ærugo, & fures vindices sunt iniuriæ, quam infers bestiis, quibus duntaxat est licitum rebus his infimis adhærere.

4. Reg. 5.

Terra non est hominis sedes, ideo in alieno solo ædificat cum in terra thesaurizat.

Iure Romano, facta operis noui nunciatione, debet is qui ædificat cessare ab opere, Vlpiano assertore, quem accipe. *Interdictum hoc proponitur ex huiusmodi causis. Edicto expressum est, ne post operis noui nuntiationem quicquam operis fiat, antequam vel nuntiatio missa fiat, vel vice nuntiationis missæ satisdatio de opere restituendo fuerit interposita. Qui igitur facit, etsi ius habuit faciendi, tamen contra interdictum Prætoris facere videtur; & ideo destruere cogitur.* Cùm ergo Christus hodie præmoneat non esse thesaurizandum in terra, quia hæc est locus incongruus, & homini negatus ad perennandum; profectò citra offensam nequit mundi huius opibus occupari. Nimirum Deus Prætore maior vetat hoc edicto: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Secundò tinea, & ærugo, vt vltrices insurgunt in has gazas, quæ proinde labant à tam multis hostibus impetitæ.

Vlpian. l. 71. ad dictum. Leg. 10. § 1. ff. de operis noui nunt. lib. 39. tit. 1.

Ne leuiusculè videar perstrinxisse Ius Cæsareum, accipe ex eo fonte causas, quæ arcere debent homines ab intento fabricandi sibi thesauros in hoc æuo. Legibus cautum est, trifariàm debere intermitti opus inceptum. Primò cùm quis obstat, allegans operis fundamina solum suum occupare. Secundò diruendum est illud opus si sit iniurium edicto Principum, explicitè cauentium ne quidpiam tale committatur. Denique in ruinam ædificat ille, qui contra seruitutem ædibus impositam facit. Accipe textum Iuris, vt eo proposito sensum moralem adstruam. *Bellè Sextus Pedius definit, triplicem esse causam operis noui nuntiationis, aut naturalem, aut publicam, aut impositiam. Naturalem, cùm in nostras ædes quid immittitur, aut ædificatur in nostro. Publicam causam, quoties leges, aut senatusconsulta, constitutionesque Principum per operis noui nuntiationem tuemur. Impositiam, cùm quis, posteaquam ius suum diminuit, alterius auxit, hoc est, posteaquam seruitutem ædibus suis imposuit, contra seruitutem fecit.*

Elegãs ratio ducta ex Iure Cæsareo insinuans homunem non debere thesaurizare in terra.

Leg. 5. § 9. ff. de operis noui nunt. lib. 39. tit. 1.

Benè ergo tinea & ærugo insurgunt in metalla terris abdita: namque locus tineæ & æruginis terra est defossa. Quod autem tineæ & æruginì subest, illud est caducum, & ruinæ obnoxium. Rursus contra Scripturæ sanctioris edicta thesaurizat homo, qui congregat opes loco abdito recondendas. Demum cùm ea seruitus sit opibus imposita, vt pauperum vsibus impendantur, & non cedant in ius tantùm hominis cupidi; liberum est omnibus inuehi in hominem aliis iniurium, qui tineæ & æruginì mandat opes aliorum hominum vsui mancipandas. Nota Iurisperitos vocare noui operis nunciationem, quando quis intercessione prohibet, ne cœptum opus assurgat. Vulgus imperitum hanc formulam Iuris nuncupat, oppositionem; periti verò intercessionem dicunt.

Opus inceptú quandò debeat intermitti ex Iure Romano.

Vide iam quot titulis vrgeatur homo, vt alibi thesaurizet, quàm in hoc mundo, vbi est peregrinus, atque adeò impos inibi longiores moras agere, quas si protrahere posset aliquâ industriâ, suam omnem operam deberet impendere, vt inde referret pedem, veluti è loco noxio, non inepto tantùm ad ei confidendas opes, sed potius in omnem perfidiam composito: vnde Sancti sæpe sæpius hortati sunt homines sæculi huius nimium amantes, vt aliò transmigrarent. Aliquos Sanctiorum Patrum inuocabo, vt suo suffragio mea sensa probent, & adstruant illa tria quæ præfatus sum ex Iure Romano, prohibente ædificare in alieno solo contra edicta Principum, & contra seruitutem impositam loco. Etenim si beati illi Ecclesiæ proceres suaserint mundi fugam, non erit illic thesaurizandi locus. Præterea illis opponentibus ex Codice sacro edicta Dei contra cupidinem auri auidè nimis in cumulos asseruati, erit auaritiæ modus aliquis imponendus. Tandem illis dicentibus opes esse effundendas in pauperum manus, liquidò erit singulis quibusque gazis hoc esse onus impositum, vt egenis inseruiant, & ita adiectis Sanctorum calculis, meæ conclusionis veritas elucescet.

Mundus iste est carcer ac proinde locus incongruus ad thesaurizandũ.

Primum, quod occurrit expendendum, est, an mundus sit locus hominum propitius, vel non: Præfatus sum esse locum incongruum, & hominem ad maiora natum, quàm vt diutius degeret in hoc mundo, reorum ergastulo; & hinc liquet carcerem non esse locum congregandis opibus opportunum. Mundum autem esse carcerem, cape ex Augustino ita præludente: *Educ de carcere animam meam, vt confitear nomini tuo Domine. Merita carcerem faciunt. Nam in vno quodam habitaculo, alteri domus est, alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos, etsi in domo sua custodiant, illi qui arctius custodiuntur, in carcere sunt, nunquid & illi in carcere esse dicendi sunt? Vnum habitaculum, & illi est, & illi. Alteri facit domum libertas, alteri carcerem seruitus. Quibusdam visum est, quod mundus iste carcer sit. Et hoc orat Ecclesia, vt de hoc carcere educatur, id est, de hoc mundo, de sub Sole, vbi omnia, vanitas. Ergo extra mundum istum, nescio quam requiem pollicetur nobis Deus, cum quo futuri sumus: fortè ideo de loco isto clamamus: Educ de carcere animam meam. Anima nostra per fidem & spem in Christo est, vita vestra abscondita est*

Ex SS. PATRIBVS: August. in Psalm. 141.

cum Christo in Deo: corpus autem nostrum est in isto carcere, in isto mundo. Hæc ille, eruditè notans eamdem domum diuersas obire vices cum vinctis est carcer, liberis verò & sui iuris hominibus est ædes. In eo sensu mundus est congrua bestiarum domus, in qua degunt vt in consono habitaculo. Sed idem omnis terrarum ambitus, vt hominis animo minor, est illi angustus carcer, haudquaquam aptus ad thesauros animæ congruè reponendos. Quippe nemo in carcere defodit opes; imò potius serio meditatur qua ratione queat aliò transmittere loculos auro graues, vt depositâ sarcinâ expeditiore nisu fuga sibi consulens valeat euolare. Tantùm abest vt sic mundus thesaurizanti propitius sit, quinimò potius incolas suos in tot agit discrimina, vt cautiores quique transfugæ sint, sese recipientes in castra Dei, claustra scilicet, & eremum. Hinc emersere tot & tantæ paræneses Patrum de fuga sæculi.

Ambr. lib. 10. de fuga saculi c. 1.

In his multus est Ambrosius à quo hæc mutuò carpe. *Frequens nobis sermo est de fugiendo saeculo: atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus, & sollicitus affectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites animoque voluas. Quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Ad sacularia nos reuocant cogitationes nostra, mundana inserunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo eleuare paramus mentem, ad terrena plerumque deiicimus. Nam quis inter tot passiones huius saculi, inter tantas illius illecebras, tutum ac intemeratum seruare potest vestigium? Omnia vanitas qua in hoc saculo sunt. Qui saluus esse vult, supra mundum ascendat: fugiat hunc mundum, terras relinquat, vnde nisi prius homo fugerit, non poterit percipere illud quod semper est. Et ideo Christus Dominus volens Deo Patri appropinquare, Apostolis dicit: Surgite eamus hinc.* Non igitur sunt res concolores, mundus, & thesauri; nempe mundus ærumnis ebulliens, & multiplici discrimine infamis est fugiendus impensè; propositum verò componendi gazas deposcit constantem locum, qui sit fidus custos auri reconditi.

Quibus argumentis sollicitemur ad fugam sæculi.

Quare veri thesauri non possint componi in hoc sæculo.

Rursus inopia mundi satis superque est ad spes nostras abrumpendas: etenim thesaurus non inani tantùm specie rerum constat, sed & veris & solidis opibus in cumulos actis ritè coalescit. At nequit mundus suppeditare congruam illam supellectilem, qua coëunte thesauri exurgunt. Ergo inepta est hæc cupido thesaurizandi in hoc mundo, vbi non elucent sed scintillant tantùm vilia puerorum crepundia, quæ illudunt oculis imperitis: ideoque prudentes animas sollicitant ad fugam expeditam magis quàm ad obsequium importunum. In eam iuit sententiam Ambrosius ita fatus: *Fugiamus hunc mundum, vbi nihil est, vbi inane est quod magnificum putatur esse; vbi & qui se putat aliquid esse nihil est. Transi sicut Moyses vt videas Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob, & videas visum magnum. Sed si videre vis, solue calceamentum pedum tuorum, solue omne vinculum iniquitatis, solue vincula saculi, relinque calceamentum quod terrenum est. Transi igitur, hoc est, fuge de terris, vbi malitia est, vbi auaritia. Ergo quia fugienda & declinanda sunt mala; mala autem & iniquitates in terris; fugiamus terrena, ne nos comprehendant iniquitates. Volebat fugere Dauid sicut passer; sed adhuc laqueus contritus non erat: Periit inquit fuga à me. Grauatas habebat pennas, & fortasse euolare non poterat, & ideo vt volaret, & requiesceret aiebat: Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam? Vbi enim volatus, ibi requies. Qui fugit saculum volat: Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Qui non potest vt aquila volare, volitet vt passer. Qui non potest ad calum, volitet ad montes.* Hactenus Ambrosius, callens insidias, quas incautis mundus nectit, & à quibus nemo planè sese valet nisi fugiens expedire.

Idem lib. de fuga saculi. c. 5.

Pulchra Ambrosij exhortatio ad fugiendum sæculum.

Fauet & meo intento Augustinus, explicans mundum non esse idoneum hominis incolatum; quia illic omnia sùsque dèque versa nihil nisi turbidum homini præstant, vnde eius animus inquies in mundo non amoris sed nauseæ capit multiplex argumentum. Sic ille: *Homo ciuis est Ierusalem, sed venditus sub peccato, factus est peregrinus, & de propagine eius natum est genus humanum, & implent terras captiuitas Sion. Captiuitas Iudaorum in Babylonia figura fuit captiuitatis, quam homines patiuntur in hoc mundo. Babylonia est mundus iste: Babylonia enim interpretatur confusio. Videte si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vana, quando cognouerint quod agunt, erubescent. Quare laborant? Cui laborant? Filiis meis, inquit. Et ipsi cui? Filiis suis. Et sibi nullus. Ab ista confusione iam conuersi erant, quibus dicit: Quam gloriam habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis. Confusio est ergo ista tota vita rerum humanarum, non pertinens ad Deum. In ista confusione, id est, in ista Babylonia, captiua tenetur Sion; sed conuertit Dominus captiuitatem Sion, & facti sumus sicut consolati.* Hactenus Augustinus, appositè significans mundum non esse locum consonum votis hominum, quos habendi libido lancinat, suggerens esse auri cumulos aggregandos.

August. in Psal. 125.

Mundi & Babylonis elegans & congrua comparatio.

Iam illam cupidinē congerendi opes esse interdictam, & damnatā edicto Dei, sufficienter probat versiculus ille, quem versamus: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Huic adiice Paulum affirmantem, omnia ferè mala esse surculos huius stipitis infausti. Sic ille: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hunc locum eruditè expendit Chrysostomus, enarrans ideo vetitum esse illud thesaurizandi studium, quia inde emergit noxia vitiorum omnium prosapia, imò fides ipsa sarta tectaque nequit coïre cum animo, qui se deuouit auro. Ita Chrysostomus: *Pulchrè Apostolus ait, quod aberrauerunt à fide: non enim sinit cupiditas iter aspicere, oculos in se attrahens, & sensim subducens: sicut enim cùm quis recto itinere gradiens, si in aliud aliquid intendat animum, pergit quidem, sed sæpe dum nescit, vrbem illam ad quam properabat pertransit; ita fermè in cupiditate contingit. Inseruerunt se doloribus multis. Spinarum, inquit, in morem: quacunque ex parte tangantur, cruentant, & vulnera infligunt. Fugiamus itaque malorum radicem, & omnia vitabimus: quid enim mali pecunia non faciunt; imò non pecunia quidem, sed mala voluntas? Cuius ergo mali, illa causa non sunt? Nonne harum gratiâ rapimus? nonne inimicitias subimus? nonne conserimus rixas? nonne contentiones perpetuas teximus? nonne inter*

Matth. 6.

1. Tim. 6.

Chrysost. hom. 17. in epist. 1. Tim. 6.

Pecunias cōgregandi studium innumeris ferè malis auarū hominē facit obnoxium, vt hic luculenter probat Chrysostomus.

parent

parentes & fratres senierunt? nonne iura naturæ, & præcepta Dei, & omnia prorsus violarunt, qui illarum tenentur desiderio? Tolle itaque pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt: conquieuit bellum, cessauit pugna, inimicitiæ in gratiam redeunt, sedatæ sunt contentiones omnes: oportebat huiusmodi veluti corruptores ac lupos toto orbe pelli vt communem Reipublicæ perniciem. Quemadmodum enim aduersi quidam ac furentes venti si in mare placidum irruant, ipsum funditus euertunt, adeò vt arena profundi supernis misceatur vndis, ita & pecuniæ cupidi omnia penitus miscent. Neminem qui huiusmodi est amicum nouit; quid autem amicum dicimus? ne ipsum quidem Deum scit, ea rabie detentus insanit: hi sunt qui peruerterunt atque perdiderunt omnia, pecuniarum concitati rabie, hæcque pestis omnia infecit. Sicut enim flamma vehemens, vbi in syluam incidit, peruertit omnia, & desolatur; ita ista orbem destruxit vniuersum. Reges, Principes, priuati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes hac lue detinentur. Quid ergo fieri oportet; vt huiusmodi extinguamus ardorem? Nostra voluntate destruitur: quod fiet si cogites quàm inanis sit & vana diuitiarum cupiditas. Denique non valet comitari ex vita abeuntes, & hic quoque nos sæpe dimittit: porro vulnera, quæ nobis infligit, nusquam deserunt nos. Si attendamus innumera his inesse pericula, metu entanraisque voluptatem, eamque tristibus sæpe permistam: si cogitemus nihil nobis prodesse illas, non ad gloriam, non ad sanitatem, non ad aliud quidquam, sed contra nos in interitum mergere pœnamque perpetuam.

Qua meditatione possit homo auerti ab auri cupidine noxia.

Igitur hæc malorum omnium ilias, sua incunabula emendicans ab immodico appetitu habendi facultates, satis indolem prodit auaritiæ, & distinctè clamat violari decreta Dei ab his qui fabricant gazas in hoc æuo. Vnum est residuum adstruendum ex Patribus, videlicet hanc esse seruitutem opibus impositam, vt liberali manu pauperibus debeant erogari, ac proinde noxias esse facultates, quas rubigo comedit asseruatas. Non erit ardui negotij probare hoc effatum ex suffragio Sanctorum Patrum; quia coïere omnes in eam sententiam, & vno velut arbitrio censuere, opes ideo concedi diuitibus, vt earum obsequio egenorum subleuent inopiam: alioquin eos damnauere veluti fures, aliorum bona propria deperdentes. Ita Chrysostomus: *Rapina est, pauperibus non impertiri de tuis facultatibus. Ac fortassis vobis mirum esse videtur quod dico: verum ne miremini; testimonium enim vobis ex diuinis Scripturis proferam. Itaque Dominus Iudæos accusans, per Prophetam dicit: Produxit terra prouentum suum, & non intulistis decimas, sed rapina pauperis est in domibus vestris. Quoniam, inquit, oblationes solitas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. Hoc autem dicit, declarans diuitibus, quòd res pauperum possident, etiamsi paternæ hæreditates obuenerint. Ne spolies victum pauperis. Qui spoliat, aliena tollit: propter hoc igitur discamus, quòd quoties eleemosynam non præstiterimus, pari cum his qui spoliant supplicio afficiemur. Heriles enim pecuniæ sunt, vndecumque eas collegerimus, & ideo tibi plura possidere concessit Deus, non vt in scortationes, temulentiam, ingluuiem, in vestes sumptuosas, aliámque mollitiem consumeres, sed vt ea distribueres egentibus. Quemadmodum enim receptor quispiam, qui regias pecunias accepit, si neglexerit his, quibus iussus est, distribuere, inque proprias consumpserit delicias, pœnas dat, ac perditur; ita sanè & diues receptor est pecuniarum, quæ pauperibus distribui debent. Parcamus igitur iis tanquam alienis, vt fiant nostra; quod erit, si pauperum manibus impertiuerimus.*

Chrysost. hom. 7. in Lucam.

Diuites res pauperum possident ideoq; fures sunt, si non stipem egenis erogent.

Nihil tam liquidiùs in eo argumento recenseri potest, vnde opibus imposita seruitus enitescat. Sed quia mens hominum prona in sui perniciem, excusationũ inuolucris suas sẽper obtegit noxas, inficians esse piacula suos actus, nisi vident eos aliqua sanctione coërceri, placet ex Iure Canonico depromere censuram, quæ configit iniquam auarorum indolem, vt inde ditiores eruditi resciant opes sibi non tam esse commodatas, quàm commendatas in subsidium egenorum. Accipe Canonem. *Sed ais: Quid iniustum est, si cùm aliena non inuadam, propria diligentius seruo? O impudens dictum! Propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris exisli, quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es? Proprium nemo dicat, quod est commune, quod plusquàm sufficeret, sumptum etiam violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuas vitæ subsidia? vt tu quidem esses affluens, & abundans; aliis verò deesset, & egerent? An idcirco magis, quia & tibi voluerit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu verò susceptis Dei muneribus, etsi in sinum tuum redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam iniustus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta suum non vsum sed abundantiam & delicias facit? neque enim minus criminis est habenti tollere, quàm cum possis, & abundes, indigentibus denegare. Esurientium est panis, quem tu detines; nudorum indumentum est quod tu recludis, & miserorum redemptio est & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare quod velis.* Sic decernit Ius illud Pontificium, damnans opes eo tantùm fine reconditas vt turgeant in crumena.

Ex Ivre Canonic. Can. Sicut. §. Sed ais. dist. 47.

Quare Deus aliquos homines voluerit abundare opibus, alios verò esse inopes.

SENSVS MORALIS.

Suspecta est omnis affluentia terrenarum opum.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex Re Medica, ex SS. Patribus, et ex Mathematica.

Accedit res Medica suspectum habens affluxũ humoris alicubi reconditi: odit namque natura sagax omnem humorum colluuiem; si restagnet tantùm in aliqua corporis plaga,

Ex re Medica. Egregia cõparatio hydropici, & auari.

Verbi gratiâ, humor aqueus, institutus vt bilis intepescat eius obsequio, si suo stillicidio peritonæi claustra duntaxat occupet, hypogastrium grauat, dum inferæ partes corporis intumescunt, & inde generatur hydrops, cui non aliunde succurritur quàm sectione facta infra vmbilicum, vt egerat aquas noxias, saluti iniurias, quia in locum incongruum confluxerunt. Ita congestæ opes ab auaro tumidum & superbum efficiunt, ac proinde salutem eius dubiam reddunt, si non ei consulitur apertione sacculi, in quem congessit opes, quæ defluere debuerant in pauperum sinum. Sic Hippocrates: *Τοὺς ὑδρωπιῶντας αὐτίκα τέμνειν. Hydropicos statim secare oportet.* Congrua sanè aquarum cum opibus comparatio. Nempe vt aquæ labentes deponunt fæces, & suo ingi fluxu salutares fiunt, vitium verò capiunt stabulantes; ita omnis opum vtilitas attenditur penes effluxum in manus pauperum, vbi velut in fornace nitent, & puritatis capiunt incrementum. At secus hominem in discrimen vocant, si eas sacculis includit: loculus namque tumens arguit imminere mortem ei, qui suo damno concludit opes, quas tamen Deus voluit erogari; in similitudinem escæ, quam etsi solus ventriculus absorbeat, facturus inde chylum; non ideo tantùm saginatur ipse, sed diffundit illam substantiam, & hepati hanc commendat, vbi rubet chylus, naturam sanguinis induens, quem hepar transmittit in omnes corporis oras indigas huius humoris, quo duntaxat alluente membra, corpora vegetantur. Vtinam eos se præstarent diuites in pauperes, quales se præbent principes in corpore partes erga alias mendicantes earum obsequia; rari tunc essent pauperum greges, qui iam velut agmine facto gregatim errant orbe toto.

Hippoc 6. epidem. part. 7.

Omnis opũ vtilitas petitur ab effluxu, & non in retentione.

Natura in corpore humano docet bona esse cõmunicanda egenis.

Ex SS. PATRIBVS.

Chrysost hom. 10. in epist. 1. ad Corinth.

Egregia cõparatio mundi huius cum corpore humano, vbi membra sibi mutuam præstant opem.

Accipe Chrysostomum mihi præcinentem hoc concentu: *Cibus corporis, membris communiter distributus, si in vnum membrum venerit, ab illo quoque alienus fit, cùm digeri nequeat, neque præbeat nutrimentum. Si autem cum aliis communicaueris, & illius & omnium proprius erit. Sic in pecuniis, si tu solus his frueris, etiam tu eas amittes; non enim earum fructum accipies, si cum aliis possederis, tunc longè magis tuæ erunt, tunc accipies vtilitatem. Nonne vides quod manus ministrat, os mandit, venter accipit? Nunquid venter dicit, postquam accepi, ego omnia mihi seruare debeo? Noli igitur & tu hoc de pecuniis dicere: accipientis namque est, vt in alios conferat. Quemadmodum igitur ventris vitio fit, vt cibi in eo desideant, neque digerantur in membra, siquidem toto corpore corrumpuntur; sic suo ipsorum vitio diuites quæ habent, si seruant, & se & alios perdunt. Oculus item totam lucem accipit, non tamen ob hoc in suum duntaxat vsum, sed totum illuminat corpus. Nares præterea odoris sensu mouentur, sed non solæ detinent, verum ad cerebrum mittunt, & stomachum in odoris partem admittunt, & totum ex se hominem recreant. Soli pedes ambulant, non tamen seipsos tantùm mouent, sed & vniuersum corpus. Sed & tu quæcumque habes, noli in tuum vsum recondere, quoniam totum corrumpis, & te primum. Neque solùm in membris id videre licet, sed & in artibus. Etenim si faber nulli tradere vellet artis suæ opera, & seipsum & reliquas artes euerteret. Dicat igitur pauper diuitem indigitans: Ille meam filiam nuptui tradidit, alius filium meum virum euadere fecit, alius verò calamitate me, alius periculis liberauit. Hæc autem aureis coronis præstantiora sunt verba, longè satius est hos propriæ benignitatis in ciuitate præcones habere, quam innumeros, qui te præcedant, satellites. Hæ voces suauiores sunt vocibus præconum præcedentium Principes, cùm scilicet, & saluator, & benefcus, & patronus, quæ Dei nomina sunt, appellaris; non cupidus, non insatiabilis, non superbus, non pusilli animi. Et si in hac vita hæc verba adeò clarum hominem reddunt; cùm in cælo scribentur, & Deus ea in venturum diem prædicet, intelligas velim quanta frueris gloria.*

Ita sanè gloriam comparant opes communicatæ, quæ defossæ ignominiam adferunt, & suos possessores ad tartara protrudunt, iuxta opportunam Matheseos obseruantiam. Garrula hæc disciplina siderum inspectrix, inuestigans quid significent duodecim cæli sectiones, quas domos vocat, ait quartam domum esse locum thesaurorum. Nempe ex ea cæli plaga nugaces Astrologi delirare solent, dum fabulantur ex genesi hominis, malè ei ominantes, si sidere infausto fuerit hæc obsessa domus, & secus ominantes thesauros prædiuites manere puerum, qui editus est Ioue decurrente quartam illam domum, quam nuncupant thesaurorum. Nota illam cæli partem ex diametro opponi puncto verticali cæli, ac proinde esse infra terram, ex aduerso sectionis illius cælestis, quam Astrologi vocant decimam domum, seu domum gloriæ atque dignitatum. Vnde licet ex vanis illis, vera conicere pertinentia ad mores; videlicet illos, qui in terram defodiunt suum omne penu, agere vitam ingloriam, aut saltem acturos in æternum æuum expers gloriæ & honoris, quia reuera domus horum diuitum est opposita cælo, vtpote sita in fodinis. Hanc Mathematici domum thesaurorum vocant imum cæli; sed diuitum domus est imum terræ, scilicet infernus, ad quem properant exenterando terram, quam defodiendo permeant, veluti peruiam facturi, vt faciliori negotio ad tartara deuoluantur. Gestiat ergo diues quantumcumque volet, & incubet auro ad arbitrium suum, thesauro opimo gaudens: non equidem inuideo, sed ingemo magis homini pereunti, qui iam medium viæ huius confecit, quæ animas deponit ad inferos, quibus contermini sunt carceres imi, qui concludunt gazas lumini Solis inuias, vt in imo terræ viscere constitutas.

Ex MATHEMATICA.

Ptolemæus lib. 3. de iud. cap. 12. 13.

Moralis obseruatio contra auaros petita ex Astrologia.

Egregiè in eo argumento lusit Chrysologus, huc ideo reuocandus. *Aurum natura graue, grauius fit auaritia. Hinc est quòd plus habentem deprimit quàm ferentem, & vehementius aggrauat corda quàm corpora. Nascitur in terra profunda, scrutatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurris anfractibus, & dum suam semper repetat ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper: alta mentium semper in terrena demergit. Aurum erogare bonum, reponere malum, contemnere validum, fugere perfectum, quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis est euasisse. Auri furor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendiis, & acrius homines dissoluit in terra, quàm soluitur in calore flammarum. Crudelitatis Dominus, sæuus hostis, amando lædit, nudat vitando, ipsum etiam capriuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes,* imperat

Ex SS. PATRIBVS.

Chrysolog. serm. 29.

Elegans Chrysologi declamatio contra aurũ.

imperat latrocinium. Et quid plura? Hoc est, quod Apostolus dixit: Radix omnium malorum est auaritia. Hoc suo tersiore eloquio Chrysologus insinuat, illam thesaurizantis domum esse sentinam vitiorum, in quam omnia penè mala confluunt.

SENSVS MORALIS.

Plus nimio concupita opes huius sæculi, dubiam faciunt æternam salutem.

In hæc verba:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Historia, et Antiqvitate plvrivm nationvm.

Egregio figmento Gentilis Theologia ostendit opes deponere homines in infernum.

EGregio sanè commento veteres ostenderunt quanta sit opum pernicies: nimirum dixere totam rerum congeriem cessisse in ius trium fratrum, scilicet Iouis, Neptuni, & Plutonis, quorum Iupiter cælum suum fecit: Neptunus verò aquis delectatus, eas fecit sui iuris. Tertius demum, Pluto, penes quem erat omne pondus auri, quod terra suo sinu opaco concludit, relegatus est ad inferos, vbi gemit infelix turma diuitum, quam recenset Poëta cum aliis iniquam expertis sortem. Sic ille inferni recolit indigenas.

Virgil. 6. Æneid.

Hic quibus inuisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitiis soli incubuere repertis
Nec partē posuere suis: quæ maxima turba est.
Inclusi pœnam expectant.

Itaque Gentilis illa Theologia damnationis opes credidit argumentum. Mitius agit cum diuite fides Christiana suadens congruum opum vsum, à quo qui abhorret, & hoc sibi indicit, vt opes deperdat, ille malè sibi cōsulit, nec est procul ab inferis, animo namque suo sedes auri attingit, dehiscens in ima terræ ad viciniam inferorum; illic enim degunt gazæ in confinio tartarorum.

Ex Historia. Cedrenus in vita Anastasij Imperat. Auri fodinæ accedunt ad locum inferorum, ideoque vt plurimum illa antra diabolis infestantur vt luculenta historia patet.

Quòd autem dixi, fodinas auri conterminas inferis, non est procul à veritate, cui etiam historia suum præbet obsequium: nemo namque nescit multos thesauros habere dæmones in custodes. In his celebratur à Cedreno thesaurus insignis in castro nomine Tzudader. Fuit ille locus in confinio Persarum, & Indorum, infamis dæmonum spectris, quibus illud vnum erat pensum impositum, vt magnam vim auri illic abditam asseruarent. Rei fama accensus Cabades Rex, se accinxit ad occupandam arcem illam, celebri thesauro præditam: sed dum tentat oppugnare castrum, valida dæmonum manu prosternitur, & agnoscit inermes esse homines cum diabolo compositos. Hac repulsa tamen nihilo segnior factus, desiderium suum acuit, omnemque curam adhibuit, vt magorum præstigiis fieret dæmon propitius intento suo. Hæc item irrita fuere conamina, maleficis hominibus diabolo præualente. Anxium ideoque Regem Christianus quidam aggreditur, & benè suada oratione monet, vt consulat Christum, ei dando manus, & sacros Præsules aduocando. Annuit Rex, & totum hoc negotium penes orthodoxos reponit. Antistes conuocato modico suo grege, peractis mysteriis, rectà ad locum diabolis addictum pergit, & ritibus indictis ab Ecclesia compellat ad fugam hanc cateruam spirituum immundorum, locumque purgatum tradit Cabadæ, qui ingentibus quidem opibus potitus est, sed non dedit nomen suum fidei; suo exemplo probans non coïre Christum & thesauros, sed potius eosdem dæmones, qui antea excubabant ad auri custodiam, fuisse secutos opes, & nouum possessorem tenuisse aureis vinculis irretitum. Præmisso auri repurgio cessit ille locus Christianis, & inde abscessit dæmon, non covtens fidelium inopiæ: sed ne quid detrimenti pateretur Angelus ille nequam, diuertit apud Regem, obstans ne initiaretur sacris fidei mysteriis.

Magna cupido auri in Rege Cabade.

Opes obstant ne diuites vt par est Christo obsequātur, vt hæc probat historia.

Saxo l. 2.

Fortè etiam dæmon fuit ille draco immanis, quem meminit Saxo commemorans Frothonem Regem Danorum, quem cùm sortilegus homo vidisset anxium ob rei familiaris inopiam, quâ vrgente, & negante stipendia militibus, defluebat exercitus. Perditus ille diabolis assuetus Regem solum traiecit in insulam, vbi draco procerus defossis opibus incubabat. Captata draconis transmigratione Rex thesaurum insignem aliò transtulit.

Ex Antiqvitate. Ioseph. lib. 7. antiq. Iudaic. cap. 12.

Priscæ omnes Gentes suspicatæ Manes seu spiritus errantes in antris & altis specubus habere aliquod dominium in thesauros, defoderunt graues auri sacculos in sepulchra. Fuit ille mos vsurpatus ab Hebræis, Græcis, & Romanis, vnde & ad alias orbis oras ritus ille effluxit. In Iudaïca antiquitate Iosephus apprimè eruditus ait Salomonem in sepulchro Dauidis abdidisse ingens auri pondus, quod sartum tectumque ad Herodis æuum transmissum est, insciis ferè omnibus hominibus: non enim diruta sæpe ciuitate à Chaldæis thesaurus ille effugisset scrutantium manus omnia deprædantes.

Strabo l. 8.

Fuisse & hoc familiare institutum Græcis liquet ex Strabone, referente Corinthiorum vrbem euersam à Mummio inclinasse Cæsarem ad reparandas vrbis olim inclytæ ruinas obsoletas. Cùm autem missa illuc colonia à Cæsare, Romani è sepulchris educerent lapides idoneos ad structuram ædium, ait præfatus auctor eos incidisse in thesauros demortuis etiam hominibus consepultos. Vnde Roma ditior effecta debuit defunctis gratiam incrementi suarum omnium facultatum. Iidem etiam Romani non abhorruere ab illo prælibato more: siquidem Honorio Imperatore Maria & Thermantia filiæ Stilichonis extinctæ adeò celebri pompa tumulatæ sunt, vt post mille annos eorum sepulchro reserato sub Paulo III. ingens auri & gemmarum copia illic inuenta sit, indubio argumento viguisse etiam Romæ praxim illam aurum tumulo committendi.

Aurum olim sepulchris commissum.

Sempsitur in Historia. Maleficium auri probatur ritu antiquo. Liuius 4. Decad. l. 9. Olim thesauri in carcere reconditi, & quare.

Maleficam auri indolem melius ostenderunt Messenij, qui publicum ærarium assignabant & defodiebant in altam specum reorum carceri dedicatam. Erat ille locus ad æternas tenebras condemnatus, & præter caliginem, qua nigricabant omnia inibi recondita, illud ergastulum erat adeò austerum, vt suos omnes reos illico deuoraret, teste Philopœmene duce illic extincto. Congruus sanè fuit ille locus carceri, & thesauris: omnes namque reos arbitror, qui suas concludunt opes, inutiles sic futuras dominis suis, qui nihil inde commodi percipiunt, imò semper anxij ne prædones immineant, miserè contorquentur.

SENSVS MORALIS.

Vbi & quomodo perennare queant thesauri.

In hæc verba:

Thesaurizate vobis thesauros in cælo.

ALTERA PARS SECTIONIS.

ARTICVLVS QVINTVS.

EX THEOLOGIA, ET ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Omnes beatitudinem aliquam appetunt.

APpetitu innato percellimur omnes ad benè beatéque viuendum: nemini namque natura adeò nouercata est, vt allegari quispiam possit incurius beati alicuius status, cùm ipsi etiam nefarij homines, qui consciscunt sibi mortem, beatitudinis suæ summam reponant penes supremum illud fatum. Sed esto vrgeantur homines ad beatitudinem sibi comparandam; hallucinantur tamen in beatitudinis indagine, dum suam omnem operam collocant, vt in hoc sæculo adipiscantur sortem omnium bonorum aggregatione perfectam. Huius humanæ caliginis index præcipuus est cupido insana congerendi opes in cumulos, vt inde thesauri assurgant, quos auara hominum indoles arbitratur esse bonorum omnium compendium. Illa mortalium vesania duplici telo confixa est priori parte istius sectionis, vbi ostendi mundum esse locum incongruum ad perpetua & solida bona concludenda; & præterea hæc omnia, quorum congerie coalescunt locupletiores gazæ, esse infra hominem, quem ideo haudquaquam perficiunt, at secus in miseriarum barathrum deiiciunt, animasque faciunt consortes dæmonum, quos fama est opibus incubare. Si ergo dedecet hoc sæculum constitutio veri huius thesauri: & rursus si thesaurus animæ dedignatur ingens auri pondus; duo sunt inuestiganda sedulo, ne oleum & operam perdat homo sollicitus de thesauro fabricando. Primùm operæpretium est assignare locum idoneum coaceruandis opibus, ne congestæ pateant insidiis æmulorum. Alterum est, inuigilare rebus, quæ sunt comparandæ, vt iis adeptis turgeat hic thesaurus.

Quibus præcipuè argumentis damnetur insana cupido congerédi opes.

Cælum solum est locus idoneus ad thesauros congregandos.

Hoc igitur esto primum & salutare consilium. Cælum duntaxat est locus consonus animæ intento, si tutò thesaurizare velit; siquidem frustra quispiam accumulat opes futuras vsui, nisi has recondat habiturus ad manum quando necessitas ingruerit: alioquin si collectas opes omnibus exporrigit, aut malè collocat, profectò homo imprudens furibus & tineæ collaborat. Nomine cæli intelligo futurum sæculum illud interminum, ita vt thesaurizare in cælo, sit Deo opitulante, suam salutem æternam adstruere. Sic autem meum stabilitur effatum: Ideo tantùm thesauris intendit homo, vt nullis planè rebus indigeat; ea namque creditur inesse facultas opibus, vt omnem tergant inopiam: sed nullus est in sæculo isto thesaurus, qui hominem sartum tectumque beare queat; beatitudo enim hominis est perfectio eius: at hæc perfectio sita in vnione animæ cum Deo apprehenso in gloria, negatur huic sæculo, vbi est status viatorum: Ergo ad aliud sæculum vbi sunt comprehensores est votis omnibus anhelandum. Rursus hoc æuum comparatum sæculo instanti habet se vt via ad terminum: sed nemo defodit in via thesaurum suum, quia inde breui debet excedere: Ergo omnis cura solers adhibenda est, vt in alterius vitæ commoda collimemus, nihil quippe nutat in termino, sed stat intrepidum omne nactum congruum sibi finem. Itaque opportunus consultor hominibus adfuit Christus, ista suasione quam expendo. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Nimirum ad rationem thesauri requiritur, vt sufficiat ad leuandam omnem inopiam: Ergo cùm homo in æternum victurus sit in alio sæculo, eligendus fuit locus homini coæternus; scilicet cælum, seu vita illa beata, ad quam comparandam nos Dominus adhortatur.

Quid sit thesaurizare in cælo.

EX THEOLOGIA. Thom. 1. 2. q. 3. art. 2.

Quare in cælo tantùm debeat homo thesaurizare.

Quare terra sit locus incongruus ad cumulandas opes.

De eligendo loco tutissimo ad reponendas opes, ditiores quique homines adeò solliciti sunt, vt præcipua eorum cura sit in delectu loci aliis hominibus inuij; & sæpe ita importuna est illa anxietas, de ergastulo idoneo ad concludendas opes, vt earum solamen adimat homini. Non hanc sollicitudinem damno; sed eam volo rebus superis adaptari. Ita vt omnia hominum vota coëant ad conquirendum locum aptum animæ ditandæ bonis æternis. Ille autem locus aptissimus huic intento cælum est, vtpote positum extra furum nisus, & tineæ iniurias. Quidquid hominem hic delectat, nequit esse diuturnum, cùm non stent tempora quæ labuntur. Æmulemur itaque indolem priscarum Gentium, quæ suam omnem industriam collocabant, vt securè reconderent opes, importuno labore partas; ne si forent incuriæ, viderentur aliis & non sibi perperam insudasse.

Varij situs plurium nationum, conquirendi loca tuta ad reponendos thesauros suos.

EX ANTIQVITATE. Strabo l. 7. Statius lib. 3. Syluar. Syl. 2.

Vt ergo suas opes illibatas conderet antiquitas, eas extulit in loca inaccessa, vt ex Strabone fecit Lysimachus, vsus eo fine Cetirizi promontorio, cuius aditus arduus omnibus ademit huius auri cupidinem. Alij Reges arces condidere munitissimas eo intento, vt Babylonij in Zeugma vrbe præualida, iuxta flumen Euphratem, vbi asseruabantur opes Regum Chaldæorum, ex Statio sic canente:

Antiqua Babylonis opes, & Zeugma Latinæ
Pacis iter.

Ad hoc tutissimas arces Babyrsam & Olonam Rex Tigranes adaptauit, perennes fore ratus opes suas, si non posset earum oppidum oppugnari. Harum munitionum meminit Strabo, vt & Plutarchus castri Ineræ, vbi reconditæ iacebant opes Mithridatis. Rex Macedonum Perseus Peltæ arcem suo ærario deuouerat, vt auctor est Liuius: alij verò Macedones in oppido Quinta iuxta Tarsum habebant gazas suas, si veridicus est Strabo. Lacedæmonij suspectas habuerunt arces, veriti ne hominum industria falleret artem & munitiones omnes, ideoque palàm noluere opes congerere, nec vllum ærarium publicis opibus assignare. Hæc Plutarchus. Cautiores fuere Athenienses, & Romani, locum deligentes sacrum ærario suo, non secuti exempla aliorum Principum, quos memini, quibus adiice Assyrios, qui vrbem Susam caput regni fecere custodiam opum regiarum, vt scribit Herodotus. Romanos non perculit exemplum populi conterмini, scilicet Syracusani, qui suas facultates præcipuas deferebat in Labdalum promontorium Epipolæorum

Strabo l. 11. Plutarc. in Pompeio.

Liuius 5. Decad. l. 4. Strabo l. 14.

Plutarc. in Lycurgo.

Herodot. l. 5. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 2.

Epipolæorum iuxta Syracusas; vt nec Græcos mouit facinus Cambysis Regis Persarum, qui Gazam Palæstinæ vrbem suo deuouit ærario, adeò opibus fœto, ex Pomponio Mela, vt inde postea thesauri omnes fuerint Gazæ nomine nuncupati, sicut Hieronymus, Isidorus, & Seruius aduerterunt.

Pomp. Mela. lib. 1. c. 11. *Hieron. in Isaiam c. 39.* *Isid. lib. 16. Etym. cap. 9.* *Seruius in l. 1. Æneid.*

Græci inquam & Romani speculantes loca etiam prævalida cessisse in ius hostium fortiorum, credidere homines etiam nefarios reueriturus ædes sacras, quibus præcipuas facultates ideo commendarunt: fortè ducti exemplo Hebræorum, qui templi penitiorem sinum fecere ærarium suum, cuius sese Deus ipse præstitit vindicem & vltorem, sicut suo damno expertus est Heliodorus, vbi accinxit se ad hoc sanctum ærarium expilandum. Quippe homo ille sacrilegus, iamiam manus impias explicans ad prædandum, vix penè subierat intima septa templi, cuius prædam animo conceperat, cùm illico luit pœnas sceleris exantlati. Rei gestæ fama increbrescens Græcis ansam dedit transmittendi opes suas in Delphicum templum, agnitum Gentibus orbe toto dispersis. Ea veneratione fuisse opes inibi reconditas ait Diodorus Siculus, vt fuerint illic multis sæculis illibatæ. Locupletis huius ædis meminit etiam Probus Æmylius. Roma Græciæ simia inde suum ritum hausit, quando Valerius Publicola ædem Saturno sacram struxit in loco munitissimo, & abrupto, vt ibi publicum decerneret ærarium, si fas est credere Macrobio, cui adstipulatur P. Victor, dicens illud templum fuisse in faucibus Capitolij, vnde Varro & Iustinus aiunt locum illum fuisse nuncupatum montem Saturnium. Eadem Religione in templo pacis ipsi Romani rerum domini magnam vim auri habuere repositam, Herodiano teste.

2. Machab. cap 3. *Diodor. Sicul. lib. 11.* *Prob. Æmyl. in Aristide.* *Macrob. l. 1. Saturn. c. 8.* *Varro lib. 4. ling. Latin.* *Iustin. l. 43.* *Herodian. 1.*

Licet in mollitiem omnem fracti fuerint Lydi seruientes abdomini, vtpote vilia mancipia Bacchi, & Veneris; tamen subodorati in templis abditam deitatem, credidere thesauros in tuto esse intra septa templi. Eamobrem Crœsus Lydorum Rex dedignatus arces, quas multas habebat, easque munitissimas, templum quod erat in Brachidis gazas suas fecit, sola vsus Dei custodia, cuius erant partes opibus incubare. Huius facinoris testem consule Herodotum.

Herodot. l. 5. Thesauri olim in templo reconditi.

Horum omnium Regum industriam superauit astus Decebali Regis Dacorum, qui aliò deduxit aquas fluuij Sergetiæ, & conductis secreto operariis, eis indixit arcanum ergastulum compositum ex probato lapide cæmento adiecto, vt opes illic occlusæ non maderent aqua superinducta gazis. Opere consummato, cuius alij omnes erant inscij, Sergetiam in alueum suum quasi postliminio reuocauit, arbitratus suas facultates esse inibi tutissimas: ne autem operarij conscij arcani huius proderent locum illum, eos omnes tulit è medio, vno tantùm amico Bicili suorum compote secretorum. Sed vt in volubili rota nihil omnino sibi constare potest; ita & in hoc rerum vniuerso, vbi in gyrum aguntur omnia, Decebalus sua spe tota excidit; nam victus à Traiano, ne in victoris potestatem deueniret, acturus præcipuam triumphi partem mortem sibi consciuit, qua rescita, Bicilis, qui fuerat illi à secretis, arcanum Traiano aperuit, qui siccato Sergetiæ alueo detexit opes illic Barbari Regis astu reconditas.

Industria Decebali Regis ad opes recondendas. EX HISTORIA. *Dionys. in vita Traiani.*

SENSVS MORALIS.

Opportunè thesaurizat qui virtutes congregat, & præcipuè charitatem.

In hæc verba:

Thesaurizate vobis thesauros in cælo.

ARTICVLVS SEXTVS.

EX SANCTIS PATRIBVS, ET PHILOSOPHIA.

EX præfatis videre est non perennare gazas, quauis industria conquisitas, quia nec mundus ipse sibi concolor esse potest, ideoque discolorem suam indolem rebus omnibus affricat, quæ proinde labant iuxta mundi labilis ingenium. Alias igitur arces, alia templa exploremus, quibus animæ census omnes & lucra tuto confidamus. Morem vltro geramus Christo suadenti vt thesaurizemus nobis thesauros in cælo, vbi fures non effodiunt. Quid autem sit thesaurizare in cælo thesauros, accipe: De ratione thesauri est, vt coalescat auro probato & sincero, & nummis signatis icone Principis; alioquin spurio ære & adulterata moneta constantes gazæ inutiles erunt, suumque possessorem intento frustrabunt, & æterna mulctabunt inopia, quia sibi sicuti par erat minimè consuluit, cautè congerendo nummos ingenuos commercij vsitati. Ita quisquis hoc animo suo versat vt ærarium locuples in cælo paret, hoc prius obseruet, scilicet cauendum esse ab ære improbo, & vitiatis nummis, ne reiectanea moneta hominem faciat impotem commercij, quo gloriam æternam anima nundinatur. Thesauris maximè idonei sunt nummi, quos duplicones vocant, Gallicè *doublons*. Charitas instar Iani biceps est, & duplionem appositè refert. Dei & proximi amore homines inaurando. Citra hanc virtutem ditiores quique homines egeni sunt, quamuis auro graues sint, & gemmulis irradient, oculis illudentes. Huius probæ monetæ indigi homines, inopes sunt ante Deum etsi sæculo locupletes appareant, ipso etiam Domino assertore, qui ita inuehitur in hominem, cuius charitas intepuit. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo; quia dicis: Quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* Cæsarius, Primasius, & Rupertus hoc aurum charitatem nuncupant; & Gregorius in Scripturis ait aurum pro charitate etiam aliàs vsurpari. Sic ille: *Auri nomine charitas intimatur, sicut Angelum, quem sibi loqui Ioannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit, quia nimirum supernorum ciuium pectora, dum pœnali iam nequaquam timori subiecta sunt, atque à se vicissim nulla sessione soluuntur, ex sola se charitate constringunt. Zonam verò auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius iam amoris vincula restringere.* Hæc ille.

Nulli thesauri tuti possunt esse in hoc sæculo. Qua cautione debeat vti anima vt veros sibi thesauros in cælo paret. Charitas est præcipua moneta, qua exurgunt thesauri cælestes. *Apoc. 3.* Ex SS. PATRIBVS. *Cæsarius, Prima. Rup. in c. 3. Apoc. Greg. lib. 34. Moral. c. 13.*

Charitatis & auri congrua est comparatio & quare.

Ratio autem quare aurum typus est charitatis petitur à valore auri, quod in se alias omnes merces continet eminenter. Ita & charitas virtutum omnium radix est, & scaturigo, & propriè dicta virtus supernæ Ierusalem, ad quam sunt nostræ diuitiæ transmittendæ. Accipe Augustinum in meam euntem sententiam. *Ponite corda vestra in virtute eius. Ponite corda, non vt habeatis formam pietatis, virtutemque eius abnegetis, sed in virtute eius ponite corda vestra. Quæ est virtus ciuitatis huius? Qui intelligere vult virtutem ciuitatis huius, intelligat vim charitatis.* Illa sanè est virtus præcipua, quæ cæteris præambula, eas Deo sistit, alioquin foras amandandas vt improbos nummos haudquaquam cæli ærario concludendos. Demum ea est virtutum summa, & cuius tantùm obsequio cætera præclarè facta nos diuinis dignantur obtutibus. Ita Hieronymus. *Attendite quòd sine præcepto charitatis non ingreditur quisquam ad Deum videndum, propter hoc Apostolus Paulus non gloriatur in linguis Angelorum, & hominum, non in cognitione mysteriorum Dei, non in spiritu prophetiæ, non in asperitatibus carnis, non etiam in eleemosynarum operibus, quamquam ad omnia pietas valeat, dummodo charitas non desit. Hæc itaque sola reddit hominem Deo viuentem, hæc religiosos, hæc monachos facit, sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt dæmones, cum hac verò sunt Paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli. Vnde, mihi dilecta filia, licet longa vos macerent ieiunia, abiecta vestis & nigra deformet, longa officiorum & operum texatur series, si intus desit charitas, ad infimum religionis gradum nondum peruentum est. Propterea hinc incipiendum est iter ad Apostolicæ perfectionis apicem. Si verò relatiua est charitas, & ad vnum, non potest dilectio fraterna dici. Idcirco necesse est vt plures sint, qui mutuo se ex charitate diligant, vt dicatur iuxta Prophetam, Bonum & iucundum esse habitare fratres in vnum, quod satis approbat sapientia dicens: Frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Et iterum: Si fuerint duo simul, fouebunt se mutuò, sed si vnum gradiatur, & cadat, væ soli, quoniam subleuantem non habet. Si fratres, & sorores simul in vnum non habitent, non iam bonum, sed malum est. Nihil bonum diuisum, omne enim secundùm Philosophos in tantùm habet bonitatis, in quantum vnitatis: propterea in exordio mundi vidit Deus, quòd cuncta quæ fecerat simul erant valde bona. Idcirco, charissimæ, in Apostolica vita vobis de sæculo adunatis, per corpora sit cor vnum, & anima vna in Domino, velut de Apostolis, & Apostolicis viris, in eorum actibus legitur: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Domino. Et ferè infelices sunt, quibus non inest vna sed diuersa voluntas.* Hoc discursu Hieronymus encomia charitatis direxit ad Paulam & Eustochium degentes in monasterio, præmonens eas, ne ita aliis operibus incumberent, vt charitatis oblitæ, hanc virtutum omnium principem abiicere viderentur.

August. in Psalm. 47. Charitas est virtutũ omnium præcipua.

Hieron. in regula Monachor. ad Paulam & Eustoch.

Elegans oratio facta in gratiam charitatis, cuius miros effectus enũtiat.

Charitatis cum vnitate consortium.

Charitas in cælo primas tenet.

Hoc itaque animo insideat, charitatem in thesauro cæli primas occupare, nihilque gazis illis cæli adiici, cui non sit inusta medullitus tessera charitatis. Inde infero, inter opera charitatis, eleemosynam esse quàm maximè aptam, vt velut legitima moneta thesauris superis inseratur. Ratio peti potest ex ipsis Philosophiæ fontibus, libris videlicet Aristotelis, cuius hoc est axioma: *Tale additum tali, facit ipsum magis tale.* Vnde sic arguo: Opera congrua thesauris cælestibus sunt ea, quæ subolent charitatem. Sed eleemosyna Dei intuitu erogata egenis, maximè spirat charitatem. Nempe charitas adæquata Deum & proximum amplexatur. Ergo cùm eleemosyna Deo tantùm placitura, proximorum etiam tergat angustias, multum conducet ad ampliandos hos thesauros, quos quisque debet satagere vt adstruat in supernis. Fortè eò aspexit Christus commemorans opes huius sæculi, quas damnauit defossas in terra, laudauit verò communicatas egenis; ea effusione dicens aptas cæli gazis, dum suasit vt faceremus nobis amicos ex mammona iniquitatis, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Ad eumdem etiam scopum dirigitur ille versus, quem voluto. Nimirum idem Dominus vetans defodi in terra opes, & præcipiens eas in cælum traiicere, moraliter hoc ingessit, vt egenis vteremur ad opes in cælum traiectitio velut fœnore transmittendas. Ea namque virtus inest manibus pauperum, vt quod de Myda nugantur fabulæ, præstent in gratiam diuitum, quibus in lucrum cedit illud omne, quod pauper attrectat. Eamobrem Patres consuluere diuitibus, vt, si in vtroque velint ditari sæculo, conducant pauperes, illis suas auri sarcinas imponentes.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 3. Topicor. c. 4.*

Optimè sibi consulunt illi, qui eleemosynæ suffragio suas opes in cæli traiiciunt, vt illic thesaurizent.

Ex SS. Patribus. *Chrysolog. serm. 25.*

Audiendus in hoc themate Chrysologus ita fatus: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Si victuros vos, si regnaturos, si vos iam diuites esse creditis in supernis, vbi futuri, quo migraturi, vbi regnaturi estis: vos illa quæ vestra sunt iam præcedant: opes miseras misericordia computate: quæ humana sunt in diuina conuertite. Et ne cui forsitan deesset euectio ad portanda illa quæ dimittitis, angariatus est pauper: ferunt pauperes onera nostra, & volentes ferunt; quia non tali deprimuntur pondere, sed leuantur. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, vbi fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Videtis quia pater ille ditare vult filios, non nudare. Nouo modo, imò cælesti modo, qui hunc audit vendendo comparat, recondit erogando; dum amittit, acquirit. Quàm cupit pecuniam perdurare, perpetuare sacculos diuitiarum, condita permanere, qui dicit: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt. Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quò te pertrahit amor tuorum? vt auarum lucri facias, facis eum quod desiderat, non quod oportet audire: sacculos imperas: æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari, vt auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Si & in cælo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur. Domine tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit auaris: & ideo imputribiles in cælo sacculos vis parari, vt qui te non sequitur ad cælum, sequatur saltem sacculos suos. Auare fac tibi sacculos, & fac iubente Deo: quia votis tuis annuit diuina maiestas. Sed fac tibi sacculos, erogando: quia quidquid pauper acceperit, pater cælestis suscipit. Et vbi recondit? in cælo. Et ne fortè te perdidisse doleas vel vsuram, centuplum in cælesti fœnore recipies,*

Mira parænesis Chrysologi in gratiã eleemosynæ.

Benè thesaurizat qui pauperũ manu vtitur ad opes in cælum transmittendas.

quidquid

quidquid in cælo paupere transmiseris perferente. Vsura mundi centum ad vnum; Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti? Quare? Nonne homo homini, exigua chartula obligatione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dicis: Esto quod debeat, quo exigente restitues? seipso, quia non potest ille mentiri: idem ipse est & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo quod tibi Deus dedit: maiora reddere vult, cum vult debere largitor. Hæc ille, suum suaue melos insonans, vt demulceat aures asperas precibus egenorum.

Eleemosyna Deum obligat homini eroganti stipem egeno.

SENSVS MORALIS.

Opes effusæ in manus pauperum thesauros in cælo componunt, & secus coacervatæ in terra dispereunt.

In hæc verba:

Thesaurizate vobis thesauros in cælo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Ex Historia, Symbolis, et Sanctis Patribvs.

Ex Historia. *Sabellic. lib. 5. Ænneadis 8.*

IN ea Deo fœnerandi disciplina apprimè fuit eruditus Imperator Tiberius ille Christianus, alius planè ab eo, quem inglorium priscæ referunt historiæ. Tiberius inquam ille Christianus rerum potiens adeò profusus erat in pauperes, vt affluentes opes, ab eo iugi elapsu refluerent in egenos; nec tamen inde pauperior in vllum vnquam inopiæ discrimen venit, Deo etiam in hoc sæculo mutuas gratiarum rependente vices: quò namque liberalior erat in pauperes, eò etiam ditior euadebat. Vt autem prospera mundi aura afflans suspicionem facit salutis ancipitis, timuit Imperator Deum suas eleemosynas velle rerum omnium affluxu in hoc sæculo compensare. Idcirco pius ille Princeps nullum daturus locum auaritiæ, suum exhausit ærarium in gratiam pauperum, ne in mercedem sanctiorum operum gazis optimis vteretur. Sed vt Deus sua bonitate pietati hominum præit, noluit esse indonatum illud Tiberij fabinus egregium. Eo siquidem introëunte templum, crux substrato marmori insculpta perculit animum eius, qui suspicatus irreuerentiam, si non illico præciperet tolli crucem, zelum suum acuit, & lapidem eadem mora iussit ex loco cruci iniurio reponi in altiorem gradum. Eruto marmore occurrit alter lapis, etiam cruce insignitus, quo sublato plures alij sibi succedentes eodem crucis charactere illustres elati sunt. In eo verò terræ hiatu repertus est ingens thesaurus, quo Deus Imperatori exoluit fœnus largioris huius stipis antea miseris erogatæ. Noluit Princeps abdere pecunias illas suo conclusas ærario, sed publicas fecit, conuocans inopes, & pressos ære alieno, vt omnium hominum egestati consuleret.

Locuples historia Tiberij Imperatoris Christiani pauperum amantissimi.

Eleemosyna neminè pauperiorem fecit vnquam.

O vtinam huius Principis animos ebiberent omnes, quibus est in votis ditescere: sanè non insomnes agerent noctes, anxij quanam industria rei familiaris incrementa promouere queant. Hoc itaque meminerint ditiores quique, illud præcipuum esse opum compendium, scilicet vt miseris erogentur. Quippe Deus toti cumulo propitius est, si partem diues pauperi communicat, ita morem gerens Deo, à quo bona hæc omnia iugiter influunt. Præterea in ratione cælestis ærarij censebitur quidquid homo locuples in hoc æuo fuerit pauperi fœneratus. Illis ferè artibus ad rerum apicem euectus est Vrbanus VIII. quo hodie Ecclesiam moderante viuimus. Is olim Cardinalis Maphæus Barbarinus, eo animo liberali fuit, vt sua omnia communia faceret, summè exosus ingenium illorum hominum, qui draconum instar vigiles agunt excubias ad thesauros, ne quis fiat eorum particeps. Ferrus, homo symbolorum collector industrius, speculans in eo Cardinali animum beneficum, & exosum opes absconditas, auguratus est ei summas infulas, arbitratus hominem sibi parcum, vt omnia fieret omnibus esse dignissimum summo Pontificatu, cuius etiam fuit omen veridicum, illud symbolum, quod sibi assumpserat ille beneficus Cardinalis, pingere solitus aquas Nili fluminis, cui ea virtus indita est, vt sua illuuione fœcundet oras omnes quas alluit. Fluuio illi hanc imponebat epigraphen, INVNDATIONE FERAX. Quasi diceret: Quid meam miramini liberalem indolem? Illa mihi non est ingloria, hoc habeo quodcunque dedi. Qui mea bona participant, iidem me fœcundant, nec vlla est bonorum gratia, nisi illa quam conciliat eis anima liberalis. Itaque nolite imponere modum meis influxibus, cùm mihi magis sint quàm aliis proficui. Demum hoc mihi concedite, vt sim INVNDATIONE FERAX. Quantum profecerit ille Cardinalis dedignatus auaros hominum ritus, testis est ille apex, quo eminet aliis omnibus hominibus, electus in summum Pontificem.

Vrban. VIII. sẽper abhorruit ab opibus in hoc sæculo congregandis.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferr. part. 2. Theatri symbolor.*

Vrbani VIII. quod fuerit aliàs symbolum præsagiẽs illi summum Pontificatum.

Quid ergo, ó auare, gratis accumulas tibi angustias, dum congeris opes inutiles tibi, quia earum commoda in alios homines minimè deriuantur? Quid, ô pectus opacum, caligas in indagine artis, quæ componit gazas auro fœtas, explica manus, & largè eroga pauperi quod recondis, hac profectò fies INVNDATIONE FERAX. Alioquin computrescent opes, quas defodis, earum frustratus vsu temporali, & commodo sempiterno. Totus namque fructus opum situs est in earum prudenti effusione, quæ illas beneficas facit, sicut nimia retinendi cupido maleficas; quemadmodum nimia custodia in horreo, est frumento iniuria, quod expansa manu satum multiplicat. Accipe Augustinum monitorem hoc tenore: *Manna colligebatur duplum die sexto in repositionem pro sabbatho. Qui autem contra Domini preceptum seruauerunt de manna, ebullierunt vermes, & computruit. Diuites auari & cupidi hæc recondunt, quæ in hoc sæculo imò cum sæculo corrumpantur: qui autem bona opera recondunt, illa permanent vsque in crastinum: illud autem, quod pro die sabbathi reponebatur, non est corruptum, neque vermes ebullierunt ex eo, sed permansit integrum. Et tu ergo, si propter præsentem vitam tantummodo, & propter amorem sæculi thesaurizes, continuò vermes ebulliunt. Denique audi de peccatoribus, & his, qui præsens sæculum diligunt, quid Propheta dicat: Vermes, inquit, eorum non morientur. Isti sunt vermes, quos generas*

Aspera declamatio in auaros.

Opes retẽtæ sunt noxiæ.

Ex SS. Patribvs. *Aug. ser. 91. de tempore.*

Elegans Augustini oratio probans esse maleficas opes retentas in arcula.

generat auaritia, & diuitiarum cæca cupiditas, his qui habent pecunias, & videntes in necessitate fratres suos, claudunt ab eis viscera sua. Propterea & Apostolus dicit: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, & thesaurizent veram vitam.

EX HISTORIA.

Fluxæ & labiles sunt opes.

Nota, Augustinum inducere Apostolum suadentem diuitias bonorum operum, longè ab aliis, quæ in incerto sunt, cùm nemo planè sciat cuius futuræ sint opes, quas tot sudoribus alluit & conquirit. Cùm Crœsus Soloni ventilaret opes suas reponens penes illas beatitudinem suam, nesciebat instare sibi Cyrum, qui has omnes opes fecit sui iuris. Quando Baltasar Rex Chaldæus medius in epulis iactabat vasa sua aurea, non erat sollicitus de Dario Medorum Rege, qui illam omnem supellectilem diripuit. Gloriabatur Ezechias in thesauris suis, eorum potentiam iactans coram legatis Regis Babylonis: Deus hunc in homine pio fastum non tulit, quia Babylonis Rex audita vi magna auri, quo graues erant gazæ Regis Ezechiæ, ærarium eius postmodum expilauit. Quis vnquam augurum fuisset ausus malè ominari de Persarum gazis, ad quas tot millia hominum excubabant? Vnus tamen Alexander parua manu ingentes fudit acies Persicas, & omnes thesauros abstulit militi distributos. Non inferiores fuere diuitiæ Salomonis defossæ in sepulchro Dauidis; nec tamen ei aut filiis eius cessere hi thesauri, sed Hircano & Herodi. Et quod omnem superat insaniam, multis opes reconditæ fuerunt iniuriæ & lethales, quia noluerunt eas impendere opportunè. In his recensentur Baiazethes, & Constantinus Paleologus Imperator, quorum prior congressurus cum Tamerlane ingenti agmine terribili, Dynastas & proceres Turcarum conuocans, quos suis copiis præfecerat, vt inito consilio manus consereret cum Principe Tartaro accincto ad pugnam, & stipato validiore exercitu, audiit hoc vnum superesse consilium, & remedium præsentissimum, vt nutantes suorum militum animos erigeret, quos numerosæ Tamerlanis acies antea deiecerant; scilicet vt thesauros suos, quos secum in castris habebat militi diuideret, vt inde miles alacrior factus benefici Principis partes fortius propugnaret, & concessarum opum memor, eas validè tutaretur. Adiecere optimi consultores, Baiazethem collatis his opimis stipendiis nullam passurum inopiam, quia si vinceret, faceret suas, omnes gazas Tamerlanis Imperatoris ditissimi; si verò victus effugeret, hoc illi fore solatium, hostem nimirum non adiecisse suis opibus Turcarum spolia ditiora. Aspernatus est Baiazethes salutare consilium, negauitque militi donatiuum, quod vltro vrgente fato debuit expendere. Ideo exercitus omnis exosus sordidam Baiazethis indolem, illius dedignans obsequium, primo congressu fatiscens, terga vertit, derelicto Principe tantùm superstite ad dedecus, & exemplum summæ egestatis. Ita qui suas incongruè conclusit opes, eas omnes perdidit pulsus imperio, & instar feræ immanis damnatus ad ferream caueam, merito plectendus ferro, qui nesciit auro vti; iustaque Dei censura circumseptus ferro, qui aurum ferreis arculis occluserat.

Daniel. 5.

4. Reg.

Exempla, quibus ostenditur inconstantia diuitiarum.

Q. Curtius lib. de gestis Alexand.

Ioseph. lib. 7. antiq. Iud. cap. 12.

Chalcondyl. in Baiazet.

Baiazethi & Constantino Paleologo lethales fuerunt thesauri non dispensi.

Dignum supplicium auaritia eratoris Baiazethis.

Idem in Constant. & Mahomete II. sub ann. 1451.

Eadem sorte è medio sublatus est Constantinus Paleologus, eo nomine infamis, quòd illius sordidâ auaritiâ Græcorum imperium cessit in ius infidelium, ingemente orbe toto Christiano. Non latebant Constantinum consilia Mahometis II. de inuadendo imperio: certior in dies erat de ingenti apparatu, quo Turca se accingebat ad obsidendam Constantinopolim: concurrebant milites conscribendi in discrimen Græciæ; & tamen segnior Imperator timebat ærario suo, parcens opibus, quas noluit communicare ad copias instruendas. Ære paruo conduxit Genuenses aliquot milites, adiecta parua Græcorum manu, ne suas manus explicaret nimis, si magnas copias instruxisset. Vrbem caput Imperij ferè inermis adorsus Mahometes, facili negotio inuasit, & Constantino in turba oppresso thesauros eius diripuit, nomenque eius inglorium fecit posteræ ætati, qui æterno maledicto feriet hominem Christianis iniurium, quia suis pepercit opibus, vt eas hostibus alternaret.

Quàm sordida fuit auaritia Constantini Paleologi, & quomodo castigata.

Facessant itaque alij omnes thesauri, vt intendamus impigrè bonorum operum gazis, quas suggerit Augustinus, iuxta Domini sententiam, qui dum hortatus est ad thesauros in cælo componendos, non fuit tantùm de sola eleemosyna sollicitus; sed hoc præcipuè intendit, vt moneret nos, potissimum animæ intentum, quando exantlat aliquod bonum opus, debere esse gloriam Dei, ad quam attendentes postmodum euehentur. Quidquid ergo cedit in Domini Christi decus, illud omne thesauros in cælo nobis accumulat. At pertinet ad Christi decus & gloriam, vt auscultemus mandatis eius: nihil namque magis gloriam Regis decet, quàm illius morem gerere voluntati. Tota igitur industria thesaurizandi in cælo est penes virtutum praxim, quam suis sequacibus Dominus intimauit. Eò spectant illius eloquia. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Contra hanc thesaurizandi artem peccant illi, qui eo animo virtutum calles ineunt, vt sibi concilient hominum gratiam, & popularem auram: etenim perinde est ac si in terra defoderent opes, in pabulum tineæ, æruginis, & prædonum: Nempe ad trutinam Dei improba est moneta, oculis tantùm hominum cusa, nullumque habet commercium cum beatis illis mentibus, quæ probis operibus mercatæ sunt gloriam reprobis inconcessam.

Quidquid in gloriam Dei cedit, illud nobis fit thesaurus corruptionis nescius.

Matth. 19.

Virtutum praxis est thesaurizandi modus certissimus.

SENSVS MORALIS.

Quam cautelam deposcat ab homine cordis custodia, ne defluat ad thesauros ignobiles.

In hæc verba:

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

SECTIO SEPTIMA.

PRÆFATIO.

IN præcipua veneratione fuit Romæ clypeus de cælo illapsus, fata vehens Romani Imperij: Oraculo namque proditum est, tamdiu Romam fore superstitem, quamdiu clypeus ille foret incolumis. Itaque Romani suo consulentes imperio, æternum illud suæ fortunæ pignus intimis

penetrali

penetralibus templi cautè abdiderunt. Vtque religionis facerent negotium clypeum illum, curam eius ſacerdotibus demandarunt, ita vt nefas eſſet aliis contrectare donum cælitus impertitum. Cordis integritas ſingulis quibuſque hominibus illud omen affert: nimirum proſpera manent eos, qui cordi ſuo inuigilant ne deforis impetum aliquem patiatur. Penes vnumquemque eſt ſeipſum componere in ſimilitudinem templi, & obſerare omnes aditus vnde cordi poſſunt aliqua diſpendia à noſtris æmulis imminere. Alioquin ſi copia datur illecebris persuadendi cor, profectò impreſſione facta in illud, hoſtis extremam perniciem inducet in animas noſtras, quarum ſors æquior ſita eſt penes cuſtodiam cordis, quæ vt ſit vnicuique cordi, dicam primò, qua cautione debeat cor cuſtodiri. Secundò dicam, quæ mala excipiant homines incurios cuſtodiæ cordis.

Diuiſio ſectionis.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Quàm debeat eſſe anima ſollicita ne capiatur illecebris rerum, quæ illudunt oculis.

In hæc verba:

Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET EX THEOLOGIA.

QVa inſomni cuſtodia inuigilandum ſit cordi, animum ſuum torquent interpretes dum expendunt illum locum Salomonis: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Horum omnium recenſere dictamina non eſt mearum partium, ſed potius meam ſubiicere ſententiam moribus idoneam componendis, & congruam intento Chriſti, à quo ſanè bonum eſt omne quod diſcimus & dicimus: vtpote citra cuius obſequium nequimus proprio Marte noſtro ad ſalutem congrua cogitare. Cùm itaque peritus hic Dominus res planè concolores dixerit theſaurum & cor; non cunctabor dicere eam eſſe curam adhibendam cordis cuſtodiæ, quam præſtant diuites ſuis opibus incubando. Si verò cuipiam peregrina videatur vſurpatio theſauri pro corde, reuoluat ille ſacros libros, & inde reſciet, eam nomenclaturam theſauri affixam fuiſſe cordi ab eodem Chriſto ita prædicante: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* Inde concludo, cor debere aſſeruari eadem cautione, quam priſcæ olim Gentes præſtitere in ſuis opibus aſſeruandis.

Prouerb. 4.

Quanam ſit ſolertia cordi noſtro inuigilandum.

Cor noſtrum eſt theſaurus noſter.

Luc. 6.

Proxima ſectione recenſui ritus plurium nationum, quibus in more fuit poſitum ſeligere munitiſſimas arces, vt eas publico ærario deſtinarent. Ibi à me prænotatis adiice ex Pauſania, Minyam Chryſæ filium, qui Minyos rexit, omnem ſuam adhibuiſſe curam, vt muniret locum illum, cui ſuos theſauros fidere decreuerat. Eodem ſpiritu afflati Græci omnes, ſuas fecere gazas in inſula Delo, quam bello delegerant, vt auctor eſt Thucydides. Siſinus Cappadocum Rex Noram arcem tutiſſimam ſibi gazam fecit, ſuo exemplo Cappadoces erudiens, ſuas opes ſumma cuſtodire ſolertia, vt Strabo refert. His ſimilia habet Liuius, ſcribens Athamanes in Tetraphilia cuſtodire ſolitos opes ſuas. Neſcio vnde Strabo acceperit, Hebræorum ritum fuiſſe in montes ſuos deferre theſauros, & præcipuè coluiſſe eo intento Thracem & Taurum. Dixi ſupra, Athenienſes Græcorum cultiſſimos credidiſſe ſuas gazas tutiores, ſi eas templo Delphico conſecrarent, vt meminere Diodorus Siculus & Probus Æmylius.

EX ANTIQVITATE.

Pauſan. lib. 9.

Thucydides lib. 1. belli Peloponneſiaci.

Strabo l. 12.

Liuius 4. Decad. l. 8.

Strabo l. 16.

Diodor. Sicul. lib 11.

Prob. Æmil. in vita Ariſtid.

Ne hæreamus in delectu horum rituum, quorum ſedula fuit obſeruatrix primæua hominum ætas, ſollicita ne peſſum irent opes improbo labore partæ. Ne inquam ancipiti cura diſtrahatur animus, à qua Gente debeat accipere normam tutò conſeruandi theſaurum cordis, cenſeo eſſe æmulandam Romanorum induſtriam, quæ in publico decernendo ærario, omnem omnium nationum concluſit artem. Nempe tota Gentium ſolertia adhibita in gratiam ærarij, fuit penes tria. Videlicet, penes arduos montes, tutiſſimas arces, & celeberrima templa hominum vulgata religione intacta. Vt tres ſimul cautiones, vnica Romani concluderent induſtria, in monte Saturnio, cui inſidebat arx munitiſſima Capitolij, ſtatuere fundamina templi, in quo repoſita pecunia publica, talem ſibi reuerentiam conciliauit apud homines, vt hunc theſaurum Roma ſanctioris ærarij nomine nuncuparit. Has gazas ſub titulo ſanctioris ærarij meminere Liuius, Cæſar, & Cicero. Præcipuè notatur à Cæſare Lentulus, quòd aperto ſanctiore ærario ab vrbe aufugerit. Itinere abrupto & aſpero tantùm Cliuo patebat aditus ad arcem illam edito loco ſitam, & naturali rupis Tarpeiæ munimine fortiſſimam, cui etiam ædes Saturno ſacra religionis fidem pepererat. Vnde trifariam tuta erat cuſtodia æris illic reconditi. Primò ratione difficilis aditus, qui locum hunc furibus inuium effecerat. Secundò propter munitionem arcis impenetrabilis. Demum quia religionis ſuſpicio pecuniam illam ſacram effecerat. Diu namque viguit memoria Brenni Galli Principis, cuius deletus eſt exercitus ob expilatas opes templi Delphici.

Veterũ Romanorum ſolertia in theſauris aſſeruandis eſt imitanda à Chriſtianis in theſauro cordis aſſeruando.

Liuius 3. Dec. lib 7.

Cæſar lib. 1. belli ciuilis.

Cicer. 6. actio. in Verrem.

Idem ad Atticum lib. 7. epiſt. 20.

Breoni Ducis Gallorũ mors infelix ob templum Delphicum expilatum.

Cùm ergo ſimus Romanæ Eccleſiæ Catholica proles, operæpretium eſt aliquid à priſcis etiam Romanis accipere, quo poſſimus & nos fieri cautiores. Mutuanda eſt itaque ab eis illa cautela triplex obſeruanda ad cuſtodiam theſauri noſtri, videlicet cordis. Hoc igitur inſtitutum Romanorum animo noſtro tenaciter inſideat, vt hac triplici ſolertia conſulamus cordi noſtro. Auſpicemur ab excelſo loco ad inſtar Romanorum, qui optione data regionum vrbis, altiorem ſelegere partem, vt eminente ſitu foret ærarium illuſtrius. Hinc & nos prouinciam aſſequemur exoſi viles ſæculi huius illecebras, vt vegetiores facti, deſpicatu rerum humilium ad cæleſtia iugiter aſſurgamus. Illam ſi ſectemur induſtriam, cor noſtrum haudquaquam deget vbi ignobiles hominum theſauri iacent. Cum enim deprædentur opes cor hominis appetentis aurum; procul dubio cor illud erit opibus inuium, quod ſidera tranſcendens, impigrè ſatagit gazis omnibus eminere.

Egregium conſiliũ conducens ad cuſtodiam cordis noſtri.

Salutare

Quàm diligéter est inuigilandum cordis humani custodiæ.

Salutare fuit illud consilium Christi, scilicet non defodere in terra opes, sed altiore loco suas decorare gazas, quando præmonuit, esse thesaurizandum in cælo. Quasi diceret, loca humilia patere insidiis, quibus inuia sunt illa quæ assurgunt. Ne prouida Christi monita excidant fructu congruo, cauendum est prudenter, ne sæculi huius infidelis illecebræ nostris cordibus affricentur. Alioquin cordis humilia sectantis infida est custodia, & hoc cor incautum, vt thesaurum peruium omnibus, mundus suo adiicit thesauro, qui hac adiectione tumet & increscit. Idcirco Deus volens detrahere gazis huius mundi; vetat cor nostrum apponi caducis opibus, ne hoc turgeant incremento. Fit namque Deo iniuria, cùm cor adhæret alicui obiecto infra Deum. Etenim illud Deo iniurium est, quod sibi vsurpat locum Dei incongruè.

Homo nimium amãs creaturas est Deo iniurius.

Ex Theologia.

Ast homine reponente finem suum penes aliquid sensibile, quod suum thesaurum facit, illud præstituens sibi vt terminum, & bonorum omnium compendium: res hæc sensibilis indecenter irrepsit in locum Dei, scilicet in cor, quod vni tantùm debet Domino mancipari. Rursus vt aliquid sibi cor humanum deuinciat, debet participare rationem vltimi finis nostri, cuius est plenè hominem vtraque sui parte beare & perficere. At mundus nihil planè habet huius argumenti; nempe dum corpori adblanditur epulis & Venere, animam vitiat & corrumpit. Dum verò spiritum ventilat aura populari, hominem euehit vt pessumdet. Præterea cùm homo sit finis, cuius gratia editæ sunt singulæ quæque res corporeæ, superior etiam est rebus hisce vernaculis. Ergo si eas thesauros suos facit, se illis deuouendo totum, degener est, & ingloriam suam sortem facit, eam subiiciendo rebus editis ad vsum & non ad fruitionem. Et inde anima in lethale piaculum incurrit Deum postponens ementito bono, quo vt fine fruens anima, Deum quàm maximè offendit, ab eo auersa, vt rebus infimis adhærescat. Et hoc Theologis est immane scelus.

S.Thom.1.2. q.71. art.3. ad 3.

Quare nihil omnino infra Deum sit toto corde adamãdum.

S.Thom.1.2. q.71.art.3.

SENSVS MORALIS.

Incongrua res est homini deperire creaturas.

In hæc verba:

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Philosophia.

Ex Philosophia.

Aristot. lib.2. Phys.text.74.

Qvàm verò absurdum sit illud negotium hominis affricantis cor suum mundi illecebris vt thesauro, cui & alterum suum thesaurum adiicit, perpende ex Philosophia, cuius apex Aristoteles ita fatur: *Finis est optimum vniuscuiusque rei.* Ergo cùm nihil infra Deum sit homini optimum, nihil planè sortietur rationem vltimi finis, cui tantùm vt termino adæquato debet cor hominis adhærere. Nempe illud est optimum, quo nihil melius esse potest, & ex Themystio finis dicitur optimum cuiuscunque rei, quia comparatione facta mediorum & finis, illud quod sibi vendicat rationem vltimi finis debet singulari bonitate mediis eminere. At si præcipua quæque mundi stipendia congerantur in cumulos thesauris idoneos, minoris sunt pretij quàm media, quibus ad eum finem fertur homo. Etenim hominis affectus, quibus demerere Deum potest præuia eius ope, longè præstant illecebris mundi, quæ hominum corda pelliciunt. Præterea hominis optimum debet aliquam bonitatem affingere toti homini; at mundus eo bono caret, quo beari queant omnes hominis partes. Tantùm enim abest vt deliciæ corpora demulcentes illa perficiant, quinimò extremam corpori perniciem inferunt, vt videre est in lue Venerea, & podagra, & cachexia luxuriæ, & gulæ sequacibus, & reliquiis importunis. Si verò res sit de animæ bonis, vnde fiat anima ditior, profectò mundus harum opum summam patitur inopiam, vtpote nescius luminis huius, quo illustratur animæ intellectus, & indigus eius boni, cuius indagine voluntas perficitur. Nimirum anima lumen suum emendicare nequit ab hoc sæculo, in ignorantiæ opaco constituto, nec mutuari potest congrua sibi bona ab hoc mundo, qui totus in maligno positus est. Faciliori negotio quisque colligeret ex tribulis ficus, & ex senticeto botros, quàm ex mundi illecebris argumenta finis optimi, qui hominem decet, ac proinde potest sibi cor eius meritò vendicare.

Themystius in text.74. l.2.Phys.

Quibus præcipuè argumétis homo abstrahatur ne plus quàm par est afficiatur amore rerũ infimarum.

Itaque amare anxiè hanc mundi supellectilem est defodere in terra thesaurum suum, scilicet cor, quod Christo auctore est thesaurus. At affici cælestibus est Romanorum instar in excelsis locare gazas, vt in sede congrua dignitati cordis, cui satis est vti creaturis editis ad leuamen, sed non vt eis sicuti fini vltimo homines obsequantur. Etenim Deus condidit hominem, vt terram sibi subiiceret, non vt eius subiret dominium. En diploma dominij hominum in terrena, editum in ipsis mundi incunabulis, quando scilicet principes stirpis nostræ, & præcipua hominum capita Deus ita affatus est: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* Nota, his literis nihil planè excipi ab hominis imperio. Si nimirum res est de his quæ ad terram pertinent, vt sunt opes, vult Deus hominem subiicere, & quasi hæc omnia conculcare. Hoc sanè clamat vox, *Subiicite.* Et quia rerum Dominus, & præscius futurorum, callens hominum indolem fore pronam ad bestiarum etiam cultum; quidquid in æthere volitat, quidquid natat in æquore, & discurrit orbe toto, hoc omne iuris hominum fecit, ea voce, *Dominamini:* qua deploranda maxime est eorum sors, qui venationi & aucupio intenti, equos, canes, & aues, faciunt Deos suos, cor suum gratis vni bestiæ mancipantes.

Amare res huius sæculi est defodere in terra suũ thesaurum.

Genes.1.

Homo superior est rebus infimis ideoque non debet eis subiici.

Lugẽda sors est hominum qui creaturas plus æquo depereunt.

SENSVS

SENSUS MORALIS.

Quàm parcè homo debet affici rebus infra Deum.

In hæc verba:

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

ARTICVLVS TERTIVS.

EX SANCTIS PATRIBVS, ET EX PHILOSOPHIA.

Quàm prudenter debeant homines affici rebus concessis ad eorum vsum.

TErra homini subiecta, & bestiæ eius dominio addictæ, non omnem sui sollicitudinem adimunt homini, imò eo fine singula quæque condita sunt, vt eis vtatur homo prout tulerint angustiæ, quibus vrgebitur. Et hoc non est thesaurizare in terra, quia creaturis vtitur homo ad concessam opem. Secus verò esset penes terram reponere gazas & cor, si rebus his homo confideret, vt optimo fini suo, vnde bonum suum præcipuum crederet emanare. Tunc enim res vtenda locum finis vsurparet, homine hac fruente vt stipendio sudorum facinorum. Illud est quod carpimus, hortando locum qui emiseat esse deligendum, vt cordis thesauris in Deum assurgens, deorsum nunquam postmodum illabatur. Sic fiet vt vtamur vtendis, adhibendo cautè res concessas ad vsum, & fruamur fruendis, thesaurum nostrum cor vtique soli Deo rerum omnium Domino vendicantes.

Ex SS. Patribus. August. lib. 1. de doctrina Christiana. cap. 3.

Non est quod me torqueam in isto themate, cùm habeam Augustinum eruditè in hac alea decurrentem. Sic ille: *Res aliæ sunt quibus fruendum est, alia quibus vtendum. Illa quibus fruendum est, nos beatos efficiunt, istis quibus vtendum est, tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quasi adminiculamur, vt ad illas, quæ nos beatos faciunt, peruenire atque his inhærere possimus. Nos verò, qui fruimur, & vtimur, inter vtrasque constituti, si eis, quibus vtendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, vt ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis vel retardemur, vel etiam reuocemur, inferiorum amore præpediti. Frui enim est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Vti autem, quod in vsum veneris ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam vsus illicitus, potius abusus nominandus est. Quomodo ergo si essemus peregrini, qui beatè viuere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione vtique miseri, & miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset, vel terrestribus, vel marinis vehiculis, quibus vtendum esset, vt ad patriam qua fruendum erat peruenire valeremus: quòd si amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conuersi ad fruendum his, quibus vti debuimus, nollemus citò finire viam, & peruersa suauitate implicati, alienaremur à patria, cuius suauitas faceret beatos: sic in huius mortalitatis via peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, vbi beati esse possumus, vtendum est hoc mundo, non fruendum. vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur.*

Diuina & humana ita se habent, vt Deo tantùm frui oporteat, aliis verò rebus vti.

Elegans oratio Augustini ostendentis quibus nã oporteat frui & vti.

In his igitur omnibus rebus, illa tantùm sunt, quibus fruendum est, quas æternas & incommutabiles commemoramus, scilicet, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Cæteris autem vtendum est, vt ad illarum perfruitionem venire possimus.

Nõ omnium rerum vsus promiscuus singulis quibusque hominibus conceditur.

Nota, non omnium rerum vsum promiscuum hominibus dari, sed earum tantùm, quæ conducunt ad vniuscuiusque statum, qui cùm discolor sit, disparibus etiam mediis ad Deum omnium hominum finem vltimum congruè deuenitur. Verbi gratiâ, alia sunt quibus coniugati suam salutem procurant, ab his quæ clericos iuuant vt saluentur. Vir desponsatus amore coniugis, cura prolis, agrorum cultura, aliisque sæcularibus officiis gestis ad normam mandatorum Dei, moderatur animæ suæ salutem indubiam; qua tamen excideret clericus fœminæ adhærens procreando liberos, & frequentans sæculare forum, incongrua suæ sorti gerens negotia. Prætereà aduerte, non deponi in locum humilem cor nostrum, si res concessas amamus sicuti par est: amor enim fertur in media & in finem; eo tamen ordine vt præcipuè & propter se tantùm finis ametur, media verò propter finem. Vnde nefas est velle frui mediis, cùm duntaxat ad vsum huncque cautum nobis à Domino concedantur. Quòd si Paulus ait fruiturum se Philemone, eum sic compellans: *Ita frater, ego te fruar in Domino*; non ideo Philemonem præstituit sibi amoris sui scopum potissimum, sed Dominum Deum, cuius intuitu pium hunc hominem speciali dignatus amore coram amplecti impensè optabat. Rem bellè explicat Augustinus ita commentatus: *Si non addidisset, in Domino, & te fruar tantùm dixisset, vt in eo constituisset spem beatitudinis suæ, quanquam & vicinissimè dicitur frui, cum delectatione vti. Cùm enim adest, qui diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat. Per quam si transieris, eamque ad illud vbi permanendum est retuleris, vteris ea, & abusiuè non propriè diceris frui. Si verò inhæseris, atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè & propriè frui dicendus es. Quod non est faciendum, nisi in illo summo & incommutabili bono. Nulla res in via tenere nos debet, sed transire, ne rebus temporalibus, quamuis ab illo pro salute nostra susceptis, & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, vt ad Deum peruenire mereamur. Vnde totius sacræ Scripturæ hæc summa, vt vtamur vtendis, & fruamur fruendis, vt ea quibus ferimur qualia sunt temporalia, propter illud ad quod ferimur diligamus.*

Quomodo innoxiè possit homo affici rebus huius sæculi.

Epist. ad Philemon. cap. 1.

August. vbi supra.

Qua ratione possimus homines diligere sine noxa.

Summa est perfectio vti fruendis, & frui vtendis.

Profectò ille est cardo præcipuus, in quo totà hominum salus vertitur, vt cautè dispensemus affectus nostros, ita depereundo res vtendas, vt non debitum amorem fruendo Domino detrahamus, impiorum instar, qui rerum ordinem immutantes, Deum loco rerum editarum constituunt, & has in Dei locum sufficiunt, vt sic luget querulus Augustinus: *Ex re frui dicimur, quæ nos ad aliud referenda per seipsam delectat. Vti verò ea re, quam propter aliud quærimus: vnde temporalibus magis vtendum est, quàm fruendum, vt frui mereamur æternis. Non sicut peruersi, qui frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.*

Aug. lib. 11. de ciu. Dei cap. 25

Quid sit frui, & vti rebus.

Boni quippe ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo. Mali autem è contra, vt fruantur mundo, vti volunt Deo. Hæc ille.

Ex Philosophia. *Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 1.*

Quia res ista momenti insignis est, & magnum homini periculum imminet si cor eius incautè defluat ad terrena, maturè discutiendum est istud argumentum, & maximè cùm præfatus sim, non esse hunc amorem improbum, quo percitus homo rebus aliquibus infra Deum afficitur, si vt par est eas suo dignetur amore, iuxta cuiusque rei dignitatem. Nemo it inficias, illud omne, quod toto orbe terrarum prostat, esse bonum in suo genere; sed vt hanc rerum bonitatem quisque sibi adaptare queat, hoc opus, hic labor est: quamuis enim Philosophus dixerit bonum esse illud quod omnia appetunt; nullum tamen sub cælo bonum est adeò generale, vt cuilibet enti sufficiat, ac proinde appeti à cunctis debeat adæquatè. Est ergo attentè inuestiganda rerum indoles, vt ex infinita propè scaturigine ebullientis boni, quisque venari queat illud, quod maximè conducit ad suam sortem æquiorem. In illa amabili bonorum omnium congerie, duo præcipuè bona Philosophi commemorant indiuiduo ferè nexu sociata; vtile scilicet, & honestum. Vtroque bono impunè potest homo capi, quia ambo participant rationem boni, hominum corda demulcentis. Sed ne quid præposterum cordi illudat, ita est digerendus amor in bonum prorumpens, vt primo honestum diligat, deinde vtile. Etenim honestum illud est, quod rationem finis vltimi habet, vtile verò medium est ad finem animo conceptum congruè nanciscendum. Si igitur anima concessis vtitur ad amussim hanc præfatam, cor suum non affinget rebus vtendis, sed illud tantùm honestissimo fini suo, scilicet Domino, consecrabit.

Qua cautela debeat amari bona huiusce sæculi.

Nullum singulare bonū creatum, est bonum adæquatū creaturarum omnium.

Definitio boni honesti, & vtilis.

Discussio hæc Philosophica vadem adhuc habet Augustinum, cuius ecce sententia. *Sicut inter honestum, & vtile interest; ita inter fruendum, & vtendum. Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem, vtimur ea quam referimus ad id, vnde voluptas capienda est. Omnis itaque humana peruersio est, fruendis vti velle, atque vtendis frui. Et rursus omnis ordinatio, qua virtus nominatur, fruendis frui, vtendis vti. Oportet ergo frui pulchris inuisibilibus, Deo scilicet; vtilibus autem vtendum est omnibus, vt quoque eorum opus est. Et frui quidem cibo, & qualibet corporali voluptate existimantur & bestia; vti autem aliqua re non potest, nisi homo: scire namque, quò quidque referendum sit, non datum est rationis expertibus, sed neque ipsis rationabilibus stultis. Quare abuti rectiùs dici solent, qui non benè vtuntur. Perfecta igitur hominis ratio vtitur, primò seipsa ad intelligendum Deum, vt eo fruatur, a quo etiam facta est. Vtitur autem cæteris animalibus ratiocinantibus ad societatem, irrationabilibus ad eminentiam. Vitam etiam suam ad id refert, vt fruatur Deo; ita enim beata est. Deo autem non vtitur, sed fruitur: neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est.* Hactenus ille, edocens nos cuinam loco debeamus committere thesaurum cordis, eamdem planè suggerens esse assequendam industriam Romanorum, qui non humilem delegere locum, sed excelsum, cui sanctius ærarium postea commendarunt.

Ex SS. Patribus. *Aug. lib. 83. quæst.*

Quomodo peccetur ab hominibus confundentibus bonum vtile, & honestum.

SENSVS MORALIS.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Qua pernicies animam excipiat incuriam custodia cordis sui.

In hæc verba:

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Historia, SS. Patribus, Et ex Mathematica.

QVi secus faxit, id est, qui cor suum ad inferiora demiserit, hic profectò malè suum thesaurum collocat, experturus indubiè iniquam sortem eius, quem meminit Ausonius. Homo ille imprudens in terra defodit opes suas, iuxta arborem, quam præfixerat indicem thesauri sui reconditi. Terra eruta factura locum latibulo, & reuoluta in scrobem, suspicionem fossæ fecit homini, qui postera die ad arborem illam accesserat, vt ex ea pendulus imponeret modum angustiis, quas iugis rerum inopia pepererat. Idcirco exploraturus quid illæ recentes glebæ reconderent, has dispersit, alte defodiens, & eo scrutinio incidit in thesaurum, quem inde retulit, eius loco reponens laqueum quem suo instanti suspendio dedicarat. Rei ignarus alter, qui suas opes abdiderat, rediens in locum hunc defossum deprehendit hiante terra thesaurum suum cessisse furi, qui quem merebatur laqueum, in pœnam iniqui facinoris, reliquerat in illo ergastulo: hac iactura sui impos effectus, ille luit pœnas imprudentiæ suæ, substituto suis opibus laqueo castigatus. Ita Ausonius.

Egregiè historia probatur, quam sint opes infideles & noxiæ diuitibus.

Qui laqueum collo nectebat repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum
Aptauit collo, quem reperit laqueum.

Ausonius lib. epigram.

Eo miserando fato defunguntur omnes, qui cor suum deponunt ad terrena. Dæmon callidus explorator, cor illud incautè addictum terræ, astutè facit sui iuris, ita vt homo qui genio indulget, vacans epulis & choreis, concepta fiducia reuocandi cor suum aliquando ab illecebris, non amplius inueniat cor illud ereptum, quando instante morte se vult accingere ad reducem gratiam. Etenim plerumque accidit, vt reprobo exoso vitam suam non suppetat cordis contritio, dæmone depascente cor terrenis inhians, & proponente laqueum, quo homo infelix Dei iniurias citiùs vlciscatur. Hac sorte iniqua periit Iudas, qui nimio appetitu pecuniæ factus excors, perduellis effectus est, prodens Christum sicariis, quibus ære paruo eum vendiderat. Sed cùm piaculi horrore seipsum ferre nequiret homo nefarius, summam pecuniæ attulit quidem, qua mediante conductus fuerat ad hoc immane nefas. Proiectis denariis ingenuè confessus est suum hoc enorme scelus; sed quia cor suum humi abdiderat, diaboli insidiis expositum, loco cordis sui accepit laqueum, quo suspensus crepuit, ore suo proprio condemnatus.

Quanam industria dæmon homini illudat, cuius cor obstrinxit creaturis. Iudæ perditio typus est damnationis omniū hominum auarorum.

Cor deuotū creaturis malè perit, vt subiectæ historię probant.

Malè homini cedere cordis sui incuriam, multiplici

Berald. in tragædiis. Tancredi Principis Salerni crudelitas. *Cæsar Nostradamus in historia Prouinciæ, sub ann. 1207.* Saliani facinus execrandum.

tiplici historia probari potest. In his reuocare potes congruas historias fusè à me recensitas, vnam scilicet primo tomo istius moralis Encyclopædiæ, & alteram secundo tomo. Prior est de Tancredo Principe Salerni, qui conducto sicario adolescentem nobilem occidit, quia Tancredi filiam virginem anxiè deperibat. Cor hominis extincti disco argenteo impositum transmisit ad filiam suam concordi amore sauciatam, vt resciret illa puella, cor humanum non tutò alteri homini deuoueri. Habes posteriore tomo facinus isto crudelius, quo Sallianus homo ferox, Cabestanum perfidè occidit, & exenteratum cor eius frixit, vt facto obsonio apponeret suæ vxori, quam ab extincto suo æmulo credidit adamari. Corda illa execta sunt, quia non cauerant sibi à technis propè infinitis, quas prætendunt hostes nostris cordibus inuidentes. Vt ergo tutior sit cordium custodia, altus eligendus est locus, inuius etiam dæmonibus, quos thesauri cordis anxia cupido lancinat assiduè. Colligenda sunt omnia animæ vota, & in Deum seriò refundenda, in quo coeunt omnia argumenta amoris, vt piè suggerit Augustinus, in ea meditatione defixus ista pangens: *O immensa bonitas, quæ omnium intellectum excedis. Veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia procedit, influat in me, quæ profluit de te. Si singula bona delectabilia sunt, cogita intentè, quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualē in rebus creatis sumus experti; sed tantò differentem quantò differt à creatura creator. Si enim est bona vita creata, quàm bona est vita creatrix? Si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus, quæ fecit omnem salutem? Denique si multa, & magna sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis, & quanta est delectatio in eo qui delectabilia fecit? O qui hoc bono fruetur? Quid illi erit? Quid illi non erit? Certè quicquid voluerit, erit illi, & quicquid noluerit non erit illi. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est.*

EX SS. PATRIBVS. *August. vbi supra.* Pia meditatio Augustini animam exhortantis, vt suum omnē amorem refundat in Deum. Quibus argumētis homo sollicitetur ad amorem suum Deo deuouendum.

Ecce quo euehendus est thesaurus cordis. En quo nisu valido sint etiam ipsa sidera transcendenda. Ecce rationes, quæ hominem sollicitant, vt assurgat, & dedignetur humilia, quibus degener eius animus hactenus inhiauit. Nimirum suadet hic consultor, vt meditemur omne quod animum inclinat ad affectum, in Deo esse primitus, vnde ad hæc infima defluens ea fecit instructa tantis illecebris vt amentur. Et quia hominum captum superat, non affici rebus egregiis; ille idē Sanctus indulget vt amemus ea, quibus tituli probi amoris insunt, sed hanc adiicit cautionem: *Si ista terrena diligis, vt subiecta dilige, vt famulantia dilige, vt arrham sponsi, vt munera amici, vt beneficia Domini; sic tamen vt memineris semper, quod illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, & per ista illum, & super ista illum diligas. Caue, ô anima, ne, quod absit, meretrix dicaris, si munera dantis plusquam amantis affectum diligis. Dilige illum propter se, dilige te propter se, dilige illum, vt fruaris illo, dilige in donis illius, quæ data sunt ab illo, illum tibi, & te illi dilige. Hæc pura & casta dilectio est, nihil habens sordidum, vel amarum, nil transitorium.*

August. vbi supra.

Quomodo creaturæ in ordine ad Deum sint diligendæ.

Esto prudentis consilij facinus sit cor suum expedire à terrenis, & hoc rebus aptare cælestibus; illa tamen sola cautio non sufficit, nisi & in modum arcis tutissimæ sepiatur hic thesaurus, suasque speculas habeat, vnde queat hostes suos animus explorare. Hunc sanctior Scriptura ritum insinuat ex Hebræo fonte. Vbi namque legimus: *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Textus Hebræus hæc subiicit נצר לבך מכל משמר id est, Ex omni custodia custodi cor tuum. *Micôl mischmar netsor libecca.* Nota vocem illam משמר *mischmar* significare locum, qui summo studio asseruatur, vt sunt arces, & carceres, in quo sensu accipitur capite quadragesimo Geneseos. Præterea aduerte, vocem eamdem significare custodiam, seu excubias, quæ fiunt ex speculis in castrorum loco edito constitutis. Quinque hominis sensus sunt veluti speculæ, in quibus anima debet agere vigiles excubias, ne quid hostile penetret hos aditus. Colligendæ sunt omnes animæ vires ad hanc impigram custodiam, qua neglecta, proditore sensu anima profligatur.

Prouerb. 4. Vbi sit reponendum cor nostrum, ne creaturæ illud deprædentur.

Vbi nā præcipuè anima debeat agere vigiles excubias.

Animam deuenire in potestatem hostium, qui cor deprædantur consciis sensibus, videre est inductione facta per omnes sensus, qui sunt velut ostiola quædam, quibus reclusis effertur cor hominis imprudentis. Etenim dum speciosa quæque obiecta illudunt sensibus, subeuntes animam suaues illecebræ inflectunt cor vt se totum deuoueat rei concupitæ. Corde autem adhærente rei sensibili, defluit hic thesaurus animæ nostræ, qui debuit custodiri ex omni specula, ne quis eum astutè diriperet. Arbitror ego potiorem cordis custodiam pendere ab oculis, qui dum incautè impingunt in speciosas corporum formas, cor sensim deliniunt & inclinant ad amorem, qui dum nimium tenax est, obstat ne sit sui iuris homo, & thesaurum cordis habeat illibatum. Ab aliis sensibus non adeò ingens ruina imminet animæ; quia ignoti nulla cupido. Concupiscentia autem consciis tantùm oculis animam subit. Eamobrem vigiles oculi dum excubant, cor immune tuantur à cupidine rerum, quæ suas species oculis intentarunt. Ideo Dauid expertus quàm periculosa sit oculorum incuria, sic orabat: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Rex ille vates pœnitens facti meminerat iniqui facinoris à se perpetrati, postquam oculo spirante libidinem aspexit coniugem Vriæ. Neglectis his animæ foribus, homini instare iacturam magnam, disce à querulo Ieremia sic gemente: *Oculus meus deprædatus est animam meam.*

Cauenda est maximè sensuū incuria, quia his potissimùm ostiis cor effluit.

Maxima est cura adhibēda ne oculi incautè efferantur.

Psalm. 118.

Threnor. 3.

Huc reuocare potes à me dicta secundo Tomo istius Moralis Encyclopædiæ, in homilia feriæ sextæ Dominicæ primæ Quadragesimæ, vbi adstruo voluptatem esse piscinam diaboli, quæ quinque porticus habet, scilicet quinque sensus, qui reclusi animam alluunt noxiis aquis, & omnium illuuie vitiorum. Hanc consule homiliam, & inde resciēs quanti sit momenti custodia sensuum, obseruanda singulis quibusque momentis: ad omnes quippe sensus æqualiter pertinet integritas cordis ideo constituti in meditullio pectoris, vt quemadmodum centrum æqualiter obseruatur à circulo, vt sit verè rotundus & in orbem ductus; ita etiam sensus omnes vniformi solertia obseruent cor, si velit homo esse totus teres atque rotundus, & participare definitionem circuli ab Euclide propositam hoc contextu: *Circulus est figura plana, vna linea contenta,*

Cor est centrū & quinque sensus lineæ collimantes ad illud.

EX MATHEMATICA.

Euclides l. 1. element. Geometria diffinitione 15.

quæ circumferentia, appellatur, ad quam ab vno signo introrsum existente, omnes lineæ prodeuntes, ipsiusque circuli circumferentiam incidentes, ad inuicem sunt æquales. Cor est veluti signum introrsum existens, ad quod vt in scopum collimare debet omnium sensuum industria, vt iustitiæ seu æqualitatis gratiam animus assequatur.

SENSVS MORALIS.

Cor peruium creaturis pessumdatur.

In hæc verba:

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ex SS. Patribvs, et Symbolis.

Quatuor modis est cordi nostro inuigilandum.

Olim integra & absoluta custodia constabat quatuor vigiliis siue excubiis, quarum duæ numerabantur à vespere vsque ad gallicinium. Aliæ verò duæ à gallicinio ad auroram vsque decurrebant. Ita & animæ custodia numero illo quaternario tota concluditur. Nimirum supernè & infra, dextrorsum & sinistrorsum habet anima quod metuat, Bernardo monitore. Sic ille: *Solent dicere homines huius sæculi: Bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit. Nos autem non sic, sed sterquilinium vile custodit, qui custodit corpus suum, Apostolo teste: Quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: Qui verò, inquit, in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Ac si dicat colendum, custodiendum magis animæ castrum, quoniam æterna ex ipso vita procedit. Sed castrum istud in terra inimicorum sicut vndique impugnatur: & idcirco omni custodia, id est, ex omni parte, vigilanti sollicitudine est muniendum inferiùs, superiùs, antè, retro, à dextris, & à sinistris. Inferius impugnat concupiscentia carnis, quæ militat aduersus animam, quia caro concupiscit aduersus spiritum. Superiùs imminet iudicium Dei. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis. Sollicitè satis hac parte cor suum custodierat, qui dicebat: Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Retro mortifera delectatio est, quæ oritur ex recordatione præteritorum peccatorum. Antè instantia tentationum. A sinistris verò arrogantium fratrum & murmurantium inquietudo. A dextris obedientium fratrum deuotio. Possunt enim hi quoque, nisi caueatur, duobus nocere modis; aut bonis eorum actibus inuidendo, aut singularem gratiam æmulando. Vigilet ergo aduersus carnem rigor disciplinæ: contra iudicium Dei, iudicium propriæ confessionis, & hoc sit duplex, manifestum de manifestis, occultum de occultis. Vnde ait Apostolus: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Contra delectationem, quæ procedit ex recordatione præteritorum peccatorum, frequentia lectionis. Contra instantiam tentationis, instantia supplicis orationis. Contra fratrum inquietudinem, & patientia & compassio. Aduersus obedientium fratrum feruorem, congratulatio, & discretio. Congratulatio enim expellit inuidiam, discretio nimiam æmulationem.* Hæc Bernardus.

Ex SS. Patribvs. Bern. ser. 46. de paruis, & variis.

Quot modis homo impugnetur ab hostibus animæ.

Quanam industria anima possit eludere tentationes diaboli.

In quot vigilias omne hominum æuum diuiditur.

Beatus Gregorius totum hominis æuum tribus vigiliis circumscripsit, id est tribus ætatibus, quas ait Christum insinuasse, dicens Christianos fore beatos si vigilantes inuenti fuerint suo Domino veniente in tertia vigilia. Vnde argumentum sumit hortandi homines vt custodiant cor suum, saltem in suprema ætate, si elapsa ætate fuerint incurij, cùm Dei benignitas & huic ætati effœtæ locum miserationis impertiat. Sic ille: *Prima vigilia, primæuum tempus est, id est pueritia. Secunda, adolescentia, vel iuuentus, quæ auctoritate sacri eloquij vnum sunt, dicente Salomone: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Tertia autem, senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel secundam, vt qui conuerti à prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem in tempore iuuentutis euigilet. Et qui euigilare in secunda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat, vt qui in iuuentute ad vias vitæ non euigilat, saltem in senectute resipiscat.*

Omnis ætas sua experitur certamina, ideoq; nulla vacare debet ætas à vigili custodia cordis sui. Greg. hom. 13. in Euang.

Appositè profectò Gregorius custodias illas commemorans ait, hominem attendere ad vias vitæ: siquidem à sensuum ostiolis ad cor deuenitur multiplici calle, quem subeunt mors & vita pro dispari cuiusque hominis ingenio. Hinc vbi vulgata editio sic hortatur: *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Hebræa dialectus ita fatur: *Ex omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso exitus vitarum,* כי ממנו תוצאות חיים *chi mimmennu thoscoth chaiim.* Ita sanè quidquid vitale vegetat cor, illud exit sensibus incautis. Imò vno etiam tantùm sensu incurio subintrant fures, & cor illico deprædantur. Ad hoc argumentum facit illud egregium symbolum à me recensitum alibi, licet in alio sensu. Hoc non pigebit alio intuitu reuocare, cùm symbola & historiæ non ingerant fastidium si repetantur adscita aliqua animaduersione noua. Dixi aliàs esse commentum Poëticum de capta Troia ministerio equi lignei, & fabulam illam emersisse ex porta caballina, qua Græci callidè vrbem inuasere, quia illic deerant excubiæ & faces, licet vigiles Troiani in aliis foribus excubarent. Inutile alibi lumen accensum fuit, quia ciuium incuria Græcis peruium fecit vnum ostiolum, quo patente influxere mala propè infinita in vrbem, sic luentem pœnas suæ socordiæ. Ob defectum modici luminis, æternæ caliginis mulctam subiit Troia, alioquin clara. Inde ansam arripit Iouius texendi symbolum istud. Pinxit Troiam igne accenso rutilam, sed captam à Græcis subeuntibus ostium, vnde extincto lumine aberant excubantes. Vrbis miserandæ & ciuium occisorum fuit illud epitaphium. TENENT DANAI, QVA DEFICIT IGNIS.

Sensuum incuria cordis perniciem affert.

Quare & quādo Troia fuerit capta, & pulchra inde moralis animaduersio.

Ex Symbolis. Paul. Iouius lib. Symbolor.

Esto impigras agat excubias homo ad singulas quasque fores animæ, id est, quamuis omnibus sensibus inuigilet; si tamen aliquando pertæsus sedulas excubias, vel vnius ostioli custodiam negligat, non inuigilando sibi; proculdubio subintrans illecebra cordis intima penetrabit. Verbi gratiâ, virgo hactenus amantissima candoris illibati, qui suum statum decet, compescit oculos ne errabundi impingant in alios oculos spargentes libidinis incendia. Obserat aures ne obscœno eloquio pateant imprudentes. Ori suo parciore victu & silentio consulit. Incuria odorum refugit omne quod sua fragrantia demulcendo sensum, aliquam carni impetiginem affricat. Diceres

Vel vnius sensus incuria lethalis est animæ si non inuigilet sibi.

fortè

Quanta osculis abdita sit pernicies vtiq; præambula libidinis.

fortè puellæ huius adeò cataphractæ cor esse inuium cupidini; sed heu erras: etenim illa licet nihil metuens pudori suo, osculis se impeti patitur, quibus libidine exæstuans procis affingit titulum honestatis. Virgo imprudens sensum illum tactus diabolo inermem prodit, non perpendens in quam perniciem deducant animam oscula hæc, & tactus sororiantis sinus. Nescia virgo incendij, cuius fomites sunt & præambula illi tactus, Veneri patet, expertura breui, suam incuriam importuna luxuria castigari. Puellæ pereunti parentabis egregiè præfato symbolo, TENENT DANAI, QVA DEFICIT IGNIS. Id est, quamdiu lumine irradiante sensus fuere illustrati, & eis negata fuit noxia quæque illecebra, cor inaccessum gestiit nitore suo venerandum. Sed vbi aspernata est virgo, attendere ad effectus noxios, qui consequuntur oscula & tactus, vltro cor suum obiecit obscœnæ Veneri deprædandum.

Quàm letales sint tactus inhonesti.

SENSVS MORALIS.

Omnia sollicitant hominem vt cordi suo sedulus inuigilet.

In hæc verba:

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex Re Medica, et SS. Patribvs.

Quàm fuerit natura sagax in efformando corde humano.

NAtura solers etiam ad mores attendit cùm viscerum omnem supellectilem finxit, & præcipuè quando præcordiorum caput, id est cor, in suo ergastulo composuit. Nemo plane inficiari potest eam maximè fuisse sollicitam pro custodia partis, penes quam est tota vitæ summa. Nimirum deorsum habet cor diaphragma, quo vt septo munitur contra nidorem viscerum; suo inde pericardio cingitur, & valido costarum munimine fit inuium ictibus deforis intentatis. Nulla sui parte tactui patet hic thesaurus vitæ. Femelius eruditè & graphicè delineat hanc structuram ita fatus: *Medicus in corpore venter cordi ac vitæ destinatus est, vtpote cuius domicilium & sedes habetur: nam cordis gratiâ pulmones tanquam stragula creati sunt, qui illius feruorem frigidiore haustu spiritu temperent. Circumscribitur hic venter supra iugulis, seu clauibus: infra diaphragmate: circum circa dorso, costis, atque pectore. Etenim diaphragma, quod nos cingulum & septum transuersum appellamus, praterquam quòd inspirationis primum est instrumentum, aluique facibus exturbandis opitulatur, cordis quoque regionem ab infimo ventre & intestinis tanquam paries intergectus dirimit.*

Ex Re Medica. Fernel. lib. 1. Physiol. c. 8.

Elegans descriptio structuræ cordis.

Gratia profectò cautior est naturâ; ac proinde plura suppetunt ei media, quæ competunt ad tutamen animæ quàm corporis. Quippe ab homine inuito potest subtrahi cor deforis; nihil nempe potest maiorem vim infringere dum insurgit. Sed nihil planè cogit hominem Deo gratum, vt ea cadat gratiâ, quæ Deo influente tamdiu perennare potest, quamdiu homo non fuerit ei iniurius. Æmulemur itaque naturæ prouidentiam in structura cordis, obsepiendo affectus nostros suis membranulis, & costulis, & cautelis. Virtutum præsidiis muniamus affectus nostros, ne si deuient, anima pessum eat. Suis etiam costis concludi animas audi ex Gregorio ita fante: *Costa viscera constringunt, vt latentia intrinsecus earum soliditate muniantur. Costa ergo vniuscuiusque sunt sensus animi, qui latentes cogitationes muniunt.* Quia virtutes sunt animæ robur, quo assurgit, comparantur ossibus: easdem namque vices obeunt in anima, quas in corpore gerunt ossa. Vt ergo natura ad munimen cordis arculam osseam composuit; ita & gratia debet & thoracem osseum construere nostris affectibus, eos componendo intra omnium virtutum praxim: ea nimirum in modum ossis impenetrabilis cor nostrum tutabitur à dæmonum fraudibus illibatum. Nam sicut ossa licet abscondita sustinent totam corporis molem, & compagem; ita & virtutes quamuis altè delitescant, magno sunt animæ præsidio, obstantes ne deorsum inclinet homo vitiis impetitus.

Gratia in cordis custodia fuit naturâ solertior.

Ex SS. Patribvs. Gregor. l. 14. Moral. c. 7.

Quomodò debeat homo imitari naturæ solertiam in custodia cordis sui.

Esse virtutem osseam disce ab Augustino versante locum illum Psalmi: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.* Sic ille: *Os suum dicit quod vulgo dicitur ossum, Latinè os dicitur. Os dictum non ab ore, sed ab osse. Ergo est, inquit, quoddam ossum meum intus in abscondito: ossum hoc firmitas quadam est interior, quia in ossibus firmitas, & fortitudo intelligitur. Est ergo quadam animæ interior vis, vbi firmitas non frangitur. Qualibet tormenta, qualibet tribulationes, qualibet huius saculi aduersitates, vndique saniant, illud quod Deus in abscondito fecit firmum in nobis, frangi non potest, non cedit. A Domino enim est facta quadam firmitas patientia nostra, de qua dicitur in alio Psalmo: Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. Et attende Paulum habentem hoc genus firmitatis: Quasi tristes, inquit, semper autem gaudentes. Vnde quasi tristes, contumeliis, opprobriis, persecutionibus, flagellis, plagis, carceribus, catenis, lapidationibus. Quis non eos miseros tunc existimaret? Nec illi ipsi persecutores sæuirent in eos, nisi putarent eos miseros fieri persecutionibus suis. Illi enim eos ex sua infirmitate coniiciebant, qui non habebant ossum absconditum interius. Illi verò qui habebant, hominibus foris tristes videbantur; intus autem gaudebant Deo, cui non erat absconditum ossum eorum, quod fecerat in abscondito. Aperit autem hoc ossum factum in abscondito à Deo idem Apostolus his verbis: Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Parum est, quia non es tristis, sed & gloriaris? Tale ossum fecit mihi in abscondito, vt parum sit, non frangi, nisi & glorier. Et substantia mea in inferioribus terra. Quid magnum est, si fortis est Angelus? Magnum est, si fortis est caro. Et vnde fortis est caro? Vnde fortis vas fictile, nisi quia factum est ibi ossum in abscondito.* Hactenus Augustinus, & appositè ad institutum meum de sepiendo corde ossium munimine, ne homine fracto ærumnis, illecebræ arietent in cor, vt inerme cedat in ius noxiæ voluptatis.

August. in Psalm. 138.

Virtutes sũt valida ossa animarũ vt fusè hic probat Augustinus.

SENSVS MORALIS.

Homo cordis sui dominium Deo detrahens, illi iniurius est, detrahitur autem cor affectu.

In hæc verba:

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Ex Ivre Civili, ex Historia, et ex Ivre Canonico.

Altera item ratio nos compellit ad custodiam cordis, scilicet cor esse totam hominis summam, ac proinde non debere ab homine venundari creaturis, cùm seruus non sit sui iuris. Hominem autem esse Dei seruum clamat Psaltes: *O Domine quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Ergo iure animaduerti potest in hominem, qui quod Dei erat, ad creaturas transmisit, furto sui ipsius impiè perpetrato. Contra huiusmodi cauerunt Imperatores Diocletianus, & Maximianus hoc decreto: *Seruum fugitiuum sui furtum facere, & ideo non habere locum, nec vsucapionem, nec longi temporis præscriptionem, manifestum est, ne seruorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa.* Iniquè igitur homo init pactum & contrahit cum creaturis, deuouendo cor suum: quod namque præ aliis rebus amatur ab homine, illud sui dominij tesseram inurit cordi, & sæpe cor velut impos sui concutitur à re concupita, vt prorumpat foras sicut aliquando scribitur euenisse.

Psalm. 115. Quare cor hominis non debeat vendi creaturis. Ex Ivre Civili. *Leg. Seruum ff. De seruis fugitiuis l. 6. tit. 1. lege 1.* Quale piaculum sit nimis amare creaturas.

In eo argumento duæ prostant historiæ probantes meum institutum. Prior est Beatæ Catharinæ Senensis, quæ amore Dei flagrans, æstuantis sui cordis non potuit ferre præsentiam, eamobrem pectore ei aperto dicitur Christus eruisse cor illud, & suum reposuisse loco ablati cordis. Ita amoris alis effertur cor eò, quò rapitur anima perculsa validis affectibus. Hoc effatum ad literam etiam constare sibi probauit Beatus Antonius à Padua vir Sanctus ex ordine Minorum. Nempe è pulpito disseminans verbum Dei in obitu prædiuitis hominis, & deplorans eius sortem, quia se totum suis addixerat opibus, palàm asseruit hominis huius cor etiam extinctum esse eadem arca reconditum, qua conclusæ iacebant opes. Et ne dicto deesset fides, eadem hora misit quosdam de astantibus, qui recluso ergastulo auri, deprehenderunt cor auari nequam, inibi delitere. Ea verò quæ impensè amantur suam inurere notam cordi, liquet ex supremo Ignatij Martyris fato. Quippe demortui huius Sancti cor inuentum est sanctissimo Iesu nomine prænotatum, in argumentum amoris, quo deperibat Christum Dominum, cui se totum ex animo consecrarat. Proculdubio suam Christus affinget tesseram cordi euecto in altiorem locum, & custodito in similitudinem arcis, vel templi, vnde aliquid expilare nefas fuit apud omnes Gentes, religionis alicuius conscias.

Ex Historia. *Ex vita S. Catharinæ Senensis.* *Ex Chronicis Minorum, in vita B. Antonij.* Cor diuitis impij repertum in arcula auri sui. *Surius in vita S. Ignatij Martyris 1. die Febr.*

Hominem esse templum Dei res est indubia. In intimo huius templi sacrario cor ardere debet igne sacro appositis custodibus iis, quos Ioïada Pontifex præfecit olim portis templi, ne quid impurum pollueret ædes sacras. Rem sic commemorat Codex sanctus: *Constituit ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immundus in omni re.* Si recolis à me recensita de custodia sensuum, apponentur à te ostiis animæ tuæ congrui ianitores. Potior sanè est templi custodia, quàm castelli. Nempe in castro fit tantùm iactura rei temporalis, at in sacris ædibus res est de pignore sacrosancto. Res tibi est de anima, ô homo Christiane; inuigila foribus huius templi, ne quid immundum permeet illas ædes. Nihil apud te agitari permittas, vnde sanguini Christi fiat iniuria, & moraliter serua quod literaliter Ius Pontificium sic decernit: *Cum Ecclesia Dei secundum Euangelicam veritatem domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: Sæculares Iudices causas, vbi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesiis vel cœmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus: absurdum enim est, & crudele, ibi iudicium sanguinis exerceri, vbi est tutela refugij constituta.* Hæc sanxit Papa Lucius tertius. Vtinam saltem homines cordis sui sacrarium ea reuerentia custodirent, qua feruntur erga ædes sacras, in quibus nec ipse Senatus purpuratorum fas credit sæculi huius reculas agitare: tamen rarus est ille, quem pudeat diu noctuque animo versare obscœna, & plerumque inimicis suis texere insidias, imò & moliri necem, vt suo sanguine luat hostis pœnas illatæ iniuriæ. Profectò deplorata est salus animæ huius, adeò incuriæ cordis sui, in meditullio templi humani corporis à supremo opifice Deo Domino constituti.

Homo est templum, cuius sanctuarium est cor. *2. Paral. 23.* Quanti sit momenti cordis custodia. Ex Ivre Canonic. *Cap. Cum Ecclesia. De immunitate Ecclesiarum. l. 3. Decretal. tit. 49. c. 5.* Quanam reuerentia custodiantur ædes sacræ. Quàm incurij sint impij homines custodire suum cor.

Ex præfatis, palàm colligere est, hominem, qui Ecclesiæ Romanæ fidem profitetur, debere etiam sequi ritus veterum Romanorum in thesaurizandi modo, deligendo locum procul ab infimis. Is autem locus editus, & thesauro cordis nostri aptissimus est Ierusalem illa cælestis, omni etiam arce tutior, & sanctior omni templo, cùm inibi templorum omnium Dominus irradiet, & gloriæ suæ latices largè Beatis omnibus impertiat, ditans animas, quæ cordis sui gazas penes locum illum tutissimum reposuerunt, amando cælestia, & cautè denegando suos affectus noxiis mundi illecebris, quibus imprudens anima dementatur.

Quisnam locus sit aptus ad reponendum cor hominis.

CONTRO

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO, EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

Textus Euangelij sectum in tot numeros, quot controuersiæ proponuntur.

I. CVM ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.
II. Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.
III. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito.
IV. Et Pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

ORTHODOXA ET Catholica expoſitio Euangelij diſtributa in tot titulos, quot argumenta controuerſiarum ſuppeditauit textus literalis.

I. NE quandoque caro refuga ritus omnis, qui faceſſit negotium corpori, ſuggereret ſuperſtitioſum eſſe morem ieiunandi, Chriſtus hodie multus eſt in decernendo modo, quo ſtipari debent ieiunia. Non autem prudens hic præceptor adeò religiosè ſuos erudiret diſcipulos, qua cautela impaſti homines ſuam ferre debent inediam, ſi ieiunium haudquaquam eſſet cælitus inſtitutum.

II. Quibus verò cibis recreanda ſit natura fatiſcens inedia, Legiſlator idem ſatis inſinuat commemorans exterminium faciei, quæ tabeſcit inſcia cibi lautioris & opimi, compendioſo hoc loquendi tropo carnem & oua ſecernens à quadrageſimali ieiunio, quod viguit in ipſis Eccleſiæ incunabulis.

III. Deo ſic volente hominem ſeſe accingere hoc quadrageſimæ penſo ad feſta paſchalia, comite tamen vnctione gratiæ, & lotione capitis. Nempe animæ impuræ ieiunia Deum minimè deuinciunt.

IV. Sed hac tantùm ieiunia merces manet, quæ obſeruat anima exoſa totam mundi huius ſupellectilem, quam ſi mercatur homo bonis operibus, vt inde ſuum theſaurum hic componat, deplorandus ſanè eſt ſtatus eius, vtpote qui cõgrua mercede ſua excidat, vt & corde, quod huic ſæculo incautè deuouit, Deo imprudẽter penitus abdicato.

ELENCHVS ET RATIO CONTROuerſiarum, quæ diſcutiuntur captata occaſione materiarum huius Euangelij.

I. NE bonum ſua bonitate cadat, Chriſtus hodierno Euangelio ſuos erudit diſcipulos, quibuſnam cautelis debeant ſua ſtipare ieiunia, & inde capto occaſionem iſtam dirimendi controuerſiam:

An ſuperſtitioſus ſit ieiunandi ritus.

II. Eodem textu Dominus ſugillat hypocritas, qui faciei ſuæ exterminio ſuam ſingularem produnt inediam, aucupantes illa facie macilenta ſordidum inanis gloriæ ventilabrum. Specialis illa inedia, marcorem & exterminium inducens faciei, cogit ſuſpicari, fuiſſe arcta olim ieſunia. Inde exurgit iſta controuerſia:

An abſtinere à carnibus, ſit de ratione ieiunij.

III. Quia hoc Euangelium accuratam

ratam mentionem texens ieiunij, prima die Quadragesimæ legitur vbique terrarum, suggessit mihi istam quæstionem:

An Ecclesia congruè instituerit Quadragesimam, &c.

IV. Demum Christus consultor optimus præcipiens homini ieiunanti vt vngat caput suum, & faciem lauet, Deo soli placiturus, penes quem est merces ieiunij; Christus inquam hoc sermone obtulit argumentum istius controuersiæ:

An ieiunium sit meritorium, & qua cautela indigeat, vt à Deo compensetur.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA PRIMA.

An superstitiosus sit ieiunandi ritus.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

PRÆFATIO.

Dispar partiū hominis indoles discordes etiam ingerit appetitus.

ANima coëunte cum corpore coalescit hæc compages, quam Physici hominem vocant. Tamen esto pars vtraque conspiret ad compositionem nobilis animalis, non ideo concolor est vtriusque partis indoles, sed dispar omnino ratio. Etenim caro non oblita limum, quo vt coagulo compacta est, deorsum vergit; anima verò secus æmulata Deum vt suum prototypum, dedignata solum, semper enititur ad superna. Fit hoc intimo corporis, & animæ commercio, vt vna partium præualente, alia quasi alterius ingenium induat, velut immemor eius sortis, quam accepit in suis incunabulis. Verbi gratiâ, in Beato Patre meo Seraphico Francisco spiritus corpore vegetior ita defæcarat carnem, vt plerumque efferretur in aëra Sanctus ille suo corpore defæcato. At secus carne inclinante hominem ad saginam, anima suæ nobilitatis titulos radit, & spiritus degener immergitur abdomini, impos assurgere ad facinora congrua suis natalibus, iuxta hanc Pauli sententiam: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur.* Cùm igitur Adami deliquio anima infirma insignem iacturam passa sit; illa eius ruina fecit initium tyrannidi, quam caro exercet in animam, illam demulcendo nouis illecebris, ita vt propè miraculum sit videre animam compotem sui degere in corpore saginato.

Pars quæ in homine præualet, alias omnes secum trahit.

1. Cor. 2.

Quàm sit iniuria animæ nimia carnis cura.

Discrimine Adami deterior facta est illius prosapia, experta carnis iniurias, & dominium vsurpatum in animam. Quo autem maior fuit sollicitudo de corpore, minor etiam extitit animæ cura. Hinc superiore sæculo emersit tanta salutis animarum incuria, quia voluptatis asseclæ hoc vnum sibi imposuerant pensum, scilicet vt pomœria carnis iugiter ampliarent. Itaque præualentibus carnis illecebris, planè abdicata est animæ commemoratio, singulis quibusque ferè hominibus enixè colentibus carnem suam. Ne autem videretur inglorius ille ritus saginandi corpus, vilia ventris mancipia studuere eliminandis ieiuniis, quasi res esset superstitiosa ieiunare. Hoc pingue hominum genus aggrediar priori parte solutis eorum argumentis. Posteriori verò parte adstruam meum intentum, probando illud ex Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus, adiectis historiis & ritibus Ecclesiæ. Hac nempe methodo discutiam semper controuersias, quæ occurrent agitandæ.

Quare hæretici impugnarunt ieiunia.

Diuisio controuersiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

PRIMA PARS CONTROVERSIÆ.

Quibus machinis hæretici arietarunt in ieiunium.

Ecclesiæ desertores fecere se villa ventris mancipia.

VT familiare est homini exoso lumen impingere in tenebras, ita & res est vernacula homines transfugas ad diaboli castra deuouere carni sua omnia obsequia; quia animæ suæ cultum penitus abdicarunt. Distento abdomine velificantur huic effato, omnes propè hæretici desertores ouilis Christi, vt Epicuri de grege sues essent nescij prorsus rerum cælestium, & spurcissimo voluptatum cœno sese impunè & perditè volutarent. In his recensentur plerique porci, qui cauponas & coquinas fecere suâ Ecclesiam, paradisi alterius incurij. Piget sanè reuocare ab inferis hos gulosos, qui decocta pinguedine sua pabulum præstant flaminis, quarum opiparis epulis incendia suscitarunt. Calente adhuc sanguine Christi, & vigente exemplo Apostolorum, quibus erat familiaris inedia, nemo planè est ausus carpere ieiunium, etsi plerique hæretici dubia fecerint alia dogmata Christiana. Dæmon animaduertens propensiores fidelium animos ad virtutem, non ausus est prætendere illecebras gulæ, vtpote incongruas indoli huius æui memoris ieiuniorum, quæ coluerant Apostoli, & qui eadem ieiunandi disciplina initiabant omnes neophytos, id est, eos qui ex Gentibus & Iudæis dabant nomen suum Christo. Angelus ille nequam, probè sciens non sibi faustè cessura conamina aduersus ieiunium, aliò direxit suas machinas. Nempe oppugnauit diuinitatem Christi, suggerens fidelibus primi sæculi fieri Deo iniuriam, si crederetur Christus conscius esse Deitatis.

Quare hæretici exorti in primitiua Ecclesia non ausi sint impetere ieiunia vt fecere nostrates hæretici.

Eo astu palantes egit oues gregis sancti. Nam ipso Apostolorum æuo Cerinthus & Ebion, antea ignari huius hæreseos, diuinitatem Christi acriter impugnarunt. Sic dæmon prætexens zelum gloriæ Dei, illusit fidelibus, susurrando, Christum quidem hominem fuisse sanctissimum, sed meram Dei creaturam longè infra Deum, ac proinde nefas esse adorare Christum, eumque prædicare Deum. Sed tepente feruore fidelium, & carne suas agente vices, diabolus statim fouit partes carnis, suadens hominibus inutilem esse ieiunandi ritum, quem primi improbarunt Messaliani hæretici, quos Theodoretus & Damascenus commemorant. Hi suum sparsere virus quarto sæculo inclinante, anno videlicet CCCLXXX. Vt omnem ieiunij virtutem expungerent, Baptismum miris efferebant encomiis,

Primi hæretici Deitatē Christi impugnarunt, & quare.

Theodoret. lib. 4. histor. Eccles. c. 11. Damasc. lib. de hæresib.

mijs affirmâtes hominem tinctum illis salutaribus aquis esse rediuiuum, nec vllo ad suam sospitatem ieiunij obsequio penitus indigere.

Eiusdem farinæ fuit Iouinianus assecla gulæ & ventris. Is lautioribus epulis Baccho & Cereri litans, refuga ieiunij, risit hoc institutum vt prorsus inutile. Æmulos & censores habuit Hieronymum, & Augustinum, qui nebulonis insaniam suo stylo vindice confixerunt. Sancti illi propugnatores ieiunij ita repurgarunt Ecclesiam hac hæresi, vt postea salutaris ille ieiuniorum ritus octingentis ferè annis steterit illibatus. Quippe à Iouiniano ad VValdenses effluxere anni DCCLXXX. Emersit illa colluuies anno MCLXXX. Vt recensent Guido, & Æneas Syluius. Ducentis ab hinc annis Begardi aliud delirium commenti sunt, affirmantes, hominem nactum eminentem gradum perfectionis non indigere ieiunio, quia caro subdita spiritui nequit animam adducere in discrimen, vtpote posita extra voluptatis impetiginem & pruritum. In hanc hæresim animaduertit Clemens Quintus. Hanc etiam notant Aluarus Pelagius, & Beatus Antoninus. Grassata est illa lues anno millesimo trecentesimo. His se comites adiunxerunt Lollardi, eodem æuo agentes causam gulæ, vt refert Trithemius.

Hieron. lib. 1. contra Iouinian. August. l. de hær. sub. hæres 82.

Guido de VValdens. Æne. Syluio hist. Bohem. cap. 35.

Clem. Quint. c. 3. de hæres. Aluar. Pelag. de planctu Eccl. lib. 2. cap. 52. Anton. 4. p. sum. tit. 11. cap. 5. § 4. Trith. in Chron. Hirsaugiens. sub ann. 1315. Luther. in responsione ad Amb. Catharin.

Superiori sæculo, anno scilicet millesimo quingentesimo vigesimo, debacchatus est in ieiunium vir helluo obesus, & crapulâ tantùm potens. Nefarius ille Lutherus est, cuius ebrij ructum audi. *Hodie sic ieiunatur, non vt caro mortificetur, sed quia opus bonum sit, hoc die ieiunasse, isto, vel isto cibo abstinuisse, quo cælum mercantur. Quid autem hoc aliud, quàm impia facies Antichristi est?* Indiuiduus huius porci comes Melanchthon ita & ipse grunnit: *Error est perniciosus, ieiunia, & similes anxietates esse opera, & cultus Dei.* Eodem dæmone afflatus est Caluinus, quando erroris insimulauit omnes proceres Ecclesiæ, quia se encomiastas præbuere ieiunij. Audi hominis blasphemi insaniam hoc contextu: *Alius error non quidem adeò impius est, periculosus tamen: tanquam vnum ex præcipuis officiis morosius exigere, ac immodicis encomiis sic extollere, vt homines se aliquid eximium fecisse putent, quando ieiunauerint. Qua in parte non in totum excusare audeo veteres, quin superstitionum quædam semina iecerint.* Sic latrat ille canis in sidera micantia. Vtque virus præsentissimum ad necandum latet in extremo caudæ serpentium; ita & hic homo scelestus claudens agmen hostium Ecclesiæ, maiora intulit damna cæteris omnibus, cautè impugnans dogmata sanctiora. Tamen vt Spartani habuere despicatui Persas Hostes suos postquam deprehenderunt eos esse corpore pinguiori. Quippe, arbitrati sunt homines sobrietatis incurios, esse ineptos ad grandia facinora gnauiter exantlanda. Ita si explores ingenium illorum hominum, qui fastidiere ieiunium Ecclesiasticum, reperies esse apostatas, lixas, & calones, viros inglorios, & infames, aliquo insigni crimine perpetrato. Quia in noxios animaduertit Ecclesia, & impudentes homines, noluere pati censuram Ecclesiæ, & alienum vitæ tropum ineuntes præcipua quæque Ecclesiæ dogmata condemnarunt. Et quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, homines illi nefarij despecta animæ suæ cura, egere patrocinium carnis, in Ecclesiastica ieiunia declamantes.

Phil. Melãch. in locis commun. tit. de carcere.

Caluin. l. 4. institution. cap. 12. § 19.

Qui fuerint ieiunij oppugnatores.

Plutarch. in vita Agesil.

Homines obesi nihil nisi adipem cogitantes inepti sunt ad ardua facinora meditanda.

Quare hæretici declamarunt in ieiunia.

Dixi Ecclesiastica ieiunia quia de his tantùm controuertitur, ideoque operæpretium est explicare naturam illius ieiunij, quod improbant hi patroni gulæ, & ventris. Ieiunare Græcè dicitur, νηστεύειν, quasi νη ἐσθίειν, νη est particula negans, ἐσθίειν perinde est ac edere, & νηστεύειν ieiunare, seu non edere, vt & latinè, inedia, non edere, ieiunium, sunt voces synonymæ. Quadrifariam vsurpatur vox illa: nimirum quatuor sunt genera ieiunij; nam diuiditur in spirituale, morale, naturale, & Ecclesiasticum. Ieiunium spirituale est abstinentia à vitiis iuxta Isaiæ effatum hoc: *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Eò respicit Augustinus ista sententia: *Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus.* Rursus ille idem hoc argumentum decurrens ita fatur: *Scriptura docet generale ieiunium, non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporalium delectationum.* Propriè dixerim illud esse ieiunium metaphoricum, quia anima virtute saginata respuit illecebras, abstinendo ab his, quibus indulserat antea, ingurgitando se deliciis inconcessis. Ieiunium morale, est parcior ille ciborum vsus, quem plerique Philosophi sectati sunt, quia conducit ad mores componẽdos, & scientiam cõparandam. Nemo vnquã damnauit illud ieiunium, quia pertinet ad virtutem temperantiæ. Ieiunium naturale nuncupant Theologi abstinentiam ab omni prorsus cibo vel potu quacumque ratione sumpto. Dicitur autem sumptus cibus, vel potus, quando iam ad stomachum est transmissus. Si quis enim cibum aliquem degustatum continuò expuerit, non solueret naturale ieiunium, quod præire debet sumptioni Eucharistiæ, vt monet Augustinus isto textu: *Placuit Spiritui Sancto, vt propter honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.*

Quid sit ieiunium, & quotuplex.

Isai. 58.

August. in tract. 17. in Ioan. lib. 2. quæst. Euangelic. quæst. 18.

Quid sit ieiunium morale.

Quid sit ieiunium naturale.

August. epist. 118.

Tota controuersia est penes ieiunium Ecclesiasticum, quod est abstinentia cibi secundùm Ecclesiæ regulam assumpta. Dicitur hoc ieiunium, abstinentia cibi, quia quæcunque per os ad stomachum transmittuntur, ad tria reuocari possunt. Primum, illud dicitur cibus, quod primariò refertur ad corpus alendum, vt panis, caro, &c. Rursus aliquid traiici potest, quod non refertur per se ad corpus alendum, sed potius ad alium effectum, verbi gratiâ ad iuuandam cibi digestionem, vel restinguendam sitim, vt vinum, aqua, sicera, quæ dicuntur potus, & non cibus. Demum alia quæ transcolantur in stomachum, referuntur ad morbos pellendos, vel vitandos, ac proinde vocantur pharmaca, non autem cibus aut potus, licet interdum corpus alant, & sedent sitim. Nam distinguuntur à cibo & potu, ratione finis, qui est dubiam procurare sanitatem. Ex præfatis facilè est inferre quid sit ieiunium Ecclesiasticum. Quippe non est abstinentia potus aut pharmacorum, sed solius cibi instituti per se ad corpora nutrienda. Fauet Leo Papa hac subiecta sententia: *Licet ieiunium generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur; propriè tamen ad edendi diminutionem refertur, vt prosit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit vsurpasse.* Hæc abstinentia dicitur assumpta secundùm regulam Ecclesiæ, quæ quadruplex est. Prima vt certis diebus ieiunet, aliis verò soluat ieiunium. Verbi gratiâ, vigiliarum,

Quid sit ieiunium Ecclesiasticum.

Leo serm. 8. de ieiunio septimi mensis.

Quadruplex regula Ecclesiæ circa ieiunium ab ea indictum.

liarum, quatuor temporum, & Quadragesimæ dies ieiunio decernuntur. Diebus verò Dominicis ieiunare non congruit statutis Ecclesiæ, quia dies illi fuere instituti ad commemorandam resurrectionem Christi, ad cuius æmulationem nostra aliquando corpora nouabuntur. At ieiunium non recreat corpus, sed macerat: idcirco incongruus esset ille ritus, qui diebus Dominicis ieiunia indiceret.

Quare non ieiunetur diebus Dominicis.

Altera regula ieiunantes obligat ad vnum tantùm pastum singulis quibusque diebus ieiunio sacris. Tertia refectionem illam vult esse cœnam, non prandium, vt longiore inedia corpus luat pœnas, quas peccando demeruit. Vltima demum ieiunandi norma hæc est, vt habeatur delectus ciborum, & præcipuè à carnibus abstineat, qui ieiunio Ecclesiastico morem gerit. In quatuor his regulis omnes Catholici conueniunt, etsi dissideant in modo singulas explicandi. Hæretici verò, quos memini, vt conducti à carne in patronos gulæ, tentarunt eradere ex fastis dies omnes addictos ieiunio Ecclesiastico, contra quod sic arguunt hæretici. Christi effatum indubium hoc est: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem.* Ergo si epulando soluantur ieiunia indicta ab Ecclesia, cibi traiecti per os in stomachum non coinquinabunt animam, & sic probabunt perperam indici ieiunia illa Ecclesiastica, quæ violare nefas est Catholicis. Respondeo ad perfectam intelligentiam verborum Christi, esse intentum eius sedulò requirendum: quod si quis assequatur, intelliget incongruè hæreticos vti illa Christi sententia ad explodendum ieiunium. Etenim Christus ita fatus est carpens superstitionem Iudæorum, qui credebant contrahi noxam, si quis illotis manibus ederet. Eos hallucinari ostendit Christus, dicens cibos ex se vt tales sunt non polluere comedentes. Non negauit tamen accedente mandato Dei aut eorum ad quos pertinet, esse piaculum comedere. In eo sensu polluitur anima nimietate ciborum corpora despurcante. Alioquin crapula non esset vitium, nec ebrietas esset indecora, si omne quod intrat per os, non coinquinaret hominem. Non itaque dicimus, comedere esse piaculum, eò quòd polluatur anima præcisè ex traiectione cibi; sed hoc astruimus, comedere quando vetitum est, esse lethale ratione præcepti violati.

Abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij Ecclesiastici.

Matth. 15.

Argumenta hæreticorum contra ieiunium Ecclesiasticum.

Soluitur argumentum primum.

Aliud argumentum contra ieiunandi ritum.

Rursus infrementes hæretici insurgunt, gloriantes se habere Paulum à partibus suis, quando ille præscius æui instantis hæc præfatus est: *In nouissimis diebus discedent quidam à fide, prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit.* Ergo damnanda sunt ieiunia, quæ ferias indicunt ventri, dum eum fraudant epulis ad sospitatem hominum cælitus institutis. Respondere huic obiectioni Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, & Occumenius, expendentes illam Pauli sententiam. His adiice Hieronymum, qui Iouiniani calumniam explosit, ita Pauli sensum enucleans: Paulus diuino flamine percitus præsaga mentis acie vidit mala, quæ imminebant Ecclesiæ, & in his meminit delirium quorumdam hominum, qui dicturi erant cibos esse aliquos immundos, & editos à diabolo. Hos explicitè notat Apostolus esse refugas, & apostatas, quales fuere Marcio, Tatianus, & Manichæi. Ergo cùm Ecclesia non defecerit à fide, & nullos cibos immundos prædicet, ad eam non pertinet hæc censura Pauli declamantis in transfugas hæreticos, ac proinde labat illa machina directa contra ieiunium Ecclesiasticum.

1. Tim. 4.

Chrysostom. Ambrosius. Theophyl. Occumen. in cap. 4. ep. 1. Timo. Hieron. l. 2. contr. Iouin.

Soluitur 2. argumentum hæreticorũ.

Qui fuerint hæretici damnantes cibos, vt malos.

Hanc fuisse mentem Pauli asseruere summa capita, ad quorum trutinam appensa est illa Pauli sententia. Ita Hieronymus: *Marcionem designat, & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera creatoris.* Subscribit Augustinus Hieronymo; nam veritas vbique & semper sibi constat. Sic ille carpit Manichæos, eorum Principem Faustum increpans, hoc discursu: *Vos ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnem diabolus operetur faculentiore materia mali, ac per hoc eas, tanquam immundiora, truculentiora Dei vestri vincula exhorrentes abiicitis.* Idem Sanctus eam agitans thesim commemorat illum textum Pauli, quem nostrates hæretici concrepantibus buccis obiiciunt vt summam suæ gulæ, cui impunè deseruiunt ieiunio penitus abdicato. Ita fatur Augustinus: *In nouissimis temporibus futuros dicit quosdam prohibentes nubere, abstinentes à cibis, quos Deus creauit. Hos enim Manichæos propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrænent, aut vt infirmitati alterius pareant; sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant.* His antiquior Tertullianus Pauli locum simili calculo prænotarat. Illum accipe Apostoli sensum sic prodentem: *Prædamnans iam hæreticos, abstinentiam perpetuam precepturos, ad destruenda & despicienda opera creatoris. Quales inueniam apud Marcionem, & Tatianum.*

Hieron. l. 2. contr. Iouin.

Aug. l. 30. cont. Faust. cap. 5.

Idem lib. contr. Adimantum c. 14.

Cibi ex natura sua non sunt immundi.

Tertull. lib. de ieiunio c. 15.

Multifariàm adhuc garriunt hæretici, mendicantes è Scriptura sacra truncatos versus, quos coniice nullius esse momenti, cùm præcipui textus hi sint, quos antea recensui, quibus arietant in ieiunia indicta fidelibus. Paucis reuera machinis impetitur ille ritus ieiunandi, à quo non deflectit Ecclesia cælitus erudita.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS SECVNDA CONTROVERSIÆ.

Sanctissimè esse à Deo instituta ieiunia probatur ex Scriptura sacra, & Sanctis Patribus.

ARGVMENTVM PRIMVM.

EX SCRIPTVRA, ET SS. PATRIBVS.

SAnctitatis nomen sibi vendicat illud omne quod hominem facit sanctiorem, vt sanus ille nuncupatur cibus, qui maximè idoneus est ad tuendam sanitatem. Cùm ergo ieiunium à crapulæ & ebrietatis contagio nos secernat, & aptiores efficiat ad Deum consulendum; nemo nisi sanus ibit inficias, sanctissimè esse à Deo ieiunandi ritus institutos. Reclament pro arbitrio suo hæretici; non obstabunt tamen, quin ieiunium sit diuini iuris, quod tamen ita velim intelligas, vt ieiunium Deus indixerit in genere, vt eâ pœnâ diluat homo piacula quæ commisit, vel ita sese expediat ab aliquo genere dæmoniorum, quod duntaxat inediâ profligatur.

Variè vsurpatur nomen sanctitatis.

Demiror insolentiam hæreticorum, qui prouocantes

vocantes Catholicos ad Scripturarum scrutitium, cæcutiunt euoluentes sacros libros, & insurgunt mentientes, illic à Deo non præcipi ieiunium, in quod eamobrem impiè debacchantur. Vt resipiscant, hos remitto ad Ioëlem prophetam, quo ministro Deus sic Hebræos affatus est deuios à prioribus institutis: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio.* Vt ieiunium altius inculcaret idem rerum Dominus ita iterum hortatus est: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum.* Fuisse autem indictum à Deo ieiunium, vt eius obsequio peccatores facerent sibi Deum propitium, vel vt ipsi etiam homines innoxij hac cautela sibi consulerent patientes inediam, qua itur obuiam illecebris ne irrepant; id etiam probari potest historiis petitis ex eodem Codice sancto.

Ex Scriptvra. *Ioël.2.* Ieiunium in Scriptura indictū à Deo homini. Historiæ sacræ quibus adstruitur ieiunium.

Primò occurrunt filij Israël, quorum angustiæ & damna accepta à tribu Beniamin suspicionem fecere Dei subirati, quem vt placarent, orationi adiecere ieiunium. Rem sic quasi oculis subiicit historia. *Omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt holocausta, atque pacificas victimas.* Idem etiam iniere consilium nepotes illorum Samuele suasore, qui vt ingruentibus Philistinis occurreret congregauit populum in Maspha, vt obseruato ieiunio Hebræi impasti Deum facerent sibi propitium. Consultori opportuno, sponte illibato omni cibo, populus auscultauit. En compendium historiæ. *Ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Dauid etiam post dilutum scelus ieiunabat, iturus obuiam aliis illecebris, si quando facesserent negotium. Sic ille: *Humiliabam in ieiunio animam meam: Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Iudith mulier commendata diuinis encomiis, erudita quàm potens esset ieiunium ad virtutum omnium custodiam, ieiunabat omnibus ferè diebus, exceptis feriis solennioribus. Ecce elogium fœminæ sacro Codice celebratæ: *Ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.*

Iudic.20. *1.Reg.7.* *Psal.34.* *Psal.108.* *Iudith.8.*

Hæretici fortè conabuntur eludere hos textus, obiiciendo hoc præceptum de ieiunio fuisse antiquatum, sicut & alia pertinentia ad sacrificium, ac proinde superstitiosum esse illum ieiunandi morem, sicut & superstitio esset, & non religio, aris imponere holocausta, præcepta tamen diuinitus verbis explicitis. Diluitur hoc commentum præuia distinctione præceptorum, quæ aliàs Hebræum populum obstrinxerunt. Alia namque sunt cæremonialia, & iudicialia. Alia verò moralia. Priora viguerunt ante obitum Christi, ad quem figurandum erant cælitus instituta. Alia autem, quæ sancita sunt ad mores componendos, æquè ad Iudæos, & Ecclesiam pertinent, cùm omnes æqualiter indigeant regulis idoneis moribus informandis. Hinc proculdubiò peccaret ille qui denuo Paschalem agnum conficeret eo ritu, quo Hebræi comederunt illud Pascha: siquidem præferebat ille agnus ideam Christi venturi, quo immolato homines erant non ex captiuitate Ægypti sed dæmonis exituri. Cùm ergo cedat vmbra rei, & veritas figuram eliminet; profectò dubium aduentum Christi faceret is, qui exoletos repeteret Iudæorum ritus adumbrantes ortum Christi, cuius indubia fides orbi illuxit. At secus est de præceptis, quæ hominem prouocant ad meliorem frugem, & quibus ritè obseruatis vitia compescuntur. Hæc præcepta vigent, & vigebunt quamdiu mundus stabit, & supererunt homines obnoxij illecebris sæculi huius, & cupidini corporis importuni.

Instantia hæreticorum contra ieiunium. Diluitur obiectio hæreticorum. Præcepta Iudaica alia cæremonialia & iudicialia, alia verò moralia, & quæ inter illa intercedit differentia.

Quia præcepta hæc moralia coërcent impetiginem carnis, quæ pruriens deorsum inclinat, nusquam illæ leges sua virtute cadent: nam Ecclesiâ suffectâ in locum Synagogæ, homines semper constitere sibi, indolem nacti pronam ad vitia contrahenda. Itaque perperam conglobati fremunt hæretici, & concordi vesania inclamant, Ecclesiæ leges esse amoris, non rigoris, ac proinde cassas esse leges carni iniurias, & sic irrita mandata de ieiuniis, quæ corpora perstrinxerunt. Imò cum sanctiore ritu fuerit Ecclesia initiata à Christo, quo præeunte fideles ad virtutum apicem euecti sunt, impensiùs coluere ieiunia, quàm Iudæi, quos longè minor solicitudo perculit de virtutum pomœriis & finibus ampliandis. Stabit ergo, inuitis hæreticis gulæ patronis, inconcussa ieiuniorum praxis, quia præcepta moralia Deo legislatore indicta omnes æquè deuinciunt homines; siquidem debent omnes impigrè studere suis moribus excolendis. Ne suspicentur vilia abdominis mancipia, esse meæ industriæ solutionem instantiæ quam fecere, scilicet esse antiquata omnia præcepta Iudæis imposita; aduocabo Patres emeritos, quibus etiam hæretici deferre solent, quia eorum æuo dicunt illibata Christi dogmata floruisse.

Ieiunium est præceptum morale, ideoque viget præceptis aliis antiquatis. Ecclesia sanctiore ritu initiata quàm olim Synagoga, ideoque fuit frequens in ieiuniis.

Prior occurrit Leo Papa, disertè occurrens hæreticorum technis hoc contextu dispescente cæremonialia præcepta à moralibus. Sic ille: *Illa quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis quæ significauere finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem, noui testamenti gratia non remouit, & continentiam corpori atque animæ semper profuturam, pia obseruatione suscepit. Quia sicut permanet ad intelligentiam Christianam, Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies, & cætera talia mandatorum; ita quod in eisdem libris de ieiuniorum sanctificatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur.* Ad hæc oracula quid quæso mussitabunt hæretici? fortè vnum dicent esse Pontificem seuerum nimis vindicem statuti, cui tota tenaciter adhæret Ecclesia. Ne vel sic hæretici mentiantur, sisto Augustinum, virum vtique famosum sanctitate & doctrina, consciis etiam ipsis hæreticis. Ita ille dirimit istam controuersiam: *Ego in Euangelicis & Apostolicis litteris, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, video esse præceptum ieiunium.* Non è coquina helluonum prodiit illa sententia, ideoque ingrata gulæ assectis, quos epularum nidor vrget ad cauponam.

Ex SS. Patribvs. *Leo 1. serm. 4. de ieiunio decimi mensis.* Solutio proxima confirmata Patrū suffragio. *August. epist. 86. ad Casul.*

Sed quid commemoro Patres vt adstruam esse fidelibus impositum iugum ieiunij, cùm illud ex sanctiore Scriptura prostet: ipsum namque Euangelium quod expendo habet Christum ieiunij assertorem, quando suos discipulos instituit ad ieiunandum, hoc tenore: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Si ieiunium suboleret superstitionem, Christus in ea obseruatione tot cautelas non petiisset à suis sequacibus, quibus ieiunandi ritum præscripsit vt medium valde idoneum ad meliora charismata comparanda. Eodem Spiritus Sancti œstro percitus Apostolus nouella germina Ecclesiæ ieiuniis alluit, ne insitæ cupidinis

Ex Scriptvra. *Matth.6.* Textus probantes ieiunium.

cupidinis vredine marcida tabescerent, Ille neophytos sic compellat: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, &c. in vigiliis, in ieiuniis, in castitate.* Paulus insinuat ieiunium esse remedium propitium ad extinguendam libidinem, & pungendam acediam; media namque ponit ieiunia inter vigilias,& castitatem: quasi diceret: O homo somnolente quid quereris grauedinem mentis obstare, ne virtutum aucupio insistas? impone modum gulæ, & tunc ieiunus venter animam non grauabit: nimirum non discordant vigiliæ, & ieiunia. Si tibi præterea molesta caro prætendit faces luxuriæ, subtrahe fomitem escarum, quibus accensa libido viget, & beneficio ieiunij extincta Venere castitas enascetur.

1. Cor. 6.

Quàm sit efficax ieiunium ad vitia omnia profliganda.

Hanc Pauli exhortationem non fuisse in cassum, & hunc ieiunandi ritum fuisse familiarem Apostolis, vide ex eorum actibus à Luca recensitis. *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Diceres inediam fuisse Apostolis adhibitam à Deo velut deliciosum cuiusque operis optimi condimentum. Ieiuniorum praxim fore vsitatissimam suis discipulis, prædixerat Christus, quando Iudæis quærentibus quare ieiunantibus Ioannis Baptistæ & Pharisæorum sequacibus non ieiunarent Apostoli. Ait enim amantissimus ille Dominus, Apostolos sua diuina præsentia recreatos, esse fouendos sicuti tenellos fœtus, qui cùm adoleuerunt, valida ventorum flabra impunè sustinent. Fore etenim tempus quo post ascensionem in cælum Apostoli Spiritu Sancto afflati longam ferrent inediam. Sic ille præsciâ mente fatus: *Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies: cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Quid ad hæc opponet hæresis exosa ciborum parcitatem? An fortè benè pasta,& copiosiore vino desudans, oblita suam garrulam indolem, tacitos præteribit textus noui Testamenti antea recensitos? Nequaquam sanè, sed deputabit hominem è culina iusculo inunctum, & crapula inundante perfusum, vt eo apparatu prodeat in arenam, & explicet ad gulæ & ventris arbitrium, Scripturæ sanctioris dogmata prælibata. Helluo ille vino madens, & voracis ingenij tesseras rubente naso & ore pinguiore ferens, est Melanchton. Fastidies fortasse & despicatui habebis hominem temulentum? sustine tantisper & perpende, quàm ineptè homo ebrius eructarit.

Act. 13.

Familiare fuit Apostolis ieiunium

Christus ieiunij assertor.

Luc. 5.

Melanchton exponens Matth. c. 6.

Quàm delirè hæretici explicent textum Scripturæ sacræ.

Ait ille duplex genus ieiunij inueniri, & cuius meminit Scriptura sacra. Vnum est, quo moderatè vtitur homo cibis & potu: parcior autem ille vsus alimenti & potus nuncupatur ieiunium, quia liberaliore manu venter escarum auidus exultaret. Sic ieiunant omnes qui pluries in die pasti, non tamen opiparè saginantur ad arbitrium gulæ. Ille delirus homo vult Christum ad hunc ieiunandi morem attendisse, quando ieiunandi modum præstituit Apostolis ita erudiens: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Aliud præterea ieiunium est arctius, & longè seuerioris ingenij, quando scilicet deest copia ciborum, aut certè panis modicus suppetit ad vescendum, quomodo pauperes ieiunam agunt vitam. Vel quando grauis angustia, tantum animo afflicto facessit negotium, vt vrgente molestia caro fastidiat cibos, vnde homo impastus præterit dies totos. Stolidus ille interpres hoc ieiunium vocat Euangelicum, & contendit ad hoc genus ieiunij pertinere illam Christi sententiam, qua prædixit ieiunaturos filios sponsi, sponso aliò transmigrante: quasi dixisset ille rerum Dominus, post ascensum suum in cælos, fore suos discipulos adeò pauperes, vt in ea penuria deficiente pane longam ferrent inediam, ad quam esset etiam multum conducturus mœror conceptus ex Ascensione Christi, ob quam tristiores Apostoli, nauseantes ad cibos, ægrè essent accessuri ad pastum. Quid sentiam de Melanchtone ita reuoluente sacros libros; dicam cum indigere censura ferè contraria ei, qua Alcibiades animaduertit in ludimagistrum, cui inflixit alapam, quia non habebat Homeri libros omnium humaniorum literarum insigne decus. Ego verò secus vltro decernerem colaphum Melanchtoni, eò quòd coquinæ duntaxat assuetus, reponat Euangelij codicem inter cacabos, & lebetes. Sed quia meritas luit pœnas blasphemiæ suæ,iam sat erit dicere expositionem eius esse vilium quisquiliarum instar, quas de culina protulit in palestram.

Matth. 6

Melanchton varia distinguit ieiunia, sed stulte, & sine textu aliquo Scripturæ.

Ælian. lib. 13. histor.

Qua censura dignus esset Melanchton.

Ne tamen conuiciis & non ratione diluatur eius sententia, explodenda est, & configenda mucrone eiusdem panopliæ, vnde armaturam suam sumpsit ille coquus in athletam compositus. Scilicet confutandus est error ille opacus, lumine petito ex Scriptura sacra. Primò ille ait ineptè, Christum insinuasse sobrietatem, quando ita suos discipulos erudiit: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Etenim Christus non loquitur illic de eo quod fit quotidie, vt colligere est ex particula *cum*, quæ indicat aliquod singulare tempus discretum ab alio. At sobrietas semper est sectanda sicut ebrietas semper est fugienda. Præterea Dominus ait fugiendam esse illam ostentationem quam profitentur hypocritæ ieiunando. At absurdum est dicere, quempiam velle aucupari auram popularem ex sobrietate tantùm quæ ad omnes pertinet, vtpote virtus vernacula. Loquitur ergo ibi Christus de speciali ieiunandi ritu, qui carnem extenuat, cuius professores inde sibi comparant aliquod pondus gloriæ apud homines conscios eorum inediæ. Insulsa igitur est sententia tabulæ illius, allegantis impiè Christum vt vadem explicationis suæ absurdæ.

Matth. 6.

Validæ rationes, quibus exploditur expositio Melanchtonis.

Secundò mentitur idem sycophanta dicens, ex Ascensione Christi Apostolos eò deuenisse tristitiæ, vt omni ciborum appetitu exciderint; & hinc orta ieiunia illa quæ meminit Lucas. Mœrorem hunc gratis, imò impudenter affingit Melanchton tristitiam Apostolis Christo sidera transcendente. Tantùm enim abest vt ex eo Domini sui triumpho mœrore affecti sint, quinimò potius gestierunt congaudentes Christo, quem viderant humanum corpus super æthera transtulisse. Specialis huius lætitiæ meminit Lucas, Euangelium suum concludens mentione facta gaudij & iubili Apostolorum post Ascensionem Christi. Sic ille: *Eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes,*

Apostoli non sunt tristati de Ascensione Christi in cælum, imo potius Lætati sunt.

Luc. 24.

Alia instantia hæreticorũ diluitur.

dantes, & benedicentes Deum. Nonne igitur imprudenter commentus est hæreticus, dicens Apostolos post Christi ascensum ægrè ferentes eius absentiam, fuisse contristatos vsque ad nauseam cibi, & inde ieiunia quæ Lucas meminit effluxisse. Quid quæso tristitiæ, & gaudio illi magno, quo iubilantes Apostoli Deum collaudabant? Fortè instabit hæreticus, hoc gaudium referri ad Dei laudes, & non improbare fastidium omne escarum, quas repudiantes Apostoli diu impasti multiplicabant ieiunia. Et hic etiam hæreticus causâ cadet; nam Scriptura refert Apostolos exultantes recreasse corpus suum sumpta refectione vt par erat & decebat Apostolos. Ecce textum Lucæ: *Sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* Explodenda igitur est illa sententia, vtique aliena ab intento Lucæ. Etenim Christo incolente cælos non ideo ieiunarunt Apostoli, quia præ mœrore abhorrebant à cibis, sed quia sursum habentes cor suum, vbi sponsus est, carnem ieiuniis perstringere satagebant, ne caro spiritui iniuria concupisceret aduersus illum, cælestia votis omnibus anhelantem.

Act. 2.

SENSVS ORTHODOXVS.

Deo inspirante instituta sunt ieiunia.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARGVMENTVM II.

Ex Ivre Canonico, et ex Sanctis Patribvs.

Etsi parum curent Patres Ecclesiæ, hæretici transfugæ non coutentes sanctis auctoribus; si quando tamen eorum scripta decurrentes, aliquid anceps inuenerint, illud penes se recondunt vt telum idoneum ad Catholicos industriè transfigendos: ita Absalon populi explorabat ingenium, vt si quos homines obseruaret minus æquiores Regi, hos suæ defectionis consortes efficeret, & conscriberet milites propugnatores Regni nequiter vsurpati. Eâ industriâ hæretici lustrant scripta sanctiorum Patrum, non vt ebibant latices sinceræ alicuius disciplinæ, sed vt inde proliciant aliquos textus, quibus litare queant suis deliriis, & affirmare, proceres Ecclesiæ sua quæ censemus & damnamus impia dogmata profiteri. Huius argumenti duas referunt sententias aduersarij nostri, quibus intendunt ieiunium non esse institutum à Deo, sed rem humani arbitrij. Traducunt in medium Hesichium, qui videtur innuere, ieiunium non esse à Deo præceptum. Ei comitem adiiciunt Theodoretum, apud quem Martianus affirmat, charitatem esse potiorem ieiunio, quia charitas nullas patitur inducias, & ad sui praxim omnes homines obligat; ieiunium verò secus non semper obligat, quia non præceptum est, sed pro vniuscuiusque hominis arbitrio suscipitur. Nullius momenti sunt hæc spicula intorta ab hæreticis, etsi educta ex optimis officinis.

2. Reg. 15. Nequitia hæreticorum in legendis libris SS. Patrum.

Hesichius lib. 7 in Leuit. cap. 27. Theodoret. in hist. religiosa cap. 3.

Ad locum Hesichij respondeo, illum ibi tantùm loqui de Decalogi præceptis, in quibus non fit aliqua mentio ieiunij; quia illic commemorantur ea quæ ad iustitiam spectant: ieiunium autem propriè ad temperantiam pertinet: ideoque non debuit reponi inter præcepta, quæ hominem erudiunt ad suum cuique ius congruè rependendum. Non tamen negat Hesichius absolutè, ieiunium esse præceptum à Deo, cùm reclamet Scriptura sacra, in eo argumento antea prælaudata. Nec etiam molestus est locus ille Martiani apud Theodoretum: etenim res illic erat de ieiuniis ad arbitrium cuiusque assumptis. Hæc ieiunia ille ait esse aliquando relaxanda, si postulet hoc charitas, quæ aliis omnibus eminet virtutibus, & præcipitur vnicuique: illa verò ieiunia, quæ sibi ad libitum quisque indixit, non cadunt sub præceptum. Si de præstito aliquo ieiunio ab Ecclesia Martianus egisset, dixisset quidem illi præstare charitatem, non ratione præcepti, sed obiecti: tale enim ieiunium est de præcepto. Si quas similes instantias de sua ventris ingluuie prætenderint illi nebulones; aut suspicare mendum libro inustum, quem proferunt, & proinde adulteratum citant; aut audacter pronuntia, hos escarum gurgites vti reprobis argumentis.

Explicantur textus Patrũ quos malè hæretici interpretantur.

Quare charitas præstantior sit ieiunio.

Modus diluendi argumenta hæreticorũ petita ex auctoritate Patrum.

Si aliquam recensui turbam assecclarum ventris, qui contendunt epulas sufficere in locum ieiunij; grex ille porcorum nos deterrere nequit, etsi plures videantur stare à partibus ventris, quàm ieiunij. Præcipua hominum pars ieiunium professa est, sorsque nostra similes nos facit Eliseo, apud quem cùm puer quereretur instare hostes illaturos ei necem, vir sanctus illum nutantem erexit asseuerans plures sibi adstare tutores, quàm hostes fortiter impugnantes. Sic se res habet è codice sacro. *Consurgens diluculo minister viri Dei egressus est, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nuntiauitque ei dicens: Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus? At ille respondit: Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cùmque orasset Elisæus ait: Domine, aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruũ igneorum in circuitu Elisei.* Ex Germania Lutherani, & è Gallia & Anglia Caluinistæ fremunt, aduocatis etiam prioribus hæreticis: non est tamen quod metuamus; plures namque nobiscum sunt, quàm cum illis. Sancti omnes militant nobis, ignea verè agmina, & amore Dei flagrantia. At à partibus hæreticorum stant porcitantùm, & apostatæ. In hos itaque procedamus.

4. Reg. 6. Plures sunt auctores ieiunij propugnatores, quã sunt hæretici ieiuniũ impugnantes.

Primi occurrunt Apostoli, velut agmine facto tutantes ieiunium Ecclesiasticum, & illud statuentes ex præcepto, ita vt qui secus faxit, mulctetur pœna hoc Apostolorum Canone præstituta. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut lector, aut cantor sacram Quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut parasceuen non ieiunauerit, deponitor: præterquam si imbecillitate impediatur corporis. Si laicus sit, communione priuator.* Cùm ex grauitate pœnæ soleat inferri qualitas deliquij; liquidò est in ipsis Ecclesiæ natalibus, quibus maximè de intento Christi constabat, viguisse ieiunij disciplinam. Eodem sæculo Clemens Romanus, è sede Petri hæc statuit: *Vos quæ à Deo petitis, ieiunando*

Ex Ivre Canonico. *Canones Apostolici can. 68.* Canones pro ieiunio.

Clem. Rom. constitut. Apost. lib. 5. cap. 19.

nando petite. Post totam verò istam ieiunij hebdomadam præcipimus vobis, quartis & sextis ferijs ieiunare, & quæ ex ieiunio vobis redundant, egentibus largiri. Textus hi sunt latices non è riuulis Ecclesiæ, sed ab ipso fontis capite deriuati, vtpote deducti à ritu, quem Apostoli Deo afflati obseruarunt, & seruandum ætati posteræ commendarunt.

Neophyti olim professionem fidei auspicabantur à ieiunio.

Quia probare Quadragesimæ institutum pertinet ad tertiam controuersiam istius Euangelij, ne decurram extra aleam, sistam in proposita mea conclusione, scilicet ieiunandi ritum non esse superstitiosum, sed magnis encomiis celebratum à Sanctis Patribus, Græcis & Latinis, qui suo experimento quàm esset ieiunium vtile comprobarunt. Prior occurrit Iustinus Martyr, affirmans ieiunium fuisse rudimentum fidei Christianæ, cuius professionem auspicabantur neophyti ieiunantes. Sic ille Antoninum Imperatorem erudit quo schemate viuendi Christiani essent dissiti à Gentibus. *Quicumque persuasi fuerint, & crediderint vera esse quæ à nobis traduntur ac dicuntur, ac viuere se ita posse receperint; orare ieiunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis vnà & orantibus & ieiunantibus.* Eo tyrocinio Catechumeni initiati, & pergentes in ea disciplina superiores diabolis existebant. Ita Origenes: *Cum ieiunatis, dæmones vincitis, omnemque classem illam malignam retrorsum conuincitis, mala desideria effugatis.* Perpende quæso an ieiunantibus cessurus esset dæmon, illa fidelium fractus inedia, si ieiunium singulari aliqua vi minimè præpolleret. Consonat his Athanasius, qui virginem instituens, vult eam auspicari à ieiunio, vt à virtute propria ad charismata cætera comparanda. Sic ille: *Amplectamur valde ieiunium. Magnum enim munimentum est ieiunium, oratio, & eleemosyna, cùm ex morte hominem liberent. Vt enim ob escam & inobedientiam proturbatus est Adam ex paradiso; ita rursum per ieiunium & obedientiam in paradisum qui volet redibit. In hac virtute cultum corporis tui ornamentaque quære, ô virgo, & placebis cælesti sponso. Nam quæ cum mundo coalescunt, & conseruntur, & vnguentis, aromatibus, & fragrantiis, & amictu pretioso, & auro venustant sua corpora, vt placeant hominibus, Deo placere non possunt. Christus autem nihil horum à te requirit, nisi solum cor mundum, & os incontaminatum, ieiunioque liuidum.*

Ex SS. Patribus. *Iustin. oratio. ad Antonin.*

Origenes in hom. 4. de diuersis. Ieiunio vincitur dæmon.

Athan. lib. de virginit. Ieiunium est congruus apparatus animæ, quæ ad Deum vult accedere.

Non igitur reponendum est ieiunium inter adiaphora, vel deliria excogitata ab hominibus sui corporis incuriis, vt mentiuntur hæretici, ad quos cùm nihil pertineat virtutis studium, non eos etiam sollicitat vlla cupido ieiunij, quo vitia profligantur. In eo argumento pergit Athanasius. *Ieiunium morbos sanat, destillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit. Sed ne putes ista temerè dici, habes eius rei testimonium in Euangeliis, ab ipso Christo prolatum. Sciscitati sunt ab eo discipuli, dicentes: Domine declara nobis, quonam pacto immundi spiritus propelluntur? Quibus responsum est à Domino: Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi ieiuniis, & orationibus. Quisquis igitur ab hoc immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, ieiunio inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunij metuentes. Valde enim dæmones oblectantur crapula, & otio corporis. Magna vis in ieiunio, & magna, & præclara sunt per illud. Ieiunium est Angelorum cibus, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.* Suspicatur ille Sanctus, contraria contrariis esse protrudenda. Benè equidem; nihil nempe loco cedit, nisi à validiore insurgente fortius vrgeatur. Quia igitur nos malè suada gula extorres fecit & deuios deuorato pomo; operæpretium est reuocare gressum, imponendo modum gulæ arctiore ieiunio assumpto, & sic ad propria repedare.

Ibidem. Penes ieiuniū est reposita ferè vitiorum omnium profligatio, ita tamen vt non desit charitas ei qui ieiunat.

Gulâ Paradiso excidit homo, ideo ieiunio ei consultū est.

Eo pharmaco Deus homini consuluerat ne moreretur: etenim si vetiti fructus inediam fuisset passus homo, haudquaquam morti obnoxius extitisset. Quidni ergo eodem remedio diluere possit noxam, quam gulæ illecebra intulit? Quod si aduersarij vrgent, non esse iniunctum ieiunium; habemus quo validè eorum intorta spicula retundamus. Etenim primum homini iugum impositum, fuit ieiunium, Deo decernente fruges omnes in hominum escam, vnà duntaxat sepositâ arbore singulari. Eamobrem hoc præceptum cæteris omnibus antiquitate præit, iusque sibi insigne vendicat ad hominum obsequia demerenda. In ea fuit sententia Basilius ita fatus: *Quicquid vetustate præcellit, idem venerabile est. Reuerere igitur ieiunij caniciem. Tam vetus est, vt simul cum homine condito cœperit: in Paradiso præscriptum est. Primum illud præceptum accepit Adam ne de ligno scientiæ boni & mali ederet. Hoc autem verbum: Non edetis, ieiunij & abstinentiæ lex est. Si à ligno ieiunasset Eua, nequaquam hoc nunc ieiunio opus haberemus: neque enim qui valent egent medico, sed qui malè habent. In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine ieiunio otiosa & infructuosa est. Maledicta terra spinas & tribulos progignet tibi. In tristitia viuere iussus es, non indulgere deliciis. Per ieiunium satisfacito Deo. Quoniam non ieiunauimus, exulamus è Paradiso. Ieiunemus igitur, vt ad illum postliminio reuertamur. Ieiunium Prophetas generat, potentibus addit robur. Ieiunium legumlatoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus conuictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc vngit ad pietatem, vigiliæ familiaris comes, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nazaræum sanctificat, sacerdotem reddit sacris idoneum. Ieiunium restinxit vim ignis, obturauit ora leonum. Ieiunium preces nostras subuehit in cælum, dum illis alarum vice fuit, quo sursum ferantur. Ieiunium familiarum est incrementum, sanitatis mater, iuuentutis pædagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatori, tutus conuictor coniugatis.*

Ieiuniū fuit primum præceptum homini iniunctum.

Basil. hom. 1. de laud. ieiun.

Miris laudibus effertur ieiunium à Basilio.

Quantis gratiis ieiunium animā stipet.

Vt nihil adeò purum & sincerum est, cui suas sordes non aspergant muscæ; ita nullis encomiis credunt hæretici, ventri suo adstricti, ac proinde exosi ieiunia, quibus obesa corpora perstringuntur. Dicent fortè, Græcos Patres in Oriente satos fuisse assuetos inediæ, vtpote nactos aliam planè temperiem

Vnde hæretici patrocinium quærunt gulæ suæ.

temperiem à nostra, quæ sortita Occidentalem plagam & Septentrionalem vocatior est. Eanimirum cuiusque soli indoles est, vt singulis quibusque hominibus inibi natis congruos sibi mores affricet, conscio etiam eius oræ cælo, & pariter influente. Exempli gratiâ, terrarum sinus calidior inappetentiam gignit, calore innato dehiscente, & victo à calore deforis ambiente. Secus verò accidit vbi horrida hyeme constipatus aër calorem insitum intus propellit, vbi collectus vegetior est, vnde depascens quidquid in stomachum congeritur, magnum illis hominibus conciliat appetitum. Eamobrem sic arguunt helluones hæretici ex Gallia & Germania oriundi. Græci Patres effusi in ieiuniorum encomia familiarem habuere inediam obstetricante plaga terræ, cuius sinu excepta fuere eorum incunabula. Nempe orti omnes æstuante cælo parum appetunt cibos, & tepente calore naturali, parciore cibo eorum corpora recreantur. Ideoque quod illi regioni vernaculum & populare fuit, voluerunt habere vim legis, quæ profectò iniuria est aliis hominibus editis in dispari terrarum situ. Nimirum Galli, Angli, & Germani, assueti brumæ, non ferunt inediam, nouercante natura soli, quo primùm excepti sunt; ideoque illic à plerisque gulæ mancipiis, vt quid peregrinum, ieiunia condemnantur. Ita Dauid exuit arma Regis sui, quia non habebat vsum, nec poterat armatus incedere.

Querela hæreticorum de Patribus Græcis qui effusi sunt in laudes ieiunij.

O argumentum pingue, & pectore opaco satum. Ergo reprobanda ieiunia, quia coërcent gulæ appetitum immodicum, quo vrgentur ad epulas illi, qui degunt sub rigidiore cælo. Si valet argumentum; ergo impunè Veneri indulgebunt illi, quos torrida zona sollicitat ad hoc facinus inglorium. Quasi verò virtutes suam speciem emendicent ab aliqua mundi plaga, & non ab obiecto, in quod collimare debent, vt in scopum sibi congruè præstitum. Vide quibus inuolucris hæretici tegant sui ventris ingluuiem, quasi non suppeterent Patres Latini encomiastæ ieiunij. In his placet audire Ambrosium, à quo sic defluit ambrosia: *Quid est ieiunium, nisi vita imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est: ieiunium est vita Angelorum, ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citiùs peruenitur. Gula nudos facit, ieiunia operiunt etiam exutos. Vnde Dauid ait: Operui in ieiunio animam meam. Bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia. Tegit gratia, dum remittit & abolet omnem errorem. Tegit abstinentia, dum obumbrat vitium, mœsto abscondit affectu, atque extenuat pœnitendo.*

Quàm ineptæ sint hæreticorum instantiæ.

Ieiunij encomia ex SS. Patribus.

Ambros. lib. de Elia & ieiunio cap. 3. & 4.

Ieiunij effectus quàm sint salutares.

Quia sæculo Ambrosij prior ille calor fidelium desierat in teporem, pruriens caro molesta spiritui sectata gulæ illecebras malè sentiebat de ieiunio, hæreticis clam susurrantibus, in cassum corpora ieiunare. Hanc blasphemiam ægrè accepit Ambrosius: eamobrem in auctores huius calumniæ ita debacchatus est: *Audio homines qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam: pari omnes æstimari pretio, delirare eos, qui ieiuniis castigant carnem suam, vt menti subditam faciant. Quod nunquam fecisset, nunquam scripsisset Paulus ad alios instruendum, si deliramentum putasset. Gloriatur itaque dicens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne aliis prædicans reprobus inueniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. An quicquam tam reprobum, quàm quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciuiam prouocat, quàm incitamentum libidinis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ istos Epicuræos noua schola misit, non Philosophorum vt ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nullius dicant esse vtilitatis.*

Idem lib. de fide ad Gratianum.

Declamatio in homines iniurios ieiuniis.

Ambrosio superior ætate Tertullianus, vtpote florens secundo sæculo, quo maximè vigebat disciplina Christi, eruditè enarrat quàm assueti ieiuniis fuerint Christiani illius æui. Sic ille ritum Ecclesiæ obiicit Gentibus: *Nos ieiuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, inedia cælum tundimus, Deum tangimus, & cùm misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.* Plangit ille Romanorum insaniam, qui in Iouem suum Deum fictilem referebant gratias à Deo impertitas Imperio, beneficio fidelium, qui Deum seueriore ieiunio demerebant.

Prisci Christiani maximè assueti ieiuniis.

Tertullian. in Apolog. aduer. Gent. cap. 40.

Tanti fecit ille Afer ieiunium, vt ferè virtutum summam reposuerit penes abstinentiam. Sic ille: *Sodoma & Gomorrha euasissent, si ieiunassent. Ieiunium in Deum reuerentiæ opus est, per quod Anna quoque ambiens vxor Helcanæ retro sterilis impetrauit facilè à Deo inanem cibo ventrem filio implere, & quidem Prophetâ. Sed non modò naturæ mutationem, aut periculorum auersionem, aut delictorum obliterationem, verum etiam sacramentorum agnitionem, ieiunia de Deo merebuntur. Aspice Danielis exemplum circa somnium Regis Babylonis, omnes turbabantur Sophistæ, negant vltro de præstantia humana posse cognosci. Solus Daniel Deo fidens, & sciens quid ad demerendam Dei gratiam faceret, spatium tridui postulat, cum sua fraternitate ieiunat, atque ita orationibus commendatis, per omnia instruitur.* Multum ieiunio tribuit ille auctor, & tantùm vt in orthodoxos etiam sæuierit, quòd non multiplicarent ieiunia ad arbitrium Montani, qui sua inedia fucos ipsi Tertulliano fecerat. Cùm ergo tantùm deferret ieiunio, sic omnes hortatus est: *Ieiunemus, fratres, & sorores, ne fortè cras moriamur. Palàm disciplinas nostras vindicemus, nos certi sumus eos, qui in carne sunt, Deo placere non posse, non vtique substantia carnis, sed in cura, sed in affectione, sed in operatione, sed in voluntate. Macies non displicet nobis: neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec spiritum ad mensuram. Faciliùs si fortè per angustam salutis ianuam introibit caro exilior, citius resuscitabitur caro leuior, diutiùs in sepultura durabit caro aridior. Saginentur pugiles & pyctæ Olympici: illis ambitio corporis competit, quibus & vires necessariæ, & tamen illi quoque xerophagiis inualescunt: sed nostra alia robora, aliaque vires, sicut & alia certamina.*

Lib. aduers. Psychycos c. 7.

Mira virtus ieiunij ad Deum demerendum.

Ibid. c. 17.

Quantùm Tertullianus tribuerit ieiunio.

Quantùm roboris homini accedat virtute ieiunij.

Proculdubio nodum in scyrpo quæret hæreticus, obiiciens Tertullianum malè sensisse de fide, ac proinde incongruum esse testem, cuius vadimonio sit deferendum in re tam ardua, qualis est quæstio de ieiuniis obseruandis.

——— *Absiste moueri*
Non vim tela ferunt.

Hieron. in c.3. Ione.

Adest Hieronymus nullas planè hæreticorum sustinens instantias. Sic ille. *Saccus & ieiunium, arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum.* Compendiosè multa concludit illud ieiunium. Sed accipe eumdem fusiùs spatiantem in illa alea, hoc discursu. *Adam in Paradiso accepit præceptum, vt ab vna arbore ieiunaret: beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, in Paradiso fuit: comedit, & eiectus est. Moyses quadraginta diebus & noctibus ieiunus in monte Sina, etiam tunc probans non in pane solo viuere hominem, sed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur: populus autem satur idola fabricatur. Ille vacuo ventre legem accipit scriptam digito Dei: iste manducans, & bibens, consurgensque ludere, aurum conflat in vitulum, & Ægyptium bouem præfert Domini maiestati: tot dierum labor vnius horæ saturitate perit. Frangit audacter Moyses tabulas: sciebat enim Dei sermonem non posse audire temulentos. Sed nec secunda conscriptio tabularum absque ieiunio potuit impetrari. Quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur, nos posse per ieiunium redire in Paradisum, vnde per saturitatem suimus eiecti.*

Lib. 2. adu. Iouin. c. 10.

Prima hominis beatitudo constitit ei stâte ieiunio.

Quanta fuerit semper gulæ pernicies.

Augustinus sectatus Hieronymi mores, eodem quo & ille spiritu afflatus, etiam effunditur in laudes ieiunij: & quia passim Augustinum Caluinus ipse laudat, & controuersiarum iudicem petit, & sinceri dogmatis assertorem; placet eum consulere, vt eo censore tota hæc quæstio dirimatur. Accipe sententiam. *Non videatur vobis leuis res, aut superflua, ne quisquam fortè hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, & dicat sibi ipsi, vt suggerentem intrinsecus audiat tentatorem: Quid facis, quia ieiunas? defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam: tuus ipse tortor & cruciator existis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est qui delectatur pœnis tuis? Responde huiusmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo seruo ventris responde per hanc similitudinem, & dic: Si iumento fortè insideres, si equo vtereris, qui te gestiendo posset præcipitare; nonne vt securus iter ageres, ferocienti cibaria subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea iumentum meum est: Iter ago in Ierusalem: plerumque me rapit, & de via conatur excludere. Via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo ieiunio? Si quis hoc sapit, etiam experimento probat, quàm vtiliter ieiunetur. Nunquid enim caro ista, quæ nunc domatur, semper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægrauatur, habet exultationes suas manifestas, & periculosas menti nostræ. Caro est enim adhuc corruptibilis, nondum resurrexit.*

August. de vtilitate ieiunij cap. 3.

Elegans discursus adstruens quàm sit salutare ieiunium.

Carnis insolentia congruè compescitur obsequio ieiunij.

Ne quis principum Doctorum Ecclesiæ in eo argumento desit, quartum aduoco, nempe Gregorium, qui etsi iunior aliis, dignitate tamen præit. Ille egregiè probat fuisse semper commendata ieiunia, vt maximè conducentia ad Deum, à quo nos cibus abstraxerat. Ita fatur summus ille Pontifex: *Et quidem in tres partes diuiditur, vt sacræ abstinentiæ fructus & dignitas ostendatur: quia ad eam, quam manducando perdidimus sanctæ Trinitatis contemplationem ieiunando reuocamur. Hinc est enim quod legis, & Prophetiæ, & Euangelij ieiunia commendantur. Nam Moyses vt legem percipere mereretur, in quadraginta dierum numero ieiunauit. Elias vt Iezabel manus euaderet, quadraginta diebus, in vnius cibi fortitudine, ad Oreb Dei montem peruenit. Dominus ac Redemptor noster Iesus Christus per quadraginta dies in eremo ieiunans, nullum omnino cibum sumpsit.* Profectò optimè subodoratus est mysterium latere in triplici ieiunio hoc sacro Codice recensito. Desinant ergo grunnire porci de Caluini & Lutheri grege, querulis suis vocibus imponant modum; sese ad arbitrium suum ingurgitent, dummodo crepando suas fæces non ad ignominiam Ecclesiæ spargant, mentientes esse indicta ieiunia, in argumentum superstitionis, nec alia Christum indixisse ieiunia præter sobrietatem, citra delectum vllum escarum, quas omnes edidit, vt inde subleuaret homo famem quando perurgeret.

Greg. lib. 1. registr. c. 11.

Egregia ieiunij commendatio.

Lege, Prophetis, & Euangelio commendatur ieiuniũ, quo sic abditum sit mysterium Trinitatis.

SENSVS ORTHODOXVS.

Quàm ab incunabulis fuerit propositi tenax Ecclesia in ieiuniis obseruandis.

In hæc verba:

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

ARGVMENTVM TERTIVM.

Ex Historia Ecclesiæ Primitivæ.

Ex Historia.

Recensitis encomiis Sanctorum Patrum, qui de ieiunio sua luculenta tulere suffragia, nescio an vllus hæreticis ambigendi locus superesse possit. Illis adhuc adiicio exempla fidelium, ne suspicentur ieiunia habuisse quidem præcones, sed non cultores. Prior se offert Leo Magnus Papa, Christianorum omnium æui sui commendans ieiunia hac serie verborum: *Obseruantiam quidem vestram, dilectissimi, ita nouimus esse deuotam, vt animas vestras, non solùm legitimis, sed etiam voluntariis ieiuniis excolatis. Veruntamen adiicienda est huic studio etiam nostræ admonitionis exhortatio, vt si qui sunt in hoc studio tardiores, in his saltem diebus communi abstinentiæ obedienter se adiungant, in quibus nos oportet sacratissimam consuetudinem attentiùs celebrare, vt per humilitatem ieiunij contra omnes hostes nostros, diuinum mereamur auxilium.* Planum est, Pontificem non hîc agere de simplici sobrietate, quæ omnes dies decet: nam peculiares dies commemorat, quibus ieiunia vigere debent ex Ecclesiæ instituto.

Leo Papa serm. 1. de ieiunio sept. mensis.

In prisca Ecclesia fuere obseruata ieiunia.

Præter morem inolitum singulis quibusque fidelibus, plerique meditantes secessum à turbis subibant angustiora claustri septa, vt ibi diu impasti arctiora ieiunia Deo duntaxat conscio celebrarent.

celebrarent. Horum aliquos suasore diabolo carro demulcens ab eo proposito abstraxit sub regimine Ambrosij, qui in eos ita succensuit: *Fuerunt nobiscum, sed non ex nobis fuerunt. Hic positis primo ieiunabant, intra monasterium continebantur, nullus erat luxuria locus, interdicta ludibriosa disputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre.* Sozomenus priorum Ecclesiæ temporum feruorem referens, ita meminit Monachos Edissenos protractâ in dies inediâ conspicuos. *Nonnulli istorum Monachorum ad perfectissimam continentiam peruenere. Verbi gratia, Battheus tanta vsus est continentia, tantaque inedia, vt vermes eius dentibus serperent. Alium quoque ferunt ad spatium octoginta annorum panem non gustasse: Heliodorum etiam, multas integras noctes nihil somni cepisse, & pariter integras hebdomadas ieiunasse.*

Ambros. epist. 82. ad Eccles. Vercellens.

Sozom. lib. 6. cap. 34.

Quàm arctæ fuerint ieiunia priscorũ fidelium.

Quare autem fuerint instituta ieiunia, bellè enarrat Palladius, petita authoritate à magno Isidoro, viro sanctitate famoso, qui hoc vno ieiunij remedio coërcebat omnem impetiginem carnis, vt ille idem Palladius probat hoc discursu: *Cum accessisset ad magnum Isidorum Moses, tertiò ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit sanctus: Ne conturberis ò frater: sunt principia, & ideo te vehementius inuaserunt, priorem requirentes consuetudinem. Sicut enim canis cum assueuerit in macello ossa rodere, non recedit à consuetudine; sed si clausum fuerit macellum, & nemo ei dederit, fame enectus non amplius accedit. Sic tu quoque, si permanseris in tua continentia exercitatione, mortificans mẽbra tua, quæ sunt supra terram, & excludens ab ingressu ingluuiem, quæ paris intemperantiam, ægrè ferens dæmon, vt qui cibos non habeat qui accedant, a te recedet. Cum ergo secessisset Christi seruus Moses, & ab illa hora seipsum inclusisset in cella, maxima in omnibus exercebatur tolerantia, maximè autem in abstinentia à cibis: vt qui nihil aliud sumeret præter panis sicci uncias duodecim, plurimum operans.* Hæc ille.

Palladius hist. flor. sacra sect. 29. c. 22.

Quare fuerint instituta ieiunia. Dæmon non audet accedere ad ieiunos sicut ad benè pastos.

Huius argumenti tot suppetunt historiæ, comprobantes intentum meum de ieiuniis adstruendis, vt quot Sanctos recenset Simeon Metaphrastes, tot etiam traducat testes, istam omnem controuersiam suo viuendi schemate dirimentes.

Sancti omnes coluere ieiunium.

PARS TERTIA CONTROVERSIÆ.

Quàm benigna sit Ecclesia, ieiunia decernendo.

Confixi hæretici innumeris penè iaculis, erubescunt dubiũ facere hoc præceptum ieiunij quod tot & tantis Scripturæ, & Sanctorũ Patrum fuit titulis institutum. Ideoque alio tramite inito tentant odiosum facere hoc decretum, causantes Ecclesiam esse nouercam mactando corpora ieiuniis, cùm potius deberet illa fouere potius ad pluta Deo obsequia deferenda. In querelis his texendis gulæ causam agens Erasmus sic obgannit: *Paulatim irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris pisculentum nobis reddidit. Deinde vbi hoc successit, adiuncta est & sabbati dies: nunc etiam Mercurij periclitatur. Ob idque generis obseruatiunculas videmus homines affligi, & denique mori, sibique Christianos videri, cùm sint Iudæi.* Vt animas de sua salute sollicitas abstrahant hæretici à clementi Ecclesiæ sinu, rigidioris disciplinæ speciem ementitam prædicant plebi incautæ, vt exosa crudelem indolem Ecclesiæ, statim eius abdicet institutum. Nempe in modum laruæ macilentæ & austeræ in terrorem compositæ hæretici delineant Ecclesiam, vt eo tetro oris habitu horrorem potius conciliet quàm amorem; & sic paucos sequaces habeat sui dogmatis explicati. Itaque in calce huius controuersiæ primæ, quæ est de præcepto ieiunij, has mihi partes impono, vt benignam probem fuisse Ecclesiam præstituendo morem ieiunandi.

Stultè hæretici causantur Ecclesiã nimis durè agere cum fidelibus decernendo ieiunia.

Erasmus epist. ad Episc. Basil.

Quàm benigna fuerit Ecclesia in indicendo ieiunia.

Aliquid benignum dicitur quasi benè ignitũ: in eo sensu Ecclesia benigna est, quia ignita amore suorum filiorum, quorum saluti consultura, ieiunia à Deo indicta refricat, & inculcat; ea cautela tamen, vt ab ea lege excipiat eos, qui non citra graue incommodum obire queunt hæc munia corpori præstituta. Omne autem incommodum ieiunij, præceptum faciens irritum, attenditur penes tria, scilicet penes corpus, spiritum, & substantiam externam. Si horum trium lædatur vnum à ieiunio, non tenetur homo grauiter læsus subire iugum ieiunij. Si corpori officit inedia, illa læsio dicitur impotentia. Si spiritus vim patitur corpore impasto, pietas excusare potest. Si demum læditur substantia externa, illud incommodum necessitas est. Tria hæc sunt, quibus ieiunij præceptum retunditur. Nempe corpore læso emergit impotentia ieiunandi, moralis videlicet, quæ tunc liquet, quando quis ieiunare nequit citra notabile incommodum, vt senes, & pueri, vt prouectorum fessa fulciatur ætas, iuniorum verò non marcescant corpora calore nimio depascente ieiunum hominem. His adiice ægrotos, debiles, prægnantes, & lactantes, quibus ex consilio Medici præhabito relaxatur inedia, vt benè Abulensis ait. De senibus quando non teneantur ieiunio, litigant Canonistæ, quorum quidam affirmant septuagenarios solùm, alij verò secus protrahunt ius illud vsque ad sexagenarios. Neutram ego probo sententiam, vtpote in puncto Mathematico sitam contra naturam rerum moralium, quæ suam patiuntur latitudinem. Itaque duntaxat excipio senes à ieiunio, qui ieiunare nequeunt citra aliquod virium suarum sensibile deliquium: quippe sunt homines septuagenarij adeò vegeti, vt illud æuum nacti, fortiores sint multis iunioribus fortitis corpus imbecillum; alij verò vix sexagenarij languent corpore effœto. Iudicio itaque prudentis viri definienda est vniuscuiusque indoles apta ieiunio. De adolescentibus non adeò grauis est controuersia. Principes enim Iuristæ ante annum vigesimum primum expletum non censuere ligandos iuuenes hoc nexu, ratione incrementi, ad quod corpora assurgunt hoc discursu toto ætatis. Ita Nauarrus, & Abulensis. Tamen salutare probo consilium Nauarri suadentis, à sacerdote indicenda aliqua ieiunia iuuenibus, quibus pruriens caro fit obscœnis stimulis importuna.

Quid sit benignum esse.

Qui sint legitimè excepti à lege ieiunij Ecclesiastici, & vnde petatur ratio illius exceptionis.

Abulensis in Matth. c. 6. quæst. 148.

Qua ætate senes excipiantur à ieiunio.

Qui iuuenes excipiantur à lege ieiunij Ecclesiastici.

Nauarrus c. 20. num. 18. Abul. in c. 6. Matth. q. 148.

Si læsio ad substantiam externam deuenerit, & rerum inopia pressus homo non habeat vnde paret sibi pastum congruum ad conseruandas vires, tunc oritur necessitas, cui nemo vnquam imposuit legem. In ea angustia positi pauperes pluries in die refici possunt, quia satis hic ieiunat, qui pane pascitur arctiore. Ad hoc argumentum substantiæ

Pauperes quando excusentur à ieiunio.

EX IVRE CANONIC.

Eugen. IV. apud Lessium Dubio 6. num. 42. Thom 2. 2. qu. 147. a. 4. Conc. Tolet. 8. cap. 9.

substantiæ externæ diminutæ pertinet labor opificum, qui vt rei familiaris compendia attendentes sufficiant operi suo, liberiore victu indigent, quales sunt agricolæ, fabri, & omnes, quorũ industria corporalis exercita vires creditur exhaurire; sic enim declaratum fuit ab Eugenio Papa IV. Eodem iure vtuntur illi, qui pedibus iter conficiunt quinque circiter leucarum, vt præmonuit Angelicus Doctor. Specialis editus est canon in Concilio Toletano octauo, quo exẽpti sunt à ieiunio omnes antea recensiti. Ratio hæc itẽ adferri potest, scilicet iugum Ecclesiæ esse iugum Christi, qui mandauit audiri Ecclesiam. Cùm ergo ipso etiã assertore Christo iugũ eius suaue sit, non est credibile Ecclesiam sanxisse ieiunia cum graui incommodo, aut ieiunantis, aut bonorum eius. Præterea intentum legislatoris in ieiunio fuit edomare corpus inediâ, ne obesum facessat animæ negotium. Ergo hi, quos ætas, inopia, & labores continui extenuant, haud quaquam subsunt legi, eo fine institutæ, vt corpora macerentur.

Quale fuerit principale intentũ Ecclesiæ instituendo ieiunia. & quare quidam ab hac lege excipiantur.

Tandem si spiritus in aliquod discrimen incurrat ratione ieiunij, tunc excipitur homo à ieiunio, si impastus nequit sufficere oneri imposito, vbi agitur de salute animarum. Ea vehuntur naui, Doctores, præcones verbi Dei, sacerdotes, qui dies integros insumunt ægris inuisendis. Benè enim arguit Nauarrus, Ecclesiam cum eis dispensare, quia non præcipit eos abstinere ab his operibus tempore ieiunij, quia eos faciunt impares huic oneri subeundo. Ergo cum procurare salutem animarum prædicatione, doctrina, administratione Sacramentorum sit res præcipua, & dignior ieiunio, dum vtraque coire nequeunt, satius est soluere ieiunium, quàm à præfatis illis actibus abstinere. Adiice nullo iure esse prohibitum, ante & post pastum vino restinguere sitim suam, etsi vinũ nutriat, quia ieiunium Ecclesiasticum, vt præmonui, est abstinentia cibi: at vinum sua natura institutum est ad potũ & non ad cibũ. Præuiis his cautelis, quis nisi insanus, nimij rigoris Ecclesiam insimulet? imò quis non eã benignã magis iure prædicet, vtpote ita sollicitã de anima suorum fidelium, vt etiam corporis curam gerat, secernẽdo ab hoc mandato eos, quorum interetat largiore cibo vti?

Nauarrus c. 21. num. 16

Quare potius non soluat ieiunium.

Hanc etiam Ecclesiæ pietatem insinuant Sancti Patres, dum hortantur feruidas animas ad moderata ieiunia suscipienda, ne fatiscat corpus impastum, anima præualente. Namque legislatoris scopus in ieiuniorum ritu adstruendo nequaquam fuit ad ruinam, sed potius ad profectum. Ideoque inanes patent querulæ voces hæreticorũ, de austeriore disciplina Ecclesiæ in statutis ad ieiuniũ pertinẽtibus, cùm ipsi seueriores magistri cauerint sẽper, ne imprudẽs feruor arcta nimis ieiunia susciperet. In his fuit Hieronymus, qui Demetriadem virginem instituens, ita præmonuit. *Non immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conuersationis iacere fundamenta. Sic debes ieiunare, sed vt non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito minus quid facias.* Errant toto cœlo aduersarij nostri, dum imponunt nobis, ieiunia apud nos esse virtutum summam; nemo namque orthodoxus hoc commentum somniauit. Dicimus ieiunia valere quidem ad comparandas virtutes, sed tamen non euchimus ieiunia ad culmen aliorum habituũ, vt sunt charitas & misericordia, quarum ergò Ecclesiastica etiam soluuntur ieiunia, vt ostendi præfatus eos qui visitant infirmos, prædicant, & sacramenta iugiter administrant, aliaque misericordiæ & charitatis obeunt officia, à ieiunio esse immunes, si hæc alioquin præstare nequeant.

Ecclesia nihil ad ruinam, sed ad ædificationẽ hominum sancit

EX SS. PATRBVS.

Hieron. ep. ad Demetr. 8. cap. 6.

Cauere debet anima ab indiscretis ieiuniis.

Ieiunium nõ est præferendũ charitati imò propter illam est soluendum.

Audi in eo argumento Cassianum. *Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Multi ea tempestate plusquàm par erat ieiunio tribuebant; sed ille idem Pater apprimè eruditus eum errorem cauens, ostendit quantùm ieiunia absint à culmine perfectorum. Sic ille: *Talem igitur definitionem super qualitate ieiunij iugiter retinentes, ita illud totis viribus animi appetamus, vt tamen tunc demum id nobis congruum nouerimus, si in eo temporum ratio, si qualitas, si mensura seruetur: nec ita vt in ipso spei nostræ terminum defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis, & Apostolicam charitatem peruenire possimus.* Hieronymus etsi ieiunij cultor eximius; non tamen penes illud reposuit scopum suũ vltimũ, ita affatus virginem Demetriadem: *Ieiunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est; & sanctificatio, atque pudicitia, sine qua nemo videbit Deum; gradus præbet ad summa scandentibus, nec tamen si sola fuerit virginem coronare poterit.*

Cassia. collat. 1. cap. 7.

Collat. 21. cap. 17.

Quæ requiratur ad perfectionẽ ieiunij.

Ieiunium sternit ad virtutes cõparandas.

Ex præfatis vides Ecclesiæ pietatem simul & industriam. Pietatem, annuendo votis eorum, quos diuexant ieiunia; industriam consulendo moderandam esse inediam, ne fatiscat caro impasta supra modum, & declarando ieiunia non esse virtutum omnium metam, sed medium idoneum ad conciliandas virtutes omnes, quæ abhorrent à corpore saginato, & coeunt in ieiunio, sicut Cyprianus miris elogiis probare nititur. Sic ille: *Ieiuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentia languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Æthnæ incendium, & flammiuomus fornax Vulcani extincta intrinsecus montes cõterminos non adurit. Ieiuniũ si discretione regatur, omnẽ carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat, & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit, & artus, & appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium sibi humilitate iunctum seruos Dei, mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundas & solidas, & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Ieiunium scripturarum deliciis pascitur, cõtemplatione reficitur, gratiâ stabilitur, cælesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio illæsi egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum Domino perseuerans, & Dei familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Elias quoque eodem dierum numero abstinuit, & in eremo conuersatus est. Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clariùs patuit, & à multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot vires*

Ecclesia prudens & benigna decernẽdo ieiunia.

Cyprian. serm. de ieiunio & tentat. Christi.

Elogia oratio Cypriani in gratiam ieiunij

Quàm sint admirabiles effectus ieiunij.

virtutum

virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuere, & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus supplices beneficia postularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens se prostrauit humilitas: sed propè fuit se inuocantibus Deus, & porrexit manum naufragis, & subuenit afflictis. Hæc Cyprianus, isto eloquio perstringens omnia ferè à me edocta, videlicet ieiunia conducere ad conuocandum omnium virtutum chorum, tamen discretione magna indigere. Non est itaque locus hæreticis insaniendi, & tragœdias excitandi, insurgendo in Ecclesiam velut in crudelem, quia salutem animarum prudenter indicto ieiunio propagauit.

Nihil ferè olim singulare fuit actum, sine præuio ieiunio.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA II.

An abstinere à carnibus, sit de ratione ieiunij.

In hæc verba:

Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

PRÆFATIO.

HAdrianus Imperator captâ Ierosolymâ, in odium Iudæorum, quos sciebat abhorrere à porcis, grandem è lapide prominentem porcum superimposuit portis huius perditæ ciuitatis. Ita & proposita carne suilla Antiochus plerosque Iudæorum abstraxit à patriis legibus, Deo sic factus iniurius, cuius eradebat instituta, vt suos ritus impios & carnales impiè sufficeret. Regis huius insaniam hoc contextu luget historia sacra: *Scripsit Rex Antiochus omni regno suo, vt esset omnis populus vnus, & relinqueret vnusquisque legem suam. Et consenserunt omnes Gentes secundum verbum Regis Antiochi: & multi ex Israël consenserunt seruituti eius, &c. Et iussit ædificare aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia, & relinquere filios incircumcisos, & coinquinari animas eorum, in omnibus immundis, & abominationibus, ita vt obliuiscerentur legem, & immutarent omnes iustificationes Dei.* Totam hanc tragœdiam fuisse diaboli techinas & lacqueos ait idem textus hoc tenore: *Facti sunt in laqueum magnum. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israël.* Ille idem hominum hostis dæmon, superiori sæculo orbe toto furente & spirante cædes atque incendia, Christianis ad sui perniciem concurrentibus, & Turcis Rhodo occupata vastantibus Pannoniam. Ille inquam diabolus aduertens silere leges Dei inter arma, tentauit horrendum facinus: nimirum voluit & suggessit vnumquemq; relinquere legem suam, vt esset orbis Christianus nomine tantùm Christi, sed reuera diaboli, qui explosis ieiuniis carnes ingerebat populis, irridens statuta Ecclesiæ, quæ decernit abstinentiam carnis diebus ieiunio sacris. Obiecta carne à diabolo, plerique fidelium dedere manus. In his fuere Lutherus & sequaces eius, quibus Caluinus, Beza, & alij nequam homines adhæserunt. Hi omnes dirutis ædibus sacris, ædificauerunt templa, vbi idolo carnis litauerunt, prædicantes esse salutarem vsum carnium, etiam diebus illis, quibus erat indictum ieiunium. Fuit reuera laqueus ille industrius, in quem incidere Galli, Germani, Angli, Bataui, & Belgæ, adhibentes carnem ad sua ieiunia, eodem adhuc vinculo præpediti.

Quomodo Hadrianus Iudæis insultarit capta Ierosolyma. Porcus voluptatis est symbolum.

1. Machab. cap. 1.

Gula est laqueus ad mortem animas deniciens.

Bello grassante inter Principes Christianos hæresis fœdè fuit propagata.

Hæretici volunt carnem adhiberi diebus etiam ieiunij.

Vt portâ sue prænotatâ vsi sunt hostes Hebræorum ad populandam ciuitatem; ita & Hæretici porcorum agentes vitam, liberiorem carnium vsum prædicantes Catholicis, fecere sibi aditum in Ecclesiæ caulas, vnde plerasque imprudentes animas abstraxerunt. Nec hic fuit meta delinquendi; nam carnium esus impunè stabilitus omni tempore, fuit veluti prælludium omnium vitiorum, quæ comitantur ingluuiem ventris. Nempe hæretici excusso omnium ferè mandatorum Dei iugo, sese volutantes in obsceno voluptatum limo, vitiis omnibus adhæserunt. Etenim caro paludis instar, nihil nisi limosum præfert, & duntaxat idoneum ad progignendos bufones & serpentes. Vt ergo hodie perduelles & apostatæ hæretici imponant fidelibus, non statim impugnant præcipua dogmata Ecclesiæ, sed cautè auspicantur à carne, vt eam demulceant, & sic animum pelliciant ad assensum suæ impiæ disciplinæ. Tamen Deo moderante potestatem diaboli, ne ad internecionem fidelium ferociat; non omnes dedere nomen suum grassanti huic errori, sed prudenter cauentes insidias, æmulati sunt zelum sanctiorum Iudæorum, quos sic meminit illa historia prælibata: *Multi de populo Israël definierunt apud se, vt non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis.* Esto dementarint multos homines, hæretici illi patroni gulæ; Ecclesia tamen abhorruit semper ab eorum ritu, diluendo instantias, quas fecerunt, vt repetam priore parte istius controuersiæ. Secundâ verò parte probabo, quàm validè diebus ieiunio sacris, carnium inedia decernatur.

Gula aliis Hæresis præire solet.

Hæreticorum industria, vt hominem pelliciant in vitia.

Iusti ieiunando cauent insidias diaboli.

Vbi supra.

Diuisio controuersiæ.

PRIMA PARS CONTROVERSIÆ.

Quibus argumentis abstinentia carnis impugnetur.

VT ex cadauere tauri enascitur vesparum agmen suis stimulis importunum; ita & è macello carnes obiectæ, tanquam illecebræ pellicientes hominem ad ventris ingluuiem, dedetunt ansam hæreticis, vt vesparum instar insurgerent in Ecclesiam; & magnos turbines excitarent. Diceres hanc hominum illuuiem esse vespas editas è proiecto cadauere: nihil namque illi hæretici exhalant nisi terrum & fœtidum, adeoque putent, vt ne subolidum quid videar subiicere naribus, ferè pigeat eorum nomina recensere. Traducendi tamen sunt, vt eorum gulosa indole agnita quisque queat facili negotio directa in nos iacula declinare. Ex eo porcorum grege prodierunt Nicolaitæ, qui damnarunt abstinentiam carnis, & equidem congruè iuxta ingenium suum: etenim diffluentes libidine indigebant carne, vt fomitem idoneum incendio Veneris admouerent. Non itaque miror homines obsce-

Gulæ patrocinium acturi hæretici, magnas excitauere tragœdias.

Vesparum ortum & indolem æmulantur hæretici.

Nicolaitæ pro carnis vsu militarunt.

Irenæus lib. 1. cap. 1. Epiphan. de Aërianis. Hieron. lib. 1. cont. Iouin. August. lib. de hæresib. hæresi 42.

nos passim adhibuisse carnes, cùm de carne voluptas omnis constaret eis. Illis se comites adiunxere Valentiniani, lanionum agentes partes, dum licitum vsum carnis omni tempore prædicarunt. Et vt eorum proteruia liqueret ampliùs, ausi sunt affirmare rem esse innoxiam comedere carnes, etiam diabolis immolatas. Hoc nefarium genus hominum pungit Irenæus. Horum lethale virus ebiberat Aërius, homo compotationibus & epulis assuetus, affirmans non lædi ieiunia esu carnium, vt scribit Epiphanius. Maiori verborum ambitu hanc hæresim disseminauit Iouinianus, vir obeso oris habitu, rubentibus genis, & capite cincinnato. Petulcum luxuriantis hominis animum Hieronymus & Augustinus flagris suorum voluminum optimè castigarunt.

Idem lib. 30. cont. Faustū.
Qui & quales fuerint propugnatores carnis.
Guido de Vualdensib. errore 22. Trithemius in Chronico. Hirsaugiens. sub an. 1315.

Doctrinam illam de carnis abstinentia quandoque ineunda, Fausto Manichæo suspicionem diabolicæ disciplinæ fecit vt gulæ mancipio, cui etiam fortiter obstitit Augustinus, qui eum inducit sic loquentem: *Si Quadragesima non superstitiosè à vobis colitur, sed diuina lege quotannis omni studio per orbem terrarum in conuentu Catholico seruatur, videte ne summa dementia sit, hoc à Paulo dictum putare, quod dæmoniorum doctrina sit omnis abstinentia cibi.* Vualdenses eo solo nomine profitentur esse licitum esum carnis omni die, quia nulla lege Christus illum carnium vsum prohibuit, ideoque instant, esse superfluum illud præceptum, cuius haudquaquam meminit Christus, non adeò salutis hominum incurius, vt tacitum prætermisisset hoc mandatum, si censuisset expedire fidelibus illud arctius institutum. Horum ingluuiem æmulati sunt Lollardi etiam in sexta feria Parasceues vescentes carnibus, ne suo exemplo, fidelium seu Ecclesiæ dogmata comprobarent. Priorum temporum illuuies tota confluxit in sæculum quod proximè præteriit. Nam Erasmus, Lutherus, & Caluinus, à diabolo conducti ad patrocinium carnis, demandatam sibi prouinciam fortiter obierunt. Quàm cautè suum virus instillarint hæc gulæ mancipia, disce ex eorum contextu, cuius accipe aliquas blasphemias. Sic Erasmus eructat: *Mihi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nullum certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, vt quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maximè conducunt bonæ valetudini, non ad luxum, sed ad sobrietatem, cùm gratiarum actione, ac studio bonæ mentis.* Vide quàm subtiliter hic helluo patrocinetur carni, eam decoquendo adiecto sobrietatis condimento, cum gratiarum actione. Actum credidit callidus ille si seposito luxu carnes apponeret mensæ fidelium, etiam diebus ieiunio sacris. Rursus ille imitatus canem, qui è macello tulit carnes, & metuit ne rapta caro excidat, denuo hanc agitans thesim ita fatur: *Esca non commendat nos Deo: cùm enim Deus vniuersa creauerit ad vsus humanos; neque quicquam à nobis exigat, præter vitæ pietatem; quid illius refert, piscium, an quadrupedum, an volatilium carnibus vescamur? Nihil enim pietati quicquam vel addit vel adimit hic delectus: superstitiosum facere potest, pium nequaquam. Christus nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritas est, si quis homunculus conetur quemquam huiusmodi constitutionibus onerare: pro suo quisque corporis affectu vescatur,*

Erasm. Rot. epist. præposita paraphr. 1. ad Corinth.

Idem paraphrasi cap. 8. prior. ad Corinth.
Erasmus dānat abstinentiam carnīū.

quibus velit, modò sobriè parcéque, super omnibus gratias agens Deo.

Colludant canes, & tota die adblandiantur sibi; si tamen vnus ad alterum tantisper accedat, cùm proiecta caro ab eo deglutitur, ille immemor ludi præteriti dente minaci inuehitur in alium suspectum sibi canem. Ita & Erasmus suspicatus Catholicos damnaturos suam sententiam, illam ideo bis transcripsit, fortè placiturus consorti suo Luthero hominum flagitiosissimo, qui à partibus carnis stetit morte tenus. Audi è crapula ructus hominis ebrij: *Verum est, nos liberos esse, omnique esca, siue carnibus, siue piscibus, ouis, aut butyro libere vesci posse, id quod nemo inficias ibit. Si quis te vi adigere vellet, vt Papa in suis constitutionibus fecit, vt Feria sexta, à carnium esu tibi temperares, & pisces comederes: similiter tempore ieiunij piscibus, non ouis, aut butyro, & id genus aliis victitares, hic nullo modo te a libertate, in qua à Deo positus es, deturbari permittas: sed contra potius, vt talem malè vras, facito, sic ipsi in os ostendendo, dicas: Ecce tu, quia carnis esum mihi interdicis, & ex libertate mea præceptum mihi facere conaris, ob eam maximè rem, vt tibi doleas, iam vescor carne.*

Luther. serm. de simulacris.
Lutheri impudens discursus ad adstruendum liberum carnis vsum omni tempore.

O consilium tali consultore dignum! ô ructum congruum homini temulento! ô argumentum coquinam sapiens vnde emersit! Rursus ille suæ cauponæ memor, istam euomuit blasphemiam: *Octaua Antichristi facies est, delectus ille ciborum, & ieiuniorum.* Eodem cacodæmone afflatus Caluinus, hæc insanus effutiit: *Latæ sunt impiæ leges, quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt. Interdictus est carnium esus, quasi hominem contaminaret.* Quæso demirare mecum vesaniam hominis absurdi, nuncupantis impietatem ritum illum, qui abstinet à carnibus, vt anima Deo meliùs inseruiat: quasi verò impia sit lex, quæ maximè conducit ad pietatem.

Idem contrà Ambr. Cath.
Horrēda Lutheri blasphemia contra abstinentiam carnis.
Caluinus lib. 4. Instit. c. 12. §. 21.
Quàm ineptè delirct Caluinus carpendo abstinentiam carnis.

Quibus autem argumentis irrita velint esse mandata, quæ distrahunt homines à carnium esu, breuiter expendamus. Primò obiecit Iouinianus, Deum præcepisse esum carnis, & extare adhuc hoc mandatum & vigere. Ecce legem: *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Cùm ergo omnia edita sint propter hominem, & vt pabulum subministrent, nequit homo citra piaculum à carnibus abstinere. Respondeo omnia quidem edita esse in gratiam hominis, sed non vt eis vesceretur, teste arbore scientiæ boni & mali. Præterea multa sunt, quæ non assumuntur in cibos, vt araneæ, & muscæ, aliaque insecta propemodum infinita, quæ alios vsus habent homini proficuos in re medica. Quantùm autem pertinet ad cibos; nemo inficiatur carnes editas ad hominum vsum, ea tamen cautione vt iis vtatur homo ex præscripto Dei, citra quod esus carnium est lethalis. Cùm ergo Ecclesia Deo afflata decernat aliquando abstinentiam carnis, profectò est auscultandum ei ab his, qui nolunt haberi Ethnici, & publicani exleges.

Genes. 9.
Quibus argumētis hæretici volunt adstruere licitum carnis vsum omni tempore.

Solutio primi argumenti.

Secundò arietant hæretici in Ecclesiam, machinâ petitâ ex sanctuario, videlicet ex Euangelio, vbi Christus concedit liberiorem vsum carnis, ita suos affatus discipulos: *In eadem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud eos sunt.* Ergo imprudenter Ecclesia libertatem illam adimit, quam Christus vnicuique illibatam voluit

Alterum argumentum.

Luc. 10.

Quæ cautela sint intelligenda verba Christi suadentis vt comedamus ea quæ apponuntur nobis.

voluit constare comedendo absque delectu quidquid epulis apponetur. Respondeo, Christum illic locutum fuisse de modestia, & sobrietate, aliisque virtutibus redigendis ad praxim à suis discipulis hospitio receptis: ne scilicet lautiores cibos expeterent, sed iis reficerentur, qui primò occurrerent, nisi fortè obstaret lex, aut aliqua qualitas inimica. Verbi gratiâ, noluisset Christus edi carnes suillas stante lege, prohibente cibos tales. Neque etiam hoc præceptum extenditur ad venenum, ita vt proposito veneno obstringamur ad illud absorbendum, vrgente nos hoc præcepto comedendi quæcunque obuiis apponuntur. Non itaque Christus ademit Ecclesiæ ius condendi leges, & refrænandi gulam, decernendo abstinentiam à carnibus tempore ieiunij, vt & non adegit homines ad bibendum virus vino dilutum; sed verba Christi sanè intelligenda sunt, saluo Ecclesiæ iure, & sarta tectaque incolumitate discipuli ad refectionem conuocati.

Solutio argumēti facti in gratiam carnis comedendæ omni tempore.

Denuò insurgunt aduersarij gestientes habere se Apostolum vadem suæ libertatis circa carnis vsum. Nam sic ille compellat fideles enascentis Ecclesiæ: *Omne quod in macello venit, manducate.* Hoc contextu clamant nos causâ cecidisse: siquidem macellum est officina carnium, non piscium, ac proinde ligat omnes, esus carnis, cùm ad omnes & omni tempore pertineat hoc præceptum. Respondeo, Paulum illic erudire Corinthios degentes inter idololatras, qui de carnibus immolatis quandoque pascebant Christianos, aliquando ad Gentium conuiuia conuocatos. Et quia cunctabantur discipuli comedere carnes appositas, suspicantes eas fuisse idolo sacras, vtpote hostiæ reliquias; sanxit Paulus, Christianos posse edere in Gentilium domo, quidquid in macello prostat. Esto enim fuerint illæ carnes immolatæ, potuerunt etiam è macello prodiisse, & ita deposita suspicione sacrificij, fideles liberè eas carnes assumere ad vsum suum; à quibus tamen abstinere debent præmoniti obsonia illa esse idolothyta, ne videantur præstare obsequium idolo, vescentes eduliis, quæ idola sibi antea deuinxerunt. Mea hæc solutio colligitur ex mero textu epistolæ, quam hæretici nobis obiiciunt impudentes. Hæc est series eius. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil inquirentes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.* Eo textu liquet, quàm ineptè vtantur Codice sacro hæretici, allegantes versum illum, quasi Apostolus indifferenter voluerit edi omnia quæ occurrent discumbentibus nobis, cùm specialis illic mentio fiat abstinentiæ à carne, quam quis præmonuit immolatam. Huc accedit aliud decretum explicitum latum ab Apostolis adunatis ad condendas leges in concilio Ierosolymitano, vnde exiit iste canon directus omnibus discipulis. *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & suffocato, & sanguine.* Si validum esset argumentum petitum à verbis Pauli incongruè explicati, Paulus irritum faceret hoc decretum prohibens esum carnis suffocati animalis: quia dixit esse manducanda omnia quæ veniunt è macello, vnde potest venire, & emi caro præfocata. Debet ergo intelligi Paulus hac præuia cautione; nimirum vt edantur omnia nobis apposita, si nihil secus obstet, quo minus indulgeamus appetitui nostro.

1. Cor. 10.

Tertium argumentum pro asserēdo liberiore vsu carnium omni tempore.

Solutio argumenti huius.

Mala fides hæreticorū, in referendis locis Scripturæ sacræ.

Act. 15.

Prudēter est intelligēdus textus sacer, & cautè versandus.

Ea est indoles proteruiæ vt non cedat rationi, si quando peruaserit hominem. Hoc est in Kemnitio hæretico, pertinaci si quis extiterit alius; obiicit locum istum Pauli: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi huius, quid adhuc decernitis, ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne contrectaueritis: quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum doctrinas hominum.* Hinc elicit callidus ille aduersarius, Christum abrogasse leges omnes, quæ discernebant inter cibos, ac proinde irritas esse doctrinas hominum, qui præcipiunt à carnibus abstinere. Sic ille virus suum affingit illi contextui. *Paulus primum tractat de abrogatione discriminis legalis quod verbo & mandato diuino sancitum erat: postea loquitur etiam de doctrinis, decretis, & mandatis hominum constituentium, ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris. Hæc enim non posse de legali, seu Mosaico discrimine intelligi, inde patet, quia vocat doctrinas & præcepta hominum, cùm Mosaicum discrimen verbo & mandato diuino sit sancitum. Et argumentatur Paulus à maiori ad minus. Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi huius, hoc est, si in Christo à Leuitico discrimine ciborum, quod mandato diuino sancitum erat, liberati estis, cur decretis iuxta doctrinas & mandata hominum tenemini: Ne gustaueris, ne tetigeris.* Tota huius veneni pernicies in eo sita est, quod falsò adstruit iste sycophanta, qui mentitur quando affirmat Paulum loqui de præcepto Ecclesiæ prohibente carnes die ieiunij, & non de præceptis legalibus à Moyse latis. Si namque Paulus meminisset Mosaicæ legis, non eam legem nuncupasset doctrinas hominum, cùm constet eam legem Deo legislatore fuisse conditam, ac proinde infert Kemnitius illas voces, Ne gustaueris, esse à Paulo insertas, vt damnaret illum morem, qui abhorret die ieiunij ab omni carnis obsonio depascendo.

Coloss. 2.

Kemnitij stolidum argumentum.

Kemnit. in Coloss. 2.

Male ab hæreticis Scriptura detorquetur, vt suos errorēs adstruant.

Virulenta sanè est expositio illa & planè contraria Sanctis Patribus, qui enucleantes illum locum Pauli, concordi suffragio expendunt illum de lege Mosaica, à qua nequit alio detorqueri. Id conclamant Hieronymus, Augustinus, & Chrysostomus asserentes illum locum pertinere ad legem tantùm Mosaicam, quam Paulus hisce verbis indicat antiquatam. Atque ita moti: non superstitiosè abstinendum à tactu cadaueris, vel fœminæ menstruatæ. Item esse piaculum, non gustare carnes suillas, & leporinas olim secretas ab esu concesso Hebræis. Vocat autem legem Mosis, doctrinas hominum, quia expletis figuris in morte Christi, nemo reuocare potest vsum legis huius, quæ tunc esset doctrina hominum, iuxta explicationem Chrysostomi ita commentantis. *Etiamsi legem obiicias: eà tamen ipsa iam deinceps doctrina humana est, elapso videlicet temporis sui præscripto.* Præterea dato non concesso, Apostolum non loqui de lege Mosaica sed de doctrinis aliis, quæ inhibent esum aliquorum ciborum; liquidò est eum non notasse suos socios

Germana expositio loci à Paulo aduocati.

Hieron. epist. ad Algasiam quæst. 10. Aug. epist. 59. ad Paulin. Chrysost. in c. 2. ad Coloss. Idem hom. 7. in epist. ad Coloss.

socios Apostolos, à quibus effluxit primum præceptum abstinendi à quibusdam carnibus, vt fuere idolothyta, & præfocata. Eamobrem attendisset potius Philosophos quosdam abstinentes ab omni animali, suspicantes animas hominum transmitti quandoque in corpora bestiarum. Vnde ait: *Videte ne quis vos decipiat, per Philosophiam, & inanem fallaciam.* (Coloss. 2.)

Rursus quando Paulus damnat doctrinas hominum, illas tantùm reprobat, quæ Domini legibus aduersantur. (Quænam damnentur doctrinæ hominum.) Sunt namque disciplinæ concolores legi Dei, quas idem Apostolus vult suspici, quasi cælitus illapsas. In his est præceptum ante sancitum ab Apostolis, prævio præambulo insinuante decretum illud quamuis latum ab hominibus, Deum tamen habere suasorem, & auctorem. (Actor. 15.) Hoc clamant initia legis. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Fuit ergo non doctrina hominum, sed Dei. Suæ etiam doctrinæ idem Apostolus fuit acerrimus propugnator, vt instituti à Deo deriuati. Sic ille: (1. Cor. 12.) *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Eò spectat & eiusdem Pauli ille textus propitius eidem argumento. (1. Thess. 4.) *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Ex præfatis nullus relinquitur ambigendi locus, imò pudore debet suffundi ille hæreticus, ausus affirmare cassas omnes esse hominum doctrinas Christi nece. (Doctrina Apostolorum, non est hominum sed Dei.) Namque Paulus suæ doctrinæ vindex acerrimus, contemptori suæ doctrinæ, eadem interminatur mala quæ manent iniurios homines Codici sacrosancto. Est itaque quod maciem timeant hæretici, cùm non sint eius potentiæ, quam operæpretium est habere, vt carnibus impunè liceat vti, nec quicquam Ecclesia reclamante.

(Cõgrua hæreticorum & harpyiarum comparatio.) Sed quid contendo imponere modum gulæ hianti cupidine carnium, quas si subtraxeris, gula iniuriis fœta, conuiciis aget in ieiunia decernentes, sic arbitrata eludi rationes, quæ legitimam esse probant abstinentiam à carnibus. Meritò dixeris, hæreticos, & præcipuè nostrates, esse harpyias. (Harpyiæ quales fuerint.) Priscæ olim Gentes credidere, harpyias esse horrendum monstrum terra marique satum vultu virgineo, aduncisque manibus, adeò carnium appetens, vt eas etiam procul positas subodorans quantocyùs aduolet, vt lautiora quæque edulia depascatur. Veteres arbitrati sunt hoc animal carniuorum editum esse in hominum perniciem. Ita poëtarum apex harpyias commemorat, & earum vorax ingenium.

(Virg. lib. 3. Æneid. Harpyiarum elegans descriptio.)

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deûm, Stygiis sese extulit vndis:
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Ingluuies, vncaque manus, & pallida semper
Ora fame.

Harpyias itaque Tartarus euomuit, magno orbis dispendio, alis & vnguibus instructas, ore pallido cupidoque carnium, vultu virgineo composito in fraudes. (Quot sint Harpyiæ.) Tres nominantur à Marone: scilicet Aëllo, Ocypete, & Celæno, incolentes Strophadas insulas.

——Strophades Graio sunt nomine dictæ
Insulæ, Ionio in magno, quas dira Celæno
Harpyiæque colunt aliæ, &c.

(Elegans hæreticorum descriptio.) En graphycam hæreticorum imaginem. Vultu quasi virgineo pietatem simulant, mentientes se reformatæ Ecclesiæ speciem prætendere. Alis extentis suam superbiam produnt, quando typho impudenti transcendunt apicem Ecclesiæ, Papam videlicet aspernantes, nihili facientes Concilia & agmen sanctiorum Patrum. Impudens hæc superbia eos accingit alis Icariis ad ruinam compositis. Aduncæ manus & rapaces, aliqua semper carne pingues, ori admotæ ingluuiem notant hominum, quos gula sic percellit, vt nullis censuris aut rationibus caro queat excidere eorum manibus. Si tres fuere sorores harpyiæ, tres etiam fuere hæretici nostris ferè temporibus præcones carnis omni tempore deuorandæ. (Hæretici maximè amantes carnis.) Nimirum Lutherus, Erasmus, & Caluinus, trium harpyiarum instar, absconditas ab Ecclesia carnes diebus ieiunij rapuerunt, & apposuere mensis fidelium, quas sic iusculo pingui aspersas, suo ritu impio conspurcarunt. Et raptas è macello dapes obtulere fidelibus, garrientes stare rationem ieiunij cum carnibus appositis, quas ore patulo deglutiunt harpyiæ hæ tetriores eis quas recenset Maro.

(3. Æneid.)

——————dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu, de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.

Ita sanè vox tetra hæreticorum est: quippe debacchantur, quia non valida suppetunt argumenta. De odore eorum, esto penes nares iudicium fœtoris, quem exhalant adeò importunum, vt Beatus Antonius olim solo odore tetro deprehenderit hæreticos. (Athanas. in vita Antonij. Hæreticos solo fœtore quem exhalant deprehendit Antonius ille Magnus.) Sanè impunè fugantur harpyiæ, & in cassum latibula quisque petit ad recondendas carnes, ne eas diripiant; siquidem nidore carnium afflati hæretici, eò conuolant vbi carnis edulia decoquuntur. Ita se importunas Æneæ præstiterunt harpyiæ, penetrantes intima syluarum, in quæ sese receperat ille adeò celebratus heros, suam sortem sic deplorans.

(3. Æneid.)

Rursum ex diuerso cæli, cæcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis.
Polluit ore dapes, sociis tunc arma capessant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Omnibus ferè sæculis insurrexere Patres Sancti intorquentes tela in patronos gulæ, rati huiusmodi hæreticos esse magis in fugam adigendos, quàm vlla rationum serie conuincendos. Sed esto muscas abegeris insidiantes escis; illico tamen immemores fugæ, iisdem etiam carnibus incubabunt. Hanc fuisse harpyiarum indolem scribit Poëta præcipuus in Poëtarum choro, inducens Æneam enarrantem, quomodo se milites accinxerint ad fugandum hoc harpyiarum genus, opiparè instructis dapibus importunum.

(Ibidem. Frustra abiguntur hæretici à mensis opiparè instructis, semper enim nidore carnis reduces ad culinam properant.)

Haud secus ac iussi faciunt, tectosque per herbam.
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.
Ergo vbi delapsæ sonitum per curua dedere
Littora; dat signum specula Misenus ab alta,
Ære cauo: inuadunt socij, & noua prælia tentant.
Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres
Sed neque vim plumis vllam, nec vulnera tergo
Accipiunt: celerique fuga sub sydera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.

Quare hæretici non admittant argumenta facta in gratiam abstinentiæ.

Si configi telis potuisset hæresis illa, quæ suscepit patrocinium carnis, iampridem confixa iaceret exanimis. Sed obeso ventri argumenta non sapiunt, imò & ipsi codices sacri nauseam prouiciunt, quia nidorem non exhalant carnium excoctarum. Virgilij harpyiæ erant armatæ plumis, quas vulnerare nequibant spicula intorta; ita & hæresis hæc, de comedenda carne singulis quibusque diebus, induit pennas hominum, quos leuitas & inconstantia velut pluma fugax ab Ecclesia resilire fecit. Transfugarum pennis instructus error ille declinat ictus Ecclesiæ, & Scripturæ sanctioris, ideoque Poëtarum telis cum gulosis hominibus egi, ne si sacra pangerem eloquia præter illa quæ iam deprompsi ad eorum interitum, plures viderer ante porcos spargere margaritas. Missos itaque faciamus hos Epicuri greges, sola axungia seu pinguedine conspicuos, vt fidelibus ostendamus, quàm prudenter fuerit ventri subducta caro diebus ieiunij, ne si præteriero argumenta tacita, pinguis & opaca hæresis insolescat.

Hæretici apostatæ.

Pars Secvnda Controversiæ.

Abstinendum esse à carnibus indicto ieiunio, probatur ex Scriptura, iure Canonico, Sanctis Patribus, & varijs Historijs.

4. Reg. 4.

INualente fame, & enecante populum Israël, iussit Elisæus parari ollam grandem, & in ea pulmentum coqui filiis Prophetarum. Sed instructis epulis, prælibato cibo amarore infecto, pueri illi suspicati esse lethales escas, non abstinuere modò, sed resiliente appetitu, ad has illico nauseaeunt. Quippe vnanimes & vniuoci compellarunt ita Elisæum: *Mors in olla, vir Dei.* Eodem argumento inducti Christiani abstinent à carnibus in die ieiunij, arbitrati mortem esse in olla, carnium iusculo despumante. Benè equidem, nec vana fides: namque diebus vetitis caro lethalis est animæ, si edatur citra cautiones ab eadem Ecclesia præstitutas. Licet obedienti sufficiat solum præcipientis arbitrium; tamen ad solamen fidelium adiiciam argumenta, quibus adstrui potest ille ritus sacer, qui secernit carnes, ieiunio indicto. Prima ratio attenditur penes causam ieiunij cælitus instituti. Hæc autem causa creditur esse tristitia; fuit enim introductum ieiunium ad testandam ingentem tristitiam, cuius proprium est arcere delicias omnes, saltem præcipuas, & quibus maximè affici solet homo, vt sunt deliciæ tactus & gustus. Coërcitæ fuerunt illecebræ tactus, assumpto cilicio pilis hispidis & austeris texto, facessente negotium carni. Eo etiam intento, cinere aspersa caro fuit amicta sacco, cuius affrictu molestiam aliquam perpessa est. Adscitum etiam fuit ieiunium, vt gustu mediâ afflicto, homines suæ tristitiæ amarorem aliis hominibus meliùs explicarent. Plurima autem sunt, quibus obligatur homo ad tristandum, si nolit incurrere in notam stolidi prorsus & insani. Causæ vernaculæ mœroris legitimi sunt clades publicæ, vt bella, lues, incendia, terrarum motus præuij ruinæ instantis, mors charorum, & alia id genus. Sed præcipuum tristitiæ argumentum est peccatum, quo omnium malorum summam homo demeruit. Homo qui in hoc mali extremi discrimen venit, habet equidem quòd tristetur, ac proinde debet in argumentum mœroris sui cauere illecebras gulæ, & tactus, bellum Veneri & Baccho fortiter indicendo.

Quare sit cato noxia diebus ieiunij.

Quare sit indicta carnis abstinentia diebus ieiunij.

Quãdo præcipuè sit ieiunandum.

Argvmentvm I.

Non est superstitiosa sed suspicienda vt par est à fidelibus abstinentia à carnibus.

Ex Scriptvra, et Ratione.

Ieiunij idem ac tristitia.

IEiunium, & tristitiam, res esse concolores probat multifariam Codex sanctus, enarrando modos adhibitos olim ab his, quos mœror anxius occupabat. In his recensentur viri Iabes-Galaad, qui sepulto Rege Saül suam tristitiam testati sunt arcto longoque ieiunio. Hæc habet historia: *Cùm audissent habitatores Iabes-Galaad, quacunque fecerant Philistijm Saül, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saül, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, veneruntque Iabes-Galaad, & combusserunt ea ibi, & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.* Adhibito etiam ieiunio, Dauid tristatus est ob Saülis necem, & cladem ideo imminentem regno Israël. Luctum eius sic enarrat historia veridica: *Apprehendens Dauid vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saül, & super Ionathan filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eò quòd corruissent gladio.* Idem Rex præpotens impastus voluit celebrare exequias Principis Abner, quem perfidè trucidarat Ioab æmulus eius, noluitque pasci Dauid vigente luctu, ne eadem mora modum ieiunio & luctui imponere videretur. Consule textum vnde hæc fluxerunt. *Plangensque Rex & lugens Abner, ait: Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, &c. Congeminansque omnis populus fleuit super eum. Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid clara adhuc die, iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem, vel aliud quidquam.*

1. Reg. 31. Viri Iabes ieiunãdo suã tristitiam explicarunt.

2. Reg. 1.

2. Reg. 3.

Non coëunt ieiunia, & lætitiæ argumenta.

Eodem Codice sacro ieiunium, & lætitia memorantur, vt res ex diametro oppositæ. Sic enim Deus Israëli bona ominatur obsequio Zachariæ. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, &c. domui Iuda & Ierusalem in dies festos vertetur, & in gaudium.* Quasi diceret: Ego tristitiam vestram in gaudium transmutabo. Iudæi namque ieiunabant illis mensibus in signum mœroris ob clades olim acceptas, quas multiplici indicto ieiunio recolebant. Verbi gratiâ ieiunium quarti mensis obseruatum fuit propter fractionem tabularum legis, quas contriuit Moyses subiratus populo prostrato ante vitulum. Et quia eodem mense quarto, scilicet Iulio, Ierosolyma capta est, & diruta mœnia, magnum tristitiæ argumentum habuere Iudæi illo mense, quem celebri ieiunio tristes adnotabant. Ieiunium quinti mensis, id est, Augusti causam habuit duplicem. Prima fuit murmur populi, quando reduces exploratores terræ repromissæ, regionis huius indolem enarrarunt. Hoc murmure Deus auersatus proterunm

Zachar. 8.

Iudæi ieiunabant in signum singularis tristitiæ.

Abulensis in Matth. c. 6. q. 134.

Historia & ratio ieiuniorum quæ fuere obseruata à Iudæis.

Hieron in c. 8. Zachar.

proteruum hunc populum, prohibuit ingressu plagæ lacte & melle conspicuæ. Vnde pertæsus longiorem moram in deserto quadraginta annos egit populus errabundus. Rursus eodem mense quinto, qui concordat cum Augusto, Nabuchodonosor & Chaldæi captâ Ierosolymâ succenderunt templum, & hoc incendio Iudæorum animos maximè perculerunt. Ieiunium septimi mensis, qui fuit October, institutum est ob mortem Godoliæ, qui relictus fuerat à Chaldæis Princeps terræ Iudæorum. Eo occiso fugit populus in Ægyptum.

Iudæi præter ieiunia indicta lege Moysis, plura alia habuere, & religiosè obseruata.

Demum ieiunium decimi mensis, id est Ianuarij, celebrabatur quotannis, quia eo mense Iudæi extorres, in suo exilio didicerunt incendium templi, quo audito impasti diu & obortis lacrymis extiterunt. Degebant illic Daniel & Ezechiel, obseruantes illa ieiunia quæ sibi gratis populus indixerat, lege Mosaica nescia prorsus horum ieiuniorum. Vnde & liberum fuit Iudæis succedente aliquo prospero euentu, sufficere in eorum locum dies festos & lætitiæ, sicque talia ieiunia præterire. Hoc præfatur Vates ille Zacharias dicens affore tempus, quo ieiunia mutabuntur in festa; id est tristitia in gaudium. Etenim ieiunare, & tristari perinde est, vt ex loquendi tropo Euangelistarum liquet, vbi tristari, & ieiunare, voces sunt synonymæ. Nimirum Pharisæis quærentibus à Christo, quare non ieiunarent eius discipuli, cùm Ioannes tamen suos auditores ad ieiunandum compelleret; ita respondit Christus: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus; & tunc ieiunabunt.* Quod Matthæus ait, lugere, Lucas ait, ieiunare. Sic ille: *Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Christo superstite nulla fuere ab eo discipulis indicta ieiunia, quia eius præsentia recreati, coire non poterant ieiunia & gaudium. Sed Christo assumpto, & vndique emergentibus angustiis, vt animus vegetior esset, sancita sunt ieiunia, ne tandem in perniciem spiritus corpora præualerent.

Matth. 9.

Luc. 5.

Quare Christo degente in humanis Apostoli non ieiunarint.

Apud Gentiles frequétata fuere ieiunia vt iis Deum ad misericordiam inflecterent.

Actor. 10.

Nec apud Christianos tantùm viguere ieiunia, sed & apud Gentiles illos, qui non suscepto Iudaismo, Deum tamen vnum agnoscebant, vnumque peculiarem cultum ei deferebant, prout quisque magis suo statui competere cogitabat. In his fuere Niniuitæ, qui Iudæorum sacris haudquaquam initiati Deum subiratum voluerunt placare ieiuniis, arbitrati inediam plurimùm valere ad Deum inflectendum. Cornelius item Centurio Romanus Gentilis pertæsus idola suæ Gentis, Deum facturus æquiorem sibi, vacabat bonis operibus. Hi Gentiles certiores facti de immortalitate animarum, crediderunt eas puniendas & præmiandas, iuxta indolem actionum editarum. Vnde quia rarus est ille, quem non diri aliqui Manes perurgeant, aliquod ei singulare vitium affricantes; censuere ieiunium idoneam pœnam ad perpetrata crimina castigandum: vt qui peccando commiserant illicita, indicto sibi ieiunio pœnitentes à licitis abstinerent.

Quare Gentiles aliquádo crediderint esse ieiunandum.

Nolim tamen affirmare Iudæos omnes, & Gentiles, quibus Dei notitia affulsit, abstinuisse à carnibus, quando pascebantur in die ieiunij, cùm temerarium sit aliquid asserere sine teste. De aliquibus autem certissimum est abstinuisse à carnibus, & vino stante ieiunio. In his accipe Danielem, ita describentem suum schema ieiunandi: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Ad ædificationem esse abstinentiam carnis, Paulus insinuat, non quòd Christiani credant immundas aut reprobas esse aliquas carnes, sed quia earum esus offendere potest tenellos animos, suspicantes ingluuiem in eo, qui nimium gestit carnibus indulgere. Sic ille Gentium Apostolus: *Quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Scandalizatur autem frater quando caro assumitur die ieiunij, quia tunc Ecclesia secreuit carnes à mensa fidelium, quibus eo tempore ademit vsum carnis, vtpote contrarium intento, ratione cuius præcipuè sanxit Ecclesia ieiunandum.

EX SCRIPTVRA. *Daniel. 10.*

Rom. 14.

Quare Paulus voluerit aliquando fideles abstinere à carnibus.

Eorum, quæ conducunt ad hominis victum, aliquid prohibere, non est res peregrina, & aliena à Codice sacro, vbi innumeris ferè hominibus extinctis diluuio. Deus volens propagare hominum genus, epulas quidem lautas Noëmo instruxit, & filiis eius, sed explicitè prohibuit carnem comedere cum sanguine. En decretum Dei: *Omne, quòd mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Fuisse etiam rem Deo perquàm gratam abstinere à vino, licet non esset recensitum inter immunda, disce ex Scriptura, vnde effluxit hic contextus. *Vir siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt.* Præterea Rechabitas habes, quibus eorum Pater Ionadab imposuit illud iugum, scilicet nequando biberent vinum; cui statuto quia morem gessere filij auscultantes, Deus Ieremiam conduxit, vt in eorum gratiam multiplici elogio peroraret. Sic ille: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

Aliquorum ciborũ vsus prohibitus olim à Deo.

Genes. 9.

Abstinentia à vino Deo grata.

Numer. 6.

Ierem. 35.

Rechabitæ à Deo laudati, ob vini abstinentiam.

Itaque futilis est & nihili illa instantia de bonitate rerum omnium editarum, ideoque præceptum distrahens hominem à carnibus subolere nefas, vtpote iniurium cibis editis ad corporum incrementum. Nimirum, vt supra memini, Ecclesia non condemnat carnes diebus ieiunij, quasi suapte natura noxiæ sint homini, sed quia maximè impugnant intentum illud, quo percellitur Ecclesia ad animarum commoda procuranda. Intendit autem Ecclesia vitia carnis abolere, quando decernit aliqua ieiunia. At nihil æquè fouet hæc vitia sicuti caro assumpta in cibum, quia pingue & obesum corpus facit luxuriæ obnoxium, quam tamen Ecclesia intendit ieiuniis extirpare.

Quare Ecclesia velit homines abstinere à carnibus diebus ieiunij.

extirpare. Quare autem vinum & legumina non sint interdicta diebus ieiunij, cum libidini certissimum etiam fomitem præstent, iuxta illud Prouerbiorum. *Luxuriosa res est vinum.* Cui accedit Apostolus. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* De legumine concordant medici esse flatuosum, ac proinde amicum Veneri. Quare inquam hæc libidinis incentiua non fuerint vetita sicut & caro, ratio hæc est, quia minus incendunt Venerem quàm carnes. Quippe ad luxuriam tria coëunt necessariò. Primò calor alterans digestum humorem qui defluit è stomacho. Secundò concurrit spiritus seu flatus stimulans ad obscœna. Demum requiritur humor ille qui obtinet in Venere principatum. Ne quæso piè lectos horreat animus: etenim omnia munda mundis, & absque hac doctrina nequit capi ratio præcepti vetantis carnes, & vinum atque legumina concedentis.

Prouerb. 20. Ephes. 5.

Quare legumina nõ sint interdicta die ieiunij, licet sint luxuriæ incentiua.

Igitur vinum, legumina, & caro se habent ad luxuriem sicuti calor, spiritus, & humor venereus. Vinum calorem confert, qui præludit antequam pruriat caro. Legumina dum progignunt crassos spiritus, in corpore impetiginem creant, & importunos animæ motus. Carò verò materiam subministrat ad quam præfata hæc luxuriæ terminantur. Calor etsi quandoque flagret, subito tamen tepet, ideoque vinum sobriè assumptum, & dilutum non est castitati iniurium, cum editus inde calor scintillet tantùm, & non ab eo perpetua foueantur incendia. Non ergo operæpretium fuit prohibere vinum, cùm ex primario naturæ intento non nutriat, sed extinguat sitim, & conducat ad transmissa obsonia decoquendum. Legumina item quamuis sint flatibus fœta, & sic suum obsequium Veneri præstent; tamen spiritus ille citò resoluitur, nec se solo potest vllum delectationis sensum corpori imprimere, quia emergit ex his breuius alimentum. At caro secus, vt congrua magis ad reparandas humidi ruinas, lacunas omnes statim implet, & affluente chylo, adiicit semper venis sanguinem nouum, qui quandoque refluit, & nouo naturæ ingenio, procreandæ soboli designatur. Penes hunc sanguinem superfluum, est tota illa labes, quæ coinquinat homines luxuriæ addictos. Nempe arente corpore & humore illo exhausto friget Venus, quæ tum maximè stimulat cùm carne ingesta & decocta tument vasa sanguine redundante. Cùm ergo præcipua animarum pernicies inde dependeat, & sit imbecilla Venus, si eam non alluat humor ille noxius; iure Ecclesia exsiccatura riuulos aggreditur fontem, cùm prohibet esum carnium, quæ assumptæ præ aliis cibis procreant sanguinis incrementum. Calor vini breuiore mora flagrat, leguminum flatus ad momenta tantùm spirat; sed materia ex carne digesta residua constanter remanet, corpusque armat in spiritum, in quem validè insurgunt corpora saginata. Optime igitur Ecclesia sospitati animarum consuluit, quando inhibuit mensis apponi carnes diebus ieiunij, institutis præcipuè ad carnis vitia compescendum.

Quare item vini vsus sit licitus die ieiunij, cùm in vino sit fomes luxuriæ.

Caro præ aliis omnibus eduliis maximè Veneri suffragatur.

Abstinentia carnis est amica castitatis.

ARGVMENTVM II.

Non est carpenda sed commendanda abstinentia à carnibus.

Ex Ivre Canonico.

Illud Ecclesiæ intentum Iure Canonico liquet, vbi monachis omnibus est interdicta caro, quia speciali voto castitatis iugiter obstringuntur. Vnde ne deuenit à præstituto sibi scopo continentiæ, editus est iste Canon. *Carnem cuiquam monacho, nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia: non quod creaturam Dei iudicemus indignam; sed quod carnis abstinentia vtilis & apta monachis æstimetur.* Ea Ecclesiæ sollicitudo cohibendi vitia carnalia, quando definit esse ieiunandum, maximè constat ex Canone, quem sanxit Beatus Gregorius, statuens vt non caro sola seponatur diebus ieiunio sacris, sed & alia omnia dimittantur quæ à carne procedunt, vt oua, lac, caseus, & butyrum. Præterea consulit abstinendum à lautioribus piscibus, & à vino immodicè propinato. Ecce Canon: *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & ouis, &c. Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui à carne abstinet, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum conuiuia praeparet. Vinum quoque ita bibere permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus.*

Ex Ivre Canonic.

Can. Carnem de Consecr. Dist. 5.

Can. Denique §. Par autem Dist. 5.

Nota, hoc præceptum de abstinentia à carnibus die ieiunij esse merè Ecclesiasticum, & non Christi, qui ieiunandi ritum non expressit sed reliquit Ecclesiæ, cui etiam ipse omnia, quæ illa decreuit, Dominus inspirauit. Si enim lege diuina cautum esset abstinere à carnibus & ouis & caseo diebus ieiunij, non adeò facilè relaxaretur obligatio perstringens omnes orbis oras. At ex Tostato cùm non suppetit piscium vis sufficiens ad alendas prouincias, & alia alimenta deficiunt congrua Quadragesimæ, licitum est ad oua recurrere & caseum. Ego tamen saluo Tostati iudicio vellem eo ordine procedi vt consuleretur Antistes exposita ei penuria prouinciæ, qua cognita caseorum vsum relaxaret tantùm si aliis cibis qui suppetunt adiecti possent sufficere; ne relaxata ouorum copia non vrgente necessitate iniuriosa foret Iuri Pontificio, in quo dispensare nequit Episcopus, sed declarare tantùm an valida sit necessitas, quæ eodem Iure Pontificio illis legibus nequaquam obstringitur.

Abulensis in Matth. c. 6. q. 171.

Ritus ille commemoratur in plerisque conciliis, vt in Ancyrano congregato anno CCCXVI. Ibi feruente clero sancitum est, deponendos clericos qui die ieiunij carnibus vterentur. Eodem sæculo, id est quarto, vigente disciplina Christiana, ipsis etiam catechumenis indicta sunt ieiunia, sepositis vino & carnibus. Et hoc statutum emersit ex Concilio Carthaginensi quarto, cuius en decretum. *Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini, & carnium, ac manus impositione crebra examinati Baptismum percipiant.* Si talia fuere credentium rudimenta, vt citra vini & carnium vsum ieiunarint in fidei

Concil. Ancyran. Can. 14.

Conc. Carth. quart. c. 85.

suæ incunabulis; profectò pubescente eorum virtute par est eos eadem instituta iugiter obseruasse. Gallia Christiana in concilio primo Aurelianensi etiam extra Quadragesimam voluit ieiunia celebrari ritu eodem quem meminere Canones sancti, Quadragesimam recensentes. Conuocatum fuit illud concilium anno quingentesimo sexto, inibi iam Ecclesiâ propagatâ. Sic in ea synodo statutum est. *Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominica Ascensionis celebritate soluatur. Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur.* Concilium Gerundense eodem sæculo celebratum adiecit abstinentiam à vino, etiam in ieiuniis extra Quadragesimam hoc edicto. *Quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum.*

Conc. Aurel. primum c.29.

Concilium Gerundense Can.3.

Ille ieiunandi mos institutus cum abstinentia à carnibus & ab his quæ carne sata sunt, ferè illibatus transmissus est posteris annis vsque ad sæculum septimum. Et ne tepor irrepens vim faceret illi instituto, toto orbe terrarum iugiter obseruato, congregata synodus Trullensis hæc decreuit anno septingentesimo decimo. *Accepimus in Armeniorũ regione, & in aliis locis, & in Sabbatis, & in Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam oua, & caseum comedere. Visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens ieiunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic & ab ouis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum, quibus abstinemus. Si autem hæc non seruauerint, si sint clerici, deponantur; si sint laici, segregentur.* His aliisque pluribus edictis sacris institutus est ille ritus abstinendi à carnibus, vt demirer hæreticos ea esse proteruia vt negent in priori Ecclesia viguisse morem illum. Priscam Ecclesiam vocant illam, quæ deuenit vsque in tempora Gregorij Magni, ante quam fuere congregata tria illa concilia antea prælibata. Non ergo abstinentia à carnibus delirium est stertentis Ecclesiæ, vt grunniunt porci, illi scilicet hæretici, qui sunt carnibus assueti.

Synodus Trullen. Can.56.

An potuerit Ecclesia prohibere ne quis carnes adhiberet mensis diebus ieiunij, non dubiam thesim credidit Kemnitius, sed ore procaci affirmauit, Christo prætereunte legem illam, non potuisse Ecclesiam imponere fidelibus iugum illud, ac proinde fas esse singulis quibusque fidelibus ad arbitrium vescendi carnibus omni tempore, vtpote ad hominis pabulum institutis. Mentitur Kemnitius, æquè reprobus & ignarus. Etenim Apostoli Ierosolymis adunati sanxerunt in eo concilio, vt Gentes abhorrerent à sanguine & suffocato, cùm tamen Christus ne gry quidem meminisset sanguinis & suffocati. Et tamen inualuit hoc præceptum, quod Paulus postea euulgauit perambulans multas orbis oras, vt comes eius Lucas commemorat hoc tenore. *Perambulabat Syriam, & Ciliciam, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum.* Adeoque tenaciter hoc Apostolorum statutum à Christianis obseruatum est, vt æuo Tertulliani plerique fidelium mortem oppetere maluerint, quàm sanguinem delibare. Ratio huius instituti ista fuit; scilicet Apostolos excogitasse modum, qui conduceret ad vniendos Iudæos & Gentiles, ita vt coirent omnes in vnum idemque ouile Christi. Vt ergo concordes essent hi populi multa legum intercapedine dissiti, censuerunt Apostoli ad tempus interdicere Gentibus vsum sanguinis & suffocati, quia Iudæi quàm maximè à talibus abhorrebant. Ne ergo Gentiles initiati sacris fidei mysteriis superstitionis insimularent eos qui ex Hebræis crediderant, si viderent eos abstinere sanguine, & præfocato, prudenter ea lex est edita, Gentibus indicens hunc horrorem, qui Iudæis erat insitus à natura, vtpote ebibitus vnà cum lacte. Hæc ratio Augustinum vadem habet.

Kemnitius part.4. Examinis.

Potuit Ecclesia prohibere esum carnium.

Actor.15.

Tertullian. in apologetico cap.9.

Quare Apostoli voluerint priscos Christianos abstinere à sanguine, & suffocato. *August. l.32. contra Faustum c.13.*

ARGVMENTVM III.

Coëunt Proceres Ecclesiæ ad adstruendam abstinentiam à quibusdam cibis, diebus ieiunio sacris.

Ex Sanctis Patribvs.

Qvemadmodum licuit Apostolis aliquos segregare cibos ab vsu fidelium, vt concordi animo coirent Gentes & Iudæi in obsequium Christi; quare Ecclesia non potuit diebus ieiunij aliquos interdicere cibos, vt corpus & anima Deo alacriùs inseruirent? Et maximè hoc potuit Ecclesia, cùm penes eam Christus reposuerit facultatem condendi leges, isto diplomate: *Qui vos audit me audit.* Concinit Epiphanius, affirmans quædam ieiunia emanasse ab Apostolis. Sic ille: *Si verò etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quomodo illi decreuerunt, quarta, & pro sabbato ieiunium per omnia, excepta Pentecoste, & de sex diebus Paschatis, quomodo præcipimus nihil omnino accipere, quàm panem, & salem, & aquam, qualemque diem agere, & quomodo dimittere in illucescentem Dominicam, manifestum est.* Hanc Apostolorum constitutionem fuisse nactam professores impigros, ille idem scribit hoc contextu. *Per sex dies ipsius Paschatis omnes populi in ficorum esu perseuerant, pane inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperam. Sed & pietatis studiosi duplas, & triplas, ac quadruplas transmittunt, & aliqui totam hebdomadam vsque ad gallicinium Dominicæ illucentis.*

Ex SS. Patribvs.

Epiphan. lib. de hæresib. hæresi 75. Lib.5. Constit. Apostolic. c.19.

Epiphan. in compendiar. doctr. Austera olim fidelium ieiunia ante Pascha.

Non diebus tantùm ieiunio deuotis, sed & quotidie debere Christianum fastidire carnes, consuluit Clemens ille Alexandrinus ita fatus: *Victus Christiani ratio non lautitiis paratur, & deliciis. A cibis enim titillantibus, & ad Venerem incitantibus procul est mensa veritatis. Etsi enim maximè propter hominem omnia facta sunt; non tamen omnibus vti bonum est, sed neque semper.* Hunc austerum ieiunandi tropum loquitur Cyrillus ille Ierosolymitanus, qui floruit anno trecentesimo septuagesimo. Hæc ille: *Ieiunamus à vino, & à carnibus abstinentes, non quòd oderimus hæc tanquam abominationes, sed quòd præmium expectamus, vt sensibilia despicientes, spirituali deinceps & intellectuali mensa fruamur: & nunc seminantes in lacrymis, in futuro sæculo cum exultatione metamus.* Ecclesiæ praxim, & intentum coërcendi petulcam carnis indolem, pulchrè enarrat Theophilus Alexandrinus, vir magni nominis, anno trecentesimo nonagesimo. Diceres eum præscium errorum, qui voluere carnes è macello traducere in mensas fidelium, qui ieiunio Ecclesiastico sua corpora deuouerunt. Ne glisceret ille

Clem. Alex. l.2 pædag.c.1.

Cyrillus catechesi 4.

Vino & carne abstinuere multi olim fideles diebus ieiunij.

ille cogitatus adhibendi carnes, & vt constaret sibi semper Ecclesia, vir ille magnus, quale suo sæculo vigeret institutum ieiunio stante, suo stylò ætati posteræ commendauit. Audi hominem exosum hodiernam gulæ libidinem.

Theophilus Alex. epist. 3. Paschal.

Sic ille: *Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites solent, vini poculum suspiremus, neque in procinctu, & prælio, vbi labor, & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur, &c. Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis, carnium esum repudiant, & insatiabilem auaritiam Dei timore compescunt. Vnde ad continentes Scriptura quotidie clamat: Vinum, & siceram non bibent. Et è contrario Iudæi ob culpam audiunt: Dabatis bibere sanctis vinum, & Prophetis, & præcipiebatis dicentes: Non possunt suscipere correctionem qui luxuriæ oblectatione capiuntur, neque ventris ingluuiem ratione & consiliis refrænare, amore ieiunij, cui desidiâ, & perituræ vitæ voluptate studium virtutis infamant, non erubescentes vinum clam bibere, & auidis faucibus arbitros declinantes, in cubiculis mulsa potare, vt inediam, & ieiunia, quæ vltro appetere debebant, ieiuniorum tempore, luxuriâ, & ebrietate commutent: nescientes quòd etiamsi hominum conscientiam fugiant, & clausis parietibus vescantur carnibus, atque aues altiles diebus Quadragesimæ, & propinquante Paschâ immundis manibus lacerent, tristi vultu foris ieiunia promittentes, corripiat huiuscemodi Dominus, & dicat: Iniquitates magnas faciunt isti, vt recedant à sanctis meis. Non decet ieiunantes, tempore agonis & prælij, vesci carnibus, monente Scriptura: Affligetis animas vestras. Neque Phasides aues solicito labore perquirere, & garrulas volucres, earumque pinguedinem hianti ingerere gulæ. Nec inuestigare magni pretij coquos, qui ventris rabiem iure multiplici, & carnibus contusione mutatis, diuersoque ciborum sapore demulceant: fumantibus palinis, & nidore sui, furori gutturis blandientibus, cum iniuria continentiæ, diuersi saporis & coloris vina quærantur.* Hæc ille, & quasi ad ignominiam grandiorum hominum, puerorum exempla depromens, ita sugillat appetitum hominum auidorum.

Commendatur maximè à Sanctis abstinétia carnis, & vini.

Quàm asperè à Deo castigatur immodica gulæ libido.

Leuit. 23.

Idem.

Audi hominem egregiè abdominis mancipia castigantem. *Docet nos sancti Danielis historia, & trium puerorum virtus, consona appetere, & honorare ieiunia, qui in seruitutem libertate mutata, cùm captiui debuerunt desiderare delicias, contempserunt Babylonis dapes, & simplicem cibum regali mensæ prætulerunt. Suademus eis, qui tempore ieiuniorum esu carnium delectantur, imitari Sanctorum continentiam, qui nulla vi superare potuerunt, vt rigorem virtutis amitterent, vt Babyloniorum imperia formidantes, captiuam in se ostenderent voluptatem. Sed manserunt liberi, ventrisque desideria, ratione superarunt, & titillantem gulæ vicerunt luxuriam; nobisque suæ fortitudinis exemplaria reliquerunt habitantes in Babylone corporibus, sed sensu & fide cum Angelis in cælesti Ierusalem morantes, vt omnem deinceps ætatem docerent, ieiuniorum tempore à vino & carnibus abstinendum; sumere de terra semina, & potandam aquam, quibus comitibus vtitur pudicitia. Quid memorem insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, & communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusque orbis in Ecclesiis Christi laudibus prædicantur, fortiores pœnis, ardentiores quibus comburebantur ignibus.*

Quàm salutare sit ieiunium probant historiæ sacræ.

Illa elegans Theophili parænesis ad refutandas carnes tempore ieiunij, meum acuit zelum, vt declamem non in hæreticos solùm, sed & in nostrates Catholicos nomine tantùm tenus, qui ex diametro oppositi sunt Danieli & sanctis eius sociis, qui de Babylone terrestri, cælestem fecere Ierusalem, illic nimirum Angelorum pane, id est, inedia victitantes. Et proh dolor! plerique nunc sortiti fidem & titulum hominum fidelium, etsi degant in Ecclesia Catholica, Ierusalem reuera sancta, non Babyloniorum modò, sed porcorum vitam agunt, iniuriam planè ieiunio, cuius incurij, nihil nisi nidorem culinæ spirant; inde collecta pinguedine nitet cutis, & facies obesa rubet: demum videre est hanc Bacchi progeniem nutante semper vestigio crapulà desudare. Profectò hodie rari sunt extra hunc Epicuri gregem, qui penè orbem totum occupat, & quem vt palantem agat Deus vltor suæ iniuriæ vt violato ieiunio, lue grassante, belloque quatit hoc impium hominum genus in peiora ruens, etiam nunc flagellis suis Deo Domino sæuiente. Hoc igitur inculca de pulpito, ô præco Dei, videlicet esse penes ieiunium, Babylonem commutare in Ierusalem illam cælestem patriam Angelorum.

Declamatio in nostrates Catholicos incurios abstinentiæ tẽpore Quadragesimæ.

Descriptio hominis gulosi.

Quare flagella Dei hodie desæuiant.

Mira olim facies Ecclesiæ tempore Quadragesimæ.

Longè alia fuit facies Ecclesiæ sæculo Chrysostomi: nimirum nullæ tragœdiæ excitatæ tempore Quadragesimæ, nullæ reclusæ tabernæ coquendis carnibus, impositus vbique modus gulæ, abactæ carnes procul à fidelium mensis, gula perperam reluctante. Hunc sanctum Ecclesiæ habitum Sanctus ille ita delineat. *Ieiunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem, & sexum, quasi diademate quodam ornat. Nusquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus: sed omnia illa abierunt, & imitatur hæc ciuitas honestam quandam, continentem, & sobriam matrem familias.* Ille idem demiratus Christianæ plebis feruorem illum pristinum, eum sic suis euehit encomiis. *Consuetudo est res tam facilis & expedita, quòd adueniente ieiunio, etsi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum.* Heu in quæ tempora deuenimus! Zelus ille totus excidit, & superest tantùm numerus exiguus hominum, qui de sua salute solliciti, ieiunandi ritum illibatum seruant. Eamobrem nihil nisi infaustum licet Christianis dyscolis, & gulæ deditis ominari.

Chrys. hom. 2. in Genesim.

Zelus olim fidelium in seruanda abstinentia ciborum tempore Quadragesimæ.

Alius item Sanctus Chrysostomo suppar, scilicet Cyrillus Alexandrinus, luculentam mentionem facit æui sui sectantis impigrè ieiuniorum cultum, illius sæculi exemplo nostram sugillans ignauiam. Sic ille: *Plurimi quidem apud nos fuere summa bonitate conspicui, qui ad eam peruenere continentiam, & ita seipsos castigarunt, vt etiam iis, quæ ad vitam vtilissima, strenuè abstinere voluerint, nempe pane, & oleo, & herbis, & leguminibus ineuitabilem ventris necessitatem placarunt, vsi pura aqua, & exercitationis labore gaudentes: & reiectaneus quidem apud ipsos nullus cibus fuit: abstinuerunt*

Cyrill. Alex. lib. 7. contra Iulian.

Quàm rigida fuere olim fideliũ ieiunia.

autem à nonnullis, vt dixi, mentis ad deteriora propensionem remorantes, & carnis lasciuiam compescentes.

Ecclesiæ Latinæ sanctiorum Patrum chorus omnis concinit Græcis, abigendo carnes à schemate quod deposcunt ieiunia fidelibus imposita ab Ecclesia, moderante modum, quem operæpretium est fideles suis actibus adhibere. Præcentor Hieronymus sic occinens in gratiam abstinentiæ illius, quam adstruo. *Quod nobis obiicit Iouinianus, in secunda Dei benedictione comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima concessa non fuerat; sciat, quo modo repudium iuxta eloquium Saluatoris ab initio non dabatur, sed propter duritiam cordis nostri, per Moysem humano generi concessum est: sic & esum carnium vsque ad diluuium ignotum fuisse; post diluuium verò, quasi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris neruos, & virulentias carnis ingestas, &c. Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus vescebamur, nec dabamus repudium, nec præputia nobis eripiebantur in signum: hoc cursu vsque ad diluuium peruenimus: post diluuium autem cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescendum, & repudia concessa duritiæ: & cultellus circumcisionis appositus, quasi Dei manus plus in nobis creauit, quàm necesse est. Postquam autem Christus venit in fine temporum, & omega reuoluit ad alpha, & extremitatem retraxit ad principium; nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo: Bonum est vinum non bibere, & carnes non comedere. Et vinum cum carnibus post diluuium dedicatum est.*

Hieron. lib. 1. contra Iouin. cap. 10.

Abstinentia carnium cœpit ab incunabulis mũdi.

Rom. 14.

Grande subodoror ego mysterium in ea animaduersione facta à Hieronymo, viro vtique multiscio. Nempe ego coniicio carnes homini concessas post lethalem illam aquarum illuuiem, in figuram gulæ, quæ hominem vino & carni subiicit, postquam alia vitia turpiter inundarunt. Et profectò superiore sæculo grassari incœpit hæc hæresis, de edendis carnibus die ieiunij, postquam tetra vitiorum colluuies alluit Germaniam, Angliam, & finitimas oras Galliæ, quæ & ipsa diffluens vitiis, sese totam penè hæresi infectam ventris obsequio mancipauit. De intento Ecclesiæ à me recensito, mentionem eamdem, quam & ego, facit Hieronymus, insinuans eò dirigi ieiunia, vt carnis insolentia salax congruè perimatur. Sic ille: *Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas seminarium est libidinis.* Hanc fuisse Ecclesiæ mentem, etiam suo suffragio comprobat Augustinus hoc discursu. *Catholici, edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent; vel semper sicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque vel minus, seu voluerit, seu potuerit.* Constantem illum viguisse ritum suo tempore sic alibi commemorat. *Illa est in Quadragesima diebus grandis vtilitas, quod dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus vti licet, qui nos abstinemus à vino, quo moderatè vti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent.*

Quid morale significet licentia homini cõcessa comedendi carnes post diluuium.

Idem contr. Iouin. l. 2. c. 6.

Aug. lib. 30. contra Faustum c. 5.

Cõtra luxuriã decernitur abstinentia carnis.

Idem ser. 64. de tempore.

Stylo vnanimi Patres extulere modum illum qui deponit carnes, vbi res est de ieiunio ab Ecclesia præstituto, vt illa inedia sortiatur effectum idoneum menti piæ matris, in gratiam castitatis sua dogmata decernentis. Non est prætereundus Ambrosius, in eo agone consultor optimus, vt videre est eo consilio, quo virginem instituit, ita fatus: *Modico vino vtere, ne infirmitatem corporis augeas, non vt voluptatem excites. Incendunt enim pariter duo, vinum & adolescentia. Infrænent etiam teneram ætatem ieiunia, & parcimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates, &c. Escis quoque omnibus, quæ gignunt membris calorem, parcè vtendum puto. Carnes etiam aquilæ volantes deponunt: In vobis quoque ales interior illa, de qua legitur: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua, sublime tenens, virgineo præpes volatu, superfluæ carnis nesciat appetentiam.* Hæc ille, satis superque nos vindicans ab iniuria illata Ecclesiæ, ab aduersariis falsò exprobrantibus hodie, ciborum hunc delectum esse tyrannidem Papæ, imponentis illud iugum fidelibus contra mentem Christi, affirmantis res esse planè discordes, cibos & animas, vtpote naturæ disparis, ac proinde animam nullas contrahere maculas ratione escarum, quæ in viscera transmittuntur. Si senatus Sanctorum Patrum consulitur, & penes eum steteur, profectò causâ cadent hæretici, vt à quorum partibus longè posita est ratio, vt ostendit series illa longa Sanctorum Patrum, quorum elogia longè latéque digessimus, & quorum omnium agmen claudet Fulgentius, qui refulsit anno quingentesimo. Is vt fidei dogma affirmat, ait ideo fideles seponere carnes procul à mensis, vt sit spiritus alacrior corpore castigato. Sic ille: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, & Dei seruos, qui à carnibus, aut vino abstinent, non tanquam immunda, quæ à Deo facta sunt respuere, sed à fortiori cibo & potu pro sola castigatione corporis abstinere.*

Abstinentia escarũ suggerit esse vitiis abstinendum.

Ambros. l. 3. de virginib.

Qui gulæ indulgent sunt inepti ad grandia virtutis specimina edẽda.

Abstinentia carnis vsurpata ad castigandum corpus.

Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 42.

ARGVMENTVM IV.

Cultioris vitæ gratiâ plerique sibi indixere abstinentiam à lautiore & pinguiore cibo.

EX HISTORIA.

VVlgare fuit scomma in Atheniensium inuidiam sæpius vsurpatum; scilicet, Athenienses scire quæ recta sunt, sed facere nolle. Eodem & iaculo impetimur ab hæreticis carpentibus Ecclesiam eò maximè nomine, videlicet Ecclesiam scire quæ recta sunt, sed facere nolle. Esse reuera penes Ecclesiam iudicium de intento Christi, sed Catholicos homines non viuere ex præscripto legum, & ad mẽtem Christi. Eo præcipuè argumento Lutherus & Caluinus vilioris plebeculæ insana capita dementarũt. Etenim illi triobolares homines fœdifragi, quasi essent zelo Dei acti, è pulpito multas habuere querelas ad populum, lædi libertatem Christianam quando feruntur leges de delectu ciborum die ieiunij; esse hoc Papæ inuentum, ita adstruentis suum dominium in omnes Gentes, quas pro nutu suo mactat carnis inediâ. Ipsum Dominum cibis vsum obuiis,

Athenienses quæ sciuerũt non fecere, & ideo malè audierunt.

Quibus instantiis hæretici declamẽt in abstinentiam à carnibus.

obuiis, & epulis opiparè instructis crebriùs adstitisse. Nec vllum extare vestigium, abstinuisse Christum à carnibus appositis apud Matthæum, Zachæum, Simonem, & Martham, vbi fuit lautè exceptus, ac proinde ritum hunc seuerum esse peregrinum & ignotum priscis Ecclesiæ temporibus, ideoque operæpretium esse vt penitus extirpetur. An sit iuris hæc abstinentia, discussum est abundè supra. Iam ad factum quæstio deuoluitur; videlicet fideles, seu Christiani orthodoxi, diebus ieiunij olim aspernati fuerint carnes necne.

Athanasius aliis prætendet facem, docens ferè vernaculam & quotidie vsitatam apud cœnobitas illam abstinentiam, vt maximè congruam ad corpora castigandum. Sic ille meminit Antonium & monachos huius æui: *Edebat semel in die post Solis occasum: nonnunquam biduo, triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat vero panem, & sal; potumque aqua perparuum. De carnibus verò, & vino melius tacere puto, quàm quicquam dicere: quoniam nec apud plurimos quidem Monachorum istiusmodi esca in vsu habentur.* Ipsis etiam fœminis illum ieiunandi modum, qui deponit carnes, fuisse familiarem, sed & alium longè seueriorem ait Hieronymus, ita recensens acta Paulæ fœminæ præpotentis. *Paula tanta continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiuniis ac labore contraheret: quæ exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet; vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino, & liquamine, piscibus, & lacte, & melle, & ouis, & reliquis, quæ gustui suauia sunt, indicaret: in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant; & si his ventrem ingurgitauerunt, tutam pudicitiam suspicantur.* Arctioris etiam disciplinæ obseruatæ aureo pubescentis Ecclesiæ sæculo mentionem facit idem Sanctus, Pauli Eremitæ demiratus agones hoc discursu. *Cibum, & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor, & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit: alter in cisterna veteri, quinque caricis per singulos dies sustentabatur.*

Athanas. in vita Anto. Antonij & aliorũ Monachorum aspera abstinentia.

Hieron ep. 27. c. 8. in Epitaphio Paulæ. Paulæ viduæ quàm fuerint austera ieiunia.

Idem in vita Pauli Eremitæ. Pauli Eremitæ rigida & diuturna ieiunia.

Austerioris huius disciplinæ calles plerisque Inuios inire alij non pauci vertente sæculo, quo floruit præfatus ille Paulus, quem æmulatus Hilarion Abbas, illius ieiunia propè assecutus est, vt credere fas est Hieronymo sigillatim perstringenti quibus impensis Hilarion tamdiu victitarit. Ita Hieronymus auspicatur seriem vitæ illius. *A vigesimo primo anno vsque ad vigesimum septimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum, cum sale, & aqua. Porro à vigesimo septimo vsque ad trigesimum herbis agrestibus, virgultorum quorumdam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo vsque ad tricesimum quintum sex vncias hordeacei panis, & coctum modice olus absque oleo, in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine, & pumicea quadam scabie contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum; & vsque ad sexagesimum tertium vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimo quarto anno vsque ad octogesimum pane abstinuit, incredibili feruore mentis; vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remissiùs viuere.*

Idem in vita Hilarion. Quem ieiunandi ritum sit secutus Hilarion toto vitæ suæ tractu.

Vt est garrula lingua vino madens, aduersarij crapula loquaci instabunt, homines & fœminas in secessu quidem vsurpasse gratis illum viuendi tropum; non inde tamen argui, totius Ecclesiæ ritum hunc fuisse, vt fideles abstinerent à carnibus indicto ieiunio. Est profectò ferenda instantia, & diluenda, nobilibus aliunde testibus aduocatis. Epiphanius vadimonium non deseret, sed præstò aderit, sui sæculi morem edocturus. Floruit ille anno trecentesimo octogesimo, quo sic Quadragesimæ obseruantiam viguisse enarrat hoc contextu. *Omnes populi in siccorum esu perseuerant, pane inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperam, &c. Iam verò adhuc alij etiam à pane abstinent, alij etiam ab arborum fructibus duris ac nucibus, & à coctis.* Nota Epiphanium recensere morem populi & non monachorum, atque ita rubore suffundere frontem aduersariorum nostrorum, dum insurgunt in nostra ieiunia velut in rem nouam, & contra libertatem à Christo concessam. Chrysostomus Epiphanio suppar eamdem populi Christiani indolem commemorat fuisse procul à carnibus ieiunij tempore deuorandis. Sic enim tempus Quadragesimæ describit ille Antistes. *Hæ feriæ sunt, vbi animarum salus, vbi pax, & concordia est, vbi omnis huius vitæ apparatus abigitur, vbi clamor, & tumultus, & coquorum discursus, & pecudum mactationes è medio tolluntur.*

Epiphanius in compendio doctrin. Fideliũ olim austeritas in obseruando ieiunio Quadragesimæ.

Chrys. hom. 1. in Genesim. Ieiunia sunt feriæ salutares, & quare.

Ab eo ieiunandi instituto citra carnium vsum nemo planè exceptus est, quantauis fuerit eminentia conspicuus, vt videre est in serie rerum editarum ab Imperatore Iustiniano, quem meminit Procopius Cæsariensis ita fatus: *Iustinianus omnibus illis diebus, qui Paschalem solennitatem precedunt, ieiunio addictis duram quamdam vitam egit, nedum Regi alienam, sed ne priuato cum aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibis abstinebat, summo mane identidem è lecto surgens Reipublicæ inuigilauit. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit, brassicam solùm, & agrestes herbas; longo tempore sale & aceto maceratas edebat: potus erat aqua sola. Neque iis ad satiritatem vtebatur; sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto qui naturæ erat satis.* Hæc Procopius.

Procop. orat. 1. de ædificiis Iustiniani.

Iustiniani Imperatoris mos in excolendis ieiuniis.

Non est igitur inficiandi locus, post tot testes sine exceptione maiores, ideoque magis est standum decretis Ecclesiæ decurrentis hodie eodem tenore, quo & prioribus illis sæculis, vnde ad nos illa ieiunia defluxerunt, quæ indiuiduam habent societatem cum abstinentia à carnibus, imò illa abstinentia latior est ieiunio. Etenim præcepta negatiua arctius obstringunt aliis, quæ affirmant. At ieiunare subest præcepto affirmatiuo; at, non manducare carnes, est quid negatiuum. Eamobrem multi, quos ieiunij regula non concludit, abstinere tamen carnibus obstringuntur. Vt pueri infra vicesimum primum annum extra carceres sunt hominum decur

Maius est præceptum abstinere carnibus in Quadragesima, quàm illo tempore ieiunare.

decurrentium aleam ieiunij, sed non soluuntur lege, quæ secernit carnes. Eamobrem maiore cautela opus est ad comedendas carnes in Quadragesima, quàm ad soluendum ieiunium. Præsumpta necessitas animo minimè fraudulento copiam facit multiplicis refectionis in die ieiunij; sed non sufficit ad edendas carnes ratione scandali inde emergentis. Ideoque nolim illam necessitatem reponi penes arbitrium dubij hominis ægrotantis, sed vellem expectari iudicium Præsulis, aut Parochi, si ita annuerit Præsul procul positus, & inualuerit consuetudo, quæ quandoque iurisdictionem acquirit ei, quem nemo impugnat in eo iure comparato.

Petenda est licentia à Prælatis si sit ratio comedēdi carnes.

Esse super hac re consulendum aliquod oraculum, Canones sancti præcipiunt. Vnum hunc suggerit Concilium Toletanum octauum celebratum anno sexcentesimo quinquagesimo quarto. *Quisquis absque ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti langore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius omni tempore ab omni esu carnium abstineat gula, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à sacerdote permissum præsumant.* Hoc igitur esto statum; scilicet abstinentiam à carnibus, diebus institutis ad ieiunandum, esse tot titulis introductam, vt quisquis ab eo ritu resil[ir]e volet, nolens auscultare Ecclesiæ, ille sit ad Ethnicos amandandus.

Concilium Toletan. 8. cap. 9. Qua censura castigati illi qui carnes comederunt in Quadragesima. Innumeris argumentis stat inconcussus ritus carnibus abstinēdi tempore ieiunij.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA III.

An Ecclesia congruè instituerit Quadragesimam, quatuor tempora, vigilias, & alios singulares ieiunandi modos.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum; & faciem tuam laua.

PRÆFATIO.

INdubiam apud omnes conciliauit sibi fidem hoc effatum; videlicet, Bonum non esse bonum nisi benè fiat, id est, multa debere concordi suffragio coire ad hoc vt integræ bonitatis rationem res aliqua sortiatur. Cùm ergo ieiunium sit de genere bonorum moralium, quæ pertinent ad salutem hominum, debuere ritus aliqui præstitui, vt quisque aleam ieiunij prudenter decurreret. Cuius autem fuerit decernere illa instituta, dies, & schemata parcendi cibis, fuisse iuris Ecclesiæ neminem sanæ mentis arbitror posse in dubium reuocare. Ecclesia terribilis vt castrorum acies ordinata, maximè delectatur ordine, ideoque has à Deo partes accepit, vt congruum ordinem affigeret rebus spectantibus animarum curam, vti sunt ieiunia, quæ suo decore & fructu excidunt, incongruè & perperam vsurpata. Ad hunc præcipuè ordinem pertinet decernere congrua tempora, cibos, quantitatem, & alia id genus. Expedita sunt proximâ controuersiâ ea, quæ sunt ciborum; nunc mearum est partium inuestigare rationes temporis assignati. Sed antequam liquidò ostendam esse rationabile obsequium nostrum inhærendo statutis Ecclesiæ, quæ designat dies & momenta ieiunij, par est frangere impetus eorum, qui insurrexere in Quadragesimam aliosque dies huic operi designatos.

Bonum vt bonum suis debet instrui circumstantiis. Ad Ecclesiā spectat decernere tempora & modos ieiunij.

Diuisio controuersiæ.

PRIMA PARS CONTROVERSIÆ.

Quibus argumentis hæretici insurgant in Quadragesimam, aliosque dies ieiunio prænotatos.

PErseo Rege moderante res Macedonum, Gens illa prospero euentu armata fregit acies Romanorum, qui suis cladibus eruditi, animum suum appulerunt ad indaginem causæ, quæ victoriam inclinabat, vt Macedones inuij essent viribus & spiculo Romanorum. Congregatis eo intento ducibus, & sciscitantibus vnde robur tantum Genti alioquin impari, coiere omnes in vnam sententiam; scilicet victoriam statas habituram sedes apud Macedones, donec quadrati eorum cunei frangerentur. Nempe constante sibi semper hoc ordine impenetrabiles fore phalanges, quæ quadratæ tantas strages ediderant; ac proinde esse satagendum, vt hic turbaretur ordo, penes quem erat summa victoriæ. Annuerunt omnes, & dixere mouendum esse lapidem omnem, vt quadra hæc figura cuneorum inuerso ordine deperiret. Itaque Romani congressuri cum Perseo, statuerunt esse irrumpendum fortiter in phalanges circum cursitando. Fuerunt eo fine conducti velites, equites scilicet leuioris armaturæ, qui gyrando cominus hos cuneos irritarent. Macedones imparati ad hanc industriam, vt occurrerent plagis inflictis à circum currentibus aduersariis, ordine immutato in gyrum acti sunt: & vt circuitus omnis præcipiti motu caput grauat, concepere vertiginem singula quæque agmina, quibus instantes validè Romani apertos cuneos vltore gladio prostrauerunt.

Plutarch. in vita Pauli Æmilij.

Qua industria Perseus Rex Macedonum fregerit acies Romanorum.

Fractus ordo rerum infātium ruinæ præit.

Eodem propemodum astu hæretici suas experti sunt technas in perniciem Ecclesiæ, vnde eliminare ieiunia tentarunt. Vt fierent voti compotes, noluere primò damnare ieiunia, ne reclamante Scriptura sacra, delere opus probum, & abdominis imperium adstruere viderentur. Itaque aduertentes hæretici præcipuum ieiunij robur esse in duobus cuneis quadris, scilicet in Quadragesima, & quatuor temporibus, auspicati sunt rixas, dubia, quæstiones, ab hisce ritibus quasi temerè inductis; tamen non cessit eis industria illa nequam: nimirum stante Quadragesima, & obseruatis adhuc quatuor temporibus, turbare nequiuerunt hostes quadrata hæc agmina inconcussa. Quare autem homines apostatæ voluerint expungere Quadragesimam, & quatuor tempora, ratio hæc est. Arbitrati sunt illi nebulones, & asseclæ ventris, turbato ordine hoc quadrato, quo sibi constat Ecclesia in quadro posita; id est, concesso, Quadragesimæ & quatuor temporum

Quare hæretici laborarint maximè vt Quadragesimam & quatuor tēpora expungerent.

temporum ritum superstitionem sapere, non fore difficile negotium, substituendi carnes & epulas in locum ieiunij, hæresi sic Ecclesiæ dogmata reprobante: ita hæresis æmulata est callidum Romanorum ingenium, qui noluere priori impetu penetrare cuneos Persei, quos graues imminere sibi præsenserant suo dispendio; sed hoc studuere tantùm, scilicet vt variaret ordo ille indicens, esse constanter in hostem, non ancipiti vestigio, quadrato agmine decertandum.

Nomina hæreticorum, qui impugnarũt Quadragesimam.

Qui autem fuerint milites conducti in gulæ gratiam, audi. Manichæi in eo agmine primas tenent, adorsi Ecclesiæ institutum de Quadragesima iugiter obseruanda. In eius odium, die tantùm Dominica vacabant ieiunio. In hos stylum suum acuit Ambrosius, qui non obstitit tamen quin Eustathius Manichæorum partes tutatus sit, prædicando esse duntaxat die Dominica ieiunandum. Illius insaniam Socrates pungit. Alius postea nomine Aërius Ponticus, non improbauit quidem longiorem seriem temporis addicti ieiunio, sed noluit quemquam adstringi Quadragesimæ, ast propriam indolem sequi, vt Spiritu sancto afflante, nutum eius quisque ad arbitrium suum ieiunando liberè sequeretur. Hunc sugillant Epiphanius, Augustinus, & Damascenus. Profligata hæc hæresis inimica Quadragesimæ, turbas auxiliares adsciuit hoc sæculo, vt redintegraret bellum in Ecclesiam hactenus intermissum. Rebellionis capita præcipua fuere Erasmus, Lutherus, & Caluinus, defectionis suæ ab Ecclesia præferentes notam ingloriam, scilicet gulam, & crapulam. Qualia autem fuerint eorum sensa circa Quadragesimam, aperient subiecti eorum textus. Sic Erasmus: *Tristia sunt ieiunia, quæ præscribit Lex: & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem.* O rationem homine saturo dignam! Quasi verò institutum Quadragesimæ obstet, ne animo hilari Deo homines obsequantur. Nihilo melius Erasmi consors Lutherus eructat ita debacchatus. *Erroneum est, & plenum mendacijs, quòd certis temporibus anni, Vigilijs Apostolorum, & aliorum Sanctorum ieiunijs necessitatem imponunt sub graui peccato, tanquam Ecclesiæ decreto, & mandato. Nam ieiunia, quòd ad dies & cibos attinet, libera, & adiaphora in perpetuum esse debent.*

Ambr. ep. 83. Socrates l. 1. cap. 33. Epiphan. ibid. Augustinus, Damasc. de Aërianis.

Erasmus in paraph. ad c. 2. Marci. Rationes Erasmi in Quadragesimam.

Lutherus de doctrinis hominum vitandis. Lutheri blasphemiæ contra Quadragesimam.

Quis amabo Lutheri deliria prætulerit sanctis Canonibus & Decretis? Ille ait esse mendacia hæc quæ decernit Ecclesia, Quadragesimam instituens; iam liberum esto cuique conijcere, an temulenti hominis ructus apud asseclas eius oraculi vices optimè sortiatur. Luthero suppar Caluinus acriùs inuectus est in Quadragesimam, in eam lethale suum virus spargens hac rabie. *Passim inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio; quia & vulgus eximium aliquod obsequium se præstare Deo in ea existimabat: & Pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione; sed fuit mera κακοζηλία, & superstitionis plena, quod titulo, & colore imitationis Christi ornabant.* Canis ille tabidus momordit Nicolaum Hemmingium, qui eodem furore percitus ita despumauit. *Statutum & ordinarium ieiunium est, quod certo tempore anni, mensis, aut septimanæ est affixum, quale est apud Papistas Quadragesimale quod vocant ieiunium: item Quatuor temporum, Apostolorum, &c. In quibus nihil sani sed mera superstitio, multiplex impietas, & ἐθελοθρησκεία, ab Apostolo damnata imperium tenet.*

Caluin. l. 4. Instit. c. 12. § 20. Caluini deliria in Quadragesimam.

Nicolaus Hemming. ad cap. 6. 2. ep. Corinth. Quomodo in Quadragesimam declamarit Hemmingius.

Caluinus cæteris astutior tribus argumentis impetit institutum illud Quadragesimæ. Primò ait Catholicos incongruè ieiunare Quadragesimam ad imitationem Christi; quia si eo intento ieiunasset Christus, vt ieiunio quadraginta dierum voluisset obstringere sequaces suos, profectò quotannis illud idem ieiunium instaurasset. Ergo cùm non singulis annis repetierit illud ieiunium, perperam inducta est illa Quadragesimæ ratio, quæ petitur à Christo Domino ieiunante. Kemnitius in gratiam Caluini traducit Chrysostomum ita fatum: *Non dicit Christus ieiunium suum esse imitandum, quamuis quadraginta illos dies posset proponere; sed discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Imò vero contra, omne quod apponetur vobis, manducate.* Sic diluo argumentum. Tot Quadragesimas Christus ieiunauit, quot dies tentationis passus est à diabolo. Sed vna die tantùm à Dæmone tentatus est: vnde ad exemplum satis illi fuit vnam à seipso Quadragesimam exegisse, qua erudiret homines singulis quibusque annis nouam esse decurrendam Quadragesimam, vt se aptarent dæmonum technis, quibus quotidie omnibus ferè mortalis impetuntur. Quòd si verbo non suasit Christus imitationem ieiunij sui, satis superque fecit operi, cuius suasio potior est omni verbo. Illa autem ieiunij reticentia, & mentio humilitatis non eludit dignitatem ieiunij, & necessitatem eius eluit; sed duntaxat humilitatem maximè commendat, citra quam displicet inedia, & cum qua impensè ieiunia Deo placent, qui & solam humilitatem perquàm gratam habet, quando non suppetunt vires ad ieiunia decurrenda. Fauet Chrysostomus explicans suam ipsius sententiam; quam callidè vt spiculum in nos intorsit Kemnitius. Sic ille: *Hæc dixi non quia ieiunium mihi non placet, quod magnis soleo efferre laudibus; sed quia doleo, si cæteris despectis satis ad salutem vobis ieiunium existimetis.*

Argumenta Caluini.

Chrysost. in homil. 27. in Matth. Solutio argumenti.

Ieiunium est congrua armatura contra tentationes.

Ibidem.

Denuo insurgit ille idem apostata, inclamans ieiunium illud Christi non posse trahi in argumentum Quadragesimæ, nec Christi eam fuisse mentem quando ieiunauit; siquidem tunc vnam in die refectionem sumpsisset, vt suos discipulos pelliceret ad sequelam suam. Imò secus nihil planè assumpsit, ne inde daretur ansa fidelibus æmulatione sua Christi hoc præclarum facinus assequendi. Præstò sum, illi instantiæ respondendo, nullius vnquam discipuli Christi animo insedisse, vt assequeretur Christum plenè & perfectè; sed eo omnes ingenio fuisse sequaces Christi, vt quisque pro modulo suo Domini vestigiis adhæreret: atque ita non fuisse deterritos sua impotentia prætereundi Quadragesimam sine pastu, sed aggressos illud institutum iuxta vires vnicuique à Deo concessas, & inde ortam differentiam, quæ irrepsit priscis Ecclesiæ temporibus, vbi aliqui tres dies impasti suum degebant æuum, aliis duntaxat ieiunium protrahentibus ad vesperam, vt meminit Irenæus, quem falsò commemorat Kemnitius, vt probet Quadragesimam non fuisse statam & fixam tempore Patrum, qui Apostolorum sæculum exceperunt. Sic Irenæus: *Quidam vnum diem ante Pascha ieiunant, quidam duos, alij plures, alij quadraginta, diurnas & nocturnas horas supputantes pro die. Et hæc diuersitas non iam nostra ætate primum cœpit, sed*

Aliud argumentum Caluini contra Quadragesimam.

Solutio argumenti.

Irenæus apud Euseb. lib. 5. cap. 24. Fidelium olim ritus austerus in ieiunio Quadragesimæ.

longè antè, illorum scilicet tempore, qui ante nos fuerunt, qua vt coniectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel priuata auctoritate, in posterum aliquid statuissent, obseruarunt. Illinc tantùm colligere est, fideles fuisse ancipites in modo ieiunandi, sed non in tempore inediæ præstituto. Id est, ex loco præfato Irenæi liquet, Christianos dubitasse an de ratione ieiunij esset, semel pasci in die vno, vel duobus. At omnino falsum est illud quod infert Kemnitius, Quadragesimæ tempus fuisse fidelibus incognitum, cùm ipsa Irenæi verba faciant mentionem Paschæ, ante cuius festum ait fuisse celebrata illa ieiunia, quæ nos Quadragesimæ nomine nuncupamus. Inde videre est quanam fide hæreticus agat, cum Ecclesiæ dogmata impugnat. Sed quid fidem commemoro hæresim carpens, cuius ingenium est facere homines infideles.

Nulla planè fides est hæreticis adhibenda.

Tertium argumentum Caluini contra Quadragesimam.

Infremens adhuc Caluinus ait ita Ecclesiam & Synagogam esse affines, vt præcipui quique ritus Ecclesiæ fuerint prisco illo Iudæorum tempore lineati. Hinc emergere solutionem nodi quem versamus, composito sic argumento. Moyses legislator ieiunauit quadraginta diebus in figuram quadraginta dierum, quos Christus ieiunus egit, antequàm Euangelij dogmata publicaret. Sed Moysis ieiunio Iudæis agnito, non fuit tale ieiunium quadraginta dierum Synagogæ impositum. Ergo nec debuit tale iugum imponi fidelibus eò quòd Christus fuit impastus quadraginta diebus: & maximè ostenditur esse importunum illud Quadragesimæ iugum incumbens humeris Ecclesiæ, quia illa deterioris est conditionis, ac proinde infra Synagogam, cui nulla fuit indicta Quadragesima. Dicere autem Christum prætulisse Synagogam Ecclesiæ, blasphemum est. Hæ sunt nugæ, quas Caluinus argumenta vocat, quibus vt faciam satis superque, duo sunt aduertenda, vt versutissimi hostis aculei retundantur. Primum est, incongruè Moysem & Christum comparari à Caluino. Summæ etenim irreuerentiæ est Moysem seruum componere cum Christo rerum Domino: vnde ad solutionem tricarum, quas prætendit hæreticus, dico, Moysem non fuisse datum Hebræis ad exemplum omnimodum, quod tamen de Christo nefas est ambigere: quippe ille fidelibus obiectus est vt exemplar, ad cuius ideam debent omnes suos mores excolere: præcipuè vbi agitur de virtutum praxi, cuius generis sunt ieiunia, aliaque præclara à Christo Domino perpetrata. Fuisse verò Christum homini propositum in exemplum, hi subiecti textus luculenter adstruunt. Sic illemet in eo argumento de se fatur: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* De Moyse autem proposito in exemplum Scriptura sacra silet, ac proinde absurdum est Caluini argumentum, quo suppares facit Christum & Moysem, volens vnum esse obiectum Synagogæ in speculum, alium verò datum Ecclesiæ in specimen virtutis omnigenæ. Vt de Moyse proposito ad sequelam nulla omnino mentio est; ita secus de Christo locuples est commemoratio adhortans omnes eosdem obire calles, quos iniuit ille sacer Antistes, & præcipuè quando res est de ærumnis, vt quisque suas angustias æquo animo ferat, recolens quibus sese molestiis fecerit obnoxium Christus, vt ad virtutis obsequium homines inclinaret.

Solutio argumenti.

Christus datus est fidelibus in exemplum.

Ioan. 13.

Hanc fuisse mentem Christi Petrus insinuat isto versu. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Cùm ergo Christus positus in specimen Quadragesimam ieiunarit, quis fidelium cunctari iure potest, ne illi sancto ieiunij pareat instituto? Nec facessit negotium instantia, quam repetit hæreticus, & quæ est illud secundò prænotandum in Caluini argumento; videlicet ineptè concludi Ecclesiam esse Synagoga inferiorem, & grauiore iugo premi, si Quadragesimæ obseruatio admittatur à fidelibus, quandoquidem constat in Iudaismo non viguisse ritum illum fortissimis etiam humeris importunum. Respondeo ea quæ ad culturam morum pertinent arctius obstringere Christianos, quàm Iudæos, quos magna legum congeries grauauit pertinens ad cæremonias & figuras; & sic leuius esse iugum fidelium, quàm fuerit Hebræorum. Erant nempe onera grauiora Iudæorum, in quorum locum cessit virtutum praxis imposita fidelibus, qui mediante Dei gratia deueniunt ad meritorum apicem, infra quem erat obseruatio rituum Hebræorum. Non itaque fit iniuria libertati Ecclesiæ, si ieiunando quadraginta diebus moderatorem suum Christum Dominum imitetur: sicque patet quàm leuis armaturæ sint illæ instantiæ, quibus hæretici impugnant Quadragesimam, in quam etiam armant Augustinum, vt quadragesimale ieiunium improbantem. Sic enim ait Augustinus: *Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens, video esse præceptum ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.* Hunc textum adfert Kemnitius, quasi inde corruat mos ille ieiunandi Quadragesimam. Sed nihil officit nobis illa Augustini assertio: nemo namque nostrum vnquam scripsit Quadragesimam fuisse iniunctam præcepto in sacro codice recensito. Imò contra, constanti Ecclesiæ arbitrio dixerunt orthodoxi omnes, morem illum esse traditione Apostolica ad hæc tempora deriuatum.

1. Petri 2.

Ecclesia est nobilioris longè conditionis quam fuerit olim Synagoga.

August. epist. 86. ad Casul.

Quadragesima à quo fuerit instituta.

PARS SECVNDA CONTROVERSIÆ.

ARGVMENTVM I.

Congrua est Quadragesimæ institutio ex Scriptura sacra, & ratione.

Præcipuam sibi fidem conciliarunt semper oracula apud omnes Gentes, quantumuis dissitas longa intercapedine soli; fuitque piaculum dubiam facere sententiam Apollinis, etsi sua sensa plerumque opacis abderet inuolucris. Deteriores sanè sunt infidelibus nostrates hæretici, quos Quadragesimale ieiunium offendit, etsi vsurpatum fuerit ante legem à Moyse accepturo legem, ab Elia sub lege, & à Christo sanctiora sua dogmata præscripturo. Fortasse obiicient aduersarij, se non impugnare ieiunia, toties in Scriptura commendata, sed damnare illam Ecclesiæ sententiam, quæ obstringit animas ad hoc ieiunium, quasi verò Deus præscripserit aliquando dies, quibus homo ieiunus ex lege suum penderet obsequium, etiam corpore reclamante. Vt quilibet error caligine circumfusus offundit tenebras et

Oracula olim magnâ fuere reuerentia excepta.

quem

quem inuadit, non miror hæreticos cæcutire in discursu illo prælibato, quem esse absurdissimum ipsa Scriptura clamat, vbi in figuram nostræ Quadragesimæ institutæ ad expiationem peccatorum, Deus diem specialem instituit ad egregiè pœnitendum. Ecce constitutionem Dei. *Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum eris celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac peribit de populis suis.* Rursus Iudæorum zelum laudat Deus commemorans eorum constantiam testatam in obseruatione cuiusdam certi ieiunij, cuius hæc fit recensio à Propheta. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in solennitates.* Non est ergo res aliena ab instituto Dei, decernere aliquos dies ieiunio, vt vnanimis Ecclesia suum hoc pensũ rependat vno eodemq; tẽpore pœnitendo.

Leuit. 23. Dies olim à Deo instituti ad pœnitentiam.

Zachar. 8. Quomodo aliquis ritus noscatur esse à traditione Apostolica

Præcipua necessitas obseruandi morem illum petitur ab origine eius, quæ ab Apostolis fluxit. Nã quicquid in genere obseruat Ecclesia tenaciter à prioribus sæculis, tacito auctore talis ritus, illud profectò est traditio Apostolica, vt ait Augustinus. At prisci Ecclesiæ Patres meminere Quadragesimæ obseruandæ, imò affirmant eam esse institutam ab Apostolis: non est ergo locus morem illum qui viguit infirmandi. Patres refundere in Apostolos illum ieiunandi ritum, disce ex Hieronymo ita sentiente. *Nos vnam Quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus.* Sanctus hic rerum antiquarum peritissimus, hoc textu rationem reddit, quare Montanistis hæreticis ieiunantibus tres Quadragesimas, Catholici vnam tantùm obseruabant, & ait id factum traditione Apostolica, quæ vni duntaxat Quadragesimæ fideles obstrinxit. Hieronymo suppar Leo Papa etiam Apostolos agnoscit institutores Quadragesimæ. Sic ille: *Quod ergo dilectissimi in omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc solicitiùs est & deuotiùs exequendum: vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiuniis impleatur.* Alibi eamdem versans thesim, etiam sibi constans ait: *A Sanctis Apostolis, per doctrinam Spiritus Sancti maiora sunt instituta ieiunia, vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus.*

August. epist. 118. ad Ianu. Ex SS. PATRIBVS. *Hieron. epist. ad Marcellã.*

Leo serm. 6. de Quadrag.

Idem serm. 3. de Quadrag.

Alio item argumento liquet Quadragesimam esse ab Apostolis Ecclesiæ indictam: nimirum omne quod Ecclesia concordi arbitrio vice legis habet, vel est ab Apostolis, vel à Pontifice, vel à Concilio. Non autem ab aliquo Concilio effluxit ille ritus: nam Patres qui floruere ante primum Concilium Nicænum meminere Quadragesimæ, vt ritus prioribus sæculis obseruati. Nec vllum Pontificem legislatorem habet Quadragesima. Ergo emanauit ab his, quos Christus Ecclesiæ suæ proceres constituit, id est ab Apostolis, quibus cura fuit Ecclesiæ, ab eodem Christo Domino commendata. Congruè igitur Ecclesia inuehitur in hæreticos impugnantes illum morem, qui vetustus est æquè ac salutaris, nec etiam temerè introductus ab Apostolis, sed maturè, multis rationibus coëuntibus ad institutionem Quadragesimæ. Prima petitur à salute animarum, quæ maximè cordi fuit Apostolis. Ad salutem autem animarum pertinet satisfacere pro peccatis præteritis, & cauere ne alia peccata irrepant. Vtrumque præstat abundè Quadragesima eo præcipuè fine indicta, vt quisque suas maculas tergat, iuxta Leonis Papæ sententiam hanc. *Dum per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere, ideo magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.* Ad hanc expiandam peccatorum colluuiem censuit Ecclesia totius anni decimas esse Deo dandas, vt sic eo penso exhibito Deus fieret propitius. Penditur autem illud obsequium Deo obseruatione Quadragesimæ, vt benè aduertit Cassianus sic discurrens. *Lege Mosaica vniuerso populo generalis est promulgata præceptio. Decimas tuas, & primitias offeres Domino Deo tuo. Itaque qui substantiarum omnium nostrarum, fructuumque decimas offerre præcipimur, multò magis necesse est, vt ipsius quoque conuersationis nostræ, & humani vsus, operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profectò in supputatione Quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierum numerus, quibus reuolutus in orbem annus includitur, triginta sex senis dierum numero decimatur. In septem verò hebdomadibus, si dies Dominici, & sabbata subtrahantur, quinque & triginta supersunt dies ieiuniis deputati, &c.* Nos non à feria secunda Quinquagesimæ auspicamur, sed à feria quarta Cinerum, vt quatuor dies illius hebdomadæ adiecti triginta sex diebus, quos in serie tota Quadragesimæ ieiunat Ecclesia, exurgat numerus quadragenarius, decimarum vices Deo reddens.

Quibus argumentis probare possimus Quadragesimam fuisse institutam ab Apostolis.

Leo serm. 4. de Quadrag. Quadragesimæ institutio quare pertineat ad salutẽ animarũ.

Cassian. collat. 21. cap. 25. Quadragesimæ institutio facta, vt solueremus Deo decimas anni.

Alia item ratio meum subit animum, scilicet Apostolos instituisse Quadragesimam, vt Christi præsagium suos sortiretur effectus. Sic enim præfatus est Christus. *Cùm auferetur ab eis spõsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Ergo vt concolor esset fidelium ritus in obseruando ieiunio, hæc summa Ecclesiæ capita statuerunt, ieiunandam esse Quadragesimam, vt vel sic etiam ieiuni omnes se apparent ad festa Paschalia & sumptionem sacri corporis Christi. In ea sententia fuit Leo Papa ita coniiciens. *In omnibus dilectissimi solennitatibus Christianis non ignoramus Paschale sacramentum esse præcipuum, cui condignè, & congruè suscipiendo, totius quidem nos temporis instituta reformant, sed deuotionem nostram præsentes vel maximè dies exigunt, quos illi sublimissimo diuinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos.* Alio item sermone eamdem rationem insinuat ita fatus. *Cognoscimus ad celebrandum Pascha diem meritò nos quadraginta dierum ieiunium præparare, vt digni possimus diuinis interesse mysteriis.* Inde argumentum hoc traxit ille Antistes adhortandi Catholicos ad obseruantiam Quadragesimæ, ita eos vrgens. *Suscepturi festorum omnium maximum festum, ea nos debemus obseruantia præparare, vt in cuius sumus resurrectione conresuscitati, in ipsius inueniamur passione commortui.* Commoritur autem Christo ieiuna caro, quæ alioquin saginata recalcitrat, & fit exlex iugo Domini conculcato. Benè compatitur Christo anima æmulata ieiunium Christi ieiunantis quadraginta diebus, vt sequaces suos postea ad hanc aleam excitaret.

Matth. 9. Alia ratio institutionis Quadragesimæ.

Leo serm. 9. de Quadrag.

Serm. 10. de Quadrag.

Serm. 11. de Quadrag. Quadragesima est veluti Præparatio ad festa Paschalia.

In

In ea fuere sententia Patres Sancti, in quibus accipe Ignatium Apostolorum discipulum. Sic ille: *Ieiunanda est à fidelibus Quadragesima, quia imitationem continet cõuersationis Domini.* Data opera Christum illē iniisse Quadragesimam ait Basilius, vt nos erudiret quonam pacto essent tela diaboli retundenda. Ita fatur ille Presul: *Cum per ieiunium carnem, quam pro nobis assumpsit, muniuisset, sic in ipso Diaboli insultus sustinuit, quo & nos erudiret, vt per ieiunia vngamus, ac exerceamus nos ipsos ad certamina in tentationibus.* Eò respexisse Ecclesiæ Proceres, audacter asserit Gregorius ille Nazianzenus olim magister Hieronymi, præcipuamque credit hanc esse rationem institutæ Quadragesimæ, vt scilicet sese Ecclesia suo capiti conformaret. Ita fatur ille: *Christus paulo ante tentationem ieiunauit, nos ante Pascha. Ieiunium vnum idemque est, at vtriusque temporis non parua est differentia. Ille totos quadraginta dies à cibo abstinuit, vtpote Deus; nos autem ad virium nostrarum modulum ieiunium attemperauimus.* Magistro suo subscripsit Hieronymus hoc tenore: *Dominus quadraginta diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solennes ieiuniorum dies relinqueret.*

Ignat. epist. ad Philippen.

Basil. orat. 1. de ieiun.

Ieiunio tela diaboli homo euadit.

Greg. Naz. orat. in S. Lauacrum.

Hieron. in cap. 58. Isaiæ.

Ambrosius aliam rationem subiicit, arbitratus fideles non esse tantùm sollicitos de sua salute, sed & ieiunare quadraginta dies in gratiam Catechumenorum, quos vnda salutaris Baptismi solebat alluere in Paschate. Sic ille: *Elias quadraginta dierum curriculo continuato ieiunio, totius mundi longam ac nimiam siccitatem meruit imbrium rore restinguere, & ardentem terrarum sitim cælestis pluuia largitate perfundere. Quod quidem in figuram nostri factum esse cognoscimus, vt nos quoque horum quadraginta circulo dierum ieiunantes, spiritualem Baptismatis pluuiam mereamur, nostramque iamdiu aridam terram cælestis desuper imber infundat, & longam Gentilium siccitatem lauacri inundatio salutaris irroret. Siccitatem enim & ardorem animæ suæ patitur, quisquis Baptismi gratia non rigatur.* Suppetunt & aliæ multæ rationes, quæ suffragantur illi instituto ieiunandi Quadragesimam præscripto fidelibus. Primò oportuit aliquos assignare dies ad obseruandum ieiunium, quod diximus supra esse cælitus institutum. Si namque nulli dies fuissent prænotati & ad suum quisque arbitrium potuisset diuino huic præcepto facere satis, rari fuissent qui subiissent illud onus; siquidem procrastinando annus integer effluxisset. Præterea vno ieiunante, altero verò secus genio indulgente discolor planè fuisset in Christianis Dei cultus, qui concolor esse debet. Vt ergo omnes conuenirent in vno eodemque obsequio, Quadragesima fuit ab Apostolis congruè prænotata. Etenim plerosque pudet non ieiunare eo tempore quo alios abstinere vident, sicque proposito sibi exemplo ferunt inediam, cuius profectò impatientes essent, si pro arbitrio quisque suo posset præstituere sibi tempus aptum ieiunio. Nempe aliis impastis, helluones isti ementito proposito ieiunandi dicerent nondum instare tempus, quod illi operi destinarunt.

Quadragesima instituta in gratiam Catechumenorum. *Ambr. ser. 37.*

Optima ratio institutionis Quadragesimæ certo tempore anni.

Aliud item inde commodum emergit, scilicet aptius prouideri Reipublicæ, cùm omnes eamdem vitæ normam seruant: quippe itur obuiam penuriæ, & cauetur annonæ, vt suppetat singulis. Aliàs molestum esset prouidere paucis, & parare pisces, & olera, si præcipua hominum pars tunc nequaquam carnibus abstineret. Adde tempus Quadragesimæ esse quàm maximè opportunum sanitati corporis & animæ: nimirum ea tempestate fluctuant humores, qui tota hyeme restagnarunt; idcirco ne refluant & redundent, operæpretium est hanc colluuiem ieiunio refrænare. Hinc est quòd verno tempore à Medicis diæta decernitur. Est autem diæta victus parcior institutus ad exsiccandos humores iniurios corpori saginato. Habet & anima quo gestiat hoc tempore: nimirum sanguis ebulliens sua spargit incendia, plerumque summo castitatis dispendio. Ne ergo libido flagret accensa ciborum pinguedine, ieiunio consulitur animæ, dum huiusce lethalis foci pabula subtrahuntur. Igitur absurdè reclamant hæretici, non ferentes quadragenarium hunc numerum deputatum ieiunio. Coruorum instar crocitant, & dum cras, cras ingeminant, & procrastinant vota ieiunandi, nolunt ad hæc pia facinora Quadragesimæ tempora designari.

Quadragesima instituta tempore cõgruo ad sanitatem procurandam.

Quadragesimæ tempus confulit castitati.

Quare nolint hæretici certum aliquod tempus ieiunio deputari.

ARGVMENTVM II.

Quadragesimæ obseruatio est de præcepto.

Ex Ivre Canonico.

Excipiebantur multi ab importuno armorum strepitu, cùm Romani bellum indicebant. Satis erat conscribere militem idoneum huic operi, à quo erant immunes senes, flamines, augures, & veterani; dummodo Galli Romam non impeterent: tunc enim nemini vacare licebat, sed veteri præscripto erat tota Respublica cataphracta. Ita & quando indicitur bellum vitiis aliquibus, plerique homines concessis gestiunt induciis, & ab eo bello vacant. Verbi gratià, quando eleemosynis erogatis auaritia impetitur, pauperes ratione suæ egestatis vacant, vtpote impotes auaritiam prosternere suis in pauperes opibus erogatis. Sed si res est cum gallis gallinaceis, & alia quadrupedum cohorte, seu toto carnis exercitu, tunc omnes Catholici conuocantur ad bellum classico insonante.

Plutarch. in Furio Camil.

Galli olim fuere terrori Romanis.

Ad omnes spectat bellum carni indictum.

Ad bellum hoc proceditur more Romanorum, scilicet agmine quadrato. Figuram illam quadram graphicè delineant quatuor tempora & Quadragesima, ad quam obligantur omnes, qui completo anno vigesimo primo possunt sine notabili dispendio corporis, spiritus, seu substantiæ ieiunare. Lex inualidos quidem secernit, sed validos omnes & vegetos conscribit, vt eorum industria, carnis impetus eludantur. Tota autem illa industria est quæ Parthorum, qui fugiendo conciliant sibi victoriam. Ita qui ieiunant, carnem refugiunt, & sic suam carnem edomant singulari certamine. Teneri singulos quosque homines dare nomen suum illi militiæ lacessenti carnem in Quadragesima, Canones & Concilia multa clamant.

Canones qui obstringunt homines ad obseruationem quadragesimæ.

In his principatum tenet ille Canon editus ab Apostolis ita decernens. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel lector, vel cantor sanctam Pascha Quadragesimam non ieiunat, vel quartam diem, vel parasceuen, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si laicus sit, segregetur.* Vides ad conficiendum hoc quadratum agmen Quadrage-

Can. Apost. 68.

Pœna non ieiunantium tempore quadragesimæ.

simæ instructæ ad coërcendam salacitatem carnis, nominari omnes ferè hominum status, ne quis causetur se haudquaquam fuisse illo Apostolico canone recensitum. Alia item constitutione Apostolica sic cautum est. *Post dies Epiphaniarum seruax dum nobis est ieiunium Quadragesimæ, quod vita Christi, & legis lata recordationem continet.* Quia plerique dubiam faciebant obseruationem Quadragesimæ, etsi illa vigeret in incunabulis Ecclesiæ; Telesphorus Papa circa annum centesimum vigesimum primum, quo erant adhuc superstites Apostolorum discipuli, hunc canonem edidit, ne ancipites animi Quadragesimam labefactarent. Ecce sanctionem Pontificis. *Cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis, in hac sancta & Apostolica sede congregatis, statutum esse, vt septem hebdomadas plenas, ante sanctum Pascha, omnes clerici, in sortem Domini vocati, a carne ieiunent: quia sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio.*

Clem. Rom. constit. Apost. l. 5. c. 12.

Telesphorus epist. ad omnes vniuers. c. 1. Clericorum vita morum sanctitate debet esse discreta à laïcis.

Editus ille canon adeò perstrinxit Catholicos omnes, vt primum Concilium generale sub Principe Catholico congregatum, scilicet Nicænum primum de Quadragesima nihil sanxerit, quasi superuacaneum esset decernere aliquid in re à nemine prorsus impugnata. Sufficit itaque Concilio illi celeberrimo meminisse Quadragesimæ hoc textu. *Fiant autem Concilia semel quidem ante dies Quadragesimæ, vt omnibus si quæ sunt simultatibus amputatis, mundum & solenne munus Deo possit offerri.* Eodem sæculo celebratum est Concilium Laodicænum, quod præcauens Quadragesimæ, sanxit eam esse integram decurrendam, & non ex parte tantùm, vt semihelluones agunt. Ecce Canonem Concilij. *Non oportet in Quadragesima vltima septimana ieiunium soluere, & totam Quadragesimam iniuriâ afficere: sed oportet totam Quadragesimam ieiunare aridis vescentes.* Eo sæculo quo primùm Gallia Christiana Regem Christianum habuit, Concilium Agathense explicauit Quadragesimam esse in præcepto, ideoque voluit fideles vrgeri ad eius cultum minis, & censuris. En decretum. *Placuit etiam, vt omnes Ecclesiæ filij exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbato, sacerdotali ordinatione, & distinctionis comminatione ieiunent.* Ab hoc Concilio non effluxit obligatio ieiunandi, sed illi superinducta est grauitas censurarum Ecclesiæ, vt fideles suum obsequium pendere Quadragesimæ citiùs vrgerentur. Ne discordi ritu Gallia variaret, sic sancitum est in Concilio Aurelianensi quarto. *Hoc etiam decernimus obseruandum, vt Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur.*

Concil. Nicæn. 1. c. 5.

Conc. Laodic. can. 50. Quadragesima est integra ieiunanda ex præcepto.

Concil. Agathense c. 12.

Conc. Aurel. 4 cap. 2.

Vigente illo fidelium more, Quadragesima etiam venerationem sibi conciliauit apud Imperatores Valentinianum, & Gratianum, quorum hæc est constitutio. *Quadraginta diebus, qui auspicio caremoniarum Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.* Hæretici perduelles & transfugæ, de Quadragesima criminalem faciunt quæstionem: nam inficiando ritum illum sacrum se crimini facitant obnoxios; dumque profitentur se tutari libertatem Euangelij, probant se litare gulæ, & porcorum instar corpori mancipari.

Ex Ivre Civili. *lege Quadraginta. Cod. de feriis.* Quadragesimæ tempus olim fuit venerationi Imperatoribus.

Argvmentvm III.

A quibus, & quantis encomiis fuerit Quadragesima commendata, & vnde originem habeant Quatuor Tempora, & Vigiliæ.

Ex Sanctis Patribvs.

VT milites in statione positi ad custodiam arcis munitissimæ, pinguiores epulas cauent, & crapulam, ne hostis insidians inuadat arcem vino somnoque sepultam. Ita & Ecclesia terribilis vt castrorum acies ordinata conduxit milites triarios fortissimos æquè ac industrios, vt aliis fidelibus somno grauatis isti valeant excubare. Milites illi veterani sunt Patres magni nominis, & columina prisci temporis. Hi primores Ecclesiæ, commissam fidei suæ arcem, ieiunij armis validè tutati sunt, oratione & inedia propugnantes. Suo illo exemplo posteræ ætati commendauere modum declinandi hostium technas, obseruatâ ritè Quadragesimâ, quam ideo collaudarunt omnes, arbitrati suis encomiis se inflexuros hominum corda ad amorem ieiunij; tritum à Patribus Quadragesimæ callem fortiter incundo.

Quare fuerint crebra instituta ieiunia.

Dæmon expertus Quadragesimæ ieiunium esse panopliam, ea qua potest industria sollicitat homines, vt violent hunc contextum quadraginta dierum, probè callens magno excidere præsidio homines huius armaturæ obsequia detrectantes. Sic Leo Papa monet: *Scientes dæmones nos agere sanctissimos dies Quadragesimæ, in quorum obseruantia omnes præterita desidia castigantur, omnes negligentiæ diluuntur; ad hoc totam suæ malignitatis vim intendunt, vt celebraturi sanctum Pascha Domini, in aliquo inueniamur indigni: & vnde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offensio.* Alius hortator accedit Leoni suppar, & eiusdem sæculi Antistes, nomine Maximus Taurinensis. Ille vitiorum omnium agmen Quadragesimæ sedula obseruatione credidit oppugnari. Eamobrem fideles omnes hortabatur vt ferio sese accingerent ad conferendas manus, cum hostibus illis bello intestino lacessentibus animam. Audi classicum. *Nos, quibus propugnator inuictus hanc venerabilem Quadragesimam dedicauit, repugnantes carnalia desideria, sic castigemus membra ieiuniis, vt animas virtutibus saginemus. Ieiunet in nobis perniciosa luxuries, ieiunet omnis iniquitas, ieiunet odiosa contentio, abstineamus ab epulis, magis abstineamus à vitiis: sic nos temperemus, sic sobrij simus à vino, vt nulla nobis voluptatum dominetur ebrietas. Quid enim prodest, obseruatione quadraginta dierum ieiunandi nos tempora custodire, & legem non tenere ieiunij?* Victoriæ partem non modicam ille reponit penes ieiunium ita fatus: *Dominici certaminis victoriæque exemplum sequentes, & diabolicas præcauentes insidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo nostro ieiunium celebremus.*

Dæmon expertus quàm validi sint Christiani præsidio Quadragesimæ, eā tentat expungere.

Leo serm. 1. de Quadrag. Egregia Leonis sententia in commendationem Quadragesimæ.

Maxim. Taurinensis hom. 3. de ieiunio Quadrages. Ieiunium corporale prouocat spirituale.

Homil. 4. Victoria de vitiis reportanda suffragio ieiuniorum.

De obseruatione Quadragesimæ parum sollicitos Origenes vir summi ingenij arbitratur inermes, sic in eos exerto stylo inuehens. *Habemus Quadragesimæ dies ieiuniis consecratos, &c. Est certè libertas Christiano per omne tempus ieiunandi, non obseruantia superstitione, sed virtute continentiæ. Nam quomodo apud eos castitas interrupta*

Origen. hom. 10. in Leuitic.

incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidiis? Quando Scripturis operam dabunt? Nonne per continentiam ventris, & gutturis? Quomodo seipsum quis castrat propter regnum cælorum, nisi ciborum affluentiam resecet, nisi abstinentia vtatur ministra? Hæc ergo Christianis ieiunandi est ratio. Vt numerosior acies terrorem maiorem incutit; ita censuere Patres Ecclesiam Quadragesimæ tempore fortiorem esse, & ampliores tunc dotes à Deo recipere, coëunte orbe toto in obseruationem illius instituti, quo omnia dæmonum agmina prosternuntur. Quippe singulis quibusque fidelibus aptantibus sese ad ieiunij arma capessenda, plures mutuo exemplo se recreant, & hortantur ad certamen in vitia fortiter ineundum. Inde effluxit ista Basilij sententia. *Ieiunium per omne quidem tempus vtile est iis, qui illud sponte suscipiunt, sed multo magis hoc tempore, quo per vniuersum terrarum orbem vndique denuntiatur ieiunij praeconium. Nec vlla est insula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat a numero ieiunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Angeli sunt, qui in singulis Ecclesiis describunt ac recensent ieiunantium capita.*

Ecclesia fortior est tempore Quadragesimæ.

Basil. hom. 2. de laud. ieiun.
Ecclesia toto orbe diffusa ieiunat tempore Quadragesimæ.

Quadragesimæ præconem agere magno honori duxit Chrysostomus, ratione commodi emergentis ex illo instituto ritè obseruato. Aiebat ille se ingenti gestire lætitia, quando Quadragesimæ dies instabant: animo namque suo reuoluebat, quot ieiunando vitia compesceret plebs Christiana, & quot agones egregios ad virtutis decus insigne populus exantlaret. Eamobrem aliquando sermonem habiturus ad populum, ita auspicatus est ille Quadragesimæ patronus eloquentissimus. *Ipse hodie ingenti alacritate surrexi, vna vobiscum lætitiæ illius spiritualis particeps futurus, & volens aduentus sanctæ Quadragesimæ, remedij inquam animarum nostrarum, annuntiator esse. Communis enim nostri omnium Dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea, quæ vnquam peccauimus, nos abluere, hanc nobis, quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit.*

Chrysost. hom. 1. in Genes.
Quadragesima est velut pharmacum vitiorum.

Non cessere Græcis auctoribus, ieiunij encomiastis, Latini Patres, è quibus consulendi sunt quatuor illi, qui in eis principatum tenent, videlicet Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, vt suo etiam numero quadro aliquam huic quadrato dierum numero conferant honestatem. Prior è sede Petri Gregorius suum profert suffragium, ita populum adhortatus. *Ipse author hominum ad homines veniens, in quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit. Nos quoque in quantum possumus annuo Quadragesimæ tempore carnem nostram per abstinentiam affligere conemur. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus Decalogi per libros quatuor sancti Euangelij impletur? Denarius etenim quater ductus, in quadragenarium surgit.* Quasi diceret, Decalogi & Euangelij numerum illo Quadragesimæ tempore recenseri. Etenim Decalogus numero denario perficitur; quia sunt decem præcepta. Euangelium verò ob quatuor scribas seu Euangelistas numerum quartum vendicat sibi: idcirco quadragenarius numerus, continens quater numerum denarium, mysticus est, & index gratiarum, quæ influunt in Decalogi & Euangelij feruidos obseruantes.

Greg. hom. 16. in Euang.
Elegans Gregorij ratio circa numerum dierum Quadragesimæ.

Quomodo Quadragesima Decalogũ & Euangeliũ concludat.

Hieronymus etiam luculenter meminit Quadragesimæ, diluens instantiam, qua ferè potest impugnari ritus ille. Accipe oraculum. *Dicat aliquis: Si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos; nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati obseruantes, & Parasceuen, & diem Dominicam, & ieiunium Quadragesimæ, & Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diuersa in honorem Martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet: Non eosdẽ Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros. Nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis, & crucis: nec septem iuxta morem Israël numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur aduentum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliquot constituti sunt, vt in vnum omnes pariter veniremus.*

Hieron. ad cap. 4. epist. ad Galatas.
Pulchra instãtia contra Quadragesimam, soluta à Hieronymo.

Quàm idoneum sit tempus illud Quadragesimæ ad virtutum omnium praxim, ille idem enuntiat dicens esse colligendas tunc omnes animæ vires, vt virtuti incumbat eo tempore valde propitio ad vitiorum conamina penitus irritanda. Audiendus ille. *In Quadragesima continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus, quanquam alia sit conditio sæcularium, alia Virginum & Monachorum. Sæcularis homo in Quadragesima ventris ingluuiem decoquit, & in cochlearum morem succo victitans suo, futuris dapibus ac saginæ aqualiculum parat. Virgo & Monachus sic in Quadragesima suos dimittant equos, vt sibi meminerint semper esse currendum: finitus labor maior, infinitus moderatior est: ibi enim respiramus, hic perpetuò incedimus.* Id est, extra Quadragesimam quandoque tepet feruor, quia tunc suscepta ieiunia plerumque ad arbitrium sunt, & moderatiora sunt, quia semper obeunda sunt, ne caro insurgat in animam, multaque crapula illitus eius stimulus acuatur. Tempore verò Quadragesimæ quo quadraginta dies tantùm assignantur ex præcepto, flagrare debet anima pietate singulari, vt maiora gratiæ stipendia referat sacris hisce ritibus obsequendo.

Epist. 7. ad Lætam. c. 5.
Quadragesimæ tempus idoneum ad virtutũ omniũ praxim.

In ea fuit sententia Augustinus vrgens sic fideles ad maiora virtutum incrementa tempore Quadragesimæ. *Ecce, charissimi, Deo propitio tempus Quadragesimæ venit, & ideo rogo, dilectissimi, vt dies istos corporibus salubres, & animæ medicinales ita cum Dei adiutorio sanctè ac spiritaliter celebremus, vt obseruatio sanctæ Quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectum.* Vt autem animos inclinet ad reuerendum illud Quadragesimæ institutum, Sanctus ille adfert argumenta, quibus adstruitur ille ritus ieiunandi quadraginta dies. En discursum Doctoris eximij. *Quadragesima sanè ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris, ex ieiunio Mosi, & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à Lege, & Prophetis. In persona quippe Moysi lex; in persona Eliæ, Prophetæ accipiuntur, inter quos & in monte*

Aug. serm. 55. de Tempore.

Idem epist. 119. ad Ianuar. c. 15.
Quare Quadragesima fuit instituta ante dies sacros Passioni Christi.

gloriosus

glorio∫us apparuit, vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens à lege & Prophetis. In qua ergo parte anni congruentius obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ Passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quia vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos conspergere, atque iactare non cessat. Numero autē quadragenario vitam istam figurari arbitror: quia denarius, in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum; ita in hoc mihi videtur exprimi: quia creatura, quæ septenario figuratur, adhæret creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis, per vniuersum mundum temporaliter annuntianda.

Quadragenarius numerus quid significet.

Rursus quia præmia non semper inflectunt animos ad egregia audenda, minas adiicit Augustinus, insinuans eum graues manere pœnas, qui hoc sanctum Quadragesimæ spreuerit institutum, longè prorsus ab aliis ieiunandi tropis, quos sibi imponunt vltro & ad arbitrium suum animæ pœnitentes. Accipe illius Sancti hoc effatum. *Aliis diebus ieiunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam. Et tamen qui ieiunare non præualet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso in domo sua præparet quod accipiat, & illos qui ieiunare præualent, ad prandium non inuitet. Quia si hoc fecerit, non solùm Deus, sed etiam homines possunt intelligere illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non velle.*

Serm. 62. de Tempore.
Quadragesimæ ieiuniū violatū animam peccato obstringit.

Præierat Augustino Ambrosius, quando ait esse graue peccatum violare seriem quadraginta dierum, quos ad exemplum Christi Ecclesia ieiunio consecrauit. Arguit ille ignauiæ & impietatis homines, qui suas nolunt ieiunando noxas diluere, quamuis Christus ipse nescius deliquij longiorem passus inediam, Quadragesimæ nobis specimen ediderit. Sic ille deplorat hominum insaniam. *Non leue peccatum est fidelibus, indictam Quadragesimam à Domino violare, & ieiunia consecrata, ventris voracitate dissoluere. Scriptum est: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes quod Christus fecit & tu facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadragesimam ieiunauit; tu non vis Quadragesimam ieiunare qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cùm Christo pro te esuriente tu prandes? Cum Saluatore pro te ieiunante tu reficeris. Non igitur, sicut dixi, leue peccatum est, indictum violare ieiunium.*

Ambr. ser. 25. de Quadrag.
Christianus debet Christum imitari, maximè in ieiunio Quadragesimæ.

Ne quis autem hoc ieiunium suspicaretur esse inuentum hominum, & illud inualuisse Deo inconsulto, idem Præsul Ambrosius Quadragesimam commendat maximè ab auctore scilicet Deo, quo legislatore viget ille tenor quadraginta dierum, eorum contextu ieiunio propagato. Sic ille: *Sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbaremus, hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum; nec terrena cogitatione inuentum, sed cælesti maiestate præceptum. Atque ideo, qui constitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnius diei violator accusatur, sed vt totius Quadragesimæ transgressor arguitur. Vnde bonum est homini, vt dictum numerum sine labore ieiunet, & totius Quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam sacerdotum præcepta, quàm Dei sunt. Atque ideo qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum, qui in suo loquitur sacerdote.* Ad eumdem etiam scopum videlicet Christum Bernardus aspexit, fideles adhortatus petito argumento à Christo Domino ieiunante, ne pigeat obseruare ritum, cui Dominus ipse fecit initium. Hinc Bernardi emersit istud elogium. *Hodie, dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc obseruatio, vna omnium est, quicunque in eamdem fidei conueniunt vnitatem. Quidni commune sit ieiunium omnibus Christianis? Quidni caput suum membra sequantur?*

Sarm. 36. de Quadrag.
Quadragesimæ auctor Deus est.

Bernard. ser. 1. de Quadrag.
Christiani sunt membra quæ debent sequi suum caput, id est, Christum.

Alia item ratione suadet ille obseruandam Quadragesimam, quia inquit tempus illud Deo sacrum est, atque adeò bono operi deuouendum. Nec deterrere debet onus tot dierum, inquit; quia omnes sinceri sequaces Christi huic eidem oneri collaborant. Audiendus ille sua sensa promens. *Rogo vos, dilectissimi, tota deuotione suscipite Quadragesimale ieiunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multò magis sacramentum. Nam si deuotè vsque modo ieiunauimus, vtique sancto hoc tempore ieiunandum nobis est multo deuotius. Si quid enim additur ad solitum abstinentiæ modum, nunquid non valde indignum est, vt nobis onerosum sit quod Ecclesia portat vniuersa nobiscum? Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter vniuersi, Reges & Principes, clerus & populus, nobiles, ignobiles, simul in vnum diues & pauper.*

Serm. 3. de Quadrag.
Quadragesima est onus quod Ecclesia vniuersa portat.

Etsi in conquirendis argumentis idoneis ad hortandos homines, vt obseruent Quadragesimalem inediam, longè latéque spatientur Patres; hoc vnum mihi præcipuè arridet, videlicet Quadragesimam esse præambulum Paschæ, & se habere per modum angustiæ, cuius obsequio participamus agones Christi, cui resurgenti congaudere nemo potest, nisi & fuerit molestiarum eius stimulis agitatus. Eò collimauit etiam Ecclesia instituens vigilias pridie festorum insignium, vt fideles præuio ieiunio se aptantes ad hæc festa, meminerint gloriæ solennitatem magno angustiarum pondere comparari. Mihi in ea mente propitius est Bernardus hæc susurrans. *Sanctorum festa præcipua, Patrum sanxit auctoritas votiuis præuenienda ieiuniis. Vtiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui aduertat. Multa siquidem peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum omnino est celebrandas suscipere festiuitates sacras, maximéque eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentia purificatione præmissa, quò & digniores, & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum, &c. Non modò tamen præparatio est ad proximam celebritatem obseruatio præmissa ieiunij; est & admonitio quædam, eruditioque non parua. Discimus ex hoc ipso, quænam vera sit via festiuitatis æternæ. Quid est enim quod*

Quadragesima nos facit participes angustiarum Christi.

Bernard. in vigil. S. Andr. Apost.
Quid nobis insinuent vigiliæ festorū insignium.

ieiuniis solennia præuenimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solenni lætitia est, qui stantam Vigiliæ abstinentiam non obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in Vigilia, indignus iure censeris requie & exultatione festiua.

A quibus fuerint instituta ieiunia quatuor temporum.

Ne quidpiam in hoc themate desideres, accipe etiam à quibus sint instituta Quatuor Tempora. Ante annum ducentesimum decimum octauum, id est æuo Tertulliani, ter in anno celebre erat illud ieiunium de quo iam quæritur: sed Calixtus Papa sanxit quater illud esse repetendum, vt hac eius epistola liquet. *Ieiunium quod ter in anno apud vos celebrare didicisti, conuenientiùs nunc per quatuor tempora fieri decernimus: vt sicut annus per quatuor voluitur tempora; sic & nos quaternum solenne agamus ieiunium per anni quatuor tempora. Et sicut replemur frumento, vino, & oleo ad alenda corpora; sic repleamur ieiunio ad alendas animas.* Successor eius Vrbanus liquidiùs illa tempora designauit, vt videre est in canone, quem Gratianus commemorat. Sic ille: *Statuimus vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum initio Quadragesimæ. Secundum in hebdomada Pentecostes. Tertium verò in Septembri. Quartum in Decembri more solito fiat.*

Calixtus ep. ad Benedictū Episc. cap. 1. Quare sint instituta ieiunia quatuor temporum.

Can. Statuimus dist. 76. A quo Pontifice liquidò designata fuerint quatuor tēpora.

Aduerte tamen illos Pontifices non adinuenisse Quatuor tempora, sed ea iam tradita ab Apostolis declarasse obseruanda ex præcepto, quia fortè tepuerat ille prior Christianorum feruor, cui nullæ fuerant antea Pontificum sanctiones imponendæ. Viguisse Apostolorum æuo ritum illum, patet ex Scriptura, vbi Lucas hæc recenset: *Incipiebat enim periculosa esse nauigatio, quia ieiunium iam præterierat.* Liquidò est illum loqui de ieiunio decimi mensis, quod ex tunc in vsu fuit, & quo tantùm Pontifices clericos initiabant sacris ordinibus. Nec congruè potest ille textus Lucæ exponi de ieiunio Iudæorum; cùm enim esset antiquata vetus illa lex, & Lucas Christianis scriberet acta Apostolorum, tempora non distinxit ritibus Hebræorum. Præterea morem illum ieiunandi Quatuor Tempora emanasse ab Apostolis constat ex eo, quòd nullum omnino Concilium extat vbi primò fuerint instituta, nec vlli vnquam Pontifices meminere Quatuor Temporum, quasi non antea fuerint obseruata. Hoc videre est in Calixto, & Vrbano, quorum edicta notant, ante eos quatuor hæc tempora floruisse, saltem ter in anno ante inaugurationem Calixti, qui hæc ieiunia reuocauit ad quatuor anni tempestates, vt singuli quique ternarij mensium tres dies vendicarent sibi in gratiam tot mensium, quibus quælibet anni quadra coalescit.

Act. 27. Quatuor tempora à nullo Pontifice instituta, sed ab Apostolis, quorū tempore viguerunt.

Quare autem indicta sint illa ieiunia, multifariàm dici potest. Arbitror ego Apostolos, maximè solicitos de salute animarum, nullum omnino præteriisse tempus, quo non memores essent sospitatis hominum. Ideo cùm singulis anni quadris, seu ternariis mensium, sæpe delinquant homines, & à Deo plerasque gratias accipiant, sepofuere seorsim illos dies ad pœnitendum, & Deo gratias exhibendum. Præterea noluere primores Ecclesiæ, fideles cedere Hebræis in his quæ ad mores excolendos pertinent. Ergo cùm Iudæi quatuor temporibus ieiunarent, operæpretium fuit Ecclesiam obseruare ritum illum, & maximè quia vrgent eædem causæ, quæ ad Dei cultum singularem, illum populum obligarunt. Ne verò Iudaïzaret Ecclesia, quatuor hæc tempora distinxit iuxta seriem tempestatum. Illo namque tempore fruges vel seruntur, vel emergunt enitente stipite, vel decoquuntur alto sole, vel tandem in horrea colliguntur. Eamobrem locuples est argumentum homini Deum demerendi, non anno vertente tantùm, sed singulis anni quadris, vt sicut fructuum terræ, ita & virtutum prouentum faciamus, congruè quatuor hæc tempora decurrendo.

Quare ab Apostolis fuerint instituta quatuor tempora singulis quibusque tempestatibus anni.

Fauet Leo Papa illi sententiæ, cui & suum calculum adiicit ita fatus: *Hic affectus dilectissimi, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur: quia necesse est vt bonis actibus conscientia delectetur, & libenter faciat quod fecisse se gaudeat. Assumitur igitur ieiunium, multiplicatur largitio, iustitia custoditur, frequentatur oratio, fitque vt singulorum desiderium, sit vnum omnium votum. Nutrit patientiam labor, mansuetudo extinguit iram, beneuolentia calcat inuidiam, immunda cupiditates sanctis desideriis enecantur, auaritia liberalitate depellitur, & onera diuitiarum fiunt instrumenta virtutum. Sed quia insidiæ diaboli etiam inter alia studia non quiescunt, rectissimè in quibusdam articulis temporum, vigoris est nostri reparatio instituta: vt vbi de clementia cæli, & vbertate agri potest mens præsentium bonorum auida gloriari, & in ampla horrea fructibus congregatis dicere animæ suæ: Habes multa bona, epulare; ibi quandam increpationem diuinæ vocis accipiat, audiatque dicentem: Stulte, hac nocte repescunt à te animam tuam, quæ autem præparasti cuius erunt? Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, vt quoniam breues dies istius vitæ, & incerta sunt spatia, nunquam sit mors improuisa morituro, nec inordinatum incidat finem, qui se nouit esse mortalem. Quod itaque vt & sanctificationi corporum, & reparationi prosit animarum, quarta, & sexta feria ieiunemus. Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus, eius orationibus adiuuandi, vt sanctorum desideriorum consequamur effectum.* Hæc Leo.

Leo serm. 5. de ieiunio septimi mensis. Amor Dei impigra virtutum praxi accenditur.

Ieiuniu m quatuor temporum semper hominē accingit ad luctā contra diabolum.

Sunt qui arbitrentur esse instituta Quatuor Tempora in gratiam ordinationis clericorum, quos inauguratos esse ieiunos, & die ieiunij, ipso etiam tempore Apostolorum liquet. Nam ipsi ieiunantes imponebant manus illis, quos ita initiantes, singulari altaris obsequio consecrabant. Cùm ergo tria tempora haudquaquam sufficerent clericis ordinandis, succrescente numero fidelium, Calixtus Papa Quatuor Tempora prænotauit. Sicque copia abundè facta est inaugurandi clericos, quibus maximè adolescens Ecclesia tunc temporis indigebat.

Act. 13. Quatuor tempora instituta in gratiam ordinationis clericorum.

DE VIGILIIS.

Vnde vigiliarum ritus emerserit.

Gallis obsidentibus Capitolium, Romanis non suffecere solitæ vigiliæ, sed & canes adiecere, vt excubarent in gratiam Romæ oppressæ

Plutarch. in Furio Camill. oppressæ à Gallis. Romana Ecclesia suis cauens fidelibus, malè ominatur eis, diebus festis imminentibus; nimirum experta diebus illis solennibus Christianos remota manu de tabula non otiari modò, sed & vitiis indulgere. Hæc inquam alma parens Vigilias instituit pridie festorum, vt ieiunando fideles se aptarent ad cultum solennitatis illius occurrentis. Ne autem hæretici hostes Ecclesiæ illas fallerent excubias, & tentarent abolere Vigilias, prouida mater conduxit pecuarios canes, qui latratu suo proderent insidias. Canes illi sunt Doctores, qui declamant in perduelles illos, & adstruunt commoda Vigiliarum, quæ fuerunt prouidè designatæ. Mearum hic est partium agere canem inuigilantem gregi, & ostendere Vigiliarum incunabula, ne quempiam dementent hæretici, præcipua quæque Ecclesiæ dogmata subsannantes. Ne qua igitur ansa supersit hallucinandi in re controuersa, operæpretium est recolere priscum morem Ecclesiæ pridie festorum solennium. Tria tunc fiebant à fidelibus. Primò ieiunabant. Secundò in oratione perstabant in Ecclesia vsque ad horam nonam, id est, vsque ad solem inclinantem. Demum aliqui noctu vigilabant ad sepulchra Martyrum & Sanctorum. Quia autem indiuiduo nexu ieiunium & statio siue perseuerantia in oratione erant præludia festorum insignium, plerumque statio, ieiunium, & vigilia, idem significant, quamuis vbique dispar sit ratio, & postea tria hæc seorsim sint à populis vsurpata.

Quare Ecclesia Vigilias præmiserit ante festa solennia.

Canes pecuarii Ecclesiæ sunt Doctores.

Quid præcipuè fideles agerent in Vigiliis festorum.

Statio fiebat propriè interdiu, populo perseuerante in Ecclesia, vacando orationi dum instaret hora soluendi ieiunium. Vnde quia statio, & ieiunium eadem mora finem sortiebantur, eamdem etiam nomenclaturam habent. Nam Tertullianus ieiunium stationem nuncupat, quando quærit, sumptione Eucharistiæ soluatur statio necne, id est, an communione frangatur ieiunium. Quia tamen res sunt dissitæ statio, ieiunium, & oratio, idem Tertullianus tria hæc recenset vt diuisa. Sic ille: *Quando Deus magis creditur, nisi cùm magis timetur, nisi tempore persecutionis? tunc Ecclesia in attonito est, tunc ex fide in expeditione sollicitior, & disciplinatior in ieiuniis, & stationibus.* Rursus etsi Vigilia ad noctem propriè pertineat; tamen & affixa fuit stationi diurnæ, quia tum maximè anima vigil erat, & intenta precibus suis, quas fundebat corpore impasto, ac proinde magis idoneo ad vigilandum, quàm cùm precatur homo corpore saginato. Hinc factum est vt, statio, vigilia, ieiunium, vnam eamdemque diem suo nomine designarint. Vnde dies præuij magnæ solemnitati, dicti fuere stationes, Vigiliæ, & ieiuniorum solennia. Hæc etenim tria coïere semper pridie festorum illustrium, vt meminere Isidorus, Rabanus, imò & Tertullianus, dicens stationem non solui nisi cum ieiunio.

Tertull. lib. de oratione.

Idem lib. de fuga in persecut.

Quomodo distinguantur, oratio, ieiunium, & statio.

Isidor. l. 6. Etym. c. 18. Raban. l. 2. de instit. clericor. Tertull. l. de ieiunio.

Præter has stationes & Vigilias diurnas, Beatus Gregorius alias instituit sine ieiunio, quales fuere stationes ab eo indictæ diebus Dominicis Aduentus & Quadragesimæ, quibus ieiunium ex præcepto non congruit. Qui autem illas Vigilias instituerint, audies à Bernardo, esse Sanctos Patres, vt supra memini, quando sic Bernardum induxi loquentem: *Sanctorum festa præcipua, Patrum sanxit auctoritas, ut omnis præuenienda ieiuniis.* Hos Sanctos Patres crediderim ego Apostolos, qui instituere Vigilias Pentecostes, & Natalis Domini, & ad eorum imitationem Ecclesiam alias adiecisse. Prioribus sæculis fuisse obseruatas Vigilias, disce ex Ambrosio, sic commemorante ritum illum: *Nosse credo vos, fratres. Non minore lætitia celebramus diem Pentecostes, quàm sanctum Pascha curauimus. Tunc enim sicut modò fecimus, ieiunauimus sabbato, Vigilias celebrauimus, orationibus pernoctantes institimus: vnde necesse est, similem obseruantiam similis lætitia subsequatur.*

Stationes aliquæ sine ieiunio.

Bernard. in vigil. S. Andr. Vigiliæ à quibus institutæ fuerint.

Ambr. ser. 60.

Alias Vigilias Ecclesia adiecit, vt eas quas meminit canon editus ab Innocentio III ita statuente: *Omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in obseruatione ieiunii celebrandæ, præter Vigilias Apostolorum Philippi, & Iacobi, & Beati Ioannis Euangelistæ.*

EX IVRE CANONICO. *Cap. 2. De obseruatione ieiunij.*

Hæc igitur esto conclusio istius controuersiæ de Vigiliis. Vigiliarum obseruatio fluxit ab Apostolis, quorum more pridie festorum fideles vnanimes in oratione perstabant vigiles & impasti, vnde dies præambuli festis tria nomina sortiti sunt, scilicet stationis, ieiunij, & vigiliæ, quia Christiani illi prisci pridie festorum magni nominis tribus hisce actibus incumbebant. Vbi autem fidelium ardor intepuit, & ædes sacræ arctiore suo septo non potuerunt sufficere populo confluenti in templum, stationis & Vigiliarum ergò, desiit primò ille ritus pernoctandi, à quo fluxerat illa Vigiliæ nomenclatura, deinde abruptus est alius mos protrahendi preces vsque ad altum diem non recedendo ab Ecclesia; atque ita prioris illius instituti tres actus in vnum, id est, in ieiunium redacti sunt, cuius adeò tenax fuit Ecclesia, vt etiam ante quadringentos annos Innocentius III. sanxerit esse ieiunandum die Sabbati, si Vigilia festi alicuius magni momenti inciderit in diem Dominicam, ne eo saltem anno Vigiliarum aliquis ritus efflueret. En edictum Pontificis. *Ex parte vestra quæsitum fuit, vtrum si Natiuitatem Domini, vel Assumptionem B. Mariæ, vel festiuitatem alicuius Apostolorum in secunda feria contigerit euenire, die Sabbati præcedentis Vigilia debeat ieiunari: & vtrū in Vigilia B. Mathiæ Apostoli sit ieiunandū? Ad quod breuiter respōdemus, quòd die Sabbati festiuitates prælibatas secūda feria præcedētis, & B. Mathiæ Apost. debet vigilia ieiunari.*

Vigiliarum prima institutio fluxit ab Apostolis.

Dies præcedens festa insignia tria nomina sortitus est olim.

Vigiliæ nomen vnde deductū sit.

Cap. Ex parte de obseruatione ieiuniorum l. 3. Decretal. tit. 46. c. 1.

Quare autē dies illi nominentur Vigiliæ etiam nunc, cùm de triplici ritu memorato sola supersint ieiunia regulariter obseruata pridie festorum? Respondeo in illa denominatione Ecclesiam esse eiusdem ingenij, cuius est Scriptura sacra, quæ res aliam fortè nactas recensere solet eodē nomine, quo antea vocabantur. Exempli gratiâ, cum Magicis artibus venefici homines æmulati fuissent portentum editū à Moysis fratre, cuius virga abierat in serpentē, & eorum virgæ draconis speciem induissent; serpens, in quem mutatus fuerat virga Moysis, aliorū dracones absorbuit, & tamen Codex sanctus illam referens historiam, hos serpētes & dracones meminit nomine quo priùs; siquidē virgas nominat hos serpētes, quia paulò antè virgarum nomine censebantur. Ecce seriem historiæ ex sacro penu. *Tulit Aaron virgam corā Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter: proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Vides hoc contextu, serpentes illos non exuisse nomen suum pristinum, & fuisse virgarum titulo prænotatos.

Vigilia incidens in Dominicam retinetur in diē Sabbati.

Quare pridie festorum nomine Vigiliæ censeatur etsi nemo vigilet in Ecclesiis.

Exod. 7.

Ab eo diſcurrendi modo non abhorret ſacer Euangeliorum textus: nam Ioannes enarrans primum Chriſti ſignum editum in Cana Galilææ, nomen aquæ affingit vino, quod ſuffectum fuerat in locum aquæ in vinum optimum immutatæ. Sic ille ſcriba veridicus. *Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam.* Quamuis aqua fuiſſet ſortita naturam vini; tamen non exuit nomen aquæ inditum ſibi prius. Ita dies præuij feſtis nuncupari olim Vigiliæ, ſuum illud retinuere nomen, etſi Vigiliarum ritus in ſtatione deſierit.

Ioan.2.

Rurſus quare præualuerit Vigiliarum nomen, ſtationi, & ieiunio, cum tamen fideles pridie feſtorum aſſidui & ieiuni perſtiterint in orationes accipe rationem. Solennis ille mos perſtandi in oratione præfatis diebus, indidit illis quidem ſtationum nomen vſitatum ab antiquis, vt videre eſt apud Tertullianum, Caſſianum, Burchardum, & alios; tamen Vigiliarum titulus inualuit vtpote à nobiliori actione deriuatus. Etenim tria hæc, ſtatio, ieiunium, vigilia, ita ſe habent, vt duo priora pertineant ad corpus, & perfici queant citra vllum Dei obſequium. Namque poteſt quis diu perſeuerare in Eccleſia, abſque intento Deum demerendi: imò ſecus plures hodie nebulones ibi longiores trahunt moras, quæſituri fomitem luxuriæ ſuæ aſpectu puellarum, exerto ſinu minimè pudicarum. Familiare item eſt multis ferre inediam, aut quia faſtidiunt cibos, vel quia non ſuppetunt eſcæ, quibus ieiunium ſoluant. Itaque ſtationes & ieiunia præcisè & abſque meliore fine ſibi præſtituto nequaquam hominem Deo conciliant. At ſecus omnino eſt de Vigiliis: eo namque nomine non notatur actio inſomnis, ſic enim omnium hominum commercia eſſent Vigiliæ, quia nemo ſuis negotiis indormire ſolet. Nomine igitur Vigiliæ priſca illa ætas calente adhuc ſanguine Chriſti feruida intellexit attentæ animæ & inſiſtentis orationi negotium. Eo namque intento inſtituerat Eccleſia ſtationes illas, petitâ metaphorâ à ſtatione caſtrorum, vbi vigiles non eo tantùm fine excubant, vt pellant ſomnum, ſed vt conſulant caſtris, cauentes inſidias. Ita eo conſilio indictæ fuerunt Vigiliæ, vt tunc eſſet prolixior oratio, & anima ſupplex ſeriò ſe apparet ad gratiæ influxum, qui ſolet eſſe vberior diebus ſolennibus. Quia ergo Vigilia nomen ſumpſit ab oratione ſedula & inſomni, hæcque attentio ad Deum præcisè ſit religionis actus, & latriæ, meritò nomen ſuum iuſſit diebus illis, quos adhuc Eccleſia ſolet Vigiliarum nomine nuncupare, iuxta morem ſacrum, quo res vetuſtæ, licèt nouum habitum induerint, nomine ſuo non excidunt, licèt ſubſtantia ipſa rerum, vſu intermiſſo fuerit antiquata.

Tertull. l. de oratione. Caſſian. col. 21. c. 29. Burchardus l. 13. decret. cap. 16.

Quare olim dies ſtationũ à Vigiliis ſuum nomen deduxerint potius quàm ab oratione.

Quem vigilandi morem ſibi olim Vigiliæ feſtorũ vendicarint.

Heu in quæ tempora deuenimus! Cogimur iam Vigiliarum nomen veluti teſtam nucis frangere vt nucleum extrahamus. Ipſius etiam nominis ſonus horrorem incutit, cùm tamen familiare fuerit omnibus Chriſtianis olim Vigiliis ſuis anteuertere dierum feſtorum ortum, vt teſtatur Baſilius ille Magnus ſua ætate feciſſe Ægyptios, Lybios, Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Phœnices, Syros, & eos omnes qui ad Euphratem ſuum porrigunt incolatum. Idem ſuos auditores affatus ait, Deum ei fore propitium, quia ſe ſedulos præſtiterunt in his Vigiliarum ritibus obſeruandis. Sic ille: *Ex media nocte venientes ad ſacrum martyrum templum, Deum ipſum martyrum laudantes per hymnos, ſuſtinuiſtis ad hanc diem vſque, noſtrum aduentum expectantes. Vobis quidem igitur, & ſomni, & quietis, qua in honorem martyrum, & Dei adorationem impendiſtis, præſto eſt merces.*

Olim frequens fuit Vigiliarum ritus.

Baſil. epiſt. 63. Clericis Eccl. Neocæſar.

Idem in Pſal. 114.

Ne ſacer ille mos excideret aliquando, canones editi ſunt, quibus ſacer ille Vigiliarum ritus indicitur. In eo argumento occurrit Concilium Carthaginenſe, cuius hæc eſt ſacra conſtitutio. *Clericus qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate Vigiliis deeſt, ſtipendiis priuatus excommunicetur.* Item in Concilio Antiſiodorenſi celebrato anno ſexcenteſimo decimo tertio conditus eſt iſte Canon. *Non licet in Vigilia Paſchæ ante horam ſecundam noctis Vigiliam expedire: quia in illa nocte non licet bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis ſolennitatibus, &c. Quicumque habuerit votum, in Eccleſia vigilet.* Adiice & his Cyrili præclarum effatum, in gratiam illius inſtituti, quod maximè commendat à tempore congruo ad vota Deo debita perſoluenda. Ecce viri ſancti encomium. *Nocte ad ſapientiam nihil commodius, hac enim perſæpe de Deo cogitamus, lectioni, contemplationi diuinarum Scripturarum vacamus, pſallitur, oratur.* Quid muſſitabunt hæretici partem noctis intumentes compotationi, & aliam lectulo conſepelientes, vt crapulæ indormiant, & ſic epulæ decoquantur? Fortè erit eis ingrata loquela Sanctorum Patrum, à quorum vita vt abhorrent, eorum etiam dicta iniquo animo accipiunt, quia animaduertunt illa inconcuſſa Eccleſiæ columina acuere ſuum ſtylum in omnes deſertores Eccleſiæ, & acriter eorum vitia caſtigare.

Canones memores Vigiliarum. Ex IVRE CANONICO.

Concil. IV. Carthagin. can. 49.

Conc. Antiſiod. can. 11.

Cyrillus Ieroſolymit. Catecheſi. 9.

Vigiliæ nocturnæ aptiſſimæ ad orationis ſtudiũ.

Dabo & hoc inſolentiæ hominum transfugarum: non agam cum eis ex ſententia Sanctorum Patrum, vt inſtitutum Vigiliarum probem fuiſſe familiare fidelibus priſcis Eccleſiæ temporibus; ad hominem Ethnicum prouocabo, & perſecutorem fidelium capiam in patronum cauſæ Vigiliarum, quam dubiam faciunt hæretici. Ita Plinius Imperatorem Traianum erudit qualis eſſet diſciplina Chriſtiana. *Hæc ſumma culpæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere: ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſumque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium.* Arrigite aures, ô aſini. Inimici noſtri ſunt iudices. Sed quid Vigilias loquor hominibus ſomniis aſſuetis?

Plinius iunior li. 10. epiſtol. Elegans ieiunij teſtimonium confirmans vſum frequentem olim fuiſſe Vigiliarum.

Ex præfatis liquet Vigilias noſtras non eſſe deliria ſomniantium, vt eructant hæretici, quibus inſipida ſunt ieiunia celebrata diebus illis, quibus indormiunt homines hi, ſuæ decoquendæ crapulæ iugiter occupati. Proprium ſanè eſt Eccleſiæ impaſtæ agere vigiles excubias, & orationi inſtare, fruſtra hæreſi repugnante. Ex Seneca, Vigilantis eſt narrare ſomnia, ſed non ſomniare. Eccleſia inſomnis eſt pridie feſtorum; ſiquidem tunc ſunt prolixiores horæ canonicæ, adiectis precibus, & B. Mariæ Virginis officio, vt vel ſaltem adumbrare queat ritum illum in ſtatione vigilandi. Aduerſarij verò, ſcilicet hæretici, vino ſomnoque ſopiti, nihil omnino præter ſomnia allegare queunt, quæ etiam confirmare blaſphemiis horrendis turpiter nituntur.

Vigiliæ à ieiunis tantùm benè agũtur.

Sen. epiſt. ad Luc. 1.

Quare Vigiliarũ diebus longiores ſunt horæ canonicæ.

ARGV

ARGVMENTVM IV.

Quàm religiosè obseruata fuerint semper ieiunia, ab Ecclesia instituta.

Ex Historia.

Libri sunt magistri muti.
Arist. lib. politic.
Ieiunia indicta ab Ecclesia fuere religiosè obseruata à fidelibus in prisca Ecclesia.

INcrebruit vetus hoc effatum, scilicet libros esse magistros mutos: ego ex diametro dixerim appositè magistros esse loquaces libros, iuxta sententiam Aristotelis affirmantis, iudicém esse iustitiam animatam. Ad astruendam Quadragesimam aliaque ieiunia instituta ab Ecclesia, plures consului libros multiplici ratione fœtos, & longa serie sententiarum probaui intentum, quod erat ostendere, Quadragesimam aliaque ieiunia fuisse congruè instituta. Iam prouocor ad libros, non tacitos, sed facundos: sententiæ elingues sunt, sed facta suam linguam habent, vtique eloquentem. Est ergo dirimenda hæc controuersia exemplis, quæ confirment, fuisse indicta Ecclesiæ ieiunia, iugiter obseruata.

A priori sæculo auspicanda est illa historiarum recensio. Clemens Romanus Apostolorum consors viguisse Quadragesimale ieiunium in incunabulis Ecclesiæ sic affirmat. *Post dies Epiphaniarum seruandum nobis est ieiunium Quadragesimæ, quod vita Christi & legis latæ recordationem continet.* Eodem priore sæculo inclinante floruit Ignatius obseruantissimus huius moris sacri, quem etiam religiosè ab aliis voluit obseruari. Ecce eius parænesim directam ad Philippenses *Quadragesimale ieiunium ne spernatis. Continet enim exemplum Dominicæ Passionis.* Altero post sæculo in Quadragesima legebatur historia Iob viri patientissimi, vt exemplo angustiarum eius excitarentur homines ad compatiendum Christo, cuius passionis memoriam recolit Ecclesia Quadragesimali instituto. Eo namque tempore passus est Christus, mense scilicet Martio iuxta æquinoctium vernum, quod semper quadragesimali tempore & serie concluditur. Audiendus Origenes huius assertor historiæ, hæc recensens. *In conuentu Ecclesiæ in diebus sanctis legitur passio Iob, in diebus ieiunij, in diebus abstinentiæ, in diebus, in quibus tanquam compatiuntur ij, qui ieiunant, & abstinent, admirabili illi Iob, in diebus, in quibus in ieiunio, & abstinentia sanctam Domini nostri Iesu Christi passionem sectamur: vt terribilem eius Passionem transeuntes, ad beatam eius resurrectionem venire mereamur, compassi nunc, vt conregnemus: condolentes modò in tempore Passionis, vt & congaudeamus post hoc in tempore resurrectionis.* Agere Origenem de Quadragesimali ieiunio constat ex mentione Passionis & Resurrectionis: est enim Quadragesima præludium agonum Christi, quibus assolent Christiani sese inediâ coaptare. Quòd si quæstio est de nomine, an ignotum fuerit sæculo Origenis, reuoca illam eius Origenis sententiam. *Habemus Quadragesimæ dies ieiuniis consecratos.* Dixit consecratos, quia obseruantur in ordine ad Passionem Christi, cui satagunt singuli quique hoc vsurpato ieiunio condolere.

Clem. Rom. l. 5. constit. Apost. c. 12.
Ignatius epist. ad Philip.
Quare olim tempore Quadragesimæ legeretur in Ecclesia historia Iob.
Quadragesima est præludiū agonum Christi.
Origenes l. 1. in Iob.
Idem hom. 10. in Leuitic.

Tertio sæculo rigidam fuisse hanc Quadragesimæ disciplinam commemorat Eusebius, auctor illius ferè sæculi, vtpote magni nominis anno trecentesimo & vigesimo. Sic ille enarrat, qua cautione fideles sese accingerent ad compatiendum Christo tempore Quadragesimæ. *Quid præterea attinet commemorare frequentes in vnum congressus; & virorum in vno, mulierum autem in altero loco separatim congregatarum exercitationes, & seueram disciplinæ rationem, quæ de more adhuc à nobis obseruata est, quamque potissimum in festo salutaris Domini Passionis non ieiuniis solùm, & vigiliis, sed attenta sacrarum Scripturarum auditione excolere & celebrare consueuimus.* Quarto item sæculo non obseruantiam tantùm, sed & reuerentiam magnam conciliauit Quadragesima: nimirum Imperatores Honorius & Theodosius hanc tulere legem in gratiam temporis huius sacri. *Prouinciarum præsides moneantur, vt in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum Quadragesimale tempus, nec venerabilem Paschæ diem existiment excipiendum.* Nota hoc contextu Quadragesimam eò religionis surrexisse, vt censeatur eodem prædicamento, quo dies Paschæ, eamque sic constitutionem cultum Quadragesimæ illo sæculo floruisse congruè profiteri.

Quàm religiosè priores Christiani ieiunia obseruarint & Vigilias.
Euseb. lib. 2. hist. c. 16.

Ex Ivre Civili.
Cod. de feriis.
Quadragesimali tẽpori deberi singularem cultum ex decreto Imperatorum.

Quintum superest sæculum, vt quingenti expleantur anni, quibus Caluinus ait fuisse illibatam disciplinam Christi, à qua mentitur postea subsequentia sæcula deuiasse. Audiendus est Sozomenus illius sæculi scriptor haudquaquam ignobilis. Sic ille: *Quadragesimam, in qua populus ieiunat, alij in sex dierum septimanas computant, vt Illyrij, & qui ad Occidentem siti sunt, necnon vt vniuersa Lybia, & Ægyptus cum Palæstinis; alij in septem vt Constantinopolitani, & nationes circumiacentes vsque ad Phœnices.* Hunc ieiunandi morem seueriorem multò aliis extitisse, quia erat institutionis Apostolicæ, bellè ostendit Palladius enumerans varia schemata ieiunandi priscis illis temporibus vsurpata. Ita delineat ille suæ ætatis ingeniū. *Aduenit Quadragesima, & vidit senex Macarius vnumquemque suscepisse diuersas viuendi rationes: alium quidem comedere vespere, alium verò post duos dies, alium post quinque: alium stare per totam noctem, interdiu verò sedere ad opus. Ipse autem cùm aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in vno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genuflexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustauit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die Dominico, vt videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem.*

Sozom. lib. 7. c. 19.
Vbique terrarum quadragesima à fidelibus obseruata.
Pallad. c. 19. & 20. sect. 17. de duob. Macar.
Quadragesimale ieiuniū præ aliis ieiuniis olim maiori austeritate fuit obseruatum.

Ne suspicetur hæreticus ex prolatis fide testimoniis petitis à Græcis auctoribus, Latinam Ecclesiam nesciuisse ieiunia Quadragesimæ; reuocandus est Telesphorus Papa, pubescentis Ecclesiæ moderator & rector egregius, sub præcepto indicens illũm ieiunandi morem. Ecce decretum. *Cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis, in hac sancta, & Apostolica sede congregatis, statutum esse, vt septem hebdomadas plenas, ante sanctum Pascha, omnes clerici, in sortem Domini vocati, à carne ieiunent.* Dices, hunc canonem obligare tãtùm clericos. Respondeo, hoc canone non eximi laicos, quos constitutiones Apostolicæ iam primitus obligarant. Namque Clemens ille Romanus Pontifex hanc memorat sanctionem ab Apostolis institutam, qua omnia omnium capita concluduntur. *Seruandum nobis est ieiunium Quadragesimæ, quod vita Christi & legis latæ recordationem continet, &c. ieiunaréque omnes cum timore, & tremore, facientes per eos dies precationem pro pereuntibus.* Eo edicto Quadragesimæ vinculum omnes æquè fideles annectit.

Telesphor. epist. ad omnes vniuers. c. 1.
Abstinentia carnis decreta tempore Quadragesimæ.
Clem. Rom. l. 5. constit. Apost. c. 20.

Quadragesimæ obseruatio fuit ex præcepto quoad ieiunium.

Altero post sæculo Tertullianus transfuga & desertor Ecclesiæ obiicit Catholicis ipsos etiam rigidè ieiunate extra Quadragesimam, cùm tamen dicerent, olim Quadragesimam solùm obligare ex præcepto. Ergo Latina Ecclesia æquè ac Græca solenne habuit hocce ieiunium quadraginta dierum. Ecce Apostatæ hominis instantiam. *Præscribitis constituta esse solennia huic fidei scripturis, vel traditione maiorum, nihilque obseruationis amplius adiiciendum, ob illicitum innouationis. State in isto gradu si potestis. Ecce enim conuenio vos, & præter Pascha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus, & stationum semiieiunia interponentes, & vos interdum pane & aqua victitantes, vt cuique visum est: denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio.* Tertullianus à Montano deceptus, qui volebat tres ieiunari Quadragesimas quasi personæ Trinitatis passæ fuissent ad sospitandum hominum genus: ille inquam suo typho excæcatus voluit & suam caliginem offundere Catholicis, suggerens illas tres Quadragesimas, & ait non esse adeò tenaciter insistendum illi constitutioni Apostolicæ, quæ vnam duntaxat præscribit Quadragesimam, cùm etiam ritus ille inualuerit in Ecclesia, alia etiam ieiunia celebrandi. Responderunt orthodoxi, alia quidem ieiunia post Pascha obseruari à plerisque, sed ad vniuscuiusque arbitrium. Quadragesimam verò esse ex imperio. Et hinc maximè liquet quanti ponderis ex tunc illud fuerit institutum.

Tertull. lib. cont. Psych. cap. 13.

Quare Quadragesimas tres induxit Montanus, in suam sententiam trahens Tertullianum. Quadragesimæ differentia. quænam sit ab aliis ieiuniis.

Tertio sæculo non fuisse intermissum obsequium, quod sibi vindicarat illud Pontificum imperium, disce ex Cypriano Latino Episcopo illius sæculi face prælucida. Sic ille: *Forma ieiuniorum proposita, fixoque exemplo, postquam quadraginta dierum abstinentiam Dominus consummauit; Satan, cùm esurientem videret, accessit.* Huic sæculo successit æuum doctissimorum hominum Hieronymi, Ambrosij, Augustini. Prior in arenam prodit Hieronymus impugnans Montanistarum delirium, hoc scommate pungens illorum insaniam. *Nos vnam Quadragesimam, secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi, scilicet Montanistæ, tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores. Non quod & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat; sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate.* Huic suppar Ambrosius luculenter meminit Quadragesimæ, & rationum, quæ Ecclesiam ad hæc ieiunia perculerunt. Sic ille: *Sancta Quadragesima rationem, cuius hodie initium celebramus, frequenter edidimus, & cur tot dierum numero ieiunemus sæpe docuimus.* Supra eiusdem Ambrosij memini textus adstruentes hoc intentum. Suspicor Ambrosij æuo Quadragesimam incepisse duobus diebus ante feriam quartam cinerum: ille namque ait totum hunc contextum ieiunij Quadragesimalis efficere summam duorum, & quadraginta dierum, quos ille mysticè sic expendit. *Cur eadem Quadragesima quadraginta & duos dies habeat, audire gestimus. Legimus in veteri testamento, cùm sanctus Moyses filios Israel de iugo Ægyptiæ captiuitatis erueret, vt in terram eos repromissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus peruenisse, tantoque illum temporum numero potuisse esse promissis, quanto & nos promissis nobis à Saluatore perfrui gratulamur. Eodem, inquam, numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cælum. Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus.*

Quadragesima instituta ad exemplũ Christi. *Cyprian. ser. de ieiun. & tentat. Christi.*

Hieron. epist. ad Marcel. cont. Montan.

Ambros. Serm. 25. de Quadrag. Quo die olim inceperit Quadragesima.

Ambros. Serm. 23. de Quadrag. Quadragesimæ dies lineati in quadraginta mansionibus filiorũ Israël.

Eiusdem sæculi Antistes Augustinus, quem magni facit Caluinus hæresiarcha, tantùm abest vt damnet ieiunia instituta ab Ecclesia, vt secus damnet velut hæreticos, omnes qui dubiam faciunt obseruantiam ieiuniorum, quæ ab Ecclesia populis indicuntur. Demiror subiectum hoc Augustini effatum prætetiisse Caluinum patronum gulæ, fortè consulto Augustino resipuisset homo mentis inops, & eiusdem farinæ, cuius extitit Aërius homo nequam ab Augustino nigro hoc calculo prænotatus. *Aërius in Arianam hæresim lapsus, propria dogmata affinxit nonnulla: non esse solenniter celebranda statuta Ecclesiæ ieiunia, sed cùm quisque voluerit ieiunandum, ne videamur sub lege.* In eas impegere cautes illi, qui per abrupta tentata ab Aërio deuios iniere calles, vt Quadragesimam expungerent. Proximo huic sæculo floruit Benedictus Abbas ille Patriarcha, tanta reuerentia affectus erga Quadragesimam, vt illo præcipuè tempore sanxerit esse bonis actibus insistendum. Ecce synopsim arctioris eius disciplinæ. *Licet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ obseruationem debeat habere; tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, id est, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitiis temperemus: orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus.*

Aug. lib. de hæresib. c. 53.

S. Benedict. in Regula c. 49. Quadragesima quibus sit actibus impendenda.

Non est quòd reuoluam sæcula retro posita, vt eorum obseruatione suffragium accipiat Quadragesima, cùm ipsi hæretici de illius cultu non ambigant, annuentes eam quidem introductam à summis Ecclesiæ Præsulibus citra exemplum Christi, aut præceptum formale ritum illum indicens hominibus. Illa hæreticorum indoles vtique petulca compescitur abundè sententiis & historiis antea recensitis. Quibus in confirmationem aliorum ieiuniorum extra Quadragesimam adiice exemplum Theodosij Imperatoris, cui hoc testimonium locuples perhibet Socrates historicus. *Theodosius Imperator tanta corporis & animi tolerantia fuit, vt tum algorem, æstumque forti & virili animo sustineret, tum crebrò ieiunaret, & maximè diebus Mercurij, & Veneris, quas Græci τετράδας, καὶ παρασκευὰς ἡμέρας vocant. Atque hoc ab eo factitatum fuit, dum Christianam viuendi rationem cumulatissimè explere contenderet.* Floruit ille Imperator eo æuo, cui Caluinus inuidet integram Christi Domini disciplinam. Vnde colligere est Christianam viuendi rationem, quam Socrates ait Principem illum religiosissimum voluisse cumulatissimè adimplere, habuisse partem sui ponderis à ieiuniis constitutis ab Ecclesia, quam quisquis Deo afflatam non audierit, ille est ex serie Beatorum penitus expungendus.

Socrat. l. 7. cap. 22. Theodosius Imperator crebro ieiunabat etiam extra Quadragesimam.

SENSVS

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA IV.

An ieiunium sit meritorium, & qua cautela indigeat, vt à Deo compensetur.

In hæc verba:

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

PRÆFATIO.

Historia Angliæ in Rege Guillelm. MEdici, quos Rex Anglus Guillelmus suæ sanitati præfecerat, suspicantes ex obeso corpore Regis præproperum fatum, decreuerunt ei frustra parciorem victum. Vir namque epulis assuetus, impatiens inediæ, genio suo iugiter indulgebat. Sed gulæ stipendium fuit mors præcox, adscita humorum nimia colluuie, quam esca largior excitarat. *Guillelmi Regis Angliæ mors ingloria.* Quodque fuit summa dedecoris, mortuo Rege, dum tumulo aptaretur cadauer crepuit, effusæque fæces tetro suo odore fugarunt omnes, qui adstantes funus hoc regium honorarant. Profectò vita beatior fuisset præmium ieiunij, si Rex ille memor medicorum, moderatè pastus salutarem tulisset inediam. *Quæ sint necessaria ad hoc vt ieiunium suo merito non excidat.* Nos eadem vehimur naue, vitaque beatior promittitur si ex præscripto Christi, medicorum optimi, nostram componimus vitam. Opportunus hic medicus decernit hoc textu oleum & aquam, vt ieiunium stipendia sibi debita sortiatur. Oleum insinuat gratiam Dei, & aqua munditiem, quæ gratiæ influxum consequitur. Cautiones illæ duæ Deum ieiunio conciliant, vt tale opus ab eo mercede congrua compensetur.

PRIMA PARS CONTROVERSIÆ.

Quibus argumentis impugnetur meritum ieiunij.

Historia Gallica sub ann. 1526. Galli maximè solliciti de redéptione Francisci I. Regis Christianissimi. SVperiore sæculo Gallis agentibus cum Carolo V. de Redemptione sui Regis Christianissimi capti iure belli, vtrimque conuentum est de auri summa, quam cùm Galli de suo Rege Christianissimo Francisco heroë magno solliciti deprompsissent, Hispani à Carolo deputati, dubiam facientes Gallorum fidem, allata numismata ne qua fraus subesset ad suam trutinam appenderunt. Eo examine compertum est illi auro proposito deesse pondus condictum ex fœdere, vt eo appenso Franciscus restitueretur sibi & regno. Non detrectauere Galli suorum hostium instantias, sed adiuncto supplemento congruam fecere vim auri, cuius obsequio Rex Galliæ ad propria repedauit. Simile rixarum argumentum exortum est inter Orthodoxos, & *Ieiunium est medium idoneum ad renouandum fœdus Dei cũ homine.* hæreticos, postquam vitio gulæ homo excidit regno Dei. Nempe coëuntes omnes sectæ inière consilium de modo ineundo ab homine, vt velut postliminio auitum regnum repeteret. Mediator Dei & hominum Christus nostras leuauit angustias, & consilium pro regno repetendo protulit opportunum. Totius rei cardo in hoc vertitur: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* In his autem mandatis illud quod ieiunium spectat ex diametro opponitur gulæ, quæ nos exuit infulis: hoc ieiunij penso ritè exhibito, priora cum Deo inita fœdera renouamus. Etenim Dei partes agens Propheta Ioël, hoc tributum indixit hominibus, scilicet vt fletibus atque ieiuniis conciliarent sibi Deum quem defectione sua grauiter offenderant. En Dei edictum. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu.* *Ioël.2.* Itaque summa reditus nostri ad regnum penes tria attenditur, scilicet conuersionem, ieiunia, & fletum, quæ assolet Ecclesia præcipuè Quadragesimali tempore populis inculcare. *Reconciliatio hominis cum Deo penes tria attenditur.* In hoc negotio hæretici, exploratorum partes vendicauere sibi, vt suæ indagini submitterent opera, quibus pro virili parte sua satagunt homines regni cælorum præmia nundinari. Eóque insaniæ prorupit Kemnitius, vt consummato Concilio Tridentino librum ediderit hoc titulo. Examen Concilij Tridentini. Homo ille culinæ axungia inunctus, & cauponæ vino madens, ieiunia exosus, & ea appendens ad coquinæ lances, multa dapum varietate graues, ait hanc monetam esse leuioris ponderis, quàm deceat ad hominem exulem, prioribus regni sui infulis exornandum. Sed dum iniquiore animo Caluinus & Kemnitius hanc de ieiunio quæstionem versant, affirmantes ieiunium nihil conducere ad salutem, plerique alij hæretici dedere manus & nomen Ecclesiæ, postquam audiere Catholicos adiicere ieiuniis conuersionem ad Deum, & fletus, quibus gratia influit. *Ieiuniũ charitate accinctum meritorium est.* Sic vltro confessi sunt meritoria ieiunia, non vt præcisè dicunt inediam, sed quia mediante Dei gratia, ieiuniis adiuuantur homines ad cælestia meditanda.

Nec dissonat à Ioële Christus, dum voluit ieiunantes inuncto capite & facie abluta ieiunia persoluere vt partem pretij, quo redimendum est præmium deperditum. *Quibus argumẽtis hæretici impugnant meritum ieiunij.* Illo ieiuniis adiecto supplemento, meræ procacitatis est velle insurgere in meritum ieiuniorum, quasi moneta illa minus proba esset, & incongrua prorsus ad bona cælestia comparanda. Huius suæ proteruiæ notas ediderunt hæretici, hoc sibi indicentes pensum, vt expungerent omne meritum ieiunij. Eo fine quosdam Scripturæ textus aptant vt machinas idoneas suo intento. Isaiam conducunt in nos, ab eo spicula mendicando. Nempe obiiciunt, Deum apud Isaiam subsannare ieiunia, & ea nihili facere, sed inquirere peccati repudium magis quàm ieiuni ventris inediam. Ecce locum, quem credidere lethalem ieiunio: *Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis.* *Isai.8.* Vim in eo textu abditam credit Brentius, arbitratus Deum carpere ieiunia, quasi nullius essent meriti, & non pertinerent ad cultum Dei. Kemnitius porcus eiusdem gregis ac Brentius assecla gulæ, commensalis sui partes sic tutatur, dicens Deum protestari se nihili facturum ieiunia Hebræorum. In huius rei fidem profert versum Ieremiæ ita præfantis ex persona Dei *Populus hic diligit vacillare pedibus, & non abstinet, vel cohibet se. Ideo Domino non est complacitum in illis. Etsi igitur ieiunent non exaudiam.* *Ierem.14.*

exaudiam. Vt numerosior acies sit conscripta in ieiunij iniuriam, Zachariam in nos etiam hi æmuli prouocarunt. Vates ille Deo afflatus eiusque personam induens ait: *Cum ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* Hæc sunt tela quæ intorquent in nos hæretici, similia planè iaculis, quæ rusticus olim direxit in taurum hærentem in aditu speluncæ montis Gargani commendati præsidio Michaëlis Archangeli, cuius virtute in sagittarium retorta spicula redierunt. Ita planè accidit hæreticis, dum prælibatos Prophetarum textus acuunt in meritum ieiunij. Quippe locis præadductis maximè adstruitur meritum ieiunij, cuius tamen ab impiis hominibus dignitas impugnatur.

Zach. 7. Hæreticorũ spicula intorta in Catholicos resiliũt in ipsos hæreticos.

Solutio argumentorum.

Vt autem Prophetarum sensus eniteat, nota non eos damnare ieiunium Hebræorum, sed eos inuehi in perditos illorum mores, à quibus etsi ieiuni non abhorrebant tamen. Vnde cùm sit cuiusque boni operis hæc indoles, vt non conciliet gratiam Dei ipso facto, si non pœniteat animam criminis insidentis; Deus volens innuere quàm sibi malè consulerent hi Iudæi, ait eorum piacula fecisse irrita ieiunia, quibus illud est commune cum aliis virtutibus, vt naturam iaspidis imitentur. Lapis ille plumbo insertus non exerit virtutes suas corpori salutares, quas duntaxat ex argento communicat. Ita & ieiunium obseruatum ab anima inclinante deorsum veluti plumbum, haudquaquam virtutem suam prodit, vtpote malis actibus impeditum. Non ergo benè inferunt hæretici ieiunium nullius esse meriti, quia Iudæorum crimina subtraxere meritum insignis illius operis, sed potius inde liquet virtus ieiunij, quam dum improbare conati sunt hæretici allatis Scripturæ locis, illam potius & id præter intentum suum iisdem textibus approbarunt.

Quare Deo non placuerunt ieiunia Hebræorum.

Iaspidis natura mirabilis.

Ieiunium vnde Deo gratum sit.

Etenim genuinus Prophetarum sensus hic est. Magna equidem, & salutaris res est ieiunium, vtique pertinens ad cultum Dei, qui opportunè inflectitur ad misericordiam virtute ieiunij: sed esto magni meriti sit ieiunium ritè vsurpatum ab anima, quæ procul à noxa est; illà tamen virtute singulari qua præpollet ieiunium excidit prorsus, si ieiunus homo in priùs insolito crimine perseueret. Eamobrem nihil apud Deum profecere Hebræi obseruantes sua ieiunia, animo multiplici scelere conspurcato. Perperam itaque hæretici sibi applaudunt his textibus, quasi iniuriis ieiunio: siquidem eos allegantes vt caperent, sic voluere capi, Deo in ipsos propria spicula retorquente.

Hæretici inepti malè vtẽtes Scriptura sacra.

Hieronymus idoneus Scripturarum interpres, salutari antidoto condit locum illum Isaiæ, quem Brentius in ieiunium acuit. Cùm enim ait Vates: *Nunquid hoc est ieiunium quod elegi, affligere hominem per diem animam suam?* Hieronymus ait subsiciendam esse vocem illam, *solum*, ita vt sensus sit. In cassum corpori vestro facessitis negotium, illud macerando ieiuniis, si desint aliæ conditiones, quibus stipari debent ieiunia. Solum namque ieiunium seorsim sumptum non ad Dei cultum pertinet, vt videre est in his qui inuiti ferunt inediam, sed vltra requiritur animæ conuersio ad Deum, vt in eum directa ieiunia, misericordiam eius possint, adscitis etiam fletibus inclinare.

Isai. 58. Hieronym in c. 58. Isai.

Congrua expositio textus allati contra meritum ieiunij.

Alio rursus ariete quatiunt ieiunium, & equidem fortiter; validâ namque machinâ petunt meritum ieiunij. Achillæo argumento ansam dedit Paulus ita Timotheum instituens. *Exerce te ad pietatem. Corporalis enim exercitatio ad modicum valet: pietas autem ad omnia.* Corporalem exercitationem Ambrosius ibi vocat ieiunium. Ergò, inquiunt hæretici, malè Catholici ieiuniorum merita conclamarunt. Hæc instantia salebrosa est, ideoque peritam prouocat industriam, ne incautis illudat. Totus controuersiæ cardo est penes mentem Apostoli, quam quis assecutus fuerit, ille proculdubio nodum soluet. Tres ego eo fine subiiciam expositiones huius textus. Prior erit Ambrosij, quem à suis partibus Melanchthon esse gestit. Altera erit Chrysostomi. Tertia demum erit mea, vt sic triplici hoc cuneo nodus ille durior explicetur. Ea igitur est sententia hæreticorum, Paulum damnasse ieiunia Timothei, vt inutilia prorsus ad salutem, & eorum loco suasisse alia opera pietatis, quæ magis conducunt ad virtutum omnium incrementum.

1. Tim. 4. Quo valido argumento credant hæretici impugnati meritum ieiunij.

Ambros. in 1. Tim. c. 4.

Primò occurrit Ambrosius arbitratus Apostolum nomine pietatis intelligere misericordiam in pauperes, pro qua quandoque deserendum est ieiunium, si opera charitatis vrgeant, quæ nequeunt ieiuno corpore perhiberi. Et hæc Ambrosij orthodoxa est disciplina: siquidem non euacuat virtutem ieiunij, sed hortatur ne obstet praxi aliarum actionum, quas benè suada charitas imperat. Chrysostomus hîc negat Apostolum nomine corporalis exercitationis intellexisse ieiunium, sed potius improbasse ait sollicitudinem, quæ multos angit de corporis sanitate tuenda, vt vegetiores sint ad Dei obsequium. Sic opinatur ille eximius Pauli scholiastes, illam parænesim distrahere homines à nimia cura sanitatis, quæ non est absolutè necessaria ad maiorem Dei gloriam; cùm, ipso Apostolo teste virtus in infirmitate validior sit, & plerumque expediat hominem infirmari. Namque caro hilarior insurgit in animam, quæ præualet tantùm corpore ieiuno, & longiore inedia viribus exhausto. Non est illa expositio propitia hæreticis, imò ab eis est penitus aliena.

Solutio argumenti ex sententia Ambrosij.

Chrysost. in 1. Tim. c. 4.

Solutio argumenti ex sensu Chrysostomi.

Quia sæpe etiam olitor est opportuna locutus, non dedignabor ego meam adiicere sententiam in re ista ancipiti, quam distrahunt hæretici, vt ab ea petant suffragium idoneum, ad sua delitia & scelera confirmanda. Sic igitur intelligo Paulum, vt reuera credam nomine corporalis exercitationis & pietatis eum distinxisse inter virtutes, quæ corporalem exigunt industriam, & inter eas, quæ animæ potissimum quærunt obsequium, & ita eas ad inuicem comparasse, vt primas dederit virtutibus illis, quæ præcipuè animam excolunt. Vnde nomine corporalis exercitationis intelligo laborem manuum, vigilias, stationes, processiones, ieiunia, ciliciorum vsum assiduum, crebras sanguine tenus flagellationes, & alia id genus, quæ omnia prudenter assumpta, comite Dei gratia possunt salutem animæ promouere. Nomine verò pietatis, quæ est virtus generalis hominem benè afficiens erga Deum, Paulus omnes conclusit virtutes, quarum actus præcipuè animam in Deum dirigunt, vt sunt fides, spes, charitas, oratio, humilitas, & sedula attentio ad omnes potentias animæ, sicuti par est iugiter excolendas. His non incongruè suppositis Paulus Timotheum hortatus est: Esto, ô Timothee, sua sint merita actiones illis, quæ corpora exercent, vt sunt vigiliæ & ieiunia; si tamen hæc opera conferas cum illis virtutibus, quæ animam

Auctoris sententia soluens argumentum petitum ex salebroso & perdifficili textu Pauli.

Quid nomine corporalis exercitationis Paulus intellexit.

Pietatis nomine, quid intenderit Paulus.

Opera spiritualia multis titulis potiora sunt corporalibus.

animam perpoliunt, corporalium actionum merita, quantumuis emineant, longè tamen sunt à merito orationis, fidei, spei, atque charitatis. Eamobrem cura tua præcipua hæc sit, vt animam instituas magis quàm corpus, quia maioris sunt momenti merita virtutum interiorum, quàm earum quæ oculis hominum patent. Si namque peregrinationum, flagellationum, & ieiuniorum merita congeras in vnum cumulum, reuera modicus erit appositus ad congeriem meritorum, quæ fluunt ab aliis virtutibus editis ab animâ potioribus illis actibus instituta. Sic credo retundi aculeos, quibus se importunos reddidere aduersarij gestientes illo loco Pauli, & concrepantibus buccis aduersus merita ieiunij classicum insonantes. Non etenim Paulus ait nullum omnino esse meritum corporalis exercitationis, sed modicum comparatiuè, id est, quamuis sit magnum meritum ieiunij, & alterius operis corporalis, modicum tamen erit, si cum spirituali opere componatur.

Aliud argumentum contra meritum ieiunij.

Luc.18. Solutio argumenti.

Aliam cauillandi ansam capit Kemnitius ex Pharisæo illo, cui nihil omnino profuit ieiunasse bis in Sabbato, Deo sic testante ieiunium nullius esse meriti, cùm Pharisæus inde nulla commoda retulerit. Hallucinatur ille suo more: nam ieiunia Pharisæo non fuere ad prouentum, quasi suapte natura forent inutilia; sed quia homo ille impastus humiliore abdomine, caput habebat inflatum & distentum aura populari. Ideoque cùm non benè conueniant, nec in vna sede morentur merita & peccatum, hominis illius superbi iactantis sua facinora non potuere ieiunia sic enarrata palàm ad merita computari. Si quas adhuc faciunt instantias hæretici allegantes textus contra prohibentes vsum carnis, illæ omnes sententiæ siue Scripturæ, siue Sanctorum Patrum pungunt eos qui carnibus abstinent, quasi sint immundæ, & auctore dæmone procreatæ, sicut quidam hæretici populis inculcabant.

Quare Pharisæi superbientis ieiunia non Deo accepta fuerunt.

Quomodo soluendi sunt textus qui declamant, in eos qui dimittunt esum carnium.

Pars Secunda Controversiæ

ARGVMENTVM I.

Ieiunij vtilitas & commoda explicantur ex Scriptura sacra, & rationibus.

Olim pecudes gerebant vices numismatum.

PRima hominum commercia constitere diu sine vlla pecuniæ mentione, quia necdum nomine tantùm tenus innotuerat hominibus: tandem vt omnia in gyros acta nutant semper, pœnituit homines huiusmodi negotij, quod totum gerebatur pecudum obsequio Namque omnia prostabant ei, qui pecude diues erat; poterat enim ille aliò mercante rem sibi gratam pecude licitari. Quia importuna erat hæc ratio nundinandi, qua quisque ægrè poterat comparare sibi ea, quibus habebat opus; excogitata fuere numismata, quæ suffecta sunt in pecudum locum, eaque diuersi pretij fuere causa, vt iuxta mercis cuiusque dignitatem emptor appenderet & numisma Hinc multa simul numismata dicta fuerunt opes, quia hæc ad omnia quæuis opera conducebant. Nullum namque opus adeò arduum est, cuius consummationem non aggrediantur opes. Simile quidpiam accidit in re sacra: nimirum quælibet opera bona peculiarem quemdam sortiuntur effectum, vt eleemosyna castigat auaritiam, oratio mentem euehit ad superna, humilitas deponit fastum, flagellatio & vigiliæ compescunt corporis insolescentiam. Sed immensa Dei benignitas suggessit homini modum, quo vna tantùm actione sibi omnium virtutum commoda compararet. Illud præclarum Dei inuentum est ieiunium, quod cum oratione primo participat, quia animam rebus terrenis eripit, vt eam euehat ad superna. Hinc est quòd à ieiunio auspicati sunt Moyses Elias, & Daniel, ad Deum ascensuri. Inde etiam Ecclesia suos fideles aptat pridie festorum maiorum instituendo Vigilias, vt ieiunando pro festo die, anima fiat alacrior ad solennia ritè peragenda. Eo respexit Chrysostomus ita fatus: *Ieiunium animæ nostræ alimentum est, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat*. Hæc ille apposite ad meum institutum.

Opes vnde sint dictæ.

Ieiunium cum omni bono opere participat.

Exod.34. 3 Reg.19. Daniel.10.

Chrys. hom.1. in Genesim.

Ea ieiunij cum oratione affinitas probat, ieiunandi ritum pertinere etiam ad Dei cultum. Non enim ieiunium hic nuncupo abstinentiam illam, quæ ad Deum non attendit, vt est ægrorum inedia, quam parturit humorum colluuies stabulans in stomacho, vel obsessorum ciuium famem ortam ex penuria annonæ: at ieiunium voco illam abstinentiam, quam quis præuia electione sustinet, optimo sibi fine antea constituto. Nomine cultus diuini intelligo actum omnem, qui Deo placet; siquidem ritè colitur Deus, quando quis quæ placita sunt ei iugiter operatur. At homo operam dans virtuti, ad Dei arbitrium se componit, ac proinde placet illi, iuxta mentem illius degens in hoc æuo. Præcipuè ille cultus Deo exhibetur à ieiunante, quia Dei ergò temperans est: temperantia enim versatur circa moderandas illecebras cibi & potus. Cùm verò ieiunium alios præstituit sibi fines, aliarum etiam virtutum ingenium & speciem imitatur. Vt qui abstinet orandi gratiâ, & quia voto se obstrinxit, ille profectò religionis actum exerit. Qui ieiunat, vt eo ritu damnet hæreticorum dogma ieiuniis iniurium, ille edit actum fidei. Qui ieiunus est, quia sic eo die sancitum est ab Ecclesia, ille elicit actum obedientiæ. Qui corpus suum mactat inediâ, vt vindice ieiunio flagelletur, ille efficit actum pœnitentiæ. Qui demum diu impastus est, vt imitatione assequatur Christum ieiunantem, ille amoris diuini actum impigrè profitetur.

Ieiuniū alis aptat animā.

Ieiunium pertinet ad Dei cultum.

Ieiuniū quale debeat esse vt pertineat ad Dei cultum.

Quid sit Dei cultus.

Quomodo ieiuniū aliarū virtutum indolem induat.

Deum coli ieiuniis, atque adeò ieiunia pertinere ad Dei cultum, liquet ex Codice sacro, vbi Anna prophetissa sic graphicè depingitur. *Non discedebat de templo; ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Quod Latinus interpres dixit, *seruiens*, Græcè est λατρεύουσα, quasi ieiunium esse queat latriæ actus, vt verè est, quando ex voto Deo reddendo ieiunium perficitur. Hunc Dei cultum exhibitum à ieiunantibus, maximè commendat Apostolus, suos sic Neophytos exhortando: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Græcus contextus rationabile obsequium vocat λογικὴν λατρείαν, id est, rationabilem cultum. Vt ergo mactatis hostiis ad Dei gloriam, defertur illi latriæ cultus; ita & vsurpato ieiunio ad hoc vt corpora nostra moriantur vitiis, non incongruè quis dixerit illas nostri hostias, ad testandum obsequium nostrum compositas,

Luc.2.

Quomodo ieiunium sit actus latriæ.

Rom.12.

Ieiunio mactatur caro vt hostia Deo immolata.

sitas, esse aliquali modo latriæ nomine recensendas.

Rursus ieiunium numisma spiritale, participat virtutem Vigiliarum, ciliciorum, flagellationum, & aliarum exercitationum, quæ assumuntur ad rebellionem carnis extinguendam. Ea ieiuniorum praxi edomabat corpus suum Paulus, vt explicat Chrysostomus versans illum locum Pauli: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Hoc etiam ieiunij suffragio Daniel & socij eius imposuere modum carni suæ, ne impubes illa caro lautiore cibo facta vegetior & pinguior insaniret.

1.Cor.9.

Plura exempla prostant, quibus efficacia ieiunij probatur esse maior, quam eleemosynæ.

In recensione bonorum operum eleemosyna magnis celebratur encomiis à sanctis Scripturis, & Patribus: ea nempe Deum placat, & diluit æs omne, quo tenemur in rationibus Dei, iuxta Christi hoc effatum. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Audacter dicam, nulla in Scriptura sacra prostant exempla in gratiam eleemosynæ, sicut scaturiunt ad probandum has omnes facultates inesse ieiunio, cui placandi Deum, & diluendi debita contracta virtutem inesse singularem audi ex Scripturis. Grauiter offenderant Deum Hebræi defectione sua, colentes idola, Deo suo turpiter abdicato. Deus suas vlturus iniurias conscribit militem extraneum, scilicet Philistiim, vt ingratos Iudæorum animos vindice gladio corripiant. Classicum insonat, acies sunt in procinctu; aduersóne flumine conabitur Israël? Deóne inuito conseret manus cum hoste conducto ad perniciem populi Hebræi? minimè verò: sed tribus his supra prælibatis vtetur ad Deum demerendum; scilicet ad Deum conuertetur, ieiunabit, flebit: vel si magis arrideat, vnget caput suum, emendicata à Deo gratia, voluntariam feret inediam, & demum largo lacrymarum profluuio desudabit. Quid inde? Placabitur Deus, & Israël vnctione gratiæ validior, ieiunioque factus hilarior, hostium cataphracta agmina profligabit. Res ipsa liquidior erit consulto Codice Sanctiore. En seriem historiæ. *Dixit Samuel: Congregate populum Israel in Masphat, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Masphat, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Quomodo autem Deus fuerit factus Israëli propitius, & quomodo hostiles prostrauerit acies populus ille ieiunio armatus pergit eadem historia describere hoc contextu. *Cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa supra Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt ab Israël.*

Israëlitæ ieiunãtes suos fregerunt hostes.

1.Reg.7.

Achab ieiunij præsidio cauit Dei minas.

In ea Iudæorum schola edoctus Achab Rex Israël, vt caueret mala, quæ præscius Elias edixerat, has sibi partes imposuit, scilicet Deum esse placandum, & diluendas noxas, quibus se multis antea piaculis obstrinxerat. Vt vtrasque simul obiret vices ieiunium sibi indixit, sicque sibi præstituto fine potitus est. Accipe diuinum oraculum. *Cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo ad Eliam Thesbitem: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius.* Nonne & Niniuitæ prædicantes ieiunium triduanum, prouocauerunt à Deo irato ad Deum miserantem.

3.Reg.21.

Niniuitæ Deum subiratum placauere ieiunio.

Ieiunium à Deo impetrauit multa beneficia tẽporalia, & æterna.

Esto, insignes sint illæ ieiunij dotes, aliæ adhuc supersunt, quas etiam participat cum summis virtutibus. Quicquid enim præcipuum est in præclaris operibus illud penes duo attenditur, vt videlicet mereatur beneficia temporalia, & æterna. De hoc potissimùm argumento hæretici tragœdias plurimas excitarunt. Etenim rationem omnem meriti ieiunio ademerunt homines exosi ritum illum, qui gulæ imponit modum. Pertinax eorum liuor arguitur à Scriptura, quæ multa beneficia commemorat impertita Hebræis in gratiam ieiunij. Nec ea res latuit heroinas fœminas, Iudith, & Esther, quæ imminentem populo cladem ieiuniis pluribus auerterunt. Vt paucis perstringam multa: Holofernes cinxerat obsidione Bethuliam, eam breui adæquaturus solo, quando ciues in arcto positi, indicto ieiunio metuere sospitatem vrbis de deditione sua cogitantis. Ecce compendium historiæ. *Clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi & mulieres eorum.* Nec irrita fuere ieiunantium vota: nam extincto Holoferne, & fugato exercitu eius, ciuitas illa opima spolia reportauit.

Iudith.4.

Bethulia prę-sidio ieiunij liberata.

Eadem ieiuniorum panopliâ alia mulier Hebræa, scilicet Esther, occurrit internecioni populi sui, in quem erat mortis lata sententia. Magnum sanè fuit tentare ieiuniis, vt Deus inclinaret animum Regis, qui ad arbitrium Aman viri trucis, & Pro-regis omnium Iudæorum necem decreuerat. Magnum inquam fuit hoc audere; sed longè maius fuit illud ipsum ieiunio indicto postmodum obtinere. Esther Regina à Deo petitura gratiam illam insignem, hæc Mardochæo mandat. *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: Ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Spe sua non excidit egregij illius dux fœmina facti: quippe Deo alternante vices, lethalis illa sententia retorta est in æmulos Hebræorum. Qua alia industria quàm ieiuniorum Daniel meruit fieri particeps arcanorum Dei? Ipse enarret agones suos, & præludia, quibus se aptauit ad influxum gratiarum, quas videre est in eius sacro codice recensitas. Sic ille: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi; & caro, & vinum non introierunt in os meum, &c. Ait ad me Angelus, &c. Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.* Nihil profectò elimatius in eò argumento referri potest. Nam Angelus liquidò profitetur, in gratiam arctioris illius ieiunij, quo se afflixit Daniel, missum esse vt arcana mysteria Domini reseraret.

Esther ieiunio populi sui salutem obtinuit.

Esther.4.

Daniel virtute ieiunij multas gratiarum dotes à Deo accepit.

Daniel.10.

An verò ad præmia æterna pertingant ieiunia, potior est quæstio, quam negando soluunt hæretici, vt hac impietate suas condiant epulas, eo tantum nomine saburratas. Nempe præconibus illis quinti Euangelij verteretur

Quare hęretici declamarint in meritum ieiunij.

teretur opprobrio declamare in Ecclesiastica ieiunia, si in confesso esset apud eos inediam aliqua ieiunis hominibus merita procurare. Vt ergo forent epulæ perpetuæ, dapibus instructæ lautioribus, operæpretium fuit asserere ieiunia esse hactenus obsoleta, & fieri iniuriam libertati Ecclesiæ, inducere in eam ritus Hebræorum, quibus importuna fuere ieiunia: adeóque procul esse abigendos omnes, qui incautam plebem tentant Hebraica premere seruitute. Eorum tamen latratus impudens obstare nequit, quin ieiuniorum præmia æterna habeant codicem sacrum assertorem. Illic enim Christus palàm dirimit hanc quæstionem eodem versu, quem præfixi titulum istius controuersiæ. Sic ille: *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.* Non aliò sanè retorqueri potest illa Christi sententia, quàm ad præmia æterna, cùm talia sint stipendia, quibus inediâ nostrâ Deo Domino militamus. Tamen vt lippiens oculus est luminis impatiens, ita & Caluinus cæcutit ad hunc textum, dicens inibi mercedem impropriè sumi, sicut & eodem capite eam vsurpauit Christus dicens, & mercedem manere orantes in abscondito. At oranti non datur merces, sed donum. Respondeo hallucinari Caluinum, quando ait non dari mercedem orationi, sed donum. Nam in oratione duo sunt attendenda: Primum est ratio generica communis omni operi bono, quod vt est actus elicitus à charitate imperatus, mercede sua non excidit. In eo sensu debetur orationi à Deo merces, ex prætio pacto inito cum homine, cui Deus oppignerauit fidem suam, pollicitus vitam æternam, si vitam ageret congruam ritibus institutis.

Matth. 6. Quæ sit merces ieiunij vt pateat obseruatu.

In oratione duo sunt attendenda, scilicet ratio generica boni operis, & ratio specifica.

Præterea in oratione ratio eius specifica in petitione sita est, & tunc id quod petitioni formaliter correspondet, est donum. At de illa vt sic non loquitur Christus, sed de ea vt est opus bonum. Cùm ergo ieiunium eamdem bonitatem participet, quam oratio, sua etiam mercede haudquaquam fraudabitur. Imò dicam audacter, rationem meriti magis adæquatè reperiri in ieiunio, quàm in oratione, & eleemosyna. Nempe tria sunt quæ meritum affingunt bonis operibus. Primum est gratia seu charitas: alioquin actio humana suis conclusa carceribus, non posset attingere finem superioris ordinis, videlicet Deum beantem animas, factâ sui copiâ. Alterum quod concurrit ad meritum est voluntarium, id est actus à voluntate elicitus adeò plenè, vt anima causari nequeat, se inuitam fuisse obstrictam ad tale negotium. Huius cautelæ defectu insani homines non merentur, neque etiam sapientissimi quando somniant; tunc enim voluntas non est sui iuris: & quamuis anima vigente somnio arbitretur esse sui iuris, & reuera velle; tota tamen illa historia est phantasiæ, facinus imponens animæ somnianti. Demum ad meriti incrementum accedit difficultas, quæ quantò maior est insita negotio quod patratur, tantò etiam increscit ratio merendi. Nimirum par est texi coronas iuxta dignitatem discriminum, quæ quisque Dei gratiâ comite superauit.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. 2. q. 55. art. 4. 2. 2. q. 19. a. 2.*

Tria præcipuè concurrunt ad hoc vt bonum opus sit meritorium.

His præfatis, nemo planè inficiari potest ieiunium esse meritorium, cùm stipetur his omnibus, quæ sibi deposcit ratio meritorum. Etenim si de charitate est quæstio, illa imperat ieiunium hoc quod loquimur, aliud omnino ab inedia, quæ ad Dei cultum non refertur. Itaque ieiunium quod expendo, ex charitate manat vt radice, gratiamque habet indiuiduam, quæ nusquam à charitate dispescitur. Si res sit de voluntario, illud etiam liquet in ieiunio, quod inuitus obit nemo, cùm sit actus elicitus à voluntate refrænante cupedias gulæ. Denique quod attinet ad difficultatem, quæ opus arduum facit, ea est tanta, quanta potest esse maxima, vtpote cui succubuere hæretici omnes, qui satius duxerunt ab Ecclesia deficere, quàm gulæ & ventris illecebras fortiter abnegare. Vnde necesse est eum qui ieiunat, intestino quati bello, quod nullas patitur inducias.

Quibus maximè rationibus ieiunium probetur esse meritorium.

In ieiunio coëunt omnia quæ conducunt ad meritum adstruendum.

Tria sunt hæc, charitas seu gratia, actio libera, & difficultas, quæ in ieiunio coëunt vt sit meritorum ferax, prænotantur à Christo, & Ioële, sicut antea prælibaui. Quod nempe ait Christus, *Vnge caput tuum.* Ioël ait, *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Expressit Christus inediam, quam Propheta liquidò ostendit debere esse voluntariam dicens, animam debere fieri reducem in toto corde, in ieiunio. Ieiunium autem illud, quod suscipitur in toto corde, neminem angit, cùm volenti non fiat iniuria. Demum Christus ait tergendas faciei maculas: hoc verò Ioël expressit nomine fletus, quem subiecit ieiunio, describens illum animæ pœnitentis reditum debere fieri in ieiunio; & fletu. At lacrymis abluere faciem, arduum planè negotium est, & animi præpotentis. Ideoque rerum omnium moderator & Dominus mentione facta ieiunij, benè subiecit mercedis nomen quod à merendo deductum est: nec qualemcumque mercedem affinxit ieiunio, sed illammet opimam, quam Deus quibusque viris optimis impertitur. Itaque ad arbitrium luxurient hæretici, adscitis vndequaque lixis, atque calonibus, aliisque culinæ quisquiliis indicant bellum ieiuniis, impudenter eis merita denegando. Hoc vnum erit in confesso apud nos; scilicet nullum planè esse meritum ieiunij apud illos apostatas, quia illi Epicurei sues ieiunia penitus expunxerunt.

Quare sit ieiunio maxima merces assignata.

Quare apud hæreticos nullum sit meritum ieiunij.

ARGVMENTVM II.

Quanti meriti sit ieiunium adstruitur.

EX IVRE CANONICO.

VEtus olim Roma veluti præscia, se aliquandò modum impositiuram mundo, rem excogitauit suo equidem ingenio dignam. Nam credidit auspicandum esse orbis imperium à dominio sui, quod vt assequeretur, arbitrata est obediendum esse legibus, si sibi vellet populos obedire. Hoc inito consilio Roma consuluit Græcos, apud quos degebat & ludebat eo sæculo scientiarum omnium chorus. Romani lautè excepti à Græcis conscripsere eorum viuendi normam, quam reduces dixere Senatui, qui suo pondere librans allatas leges, sanxit eas in duodecim tabulis exarari. Et licet illis aliæ postmodum

Caius lib. 1. ff. de origine iuris. Quantum prisci Romani detulerint legibus.

Romani à Græcis accepere leges.

modum tabulæ adiectæ sint, vsus tamen inualuit vt propter reuerentiam antiquitatis, rerum omnium summam decernerent ad trutinam legum duodecim tabularum, quibus quamdiu Roma morem gessit, tamdiu etiam mundi apicem tenens, visa est aliis Gentibus eminere.

Vnde exortæ leges 12. tabularum.

Eadem Roma seipsa sanctior facta, vtpote initiata fidei mysteriis, futura caput mundi, vt hoc suum imperium sartum tectumque transmitteret vsque ad dehiscentis mundi finem, non modò passa est se imbui disciplina Christi, sed & æquum duxit sacra Apostolorum dogmata profiteri. Hinc orta est illa reuerentia, quam deferunt omnes canonibus duodecim Apostolorum, vt legibus duodecim tabularum.

Canones 12. Apostolorū sunt vt leges 12. tabularum.

Vtinam deuij aduersarij nostri discordiarum nostrarum irreuocabilem sententiam deponerent penes has tabulas, quæ quantumlibet obsoletæ, tamen ad hæc sæcula deuenerunt. Hæ profectò quantocyùs nostras dirimerent lites, quia ab eis discrepare nequit ingenua & Catholica disciplina.

Consulenda igitur illa duodecim tabularum oracula, & rimandum quid decernant de merito ieiunij, sit res indifferens necne; an pertineat ad Dei cultum vel non, vt ex eo sanctiore penu in hostes ieiunij velut è pharetra multis fœta telis spicula torqueantur. In illarum indagine tabularum occurrit iste Canon Apostolicus, hoc decernens, nimirum vt nemo fidelium ambigat ieiunij ritum pertinere ad cultum Dei.

Can. Apost. 50. Ieiuniū quare debeat præcipue à fidelibus vsurpari.

Ecce edictum nobis propitium. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quiuis omnino de sacerdotali consortio, nuptiis, carnibus, & vino abstinuerit, non propterea quod mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem, corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia deiicitor: consimiliter & laicus.*

Ieiunio mēs sit aptior ad Dei cultum.

Hinc arguo. Quidquid operatur homo eo intento, vt melius obsequatur Deo, illud natura sua meritorium est, quia in sensu composito, res illa ad Dei cultum spectat vt ordinata ad Deum, & sic natura rei illius spectata vt pertinens ad Deum, singulari virtute pollet meriti cumulandi.

Quare Deus mercede singulari dignetur ieiunia.

Ergo cùm ieiunium hominem accingat ad peculiare Deo obsequium exhibendum, proculdubio à Deo stipendia congrua reportabit.

Conc. Nicæn. 1. Canone 5. Ieiunio Deus impensè colitur.

Concilio item Nicæno primo celeberrimo, meritum ieiunij non tam definitum fuit, quam denuo confirmatum, hoc Canone. *Vt mundum & solenne ieiunium Deo possit offerri.* Quod autem Deo offertur, iuris est diuini, ac proinde actio illa meritoria est, qua Deo defertur ille cultus. Rursus sanctiones Ecclesiæ sunt de meliori bono. Sed canones Apostolorum præscripsere ieiunium, & alia pleraque concilia eius obseruantiam sæpius indixerunt. Igitur cum bonum opus suapte natura meritorium sit, hoc suo merito non excidet, vtpote toties institutum.

Can. Apost. 68.

De eo tabulæ Apostolorum, hoc decernunt quod alibi recensui, & huc reuocari debet. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel lector, vel cantor sanctam Pascha Quadragesimam non ieiunat, &c. præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si laicus sit segregetur.*

Quàm antiqua sit institutio ieiuniorum in Ecclesia.

Vide iam an obedire Ecclesiæ sit actio frustranea, & nullo merito recensenda.

Hunc ieiunandi morem perseuerasse quingentis prioribus annis, ex præscripto Ecclesiæ, videre est hoc canone Concilij Aurelianensis IV. celebrati anno quingentesimo septimo, vbi ieiunandi necessitas omnibus imposita petitur à decretis Sanctorum Patrum.

Conc. Aurelia. IV. c. 2. Breue & validum argumentum ad probandum meritum ieiunij.

Ecce Canon. *Neque per Sabbata absque infirmitate quisquam soluat Quadragesimæ ieiunium, nisi tantùm die Dominico prandeat. Quod sic fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam ruperit, tanquam transgressor disciplinæ a sacerdotibus censeatur.* Vides, ieiunandi morem vocari regulam institutam à Patribus, quam temerare nefas est. Vnde à regula contrariorum valet argumentum istud. Apostoli suis canonibus indixere pœnas grauissimas eis, qui soluerent indicta ieiunia. Ergo citra omne dubium obseruantibus ieiunium præmia decernentur. Liberali namque manu coronas spargit Deus, qui tardior est ad plectendum.

Ieiunium ad Dei honorē institutum.

Si animus est corpus canonicum euoluere, canonum multa tibi seges occurrit, quorum aliquos demetere volo ne labores mittendo fortè tuam falcem in messem alienam. Prior in canone occurrit Gregorius Papa, decreti aliorum Pontificum rationem subiiciens.

Can. Quadrag. de conse. dist. 5.

Sic ille: *Quadragesimæ summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decima sunt anni, &c. Iubemur etiam ab omnipotenti Deo, omnium bonorum nostrorum decimas dare.* Hoc Canone liquet, ieiunium referri ad Deum, ac proinde ab eo mercedem conquirere. Alius item Pontifex, scilicet Eusebius sic decreuit:

Can. ieiunia de consecr. dist. 5.

Ieiunia in Ecclesia à sacerdotibus constituta, sine rationabili necessitate non soluantur.

Instantia contra meritum ieiunij.

Quispiam fortè instabit, ex Iure Canonico probari tantùm ieiunia esse ex præscripto Ecclesiæ, sed non esse meritoria, aut saltem nullum conquirere meritum homini, quia abstinet, sed quia morem gerit Ecclesiæ, & sic meritum illud esse obedientiæ & non ieiunij. Præterea inde sequi, alia omnia ieiunia quæ non præstituuntur ab Ecclesia nullius esse meriti, quia eo fine carent; scilicet non ieiunat homo obedientiæ causâ, à qua ieiunia Canonica suum meritum emendicant.

Solutio instantiæ.

Respondeo ieiunium vt de eo meminimus, esse actum elicitum à voluntate, quæ vltro inediam corpori infligit, & cum actum esse de genere omnium actuum humanorum, qui suam speciem capiunt ab obiecto, & non à materia circa quam versantur.

Actuum humanorū species vnde attendatur.

Verbi gratiâ, qui carne opima vesceretur, & largiore vino sese perfunderet, vt obscœnæ voluptati impensiùs operam daret, ille profectò non tam gulæ vitio se obstringeret, quàm se Veneri deuoueret. Cùm ergo intentio finem præstituat in moralibus, & ieiunia ad mores pertineant, vno eodémque ieiunio homo præstare potest actum obedientiæ, morem gerendo Ecclesiæ, item actum amoris Dei, sese expediendo ab illecebris, vt alacrior in Deum assurgat, eumque suo dignetur amore, quem reuocat à terrenis.

Quàm locuples sit ieiunium ad merendum.

Rursus ieiunando potest exercere actum humilitatis protestando se indignum cibis, quia peccando offendit bonorum omnium conditorem. Deni-

que, vt præmonui, ieiunium est numisma, cuius pretio virtutum omnium possunt stipendia omnia comparari.

Illæ eximiæ ieiunij dotes, quæ parciore victu vtentes animas locupletant, dederunt ansam Patribus sanctis suadere hominibus alia etiam ieiunia, præter ea quæ sunt ex præscripto Ecclesiæ singulis instituta. Huius generis sunt subiecti isti canones, quorum iste seriò commendat ieiuniorum vsum. *Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata ieiunia, sed vel singulos dies, absque ciborum luxuria transigamus.* Esto enim nullum sibi alium finem præstitueret homo, quàm degeneres actus effugere ieiunando, quos suggerit ventris ingluuies inimica Deo, hoc satis esset ad meritum præuia charitate. Quid iam gratiarum accedet, si inedia illa assumpta nobiliori fine, præcipuis etiam actibus accingatur? Si nulla alia quam præscripta essent obeunda, non editus esset iste Canon. *Sint tibi ieiunia pura, & continua, moderataque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere. Curat enim vulnera delinquentis, curatosque sanctificat ieiunium.* Ergo meritorium est, si sanctificat animas, quæ ieiunando conciliauere sibi Deum, quem sibi alienum fecerant antea delinquendo.

Can. Non dico de consecr. dist. 5.

Abstinentia maximè commendata sacris canonibus.

ARGVMENTVM III.

Ieiunij merita & virtutes explicantur.

Ex Sanctis Patribvs.

HErmodoro Ephesino suasore viguerunt olim leges duodecim tabularum adeò sanctæ apud Romanos, vt si quod dubium occurreret in earum praxi, iudicium rei ancipitis erat penes collegium Pontificum, ad quos tantùm pertinebat sensum duodecim tabularum populis explicare. Illud eorum ius in exoluendis nodis duodecim tabularum constat, ex libro primo digestorum, lege secunda, paragrapho septimo de origine iuris. Paragraphi textus hic est. *Omnium tamen harum, id est, legum duodecim tabularum, & interpretandi scientia, & actiones, apud collegium Pontificum erant. Ferè populus annis propè centum hac consuetudine vsus est.* Hactenus Pomponius, à quo ista Trebonianus & consortes eius acceperunt. Simile quidpiam experta est Roma Christiana, duodecim Apostolorum placita pro legibus habuit, & si quid ancipiti sensu vexauit animos, plebs Christiana de hoc subiit sententias sanctorum Pontificum, quorum collegia fuere concilia. Imò citra concilia, plerique sancti Pontifices in Scripturam sacros codices ediderunt, quos vt oracula exceperunt omnes Christiani, illi vtique qui Catholico & Romano nomine recensentur. Illud ab ineunte Ecclesia fuit & est hactenus ingenium, vt cunctante intellectu credere dubium aliquod dogma, petantur illico suffragia Sanctorum Patrum. Nolo ego degener esse, & prouocare ad alia tribunalia, quàm ad subsellia Sanctorum Ecclesiæ procerum, quos lubet consulere quid sentiant de commodis ieiunij, nulla sint necne, vt totum hoc litigium eorum capto calculo dirimatur.

Hermodorus Ephesinus vim dedit legibus 12. tabularum.

Pomponius lib. sing. Enchiridij.

Romæ olim Pontificum collegium ius habuit decernendi in dubiis legum 12. tabularum.

Quantæ sint auctoritatis in Ecclesia sententiæ SS. Patrum.

Patrum sanctiorum agmen ducet Clemens Romanus, meritum ieiunij adstruens exemplis veteris instrumenti, quibus intendit ingerere animis affectum erga ieiunium. Hoc ille breuiloquio omnes adhortatur. *Igitur & vos quæ à Deo petitis, ieiunando petite.* Eâ Pontificis huius sententiâ, ieiunium pertingit omnia charismata, quæ conceduntur animæ supplici, quia ieiunio vtitur oratio veluti præludio valde congruo ad Dei gratias demerendas. Ieiunij vim altiore scrutinio vestigat Athanasius, arbitratus hominem latuisse virtutem ieiunij ante Christum, qui ideo passurus se tentari à diabolo, ieiuniis se accinxit ad conflictum, vt inde liquidior ieiunij virtus omnibus eniteret. Sic ille Antistes: *Ieiuniis Saluator noster in carne hominis, quem assumpserat, eruditus, suadelas diaboli tentantis obtundit. Quas etsi alter potuisset expellere; docendos tamen populos voluit hac imitatione formare.*

Clem. Rom. lib. 5. constit. Apost. c. 19.

Oratio potentissima si ieiunio stipata sit.

Athanas. in exhort. ad Monach.

Præfata hæc & subiicienda adhuc encomia meritorum ieiunij, sunt condienda illo oleo, cuius mentionem feci supra, monens non citra mysterium voluisse Christum ieiunantes vngere caput suum, & lauare faciem. Cautio illa à me explicata de gratia Dei necessaria, & de vitiis extirpatis ad hoc vt ieiunium merito non excidat, habet sanctos Præsules assertores. In his accipe Basilium mirè extollentem ieiunium, sed cautelà appositâ quam memini. Ecce effatum Antistitis, cui valde fuit familiaris inedia. *Non solùm ad venturi sæculi fugienda mala, & assequenda bona, vtile est ieiunium; sed hic interim ipsi carni conducibilius est. Si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes ieiunio, &c. Caue tamen ne ieiunij vtilitatem sola escarum abstinentia metiaris. Verum enim ieiunium est, ab omnibus vitiis esse alienum.* Huius conditionis inopia fecit olim irrita Hebræorum ieiunia, Deo ipso reprobante inediam, quam inolita vitia coinquinant. Vt ergo Dei palato sapiant nostra ieiunia, homines haudquaquam desipiant, æmulantes virginum fatuarum indolem stolidam, quæ oleum emere contempserunt. Itaque oleo gratiæ inungatur anima, & lacrymarum imbre diluat sordes, quas noxæ lethales hactenus affinxerunt. Alioquin erunt irrita ieiunia iuxta effatum Gregorij Nysseni ita declamantis. *Propter munditiam animæ sunt indicta ieiunia. Quid confert ieiunium corporis, nisi mens munda pureque sit? Nihil profert currum validum, ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat. Ieiunium virtutis fundamentum est. Quemadmodum autem fundamenta domus licet ingentia subiicias, inutilia vanaque sunt, nisi reliquas item partes peritè & scienter exædificaueris; sic istius abstinentia nullum erit emolumentum, nisi aliæ iustitiæ partes accesserint.*

Quare Christus a diabolo tentandus præuium ieiunium assumpserit.

Basil. hom. 1. de laud. ieiunij.

Ieiunandum à vitiis, vt ieiunium corporale prosit.

Greg. Nyss. oratione 1. de pauperibus amandis.

Inutile ad salutem est ieiunium quod ab anima iniqua vsurpatur.

Hoc præuio gratiæ apparatu audies à Chrysostomo ieiunium plures afferre & vberiores fructus, quàm garrula poëtarum ætas finxerit emergere de cornu Amalthææ. Ecce compendium encomij editi à Præsule eloquente. *Ieiunium est Angelorum imitatio pro nostra virili, contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ, frenum oris: mitigat concupiscentias; sciunt qui ieiunant: & mitigat voluptates; & non ignorant qui tentarunt: mollit furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram facit animam,*

Chrys. hom. 1. de ieiunio.

Egregia encomia ieiunij.

alleuiat carnem, fugat fœdas intemperantias. Quantùm vrgeatur Deus inediâ vltro assumptâ ad cultum eius, compendiosè enarrat Tertullianus, hoc effato: *Sodoma quoque & Gomorrha euasissent si ieiunassent.* Tertulliani amantissimus Cyprianus multùm ieiunio tribuit, imò tantùm vt totum quod præclarè gestum legimus à sanctis viris, illud dicat non fuisse patratum ieiuniis inconsultis. Ecce elogium grande in gratiam ieiunij. *Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clariùs patuit, & à multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum sunt, nisi prius abstinentia præcessisset.* Illa fortè elogia saperent hyperbolen, & ingenium magis assuetum inediæ quàm eloquio veridico, nisi & alij Pontifices suo etiam suffragio quidpiam illis laudibus adiecissent. Accipe Ambrosium qui dubiam eius salutem facit qui à ieiunandi ritu abhorret. Ita ille pungit nostrates hæreticos. *Quæ salus nobis esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra, cùm Scriptura dicat: Ieiunium, & eleemosyna à peccato liberat? Qui sunt ergo hi præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunij? Nonne gentilium vox est ista dicentium? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.*

Tertull. lib. in Psych. c. 7.

Cyprian. ser. de ieiunio.

Omnes præclaræ actiones Sanctorũ editæ sunt comite ieiunio.

Ambr. epist. 8. ad Ecclesiam Vercellensem.

Omnium ferè Patrum concors est sententia, gulam quidem reuocasse à Paradiso, sed ieiunium hominem exulem rursus in eum locum inducere; quod nequaquam fieret, si ieiunium esset meritorum expers. Præter auctores alibi laudatos à me pro ea sententia, Augustinus opportunus adest, redemptionis nostræ partem refundens in ieiunium, ita suum stylum exerens in laudem eius. *Quantò plures dies sunt ieiunij, tantò melior est causa remedij: quanto prolixior abstinentia cursus, tantò redemptio copiosior est salutis.* Alius item Pontifex, & hic summus, Leo Papa, de cuius munere est præcipuè expendere dubias Apostolorum sententias, suum etiam adiicit suffragium sententiis aliorum Antistitum, qui sese in ieiunij laudes aliàs effuderunt. Hæc ille: *Quid potest efficacius esse ieiunio? cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo, vitia blanda superamus. Semper virtuti ieiunium cibus fuit.* Rursus ille ait ieiunium esse armaturam impenetrabilem & inuiam spiculis hostium, quorum technas & impetus prudens semper inedia declinauit. Hæc igitur Leo fatus subiicit: *In omni tempore, omnique vita huius sæculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores: ieiunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: si tamen sibi beneuolentiam charitatis adsumunt.*

Animi gentilis & pagani est damnare ieiunia ex Ambrosio.

Aug. ser. 69. de Tempore.

Leo serm. 3. de ieiunio 10. mensis.

Mira efficacia ieiunij.

Serm. 4. de ieiunio decimi mensis.

Ieiunium est pharmacum potens contra omnia vitia.

Esto copiosæ sint illæ dotes, quas ieiunio affingit hic Pontifex; locupletiora tamen sunt eloquia Chrysologi Episcopi Rauennatis. Ille enim quasi intentus vni duntaxat ieiunio, ei deuouet encomia tanta, vt nihil omnino supersit, quo possit congruè virtutes alias exornare. Ecce panegyrim. *Ieiunium est vitiorum mors, vita virtutum: est pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Ieiunium est robur mentium, vigor animarum. Ieiunium est castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Ieiunium est schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina. Ieiunium est Ecclesiastica via viaticum salutare. Ieiunium est inuictus Christianæ militiæ principatus.* Diceres exhaustum penu Chrysologi ea copiosa segete titulorum, quos inurit ieiunio; tamen illa virtus abstinentiæ adeò est meritis fœta, vt seipso eloquentior ille Præsul ita pergat: *Ieiunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam seruauit in Paradiso, quem inde detraxit Gula. Hoc in arca custodiuit Noe, mundum ebrietas cùm demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Mosem diuini feruoris fecit lumine perlucere, quando comessatio & ebrietas Israeliticum populum simulacrorum tenebrauit erroribus. Hoc Eliam peruexit ad cælum, quando Achab impium ebrietas ad inferna deiecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorem, quando Herodem principem temulentia imperio mulierum reddidit homicidam.*

Chrysolog. serm. 7.

Elegans encomium in gratiam ieiunij.

Serm. 12.

Ieiunium est arx munitissima contra omnes hostes animarum.

Gulæ quanta sit pernicies.

Adiicere aliquid illi panegyri, nec fas est nec posse reor, ideoque libet magis explodere illud hæreticum dogma, quod ieiunium exuit infulis, quas meretur. Caluinus ferre nequiens hoc suaue melos editum ad decorem ieiunij ait, illa omnia elogia esse semina errorum, qui postea pullularunt. Quasi verò Caluinus Apostata, & eiusdem farinæ viri nequam, rectius assecuti sint Apostolorum mentem, quàm prælibata Pontificum series explicauit. Si itaque perduelles nolunt dare manus Christo malentes obeso litare ventri, abeant in malam crucem, quando nos inhærentes vestigiis Christi, ieiunantes erimus cum eodem Domino crucifixi.

Ieiunium facit nos Christo Domino concrucifixos.

ARGVMENTVM IV.

Quàm singulares exerat affectus ieiunium.

Ex Historia.

Mathathias vir grandæuus, & magni nominis apud inclytam Iudæorum gentem, videns ab Antiocho Rege parari Hebræis magnum angustiarum pondus, quia Rex ille sacrilegus populum Dei nitebatur auertere à cultu diuino, cui legem tulerat omnino contrariam. Ille inquam strenuus heros instante morte, plurium hominum corda nutantia hac verborum serie confirmauit: *Nunc ergo filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum: & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Credidit ille vir magnus, historias esse potiores ad confirmandos hominum mores ingenuos, quàm ipsum textum legis, aut dogmata sacerdotum. Idcirco ille memor rei cuiusque præclarè olim gestæ, vt animos fortes adderet, egregiorum facinorum quæ patrarat gens Iudæa ampliorem contextum illico recitauit. Valuit sanè illud argumentum, magnúmque adiecit populo roboris argumentum.

Mathathiæ industria vt Iudæos firmaret in obseruantia legis.

1. Mach. 2.

Exẽplũ multum valent ad animos excitandos.

Nolo & huic deesse parti, vt adstruam cõmoda

&

& meritum ieiunij. Aliquas primoribus quasi labris delibabo historias, non eas quidem omnibus ferè notas, quas codices sacri commemorant, sed alias priscis Ecclesiæ temporibus, & posteræ etiam ætatis insignes, quibus maximè Deo placita inedia commendatur. Itaque consultò prætereo ieiunia illa celebrata à Scriptura sacra, stupenda ieiunia referente Moysis & Eliæ. Extra hanc aleam sunt Iudith, Esther, Tobias, Sara, Daniel, & alij omnes qui mediante ieiunio sibi plurima commoda procurarunt. Nec hic recensere volo Apostolos adhibuisse ieiunium veluti condimentum suarum omnium actionum, vt liquidò est his textibus, quibus Apostolorum vsitata magis opera recensentur. *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Dubij Apostoli, in quas orbis oras decernerent Saulum & Barnabam, adhibuere ieiunium, vt id rescirent hoc congruo consultore. Si præterea fuere ordinandi Presbyteri, neminem initiauerunt Apostoli, nisi præuio ieiunio, iuxta hoc Lucæ effatum. *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino.* Non fuisset adeò familiaris vsus ieiunij Apostolis, si non fuissent certiores Apostoli ieiunia præpollere merito singulari.

Apostoli crebris assueti ieiuniis. — *Actor. 13.* — *In præcipuis actionibus Apostoli semper adhibuerunt ieiunium.* — *Actor. 14.*

Quia à codice sacro diuertendum est ad historias Ecclesiæ adhuc impuberis & tenellæ, audi stupendum meritum ieiunij. Sæpe illo æuo scaturiente bonis operibus accidit homines extinctos, quorum vita productior erat necessaria, fuisse ieiunante populo suscitatos. Ita Irenæus vicinus illorum temporum. *Sæpenumerò propter aliquid necessarium, eâ qua est in quoque loco Ecclesiâ vniuersâ per ieiunium & supplicationem multam postulante, reuersus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus Sanctorum.* Fortissimum sanè fuit illud ieiunium, quod ita morti illusit, vt de cadauere, triumphorum faceret argumentum. Nec citra conuicium dici potest illa inedia meritorum expers, quæ singulari prodigio valuit in mortis regula dispensare. Non fuit peculiaris ille ritus, huius æui tantùm, sed & etiam subsequentium temporum. Nam Syluester Papa sæpius occurrit fatiscenti Ecclesiæ, indictis ieiuniis, vt est auctor Metaphrastes, qui etiam adiicit, Iacobum Eremitam sanctitate famosum curasse adolescentem paralyticum pharmaco ieiunij triduani.

Merito ieiunij mortui olim excitati & id sæpius. — *Irenæus lib. 2. cap. 56.* — *Historiæ probantes virtutem ieiunij.* — *Metaphrastes in vita S. Syluest.* — *Syluester Papa ieiuniis indictis prodit Ecclesiæ.* — *In vita Iacobi Erem.* — *Iacobus Eremita sanat paralyticum ieiunio ad hibito.*

Quanti Deus faciat ieiunium & abstinentiam à carnibus, Deus ipse prodigio insigni ostendit, obsonia mutans in lapides, ne obiecta carnis illecebra depasceret meritum animæ ieiunantis. Simile ostentum profert Theodoretus in vita Simeonis Stilitæ. Sic ille: *Ex iis, qui crediderant; quidam Ismaelita Deo votum fecerat, hoc diuino viro teste. Pollicitus autem erat futurum, vt se deinceps perpetuò abstineret ab esu cuiusuis animati. Hoc promissum nescio quomodo quodam tempore transgressus, occisam auem ausus est comedere. Cùm Deus autem per increpationem, eum ad conuersionem voluisset deducere, & suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi, quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro auis, vt nec si vellet quidem deinceps eo vti posset.* Reuera si talis abstinentia nihil ad Deum pertineret, perperam editum fuisset illud prodigium ab ipsomet Deo vindice perpetratum. Dicet hæreticus, Deum castigasse piaculum voti violati. Benè. Non eo inficias, sed meminerit osor ieiunij, votum esse de meliori bono, ac proinde Deum annuisse voto illi, quia multò satiùs est vacare ieiunio, quàm epulis indulgere.

Theodoret. in hist. Patrum cap. 26. — *Caro in lapidem mutata ne solueretur ieiunium.* — *Deo placent ieiunia vt par est obseruata.*

Deum demereri ieiuniis fuit Ecclesiasticum dogma tam altè insidens animis fidelium, vt mortem experiri maluerint tempore Iustiniani Imperatoris, quàm soluere ieiunium. Arduum hoc facinus ad nos transmisit Nicephorus ita fatus: *Cùm fames Bizantij increbruisset rerum necessariarum inopiâ, Imperator Iustinianus secunda statim ieiunij hebdomadâ carnes in foro venales proponendas promulgauit. Et hoc quidem sic per vim actum. Populus autem, qui pietatem sibi consectandam statuisset, neque eas emebat, neque edebat: mortem sibi potius adeundam esse censens, quàm vt quicquam de patriis moribus ac traditionibus mutaret.* Summæ profectò dementiæ fuisset hoc facinus, si Ecclesiæ Catholicæ fides malè sensisset de merito ieiunij. Hoc igitur esto constans effatum veridicum Augustini: *Ieiunium remedium est, aut præmium. Hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cælestis acquirit.* Affine huic est illud Chrysostomi: *Ieiuna quia peccasti, ieiuna vt non pecces: ieiuna vt accipias; ieiuna vt permaneant quæ accepisti.* Secus sentire, Augustinus ait esse hæreticum. Sic ille: *Pro amore castigandi corporis abstinentibus à vino vel carnibus, nihil credere meriti accedere, non hoc Christiani, sed Iouiniani est.* Hæc satis sunt hæresi castigandæ.

Niceph. Call. lib. 17. c. 22. — EX SS. PATRIBVS. — *Aug. ser. 62.* — *Chrys. ser. 1. de ieiunio Tomo 4.* — *Aug. auctor libri de Eccles. dogmat. c. 68.*

FERIA QVINTA CINERVM.

EVANGELIVM

Sectum in tot numeros, quot sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus sancti.

Matth. 8. I. CVM introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum.

II. III. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo; & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit.

IV. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit:

V. Non inueni tantam fidem in Israël.

VI. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

VII. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: Et sanatus est puer in illa hora.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. I. VBI miseriarum maior est cumulus, illic etiam plures misericordiæ Dei effectus emicant: vt liquidò probat vrbs Capharnaum, quæ quò vitiis diffluebat, eò etiam magis propitium experta est Christum, edentem plurima miracula, in quibus insigne est illud reducis sanitatis pueri Centurionis:

§. II. Qui vt conciliaret sibi Christum, illustria fidei suæ prodidit argumenta.

§. III. Non duntaxat per internuntios, sed reipsa Christo venienti occurrens, eamdem repetens professionem fidei, quam eius nomine fecerant Iudæi, aliáque adiiciens signa plurima obsequij sui erga Christum.

§. IV. Qui reuera & non fictitiè admiratus est huiusce fidei dignitatem: ea etiam sua admiratione probans veritatem naturæ assumptæ, cuius passiones induit, vt eiusdem stipitis surculos enascentes.

§. V. Illa tamen elogia edita à Christo in gratiam fidei Centurionis, non obstant fidei B. Virginis Mariæ, nec Ioannis Baptistæ, licet anteponant eam ante fidem illam, quæ præfulsit in Apostolis ipso diluculo vocationis eorum ad sequelam Christi.

§. VI. Vnde liquet, Gentilis huiusce Centurionis exemplo, fidem Ecclesiæ eminere fidei Synagogæ, quæ licet rutila præfulserit ante ortum Christi in humanis.

§. VII. Illa tamen fides opacum est passa deliquium, Christum Dominum respuens, imò & conspuens. Et hinc ingens Iudæorum ruina: nempe cateruatim in mulctam sui animi infidelis, ad tartara protruduntur; vbi reprobi non metaphoricè sed realiter tenebris & fletibus affliguntur.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Vbi miseriarum maior est cumulus, illic etiam plures misericordiæ Dei effectus emicant.

In hæc verba:

Cùm introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo Paralyticus, & malè torquetur.

§. I.

CONIECTVRA I.

EX RATIONE.

Hebræis eadem vox קרב Kereb, duo significat, cor scilicet, & medium: quia cor mediam quasi sedem pectoris occupat, vt inde æquali lance librans solicitudinem suam, æquè adsit corpori fatiscenti. Tamen natura sagax ita situm cordis prouidè disposuit, vt cuspis eius inclinet in sinistrum latus, velut in partem indigam auxilij, quod ab hac scaturigine vitæ influit in compagem totam corporis animalis. Alioquin non æquali sorte nouercantis naturæ cura latus vtrumque librasset. Nam dextera corporis pars præpollet alteri, ratione hepatis ibi constituti, vnde alluitur totum corpus, hinc in omnia membra longè & latè sanguine redundante. Ne ergo natura videretur incuria sinistræ partis, quæ suis etiam erat armanda præsidiis, alma parens illa acumen cordis in læuum latus pectoris inclinauit. Vt eo quasi libramine cordis inflexi fieret pars illa robustior. Illius naturæ prouidæ opifex Christus neminem planè secernit à prouidentia sua: omnibus adest beneficus, infundens benignitatis suæ latices in omnes orbis oras; præcipuè tamen, dum in viuis ageret, miserorum curam egit, dicens non venisse se vocare iustos sed peccatores.

Quare cor in sinistrâ hominis parte inclinet.

Quare Christus in humanis degẽs singularem curam gesserit hominum miserorum.

In huiusce rei argumentum educationis suæ ciuitatem Nazareth dereliquit, vbi redux ab Ægypto multos annos transegerat, vt in Capharnaum transmigraret, illic reperturus subiecta plurima miserandi. Et quia hoc omnes præterierunt Interpretes huius loci; rem credo nouam subiiciam oculis, si probauero intentum sensus literalis, explicando quæ fuerit hæc ciuitas Capharnaum, & quare Christus eò diuerterit, cùm tamen natus fuerit in Bethleem, & conceptus in Nazareth, vbi etiam à reditu suo ex Ægypto multos egit annos. Vrbs hæc Capharnaum Galilææ metropolis est, & vna è decem vrbibus regionis Decapoleos. Decapolis autem ex Hieronymo est regio perquàm celebris & famosa, ita nuncupata, à numero denario ciuitatum. Græcis enim δέκα decem sonat, vt & πόλις ciuitatem significat. Longitudo eius ad triginta milliaria excurrit, & quia latitudo eius eodem fere spatio censetur, regio est veluti quadra. Est autem finibus istis illa regio circumsepta. A Septentrione habet Libanum montem, & Damascum: ab Occidente Sidonem vrbem: à Meridie ciuitatem Bethsam, quæ & Scythopolis appellatur. Ad Orientem verò trans Iordanem, & mare Galilææ, vltra Gadaram, Hippum, & Pellem se extendit. Porrò ciuitates, à quibus regio Decapolis suam hanc nomenclaturam accepit istæ recensentur. Cæsarea Philippi, Asor, Cedes Nephtalim, Sephet, Corozaim, Capharnaum, Bethsaida, Iotapata, Tiberias, & Bethsan, quæ à Scythis instaurata dicta est Scythopolis. Earum vrbium præcipua atque celebrior fuit Capharnaum; sita ad ripam Iordanis, qui mox influit in mare Galilææ. Hæc autem plaga facit fines Zabulon, & Nephtalim.

Quare Christus Capharnaum elegerit, vt illic degeret.

Quæ sit vrbs Capharnaũ & vbi sita.

Hieron. lib. de locis Hebraic. litera D.

Guil. Tyrius 13. bell. sacr. 11. & 16. lib. 13.

Decapolis regio vnde dicta.

Feracissima illic regio excurrens in campos, & alicubi se attollens in montes, Iordane alluitur, & peramœna virens opimo gramine, floribus ferè anno toto vernat, frugúmque copia pascit oras sibi conterminas. Terra illa rerum omnium vbertate luxurians, vrbem Capharnaum locupletissimam fecit: eò enim confluebant vndique mercatores. Primò ex diuitiis, quas nundinæ crebrò repetitæ congesserant Capharnaitæ, sumptuosas ædes extruxere sibi, muro fortissimo circumdedere ciuitatem, armis & annona instruxerunt eam: cætera luxus. Namque affluens hæc copia rerum, vrbem illam typho inflatam, & Dei, & sui immemorem fecerat insolentem. Vtque insolescens hominum animus neminem reueretur; ciuitas hæc suæ salutis incuria fecerat sese vitiorum omnium colluuiem. Vnde ne Imperij Romani iugum excuteret vrbs illa nesciens imponere sibi modum, Tiberius Imperator validum illic militum præsidium collocauit. Tamen milites illi Romani idolis assueti, consuetudine sua non excoluere mores illorum hominum impiorum. Imò verò secus, vt plurium militum sors est iniqua, illo etiam Romanorum militum præsidio facta est vrbs iniquior, eóque cumulus iniquitatum eius ascendit, vt Christus illorum nefarios hominum mores non ferens, vrbem ferierit isto maledicto: *Et tu Capharnaum, nunquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes.* Huius maledicti pondus nondum oppresserat vrbem illam tempore Hieronymi: nam constabat adhuc oppidum illud, quod postea Deo vltore ita dirutum est, vt anno millesimo ducentesimo octogesimo tertio, vix eius ruinæ conspectæ sint à Brocardo Monacho lustrante Galilæam.

Capharnaũ fuit potior vrbs Decapoleos.

Capharnaũ sita in pinguiore solo.

Tiberius Imperator suspectam habuit fidem Capharnaitarum & quare.

Quãdo funditus sit euersa vrbs Capharnaũ.

Matth 11. Luc. 10. Brocardus itinere 3.

Conspurcata tot & tantis vitiis ciuitas illa luxurians, impunè misericordiam Dei prouocauit. Nam edito primo miraculo in Cana Galilææ, prima omnium vrbium fuit Capharnaum ciuitas honorata secessu Christi, & Matris eius, vt videre est ex contextu Euangelij. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius; & ibi manserunt non multis diebus.* Conspecta vrbis impietate miseratus est iniquam eius sortem, eámque suo domicilio elegit, quod ibi habuit illomet anno rediens à Iudæa, vnde exiuit cognita morte Ioannis, iussu Herodis interfecti. Sub festum Paschæ ascenderat ille Ierosolymam, vbi in templo reperiens nundinatores illi loco sancto iniurios, acriter in eos inuectus est: illic eum audiit vir magni nominis Nicodemus sectâ Pharisæus, quem

Ioan. 2.

Ioan.3. Nicodemus vbi Christũ secretò audiit.

quem initiauit sacris fidei mysterijs. Christi libertatem in sermone cauentes Pharisæi, iniquiores ei facti sunt; molientes insidias, quas vt præsensit Christus, pertæsus etiam Herodis indolem trucem, in Galilæam se contulit, vbi primum ediderat prodigium, aquâ in vinum transmutatâ. Eo itinere trium dierum præteriit fines Samariæ, vbi mulier illa Samaritana ab eo edocta ad meliorem se frugem recepit, alijsque ansam præbuit audiendi Saluatorem. Inde progressus est in Galilæam, vbi honorificè exceptus est, quia Galilæi eum illo anno viderant Ierosolymis mira facinora perpetrantem. Ita Ioannes: *Cum venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat die festo; & ipsi enim venerant ad diem festum.* An iuerit in ciuitatem suam Nazareth liquido satis non est, ex textu Euangelij recensentis exitum eius à Samaria. *Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit quia Propheta in sua patria honorem non habet.* Erat Nazareth ciuitas Galilæa, vt ait Lucas commemorans missum fuisse Angelum à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth: ideóque dubius est textus, an reliquerit Nazareth, quia erat illic inglorius, vel quia præscius indolis omnium ciuitatum, quæ liuore quodam actæ paruipendunt contribules suos, noluit ad inuidiam ibi commorari. Iuerit necne, non interest. Hoc vnum constat, illum eodem anno redijsse Capharnaum, & illic deinceps habitasse.

Ioan.4. Qualis vrbs erat Nazareth.

Ibidem.

Luc.1. Quãdo cœpit Iesus incolere Capharnaum.

Incolatus eius in ea ciuitate, luculentum testimonium perhibet Matthæus, dum recenset Christum secessisse à Iudæa, statim à nece sui præcursoris. Sic ille: *Cum autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam. Terra Zabulon, & terra Nephthali via maris trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Vno eodémque tenore Matthæus explicat secessum Christi in Capharnaum, & rationem eius subijcit incolatus, cuius præscius Isaias ait, factam esse insignem misericordiam illi populo, non excæcato tantùm caligine opaca, sed & vitiis enecato. Cùm enim misericordia attendatur penes depulsionem miseriæ, & miseriarum summæ sint tenebræ, & mors; Christus in illa ciuitate iniqua, misericordiæ suæ exercendæ maxima reperit argumenta. Ideo præclara editurus specimina misericordiæ suæ, ipso suæ prædicationis anno primo in illam ciuitatem diuertit, illic inhabitans vt contribules eius faceret ciues Ierusalem illius, ad quam omnes anhelare debent. Et credo eo intento Spiritum sanctum voluisse in Euangelio specialem fieri mentionem huius ciuitatis perditissimæ, ne homines nequam pertæsi suos nefarios actus desperarent, arbitrati Deum nescire crimina miserari.

Matth.4.

Isai.9.

Quàm erat deplorata salus Capharnaitarum.

Quare in Euangelio specialis fiat mentio vrbis Capharnaũ.

Itaque hic esto sensus literalis textus istius paragraphi, scilicet miseriarum magnos cumulos Deum inflectere, vt misericordiam suam exerceat. Testis est illa hæc Capharnaum vitiis omnibus infamata. Nam illic domicilij sui sedem fixit, triennium totum agens ibi, cum Maria, & duodecim Apostolorum choro, ita vt Capharnaum dicta fuerit ciuitas Christi, ratione singularis illius incolatus. Ita eam nuncupat Matthæus cùm recenset reditum Christi à regione Gerasenorum in vrbem Capharnaum. Sic ille: *Ascendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Id est in Capharnaum, vbi omnia miserationis opera exercuit. Primò ibi Matthæum sedentem ad telonium, eripuit sæculo, vt faceret Apostolum, eum ab iniquo fœnore reuocando. Dixi hanc principem esse gratiam illic impertitam, non tempore sed merito; siquidem antea curauerat paralyticum tecto domus aperto depositum coram, cui & peccata remisit, sic suæ deitatis tesseras ostendendo. Ibidem duobus cæcis visum restituit corporis & animæ. Hominem item energumenum à dæmone liberauit. Puerum Centurionis impotem factum ratione paralysis dissoluentis compagem omnium membrorum, reddidit domino suo sanum. Hæmorrhoissam fimbriam vestis suæ attingentem voti sui compotem fecit. Demum Iairi archisynagogi ædes ingressus filiam duodennem extinctam subitò suscitauit. Eo pacto nullum ferè prodigiorum genus præteriit, cuius experimentum non fecerit in illa nefanda ciuitate, præpedita tot & tantis piaculis, vt Christi curas saluti eius impensas repetito crimine præfocarit.

Quare vrbs Capharnaũ dicta fuerit ciuitas Christi.

Matth.9.

Luc.5.

Matth.9. Marc.5.

Luc.8. Quot misericordiæ suæ argumenta Christus ediderit in vrbe Capharnaũ.

Non ignobile est argumentum benignitatis Christi erga illam ciuitatem, vt non tantum erga Hebræos illic degentes se toties beneficum præstiterit influendo latices Euangelij, & tergendo ægritudines omnigenas; sed etiam hodie insignis enituit, quòd per internuntios rogatus ire in domum Gentilis hominis vt opitularetur seruo, non renuit, sed præueniens vota domini, qui supplex emendicabat opem, se accinxit ad auxilium suum citiùs erogandum.

SENSVS LITERALIS.

Historiam Centurionis, cuius puer Paralyticus sanatus est, præcipuè commendare misericordiam Christi.

CONIECTVRA II.

Ex Linguis.

Doctoris imprudentis facinus esse arbitror in recensione attributorum Dei, totum vni attributo dare; quasi verò attributa Dei sint dissita realiter, & non coirent omnia ad quæuis opera Dei, edita ad hoc vt opifex nobis omnibus innotescat. Verbi gratiâ affirmare Dei potentiam præualuisse in cura Paralytici hodierni, rem censeo extrà aleam, cùm vtrobique Christus omnipotens sit, eadémque potentia res etiam minimas operetur. Etsi superuacaneas arbitter illas quæstiones, quæ singulis quibusque attributis iniuriæ sunt, dum præeminentiam vni attribuunt cæteris ingloriam; tamen Doctoris industrij credo partes esse, explicare intentum Christi quale fuerit, quando aliquod insigne facinus exantlauit. Fidem meo effato facit illud elogium Christi. *Omnis Christi actio, nostra est instructio.* Vnde sic arguo. Christi actiones editæ sunt in hominum disciplinam. At nequit homo erudiri ex actione alterius, nisi constet de specie actionis

Attributa Dei omnia realiter concurrunt ad omne Dei opus.

Christi actiones omnes editæ ad nostram eruditionem.

eius

eius, sit bona necne. Hoc autem petit notitiam intentionis eius, à quo talis effluxit operatio: actiones enim specificantur à fine, quem sibi præstituit intentio hominis operantis. Ergo vt homo cautior sit meditando opera Christi, debet mentem eius seriò perscrutari.

Ex linguis.

Itaque è mea re est inuestigare, quid hodie Christus insinuare velit, quando rogatus opitulari seruo Centurionis ait: *Ego veniam & curabo eum.* Non cunctabor dicere meam sententiam. Noluit se omnipotentem ostendere, sed probare Deum misericordem. Fauet Hebræa Matthæi dialectus, qua Christus ait: Ego veniam & miserebor, & ignoscam, & sanabo. Sic ille וארפא

Hebræa.

אני אבא *ani abo veerpa. Ego veniam, & ignoscam.* וארפא *veerpa* vox est deducta à radice רפא *rapha*, quæ non tantùm significat sanare & mederi, sed & parcere, & remittere. Vnde Rabbi Kimchi in libro radicum explicans locum illum Isaiæ *Et conuertatur & sanem eum.* Sic explicat: *Conuertatur & sit ei venia:* ait enim pro sanitate esse ponendam veniam, quia textus Hebræus, à quo fluxit translatio nostra, sic habet ורפא לו *verapha lo*: id est, & venia sit illi. Cùm ergo rogatus Christus vt curaret, responderit se parciturum, nonne Dei misericordis edidit argumentum?

Isai. 6.

Syriaca.

Syrus interpres sic vertit ואסיפהי *vasiphi*, id est, salutem impertiar. Deducitur enim vox illa, à radice Syriaca אסא *asa*, id est, salutem attulit. Dum ergo Christus salutem ægro profitetur se conciliaturum, illam profectò intelligit, quam toti prosapiæ Adami venerat suo sanguine procurare. Salutem inquam animarum, qua stante parum aut nihil interest, an corpora benè valeant.

Christus antè sanauit animas quàm corpora.

Fuisse intentum Christi, sospitare animas ante corpora, liquet ex sanitate impertita alteri Paralytico commoranti in eadem vrbe, quam supra Capharnaum diximus. Accipe à Matthæo seriem veridicam rei gestæ. *Offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* In ea igitur cura intendit Christus se Deum misericordem omnibus indicare. Siquidem in remittente peccata diuinitas & misericordia coëunt.

Matth. 9

Græca.

Græca versio non abhorret à textibus Syriacis, & Hebræis, ita referens Christi effatum. Ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν. Ego veniens curabo eum. Verbum θεραπεύω quo vtitur textus, non solùm significat sanare, sed etiam perinde est ac indulgere, vt probat Gesnerus in Lexico suo traducens Xenophontem vsurpantem vocem illam, vt significet indulgere. Sic ille: Τὴν ἐμὴν ἡδονὴν θεραπεύω; id est, indulgeo meæ voluptati. Plutarchus in Lycurgo, verbo illo vtitur, vt ablutionem notet, ἐθεράπευσατε πόδας, pedes lauerat. Apud Platonem disertissimum Græcorum, θεραπεύω perinde est ac concilio. Hinc illa eius phrasis, θεραπεύειν τοὺς θεούς, conciliare Deos. Non ergo deuiabit ab intento Christi, qui has voces, Ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν, ita reddiderit, Ego indulgebo illi: ego eum lauabo ab iniquitate, quam contraxit: ego eum mihi conciliabo. adiicit & lingua Chaldæa suum suffragium; nam radix Hebræa; רפא *rapha*, quæ legitur apud Matthæum, desinens in aleph, quod grammatici vocant verbum de quiescentibus lamed aleph, apud Chaldæos desinit in he רפה *raphah*, & significat relaxare, & ab eo fonte deriuatur vox Chaldæa רפין *raphion* relaxatio, ita vt Christus Chaldaïcè locuturus diceret: ego relaxabo illi noxas, quibus obstrictus est. Sic linguæ omnes suum pendunt obsequium meo intento affirmanti, totam hanc historiam Centurionis esse recensitam, vt misericordia Christi Domini commendetur.

Plutarch. in Lycurgo.

Plato lib. 2. de Republ.

Chaldæa

Mens illa Christi edentis tot & tanta specimina misericordiæ suæ, magnam debet homini conciliare fiduciam, cùm recolit suarum miseriarum pondus equidem graue. Imò verò secus grauitas illa peccatorum nos vrgere debet ad aras misericordiæ Dei, cuius proprium est misereri semper, & parcere. Nec alio intento Deus sanxit prædicari hodiernam historiam, nisi vt iacentes in fæce suorum peccatorum ad deposcendam veniam hortaretur. Cùm enim isti Paralytico concesserit salutem animæ, cuius in precibus nulla fuit mentio; nemo inficiari debet eumdem benignitatis Patrem concessurum veniam piaculis, quorum remedium pœnitens anima postulabit.

SENSVS LITERALIS.

Sanitas impertita Paralytico suggerit misericordiam Dei pronam ad gratias.

CONIECTVRA III.

Ex Sanctis Patribvs.

Misericordia in homine habitum dicit, cuius actio formalis est miseratio, quæ suam dimensionem petit à quantitate miseriæ depulsæ; ita vt magna vel modica sit illa misericordia, quæ versatur circa ingentes vel exiles miserias. Etsi Deo non affingamus habitus illos accidentales, quibus accinguntur homines; & Angeli, indigi illis auxiliis, quia substantiæ eorum sunt impotes ad agendum citra accidentium obsequium. Quamuis, inquam, Deus non admittat hanc compagem substantiæ, & accidentis; tamen de eo balbutimus iuxta nostrum discurrendi modum, eiusque attributa recensemus, & appendimus ad trutinam indolis nostræ, quæ vno eodemque conceptu non concludit rerum disparium ideas omnes, quas Dei essentia parturit ad arbitrium suum, quando iudicat expedire. In eo sensu magnam dicimus Dei misericordiam, & insignem, quando non diluit modò miseriam pro qua consulitur, sed & vota excedit animæ supplicantis. Huius generis est illa miseratio hodierna, quam memini. Non enim Christus adfuit tantùm puero paralytico, vtramque corporis & animæ sanitatem impertiens, sed Centurionis fidem auxit, eumque ad Iudæorum opprobrium diuino suo eloquio ætati posteræ commendauit. Saluti serui Deus adiecit præconium domini, vt & nos prouocaret ad huius misericordiæ latices hauriendos.

Quid sit misericordia.

Misericordia exhibita puero Centurionis nostram debet fiduciam excitare.

Hanc misericordiæ Dei indolem beneficam, & pronam ad erogandas gratias vltra etiam cupidinem nostram, bellè enarrat Chrysostomus ita fatus: *Cur Dominus quod nusquam ante fecerat, hic peragit? Nam cùm vbique voluntati tantummodo supplicantium obtemperaret, hic etiam prosilit, & non curaturum se solùm, sed domum quoque Centurionis se profecturum pollicetur. Certè id ita facit, vt quanta sit Centurionis* fides

Chrysost. hom. 27. in Matth.

fidem perdiscamus: nisi enim ita fecisset, sed illico puerum sanasset, sincera illius feruensque fides ignota nobis fuisset. Idipsum etiam in Phœnissa muliere, quamuis contrario quodam modo perfecit. Hic enim non vocatus, vltrò se domum pollicetur profecturum, vt tu eximiam Centurionis fidem, & præcipuè humilitatem perdiscas; at verò in Phœnissa negauit se facturum quod petebat, & illam constanter iterum atque iterum petentem perplexam & dubiam facit. Cùm enim sapiens prudensque medicus sit, non ignorat contraria ex contrariis facile elicere. Ita hic vltrò se iterum offerendo, Centurionis; ibi verò prorogando, & quasi renuendo, mulieris fidem cunctis apperuit.

Quare Christus adeò se pronú ostendit ad curandum puerum Centurionis.

Deus vota supplicum excedit suis beneficiis.

Cùm ergo Deus elargiendo sua liberali manu excurrat vltra desideria postulantium; nonne par est cum Dauide prædicare miserationes eius esse supra omnia opera eius? ac proinde confidenter esse conueniendam illam misericordiam, quæ non cunctatur in audiendis precibus, sed præuenit erogando. Textus ille, quem decurro, meam abundè adstruit sententiam, quandoquidem Christus, non se medicum tantùm præstat serui decumbentis, sed & dominum laudat, ob fidem quam ipsemet ei largiùs impertiuit. Quid Centurionem commemoro? cùm nemo nostrûm plura expertus sit beneficia, quàm ausus vnquam esset cupidus expectare. Eadem omnes vehimur naue, qua olim Augustinus, cuius hæc est celebris gratiarum Dei commemoratio. *Septem video in me misericordias Domini, quas & vos ipsi facilè in vobis inuenietis. Prima est, quòd à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodiuit. Prima quidem non inter omnes, quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quòd sicut in multa cecidi; sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas me conseruasset? Fateor & fatebor, nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Secunda miseratio, qua non poterit explicari sermone, quàm benigna, quàm libera, quàm gratuita; ego peccabam, & tu dissimulabas; non continebam à sceleribus, & tu abstinebas à verberibus; prolongabam ego multo tempore iniquitatem, & tu Domine pietatem tuam. Tertia quod visitauit cor meum, & inuitauit, vt amara fierent, quæ malè dulcia priùs erant. Quarta quòd pœnitentem misericorditer suscepisti, vt in eorum numero inuenirer, de quibus Psalmus ait: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Quinta, per quam mihi continendi deinceps, & emendatius viuendi præstitisti virtutem, ne recidiuam paterer, & esset nouissimus error peior. Postquam in his quinque miserationibus à malo liberaueris, in duabus aliis bona largieris. Hæ duæ sunt, gratia promouendi, quia videlicet munus bonæ conuersationis indulges: & spes obtinendi, quæ donas homini indigno, & peccatori de tua potius experta bonitate vsque ad cælestia speranda præsumere.*

August. serm. 88.

Quam numerosæ sint miserationes Dei circa nos explicitæ, luculenter hic recenset Augustinus.

Pace Augustini dixerim. Si singuli quique hominum alto sese explorent scrutinio, non septem tantùm misericordias recensebunt, sed deprehendent, miserationum Dei nullum prorsus esse numerum, nosque non posse gratiarum Dei gazas diuites exhaurire. Hæc igitur esto summa sensus istius literalis: scilicet Deum in contextu rerum gestarum à Centurione voluisse nobis insinuari misericordiam suam, vt & nos malè nobis conscij illam etiam nobis conciliare impigrè satagamus.

Misericordia Dei nemi-nem prorsus excipit.

SENSVS LITERALIS.

Perfectæ fidei signa petuntur, à professione eiusdem fidei, & bonis operibus, exemplo Centurionis, qui sic vidit Christum.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.

§. II.

NE in alienam messem suam falcem mittat iste literalis sensus, quem prætendit textus ille diffusè obiectus in titulo, dispescendæ sunt materiæ expediendæ suis locis, ne positæ extra suos cancellos facessant negotium illis, qui me consulent, laborantes indagini multiplicis sensus, Euangelij cortice recôditi. Primò proposita thesis me obstringit ad probâdum, perfectam fidem stipari debere bonis operibus, & professione externa eiusdê fidei. Sed quia hanc ancipitê fecere thesim hæretici, agito luculenter infra, in explicatione orthodoxa Euangelij huius, vbi hanc conclusionem probo viis omnibus, quæ conciliare possunt assensum intellectus, nequicquam hæresi constrepente. Rursus, tota illa historia Centurionis prostrati ad pedes Christi, & profitentis se indignum ea qua Christus illum dignabatur gratia, locuples argumentum suggerit explicandi, qua cautela homo sese debeat accingere ad hoc vt compos fiat gratiarum, quas Deus hominibus benè sibi consciis elargitur. Prædiues illa materia meum stylum acuit infra dum expendo sensum moralem, quem decurro multifariàm, petito lumine à variis scientiis ad illustrandam illam expositionem moralem, congruè ad conciones illustrandas. Potuissent equidem illæ omnes materiæ pertinere etiam ad sensum literalem; sed ne spatiaretur oratio, refudi illas conclusiones in alios titulos, ne indigesta moles rerum coëuntium ingrata foret, nauseam fortè animo paritura.

Synopsis sensuum, quos suggerit ille versus Euangelij titulo inscriptus.

Vt ergo sensus literalis Euangelij huius seorsim exponatur: Dico, Euangelistam Centurionis exemplo voluisse dare specimen perfectæ fidei, cuius argumenta petuntur à serie rei gestæ, quam literaliter enucleare negotium est istius paragraphi, quem auspicabor à conditione Centurionis, de quo ambigitur an fuerit alienigena, Romanus videlicet an Iudæus. Ratio dubitandi non gratis affingitur, ait enim Hilarius eum fuisse Israëlitam. Hilarij autem fides quanta fuerit apud sanctos etiam Scripturæ sanctioris interpretes patet ex S. Hieronymo, tantùm deferenti Hilario quantùm deferri potest, vt hæc eius verba sonant:

Hilarij auctoritas quanti ponderis fuerit apud Sanctos Ecclesiæ doctores.

Athanasij

Hieron. epist. 7 ad Latam.

Athanasij epistolas, & Hilarij libros inoffenso decurrat pede, illorum tractatibus, illorum delectetur ingenijs, in quorum libris pietas fidei non vacillet: cæteros sic legat, vt magis iudicet quàm sequatur. Quanti etiã momenti sit ille expendens diuina oracula, probat Augustinus, in eius gratiam ita fatus: *Non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum & assertione fidei vir extitit Hilarius.* Cùm ergo ille Doctor emeritus affirmet Centurionem fuisse Israëlitam, mearum est partium inuestigare quid magis sit hìc rationi consentaneum. Sic ille: *Non erat tribunus iste de Gentibus: & quomodo in Israel fides talis non est reperta, cum qui crederet esset Israëlita?* Huic opinioni suffragatur institutum Hebræorum, apud quos erant etiam castra disposita more Romanorum. Nempe exeuntes de Ægypto Israëlitæ diuisi sunt per Decanos, Quinquagenarios, Centuriones, & Tribunos. Eadem etiam militari disciplina, suis Dauid agminibus cauit constituens Cẽturiones, & Tribunos. Scriptura etiã sacra commemorat Iosaphat habuisse Centuriones, & Ioiadam sacerdotem stipatum fuisse Centurionibus, quando inaugurauit Regem Ioam. Vnde probabile est viguisse adhuc tempore Christi illas militiæ præfecturas. Accedit illa eius cum Iudæis conuersatio familiaris, imò & in eadem Synagoga cohabitatio, quomodo enim ille Synagogam suis sumptibus erexisset, si coui Iudæis minimè voluisset? Hic enim Centurio idem est, de quo meminit Lucas dicens seniores Iudæorum ab eo Centurione missos, qui meritorum eius istam fecere mentionem: *Dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Quasi dicerent: Ille homo Iudæus est, & adeò suæ gentis ritibus adstrictus, vt etiam ære suo ædes illas erexerit, ad quas conuenire solemus vt vacemus Verbo Dei.

August. l. 6. de Trinit. c. 10.

Hilarius can. 7 in Matth.

Exod. 18. Deuteron. 1. 2. Reg. 18. 1. Paral. 17. 18. 2. Paral. 23.

Argumenta quæ suadent Centurionẽ non fuisse Gentilem.

Luc. 7.

Tamen in confesso est apud omnes, Centurionem illum fuisse Gentilem, & Ethnicum nescium prorsus rituum Hebræorum; sed virum minimè malum, & aliqua virtutum moralium praxi tinctum. Fuisse Centurionem alienigenam insinuat illa legatio celebris, qua ad Christum misit seniores Iudæorum, tanquam potestatem habens & ius in Iudæos veluti præpositus vrbi Metropoli Galilææ. Erat enim Capharnaum vrbs inclyta valido Romanorum præsidio munita, vt inde toti prouinciæ Romani milites imminerent. Romanis illic in statione positis præerat Centurio, etiam & ipse Romanus, licet veluti probus æquior esset Hebræis, vtpote probans eorum ritus, à quibus erat religione dissita penitus alienus. Vnde hominis ethnici indolem Iudæi recensentes dixerunt, eum amare gentem Hebræam, etsi Gentilis esset ab ortu suo; alioquin absurda foret laus hæc in homine Hebræo, quod Hebræorum gentem amaret: nemo namque Hebræa gente satus adeò degener extitit, vt exosum habuerit genus suum. Adice Christum comparando fidem eius cum illa Hebræorum dixisse, aliam omnem populi Hebræi fidem esse imparem illi, & sic ostendisse eum esse peregrinum. Nempe si tantam fidem non inuenit in Israël, ille non erat ex eorum tribu.

Centurionẽ fuisse Gentilẽ sanior est sententia subiectis rationibus cõfirmata.

Præterea accipe rationem à nemine adhuc editam. Galilæa prouincia erat Palæstinæ fœcundissima, celebris ob decem ciuitates, quibus coaluit aliquando regio decapoleos. In his ciuitatibus primas occupabat Capharnaum, vtpote ditissima, & bello, & pace instructissima. Cùm ergo Iudæi excidissent libertate sua, & sub iugum missi à Romanis ægrè admodum eis deseruirent, non est fas credere Romanos, qui habebant suspectam fidem Hebræorum, voluisse Centurioni Hebræo committere præsidium vrbis celeberrimæ, cuius defectio à Romanis, totius prouinciæ facta in exemplum, alias etiam ciuitates Romano Imperio subtraxisset. Vt ergo non nutaret Hebræorum fides, cauit Imperator Tiberius, vt in Iudæam decernerentur Gentiles, vt videre est in Pilato, qui & ipse Præses erat Ierosolymis.

Noua auctoris ratio probans Centurionem non fuisse natione Hebræũ.

Quare Tiberius Imperator in Iudæã direxerit Duces & Præfectos Gẽtiles.

Denique Christus dicens multos venturos ab Oriente, & Occidente, vt recumbant cum Abraham, & fore vt filij regni eiicientur foras, liquidò ostendit, istum Centurionem esse de Gentibus, quas venturas ab Occidente ait Christus; erat enim Romanus hic Centurio. Est autem Roma Occidentalis respectu Ierosolymæ, quæ magis ad Orientem vergit. Ergo cùm Iudæos intelligat filios regni, profectò Centurio non fuit Iudæus, quia de eo explicitè ait Christus, multos venturos ab Oriente, & Occidente, vt cum Abrahamo gestirent, exauthoratis aliis, qui suorum natalium immemores insulis exciderunt.

Præfatis rationibus obstetricantur Sancti Patres, suo suffragio adstruentes, eum hominem fuisse Gentilem. Ita Chrysostomus: *Ex genere Iudæorum non fuisse Centurionem, tum à nomine ipso, vocabuloque Centurionis perspicuum est, tum etiam, quia dictum est: Neque in Israel tantam fidem inueni.* Concinit Augustinus, simili ferè argumento ductus, vt videre est hac eius sententia. *Erat iste de Gentibus: erat quippe Centurio. Iam Iudea gens habebat militem: habebat Romanum Imperium.*

Ex SS. PATRIBVS.

Chrysost. hom. 23 in Euang.

August. ser. 6. de verb. Dom.

Si scrupulum mouet Hilarius, vtpote magni nominis interpres affirmans eum fuisse Israëlitam; Respondeo Hilarium hoc dixisse attendendo ad fidem, & non ad personam, & hoc nemo aduertit: nimirum omnes ante me interpretes Hilarium credidere esse in ea sententia, Centurionem fuisse Hebræum, quia dixit eum qui credidit esse Israëlitam. Nomen Israëlita bifariàm accipitur; spiritualiter scilicet, & carnaliter. Iudæi sanguine Israëlitico sati, sunt Israëlitæ secundùm carnem; sed illi, quos Iudæi finxerant sua disciplina ingerentes notitiam Dei veri, & eos inducentes in meliorem frugem, hi inquam fuere spiritualiter Israëlitæ nuncupati. In eo sensu Christus indigitans Nathanaëlem ait: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Quamuis enim Nathanaël natione Israëlita esset; magis tamen attendit Christus ad mores, & fidem eius, quàm ad proauos. Ita Hilarius Centurionem dixit Israëlitam, quia de Deo aliter sentiebat, quàm Gentiles, sed eo planè modo, quo Israëlitæ; imò fidem nobiliorem professus est, ipso etiam Christo assertore. Me benè assecutum fuisse mentem Hilarij, probat ipse textus Hilarij, vbi in eadem pagina asserit fuisse Centurionem Gentilem. Sic ille: *De tribuno posuisse me satis sit, principem Gentium esse crediturarum.* Si princeps Gentium, ergo non Iudæus. Sed quomodo Gentilis, & Israëlita; nam vtrumque eodem canone scribit Hilarius. Præstò sum dubiæ quæstioni. Vtrumque fuit Centurio, Hebræus, & Gentilis. Gentilis ortu, vtpote Romano ortus sanguine, sed moribus & fide Israëlita.

Nomen Israëlitæ duobus modis accipitur.

Ioan. 1.

Hilar. can. 8.

Quomodo Centurio fuerit Gentilis, & Israelita.

Fides

Centurionis mores probi. Fidei suæ argumenta prius ediderat componendo mores suos eo modo, vt Iudæi luculentum de eo testimonium præbuerint, & vt credere fas est, nisi homo ille extitisset vitiorum expers, non adhibuisset familiares sibi seniores Iudæorum, quos sanè censores asperos habuisset, si fuisset vitiorum aspergine conspurcatus. Procul erat ab immodica auri cupidine, quæ plerumque solicitat præfectos militiæ in statione positos, vt pleraque exigant à ciuibus per fas, & per nefas. Iste verò secus, de proprio suo penu Synagogam erexerat in gratiam Iudæorum; vtque indiuiduo nexu coëunt virtutes omnes facturæ chorum, Centurionis animus in bonum pronus, pietatis suæ comites alias virtutes habuit, quarum agmine freti seniores Iudæorum Christum vrgebant, vt se propitium præstaret huic homini benefico, cui sic benè aptato ad influxum gratiarum Dei, fidei lumen illuxit, cuius obsequio Deum veluti peruium habuit licet abditum humani corporis inuolucris. Et ne tacita fides infusa reum efficeret, ipse palàm Deum in Christo confessus est, parum arbitratus dignari Christum nobili legatione Iudæorum & procerum Synagogæ, si non & ipse in tesseram fidei suæ fuisset Christi pedibus aduolutus, factus præco deitatis absconditæ, cuius ipsemet indubia senserat argumenta.

Centurionis probitas cum aptauit Deo cooperante ad fidei illapsum.

SENSVS LITERALIS.

Non per internuntios tantùm, sed & ipse Centurio coram positus, Christum Deum professus est.

In hæc verba:

Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

§. III.

CONIECTVRA I.

Ex Ratione.

REm mihi luci meridianæ simillimam, fecere aliis opacam Doctores haudquaquam ignobiles, scilicet Abulensis & Maldonatus, freti testimonio Augustini. Hi qua ratione possunt id contendunt; nimirum vt probent Centurionem tantùm per internuntios accessisse ad Christum, eo prorsus insalutato: quodque magis exoticum censeo, Abulensis & Maldonatus aliam opinionem explodunt, quasi peregrinam, & longè ab intento Scripturæ sanctioris. Absit inuidia dicto, illorum sententia nimis iniuria est nostræ, quam adstruam multifariàm, & ostendam præponderare alteri, & testimonio Sanctorum Patrum, & ratione, & oraculis Hebræis, Syriacis, & Græcis. Esto igitur hoc veridicum effatum. Centurio seipso Christum adiit, missis paulò ante senioribus Iudæorum, aliisque subinde necessariis, honoris causâ, quos ipse subsecutus, ea omnia miscuit colloquia cum Christo, quæ commemorat noster Euangelij textus.

Quare displiceat sententia Abulensis & Maldonati negans Centurionem personaliter ad Christum accessisse.

Vt liquidior sit ista conclusio ab aliis improbata, nota scribas rerum gestarum à Christo, ita contexuisse illam historiam, vt ab vno breuiter perstricta, suppleantur ab alio, ita tamen, vt neuter alterius fidem destruat, sed concordi stylo seriem totam rerum graphicè omnes æquè delineent. Rursus hoc est etiam prælibandum, scilicet Euangelium esse ad literam explicandum, vbi miracula describuntur: siquidem historia nullos patitur tropos, debetque ad literam conciliare sibi fidem lectorum, quando nihil obstat quominus accipiatur litera congruè vt sonat. Adeoque verus est iste canon interpretandi Scripturas sacras historicas, vt si reuocetur in dubium, & liceat dubitare de genuino sensu literali historiæ, inducendo figuratiuos loquendi modos, necesse sit facere ancipites omnes historias, quia quisque ad arbitrium suum schemata sibi finget abdita cortice literali.

Auctoris sententia de Centurionis accessu ad Christum.

Scriptura sacra debet literaliter intelligi vbi res est historica.

Hoc fundamine posito, necesse est Centurionem conuenisse Christum, cui fidenter exposuit iniquam serui sortem, vt dubiam eius salutem opportuna gratia reuocaret. Præterea cùm Centurio angeretur magna solicitudine succurrendi domestico decumbenti, illa eius anxietas exigebat vt omnem moueret lapidem in gratiam reducis sanitatis. Ergo se accinxit Centurio vt adiret Christum, quem audierat ægris propitium, exemplo leprosi, quem tunc mundauerat, famâ prodigij huius permeante totam ciuitatem. Vnde cùm nemo alij committat rem sibi maximè cordi, quam seipso melius consummare potest; non amantissimi domini partes egisset Centurio, si patronos adhibuisset tantùm, qui solicitarent Christum, quem poterat ipse validè perurgere. Adiice, ad amorem, quo deperibat illum suum seruum charissimum, accessisse fidem, quam de Christo conceperat. Vnde, cùm gratia Spiritus Sancti nesciat tardat molimina, non potuit cohibere motus, qui eum ad conueniendum Dominum inducebant. Nec obstat Abulensis, & Maldonati instantia, Lucam dicere Centurionem misisse seniores Iudæorum, & postea amicos, qui suo nomine exorarent. Conclusio nostra nullam inde iacturam patitur, imò lucidior hinc fit, & mihi suffragatur in eo quod sentio Centurionem omnia obiisse munia, quæ sibi conciliare poterant Christum, ad quem decernens primores Synagogæ, aliosque Gentiles amicos suos, quos subinde misit segregatos à Iudæis; suo profectò muneri defuisset, si & suas non egisset partes explicando sua vota Christo, quæ aliis proponenda commiserat.

Centurio personaliter accessit ad Christum, vt validis rationibus adstruitur.

Diluitur instantia Abulensis, & Maldonati.

Demum accurata descriptio sermonum, quos habuit ille cum Christo, satis superque probat illum adiisse Christum, qui proculdubio non miratus fuisset fidem Centurionis, nec eam aliis proposuisset in exemplum, si eam auditores non coram aspexissent. Et hoc præpotens credo esse argumentum, & fulcrum meæ opinionis, videlicet voluisse proponere Centurionis fidem, & eam extollere ad dedecus Hebræorum, & vt æmulatores haberet discipulos. Igitur operæpretium fuit, vt de hac fide præcipua & sincera constaret præsentibus. Nesciissent autem fidem illam Centurionis omnes qui adstabant Christo, si non adfuisset Centurio: nam amicorum eius testimonium suspicionem adulationis aut erroris fecisset adstātibus, qui iure dubias fecissent laudes decantatas ab hominibus cōductis ad hæc encomia celebrāda. Et licet Christo nihil omnino inuiū esset, sed

Christi laudes in gratiam Centurionis arguunt eius præsentiam.

Siccera fidei protestio non fit ab absente.

sed omnia aperta liquerent illi; tamen hic Dominus prudens non miratus esset fidem in hac magna frequentia hominum, si non adfuisset ipse Centurio, cuius oratio explicans indignitatem suam, & illa ingeniosa professio omnipotentiæ Dei, similitudine petita à potestate præfecti militum, ad cuius nutum omnes obediunt, reuera pellexere Christum vt miraretur hominem de Gentili factum non Theologiæ modò candidatum, sed Doctorem eximium, Hebræis etiam legisperitis sua dogmata proponentem.

Rimare amabò, lector, & perpende meas rationes, & vide an non incongruum sit proponere hominem in exemplum fidei, quæ præibat aliis, si nulla edidisset argumenta suæ fidei alia ab his quæ recensebant amici eius, ideo suspecti, quia amici, & eo nomine conducti fortè vt suis præconiis hominem extollerent, & mutuatitiis laudibus imponerent adstantibus, qui dubia facientes illa præconia de homine absente, non in eo habuissent exemplum efficax ad credendum, cùm fidei tessera necessaria ad hoc vt quis agnoscatur fidelis, sit professio resonans ore ipsius Dominum confitentis.

Fauet adhuc meo intento ille discursus Christi, captata occasione præsentiæ Centurionis, qui venerat sua redditurus obsequia. Sic ille: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico enim vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Præscius Christus ait multos venturos ad se conscribendos numero fidelium. Ergo cùm illi homines venturi ad Christum reuera venturi essent, & daturi nomen suum Christo, liquet Centurionem etiam sese dedisse in conspectum, & pronum ad pedes Christi ei dedisse manus; quia cum Christus ait habiturum plures sequaces fidei suæ: non autem sequaces essent eius fidei homines illi venturi ad Christum, si non ipse adiisset Christum, qui profectò nobilibus elogiis non affecisset Centurionem illum, si hiulca fides eius innotuisset tantùm relatione hominum amicorum.

Matth. 8. Quomodo Lucas intelligendus sit dicens Centurionem misisse ad Christum seniores & amicos.

Non itaque facessat negotium Lucas dicens misisse seniores Iudæorum, & postea amicos: nam hæc delegatio non destruit fidem meæ thesis; sed magis adstruit explicando minutias historiæ huius, quæ sic debet intelligi, vt credatur hic tribunus duas fecisse turbas præuias accessui ad Christum. Præmisit Iudæos, arbitratus eos fore gratos Christo, vtpote contribules eius. His subiecit familiares sibi homines fortè Gentiles & Romanos, præcipuos scilicet huius præsidij, vt sic ampliori honore dignaretur Christum, cuius captare volebat gratiam, desuper illustratus. Non inficior hos legatos explicasse quidem Christo vota hominis illius anxij, qui vt audiit Christum pergere ad domum suam, confestim obuius occurrit illi, commendans sanitatem serui, cuius gratiâ seniores Iudæorum sese importunos ei præstiterunt. Ter igitur substitit. Primò quando occurrerunt seniores Iudæorum. Secundò quando obuij facti sunt amici. Tertiò quando ipse Centurio velut impos sui præ gaudio & reuerentia procidit ad pedes Christi, professurus huius fidem & omnipotentiam, nec quicquam Hebræo populo reluctante.

Quare Centurio ante accessum suū præmiserit seniores Iudæorum.

Abulensis in Matt. 8. q. 27.

Abulensis opponit textum istum Euangelij: *Reuersi, qui fuerant missi, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.* Vnde mordicus infert Centurionem non vidisse prorsus Christum, quia dixisset textus Centurionem reuersum in domum suam, reperisse seruum sanum. Respondeo, Matthæum & Lucam conuenire in essentialibus huius prodigij; at Matthæum occupari in his, quæ personaliter acta sunt inter Christum & Centurionem, quem explicitis verbis ait alloquutum esse Christum, & vtriusque colloquentis ipsissima verba refert. De Luca verò dispar est ratio: nam ille omissâ à Matthæo diligenter enucleat, ideoque commemorans fuisse missos internuntios, notat eorum etiam reditum in domum, non negando tamen Centurionem processisse obuiam Christo.

Instantia Abulensis diruitur.

Quomodo Lucas & Matthæus concordes sint in recensione historiæ Centurionis.

SENSVS LITERALIS.

Quomodo rursus constat Centurionem personaliter adiisse Dominum Iesum Christum.

In hæc verba:

Et respondens Centurio ait.

CONIECTVRA II.

Ex Linguis.

NOn gratis & incongruè historia comparatur cum speculo, cuius est ingenuè referre ideas rerum obuiarum. Cùm ergo historia sacra maximè sit veridica, nihil omnino in ea vacabit, sed omnia sonora erunt atque vocalia: ideóque certissimum est ex illa sacra serie rerum gestarum à Christo, Centurionem vidisse Dominum, & ambos fuisse simul collocutos. Quippe citra tropos vllos debet intelligi hic contextus, duas tantùm personas inducens sibi mutuo respondentes. *Accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus.* Illa interlocutio realem & personalem præsentiam Centurionis insinuat: Matthæus enim ait ipsum Centurionem accessisse ad Christum, & Dominum illi respondisse, & non iis qui missi fuerant, & omnes textus referunt responsionem Christi ad Centurionem vt præsentem, qui etiam sicut par erat respondit Christo, vt coràm posito. Quippe Hebræa phrasis ipsum Centurionem insinuat respondentem Christo dicenti: *Ego veniam, & curabo eum.* Sic enim Hebræa sonant ויען שר מאה ויאמר *vaiangan sar meha vaiomer. Et respondit Centurio, & dixit.* Vox illa, *respondit*, indicat præsentiam hominis, cuius absentia eum fecisset impotem respondere Christo. Vbi autem agitur de loquela Christi, hanc historiam dirigit personaliter ad Centurionem, & non ad internuntios. Ita Syrus interpres ישוע לה אמר *emar leah ieschuang. Dixit illi Iesus.* Profectò si totum istud negotium esset gestum cum legatis, Christus eis respondisset, & non homini absenti. Græca etiam versio illum dialogum Christi & Centurionis enuntiat hoc tenore. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος ἔφη. *Et ait illi Iesus: Ego veniens curabo eum. Et respondens Centurio ait.*

Historia quare comparetur speculo.

Ex linguis.

Hebræa.

Syriaca.

Græca.

Nota,

Nota, Christum non respondisse Ioanni Baptistæ in singulari, quando misit discipulos vt resciret an ipse esset rerum Dominus, & Redemptor. Idem scriba facet, scilicet Matthæus, tem enarrat hoc tenore: *Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi; mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis.*

Matth. 6.

Valida auctoris ratio, ad astruendū accessum personalem Centurionis ad Christum.

Etsi discipuli præcursoris interrogarent Christum nomine Ioannis, vsurpantes easdem voces, quibus ipse Ioannes affatus fuisset Christum, si coram adstitisset; Christus tamen non Ioanni respondit, vt præsenti, quia procul erat, sed internuntiis verba dedit, quæ referrent suo præceptori, respondens illi in plurali, & non in singulari. Ergo cùm Matthæus, scriba vtriusque historiæ, tam accuratè reddiderit verba Christi loquentis in plurali nuntiis sui præcursoris; & verba retulerit in singulari quando incidit mentio Centurionis, profectò res est indubia, eum accessisse ad Christum, vt sonant verba illa: *Et ait illi Iesus.* Nam si libera fiat copia vnicuique ad interpretandum textum sacrum, adhibitis illis distinctionibus per se, vel per alium, certitudo ruet Scripturæ sanctioris. Exempli gratiâ ea quæ enarrantur de Christo explicabuntur de Apostolis, dicendo Christum fuisse visum ministerio discipulorum, quos misit binos in omnem ciuitatem, quò erat ipse postmodum appulsurus.

Regula certa obseruanda ad intellectū sensus literalis historiæ sacræ.

Ne ergo facultas libera errandi prostet iis, qui decurrunt textum sacrum, id animo insideat: scilicet sacras historias esse intelligendas omnino vt sonant, nisi aliquid obstet, quod hyperbolen sonat: vt quando dicitur exercitus Philistinorum numerosus sicut arena maris, illud non præcisè sumendum est neque mathematicè, sed in ordine ad intentum historiæ, quæ vult significare copiosas acies. Ergo cùm Matthæus dicat Centurionem accessisse ad Christum, & Lucas adiiciat eum misisse ad Iesum seniores Iudæorum, & vtrobique veritas reperiri possit, dicendo eum misisse seniores, & amicos, & postea eum agmen clausisse occurrendo Christo, nonne est quærere nodum in scyrpo, totam historiæ fidem reponere penes vnum, vt alteri penitus adimatur? Itaque rata sit mea conclusio de occursu personali Centurionis euntis obuiam Christo, qui eum vt præsentem non esset affatus, nec fidem eius adeò extulisset, si præsentiâ locali distitus abfuisset.

SENSVS LITERALIS.

Idem Christi & Centurionis concursus adstruitur.

In hæc verba:

Et respondens Centurio ait.

CONIECTVRA III.

Ex Sanctis Patribvs.

Ex SS. Patribvs.

NOn adeò peregrina est mea sententia, vt careat suffragio Sanctorum Patrum, ex quorum choro in nos processit Augustinus, non reprobans conclusionem meam, sed indicans quomodo possit altera sustineri. Non itaque negat Augustinus ex professo, Centurionem personaliter accessisse ad Christum, sed sua industria interposita ostendit concordes esse Euangelistas in suo loquendi tropo. Sic ille: *Non absurdè Mattheus, etiam quod vulgo possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit: Accessit ad eum Centurio. Verumtamen non negligenter intuenda est etiam sancti Euangelistæ altitudo mysticæ locutionis, secundùm quod scriptum est in Psalmo: Accedite ad eum & illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, quâ verè acceditur ad Iesum, ipse ita laudauit, vt diceret: Non inueni tantam fidem in Israel: ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Euangelista, quàm illos, per quos verba sua miserat.* Hæc ille.

August. l. 2. de consensu Euangel. star. c. 20. Non negat Augustinus Centurionē accessisse per se, sed ostendit quomodo concordēt Lucas, & Matthæus.

Nota, Augustinum ex suppositione tantùm hæc dicere: nam liber ille inscriptus de consensu Euangelistarum eo tantùm fine editus est, vt ostendat Augustinus nihil esse dissonum in Euangelio; & supposito quòd Centurio non viderit Christum, posse etiam esse veracem historiam à Matthæo recensitam, quia fide accedimus ad Deum. In re opaca lumen perspicuum subministrat Chrysostomus dicens, Centurionem voluisse rectâ ire ad Christum, vt eum consuleret in gratiam serui decumbentis; sed Iudæos in assentationem compositos obstitisse, pollicentes se suasores fore opportunos ad hoc vt Christus annueret votis eius, ac proinde Centurionem quasi prohibitum à Iudæis domi aliquantulum remansisse. Vnde alios misit, qui suarum moratum redderent rationem, & dicerent non sua culpa cunctatum esse in reddendis obsequiis, sed illud omnino dandum indignitati, cuius cùm esset maximè sibi conscius, orabat ne Christus vltro pergeret. Adiicit idem, Centurionem hos postremos nuntios assecutum, venisse ad Christum, cui & omnia recensita à Iudæis ipse repetiit coràm positus, & se dans in conspectum Christi. Ita Chrysostomus: *Verisimile mihi videtur, cùm voluisset ad Iesum proficisci Centurio, detentum à Iudæis fuisse, qui ei assentarentur, atque dicerent: Nos ibimus, & adducemus ipsum. Quod ita esse perspicies, si plenam assentationibus orationem eorum deligentiùs considerabis. Diligit enim aiunt gentem, & Synagogam ædificauit nobis. Neque vident vnde Centurionem commendent. Nam cùm dicere opportuisset, voluisse quidem ipsum venire, & rogare, sed nos causam eius, & calamitatis magnitudinem considerantes, vt domi manere vellet suasimus, ne magnam illius esse fidem ostenderent, atque hinc celsitudo Domini, Centurionis iudicio celsitudo Dei esse videretur, virtutem eius, animum, & fidem in Iesum propter inuidiam celare maluerunt, &c. Verum is qui occulta cordium nouit, Centurionis fidem etiam inuitis patefecit, quod vt verum ipsum credas, Lucam quæso rursus audias illum declarantem, ait enim, quia non longè distante eo misit dicens: Domine non vexeris; non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres. Vnde patet illum, quando à Iudæorum molestia liber fuit, tunc misisse qui dicerent: non negligentia factum quod illico non accesserit, sed potius quia indignum se putauit qui Dominum sua domi reciperet.* Deinde totam dirimens litem nostram ille Præsul, sic nostras tuetur partes ita fatus: *Non est absurdum missos esse primo aliquos, qui illud dicerent; deinde quoque ipsum accessisse, ac per se iterum eadem dixisse.*

Chrysost. hom. 27. in Matth.

Ex Chrysostomo, Centurio personaliter accessit ad Christum.

In eadem Chrysostomi sententia sunt Theophilactus & Euthymius, arbitrati verba illa Christi

Theophil. Euthymius in 8. Matth.

Christi & Centurionis esse intelligenda prout sonant. Et profectò si Centurio abfuisset, Matthęus istam non conclusisset historiam isto epilogo: *Dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi.* Frustra enim Dominus vt præsentem compellaret Centurionem, si non exiisset extra septa domus. Adiice & hoc pertinere ad magnitudinem fidei eius, quam vt profiteretur, operæpretium fuit vt se in conspectum daret, & edito fidei suæ præclaro specimine, Iudæorum perfidiam Gentilis homo suo hoc obsequio Deo præstito condemnaret.

Euthymius in c. 8. Matth. Egregiè ab Euthymio conciliantur Matthæus, & Lucas & probatur personalis accessus Centurionis ad Christum.

Pulchrè Euthymius conciliat vtrumque Euangelistam, meam calculo suo stabiliens sententiam hoc sermone: *Quòd Matthæus dixit accessisse Centurionem ad Christum, Lucas verò misisse ad ipsum seniores deprecantes ipsum, vt veniret. Deinde sciens eum venire, & sese indignum iudicans eius susceptione, rursum amicos misit, prohibens ne veniret, ac significans, quæ dixit Lucas. Postmodum cum paralyticus vehementiùs dissolueretur, doloribus (etenim sicut Lucas dixit, erat iam, iamque moriturus) non ferens Centurio, cucurrit & ipse post amicos, sperans per seipsum obnixiùs se deprecaturum. Postquam autem amici nuntiauerunt quæ eis præceperat, dum responderet Christus quæ scripsit Lucas, statim superuenit Centurio, & priusquam amicis occurrisset, viso Christo, feruore accensus est, & rursus quasi ab exordio obsecrabat eum, dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus; &c. Deinde Christus volens ampliùs manifestari fidem eius respondit: Ego veniam, & curabo eum. Rursum subintulit Centurio: Domine non sum dignus, vt sub tectum meum intres, & alia quæ sequuntur veluti Matthæus scripsit. Manifestum est ergo, quòd ea quæ contigerunt priusquam veniret Centurio, scripserit Lucas, & inde Matthæus quæ sequuta sunt docuerit: nam & in his, & in illis fides monstratur Centurionis, ac miraculi operatio à Iesu facta. Quòd autem Lucas dixit, quòd reuersi, qui missi fuerant, inuenerunt ægrotantem seruum sanitati restitutum; perpendere oportet, quòd Centurio certus iã de salute illius, tardior ac securior reuertebatur: illi autem difficulter credentes, præcucurrerunt, scire cupientes an sanus esset.* Hæc ille; quem si adiicias Chrysostomo, & textui literali Euangelij quod expendo, scilicet Matthæi, habebis argumentum admirandi, quare quidam interpretes adeò tenaciter negent Centurionem accessisse ad Christũ, cum inde fides eius maximè cõmendetur.

SENSVS LITERALIS.

An reuera Christus miratus sit fidem Centurionis, & quænam fuerint illi admirationis argumenta.

In hæc verba:

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est.

§. IV.

Tametsi in his quæ pertinent ad Scripturam sacram sententia Sanctiorum Patrum disco-lor esse videatur; vnanimes tamen sunt omnes interpretes in argumento fidei, & plerumque dum versant textum sacrum, prætereunt literalem sensum taciti, vt diuertant ad moralem, vtpote magis idoneum moribus excolendis. Hinc fit vt pletique non rimantes animum Sanctorum Patrum, non assecuti sint eorum mentem, citantes eorum textum. In his est Maldonatus, alioquin sagax, & altæ scientiæ, qui negat Christum verè admiratum fuisse, quasi indecorum esset Christo affingere admirationem. Laudat ille Augustinum vt eius calculo conciliet fidem suæ sententiæ. Sed quia censeo Christum verè admiratum fuisse, & admirationis compotem extitisse, antequam meam adstruam sententiam, propitios etiam volo mihi facere Sanctos Patres, quorum ego tanti facio sententias, quanti vnquam alius. Hoc igitur est aduertendum in lectione Patrum, illos dum decurrunt aliquem textum Scripturæ, plerumque attendere potius ad mores informandos, quam ad sensum literalem exponendum. Huius generis sunt sentẽtiæ Augustini, quas proponit Maldonatus vt probet Christum non fuisse verè admiratum, sed simulasse admirationem. Ita Augustinus: *Quisquis miratur, secundùm consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum atque improuisum sibi esse significat, quod miratur. Sed Iesus, qui omnia præsciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat.* Ex eo loco infertur tantùm finis admirationis Christi, eo intento admirantis vt & homines ea mirarentur, quæ Christus crederet admiranda. Imò expressè ait Augustinus, Christum esse miratum, vt sua admiratione miranda commendaret. *Quod mirandum aliis commendabat, mirãdo laudabat.*

Maldonatus notatur inaduertentiæ referendo Patrum sententias. *Maldonat. in c. 8. Matthæi.*

Aug. l. cont. aduer legis & proph. cap. 7.

Christus reuera miratus est.

Rursus alium locum subiicit Augustini, idem Maldonatus, quo omnem admirationem à Christo tollere enititur. Sic ille: *Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse, qui eam mirabatur? quòd si & eam alius fecisset, vt quid miraretur, qui præscius erat quod mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moneri. Omnes igitur tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri.* Nec hic locus tollit à Christo admirationis actum, sed duntaxat insinuat, admirationem, nullam perturbati animi maculam affinxisse Christo. Ideoque non probo hanc Maldonati conclusionem: *Credo ego ita Christum mirari dici, sicut irasci dicitur Deus, non quòd reuera irascatur, sed quòd puniat, quod homines irati facere solent. Sic Christus miratus dicitur, non quòd miratus, sed quòd ad modum mirantis hominis locutus sit.* Illa opinio tuta sit necne, viderint alij. Abulensis pro ea opinione locum Chrysostomi obiicit huiusmodi: *Plebe præsente admiratus esse dicitur, & aliis exemplum dedit, vt eum mirentur.* Nihil inde tamen inferre potest ille, quo expungat omnem actum admirationis in Christo: Chrysostomus enim ibi non inficiatur, Christum fuisse admiratũ; sed duntaxat ait, ad quid fuerit illa admiratio. Eamobrẽ in ea materia admirationis magna me tenet admiratio, quare Maldonatus mirari in Christo dicat perinde esse ac irasci in Deo, cùm vtrobiq; dispar sit ratio; ita enim vt de Deo dicitur connotat effectũ tantùm in creatura luẽte pœnas, quas inflictas agnoscimus Deo Iudice sequiẽte, absque vllo tamen simplicitatis Dei dispẽdio. Sed admiratio in Christo dicit actionem indicẽ veritatis eius naturæ quam assumpsit. Quomodo autem admiratio

Aug. l. 1. de Genesi cont. Manic. c. 8.

Improbatur Maldonati sententia denegans Christo admirationem. *Maldon. in c. 8. Matth. numero 10.*

Abulensis in Matth. c. 8. q. 34. *Chrysost. hom. 27. in Matth.*

Arguitur ratio allata à Maldonato.

admiratio cadere possit in hominem omniscium, & diuinitatis conscium, altioris disciplinæ negotium est; quod vt ritè expediatur, est Theologia consulenda.

SENSVS LITERALIS.

Christus non fictè sed reuera admiratus est fidem singularem Centurionis.

In hæc verba:

Audiens autem Iesus miratus est.

CONIECTVRA I.

Ex Theologia.

Quare multi negarint admirationem potuisse cadere in Christum.

QVi omnem admirationis actum ademère Christo, illi omnes subodorati sunt aliquid indecorum in illa actione, quam idcirco iniuriam credidere Domino, perfectionis omnimodæ prototypo. Vnde siquando erratum est, illud est dandum pietati auctorum, qui quandoque omnia tuta timent in his, quæ de Christo aliquid subolent imperfectum. Huius generis est illa sententia, quæ secernit à Christo omnem admirationis actum, quia Aristoteles ait admirationem causari cùm quis videt effectum, & ignorat causam; ideoque arbitrantur admirationem, quasi necessario implexu sociam habere ignorantiam, quæ vt procul arcenda est à Christo, nullum etiam locum dari vult admirationi, quæ est surculus ignorantiæ. Hallucinati sunt profectò omnes, qui fecere ignorantiam comitem indiuiduam admirationis: quamuis enim Aristoteles dixerit admirationem causari, cùm quis videt effectum, nescius causæ reconditæ; illa tamen sequela labat, quæ concludit eo tantùm modo admirationem cadere in homines, ita vt nemo admirari queat effectum vllum, si conscius sit causæ, qua parente satus est ille specialis effectus. Noluit hoc sanè adstruere Philosophus; qui vnam solùm causam admirationis proposuit, sed non omnes: fieri enim potest, & singulis penè moris id accidit, vt miremur res, quarum causæ nos haudquaquam latent. Verbi gratiâ, ægro decumbenti medicus decernet infusionem antimonij: eo propinato statim ægrotus egeret magnam humorum colluuiem, & ea factus excretione vegetior, restituetur reduci sanitati. Esto medicus probè calleat vnde sospitas illa influxerit in effœtum illud corpus; mirabitur tamen effectum illum salutarẽ. Eamobrem in confesso est apud peritos, admirationem non esse sobolem ignorantiæ, sed actionem animæ affectæ obiecto nouo, & insolito, vt definit Angelicus Doctor. Vt enim anima proposito bono sibi congruo, amore ad illud inflectitur; ita eadem anima intuitu rei nouæ & insolitæ statim admiratione percellitur vt actu, qui elicitur ab idoneo obiecto, nec inde patitur anima deliquium vllum suæ perfectionis; adeo enim est naturale homini admirari res nouas & inaspectas, sicut est ei vernaculum affici bono proposito. Itaque cùm res fuerit valde noua videre hominem Gentilem præire sua fide Hebræis, & eos erudire qualiter esset sentiendum de Christo, ipse Dominus non dedignatus exercere omnes actiones indices humanæ naturæ citra peccatum, & ignorantiam, non cunctatus est actiones nobiles admirari.

Arist. l. 1. Metaph. c. 2.

Admirationis descriptio.

Admiratio non semper habet ignorantiam comitem.

Thom. 3. p. q. 15. art. 8.

Vnde propriè oriatur admiratio.

Admirari potuit Christus vt & tristari.

Si instes, admirationem dedecere hominem omniscium & beatum, qualis erat Christus. Respondeo esse magis incongruum animam beatam tristari & mœrere, quàm mirari, cùm angustiæ & beatitudo non coeant: & tamen ait Christus in agone positus, tristem esse animam suam vsque ad mortem. Qui potuit tristari, & elicere veros actus passionum, ille equidem potuit edere veras actiones admirationis, quando vt homo sensibus vtens habuit res obuias, quas nondum oculis exceperat, etiamsi tribus aliis modis omnia essent aperta oculis eius, scilicet scientia increata, beata, & infusa; quod vt liquidius sit, nota Christum nihil omnino ignorasse, quia ignorantia & omnimoda scientia non concordant, nec aliquid nouum & insolitum occurrere potest illi, quem stipant omnes scientiæ. De scientia increata non est ambigendi locus eam fuisse in Christo, quà Deus est. Secundùm illam scientiam nihil potuit de nouo adiici notitiæ illi increatæ, cùm scientia Dei & potestas eius sint idem realiter. Ergo cùm quidquid potest illud sciat, & nihil de nouo emergere possit, quod non sciat, nequit in illam scientiam increatam cadere admiratio. Rursus in Christo fuit scientia creata, quæ bifariàm distinguitur. Prima dicitur scientia beata, illa scilicet qua in Verbo Beati res vident cognitione, quam Theologi matutinam vocant, quia res in suo velut diluculo vident, quando eas intuentur in Verbo, vt in origine rerum omnium editarum. Christi anima in instanti suæ conceptionis dignata est illâ scientiâ beatâ, quam creatam dixi, quia anima beata illâ scientiâ afficitur vt formâ, & ab ea scientia, vt à forma denominari potest omniscia. Ergo cùm nihil creatum affici possit formâ increatâ, necesse est illam Beatorum scientiam esse quid creatum. Tamen nihil Christo potuit occurrere, quod illam scientiam præterierit. Rursus scientia creata diuiditur in infusam, habitualem, & in experimentalem. Scientia infusa habitualis est ea, quam quis habet ob infusas sibi species rerum omnium, quarum serie coalescit orbis. Ratione istius scientiæ res non videntur in verbo scientia illa visionis, qua gaudent Beati omnes intenti Verbo: sed quisquis illa scientia habituali dignatus est, ille singula quæque nouit vt sunt suopte ingenio; quippe callet accuratè rerum omnium genus. Nec etiam respectu huius scientiæ Christus in noua aliqua obiecta incurrit, quia ab instanti ortus eius, Deus animam Christi informauit habitibus omnium scientiarum, atque ita nihil noui rescire potuit secundum istam scientiam.

Christus nihil omnino ignorauit.

Scientia in Christo triplex.

Scientia increata qualis sit.

Sciẽtia creata qualis sit. Cognitio matutina quænam sit.

Scientia Beatorum est creata.

Scientia infusa habitualis quænã sit.

Demum scientia illa creata potest esse experimentalis, & ea acquiritur tantùm facto experimento rerum, quas quis certò sciebat euenturas. Illa autem scientia quia omnino dependet ab effectibus positis extra suas causas, prout reuera existunt, patitur semper noua obiecta, quæ si sint insolita, & præ se ferant aliquid insigne, tunc ratione suæ nouitatis proliciunt actum admirationis, afficiendo animam eo motu, quo concutitur ab obiecto nouo, præclaro, & non frequenter oculis obuersante. Theologi exemplo probant effatum illud, vt habeant intentum Thomæ, affirmantis Christum

Scientia experimentalis quænam sit.

Thomas vbi supra.

reuera

reuera fuisse admiratum fidem Centurionis. Aiunt enim illam esse differentiam inter scientiam Christi habitualem, & experimentalem, qualis ferè est apud Metaphysicos inter essentiam, & existentiam. Essentia respicit rerum species vniuersas, genera scilicet & differentias; existentia verò arctiore vinculo constringens essentias, eas veluti in compendium redigit, dum concludit in indiuiduis. Ita Christus suis habitibus infusis res habebat obuias, earumque indolem callebat iuxta naturam singulis insitam. Sed scientia experimentalis beneficio sensuum acquirebat notitiam rerum, quas Christus sensu corporeo nequaquam hauserat. Vnde vt probaret, se non naturam fictitiam hominum induisse, sed se reuera esse conscium omnium humanarum actionum, reuera elicuit verum actum admirationis, postquam Centurio præclara suæ fidei edidit argumenta. Illo enim actu admirandi æquè anima afficitur occurrente re noua & inaspecta, sicut gaudio gestit accepto nuntio gratioso: nec inde vllus inuritur næuus Christo admiranti, quia ille actus naturam consequitur hominis admirantis. Aduerte tamen, Christum non eam passum fuisse animi perturbationem, qua concutitur homo alius admiratione insigni perculsus, quia nusquam inquies extitit animus Christi, sed semper fuit sui iuris.

Quomodo differant scientia habitualis, & experimentalis.

Admiratio in Christo notat veritatem naturæ humanæ, & nullam imperfectionem dicit.

Esto igitur hæc rata fixaque conclusio, scilicet Deum, hominem induendo, non respuisse infirmitates eius, citra tamen peccatum & ignorantiam. Vnde nulla planè iniuria fit Christo quando dicitur tristari, admirari, esurire; sunt enim hæc congrua hominum proles: atque ita Christus non respuit hos actus, ne ansam daret hallucinandi aliquibus hæreticis, quos præsciebat negaturos Deum assumpsisse hominem. Vt igitur occurreret huic errori, non est aspernatus exercere omnes actus, qui astruere possunt veritatem naturæ huius humanæ. Ergo cùm textus Euangelij sit literaliter accipiendus, & verba intelligenda prout sonant; non est inficiandum, admirationem cecidisse in Christum, cùm ea non detrahat quidquam indoli, quam sponte assumpsit, aliis etiam eius actibus vsurpatis.

Quare aliqua infirmitatis humanæ Christus dederit argumenta

SENSVS LITERALIS.

Iterum patet Christum reuera admiratum fuisse fidem Centurionis.

In hæc verba:

Audiens autem Iesus miratus est.

CONIECTVRA II.

Ex Lingvis.

IN his, qui negarunt admirationem potuisse cadere in Christum, non defuere interpretes detorquentes sensum literæ, ita vt *admirari* in eo loco crediderint subire vices verbi *laudare*: quasi Christus Centurionis encomiastes, pro laudatore fuerit creditus admirator. Gratis & perperam esse confictum illud effugium, principes linguæ clamant: varij enim textus, scilicet Hebræi, Syri, & Græci damnant hoc somnium, vtpote vtentes verbo quod stuporem sonat, id est, aliquam animi inhærentis obiecto insolito motionem clamat, שמע ישו תמה *schomeang Ieschu thamach, audiens Iesus obstupuit.* Hebræus ille locus scrupulum omnem tollit, & liquidiùs aperit in quo genuinè sita sit admiratio: nimirum explicat eam inuehere singularem animi motionem suspicientis in obiecto aliquid mirabile, id est, dignum quod animum pelliciat, vt obseruet id vnde commotus est animus. Fauet idioma Græcum. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐθαύμασε. *Audiens autem Iesus admiratus est.* Vox ἐθαύμασε significat, *admiratus est, obstupuit, suspexit, obseruauit*; θαυμάζω namque radicale verbum præsens huius aoristi, hæc omnia significat. Syrus interpres ipso Apostolorum æuo magni momenti vsurpauit vocem fortè importunam alteri sententiæ. Sic enim reddidit, אתדמר *ethdammer*, id est, *obstupuit, peregrinatus est.* Nam Petri quarto capite prioris epistolæ, versu quarto vox דמר qua vsus est Syrus interpres, Græcè redditur per θαυμάζω, *admiror, obstupesco*: Rursus versu duodecimo eiusdem capitis, eadem vox Syra ponitur pro ξενίζω *peregrinor.* Et ita eam reddidit nostra vetus editio canonica. *Charissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.* Quasi diceret Petrus. Si aliquo feruore perculsi singulare Deo penditis obsequium, cauete ne admiratores vestri sitis, ita vt vestrarum virtutum stupor vobis sit in discrimen animæ peregrinantis & velut alienatæ à semetipsa, quando in stuporé sui admirabunda rapitur.

Carpuntur interpretes qui mirari volunt in Christo perinde esse ac laudare.

Ex lingvis.

Hebræa.

Græca.

Syriaca.

1. Petri 4.

Verbi admiror. exquisita anatome.

Itaque cum Principes illæ linguæ, Hebræa, Syra, & Græca, commemorantes admirationem Christi, vsæ sint verbo significante commotionem animi; quis dubiam faciet admirationem Christi, quasi idem Dominus, qui potuit turbare semetipsum quando suscitauit Lazarum, non potuerit etiam verum actum admirationis elicere probata fide insigni Centurionis. Qua autem ratione fuerit perculsus Christus in Lazari morte sic enarrat testis oculatus huius facinoris. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudaeos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.* Quòd autem omnes animę motus fuerint in potestate Christi, qui ad arbitrium suum infremebat, & turbabat semetipsum, hoc non obstat quin Christus verè admiratus sit, quando ita censuit expedire. Et maximè liquet ille admirationis actus in Christo, cùm ex Scriptura sacra admirationis argumentum petatur à nouitate rei, & non ab ignorantia caussæ, vt plerique cæcutiunt, arbitrati ignorantiam caussæ rerum mirabilium esse parentem admirationis, nullamque aliam dari rationem quare admirationis actus prorumpat foras. Huic errori it obuiam Petrus prælibato textu vbi vox *peregrinari* suffecta est in locum verbi *obstupescere*, ita vt iuxta versionem Syriacam probatam Apostolis oporteat sic reddere versum illum. *Charissimi nolite obstupescere in feruore qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.* Id est, cum rei nouitas admirationem conciliet, nolite hac assentatione blandiri vobis, vt scilicet arbitremini, aliquid semper noui adiici vestris virtutibus, vnde postea miraculo vobismetipsis sitis & stupori; & tentationi diaboli succumbatis.

Ioan. 11.

Insignis explicatio loci subobscuri in epistola Petri.

Non est ergo periculum aliquid affingendi dissonum Christo, si eum reuera dicimus admiratum, quandoquidem ex Scriptura sacra, & Beato Thoma constet, admirationem esse animæ affectum elicitum dato obiecto nouo & insolito.

Scientiæ experimentali Christi multa occurrerunt noua.

Potuisse autem esse quidpiam nouum atque insolitum scientiæ experimentali Christi, nemo ambigit, cùm tota rerum experientia petatur ab earum existentia, quæ variat pro diuersa ratione temporum. Eamobrem prout momenta æui decurrentis obtulere Christo res varias, ille vt homo quandoque affectus est hominum more, quia eorum naturæ conscius erat.

Cautio notanda in admiratione Christi.

Ea tamen cautio semper adhibenda est in actionibus, quæ perturbationem animi vehunt, vt ferè homines agantur; Christus verò secus, illos actus exeruit agens, & non actus, id est, ad libitum turbauit semetipsum, pro arbitrio suo miratus & tristatus est, sine dispendio sui status omnimodè defœcati.

SENSVS LITERALIS.

Quàm excelsa fuerit fides Centurionis.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

§. V.

Ex Sanctis Patribvs.

Centurio à Christo laudatus pro rei dignitate & citra hyperbolen.

Egregia quæque encomia multis assentationum respersa fucis, vtplurimum sapiunt hyperbolen, ideoque dubios auditorum animos laudes nimiæ nanciscuntur. Tamen absit suspicari quidpiam simile in argumento proposito, vbi Christus Centurionis fidem adeò extollit, vt infra eam ponat Israëlitarum fidem. Hoc namque sonant illæ voces: ***Non inueni tantam fidem in Israël.*** Omnes sanè interpretes desudant in hoc versu explicando, quia videtur iniurius Beatæ Virgini, Ioanni Baptistæ, Patriarchis, Apostolis, & Prophetis, quorum tamen Scriptura sacra luculenter merita commemorat. Non mearum est partium aliorum transcribere sententias, & hoc agere vt mea volumina turgeant, aliorum sensibus vsurpatis. Mei muneris est meas obire vices, & è meo penu depromere quid sentiam in re implexa pluris inuolucris.

An Christus contulerit fidem Centurionis cum fide B.V. Mariæ, & Ioannis Baptistæ, aliorumque Prophetarũ.

Sed operæpretium est præludere antequam ordiar, & notare Christum non dixisse, nullam esse in Israël tantam fidem, quanta erat Centurionis fides: sed duntaxat expressisse, se non inuenisse tantam fidem, vnde arguere oportet Christum loqui de his tantùm, à quibus quærendo exigebat fidem. Quæsiit autem Christus fidem prædicando, & se faciendo palàm multis editis prodigiis. Et sic reuera Christus non attendit B. Virginem, Ioannem Baptistam, Patriarchas, & Prophetas, quia hos omnes non quæsiit annuntiando semetipsum, imò ipse à Ioanne agnitus est antequam prædicaret. Ergo Centurionis fides non confertur cum illa B. Virginis, Ioannis Baptistæ, ac Sanctorum Patrum, quos maximè fideles extitisse recenset textus sacer. Rei cardo iam attenditur penes Apostolos, fueritne eorum fides minor eâ, quam Christus hodie suis dignatur elogiis.

Duplex fuit Apostolorũ status, in quo eorum fides spectari potest.

Dubium hoc sic expendo. Duplex fuit Apostolorum status; vnus, quo fidei rudimenta addiscentes dedere manus Christo, eos facienti sequaces suos, & initianti sacris fidei mysteriis. Alius eorum status ille fuit, quo fides in eis vigebat eo momento, quod iam attendimus in Centurione tanta suæ fidei specimina propalante. De primo Apostolorum statu, hæc esto Conclusio. Eorum omnium, quos Christus triginta annos natus prædicatione sua quæsiuit, nemo tantæ fidei inuentus est ac iste Centurio, qui ideo superauit illam fidem, quam Apostoli habuere initio suæ vocationis. Bimembris est ista conclusio. Primò est de iis tantùm, qui credidere Christo disseminanti nouam disciplinam. Probatur illa prior pars, ex præfatis petitis à verbis ipsius Christi dicentis, se non inuenisse tantam fidem. At non quæsierat ante promulgationem Euangelij, ideo factam, vt oues errantes in montibus & abruptis vallium bonus ille pastor conquireret prædicando, reuocans eas & referens in ouile, puta caulas Ecclesiæ. Sic laus Christi euehentis Centurionis fidem, non perstringit fidem B.V. Mariæ, aut Ioannis Baptistæ, aut Iosephi nutritij, quibus ante Euangelij præludia, fidei rutilæ lux potior illuxerat.

Ex SS. Patribvs. Hieronym. in Matth. c. 8.

Fauet Hieronymus ita fatus: *De præsentibus loquitur, non de omnibus retro Patriarchis, & Prophetis: nisi fortè in Centurione fides Gentium præponitur Israeli.* Quare autem illa Centurionis fides præierit Apostolorum fidei, quam concepere ipso suæ vocationis exordio, ratio hæc est, quòd Apostoli, & alij, vel vocati sunt à Christo, vel eum videre patrantem prodigia potentissima ad conciliandam fidem, vel ex Scriptura sacra accepere argumenta credendi in Christum. Iste autem nullo eorum modo obstetricante sibi parturiit hoc insigne facinus fidei conceptæ solo auditu leprosi curati antea solo tactu Christi. Mihi suffragatur auctor operis imperfecti apud Chrysostomum.

Chrysost. in opere imperfect. in Matth. 8. hom. 22.

Quare fides Centurionis maior fuerit fide Apostolorum, quam habuere initio suæ conuersionis.

Credidit Andreas, sed præsignante sibi Ioanne, ac dicente: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Credidit autem & Petrus, sed Euangelizante sibi de illo Andrea, & dicente: Inuenimus Messiam. Credidit & Philippus, sed legendo Scripturas, sicut ipse ad Nathanael dixit: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum à Nazareth. Ipse quoque Nathanaël, nisi audisset à Christo: Cùm esses sub arbore fici vidi te; nunquam respondisset: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël. Prius signum diuinitatis accepit, & sic confessionem fidei obtulit.

Ioan. 11.

Si inductione factâ recenseas omnia egregia specimina fidei edita à Sanctis illius temporis, quo se Christus manifestum fecit, profectò reperies nullum planè habuisse tam præclara fidei suæ incunabula; nimirum Maria Magdalena & Martha credidere præsentiam eius corporalem fuisse necessariam ad salutem Lazari. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Nicodemus non antea fidei mysteriis initiatus est, quàm præuio sermone fuerit à Christo ipsomet institutus.

Vnde petatur magnitudo fidei Centurionis.

At Centurio secus, vbi audiit miracula Christi, corusco fidei lumine circumfusus, in Dominum hunc rerum credidit incunctanter. Eamobrem hunc credo esse literalem sensum verborum Christi, vt eorum omnium, quos reperit tinctos sua fide, Centurio facile princeps fuerit, si omnium, qui ad prædicationem Christi credidere, exordia ad inuicem conferamus.

Egregium encomium Centurionis.

Eò fortè aspexit Chrysologus effusus in laudes Centurionis hoc contextu: *Videtis Centurionem antequam discipulatus subiret officium, locum magisterij fuisse sortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pandit causas, virtutum cõmendat exempla, qui nondum Christiana schola ingressus est disciplinam.* Rursus illa fides Centurionis supra illã Apostolorum

pro

Quàm alta fuerit fides Centurionis in gratiam Chriſti.

pro tunc, id eſt, pro eo momento, quo ad Chriſtum profecti ſunt, non eſt petenda tantùm à motiuo fidei, ſed ab obiecto: plura namque de Chriſto nobilia ſenſit, quàm Apoſtoli, quando eis fides in ſuo crepuſculo illuxit; nimirum Centurio fidei ſuæ coruſcantis obſequio credidit interminam potentiam Chriſti, quando profeſſus eſt eum ſolo nutu omnibus imperare. Hoc nempe ſonat humilis illa profeſſio. *Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit: & ſeruo meo: Fac hoc, & facit.* Quaſi diceret: Si in homine ſubdito Imperatori Tiberio tanta virtus ineſt ad regimen inſtituta, vt ad arbitrium eius alij etiam homines vrgeantur; quantò potior erit hæc tua, Domine, potentia nullis concluſa carceribus. Illius potentiæ librata ponderibus ſtant omnia, quæ ſubſiſtunt, ac proinde non opus eſt præſentia tua corporali, ad reducem ſeruuli ſanitatem. Ita Chryſologus: *Si ego, qui ſum ſub poteſtate conſtitutus, imperio verbi ſolo facio mihi parere ſubiectos; quando tu, qui nulli ſubiaces, & cuius omnia ſubiacent poteſtati, verbo non potes iubente curare? ſanitatem mittere? mandare virtutes? Aut verbo reficere non potes, quod verbo feciſti? Dixit, inquit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt. Aut aliquid ex aliquo reparare non ſufficias, cuncta ex nihilo qui paraſti?*

Chryſolog. ſerm. 103. Quænam fuerit profeſſio fidei in Centurione.

Arianorum blaſphema interpretatio verborum Centurionis.

Nota, imperitè prorſus Arianos aſſumpſiſſe orationem illam Centurionis, vt oſtenderent Chriſtum eſſe minorem Patre ſuo, quaſi dixiſſet ille: Domine, etiamſi tu ſis ſub poteſtate conſtitutus, potes imperare ſanitati; nam & ego quamuis in eo tui ſimilis ſim, ſcilicet ſubditus alterius imperio; tamen habeo ius imperandi aliis, qui ad arbitrium meum, mandatis meis citiùs obſequuntur. Dæmonis afflatum ſapit illa interpretatio, vtpote procul ab intento Centurionis, qui arguebat à minori ad maius, dicendo Deum plura poſſe quàm homines, qui cùm aliquid poſſint, habent inde quod inferant in Deo eſſe maiorem potentiam. Si cum Arianis Centurio deliraſſet, profectò non habuiſſet Chriſtum encomiaſten fidei penitus illibatæ.

Chryſoſtomus Arianæ impietatis oſor acerrimus, diuino flamine percitus explicat fidem Centurionis factâ accuratâ anatomie verborum eius. Sic ille: *Erat profectò arduum, hominem qui in Iudæorum numero non erat, tam magna de Chriſto cogitaſſe. Imaginatus enim mihi fuiſſe videtur cæleſtem militiam, cuius Chriſtum ducem ac dominum eſſe credidit, cui etiam mortem ipſam, & morbos ipſos, cæteraque omnia, ſic eſſe ſubiecta non dubitauit, vt nonnulli milites ſibi; imò etiam multò magis, propterea dicere non ambigebat: Ego enim homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, hoc eſt, tu Deus, ego homo: ego ſub poteſtate; tu verò ſub poteſtate non es. Si ergo ipſe qui homo ſum, & ſub poteſtate aliena, tot tantaque facilè poſſum efficere; quid eſt quod facere ipſe non poſſis, qui & Deus es, & ſub aliena poteſtate non es? Non enim quaſi quoddam ſimile affert, ſed comparationis præſtantia, quaſi nimium Chriſtus præcellat, hoc dicit: quòd ſi ego, qui ſimilis ſum quibus impero, & ſub alterius poteſtate, tamen propter paruam excellentiam præfecturæ, nemine repugnante fiunt quæ iuſſero, quamuis diuerſa ſint. Alij enim dico: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit. Quantò magis ipſe ad finem perducere poteris quæ iuſſeris? Illud profectò ſignificare voluit, quòd minimè poterat in quemquam mors peruenire, ſi Ieſus ei abſcedere iuſſerit. Vides fidelem hominem? Nam quod omnibus futurum erat poſtea apertum, & clarum, quod mortis ac vitæ Chriſtus poteſtatem habeat, quòd ad inferi ianuas deducat, atque reducat, ipſe multò ante & animo credidit, & aliis prædicauit: nec de militibus tantùm, ſed & de ſeruis dixit, quod erat maioris obedientiæ, & tamen in tam ſingulari, atque mirabili fide tanta humilitas reſplendebat, vt ſe indignum putaret. Dominus autem vt digniſſimum oſtenderet etiam cuius domum intraret, multò maiora ei contulit, fidem eius cum admiratione prædicans, pluraque ipſi concedens quàm flagitauerat. Venit enim corporis ſalutem puero ſuo quærens, & regnum cælorum etiam inuenit.* Longè ergo fuit Centurio à lethali contagio, quod ei Ariani turpiter affinxerunt.

Chryſoſt. hom. 27. in Matth.

Sincera interpretatio verborum Centurionis.

Chriſti omnipotentiam Centurio confitetur.

Iam verò ſi conſiderentur Apoſtoli prouectæ fidei, & aliquo iam tempore tranſacto in ſchola Chriſti; ſimpliciter loquendo ſuperarunt illam eximiam Centurionis fidem, quæ tamen aliunde & ſecundùm quid poteſt dici maior ipſa etiam Apoſtolorum fide, conſiderata ante illapſum Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, quo larga gratiarum profluuia Apoſtolos alioſque diſcipulos adſtantes illic cælitus inundarunt. Iſta biceps concluſio duas diſſitas partes habet ſeorſim probandas, quas ſingulas expedio. Primò hoc ſuppono fidem eſſe ſuperioris ordinis, nec vlli propriis viribus tantùm, & ſecluſo ſpeciali Dei influxu vllatenus poſſe inſidere fidem. Secundò illud volo eſſe in confeſſo, ſcilicet Deum vnumquemque ſtipare gratiis neceſſariis ad obeunda munia ſibi cælitus impoſita. His præfatis, ſic probo Apoſtolos, vbi profecere in obſequio Chriſti, habuiſſe digniorem fidem.

Allud argumétum probans excellentiam fidei Centurionis.

Fides eſt diuinitus infuſa.

Deus Apoſtolos eo fine inſtituit, vt ad fidem conuocarent omnes Gentes. Ergo eis impertiuit fidem præſtantiorem multò illa, quàm erant accepturæ Gentes, è quibus erat iſte Centurio. Nam etſi fides ſit donum Dei; tamen ad conciliandos animos hominum vt ſe accingant ad illud donum, plurimum valet prædicatio externa: nam fides ex auditu. Prædicatio autem hominis dubij in fide nequit eum ſortiri effectum, quem eſt editura fides hominis perfectè credentis. Vt ergo faciliùs Gentes darent nomen ſuum fidei, donum fidei Deus conceſſit Apoſtolis vſquequaque perfectiſſimum, ac proinde excellentius ipſa fide Centurionis. Quomodo autem fides in vno queat eſſe præſtantior, quàm in altero, audi ex Theologia: Fides habitus eſt deſuper infuſus, atque ita participat rationem genericam omnium habituum, quorum quantitas ex duobus attendi poteſt, vno modo ex obiecto, alio modo ſecundùm participationem ſubiecti. Obiectiua autem fides poteſt attendi dupliciter, vno modo ſecundùm formalem rationem, alio modo ſecundùm ea quæ materialiter credenda proponuntur. Formale autem obiectum fidei eſt vnum & ſimplex, ſcilicet veritas prima. Vnde ex hac parte fides non variat in credentibus, ſed eſt vna in ſpecie in omnibus fidelibus. Si verò res ſit de iis quæ credenda proponuntur, ea profectò ſunt quamplurima, ac proinde poſſunt à diuerſis hominibus accipi magis vel minùs explicitè, & ita vnus poteſt plura credere quàm alius, quia plurium articulorum fidei notitiã expreſſam habet, & in eo ſenſu ratione obiecti materialis in aliquo poteſt eſſe amplior fides ratione plurium

Quando Apoſtoli habuere fidem digniorem Centurionis fide.

Quomodo fides eſſe queat maior in vno quàm in alio.

EX THEOLOGIA. *Thom. 1. 2. q. 5. art. 4.*

Formale obiectum fidei eſt aliud ab obiecto materiali.

obiectorum, circa quæ occupatur fides. Eo modo fuit amplior fides Apostolorum, quia Christo interroganti: *Quem vos me esse dicitis?* Petrus nomine omnium Apostolorum ait: *Tu es Christus filius Dei viui.* Multa item audiere Apostoli à Christo, quæ ad fidei materiam pertinebant, quorum planè nescius erat Centurio; qui idcirco multò fuit inferior Apostolis. Etenim nolim de eo affirmare ipsum nouisse Deum esse trinum in personis, quia nondum ei fuerat hæc veritas explicata. Quamuis enim Deo influente habitum fidei acceperit, & in præparatione animi crediderit omnia ad quæ se porrigit fides; multa tamen eum latuere pro tunc, quorum postea conscius effectus est audito verbo Dei ministerio ipsius Christi, vel discipulorum eius.

Matth. 16.

Quare fides Apostolorũ maior extiterit fide Centurionis.

Rursus potest considerari fides secundum participationem subiecti, idque bifariàm: quippe fidei actus emanat ex intellectu, & voluntate. Eamobrem potest dici fides maior ex parte intellectus & voluntatis. Erit maior ex parte intellectus, ratione maioris certitudinis, & firmitatis, quando scilicet aliquis adeò tenaciter aliquid habet animo suo insitum, vt nullatenus inde queat excidere. Apostoli ea certitudine dignati sunt, experti scommata Pharisæorum, & eorum anathema, quo sanxerant esse ex synagoga expellendos omnes, qui dicerent Dominum Iesum esse Christum, id est vnctum Domini, illum vtique qui à Moyse & Prophetis erat promissus in redemptionem animarum. Item ex parte voluntatis esse potest fides maior in vno, quàm altero, ratione promptitudinis, deuotionis, & confidentiæ. Eo pacto Apostoli credidere Christo, quia eius gratiâ dedere repudium mundo ineuntes eiusdem Domini calles hactenus aliis inuios, vtpote aspernati illecebras omnes huius sæculi, imò & affectum exuentes parentum, vt suo illi amantissimo Domino iugiter adhærerent. Cùm ergo Centurio suæ deuotionis in Christum talia argumenta non ediderit, nefas ego crediderim præferre fidem eius, ei quæ tunc temporis illuxit Apostolis, quos compertum est abundanter fuisse desuper illustratos.

Quomodo fides intendi possit secundum participationem subiecti.

Quàm fuerit prompta fides Apostolorum.

Superest aliud membrum conclusionis explicandum, videlicet fidem Centurionis secundùm quid fuisse maiorem fide Apostolorum, etiam eo tempore adstantium Christo. Sic audi me. Apostoli, & Centurio considerari possunt singuli in ordine ad statum suum, id est, Centurio vt Gentilis, Apostoli verò vt Christi discipuli, ab eo initiati fidei arcanis, & quotidie sermonibus eruditi tanti præceptoris, & pendentes narrantis ab ore. Hoc pacto indubium planè est maiorem fuisse fidem in Gentili, quàm in Apostolis. Id est, Apostolatus ab Apostolis maiorem fidem exigebat, quàm Gentilitas à Gentili. Vnde si Centurionis fides propè accessit ad fidem Apostolorum, reuera maior fuit Apostolorum fide, quia fides hominis alieni à lege Dei magis excedebat statum eius, quàm fides Apostolorum statum illum, ad quem erant cælitus aduocati. Nempe licet simpliciter eorum fides excelsior fuerit ea, quæ in Centurione eminet; non ea tamen vsquequaque plena fuit, qualis decebat homines Christi consuetudine iugi vtentes. Nam sæpe eis Christus exprobrauit incredulitatem, id est, tarditatem ad assentiendum aliquibus articulis, qui spectabant ad resurrectionem suam. In eo sensu Nero Imperator dictus est magnus poëta, & musicus, laureaque palam donatus est, aliis poëtis & musicis antepositus, non quòd alij non illi præierint in hoc genere certaminis, sed quia quantuluscunque poëta & musicus fuisset Imperator, erat quid maius in eo statu excelso, quàm in humili sorte hominum, quos natura nouercante, fatum, id est rerum humanarum series à Deo ordinata, redegit in ordinem.

Quomodo fides Centurionis possit dici maior fide Apostolorum eo tempore adstantium Christo.

Itaque rata esto illa conclusio, nimirum fidem Centurionis, relatiuè ad statum hominis Ethnici, potiorem fuisse Apostolorum fide, considerata in ordine ad Apostolatum, quem profectò decuit altior longè fides eâ, quæ in Apostolis omnibus eminebat. Eò allusit auctor emeritus operis imperfecti. Sic ille: *Si non sumus ausi fideliorem illum putare quàm Apostolos; ita testimonium Christi intelligendum est, quod vnumquodque bonum hominis secundum qualitatem personæ illius laudatur. Puta si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, Philosophus multò amplius sapienter; in modico sermone sapientiæ rusticus plus laudatur, quam in magno Philosophus, quoniam rusticum dicere aliquid sapienter magnum est, Philosophum autem dicere sapienter, non est mirum. Aut si puer aliquid astutè loquatur, dicimus: Satis sapiens puer; si autem vir perfectus loquatur sapienter, non laudatur quasi sapiens: non quia puer plus sapuit, quam perfectus; sed quantum ad comparationem ætatis suæ, sapientior videtur esse, quàm perfectus ille. Sic & de Centurione dictum est, in nullo tantam fidem inueni in Israel, non quia nec Apostoli tantam fidem habuerunt.*

Apud Chrysost. auctor operis imperfecti hom. 22.

Sunt qui suspicentur Centurionem in Christo subodoratum esse Verbi incarnati mysterium, eò quòd dixerit: *Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus.* Inde homini Gentili affingunt illius arcani notitiam, quia explicitè nominauit Verbum, reclamans illud dicendo, vnum verbum sufficere ad sanitatem seruuli decumbentis. Huiusce sententiæ assertorem se præbuit Chrysologus, ita versans locum illum, quo verbi subsidium efflagitat vir fidelis. Sic ille: *Centurio iste cùm sine lege esset, nihil sine lege egit. Dicit: Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus. Quia dictum erat: Dixit, & facta sunt. Etsi omnia perfecta sunt dictu, quomodo dictu solo vnius infirmitas non curetur? Dic tantùm verbo, & sine verbo quid dicitur? sed iste postulat verbum non de loquendi vsu, sed de virtute faciendi verbum de quo dictum est: Misit verbum suum, & sanauit eos. Dic verbo tantùm. Quia iste credidit in Verbo manere virtutes omnes. Verbum tuum, Domine, sanitas est: verbum tuum vita est, verbum tuum vbi accesserit, inde confestim fugit dolor, infirmitas mox recedit, verbum in quo Petrus cùm laxaret retia, piscium multitudinem cœpit, sine quo & ignorantia noctem pertulit, & nullum fructum peruigil piscator inuenit. Domine, inquit, laborantes per totam noctem nihil cœpimus, sed in verbo tuo laxabo retia. Et quasi non sufficeret quod de verbo egerat, verbo præstari posse quod postulat, rebus adstruit, commendat exempla, Nam & ego homo sum. Hoc est dicere, tu Deus. Sub potestate positus. Hoc est, tu ipsa potestatum potestas. Habens sub me milites. Hoc est, tu virtutes. Et dico huic: Vade, & vadit. Hoc est, dic infirmitati: Vade, & vadit. Alij: Veni, & venit. Hoc est, dic sanitati: Veni, & venit,*

An Centurio cognouerit Verbi incarnationem.

Chrysolog. serm. 15.

Psalm. 106.

Verbi Dei locuples encomium.

Esto

Non constat Cēturionem agnouisse incarnationem Verbi.

Esto Chrysologus suo tersiore stylo decurrat hunc contextum, & quasi insinuet Centurionem attendisse ad Christum vt Verbum Patris, & eò vergat illud eloquium, quo recenset in Verbo residere virtutes omnes: tamen procul fuit ab ea sententia, vt crediderit Centurionem habuisse fidem explicitam Trinitatis, quam necdum auribus acceperat. Aliud enim est dicere, Centurionem credidisse apertè Christum esse secundam personam Trinitatis, & aliud affirmare, Centurionem reclamasse omnipotentiam Verbi, quando professus est Christum vnico verbo edito posse reuocare sanitatem seruuli defungentis. Itaque hoc sufficiat ad dignitatem fidei huius hominis Ethnici, fuisse equidem rem magnam in homine exoticæ Gentis, agnoscere in Christo homine deitatem, quam Iudæi Scripturæ sanctioris conscij, non dubiam tantùm faciebant, sed etiam rostris & vnguibus impugnabant.

SENSVS LITERALIS.

Fides Ecclesiæ multò nobilior est & amplior fide Synagogæ.

In hæc verba:

Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.

§. VI.

CONIECTVRA I.

EX RATIONE THEOLOGICA.

Deus fidei lumen sensim diffudit, & non in instanti.

Opifice Deo Optimo Maximo editæ sunt res omnes, cuiuscunque ordinis sint illæ infra Deum, qui vt semper sibi constans, eumdem semper tenorem seruat in editione rerum, quantùm tamen patitur indoles & natura rei foras educendæ. Verbi gratiâ, vt Sol diffugiente nocte non statim rutilus irradiat, sed præludit emisso crepusculo, quo nigrescentis cæli faciem opacam tergit, deinde aëre albescente sensim enititur aperto lumine suos radios effusurus. Ita & mundo caligante, & nescio quantus esset Deus, aut quali ritu venerandus esset, Deus mutata rerum facie aquis diluuij, Patriarcham Noë affatus, promisit se non adiecturum amplius aquas diluuij, dedit in escam omnia animantia cibis idonea, aliáque miserationis suæ circa homines edidit argumenta. Fuit hoc crepusculum fidei eius, quæ instar auroræ liquidior fuit in Abraham, Isaac, & Iacob, quos etsi Deus dignatus sit singulari notitia rerum diuinarum; maiora tamen fidei mysteria reuelauit Moysi, penitiora quæque religionis Christianæ arcana reserans ei sub typo figurarum & rituum Hebræorum. Ea fides ministerio Moysis & Prophetarum propagata est vsque ad Christum, cuius æuo, ipsi principes Iudæorum, Scribæ, & Pharisæi parum soliciti de sua salute, non deerant tamen partibus suis, in his quæ pertinebant ad cultum Dei aliis inculcandum. Vnde Christus ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere.* Cùm ergo & voces, & actiones doctorum essent discolores, profectò Hebræorum fides fuit tunc temporis imbecilla. Degeneres namque Pharisæorum mores suspectam populo faciebant eorum fidem. Et reuera vitiis offundentibus caliginem suam, cæci erant Pharisæi, etiamsi concrepantibus buccis, Dei legem, & Scripturarum textum è pulpito resonarent.

Quando fuerit fidei crepusculum. *Matth.23.* *Scribæ, & Pharisæi cæci in his quæ ad fidem spectant.*

Caligantis eorum fidei fuit index apertissimus ille eorum discursus de natiuitate Christi, quo Herodem fecere certiorem debere nasci Christum in Bethleem, nec tamen audientes inibi natum, mouere pedem vt eum inuiserent iuxta se positum, quem Magi ab extremis terræ finibus inquirebant. Eamobrem Christus eorum cæcitatem increpans, sic eos arguebat: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Quamuis essent Abrahamo patre sati hi Iudæi; tamen ab eius fide longè defecerant, ideoque Deus dedignatus Gentem illam velut adulterinam, substituit illi populum Gentilem, quem Pastor ille bonus in ouile suum vndequaque adduxit, repudiato populo Hebræorum, vt ipsemet antea prædixerat, inuehens in eorum perfidiam hac censura: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Harum Gentium primitiæ fuerunt Magi ab Oriente: hodie verò ab Occidente adfuit Centurio vir Romanus, professus omnipotentiam Christi, affirmando eum verbo tãtùm posse diruta omnia reparare. Hoc specimen fidei editum ab homine Gentili, Christo assertore nobilius fuit omni Israëlitarum fide. Et hinc maximè enitet Christiana fides, cuius si rudimenta recitata ab homine nondum initiato sacris Ecclesiæ mysteriis superauere fidem Iudæorum; quantùm fas est coniicere, fidem perfectam Ecclesiæ, eminere illi fidei, quæ illuxit Synagogæ.

Matth.15. *Matth.21.*

EX THEOLOGIA.

In quo autem fides Ecclesiæ præstiterit alteri, facta potior, accipe. Vtriusque fidei Synagogæ, & Ecclesiæ idem fuit obiectum formale, scilicet veritas prima reuelata. Ideoque fides vniformis fuit vtrobique spectata in ordine ad primam illam veritatem, quæ nec intendi neque remitti potest. Non enim alius est Ecclesiæ Deus ab eo qui Synagogæ affulsit. Sed si obiectum materiale fidei attenditur, id est, si res sit de articulis à Deo reuelatis, circa quos occupatur fides, plura sanè arcana Dei innotuere Ecclesiæ quàm Synagogæ. Primò explicitè apertum Ecclesiæ fuit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod implicitè tantùm credidit Synagoga, sicut & omnia quæ pertinebant ad reparationem hominum, factam mediante Christo diluente noxas & piacula gentis nostræ, suo sanguine propinato. Demum adeò copiosa arcanorum Dei notitia affulsit Ecclesiæ, vt quæ habuit inuoluta typis Hebræorum fides, illa fuere data Ecclesiæ semotis omnibus inuolucris, quæ remorari possunt fidem explicitam, quæ influxit in Ecclesiam, iuxta illud Christi Domini dispescentis fidem Ecclesiæ ab ea quæ refulsit in Iudæis, secundùm obiecta materialia. Sic ille suos discipulos affatus est: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis:* vt

Ratione obiecti materialis fides Ecclesiæ maior extitit fide Synagogæ. *Luc.8.*

vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Fides Ecclesiæ nobilior est fide Synagogæ.
3. Reg. 12.

Rursus ratione subiecti fidei, id est, ratione intellectus & voluntatis fides Ecclesiæ excessit fidem Synagogæ. Nam promptior fuit Ecclesia ad tutandam fidem suam, quàm fuerit Synagoga, cuius maxima pars sæpè à Deo defecit, vt idolorum cultui turpiter adhæreret. Regnante Ieroboam, vndecim tribus ad idola diuerterunt; & Christi tempore in Iudæa tot vigebant varij cultus, quot erant vitiorum simulacra, quibus perpetrato multiplici crimine litabatur. Adiice, Ecclesiæ fideles eo animo semper fuisse ad profitendam fidem, vt omnibus sæculis Martyres extiterint, fidei nostræ præstantiam suo sanguine consignantes. Habuit quidem Synagoga suos Martyres; sed non numerosos vt fuerunt agmina fidelium, quos Ecclesia Christo Domino consecrauit. Demum, vt occinit Psaltes: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Id est, Synagoga suos cancellos habuit, extra quos nefas fuit facere sacra Deo, illa scilicet quæ spectabant Paschalem Agnum, penes quem erat maxima Synagogæ celebritas. Sed Ecclesia nullis conclusa carceribus diffusa est orbe toto, & hic maximè sensus est literalis verborum Christi, dum dixit multos venturos ab Oriente, & Occidente, qui discumbent aliquando cum Abraham. Ab Oriente quidem venit Abraham, sed nemo planè ab Occidente adiectus est Synagogæ: nec reuoluenti historias omnium nationum vllus populus occurrit, qui in Occidente professus sit ritum Iudæorum, etsi errabundi Iudæi dispersi sint in omnes mundi plagas. Verbi gratiâ, licet Romæ nascantur Iudæi hodie, & illic habeant Synagogam; Roma tamen non covtitur eis, neque Germania vbi pullulat gens illa fugitiua, quæ olim à Deo dilecta cùm fidelis extitit, dicta est regnum Dei, quia Deus ab eo populo adoratus regnabat illic, & sui regni æterni consortem effecerat hunc populum, institutis à Deo ritibus obsequentem. Idcirco Iudæos nuncupat Christus filios regni, quia eo fine à Deo editi sunt vt regnarent; sed quia degeneres fuere, & demùm ab intento Dei, pulsi sunt regno, in quod suffecti sunt populi ab omnibus mundi plagis Christo Domino consecrari.

Psalm. 75.
Ecclesia diffusa orbe toto.
Quare Iudæi dicti sint à Christo filij regni.

Ecclesia sanctior Synagogâ.
Malach. 1.

Erat veluti decurtatus Dei cultus stante Synagoga, sed eâ passâ repudium, & Ecclesiâ Gentium Deo miserante latâ, Dei fides orbem totum florida permeauit. Vbique sacra viguerunt, quæ claustris suis sola Ierosolyma concludebat, solis vsa typis, quorum veritas Ecclesiæ concessa est. Hoc repudium Iudæorum, & gratiam impertitam Ecclesiæ Malachias sic meminit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Nota nomina rerum sequi notitiam; quia illa præuia est nomenclaturæ: nomina namque sunt signa conceptuum. Hinc Deus aperire volens, fidem Gentium fore magnam, ait nomen suum fore magnum in Gentibus, quibus singularis Dei cognitio beneficio prædicationis Euangelicæ debebat cælitus affulgere. Non enim aliunde Deus innotuit Gentibus, nec vllâ hominum industriâ potuere Gentes citra Euangelium deuenire in illam notitiam, quam fides ingerit, abdita Dei arcana suo lumine reserando. Vnde fas est dicere, Dei notitiam, quæ illuxit mundo, tempore Synagogæ fuisse in crepusculo suo; nactam verò fuisse meridiem quando coiere Gentes in fabricam Ecclesiæ, quæ Christo irradiante, in his quæ ad fidem pertinent magnum sortita est luminis incrementum. Magnum vtique, vtpote cuius veluti face detersa est caligo mundi cæcutientis in his, quæ ad Deum & salutem animæ pertinebant.

Quibus præludiis Ecclesia nacta sit suæ fidei incrementa.

Quare Deus stipatus fumo dederit legē Moysi.

In argumentum excellentiæ fidei nostræ præ Synagoga, Deus in monte Sinai dedit legem Moysi stipatus fumo atque caligine, statuens in opaco Synagogæ fundamina. Ast in die Pentecostes propagaturus Ecclesiam suam, antequam decerneret operarios in varias mundi plagas, Spiritus sanctus singulorum capitibus insedit specie linguarum, quas rutilans flamma succenderat. Vnde licet arguere, illud discrimen intercedere inter Synagogam & Ecclesiam, quod est inter fumum caliginosum & flammam coruscantem: illis enim symbolis Deus vtriusque indolem sacro Codice recensuit. Fulgetra quidem emicuerunt in monte Sinai, quando veluti parturiente cælo, edita est & informata suis ritibus Synagoga, dignata Dei colloquio; qui tamen ipsi etiam Moysi fuit inaspectus, hoc solo ei concesso vt posteriora videret. Sed dum Ecclesia adhuc esset in incunabulis, edocta est à Christo semoto velamine nubium: & ne quid deesset luminis in ipsis etiam primis auspiciis Ecclesiæ; ipse Christus in monte Thabor stetit eo habitu, quo eum commemorat textus Euangelij, specialiter aduertens resplenduisse faciem eius instar Solis, quo irradiata Ecclesia æmulata suum illum Solem, se etiam composuit in modum Solis, iuxta illud Canticorum: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Adiice, Ecclesiam dici Catholicam, id est, vniuersalem, quia ab ortu pertingit ad occasum: Synagogam verò fuisse singularem, congregationem scilicet Iudæorum, nemo est nescius. Benè ergo stat titulus huius paragraphi, quo Ecclesiæ fides adstruitur.

Ecclesiæ lux singularis desuper illuxit.
Cant. 6.
Quare Ecclesia dicatur Catholica.

SENSVS LITERALIS.

Ecclesia dicitur Catholica, quia orbe toto propagata est.

In hæc verba:

Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob.

CONIECTVRA II.

Ex Lingvis.

IVstiniani Imperatoris animo aliquando insedit stabilire leges, ad quarum normam orbis ferè vniuersus sese componeret. Ne autem querulæ aliquæ prouinciæ causarentur suos abrogari ritus, & vigere tamen alibi priscos hominum mores; ille Imperator ipso sui codicis vestibulo recensuit prouincias

Iustinianus Imperator vna eadémque lege voluit totum dirigi imperium.

prouincias omnes suo nomini nuncupatas, vt inde rescirent Gentes subactæ, Iustinianum vna eadémque lege moderari totum imperium. Sic enim ille rescribens Senatui Constantinopolitano, de intento suo emendandi codicem, titulum hunc præfixit. *Imperator Cæsar Flauius Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, atque triumphator, semper Augustus, Senatui vrbis Constantinopolitanæ.*

Codic. De emendatione codicis.

Ex Linguis.

Ita Christus increpans Iudæorum perfidiam, accepto argumento à fide Centurionis, hominis peregrini ab Occidente, missi ad custodiendam vrbem Capharnaum, ait fore Centurionis illammet eamdem fidem communem omnibus populis sitis ad Orientem, & Occidentem: licet enim versio nostra congruat cum versione Syriaca; vbi Oriés & Occidens ponútur in singulari numero ומן מער באכן דנחא *vmen madanetho, vmen mangharbo. Ab Oriente, & Occidente.*

Syriaca.

Græca tamen versio plagas illas orbis numero plurali commemorat. Πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ δυσμῶν ἥξουσι, id est, *Multi venient ab Orientibus & Occidentibus.*

Græca.

Nota obiter, Christum non dixisse omnes venturos, sed multos ex singulis quibusque prouinciis, ita vt si titulum quæras Ecclesiæ, nullum alium possim ei affingere, quàm ex omnibus terræ zonis titulum aggregatum, qualis est illa nuncupatio vocis Catholicæ. Nam dicere, Ecclesiam esse Catholicam, perinde est ac dicere, multos venisse ab Oriente, & Occidente profitentes obsequium Christi, licet Iudæi vnde oriundus est Christus, illi suo Domino debitum pensum reddere detrectarint. Textus Hebræus concordat commemorans Orientem & Occidentem, ממזרח וממעבר *mimizrach, vmimenghabar. Ab Oriente, & Occidente.* Illa concolor omnium linguarum auctoritas adstruit legitimum illum titulum Ecclesiæ Catholicæ occupantis totum orbem, Christiana fide Christo Domino subiugatum. Fauet & titulus Cruci affixus, vbi Hebraicè, Græcè, & Latinè proclamatus est Christus Rex Iudæorum, non inani præsagio. Nimirum ab omnibus linguis ille idem Christus hodie prædicatur, & creditur esse Rex non Iudæorum tantùm, sed & cæli & terræ. Lingua Hebræa in eo titulo Crucis humile obsequium præstitit Christo, nomine totius Syriæ, & regionis Chaldæorum; apud hos namque populos viguit illa lingua, vnde velut è primigenio fonte Chaldaicæ, & Syriacæ dialecti deriuarunt. Lingua Græca eidem Cruci inusta conduxit omnes populos, quos Græcia sub Alexandro Macedone sui iuris fecit. Primò Græciam totam post dirutas Thebas & solo adæquatas; secundò Medos & Persas deuicto Dario: demum Indos, eorum Rege Poro vinculis irretito.

Hebræa.

Quare Ecclesia dicatur Catholica.

Quare titulus Crucis tres linguas præcipuas prætulerit.

Denique Romana lingua cæteris adiecta in epigraphe Crucis, totum pene Occidentem & Septentrionem conduxit, quemadmodum aliæ linguæ submiserunt suo iugo Orientem & Austrum. Quippe eo momento, quo passus est Christus, Roma sua pomœria longè latéque diduxerat.

Adiice etiam ex nomine Synagogæ & Ecclesiæ liquere vtriusque differentiam. Nam ἐκκλησία significat quidpiam numerosum, vt sunt comitia: item supra numerum adiicit conuocationem, vt sonat verbum καλέω *voco*, vnde deriuatur ἐκκλησία. Vnde Aristoteles ait, ἐκκλησίαν ἀγείρειν concionem aduocare. Quod autem aduocatur, illud est procul & dissitum à vocante. Cùm ergo in omnem terram exierit Apostolorum sonus disseminans fidem Christi, & omnes terræ fines suos populos deuouerint Christo; cœtus ille congruè dicitur Ecclesia, vtpote significans quàm sit numerosa congregatio fidelium. At Iudæorum cœtus idoneo nomine ostendit quàm fuerit exiguus, respectu Ecclesiæ, cum qua compositus, appositè sortitus est titulum Synagogæ. Est autem συναγωγὴ, perinde ac collectio, siue contractio, adductio. Nam verbum eius primitiuum συνάγω, idem sonat, ac colligo, contraho, conduco. Omnia autem hæc paucitatem clamant. Et reuera populo illi adducto de Ægypto, addictus est terræ angulus, scilicet Palæstina, extra quam Synagogæ nefas fuit excurrere, vt sua sacra alibi peragerent. Ecclesia verò secus nullis conclusa carceribus, orbe toto vtitur vt cancellis; ac proinde numerosior est Synagogâ, quæ vt infidelis passa repudium iacet ingloria pulsa foras, liuore perculsa, quia regnat Ecclesia, suos fideles transmittens in sinum Abrahæ, vnde Hebræi rei perfidiæ turpiter exularunt.

Græca. Quid sonet vox Ecclesia.

Arist. lib. 2. Oeconom.

Synagoga quid sit.

Nota, paradisum multis lineari tropis & formulis loquendi. Dicitur enim quandoque terra viuentium, aliàs paradisus, nunc verò sinus Abrahæ, quia sermo erat de discernenda fide Iudæorum ab ea quæ illuxit Ecclesiæ. Ideoque volens Christus aperire quanta foret fides Ecclesiæ ait, Gentes eodem loco reponendas, quò euectus est Abraham pater credentium. Si plura desideras in eo argumento, quod est seminarium iurgiorum inter nos & hæreticos, dum singuli suam Ecclesiam esse Catholicam acriter affirmant, vide infra litem compositam, eo scilicet loco vbi ex professo ostendo signum veræ Ecclesiæ debere esse hoc vnum inter alia, videlicet vt sit Catholica, id est, vniuersalis, & non veluti noctua lucifuga, in Rupellæ aut Geneuæ specu recondita. Consule infra expositionem orthodoxam huius Euangelij, vbi hæc fusiùs agitantur.

Paradisus multifariam nominatus in Scripturis.

SENSVS LITERALIS.

Ecclesiam suffectam in locum Synagogæ, illi etiam quàm plurimis titulis eminere.

In hæc verba:

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.

CONIECTVRA III.

Ex SS. Patribvs.

QVia non in aleam descendo cum Iudæis, ideo conduco Patres Ecclesiæ, quos alioquin tacitus præterirem, si mihi res esset cum Hebræis. Namque eorum fides esset suspecta, & eorum omnis cassa auctoritas, vtpote incongrua in gratiam Ecclesiæ contra Synagogam, quia nemo in sua causa testis esse potest. Ago itaque cum Christianis, quibus non probare volo rem sanè indubiam, & in confesso apud omnes initiatos fidei nostræ mysteriis. Etenim nemo ambigit Iudæis omnia contigisse in figuram, nobis

Quàm arctè Deo obstricti simus, qui nos in Ecclesiæ suæ caulas induxit.

nobis verò apertum esse mysterium regni. Meum igitur intentum est, hoc titulo ingerere Christianis, & mihi ipsi primo singularem gratitudinis sensum, ob gratiam acceptam à Deo, quo miserante adsciti sumus in caulas Ecclesiæ, extra quas degunt omnes homines infideles. Quid enim ante nostram genituram egimus ad Deum demerendum, vt nos suas oues conscriberet beandas aliquando, & in cæli pascua transferendas? Et esto Synagoga dum stetit professa fidem syncerain, suos filios transmiserit in sinum Abrahæ; non ea tamen facilitate hoc præstitit sicut Ecclesia, cuius sacramenta in adultis operantur ex opere operato, dummodo remoueatur obex, quod de Synagoga nequaquam dici potest, vbi pluribus opus erat actibus, ex parte animæ pœnitentis. Hoc priuilegium Ecclesiæ Iudæus inuidet, nec tamen eo vti curat malens exulare, quàm cum Gentili populo coire in vnitatem fidei Christianæ, vt benè Christus ea figura expressit, qua filius iunior & prodigus rediit in gratiam cum patre suo, seniore fratre indignante, quod dyscolus adolescens adeò lautè fuisset acceptus à patre miserante piacula perpetrata.

EX SS. PATRIBVS. *Chrysolog. serm. 5.*

Audi Chrysologum in eo lato campo spatiantem. Sic ille: *Senior filius veniens ex agro, populus legalis, messis quidem multa, operarij autem pauci: audit in domo patris symphoniam, audit choros, introire non vult. Hoc quotidie oculis nostris intuemur. Nam venit Iudæus ad domum patris, id est, ad Ecclesiam, stat foris per inuidiam, audit Dauidicam citharam personare; audit ex concentu Prophetico symphoniam, ex populorum vario concentu choros audit, & introire non vult per inuidiam stans foris. Dum Gentilem fratrem pristinis indicat & horret moribus, ipse paternis bonis se eximit, ipse se paternis excludit gaudiis.*

Filij prodigi & fratris eius parabola notat Ecclesiam & Synagogam.

Eumdem subliuidum animum Iudæorum pungit Ambrosius, scribens rabiem Iudæorum ob Gentiles vndequaque conscriptos in militiam Christi. Audiendus ille ita fatus. *Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam, in non gentem. Indignantis verba sunt, propter quod semper diffidentes inuenti sunt Iudæi, æmulatio ergo data est illis inuidentiæ, dum vident gentem, quæ prius, quia sine Deo fuit, sensu bruta erat, Deum suum appellare, qui fuerat Iudæorum, & donum illis promissum assecutam, per quam Zelum passi, iracundia distenderentur, vt malitia & incredulitatis suæ mercedem exoluerent. Nulla enim res sic consumit hominem, nisi zelus, quem ideo Deus vltorem posuit incredulitatis, quia graue peccatum est: nam semper in iram missi excruciantur, quando audiunt legem & Prophetas ad nos pertinere, qui in Christum credimus.*

Ambr. in ep. ad Rom. Liuore marcet Synagoga volẽs Ecclesiam ampliari.

Ille idem ait repudium Synagogæ figuratum in vellere Gedeonis, quo madente rore desuper illapso, area tota roris expers aruit. Is in vellere notat Ecclesiam tinctam salutaribus aquis, & gratiâ Dei abundè perfusam, arente populo Hebræorum, cuius Synagoga gratiâ excidit, ac proinde flaccida, & marcida contabescit. Accipe illius de ea figura commentarium. *Ros in vellere, fides erat in Iudæa, quia sicut ros, verba Dei descendunt: ergo quando totus orbis infructuoso æstu Gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cælestis visitationis in vellere: posteà verò quàm oues quæ perierant domus Israel, vnde puto Iudaici velleris adumbratam; oues inquam illæ fontem aquæ viuæ negarunt, ros fidei humentis exaruit in pectoribus Iudæorum, meatusque suos fons ille diuinitus in corda Gentium deriuauit. Hinc est quòd nunc fidei rore totus orbis humescit: at verò Iudæi Prophetas suos, & consiliarios perdiderunt; nec mirum si perfidiæ subeant siccitatem; quos Dominus Deus Prophetici imbris vbertate priuauit, dicens: Mandabo nubibus meis, ne pluant super vineam istam. Etenim Prophetica nubis pluuia salutaris, sicut & Dauid dixit: Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Hanc nobis Scripturæ diuinæ totius mundi pluuiam pollicebantur, qui rigaret orbem sub Domini Saluatoris aduentu spiritus rore diuini. Venit ergo iam Dominus, venit & pluuia: & ideo iam nos bibimus, qui ante sitiebamus: non tamen otiosè vellus non in campo posuit, vel in prato, sed posuit in area, vbi messis est tritici; messis enim multa, operarij autem pauci, eo quòd per fidem Domini, futura esset messis fœcunda virtutum. Neque illud otiosum, quod exsiccauit vellus Iudaicum, & rorem eius misit in peluim, vt repleretur aqua: non tamen eo ipso rore pedes lauit, aliis debebatur prærogatiua tanti mysterij: expectabatur ille, qui sordes omnium posset abluere: non enim Gedeon, sed filius hominis venit, non ministrari, sed ministrare: hoc prophetabatur quod illo rore cælesti discipulorum suorum Dominus Iesus pedes lauaret.*

Idem lib. 1. de Spiritu sancto in Prologo.

Historia velleris Gedeonis est congrua figura discernens inter Ecclesiam, & Synagogam.

Augustinus illud idem Synagogæ excidium adstruit multis symbolis petitis ex Scriptura sacra, præscia ruinæ Iudæorum, quibus successit Ecclesia longè nobilior atque præstantior Synagogâ, vtpote copiosis gratiæ Dei dotibus irrorata. Consule sanctum Augustinum, & audies illum ita fatum: *Vua de terra promissionis, duorum obsequio defertur, inserto vecte pendens. Possunt isti duo Christianum & Iudaicum populum figurare Synagoga & Ecclesia populi. Et quia prior fuit Iudæorum populus, præcedit Iudæus, sequitur Christianus; salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum. Hic obsequium præfert, ille contemptum. Vnde de Iudæis Propheta testatur: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Christianus præsenti munere fruitur, Iudæus solo onere prægrauatur. Quia Christus sicut credenti salus, ita onus non credenti. Iudæis enim ille specialiter annuntiatus, de quibus dictum est: In sua venit, & sui eum non receperunt: factus est eis lapis offensionis, & petra scandali, & quem Israel non cognouit, fides Gentium suscepit. Portat quidem Christum in lege Iudæus; sed à gratia, quam in mysteriis portat, auersus est, quia quem prædicatione suscepit electus, corde perdit incredulus; & quem vnus aspernatur in lege, alter admiratur in corpore. Vnde amborum Dominus & Redemptor noster, ab hoc adorante gestatur, ab illo se auersante suspenditur, ac si impletum est in Iudæis: Verterunt ad me terga, & non faciem. Et Christum Dominum, quem prior populus Iudæorum, & post dorsum reliquit, & crucifixit; nos postea venientes adorare, & portare meruimus. Vnde quantum possumus, cum ipsius adiutorio laboremus, ne à cruciatibus nostris, tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus.*

Aug. ser. 165. de tempore.

Duo homines baiulantes prægrandem vuam Palæstinæ linearunt Ecclesiam, & Synagogam.

Egregia sanè hæc est figura, & congruè exposita ad intentum nostrum, de substitutione

Ecclesiæ

Ecclesiæ in locum Synagogæ Christo iniuriæ; quem tamen ad semissum, & in medio sinu suo natum debuerat votis omnibus amplexari. Accipe adhuc alium textum eiusdem Patris ita recensentis disparia Ecclesiæ & Synagogæ fata. *Senior populus, qui egressus est de Ægypto, in deserto sepultus est; iunior autem, qui ei successit Iesu duce, in terram promissionis educitur. Senior ille populus typum habuit Iudaeorum; iunior verò habuit figuram Gentium. Ille populus senior transito mari rubro sepelitur in eremo; iunior verò ad hoc transiit Iordanis fluuium vt acciperet regnum.* Esto hæc liquidò pronuntient in caput Synagogæ, & figuræ aptentur prototypis; tamen ruina Synagogæ clematiùs præscita est & prædicta à Prophetis, prædicantibus Ecclesiæ gratiam fore vberiorem, atque adeò plures ex ea nasciturus fructus quàm ex sterili Synagoga. Accipe locum Isaiæ, & Hieronymi enucleationem. Sic habet Vates: *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, &c.* Luculentus est illius capitis textus, quem consultò prætereo; tu eum vide, quia Euangelij & Ecclesiæ ideam sinceram atque ingenuam subiicit.

Idem ser. 106. de tempore.

Alii item figura adumbrantur differentiæ Ecclesiæ & Synagogæ.

Isai. 35.

Præstat audire Hieronymum recensentem eum locum. Sic ille: *Quoniam Ierusalem conuersa est in picem, & ascendit fumus illius sempiternus, & habitant in ea Onocrotalus, & hericius, ibis, coruus, dracones, struthiones, dæmonia, onocentauri, lamia, & pilosi; & Domini super eam impleta est sententia: Relinquetur vobis domus vestra deserta, &c. Omnis candor cultus Dei, & circumcisionis gratia, & loca vberrima, atque campestria, quæ appellantur Saron, dabuntur deserta quondam Ecclesiæ, & habitatores illius videbunt gloriam Domini, & decorem, siue altitudinem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate, vt qui prius manibus dissolutis opus facere non poterant, & aridam habebant dexteram, extendant eam ad bona opera. Et qui dudum inter idola diuersis erroribus claudicabant; firmo super veritatem incedant gradu, & pusillanimes, siue formidolosos, fide Domini confirmantes faciant non timere, vniusque Dei metus, vniuersi erroris expellat timores. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Hoc quotidie expletur in Gentibus, quando qui prius cæci erant, veritatis lumen aspiciunt. Et qui Scripturarum verba surdis auribus audire non poterant, nunc ad Dei præcepta lætantur, quando qui prius claudi erant, & rectam viam non tenebant, saliunt sicut cerui imitantes doctores suos. Et aperta erit lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Eruperunt in deserto quondam Ecclesiæ, aqua Baptismi, & torrentes in solitudine, diuersæ scilicet gratiæ spirituales; & quæ erat arida in stagnum paludésque versa est, vt non solùm careret ardore sitis, sed nauigabilis esset, & irrigua, & haberet fontes plurimos, quos ceruus desiderat, quos qui biberit, potest benedicere Domino de fontibus Israel. In cubilibus animalium Gentilium, in quibus priùs dracones habitabant, erunt calamus, & iuncus, in quibus fessa prius mēbra requiescāt, vt dicere possint: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquas refectionis educauit me.*

Hier. lib. 10. in c. 35. Isai. In quam miseriam deuenit Synagoga.

Quantum Ecclesia emineat Synagogæ cuius præ pur dotes cesserūt Ecclesiæ.

Rursus ille, Ecclesiæ dotes eminere eis omnibus, quibus olim Synagoga dignata est, fusè explicat, versans locum illum Isaiæ, quem ipse laudat & egregiè commentatur hoc discursu. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. Animaduertendum est, quòd recta via Domini, & semita Dei nostri, impletio vallium, & montium colliumque humiliatio, & prauorum correctio, & asperorum rupiumque campestria, & gloria Domini, & salutare Dei nostri non prædicetur in Ierusalem, sed & in solitudine Ecclesiæ, & in deserta Gentium multitudine, de qua supra legimus: Lætabitur deserta sitiens, exultet solitudo, & floreat quasi lilium. Hæc enim deserta erat notitia Dei, & ab idolis tenebatur humilis in confessione, erecta in superbia, aspera & intractabilis in feritate: sed postquam apparuit gloria Domini, & vidit omnis caro salutare Dei, cuncta repente mutata sunt, & via Domini præparata, ita vt appareat in solitudine gloria Dei. Et omnis caro vidit salutare Dei. Quæ propterea appellabatur caro, quia prius Spiritum sanctum non habebat. De qua dicit Dominus: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Illa autem caro videbit salutare Dei, de qua per Ioel dicitur: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Quod non solùm illo tempore clamabat Ioannes, qui vox appellabatur Domini; sed vsque hodie in deserto Gentilium Ecclesiarum clamant magistri, vt rectas faciamus vias & semitas in cordibus nostris Deo.*

Idem lib. 11. in c. 40. Isai.

Gratiæ, quæ in Ecclesiam influxerunt, fidem faciūt præsagio Prophetarum.

Prælibata hæc series contextuum idem sonat ac noster Euangelij textus, prænuntians multos venturos ab Oriente & Occidente, vt sufficiantur in locum filiorum regni, qui foras turpiter explodentur. Vt autem Christus illi suo præsagio conciliaret adstantium fidem, adiecit prodigium, curando seruum Centurionis, qui etsi positus in agone, factus est tamen eâdem momentulā rediuiuus. Nota obiter, miserationes Dei esse supra omnia opera eius. Nam etsi eo sermone feriret Iudæos incredulos; hoc tamen satagebat, ne illi diutiùs infideles essent: eò namque vergebat editum miraculum sanitatis impertitæ paralytico, vt sanaretur perfidia illorum hominum impiorum. Rursus hoc etiam intendit Christus, scilicet ne superbirent homines excelsa virtute præditi, cùm etiam quandoque filij regni eiiciantur foras. Voluit & animos erigere peccatorum, pollicitus eis recubitum in sinu Abrahæ si se receperint ad caulas Ecclesiæ. Sic vtrobique emicat illa insignis Dei benignitas, qui siue inuehatur in reprobos, siue bonos leniter palpet, sēper pius, & misericors est.

Quot modis Christus Iudæorum animos sollicitarit ad fidem.

Accipe in meā sententia Chrysostomum. *Ita signis pariter ac doctrina, qua cæleste regnum aperiebatur, omnes homines ad seipsum trahere studebat. Nemo etiam quibus minabatur Iudæis eiecturum se eos regno, non vt eiiciat minabatur, sed vt eiectionis timore ad ipsum conuersi non eiicerentur. Quòd si etiam minis non meliores ipsi facti sunt, ipsis crimen totum est imputandum, atque iis omnibus, qui eodem morbo laborant. Non enim Iudæis solùm id accidit, sed multis quoque fidelibus. Nam Iudas filius regni erat, audiuitque vnà cum discipulis aliis illud: Super duodecim sedes sedebitis; factus est autem gehennæ filius. At verò Æthiops, quamuis barbarus quidem esset homo, & vnus eorum, qui ab ortu & occasu erant, vnà cum Abraham, Isaac, & Iacob, æternis*

Chrys. ho. 27. in Matth.

Quàm alta sit abyssus iudiciorum Dei in vocatione animarum.

æternis bonis fruitur. Idipsum in nobis quoque nunc fit: nam multi erunt, ait, primi vltimi, & vltimi primi. Vnde cauendum ne aut illi, quasi non possint redire, omnino negligant; aut isti, quasi iam stabiles sint, confidentia corrumpantur. Non ergo nimium confidant, qui stant, sed secum crebrò illud reputent: Qui æstimat se stare, videat ne cadat. Nec desperent qui ceciderunt; sed dicant secum; Numquid qui cadit, non resurgit?

Gratia vocationis ad Ecclesiam, ne excidat, debet fulciri bonis operibus.

Ne illa Ecclesiæ encomia excidant effectu, quem mihimet ipse proposui, refrico memoriam, & denuo inculco illud præfatum argumentum gratitudinis, quod supra lambendo ingessi. Arbitror equidem animam reuoluentem illud beneficium, quo citra vllum præuium meritum nata est in gremio Ecclesiæ, cùm tamen potuisset sua habere incunabula inter anthropophagos, in dedecus humanæ naturæ suum transigentes æuum. Arbitror, inquam, animam recolentem hanc gratiam, suam omnem præstituram operam ne desit illi gratiæ prælibatæ, ad quam Paulus attendens ait, nos debere magnam excitare in nobis fiduciam, animo reuoluentes quàm sit singularis gratia Dei nobis omnibus impertita. Sic Paulus: *Habentes igitur talem spem, magnâ fiduciâ vtimur.* Vt autem illa fiducia non transeat in præsumptionem, ea est fulcienda bonis operibus, iis videlicet, quorum vsum suis alumnis benè suada suggerit Ecclesia. Alioquin excipi gremio salutari inclytæ matris Ecclesiæ, vertitur in discrimen hominum ingratorum.

2. Cor. 3.

Hoc itaque animo insideat, vt videlicet nos baptismate sacro tinctos esse speciali Dei gratia, & hanc nos obstringere gratitudini, quam nemo rependere potest, nisi emeritis actibus exantlatis. Eò vergit Ambrosius versans illum locum Pauli, hortantis nos ad magnam fiduciam, quia subest spei magnæ maximum argumentum. Sic ille: *Spem habere nos dicit videndi gloriam, non talem, qualis fuit in vultu Moysi, sed eam quam viderunt tres Apostoli in monte, reuelante se Domino. Hinc igitur conicere debemus, quantum nobis contulit diuina clementia, quantumque nos superioris gratiæ dono ditare dignata est, quam dederat Iudæis. Iudæi enim cùm minor esset gloria vultus Moysi, eam speculari non poterant: nos verò non Moysi gloriam, quæ inferior est, sed excellentem Saluatoris gloriam sumus visuri: ideoque & nos vicem reddere, inquantùm possumus, debemus beneuolentiæ Dei, vt propensiores simus in eius amore, qui nobis fiduciam dedit, abluens nos à peccatis, videndi gloriam Dei.*

Ambros. in ep. 2. ad Corinth. cap. 3. Gratitudinē suam anima probare debet amore, & virtutum praxi.

SENSVS LITERALIS.

In quas tenebras & ærumnas damnati incurrant,

In hæc verba:

Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

§. VII.

CONIECTVRA I.

Ex Ratione.

Displicet sententia negātium fore reales tenebras in inferno.

VT nemo tractare potest picem manibus illibatis; ita & arduum est inuolui tenebris, & non offendere. Aliqui magni nominis interpretes, versantes hunc versum de tenebris Iudæorum, quos feriit Christus capitali sententia, etiam sensere tenebrarum caliginem, dum nescientes colligere intentum Christi damnantis Iudæos in tenebras exteriores, illi suas nobis tenebras offuderunt. Prior Abulensis occurrit, dicens posse tenebras illas intelligi de infidelitate Iudæorū, apud quos fides erat passura deliquium, Ecclesia propagante fines suos in omnes orbis oras. Remigius in eo argumento tenebrarum, aliam his tenebris aspergit caliginem, arbitratus filios regni eiectos foras in tenebras exteriores, vbi erat fletus & stridor dentium, esse Iudæos ductos in captiuitatem à Gentibus, apud quas erant tenebræ palpabiles infidelitatis. Adiicit ille, fuisse Gentes in duplici differentia. Aliæ namque torrebantur æstu nimio, vt India & Æthiopia, ibi ait Iudæos venūdatos, & nimio calore resolutos, vincula suæ seruitutis assiduis fletibus alluisse. Alibi autem, vt in Hyrcania, & Scythia, vbi rigore nimio corpora congelascunt, dicit Iudæos effectos vilia mancipia, inibi stridore dentium fuisse testatos quantam facesseret molestiam iugis angustia frigoris importuni. Maldonatus non vult has tenebras exteriores alio modo intelligi quàm respectiuè ad regnum cælorum, vbi cùm omnia refulgeant, quisquis aberit, proculdubio tenebris inuoluetur. Sic ille: *Qui ex regno cælorum extruduntur, in tenebras exteriores eiici dicuntur, quia quidquid tunc extra regnum cælorum erit, si cum eo comparetur, tenebra erunt.*

Abulensis in Matth. c. 8. quæst. 36. Remigius in Matth. c. 8.

Mystica interpretatio tenebrarum, in quas Iudæi incurrerunt.

Maldonat. in Matth. c. 8. num. 12.

Esto sententiæ illorum interpretum veræ omnes sint, & congruè explicent miserandam Hebræorum sortem; longè tamen abeunt à sensu literali, atque adeò deuiant ab intento Christi, quod mearum est partium aperire. Nec sunt mihi obiiciendi Patres Sancti, qui quandoque has tenebras exteriores impiorum vocant defectionem à Deo, qui est verum lumen. Illi namque vt plurimum non inuestigāt sensum literalem, sed allegoricum, & moralem, qui multus est, & varius, in hoc dissitus à sensu literali, quòd iste strictior est, & sagaci scrutinio indiget, vt quis acutè rimari possit intentum Christi. Itaque missis prælibatis sententiis, hæc esto mea cōclusio. Christus hoc loco damnatorum sortem iniquam, id est infelicem, explicuit, quæ veris tenebris horrida, veros etiam fletus proliciet, vt & stridorem dentium: atque ita non eo contextu prædixit infidelitatē Iudæorum, vt vult Abulensis, neque eorū captiuitatem in æstuantes, & glaciales oras, vt ait Remigius. Est ista conclusio biceps. Prior pars adstruit, Christum loqui de pœnis, quas in inferno luent damnati. Altera affirmat, illic tenebris omnia horrere, & resonare gemitibus, fletibus, & stridore dentium.

Auctoris sententia circa tenebras, exteriores & fletum Iudæorum.

Prior pars ita stabilitur. Christus arguens à fide Centurionis carpit Iudæorū perfidiam, quos suo exemplo & professione fidei condemnabat homo ille Gentilis, cuius æmulati fidem alij etiam Gentiles aduocati ab Oriente & Occidente, accepturi erant locum Iudæorum; ac proinde eorum sortiti vices fruituri eodem discubitu in cælis, quo pater credentium Abraham: Iudæi verò secus, æternum passuri exilium congruum suæ nequitiæ. Ergo Christus eo sermone faciens antitheses Iudæorum atque Gentilium, vbi dixit Gentes euehendas in cælum cum Beatis, proculdubio inferos intellexit commemorans repudium Hebræorum: alioquin non esset vtriusque populi directa oppositio, quam tamen intendit Christus exponere futuram

Eiectio Iudæorū, damnationem illorum significat.

futuram ex diametro. Non itaque explicanda est mens Christi de dispersione Iudæorum in varias Gentes, sed præcisè de eorum damnatione æterna, qua inibi explicitè meminit salutem æternam Gentilium, quam & alibi repetit, ei opponens Iudæorum ruinam, de qua etiam eos præmonuit, vt sibi consulerent. Ecce parabolam. *Cum intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: tunc incipietis dicere: Manducauimus corā te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium; cùm videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.* Quia igitur ex regula oppositorum Christus hoc discursu præmium Gentium dixit fore cælum, & statim eis Iudæos ex aduerso opposuerit, recensens eorum mulctam; illa profectò debet opponi gloriæ æternæ, quæ est futura stipendium beatarum Gentium, quæ profitentes obsequium Christi, ei iugiter adhæserunt. *Luc. 13.*

Altera pars de veris tenebris inferorum sic probatur. Textus sacer Euangelij, quo erudimur, debet ad literam intelligi, nisi quid obstet in peculiari loquendi tropo, vt sunt locutiones hyperbolicæ. Ergo cùm Christus vocet infernum tenebras exteriores, non sunt profectò in dubium illæ externæ tenebræ reuocandæ. Adiice nullum in inferis fore solamen sensibus, sed eos afficiendos esse innumeris penè ærumnis, in quibus, molestæ sunt tenebræ, quarum etiam figuram prætulerunt tenebræ illæ palpabiles Ægypti. Rursus, Beati vero lumine gaudebunt in corusco illo beatitudinis sinu: nam congrua beatitudine singuli quique corporis sensus dignabuntur à Deo. Vnde cùm lumen maximè recreet oculos, non deerit illic lux circumfusa, qua respersa Beatorum corpora refulgebunt, iuxta illud sacrum eloquium. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Vnde autem emersura sit lux, qua gestient præfulgidæ Beatorum mentes, Ioannes sic explicat: *Non egebunt lumine Solis, neque lumine lucernæ; quoniam Dominus Deus illuminabit eos, & regnabunt in æternum.* Reprobos verò, qui contrariam planè viam inierunt, esse mulctandos tenebris, Iudas Apostolus explicitè recensuit hoc contextu: *Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, ad iudicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Et benè caligo illic externa intelligitur, vbi nullum prorsus lumen poterit affulgere, terrā vndique conclusā, & inuiā radiis Solis huius. Arbitrari autem ignem inferni lucidum esse, illud est sibi fingere solatium gratis, cùm Scriptura sacra, suo schemate loquendi omnem adimat lucem flammis torquentibus animas, imò eas fumo adeò inuoluat, vt etiam dicat solem fuisse aspersum tenebris ob fumum ab inferis erumpentem. Sic Ioannes describit ideam inferorum. *Vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est Sol & aer de fumo putei.* Tenebrosum hunc ignem fore ostendit idem Apostolus ratione materiæ & fomitis, scilicet sulphuris crassi, vnde assurget fumus opacus luminis expers. Sic ille: *Cruciabuntur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni; & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula.* Vt ergo fumus sua caligine inuoluit tenebras, nihil profectò lucidū erit in ea fornace opaca, qua tormine indefesso reproborum capita torquebuntur.

In inferno erunt tenebræ exteriores.

Sapient. 3.

Apoc. 21.

Iuda epist. versu 6.

Apoc. 9.

Apoc. 14.

De fletu quæstio est momenti maioris; quomodo enim poterunt lacrymis allui homines nefarij, incendio depascente humidum omne, quo resoluto lacrymæ coalescunt? Abulensis acriter suam defendit sententiam, qua negat fore reales fletus in inferno, ratus ibi non esse posse lacrymas ob duplicem rationem. Primo ait, cessante motu cæli, nullos fore motus naturales, vt sunt generatio, & alteratio, & sic non posse humorem corporum damnatorum resolui in lacrymas; quia sic daretur alteratio feriante motu cæli, quo duntaxat inferiora corpora percelluntur. Rursus aliud sequeretur absurdum, scilicet consumi aliqua parte sui corpora damnatorum, quia sæuiente flamma lacrymæ torrerentur. Præponderat sanè Christi auctoritas, qui dum mentio inferorum incidit, semper ait ibi fore fletus; & quia verba Christi intelligenda sunt prout sonant, nullum planè video incommodum sequi, si præcisè intelligantur verba Christi iuxta sonum literæ. Vnde quia singula quæque peccata suas habuere delicias, quæ corpora pellexerunt; profectò par est, congruam fletuum mulctam, contrariam deliciis, illicitas tergere voluptates.

Rationes Abulensis quibus non possunt esse reales fletus.

Abulensis in Matth. c. 25. q. 556.

Contra Abulēsem aliter sentientem erunt in inferno reales fletus.

Rationes Abulensis sunt intempestiuæ in eo argumento fletuum. Non enim natura suum tenorē seruabit in inferis, vbi maior agit Deus, præteriens omnes naturæ leges. Sicut enim flamma rerum edax corpora non consumet, ita nec lacrymæ aspergentes oculos impiorum deficient, Deo integra semper hæc corpora conseruante. Eamobrem cùm ex fide constet non deperire corpora damnatorum decocta iugi incendio; ita & coniicere possumus, eumdem Deum corporum opificem posse & humentes seruare oculos, qui fletu inexhausto flebunt suum illum statum pœnæ interminæ mancipatum. Itaque standum est literæ, & credendum Christo recensenti lacrymas, & tenebras exteriores, vt congrua tormenta reprobis exercendis.

Diluuntur rationes Abulensis, & adstruitur auctoris sententia.

SENSVS LITERALIS:

De caligine, & fletibus inferni.

In hæc verba:

Eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

CONIECTVRA II.

Ex Lingvis.

INstitutæ sunt voces vt indices animi propalantis conceptus suos reconditos: sed quia mens est inexhausta scaturigo conceptuum; humana industria suā testata est inopiam, indiga nominum, quibus singulos quosque conceptus exprimeret. Hinc orta est illa multiplex discordia auctorum, dum expendunt sacros Codices: nam cùm penuria dictionum vni eidemque voci assignet multos conceptus, fit vt dissentiant interpretes in delectu rei de qua ambigitur. Verbi gratiā, tenebræ infidelita

Vnde oriatur dictionum inopia.

infidelitatem & ignorantiam, imò quandoque mortem significant. Item fletus explicant amarorem animi, aut iacturam rei prædilectæ. Tamen etsi copiosa sit rerum seges, quam eadem dictio suppeditat; vna tamen res præcipuè vnoquoque nomine designatur. Aliæ verò res tantùm metaphoricè subintelliguntur. Vt nomine tenebrarum intelligere infidelitatem, hoc est figuram inuehere derelicto primigenio sensu vocis. Non eo tamen inficias, plerumque Scripturam vti tropis, & derelicto sensu genuino vocis vsurpatæ, aliam etiam rem eodem nomine prænotare. Tunc vel ipsa Scriptura reserat inuolucra figuræ allatæ, vel versio canonica aliis vtitur vocibus, quæ explicant Dei intentum. Prioris exemplum est, textus ille Ioannis vbi Christus Iudæos sic compellat: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Vides Scripturam noluisse suspensos diu tenere animos in intelligentia templi, quod Christus dixerat sepost triduum erecturum: ait enim nomine templi, cum intellexisse compagem corporis sui.

Qua cautione Scriptura sacra nobis aperiat sensum literalem cùm dictiones dubiæ occurrunt.

Ioan. 2.

Si verò in aliquo textu lateat sensus altè reconditus, alia lingua recludit arcana, quæ inuia fecerat aliud idioma. Huius generis est locus ille Dauidis נשקו בר *naschcku bar.* Id est, *Osculamini filium.* Quia ibi Psaltes, imò Spiritus sanctus, quo erat afflatus ille præcentor, voluit hortari homines vt Christo erudienti morem gererent; versio nostra Canonica non reddidit sensum primitiuum osculi, sed Spiritus sancti intentum aperuit, ac proinde recensuit doctrinam, cui debent homines iugiter adhærere. Sic Latinus interpres: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus.* Ergo cùm linguæ omnes, quibus Scriptura sacra prostat, ab Apostolorum æuo recenseant tenebras & fletus in inferno; gratis recurritur ad figuras, & tropos exoticos, qui deuiant ab intento Christi. Accipe textum Hebræum ישלכו אל חשך החצון *ischaleçu al choschec hachitson*, id est, *Mittentur in obscuritatem quæ deforis est.* Non ergo reuocanda est hæc caligo ad animam, si ea deforis est, vt sonat illa vltima vox Heb. החיצון *hachitson.* Syrus etiam interpres has exteriores meminit tenebras suo hoc stylo נפקון לחשוכא בריא *nephqun lechschuco baroio*, id est, *Extrudentur in tenebras exteriores.* His consonat Græca dialectus Ἐκβληθήσεται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. Id est. *Eiicientur in tenebras illas quæ sunt exteriores.* Articulus ille τὸ adiectus comparatiuo ἐξώτερον, perinde sonat ac si Christus dixisset, reprobos abituros non in qualescunque tenebras figuratiuè explicatas, vt sunt ignorantia, infidelitas, mors & cætera id genus; sed in tenebras illas, quæ horrore suo sensum lædunt. Hoc idem ferè significat vox illa בריא *baroio*, quæ Chaldaicè & Syriacè aliquid extrinsecum notat.

Psalm. 2.

EX LINGVIS.

HEBRÆA.

SYRIACA.

CHALDÆA

GRÆCA.

Ipsa etiam inferni nuncupatio Græca nihil nisi opacum & tenebrosum sonat: Græcis namque infernus est ᾅδης. Est autem vox illa coalescens, ex alpha particula priuante, & verbo ἰδεῖν, quod est videre: ita vt ᾅδης perinde sit ac locus visionis expers, & nigricante caligine circumfusus.

De fletu par est ratio: quippe omnes linguæ meminerunt lacrymarum. Sic Hebræa clamat ושם יהי בכי *vescham ihihe bechi*, Id est. *Et ibi erit fletus.* Radicalis בכה *bacha*, non simpliciter flere significat, sed largum lacrymarum imbrem effundere. Concolor est versio Syriaca תמן נהוא בכיא *thamman nehene bechio*, id est. *Ibi erit fletus.* Ab eo sensu haudquaquam recedit Græcus interpres Ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμός. *Et ibi erit fletus.* Certè nolo recedere ab auctoritate tot linguarum, ob Doctores aliquot Latinos parum sollicitos de indagine sensus à Christo intenti.

HEBRÆA.

SYRIACA.

GRÆCA.

SENSVS LITERALIS.

Damnati opaca inferorum caligine cruciantur, necnon inexhaustis fletibus alluuntur.

In hæc verba:

Eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus.

CONIECTVRA III.

EX SS. PATRIBVS.

SVspicabitur fortasse quispiam, inesse mihi ferum Ismaelis ingenium, de quo circumfertur hoc effatum ingloriúm: *Manus eius cōtra omnes, & manus omnium contra eum.* Meæ istæ lucubrationes in Euangelia nactæ lectores, qui dedere nomen suum Tostato Abulensi Episcopo, & Maldonato, viris profectò suspiciendis, parum aberit si non stomachum, bilémque commoueant, cùm passim eos auctores viderint à me recenseri, veluti scopos, in quos mea ferè tela semper intorqueo. Absit à me omnis liuoris suspicio. Neminem mihi in æmulum præfixi, vt famæ illius discrimine facerem mihi nomen grande. Sed in eruenda veritate à puteo Democriti ita totus insudo, vt eos discretè satagam remouere, qui mea tentata conamina remorantur. Vnde cùm alto scrutinio tentarim arcana Dei illucentis in infimis etiam locis, æquè ac in edito cacumine montium, nequeo stabilire sensus meos plerumque dissonos ab aliis, quin discutiam tenebras, quas sententiæ dispares offuderint. Quodque mihi magnam conciliabit fidem apud omnes, nihil ego contrarium aliis promo sine teste: quippe à pluribus annis magna & frequenti consuetudine Patrum vsus, eos conduco ad arbitrium conclusionum, quas adstruo contra sensum aliorum interpretum, ita vt sensus literalis, quem affingo Euangelio, eo sit nomine venerandus, quòd non neotericorum hominum faciem sequatur, sed priscorum Ecclesiæ Patrum lumine fulciatur. Itaq; quia reclamáte Maldonato dixi esse in inferno tenebras exteriores, sua opaca caligine futuras horrori impiis; & quia rursus contra Abulensem fletus mihi iuges fore acriter defendi; operæpretium est hos Doctores aduocare ad tribunalia procerum Ecclesiæ, vt inde percipiant ferri sententiam in gratiã meæ conclusionis.

Veritas est præferenda auctoritati expositorum.

Expositio auctoris in Euangelia innixa est Patrum sententiis.

Prior occurrit Basilius, tenebras illas exteriores affirmans, ex eo quòd lucida non sit flamma inferni. Sic ille: *Vox Domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obscurus quidem sit ignis supplicij, vi verò comburendi careat lux illa refocillationis, quæ est in cælis.* Plana sanè est Basilij sententia in eo argumento, nec detorqueri potest ad mysticum vllum sensum. Chrysostomus easdem meminit tenebras inferni hoc discursu. *Num paruam putas esse pœnam, in choro Sanctorum non constitui, ineffabilem gloriam non assequi*

EX SS. PATRIBVS.

Basilius homil. 5. in Psalm. 28.

Chrys. ho. 10. in c. 5. epist. 2. ad Corinth.

assequi? Ab illo cœtu, & ineffabilibus bonis procul abiici? Quomodo autem, ET TENEBRÆ erunt, & stridor dentium, & vincula insolubilia, & vermis immortalis, & ignis inextinguibilis, & tribulatio, & angustia. Hieronymus item commemorat has tenebras, vocans illas noctem, & etiam lacrymas adiicit, quidquid arguat Abulensis. Ita Hieronymus: *Decepta anima diabolica suggestione in noctem venit futuræ perditionis, vbi gemitum dabit perpetuum sine vlla consolatione. Ipsi enim spiritus maligni, qui eam ante per illecebras voluptatum in diuersa trahebant, tandem IN TENEBRIS exterioribus constitutam, perpetuis cruciatibus punire non cessant.* In ea etiam recensione tenebrarum est Augustinus, quando ingemit reprobis. Sed quid remoror Augustinum? ipse sua hæc pangat oracula. *Miseris mors est sine morte, & finis sine fine, defectus sine defectu. Quia & mors semper viuet, & finis semper accipiet, & defectus deficere nesciet; mors perimet, & non extinguet; dolor cruciabit, & pauorem non fugabit; flamma comburet, sed TENEBRAS non discutiet. Erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pauor, in combustione dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi, in supplicijs dolorem sentient, & in doloris angustia pauore ferientur, & semper tolerabunt, & semper timebunt, quia sine fine semper cruciati viuent, sine spe veniæ, & misericordiæ, quod est miseria super miseriam.* Audisti tenebras sua fœda aspergine inferos opacare: accipe iam fletus & tenebras simul, eodem Augustino assertore. Sic ille: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, quia nec ipsi consumentur. Vermis conscientiam corrodet, ignis carnem comburet, quatenus qui auctori suo corde & corpore deliquerunt, corde simul & corpore puniantur, cùm anima à beata vita separata erit, & corpus æternis supplicijs subiacebit. Ibi erit metus, & mœror, luctus, & dolor. Tunc verè nihil lugere erit nisi FLERE, quia pœnitere tunc nulli poterit valere: ibi erit tortor cædens, vermis corrodens, ignis consumens. Peccata detegentur, rei punientur, & hoc totum perenne. Dolor combustionis eos foris cruciabit, pœna cæcitatis intus obscurabit.*

Hieron. lib. 1. in c. 1. Lament. Ieremiæ.

August. l. 2. de Spir. & anima.

Ibidem. Tenebris, & fletibus impij torquebuntur.

Nota Augustinum amandare tropos & figuras ab hac inferorum specie, quam rursus ita delineat, gemitus atque caliginem impiis affingendo. Ecce seriem verborum eius. *Væ illis hominibus, qui habebunt mansionem cum diabolo, ex qua ascendet fumus tormentorum in sæcula; quorum vermis non morientur, & ignis non extinguetur: in qua nulla vox nisi gemitus, nulla requies sed semper inquietudo: in qua nullum habebunt refrigerium, sed semper flammam, vbi lux nunquam videbitur nisi TENEBRÆ, & non venient vnquam in memoriam ante Deum: quorum cibus est cruciatus, & mansio eorum cum diabolo.* Credo ego virum sanctum Iob, dum personam egit animæ peccatricis, hæc dixisse alludendo ad inferorum plagam. *Vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Nec me fallit opinio; mihi enim præiuit in ea sententia Gregorius interpres librorum Iob. Sanctus ille Antistes etsi videatur explicare tenebras illas de cæcitate interna; tamen vtrasque tenebras, interiores scilicet & exteriores, impiis affingit, affirmans in inferno summam fore caliginem.

Idem ser. 99. de Sanctis. Descriptio miseriarum Inferni.

Iob. 10.

Audiendus ille Præsul è sede Petri decernens quid in eo argumento sit credendum. Ecce textum Pontificis. *Quid terra tenebrosa nomine, nisi terra tartari claustra signantur, quæ æterna mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum à vitæ luce disiungit. Nec immeritò infernus terra dicitur, quia quicunque capti ab eo fuerint, stabiliter tenentur. Rectè igitur inferni claustra, tenebrosa terra nominantur; quia quos puniendos accipiunt, nequaquã pœna transitoria vel phantastica imaginatione cruciant, sed vltione solida perpetuæ damnationis seruant, quæ aliquando etiam laci appellatione signatur, Propheta attestante: Portauerunt ignominiam suã cum his qui descendunt in lacum. Infernus ergo, & terra nominatur, quia susceptos tenet stabiliter, & lacus dicitur, quia eos quos semel cœperit, semper fluctuantes & trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Loca autem illa dicuntur miseriæ, & tenebrarum. Miseria ad dolorem pertinet, tenebra ad cæcitatem; quia foris dolor cruciat, quos diuisos à vero lumine intus cæcitas obscurat. Vbi vmbra mortis, & nullus ordo: vmbra mortis est obscuritas diuisionis; quia damnatus quisque, cùm æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura ignis est, vt ex seipso, & lucem habeat, & concremationem. Sed vltrix illa flamma vitiorum, concremationem habet, & LVMEN NON HABET. Vnde tenebræ exteriores vocantur. Vnde Psalmista ait: Super eos cecidit ignis, & non viderunt Solem. Ignis enim super impios cadit: sed Sol igne cadente non cernitur; quia illos, quos gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat; vt & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret; vt simul corde & corpore puniantur, & vtrobique pœnas sentiant, qui dum hic viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant.*

Greg. lib. 9. Moral. c. 38.

Multis nominibus inferi nuncupantur.

Ezech. 32.

Qualis sit natura ignis Inferni.

Psalm. 57.

Non sunt ergo tantùm spirituales tenebræ in inferno, illæ videlicet quæ mentem obnubilant densa caligine infidelitatis, & excæcant, vtpote nesciam rutilæ huius lucis, quæ à Deo diffunditur: sed sunt tenebræ horrore suo impiorum corpora percellentes. Hunc tenebrarum & horroris in inferno nexum insolubilem pergit describere Gregorius hoc contextu. *Dum damnatur quisque, foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus, interiùs exteriùsque confunditur, vt sua deteriùs confusione crucietur, & sempiternus horror inhabitet. In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam cœperit quod metuebat. Infirmum verò, & vmbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat. Quia eius ignibus traditi, & in supplicijs dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsante, semper pauore feriuntur, vt & quod timent tolerent, & rursum quod tolerant, sine fine pertimescant. Hic flamma quæ succendit, illuminat; illic ignis qui cruciat, obscurat: hic metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit quod timebatur; illic & dolor laniat, & pauor angustat, &c. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Supplicia in se demersos & vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguendo seruant; mors perimit, & non extinguit, flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit.*

Idem in c. 10. Iob.

Quàm iniqua sit sors damnatorũ, & quibus afficientur pœnis.

Faxit Deus vt discursus iste fletuum atque tenebrarum nos liberet ab hac supellectile inferni,

Meditatio pœnarũ Inferni debet hominẽ excitare ad virtutũ praxim.

ingerendo cupidinem gratiæ & virtutum, quarum suffragio liberantur animæ ab illis æternis angustiis. Parum est nosse immanem carnificinam inferorum, nisi contingat eam euadere, dato repudio noxiæ voluptati. Eo intento Chrysostomus quandoque suis auditoribus memoriam tartari refricabat, vt fierent meditato illo tormine cautiores. Sic ille: *Oro atque obsecro, vt quando de gehenna quicquam audimus, compungamur.* Chrys. ho. 44. in c. 12. Matt. *Nihil enim certè hoc sermone iucundius est, nihil his rebus amarius: quoniam res tristis est, idcirco qui ab ea re procul se amouent, sermones suauissimi sunt. Praterea hac audiendo anima ad se conuertitur, & cautior facta effertur cautius, & volat sublimius, maligna cupiditatis expulsat tyrannidem. Ita hac de gehenna verba, ne in gehennam venias, efficiunt.* Vtinam apud te, ô lector, eumdem effectum mea eloquia sortiantur.

MORALIS EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME literaliter expensi.

TEXTVS EVANGELII DISSECTVS in tot numeros, quot sunt versus moraliter explicati.

Matth. 8. I. CVM introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum.

II. III. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit.

IV. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit:

V. Amen dico vobis: Non inueni tantam fidem in Israël.

VI. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

VII. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

MORALIS EXPOSITIO, distincta in tot titulos, quot sunt propositiones morales probatæ omnium scientiarum suffragio.

I. VT rerum omnium compage dissoluta, sors earum iniqua est, quia pessum eunt. Ita & abdicato Dei dominio deplorata est hominum salus. Nam prater libertatem qua excidit homo transfuga.

II. Multis arumnis factus est obnoxius, quibus eius iniquitas asperè castigatur.

III. Tamen vt miserationes Dei sunt intermina, & aliis eius operibus eminent; non adeò conclamatum est in hominem fugitiuum, quin adhuc residua sit spes reducis gratia, si ad eam se vult accingere pro modulo suo.

IV. Nemini namque deest Deus, & eum quem dignatur illapsu gratia non restaurat tantùm, & reddit indoli pristina; sed insuper alia pleraque charismatum adiicit incrementa, quibus anima facta vegetior, non respirat tantùm ad salutem, sed comparat sibi magnos cumulos meritorum.

V. Sed vt in gyrum omnia qua sunt hominum aguntur assiduè, operapretium est aduertere, ne malè gyret homo. Itaque æmulari debet motum illum cæli superioris, quo cæli inferiores aguntur in orbem. Ab Oriente vergit ad occasum. Eo planè modo homo pertasus tyrannidem diaboli, mundi, & carnis, debet initiari gratia illabente, & à Deo solo oriunda. Quippe frustra aliunde quis tentat Deum conciliare sibi, quam gratiæ

gratia obsequio, citra cuius ortum omnia tenebrescunt.

VI. Anima sic calitus exornata Deo irradiante, habet quòd gestiat in eo gratia exortu; sed cauere debet, ne gratia illa rutila occidat ante occasum hominis; cassa nempe est gratia, & irrita in ordine ad vltimum effectum suum, nisi adiiciatur ei perseuerantia donum, imponens colophonem toti virtutum choro, qui marcescit, nisi indeficiente gratia vegetetur.

SENSVS MORALIS.

Homo alterius domini quàm Dei obsequio addictus, ingloriam patitur seruitutem.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.

SECTIO PRIMA.

Hebræa lingua omnium prima.

INsonuit auribus hominum lingua Hebræa præ aliis omnibus, ideoque vt primogenita dotes quam plurimas habet, ignotas aliis dialectis. Hinc fit vt codices Hebræi venustate sua excidant alio idiomate transcripti. Habent enim singula quæque vocabula suos apices, & puncta multis fœta arcanis, quæ nullo omnino modo reddi possunt à Græcis, & Latinis, in quorum libris ex Hebræo fonte deriuatis infinita propè mysteria abdita delitescunt. Verbi gratiâ, eadem vox Hebræa, quæ dominum significat, si de Deo vsurpatur, scribitur per Kamets, id est a longum, אדני *Adonai*: si verò res est de homine, scribitur per patach id est a breue. Ast ille lepos omnis abest à Græcis, & Latinis, qui promiscuè vocem hanc, Dominus, vsurpant de Deo, & homine cui competit aliquod dominium in aliorum capita, quamuis in Deo & homine longè dispar sit ratio dominandi. Vtriusque domini; , Dei scilicet & hominis, esse omnino alia argumenta, luculenter explicat illa dialectus Hebræa, vocalem longam affingens vocabulo illi, quod breuiore vocali notatur cùm dominium hominis insinuat. Obseruatio est hæc Rabbini Dauidis Kimchi, congruè aduertentis illammet dictionem, Adonai, cùm Deum Dominum lectori ingerit, habere a longum, quia dominium eius est regnum omnium sæculorum, ac proinde illi tantùm conuenire vocalem illam longam, quia in æternum vocabitur Dominus ore diducto, conclamantibus Angelis & hominibus ad eum pertinere rerum dominium, qui est Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth.

Dominium Dei quomodo differat ab eo quod habent creaturæ.

Rab. Dauid Kimch. in lib. radicum.

Deus solus est reuera Dominus.

Non ergo erit inglorium homini suum pendere obsequium Domino illi, infra quem summi etiam hominum & Angelorum apices inclinantur; Christo inquam obsequi non erit indecorum, cùm ad crepidinem tribunalis eius deponantur vltro à Regibus præcipui omnes tituli principatus. Has esse Regum partes Ioannes vidit positus in ecstasi. Ecce ideam raptus eius. *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Nonne igitur est, quòd abundè defleamus iniuriam, quæ Deo infertur ab hominibus impiis, qui se subducunt dominio Dei, vt deflectant ad duram seruitutem, qua premuntur à rebus infimis, quibus se totos animo & corpore deuouerunt. Vt huic discrimini occurram, dispescam istam sectionem in duas partes, quarum prior adstruit dominium Dei, probans illud multifariàm. Altera parte ostendam quàm ingloria sit seruitus hominum, qui vt ad creaturas diuerterent, à Christo Domino defecerunt.

Quàm gloriosum sit homini habere Christum pro Domino.

Apoc. 4.

Diuisio sectionis huius in duas partes.

PARS PRIMA SECTIONIS.

Quàm multis titulis rerum omnium dominium summum ad Dominum Deum præpotentem pertineat.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex Ivre Civili.

NE quis in vado hæreat, inuestigans vnde deducatur vox illa, dominus, operæpretium est, de ea tres principes linguas disputare quasi de proprio sibi fœtu. Hebræi subodorantes aliquid de suo penu in illo vocabulo, volunt illud esse surculum radicis דמם *damam*, id est, compescuit. Nam participium דומם *domem* compescens, aliquid simile sonat ac Dominus, cuius etiam est compescere subditos & sic obedientes reddere. Græci verò obiiciunt nomen illud fluere à verbo δαμάω id est, domo, vel subiicio; proprium enim est seruorum à dominis edomari. Inter duas linguas litigantes, Latina pæana canit, arguens dominum dici à domo, quia domui præest, & domesticis; nō enim est dominus sine domo: nec valet instantia eorum, qui obiiciunt dominum non dici à domo, quia ille, qui ædificauit sibi domum in solo alieno, cadit iure suo, nimirum domus illa cedit domino soli. Nam vel sic posset vox, dominus, deduci à domo; siquidem nomine domus non tantùm parietes & septa ædium significari solent, sed etiam domestici; quo sensu plerumque dominus cum tota domo dicitur exire in agrum, quando paterfamilias foras prodit stipatus agmine toto filiorum & seruorum. Sic eam vocem vsurpauit Codex sanctus, dum recensuit cladem Dauidi illatam ab eius filio perduelli. En tragœdiæ priorem actum. *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & reliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Ibi vox domus bifariàm subiicitur; primò pro familia, secundò pro ædibus. Placet igitur illa deriuatio vocis, dominus, à domo voce æquè Græca ac Latina: nam δόμος domum significat, vt & δῶμα. Itaque ex ipso nomine dignitas dominij Dei elucet quanta potest esse maxima, quia ad eius familiam pertinent hominum omnium capita, & omnes ordines Angelorum.

Vnde deriuetur vox illa, Dominus.

L. Redemptores ff de rei vindic. lib. 6. tit. 1. lege 40.

2. Reg. 15.

Expoliato cortice vocis huius, dominus, vacemus iam medullæ indagini, & scrutemur quid sit dominium. Dico, dominium esse facultatem, qua quis solus rei propriæ moderamen habet, & dispositionem. Sic ego definio dominium, quia non

Quid sit dominium.

non accident aliorum definitiones, vt inutilæ. Mea definitione omnia concludo, quæ pertinent ad rationem dominij,& excludo illud dominium, quod Lessius introduxit, volens fideiussorem, seu vsufructuarium vt loquuntur Iurisperiti, habere reuera dominium; hoc statim improbabo ex fontibus Iuris Cæsarei, vbi præfatus fuero, meam definitionem duo animis ingerere. Primum est, dominium dicere auctoritatem seu potestatem in domino. Alterum est, eo dominio dici subiectionem in re, quæ alteri subiicitur, ita vt possit dici esse alterius. Potestas illa disponendi plenè de re sua, dicitur dominium in persona priuata, vt ait Paulus ille celebris Iurisperitus. Si verò potestas hæc plenè moderandi res & personas attendatur in Magistratu, Vlpianus eam nuncupat Imperium, quod est supremum dominium. Dixi, facultatem illam, vt reuera sortiatur rationem dominij, debere esse vnius, alioquin illius hominis potestas faciens dominium extenderetur in rem alterius, & non in propriam; proprium enim non est, quod & ad alterum pertinet: illudque tantùm est proprium, quòd vni tantum conuenit, proprium enim & singulare sunt synonymæ voces, vt Iustinianus ait, vel vt Iabolenus inquit: *Proprium est, quod non est commune cum socio.* Eamobrem Vlpianus maturè examinata indole dominij affirmat, duorum non posse dari dominium, quia si vterque dominus est, neuter erit.

Lessius de iustitia & iure l.2.c.3.

Ex Ivre Civili.

Paulus Leg. Potestatis ff. de verb. signif. l.50. tit.17. leg.215.

Lege. Qui furere l.2. tit.5. ff. de statu hom. lib.1. Institut.

Lege omnes popul. de iustitia & iure.

Iabolenus Leg. Proprium solum 5. ff. com. præd. l.8. tit.4.

Magni momenti est hæc quæstio ad sensum moralem eliciendum, & probandum vnum duntaxat esse Deum rerum omnium dominum. Probo intentum ex definitione dominij, quod dicit ius in rem propriam. Exempli gratiâ, dicas Petrum & Paulum esse dominos vnius eiusdémque serui, ostendo absurdum inde emergens. Vel ille seruus est proprius Petri, vel non. Si non est proprius Petri: ergo non erit dominus eius, quia dominium dicit subiectionem rei, quæ ita debet esse propria, vt dicatur eius esse, qui habet potestatem in eam. Si autem sit proprius Petri ille seruus, iam Paulus non erit dominus eius, quia quod singulare est, communicari nequit pluribus, ac proinde stat effatum Vlpiani affirmantis, vnius rei in solidum dominium non posse esse duorum, cui assentitur alter Iurisperitus Tryphonius. Adieci, potestatem illam debere versari in rem propriam, vt excluderem illud dominium, quod Lessius inuehit loquens de vsufructu, in quem ius habent plerique, ad quos proprietas rei non pertinet. Hos vocat Lessius dominos, sed reuera impropriè & contra stylum Iuris Cæsarei, quo res sua subiectione dominium creans, dicitur corpus rei, & non vsus. Nam ipse vsufructus tantùm abest vt dominium dicat, quin potiùs seruitutem inuehit, vt probat Paulus ipsa eius definitione quæ hæc est: *Vsusfructus est ius alienis rebus vtendi, & fruendi salua rerum substantia.* Vnde quia tenentur vsufructuarij ad sartas tectásque res tuendas, quarum vsum habent; illa obligatio eos obstringit instar seruitutis. Idcirco idem Paulus insignis & famosus Iurisconsultus ait, nec eos posse dici dominos, qui conduxere in perpetuum fundum vectigalem. Ratio autem quare fideiussores, & Emphyteutæ, aliique penes quos est aliquod depositum, quo iure vtuntur, non sint domini, hæc est, quia non habent ius in rem, quam nequeunt aliis pretio diuendere, aut de ea ad arbitrium suum disponere in vita & in supremo agone. Disponere autem nemine inuito de re aliqua, est sincera tessera dominantis, vt definit Imperator in ipso rudimento Iuris, id est, in Institutionibus. Impropriè ergo dicitur dominium illa potestas, qua quis vtitur in fructus rei, quæ ad alium pertinet.

Vlpianus Leg. Si vt certo §. Si duobus commod. lib.13. ff. tit.9.

Tryphon. Leg.19. Inhærend. §. Pater ff. de castren. pec. l.49. tit.17.

Paulus L. rectè dicimus ff. de verborum signif. l.50. leg.25.

Idem Lege 1. ff. De vsufructu.

Iustinian. Institut. lib.1. §.1. De lege Fusiâ Can.

Rursus dominium illud sibi vendicans corpus rei subiectæ duplex est. Vnum dicitur plenum seu perfectum, aliud non plenum, seu imperfectum. Dominium plenum est potestas, qua quis liberè corpus rei, & fructus eius regit, & pro arbitrio suo moderatur. Ita Iustinianus, & Tryphonius. Dominium imperfectum est, quando fructus rei propriæ cedunt in ius alterius, vt videre est in emphyteosi, fideiussione, deposito, & pignore. His prænotatis, liquida est tituli seu articuli huius assertio, tribuens Deo summum rerum omnium dominium. Nam tale dominium, quod dicitur imperium, illi soli competit, etiam ex solo Iure Cæsareo petitis rationibus. Etenim soli Deo potestas competit in omnia, vt in res proprias. Vnde & Psaltes assertor huius pleni & perfecti dominij sic occinit. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Dices, Deum non habere plenum dominium; quia etsi retinuerit sibi ius in corpora rerum; vsus tamen cedit in ius hominum, quibus dedit vti rebus his infimis, iuxta Dauidis eloquium. *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Respondeo, homines non posse dici habere integrum illum vsum rerum, quem requirit lex constituta de vsufructu. Primò vsusfructus dicit ius vtendi & fruendi alienis rebus: homo autem nullum ius habet vtendi rebus, sed ad arbitrium Dei vtitur rebus, quantum patitur Dei benignitas. Vnde quia Dei indulgentiæ est, & non iuris ab homine acquisiti, quòd vtatur rebus editis in commodum hominum; non potest inde ius plenum Dei Domini decurtari. Rursus ille Dominus dominij sui consortes nescit, quia res omnes adeò propriæ sunt illi, vt eas nemo planè cum illo æqualiter participet. Et licet Deus non vtatur creaturis vt homines, quibus earum aliqualem vsum remittit; habet tamen ius in omne quod possunt res omnes editæ, quas etiam inuitas dirigit ad gloriam suam; quia etiam damnati iustitiam infinitam illius dominij propalabunt.

Iustin. lib.2. Institut. 4. §. finali de vsufructu.

Tryphon. Leg.81. ff de iure dot. l.23. tit.3.

Deo soli cõpetit verum dominium rerum omnium.

Psalm.23.

Instantia contra dominium Dei.

Psalm.113.

Solutio instantiæ.

Quid sonet vox, vsusfructus, & an competat homini citra res ei concessas à Deo.

Deus etiam inuitis creaturis vtitur ad gloriam suam.

Itaque in confesso est, Deo soli competere plenum dominium, atque adeò errare eos, qui sua deuouent obsequia aliis dominis, reuera egenis, cùm ipsi ditiores in sæculo multis indigeant, quorum tamen copiam ad modicum tempus Dominus impertitur.

SENSVS MORALIS.

Omnium Regum dominium esse infra dominium Dei.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Historia.

VT ex Seneca nemo miser nisi comparatus; ita & nemo summus nisi infra eum alij omnes

Quis possit dici summus.

omnes apices inflectantur. Vt ergo innotescat quantùm assurgat dominium Dei, lubet cum eo componere principes, qui suo fastu etiam sidera transcenderunt. Prior superbiæ aura distentus occurrit Pharao, qui in tantùm intumuit, vt audito nomine Dei, quem Moyses Dominum nuncuparat, ille consortis impatiens dixerit: Quis est iste Dominus? nescio Dominum. Sed Deus in argumentum suæ potestatis, culicum aculeis deposuit illum fastum, & Regem blasphemum, qui enixus erat in æthera emendicatis alis à gloria, depressus est in abyssum pelagi dehiscentis. Huius insolentiam æmulatus Nabuchodonosor voluit abolere Dei cultum, & proposito omnibus suo simulacro, Dei infulas vsurpare. Hanc impietatem vltus est Deus exauthorans illum Regem, quem regno pulsum cum bestiis victitare fecit in saltibus exulantem. Postea castigatum hominem regno restituit confitentem Deum esse Dominum, cui præexcelsa quæque debent meritò famulari. Sic ille: *Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi; & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti?* Hac luculenta confessione Deum demeruit Chaldæus ille Princeps, dominij omnis summam refundens in Deum, cuius est propriè dominari.

Exod. 5. Pharaonis fastum Deus culice compescuit.

Dan. 4. Nabuchodonosor superbia quomodo à Deo humiliata.

Consonat & his Augusti Imperatoris modestia illa insignis, qua renuit honorem præcipuum sibi à Senatu delatum. Nempe coëuntibus suffragiis annuerunt omnes Augustum appellandum esse dominum, vt fieret fides præsagio cuiusdam astrologi, qui eo momento quo natus est Augustus, exclamauit, eo die natum esse dominum mundi. Gratum quidem habuit ille honorem delatum sibi à Senatu; sed noluit hunc titulum indicem summi dominij, vetans se illo ambitioso domini nomine nuncupari. Christiani auctores animaduerterunt illud omne gestum esse Christo nato, qui reuera Dominus erat eorum omnium, qui domini nomine censentur. Eo facinore egregio Augustus morem gessit Dauidi solicitanti, homines ad confessionem huius dominij, ad Deum duntaxat proprie pertinentis. Ita ille præcentor occinit: *Confitemini Domino Dominorum.* Huic consilio obsequentem se præstitit Augustus, refutans illud grande nomen domini, & insuper erigendo aram Ignoto Deo, cuius & speciem in nubibus dicitur aspexisse. Magnum sanè fuit, in sæculo illo fastuoso, quo tripartitum Imperium Romanorum tres dominos habuerat, Augustum, Antonium, & Lepidum; inuenisse Principem, qui cederet titulo vltrò sibi oblato, in argumentum summæ potentiæ, aliis Principibus hactenus inconcessæ.

Sueton. in Augusto. Augusti modestia insignis recusando titulum domini.

Psalm. 135. Christo nato nemo ausus est vsurpare nomen domini mundi.

Plenum hoc Dei dominium expertus, & confessus est Rex Christianissimus Clotarius, qui rerum præclarè gestarum gloriâ in cothurnos assurgens, ampliatis ditionis suæ pomœriis, tandem in morbum incidit, & vt fert rerum humanarum sors, properantis occasus sui præsensit indicia. Tentauit pharmacis conciliare sibi vitam, quæ exosa effœtum corpus quotidie fatiscebat. Vt familiares videre Regem anxium, & de propaganda vita nimis solicitum, præmonuerunt deploratam esse salutem & præclusam omnem spem reducis sanitatis, & instare moras, quibus Deus conueniendus erat, ac proinde satageret vt congruo apparatu tanto domino sisteretur. Ea admonitione Rex cautior effectus, & sibi ipsi redditus æternis suis prouidit rebus, admiratus & confessus supremum Dei dominium, defungens ista sæpe repetita sententia: Reuera Deus magnus est Dominus, qui dominorum mundi huius præscindit vitam ad arbitrium suum, nemine reluctante. Illud effatum Regis in supremo agone positi consonum est isti Dauidis eloquio: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, &c. Ecce Reges terræ congregati sunt: conuenerunt in vnum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis.*

Historia Gallica in Clotario 1.

Clotarij Regis vox suprema confitens altissimum Dei dominium.

Psal. 47.

Nemo planè Regum adeò desipit acturus animam, quin agnoscat hunc præexcelsum Dominum, cui nec fidei desertores sua tunc potuerunt obsequia denegare. In his Iulianus apostata celebris est, qui omne suum ingenium præcipuè deuouerat cultui idolorum, quem vt extinctum redintegraret, Christo Domino se præstitit iniurium, in Christianos igne & sanguine debacchando. Tantumque potuit rabies hostis acerrimi nominis Christiani, vt rarus esset, qui Christum eo tempore coram Iuliano Dominum appellaret. Etenim ille Christum ad ignominiam Galilæum appellabat, & filium fabri. Tamen vt intumescens mare frangitur in littore, & exiguo pulueri humile pendit obsequium; ita Iulianus elatus præcoci fato dum animam ageret, dicitur exclamasse: Vicisti Galilæe, vicisti. Sicque inuitus, à Domino victus herbam ei porrexit; Christo, quem Galilæum irriserat, victoris titulum affingendo. Plures huius argumenti historias recensui primo & altero tomo huius Moralis Encyclopædiæ, quas vide ex indice, vnde reperies Celsum Ducem Venetum, qui ne insolesceret euectus in apicem Reipublicæ totius orbis florentissimæ, bello & pace clarissimæ, iconem cudit, vbi ex pileo ducali eminebat Crucifixus hoc titulo explicante animum Ducis. NON MIHI SED CHRISTO. Quasi diceret: O Veneti nolite me suspicere vt dominum, sed refundite in Christum omnes honoris, & reuerentiæ titulos eminentes. Ibidem habes historiam Canuti Regis Angli, qui coronam suam imposuit capiti Crucifixi, dicens vnum tantùm Christum esse diademate dignum, vt cuius esset dominium rerum omnium editarum.

Iuliani rabies in Christum.

Iulianus moriens agnoscit furens dominium Christi.

Theodoret. lib. 3. c. 20. hæc recitat de Iuliano.

Celsi Ducis Venetorum insignis pietas.

Petrus Iust. in histor. Veneta sub Celso Duce.

Histor. Angla in Canuto.

Canuti Regis Angliæ mira confessio in gratiâ dominij Christi.

Cùm ego præalta quæque dehiscant ante Dominum hunc rerum; quid cunctamur & nos ei vilia capita famulari? Si eius sunt omnia; quare nos vitio nostro subducimur eius imperio, addicti rebus ingloriis? Si omnia profitentur eius principatum & ius plenum in omnia; quorsum illius arbitrio morem gerere impiè detrectamus?

SENSVS MORALIS.

Indubium est Dei dominium in omnia, quæ orbe toto prostant.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus,

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex Philosophia.

Ratio in persuadēdo pluris est quam historia.

TAmetsi lucem plurimam afferat historia rebus dubiis, vt beneficio eius quisque cōsulat sibi æmulatus egregia facinora, quæ priscæ ætatis proceres exantlarunt; rationi tamen inest vis aliqua vegetior, & magis idonea ad ancipites animos obstringendos. Philosophia illam nobis prætendet facem, vtpote ratiocinandi maxima disciplina. Sic illa nobis ingerit, Deum esse sine controuersia Dominum omnium nostrum. Quicquid editum est, illud bifariàm spectari potest, absolutè scilicet, & respectiuè. Primum enim res intelligitur in esse absoluto quàm in esse relatiuo: fundamentum enim præsupponitur ædificio; res autem absolutæ sunt fundamenta relationum, quia vt bene arguit Simplicius, relatiuorum substantia est ante relationem, & habitudinem. Verbi gratiâ, primò intelligitur humana natura, deinde relatio paternitatis & filiationis inquiritur. De homine in esse absoluto non est hic arguendi locus; quomodo scilicet anima & corpore constet, quibusque dotibus emineat cæteris animantibus. Præcipua eius quæstio est de illius esse relatiuo; nihil enim omnino à Deo progenitum est ad esse absolutum, sed omnia ad aliquid referuntur, sicque præcipua rerum omnium consideratio pertinet ad relata. Imò tota Philosophia occupatur in ea indagine, rimans quò vergant rerum omnium ingenia, & quem habeant sibi finem ab opifice præstitutum. Scrutari autem ad quid singula quæque referantur, illud est negotium pertinens ad studium relationum, cuius obsequio vide quàm appositè se prodat dominium Dei, nemine refragante.

Ex Philosophia. *Simplicius in 8. Physic.*

Nihil simpliciter ad esse absolutum creatum est, sed omnia ad aliquid referuntur.

In confesso est Deum omnia fecisse in ordine ad se, iuxta illud Salomonis. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.* Sic in creaturis considerare est duplex esse relatiuum. Vnum scilicet quod habent ex natura sua vt creaturæ sunt. Alterum quod habent ex intento Dei, quo ordinatæ sunt ad gloriam Dei. Cùm ergo ex Aristotele relatorum natura sit esse ad aliud, & relata non sint sui causa, sed ad aliud referantur; operæpretium est homini sedulò inquirere quomodo & quare ad Deum referatur, & ea indagine dominium Dei omnibus innotescet. Nota, relationes alias esse transcendentales, alias verò prædicamentales, quarum discolor habitus ad duas ferè differentias reduci potest. Harum prior hæc est, quòd relatio prædicamentalis respicit terminum suum purè & gratis, absque intento aliquid exercendi circa illum terminum. Eo pacto pater & filius sunt termini correlati, quia nudi & puri sunt respectus eorum ad inuicem. Transcendens verò relatio alio intuitu fertur ad terminum suum, nimirum cum respicit, vt aliquid ei præstet, vel vt ab eo quidpiam recipiat, vt creatura ad creatorem refertur, vt ei honorem præstet, & ab eo accipiat influxum, citra quem omnia pessum irent. Altera disparitas attenditur ex subiecto: nam relatio prædicamentalis est forma accidentaria adueniens subiecto, cuius natura potest esse absque illa forma; vt pater moriente filio illa priore relatione cadit, nec desinit tamen esse homo substantialiter idem qui prius. At relatio transcendentalis non afficit subiectum formâ noua, quæ referat illud ad terminum, sed includitur essentialiter in eo quod refertur; vt creatio nihil addit Deo etsi dicatur in tempore creator: non enim est creator propter creaturam, sed hæc relatio fundatur in potentia illa quæ è nihilo eduxit creaturas; potentia autem illa nihil addit Deo, sed est ipsemet Deus, cui nihil omnino potest deforis aduenire. In homine verò relatio creationis ad creatorem multa dicit præter hominis essentiam. Primum est obligatio se gerendi ad arbitrium conditoris, cuius est non educere tantum ex nihilo res creatas, sed etiam omnia edita conseruare.

Prouerb. 16.

Aristot. lib. de prædicamentis cap 7.

Relatio duplex attendi potest in creaturis.

Relatio prædicamentalis quomodo differat à transcendentali.

Relatio creaturæ ad creatorem quidnam homini adiiciat.

Alterum quod exurgit in homine præter hoc debitum, est æterna subiectio: illud enim subditum est, in quod quisius aliquod exercere potest; & talis erit subiectio, qualis erit potentia in alio. Ergo cùm Deus omne ius habeat in homines, ad eum pertinet omne dominium, atque ita merebitur summus omnium Dominus appellari, non relatione prædicamentali, quæ aliquid Deo adiiciat, sed relatione transcendentali, quæ subiectum ipsum referat ad aliud sine vllo incremento rei denuo acquisitæ. Rursus, nemo inficiatur, in creatis reperiri rationem dominij, Deo ipso annuente aliquos homines vocari dominos ratione insitæ dignitatis. Ergo cùm à Deo acceperint illud dominium homines, necesse est in Deo requiri maius dominium, vtpote à quo effluxit gratia dominandi. Fauet Philosophus ille, cuius circumfertur istud axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale est.* Ergo iuxta Aristotelis illam sententiam Deus erit maximè Dominus, quia à Deo omnes domini habent vt tales sint, id est, à Dei dominio, quod aliquomodo participantes, domini nuncupantur. Omne autem hominum dominium annuente Deo hominibus impertiri, res est indubia, & conscio Paulo Apostolo confirmata Sic ille: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; & habebis laudem ex ea.*

Dominium summũ quare ad Deum solum pertineat.

Aristot. 1. Poster. c. 2.

Rom. 13.

Dominium Dei non timorem sed amorem debet incutere.

Cùm dominium Dei summum probo, nolo inde timorem incutere sed amorem; Principes namque bonis operibus timorem non inurunt, sed iniquis. Vt ergo propitium tibi sit illud dominium, quod maximè in Deo viget, vaca sedulæ virtutum praxi, & Deo fauente referes stipendia tuæ congrua probitati.

SENSVS MORALIS.

Nihil omnino potest effugere dominium Dei.

In hæc verba :

Puer meus iacet in lecto paralyticus.

ARTICVLVS IV.

Ex Theologia.

Ex Ivre Civili. *Lege Quoties 15 Cod. De rei vindicatione.*

IVre Cæsareo duo requiruntur ad hoc vt quispiam gaudeat dominio. Primum est titulus, alterum est traditio rei, quæ cedit in potestatem domini. Titulus est ratio aliqua, beneficio cuius euincat quare quis habeat ius in aliquid. Huiusmodi rationes quàm plurimæ sunt, vt emptio, donatio, successio, hæreditas. Non tamen his præcisè stabilitur dominium, nisi & traditio rei consequatur. Vnde si quis agrum tibi ære appenso vendidisset, nec traditione præambula tibi copiam fecisset agri; potest & alteri denuo vendere, & hic secundus emptor si possideret agrum traditione, & pedis sessione, nequit à te conueniri, sed actio tibi competit in venditorem, vt ait Imperator. Duo hæc coire ad dominium, titulum scilicet, & traditionem, duæ subiectæ leges hoc adstruunt. *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.* Vnde si inito pacto, nulla comite traditione quis promitteret se daturum ædes, imò iureiurando oppigneraret fidem suam, nullo extante chirographo, & non aditis ædibus vt eas sui iuris faceret is, cui promissæ sunt, nullum inde exurgit dominium virtute pacti initi eo modo quo antea prælibaui. Quippe sic Iure cautum est. *Traditionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur.*

Leg. Nunquã 31. ff. De acquir. rerum dominio.
Lege Traditio 20. Cod. de pactis.
Quot cautelæ requirantur ad verum dominium adstruẽdum.

Nihil planè excipitur à Dominio Dei.

Quamuis dominium Dei non appendatur ad trutinam alterius dominij vtpote alterius omnino rationis, ab eo dominio quod transfertur ab vno in alium hominem, nec volo huic etiam deesse parti, vt præteream rationes ex Theologia, quæ adstruunt hoc dominium Dei in homines, in quos ius habet Deus ratione potentiæ suæ adeò absolutæ in homines, vt nihil planè excipiatur ab hoc iure Dei; potest enim & corpus occidere, & animam in gehennam protrudere. Namque Deus non refertur ad creaturas ratione creationis, sed ratione eius potentiæ, quæ creauit: alioquin nec vlla transcendentalis esset relatio Dei ad creaturas, quia creatio earum præteriit, quod est falsum, cùm in Deo citra dispendium eius simplicitatis, vt ait Thomas, multæ relationes reperiantur ad creaturas, quæ desinunt citra mutationem Dei, quando creaturæ deficiunt. Cùm autem potentia illa rerum effectrix sit infinita, talemque in Deo creatio præsupponat; titulus ille immensum probat dominium Dei: imò audacter dicam, nec Deus ipse volens potest excidere dominio illo in homines; quia sic eius esset potentia decurtata, quia non posset in homines quidquid vellet. Ast Deum aliquarum rerum impotem efficere blasphemum est. Ergo & absurdum credere aliquid posse se subtrahere dominio Domini huius rerum potientis.

Ex Theologia. *Thom. 1. qu. quodlib. q. 7. De potentia art. 11.*

Summũ Dei dominiũ in quo fũdetur.

Nomine traditionis includitur possessio requisita ad rationem dominij. Siquidem nemo dominus est rei, quam non possidet. Est enim dominium ius in rem propriam: at non est res propria, quæ ab alio possidetur. Vt ergo Deus sit Dominus noster, non sufficit titulus ille potentiæ infinitæ, qua ad arbitrium suum animas potest & corpora moderari. Sed præterea requiritur possessio, quæ à iurisperitis dicitur pedis positio super agrum, fundum domus, &c. Possessionis nomine vsurpantur res etiam possessæ. Alia est possessio facti, alia est possessio Iuris. Possessio facti est detentio rei, corporis, & animi, & iuris adminiculo. Nomine rei intelligo res corporeas, & incorporeas, vt beneficium, & ius aliquod spiritale, quod reuera possidetur. Detentio illa fieri debet corporis adminiculo, quia vt valeat sitque legitima possessio, debet res aliquali modo corporaliter apprehendi manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se, aut vasculo, pro natura rei. Ritus ille adeò priscis etiam temporibus inualuit, vt dominium dictum sit mancipium, quia potissimum manuum apprehensione hoc ius acquireretur. Eamobrem res mancipari dicebantur, quæ erant dominio subiectæ; & homo sui mancipij erat sui iuris.

Lege 1. ff. De acquir. vel amittend. poss.

Possessio duplex, & vtriusque definitio.

Dominium quare dictum olim mancipium.

Dicitur etiam illa detentio peragenda non corporis tantùm sed & animæ adminiculo, vt sit possessio facti: etenim quod quis detinet corporaliter, sine animo possidendi, illud non reuera possidet, vt videre est in eo, penes quem est abditum depositum. Is possidere haudquaquam dicitur rem illam depositam, quia eo animo non detinet, vt eam suam iuris efficiat. Addidi detentionem rei debere fieri cum iuris adminiculo, sine quo cuiusque rei detentio facta inuito iure, furtum est, aut sacrilegium. Vnde qui fundum Ecclesiæ diu detinuit corpore & animo malis artibus, repetenti fundum illum non potest obiicere exceptionem præscriptionis, quia possessio malæ fidei non præscribit. Ea est Summistarum in eo argumento sententia. Rursus vt omnimodè dominium Dei in homines eluceat, operæpretium est scire, quid sit possessio Iuris, vt à denominatione Dei secernamus omnia indebita.

Quid requiratur ad verã possessionem facti.

Sil. verbo dominium qu. 2. Couaruuias ad regulam Possessor. p. 2. num. 2.

Possessio iuris quid sit.

Hæc igitur esto declaratio rei præfatæ. Possessio iuris est ius insistendi alicui rei tanquam suæ non prohibitæ possideri. Dixi illam possessionem esse ius, vt inde supponerem possessionem facti, quæ est formaliter detentio rei occupatæ, vnde emergit ius; si talis possessio fuerit legitima. Si verò talis detentiò est contra fas, non oritur ex ea ius illud, quo præscriptioni locus datur. Dicetur quidem possessio facti, quæ in foro externo credita bonæ fidei, ius quandoque facit, sed non in conscientia, quæ sibi malè conscia est, ob rem iniquis artibus occupatam. Adieci possessionem iuris esse ius insistendi, vt excluderem dominium, quod formaliter & præcisè est ius seu potestas disponendi de re. At hoc ius insistendi rei, in eo situm est, quòd possessoris animus nequaquam sit inquies occupando rem illam, in quam habet ius, ratione cuius etiam potest armis occurrere volentibus vim inferre rei iure hoc præuio comparatæ.

Bartolus in Legem primã De acquirenda vel amittenda possess.

Præterea requiritur ad hanc possessionem iuris, vt quis insistat, aut habeat ius insistendi rei tanquam suæ: Si enim intenderet illi rei nomine alterius, non esset verus possessor, vt videre est in patrono, qui clientis sui rebus inuigilat;

Quæ requirantur ad veram & legitimam possessionem iuris.

Dominium Dei in homines quibus præcipue argumentis adstruatur.

gilat; illa autem sollicitudo non est possessio iuris. Tandem possessio iuris debet esse rei non prohibitæ possideri: nemo namque potest iure possidere res à iure prohibitas, vt sunt res sacræ vetitæ laicis. His præfatis, sic adstruo dominium Dei absolutissimum & æquissimum in homines. Illud est verum & æquum dominium, quod probatur titulo indubio, & possessione facti, & iuris. Sed tale est dominium Dei, cuius titulus præcipuus est omnipotentia, qua ad nutum potest omnia in varias versare vices. Possessio facti in eo opifice liquet ex eo, quòd hominem editum non adeò sui iuris effecit, quin ei iugum imposuerit abstinendi à fructu ligni singularis, vt vel hinc homo rescirct, se alterius esse quod erat. Non in homine sic detento facta fuit à Deo positio pedis, in argumentum rei possidendæ; sed ipse Deus hominem totum peruasit, permeans penitiora quæque eius animæ præcordia, quæ etiam iugi influxu sarta tectaque tuetur. Nec perfunctoriè Deus hominem suo deuouit obsequio, absque animo illũ sibi mancipandi, sed adeò sedulò & seriò, vt homine deuiante Deus eum quæsierit, edita voce sciscitãs quonã abierat homo ille errabũdus.

Thom. 1. part. qu. 75 78. 84.

Animo equidem possidendi hominem, & eum indiuiduo sibi nexu sociandi Deus ita edidit, vt homo Theologicè consideratus, deprehendatur factus vt fruatur Deo in æternum, præmiandus ab eo gloria immarcessibili, quam Dominus ille rerum voluit ab homine acquiri sub titulo mercedis. At merces meritum importat, præ-

Quæ requirantur ad rationem meriti & mercedis.

Dominio suo Deus nequit vnquam excidere.

uium ad hoc vt congruè concedatur. Meritum autem præsupponit actum debitum, & hic actus debitus dicit subiectionem in eo qui debet exercere tales actiones: omne enim debitum seruitutem aliquam dicit. Ergo cùm Deus ab hominis ortu eum his legibus obstrinxerit, vt obediendo mereretur gloriam, ad quam editus est, Deum esse Dominum omnium nostrûm omnibus innotescit. Et hoc dominium in Deo nequit excidere, atque ita summum est, atque nobilius hominum dominio, apud quos summi etiam domini suis titulis exciderunt: vt patuit in Baiazethe, qui ex Principe tyranno Turcarum factus est vile mancipium Tamerlani, qui eum cauea ferrea conclu-

Baiazethis dominium caducum, quia factus est vile mancipium.

sum ad extremam ignominiam conclusit. Dominio suo possunt homines excidere, quia dominium illud est potestas adueniens homini realiter, beneficio alicuius tituli realis iniusti; iusti quidem, si sit titulus ille ad normam legum, vt sunt successiones legitimæ, emptiones bona fide factæ, & alia id genus. Potest esse dominium reale ratione tituli iniusti realis, qualis est vsurpatio, quæ non obstat quin tyranni realiter etsi iniustè po-

Dominium omne est iustum vel iniustum.

Iosue 10.

Historia Turca. sub ann. 1622.

Osmanni mors.

pulo dominentur. In Deo verò secus, dominium nihil reale dicit distinctum a Deo, ideoque nequit à Deo abesse, vt plerumque abest ab aliis dominis huiusce sæculi, qui sæpe suo dominio turpiter exuuntur. Ita periere inglorio suspendio Reges Amorrhæi, quos Iosue Deo vindice castigauit. Quodque deterius est in hominum dominio, plerumque serui insurgunt in dominos suos, eos vita simul & infulis exuentes, vt suo discrimine expertus est Osmannus Turcarum Dynasta, quem Imperij prædiuitis & potentis supremus apex non potuit eripere seruis suis. Nam à Prætoriæ cohortis militibus, quos illi Ianissarios nuncupant, Princeps ille adolescens & lanugine decurrente genas, iniecto laqueo fuit miserè præfocatus.

Ex SS. Patribus.

Amb. l. 1. de fide cap. 1.

Dominus est nomen potestatis.

Omnimoda ratio dominij in Deo reperitur.

Cùm ergo ex Ambrosio. *Dominus sit nomen potestatis, quæ est diuina substantia*, & substantia Dei sit summa & æterna; tantum erit dominium, quanta & potestas, quam nullus astus, nulla vis aut impetus, nec vlla tempora quantumuis obsoleta poterunt antiquare. Itaque Deus Dominus est possessione facti & iuris. Facti quidem, quia ita nos detinet, vt in ipso simus semper, & moueamur, nec vllum pateat effugium ab eius facultate. Quomodo enim quis eo inscio posset euadere, cùm motionis expertes sint homines, si à supremo hoc motore minimè percellantur? Præcipuæ hominum motiones petuntur à brachiis, manibus, & pedibus: his verò præsidere Deum disce ex Dauide exorante congruum pedum motum. *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.* Probè sciebat ille diuino spiritu afflatus, neminem nisi Deo percitum posse obire calles iustitiæ, quos se iniisse ait Deo cœlitus influente. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Manus etiam & digitos indigere Dei moderamine Psaltes insinuat, hoc suaue melos occinens. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Ille idem summum Dei dominium arguit, à peculiari eius facultate tuendi seruos suos, quos potenter eripit insidiis hostium, & eos præstantiori armatura accingit, membris eorum aptatis ad quæuis discrimina fortiter obeunda. Sic ille athleta strenuus operam Dei expertus toto decursu vitæ, quam deliquio suo cautior effectus, eidem Domino consecrauit. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me. Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos.*

Psal. 118.

Dauid egregiè probat Dominium Dei.

Psal. 143.

Psal. 117.

Dominium Dei in hominem fusè explicatur.

Angeli nequeunt plenè hominis animam perficere, & quare.

Hoc Dauidis eloquio egregiè colligitur summa dominij Dei in homines, in quos nec ipsi quoque Angeli possunt quidquid Deus potest. Posse enim in hominẽ plenè & perfectè, est ad arbitriũ suum disponere hominis corpus & animam, vt vtraque pars inseruiat domino disponenti. Potest quidem Angelus dirigere hominum gressus, & componere membra corporis ad nutum suum; nequit tamen animam eius perficere. Nam animæ perfectio attenditur ex perfectione potentiarum eius, in quibus principes animæ facultates, intellectus & voluntas, fide tantùm & charitate nanciscuntur beatum illum statum in hoc sæculo. At infusio fidei & charitatis excedit omnes Angelorum vires, vtpote superioris ordinis, ad quem Angeli nequeunt attingere. Ergo cùm Angelorum potestas in homines sit corpore tantùm tenus, & non animæ fines permeet; nequit Angelus dici dominus hominum adæquatè. Imò licet Angelus aliquali modo posset hominem perficere in ordine ad gratiam, & gloriam, infundendo gratiam, pertingendo animæ potentias & facultates omnes; nec sic diceretur habere summum hominis dominium, quia ad rationem pleni & summi dominij requiritur potestas

Ex Theologia.

Quare Angeli non possint habere summum dominium in homines.

potestas in rem aliquam vt propriam, nemine concurrente. Ast hominis esse non est Angeli, qui nihil in homine suum habet vt proprium, & cuius dispositio libera sit. Rursus cùm à Deo conceditur Angelis dominium in homines, illud est infra dominium Dei, atque ita imperfectum, quia Angeli in eo dominio Deum habent prædominantem homini. Nam Deus ipse nequit deponere hominum dominium: dominus enim, vt supra recensuit Ambrosius, est nomen potestatis, quæ in Deo, est Deus ipse, qui vt nequit deficere, ita & dominium eius eludi non potest ab aliqua creatura.

Deus nequit seipsum abdicare dominio summo in homines.

Rursus ad plenitudinem dominij requiritur vt nemo possit eripere rem subiectam; quippe in eo maxime dominantis suprema potestas eminet, si eà inuitâ nemo potest ei subducere res addictas. Sed si Angeli nacti essent dominium hominum, posset Deus creare alios Angelos fortiores, qui dominis illis reluctantibus hominem agere possent in varias partes, & ita dominium illud priorum Angelorum non esset inconcussum. Eamobrem cùm in Deo coëant omnia, quæ conspirant ad stabiliendum dominium vsquequaque summum & integrum, meritò extollit hunc Dominum alius Dominus & Rex Dauid hæc insonans: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Idem rem subiicit, quæ argumentum est alti seruitij, scilicet: *O Domine, quia ego seruus tuus.* Id est, quia habes seruos, ideo Dominus es. Hinc oritur quæstio, an ea quæ dicunt habitudinem ad creaturas dicantur de Deo ab æterno vel in tempore. Discussio hæc Theologica ita expeditur.

Psal. 8.

Psalm. 115.

Nomina quæ de Deo prædicantur in ordine ad creaturas sunt in duplici differentia. Nempe alia sunt, quæ consequuntur operationem intellectus & voluntatis, alia verò sunt quæ succedunt actionibus procedentibus secundùm modum intelligendi ad exteriores effectus. Omnes autem illæ relationes sapiunt naturam modi illarum actionum, quibus præsuppositis eas dicimus emanare. Verbi gratiâ, operationes intellectus & voluntatis, vt actiones sunt immanentes, non prosiliunt ad extra, ideo ordinatio & amor de Deo dicuntur ab æterno, & Ecclesia non cunctatur affingere Deiparæ illud effatum Salomonis: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Quia ordinatio actionem intellectus dicit, Deus ab æterno dicitur ordinans, etsi reuera ad extra nihil fuerit ordinatum. Ita quia charitas importat actum voluntatis, qui in ipsa voluntate residet, Deus ab æterno dicitur homines adamasse. In eo sensu Deus hæc fatur apud Ieremiam: *In charitate perpetua dilexi te.* De relationibus quæ consequuntur actiones habentes terminum ad extra, & in tempore, nostro intelligendi modo, illæ non dicuntur ab æterno: nimirum Deus non fuit Dominus antequam haberet creaturam sibi subiectam; nam in significatione Domini includitur seruus, nec fuit creator ante creaturam. Istæ tamen denominationes & relationes nihil Deo adiiciunt, positis earum terminis, neque etiam quidquam adimunt quando termini pessum eunt.

Thom. 1 p. q. 13. art. 7. ad 3. & 6.

Prouerb. 8.

Ierem. 31.

Nomina quæ de Deo prædicantur, non omnia dici de Deo possunt ab æterno.

SENSVS MORALIS.

Pars altera Sectionis.

Quibus castigentur opprobriis illi, qui à Deo desciscunt, vt alteri Domino deseruiant.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.

ARTICVLVS V.

Ex antiqvitate plvrivm nationvm.

NAtura exosa dominium cuiusque Domini, ipsum etiam nomen domini inuisum habet, vtpote amantissima libertatis, cuius etiam vindices sunt bestiæ, si quando captæ, arcto carcere concludantur. Tamen vt nihil adeò ferum est, quod suauitate conditum non mitescat, homines etiam se vltro composuere ad subeundum iugum seruitutis, & præcipuè quando dominorum comitas attemperauit acerbitatem illam, quam typhus herilis inuexit. Hinc plerumque seruis insedit amor tantus in heros suos, vt liberè eorum causâ mortem oppetere minimè dubitarint. Si dominium hominum aliis importunum nancisci potuit seruos ea indole, vt benè affecti erga dominos suos, felicitatis suæ summam duxerint illis dominis inseruire. Quale putas esse dominium Dei in homines? tale profectò, vt non cotatur nobis, vt seruis, sed vt conuictoribus & amicis, iuxta suam ipsius sententiam. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Illa seruorum Dei felicitas est tanta, quanta potest esse maxima, à qua ne exciderent Sancti Martyres experti sunt omnia supplicia, magis quàm Dei dominium turpiter abdicare. Quodque demirere in infirmiore sexu, virgo tenella nomine Agatha vt audiit sibi exprobrari seruilem Christianorum sortem, & se prouocari ad idolorum cultum, sub spe coniugij nobilis, quo dignata dominio amplo cæteris emineret. Illa audacter ait, Christi seruitutem esse potiorem infulis imperij, & satius esse homini profiteri se seruum Christi, quàm sortiri dominium rerum omnium editarum. Etsi orbis vniuersus subscribat huic effato, scilicet dominium Dei non esse hominibus iniurium, sed potius vtile, & gloriosum; plerique tamen pertæsi beatam illam sortem, à Deo deficiunt, vt diuertant ad alios dominos, nec eos pudet ingratè obsequia Deo debita detrectare. Ore quidem Deum Dominum vocant, sed opere dissono planè negant. Eamobrem Christus ait non omnes qui dicunt, Domine, Domine, fore consortes regni, quod seruis fidelibus asseruatur: debita namque seruorum officia non petuntur à verbis, sed congruis actibus approbantur.

Natura est dominij impatiens.

Quidam serui pro dominis suis mortem vltro exceperunt.

Ioan. 15.

Ex vita S. Agathæ.

Agathæ Virginis nobile effatum in gratiam dominij Dei, & seruitutis.

Deus seuerè castigabit refugas dominij sui.

Hanc hominum hypocrisim carpit Deus, ita sermonibus discolores eorum mores damnans. *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Hæc querela Dei non ad planctum tantùm insonat, sed ad vindictam. Nam cùm dominium Dei possessionem facti & possessionem

Malac. 1. Bartolus in legem 1. De acquirenda vel amittenda possessione.

ſionem iuris includat, & poſſeſſio iuris ex Bartolo iuriſperito maximo dicat ius inſiſtendæ re tanquam ſuæ; profectò Deus non deerit illi parti, ſed impigrè operam dabit iuri ſuo, & validè inſiſtet, ne quis impunè ad alia caſtra transfugiat, vel alteri domino mancipetur. Eamobrem infinitæ propè manent anguſtiæ eos omnes, qui defectione ſua à Deo, putant mitiùs ſecum actum iri; quaſi verò mundus, caro, & dæmon ſint domini mitioris ingenij, quibus dare nomen ſuum oporteat Deo perfidè refutatò. Primò ſeruitutem non exuunt, ſed tranſmittunt, hoc ſibi penſum imponentes, vt pro Dei obſequio vitiis obſequantur. Seruitus illa adeò dura eſt, vt superet ignominiam alterius omnis libertatis, aliàs antiquatæ.

Seruorū facies olim ingloriè deturpata.

Ex Antiqvitate.

Petronius in Satyrico. Plutarch. in Pericle & ante eum Herodotus lib. 4.

Adeò iniuria fuit ſors ſeruorum olim, vt communi fere orbis vniuerſi ſuffragio, ſeruitus indignū ferè fecerit hominem eo oris habitu, qui diſcernit nos à beſtiis: ſiquidem ſeruis inurebantur notæ ferro candente, quò decocta cutis ſpeciem hominis expungebat. Ita Romani olim deturpabant facies ſeruorum ſuorum, ex Petronio. Hunc etiam fuiſſe morem Græcorum Plutarchus ait, citans Ariſtophanem, qui ſugillans Samios dicebat eſſe homines valde literatos, quia eorum facies erat typis inuſtis pluribus indecora. Eo ritu Athenienſes & Samij ſe inuicem mulctauere. Nam cùm Samij Athenienſes iure belli captos redegiſſent in ſeruorum claſſem, vultibus eorum per ſummum dedecus noctuæ ſpeciem affinxerunt. Athenienſes ſuorum clade ſauciati, inſtaurauere bellum, & fortuna alternante vices ſuas fugauere Samios edita magna ſtrage. Eorum qui ſuperfuerant cladi, & qui conſuluerant ſibi fugā, Athenienſes memores iniuriæ ſuis illatæ, comprehenderunt multitudinem magnam, cuius faciem effigie nauis dehoneſtauerunt, vlturi dedecus illatum à Samiis. Ita Deus animaduertit in Cain. Ille repudiato Dei obſequio, vt inuidiæ & homicidio nomen daret, excidit illo oris habitu, quo antea conſpicuus erat. Sunt namque qui credant poſuiſſe Deū ſignum in Cain, ne factus obuiam aliis occideretur in vltionem necis Abel. Hoc autem ſignum fuiſſe notam in facie deformi ideò facta, ob ſignum illud à Deo impoſitum illi mancipio, in teſſeram ſeruitutis.

Samij & Athenienſes alternante fortuna quomodo vindicarunt ſuas iniurias.

Quare ſignū faciei Cain à Deo inuſtū.

Impij quare dicatur frontem perdere.

Illa eſt prima animaduerſiò, quá caſtigatur hominis apoſtatæ defectio, frontem perdit, aut potiùs ſponte exuit. Fit ei frons meretricis, & neſcit erubeſcere homo nequam ſcelere perpetrato. De homine Deo addicto Præcentor in Prophetarum choro ait: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Lumen illud irradiat ex facie integra hominis ſancti; at deliquium patitur in reprobo, cui & propheticum illud quadrat, dum Vates meminit impios, in quos Deus aliquando deſæuiet vt in deſertores. *Torſiones, & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt. Vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſta vultus eorum.* Laminas ignis dehoneſtantes faciem, flagella, compedes, aliamque acerbam ſeruitutis ſupellectilem meminit Plautus, iniquam mancipiorum ſortem commemorans. Sic ille:

Pſal. 4.

Qualis ſit nota hominis iuſti.

Iſa 13.

Quæ ſit ſupellex ſeruitutis.

Plautus in Aſinaria act. 4. ſcen. 2.

Quot pœnis ſubiaceant hominum ſerui nequā.

Perfidia laudes, gratiaſque habemus meritò magnas.
Cùm noſtris ſycophantiis, dolis, aſtutiiſque,
Scapularum confidentia, virtute vlmorum freti,
Aduerſum ſtimulos, laminas, cruceſque, compedeſque,
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Tortoreſque acerrimos, &c.

Anima Deo dato repudio cedens in ius diaboli, cruces & ſtimulos patitur importunos. Nempe inquies ſemper anhelat, nec fit vſpiam voti compos, Deo caſtigante ſcelus, quod anima hæc tranſfuga perpetrauit. Sed eſto aſpera ſint onera illa ſeruitutis, quam patitur anima reproba obnoxia ſtimulis & flagellis conſcientiæ malè ſibi conſciæ; quamuis inquam facie indecora perdiderit honorem frontis, illud ego acerbius cenſeo, quod fuit olim pleriſque Gentibus vſitatum: videlicet ſeruos arceri à ſacris, & eodem cum canibus ordine recenſeri. Roma morem illum inſtituit æmulata Græciam, vbi inoleuerat ille ritus. Itaque Romanis fuit in more poſitum ſacra maxima facere Herculi, à quibus pellebantur ſerui, quos cùm admiſiſſet Appius ille Claudius, Liuius ait eum à diis percuſſum caligine, & totam eius familiam peſſimè periiſſe eodem anno, quò ſeruis copiam huius fecerat inſtituti Herculi conſecrati. Canibus & Muſcis interdictus ibi aditus ex Plinio. Pauſanias eadem religione Mineruam ait fuiſſe cultam Athenis; & Mineruam in inſula Delo, ex Strabone. Deterior ſanè eſt conditio ſeruorum mundi, quia eo ſolo quòd ſe ſubduxere dominio Dei, vt rerum inferiorum ſimulacris ſe ſuaque omnia deuouerent, ipſo facto reputati cum canibus prohibentur aditu templi gloriæ, æterno carceri mancipandi. Sententiam in hæc vilia capita latam audiit à Chriſto Ioannes ille conſcius arcanorum Dei. En tenorem iudicij. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.*

Qualibus pœnis obnoxia ſit anima quæ ſubit dominium mundi, diaboli, & carnis.

Serui arcebātur ſacris

Appij Claudij pœna.

Liuius Decad. 1. lib. 9. Plinius lib. 10. cap. 29. Pauſanias lib. 1. Strabo lib. 10.

Apoc. 22.

Ea ſanè mulctarum eſt grauiſſima, cœlo pelli in æternum, & in pœnam defectionis iniquæ à Deo, iugi incendio propria combuſtione præbere fomitem, & in eo tormine ſempiterno dæmoni ſociari. Illa ſors miſeranda manet ſeruos mundi, reuera canes veneficos, & impudicos, & homicidas, & idolis ſeruientes. Hi transfugæ, canum ingenium æmulati, pinguia faſtidiunt obſonia elargita è menſa domini ſui, vt in fimo oſſa exanguia corrodant, inani inde ſtipendio reportato. Etenim ſinguli quique reprobi, inhiantes ſæculi huiuſce quiſquiliis, optima ſtipendia deſerunt, quæ in ſuas prædiuites refudiſſent gazas, ſi priori ſuo domino, id eſt Deo, iugiter adhæſiſſent. Venefici nuncupantur homines editi in Reipublicæ perniciem, à veneno conficiendo ita appellati. Huius claſſis nefandæ ſunt ſerui omnes diaboli; quippe eorum ſcandala alios homines pelliciunt ad eoſdem ferè lapſus, vnde conſequitur extrema Reipublicæ clades. De impudicis hominum impiorum actibus abſit non vt longiorem ſermonem texam, ſed vt cogitem quidem: meminiſſe horret animus, illud vnum ſatis erit obſcœna illa mancipia Veneris beſtiarum nomine recenſeri. Ita eos commemorat Deus, qui derelinquunt rationem ſuam, & abiurant dominium ſuum. Hos ait abire in pecus, & propè inſanâ equorum Venere conflagrare. En querulas Dei voces. *Dereliquerunt me, & iurant in his qui non ſunt dij: ſaturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.*

Extrema pœna ſeruorum mundi quæ ſit.

Serui mundi quare canibus comparati.

Venefici qui fuerint dicti.

Impij qui Dei iugum abdicarunt, quos titulos inglorios ſortiantur.

Ierem. 5.

Dicetos

Plutarch. in Vita. Syracusani notam inussere seruos.

Diceres Dæmonem sequi Syracusanorum morem, qui vt auctor est Plutarchus, seruos ab ingenuis dispescebant inusta imagine equi frontibus suorum mancipiorum, vt vel sic agnoscerent miseri homines, se editos ad laborem. Non reproborum tantùm frons, sed etiam mens induit equorum ingenium, quando nefarij homines nescij honoris, quo dignabantur in Dei obsequio, sese diabolis addixerunt. Hoc rationis in homine deliquium luget Psaltes ita ingemens eius cladi.

Psal. 48.

Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. En dignam & congruam sortem hominum, qui excusso Dei suauiore iugo, dedere nomen suum diabolo. Hos item pungit præfatus ille Apostolus vocans homicidas, mendaces, & idololatras, qui defectione sua fidem fregere Deo, cui voto emisso in Baptismo se totos obstrinxerant, eaque perfidia sibi consciuere mortem. De eorum idololatria non est ambigendi locus, quia tot idolis adolent thura, quot vitiorum simulacris litant. Et ne vllus repedandi locus supersit impiis, dæmon eis imponit legem inolitam Græcis & Romanis, quibus erat in more positum inuigilare ne serui comati essent, cùm coma cultior esset hominum tessera liberorum, vt patet ea lege, quam meminit Herodotus, dicens fuisse sancitum ingenuis omnibus nutrire comam. Romanis vt ait Alexander inhibitum fuit concedere seruis comptiore coma vti, sed inculto & horrido capillo; & tempore Aristophanis capite eraso serui erant orbe toto. Vnde illud eius scomma.

Serui peccati homine exuto induunt pecorum ritus.

Epithera seruorum peccati.

Herodot. lib. 1.

Philostrat. in in vita Apollonij lib. 1. c. 3.

Ἔπειτα δοῦλος ὤν, κόμην ἔχεις?

Ac dein cum seruus sies, portas comam?

Seruis olim inhibitum fuit nutrire comam.

Quomodo dæmon suos seruos excipiat.

Diabolus, inquam, iniquus dominus, & austerus, caput omnino radit, & caluos vult habere seruos, aut si qui assurgunt pili, vetat comi, sed horrido tantùm iubet schemate circumferri. Animæ pili tersiores & compti, sunt pij cogitatus omnes, qui pertinent ad salutem: hos omnes pilos egregios extirpat dæmon, & quasi inducta nouaculâ caluam animam facit, præcludendo viam ad meliorem frugem denuo auspicandam. Ita excepit Samsonem; nam detonso capite eum orbauit oculis, & Philisthæis hostibus tradidit illudendum. Vtque ad ignominiam hominum impiorum omnia conspirarent, adiecit & hoc vetus institutum, quo nefas erat seruis indui veste ingenua, & calceis vti, vt adstruit Alexander. Hanc & constare legem apud nefarios homines, in palàm est, & in confesso apud omnes: nimirum in propatulo est, & neminem planè latet, quàm dispares sint habitus hominum. Iusti induuntur purpura & bysso, innocentiâ candidi, & amore purpurei, referentes symbola Domini sui dilecti, qui candidus est, atque rubicundus. Impij verò & nequam lacera veste ignobiles, centones trahunt, & deplorandam agunt vitam, vitiorum omnium cœno habitu conspurcato. Eamobrem dum conclamatam hominis impij sortem animo meo verso, in has me effundo voces: *O domus antiqua, quam dispari domino dominaris:* O anima, in quas vitiorum fæces deposuisti gratiarum dotes, quibus antea refulgebas. Deo vtebaris Domino, vtique glorioso, cui seruire regnare est; diaboli iugo nunc premeris inglorio, vnde resilire nequis, ni prior Dominus miseratus iniquum tuæ seruitutis ingenium, propitias porrexerit manus, vt denuo resipiscas.

Iudic. 16.

Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Seruis vetitû olim vti veste ingenua & calceis.

Quàm dispar sit conditio seruorum Dei & diaboli.

SENSVS MORALIS.

Quàm acerbè Deus excipiat suos seruos transfugas.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus, & male torquetur.

ARTICVLVS VI.

RVRSVS EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Ea est peccatorum omnium iniquitas, vt reprobi impunè suis vitiis indormiant: vitia namque inolita hominem veterno grauant, nullas omnino concedendo moras, vt deplorent statum illum beatum seruorum Dei, quo hactenus exciderunt. Esto graue sit hoc discrimen animæ; non est tamen tota hæc mali labes, sed contextus adhuc est longior ærumnarum. Nam Deus suam vlturus iniuriam ob negatum sibi debitum pensum duriùs excipit hos diaboli seruos, lacera veste sordidos, & equina tessera prænotatos. Hanc eis à Deo pœnam inflictam meminit Salomon ita fatus: *Flagellum equo, & chamus asino, & virga in dorso imprudentium.* Defectio animarum à Deo non minuit iura Dei, qui cùm iure possessionis sit Dominus rerum omnium editarum, si homo sese furto subduxerit, non excidit tamen ille Dominus iure suo, quo insistere potest rei deperditæ eo modo, quo cauerunt leges institutæ à Romanis, quibus nemo poterat habere ius in seruum fugitiuum, sed prioris semper erat domini, quo inuito profugus abierat. Ecce in eo argumento constitutionem Imperatorum Diocletiani, & Maximiani. *Seruum fugitiuum sui furtum facere, & ideo non habere locum nec vsucapionem, nec longi temporis præscriptionem, manifestum est, ne seruorum fuga dominis suis ex quacumque causa fiat damnosa.* Ea lege Deus habet ius in reprobos, quantumuis æuum egerint obstricti diabolo. Idcirco primo animaduertit in hos refugas pœnâ indictâ veteri Iure Cæsareo, cuius meminit Iustinianus, commemorans illam legem Constantini Imperatoris, quæ decernit amputari pedem seruo fugitiuo, aut damnari ad metalla. Ecce textum. *Si fugitiui serui deprehendantur ad Barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur.*

Vitia hominem incutiû faciunt salutis suæ.

Prouerb. 26.

EX IVRE CÆSAREO ANTIQVO.

Leg. 1. Seruû. Cod. de seruis fugitiuis lib. 6. tit. 1.

Leg. 3. Si fugitiui. Cod. De seruis fugit. lib. 6. tit. 1.

Hac igitur animaduersione Deus sæuit in impios: scilicet amputat pedem, id est, obstat ne longiore dierum tractu degant homines impij in hoc sæculo, & ambulent in viis suis pessimis. Quippe immatura morte aliquando castigat hominum perfidiam, sicque propetante fato, non pedes modò sed corpora decurtantur. Hanc meminit mulctam Psaltes hoc contextu: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Ophni, & Phinees; alij item duo fratres filij Aaron, filius item Iudæ, & Absalon luculenti sunt testes huiusmodi pœnæ, quam luunt impij plerique, morte præpropera defungentes. Alios Deus damnat ad auri fodinas, quando homines suo ipsorû ingenio permittit, quasi tacitus eos sinens attendere gazis. In ea classe sunt illi omnes, qui in votis suis nihil nisi aurum habent, & eo

Pœna singularis, qua mulctantur serui refugæ, quibus tibiæ decurtantur.

Psal. 5.

Quibusnam pœnis afficiantur serui, qui à Deo deficiunt.

sine noctes dieſque inſomnes agunt, vt aliquale ſuis faciant opibus incrementum. Infiniti propè è viliori plebe. *Beatum dixere populum, cui hæc ſunt.* Imperitum namque vulgus beatitudinem appendit ad trutinam auri. Sed cautiores quique, quibus ſaniora ſuppetunt conſilia, cenſuere ſemper eſſe argumentum animi reprobi, illam nimiam ſollicitudinem, qua angitur animus ad auri & argenti cumulos inſtruendos. Hanc ex Dauide decernit pœnam ſeruis, qui dant repudium ſuo Domino: hos deſertores ea cenſura damnat, vt quidquid ſuo marte imprudenter ſomniarint, illud incautè etiam exequantur. Vnde cùm cupido congregandi opes, ſingulos quoſque homines validè perurgeat, Deo non obſtante reprobi Deo infideles ſua hæc iniqua vota perficiunt, genio ſuo iugiter indulgentes. Sic ſerui fugitiui damnantur ad metalla, ſi vitæ ſeriem mors non abſcindat. Totam iſtam tragœdiam Dauid aliqua ex parte commemorat, Deum inducens, qui ſe Dominum profitetur, & queritur ob infideles ſuorum ſeruorum animos, quos ea multa plectit, quam hactenus enarraui. Ecce ſuaue melos Præcentoris. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Id eſt ibunt ad metalla, quia à me ſuo Deo & Domino receſſerunt.

Pſalm. 143.

Serui fugitiui damnati ad metalla.

Pſal. 80. Quomodo reprobi damnentur ad metalla.

Quàm grauis ſit hæc mulcta, & quàm longè à paradiſo arceat auaros hominum animos, luculenter & fusè recenſui ſuperiore Euangelio, ſectione vltima, vbi expendi verſum illum. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Conſule illic ſenſum vtrumque, literalem ſcilicet & moralem, vt inde reſcias quàm deplorata ſalus ſit illius, qui ſe totum rutilis his metallis animo & corpore conſecrauit. Ne bis cramben ingeram, alias decurro pœnas, quas infligit Deus infidis hominibus, quos fidei Deo datæ immemores dæmon abduxit à priſcis obſequiis. Illa vetus pœna occurrit, cui ſerui fugitiui reduces ſubiiciebantur, hoc modo caſtigati. Collo eorum ea plauſtri pars, cui affigitur temo, & quæ ad inſtar furcæ eſt, imponebatur, vt eo quaſi iugo, & manibus poſt terga reuinctis, in foro obiecti oculis omnium, eo habitu innuerent ſe ſeruos eſſe refugas, & ſuis dominis infideles. Huius obſoleti moris meminere Terentius, & Donatus, & medius inter hos Plutarchus. Eamobrem fuere aliàs ſerui furciferi nuncupati, vt videre eſt eo Terentij verſiculo in Andria.

Furca plauſtri appenſa collo ſerui fugitiui, qui inde fuit furcifer appellatus.

Oh tibi ego vt credam furcifer?

Terentius in Andria act. 5. ſcen. 5
Donatus ibid.
Plutarch. in problema. 70.

Furcam fuiſſe infimum ſupplicium ignobilium hominum, res eſt nota lippis atque tonſoribus; ac proinde ſeruos deſertores prætuliſſe furcam, perinde eſt ac eos ingenuè confiteri ſolitos, ſe hac eſſe animaduerſione dignos. Eo pacto Deus agit in exoſos dominium ſuum: hos furca notat, id eſt, reprobos ea ignominia afficit, vt videantur abeſſe parum à gehenna illa, quæ eſt omni furca deterior: qui enim peccati næuo dehoneſtatur ille furcam ſuam circumfert, vtpote crimini obnoxius, cui plectendo, ſunt furcæ multiplices inſtitutæ.

Romani etiam caſtigaturi ſeruos, eos ablegabant in piſtrinum, vt gyrantes inſtar rotæ, & in orbem acti tandem deficerent. Hanc pœnã Dauo recenſuit eius herus auſterior apud Terentium.

Romani ſuos ſeruos egerunt in piſtrinum vt & Syri hunc morẽ antea obſeruarunt.

Verberibus caſum, te in piſtrinum.
Dane dedam vſque ad necem.

Terentius in Andria act. 1. ſcen. 2.

Syrorum etiam familiare fuit hoc plectendi genus, vt exemplo ſuo infami probat Samſon, quem Philiſthæi mittentes in piſtrinum molere condemnarunt. Eo ſupplicio torquentur ſceleſti omnes, iuxta Dauidis eloquium: *In circuitu impij ambulant.* Id eſt, ſemper extra centrum errant homines ſycophantæ & fœdifragi, quia à Deo diuertentes ad creaturas, dereliquere centrum rerum omnium, vt incautè ad res alias aberrarent. Hoc profectò eſt damnari ad molam, & mitti in piſtrinum.

Pſal. 11.

Perſarum aliud fuit ingenium, in plectendis ſeruis, quos Iuſtinus ait ſuæ perfidiæ has luiſſe pœnas, ſcilicet vt vincti compedibus æternum gemerent nulla ſpe reſidua libertatis. Hanc arbitror ego mulctam nulli alteri cedere, eamque eſſe ſummam: nam ſi pœnæ omnes recenſitæ infliguntur ſeruituti transfugæ, ipſa ſeruitus erit deterior illis omnibus anguſtiis, vtpote ſcaturigo illarum omnium ærumnarum. Sicque hominem æternæ addicere ſeruituti grauius eſt, quàm ab eo exigere aliqua incommoda illius ſortis ingratæ. Ea tamen eſt peccati lethalis pœna comes indiuidua, vt homo nequam ſua induſtria nequeat in æternũ ad propria repedare: quia tota hominis impij induſtria concluditur arctioribus naturæ cancellis, quos neſciunt impij præterire. Eadem pœna libertatis nuſquam adeundæ mulctati ſunt Hilotæ Spartanorum ſerui, qui cùm ſuæ ſeruitutis impatientes, de recuperanda libertate ſimul iniiſſent conſilium, & armorum ſorti ſuum commiſiſſent negotium, victi à Rege Agide perpetuis vinculis addicti, promulgato edicto omni ſpe liberioris aëris penitus exciderunt. Strabo & Liuius hanc Hilotarum perfidiam deteſtati ſunt.

Iuſtin. lib. 41. Perſæ æternis vinculis ſeruos addixerunt.

Seruitus ipſa eſt pœnarum maxima.

Agis Rex qua mulcta puniuit Hilotas ſeruos rebellantes.

Strabo lib. 8. Liuius 4. Dec. ad lib. 4.

Eiſdem etiam Laconibus Lycurgo annuente conceſſum eſt ius vitæ & necis in ſeruos, vnde nefas haudquaquam fuit ſeruum fugitiuum tollere de medio. Grauior eſt ſors iniqua impiorum, poſt refutatum debitum Deo penſum: præpotens nempè Deus poteſt & corpus perdere, & animam mittere in gehennam. Ius illud capitis refert Heraclides: & reuera lex illa decuiſſet Heraclitum vt eam congrue recenſeret. Querulus enim ille Philoſophus luculentum inde argumentum aucupatus eſſet ad ciendas lacrymas, deflendæ eò miſeriæ deueniſſe homines, vt ſi quando ſerui forent, liberum eſſet heris fortè durioribus & inſanis in eorum capita deſæuire. Mitior quidem fuit ille Romanorum vſus peruetuſtus, qui ſeruorum faciei inſcribebant ſeruos illos eſſe ſui domini deſertores, arbitrati ſatis ſuperque plecti ſeruum, cuius perfidia hominibus ſingulis innoteſcit. Petronius has ærumnas ſic deſcribit: *Impleuit Eumolpus frontem vtrinſque ingentibus literis, & notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Non omnium vitiorum illa eſt cenſura, vt ſingula quæque fronte ſuada ſe oculis prodant: plurium tamen illa eſt pœna, vt ſuos auctores ex facie accuſent. Verbi gratiâ, ſi libido nacta fuerit impuritatis ſummam, permeabit illa totum corpus, ſuumque lethale virus fronti affinget, vnde emicans ſcabies clamat è facie eſſe hunc hominem impudicum. Ebrietate etiam & vino immodicè aſſumpto rubet naſus, ſuoque hoc ſymbolo crapulam damnat. Inuidia etiam liuore ſuo faciem

Heraclides lib. de politicis cap. 2. Lycurgus dedit Laconibus ius necis in ſeruos fugitiuos.

Petronius in Satyric. Romani ſeruos fugitiuos quomodo plecterent.

Pleraque vitia hominis faciem dedecorant.

faciem indecoram facit, imò & oculos malè intorquet in hos, quibus ab aliis inuidetur. Eo modo facies illa humana veluti diuinitatis idea atque compendium, vitiorum index & titulus appellatur.

Facies est virtutum & vitiorum index.

Ea hominum clades accepta ab apostasi Adami meum zelum acuit, vt declamem in eos, qui dehonestarunt hominis vultum, qui cùm debuisset esse sedes gratiarum, & virtutum omnium chorus, in eam deuenit miseriam, vt esset omnium tessera vitiorum. Nempe insignia singulorum quorumque vitiorum obuia sunt, si sedulò à peritis exquirantur. Etenim legitur ex facie, quibusnam impij homines vitiis vrgeantur. Eamobrem cogor inuehi in vitia, quæ vt crudeles heri fecere hominum facies indecoras. Ita Theophilo Imperatori maledixit quidam vir minimè malus, eo quòd impius ille hæreticus, vt Cedrenus annotat, Sanctorum Theodori & Theophanis vultibus inscripsisset versus Iambos à se compositos in dedecus Martyrum. Principem hunc scelestum ita redarguit alter Theodorus. *Væ tibi Tyranne, qui Sanctorum Theodori & Theophanis sanctas notasti frontes.* Acutiore etiam stylo pungendi sunt homines, qui alios distrahunt à dominio Dei: illi enim Sanctorum frontibus affingunt maculas omnium vitiorum. In hos inuehere acriter, ô præco verbi Dei, & præcipuè in adolescentes illos atheos, exleges comatulos, qui capite calamistrato, & corpore in Venerem fracto, atque in muliebrem modum composito, muliereulis & puellis tendunt insidias, facti iniurij toro alieno, & aliunde suis technis depascentes florem virginis illibatæ. Væ vobis, equi emissarij, & conducti à dæmone, vt virginum innoxiarum frontes denotetis næuo vestræ cupidinis inhonestæ. Væ vobis etiam, obtrectatores, alienæ famæ corrosores, innocentium notastis frontes rubore offuso, quasi cultiores illæ animæ malè sibi consciæ essent, & vitiis inhonestæ. Demum væ vobis, ô reprobi, qui suasione vestra, & exemplis iniquioribus, alios inducitis ad æmulandos ritus nefarios, quorum obseruantia facies eorum pessimè denotatur.

Theodori in Theophilum Imper. censura.

Basilicon lib. 60. tit. 51. Cedren. in Theophilo.

Declamatio in adolescentes lubricos.

Carpuntur detractores & reprobi omnes.

Hic etiam sese latus aperit campus debacchandi in mulieres has, quæ emendicato fuco stibij, & minij, alium oris habitum induunt, vt libidinis suæ scintillis obuiorum hominum facies aduratur. Væ tibi ô mulier insipiens, & oblita decoris animæ, teipsam minio publicasti, assumptâ Veneris notâ, vt eius obsequio mancipares corda & frontes hominum imprudentum. O mulier, malè tibi & famæ tuæ consulis illo apparatu fucorum, quibus pellicere hominem tentas, vt tuæ seruituti deuincias, eo modo nacta imperium animarum. Hallucinaris, à scopo aberrans toto cœlo: nimirùm capta es, ô fœmina, & seruorum fugitiuorum symbola vultu præfers, dum imagine Dei expuncta, superinducis alienam speciem, scilicet impiæ meretricis: atque ita vt obscœna libidine notes sanctorum frontes, tu incaura gratiam Dei à facie tua primitus expunxisti. Hanc aleam decurrit egregiè Clemens Alexandrinus, ita fatus: *Ornantur vt aliis placeant, quæ in facie non in corde gloriantur. Sicut enim nota inusta fugitiuum, ita floridi colores adulteram indicant, &c. Nam etsi coccino induaris, & oculos tuos vngas stibio, frustra est pulchritudo tua, dicit Verbum per Ieremiam. An verò non absurdum est, equos quidem, & aues, & alia animantia ex* *herba & pratis surgere, ac euolare proprio ornatu lætantia, iubis, & colore naturali, & pennis variis; mulierem verò perinde ac si sit bestiis inferior, se esse adeò deformem existimare, vt externa emptitia & adumbrata pulchritudine egeat?*

Grauis declamatio in mulieres, quæ conquisito fuco facies suas inficiũt.

Ex SS. PATRIBVS. Clem. Alex. lib. 3. pædag. c. 2.

Quàm malè sibi consulũt fœminæ fuco fingentes faciem.

Bestiæ damnant ingeniũ fœminarum, quæ fucis gratiam emendicant.

Tametsi ærumnæ graues excipiant seruos omnes fugitiuos, ex instituto omnium nationum, quibus hoc maximè fuit cordi semper, ne serui transfugæ diffluerent ad alios heros: hoc tamen præcipuum habet perfidia reproborum hominum, scilicet vt quisquis Deum abdicarit, nequeat consistere apud alium dominum, sed in mulctam deliquij, suam sortem pudibundam defleat errabundus. Et ne sibi cautè videretur prospexisse fuga inita, & repudiato Dei dominio, fit vt ille seruus sit iuris omnium qui occurrerint ei, vt vapulet, & inflictis plagis luat pœnas congruas crimini perpetrato. Eo maledicto seipsum Cain obstrinxit audito anathemate, quo eum feriit Deus subiratus ob necem fratris Abel duriùs intentatam. En seriem rei gestæ. *Ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: nunquid custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum. Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus, & profugus eris super terram: Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea; quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Ea profectò sententia capitis est in omnes, qui Dei iugum excutiunt: dum vnius domini mitis & benigni suauia dedignantur obsequia, incurrunt in dominos seueriores etiam Roboamo illo austero, qui populo conquerenti patrem eius Salomonem fuisse austeriorem Principem, ille ait se adiecturum plagas vulneri adhuc non obducto. Itaque querulus hic populus audiit malè esse suis rebus consultum, mutato dominio pacifici Salomonis, quo elato de medio, molestiarum suarum audit fore maximum incrementum. Ecce orationem populi deprecantis. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Qualẽ responsum retulerint homines queruli de Rege suo pacifico & benigno, accipe. *Pater meus aggrauauit iugum vestrum; ego autem addam iugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.*

Seruus à Deo fugitiuus nequit apud alium dominum cõstare sibi, sed est inquies semper.

Genes 4.

Quæ sit sors deploranda serui a Deo fugitiui.

Regis Roboami seueritas in subditos suos.

3. Reg. 12.

Fatum omnino simile manet eos, qui causantur mandata Dei esse grauiora, ac proinde satius esse seruire mundo, & carni, quorum obsequium delinit sensum illecebris, quæ sunt stipendia meritorum. Itane, serue nequam, fingis laborem in præcepto Dei Domini tui pacifici, cuius imperium mite & blandum flagella nuncupas. An inde capis legitimum argumentum fugæ tuæ? perperam sanè, & insipienter: etenim excipiere durioribus flagris à diabolo, mundo, & carne, dominis homicidis. Quicunque horum dominorum inuenerit te, ille te exceptũ duriùs enecabit. Etenim qui à vita recessit, quò præceps abire potest nisi in abruptum. O si liceret ex edito loco omnes homines impios conuenire, eos inquam

Quàm imprudenter homo declinet Dei dominium, vt creaturis seruiat.

Quàm iniqua sit sors eorum qui peccati sunt serui.

qui aliàs seruiere Deo, & qui iam ab eius instituto perfidi defecerunt. Sciscitarer ego, quàm dispar sit ratio vtriusque seruitutis: profectò ingenuè faterentur se cædi scorpionibus à diabolo, mundo, & carne, & his sæuientibus heris agere insomnes noctes ob quietem conscientiæ stimulis interruptam.

Peccator ad obuia quæque obiecta multiplicat peccata sua, & quasi ab obuiis occiditur vt de se est ominatus Cain.

Præterea serui illi fugitiui non negarent se accepisse lethales plagas ab obuiis ferè rebus, quæ suas species oculis intentarunt. Si enim occurrerunt mulieres aperta facie, & sinu exerto, statim cor incautum habuere libidinis acuta cuspide sauciatum. Si obuius fuit homo aliàs iniurius, statim insurrexit appetitus iræ, quo anima sitiens vltionem lethali se noxa obstrinxit, mortem suo cupiens inimico. Si quempiam aspexerint circumferentem loculos auro graues, eo intuitu solicitans animam auri insana cupido citiùs ingrauescit. Denique Deo abiurato, seruus nebulò, vt alter Cain profugus occiditur, aut saltem mortem imminere sibi semper credit, vt olim dubiæ & ancipitis vitæ fuere desertores militiæ, & serui fugitiui, in quos & morte, & vinculis animaduertere fas erat vnicuique.

Lucianus in Tim. Pœna militis desertoris militiæ.

Et ad hunc morem alludit Lucianus ita fatus: *Et ipse indignè fero, cum à nonnullis ignominiosè cædor calcibus, lanior que, atque exhaurior; à nonnullis contra perinde vt stigmaticus fugitiuus compedibus vincior.*

Etsi Cain serò ominatam sibi mortem incurrerit occisus à Lamech, Deo inurente illi fratricidæ signum, quo aspecto terrerentur homines, & deponerent animos eum occidendi; eo tamen signo apposito fronti ingloriam vitam egit, ab aliis agnitus homicida. Ita etsi protrahantur fata hominum nequam; tamen ad ignominiam & dedecus viuunt, vtpote minus integræ frontis, & vitiorum tessera deformatæ.

EX HISTORIA. *Cedrenus in Constantin.* Constantinus Imperator, qua industria castigarit rebelles Armeniacos.

Ita castigauit Armeniacorum perfidiam Constantinus Imperator: conscripto namque milite in eos, magnam eorum edidit stragem, & vt superstites haberent, quo mortuis inuiderent, eorum frontibus affinxit notas indices eorum rebellis ingenij; has scilicet voces Græcas: Ἀρμενιακὸς ἐπίβουλος; id est, Armeniacus perfidus. Ite iam reprobi, & ad arbitrium genio indulgete, non tamen vllius industriæ facinus vnquam erit, diluere symbola vestræ perfidiæ, quæ quisque videt vestris frontibus eminere.

Homines impij omnes perfidiæ arguuntur.

Scilicet impudentia vestra, & impunè errandi procliuitas arguit in vobis perfrictam frontem, vitiorum sedem; ac proinde exosos facit viris quibusque probis, qui à vestro metuentes contagio, abhorrentes perfidiam, sociari vobis refugiunt, quantumque possunt consortia vestra vt impia detestantur. Non est igitur, ô nefandi, quòd luxuriante vita prouocetis Dei seruos ad defectionem, quasi Dei iugum grauiter immineat humeris hominum, & seruire deliciis sit res homini congruens, cùm ex præfatis constet, eos qui à Dei partibus deficiunt vt dent manus aliis dominis, damnari in malorum omnium summam, vt experti omnia supplicia congruè castigentur.

SENSVS MORALIS.

In quam perniciem deueniant omnes qui abiurant Dei dominium.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.

ARTICVLVS VII.

EX MEDICORVM DISCIPLINA.

Omnia sibi constant certo ordine præstituto.

SEries tota rerum omnium eo ordine compacta est, vt quamdiu partes insitum sibi tenorem seruant, tota etiam moles inde vegetior sit, vt videre est inductione facta per omnia. Ordo autem attenditur penes prius & posterius; & ille omnino dissoluitur, quando inferiora suum superioribus negant obsequium, quod satis superque rependunt, si in eo gradu constiterint, qui decet intentum opificis rerum omnium editarum.

Tempestatũ præposterus ordo sanitati iniurius.

Verbi gratiâ, in ordine tempestatum anni ver occupat primas: ab æquinoctio namque vernô annum auspicabantur Hebræi, Deo erudiente doctis illud tempus esse anni congruum initium. Si ergo æstas impatiens anteuertat institutas sibi moras, præpropero gressu fit frugibus iniuria, imò & corporibus factis ideo obnoxiis multiplici morbo, illudenti medicorum peritiæ, iuxta Hippocratis sententiam affirmantem præproperas anni tempestates gignere morbos inconstantis iudicij.

EX REMEDICA. *Hippocrat. lib. 1. aphorism.*

In hæc discrimina incurrit homo nolens stare in eo gradu, quo fuerat à Deo progenitus: fœdifragus ille noluit esse sua sorte contentus, sed tentauit deponere iugum serui, & regnare Deo inconsulto. Eamobrem quia suo defuit ordini homo ille imprudens, compages hæc tota mundi sensit & vlta est iniuriam Deo illatam: quippe omnia edita in subsidium hominis denegarunt ei rependere pensum ipsi à Deo Domino præstitutum.

Tota mundi compages turbata, ob hominis perfidiam.

Etenim consentaneum fuit illum destitui rebus infra se positis ad auxilium, quia temerè ambiit insulas superioris ordinis: æquum fuit eum qui Domino suo noluit subdi, habere etiam seruos in se protinus insurgentes.

Ela Rex quare occisus à seruis suis. *3. Reg. 16.*

Eo discrimine malè disperiit Ela Rex Israël, in quem nimio mero delibutum insurrexit seruus eius, & eum perdidit in vltionem obsequij quod denegatum Deo transtulerat ad idola.

Creaturæ omnes armatæ in hominem, vlturæ Dei iniuriã.

Ecce epitaphium desertoris serui, à suo sertio par pari referente castigati. *Regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. Et rebellauit contra eum seruus filius Zambri, dux mediæ partis equitum. Erat autem Ela in Thersa bibens & temulentus in domo Arsa præfecti Thersa. Irruens ergo Zambri percussit & occidit eum.* Ita hominis dominio subduxerunt se aliæ creaturæ, quas Deus addixerat ei, & in eum cupidine honoris inebriatum, & abeuntem ad simulacra rerum inanium, congruè rebellarunt.

Quare corpora fiant morbis obnoxia.

Quàm pessimè habuerit homo nesciens aut nescire volens dominium Dei, quod tamen & inuitus subeat necesse est, illud maximè liquet ex physica medicorum disciplina, quæ hominis salutarem statum arguit ex dominio naturæ, cuius prouidam curam pars aliqua corporis effugiens morbos creat. Sic enim à natura obstetricante comparatum est, vt quàdiu solicitudini eius morem

morem gesserint omnia præcordia, tamdiu etiam salubrem indolem corpora nanciscantur. Secus verò frigente aut calente aliqua corporis regione præter intentum naturæ, necesse est ingruere morbum, qui nihil planè aliud est, quàm status iniquior corporis positi extra dominium naturæ, à cuius instituto deflectere, perinde est ac grauiter ægrotare.

Morbus quid sit.

Naturam autem penes se retinere dominium vitæ, videamus ex Medicis, deinde perstringemus mala, quæ hominem corripiunt, quando in microcosmo, homine scilicet compendioso mundo, pars aliqua refugit naturæ ordinem omnia moderantem. De hoc naturæ in corpora principatu, sic ait Fernelius medicorum eloquentissimus. *Quod generatim atque vniuersè physici proponunt hoc loco contrahentes naturam esse definimus vim primam, & causam per se nostri opificem, & conseruatricem. Hominis enim natura est quæ non aliud quicquam procurat, & quæ soli addicta hominis, quem conformauit, gubernat quantum potest longissimè. Etenim ne frustra condidisse videatur, edito illa operi in omni vita insidet, id nunquam deserit, sed eius gubernacula tractans, partes omnes in suum quamque opus ducit, & concitat, vt illa ipsa simul omnium functionum causa censeri debeat. At illius substantiam quanam sit peruestiganti, vis & potestas caloris prima in mentem venit, cui solet omnis effectus causa palam attribui. Aptius quidem spiritum ingenitum, quicumque is fueris, naturam dixeris.* Huic spiritui à Deo singulis ingenito cùm morem gerunt præcordia, & articuli omnes humani corporis, tunc benè valet homo, qui decumbit, si quidpiam naturæ ordinem præterit. Nulli namque creantur morbi, nisi fatiscente naturæ dominio, à quo se eximit crudior omnis humor pepasmo indigens, vt naturæ reuocanti obediat.

Fernel. lib. 4. physiol. cap. 7. Natura quid sit apud Medicos.

Naturæ prouidentia in moderamine corporis humani. Quare morbi ingruant.

Sic naturæ iura opprimi affirmat Duretus interpretes Hippocratis ita fatus: *Initiis morborum, natura morbificis causis opprimitur, estque humorum cruditas, vnde non potis est salutariter quicquam excerni neque cieri.* Naturà sic repudiatâ ingrauescunt morbi, qui non tantùm hominem eripiunt naturæ moderamini, sed etiam obstant ne homo sui iuris fiat succedente phrenesi, qua homo impos sui multas patitur angustias, & tandem instante conuulsione perit, vt præscius morborum Hippocrates ait: Αἱ ταραχώδεες θρασύτητες ἐξέρσιες παράφορον πονηρὸν, καὶ σπασμώδεες. Id est, Qui cum feroci perturbatione somno excussi è potestate sui exeunt, grauissimum habent malum, & conuulsificum.

Duret. in lib. 1. Coac. prænot. 36. Morborum initiis non est totum purgare.

Hipperat. lib. 1. Coac. præn. c. 18. Ægris mente captis malum omen instat.

Nota ex Medicis, illud grauissimum malum quod Hippocrates nuncupat σπασμώδεες id est, conuulsiuum, habere duo præambula antequam suum lethalem effectum exerat. Primum est noxij humoris rebellio in spiritum illum sanitatis opificem, quem Fernelius naturam nominat. Alterum est, ferociente illo humore, hominem non esse sui iuris, sed extra se poni: hoc enim sonat παράφορον, à verbo παραφέρω, quod Galenus vertit ἐκτραχηλίσαι, παραφρονῆσαι, παραληρῆσαι, id est desipere, & mente capi. Ita & in moralibus, antequam homo extremo malorum omnium, id est damnatione æterna castigetur, in duo discrimina incurrit. Vnum est abdicatio dominij eius spiritus, qui salutis nostræ opifex est. Secundum est iactura suiipsius dominij. Etenim qui à Deo defecit vt det nomen diabolo, ille non iam suus est, nec tam agit, quàm agitur vitiis irretitus. Hinc reprobi ingementes suo iniquo fato, sic eiulabunt aliquando, seruorum Dei inuidentes statum, quo Deo derelicto turpiter exciderunt. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Hisce præambulis demum ad supplicia pessima deuenitur, scilicet ad conuulsiones animæ, id est, ad synderesim, quæ quouis tormine acerbior est, & animam lancinat tot & tantis aculeis, vt illæ ærumnæ lacerantes præcordia reprobi hominis, sint tyrocinium ignium inferorum.

Spiritus sanitatis opifex, est natura apud Medicos.

Galenus com. 1. in lib. 3. Progn.

Reprobationem hominis quænam arguant, & præcedant.

Sapient. 5. Graue supplicium conscientiæ sibi malè consciæ.

SENSVS MORALIS.

Vitiorum dominium est reprobus ominosum.

In hæc verba:

Puèr meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.

ARTICVLVS VIII.

Ex Mathematica.

Pars illa Mathematicæ, quam Astrologiam vocant, multorum sibi fidem conciliauit ratione experientiæ, quæ rerum est magistra; nec ego inficiabor aliqua mihi experimenta veritatis abditæ fecisse aliquando suspicionem, quæ tamen penè tota excidit comparatis aliquibus experimentis, cum aliis omnino falsis. Hoc tamen haudquaquam obstat, quin ex ea disciplina seligamus ea, quæ suffragari possunt moribus adornandis. Huius argumenti est illa distinctio Ptolemæi, qui dispescit planetas in bonos & malos, quibus & dominium tribuit natiuitatis cuiusque hominis, iuxta positionem sideris propitij, aut iniqui. Verbi gratiâ, Saturnus dicitur planeta ominosus, & portendens ingrata semper & sinistra. Si hoc sidus è decima domo, id est è vertice cæli positum in Libra irradiet illo momento, quo editur in lucem aliquis infantulus, & alij Planetæ malè locati, irradiatione infausta excidant beneuolo suo influxu, dicetur Saturnus habuisse dominium cæli, seu figuræ quæ describit schema siderum eo tempore micantium. Itaque regnante domino infausto, miseranda parens parturiet fœtum, qui suo damno sentiet hunc dominum iniurium eo fortè pacto, quo malè exceptus est Schonerus Astrologus editus hoc sidere de suprema cæli cuspide prominente. Ille proprio eruditus excidio ait hominem natum dominante eo sidere iniquo deorsum influente ex decima domo, id est, è vertice cæli; ait, inquam, hominem illum experturum quàm infelix sit tale dominium: nam ex edito loco cadet, & morte tenus toto corpore collidetur. Nec hoc erit compendium omne malorum, quæ influunt in misellum hoc maligno sidere procreatum: quippe ebulliens sanguis desinet in atram bilem, quæ effusa in omnes partes corporis huius in propriam perniciem nati, illi scabiem inhonestam affinget, & impetiginem importunam. Se in has deuenisse angustias Schonerus ait, ob ingratum illum dominium, iniquè desuper influentem.

Illutibus experimentis tam falsis, quàm veris, Astrologiæ iudiciariæ nequitia concluditur.

Ptolemæus lib. 3. de iudiciis c. 11. 15.

Saturnus planeta quæ mala portendat.

Schonerus expertus Saturni planetæ iniquos influxus.

Schoner. lib. de iudiciis plan. cap. de Saturno in decima domo.

Iupiter planeta beneficus.

Alius omnino Iouis est influxus; siquidem planeta ille, qui Iupiter appellatur, est maximè beneficus, & eo domino nati homines dicuntur affluere bonis omnigenis. Huius obseruantiæ fides esto penes Astrologos. Sed moralis instituti inde emergentis, nulla ratio prorsus ambigendi conceditur. Nempe in confesso est apud omnes, animam quæ iniquum diaboli dominium patitur, experturam omnia infausta, à me antea prælibata; scilicet præcipitium, & fœdam scabiei pruriginem. Quid dico experturam, cùm iam anima diaboli iugo oppressa, præceps ab alto corruerit in peccati abyssum, ex summo gratiæ culmine dehiscendo. Qua autem impetigine synderesis vrgeatur anima inquies, sciunt illi qui quandoque incauti defecerunt à benefico Dei dominio. Imò si res est de ea voluptate quæ plures abstrahit à Dei cultu, illa profectò est quæ magis hominem torquet, si fuerit opere perpetrata. Vnde Ambrosius tempestuosum ingenium omnium voluptatum detestatus, compendiosè notat angustias, quibus subiicitur animus hominis imprudentis. Sic ille: *Sanus criminum stimulus est libido, quæ nunquam manere quietum patitur affectum, nocte feruet, die anhelat.*

Dominium diaboli in animas in quã miseram sortem eas damnet.

Synderesis graues sunt molestiæ.

Ex SS. PATRIBVS. *Ambros. de Cain & Abel.* Libidinis est inquies ingenium.

Esto miseranda sit sors hominum editorum dominante sidere infausto, si qua fides est adhibenda nugis: hoc vnum miseris est solamen, quòd scilicet omini infausto nullam prorsus dederunt ansam, vtpote nati, Deo ad arbitrium suum sidera moderante. Præterea si quid ominosum eorum ortum in humanis consequitur, illud omne est cute tenus: quippe sidera ferociant, & orbis totus insurgat in hominem dominio Dei subditum; anima tamen eius erit iugiter illibata. Imò procellæ ingruentes in Dei seruos cedunt ad gloriam illorum, quia non Ioue dominante degunt in hoc sæculo, sed Deo ipso vtuntur Domino, quo influente nihil prorsus animam vexat, vtpote tantùm deforis impetitam. Itaque nemo causetur iniquos siderum influxus, vt conscios piaculi, cui se quisque volens addixit. Nostra est fraus omnis, dedimus vltro nomen nostrum pessimo domino, quando Deum abegimus, corpus & animam diabolo deuouentes. Non est tamen omnino deplorata salus nostra: nimirum est adhuc resiliendi locus, & vt iura clamant, possessio malæ fidei non præscribit. Frustra dæmon obiiciet titulos suæ tyrannidis, si Deo reuocante volumus facti pœnitentes, vnde recessimus, id est, ad propria repedare.

Sidera iniqua non influunt in animas.

In seruitute peccati superest Deo miserante repedandi locus.

SENSVS MORALIS.

Quàm molestum sit abdicare Dei dominium, & dura vitiorum seruitute premi.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.

ARTICVLVS IX.

EX SANCTIS PATRIBVS.

Locusta est figura serui qui à Deo defecit.

SAuciata vitiis anima, Deum auersata conuertitur ad propria sua commoda, & plerumque ad voluptatum illecebras, quibus vt largiùs indulgeat, disrumpit iugum Deo debitæ seruitutis. Anima sic refuga æmulatur indolem locustarum, quæ sine Rege volitant & discurrunt pede reflexo in ventrem. Impiis hominibus seruis reuera fugitiuis quadrat hæc locustarum idea, referens eorum indolem infidelem. Etenim animæ pedes, id est affectus apud homines nequam, curui sunt, & in ventrem redeunt omnes: siquidem etsi affectus impiorum hominum sese effundant ad obuia quæque placita sensibus; tamen in ventrem acti gula & libidine reflectuntur. Has locustas idem prorsus exterminium manet, quo periere illæ locustæ ingentes, quæ vltore Deo, toties Ægypti gramina depascebant. Hoc insecti genus terræ iniurium vindice vento proiectum est in mare rubrum, ne vna quidem locustâ superstite. Ita prodigium hoc recensuit Moyses. *Moyses orauit Dominum, qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti.* Reprobi florente ætate locustarum instar ebulliunt in gramine pingui, nullumque viret pratum, quod non pertranseant luxuriantes impunè: sed aliquando flabit æstus non à regione Occidentis, ast ab occidente Deo, & iuxta scelerum pondus eorum crimina vindicante, non quidem aquis pelagi exundantis, sed ignibus, quorum vltores globi, scelestorum animas & corpora cruciabunt.

Affectus impiorum hominum desinunt in libidinem, & in gulam.

Exod. 10.

Qualis exitus impios homines manet.

Eò ferè allusit Origenes, dum expendit illam locustarum plagam: sic quippe eloquitur. *Quod locustarum octauo loco sit mentio, puto per hoc genus plagæ, dissidentis semper à se discordantisque humani generis inconstantiam confutari. Locusta enim cum Regem non habeat, sicut Scriptura dicit, vna acie ordinatum ducit exercitum; homines verò cùm rationales à Deo facti sint, neque semetipsos ordinatè regere potuerunt, neque Dei Regis patienter moderamina pertulere.* Excusso Dei dominio, peccatores locustæ sine Rege præterierunt aliquando per amœnas huiusce mundi plagas; sed quia omnia benè ordinata à Deo sunt, vbi exleges fuerunt homines, omnes illæ reproborum turbæ promiscuæ miserè perierunt. Vides ergo quàm molestum sit abdicare dominium Dei, quo abiurato induit homo locustarum sortem, arbitratus se vsurum liberiore cælo, si nulli domino nomen daret: sed quàm insipienti consilio totum illud negotium suæ rebellionis egerit, exitu infausto omnibus innotescit. Nempe dyscolus homo, ab vno Deo insalutato Domino recedens, dum se illius iugo expedire gaudet, aliunde duriores patitur dominos, & tot, quot sunt vitia, quorum ebibit ingenium, eorum dura seruitute oppressus, & congruè castigatus. In ea fuit sententia Augustinus hæc conscribens. *Iustis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiamsi seruiat liber est; malus etiamsi regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum. De quibus vitiis cùm ageret Scriptura diuina: A quo enim quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est.*

Origen. hom. 4. in Exod.

Quare locustæ præcipuè referant indolem hominum impiorum.

Reprobi licet regnent, sunt serui, & quare.

Aug. lib. 4. de ciu. Dei c. 3. Iusti licet serui sint hominum, tamè liberi sunt.

Insipientiam hominum, qui Dei dominio renuntiant, egregiè pungit Ambrosius, eruditè ostendens seruire Deo omnium patri, non minuere libertatem, sed eam potius adstruere, iuxta veterum adagium, affirmans solos sapientes esse liberos, & homines nequam seruos. Præstat eum audire

Ambros. l. 2. epist. 7. ad Simplicianū. Seruitus nequit cadere in hominem Dei obsequio mancipatum.

audire sua sic pangentem eloquia. *Paulus Apostolus nos à seruitute in libertatem vocat, dicens: Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum, ostendens libertatem nostram in Christi esse sapientia. Quæ sententia magno à Philosophis fluctuata atque iactata est disputationis molimine, dicentibus, quia omnis sapiens liber, omnis autem insipiens seruiat. Vnde autem hoc plenius hauserit Philosophia consideremus. Nonne primus Noe cum aduertisset, quia insipienter filius suus Cham riserat nudatum patrem, maledixit ei, dicens: Maledictus Cham, seruus erit fratribus suis, & præposuit ei fratres eius dominos, qui sapienter patris senectutem honorandam putarunt. Nonne etiam fons ille omnium disciplinarum Iacob, vbertatem disputationis eius omnium pectoribus infudit, qui sapientia merito prælatus est fratri seniori. Vnde pater pius, qui inter duos alios affectus, affectu disceptabat paterno, benedixit Esau, vt seruiret fratri suo, ostendens ita deteriorem esse seruitute insipientiam, vt remedio ei seruitus sit, quia stultus regere se non potest, & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Diligens ergo pater, & consulens, seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio. Imposuit igitur insipienti velut indomito iugum, & cui in gladio suo viuendum dixerat, libertatem negauit, ne temeritate laberetur, præfecit ei fratrem, cuius auctoritate & moderatione subiectus proficeret ad conuersionem. Primò imposuit ei iugum necessitatis, postea benedictionem ei voluntariæ subiectionis impertiuit. Non igitur natura seruum facit, sed insipientia, nec manumissio liberum, sed disciplina. Denique Esau liber natus est, sed seruus factus est.*

Elegans Ambrosij oratio in gratiam libertatis seruorum Dei.

Natura non fecit homines seruos, sed insipientia.

Eo contextu Ambrosius vt par est insipientiam hominum notat, qui sui iuris esse putant, quando laxis habenis effunduntur in vitia, nulla lege remorante eorum gressus. Et alios grauiore credunt premi iugo, quia legibus obtemperant, aut sese arctioris instituti votis & vinculis obstrinxerunt. Ait ille nullam prorsus seruitutem cadere in seruum Dei, etiam præpeditum nexibus omnigenis; non enim premitur anima compedibus sed vitiis, quibus implexa gemit oppressa dæmonum seruitute. Hoc suum argumentum probat mellifluus ille Doctor exemplo Iosephi Patriarchæ, cui vendito nihil omnino libertatis excidit; quia mens Deo deuota semper est libera, etiam fortunâ inuitâ: nullis namque potest anima sancta nexibus implicari. Ne Ambrosij locupletem discursum desideres, hunc accipe. *Ioseph venditus est in seruitutem, & electus est ad potestatem, vt suis emptoribus imperaret. Vnde pulchrè Psalmista ait: In seruitutem venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit: ferrum pertransiuit animam eius? Nam cùm aliorum animas peccatum transeat, ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile, Ioseph sancti anima, ita non patuit peccato, vt magis peccatum ipsa penetraret. Denique nec herilis illecebra flexus est delinimento, quia eloquium Domini inflammauit eum, quo extinxit ignitas diaboli sagittas. In seruum venundatus est, non seruus factus. Quomodo hic seruus, qui erudiuit principes populi in illa frumentaria dispensatione, vt futura inopia consulerent, & declinando prouiderent? Aut quomodo seruus, qui totam terram acquisiuit, & vniuersum populum Ægyptiorum in seruitutem redegit?*

Ambros. ibid. Peccati seruitus quàm ferrea sit.

Ioseph Patriarcha liber extitit in carcere etiā positus.

Ille idem Ambrosius arguens à contrario sensu, benè infert eos esse seruos, qui repudiato Dei principatu vitiis inseruiunt, dominis profectò acerbis, quibus importunum valdè est atque indecorum, vel ad morulam mancipari. Sic ille: *Si pretium spectes, multos inuenies qui emerunt sibi puellas formæ elegantioris, quarum amore capti, turpi seruitio se dederunt, &c. Stulto & imperare seruitus est, & quod peius est, cùm paucioribus præsit, plurimis dominis, & grauioribus seruit. Seruit enim propriis passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum dominatum nec nocte potest fugere nec die, quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile. Gemina enim seruitus est, altera corporis, animarum altera. Domini autem corporis quidem homines; animarum autem malitia, & passiones, à quibus sola animi libertas sapientem vendicat, vt seruitio ei liceat exire, &c. Quis est qui Sophoclea in medium ferat carmina dicentia.*

Vbi supra. Egregia Ambrosij oratio distinguens duplicem seruitutem.

Iupiter mihi praeest, nullus autem hominum.

Sapiens qui liber est, insurgit quasi victor, debellatis à se ac triumphatis libidinis, timoris, ignauiæ, tristitiæ, cæterisque vitiis, donec eas de possessione suæ mentis eliminet, & omnibus terminis finibusque suis propulset ac arceat. Dicit iustus, quia nec angustiis, nec persecutionibus, nec fame, nec periculo mortis terretur. Qui verò hæc timet, qui mortem reformidat, quomodo non seruus? Seruit profectò, & miseram quidem seruitutem. Vide quàm seruus: Abscondam me, inquit, & ero vagus, & profugus in terra, & quicunque inuenerit me, occidet me. Itaque quasi seruus signum accepit, nec sic tamen necem potuit euadere. Seruit igitur peccator formidini, seruit etiam cupiditati, seruit auaritiæ, seruit libidini, seruit iracundiæ, & videtur huiusmodi sibi liber? Sed magis seruit quàm si sub Tyrannis positus. Quàm miserum igitur, vt qui nascimur in libertate, moriamur in seruitute, &c. Non liber ille, cui dominatur ira, subiicitur enim iugo peccati: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed ille liber, qui potest dicere: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate, &c. Insipientis in libertate ruina vehementior est. Recidenda igitur insipienti potestas, non adiicienda libertas est. Seruitus enim ei conuenit. Vnde dicitur: Spinæ nascuntur in manu ebriosi; seruitus autem in manu imprudentis. Quia sicut ille suis vulneratur poculis; ita insipiens suis factis trahitur in seruitutem. Videbat se Paulus in captiuitatem trahi à lege peccati, & ideo vt liberaretur confugit ad libertatis gratiam. Non sunt igitur liberi insipientes, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Quàm iniqua & dura sit seruitus vitiorum.

Declamatiò aspera in reprobos genio indulgētes specie libertatis aucupandæ.

In eo campo longè latéque spatiati sunt Patres, concordi suffragio damnantes illam adulterinæ libertatis speciem, qua reprobi quique gestiunt, atque luxuriant, vitulorum instar, quos emissos ad saginam indubia laniena manet. Hoc profectò non est argumentum liberioris animæ, nescire Deum Dominum, vacare sensuum illecebris, & in omnium voluptatum cœno sordido volutari. Imò hæc est seruitus, & extrema, vtique deploranda magno lacrymarum profluuio. Audi Augustinum ita reprobis ingementem. *Qui facit peccatum seruus est peccati. O miserabilis*

August. tract. 41. in Ioan.

seruitus! Plerumque homines, cùm dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes dominum non habere, sed saltem mutare. Seruus peccati quid faciat? Quem interpellet? Apud quem se venalem petat? Deinde seruus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit. Seruus peccati, quò fugit? secum se trahit, quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quò eat; sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim quod fecit intus est, &c. Non habet Deus liberos inimicos, necesse est serui sint, nisi ab illo liberentur, cui peccando inimici esse voluerunt.

Descriptio asperæ seruitutis quam patiuntur reprobi.

Ab ea seruitute sibi metuebat Dauid Rex, expertus suo discrimine, quàm grauiter animam premat vitiorum iugum. Quasi hoc vnum attendens, Deum sic orabat: *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum; & non dominetur mei omnis iniustitia.* Quare non petiit arceri à se agmina dæmonum, quibus olim se addictum meminerat? Quare non petiit hostium suorum capita, ne fortunâ suas variante vices, eis aliquando Hebræus populus inseruiret? Non alia planè quæsiti ratio est, quàm experimentum. Memor erat Dauid ærumnarum, quas pertulit obstrictus crimini, quo se homicida & adulter antea conspurcarat. Seruierat quidem Regi Achi Getheo; sed duriorem voluptatis subiectionem expertus, alias omnes oblitus, anxiè petit à Domino, ne talis iniquitas amplius suæ animæ dominetur. De hac ita loquitur Augustinus. *Ab huius pessima domina dominatu, pretioso sanguine redempti sumus: Ego carnalis sum venundatus sub peccato. Noli ergo mirari, ò venundate sub peccato, si tibi dominatur cui es venundatus. Contra talem dominam inuocamus Dominum, cùm dicimus: Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia. Ipse homo se vendidit per liberum arbitrium, sed dominante iniquitate, & accepit pretium exiguum, de arbore vetita voluptatem. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo, &c. Non dominetur mei omnis iniustitia. Hoc est, quod dixit Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quid est non regnet? obediendo desideriis eius. Non dixit: Noli habere desideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, non habeo desideria mala? Illud ergo fac: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis eius. Etsi sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Non fiant membra tua arma iniquitatis peccati, & non dominetur tibi omnis iniustitia.*

Psalm. 118.

Dauid abhorret à dominio iniquitatis.

Aug. serm. 12. de verbis Apostoli.

Rom. 7.

Quomodo in seruitutẽ incurramus dum peccamus.

Gregorius etiam ingemit illi seruituti, cui addicuntur omnes adhærentes huic sæculo, sectantes ea quæ mundi sunt. Et ne inutilem planctum fecisse videatur ille Pontifex, adiicit modum adstruendæ libertatis deperditæ, conciliando sibi Deum, quem Dominum anima sui oblita turpiter abdicauit. Ecce Præsulis oraculum. *Magna est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere est, in mundo iam nihil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt aduersa dum formidantur. At qui semel à dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam iam etiam in hac vita libertate fruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit sæcularium ceruicibus impressum, cùm diceret: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Asperum quippe iugum, & dura sicut diximus seruitutis, pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio affixerant, post ex pauore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis, ab appetitione rerum temporalium, securitate mentis exoneratur. Et vincula eius quis soluit? Subaudis, nisi ego. Soluuntur vero vniuscuiusque vincula, dum diuino adiutorio, interna desideriorum carnalium retinacula dirumpuntur, &c. Via iustorum absque offendiculo. Soluit Deus vincula, quando ab electi vniuscuiusque animo, infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne quod illectam mentem ligabat.*

Greg. lib. 30. Moral. c. 12. Grauissimũ est iugum seruitutis peccati.

Qua ratione possit homo deponere seruitutem peccati.

Adiicio ego Sanctis his Patribus, nos esse deterioris omnino conditionis atque seruitutis, quàm sint bestiæ. Namque illæ nexibus implicitæ quandoque suam omnem industriam colligentes euadunt, aut saltem fortiter enituntur. At tantùm abest, vt homines satagant excutere iugum diaboli, quinimò potiùs summæ voluptati ducunt, instar scarabei voluere fimum & sordes peccatorum; quasi verò res esset ingenua vitiis immorari. Idcirco operæpretium existimo, seruos refugas compellare & exhortari, non vt Angelos imitentur, qui Deo assistunt, & sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; sed vt bestiarum saltem æmulentur indolem, quæ est adeò seruitutis impatiens, vt antequam subeant impositum sibi iugum, in omnes sese partes intorqueant ad potiendum pristina libertate. Si licuit Salomoni pigrum exhortari, vt à formica modum vitandæ acediæ addisceret, quidni & mihi fas sit impios erudire, vt eo studio libertatis afficiantur, quo vrgentur bestiæ carceri mancipatæ.

Deterior est seruitus peccatorũ quam sit captiuitas bestiarum.

SENSVS MORALIS.

Dura vitiorum seruitus debet vrgere reprobos vt Deo priori suo Domino reduces obsequantur.

In hæc verba:

Puer meus iacet in lecto paralyticus & malè torquetur.

ARTICVLVS DECIMVS.

Ex Symbolis, et SS. Patribus.

INualuit apud Palæstinos vsus enuntiandi res insignes petitis inuolucris symbolorum, ita vt quando

Palæstini olim frequẽter vsi sunt symbolis in loquendo.

quandoque res intenta, alia prorsus sit ab imagine rerum, quas significant nomina recitata. Ad id genus pertinent illæ phrases Scripturæ sacræ, vbi Benjamin dicitur lupus rapax, Christus appellatur Agnus qui tollit peccata mundi, & leo de tribu Iuda. Industrium sanè fuit illud schema lineandi naturam rerum, petita similitudine ab aliis, quarum etiam participabant virtutes aut vitia. Vt congruè igitur subiiciam in quos deuenere fines illi, qui fregere fidem Deo datam, vt diaboli seruos sese constituerent, duo egregia symbola recensebo. Primum suppeditabit mihi Ioannes Ferrus, compendiosè referens ingloriæ seruitutis ingenium. Pingit ille asinum, hoc titulo. ET PLAGIS, ET ONERI. Et reuera videtur asinus tantùm editus ad hoc, scilicet vt vapulet, & concessis breuibus induciis magno pondere prægrauetur. Nullo magis idoneo typo referri potest, quàm humilis & abiectus sit impiorum hominum status postquam in diaboli seruos adsciti sunt. Anima eorum lacera plagis inflictis à vitio pessimè iacet in fœtido voluptatum cœno, vbi decumbit impar suo immenso oneri peccatorum. Ideoque quadrat hoc symbolum animæ fugitiuæ, quæ diaboli seruitutem professa est. Asini naturam induit, nulla posthac stipendia alia receptura, quàm verbera: sic enim conuentum est, vt qui Deo legitimo suo Domino se subtraxit vt alteri se locaret, ille subderetur ET PLAGIS, ET ONERI.

Egregium symbolũ hominis serui vitiosum.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.

Flagella multa manent seruos vitiorum.

Non aliò refundendæ sunt plagæ, quibus hodie concutitur orbis: Ebulliunt vbique dæmonum sehui, & numeroso agmine, exiguam manum seruorum Dei irrident & subsannant; quasi verò esset indecorum dare nomen suum Christo, & humilium Christianorum vitam animo sincero, & casto corpore profiteri. Cùm itaque à maiori parte fiat denominatio, & mundus ferè totus in maligno positus sit, vtpote concludens ignobilem catervam mancipiorum diaboli; increbrescunt mala, nempe lues grassatur, & populatur orbem, bella ferociunt, & fames indiuidua belli comes nullam post se relinquit spem salutis, homine impasto, cui nulla suppetunt pharmaca aduersus inediam corpora depascentem. Meritò hæc infliguntur asinis, vtpote natis ET PLAGIS, ET ONERI. Dauid expertus illam sortem ignobilem, ait: *Vt iumentum factus sum apud te.* Si iumentum, aut saltem eius naturam æmulatus est ille malè sibi conscius; ergo debet eius participare plagas & onera. Vtriusque audi planctum querulì peccatoris: *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Flagellis crebrò repetitis sauciatum ait esse corpus suum, etiam succumbens oneri delictorum. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

Flagella Dei quare toties orbe toto desæuiant.

Psalm. 72.

Psalm. 37.

Ibidem.

Eo iumenti symbolo Conradus Rex Romanorum mulctauit perfidiam Neapolitanorum, vt alibi, scilicet altero tomo recensui, vbi ostendi eum capta ciuitate erexisse in platea effigiem equi, in cuius basi notabatur defectio ciuium ingratorum.

Conradus Rex quomodo punierit perfidiã vrbis Neapolis. Historia Imperial. ann. 1252.

> *Hactenus effrænis Domini nunc paret habenis.*
>
> *Rex domat hunc equum Parthenopensis equus.*

His adde Salomonis in reprobos scomma. *Flagellum equo, & chamus asino; & virga in dorso imprudentium.* Namque eo solo quòd homo Deo Domino negat exhibere pensum suum, eo inquam ipso exuit imaginem Dei, vt induat rationem pecoris flagello & pondere subigendi. Eamobrem benè arguit Ambrosius, ita sollicitans homines ad meliorem frugem. *Non sunt liberi insipientes, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Deponamus igitur iam grauem seruitutis sarcinam, renuntiemus luxuriæ ac delictis, quæ nos quibusdam adstringunt nexibus cupiditatum, & vinculis ligant. Ergo liberati à peccato, quasi pretio empti sanguinis Christi, non subiiciamur seruituti hominum, vel passionum.* Cui ergo, ô Ambrosi, subiicietur homo, cui seruire proprium est, & non dominari? Illi subdatur homo, à quo accepit vnde queat debitum pendere famulatum. Quis sit ille congruus hominum Dominus, luculenter explicat Augustinus hoc contextu: *Seruite Domino in lætitia. Omnis seruitus amaritudine plena est, omnes conditione seruili obligati, & seruiunt, & murmurant. Nolite timere illius Domini seruitutem; non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio. Nemo se petit inde venalem, quia dulce est, quod redempti omnes sumus. Magna felicitas est, fratres, esse in ista domo magna seruum, etsi cum compedibus. Noli timere, serue compedite, confitere Domino. Meritis tuis attribue compedes tuos; confitere in compedibus tuis, si vis, vt in ornamenta vertantur. Non frustra nec sine exauditione dictum est: Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum. Seruite Domino in iucunditate. Libera seruitus est apud Dominũ, libera seruitus vbi non necessitas sed charitas seruit, &c. Simul seruus es, & liber. Seruus, quia factus es; liber, quia amaris à Deo, a quo factus es. Noli seruire cum murmure: non enim id agunt murmura tua, vt non seruias, sed vt malus seruus seruias. Seruus es Domini, libertus es Domini, non te sic quæras manumitti, vt recedas de domo manumissoris tui.* Hæc ille.

Proverb. 26.

Reprobi similes equo & mulo.

Ex SS. Patribus. Ambr. lib. 1. epistolarum ep. 7. ad Simplicianum.

August. in Psalm. 99.

Quàm lenis & gratiosa sit seruitus Christi.

Hæc etiam ignobilis impiorum seruitus alio symbolo graphicè depingitur, quo eruditur homo assurgere ad priorem illum statum seruorum Dei vnde excidit. Villaua Hispanus, auctor industrius, recenset in sua serie symbolorum hanc picturam, quæ constat flagello, & versatili trocho, quo pueri ludicrè exercentur. Præfatæ huic tabellæ inscribit has voces: PER TE SVRGO. Trochus enim iacens erigitur, dum flagellis impetitur. O serue nequam, in vitiorum limo iacens, hoc vnum satage, scilicet vt te non impunè flagella cædant, sed attollant eò vnde turpiter excidisti. Tunc temporis licebit affari in trochi modum, hoc flagellum quo vapulas, eumdem hunc titulum vsurpando: PER TE SVRGO. Ita sanè flagra tibi inflicta debent animos addere, & aliquam ingerere cupidinem pristinæ libertatis, cuius facili negotio fies compos si Deum animo contrito demereas. Eo namque indulgente, prorsus irritum est ius, quod sibi in animas diabolus vsurpauit. Libertas illa redux, facinus est Christi propitij omnibus, qui postliminio repetunt liberiorem illam sortem, qua Dominus ille prius dignatus est omne hominum genus, dæmonum technis antea sauciatum.

Egregium symbolum animæ pœnitentis. Ex Symbolis. Franc. Villaua lib. symb.

Flagella Dei impios sollicitant vt assurgant reduces ad Deum.

Animos

Ex SS. Patribus. Augustin. Tract. 41. in Ioan. Quæ sit libertas seruorum Dei.

Animos addit Augustinus hæc recensens: *Si filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis. Hac spes nostra est, fratres, vt à libero liberemur, & liberando nos seruos faciat. Serui enim eramus cupiditatis, liberati serui efficimur. Non ergo dicat Christianus: Liber sum, in libertatem vocatus sum; seruus eram, sed redemptus sum, & ipsa redemptione liber effectus sum; faciam quod volo, nemo me prohibeat à voluntate mea si liber sum: sed si ista voluntate peccatum facit, seruus est peccati.* Christianorum libertas coire solet cum seruitute Dei, ac proinde non est optanda libertas illa Christiana, vt liberior fiat copia delinquendi; sed potius ad eam libertatis speciem anhelare debet homo, ne peccatorum iugo durissimo denuò comprimatur. Sic Augustinus: *Noli libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non peccandum; erit enim voluntas tua libera si fuerit pia; eris liber si fueris seruus; liber peccati, seruus iustitiæ, dicente Apostolo: Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ; nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Hoc conemur vt id agamus. Prima libertas est carere criminibus, & cùm cœperit ea non habere Christianus, incipit caput erigere ad libertatem.*

Ibidem. In quo propriè sit sita libertas Christiana.

Quos peccatores non excitat libertas Christiana, flagella saltem excitent vt deponant iugum seruitutis vitiorum.

Si ergo, ô reprobe, non te sollicitant opima stipendia seruorum Dei, ad recuperandam illam nobilem libertatem; te saltem valdè perurgeant flagella repetita in vitiorum mancipia nata, ET PLAGIS, ET ONERI. Virga iacentibus inflicta, stertentes excitet seruos inglorios, vt Deo tandem miserante molestias, quas summas luunt dæmonum serui, hi vel aliquando suum exosi scelus, Christo suo Domino queant iugiter adhærere.

SENSVS MORALIS.

Magno apparatu virtutum sese debet anima accingere ad illapsum gratiarum Dei.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

Sectio Secvnda.

Celeberrima sanè est illa descriptio impensarum, quas in gratiam templi Dei fecit Dauid Rex inclytus, arbitratus omnem hominum curam esse infra maiestatem eius Domini, cui præparabantur ædes sacræ. Sic enim ille pius Princeps acuebat zelum suum. *Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est; neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* (1. Paral. 29.) Quia Dauid erat multo hostium sanguine tinctus, ait Deum elegisse filium suum Salomonem, cuius nec nomen ipsum erat vacuum laude pacis. Præterea commemorat filij sui statum innoxium, vt vel inde significet, quanam munditia debeant enitere omnes, qui in intimis animæ suæ penetralibus congruum locum parant Domino consecrare. Et reuera Codice sacro recensentur accuratè sumptus omnes, quos exhausit regium illud opus, vt inde quisque coniiciat, quonam ritu sese debeat accingere ad illapsum gratiarum Dei, quæ præambula petunt deaptata rebus, quas congessit Dauid, accumulans aurum, argentum, æs, ferrum, lignum, marmor, & gemmas pretiosas innumeras, vt videre est hoc contextu, vbi Dauid enumerat ea quæ suâ industriâ composuerat eo intento vt sacræ Dei ædes quantocyùs exurgerent. Totam illam templi supellectilem ipse Dauid sic meminit: *Totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea; & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnémque pretiosum lapidem, & marmor parium abundantissimè.* (1. Paral. 29.)

Qualés debeant esse dotes animæ, quæ debet esse templum Dei.

Ego crediderim (nec vana fides) hæc omnia recensita denotare qualitates, quas deposcit Deus ab anima, quam iugiter inhabitat. Auro & argento charitas & innocentiæ candor designantur: æs sonorum clamat orationis donum, vt & ferrum constantiam delineat. Prædiuites gemmæ, virtutes insinuant, quibus anima ditior fit & gratior: lignum verò electum, & marmor parium edocent nos, ea ipsa opera vernacula, quæ nullius esse momenti videntur, debere fieri à sanctis cum magna prudentia, vt omnia electa & singularia sint apud eos, quæ apud alios homines communia sunt, nulloque colore virtutis insignia. Rursus ne quispiam obiiceret regem solum Dauid congessisse memoratas opes ad structuram templi; & hoc prænotare Deum à Regibus tantùm, id est, à viris sanctissimis exigere has cautelas; Scriptura sacra occurrit huic dubio, enarrans populum suas etiam obiisse partes, conferendo etiam de suo penu donaria luculenta, & eiusdem generis ac ea quæ Rex antea prælibauit. Cùm enim domus Dei ædificandæ zelo percitus Rex populum hortatus esset, vt eidem studio sacrarum ædium incumberet, mirum quàm expeditè & alacriter populus reserarit suas quantulascunque gazas, & suas opes effuderit, vt sumptuum sacrorum cumulus assurgeret, deuotæ plebis opibus erogatis. Consule sacram historiam, & hæc inde referes. *Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israel, tribuni quoque, & centuriones, & principes possessionum Regis. Dederuntque in opera domus Domini auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum. Et apud quemcunque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini.* (1. Paral. 29.) Series illa rei gestæ indicat neminem excipi à contributione censûs, quando agitur de domo Dei congruè componenda.

Diuisio sectionis.

Itaque nemo suam causetur inopiam in his quæ pertinent ad Dei cultum: omnes Deo obstringimur, & nemo ab impensis secernitur. Quæ autem debeant esse illæ impensæ, & quomodo sese debeat homo aptare ad Deum excipiendum in delubro cordis, dicam priori parte sectionis huius. Secunda verò parte explicabo prouentum vberem gratiarum, quo ditescit anima Deo fœta. ita vt prima pars aperiat quâ cautelâ præuiâ anima debeat occurrere Deo; altera vero recenseat commoda, quæ percipit anima facta Dei sacrarium.

SENSVS MORALIS.

Prima Pars Sectionis.

Deus non influit in animas, nisi congruis sese dispositionibus accinxerint.

In hæc verba:

Domine non sum dignus; vt intres sub tectum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex Philosophia.

Christus vt Sol egit secundum dispositiones adinuentas in subiecto.

VT nihil prorsus ex Scriptura sacra vacat, non arbitror esse perperam annotatum ab Euangelista, Centurionem misisse ad Christum seniores Iudæorum, & postea amicos, vt eo modo Dominum inflecterent, quem sibi propitium volebat efficere Centurio. Cùm enim Christus pertransiret benefaciendo & sanando omnes, ad instar Solis, qui gyrando influit in omnes orbis oras; beneficus ille rerum Dominus habuit se per modum causæ vniuersalis, agentis difformiter iuxta dispares qualitates insitas variis rebus quas affecit. Aliàs enim ille, licet mitis, declamauit asperè in Pharisæos, vocans eos hypocritas & sepulchra dealbata; aliàs verò beneuolum se præstitit, vt in eo argumento quod versamus. Subodoror ego quidpiam morale in ea delegatione seniorum, & amicorum, quos postea subsequutus ipse Centurio se in conspectum Christi dedit, profitens se indignum quem Dominus inuiseret, etsi ciuitatis illius cunctis ciuibus emineret.

Humiliatio debet esse composita ex discretione, vt non ingloriá faciat hominum dignitatem.

Tria hæc, videlicet seniores Iudæorum missi obuiam Christo, & deinde amici instantes senioribus, & demum ipse Centurio, humilians se quidem, sed indicans sibi morem geri à militibus, alia tria designant necessaria vt Christus influat in animas nostras. Primum est vt dimittamus seniores, id est habitus veteres & reprobos nobis inolitos, iniqua consuetudine peccandi. Alterum est, vt dimissis & velut exutis illis habitibus, Deo æquè infensis ac erant Iudæi Christo contrarij, amicos ad Christum remittamus, id est, prouideamus alios habitus congruos saluti nostræ, qui nobis Christum concilient, vt postea Dominum hunc propitium conuenire possimus, facta humili confessione indignitatis nostræ; citra tamen dispendium eius sortis, qua quisque à Deo dignatus est, itaut verbi gratiâ Præsul non desit muneri suo, nec infra suos subditos se deponat, sed prudenter impositas sibi partes satagat adimplere.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 2. de anima.

Moralis hæc cautio vadem habet Philosophiam, cuius apex Aristoteles hoc effutiit oraculum: *Actus actiuorum non fiunt nisi in patiente benè disposito.* Ad hoc autem vt sit patiens benè dispositum tria requiruntur præuia vt noua forma subeat subiectum ita trifariàm affectum. Primò debet mittere seniores, id est materia debet deponere qualitates veteres, seu primas veluti contrarias aliis, quæ consequuntur nouam formam deforis imminentem: vt lignum antequam in ignem abeat, debet exuere humorem & frigus, quia qualitates illæ seniores & quasi insitæ opponuntur aliis, quas sibi vendicat forma ignis. Rursus, debet materia adsciscere sibi dotes amicas formæ, quam anhela sitit: vt parum est ligno dedisse repudium frigori & humori, veluti inimicis formæ instantis, si præterea non conducat amicos, id est, si non induat qualitates amicas, scilicet calorem & siccitatem. Nota, materiam in ea tota historia generationis compositi reduci quasi in compendium & ad nihili confinia; tamen quantitatem nunquàm excidere, quia ea est subiectum, quo accidentia omnia, seu dispositiones omnes, sese in materiam insinuant.

Quæ requirantur dispositiones in subiecto ad nouam formam.

Exuêdi sunt omnes iniqui habitus ad hoc vt Christus in animas influat.

Esse autem necessarias has cautelas, veluti præambula præludentis formæ quæ imminet, hoc liquet ex indole materiæ, quæ ex se indifferens est ad hanc vel illam formam. Vnde necesse est eam renuntiare suæ formæ si aliam sortiri desiderat: Ad hoc autem vt abneget priorem formam, debet illud repudium auspicari à vetustis accidentibus, quæ stipant illam formam hactenus importunam. Secundò beneficio agentis validi conciliare debet qualitates affines formæ, cui se deuouit totam. Denique sic aptata, & nusquam depositâ quantitate, fœdus init cum adueniente forma, cui seipsam dat in pignus indiuidui consortij, quo stante semper constat sibi compositum. Itaque si quem aliqua cupido tenet aduocandi Christum in penitiora cordis sui; ille inuestiget quinam apud se seniores abditi sint, vt eos statim eliminet. Eò enim vergunt illa Pauli verba: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* Id est, ratione iniquorum habituum sortiti eratis iniquam indolem; nunc abdicate ritus inolitos, vt noui hominis, id est Christi, censeamini discipuli, missis vetustis actibus obsoletis. Rursus studeat praxi virtutum, quæ maximè animam Christianam decent, vt facilius inde procuretur accessio Christi. De quantitate autem nulla est quæstio, cum illa impunè remanere queat, cùm non sit iniuria formæ quæ subintrat. Ita quisquis ad Christum conuertitur, & renuntiat impio facinori, dando manus in posterum impigræ virtutum praxi, ille non debet esse solicitus de deponenda quantitate sua, si nactus est summam. Absurdum namque esset Principem redigi in ordinem, eo tantùm nomine, quòd mutato consilio sese receperit ad meliorem frugem. Quam quisque sortitus est fortunam ille colat, si tamen coire potest cum Dei obsequio, alioquin abiuret illam vt exosam Deo. Ita Matthæus à vocatione sua non rediit ad telonium, licet alij Apostoli ad piscationem sese postea contulerint. Telonij namque professio cupidinem immodicam auri sonat, quæ dedecet Apostolos: at piscatio secus humili discipulorum Christi statui congrua, nihil habuit quo potuerint ab ea Apostoli deterreri.

1. Cor. 5.

Conuersio non obligat ad exuendas dignitates innoxias.

Hac cautela Centurio fidei Christi impos effectus est: nimirum abiurauit veteres Gentilium ritus, adeóque vnum tantùm credidit esse Deum, vt multos sumptus erogarit ad fabricam Synagogæ, vbi docebatur vnius Dei cultus, ab infidelitate Gentium penitus alienus. Prouidit item sibi amicos de mammona iniquitatis: nam illa eleemosyna elargita Iudæis, stipata fuit etiam aliis operibus bonis, quibus aptior effectus est Centurio ad excipiendas Christi dotes, quæ in eum postmodum influxerunt. Eo igitur tenore anima pergat ad Dominum. Auspicetur à repudio seniorum habituum, contrarios planè concipiendo affectus, vt anima sic initiata virtutibus, earum *actus Dei amicos mittat obuiam Christo,

vt

vt ita subire queat cordis intima delinitus. Alioquin vt duæ formæ ex diametro oppositæ coire nequeunt, quia sufficienter singulæ quæque formæ seorsim sumptæ materiam occupant, & impotem reddunt ad amplexus alterius formæ, quamdiu prior forma superstes erit; ita & anima vitiis assueta, quibus homo à Deo secernitur, purgari debet ea colluuie, vt alio habitu ornetur, qui decet obsequium Christi influentis tantùm in animas, quæ ad illapsum gratiarum Dei, vt fas fuit, sese citiùs accinxerunt.

SENSVS MORALIS.

Quibus præambulis animam subeant diuina charismata.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Theologia.

Apodis auis industria ad volandum.

NAtura velut oblita pedes componere & aptare quibusdam auibus, quas ab eo defectu apodes nuncupant; prouida tamen aliunde curam illarum alitum egit. Etenim si quando iugi & pernice volatu fatiscunt apodes illæ aues, infra se deponunt, sibi hac humili requie consulturæ. Sed vt etiam requies nimia ingrata est, & labore congruo recreatur, fit hæc auis inquies longiores humi passa moras, quodque molestum est magis, auis illa pedum expers, quorum obsequio assurgat, ita solo adhæret vt eius alæ quasi pulueri immersæ fiant propè inutiles. Dum enim complicatas expandit alas frustra enititur, quia solo æquata puluerem verrit, & irrito conamine tentat an valeat euolare. Natura memor inopiæ apodum, & miserata sortem auis huius in puluere decumbentis, conducit auram tenuem, vt ea afflante auis illa iacens erigat sese, & beneficio huius spirantis zephiri volitet in æthera. Nota tamen coire duo ad volatum auis huius. Vnum est eam inscio vento non posse attolli: aliud est frustra alitem afflari aurâ propitiâ, si alas suas non explicet, vt vento excepto possit eius ope quantocyùs sese ab infimis expedire. Itaque ventus afflans auem monet, vt alas expandat; auis admonita flabris vrgentibus explicat alas, quæ afflatæ, terris eripiunt illam auem antea decumbentem. Vnde licet auis illa desuper excitetur aura demulcente plumas; tamen præstando quod in se est se disponit ad volatum, expandendo scilicet alas, quas puluere aspersas & velut inutiles antea complicarat.

Egregia figura delineans animæ impotentiam sine gratia Dei.

Quomodo debet anima aptare se ad gratiam.

Eo ferè modo prodiit homo in hoc rerum vniuersum, ab eo tempore quo noxa originalis amputauit illos animæ pedes, quorum adminiculo erecta fastidiebat hæc infima. In eam deuenit miseriam homo deorsum iacens, vt nec alas suas valeat explicare nisi præueniente Deo, quo afflante potest anima se aptare ad volatum, & Deo eam euehente rapi ad eminentem gratiæ statum, quò citra singularem Dei motum nequiit propriis freta viribus anima deuenire. Vnde & verum est hoc, initium iustificationis non esse à nobis sed à Deo. Non inde tamen otiari debet anima, causata suam inopiam; imò suas omnes debet obire vices, ne in vanum cælitus excitetur. Nam Theologiæ effatum est, hominem adultum, non nisi præuia præparatione, gratiâ Dei insigniri. Cùm enim Deus disponat omnia suauiter, & nulli vim inferat in re talis momenti, qualis est animarum salus; noluit feriari principes animæ potentias, scilicet intellectum & voluntatem, sed vtriusque actionem adsciuit, ne homo inuitus insigne hoc beneficium accipere videretur. Igitur operæpretium est hominem attendere sibi, & sedula indagine rimari, quid gerat abditum Deo inuisum, vt hoc vitio deprehenso abiuret illud, & veluti gressu retrogrado redeat ad virtutes oppositas iniquis ritibus, quibus se antea mancipârat. Sola virtutum moralium praxis non iustificat, etsi Deo excitante homo aliquos virtutum actus edat; sed vltra requiritur assensus diuinæ vocationi, & remotio obicis omnimodi, id est, duo necessaria sunt ad hoc vt gratia influat in homines. Primum est vt homo lubens amplectatur donum illud gratiæ Deo miserante ei oblatum; alterum est, vt omnes repudiet habitus, & affectus, qui illapsum gratiæ remorantur. Et hæc coincidunt & congruunt præfatis à me de Centurione, in quo vide totam seriem gratiæ, in hominem ritè aptatum desuper influentis.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.

In Centurione est figura animæ reducis ad gratiam.

Quibus præludiis gratia influat in animas.

Primò audiit Centurio leprosum curatum à Christo sola porrectione manus; audiendo tale prodigium, primos fidei radios excepit, suspicatus in Christo abditam deitatem. Deo sic illucenti assensum præbuit, quem tamen poterat denegare, & sic non negando fecit quod in se erat, id est, quod debuit: non quòd ille assensus fidei fuerit actio naturalis; sed quia Deo elicienti hunc assensum non restitit, imò vltro assensus est. Secundò misit seniores, id est, si quo adhuc teneretur affectu in Deos Romanorum, statim abiurauit eorum cultum, etsi vetustum, vtpote ebibitum ab incunabulis. Et quia Dei motiones nactæ animam benè aptatam validæ sunt, suumque sortiuntur effectum, animam tradendo Christi obsequio; ideo Centurio non potuit se continere domi, sed erupit foras ad pedes Domini deuolutus. Cùm ergo hortor homines vt se disponant ad gratiam, hoc nolim intelligas, scilicet hominem posse propriis viribus eniti ad gratiam: hoc enim est de penu Pelagij; sed hoc moneo, Deum qui nemini deest, semper excitare nos multimodè, & suggerere meliorem frugem; iteritas tamen esse illas gratias Dei præuenientes & excitantes, si non eis citiùs assentimus, tollendo moras & obicem, scilicet reprobos habitus & affectus.

Hanc animi præparationem Samuel exigebat à Iudæis eos sic hortatus: *Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli.* Id est, Domino demulcenti vocatione sua corda vestra, date illico manus, non protelando ei subitò deuoueri. Ille ipse Dominus ita compellat homines impios: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Eius generis est illud Canticorum. *Aperi mihi soror mea.* Illud idem sonat hic Iacobi textus: *Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis.* Demum si nulla prærequireretur in homine dispositio, superflua planè esset illa exhortatio Prophetæ: *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum.* Hos autem omnes sic intellige textus, vt animo tuo nequaquam insideat, hominem seipso solo, sine vlla præuentione Dei, posse ad gratiam sese accingere. Sed sic accipe, vt credas Deum semper adstare,

1. Reg. 7.

Zachar. 1.
Cant. 5.
Iacobi 4.

Osea 4.

Nemo ex se Deum potest demereri solis naturæ viribus.

adstare, & vrgere motione interna, qua percitus homo si consentit Deo pellicienti, eum ad misericordiam protinus inclinabit. Deum autem semper adesse nobis concludit Scriptura sacra, vbi Deus ipse assertor est eius veritatis, ita præmonens: *Ego pulso ad ostium, si quis aperuerit intrabo.*

Apoc. 3.

Rursus præuio Dei auxilio, hominem posse ad Deum accedere, & moliri actiones supernaturales, vt reditum suum ad gratiam, ita Christus insinuat *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Prius quidem homo Deum audit suggerentem meliora, dumque suadenti Deo annuit & consentit, tunc temporis addiscit, & demum Deo rursus influente venit ad gratiæ statum supernaturalem. Simile quidpiam obiicit Ezechiel ex Dei persona loquens. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, animam suam viuificabit.* Deponendus itaque est error ille, qui ita gratiæ influxum dat Deo, vt velit animam omnino feriari in illo grauissimo negotio: tunc enim nullæ requirerentur in anima dispositiones, quod tamen est falsum, cùm enim in homine gratia sit in anima vt subiecto, & anima sit causa materialis gratiæ, quæ educitur de potentia eius obedientiali, necesse est animam disponi ad hoc vt informetur illa supernaturali forma. Alioquin si nihil ex parte hominis peteretur à Deo ad impertiendam gratiam, gratia æquè in omnes influeret, quia Deus neminem excipit à gratia excitante, & sufficiente, nec est acceptor personarum; sicque nulla planè ratio posset adferri, quare Deus hunc potius quàm alium suâ gratiâ dignaretur.

Ioan. 6.

Ezech. 18.

Alius autem cauendus error, qui malè commentatur illud vulgò effatum. *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Nempe aliqui arbitrati sunt, hominem secreto omni singulari auxilio Dei, viuentem moraliter benè, & vt hominem decet, hunc ritè disponi ad gratiam eo pacto. Non est tuta illa sententia, quia nulla prorsus intercedit proportio inter actionem, & terminum; nam actiones omnes illius hominis non adiuti superno auxilio essent ordinis naturalis, ac proinde non possent transilire suos fines, & attingere terminum longè positum à natura, scilicet gratiam, quæ præterit omnes naturæ fines, & sic iustificationis initium ab ipso solo homine dependeret. Quæ omnia erronea & falsa ab Ecclesia condemnantur. Si verò res est de conamine naturali hominis adiuti gratia præueniente, tunc illa hominis dispositio, vt voluntas attenditur à Deo mota, sufficienter attingere potest gratiam producendam, vt propinqua dispositio: licet enim velle sit actio naturalis; tamen velle hoc bonum supernaturale, id est velle efficaciter redire in gratiam cum Deo, est actio supernaturalis.

Dispositio proxima ad gratiæ illapsum non est ordinis naturalis.

Ad hæc præludia vos compello, ô reprobi, quos tepor dissoluit acediâ. Quid cunctamini Deo properante vos educere ex illa paralysi, qua malè torquemini in vestro vitiorum lecto. Si artus dissoluti & languida membrorum compages non concedunt accedere ad Christum, mittite seniores, inuocate sanctos, date eleemosynam, aliisque vacate congruis operibus, vt vel sic Christum possitis demerere, & sic ad misericordiam citiùs inclinare.

SENSVS MORALIS.

Homines adulti non ornantur gratia Dei, nisi eam pro suo modulo procurarint.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex SS. Patribvs.

DEcumbentis animæ sanitatem reparari eo ferè modo, quo corpori ægro succurritur, sensere auctores haudquaquam ignobiles, quibus & ego aliàs meum præbui suffragium, ob pleraque remedia vtrobique similia. Tamen quandoquidem nullum simile idem, multa etiam dissona paritatem illam soluunt. Pro titulo huius articuli satis erit assignare insignem vnam differentiam, quæ meo maximè intento fauet; scilicet vt plurimum insciis ægris corpora sospitari. Etenim natura decoquente humores noxios, nescit homo quidnam in penitiore recessu viscerum eadem natura moliatur. Et esto nesciat æger quid geratur in intimis præcordiis, hoc non obstat, quin reduce sanitate resurgat homo salutis hactenus ancipitis. Vbi verò res est de sanitate animæ, dispar omnino ratio est in adultis hominibus. Nempe anima, quæ sua culpa in paralysim abiit, & veluti in acediam fracta iacet, nusquam erit compos pristinæ sanitatis, nisi omnem moueat lapidem, & magnam adhibeat curam, vt ad meliorem se recipiat frugem, & proinde sic sanitas perdita reuocetur.

In quo salus animæ discrepet à sanitate corporis.

Anima inuita nequit gratiam recipere.

Nota tamen non esse eiusdem generis, excidere sanitate animæ, & eam procurare. Nam peccare dicit actum naturalem; omne namque peccatum ad creaturam porrigitur, nec habere potest terminum extra naturæ fines, atque ita solis naturæ præsidiis homo peccat, sed nequit resilire à peccato proprio nisu, & solo naturæ suffragio. Etenim nequit purgari à peccato, nisi gratia cœlitus influente. At gratia terminus est, ad quem non pertinet actio merè humana. Ergo non est negotium hominum tantùm, prouidere animæ sauciatæ. Ita planè operosa res est & ardua, incumbere sanitati animæ, quæ excidit illâ gratiâ, qua vigente erat & sana, & sancta, Deo grata, & toti cœlitum choro, Dei equidem opus est, sed non caretnus Dei, quin anima suas etiam agat partes in eo facinore egregio perpetrãdo. Deo inconsulto anima decubuit; sed Deus eam non curabit, quin suam adhibeat solicitudinem, hanc scilicet quam poterit, vt se pro modulo suo faciat idoneam saluti instanti. Adhibere autem curam omnem, hoc est se præparare quantùm fas est, & hoc intendit probare titulus iste emendicatis aliquorum Patrum suffragiis. Præstò est Augustinus hac suasione morali. *Hanc ergo, fratres mei, iustificationem habeamus inquantùm habemus; & augeamus, inquantum minores sumus; & perficiamus, cùm illuc venerimus, vbi dicetur: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Sed totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi vt non conemur, non quasi vt non velimus. Sine voluntate tua non erit in te*

Quare conuersio animæ impiæ non sit actio merè naturalis.

Quomodo se debeat anima disponere ad gratiæ influxum.

Ex SS. Patribvs.

Aug. ser. 15. de verbis Apostoli c. 11.

iustitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam, &c. Eris opus Dei, non solum quia homo es, sed etiam quia iustus es. Melius est enim iustum esse, quàm te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, meliùs aliquid facis, quàm fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, vt te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem. Hactenus Augustinus.

Egregia sententia describens cooperationem animæ ad gratiæ illapsum.

Verùm potest subesse virus & lethale illi sententiæ, nisi propinato antidoto ita intelligatur, vt proximo articulo exposui, scilicet gratiam à Deo oblatam non iustificare animam nisi illa anhela ad Dei arbitrium se componat, consentiendo motioni Dei, & remouendo omnia quæ remorari possent illapsum charismatum, quorum anima indiga iacuerat. Et licet anima formalem assensum præbuerit, hoc operæpretium est rursus aduertere; nimirum animam non esse causam efficientem gratiæ instantis, sed gratiam illam esse donum Dei, qui animam stertentem in vitiis excitauit, & excitatam validè confirmauit, cauens ne nutante vestigio ægra labaret, sed vegetiore pede decurreret calles mandatorum Dei, refundendo semper suæ salutis summam penes Deum gratiæ auctorem. Ita Augustinus: *Gratia salui facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, ne fortè dicas: Promerui, & ideo accepi. Non putes te promerendo accepisse, qui non promereris nisi accepisses. Gratia præcessit meritum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti: Pro nihilo, inquit, saluos facies illos. Quid est, pro nihilo saluos facies eos? Nihil in eis inuenis vnde salues, & tamen saluas. Gratis das, gratis saluas. Omnia merita præcedis, vt dona tua consequantur merita mea. Prorsus gratis das, gratis saluas, qui nihil inuenis vnde salues, & multum inuenis vnde damnes.* Absit itaque à nobis insana gloriandi cupido, in his quæ pertinent ad iustificationem; siquidem illa Dei negotium est, ad quod quidem exigit consensum animæ, ne inuita sanitatem recipiat, & sic velut inscia restauretur.

Salutis initium non est ab homine.

Aug. eodem serm. c. 2.

Quomodo prima gratia non cadat sub meritum.

Duo attendere debet anima de iustificatione.

Duo igitur attendere debet anima anhelans ad statum illum gratiæ qua excidit. Primum est ne irritas faciat Dei suasiones internas; illis enim auscultando prouehitur anima ad ampliorem gratiam, illam scilicet, qua Deo grata in Beatorum sortem initiatiuè transit, inaugurata infulis filiorum Dei. Alterum, cui anima cautior inuigilare debet, est recessus ab illo scopulo, quem præmonui, videlicet ne sibi blandiatur anima de meliori fruge, quasi status ille recens esset argumentum suæ emeritæ potestatis. Audiendus in eo themate Bernardus, ita discutiens subiectam istam materiam. *Ecce iam ex eius munere velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Sed nec aliquando me inuenturum confido, nisi qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate. Vbi ergo aut sunt merita nostra, aut vbi est spes nostra? Audi inquam: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit. Quid enim? Tu fortè putaueris, tua te creasse merita, tua posse saluari iustitia, qui nec saltem Dominum Iesum dicere potes, nisi in Spiritu sancto? Itane oblitus es quis dixerit: Sine me nihil potestis facere? Et neque currentis neque volentis, sed Dei miserantis est? Quid igitur agit ais liberum arbitrium? Breuiter respondeo: Saluatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod saluetur. Tolle gratiam, non erit vnde saluetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, vno a quo fit, altero in quo fit, Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium. Quod ergo à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti salutem, cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum saluatur. Consentire enim saluari est.*

Bern. tract. de gratia, & libero arbitrio.

Quomodo anima concurrat ad iustificationem suam.

Quia magni momenti est illa disciplina de influxu gratiæ, & maximè idonea ad mores componendos, ne scilicet inani gloria turgeamus adeptâ gratiâ, & ne ignoremus quomodo ea sit inuestiganda, quando illius deliquium passa fuerit anima incauta, placet aliam Bernardi subiicere sententiam vtpote appositam valde ad meum hoc institutum. Sic ille. *Diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas. Deo subiicit nos eius gratia, non voluntas nostra. Nostra quippe voluntas bona (quod fatendum est) à Deo bono creata; perfecta tamen non erit, quousque suo creatori perfectè subiecta sit. Absit tamen vt ipsi sui ipsius perfectionem, Deo autem tantum creationem tribuamus; cùm longè nimirum meliùs sit esse perfectam, quàm factam, & dictu ipso nefas esse videatur. Deo quod minus, nobis quod excellentius sit attribuere. Sentiens denique Apostolus, quid ex natura esset, quid ex gratia expectaret, aiebat: Velle adiacet mihi, perficere non inuenio. Sciebat profectò velle sibi inesse, ex libero arbitrio: sed vt ipsum velle perfectum haberet, gratiam se habere necessariam. Si enim velle malum, defectus quidem est voluntatis, vtique bonum velle profectus eiusdem erit: sufficere verò ad omne quod volumus bonum, ipsius perfectio. Vt ergo velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus, duplici gratia munere indigemus; & vero, videlicet sapere quod est voluntatis ad bonum conuersio; & pleno etiam posse, quod est eiusdem in bonum confirmatio. Porrò perfecta conuersio est ad bonum, vt nil libeat nisi quod deceat vel liceat: perfecta in bono confirmatio, vt nil desit iam quod libeat.*

Ibidem.

Voluntas Deo mistante bona efficitur, & non suo proprio conamine tantùm.

Quomodo autem gratia Dei anteeat actus nostros, & sit veluti præambula conamini nostro, & quasi obstetricem agat fœtuum, quos parturit anima Deo grata, pergit enarrare idem Sanctus ista subiiciens. *Gratia liberum excitat arbitrium cùm seminat cogitatum; sanat cùm immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, seruat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperentur. Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mistum, non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberũ arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; sed vt totum in illo, sic totum ex illa.* Illa Dei benignitas omnibus offerens gratiam, pigriores etiam animos vrgere debet ad assensum, vt quantocyùs morem gerant Domino reuocanti. Quonam verò

Vbi supra. Gratia Dei præueniens anteit omnes bonos actus animæ pœnitentis.

modo

modo se aptare debeat anima ad hoc vt Christus eam inuisat, Centurio suo exemplo satis superque edocuit. Is nempe indecorum esse ratus hominem Ethnicum occurrere Christo, primò se continuit intra septa domus suæ, conductis interea senioribus Iudæorum, vt captarent beneuolentiam tanti Domini, cuius obtutibus sisti Centurio cunctabatur. Humili hoc affectu delinitus est Christus, imò anteuertit intentum supplicis hominis ampliora longè pollicitus, quàm vota illius hominis explicarent. Nempe petenti verbum salutare ait, se non annuere tantum optatis, sed & præterea subiturum ædes, vbi memoratus ille seruulus ægrotabat. Hoc gratiæ augmento Centurionis humilitas incrementum accepit. Etenim foras prorumpens palàm professus est se indignum honore tanto, arbitratus esse rem ingloriam Christo, Gentilis hominis ædibus illucere.

Quare Centurio non statim ierit obuiā Christo

O exemplum æmulandum omnibus, qui se aptant vt sistantur altaribus sacris, viuifico Christi corpore saginandi. Illis eadem humilitate præit sacerdos vsurpatis vocibus huius hominis eruditi; *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Quomodo in praxim reducenda sit hæc figura, vide me priori tomo huius Moralis Encyclopædiæ: illic habes in Octaua Eucharistiæ homiliam integram, quæ pertinet ad hunc ritum. Valet & hæc praxis emergens ex Centurionis humilitate ad omnia ferè momenta, quibus recolimus Deum subintrantem animæ nostræ tectum, haudquaquam aulæis congruis exornatum. Crediderim ego nihil æquè Deum prouocare ad subeundas animas; siquidem humilitate potissimum inflectitur Deus. Habet autem quælibet anima plura argumenta deponendi fastum si quando insurgit: quippe meditanti statum animæ suæ, multæ occurrunt lacunæ, plurimæ se ruinæ produnt; ideoque detrita anima se dat in conspectum, vt cognitâ decurtatâ suâ supellectile, nullas patiatur sese humiliandi moras. Itaque poterit quisque induere personam huius præfecti militum, quem ita meminit Chrysologus. *Dedit debitum de humilitate responsum, & ipsum esse Dominum singulari pauore signauit, deducere dum veretur ad animæ suæ domum, ad secretum cordis sui, ad tectum suæ conscientiæ, ad penetrale mentis, in quo familia cogitationum incondita, & confusa, versatur, nec patitur aulam pectoris humani sine vitiorum strepitu in sinceritatis silentio permanere. Magistro ergo timore respondit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Hinc est quòd Petrus vbi Christum rerum cognouit auctorem, exclamauit dicens: Exi à me, Domine, quia peccator sum. Sic cum Petrus exire à se rogat, quomodo Centurio eum ad se supplicat non venire. Agit vterque ne indignitas hospitij in hospitis manet iniuriam.*

Centurionis humilitas æmulanda in eo articulo quo anima pascitur Eucharistia.

Humilitate Deus maximè inclinatur ad subeūdas animas.

Chrysolog. serm. 13.
Quare Centurio tanta explicarit humilitatis argumenta.

Profectò si quisque peruios haberet penitiores animæ suæ recessus, familiaris esset illa Centurionis oratio, Deum inclinans ad misericordiam. Quotus enim quisque est, apud quem fortasse non sint plura simulacra rerum terrenarum, quàm fuerint idola apud Centurionem, qui fortè nulla prorsus habuit. Potissima humilitatis ratio hæc est, videlicet animam nostram Deo solo satam esse reconditam tegmine corporali, ac proinde obstringi carnis obsequio; vnde anima vt plurimum fœda carnis aspergine conspurcatur. Si attentè recolis quali tecto subdatur anima tua, Christiane lector, indubiè rubore suffunderis, & pudebit te eò superbiæ deuenisse, quò fortè nemo vnquam. Appositè ad hæc Chrysologus eloquitur hoc contextu. *Fratres, quod est tectum, quod hominem aut dignum facit, aut reddit indignum: quo diuinum inuitet, aut repellat accessum? Fratres, hoc tectum corpus est, quod tegit animam, quod operit sensum spiritus, quod cordis domicilium velat, quod libertatem mentis à cælesti visione secludit. Sub hoc ergo tecto Centurio indignum ducit intrare Christum, hoc est, in corpus humanum, diuinam succedere maiestatem.*

Qua meditatione anima præcipuè possit humiliari.

Idem ser. 103. Corpus est inglorium animæ tectum.

Stante igitur eo humilitatis argumento, id est, quia rarus sit homo expeditus à carnis exuuiis, deberet esse vernacula hæc sententia deponens hominum typhum: *Domine non sum dignus.* Salutarem sanè sortiretur effectum, nimirum accessum Christi, vehentis secum bonorum omnium agmen, quo ditantur omnes qui se illi propitio Domino deuouerunt.

Quàm efficax sit illa breuis oratio, *Domine non sum dignus.*

SENSVS MORALIS.

Congrua cautione aptanda est anima futura compos gratiarum Dei.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS QVARTVS.

EX MEDICORVM DISCIPLINA.

SEdula indagine & crebro experimento quotidie elimatur industria medicorum, ita vt senescente mundo renouetur illa ars adeò salutaris hominibus, vt Deus ipse medicum iusserit honorari. In his quæ pertinent ad hanc disciplinam, theoretici maxime laborarunt in decernendis remediis, quæ corpora disponerent ad recipiendum beneficum effectum pharmacorum. Sunt etenim remedia in duplici genere iuxta duplex intentum medicinæ. Prima remedia neque purgant neque leuant morbum, sed diriguntur ad vtrumque finem; siquidem præparant humores noxios, & tenaces, vt diluti beneficio iulepi, postea cedant pharmaco carthartico, id est viscera repurganti. Medici præparantia remedia hæc præfata iulepos vocant, aut apozemata, vel syrupos, quibus cautiores medici semper vtuntur præuiis, antequam repurgium humorum tentent, ne irrito conamine manum moueant de tabula, magno ægrotorum dispendio. Et reuera nemini vellem propinari potionem laxatiuam, quin antea corpus esset rite dispositum, præparantibus remediis quæ ex Fernelio medicis innotescunt. Sic ille: *Potionum forma ad simplicem intemperiem, & ad corporis vel humorum præparationem, & alios plerumque vsus tres nunc præcipua vsurpari solent, iulepus, apozema, syrupus. Iulepus fit ex quouis liquore stillatitio, aut succo defæcato, addito mellis sacchariue triplo, &c. Accommodatur is præcipuè intemperiei corrigendæ, leniendæ siti, & compescendo atque frænando humoris ardore, & malignitati frangendæ. Fit proinde vel è cardiaco liquore stillaticio, vel è puro defæcatoque succo, vt limonum, aut granatorum,*

Sanitas nō influit in corpora sine præuiis dispositionibus.

EX RĒ MEDICA.
Fernel. lib. 4. de methodo medendi c. 16.

Quomodo remedia præparantia componantur.

vel è iure vnius paucorumque simplicium, cui mellis saccharive quadrans permiscetur, leniterque coquitur, ac deinde clarefit, & conditur aromate. Apozema quoniam ferè iulepo insuauius est, raro in eosdem vsus destinatur, sed maximè in humorum attenuationem, atque detersionem, in corporis præparationem, & in reliquiarum expulsionem. Syrupus magis incidit, ac detergit.

Hippocrat. l. aphorism. aph. 22.

Tota hæc remediorum præparantium supellex excogitata fuit, vt ars medica morem gereret Hippocrati ita consulenti: Πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν. Id est: *Concocta purgare oportet, & mouere non cruda.* Noluit Hippocrates vrgeri humores ad egestionem, sine præuia præparatione, quia melius est naturam feriari, quam aliquid frustra moliri: translatus namque humor, qui stagnarat in aliqua regione corporis, aliam partem lædit, in quam efferus influit, & plerumque necem ægris ita incautè decreta pharmaca procurarunt. Licet enim remedia sint ex se innoxia; nemo tamen eorum virtutem participat, nisi congruè se accingat ad influxum eorum propitium. Eo ferè modo philosophandum est de gratia Dei reuocante animas ad meliorem frugem: illo antidoto nefas est vti, sine præambulis idoneis ad salutarem eius illapsum. Quæ sint autem illa præludia requisitane in vacuum quis gratiam recipiat, dicam ex affinitate remediorum præparantium corpora ad salutarem vsum pharmacorum. Sistam in iulepo descripto à Fernelio, præmonente plerumque fieri talem potionem ex aqua stillaticia, adiectis herbarum succis, & saccharo, & aromate, scilicet cinamomo, aut spica nardi. Omnia hæc moraliter intellecta coëunt ad animæ decumbentis pharmaca componenda; illa videlicet, quibus anima disponitur ad gratiam vtiliter accipiendam.

Pharmaca noxia si non ritè corpora disponantur.

Dixi ex Theologia, Deum iugiter adstare nobis, & pulsare ad ostium cordis, si quando vitiis homo obstrictus gratia Dei exciderit: Dei pulsantis motionem vocaui gratiam excitantem, qua vrgemur ad dandum repudium vitiis inolitis. Adieci ex S. Augustino, gratiam illam Dei non prodesse homini inuito, sed exigere ab eo consensum explicitum, & remotionem obicis, id est, libellum repudij datum peccatis omnibus, & reprobis effectibus, quibus obnoxius erat homo ille, quem gratia Dei sollicitat ad cultioris vitæ genus. Vt ergo gratia Dei præueniens salutares sortiatur effectus, & congruos intento Dei; operæpretium existimo esse adhibenda ab homine pœnitente quatuor illa memorata à Fernelio, scilicet aquam stillaticiam, succos herbarum, saccharum, atque aromata, eo ordine quo Pharmacopolæ disponunt illa remedia. Primò auspicantur à contusis herbis, quarum iusculum proliciunt, & igni lento admotum clarificant secernendo fæces, iusculo defæcato adiiciunt saccharũ, & aromata. Demum vt facilius trãsmittantur in stomachum hæc præfata, adhibent aquam stillatitiam, vt eius beneficio diluta compositio fiat liquidior. Ita & ego initiandam consulo animam, quæ sibi vult consulere antidoto gratiæ, quam Deus vltro omnibus impertitur. Primò contundat herbas, & educat inde succum decoquendum modico calore. Herbarum nomine intelligo omnia carnalia, quorũ illecebris dementatur anima. Nempe omnis caro fœnum. Fit illa contusio meditando accuratè in quas fæces

Iulepi comparatio cum dispositionibus quibus accingitur anima ad gratiæ Dei influxum.

[illegible]

Quid præcipuè recolendo anima impia reddatur.

abeant voluptates illæ obscœnæ. Ea speculatione erubescet anima, & vt rubor in corpore calorem habet comitem implexum, hic animæ pudor aliquales excitabit scintillulas amoris Dei, non sufficientes quidem ad integrum charitatis incendium, sed idoneas, quibus vt lento igne incipiant secerni animæ sordes à sincera eius substantia. Cogitet anima pudibunda quo Deus amore ipsam dignatus sit, etsi aliàs erabundam. Recolat se à Deo potuisse damnari ob tanta flagitia quæ meminit, eorum veluti succo extracto. Deus bone, quot in eo succo fæces obiicientur ei, quas dum lento attritionis igne decoquet metuendo pœnas inferni, incipiet eas secernere ab anima sua, cogitans sanctius institutum. Abiuratæ olim virtutis dulcedinem commemoret, & hæc dulcedo sacchari vices obibit, ne virtutum praxis amarore suo fastidium ingerat animæ pœnitenti. Præterea dum animo suo versabit homo pœnitens fragrantiam virtutis impigræ, eo recreatus odore, adhibebit aromata, quibus condire possit propositum vitæ sanctioris. Demum, meditatæ vitiorum fæces, cogitata dulcedo amoris Dei, & recensita virtutum aromata, eam sui cupidinem facient, vt anima dedignata sordes, abeat in lacrymas, dilutura fæces suas, & petitura dotes, quarum meditata est dulcedinem atque fragrantiam.

Frustra obijcitur gratia animæ si non remouet obices.

Profectò his tantùm gradibus anima præpedita vitiis, efficitur compos gratiæ Dei, alioquin irritæ, si mens malè sibi conscia non remouet obices remorantes influxum memoratæ illius gratiæ. Obices illi sunt iniqui habitus & affectus, qui animam noxæ deuinciunt. Nihil autem citius animam expedire potest ab his nexibus importunis, quàm eductus vitiorum succus, id est cogitatæ peccatorum reliquiæ, scilicet ignominia, fœtor, synderesis, atque desperatio. Vnde Paulus adhortatus Romanos vt æterno repudio damnarent sua retroacta piacula, recensuit eorum effectus inglorios, inducens ita succum earum voluptatum, quibus indulserant. Sic ille: *Sicut exhibuistis membra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu.* Hac cautione ille Gentium Apostolus commemorat sordes vitiorum, vt ab eis fideles abhorreant, recenset gratiæ dulcedinem, dicens penes eam esse vitam æternam in Christo Iesu, qui cùm sit floridus, spirat odorem gratum iis omnibus, qui eum sibi conciliant. Quasi diceret: Si qui adhuc in vobis, ô Romani, cunctantur dare manus Christo, & ei adstanti pro foribus aperire, vtpote suis reprobis actibus assueti; illi meminerint qualia sint peccati stipendia, & ea conferant cum prouentu, quo ditior fit anima stipata virtutibus, & gratiâ Dei cœlitus illustrata. Procul dubio dispar conditio impiorum & iustorum meditata suadebit eis obedire Christo, & gratiam eius quantùm fas est homini propagare.

Qui sint obices remorantes gratiæ Dei influxum.

Rom 6.

Memoria peccatorum efficax ad proliciẽdum actum contritionis.

Dispar conditio seruorum Dei & mundi meditata valet ad conuersionem animæ.

Hoc itaque ratum esto; gratiam se habere aliquali modo ad animam peccatis obnoxiam, sicuti pharmacum ad corpus malè affectum, cui inutilia imò

Gratia Dei pharmaco comparata.

imò & quandoque noxia sunt pharmaca, si non ritè dispositum fiat fluidum illud corpus: ideoque operæpretium esse, vt animà se accingat pro modulo suo ad gratiæ amplexum, ne gratia illa repudiata cedat aliquando in discrimen illius animæ ingratæ. Potest & in eo argumẽto reuocari ritus ille Ecclesiæ, quæ pridie festorum solennium Vigilias instituit, vt illis diebus homines ieiuni & orantes se aptarent ad imbrem gratiarum qui influit in animas diebus illis insignibus, vt beriè aduertit Bernardus hoc contextu. *Beati qui stolam suam, dico autem gloriam conscientiæ suæ, solliciti sunt omni tempore conseruare immaculatam, semper splendidam exhibere. Sed quia pauci sunt, qui sic omni custodia seruent cor suum, pauciores autem, si vel pauciores, qui in omni sanctimonia conseruent illud; necesse est frequenti abstinentia maculas diluere subintrantes, præcipuè cùm præcipua qualibet solennitas aduenerit celebranda. Non modò tamen præparatio est ad proximam celebritatem obseruatio præmissa ieiunij; est & admonitio quadam eruditioque non parua. Discimus ex hoc ipso, quænam sit via vera festiuitatis æternæ. Quid est enim quòd ieiuniis præuenimus solennia, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solenni lætitia est, qui statutam Vigiliæ abstinentiam non obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in Vigilia, indignus iure censeris requie & exultatione festiua. Est autem vniuersum præsentis pœnitentiæ tempus, Vigilia quadam solennitatis magnæ. Nec causaberis Vigiliam magnam si æternitatem festiuitatis attendas. Licet enim habere præparationem soleant solennia diurnam; illa cùm æterna sit, non exigit æternam.*

Ex SS. Patribus. Bernard. ser. in Vigilia S. Andreæ.

Quare Ecclesia pridie festorum insignium Vigilias instituat.

Ita & ego alludens ad præfata dico, esse diem illum maximè solennem, quo gratia influit in animas nostras, & eamobrem esse festum diem præueniendum non ieiunio corporali tantùm, sed & spirituali, abstinendo à vitiis, & prauis affectibus, qui vt obices distrahunt nos à gratia Dei. Fauet vulgare adagium pertinens ad articulum de re medica, scilicet diem quo quis purgatur esse festum, & idcirco esse pridie ieiunandum, id est, esse de re ægri, se aptare cautè ad excipiendos effectus beneficos medicinæ. Discursus iste petitus à medicorum disciplina potest probari exemplis omnium hominum, quos aliquando facti pœnituit, & ne in delectu laboremus, id probabo facta exquisita anatome historiæ mulieris huius famosæ, quæ fuit olim in ciuitate peccatrix. In eius historia prostant ea quatuor quæ aduerti supra in iulepis. Primo succus herbarum eductus eo modo, quo expendi moraliter, liquet in redolfice Magdalenâ, quæ illucente Deo recolens retroacta momenta temporum impensa luxuriæ, eo pudore suffusa est, vt non ausa sit offendere oculos Christi, se dando in conspectum eius, sed stetit retro secus pedes eius, arbitrata se indignam obtutibus Christi, vtpote fœda peccatorum suorum aspergine conspurcatam. Adiecit dulcedinem sacchari, cùm amore Christi sauciata, subodorans in eo virtutum omnium fragrantiam, prouoluta est ad pedes eius, fracto suo alabastro vnguenti, pertæsa omnem sæculi odorem vt ingratum, si componas cum cum suauecolentia Christi. Magdalena ornata hac supellectile pœnitentiæ, suum hunc herbarum succum attenta criminum medi-

Dies festus est ille, quo summa gratia Dei cœlitus insinuatur.

Pœnitentia Magdalenæ typus est animæ vere pœnitentis.

tatione elicitum; item & saccharum, atque aromata abundè diluit aqua stillatitia lacrymarum, quas adeò copiosè fudit, vt hoc pœnitentiæ poculo ebibito, congruè disposita fuerit ad effectus gratiæ instantis, quæ in eam influxit, omnes illius noxas Domino repurgante.

Faxit Deus, vt æquali solicitudine procuretur animæ salus, qua incumbere solent homines reduci sanitati: vt sicut non temerè citra præparationem vsurpatur potio medica ne noceat, aut saltem frustretur intento suo; ita & singuli quique malè sibi conscij reclamante conscientia, gratiæ Dei nequaquam desint, sed compti quantùm decet hoc Dei donum, illud recipiant bonis auibus, & omine fausto, Deo salutem animarum ita congruè propagante.

Vtinã æquali solicitudine homines salutem animæ & corporis procurarent.

SENSVS MORALIS.

Pars Secvnda Sectionis.

Quos gratia Dei sortiatur effectus in anima vt par est aptata.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS V.

Ex Mathematica Et Theologia.

Ptolæmei æuo quamplurimæ terrarum orbis plagæ hominibus inuiæ præbuerunt ansam affirmandi, nullos esse Antipodes; imò & hæc ætas inscia fuit effectuum, quos parturit Sol irradians, & influens in oras subditas æquatori. Ita homines imprudentes noluerunt alios hoc scire, quod ipsi nesciebant. Credidere Solem, qui nusquam procul ab æquatore gyrat, vibrare radios magis idoneos ad fouenda incendia, quàm ad gramina nutrienda. Tamen postera priorum hominum ætas nacta viros industrios, qui lustrarunt maximam orbis partem, sciuit Antipodes, & experta est quàm sint benefici aspectus Solis decurrentis zonam illam, quæ à Geographis imperitis torrida nuncupatur. Fida namque relatione compertum est, illic spirare zephiros, quorum aura leuiore sæpe sæpius afflantur incolæ degentes in illa regione, vbi omnia floribus vernant, & aromata suauem spirant fragrantiam. Ita hæretici expertes gratiæ, à qua procul absunt, rident effectus gratiæ, quos recensent & sentiunt orthodoxi. Non est huius loci eos configere meo more multis telis petitis à prædiuite penu Scripturæ, canonum, & Sanctorum Patrum. Sectio hæc moralis agonem hunc non patitur, sed patet tantùm sententiis idoneis ad mores in melius informandos. Itaque antequam discutiam celebriores gratiæ effectus, sufficiet asserere, gratiam esse quid reale in anima eductum de potentia eius obedientiali, in ea permanens per modum habitus inhærentis.

Prisca ætas ignorauit esse Antipodes.

Zona torrida beneficos Solis aspectus sortitur.

Quid sit gratia habitualis.

Singula breuiter expedio. Primò esse quid reale inhærens animæ Paulus insinuat explicitè hoc contextu. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Sicut

Rom. 5.

Quid deliret hæretici de gratia dissentientes.

Probatur doctrina Catholica de gratia.

Sicut enim per inobedientiam hominis vnius peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Nullum planè ferunt effugium illa verba Pauli, & frustra tentant hæretici suum virus eis aspergere, mentientes gratiam nihil esse reale in homine, sed eum iustificari iustitia ipsa qua Christus est iustus, & eam nobis imputari. Vide delirium hominum, qui quæcunque ignorant blasphemant. Paulus Christum & Adamum opponit vt diuersas & contrarias omnino scaturigines. Nempe ait Christum esse nobis omnigeni boni fontem, & Adamum secus omnium malorum caput. Vnde cùm Adami deliquio realiter eius prosapia fuerit sauciata peccato originali singulis insito; ita & virtute Christi, quicunque salui fiunt, illi à Deo dignati sunt gratia realiter existente in anima. Et hoc item liquidò clamant illæ Pauli voces. *Abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt.* At summa esset rerum inopia, si nihil prorsus acciperent iusti, nisi illam denominationem extrinsecam petitam à iustitia Christi tantùm, sine vlla alia forma singulis inhærente.

Ibidem.

Rursus eodem textu ait Apostolus, per vnius obedientiam iustos constitui multos. Sed si gratia realiter non influeret in animas, homines non constituerentur iusti, sed dumtaxat dicerentur tales. Ille item Paulus adstruit hanc veritatem ita fatus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Charitas illa diffusa non est quid impuratum, sed est charitas realiter distincta ab amore illo, quo nos Deus amat, vt benè explicat Augustinus hoc tenore. *Charitas, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur: & Domini salus, qua nos saluos facit: & fides Iesu Christi, qua nos fideles facit.* Augustino explicante, iustitiam Christi, & eam qua iusti sumus, esse res numero dissitas, non est ampliùs ambigendi locus. Adiice & decretum Concilij Tridentini definientis qualis sit causa iustificationis nostræ hoc canone. *Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit, quia videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed etiam verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes.*

Ex SS. Patribus. *August. lib. de spiritu & litera. c. 32. Conc. Trid. sessione 6. c. 7.*

Quænam sit causa iustificationis nostræ.

Gratiam item educi è potentia substantiæ intellectualis Angeli, aut animæ, concors est omnium Theologorum sententia, quia alioquin crearetur gratia. At creationis terminus est esse, sed accidentis esse non est esse sed inesse, & substantiæ duntaxat proprium est esse. Permanere autem gratiam, & non esse in anima per modum transeuntis, & ad moram, clarè Ioannes insinuat ita discutiens istam thesim. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Manere etiam per modum habitus gratiam illam animæ inhærentem, patet ex eo, quòd omnis forma realiter intrinsecè subiecto inhærens, & benè illud afficiens est habitus. Ergo cum gratia ex præfatis realiter animæ insit, & eam benè afficiat, imò & dormientes iusti gratiâ non excidant, in confesso est eam esse per modum habitus; cùm & pueri initiati sacro fonte gratia Dei dignati sint, feriante tamen omni rationis actu, imò & plerumque pœnitentes peracta confessione suorum peccatorum, absoluuntur à peccatis etiamsi nullum pro eo momento temporis actum charitatis eliciant. Vnde liquet, gratiam non esse actualem tantùm, sed & habitualem animis inhærere.

Gratia Dei non creatur. *1. Ioan. 3.*

Gratia Dei inest animæ per modum habitus.

Ex Mathematica. *Euclid. lib. 1. element. geomet.*

Iam verò qui sint effectus formales gratiæ, id constabit vna demonstratione Mathematica, quæ talis est. Linea perpendicularis insidens in plures substratas lineas, ibi tantùm facit angulos rectos, vbi subiecta linea recta est. In aliis verò lineis obliquè suppositis, illa linea desuper cadens facit angulos acutos. Ita & gratia desuper influens in animas, si eas inuenerit rectas, id est, rectè compositas, & aptatas sicuti præmonui, faciet angulos earum rectos. Dicitur apud Mathematicos angulus, illa area interna, seu spatium quod concluditur à lineis se secantibus. Animæ anguli sunt habitus interni, inhærentes animæ potentiis intellectualibus, vt sunt illi, qui pertinent ad cognitionem & amorem, penes quos æquus aut iniquus hominum status attenditur. Hinc homo dicitur rectus, beneficio gratiæ Dei dignantis eum illa rectitudine intellectus, atque voluntatis. Gratia namque vehit secum fidem, spem, & charitatem, quibus semper stipatur anima Deo grata. At fides eliminat omne quòd deuiat à recto rationis scopo, & ad ea quæ Dei sunt humanum dirigit intellectum. Spes autem, & charitas omnia hominum vota rapiunt ad superna, sicque homo efficitur rectus, non quòd proprio conamine suas animæ facultates sursum erexerit; sed quia gratia Dei desuper illapsa in benè præparatum hominem, illum ita composuit. Prius enim linea perpendicularis in puncto tangit lineam substratam, antequam sint anguli recti, ita & prius anima concipitur in gratia, antequam polleat rectitudine facultatum.

Gratia Dei influens in animam totâ hominem rectum efficit.

In quo sita sit animæ rectitudo.

Eccles. 7. Cant. 1.

Ad hanc obseruationem Mathematicam alludit Scriptura sacra recensens munda prioris hominis incunabula, hoc versu: *Fecit Deus hominem rectum.* Et inclyta sponsa Canticorum ait amorem Dei tantùm pertinere ad rectos. *Recti diligunt te.* Primarius ergo gratiæ effectus, est illa animæ rectitudo, quam alij sanitatem vocant, iuxta alium loquendi tropum ab aliis vsurpatum. Sic orauit Psaltes: *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Ita & Ieremias. *Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero.* Rursus illa animæ rectitudo alium connotat effectum gratiæ, cuius est iustificare animam cui affingitur, ita vt illuminato intellectu, & repurgato corde, iustificetur anima, illam gratiæ rectitudinem nacta, iuxta illud Psalmi: *Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Præterea quia à Deo sunt quæ ordinata sunt, & Deus nihil odit eorum quæ fecit, imò quàm maximè amat ea, quæ consistere sibi; anima recta Deo placet, multisque bonis ab eo afficitur, vt occinit Psaltes: *Benefac Domine bonis, & rectis corde.* Esse autem Deo gratum & simul obnoxium piaculis antea perpetratis, ista non coëunt. Eamobrem quartus gratiæ effectus est delere omnes iniquitates: obliquitas enim & rectitudo non sunt res concordes. Idcirco Scriptura sacra, Iobi viri sancti innocentiam narratura, meminit illius figuræ Mathematicæ, ita recensens illius statum innoxium. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat virille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Et Dauid memor iniqui facinoris, ita Deum orat: *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Quippe Deo afflatus sciebat gratiam & peccata

Psal. 40. Ierem. 17.

Psal. 18.

Psal. 124.

Iob. 1.

Psalm. 50.

peccata non coire. Demum vt homo, qui iacuit in cœno decumbens toto corpore prostratus, surgit si in rectum statum se componit; ita & reprobus antea iacens in fæcibus peccatorum, gratiæ illapsu ad cœlestia assurgit, beneficio gratiæ, æterna aliquando gloria potiturus. Et hoc ius ad vitam æternam dicitur vltimus gratiæ effectus, quem rectitudinis etiam typo Mathematico recensuit Dauid isto versiculo: *Habitabunt recti cum vultu tuo.* Item. *Saluos facit rectos corde.*

Psal. 139. Psalm. 7.

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 95.

Genius scholæ Theologicæ Thomas aliquos etiam gratiæ effectus enumerat, vsus symbolo rectitudinis. Ait enim gratiam fuisse causam triplicis rectitudinis, seu ordinationis in homine. Prima rectitudo ita hominem composuit, vt Deo subderetur totus. Alia rectitudine, inferiores animæ facultates rationi subiectæ sunt. Demum homine recto, corpus animæ subditum ei morem gessit. Hac profectò regula, id est gratia, indiguit homo vitiis incuruatus. Nusquam enim suopte ingenio potuisset homo pronus assurgere, si rectus Dominus hominem ad suam imaginem rectum factum non denuo miserans erexisset. Vt ergo, homo, innotescas tibi, & subodoreris quonam ritu viuas, explora, omnia sint recta apud te, necne. Rimare sagaciter omnes angulos animæ tuæ, ne quæ inibi sordes abditæ delitescant. Elimina quantocyùs ab intellectu tuo species illecebrarum, quæ dum obuersantur, & subsidunt, spargunt iniqui semina cogitatus. Mentis aciem dirige in Deum, vt recolas eius beneficium, & congruas grates agas. Eadem indagine lustra intima penetralia cordis, vt inde fæcibus eiectis, hoc prævio repurgio, cordi tuo recto valeat Christus Dominus insidere.

Quàm salutares sint gratiæ Dei effectus.

SENSVS MORALIS.

Quibus priuilegiis gaudeat anima Deo grata.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex Ivre Civili.

Quàm beneficus extiterit Deus erga suos seruos.

Ex Ivre Civili. *Leg. Omnes. Codice. De priuilegiis. lib. 12. tit. 29.*

ADeò copiosa est bonorum omnium seges, quam congerit anima Deo grata, vt copia inopem me faciat ob delectum. Ne autem in recensione effectuum, quibus anima Deo fœta gaudet, videar velle ad nauseam vsque replere paginas, hoc vnum prænotare satis erit; scilicet, Imperatores quidem valde fuisse beneficos erga sequaces suos, sed potiora tamen esse beneficia quæ Deus suis seruulis impertitur. Hos autem verè dico tantùm Dei seruos, quos eò euexit gratia influens in animas. Primò Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, in gratiam amicorum, quos ad infulas erexerant, condidere legem, qua cingulo etiam deposito fas eis esset retinere concessi aliàs honoris insignia. Ecce legem. *Omnes qui in palatio, militando, diuersis actibus paruerint, volumus in tantum eius dignitatis, cuius meruerint missionem, obtinere insignia.* Aliis profectò gaudet insignibus anima Deo grata, vtpote beneficio gratiæ, facta consors diuinæ naturæ, & titulus ille præstantior est omnibus honoribus huiusce sæculi, cùm anima sic ornata, omnes transcendat naturæ fines. Magni facienda esse illa præclara gratiæ insignia monet Apostolus, ita hortatus Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ in te est.*

Serui Imperatorum affecti multis gratiis.

1. Timoth. 4.

Leg. Ex aula. Cod. eodem libro, & titulo leg. 3.

Noluere Principes esse vacuos titulos infularum, sed aliâ adiectâ gratiâ, eos fecere immunes, quos in palatium aliàs adsciuerunt. Huius beneficij mentionem luculentam facit ista constitutio Imperatorum Gratiani, & Valentiniani. *Ex aula nostra discedentes viri ab omnibus in cunctis habeantur immunes, numerariorumque fastus, vel rapaces quæstus, tanquam experientes & idonei non patiantur.* Grauiora sunt tributa, quibus obstringuntur homines ignobiles vitiis obnoxij, nimirum corpus & animam debent referre in thesauros iræ Dei, vtpote præbituri fomitem æternis incendiis. Et ne immunes esse in hoc sæculo videantur, perpetuò vrgentur furiis, & stimulis conscientiæ multiplici crimine sauciatæ. Hæc tributa importuna nesciunt animæ Deo gratæ. Quodque nobilius est, nusquam exeunt aula Dei tales animæ gratiâ affectæ, sed in quascunque abierint terrarum plagas, Regi suo Deo benefico iugiter adhærescunt. Et quamuis homo decurrens istud æuum multas patiatur angustias, implexus importunis humani corporis exuuiis, quæ reprobos homines multis sordibus aspergunt; iusti tamen homines nunquam inuiti asperguntur vitiorum fæcibus indecoris. Eamobrem eo iure gaudent, quod finxit Imperator Constantinus in gratiam suorum. Ecce sanctionem. *A Palatinis tam his, qui obsequiis nostris inculpata officia prebuerunt, &c. procul vniuersas calumnias, siue nominationes iubemus esse submotas, &c. atque immunes eos à cunctis muneribus sordidis, & personalibus permanere.* Hic sanè potentissimus est gratiæ effectus, vt homo queat comite gratia suum totum æuum transigere absque vlla sordium lethalium aspergine, in quam incurrunt omnes gratiæ expertes, & suffragium illius turpiter aspernati.

Quibus angustiis obstringantur serui vitiorū. Quàm beata sit sors animæ gratia Dei instructæ.

L. A Palatino. Cod. vbi supra leg. 1. Sordida officia dedecent seruos Principum, & maximè Dei seruos.

Gratia item Dei iustos omnes aduocat in communionem iuris editi ab eodem Imperatore Constantino, suos dignante domesticos hoc fauore, Iustiniano Codice recensito. *Beneficiis nostris ita digni sunt, vt etiam censualibus, vel personalibus, vel corporalibus muneribus liberentur, & habeant castrense peculium, siue adhuc palatium obseruent, siue optata quiete donati sint.* Non inficior esse pleraque corporalia munia, quibus homines etiam sanctissimi obstringuntur, vt sunt, edere, bibere, dormire, ambulare, aspicere, & passionum æstus præsentire. In his tamen muniis corporalibus, gratia sic pios homines adiuuat, vt ab omni tributo noxæ grauis sanctiores animæ vindicentur. Quod autem castrense peculium sibi asseruare possunt illi, quos meminit Imperator, parum est si conferas cum gratiæ stipendiis, quæ accepit anima inscripta militiæ Dei. Et vt præfatus sum, hoc habet singulare gratia Dei, vt homines iustos semper sistat Dei beneuolis aspectibus, vt Psaltes ait. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.*

Lege 2. Cod. De priuilegiis ead. l. & tit. quo supra.

Gratiæ Dei beneficio, naturales etiā actiones innoxiè peraguntur.

Psalm. 33.

Demum ad gloriæ incrementum, sanxere Imperatores Valentinianus & Valens, obseruari à populis singulari schemate honoris eos, quos fecerant insignes tituli dignitatum. En edictum.

Lege 3. Codice De dignitatibus lib. 12. tit. 4. Iosue 10. Psal. 138.

Pœna sacrilegij similis erit, si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni æstimati sunt. Amplioris gratiæ argumenta Deus tribuit eis, quos gratia sua aspersit, ipse Deus se quandoque ad arbitrium eorum quasi effingit vt testatur Scriptura sacra, referens ad imperium Iosue stetisse Solem. *Obediente Domino voci vnius hominis.* Nonne & hoc cecinit Psaltes, Deum commemorans? *Voluntatem timentium se faciet.* Item illud. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Insaniūt homines, ita cupidi gratiæ Principū vt eam quæ Dei est negligant.

Præco verbi Dei, habes hic locuples argumentum declamandi in homines, qui suam omnem nauant operam vt Principum auram beneuolam captent, incurij tamen conciliare sibi gratiam Dei, cuius adeò copiosi sunt prouentus. Heu in quot angustias aulicos adducit insana cupido placendi Principi, cui placuisse stipendium est fortè ad momentū durabile, quia res est insolens, homines diu constare sibi. Et proh dolor quotusquisque est, qui suas impendit curas vt Deum deuinciat, cui placere, res est singularis, imò & summa rerum, quibus operæpretium est homines occupari. Vtinam Dauidicum illud semper insonaret auribus nostris: *Placebo Domino.* Profectò minor esset cura sæculi huius illudentis suis sequacibus, quos plerumque ingratus compensare nequit, neque solet. In ea meditatione defixus nobilis quidam Theodosio Imperatori charus, vale dixit mundo, aliumque suum in aula Imperiali socium, præpositi sui consortem fecit admonendo omnes aulicorum curas eò collimare vt captent propitios Principis animos, quos inflectere res est operosa, & inconstans. Sic eam historiam memorat Augustinus: *Duo nobiles vagabundi irruerunt in quandam casam vbi habitabant quidam serui tui spiritu pauperes, qualium est regnum cælorum, & inuenerunt ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonij, quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi: & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia sæculari seruire tibi. Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc subito repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus sibi, coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maiorne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, discreuitque meliora, iamque tuus, ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui; & hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior, te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ.*

August. l. 8. confess. c. 6.

Qua meditatione inflexi duo nobiles renuntiauere mundo, vt Deo darent manus.

Aspernanda est gratia mundi, vt ea quæ Dei est comparetur.

Vtinam hi nobiles, aliàs addicti Principum obsequio, tot in sua conuersione nanciscerentur æmulos, quot sequaces habent curæ, quam mundi næniis impenderunt. Cresceret in dies grex seruorum Dei, qui adeò pusillus est, vt arduum sit discernere qui sint ex hoc grege Dei. Etenim tanta incuria gratiarum Dei homines frangit, vt orbe toto videre sit homines anhelos in obsequium procerum regni, quasi esset penes hos magnates beare homines in hoc sæculo, vbi ipsi præpotentes concussi ærumnis quandoque gemunt impares gloriæ, qua vexantur, etsi cernas eos aliis eminere. Itaque hoc altè insideat menti, videlicet esse satagendum omnimodè, vt demus libellum repudij mundo, abdicantes omnia eius stipendia, vt faciliore negotio possimus gratiam Christi Domini demereri.

SENSVS MORALIS.

Quos insignes effectus, ex gratia influxu reserat anima Deo grata.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS SEPTIMVS

Ex Ivre Canonico.

Egregia cōparatio gratiæ et, & monetæ.

NAtura hominum indiga rerum quamplurium, cauit sibi auri subsidio: nempe auro signato tessera Principum, quisque sibi comparat ea, quorum penuria molesta facessit negotium. Pulchrum sanè inuentum in rem vnam congerere pretium omnium aliarum. Haudquaquam Deo defuit similis industria, vt occurreret inopiæ animarum, quas edidit in gloriæ suæ multiplex argumentum. Etenim rerum omnium, quæ ad salutem pertinent, Deus prouidus compendium reposuit penes gratiam, quam congruè infundit vt stipendium obsequij, quod homo rependit. Primò vt Dominus quisque seruum suum aliquò transmittens suorum negotiorum causa, suppeditat sumptus idoneos ad tale pensum impositum, cui alioquin impar esset seruus, qui egestate oppressus, in via deficeret. Ita Deus hominem edidit, vt morem gereret mandatis ei præscriptis ab hoc Domino præpotente, cuius vel inde gloria maximè liquet, quòd tali seruo vtatur, qui est præcipuum mundi miraculum. Nemo sanè fidelium, quibus Dei notitia illuxit, detrectauit vnquàm obedire Deo, si non fuerit ille insanus, & lethali noxa infamis. Tamen etsi hominum vota properideant ad nusquam prætereundum Dei mandatum; sæpe natura labat, & mens parùm propositi tenax, velut oblita votum, quo Deo obstringitur, genio vitiis irretito. Vixque immemor obsequij deliquit homo, cum synderesi perurgente dolet, & pœnitet, meliora concipiet postmodum exantlare. Sed vt natura deorsum vergens ægrè assurgit, Deus illi deliquio occurrit infundendo gratiam, quæ suppeditat sumptus idoneos ad decurrendam viam mandatorum Dei, quam inoffenso pede nemo præterire potest citra gratiæ Dei subsidium singulare, vt Canones sancti clamant; in quibus hos accipe editos in concilio Mileuitano, cui interfuere Sancti Augustinus, & Anselmus, magna Ecclesiæ columina. En Canones. *Placuit vt quicunque dixerit, ideo nobis dari gratiam iustificationis, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur*

Gratia Dei occurrit quotidianis animæ deliquiis.

Gratia Dei necessaria ad Dei mandata obseruanda.

Ex Ivre Canonic. *Can. Placuit De Cōsecrat. dist. 4.*

iubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etiam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit.

Quia verò ad obsequium mandatorum Dei requiritur in intellectu acumen ad discretionem boni, & mali, in eodem concilio declaratum est hoc esse peculiare gratiæ, vt illucendo robur affingeret. Ita rem explicat iste Canon. *Quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Et quia parum esset bonis operibus insistere, si homo à fide alienus esset; eadem gratia, quæ obstetricem agit animæ parturientis egregia facinora, fidem homini infundit. Cùm enim iuxta Pauli sententiam, impossibile sit sine fide placere Deo, & formalis gratiæ effectus sit, facere hominem Deo gratum; necesse est gratiam dum influit in animas, eas etiam stipare fide, alioquin hoc absurdum sequeretur, scilicet hominem infidelem esse Deo gratum. Accipe Canonem assertorem huiusce veritatis. *Gratia quæ per Christum datur, non solùm peccatorum remissionem facit; sed etiam vt lex impleatur, vt natura liberetur, ne peccatum dominetur: spiritus etiam gratia dat fidem, quæ etiam non petita à Deo conceditur, vt hominis petentis, & alia concedantur. Nam fides non est liberi arbitrij tantùm, sed donum Dei.* Itaque homo gratia Dei insignitus de seruo in amicum Dei transit, vtique conscium arcanorum.

Canon Quisquis ... de consecr. dist. 4. Quare requiritur gratia Dei ad obseruantiã mandatorum Dei. Fides est comes indiuidua gratiæ.

Can. Gratia de consecr. dist. 4.

Gratiam non esse in nostro arbitrio tantùm, sed esse Dei donum eligentis nos, vt fœcundæ arboris instar vberes fructus afferamus obsequendo legi Dei, eamque nos facere participes mysteriorum Dei, etiamsi taceret omne Ius Pontificium; summus ipse Pontifex Christus aperuit, ita suos affatus Apostolos gratia Dei cælitus illustratos: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* In tesseram indubiam amicitiæ, mensæ suæ participes facit omnes gratiæ Dei conscios: fieri autem commensalem Dei, illud est accipere summam omnium gratiarum; nimirum conuiua Dei ita vnitur Christo, vt quasi concorporeus fiat, vtpote illius sacro corpore vegetatus. Adeóq; verum est gratiam inducere nos ad hoc conuiuium Christi, vt omnino nefas sit illuc accedere absque gratia comite: nimirum hoc epulo sibi consciscunt mortem homines impij, quia gratiæ Dei expertes repudiat illa mensa, sanctiori duntaxat animæ præparata. Ecce sententiam canonicam latam in malè conscios. *Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant, nil ad emundationem proficere sibi, dicente Propheta: Quid est, quòd dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent malitias tuas à te? & Apostolus ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat,*

Gratia Dei nos amicos eius efficit.

Ioan. 15.

Gratia Dei nos eius commensales efficit.

Canon Qui scelerate de consecr. dist. 2. Gratia Dei necessaria ad participandam Eucharistiam.

& de calice bibat. Eamobrem ne quis in suam ipsius perniciem adeat illa sacrosancta mysteria, præmonentur homines accingere se ad gratiæ Dei influxum antequam conueniant illam Angelorum mensam, vt sic epulentur animâ defæcatâ. Ad hoc est editus iste Canon. *Nihil in sacrificiis maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi: nec vlla oblatio potior est; sed hæc omnes præcellit, quæ purâ conscientiâ Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris; ita potiùs excoli debet.*

Gratiæ Dei præcipui effectus attenduntur ex operibus.

Cæterùm gratia Dei tot dotibus animam afficit, vt eas sit recensere graue: vt enim hominum captum superat gratiam efficere; ita & supra omne eloquium est, sermonem congruum texere, quo adæquata virtus gratiæ concludatur. Potiora gratiæ argumenta petuntur à manibus, videlicet à virtute audendi magna, quæ nemo planè citrà gratiam neque concipere, neque perficere potis est. Hoc itaque misertimus homuncio enixè à Deo supplex efflagito, vt gratia ab eo miserante indigno infusa meas manus potius permeet operibus editis, quam vacuis ora repleat oraculis: gratia namque inertes homines exosa citò patitur deliquium, haudquaquam bonis actibus irrigata. Sed ne Iuris canonici inscius præcipua videam præteriisse encomia gratiæ, locupletissimam canonum sententiam ego subiiciam, quæ est Pontificis Anacleti. Is è summo Ecclesiæ vertice hoc dignum edidit oraculum: *Gratiæ plenitudo adiectione non indiget, nec vlla requirit commendationis argumenta.* Ne igitur hoc violare decretum videar, nihil vltra adiiciam, sed tacitus, & veneratus Summi Pontificis eloquia conquiescam.

Anaclet. Papa epist. 1. Can. Si omnia 6. q. 1. Gratiæ Dei maxima cõmendatio.

SENSVS MORALIS.

Natura gratiæ, influxus eius, & effectus discutiuntur ad trutinam Sanctorum Patrum.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS VIII.

EX SANCTIS PATRIBVS.

PLurium librorum lectione peritior homo effectus, plerumque situs omnes orbis terræ callet, imò & describit in subiecta charta, licet nullas omnino plagas mundi huius antea permearit. Locupletes sunt huius effati testes, tabulæ omnes geographiæ, concludentes orbem totum, nequaquam tamen ab vno solo homine perlustratum. Tamen vbi ad historiam orbis accedit, experientià geographi tutior est positio regionum, quas in mappa explicata delineat. Idcirco Hieronymus ipse Palæstinam lustrare voluit adhibito Iudæo peritissimo, vt oculis ebiberet ea quæ erudiente magistro auribus hauserat. Magis namque homines afficiunt illa, quæ tanguntur, quàm quæ dubiâ sæpe famâ animæ committuntur. Si huiusce rei veritas liquet in profanis, eadem sanè potiorem sibi rationem vendicat in re sacra, qualis est

Experientia multum sciẽtiæ adiicit. Quare multa delitia scripserint hæretici in argumento gratiæ Dei.

est gratia, de qua Pelagius, Caluinus, aliique extorres homines scripsere quidem, sed vt nescij huius doni à Deo transmissi, ignorarunt naturam, & aggressi discurrere quomodo gratia influeret in animas, & quos sortiretur effectus, à recto veritatis scopo turpiter aberrarunt. Alij itaque conquirendi duces, vt inoffenso pede sequamur eos ineuntes aliis inuios gratiarum calles: Erimus huius anheli voti compotes sub ducatu Sanctorum Patrum, quos abundè diuinæ gratiæ salutare profluuium cœlitus irrigauit. Ne autem tumultuariò quisque suam ferat sententiam de materia incondita, gratiam reuocabo ad ordinem titulo prælibatum. Id est, Primò aperient Sancti Patres quid sit gratia. Secundò subiicient quo pacto influat in animas. Demum concludent explicãdo quosnã gratia effectus in anima sortiatur.

Diuisio huius articuli de gratia. Quid sit, quomodo influat, & quos effectus sortiatur.

Ex SS. PATRIBVS.

August. epist. 85.

Gratia est animæ pulchritudo.

Prior è Sanctorum choro prodit Augustinus, affirmans gratiam Dei esse præcipuum animæ ornatum, quo iustificatur illa prius vitiis obnoxia. Sic ille: *Quid aliud in nobis est iustitia, aut qualibet alia virtus, quam interioris hominis pulchritudo, secundùm quam præcipuè ad imaginem Dei facti sumus.* Illum autem animæ decorem eximium gratis dari ait Ambrosius, edoctus à Paulo Apostolo, cuius ferè vsurpat verba ita fatus: *Si gratia, iam non ex operibus. Manifestum est, quia gratia Dei donum est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, & misericordia interueniente concessa. Alioquin gratia iã nõ est gratia. Verũ est, quia si merces, gratia nõ est. Sed quia merces non est, sine dubio gratia est: quia veniam peccatoribus dare, non est aliud quam gratia, & iis qui non requirunt, sed offertur illis vt credant.* Ex his inferre est gratiam esse quid reale, & positiuum animæ inhærens: dona nempe Dei non sunt denominationes tantùm extrinsecæ, & deforis afficientes animam.

Ambros. in epistol. ad Rom. c. 11.

Gratia gratis data.

Idem lib. 1. de Cain, & Abele. 7.

Gratia est quid reale, & non denominans tantùm animas extrinsecè.

Si verò res est de influxu eius, idem Ambrosius ait eam influere mouendo animam ad egregia virtutum conamina. Ecce auctoris sententiam. *Disce nunc quemadmodum vnusquisque moueatur, ne se ipse auctorem suorum putet bonorum. Ne dicas, inquit, in corde tuo, virtus mea, & potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam: sed in mente tua habebis Dominum Deum tuum, quoniam ipse dat vires, vt facias virtutes. Vnde benè Apostolus, quasi legis interpres, non gloriabatur in virtute sua, sed minimum se Apostolorum esse dicebat, & quicquid esset, gratiæ diuinæ esse, non meriti sui, nihilque nos habere quod non acceperimus: Quid enim, inquit, habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Didicisti ergo humilitatem magis sequi quàm arrogantiam; sedulitatem affectare quam potestatem.* Eo magistro edoctus Augustinus ab ea sententia non recessit, sed liquidiùs illam explicauit dicens, gratiæ influxum, non sistere in ea motione, qua percitus homo ad grandia anhelat, ad quæ natura nequit pertingere. Adiicit ille gratiam se comitem adiungere toti operi, ita vt vrgendo ad auspicanda bona, iacentes erigat animos, & det vnde bonum sibi propositum animus exequatur. Itaque si sedulam operam homo nauat, nec suo desit officio, gratia quæ adfuit primo rudimento boni operis, non deerit & tenori, sed iugi influxu progressum adiuuans, dabit operis incrementum. Accipe Augustinum: *Certum est nos mãdata seruare si volumus, sed præparatur voluntas à Domino, ab illo petendũ est, vt tantũ velimus quãtũ sufficit, vt volẽdo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictum est: Deus est qui operatur in nobis, & velle, & operari. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis, &c. Quoniam Deus vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait, Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nil valemus.*

Ad gratiam Dei pertinét motus animæ assurgẽtis ad ardua facinora.

Quomodo gratia se comité adiungat toti actioni meritoriæ.

August. lib. de gratia & libero arbitr. c. 16.

Quomodo à Deo fiat rudimenta & incrementa boni operis.

Subiicit ille Sanctus, gratiam non esse duntaxat facem animæ illucentem, vt eius luminis obsequio obeat virtutum calles, sine vllo alio subsidio; sed ait eam præstare nobis opem vt abrupta, & aspera fiant nobis plana comite amore, quo etiam insulsa omnia condiuntur. Ecce Augustinum. *Intelligenda est gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, & sine qua nullum prorsus sine cogitando, sine volendo, & amando, sine agendo faciunt bonum. Non solùm vt monstrante ipsa quid faciendum sit sciant; verumetiam vt præstante ipsa faciunt cum dilectione quod sciunt.* Quomodo autem coire queant liberum arbitrium & gratia in vno eodemque facinore emerito, idem Sanctus acutè explicat hoc contextu. *Quare iubet Deus si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est, nisi quia dat quod iubet, & adiuuat vt faciat, cui iubet. Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non est semper bona: aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala; Aut a peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata, quæ voluerit, cum valde perfectéque voluerit.* Rursus eamdem liberi arbitrij & gratiæ concordiam ille Augustinus ita explicat. *Nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia; & tamen paruulos sine vsu liberi arbitrij facit gratia habere beatã, & perpetuam, æternamque vitam. Eos autem, qui iam rationis capaces sunt, præuenit atque docet, vt bonum velint, & possint. Scriptum est enim in actibus Apostolorum: Et aperuit Deus cor Lydiæ purpurariæ, vt audiret ea quæ dicebantur à Paulo.*

August. l. De correptione & gratia c. 2.

Gratia Dei non illucet tantum ad scientiam sed & accendit ad praxim.

Idem lib. de gratia & libero arbitrio ad Valentinũ cap. 15.

Quomodo concurrant gratia & voluntas.

Idem lib. contra Pelagian. hypognosticon l. 3.

Concordant gratia & liberum arbitrium.

Actor. 16.

Duo insignes effectus gratiæ.

Etsi in modo influendi gratiæ, aliquos eius effectus prælibauerim, cum dixi eam animos addere, & vires infundere ad decurrendam aleam mãdatorũ Dei, tamen alios duos præcipuos effectus meminere Patres, affirmantes eam primò tergere fæces omniũ peccatorũ. Secũdò eam suos possessores tandẽ aliquando euehere ad gloriã. In gratiã prioris effectus Basilius aduocat hunc Isaiæ locũ: *Isa. 1.*

Si

Gratiæ obsequio anima repurgatur.

Si fuerint peccata vestra vt coccinum, sicut nix dealbabuntur: si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Eum locum Basilius ita versat, vt ex eo maximè adstruat intentum de emundatione animæ. Sic ille: *Quid niuis, & lanæ albedinem adæquare potest, quid tam elui non potest, quam coccinum; & tamen qui ista condidit, ait: Si peccata vestra fuerint vt colores qui elui nequeunt, ad puritatem niuis mutabuntur, si lauemini, & pœnitentiam agatis.* Pro eodem effectu militat Gregorius Nazianzenus affirmans, nullas omnino remanere sordes peccatorum in anima, quam salutares Baptismi latices alluerunt. Audi effatum summi Theologi. *Hæc Baptismi gratia est, non orbem terrarum, vt olim, aquis obruens, sed vniuscuiusque hominis peccatum purgans, & maculas, quæ vitio contrahantur, prorsus abstergens.* In eodem Patrum choro salit Ambrosius, ita suum pangens suffragium. *Accepisti vestimenta candida, vt esset indicium quòd exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina, de quibus Propheta dicit: Lauabis me & super niuem dealbabor.* In eo etiam argumento Papa Gregorius suas agit partes, sic decernens è sede Petri. *Qui dicit peccata in Baptismo funditus non dimitti, dicat etiam in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos, fateatur necesse est, peccata in baptismate funditus mori, quia plus valet veritas in absolutione nostra, quam vmbra veritatis.*

Basil. hom. de pœnitentia. — Greg. Naz. or. in Sanct. Baptisma. — Ambros. l. de initiandis c. 7. — Gregor. epist. lib. 9. ep. 39.

Ad stabiliendum hunc effectum gratiæ emundantis animam ab omni macula, Patres Sancti è Scripturæ penu promunt longam seriem textuum, quibus adstruitur illa conclusio. In his est ille locus Ezechielis: *Mundamini ab omnibus inquinamentis vestris.* Huic similis est illa pœnitentis animæ locutio: *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Adiice & Michæam Prophetam, ita vaticinantem: *Deponet iniquitates vestras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata.* Huius item generis est ille versiculus Psalmi. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Ille effectus vt indubius est de fide, ita eum decernente Concilio Tridentino hoc Canone. *Si quis asserit per gratiam Baptismi non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, sed dicit illud tantùm radi, & non imputari, anathema sit.* Nota, eum effectum, alium concludere, scilicet facere animam Deo gratam. Anima namque depositis vitiorum exuuiis fit Deo accepta, vt de neophytis ait Paulus: *Deo per omnia placentes, immaculati, irreprehensibiles.* Et alibi eosdem compellat hoc tenore: *Sicut electi Dei, sancti, & dilecti* Ambrosius inde ansam arripit hortandi homines, vt magni faciant illud Dei donũ, quo à peccato immunes adsciscuntur in chorũ filiorum & amicorum Dei, quos salus æterna manet. Ecce Ambrosij parænesim. *Homo faciem tuam non audebas ad cælos attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subitò accepisti gratiam Christi, omnia peccata dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius, imo præsume non de operatione tua, sed de gratia Dei. Gratia enim salui estis: vt dicit Apostolus, non enim hæc arrogantia est, sed fides; prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio, Ergo attolle oculos ad Patrem, qui per lauacrum te genuit, ad Patrem qui per filium te redemit, & dic: Pater noster: bona præsumptio, sed moderata: patrem dicis, quasi filius. Sed nolo spiritualiter tibi aliquid vindicare, solus Christi pater est spiritualis, nobis omnibus in cõmuni pater est, quia illum solum genuit, qui nos creauit.*

Ezech. 36. — Psal. 50. — Michæ. 7. — Psalm. 102. — Conc. Trid. sess. 5. Can. 1. — Coloss. 1. — Coloss. 3. — Ambros. in tractatum dominicam.

Quantum homo debeat gratiæ Dei, cuius obsequio tantis animæ dotibus illustratur.

Quàm tersa fiat anima, gratia Dei decora, paucis ait Bernardus. *Gratia balsamum purissimum est, & ideo purum, solidum, & profundum vas requirit.* Rationem autem subiiciens ille, quare talis anima fastidiat res inferas, hæc ait: *Misceri non poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis, vt pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram.* Vita hæc adeò munda in terris beneficio gratiæ præiudicium est eius vitæ æternæ ad quam gratia dat ius suis possessoribus: vnde & à Theologis ille vltimus gratiæ effectus enumeratur, scilicet, adoptatio ad gloriã, neque alio titulo prior homo fuisset adeptus gloriam si non peccasset; sed eadem specie gratia qua Deo miserante gaudemus, hominem illum tunc beasset, sicut & nos brauio æterno donat. Ita Augustinus. *Immortalitatem natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat si non peccasset acceptura per meritum, quamuis sine gratia, nec tunc meritum esse potuisset; quia etsi peccatũ in solo libero erat arbitrio cõstitutum, non tamen iustitia retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.*

Bernard. ser. 34. in Cant. — Idem ser. 77. — August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 106.

Gratiæ Dei vltimus effectus est assecutio beatitudinis.

Non temerè asseruere Patres Sancti, gratiam conferre nobis ius ad gloriam; habent enim vades Apostolos, & Prophetas, quorum oraculis constat gratiam iustos homines efficere conscios gloriæ æternæ. Hoc sonat ille versiculus Psalmi: *Iusti autem hæreditabunt terram.* Elimatius gratiæ hunc nobilem effectum notat ille Apostolus, qui à gratia nomen suum trahit, scilicet Ioannes, ita commemorans eos, quibus diuina gratia cælestis aspirauit. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vnde directè concludit alius Apostolus. *Si filij, & hæredes.* Id est, nati ad gloriam, quæ est hæreditas filiorum Dei. Semotis omnibus inuolucris figurarum idem Paulus, hunc gratiæ effectum indigitat hoc contextu: *Gratia Dei vita æterna.* Huic concinit Iacobus Apostolus, isto effato: *Promisit Deus coronam vitæ diligentibus se.*

Psal. 46. — Ioan. 1. — Rom. 8. — Rom. 6. — Iacob. 1.

Qua ratione gratia det nobis ius ad gloriam æternam.

Nota tamen, gratiam ex se & præcisè sumptam, semoto Dei proposito, non dare ius homini ad vitam æternam: posset enim Deus gratiam reponere penes lapidem, qui tamen ideo nunquam eueheretur ad gloriam. Ideoque hunc effectum gratiæ non esse æquè formalem ac alios qui reuera fluunt à gratia, de cuius ratione est delere peccata, & facere hominem Deo gratum: dare autem ius ad gloriam, non tam est de essentia gratiæ, quàm ex præuio pacto Dei, quod vt est inuiolabile, nemo etiam defungens in statu gratiæ, vnquam arcebitur à gloria. Quippe, vt Iacobus ait, promisit Deus coronam vitæ diligentibus se: at Deus constat sibi semper, nec variare potest. Itaque non est quòd dubiam gloriam suspicetur homo, si gratia non excidat aliquo scelere perpetrato.

Qua indústria sint cauendæ quæstiones periculosæ in argumento gratiæ Dei.

Ne quid hiulcum lædat hunc tractatum, non erit abs re præmonere, in hac subiectã materia de gratia latere cautes, in quas plerique impegerunt homines imprudentes, dum ita semetipsos conueniunt: Si Deus nemini deest, & vnicuique gratiam sufficientem confert, cuius obsequio adiuti possint homines prouidere sibi; quare hic saluatur,

saluatur, & non ille. Dixi esse cauendos hos scopulos, qui deducunt animas in abyssum iudiciorum Dei, quæ penetrare nefas. Eamobrem curiosæ & noxiæ indagini securius puto occurrendum eo modo, quo se Augustinus solitus erat ab his dæmonum technis expedire. Audiendus ille. *Cur gratia hoc illi operetur, illi non operetur? Metuentem me, & trementem iudicia eius inscrutabilia, & incomprehensibilia, nolo interroges, quia quod lego, credo & vereor, non autem discutio. Quis est enim homo, qui respondeat Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me sic fecisti? Habet enim potestatem figulus luti, ex eadem massa, aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumeliam. Sed interroga eum, qui dixit: Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum. Et: Non omnes capiunt hoc verbum, nisi quibus datum est. Item: Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, cæteris non est datum.* Hæc ille cuius exemplo refert pedem à lubrico, ne turpiter illabatur.

August. l. 3. hypognostic. contra Pelagianos.

Ioan. 6. Matth. 19. Matth. 13

SENSVS MORALIS.

Quàm salutares sint effectus gratiæ Dei.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS IX.

Ex Historia.

Gratiæ indoles innotescit meditatis effectibus eius.

INuestigare rationes rerum abditarum per effectus, est industria Philosophis insolita, & qua plerumque suo Marte penetrant res inuias. Eo maximè scrutinio, scilicet indagine facta effectuum, gratiæ indoles innotescit. Feruente adhuc sanguine Christi, Ecclesia irrorata sanguine Martyrum experta est effectus gratiæ miros supra modum. Nempe pueri & puellæ impuberes martyrij palmam effuso sanguine subierunt. Nonne prodigij loco fuit aliquando in theatro coram Imperatore & circumstante populo videre mimum illudentem sacris Christianorum, vt cachinnos Ethnicis excitaret, & ita repente motum gratia Dei illapsa, vt se Christianum illic eadem mora confessus sit, mortem pro Christi nomine fortiter obeundo? Numquid & res planè insolens fuit videre Doctorem Turcam in Mesquita coram Baiazethe, & Satrapis eius explicantem Alcoranum, subitò nutare & pati deliquium vocis, & illabente gratia Dei resumpta voce canere palinodiam, & in deliria Mahumetis fortiter inclamare, non dedignando mortem acerbam experiri pro fide Christi, quam eo momento professus est? Nonne & refundenda est penes gratiam lepra mundata, Constantino tincto salutaribus aquis! Non est prætereundus Clodouæus Rex Galliæ, qui deposito fastu in ora fontis sacri, statim in alium euasit hominem nactus, animam Christianam. Sed quid eruderare tento obsoleta sæcula, vt refricent ideas effectuum, quos est sortita gratia in his quos afficit, cùm hodie tot claustra prostent, vbi carcere spontaneo vtriusque sexus iuuenes ceruices subdunt iugo Christi, prorsus immemores illecebrarum mundi, imò & sui, beneficio gratiæ alios animos induentes.

Baronius in notis ad Martyrol.

Calchondylas in Baiazethe. Stupendi effectus gratiæ Dei.

Cedrenus in Constant. Hist. Gall. in Clodouæo. Clodouæi Regis Christianissimi mira mutatio post gratiæ Dei illapsum.

Gratiam verò pios homines ad cælos euehere, fides Catholica clamat; nec desunt multæ historiæ stabilientes illum articulum. In eo argumento celebris est historia Magni Antonij, qui cùm reuiseret Paulum principem eremitarum, vidit animam eius ferri in sublime mediam inter Apostolos, & Prophetas. Præstat audire Hieronymum, vt eius authoritate indubia sit res hæc licet insolita: Sic ergo Antonij regressum ad Paulum Eremitam ille enarrat. *Egressus foras, & ne modicum quidem cibi sumens, per viam, qua venerat, regressus est, illum sitiens, illum videre desiderans, illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim quod euenit, ne se absente, Christo debitum spiritum redderet. Cùmque iam dies alia illuxisset, & trium horarum spatio viam remeauisset, vidit inter Angelorum cateruas, inter Prophetarum, & Apostolorum choros, niueo Paulum candore fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem suam procidens, sabulum capiti superiaciebat, ploransque, & eiulans, aiebat: Cur me, Paule, dimittis? cur insalutatum abis? tam tardè notus, tam citò recedis? Referebat postea beatus Antonius, tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ cucurrisse, vt instar auis peruolasset.* Si scruteris quo vectore Paulus sidera transcendebat: nullus planè alius à gratia poterit assignari. Ipsa namque dum exuit hominem onere peccatorum, alleuiat & dirigit ad superna.

Hieron. in vit. Pauli Eremit. Paulus Eremita ministerio gratiæ in cælum euectus.

Alius item auctor emeritæ fidei scilicet Ambrosius, similem ferè historiam profert de Beata Agnete visa inter agmina Beatorum. Ita Ambrosius: *Dum parentes Beatæ Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnetem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed Beata Agnes rogat Sanctas virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum iis omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in cælis, quē in terris posita, tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit.*

Beatæ Agnetis transitus ad gloriam. *Amb. l. 4. epistolar. epist. 34.* Quare non sit lugenda mors beatorum.

Fortè instabis, duo hæc exempla probare quidem animas innoxias nullo vnquam crimine præpeditas aliquando beandas in gloria, & huius generis fuisse Paulum, & Agnetem, quibus Hieronymus & Ambrosius egregio litarunt encomio. Ne ille gliscat error, & rescias spurcissimos etiam homines, si sese ad meliora consilia receperunt, participes facti gratiæ Dei, fore etiam quandoque beatos. Accipe duas insignes peccatrices, quas vbi gratia affecit, superabundans etiam gloria cælitus illustrauit. Prima est Maria Magdalena, aliàs vitiorum omnium illuuie infamis. Illa Deo vrgente percita, fæces exosa suas, Christo dedit manus, suamque fecit animam sacrarium Dei, & totos triginta annos egit in eremo, septies in die sursum euecta ab Angelis, paradisi gaudia prælibabat. Vnde amabò dotes illæ, atque charismata aliis incōcessa? Profectò hæc fuere argumēta gratiæ singularis, quę in Marię pœnitētis anima refulgebat.

Gratia etiam suos omnes sortitur effectus in anima aliàs impia dùmodo conuertatur.

Ex vita S. Mariæ Magd. Maria Magdalena quot experta est Dei beneficia.

Vtramque etiam Magdalenæ sortem est æmulata Thais Alexandrina, meretrix specie eleganti conspicua, & compta in perniciem animarum. Illa suasione Paphnucij Abbatis pertæsa scelus

Thais meretricis pœnitentia insignis.

Ex vitis Patrum hanc historiam recitant Marull. l.4.cap.10. & Sabellicus lib.5.c.3.

scelus suum, omnia quæ meretricio quæstu parauerat redegit in cumulum, quem in foro combussit tota ciuitate hoc facinus admirante. Postea cogitans sanctius institutum, ingressa est monasterium fœminarum, vbi arctiore cella conclusa pœnitens facti, non ausa Dei nomen ore suo referre, sic orabat: *Qui me plasmasti miserere mei.* Pudibunda triennium duxit defixa in ea oratione, pane tantùm & aqua corpori suo cauens. In eo tenore sibi constans fœmina conciliata Deo, thalamum sibi struxit, quem vidit Paulus discipulus Antonij. Paulus ille, nuncupatus simplex, & plurium conscius arcanorum, vidit hiante cælo, sibi patere cælestia, & illic refulgere cubile insigne, auro diues & innumeris prope gemmis irradians. Credidit ille thalamum hunc fuisse instructum Antonio Magno, magistro suo, sed ei nimium credulo vox ista insonuit: Hunc sibi gloriosum thalamum Thais struxit, quia terrenum & impudicum cubile posedisse dolenter tulit, & seipsam lectulum floridum Christo Domino consecrauit. O gratiæ Dei effectus ineffabiles! ô vim miram, reponere cælo animas, quas vitia deponunt in abyssum!

Ad quem gloriæ apicẽ pœnitentia suos sequaces euchat.

Ex Chronic. Minorum in vita S. Franc. Item Marull. l.6.cap.16.

Beatus Franciscus in modum stellæ euectus in cælum.

Ita sanè gratiam sic congruit suam repetere originem, vt quia desuper illabitur in animas, eo etiam referat illustrandas. Gratiæ indoles vt cælestis est, animas etiam componit in modum sideris illucentis: vnde mortuo viro sanctissimo Beato Patre meo Francisco, alius eiusdem instituti Sanctus vidit animam viri Seraphici euolare in cælum, in modum stellæ mirabilis. Hanc veluti metamorphosim animarum in sidera subindicat Scriptura sacra, & locuples quædam historia illud idem insinuat. Accipe seriem rei gestæ, quam recenset Æneas Sylvius vir magni nominis, & summis infulis illustratus, vtpote factus Summus Pontifex, Pius II. Eo auctore, Ioannes Brixionẽsis Episcopus diu luxit immaturam mortem Venceslai VI. Regis Bohemiæ miræ sanctitatis viri, qui è cælo miseratus luctum indiscretum Præsulis, quasi suis Manibus importuni, eum sic insomnis affatus est: Quid, ô Ioannes, mihi molestus es? quare me vt mortuum luges, quem gestire debes subductũ angustiis vitæ ærumnosæ, & procellis plurimis obnoxiæ. Recole Scripturæ sanctioris oracula, & inde rescies animas Deo gratas, deposita mortali sarcina transire in cælestem statum. Locus autem Scripturæ hic est: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer: Et habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, & non erit qui te exterreat.* Recensito eo textu Rex increpauit eius modicam fidem, quasi nescius esset, pios homines esse duntaxat extinctos corpore tenus, morte eorum animas minimè depascente. Rei admirandæ perculsus nouitate Episcopus excitatus est, animo suo versans locum illum, quem Rex suggesserat vt probaret, animas beatas fore luciferas in modum sideris: non meminit apud quem Prophetarum esset ille textus; idcirco accipiens concordantias, siue indicem, reperit illa verba esse Iobi, fidemque habuit illi visioni.

Æneas Syl. c.38 historiæ Bohem.

Iob.11.

Venceslai Regis Bohemiæ vita in noxia quàm gloriosè compensata.

Animæ Beatorum sunt vt sidera micantia.

Inde profectò habemus locuples argumentum fiduciæ magnæ in ærumnis huius æui, si quando molesta caro facessit negotium, & inuita decurrit stadium pœnitentiæ, animam sollicitans, vt genio indulgeat. Inculcanda sunt ei præmia æterna, quæ manent animas Deo gratas, recolenda est gratiæ Dei possessio præstantior omnibus illecebris. Quòd si placet vnicâ historiâ concludere potiores omnes effectus gratiæ, est animo reuoluenda mors Eulaliæ Virginis & Martyris, quæ capite amputato animam emisit specie columbæ mundissimæ æthera transcendentis. Anima Deo grata meruit nomenclaturam columbæ in Canticis, vbi Deus animam sibi deuinctam, ita affatur: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Vt ergo indicaret Deus animam virginis Eulaliæ esse sibi gratissimam, illi affinxit ideam auis mundissimæ. Et hic est formalis effectus gratiæ, scilicet efficere animam Deo gratam sua insita puritate. Præterea columba dicitur esse expers fellis ac proinde nullo amarore potest esse ingrata. Inde liquet alius effectus gratiæ, in eo situs vt à peccato immunes faciat animas: peccatum autem in Codice sacro vendicat sibi typum fellis. Et eo nomine vsus est Petrus, denotare volens animam Simonis esse adhuc peccatis obnoxiam. Sic enim eum ille acriter increpauit: *Cor tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Columbam autem esse procul ab amaritudine, & nihil nisi dulce sapere subindicat Sponsus, amasiam suam castam ita compellans: *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es. Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Illud quod intrinsecus latet est scaturigo dulcedinis miræ, qua Deus inflectitur ad amorem sponsæ; videlicet gratia eliminans omnem noxam. Denique columba pernice suo volatu sursum vecta, clamat vltimum illum effectum gratiæ, animas euehentis in cælum. Et hic effectus etiam lineatur in Canticis, vbi sponsam vocat eius amasius, & excitat vt assurgat quæsitura locum in petra, id est, in gloria, adeò stabili & fixa, vt benè petræ nomine denotetur. Hæc sponsus: *Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Credo abundè satisfactum intento articuli huius, cui incumbebat aliquibus historiis facere palàm, gratiæ effectus assignatos à Theologis non esse perperam & temerè recensitos. Vnum est quod superest, penes te & me repositum, lector beneuole; nempe vt faciamus periculum illorum effectuum, quos percipiunt iusti omnes Christo Domino miserante.

Ex vita S. Eulaliæ. Item Marull. lib.6.cap.16.

Cant.5.

Anima Eulaliæ euolat in cælum speciem columbæ referens.

Act. 8.

Quare anima Deo grata columbæ nomine designetur.

Cant.4.

Cant.2.

SENSVS MORALIS.

Quàm decora sit anima insignita Dei gratia.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

ARTICVLVS X.

Ex Symbolis, et SS. Patribvs.

Etsi quæque prædiuites gazæ inopes sint, nec suppeditare queant aliquid idoneum ad lineandas animæ dotes, quas gratia secum vehit.

Anima Deo grata comparata

Quamuis, inquam, series tota rerum, quas sinu suo natura claudit, sit indiga ad gratiæ indolem congruè demonstrandam. Tamen non ero iniurius animæ Deo gratæ, si eam typicè depinxero eodem penicillo, quo Deus eam in Canticis efformauit. Ille optimus rerum omnium opifex, probè callens in quo maximè vigeat vis gratiæ, sponsam suam assimilauit Lunæ. Sic enim cælestis ille amasius hanc affatur: *Pulchra vt luna.* Hunc & ego typum vsurpabo, facturus in re sacra illud idem quod proposuit aliquando Bargaglius vir Italus profectò industrius, & de re symbolica benè meritus. Ille in gratiam Mariæ Mediceæ desponsatæ Regi Henrico Magno, confinxit hoc symbolum. In eadem tabella pinxit Solem & Lunam, ea tamen arte, vt Luna subobscura esset ea parte qua erat inaspecta Soli. Alia verò parte, qua Sol Lunæ illucebat, eam coruscam fecit, & quasi æmulam sideris huius magno lumine coruscantis. Tabellæ hanc epigraphen adiecit indicem sui intenti: CONSPICVA QVA CONSPICIT. Id est, si quid luminis habet Luna, illud totum est à Sole: siquidem ea tantùm parte rutila est, & conspicua, qua Sol hanc conspicit. Voluit ille hoc symbolo lineare sortem Mariæ Mediceæ, quæ tunc nacta est Reginæ nomen, quia Regi Christianissimo erat desponsata. Vnde symboli sensus ille fuit. Si Mariam Mediceam attenditis, qua parte sata est Principe Mediceo, non est conspicua, plures enim puellæ in Europa illam multis titulis antecedunt, vtpote regio sanguine concretæ. Si verò eam aspicitis vt pertinentem ad Henricum Magnum, nulli omnino puellarum cedit, quia à Rege potentissimo eo lumine aspergitur, quo nihil splendidius in regnis orbe toto micantibus. In eoque sensu, CONSPICVA QVA CONSPICIT.

Cant. 6. Egregio symbolo describitur anima Deo grata.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus part. 2. Theat. Symbolor.* Mariæ Mediceæ Reginæ Christianissimæ symbolū.

Nihil credo aptius posse reperiri ad explicandos gratiæ effectus, & ad ingerendos humiles animos, siquando homo assurgat sua captus specie, cùm recolit se gratia Dei cælitus insignitum. In confesso quidem est, animam, quam Dei gratia aspergit, esse rutilam instar Lunæ; sed ne vanitatis comes tumor irrepat, operæpretium est, eam recolere, nullam sibi lucem esse insitam nisi à Sole desuper affulgente. Vnde si Deus ad momentum suos contineret radios, rutilans hæc anima foret opaca, vernaculis sibi tenebris obumbrata. Hocque liquet ex etymo Lunæ: dicitur enim Luna, quasi luce lucens aliena. Itaque compescendo fastui idoneum est hoc symbolum monens animam aliunde prorsus esse quod rutilat, nihilque à se habere præter caliginem, ac proinde debere in Deum refundere omne lumen suum, quia est tantùm CONSPICVA QVA CONSPICIT. Rursus vt Luna non refulget, nisi Solem coruscum aspiciat; ita perperam est quod Deus irradiat, si anima non conspicit, id est, si non annuit, præbendo consensum suum Domino reuocanti. Etenim, vt alibi præfatus sum, & ex Bernardo supra ostendi, non satis est Deum dare, sed necesse est adesse hominem, qui accipiat: accipit autem & aspicit Deum cùm consentit. Et esto conspiciat anima, non esset conspicua, nisi Deus ipse prior aspiceret. Nequit enim ad Deum oculos attollere, nisi à Deo desuper erigatur.

Qua meditatione anima gratiæ Dei compos effecta debeat humiliari.

Luna vnde dicta.

Eò collimant Patrum sententiæ prius recensitæ, quibus adiice & has Augustini, scitè affirmantis, animas non esse conspicuas, nisi qua conspiciunt, id est, omnia habere à Deo vnde rutilant, quia hominum nisus præter gratiæ acquisitio. Ita Augustinus: *Testimoniis diuinis probatur gratia Dei, non secundùm merita nostra dari, quandoquidem non solum nullis bonis, verum etiam multis præcedentibus meritis malis, videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen. Nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Dicendo, ne derelinquas me, ostendit, quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se.* Quod perinde est ac animam esse tantùm conspicuam ea parte, qua conspicit: nam si habet aliqua merita, illa inde emergunt, vnde gratia irradiat, citra quam nemo potest mereri, aut aliquo egregio facinore Deum præuenire, & ab eo elicere gratiam, veluti stipendium boni operis exantlati. In ea sententia fuit Augustinus, quem accipe. *Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum, vt cognoscat, & quærat eam gratiam tanquam pro meritis accepturus, sed præcedit misericordissima gratia sua Deus hominis ignorantis, & nondum se quærentis voluntatem liberi arbitrij, vt eum se scire, & quærere faciat, sicut dixit Ioannes Apostolus in epistola sua: Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Hæc ille appositè ad hoc symbolum, quò & omnes gratiæ effectus possunt optimè reuocari. Etenim si res est de peccato suas tenebras offundente homini posito procul à Deo, caligo illa omnis excidit, gratia diffundente lumen suum, fitque anima CONSPICVA QVA CONSPICIT.

EX SS. PATRIBVS. *Aug. lib. de gratia & libero arbitrio ad Val. cap. 6.* Quàm impos sit anima nescia gratiæ Dei.

Idem contra Pelag. hypognost. l. 3. Gratia Dei præuenit omnem actum liberi arbitrij.

Idem esto iudicium de eo effectu, qui animam Deo gratam efficit: nimirum eatenus tantùm grata Deo est anima, nisi quatenus abiurat ea omnia, quibus iniquè suum deuouerat obsequium, & ad Deum impensè conuertitur. Denique lumine gloriæ non est anima conspicua, nisi qua conspicit; id est, qua parte anima compos est gratiæ, eadem etiam habet ius ad gloriam, & ea potest desuper illustrari. Multa aliis tomis ego recensui symbola congrua huic articulo, sed ne repetita nauseent, consultò illa prætereo, hoc morale consilium ingerens, scilicet nos frustra aucupari aliunde dotes, quibus possimus cæteris eminere, cùm tota illucendi ratio petenda sit à gratia. Tota hæc mundi pompa nequit animas facere conspicuas, imò densas tenebras offundit quibus imprudens hominum animus opacatur. Facere animam conspicuam, hoc non est negotium huiusce sæculi, non honorum, non opum, neque vllius alterius illecebræ. Vnius duntaxat gratiæ hoc facinus est: hoc lumine corusca fit anima, ideo vrgenda, vt se ab aliis omnibus expediat, & eo tandem aliquando possit lumine rutilare.

Sola Dei gratia potest homines facere conspicuos.

Quia autem admonemur symbolo præfato, animam esse conspicuam, qua conspicit, placet subiicere soliloquium Augustini, congruum ad optandam hanc gratiam, & ad eam precibus obtinendam. Vtinam, lector, tibi sapiant ista anhela Augustini vota, quibus anima tota accenditur ad hoc luminis incrementum. Sic ille Deum affatur: *Gratias ago Maiestati tuæ, quoniam dignatus es per tuam misericordiam illuminare me. Lumen*

August. in Solilol. 34.

verum,

Deplorandus est status animæ illius, quæ non afficitur Dei illustrationibus.

verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen superlaudabile, lumen admirabile, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & etiam oculos Angelorum. Ecce video, gratias ago. Ecce video lumen cœli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper, à facie luminis tui, & lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge quæso, luminis auctor, auge quæso, quod interlucet in me. Dilatetur, obsecro, dilatetur ex te, &c. Væ cæcis oculis, qui te non vident, ô Sol illuminans cœlum & terram: Væ caligantibus oculis, qui te videre non possunt. Væ auertentibus oculis, ut non videant veritatem. Væ non auertentibus ut videant vanitatem: nequeunt enim oculi assueti tenebris, summæ veritatis radios intueri, nec sciunt de lumine aliquid æstimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant: de tenebris euntes in tenebras, nesciunt ubi corruant. Miseri qui nesciunt quid amittant, & miseriores utique qui sciunt quid amittant, qui cadunt apertis oculis, & descendunt in infernum viuentes. O lux beatissima, quæ non nisi à purgatissimis oculis videri potes. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Munda me mundans virtus: sana oculos meos, ut sanis oculis te contempler, quem non nisi sani oculi intuentur. Aufer quæso squamas caliginis antiquæ, radio tuæ illuminationis, splendor inaccessibilis, ut te videre valeam irreuerberatis obtutibus, & in lumine tuo videam lumen. Gratias tibi ago, lux mea. Ecce video. Dilatetur obsecro visus meus, Domine, ex te. O anima mea opaca, si Augustini oculos indueres, profectò eodem quo & ipse lumine dignareris.

Anima gratiæ Dei expers densis tenebris opacatur.

SENSVS MORALIS.

Omnia hominum beneficia superat illa gratia, quæ Deus canit hominibus.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

ARTICVLVS XI.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Pythagoræ specula quàm fuerint singularia.

VT hominum industria permeat orbem totum, & cœli principem mundi partem, tentarunt homines etiam sidera subdere suæ peritiæ. Hoc Pythagoras enixus est, nec incassum: quippe adinuenit specula, quæ sanguine respersa, Lunam etiam eodem sanguine cruentabant; saltem quasi resiliisset sanguis in sidera, Luna suffusa rubore videbatur. Præstigias hîc suspicor, & oculorum ludibria à diabolis intentata. Ego, citra tamen ullam suspicionem illius artis iniquæ, volo oculis subiicere ea quæ cœlitus fiunt in anima mediante gratia desuper illapsa. Ego, inquam, illa arcana cœli volo palàm facere ex beneficiis collatis ab hominibus solo naturæ dictamine propitiis. Hoc unum prænotare necesse est, omnes ferè Reges partem suæ potentiæ reposuisse penes munificentiam, ut tesseram potiorem animi præpotentis. Ita Persæ in argumentum potentissimi dominij regales epulas instruebant. Et ille ritus antiquus Persarum & Medorum ex Scriptura liquet, unde emersit iste textus, Assuerum commemorans. *Tertio anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se, ut ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.* Cùm autem magnificentia petatur ex dono, quantò ditiora fuere dona, tantò etiam liberalior fuit indoles Regum, qui magnificos titulos ambierunt. Unde quia nihil omnino potius est libertate & vita, Romani Principes ut se aliis eminere ostenderent, satis eo intento legibus, libertati oppressæ, & vitæ dubiæ prouiderunt. Vide in Pandectis & codice leges huiusce generis in margine prænotatas, quibus addisces ipsas etiam statuas Imperatorum, habuisse ius reuocandi vitam ancipitem, & redimendi à seruitute, si ea esset iure belli inita, ut prænotat Alexander. Aliis verò mancipiis leges aliter occurrerunt.

Regum potentia maximè patet in munificentia.

Esther 1.

Persæ quomodo suam potentiam explicabant.

Salutare fuit olim confugere ad statuas imperatorum

Leg. Quis sit fugitiuus §. Apud La. eodem ff. De ædil. edict.

Lege 1. De his qui sunt sui vel alieni.

Lege 1. Cod. de his qui ad statuas confugiunt.

Alex. l. 3. cap. 10.

Libertatis & vitæ gratiam præstitisse, profectò fuit argumentum summi iuris, ita & in moralibus homini morti æternæ obnoxio, qui & libertati filiorum Dei excidit, nemo succurrere potest nisi Christus Rex Regum, penes quem solum est ius vitæ & necis. Unde & gratia dicitur facta per Iesum Christum, qui sic suum adstruit Imperium in animas, hac sua gratia sospitatas, eo ferè modo quo Romanis militibus in castris cauebatur, qui si confugerent ad militaria signa, videlicet ad hastas, è quibus eminebant aquilę tesseræ Romanorum, salui erant beneficio signorum, quibus præambulis toties Roma victrix orbem subegerat. Eo modo Cornelius Tacitus ait Plancum Ducem effugisse seditionem militum, quos sibi iniquos senserat imminere. Hunc etiam morem meminit Ammianus. Signa militaria nostræ militiæ sunt arma Crucis, quibus Christus subegit orbem totum. Quisquis baiularit Crucem, ille proculdubio amplexatus salutare hoc signum militare, sentiet ex hoc signo copiosos gratiæ & vitæ latices emanare. Ne autem Christi mortui in Cruce, Crux illa debilis ad saluandum videatur, recole quæ Plutarchus ait de Theseo, qui eam venerationem sibi conciliauit apud Athenienses, ut eo mortuo serui confugientes ad sepulchrum eius, omni confestim vinculo soluerentur. Morte Christi vincula hominum diruta sunt, & qui cautè ad eius sepulchrum confugiunt, sortiuntur inibi libertatem.

Ius vitæ & necis summum ius est.

Cornel. Tacit. lib. 1.

Ammianus Marcellin. lib. 25.

Confugere ad aquilas fuit salutare Romanis quorum dubia erat vita.

Plutarch. in Theseo.

Crux potior est Thesei sepulchro quod fuit asylum reis.

Nulla ferè fuit Gens adeò inhumana, quæ Deo suo non concesserit hoc ius liberandi à morte, si reus ad delubra prouidè confugisset. Seruius arbitratur Hercule satos Heroas fuisse auctores asylorum in Græcia, ubi Strabo meminit insigne refugium fuisse reis apud templum Ephesinum, ubi serui omnes, manumittebantur, utque illi loco conciliaret ampliorem venerationem Alexander, ius illud propagauit ad stadium, ut Cicero aduertit, ita ut quisquis attingeret spatium illud, quod intercapedo primi stadij concludebat, ille uteretur eodem iure, quo introeuntes in templum illud Ephesinum. Romulus à Græcis didicit condere asylum illud, quo trásfugas omnes malè sibi conscios absoluit, ut meminit Ouidius his versibus.

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Cuilibet huc dixit confuge, tutus eris.

Facinorosi quique homines in eo Romuli asylo absoluti, fecere incunabula urbis Romæ, cuius

Seruius in l. 2. Æneid.

Quis prior asyla adinuenerit.

Strabo l. 14.

Templum Ephesinum asylum.

Cicero in Verrem actione 3

Alexander ius asyli Ephesini ampliauit.

Ouid. l. 3. Fastorum.

Romulus indicto asylo condidit Romam eò confluentibus noxiis hominibus.

cuius fuere postmodum eorum armis longè latéque pomœria propagata. Nec reorum hominum vita infamis obstitit, quin Roma inclyta caput mundi extiterit etiamsi Iuuenali displiceant hæc inglória vrbis Romæ natalia, vt queritur hoc versu.

Iuuenalis Satyra 8.

Et tamen vt longè repetas longéq; reuoluas
Numen, ab infami Gentem deducis asylo.

Qua cautione Roma Christiana sit orbe toto spectabilis.

Roma Christiana iisdem auspiciis creuit & surrexit in eum apicem, infra quem sunt alia omnia regna mundi. Nempe Gentibus innotuere dona Dei, & populi iacentes in fœda vitiorum colluuie, gratiæ influxu tersiores effecti sunt, & orbe toto diffusæ Gentes, gratiæ beneficio sanctiores, Ecclesiæ Romanæ terminos ampliarunt. Vt Romulus lucum seu syluam muro cinxit alto, vt arx munitissima sontibus esset tutum refugium; ita & Christus Dominus Romæ salutare lignum Crucis erexit, & ei adiecit petram solidissimam, Beatum scilicet Petrum, cuius constauria Crucem altius ibi fixit, dum Crux ibi stabilita fuit Petri sanguine cruentata. Gratiæ Dei asylum illic omnibus apertum est, & eo asylo Roma fuit clarior, quàm suo prius imperio, vt benè Leo meditatur, ita compellans Romam, & admonens quantùm deberet Apostolis Petro & Paulo, qui prima iecere fundamina asyli quod memini, id est, fidei, & gratiæ. Sic ille: *Isti sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi, Roma, resplenduit: & qua eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inserendam multò meliùs multóque feliciùs condiderunt, quàm illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit; Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperij tui terra marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.* De hoc primatu Ecclesiæ Romanæ vide infra, in explicatione orthodoxa huius Euangelij, vbi ex professo primatum illum stabilio. Sufficiat nunc ostendere, asylum Romuli, etsi salutare reis, non fuisse catenus impenetrabile, quin Roma sæpe diruta fuerit, in quod tamen excidium nusquam deuenit arx illa fidei, & gratiæ, quam Petrus Romæ Deo auctore erexit, & suo sanguine dedicauit.

Leo serm. 1. in natali SS. Petri & Pauli.

Petrus & Paulus Romã illustrem effecerunt.

Roma Christiana illustrior seipsa Gentili.

Eo etiam astu ait Alexander Cadmum condidisse Thebas, videlicet illic constituit, locum refugij, cuius præsidio serui & rei omnes redibant in gratiam vinculis absoluti. Eâ industriâ Deus templum gloriæ, seu potius ciuitatem illam supernam Ierusalem in quadro positam fecit: nimirum vt quantocyùs exurgeret vrbs beata, in hoc æuo constituit gratiam, vt eius beneficio homines adscripti in ciues illius superæ ciuitatis, eam incolerent nullis vitiorum nexibus irretiti. Græcia quondam ostensura quantùm posset terrâ marique, vtrobique ostendit se dominam vitæ & necis hominum. Nam præter Dianæ Ephesinæ asylum, plurima alia fuere refugia in vrbibus positis extra mare. In his celebre est Spartanorum templum dictum Chalcœnum, id est æneum, quia vt ait Liuius, erat penè totum ex ære compactum. Erat hoc templum Mineruę sacrum, & tanti subsidij ex Thucydide, vt reos omnes absolueret. Vnde ne Pausanias effugeret mortem quæ instabat, populus obstructo aditu templi huius eum morte mulctauit: vt desſent Probus Æmylius & Diodorus Siculus. Eius etiã templi meminit Ælianus. Aliud ibidẽ Chalcicon fuit templum tãti præsidij, vt illic cauerit vitæ suæ Rex Agis, ex Plutarcho.

Alexand. lib. 3 c. 20.

Quanam industria Thebarum vrbs ædificata.

Liuius 4. Decad. l. 5.

Thucidides lib. 1.

Probus Æmylius in vita Pausaniæ. Diodor. Siculus lib. 11. Ælian. l. 9. varia hist. Plutarch. in Agide.

Pergamenses tantum detulere Æsculapio in gratiam rei medicæ, qua consuluit ægris, vt omnes nefarij homines impune confugerint ad ædes eius nomini nuncupatas. Benè equidem aptata salus corpori in memoriam medici insignis, qui suæ artis beneficio corpora sospitabat. Sed nemo ante Christum potuit asylum decernere congruum curandis animis lethali aliquo crimine sauciatis. Ille idem qui ait paralytico, & Mariæ Magdalenæ, esse eorum remissa peccata, solus potuit conficere salutare refugium iisdem ægris, id est, vitiis obnoxiis hominibus. Hoc autem præstitit infundendo gratiam, qua illapsa statim sanitas animæ procuratur.

Aliqua hic asyla recensentur in gratiam hominum noxiorum, sed his omnibus asylis præstat gratia Dei.

In hoc æstuante pelago vitæ ærumnosæ operæpretium duxit Deus assignare in littore tuta præsidia, vt iactati homines vitæ suæ ancipiti consulerent oblato refugio. Extremum vitæ litus est vltima periodus, cui mortis nomen inditum est. In eo littore Ecclesia administrat sacra idonea ad conciliandam gratiam, qua impij homines exciderant. In hac ora maris prostant tuta refugia, potiora sanè eis omnibus, quæ Græcia iuxta mare transfugis assignauit. Huius generis fuisse in Rhetæo littore Aiacis asylum, commemorat Seruius, traducens eo nomine Virgilij versum illum.

Seruius in lib. 6. Æn.

Tunc egomet tumulũ Rhetæo in littore inanem
Constitui.

Virgilius lib. 6. Æn.

Strabo meminit aliud asylum in Sigæi maris ora positum, quod fuit nomine Achillis celeberrimum. In insula Samothracia fuisse etiam tuta asyla Plutarchus ait. Quàm salutare fuerit Tænari asylum expertus est Cleombrotus, vtpote à morte inglória, illius refugij tegmine reuocatus, vt auctor est Thucydides. Eodem beneficio gestiit aliquando Demosthenes in Calauria insula, vbi templi Neptuni suffragio vsus irrita fecit omnia conamina Archiæ, vt Strabo refert, & Plutarchus adstruit.

Strabo l. 3.

Plutarch. in vita Pauli Æmilij.

Thucydides lib. 1.

Strabo l. 8.

Plutarch. in Demost.

Ipsæ etiam Gentes, quas Græci barbaras arbitrati sunt, subodoratæ aliquid beneficium in locis Deo sacris, non sunt ausæ inferre reis aliquam molestiam, si se reciperent ad illa loca Numini consecrata. Ferocissimi Scythæ, & quasi nescij indolis humanæ, suspicati in montibus esse abdita Numina, aliquos habuere sacros, in quibus Solinus Arimphæos annumerat. Herodotus adiicit Argippæos. Martianus Capella subiicit Ariphęos, Plinius item, & Pomponius Mela, cum Solino concordes meminere loca illa, quæ vt excelsa credita sunt à Scythis delubra Deorum, vbi nefas erat vllam cuipiam inferre molestiam. Vnde & in Scythia abundè reis erat cautum, si illorum montium culmina superassent. Quale putas fore refugium peccatoribus, si ad gratiæ verticem adiuti cælitus enituntur? Nihil planè infaustum habent quod metuant, quia gratia Dei mons est diabolis inuius, homines etiam eripiens nebulis omnibus huiusce sæculi, ac proinde salutem animarum sartam tectámque constituens.

Solin c. 27. Herodot. in Melpomene. Martianus Capella l. 6. Plinius l. 6. cap. 13. Pomponius Mela l. 1. cap. vltimo.

Scythę montes crediderę sacros.

Eadem quæ Scythas reuerentia perculit Ægyptios, homines alioquin fœdis ritibus assuetos. Hos ait Strabo adeò addictos Osyri suo, vt iuxta

Strabo l. 17.

Saim

Saim fanum erexerint in Osyris insigne decus, vbi incolumes erant omnes transfugæ, tota Ægypto reputante piaculum, vim inferre reo, qui suo confisus Osyri supplex, eò confugerat. Non degeneres fuere Molossi licet crediti terribiles: quippe Diodorus Siculus ait, eos hoc specimen edidisse pietatis, vt sospites voluerint esse, & incolumes, omnes qui ad aras saluti suæ timidi prouiderent. De Crotoniatis ille iudicium idem profert, vt & Pausanias de Messeniis. Non est prætereundum famosum Dianæ templum in Thracia, securum tegmen sontibus hominibus, vt meminere Polybius atque Herodotus. Quodque maiorem indicat venerationem erga Deorum ędes, Alexander ait Lacedæmonios etiam post latam capitis sententiam, seruasse reos si fugissent ad Palladis ædes, arbitrati satius esse venerari Deos, quàm noxios homines extirpare. Nonne & hoc præstitit Deus affatim malens parcere sontibus, quàm deesse gratiæ suæ, ideo institutæ, vt misericordiæ suę homines faceret participes, & diuinæ suæ naturæ consortes: & hoc priuilegium Ethnicis incognitum, non fuit etiam ab illis Gentibus adumbratum, licet Ithacenses aram erexerint Ioui Seruatori, vt eodem loco annotat Alexander. Quidquid insigne clament Tacitus, & Appianus Alexandrinus de templo Mileti sacro Dianæ Leucophrienæ, & affirment fuisse illic omnia sarta tectaque eis, quos exceperant illius septa templi; non adeò tamen tuta fuerunt illa claustra, vt inde sana potuerit euadere Arsinoë soror Cleopatræ Reginæ Ægypti, illic occisæ iussu Cleopatræ, cui se inuisam præstiterat, vt describit Appianus.

Diodor. Sic. lib 12.

Idem l. 12. Pausanias lib. 4.

Polybius lib 4. Herodot. l. 3. Alexand. l. 3. cap. 10. Alex. ibid.

Cornel. Tacit. l. 3. Item Pausanias l. 2. & 3. Appian. Alex. l. 5. bellorum ciuilium. Arsinoë fatū deplorandū.

Prælibata hæc priuilegia indulta Deorum ædibus non pertinebant ad animam, sed ad gratias tantùm corporales, ita nuncupatas, quia erant corpore tantùm tenus, vt fuere priuilegia statuarum Tiberij Cæsaris, quas Philostratus ait adeò fuisse celebres in Aspendo Pamphiliæ, vt eis concessum fuerit salutem hominibus noxiis impertire. Nemo tamen Gentilium credidit animas malè sibi conscias inuenire repurgium in asylis, in gratiam corporum institutis. Eamobrem nos Christiani habemus in gratia amplioris lætitiæ argumenta longè potiora. Nam gratia dedignata sospitatem corporum, plerumque iniuriam animæ, animas euehit ad gaudia sempiterna. Et quamuis aræ erectæ videantur præcipuè pertinere ad participanda Dei munera potissima; nusquam tamen prisca Gentilium ætas commemorans suorum Deorum beneficia, mentionem fecit salutis animarum, sed tota gratiarum summa fuit penes redacem libertatem, aut sanitatem corpori restitutam. Idcirco Palici ara famosa Siculis eo tantùm nomine celebratur à Seruio, Plinio, Macrobio, Virgilio, Lactantio Grammatico, & Stephano, quòd præsidium esset transfugis contra æmulos hominibus noxiis imminentes, vt fusè recenset Diodorus. De hac ara vsurpatur ille locus Virgilij.

Philostratus in vita Apollonij l. 1.

——Pinguis vbi placabilis ara Palici.

Seruius in l. 9. Æneid. Macrob. lib. 5. Saturn. c. 19. Lactan. Grammat. in Statij lib. 12. Stephan. lib. de vrbibus. Diodor. Sicul. l. 11. in fine. Virgil. l. 9. Æn.

Benè decreuerit Græcia necne, quando absoluit ære alieno oppressos, qui confugerant ad Calydoniæ Palladis ædes, ipsa viderit. Hæc tamen gratia insignis, quam loquitur Alexander, non præterit naturæ fines, ac proinde potest reuocari ad alia beneficia, quæ priora illa sæcula opaca gestiebant se accepisse à Diis, & Regibus. Omnia autem rediguntur in tres classes, quarum prior hæc est, scilicet absolui ære alieno, cui impares sępe homines mortem sibi iniecto laqueo penduli conscivierunt. Altera classis est seruorum, qui liberiorem auram respirarunt, facta copia adeundi aliquas ex præfatis ædibus, illi gratiæ nuncupatis. Vltima demum series fuit eorum, qui in supremo agone positi ob instantem mortem, ab hoste aut lictore beneficio asyli sospites euadebant.

Alexand. l. 3. cap. 10

Ad tres tantum classes rediguntur gratiæ omnes præstitæ in asylis orbe toto præcipuè.

Habemus equidem quòd gestiamus præ antiquis, ratione gratiæ cælitus impertitæ. Ipsa namque diluit noxas, quæ nos in rationibus Dei debitores scripserant, vtique stylo adamantino. Nec vnquam aliunde tergi potuissemus ex nominibus huius fori terribilis, vbi rei vsque ad solutionem minuti etiam æris carceri mancipantur. Rursus vbi spiritus, ibi libertas; id est vbi gratia animam Dei dignatione afficit, illa suæ seruitutis oblita, filiorum Dei libertate gaudet. Denique anima extincta lethali piaculo, suum omne virus euomit, facta rediuiua gratiæ Dei beneficio. Et ne gratis tria hæc conficta credas audi Paulum congratulantem fidelibus ob illa tria charismata. Sic ille: *Vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Discute seriò hunc Pauli textum, & inde deprehendes illa tria beneficia, quæ adeò extulit antiquitas. Cùm audis deletum chirographum, puta dilutum æs omne alienum. Cùm insonat principatum & potestatum expoliatio, cogita libertatem homini restitutam, diabolo spoliato eo dominio, quod iniquè in nos homines vsurparat. Tandem conuiuificasse homines mortuos in delictis, est beneficium excedens captum etiam Angelorum.

Gratia Dei omnia beneficia præstat animæ pœnitenti, quæ corpori asyla cōcesserunt.

Coloss. 2.

Præcipui gratiæ effectus similes eis quos sortiebantur asyla probantur Paulo Apostolo allectore.

Cæterùm vt auspicatus sum istum articulum ab antiquitate, ei colophonem imponam eadem subiectâ materiâ, præmonendo frustra nos gloriari de gratia Dei, si non morem gerimus præclaro instituto, quod aliàs viguit in Ægypto. Accipe rem maximè moralem quam opto tenaciter meo & aliorum animis insidere. Ait Herodotus, ad ostia Nili fuisse solenne templum Herculi Conopæo sacrum, ad quod sese recipientes serui fugitiui tuti erant, & impunes; ea tamen cautione vt in eo templo sacris initiarentur, & quasdam acciperent notas, quarum præsidio fiebant conscij gratiæ recensitæ. Vnde si serui transfugæ degentes in eo templo essent incurij præfatis inuri notis, fas erat heris eorum repetere transfugas, & in eos flagro vindice desæuire. Ita & parum est nos gestire de gratia Dei vrgente nos ad meliora, & prouocante ad potiora consilia, si prælibatæ huius gratiæ notas non patimur inuri manibus nostris; priores domini, id est vitia, ius suum semper in animas sibi vendicabunt: Itaque cooperandum est gratiæ, & sunt danda animæ vota Deo, vt quocunque perculerit, morem geramus ei desuper aduocanti. Gratia namque feruidos animos petit, vt monet Augustinus ita fatus: *Qui se dono gratiæ ad Dei misericordiam sentiunt peruenire, hortamur oportere incumbere orationibus, obsecrationibus, ieiuniis, vigiliis, omnique operi voluntatis diuinæ. Prædestinatis enim ait Christus: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Quasi diceret, incassum nos iactare gratiam esse penes nos, nisi eius influxum congruo opere comprobemus.

Herodot. lib. 2. Herculis Conopæi templum rē habuit, quæ maximè conducit ad id quod præstare debet anima gratiæ Dei conscia.

August. l. 6. hypognostic. Gratia Dei debet excoli bonis operibus.

EXHORTATIO AD GRATIAM DEI oblatam quantocyùs amplectendam.

Quare oblata homini gratia non influat in animam.

PEctore anhelo velim admoneri Christianos omnes, patere quidem omnibus aditum ad gratiam, Deo semper adstante pro foribus nostris; sed aliquando fores occludi, vitio hominum impiorum, qui in idem discrimen incurrunt, quod supra recensui notando necem Pausaniæ, cui fores templi obstructæ sunt quando in asyli præsidium voluit aduolare. Ita plerique indulgentes genio patum curant gratiæ Dei illapsum, creduli se instante morte acturos pœnitentiam, & conciliaturos Deum. Sed iusto Dei iudicio, inquit Augustinus, qui viuendo oblitus est Dei, moriendo obliuiscitur sui. Fitque vt iustitia Dei suas agente partes homo moriatur impœnitens, quia noluit stato tempore pœnitere. Has occlusas gratiæ Dei fores excipiunt pœnæ æternæ inflictæ hominibus incuriis & sibi, & gratiæ, cuius aditum sibi negat iniquitas hominum impiorum, licet præsto sit Deus ad influendum in omnes animas, nullo obice reluctante. Si namque aliquid obstet quominus influat gratiæ largitor Deus, illud gratiæ deliquium se tenet ex parte reprobi renuentis. Etenim iniquitas illa summa, qua homo gratia finali excidit non habet Deum causam efficientem, sed animam causam deficientem. Sic Deum à noxa vindicat Augustinus: *Numquid iniquitas est apud Deum? absit. Si ergo absit vt iniquitas sit apud Deum; siue quando adiuuat, misericorditer facit siue quando non adiuuat, iuste facit; quia omnia non temeritate, sed iudicio facit. Porrò si iudicia Sanctorum iusta sunt, quantò magis sanctificantis & iustificantis Dei: iusta ergo sunt, sed occulta.* Ille idem omnium hominum finem bicipitem facit. Alij nempe nacti Deum misericordem salui fiunt: alij verò incurrentes in Deum iustum, meritas luendo pœnas, ignibus addicuntur; quia non gessere morem voluntati Dei, qui vult omnes saluos fieri. Ita Augustinus: *Ne quisquam putaret diuino iudicio fieri, non omnes hominer saluari, dixit Apostolus: Qui vult omnes homines saluos fieri. Quapropter omnes homines qui saluantur, Dei voluntate saluantur. Deus enim noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. Et quia ira in furore eius, & vita in voluntate eius. Intelligite itaque in furore iustitiam, in voluntate misericordiam.*

Ex SS. PATRIBVS.

August. tract. 53. in Ioan.

Non in Deū sed in hominem est refundendum gratiæ deliquium.

Idem lib. 6. hypognostic.

Deus vult omnes homines saluos fieri.

Obserari fores gratiæ reprobis eorum vitio, quia scilicet Deo sæpe reuocanti negarunt assensum suum, ipse Deus eloquitur increpans incuriam hominum indolem, quæ, vt noxia mulctatur congrua sibi pœna, sic sacro Codice recensitâ. Accipe querulas Dei voces, Salomonis organo resonantes: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes oderunt scientiam? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me: eò quòd exosam habuerunt disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur: auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* Nihil sanè elimatiùs in hoc argumento promi potest. Sed quia audio susurrum hominum nequam mussitantium, non omnes impios defungi expertes sacramentorum Ecclesiæ, quæ nemini in supremo agone posito deest, ac proinde nullius esse salutem in hoc sæculo deploratam, ideoque perperam dici occludi quandoque fores gratiæ homini vitiis indulgenti. Quia inquam illa instantia reprobos spe plerumque inani allicit ad peccandum impunè, affingens eorum animæ quandam certitudinem gratiæ aliquando desuper illapsuræ; diluenda est hæc lethalis obiectio.

Prouerb. 1.

Declamat Salomon in homines incurios gratiarum Dei.

Serò tandem aliquando reprobi tentâût redicum ad pœnitentiam.

Malè sibi cōsulūt illi qui pœnitentiam suam refundunt in momentum mortis.

Itaque hoc ratum esto, videlicet hominem peccato mortali obnoxium, esse expertem gratiæ, atque adeò esse in statu naturæ non integræ, sed iacentis ægritudine pessima, qua inualescente, anima prona est in decliue vitiorum omnium, & tantùm abest, vt in ea auersione Dei, quam noxa lethalis inuehit, possit anima mereri ex se gratiam resurgendi à peccato, quin potius eum suo iniquo facinore sollicitat ad vindictam, quam plerumque Deus auspicatur negando gratiam efficacem. Et licet aliquando reprobi confiteantur vt par est in extremis, gratiaque sacramentalis influat hoc momento, quo suas deflevere noxas; iusto tamen Dei iudicio accidit, vt postea recenti gratia excidant, quia sollicitante eos habitu prauo, præbent assensum suasioni iniquæ diaboli tunc acriter insurgentis. In eo genere prostat historia cuiusdam facinorosi hominis Veneris alleclæ, qui morte instante confessus est; sed sacerdote absente recolens expertas luxuriæ delicias, ea memoria delinitus, & in libidinem fractus, obiectæ consensit illecebræ, quam tenebatur ex vi pœnitentiæ iugiter abhorrere. Eamobrem vrgente fato defungens in eo voto vacandi prioribus illecebris, detrusus est in abyssum, gratiæ finalis foribus obseratis.

Ex THEOLOGIA.

Thomas 1. 2. qu. 109. art. 8.

Historia hominis reprobi assueti peccare obscœno consensu.

Eo genere fati elatus est Eutropius vir impius Christianorum osor acerrimus, qui secundus ab Imperatore moderabatur orbem. Ille insolescens, & impar tantæ fortunæ, multis se iniurium præstitit, vt meminere Zozimus, Nicephorus, & Sozomenus cum Socrate. Et vt aura propitiâ afflante tument homines, Eutropius inanis gloriolæ & honorum vento abundè afflatus, impos sui fuit, etiam Imperatricem Eudoxiam aspernatus; & vt superbia enititur semper, turgidus ille homo Deum etiam aggressus est, obtento edicto ab Imperatore Arcadio, quo violabatur Ecclesiarum immunitas. Nam priscis sæculis Ecclesiæ sortitæ vices asylorum, tutum reis refugium foribus semper patulis offerebant. Non tulit Eutropius hunc honorem præstari locis sanctis. Eamobrem vt vir infidelis, factus Imperatori Arcadio

Ex HISTORIA.

Zozimus lib. 5.

Nicephorus lib. 13. c. 4.

Sozomen. lib. 8. c. 7.

Socrat. lib. 6. cap. 5.

importunus

Eutropius sollicitus Ecclesiæ eam spoliās iure immunitatis, alterūtro fortuna cogitur cōfugere in Ecclesiam.

importunius, obtinuit in posterum fore irritam legem de immunitate Ecclesiarum. Non tulit Deus hominis fastum; nam deposcente populo Eutropium ad necem, Imperator Arcadius precibus annuens coniugis suæ Eudoxiæ declamantis in perduellem illum hominem, qui insimulabatur assumpsisse infulas imperij, eum mandat rapi ad supplicium. Præsensit Eutropius exordia tragœdiæ, per tumultuantis populi voces inconditas excipiens: ideoque consulturus vitæ suæ ancipiti, festinus accurrit ad sacras ædes, quas iure immunitatis spoliarat, prospera vtens fortuna. Tota infremente Constantinopoli nefarius homo petitur ad piaculum, vtpote indignus vti Ecclesia propitia, cui se iniquum antea præstiterat. Eò aduolat antistes Chrysostomus, & furentis populi tentat æstum componere, tantumque profecit eloquentiā suā, vt sospes & incolumis eductus sit Eutropius, licet ea indignus gratia. Tamen vt omnes odere scelus immane, non stetit Arcadius pollicitis; sed deportatum in Cyprum, & postea reuocatum Chalcedonem, ibi eum securi percussit, & in odium, eius nomen è fastis Consularibus rasit. Ecce eius epitaphium Claudiano auctore:

Eutropij mors ingloria.

Claudian. in præfat. l. 2. in Eutrop.

Scindere nunc alia meditatur ligna securi
Fascibus & tandem vapulat ipse suis.
Illicitas Consul pœnas, se Consule, soluit:
Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Infaustum populis in se quoque vertitur omen:
Sæuit in auctorem prodigiosus honor.
Ablato penitus respirant nomine Fasti,
Maturamque luem sanior aula vomit.

Prosper. de prædict. par. 3. c. 38.

Si sanctioris hominis testimonium luculentum poscis, accipe à Sancto Prospero epitomen rei gestæ: *Eutropius prepotens plurimum, anima & mente Paganus, cùm in contumeliam Ecclesiæ, edictum obreptitiè ab Arcadio Christiano Imperatore surriperet, vt si quis ad eam confugeret, etiam ab altari sublatus, pœnas lueret ampliores, diuino iudicio, sua sententia prior propinatus est: offensam quippe prædicti Regis incurrens, ad eius refugium, quam oderat, conuolauit. Quem sancta mater pietatis gremio suo suscepit inimicum: cui per venerabilem sacerdotem Ioannem impetrans veniam, vsori & superbo vitam contulit, & salutem: eius exemplo cunctos admonens inimicos, vanum esse eis contra stimulum calcitrare.* Siluit mortem Prosper, quia hic tantùm ei fuit animus recensere, quàm sit benefica Ecclesia in suos etiam inimicos. Fuisse verò extinctum vindice securi, tradunt Socrates & Sozomenus.

Malum consilium consultori pessimum, vt patet exemplo Eutropij.

Ecclesia est benefica suis inimicis.

Ecce ideam hominis aspernantis gratiæ Dei iura. Is in vitia effunditur, flocci pendens salutaria Ecclesiæ monita, & vt peccatum vnum alteri fomitem præbet, homo vitiis assuetus in eam vitiorum colluuiem demergitur, quæ Deum sollicitat ad vindictam, qua instante reprobus attonitus, & perculsus horrore gehennæ petit Ecclesiæ suffragia, volens cauere sibi. Instant dæmones, suumque (debacchantes) dicunt esse illud vitiorum mancipium, sed conniuente Ecclesia votis animæ timore Dei percitæ, diabolis ad moxulam eripitur homo nequam, facta humili suorum peccatorum confessione sacerdoti idoneo. Sed vt Eutropius dicitur denuò coniurasse in caput Arcadij, quemadmodum Zozimus ait; ita & reprobus in extremis, etsi receptus gremio Ecclesiæ, atque adeò redditus vitæ quam inferi deposcebant, diu tamen constare sibi nequit, qui a licet confessio vitiorum culpam tergat, non adimit interea sensum prauorum habituum, qui præludunt, vt extorqueant animæ consensum, quo denuo confessi homines diabolis obstringuntur. Hinc fit vt homines quidem insolita vitia aperiant in confessione, & inde fiant compotes gratiæ, qua postea spoliantur; prioris illecebræ specie refricata. Itaque pessimi consultores sibi sunt illi omnes, qui dedignantur adire quantocius asylum gratiæ, & assuescunt vitiis, freti opinione longioris vitæ, cuius animo concipiunt fore bonam catastrophen: hi namque nolentes aperire Deo, & surgere de fæcibus suis, quando omnia conspirant ad gratiam; fortè incurrent in discrimen Sponsæ Canticorum, quæ diu sollicita luxit moras protractas, Sponso rogante fores aperiri sibi. Illa nempe tardiusculè auscultans pulsanti, non aperuit statim, ideoque Sponsus intempestiuas dedignatus inducias aliò pertransiit, Sponsamque anxiam sic mulctauit, vt ægrè admodum amasium postea nacta sit, passa vigilum & custodum ciuitatis vulnera, & pallij sui iacturam.

Zozimus l. 5.

Eutropius est idea bonam iis recusantiū vitiis assueti.

Negligentiā animæ figurata in Spōsa Canticorum.

Ipsa confiteatur qualecunque piaculum moræ, quam iniquè tulit ille dilectus, morarum impatiens. Sic illa: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui & non inueni illum: vocaui & non respondit mihi. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Hunc ego textum intelligo de secunda gratia, seu de augmento gratiæ, & non de prima illa gratia, quæ influit in animam vitiis antea præpeditam. Nam status ille obscœnus dedecet Sponsam Christi. Si ergo anima Deo grata non amplexata citiùs gratiam excitantem, qua homo vrgetur ad habitualem gratiam propagandam, incurrit in tot discrimina; in quas arbitraris angustias deuenire impios, qui Deo reuocante penitus obsurdescunt? Hos profectò in interitu subsannabit Deus, vt refugas gratiæ tempestiuæ.

Cant. 5.

Gratiæ excitāti quantociùs est auscultandum.

Quàm proficuus sit timor Dei.

Placet in eo argumento Bernardi consilium. Suadet ille timorem, qui animam iugi tenore quatiat. Est enim timor ille Dei principium sapientiæ, quia qui prudenter timet, ille sibi cauet ab omnibus, quæ suspicionem faciunt mali reconditi. Nullum statum excipit hinc Sanctus iste, sic omnes homines adhortatus: *In veritate didici, nil aquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam; quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere: Beatus homo qui semper est pauidus. Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo reuertetur, & hoc est semper pauidum esse. Succedunt sibi vicissim in animo tres isti timores, secundùm quòd gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentitur. Cùm adest,*

Ex SS. PATRIBVS.

Bernard. ser. 53. in Cant.

time ne dignè opereris ex ea. Nam hoc monet Apostolus: Videte, inquiens, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Et ad discipulum: Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est. Et de seipso dicebat; quia gratia Dei in me vacua non fuit. Sciebat homo consilium Dei habens, redundare in contemptum donantis donum negligere, nec expendere ad quod donatum est, idque intolerabilem esse superbiam indicabat, & propterea studiosissimè hoc malum & ipse cauebat, docebatque cauendum. Sed rursum latet fouea hic, quæ nolo vos lateat. de qua is superbiæ spiritus tantò periculosius, quantò occultius, sicut habetis in Psalmo, insidiatur quasi leo in spelunca sua. Nam si impedire non præualet actionem, tentat intentionem, suggerens & suadens quatenus effectum gratiæ arroges tibi. quod quidem superbiæ genus longè illo priore intolerabilius esse non ambigas. Quid enim odiosius illa voce, quæ quidam dixerunt: Manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia. Sic ergo timendum manente gratia. Quid si recesserit? Num multò magis tunc timendum? Planè multò magis: quia vbi deficit tibi gratia, deficis & tu. Audi etenim quid dator gratiæ dicat: Sine me, ait, nil potestis facere. Time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus. Time, & contremisce Deo tibi irato vt sentis. Time quia dereliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis. Quod enim tu nescis, scit Deus, & qui te iudicat ipse est, &c. Ergo argumentum superbiæ, priuatio gratiæ est. Quanquam tamen interdum subtrahitur gratia, siue retrahitur, non pro superbia quæ iam est, sed quæ futura est nisi subtrahatur. Habes huius rei euidens documentum de Apostolo, qui stimulos suæ carnis sustinebat inuitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur. Sed siue iam existens, siue nondum, superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ. Iam si gratia repropiciata redierit, multò amplius tunc timendum, ne fortè contingat recidiuam pati, iuxta illud in Euangelio: Ecce sanus factus es, vade & amplius iam noli peccare, ne aliquid tibi deterius contingat. Audis recidere, quàm incidere esse deterius? Proinde inualescente, periculo, inualescat & metus Beatus es si cor tuum isto triplici timore repleueris, vt timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. Hæc ille.

Encomia timoris Dei.

Quot & quãta argumenta timoris habeat anima Christiana.

Superbia etiam secreta gratiam eliminat. Peccata repetita post illapsũ gratiæ sunt deterioris naturæ, quàm antea.

Si in re dubia creditur expertis, profectò in hac subiecta materia, de gratia Dei conciliãda, debemus multum Bernardo tribuere, qui ad eum surrexit apicem gratiæ, quem tota Ecclesia veneratur. Eo itaque auctore, timor est efficax ad promerendam, in eo sensu quo Bernardus intelligit, id est, nos faciendo cautiores, ne irritam faciamus gratiam Dei dum pulsat ad nostras animæ fores, hoc alto recolentes animo, Deum odisse moras, quas anima nectit. excitante priùs gratiã prouocata. Eo intento illud idem propositum nobis insideat, quod fuit valde familiare Regi Dauid, qui apud se statuerat aurem accommodare obsequentem Deo suggerenti, vtpote Deo afflante certior effectus, neminem fieri posse compotem vitæ æternæ, nisi beneficio singularis auræ cœlitus aspirantis. Idcirco Rex sedulus & suo factus discrimine prudentior, enixè orabat, vt beneuolo Dei aspectu dignaretur, affirmans se monitis eius obsequium humile præstiturum. Sic ille Deum vrgebat supplex: *Deus tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacẽ.* Ita sanè quidquid loquitur Deus, illud ad pacem seu quietem animæ vergit, ideoque metuendum, ne salutaria hæc Dei monita nobis excidant: hoc nempe timore Dei accincti, & gratiæ, & gloriæ consortes erimus, iuxta illud: *Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra.*

Timor Dei animã cautiorem facit.

Psal. 84. Cauendum animæ ne desit gratiæ Dei excitãti.

Ibidem.

SENSVS MORALIS.

Nemo planè fiet compos gloriæ æternæ, nisi gratiæ Dei illapsu rutilus, eiusdem gratiæ ortum deducat vsque ad occasum vitæ.

In hæc verba:

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

SECTIO TERTIA.

IOsue populante Syriam, & extirpante Gentem illam internecione maxima, vindicis eius gladij aciem effugerunt Gabaonitæ excogitato commento industrio. Finxerũt illi se venire ab Oriente, gentemque suam esse procul à terra illa sancta. Et vt fidem conciliarent astuto consilio, accinxerunt se eo habitu, quem Codex sacer ita commemorat *Callidè cogitantes tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & vtres vinarios scissos, atque consutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis, pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis, panes quoque quos portabant ob viaticum duri erãt, & in frusta comminuti: perrexeruntque ad Iosue, qui tunc morabatur in castris Galgala, & dixerunt ei, atque simul omni Israëli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes, &c. Fecitque Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, vt non occiderentur: Principes quoque multitudinis iurauerunt eis.* Dubij Israëlitæ suspectos habuere sermones callidæ gentis, quæ se venire ab Oriente procul affirmabat, sed nutantes eorum animos fixit populi habitus obsoletus, qui sic incolumis habitauit in terra illa populo Dei tantum concessa, & cœlitus erogata.

Iosue 9. Gabaonitarũ industria vt fœdus inirent cum Iosue.

Homini eiecto è paradiso, & deportato in exteras orbis oras, vna hæc via superest repedandi ad propria, scilicet vt veniat ab Oriente, & à regione longinqua. Regio longinqua & procul à patria Beatorum, est fœda vitiorum colluuies, in qua iacent singuli quique reprobi. Statim atque ab ea infami plaga recesserint, eodem temporis articulo erunt in Oriente; nimirum illico gratia exoritur vitio subiugato. Congruè annotauit Codex sanctus, populum hunc laceris vsum fuisse indumentis, & sic centones & detritas vestes imposuisse Hebræis: eo namque signo innotescunt animæ de nouo emergentes è peccato, laceras adhuc circumferunt vestes, & vetustos habitus citò non deponunt, imò inuiti

Gabaonitarum industriam æmulãtur animæ facti pœnitentes.

sentiunt

sentiunt quandoque motus, qui animam adhuc imbecillam quatiunt importunè. Laceræ vestes, detriti calcei, & durior panis, quo olim pasti sumus, Deum inflectent ad misericordiam, si ei hanc lugentes supellectilem demonstremus, animo contrito pacem feruidè deprecantes. Illa prioris & iniqui sui status recensio humilis hominem in gratiæ Orientem adducit, qua si instructus est in occasu, id est, si in gratia extremum diem claudat, proculdubio beatis mentibus adscribetur.

Diuisio sectionis.

Itaque hæc sectio in duas erit dissita partes, quarum prior explicabit neminem posse fieri consortem Beatorum, quin gratiæ Dei orientis illapsum præsenserit. Altera verò parte ostendam, necesse etiam esse habere in occasu gratiam, id est, oportere mori in gratia finali, quod perinde est ac dicere, duo desiderari ad salutem. Primum est gratia oriens. Alterum est perseuerantia in gratia.

SENSVS MORALIS.

Pars Prior Sectionis.

Gratiâ Dei inconsultâ, inuius est aditus ad gloriam.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent, &c.

ARTICVLVS I.

Ex Theologia.

Iosue 9.

Gabaonitæ facturi fucos populo Hebræo dixere se ementos longam intercapedinem soli, beneficio panum quos calidos assumpserant. Sic illi: *En panes quando egressi sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus.* Eam & nos debemus æmulari industriam, proponentes obire calles, qui rectà in cœlum tendunt. Vna est via mandatorum Dei, quam operæpretium est decurrere, si animo nostro insedit in cœlum appellere. Sed ne in via deficiamus, panis calidi subsidio iugiter indigemus. Panis ille opimus recreans animam est gratia Dei, citra cuius opem nemo sarta tectaque potest obseruare Dei iussa. Vbi nota ex Theologia, præcepta Dei attendi bifariam, primò quoad substantiam, secundò quoad modum. Quoad substantiam aliquod præceptum potest attendi sine vllo ordine ad vitam æternam promerendam, obseruatione illius præcepti. Vt in præcepto, *Non mœchaberis*, si spectetur candor puritatis, vt valde congruus homini, quem maximè fœdat obscœna luxuriæ colluuies, tunc dicetur spectari hoc præceptum secundùm suam substantiam: & de hoc præcepto Thomas genius scholæ pronuntiat, hominem in statu naturæ lapsæ non posse omnia præcepta seruare citra auxilium gratiæ sanantis animam grauiter Adami crimine sauciatam. Ratio petitur ex iugi dissidio corporis & animæ, quo vigente non concordant dissiti animæ & corporis appetitus, Gliscente ea rixa, & præualente carne in spiritum imbecillum, ob corruptelam humanæ indolis, vrgente aliqua vegeta tentatione nequit homo stare sine gratia, ab ingruentibus vitiis illibatus. Et esto hoc daremus; dato tamen non concesso, hominem absque gratiæ Dei adminiculo obseruasse mãdata Dei quoad substantiam; nullum ideo ius haberet ad gloriam, neque eo nomine posset recumbere cum Abrahamo, Isaac, & Iacob, quia mandata obseruata quoad substantiam non saluant, nisi addatur & modus, scilicet vt in charitate fiant ea quæ diuinitus iniuncta sunt.

An gratia specialis necessaria sit ad hoc vt obseruemus mãdata Dei. Ex Theologia. Thom. 1.2. quæst.109. Art.2.

Homo in statu naturæ lapsæ nequit obseruare omnia præcepta Dei spectata secundùm substantiam sine auxilio gratiæ sanantis. Obseruare mandata quoad modũ quid sit.

Mandata Dei in ordine ad vitam æternam nequeunt obseruari citra gratiæ Dei suffragium.

Hinc collige, hominem, qui impos est proprio & solo Marte suo decurrere viam mandatorum, etiamsi spectentur tantùm in substantia, potiori ratione esse imparem eisdem mandatis, si res sit de illis in ordine ad vitam æternam, vt scilicet meritoria est illa mandatorum obseruatio. Nulla namque est proportio virtutis meræ naturalis ad obiectum supernaturale, quale est stipendium vitæ æternæ, quod tamen demerere potest anima cœlitus illustrata. Statim enim atque refulserit ille Oriens gratiæ Dei, nulla interposita mora anima in cœlum suos dirigit calles. Quippe gratia Dei omnem grauedinem adimit mandatis Dei, hominemque tali iugo idoneum facit, iuxta illud Ioannis Apostoli: *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus; & mandata eius grauia non sunt.* Mandata quidem illa homini nequam acerba sunt, & ingrata: sed vbi accessit gratiæ Dei condimentum, ea omnis asperitas est veluti sacchæro dulcorata.

1. Ioan. 5. Mandata Dei condita gratia sunt suauia.

Psalm. 18. Mandata Dei obseruata beant homines.

Vide quàm suauia, & mellita fuerint Regi Dauid stipato illa dulcedine, quam dixi gratiam mentibus distillare. Hoc eius suaue melos arguit dulcorem insitum obseruantiæ mandatorum Dei, quæ sic ille commemorat. *Iudicia Domini dulciora super mel & fauum: Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Memorata dulcedo gratiæ, inspirat virtutem, qua recreatus homo morem gerit Deo, se componés totum ad arbitrium eius. Obsequium autem illud præstitum diuinæ iussioni, dignatur nos eodem recubitu, quo gestiunt Abrahã Isaac, & Iacob in regno Dei Rursus idem Psaltes abundè perfusus rore gratiæ cantat dulcedinem mandatorum Dei hoc tenore: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Præuia hac gratia, quam plerique graues Theologi arbitrantur esse realiter charitatem, in mandatis à Deo præstitutis homini, nihil est penitus importunum, ipsomet assertore Christo, qui gratiam elargitur. Sic ille: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.*

Psalm. 118.

Ioann. 14.

Hoc igitur esto ratum, neminem posse donari ciuitate illa superna, vbi recumbunt Patriarchæ, nisi venerit ab Oriente, id est, si à gratia Dei suos gressus non fuerit auspicatus. Caue igitur, homo, ne incurras in discrimen, in quod impegit Lot, qui diuisus est ab Abraham, & recessit ab Oriente captus illecebris terræ Sodomorum, vbi penè inuolutus est communi incendio, quod satius fuisset illi subiisse absque peccato, quàm pollui incestu. Heu quàm lethale est multis recedere ab Oriente. Inde arbitror scaturire malorum omnium fontem, qui hodie orbem ferè totum alluit, & aspergit lachrymis inexhaustis. Vide in Lot speciem hominum impiorum. *Eleuatis itaque Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam Dominus subuerteret Sodomam & Gomorrham sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus*

Ingens malorum illas excipit homines, qui à gratia Dei defecerunt.

Gen. 13.

Multa discrimina incurrit Lot vbi recessit ab Oriente factus sic figura animæ quæ gratiâ Dei excidit.

venientibus in Segor. Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo. Abram habitauit in terra Chanaam: Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Quæso aduerte quæ mala exceperint Lot postquam luxuriantis soli perculsus est cupidine. Primò recessit ab Oriente, vnde spirat tanta aromatum fragrantia. Secundò diuisus est ab Abraham. Tertiò habitauit cum gente pessima, & exosa Deum. Demum inebriatus filias suas nescius oppressit.

Qua ratione homo deuiet à gratia, & in quæ mala impingat.

O si daretur copia fandi, aut saltem conueniendi homines singulos in penitiore recessu animæ, profectò vnumquemque eò redigerem, vt fateretur ingenuè se iisdem ferè malis obnoxium, quibus Lot se implicuit imprudenter. Ita est, ô reprobe, te compello. Quare recessisti ab Oriente? Quare excidisti gratia Dei? Nonne luxuriantis sæculi species tuis illusit oculis? Numquid te incautum & in Venerem fractum mulieris obuiæ patulo sinu forma viuida dementauit? Ita planè. Quid inde? Diuisus es ab Abraham, & procul ab eius recubitu iniisti consortium cum viris pessimis, ganeonibus, lixis, sycophantis, aleatoribus, mimis, & simili hominum fæce, cum qua vt vitiorum flamma flagras, ita & breui igne inferorum vindice punieris. Si ergo vis dubiis prouidere rebus, redi versus Orientem, redde Deo manus, quas dedisti diabolo perduelli hominum hosti. Retrogrado tantùm gressu fas est occurrere malis imminentibus. Nemo namque potest degere cum Sodomitis procul ab Oriente gratiæ positis, & recumbere cum Abraham plagæ orientalis indigena. Demum vt subrepat cupido melioris instituti, hoc refrico tibi effatum Christi; scilicet eos recubituros cum Abraham in regno Dei, qui venient ab Oriente stipati virtutum supellectile, qua ornatus Centurio factus obuiam Christo splendidè, rutilauit.

Exhortatio sollicitans impios, vt seduces iterū in gratiam cum Deo redeant.

SENSVS MORALIS.

Nemo citra gratiæ habitualis influxum potest esse conscius gloriæ æternæ.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent, &c.

ARTICVLVS II.

Ex Philosophia.

Pessimè delirant hi qui affirmāt hominem posse proprio nisu assurgere ad statū gratiæ. *Ioann. 15.*

Ex Philosophia.

Lepida est & moralis fabula illa ranæ æmulantis enormem assequi molem bouis, quam nimio haustu aquæ turgida comparare tentauit, crepuit nacta congruum stipendium suæ dementiæ. Simili propè fato periere Pelagiani Hæretici, affirmantes hominem citra vllius gratiæ habitualis influxum posse assurgere in illam molem sanctitatis, quam beatitudo æterna deposcit ab homine inaugurando æternis illis honoribus. Fides Christiana dedignata delirium illud stat Christi eloquio: *Sine me nihil potestis facere.* Hæc item veritas, quam tuetur Ecclesiæ fides inconcussa, potest adstrui ex ipsis Philosophiæ fontibus, inde sic arguo. Aristotele auctore: *Nihil agit vltra gradum suæ perfectionis.* Id est, Nihil omnino agit vltra suam speciem. Omnium causarum illa est indoles, vt exuendo suos effectus non discurrant extra carceres sibi à natura præstitutos. Verbi gratiâ, accidens nequit producere immediatè substantiam, quia illa nobiliori gradu entis pollet, quàm gestiat accidens. Ergo cùm homo spectatus in præciso naturæ statu, sine adminiculo gratiæ participet sortem omnium agentium naturalium; non poterit tunc agere, nisi iuxta ingenium formæ suæ merè naturalis. Vt enim se habet res ad esse, ita & se habet ad operari. Sed eniti ad gloriam æternam, & exercere actus congruos ad illam obtinendam, præterit illum hominis statum. Nam natura nequit hominem facere immortalem, qualis erit in gloria. Ergo illud stipendium, quo homo signabitur in gloria, supra naturam est; & quidquid attinget illud præmium ratione meriti, debet esse eiusdem rationis.

Aristot. Metaphys. textu vlti.

Quare nequeat homo proprio tantum conatu gratiam attingere.

Dices, accidentia progignere substantiam, quæ est nobilior accidente; Quippe calor intensus ignem procreat aliquando, vt videre est in charta, quæ iuxta ignem posita, quamuis eum non attingat, concipit tamen ignem: Ideoque in Philosophia non esse conclusionem incongruam, affirmare hominem proprio naturæ conamine assurgere ad gloriam, & actiones exerere, quibus æterna gloria debeatur. Ad Philosophicam instantiam respondeo, accidens non virtute sua prolicere formas substantiales abditas in sinu materiæ; sed accidentia illa habere omnia precariò à substantia, quæ accidentibus vtitur vt ministris ad eductionem formæ, quam ipsa substantia prolicit, vsa accidentium obsequio. Sic effectus non est suâ causâ nobilior. Rursus accidentia & formæ sunt eiusdem ordinis naturalis. At in homine composito cum gloria æterna nulla prorsus est proportio. Ergo nefas est asserere hominem proprio nisu posse attingere ad gloriam: ac proinde est profitenda nostra conclusio, videlicet neminem recumbere in regno Dei cum Abraham, Isaac, & Iacob, nisi prius veniat ab Oriente, id est, nisi acceperit gratiæ illapsum ab eo, qui in Scriptura sacra dicitur, *Oriens ex alto.* Et explicitè à Propheta Christus nomine Orientis lineatur hoc contextu: *Ecce vir, Oriens nomen eius.*

An accidens possit producere substantiam.

Christus vocatur Oriēs.

Luc. 1. Zach. 6.

Demum ne quis scrupulus Philosopho facessat negotium in hoc argumento, & animus fortè nutet in assensu, quem deposcit ista thesis, eam sic adstruo. Si homo inconsultâ Dei gratiâ beatitudinem comparare queat, erit veluti causa suæ beatitudinis. Non vniuoca, quia est homo naturalis alterius longè rationis ab homine in statu supernaturali. Non erit causa artificialis, quia illa causa ad arbitrium suum debet formam introducere in subiectum, circa quod regulas artis ad praxim reuocat. Sed homo nequit in hoc æuo animam suam afficere visione Dei, penes quam est beatitudo essentialis animarum. Nec potest dici causa æquiuoca actionum, quæ ordinantur ad gloriam: Nam de natura causæ æquiuocæ est, vt eminenter contineat effectus à se elicitos, vt de Sole concordant Philosophi, affirmantes eum continere eminenter gradus vitæ, quam impertit arboribus & animalibus. Ergo cùm homo in genere

Valida ratio probans hominem propria industria sine gratia non posse assequi gloriā æternam.

genere entis naturalis sit infra gratiam, quæ sola potest attingere gloriam; iure damnatus est Pelagius, homini affingens illam potentiam suopte ingenio sidera transcendendi.

SENSVS MORALIS.

Citra gratiam nemo potest adire hæreditatem Dei.

In hæc verba:

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

ARTICVLVS III.

Ex Ivre Civili.

Semei infolentia insignis in Regē Dauid.

SEmei præpotens vir, & Saülis Regia stirpe satus, iniquè ferens regnum Israël ademptum familiæ suæ, vt deuolueretur in domum Dauid, grauiter ipsum Regem Dauid offendit: factus enim ei obuiam cùm fugeret in desertum, declinans insidias filij sui Absalonis inaugurati in Regem iniquis artibus, eum conuiciis istis affecit, quæ meminit Scriptura hoc contextu: *Venit ergo Rex Dauid vsque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saül, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Regis Dauid: omnis autem populus, & vniuersi bellatores à dextro & à sinistro latere Regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei, cùm malediceret Regi: Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül; quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua; quoniam vir sanguinum es.* Tandem Deo alternante vices regni, pulsus est Absalom solio vsurpato, in quod veluti postliminio rediit Dauid antea exauthoratus. Semei, vrgente eum conscientia atrocis piaculi, victori Regi occurrit, supplex deprecans veniam noxæ præteritæ. Noluit Rex abire indonatum hominem humilem, quem pœnitebat iniuriæ. Vixit itaque Semei impunè toto illo æuo, quo superstes fuit Dauid. Sed eo elato, Salomon iniquè ferens, hominem illum patri suo Dauid iniurium nullas luisse pœnas contumeliæ immanis illatæ Regi toto spectante exercitu, accersiuit Semei, hac ei mulcta imposita, vt si vellet esse incolumis, non egrederetur extra septum Ierusalem. Annuit homo sibi malè conscius, & capiti suo timens, tresque egit annos sospes & integer intra pomœria vrbis sanctæ, vbi nobiles ædes erexerat. Sed vt quisque ferè impar est fortunæ suæ, Semei immemor pacti sui, conuentionem initam cum Rege non tenuit, sed seruos suos refugas insecutus abiit in Geth; inde eos reduces adduxit in vrbem, quam præterire nefas erat illi, ex præeunte pacto. Et hinc mali habes; nempe morte sua luit fœdifragus ille initum pactum cum Rege.

2. Reg. 16.

Quo pacto inito Semei cum Salomone cōuenerit vt remitteretur crimen læsæ maiestatis.

Quare Semei perierit.

Ecce ex Codice sacro mortis ingloriæ seriem graphicè recensitam. *Nuntiatum est Salomoni, quod isset Semei in Geth de Ierusalem, & rediisset. Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacunque die egressus fueris huc, & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audiui. Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi? Dixitque Rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cuius tibi conscium est cor tuum, quod fecisti Dauid patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. Et Rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit stabilis coram Domino vsque in sempiternum. Iussit itaque Rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egressus percussit eum, & mortuus est.* Eadem & nos sorte precario viuimus. Nempe in Adamo Deum grauiter offendimus; sed vt Semei pronus Dauidis animum inflexit ad veniam, vitamque sibi prorogari obtinuit à filio eius, pacto inito de mansione perpetua in Ierusalem, vt sonant verba illa conuentionis: *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc, atque illuc. Quacunque die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum. Dixitque Semei Regi: Bonus sermo: sicut locutus est Dominus meus Rex, sic faciet seruus tuus.* Ita & Adami prosapia pœnitens facti, Deum deliniuit, pacto cum eo inito, cuius obseruatione potest homo redire in cœlestem Ierusalem, & recumbere cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Audi Moysem supplicem, & congrua oratione Deum demulcentem, vtpote proponentem inire pactum cum homine. Ita orauit Moyses: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum: populus enim duræ ceruicis est, & auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, &c. Obserua cuncta quæ hodie mando tibi. Ego ipse eiiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Heuæum, & Iebuzæum. Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.*

3. Reg. 2.

In Semei est genuina figura hominū impiorū.

Exod. 34.

Deus init pactum cum homine.

Summa pacti huius est, vt homines mandata Dei obseruent, & vt Deus ex aduerso deleat iniquitates hominum, ipsosque possideat, & gradiatur cum eis. Sunt enim priuilegia eorum, qui inuenere gratiam in conspectu Domini, vt loquitur Moyses. Dicens enim: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro vt gradiaris nobiscū.* Perinde est ac dicere: Quicunque est in gratia, ille cum Deo graditur, eaque stipatus ab eo possidetur. Et ita Moyses insinuat gratiam Dei necessariam ad hoc vt homo stet pollicitis. Pollicetur autem se humile obsequium præstiturum mandatis Dei, dummodo Deus ipsius animum possideat, & det intellectum idoneum illi proposito. Ita omnium hominum nomine Dauid Deum affatus est: *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Eadem benignitate, qua & cætera condidit Deus, vltro se obstrinxit ad infundendam gratiam necessariam homini ad ineundos calles mandatorum eius. Ecce tenorem pacti sacro Codice recensiti. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo*

Summa pacti à Deo initi cum homine.

Psal. 118.

Ezech. 36.

vobis

Deus gratiã suppeditat ad hoc vt obseruemus mandata eius.

vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.

Ex Iure Ciuili.
Lect. Pacta Cod. De pactis lib. 2. tit. 3. lege 12.

Itaque ex præfatis, homo rediit in gratiam cum Deo, potiturus aliquando gloria æterna, si non violauerit pactum, quo mediante gratia Dei pollicitus est se obseruaturum mandata sibi à Domino præstituta. Nonne ergo temerarium esset contra naturam pacti, velle Deo inconsulto tentare ingressum cœli, qui his tantùm patet, qui mandata custodierint, gratia Dei desuper influente? Vide ex iure Cæsareo quàm tenaciter obstringant pacta. Sic Imperator Alexāder in eo argumento decernit: *Pacta nouissima seruari oportere, tam iuris quam ipsius rei æquitas postulat.* At nouissimum hominum pactum initum cum Christo est, vt homines profiteantur se inutiles esse, etiamsi omnia Dei iussa iugiter obseruarint. Deo eos illo pacto erudiente, non esse hominis industriam, cœlos gratiâ Dei insciâ demereri. Ecce scripturam pacti *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Quamuis ex Scriptura pactum illud non liqueret, aliunde probari posset, scilicet ex natura hominis indiga, & ex beneficentia Dei, & sic validè staret illud pactum, sacro etiam Codice reticente, iuxta constitutionem Imperatorum Diocletiani, & Maximiani in simili argumento. Ecce edictum. *Pactum quod bona fide interpositum docebitur, etsi scriptura non existente; tamen, si aliis probationibus rei gestæ veritas comprobari potest, præses prouinciæ secundum ius custodiri efficiet.*

Luc. 17.
Quale sit hominum pactum cum Deo.
Lege Pactum Cod. De pactis eodem quo supra libro & titulo leg. 17.
Quid sit pactum.
Leg. 1. § Conuentionis ff. De pactis.
l. si voluntate Cod. De rescind. venditione.
l. Si mulier ff. Quod metus causâ.
Martian. l. qui cœtu ff. Ad leg. Iul. de vi public.

In eo Dei pacto cum homine stant omnes conditiones veri pacti. Primò omne pactum est conuentio; dicuntur autem conuenire, quorum animi coëunt in eamdem sententiam: ideoque ex Iure omnis contractus est conuentio. Itaque voluntas est præcipuum fundamentum contractuum. Vnde ipso Iure censentur nullæ conuentiones metu & vi coactæ. In eo themate celebris est lex, quam meminit Martianus dicens, lege Iulia teneri de vi publica eum, qui per vim aliquem obligauit, & eum contractum non sortiri effectum suum, atque adeò rectè in integrum restitui. Secundò præter voluntatem requiritur potestas in cōtrahente. Defectu potestatis, non cōtrahunt serui, neque pueri infra tempus constitutum à lege. Homini datum est à Deo liberum arbitrium, quo nemine vim deforis inferente daret manus cuicunque vellet; sed suscepto Baptismo nequit homo resilire ab Euangelij pacto, cuius viuendi normam professus est initiatus sacris fidei nostræ mysteriis. Nulla autem seruitus obstat, quin homo sit sui iuris; omnisque ætas idonea est Dei obsequio. Nam infantes in ora fontis sacri alieno ore iurant, scilicet patrinorum, qui suam despondent fidem nomine pupillorum, qui grandiores facti ratum habent pactum illud initum cum Christo, qui cùm homines obstrinxerit ad fatendum se inutiles esse, etiamsi præcepta nunquam præterierint, pudenda sanè esset hominum defectio, si tentarent ab eo spontaneo fœdere inito cum Christo Domino resilire. Quasi verò pacta Dei minoris sint momenti quàm hominum pacta, quorum integritas adeò Reipublicæ interest, vt Imperatores Arcadius & Honorius improbantes ea quæ facta fuerant sub Tyrannis, omnia iura miscentibus, voluerint tamen pacta esse sarta tectaque, ne fieret iniuria pactioni, quæ vbique Gentium sanctissima iudicatur. Vide constitutionem in Codice Theodosiano in margine prænotato.

Conditiones necessariæ ad hoc vt contractus sit validus.
Pacta sunt iuris publici.

L. valeat titulo. De infirmandis quæ sub Tyrannis Cod. Theodos. lib. 15. titul. 14 leg. 1.
Exod. 34.

Rursus eo textu, quo Deus ait Moysi se initurum pactum cum homine, & fugaturum hostes eius, clausulam adiecit, qua liquidò ostendit seipsum victurum hostes, quamuis Hebræi armis contenderent, & experirentur ancipites armorum exitus. Sic enim ait: *Ego inibo pactum videntibus cunctis. Obserua cuncta, quæ hodie mando tibi. Ego ipse eiiciam ante faciem tuam Amorrhæum, &c.* Id est, Si steteris conditionibus pacti, audacter aggredieris inimicos illos, qui tentabunt remorari gressus tuos in terram illam benedictam. Tamen profligatis hostibus, & subiugata illa terra opima, caue ne subrepat credere, victoriam illam & possessionem terræ esse facinus à te me inscio fortiter exantlatum. Meæ sunt omnes illæ partes: Ego ipse eiiciam hostes, & te incolumem introducam in terram Chanaan, terram Abrahæ, Isaac, & Iacob. Hinc erue sensum istum anagogicum. Popule mi, multa te manent discrimina meditantem viam cœli, quod est terra viuentium, vbi recumbunt Abraham, Isaac, & Iacob. Habebis obuias septem Gentes ferocissimas, scilicet septem peccata lethalia, quæ obstabunt, & tentabunt impedire gressus tuos. Sed esto insurgant obices innumeri; macte tamen, & nequaquam animo excide, fugabis hostes, & immunis eris à septem peccatis lethalibus, atque adeò sospes & integer potiere cœlo, dignatus eodem recubitu, quo gaudent Abraham, Isaac, & Iacob, Patriarchæ principes. Hebræorum. In his prosperis auspiciis attende tibi, ne afferis aura lethali inanis gloriolæ, quasi tuo Marte aut sola industria obieris illa præclara facinora. Vnum hoc recole, videlicet te egenum esse atque bonorum supernaturalium prorsus indigum, ideoque non potuisse te exerere tot actiones egregias nisi me cœlitus adiuuante.

Etsi homo fortiter agat, Dei tamen est omne quod ab eo egregium fit.

Egregio facinore exantlato cauere debet homo ne inanigloria afflatus, sibi arroget opus illud.

Audisti, homo, tenorem pacti: ne ergo superbias, arbitratus te posse aliquod arduum opus perficere, si non oriatur tibi supernum Dei auxilium. Pactum iniisti de professione tuæ indignitatis, & impotentiæ; recole legem, qua libertas, quæ erat contrahendi vel non contrahendi in initio, fide data & accepta in conuentione transit in necessitatem, vt eam deceat adimplere. Consule legem tibi submonstratam in margine. Adiice non posse hominem agere exceptione violentiæ; vltro enim homines dedere nomen suum Deo, & voluere imponi sibi leue iugum mandatorum Dei, iuxta effatum Psaltis, qui efflagitat à Deo gratiam ineundi viam mandatorum, quam sponte elegerat. Sic ille: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Ex præfatis stat veritas tituli nostri, & pacta inita cum Deo satis superque clamant, nos esse impotes assurgere ad cœlestia, nisi gratia illabente desuper euehamur.

Pacto inito libertas trāsit in necessitatem.
Lege In commodato §. si cui ff. commoda.
Lege Sicut Cod. De action.
Psal. 118.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Nefas est arbitrari hominem proprio tantùm marte posse assurgere ad cælestia.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Ivre Canonico.

Errabundus olim Ioseph adolescens in aperto campo quærebat fratres suos Patriarchas Israël; sed incassum iuuenis ille laborauit, quamdiu neminem consuluit: ast vbi in virum probum & viarum peritissimum incidit, ab eo didicit locum, in quem sese receperant illi Patriarchæ. Ita sacer textus Geneseos. *Ioseph venit in Sichem, inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit eum quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto; audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain.* Acceperat Ioseph hanc à patre suo iussionem: *Vade & vide, si cuncta sint prospera erga fratres tuos.* Et nos ab ortu nostro eadem vehimur naue, qua & Ioseph. Namque eo fine editi sumus à Deo vt beemur aliquando. At gestire in beatitudine perinde est ac quærere fratres nostros Patriarchas, & videre quàm prospera sint eorum cuncta, quàm scilicet beata sit acies eorum mentis, ex aperto Dei intuitu, quàm item felix appetitus seu voluntas vnius duntaxat amore Dei flagrans. Tota series annorum vitæ nostræ eò vergit, vt ad sedes Patriarcharum Deo miserante sospites euchamur. Homo sola ratione stipatus in hoc æuo errat & vagatur, & incassum se torquet in indagine thalami, quo Patriarcharum chorus gaudet in regno illo perenni. Itaque operæpretium est alio vti ducatu quam rationis examine, si animo nostro insidet saluis mercibus appellere ad beatas Patriarcharum sedes.

Genes. 37.

Ioseph errabundus in campo quærens fratres suos est figura hominis qui in puris naturalibus quærit viam cæli.

In eo scrutinio potior erit nostra conditio sorte Iosephi, qui vnum tantùm hominem consuluit, quo indice reperit fratres suos. Præstò nobis sunt agmina beatorum hominum, qui & ipsi non quæliere modò Patriarchas, sed & ipsis adiecti sunt. Eorum decreta prostant, quæ edidere in conciliis, vbi agitata est hæc quæstio: An solis naturæ viribus possimus assequi recubitum Abraham, & Isaac, & Iacob. In eo argumento multi Canones emerserunt, quibus adstruitur impotentia intellectus, & voluntatis, in his quæ pertinent ad finem supernaturalem. Non enim solo lumine naturali potest homo Deum cognoscere vt obiectum beatitudinis eius, qua fruuntur Abraham, Isaac, & Iacob. Nec eum amare vt summum bonum, cuius fruitione beabimur in cælis. De cognitione probant hi Canones Concilij Arausicani. *Homo nihil habet à seipso nisi mendacium.* Item. *Diuini muneris est cognoscere veritatem.* Rursus. *Si quis vel augmentum vel initium fidei naturaliter nobis inesse dixerit, Apostolicæ doctrinæ contrarius est.* Adiice & hunc canonem. *Si quis per naturæ vigorem aliquod bonum, quod ad salutem spectet cogitare, aut eligere posse confirmet absque illuminatione Spiritus sancti, fallitur hæretico spiritu.* Nonne hoc est dicere, veniendum esse ab Oriente ei qui adspirat ad recubitum Abrahæ? Eodem Spiritu sancto afflati patres Concilij Tridentini suam sententiam hoc Canone ætati posteræ commendarunt. *Si quis dixerit, sine præueniente inspiratione Spiritus sancti posse hominem credere sicut oportet, anathema sit.*

Intellectus & voluntatis infirma sunt conamina circa beatitudinem sine auxilio gratiæ Dei.

Ex Ivre Canonic.

Conc. Arausic. can. 9. 2. Conc. Arausic. 2. cap. 5. 7.

Concil. Trid. Sess. 6. Can. 3.

Quemadmodum statua Memnonis erat vocalis & sonora Oriente sole, percussa radiis huiusce sideris exurgentis; ita & omnes animæ facultates in Deum effunduntur, quando gratiæ orientis lumine afficitur anima Deo grata: sed vbi patitur deliquium huiusce luminis, ægra iacet anima, prorsus impos assurgere ad diuina. Non est industriæ intellectus tunc attingere Deum mentis acumine, nec voluntatis opus citra gratiæ subsidium, Deum præ aliis rebus omnibus amplexari. Ita fuit decretum in Concilio Mileuitano, vnde emersit iste Canon. *Vtrumque est donum Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere vt faciamus.* Post tot oracula nequit esse dubitandi locus, ideoque pergo ad alteram partem sectionis, quæ est de perseuerantia in statu gratiæ, omnino necessaria ad beatitudinem acquirendam.

Homo quàm sit imbecillus sine gratia.

Statua Memnonis industria refert hominis indolem.

Concilium Mileuitan. Can. 4.

Breue encomium gratiæ Dei.

SENSVS MORALIS.

Pars Altera Sectionis.

Gratia Dei, quæ in morte excidit, non dignatur animam beatitudine æterna.

In hæc verba:

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ex Sanctis Patribvs.

Vt tempus, quod effluxit inter ortum Solis & occasum, nuncupatur dies integer, nec potest sibi vendicare rationem diei, nisi post Solem occidentem: ita & dies ille sempitenus gloriæ ineffabilis non affulgebit homini, nisi gratiam, cuius expertus est ortum, deducat secum ad occasum suum, & moriatur gratiæ radiis illustratus. Beatorum omnium salus hoc tenore perfecta est, vt non venerint tantùm ab Oriente, sed etiam ab Occidente. Id est, non ij omnes cælis adscripti sunt, quibus illuxit gratia oriens: multi enim gemunt in inferis, quibus affulsit ille Oriens luminis eclypsim passus in Occidente, vbi est momentum, ex quo pendet æternitas. Quales namque hîc morimur, tales orimur in alio sæculo. Ideoque debet homo solicitus de sua salute omnem mouere lapidem, ne gratia desit in occasu, siquidem non ille beatus est, qui facit aliquod bonum, sed qui fecit in præterito perfecto: tempus autem homini concessum ad merendum, non est tempus præteritum perfectum nisi homine extincto. Ab ea autem morula mortis denominationem accipit sors animæ, vt ab ea dicatur beata, vel deplorata.

Gratia vi sui vltimum sortiatur effectum, qui est beare animas, debet perseuerare vsque ad mortem.

Mors est momentum ex quo pendet æternitas.

Basil. hom. 1. in Psalm. 1.

Fauet Basilius ita fatus: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Considera verborum quæ sit exacta comprehensio, quonam modo quælibet dictio sententiis scateat, & exuberet. Non dixit, qui non abit, sed, qui non abiit in consilio impiorum. Nondum enim ille qui in vita est, prædicandus est beatus ob exitum incertum; sed qui vices suæ functionis & vocationis semel absoluerit, vitamque fine certo clauserit, hic iam beatus tuto dici poterit.* Quasi diceret: Parum est venire ab Oriente, sed & operæpretium est venire ab Occidente, vt pateat aditus cæli, à quo abiguntur procul plerique, quorum fausta fuere exordia, sed postea vitæ extima nigricarunt. Eo alludit textus iste sacer. *Dominus iudicabit fines terræ.* Finis omnis terræ mors est, iuxta cuius indolem homo congruis stipendiis dignabitur, vt concinit Augustinus ita fatus: *Non alias terra partes non iudicabit Dominus, qui omnes homines iudicabit. Sed melius intelliguntur extrema terræ, extrema hominis, quoniam non iudicabuntur quæ in melius vel deterius medio tempore commutantur; sed in quibus extremis inuentus fuerit qui iudicabitur. Propter quod scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Qui ergo perseueranter facit iudicium & iustitiam in medio terræ, non damnabitur cum iudicabuntur extrema terræ.*

1. Reg. 2.

Aug. l. 17. de ciuit. Dei c. 4.

Omnis hominum salus ex fine pendet.

Virtus hæc perseuerantiæ tot encómiastas habet, quot fuere Sancti hoc Dei charismate insignes, concordi suffragio conclamantes idem quod tabella vbi Angelus in medio virtutum choro manu coronam lauream præferebat, quam virtutes omnes speciali quadam sibi ratione deposcebant: nam singulæ quæque virtutes habent sua discrimina, quæ superent. Tamen relictis aliis virtutibus, Angelus hanc coronam detulit perseuerantiæ, quia hæc sola imponit & gratiæ & virtuti coronidem, hos duntaxat beando milites qui morte tenus repugnando præclara facinora fortiter exantlarunt. Virtutis huius præstantiam sic loquitur Hieronymus. *Beatus est qui ambulat in virtutum via, sed si ad virtutes vsque peruenerit. Nec prodest à vitiis recessisse, nisi optima comprehendas. Quia non tam initia sunt in bonis studiis laudanda, quàm finis. Sicut enim in vinea multi vsque ad prælum vua gradus sunt; & primùm necesse est vt vitis germinet in pampinis, spem promittat in floribus, dehinc vt flore decusso futuri botri species efformetur, paulatimque turgescens vuam parturiat, vt pressa torcularibus dulcia musta desudet: ita & in doctrina singuli beatitudinum sunt profectus. Vt audiat quis verbum Dei, vt concipiat, vt in vtero anima eius adolescat, & ad partum vsque perueniat, vt cùm pepererit illum, lacte enutriat, & per infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, ad perfectum virum vsque perducat. Cum ergo singuli, vt diximus, gradus iuxta profectus suos habeant beatitudinem; si finis, &, vt ita loquar, extrema manus operi defuerit, totus labor irritus fiet, & dicetur: Vbi est ergo beatitudo vestra?*

Soli perseuerantiæ corona decernitur.

Hieron. in 4. epist. Pauli ad Galatas.

Encomia virtutis perseuerantiæ.

Summam omnium bonorum esse penes perseuerantiam in gratia, Deus ipse palàm fecit in incunabulis mundi, vbi editâ magnâ rerum congerie, singula quæque probans ait esse valde bona; hominis autem bonitatem tacitus præteriit, quamuis homo reuera bonus esset, vtpote gratia Dei desuper insignitus. Arbitror ego, vt bonum est ex integra causa, hominis bonum debere peti à morte, quæ concludit vitam, tunc integram, si gratiæ contextus tenorem suum seruauerit in ea etiam periodo, à qua hominum vita nequam vel optima nuncupatur. Hinc emersit illud Poëtæ effatum.

Quare Deus initio mundi dicés omnia esse bona, nô hoc testimonium de homine perhibuit.

——— Dicique beatus

Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Esto gratia Dei illapsa hominem faciat idoneum rebus arduis audendis; illa tamen petit hominis arbitrium, atque iugem in eo statu constantiam vt titulum optimi mereatur. Fauet Ambrosius ita fatus: *Cum omnia opera sua laudauerit Deus, cælum, terram, maria, noctem, diem; laudauerit feras, bestias: vbi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem generata sunt omnia. Quæ igitur causa est, nisi fortè ea, quia aliæ in specie gratiæ foris sunt, hominis gratia in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quàm quod videtur; in homine nihil est inferius, quam quod videtur. Qui cùm ex animo constet & corpore, hoc vtique in eo seruit, quod videtur; illud autem in eo regit hominem, quod non videtur. Merito ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reseruatur, quia aliorum gratia foris, huius intus est. Aliorum in natiuitate, huius in corde. Quid enim tam altum, & tam profundum, quam mens hominis, quæ quasi inuolucro quodam corporis tegitur & occultatur, vt eam haud facilè quispiam introspicere queat? Ideo ergo homo non laudatur ante, quia non in forensi pelle, sed in interiori homine sicut antè probandus, sic prædicandus est, quem præclarè definiuit Apostolus Petrus, dicens: Absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Meritò ergo differtur, vt sequatur fœnerata eius laudatio, cuius dilatio non dispendium sed incrementum est. Homo igitur non tam vultu mihi quàm affectu admirandus emineat, atque excellat, vt in his laudetur, in quibus etiam Deus prophetico iudicio laudatur, de quo scriptum est: Terribilis in consiliis super filios hominum. Cuius opera coram Deo luceant, qui bona iugibus operibus facta contexat. Et ideo laudatio eius non in exordio sed in fine est. Nemo enim nisi legitimè certauerit coronabitur. Ideoque sapiens tibi dicit: Ante mortem non laudes hominem quemquam. Qua ratione hoc dixerit, superioribus docuit, dicens: Quia in fine hominis nudantur opera eius.* Hactenus Ambrosius.

Ambr. l. 7. de institutione virginis ad Eusebiũ c. 3.

Præcipuum laudis in homine argumentum petitur à corde.

1. Petri 3.

Ante obitum nemo dignus laude integra.

Psalm. 65.

Perseuerantiam in gratia Dei esse compendium bonorum omnium, quo concupita beatitudine fruetur homo, subindicauit Christus, suam informans Ecclesiam. Nempe illa oratione sua Dominica nihil planè petendum docet quàm perseuerantiam in bono, vt ex Cypriano aduertit Augustinus, qui facta veluti accurata anatome orationis Dominicæ, inductione facta per omnes petitiones, ostendit singulis quibusque versibus nos à Deo efflagitare perseuerantiam, virtutum omnium colophonem. Fortè non pigebit audire Augustinum ita spatiantem in hoc lato campo. *An quisquam Sanctorum est, qui non sibi poscat à Deo, vt perseueret in eo, cùm ipsa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eamdem Dominus docuit, quando oratur à Sanctis, nihil penè aliud quàm perseuerãtia poscitur? Lege Cypriani Martyris librũ de expositione orationis* huius,

Eccles. 11.

Cyprianus serm. de orat. Dominica.

August. l. de bono perseuerantia.

huius, in quo ait: Cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum, id petimus, & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseueremus: hanc continuis orationibus precem facimus: hoc diebus, & noctibus postulamus, vt sanctificatio, & viuificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur. In sanctificatione igitur perseuerantiam, hoc est vt in sanctificatione perseueremus, nos ab eo petere iste Doctor intelligit, cum sanctificati dicimus: Sanctificetur nomen tuum. Quid est enim aliud petere quod accepimus: nisi vt id quoque nobis præstet ne habere desinamus. Sicut ergo sanctus cùm Deum rogat vt sanctus sit, id vtique rogat vt sanctus permaneat; ita vtique & castus cùm rogat vt castus sit, continens vt continens sit; iustus vt iustus sit, hoc sine dubio petunt, vt in eis perseuerent bonis, quæ se accepisse meruerunt. Quod si accipiunt, profectò ipsam perseuerantiam, magnum Dei donum, quo cætera eius dona conseruantur, accipiunt. Quid cùm dicimus: Adueniat regnum tuum? Num aliud poscimus, nisi vt veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus Sanctis: Ergo & hi qui iam sancti sunt quid orant, nisi vt in ea sanctitate, quæ eis data est perseuerent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, nisi eis qui perseuerant vsque in finem, certum est esse venturum. Tertia petitio est: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Cùm iam facta sit voluntas Dei, & fiat in Sanctis, cur vt fiat adhuc petunt, nisi vt perseuerent in eo, quod esse cœperunt? Petimus etiam vt in faciendo voluntate Dei æquemur Angelis Dei: cùm hoc orant Sancti, perseuerantiam demonstrantur orare; quoniam nemo peruenit ad illam summam quæ in regno inest beatitudinem, nisi in ea sanctitate, quam sumpsit in terra, perseuerauerit vsque in finem. Quarta petitio est: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; vbi beatus Cyprianus ostendit quomodo & hic perseuerantia intelligatur postulari. Panem quotidianum, & Eucharistiam expostulant Sancti, ne à Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, quâ nullum quo inde separari mereantur crimen admittant. Iam verò cùm dicant Sancti: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo; quid aliud, quàm vt in sanctitate perseuerent, precantur? Nam profectò concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum, cùm ab illo poscitur, satis apertèque monstratur: isto igitur concessò sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo sanctorum est qui non teneat vsque in finem perseuerantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseuerare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod erat; vt non inferatur in tentationem, in sanctificatione vtique, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit. Hactenus Augustinus.

Tota oratio Dominica à Deo perseuerandi gratiam efflagitat.

Elegans orationis Dominicæ petitio.

Iraque cùm dona Dei sint sine pœnitentia, & ea præsertim, quæ dirigunt animas ad gloriam, sint longè aliis ditiora, nec tamen suum illum beandi homines sortiantur effectum, si in morte excidant; prouidus ille Deus hominum parens cauet eis dono perseuerantiæ, quæ dum vsque ad occasum deducit gratiam sospitem & integram, homo illius obsequio dignatur brauio æterno, quo caruisset, si defungens, gratiâ Dei penitus excidisset. Eamobrem hanc arbitror non esse incongruam moralem expositionem textus eius,

Perseuerantia concludit omnium virtutũ agmen, & hominem beat.

quo Christus ait multos esse venturos ab Oriente, & Occidente, vt recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum, vt dicamus gressus nostros ad gloriam auspicandos esse ab oriente gratiæ, id est ab illapsu auxilij habitualis; quo vt forma inhærente possimus actiones exerere eiusdem naturæ, cuius est ille habitus, qui cùm sit supernaturalis, affingit etiam quidpiam supernaturale nostris actionibus, ideo meritoriis; & dignandis aliquando beatitudine æterna. Rursus quia prælibatus versiculus ait, gloriæ candidatos non ab Oriente tantùm sed & ab Occidente venire, appositam credo esse tropologiam, si adiicio, non sufficere ad beatitudinem comparandam, esse initiatum gratiâ, si non morte tenus eadem hæc gratia propagetur. Vel, vt insistam figuræ, Parum est gratiam illuxisse in adolescentia, si ea deficiat in senectute.

Eò sanè aspexit Psaltes quando hoc suaue melos edidit: *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua, & vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me.* Psalm. 70.
Quasi diceret: In magnis quidem duco, Deus, hanc gratiam, quòd mei curam egeris quando in Oriente degebam. Sed ne hiulca sit illa gratia, is esto mihi in Occidente, qui fuisti in ortu meo, ne puer aliquando gratus tibi, euadam senex ingratus, ac proinde fiam gloriæ expers, defectu gratiæ, quæ mihi ineunte ætate cælitus aspirauit. Reuera nihil homini damnato conferet ad gloriam, delibasse latices gratiæ, si in morte aruerunt hæc fluenta. Non erit ei fas in gloria pronuntiare Dei mirabilia, quę expertus est iuuenis, si delirus senex Dei gratiam aliquo crimine suffocauit. Hanc gratiæ seriem debere esse continuam, audi ex Augustino decurrente versum hunc Dauidis. Sic ille inducit Psaltem Deum suppliciter exorantem. *Ex quo conuersus sum ad te, didici merita mea nulla præcessisse, sed gratiam tuam mihi gratis venisse, vt memorarer iustitiæ tuæ solius.* Quid deinde post iuuentutem didicerit Dauid, pergit Augustinus dicere, alloquens ita Dauidem: *In ipsa tua prima conuersione dixisti, quòd ante conuersionem iustus non fuisti, sed expulsa iniquitate successit charitas. Iam fortè ex quo conuersus es, habebis aliquid tuum, & de viribus tuis præsumere debes, quemadmodum solent homines dicere: Iam dimitte, opus erat viam ostenderes, sufficit, ambulabo viam. Si sic dicis, dimitteris, & per infirmitatem rursum aberrabis. Bonum erat tibi, vt deduceret te, qui prius in via collocauit te. Cæterùm nisi & ipse ducat, rursus errabis. Dic illi ergo: Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. Venit ad te qui ostendet tibi viam, venit ad te ipsa via, & constitutus es in ea sine meritis tuis, quoniam errabas. Quid est, ex quo ingressus es? Iam regis te. Iam ille qui viam docuit, dimittit te? Non, inquis, docuisti me ex iuuentute mea. Et vsque nunc annuntiabo mirabilia tua. Mirabile est enim quod adhuc facis, vt regas me, qui in via posuisti me: & hæc sunt mirabilia Dei, qui suscitauit te. Deus quando exsuscitat corpus, mundo reddit; quando exsuscitat animam, sibi reddit. Si recedat anima istius, moritur corpus; si recedit Deus, moritur anima. Cùm ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitauit, suscitata non viuit, sed moritur, si deserat Deus. Quia ergo Deus non recedit ab eis quos suscitat, ne cùm recesserit moriantur, dicimus ei, & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

Dauid sollicitè orat vt gratia, quæ ipsi iuniori illuxit, seniori etiam affulgeat.

Aug. serm. 2. in Psalm. 70.

Dei auxiliũ semper adest nobis propitium.

Tota animæ vita ex Deo est.

Dei gratia Sanctos comitatur vsque ad supremum vitæ agonem.

Ergo dum adest vita mea, hoc est Deus meus vsque nunc. Quid postea? Et vsque in senectam, & senium. Docuisti me gratiam tuam à iuuentute mea, & vsque nunc, post iuuentutem meam annuntiabo mirabilia tua, quia mecum es, vt non moriar, quia venisti vt surgam. Et vsque in senectam, & senium, id est, vsque ad vltimum finem meum, nisi mecum fueris, non erit aliquid meriti mei. Gratia tua semper perseueret mecum vsque in finem. Hoc contextu luculenter Augustinus ait, Psaltem vtramque concludere gratiam; illam scilicet quæ in Oriente refulsit, & aliam quæ nos comitatur dum vergimus ad occasum, vnde potissimum gloriæ instantis petitur argumentum.

Hoc itaque vnum altè tibi insideat, ô anima Christiana, videlicet non sat esse Deum coluisse à teneris vnguiculis, nisi & senium adiicias, vt gratiâ vbique rutilâ concordes sint vitæ tuæ fines, possisque dici post supremæ vitæ tuæ fata venisse ab Oriente & Occidente ad recumbendum cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.

SENSVS MORALIS.

Ab Occidente, id est à vita occasu, pendere æternam hominum sortem.

In hæc verba:

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex Historia.

Mors sua qualitate index est beatitudinis aut damnationis.

EA est connexio Solis occidentis cum die subsequenti, vt ex habitu tristiore aut sereno Solis in occasu facilè sit conicere, an crastina dies futura sit procellosa, aut secus. Nam si nube opaca tectus Sol occidat, nigricans hæc facies instare diem ingratam clamat. Si verò cælo aperto & hilari Sol inclinet, rutilus ille tenor cæli indubium est argumentum diei crastinæ coruscantis. Ita & mors occasus omnium hominum præludit diei sempiternæ, quam indubiè coniicimus ex laudabili aut iniqua morte hominis expirantis. Nempe vbi Gregorius Papa recensuit, Chrysorium hominem prædiuitem mortuum esse adinstar Antiochi Regis, cui memoria enormium peccatorum ademit spem omnem gratiæ reducis; nemo est qui non affirmet statim tenebrosum illum occasum exceptum fuisse à nocte sempiterna, & nimbis & procellis horrida. Vt secus recensita morte Leuitæ Stephani, qui corusca facie expirauit, videns Christum hiante cælo adstare sibi, statim omnes certiores fiunt de die sempiterna, quæ excepit illum Solem occidentem. Nemo namque ambigit, quàm lucida & serena sit dies illa, cui præiuit occasus adeò rutilus & coruscus.

Chrysorij mors horrenda arguit in eo pœnas sempiternas.

Quare ex statu mortis colligatur æterna sors hominis.

Quare autem extrema illa vitæ periodus denominet hominũ sortem, accipe. Æuum hoc homini concessum dicitur tempus merendi, & demerendi, & inde homo dicitur viator, quia nondum est in termino, vbi congruo debet homo dignari stipendio. Terminus ille mors est, postquam homo nequit quidquam adiicere meritis suis aut peccatis. Ea est autem indoles gratiæ & peccati, vt nequeant stare simul, sicut lux & tenebræ coire non possunt. Vnde esto quis totum vitæ suæ contextum duxerit in peccatis; si pœniteat in supremo hoc agone, & conciliet sibi Deum, gratia Dei illapsa fugat omnes tenebras, quibus nigricabat anima illa impia præpedita noxiis inuolucris. Eamobrem mutato habitu anima hæc Deo grata ob hilarẽ hunc occasum, Deo miserante excipitur gaudio sempiterno. Ita aliquis gratia Dei comite deueniat ad occasum, si in eo momento superbiat, & adblandiatur sibi vt auctori suarum rerum præclarè gestarum, isque tumor assurgat vsque ad lethale piaculum; gratiâ omni statim excidit, irrepente noxa, quæ præualente, à fortiori parte fit hominis denominatio. Idcirco moriens in hoc statu in pœnas æternas incurrit, quæ iniquis actibus infliguntur. Vtriusque sortis accipe dispares historias, quas auspicabor ab eis, quos in Oriente respersit lux gratiæ Dei, quæ quia defecit in occasu, miseri homines pœnas luunt interminas. Subiiciam postea discolores omnino homines, qui diu indulsere genio, suæ salutis incurij; sed quia ingruente morte se receperunt ad meliorem frugem, gratior ille occubitus gloriam æternam demeruit.

Ex Theologia. S. Thom. 1.2. q. 110. art. 1.

Ex Historia.

Deploranda sanè series est illorum hominum, in quos aliquando abundè gratia influxit, qui postea venerandi illius status immemores, gratiam illam turpiter abiurarunt. In his prior occurrit Demas eò aliquando sanctitatis euectus, vt Paulus Apostolus eum sibi comitem adiecerit: nutante tamen in eo gratia pertitus est mundi illecebris, quibus se deuouit abdicato Pauli consortio, qui ideo Timotheum suffecit in locum illius discipuli desertoris. Sic ille scribit Timotheo: *Festina ad me venire citò; Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam.* O altitudo inscrutabilis iudiciorum Dei! ad prædicationem Pauli Gentes initiatæ iniquis ritibus idolorum prouoluebantur ad pedes Pauli, dedignantes sua facinora, vt Christo nomen darent; & tamen fidus Pauli Achates Demas ipse tinctus aquis salutaribus, & consuetudine Pauli factus eruditior, sæculi amore perculsus vale dixit Apostolo, vt mundi sese nexibus irretiret. Pessimum eius occasum dies excepit atra, & in diebus anni minimè computanda.

2. Tim. c. 4.

Demas ab altissimo gratiæ statu turpiter excidit.

Qui stat videat ne cadat.

Nonne & lugendus occubitus Aquilæ Pontici hominis eruditi: qui cum gremio Ecclesiæ exceptus probatæ virtutis aliqua specimina edidisset, fastidiit postea censuras Ecclesiæ, vacans inanibus Astrologiæ næniis, & demum transiit ad Iudæos, polluens se circumcisionis ritibus obsoletis. Vtque magis lacesseret Christum, cui aliàs dederat nomen suum; vetus testamentum Hebræum reddidit Græcè, ea vsus perfidia, vt siluerit ea, quæ de Christo fuere luculenter recensita a Prophetis. Quid post occasum hominis desertoris de eo fuerit actum, nemo est qui nesciat, fuisse vt par erat æterno igne vindice castigatum. Sileo Origenem, & Tertullianum, de quorum supremo fato ambigitur. Sed contemplor Ammonium, qui à pueritia Christianus & præceptor Origenis, postea à fide defecit, factus apostata, & adnumeratus Ethnicis, vt auctor est Rauisius.

Aquilæ viri doctissimi fatum iniquum.

Epiphanius lib. de mensuris.

Ammonij turpissima à fide defectio.

Rauisius in Ammonio.

Valens Imperator illibatæ fidei tesseras aliquando prętulit, sed delinitus illecebris vxoris suæ Arianæ, factus hæreticus, iniqua morte elatus, excidit

Theodoret. l. 4. c. 12. Socrat. l. 4. cap. 2.

excidit gratiâ illâ, quam ex sacro fonte Baptismatis hauserat. Perfidiam eius extremam meminere Theodoretus, & Socrates. Præ iis omnibus stupeo Imperatoris Heraclij miserandas vices. Ille Deo aspirante celebres victorias de Persis retulit, crucem Christi recepit, suisque humeris in eum locum retulit, vbi antea defixa Christum sustulerat, ipsa facta clauis paradisi latroni reduci. Ille Heraclius de milite euectus ad apicem Imperij, vnde Phocam expulit, & necauit, tandem multis à Deo gratiis aspersus, hanc magnam gratiarum supellectilem nequiit vehere ad occasum; nam fortunæ adblandienti arridens, in Venerem fractus, reclamante Ecclesia neptem suam duxit in vxorem. Et vt peccata seorsim non incedunt, sed gregatim; parum fuit Heraclio deliquisse, sed legem tulit, quam sanxit, in posterum fas fore cunctis celebrare incestuosos hymenæos. Nec hic terminus errorum fuit: nam ille Deo ingratus, qui flocci fecerat decretum Ecclesiæ damnans illicitas nuptias, suorum scelerum adaugens cumulum, Ecclesiæ fidem turpiter abiurauit. Etenim stetit à partibus Monothelitarum, & professus est aruspicinam, aliasque diaboli præstigias, vt meminere Zonaras, & Paulus Diaconus.

Valentis Imperatoris mors iniqua.

Heraclij Imperatoris ingratitudo, & turpis à fide defectio.

Zonaras in Hera. lib. Paul. Diac. lib. 18.

Quid quæso illis omnibus apostatis profuere sacri Ecclesiæ fontes, quibus aspergitur gratia? Ad quid vsurpata Ecclesiæ sacramenta fidei nostræ signacula, & fœderis cum Deo initi tesseræ, si fœdifragi immemores pacti perfidè à Christo Domino desciuerunt? Est certe hic vnde lugeamus ancipitem animæ nostræ statum, & vt præmonet Petrus, satagamus sanctiorum operum suffragio aliquam certitudinem conciliare vocationi nostræ. Ad hoc item maxime confert illud consilium Psaltis. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ait enim Deus Spiritum suum Sanctum requiescere super humilem & trementem verba sua. Nemo igitur assurgat in cothurnos, & glorietur de gratia sibi cælitus illapsa, cùm incertum sit, quid vesper vehat, & nullus spondere queat animæ suæ propriâ industriâ iugem tenorem gratiæ vsque ad mortem, propter multos obices ingruentes. Si tamen hinc se offert locuples ansa metuendi, aliunde prostat maximum argumentum fiduciæ in Deum, qui iniquitatum omnium nostrarum velut immemor est, si contingat in suprema vitæ morula pœnitere. Tota namque salus pendet ab Occasu, qui si fuerit gratia Dei illucente rutilus, certissimus est index salutis æternæ.

Nemo nimis in præterita confidat gratia.

Psalm. 2.

Consulendū est saluti nostræ beneficio humilitatis, & tremoris.

Accipe celebres historias adstruentes hoc effatum. Prætereo Latronem illum, cui in cruce pœnitere & mori perinde fuit: vrgente enim fato, gratia suscitauit animam eadem ferè hora, qua mors extinxit corpus eius, aliàs multorum erit inuium argumentum. Occurrit alius insignior dignitate, & non inferior potentia, scilicet Imperator Mauritius, qui nolens percitus auaritia redimere multa fidelium millia capta iure belli, quæ ære minuto reuocare potuit è castris Barbari ducis, apud quem Christiani tenebantur vinculis irretiti, sua hac crudeli opum cupidine adeò perculit Principem infidelem, vt Christianorum quatuordecim millia trucidarit. Reuera Mauritius Imperator Deum grauiter offendit, vtpote reus effusi huius sanguinis innocentis. Scandalo item fuit orbi toti, quò euolauit fama trucis huiusce piaculi. Non ei suppetebant adeò larga lacrymarum profluuia, vt possent detergere maculas insignes, quas nimius ille sanguis asperserat. Quid igitur facto opus? Desperabit? Minimè verò. Sed quomodo pœnitebit, cùm paulò post à rebellante seruo, scilicet milite Phoca captus iam iam sit morti adiudicandus, & eo præsente filij eius iugulum præbuerint gladio vindicanti? Esto graues illæ sint angustiæ, non obstant tamen, quin supersit morula, Deum vt gratiam impertiat seruidè deprecandi. Præstitit hoc Imperator, fleuit vt par erat, Deum demeruit, ceruicem inflexit, eodemque gladio, qui corpus aperuit, sidera permeauit. Si vacat ingemere Mauritio, & rescire ingloriam eius mortem, consule Nicephorum, & Paulum Diaconum.

Historiæ probātes salutem æternam peti ex momento mortis.

Mauritij Imperatoris crudele facinus, & insignis eius pœnitentia.

Niceph. l. 18. cap. 38. Paul. Diac. lib. 17.

Simili occasu recubuere cum Abraham in regno cælorum multi, quos vita nefanda prius diabolo manciparat. In his memorantur tres famosæ meretrices, Maria Ægyptiaca, Maria neptis Abrahami Eremitæ, & Pelagia. Maria Ægyptiaca duodennis cœpit litare Veneri, electâ Alexandriâ ad officinam libidinis exercendæ. Inde Ierosolymam venit se adiungens fidelibus, qui eò commeabant pietatis causâ ad festum Sanctæ Crucis. Arbitrata est mulier flagrans igne luxuriæ, se in hoc numeroso commeatu reperturam iuuenes idoneos suo fomite comburendos. Quàm obscœna illic commiserit, absit meminisse. Vbi Ierosolymam appulit flagitiosissima mulier, illic in templum se contulit; quo intento, penes Deum est, qui inuisibili manu prohibuit aditu templi fœminam impudicam, quæ eadem manu perculsa ad pœnitentiam, abiit in desertum, vbi quinquaginta ferè annos egit segregata ab omni hominum consortio, decocta ærumnis, & iniuriis temporum, passa tentationes innumeras ex recensione sui pristini instituti. Demum à Zozimo viro sancto inuenta senior hæc fœmina, ab eo recreata est communione corporis Christi, quo accepto, repurgata hæc anima tersior ad superos euolauit.

Mariæ Ægyptiacæ vita infamis.

Ex vitis Patrum descripsere vitam Mariæ Ægypt. Sabellic. l. 9. Ennead. 7. Fulgos. l. 6. cap. 9. Marul. l. 2. cap. 1.

Mariæ Ægyptiacæ rigida pœnitentia.

Alia eiusdem nominis Maria edocta à patruo suo Abrahamo Eremita, arctioris cellæ conclusa carceribus, virginitatis florem illibatum Christo fecit sacrum, impuberes annos ei vltro deuouens. Sed vt virginis huius institutum superans eius vires erat stupori summis etiam viris; omnes eò confluebant visuri in tenello corpore præclaro præstita specimina sanctitatis. Ingemuit dæmon vnius puellæ exemplo adimi sibi multos virginum greges, Christo Domino consecratos. Eamobrem omnem mouit lapidem, vt in ruinam propelleret emeritam hanc virginem. Et vt technarum ille artifex industrius nihil intentatum linquit, cùm aliquid versat in perniciem hominum, adolescentem comatulum eò direxit, vbi vigebat fama sanctitatis puellæ ore omnium celebratæ. Data est adolescenti copia videndi & alloquendi Mariam, quæ incauta, vt vidit & periit delinita verbis & aspectu venusti hominis, vicissim obscœna libidine conflagrantis. Eo æstuante incendio paciscuntur & condicunt meditantes flagitium, quo expleto puella exuta infulis gratiæ Dei, exosa suum institutum, transiliit septa spontanei sui claustri, & fugit in proximam ciuitatem, vbi professa venerem vagam, omni se crimini mancipauit. Vt audiit lapsum suæ neptis Abraham Eremita, vir emeritæ sanctitatis, Deum demulcere cœpit miris modis in gratiam puellæ transfugæ. Ieiunus & insomnis vrgebat Deum assiduis orationibus, vt fieret propitius illi animæ,

Mariæ neptis Abrahami eremitæ quàm sancta fuerit exordia.

Quam subdola sunt puellarum & iuniorū hominū commercia.

Mariæ lapsus.

quæ perierat errabunda. Annuit Deus votis hominis huius anhelantis in salutem neptis suæ, quam diu conquisitam inuenit à Diabolo damnatam ad lupanar. Ille eo spectaculo percitus, ferè sui impos fuit. Sed vbi refluentes lacrymæ stetere tantisper, & fecere copiam fandi, sic suam neptem affatus est: Tu ne illa Maria olim Deo sacra, & omnibus exhibita in exemplum sanctitatis? Quonam fato, ô filia, defecisti ab electo tuo sponso Domino Iesu Christo? Quid austeri & acerbi nacta es in obsequio tam suauis Domini? quæ nutriebaris in croceis, quomodo amplexata es stercora? Dic amabò, exciderunt ne animo suauitates illæ, quibus olim perfusa anima tua, incuria rerum infimarum, cœlestia tantùm iugiter appetebat? Esto charitatis flamma extincta sit, nonne calet adhuc caminus ille in corde accensus? Retrocede, ô filia, & mihi morem gere patri tuo magis quàm patruo; audi me opportunum consultorem à Deo missum in spem veniæ si te pœniteat. Puella infelix in varias acta partes diu hæsit, in quæ inclinaret consilia. Nam malè sibi conscia annuebat quidem monitis Abrahami; sed reuocante obscœna consuetudine desperabat se posse redire ad meliorem frugem. Dubiam sic rursus Abraham vrgere cœpit: Quid cunctaris, ô Maria? ne longiores necte moras, neque animo tuo spes salutis excidat, sequere me rursus præeuntem in desertum, & penes me repone immensam sarcinam tuorum peccatorum. Meum volo esse omne hoc pondus, & curam omnem satisfaciendi Deo: Has ego suscipio partes, scilicet diluere pœnas, quas deposcunt tua scelera perpetrata. Hoc vnum pero vt memineris vnde excideris, & redeas in gratiam cum Deo, cuius obsequium adeò nequiter abdicasti. Non fuere irrita vota sancti & venerandi senis. Maria dedit manus Christo, ad pristinum institutum rediit, & Deo placato feliciter occubuit, detersis ita piaculis, quibus se prius obstrinxerat. Eo occasu sancto gloriam æternam demeruit, à qua procul antea deuiarat.

Declamatio in animam quæ à Deo defecit.

Exhortatio ad pœnitentiam.

Ex vitis Patrum Mar. l.2.c.12.

Mariæ neptis Abrahami eremitæ pœnitentia.

Eamdem etiam aleam ingressa est Pelagia mulier speciosa, & compta in ruinam vrbis Antiochiæ. Hæc multis stipata iuuenibus, quos implexos secum in præceps deducebat, luxuriæ suæ spargebat incendia, quando Nonij Episcopi Heliopoleos prædicatione admonita cœpit sua scelera detestari. Itaque Nonio suasore cœpit hæc mulier infelix habere exosa sua facinora. In argumentum pœnitentiæ, seruos suos & ancillas manumisit, & opes iniquis artibus partas omnes in pauperes erogauit. Deinde se confessa esse non Pelagiam sed pelagus vitiorum, abiit in montem Oliueti, vbi ementito habitu se virum esse finxit, & adeò austerè vixit, vt sanctissimo fine defungens, fidem nobis reliquerit altissimæ sanctitatis. Habuit hæc mulier pœnitens celebres suæ virtutis encomiastas, quos vide ex margine recensitos.

Pelagiæ meretricis austera pœnitentia.

Ex vitis Patrum Mar. l.4.c.10. Sabellic. lib.5. cap.5. Fulgosus l.6. cap.9.

Hæ omnes præfatæ historiæ meo intento fauent, & suo suffragio fulciunt conclusionem meo titulo prælibatam; videlicet eos tantùm recumbere cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum, qui ab Occidente veniunt, diuinâ gratiâ coruscantes: Et parum esse ad gloriam capessendam, fuisse aliquando initiatum dotibus sacris, si contingat occumbere in peccato lethali; vt secus nihil officere ad salutem præterita piacula ei, quem morientem gratia desuper illustrarit.

SENSVS MORALIS.

Omnium hominum salus est penes perseuerantiam in gratia Dei, ne in morte excidat.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Ex Mathematica, et SS. Patribvs.

Philosophorum apex Aristoteles cœlis affinxit circularem formam, eo solo ductus argumento, quòd crediderit aliam omnem formam dedecere cælos, qui cùm sint corpora præstantissima, non debuerunt aliam formam induere ab ea, quæ in figuris principatum tenet: ea autem est figura circularis, quæ sola inter omnes figuras æqualitatem seruat suarum partium omnium, spectatarum in ordine ad centrum, vt Euclides ait. Ratione huius æqualitatis vniformis, hæc figura symbolum est viri probi, qui ideo dicitur totus teres atque rotundus, vtpote sibi semper æqualis, eodemque animi tenore constans. In ea autem figura illud maximè est notandum apposité ad conclusionem nostram, quam versat scientiarum omnium chorus. Hoc inquam est sedulò aduertendum; scilicet, præfixo vno puncto, lineam in orbem circumductam non describere perfectum & mathematicum circulum, nisi vltimum punctum recurrat ad aliud, vnde prius exorta est linea circularis. Sic fit, vt idem punctum sit oriens & occidens in accurata illa figura, quæ idcirco est tessera Beatorum.

Ex Mathematica.

Arist. lib.1. de cælo.

Euclides l.1. elemen. Definit.15.

Pulchra obseruatio de circulo.

Nihil profectò elimatius in nostro themate allegari potest. Si nempe sciscitaris quanam industria homo Christianus fiet compos diuinorum, respondebo id fore si anima benè sibi conscia circulum imitetur. Æmulabitur autem indolem circuli anima Christiana, si meminerit se eo solo puncto initiatam fuisse sacris mysteriis, quo gratia Dei cælitus illapsa est: tunc enim anima desiit esse diaboli, cùm incœpit esse Domini Iesu, acceptâ eius gratiâ. Si igitur anima cupit esse rotunda, & eius figuræ, qua Beati gaudent in gloria, studeat incolumem seruare gratiam Dei acceptam, aut reuocare si passa est deliquium, vt ea suscitata talis sit vitæ Christianæ conclusio, qualia fuerunt exordia, id est, vt vita, cuius initium cœpit à gratia, illic etiam desinat. Gloria namque æterna, corona est, quæ non conceditur nisi vitæ imitanti coronæ figuram, quæ circularis est, ac proinde congruum symbolum perseuerantiæ, quæ in orbem ducta gyrum facit.

Quomodo possit homo esse totus teres atque rotundus.

Corona est symbolum perseuerantiæ.

Concinit Augustinus, si eius sunt sermones conscripti ad fratres in eremo. Sic ille: *Non potest coronari, nisi qui legitimè certauerit. Nullus enim legitimè certat, nisi qui in campo vsque ad finem certat; & si certat vsque in finem, legitimè certat, & ideo coronatur. Non est igitur magnum bonum, inchoare quod bonum est; sed consummare, hoc solum perfectum est. Multi enim magna aggrediuntur, sed deficiunt in via; multi exeunt in desertum, sed pauci perueniunt ad terram promissiónis. O fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes* quòd

Ex SS. Patribus.

Aug. ser.4. ad fratres in eremo.

Exhortatio ad perseuerantiam.

quòd perseuerantia informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris Ioseph vsque ad finem contingens. Hæc est tunica sacerdotalis vsque ad pedes perueniens. Hæc est cauda bestiæ, quam tenemur Deo reddere, & offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod debemus obseruare contra serpentem, & eius morsum. Hæc est vestis sine ruga, tunica sine macula. O monache, qui benè incœpisti, vide ne cadas, caue ad tempus virescas, & in tempore afflictionis marcescas. Caue ne fœno compareris, nunc nascitur, statim marcescit. Attendite fratres, nam diabolus quandoque seruos Dei ad bonum incitat & conducit, vt de bono grauius eliciat malum. Contra hunc diaboli insultum valet sola perseuerantia, vt de bono fine bona concludantur initia. Bonum enim inchoare, & malo fine concludere, quid est aliud, quàm monstruosas res conficere? Illa enim actio quasi chimæra est, quæ initium habet à ratione, & finem à sensualitate. Cum enim sic agitur, humano capiti ceruicem pictor equinam iungit, & superinducit infructuosas plumas. Caue ne actio tua monstrum maneat. Enormis enim erit fœtus ventris, si capiti non correspondeat finis. O monache, quid tibi prodest bonum inchoare, & non finem concludere? O quàm tibi melius fuisset viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitam retroire per inconstantiam. Igitur si cœpisti ædificare, perfice: si non incœpisti, incipe. Incipite, fratres mei, & perseuerate, reducentes vobis ad memoriam à quanto bono recessit Iudas, & quomodò feruenter benè agere cœpit, quomodo autem perseuerauerit scitis. Ecce Salomon per inconstantiam corruit, sic & Saul, sic & multi alij; quia multorum incipere fuit, sed perseuerantium paucus est numerus. Cauete ergo, quomodo cautè ambuletis, & qui se existimat stare, videat ne cadat. Felix ergo est, qui benefaciendo perseuerat vsque in finem.

Perseuerantiæ locuples encomium.

Monstruosa res est virtus sine perseuerantia.

Quanti facienda sit hæc virtus, fusè enarrat ille textus, probans quàm sit anomalum & absurdum, benè auspicari, & secus desinere. Vt enim in physicis actiones specificantur à fine; ita & in moralibus, hominis vita bonitatem vel malitiam emendicat ab occasu, qui est viuendi finis. Vnde beatitudo magis attendit exitum vitæ, quàm medium; & Iob iniqui hominis sortem petit à defectu boni operis iubeunte fine. Sic ille: *Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus eius arescent.* Quasi diceret; impij perditio hinc oritur, quòd licet aliàs ediderit aliquod bonum opus, tamen dies eius deficiunt humore gratiæ penitus arescente. Ita ferè Gregorius. *Sunt nonnulli, qui post vitam perditam, ad semetipsos redeunt, & accusante se conscientia, peruersa itinera relinquunt, commutant opera, antiqua sua prauitati contradicunt, terrenas actiones fugiunt, desideria superna sectantur; sed antequam in eisdem sanctis desideriis solidentur, per torporem mentis ad ea, quæ diiudicare cœperant, redeunt, atque ad mala, quæ fugere disposuerant, recurrunt. Vnde rectè de hoc iniquo dicitur: Antequam dies eius impleantur, peribit; quia etsi quid boni fortasse cœpit agere, priusquam in eo per longitudinem temporis conualescat, ad exteriora relabitur, & peruersè deserit quæ rectè inchoasse videbatur. Vnde & aptè subditur: Et manus eius arescent. Quia dum exterioribus actibus intempestiuè inuoluitur, ab omni nimirum bona operatione siccatur.*

Iob 15.

Greg. lib. 12. Moral. c. 13.

Locuples expositio verborum Iob in argumento perseuerantiæ.

Ad hanc etiam moralem disciplinam pertinet illud eloquium Sponsi Canticorum: *Videamus si floruit vinea, si flores parturiunt fructus.* Non de floribus tantùm sollicitus est Sponsus: nam illi exordia tantum spectant boni operis. Sed tota eius cura porrigitur ad fructus congruè decerpendos. Audi Gregorium. *Non intuendum est, si vineæ floreant; sed si flores ad partum fructuum conualescant. Quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Vnde fit plerumque, vt si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus, quod bonum creditur, amittatur.* Id est, assueuimus fidere fructibus non floribus: nimirum flores spei tantùm litant; fructibus verò anima saginatur. Deus non reponit in horrea sua animas, quæ floribus ieiunant, & prætendunt præclara initia; sed has tantùm, quæ fructibus fœtæ parturiunt morte tenus. Et hæc sunt perseuerantiæ partes, citra quas nemo stipendia æternæ gloriæ consequetur.

Cant. 7.

Greg. lib. 12. Mor. c. 14.

Egregia perseuerantiæ commendatio.

SENSVS MORALIS.

Parum est egregia moliri, si non perficiantur.

In hæc verba:

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Ex Medicorvm disciplina.

VT violenta omnia primo conamine exhausto statim deficiunt; ita quæ aguntur naturæ ductu, vegetiore fine gaudent, sicuti patet in lapide vibrato sursum, cuius motus initio citissimus, tandem languet, & deorsum inflectitur. Si verò ex alto demittitur lapis, ille secutus naturæ indolem, se suo pondere librans ima petit, sed non eo pernice motu, quo vrgetur in progressu. Eo argumento Medici augurantur sospitatem ægri, cuius salutem antea morbus ancipitem fecit. Vt enim aiunt naturam esse optimam morborum medicatricem; ita etiam potiorem sospitatis partem refundunt in naturam vegetam, & non in pharmaca, quæ ab eis tantum vocantur auxiliares Dei manus. Itaque si natura præualet, morbi violentia remittitur, & naturæ motus valentior in progressu protrudit omnem fomitem morbi, fluore sanguinis oborto, aut largo alui repurgio, aut denique vniuerso corpore desudante. At si secus natura, enixa propellere fermentum morbi, noxium quidem humorem foras eiecerit, & exuberante humore virulento natura fatiscens destiterit à laudabili incœpto, Medicus arguit instare mortem, quia aggressa facinus salutis reducis medio conamine supersedit, aliaque omnino fit idea morbi, quàm in crisi optima & perfecta, vbi præpotens natura victrix morbi, post rigorem calefacit totum corpus, & inualescens sudore copioso aspergit ægrum totum, cui ros ille abundans nuntius est proximæ sanitatis. Vt contrà, natura faustis initiis virus impugnans, si non perseuerat in tentato facinore, superueniente rigore, nullo

Differentia motus violenti, & naturalis.

Natura præualente, crises fiunt salutares.

Natura deficiẽs est mortis præambula.

postea succedente calore recreatur, sed iugi algore friget. Morbo recrudescente sudat æger modicè, & elinguis moritur.

Hæc est historia morbi eius, quem natura initio morbi propitia finxit velle eripere faucibus mortis, cui tamen succubuit, quia non perseuerans natura cessit humoribus iniquis vitæ hominis, frustra suppetias medici deposcentis. Is qui decumbit natura feriante, non tentante in præstitutum sibi finem deducere suos priores ausus in semina morbi, ab Hippocrate audiat hanc capitis sententiam. Οἱ ἐκ ῥίγεος περιψυχόμενοι, κεφαλαλγέες, τράχηλον ὀδυνώδεες, ἄφωνοι, ὑφιδρῶντες, ἐπανενεγκόντες, θνήσκουσι. Id est. *Qui ex rigore perfrigent, & vnà dolore tum capitis, tum ceruicis impliciti, mox voce capti, paruo sudore madent, vt se collegerint, moriuntur.* Naturæ dehiscentis signum est ille modicus sudor, qui ab effœtis partibus sponte sua exudat de succo alibili, quem exolutæ partes nequeunt retinere. Fitque ita vt quod erat institutum ab hominis alimentum, hoc naturæ deliquio pellatur foras homine defungente.

Ex Re Medica. *Hippocrat. l. 1. Coac. prænotat. 1.*

Quæ sint signa in homine decũbente, naturæ fatiscentis.

En statum animæ congruum ex Medicina typum. Si ea vitio aliquo lethali oppressa decumbit, & anhelat ad recuperandam salutem, & aliquem contritionis actum exerit, gratiæ Dei suffragio; dicimus efficacem fuisse illam gratiam, quæ omne auersata piaculum, animam fecit incolumem, post conceptum timorem Dei, quem vt rigorem animæ excepit amoris calor, largo lacrymarum imbre subsequente. Sed si gratia hæc aggressa tale repurgium, postea refluente vitio deficiat, anima grauata noxia illecebrarum colluuie, concipit quidem rigorem, sed non eodem tenore quo antea, quia morte instante dum cogitat se sistendam iudici, quem nil omnino latere potest, nimio horrore concutitur, & hic horror alium algorem inducit, scilicet frigus desperationis, quo succus omnis alibilis exudat: nam si anima quidpiam olim egerit posita in statu gratiæ, omnia illa semina gloriæ vt cassa protinus euanescunt. Desperationem animæ excipit vocis deliquium: frustra enim sacerdos à confessionibus hortatur moribundum hominem vt se reum ore proprio fateatur, aperiatque sua piacula, vt sic Deum sibi conciliet. Hoc susurro incandescit æger, & tacitus moritur, æterno excidio castigandus.

Optima crisis est figura contritionis animæ.

Quomodo anima impia in desperationem eat.

Eamobrem Hippocrates semper habuit suspectas alternantis naturæ vices. Nempe operæpretium est naturam constare sibi, vt ægro sarta tectaque sint omnia. Ecce venerandi senis sententiam. Ἄκρεα ἐπ' ἀμφότερα ταχὺ μεταπίπτοντα κακόν. Id est. *Extimarum partium cita in virumque mutatio graue malum portendit.* Ita & nos Theologi malè ominamur ei, qui de peccato ad gratiam, & vicissim de gratia in peccatum transit, parum solicitus de iugi tenore gratiæ conseruando. Quippe omnis qui incautè discrimini se exponit, ægrè resilit incolumis, & res est plena periculi, gratiam Dei deponere ad tempus, vt genio quis indulgeat, spe concepta gratiæ denuo repetendæ. Nam cùm gratia efficax non pendeat tantùm ab hominis arbitrio, sed à Deo influente desuper; res est plena periculi Deum sæpe lacessere, denuo in perpetrata crimina recidendo. Quotidiana huius delicij exempla prostant hominum, qui salutarem gratiæ habitum deponentes vt se aliquo vitio contaminent, sub spe longioris vitæ, & gratiæ reducis, in nefario tamen actu excerento miseri, & Deo vindice comprimuntur. Si igitur gratia Dei aspirat tibi, ô homo, huic sedulus inuigila, & caue ne gliscente vitio, tibi ingrato negentur spatia pœnitendi.

Hippocrat. prorrhet. 8. sect. 2. 1.

Malè ominandum est homini incurio de perseuerantia in statu gratiæ.

Periculosa est consuetudo sub spe pœnitendi, in supremo agone.

SENSVS MORALIS.

Abdicato vitio, semper est virtutum praxis profitenda.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham.

ARTICVLVS NONVS.

Ex Symbolis.

Singulæ quæque res editæ, orbe toto sparsæ & diffusæ, sunt veluti characteres, quibus vt typis idoneis ea quæ Dei sunt, & quæ ad salutem nostram pertinent, omnibus innotescunt. Ipsæ etiam res minimæ magna clamant; vt cyniphes, quibus Pharaonis superbia depressa est, Dei potentiam suggessere Ægyptiis, qui rebus communibus plerumque vsi sunt vt symbolis, vt mysteria abdita reserarent. Eorum æmulatus industriam, volo depromere symbolum congruum argumento quod versamus, vt eo resciat vnusquisque, quomodo dato repudio vitiis, sit adhærendum virtuti tenaciter, vt virtute comite occasus noster sit gratia Dei illucente rutilus & coruscus. Symbolum illud recensetur à Ferro, homine peritissimo in hac symbolica disciplina. Pingit ille corallium, cuius hoc est ingenium, vt mollis herba sit in aquis; sed vbi emerserit, induat lapidum duritiem. Depicto rubenti corallio Ferrus adiicit istam epigraphen. POSTHAC MINIME FLECTAR. Id est hactenus herba fui inflexa ad arbitrium fluctuum. Sed vbi datum est frui liberiore cælo, euasi in lapidem solidum, ideoque nunquam deponam solidum illum statum, mihi cœlitus impertitum.

Creaturæ omnes characteres sũt, quibus erudimur.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 2. Theatri symbolor.*

Non intempestiuum est hoc symbolum in materia de perseuerantia. Nempe homines immersi aquis huiusce sæculi fluctuantis instar maris, in mollitiem fracti inclinant eò quò propellunt illecebræ. Ast Deo desuper educente foras impios, illi afflante aura gratiæ Dei, deponunt molles & muliebres animos, & masculos virtutum habitus amplectuntur. Te compello & conuenio, Christiane, & vadem deposco huiusce effati. Nonne mollis eras, & imbellis, quando te refluentes voluptatis aquæ turpiter alluerunt, inflectentes animam tuam in obuias quasque illecebras? Vbi verò contigit, gratiâ Dei te reuocante, foras erumpere, nonne influente cælo nactus es aliam planè indolem, virtutis scilicet solidæ, cuius consuetudine, & impigra praxi animus induratur? Macte, fortitus es ingenium cælis idoneum; sed caue ne memor pristinæ mollitiei denuo propendas in vitia, & excidas eo robore, quo gratia dignatur animas, in quas influxit. Hoc vnum propositum tenax animo tuo iugiter insideat, videlicet epigraphe siue titulus corallij. Hoc concipe votum irreuocabile, & mente Deo addicta hoc statue: POSTHAC MINIME FLECTAR.

Egregium symbolum animæ pœnitentis, & perseuerantis.

Gratiæ Dei effectus solidantes animam pœnitentem.

Egregium propositum animæ pœnitentis compellantis Deum.

FLECTAR. Deum sic affare: Te miserante, ô præpotens Deus emersi, & exui animos aliàs multiplici vitio desudantes. Tunc temporis eram pronus in omnes illecebras, quibus tentatus animus etiam leuiter vrgebatur. Te propitio in aliam adscitus sortem obdurui virtutum vsu. Sed quia parum est incœpisse, nisi perseuerantia cœptis coronidem imponat; faxis, vt POSTHAC MINIME FLECTAR.

Si edito hoc voto, huius nequaquam te pœniteat, Deo semper propitio vteris: alioquin erit tibi ad salutem inutilis illa virtutum praxis, quæ detinet ante mortem, vbi vt gratiæ Dei desertor infidelis æternas lues pœnas, naufragus in portu, & inferorum igne vindice puniendus. Hoc animæ inconstantis delirium ita deplorat Basilius: *Suam quisque & mercem & thesaurum suscipiens, omni studio securus hanc vitam pertransire conetur. Plures namque ab ipsa iuuentute multa congregantes, instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis, tempestatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, sed omnium iacturam fecerunt. Ex quo circa fidem alij naufragium fecerunt, alij autem pudicitiam, quam vsque à pueris thesaurizauere, voluptate deinde pestilenti, velut procella quadam irruente, perdiderunt. O miserabile spectaculum! ô sortem lugendam! post ieiunia multa, post dierum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post vberes effusas lacrymas: denique post annorum viginti seu triginta abstinentiam, ob indulgentiam, inconsiderantiamque, nudum omnibus, ac tot laborum mercede priuatum reperiri; & similem omnino fieri mercatori diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento secundo nauem impellente, timendas tuto per mare currens præterit procellas. Naufragio deinde prope portum superueniente, omnium possessione aceruatim simulque destitutus apparet. Itaque mille laboribus sudoribusque parta; vno tantùm dæmonis impulsu facilè amittes, peccato velut acerbo quodam turbine depressus. Ex quo sic de virtute omni simul periclitanti naufragantique opportuna vox illa: Veni in profundum maris, & tempestas demersit me. Quamobrem vitæ clauum tutò moderare, oculum rege, ne per eum, siue auditum, siue linguam, in concupiscentiæ fluctus incidas, aut noxium aliquid accipias, ne te iræ tempestas aut furor eneruet, ne aliquid eorum quæ tacenda sunt loquaris, ne formidinum terrores vrgeant. Fluctus enim sunt animi perturbationes, quibus si virtute occurres, ac illis te sublimiorē reddes, tutus vitæ gubernator fueris. Si autem per imperitiam, & inconstantiam, quodlibet eorum præterieris, velut nauigium aliquod compagibus dissolutum ac fractum, vnde omnibus obnoxium iactatus, in peccatorum pelagus facilè corrues. Sed hac gubernationis scientia, quemadmodum adesse tibi poterit, attende. Mos est naucleris in cælum aspicere, interdiu in Solem, noctu in Arcton, vel aliud apparens semper astrum, ac per hoc rectam in pelago viam commentari. Tu quoque oculos ad cælum attollens secundum eum qui ait: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis; habitantem in cælo iustitiæ Solem aspice, ac velut astra quædam splendentia, Dei mandata obseruans, lumina vigilantia retine.*

Ex SS. PATRIBVS. Basil. hom. 11. ex variis tom. 1. Declamatio in homines incurios perseuerare in virtutum praxi.

[illegible]

In virtutum praxi sollicita debet esse anima, ne mercede cadat tot laborum quos fortiter exantlauit.

SENSVS MORALIS.

Perseuerantia in gratia vsque ad occasum vitæ sola est digna coronari.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.

ARTICVLVS DECIMVS.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ADSCITIS SENTENTIIS SANCTORVM PATRVM.

INsurrexere olim serui in dominos suos, pertæsi eorum acerbum dominandi ritum, adeoque fuit violenta coniuratio, vt vno excepto omnes serui suos heros rebelli gladio trucidarint. Postera die serui iniere comitia, & cogitarunt de præficiendo sibi Rege, quem statuerunt creare hoc pacto; scilicet vt media nocte conuenirent omnes in apertum campum expectaturi Solis ortum, eumque fore Regem, qui prior enitentis Solis radios excepisset. Annuerunt omnes huic decreto, & repetentes domum, se accinxerunt ad vigilias proximæ noctis, conuenturi in locum condictum. Seruus ille, qui miseratione ductus hero suo pepercerat, horrens suas fœdare manus herili sanguine, communicauit ei consilium captum de inaugurando Rege. Dominus ille industrius audita conuentione creandi Regem eum, qui prior aspexisset Solem orientem, ait seruo suo benefico: Aliis seruis sæuientibus in dominos suos, tu vnus incolumem me seruasti, nolo huius gratiæ acceptæ pensum debitum differre in aliud tempus, cùm iam occurrat mihi edendæ gratitudinis maximum argumentum. Nempe penes te est regnum, si mihi morem geris suadenti opportuna. Rei summa hæc est. Cùm coierint omnes in descriptum locum, præstolantes Solis ortum; tu quidem conuertere simul Orientem versus, ne industriæ tuæ aliquam suspicionem facias. Sed instante Sole, cautè gyra in occasum: nimirum Sol oriturus præludit ad Occidentem, illuminans præaltos illic montium apices, antequam campis in Oriente sitis affulgeat. Non exciderunt animo serui salutaria monita hæc conciliatura regnum: nam vbi diu attentè lustrauit oculis orientalem plagam, Sole nondum reduce, præsentiens instare priores eius radios, leniter inflectens se Occidentem versus, ibi aduertit deaurata cacumina montium auro quod affingit Sol rebus omnibus illustratis. Idcirco exclamans se videre Solem in Occasu, statim inauguratus est in Regem, & ita debuit regnum Occidenti potiùs quàm Orienti.

Seruorum in dominos suos rebellio in vrbe Tyro vbi Straton fuit Rex electus.

Sabellic. l. 5. Ennead. 1.

Præclara industria, qua seruus inauguratus est in Regem.

Perantiquus ille ritus adipiscendi regnum viget adhuc hodie Christo Domino consultore. Quippe vt quis recumbat cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum, operæpretium est vt veniat ab Oriente, & Occidente. Id est, non laborare oportet tantùm ad excipiendam gratiam in ortu siue in exordio conuersionis nostræ, sed præcipua omnium curarum hæc debet esse, vt gratiam lubenti corde excipiamus in occasu vitæ nostræ: ille enim occasus gratia Dei respersus, solus potest diademate æterno

Sola perseuerantia coronat opus.

nostra

nostra capita redimire, iuxta illud Christi eloquium: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Perseuerantia illa signata à tenore illo, qui incipiens ab Oriente vergit ad Occasum, maximè etiam à Deo olim commendata est, in eo ritu apud Hebræos celeberrimo, quo nefas erat hostiam pacificorum offerre sine cauda tota, Deo sic insinuante non placere sibi bona etsi aliquandiu perseuerent, nisi ad finem vsque protrahantur. Ecce ritum Hebræorum, Deo aliàs institutore ratum. *Offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino adipem & caudam totam.* Itaque quantumuis opima & selecta fuisset hostia Iudæorum, Deus habebat exosam illam si sine cauda foret. Sunt qui arbitrentur pueris ingenuis Hebræorum, in quibus parentes subodorabantur specimen virtutis indefessæ, datas fuisse tunicas talares vt omina quænam gratiæ duraturæ. Gregorius hanc suspicionem firmat exemplo Iosephi adolescentis, qui cùm inter Patriarchas vnus esset illibatæ sanctitatis, solus etiam meruit accipere à patre suo Iacob illam tunicam talarem.

Matth. 10. Figura singularis, qua cōmendatur perseuerantia. EX ANTIQVITATE. *Leuit. 3.* Quare tunicæ talares datæ sint puerulis nobilium Iudæorum. *Genes. 37.*

Vterque ille ritus pertinet ad perseuerantiam ex sententia sancti Gregorij, ita recensentis hæc antiqua monumenta Iudæorum: *Ioseph, qui inter fratres iustus perseuerasse dicitur vsque in finem, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ nos terminum regit. Hinc est quòd per Moysem caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseueranti fine compleamus. Benè igitur cœpta, cunctis diebus agenda sunt, vt cùm malum pugnando repellitur, ipsa bona victoria constantiæ manu teneatur.* Reuera hanc integram hostiæ caudam obtulerat vir sanctus Iob, qui nullos vitæ suæ dies excepetat à Dei iugi cultu, sed vno eodemque pietatis contextu egerat æuum suum, iuxta textum historiæ illius, quem accipe. *Sic faciebat Iob cunctis diebus vitæ suæ.* Quasi diceret, non esse ideo Iob recensendum in serie virorum illustrium, eò quòd aliqua præclara ediderit facinora, quia in agone plures consortes habet; sed petenda esse encomia viri illius magni, ab eo tenaci proposito colendi virtutem actibus indefessis, iuxta illud Gregorij: *Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur; quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat deficit. Hinc est enim quòd de reprobis dicitur: Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Hinc electis suis Veritas dicit: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

Ex SS. PATRIBVS. *Greg. lib. 1. Mor. c. 21.* Figurata olim perseuerantia variis typis ab Hebræis. Perseuerantiæ Iob cultor eximius. *Iob. 1.* *Gregor. vbi supra.* Deploranda est virtus sine perseuerantia.

Ille locus Gregorij recolentis frustra eum currere, qui deficit ante metam refricat memoriam illius obsoletæ antiquitatis Græcæ, & Romanæ, qua & ritè perseuerantiæ gratia commendatur. Ait Gellius Herculem in Olympia metatum esse stadium amplissimum decurrendum eis, qui aspirabant ad coronam. Citatissimo pedum cursu alea hæc primo fuit instituta. Deinde ex Strabone Oenomaus in Elide primus adhibuit equos cursores, quorum præfecturam Elei diu habuere. Summi etiam viri arbitrati sunt esse è re sua quadrigas eò mittere, vt ab Alcibiade factitatum ait Plutarchus, qui affirmat Alcibiadem renuntiatum fuisse victorem. A Græcis ad Romanos fluxit ille mos currendi in stadio: nam in stadio aurigauit Nero, & coronam meruit, vt auctor est Suetonius. Græcis & Romanis illæ fuere indictæ leges stadij, scilicet vt decernerentur termini, vnde cursus inciperet, & quo procederet. Priores termini dicebantur carceres, siue repagula; vltimi verò concludentes curriculum fuere metæ nomine nuncupati. Hinc emersit illud prouerbium. A carceribus ad metam, seu breuius apud Aristophanem, ἀπὸ βαλβίδων, id est, *à carceribus*, quod perinde est ac dicere; Ab initio. Constitutis itaque stadij carceribus, atque metis, concurrebant Olympionicæ, at victoria non decernebatur ei qui perniciore motu soluisset à carceribus, sed ei qui prior ad metam relictis retro cæteris euolasset. Fiebat namque, vt quidam priori œstro præirent aliis; sed quia in progressu languebat ille prior æstus, superabantur ab his, qui nihil omnino remittentes de cursu suo priores ad metam deueniebant, vt de Hippomene narrat Ouidius. De velocitate erat ei certamen cum puella Atalanta, cui erant inferiores omnes illius æui cursores. Vbi ambo soluerunt è carceribus, Atalanta quidem anteiuit; sed Hippomenes comparatis pomis aureis eo fine, remoratus est cursum Atalantæ, iterum & tertiò proiiciens illa poma, quæ dum colligebat Atalanta, longiores inde moras nectens, dedit spatium Hippomeni tangendi metam, & coronam ideo reportandi.

EX ANTIQVITATE. *Aul. Gellius l. 1. c. 1.* *Strabo l. 8.* *Sueton. in Nerone c. 22. 24.* Perseuerantia ex lege stadij maximè commēdatur. *Aristophan. in Vespis.* *Ouid. lib. 10. Metam.* Hippomenes pomis remoratus cursum Atalantæ.

Eodem astu diabolus imponit plerisque Christianis, quos cùm videt quantocyùs soluere à linea & repagulis, non tentat quidem de feriis indicendis virtutum praxi; sed expectat vt intepescat ille calor, quo remissiore effecto, vilia obiicit homini crepundia rerum huius sæculi, quibus obstat, ne ad metas adueniat anima præpedita. Vnde homo sic defungens, id est, homo qui gratiam Dei in vacuum accepit, eam non deducens vsque ad mortem, indonatus abit: quid dico indonatum, imò plectitur homo ille, quia suo defuit officio, factus iniurius gratiæ Dei, quam non studuit excolere pro modulo suo moribus illibatis. Eò spectant hæc verba Ambrosij: *Si in fidibus, aut cantibus, & athletarum contentionibus, crebris licet & maximis ludicris, tam superiores dies, sine vllo coronæ transiguntur dispendio, postremus autem dies habet sortem coronæ, in quo & certandi periculum est, & cedendi opprobrium, & vincendi præmium, quantò magis in hoc tanto agone virtutis vniuersorum iudicio, cùm hodie vobis velut quædam certaminis corona procedat, maior sollicitudo angit, ne & superiorum laborem effundamus dierum, & præsentis subeamus pudorem? Neque enim eadem faciendi conditio, quæ canendi; atque luctandi, cùm in illis ludus offensionis, in isto lapsus sit mortis.*

Ex SS. PATRIBVS. *Ambros. l. 4. Hexam. c. 1.* Parænesis ad sectandam virtute perseuerantiæ.

Perseuerantiam in gratia esse de ratione sanctificationis animarum, liquet ex vetere instituto Iudæorum, apud quos Nazaræis, id est sanctificatis (hoc enim sonat vox נזר *nazar*, quæ separare significat) toto consecrationis tempore nefas erat præterire instituta, quibus eorum conditio erat obstricta; atque ita perseuerantia erat comes indiuidua sanctificationis eorum. Ecce legem: *Vir siue mulier cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt.*

EX ANTIQVITATE. *Num. 6.* Perseuerantia comes olim sanctificationis Nazaræorum.

nebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur. Quidquid ex vinea esse potest ab vua passa vsque ad acinum non comedent. Omni tempore separationis suæ, nouacula non transibit per caput eius vsque ad completum diem, quo Domino consecratur. Ecce typum idoneum sanè Christiani instituti. Dictus est Christus Nazaræus; & nobis, quia sortiti sumus eius obsequium, & professi sumus eius fidem, nullis professioni nostræ metis impositis citra mortem, totum æuum nostrum tempus est consecrationis nostræ. Idcirco, Christiane, aut muta nomen, aut muta mores. Namque disciplina, qua initiatus es, nescit inducias, tardaque omnia molimina penitus aspernatur. Dei cultus nescius est feriatum, ideoque protrahendus est ab ortu vsque ad occasum, iuxta illud Augustini, ita recolentis Psalmum Dauidis: *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem, si psallis nomini Dei, ne psallas ad tempus. Vis in sæculum sæculi psallere; vis in æternum psallere? Redde ei vota tua de die in diem. De die isto in diem illum persèuera reddere vota in isto die, donec venias ad illum diem, hoc est, qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*

Ritus consecrationis Nazaræorum.

Christianorũ est æmulari sortem Nazaræorum.

Ex SS. PATRIBVS. *August. in Psalm. 60.* Breuis & elegans commendatio perseuerantiæ.

Consecrationis nostræ ritus animas vrget ad pergendum versus metas nobis cælitus assignatas, id est, eodem nomine, quo sumus initiati fidei mysteriis, obstringimur etiam ad virtutum fines praxi assidua sedulò propagandos. Expressa auribus insonat Christi sententia, affirmans ineptos esse regno Dei omnes, qui missa manu ad aratrum perfidè retrocedunt. Quid sit autem mittere manum ad aratrum, & retro aspicere, audi ex Gregorio. Sic ille: *Manum ad aratrum mittere, est quasi per quemdam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus, terram sui corporis aperire: sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis, ad mala reuertitur, quæ dereliquit. Vnde Paulus: Vnum vero, quæ retro sunt obliuiscens, in ea quæ sunt anteriora me extendens sequor ad patriam supernæ vocationis. In anteriora enim extentus, eorum quæ retro sunt oblitus fuerat: quia temporalia despiciens, quæ sola sunt æterna requirebat.*

Gregor. in Ezech. & citatur Can. Pennata dist. 2. de pœnit. Quid sit manum mittere ad aratrum, & retro aspicere.

Non incœpisse ardua facinora sed in eis propagandis strenuam nauare operam, atque ita perseuerare in conciliata sibi forma virtutis magnæ, ferocissimæ etiam gentes strenuè laborarunt. In his occurrunt veteres Galli, quibus ante Christum natum erat in more positum pro suis appendere foribus capita hostium, quos victore suo gladio trucidarant, vt auctor est Diodorus testis oculatus exuuiarum, quas ego recenseo. Illius autem veteris instituti ratio non est difficilis indaginis. Nempe pendula hæc capita admonebant Gallos, non esse robur suum illecebris mollibus eneruandum, sed alendam hanc virtutem, qua vigente suos hostes validè subiugarunt. Vellem ego pro foribus animæ, id est mentis nostræ potentiis appendi species vitiorum, quæ Deo miserante extirpauimus, vt refricata memoria ideis virtutis præteritæ, hominem pigriorem summa ignominia afficiat, si cunctatur vsque ad mortem eadem præclara facinora fortiter exantlare. Quòd si virtutis emeritæ fuisset hostis ille obtruncatus, iidem Galli caput hoc oleo cedrino illitum arcula recondebant, nec parentibus mortui volentibus magno pretio redimere spolia hæc opima, vnquam illa capita remittebant. Sed ea cautè asseruabant vt aculeos ad virtutem suam in posterum aliis præclaris actibus ampliandam.

Diodor. Siculus lib. 5.

Gallorum olim vetus institutum, quo excitabantur ad egregia semper facinora.

In hac subiecta materia, quæ est de perseuerantia in bono vsque ad finem tenaciter, non est prætereundum vetus institutum religiosè obseruatum ab Ægyptiis, qui hoc vnum attendebant in sacris suis, scilicet vt Deos placarent. Vnde emersit ille ritus irreuocabilis, vt si non litassent, aliam denuo sufficerent hostiam, non resilientes à sacris donec constaret eis de Diis propitiis. Arbitrabantur Ægyptij, solam perseuerantiam in bonis operibus Deos inflectere, & citra hanc virtutem numina prouocari. Vtinam hoc recolerent Christiani, qui dubiam facientes benignitatem Dei, si statim non occurrit quod deposcunt, fluctuanti animo spe excidunt, ac proinde quantociùs ab inceptis precibus abstrahuntur. Si Ægyptiorum more Deum iugiter vrgeremus, nec oratio nostra deliquium pateretur, procul dubio litaremus, Deo annuente votis, quæ congrua oratio iugiter explicasset. Pacto se obstrinxit Christus, nullas fore preces irritas, si fundantur vt par est. Ecce diploma conuentionis initæ: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quale autem sit nomen Christi, accipe à Sponsa Canticorum. *Oleum effusum nomen tuum.* Vt ergo in nomine Christi effecta sit oratio, debet effundi in morem olei. Effunditur autem quando perseuerantia protrahit preces vsque ad tempus à Christo Domino præstitutum.

Ægyptiorũ ritus elegans pertinens ad perseuerantiam.

Alexand. l. 4. cap. 17.

Perseuerantia præcipuè in oratione necessaria.

Ioan. 16. Quomodo oratio fiat in nomine Christi.

Penes perseuerantiam in bono incœpto esse operis summam, sæpe suos discipulos præmonuit Apostolus, ita fatus: *Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis.* Etsi congrua sit comparatio stadij cum vita nostra, in eo quod victoria attendebatur ex cursu ad metam ducto; tamen nobis melius consultum est quàm Olympionicis, qui etsi omnes concurrerent, suamque omnem conferrent opem vt metas attingerent; non tamen omnes referebant præmium assignatum. Sed vnus tantùm renuntiabatur laureabundus, is scilicet qui prior ad metam deuenisset, aliis sic frustratis impendio suo. Alia planè est ratio stadij Christiani: nam omnibus egregiè nauantibus operam suam, si in suo benè operandi voto constantes sint, corona conceditur, statim atque metam attigerint, iuxta illud Pauli: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Vides non Paulo tantùm præcurrenti, sed & aliis omnibus stadium ingressis reponi lauream, si cursum vtique consummarint. Nempe ad omnes pertinet illud Apocalypsis: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Frustra autem eniti homines ad gloriam, si gratiæ Dei desint in fine cursus, ait Apostolus Ioannes, admonens vt sollicitè caueamus à defectu. Sic ille: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* Quasi diceret: Actionem bonam laus sua quamque manet; sed si perseuerantia desit illi bono operi, & gratia conciliata vapescat in supremo agone,

1. Cor. 9.

Beatius est stadiũ Christianũ stadio Gentilium, quia plures inibi coronantur quam apud Gentiles.

2. Tim. 4.

Apoc. 2.

2. Ioan. 8.

agone, perperam anima desudauit. Eò spectant illa verba Pauli: *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Spei incrementum adiicit ille præco Dei, affirmans nostram in gratia Dei constantiam non fore irritam, sed præmio æterno eam à Christo Domino compensandam. Ecce paræncsim: *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, & abundantes in omni opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.*

Hebr. 3. Perseuerantia in virtute laureanda præmio æterno.

1. Cor. 15.

Rursus quàm opima sit perseuerantiæ remuneratio, & qua laborent inopia ij omnes, qui tædio laboris fracti deficiunt, videre est ex apposita antiquitate Æthiopum, apud quos Hylogoni, id est syluigenæ degentes in arboribus metu bestiarum, pueros ea industria erudiunt in arte sagittandi, vt appenso pane ad scopum, puer collimando ad cibum non antè pascatur, quàm emisso spiculo panem contixerit, vt auctor est Diodorus ille Siculus. Fitque ita cibus perseuerantiæ præmium, & fames pœna eius qui destiterit ab incœpto. Eo ferè pacto Christus nos obstrinxit, vt quotidie peteremus panem nostrum quotidianum, quando orationem Dominicam composuit, quam Ecclesia frequenter vsurpat, eam omnium horarum fini adiiciens, sicut & omnes horas canonicas auspicatur ab illa oratione. Nam præfatiunculam Completorij subsequitur illa oratio, cui præludit versus ille Dauidicus: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Si igitur aliquando concutimur malis, ne causemur longiores Dei in concedendo moras; sed omnes nostras refundamus angustias penes ignauiam nostram perseuerantiæ nesciam. Hæc est enim præcipua mali labes: sicut potissimum bonorum omnium argumentum est petendum à tenaci proposito perseuerandi iugiter obseruato. Idcirco Beati omnes à Propheta lineantur eorum animalium typo, quæ non reuertebantur cùm ambularent. Ita Gregorius: *Non reuertebantur cùm incederent: quia electi sic ad bona tendunt, vt ad mala perpetranda non redeant: qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et sic per Salamonem dicitur: Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. In eorum namque animo bonum desiderium, atque intellectus lucis intima iam pars diei est. Sed quia vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum hunc veniunt, quando ad cælestia regna perducti, in ea luce quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt.*

Æthiopum ritus ad suadendam perseuerantiam. *Diodor. Sic. lib. 3.*

Malorum omniū scaturigo est defectus perseuerantiæ. Animalia Ezechielis insinuāt perseuerantiam.

Greg. hom. 5. in Ezech.

Quàm salutares sint effectus perseuerantiæ.

Maximè arridet Senecæ consilium suadentis perseuerantiam in bono opere, vt inde comparetur habitus, qui non influit in animam, nisi præuiis pluribus actibus elicitis. Plurimos autem actus exercere eiusdem argumenti, illud est onus perseuerantiæ. Ita Seneca suum affatur Lucilium: *Perseuerandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est.* Quia hominis Ethnici memini, placet subiicere historiam gentilem ex abdito penu antiquitatis à me depromptam, vt omnibus suppeditem exemplum perseuerantis animi, quo ignauia acuatur eorum, qui à bono incœpto opere destiterunt. Fuit hoc facinus egregium patratum à Græcis, qui vt audiere, Mardonium stipatum numeroso agmine Persarum imminere Græciæ, vt eam sibi subiiceret, coiere omnes apud Isthmum, & occurrerunt Mardonio hoc iureiurando emisso, scilicet perseueraturos morte tenus in eo proposito tutandi iura Reipublicæ & libertatis, quidquid ancipiti Marte ducibus accidisset. Hinc solenni voto edito, non defuere Græci, & præmium suæ perseuerantiæ acceperunt insigne, scilicet immortale decus victoriæ, & libertatem animi & corporis illibatam. Præstat audire ex Diodoro Siculo formam iurisiurandi, quo se Græcia obstrinxit, egregium perseuerantiæ specimen editura. En ipsissima verba: Οὐ ποιήσομαι περὶ πλείονος τὸ ζῆν τῆς ἐλευθερίας, οὐδὲ καταλείψω τοὺς ἡγεμόνας, οὔτε ζῶντας, οὔτε ἀποθανόντας, id est, *Vitam non pluris faciam libertate. Duces, seu viuant, seu occumbant, non deseram.*

Seneca ep. 16.

Egregium argumētum ad suadendam perseuerantiam.

Optimum Græcorum consilium ad frangendas vires hostium.

Diodor. Sic. lib. 11. Egregium iusiurandum Græcorum.

Qua igitur expedit nos perseuerantia accingi, quos spes gloriæ immortalis sollicitat, cùm Græci non dedignati sint omnia experiri discrimina vsque ad supremum spiritum, solo intuitu libertatis? Hoc altè pensat Chrysostomus ita fatus: *Absurdum fuerit, aliquos in certaminibus Olympicis quotidie à medio noctis vsque ad meridiem perdurare, expectantes vt videant, cui cessura sit corona, nudoque capite excipere Solis radios, nec prius abscedere, quàm de certamine fuerit pronuntiatum. Nos verò nunc cùm certamen sit, non de tali corona, sed de corona immortali, defatigari ac tædio affici.* Tamen hoc vnum præmoneo, perseuerantiam in gratia finali non esse facinus tantùm hominis, nec omnes gratiæ Dei influxu dignatos accepisse donum perseuerantiæ, quod ita Dei est, vt temerarium & hæreticum sit vel tentare Deo inconsulto assiduam virtutum praxim, vel credere quempiam propria virtute sua posse vacare bonis actibus ineunctanter. Eamobrem quando moraliter explico, eos qui recumbunt cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum, venisse ab Oriente, & Occidente, ita velim intelligas, Deum qui adfuit nobis in ortu conuersionis nostræ impertiendo gratiam, dignari nos in occasu nostro dono perseuerantiæ; ita vt quidquid in Oriente & Occidente rutilat, illud omne coruscum sit, Deo præcipuè cælitus illucente. Vnde vt nemo primæ gratiæ influxum suâ industriâ solâ potest accipere; ita & nequit sine speciali dono Dei perseuerare vsque ad finem in gratia illa desuper impertita. Hoc ipsum probare aggressus est Augustinus integro opusculo, cui titulus est, De bono perseuerantiæ.

Ex SS. PATRIBVS. *Chrys. orat. 1. contra Iudæos.* Elegans meditatio suadens perseuerantiam.

Donum Dei est perseuerātia, & non facinus naturæ tantum.

Aug. lib. de bono perseu. Tom. VII.

Ille idem Sanctus alibi insinuat vnde sit illud donum. Accipe eius sententiam: *Est in nobis per Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse quod velimus, verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo: vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit; nempe vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset, & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset. Nam si habuisset, perseuerasset.* Si gratia illa prima collata Adamo non fuit stipata hac virtute perseuerantiæ, vide ô Christiane, quàm cautè debeas versari in gratia illa, quam tibi sacramenta ritè frequentata conciliarunt, & quàm enixè rogandus sit Deus ne nos deserat imprudentes. Huc reuoca supra recensita; scilicet esse timenda

Idem lib. de correptione & gratia c. 11. Quàm sit potens gratia ad perseuerantiā cōparandam.

Eadem libro c.12.

Quàm sint tremenda Dei iudicia.

timenda & tremenda Dei iudicia, vt eo tremore demereamus Deum propitium, & ne in percepta gratia gloriemur. Ita Augustinus: *Nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis voluntas, & possibilitas, diuinæ gratiæ largitate donetur: tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint.* In Deo itaque spera, non deerit: conscius esto tuæ infirmitatis: aderit Deus: & qui in Oriente rutilus adfuit; cùm fueris in occasu, ille idem fons & scaturigo lucis æternæ minimè tenebrescet. Deus in nobis operatur.

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO, EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

Textus Euangelij sectus in tot numeros, quot controuersiæ agitantur.

I. CVM introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8.

II. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis: Non inueni tantam fidem in Israël.

III. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

IV. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

ORTHODOXA ET Catholica expositio Euangelij distributa in tot titulos, quot argumenta controuersiarum suppeditauit textus literalis.

I. VT luce meridiana oculi perfusi obuia quæque considerant; ita & anima lumine fidei dignata cælitus non cæcutit ad arcana Dei, vel ipso Centurione teste, qui Iudæis caligantibus professus est omnipotentiam Christi.

II. Et ne professio eius inanis & fastuosa foret, se totum subdidit Christo, humiliatione sua probans fidem esse bonis operibus fœtam.

III. Vt est illibata fides Ecclesiæ, quæ congregata ab omnibus terræ plagis, concordi ritu sua Deo pendit obsequia, adeò accepta diuinis aspectibus.

IV. Vt fides Catholica stipata bonis operibus à Deo accipiat stipendia gloriæ æternæ, quæ extra Ecclesiam Catholicam nemini conceduntur.

ELENCHVS ET RATIO CONTROuersiarum, quæ discutiuntur captata occasione materiarum huius Euangelij.

I. Centurio professus omnipotentiam Christi adeò præclarum fidei specimen edidit, vt Christus affirmarit se non inuenisse tantam fidem in Israël. Inde ansam arripio agitandi hanc controuersiam primam:

An fides consistat in assensu intellectus, aut in sola fiducia misericordiæ Dei.

II. Eiusdem Centurionis meritum Iudæi recensentes apud Lucam dixere Christo, eum suis sumptibus ædificasse Synagogam; & Matthæus fusè explicat, quomodo se infra Christum deiecerit, affirmando se indignum quem Christus inuiseret. Hinc capto occasionem versandi istam controuersiam secundam,

An fides requirat bona opera, vt hominem iustificet.

III. Christus demiratus hominis huius Gentilis fidem dixit, eum habiturum multos ex Gentilitate consortes, venientes ex omnibus mundi finibus. Inde desumo argumentum tractandi istam controuersiam tertiam.

An sit signum vnum singulare veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica, id est, orbe toto diffusa.

IV. Post recensita encomia Ecclesiæ congregandæ ab omnibus mundi oris, Christus ait Gentes illas exceptas gremio sanctæ Ecclesiæ fore saluas, alias verò omnes extra Ecclesiam in gehennam inferi protrudendas. Et hoc est argumentum controuersiæ:

An quis possit saluari extra Ecclesiam Catholicam.

SENSVS ORTHODOXVS.

Controversia I.

In quo propriè sita sit ratio fidei.

In hæc verba:

Sed tâtùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

Quare Iudæi foras eiecerint cæcum illuminatū.

Scribæ & Pharisæi audito prodigio perpetrato in persona cæci ab incunabulis, cupidi rescire ab eo seriem miraculi, sciscitati sunt ab eo quanam industria Christus ei oculos procurasset. Ille, cui lux diuina desuper affulserat, ait, rem illam non esse humanæ industriæ, quia non erat à sæculo auditum quemquam aperuisse oculos cæci nati, ac proinde hominem illum esse à Deo, qui suam doctrinam signis talibus adstruebat. Sinceritas huius hominis, in arguendo Iudæos, adeò perculit eos, & pudore affecit, vt indignabundi foras eum protinus amandarint. Sui animi infidelis hanc causam prætexebant: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Profectò pessimè consuluerunt sibi Iudæi detrectantes audire hominem curatum, & edoctum diuinitus, qui suæ cæcitatis reliquias omnes absterserat. Nam illis dedignantibus audire illuminatum hunc cæcum, fœdæ erroris tenebræ eorum animos excæcarunt. Eamobrem eos Christus nuncupabat cæcos, & duces cæcorum. Hodie etiam similem doctorem adhibet, vt Capharnaïtas Iudæos sibi conciliet, & fidei participes efficiat. Vt enim cæcum participem lucis effecerat, oculos eius aspergendo luto, quod est sanis oculis inimicum; ita vt tergeret Iudæorum caliginem, adsciuit hominem Gentilem, scilicet Centurionem, qui professus omnipotentiam Christi, affirmando penes eum esse, deplorata omnia verbo vnico reparare, satis superque ostendit se Christum credere Redemptorem. Eodem ergo Centurione vtar vt magistro ad erudiendos hæréticos nostrates, qui tot excitauere tragœdias, vt suos errores circa fidem disseminarent.

Ioan. 9.

Vt Iudæorū cæcitas damnata est à cæco illuminato; ita & hæreticorū perfidia condemnatur à Centurione profitente obsequium Christi.

Ne fidei anceps nomenclatura illudat, operæpretium est exponere quot modis hoc vocabulū, fides, explicetur auctoritate Codicis sacri. Primò fides significat fidelitatem, seu constantiam, qua statur pollicitis, cui quando aliquis deest, ille iure dicitur infidelis. In eo sensu Deo attribuitur fides, quia ille semper sibi cōstat, nunquā resiliens à promissis. Ita fidem vsurpat Paulus hoc contextu: *Numquid incredulitas illorum, fidem Dei euacuauit?* Rursus fides aliquando significat promissionem ipsam, seu votum emissum de re aliqua præstanda. Ita fidei nomen adhibet Paulus Apostolus hoc versu: *Primam fidem irritam fecerunt.* Id est, incurij fuere seruare ea, ad quæ implenda se voto prius obstrinxerunt. In eo sensu, phrasi vsitata dicimus, eum fidem fallere, qui non stat pollicitis. Iterum fides sumitur pro conscientia, vt patet eo loco Pauli: *Quod non est ex fide, peccatum est.* Demum fides sumitur pro adæquato obiecto, circa quod fertur assensus intellectus ob auctoritatem primæ veritatis. Huius acceptionis meminit Apostolus ita fatus: *Vna fides, vnum baptisma.* Quasi diceret: vt eodem ritu baptizati sumus; ita & eodem modo omnes credimus: fides namque Catholica de iisdem est, ac proinde vna est, quia fideles omnes feruntur in idem formale obiectum, assentientes iis omnibus, quæ à prima veritate reuelante proponuntur.

Quot modis accipiatur hæc vox fides.

Rom. 3. Qua ratione fides de Deo prædicetur.

1. Tim. 5. Fides sumitur pro promissione.

Rom. 14. Fides sumitur pro conscientia.

Ephes. 4. In describenda fide delirarunt hæretici.

De fide accepta eo pacto controuertitur. Hæretici in duas scissi classes recessère à communi sensu Ecclesiæ, assignantes dissonas rationes fidei. Transfugæ illi fuere, Lutherus, & Caluinus, duo pessima capita, vnde hæresis inundauit. Lutherus vult fidem esse voluntatis actum confidentis in misericordia Dei. Sic ille: *Fides est certa, altissiméque animo insidens, diuina bonitatis & gratia per verbum Dei cognita atque manifesta fiducia.* Desertor ille fidei, hoc delirium affinxit asseclæ suo Melanchthoni, qui ita nugatur, imò blasphemat loquendo de fide: *Cum Beatus Paulus dicit: Iustificamur fide, vult te intueri filium Dei sedentem ad dexteram Patris mediatorem interpellantem pro nobis. Proponis enim hunc victimam, & doces propter hunc filium Dei dari remissionem. Vt igitur vocabulum, fides, monstres illum mediatorem, & nobis applicet,* significat

Luther ser. Dominic. 2. Quadrag.

Melanchth. in locis communibus titulo, Fides.

significat fides, non tantùm historiæ notitiam, sed fiduciam misericordiæ promissæ propter Filium Dei.

Vtriusque nebulonis defectionem secutus Caluinus, aliquid de suo putido penu adiecit, ita hallucinans! *Fides est diuinæ erga nos beneuolentiæ firma certaque cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur.* Itaque hanc hæretici volunt esse fidei summam, vt confidamus in misericordia Dei promissa ob merita Christi, & reuelata per Spiritum Sanctum. In eo sensu obiectum fidei est misericordia Dei tantùm, & in hoc, concordi caligine cæcutiunt Lutherus, & Caluinus, qui tamen in subiecto videntur dissidere. Nam Lutherus affirmans fidem esse fiduciam, sedem eius in voluntate constituit; nimirum fiducia ex S. Thoma est spes roborata. Caluinus verò in descriptione fidei meminit notitiæ, in eo tamen mentiens, quòd fides non sit simplex notitia, vt sonant eius verba. Catholica sententia trifariam dissita est ab errore hæreticorum. Primò differt in obiecto fidei iustificantis, quod lucifugæ illi volunt concludi solis carceribus misericordiæ specialis, ita vt credere, nihil planè aliud sit quàm confidere, Christum agnitum, fecisse nobis Deum propitium. Catholici verò affirmant, latiùs patere obiectum fidei, & extendi ad omnia, quæ auctoritas primæ veritatis aperuit. Secundò dissentiunt Catholici à Lutheranis, quia non voluntatem, sed intellectum aiunt esse subiectum seu sedem fidei. Demum etsi Caluinus in partem sedis fidei vocet intellectum; tamen errat dicens rationem fidei esse penes notitiam: ideo Catholici adiiciunt, non esse fidem sitam in notitia, sed in assensu. Etenim Deo reuelanti assentimur, etiamsi non cognoscamus arcana, quæ fidei lumine proponuntur.

Caluin. l. 3. institut. c. 2. § 7.

Fidei rationem hæretici reponunt penes misericordiam.

Thom. 1. 2. q. 129. art. 6.

Catholica sententia in definitione fidei, quantù discrepat à delicto hæreticorum.

Nota, duplicem esse assensum intellectus specificè distinctum, iuxta distinctionem mediorum, quibus inflectitur anima ad præbendum assensum suum alicui propositioni. Vnus est assensus, qui sequitur euidentiam mediorum, quæ ratio percipiens esse vera, ipso lumine primorum principiorum statim assentitur. Vt audita hac propositione: Totum est maius sua parte; non cunctatur anima præbere assensum suum illi thesi. Assensus autem ille est clara notitia. Alter est assensus intellectus elicitus non ab euidentia rei obiectæ, sed sequens auctoritatem. Hic assensus dicitur fides. Et hæc fides talis erit, qualis auctoritas proponentis. Vt Romani olim tantùm detulere Scauro, eumque adeò veridicum credidere, vt cùm ab aduersario reus peteretur ad tribunal, & ibi actor multa in eum conuicia asperè dictitasset; Scaurus sola negatione diluerit iniurias. Illa fides dicitur humana, quam sibi conciliat auctoritas hominis veridici. Si verò diuinæ auctoritati innixus homo assensum præbuerit alicui propositioni, tunc illa fides erit Theologica.

Duplex est assensus intellectus specificè distinctus.

In quo assensu consistat fides.

Scauri magna auctoritas.

Præterea aduerte, stultè à Caluino & sequacibus eius fidem dici notitiam. Nam in eo qui credit, duo sunt, apprehensio scilicet, & iudicium, siue assensus: nemo etenim assentitur rei, quam non apprehendit. Apprehensio autem sine assensu non est fides: quippe Iulianus Apostata, Porphyrius, & Auerroës apprehenderunt mysteria nostra, ea speculantes, animo rixandi, & non tamen fideles extiterunt. Rursus apprehensio non dicitur notitia, si sit rudis & opaca; siquidem notitia discutit omnem caliginem: liquida autem & distincta apprehensio non est requisita ad fidem. Nempe Catholicus audiens Deum esse trinum in personis, etiamsi nesciat diuinas emanationes, notiones, & proprietates personales, si credit ita esse vt decernit Ecclesia, fidem habet, vtpote sequens auctoritatem primæ veritatis, quæ affulsit Ecclesiæ, iuxta illud Augustini: *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, auctoritati.* Ergo malè ab hæreticis definitur fides per notitiam, aut fiduciam. Sed antequam stabiliam Ecclesiæ Catholicæ sententiam, diluenda sunt argumenta hæreticorum; deinde adstruam rationibus & auctoritate sinceram Ecclesiæ disciplinam.

An fides sita sit in notitia.

Aug. lib. de vtilitate credendi c. 11.

PRIMA PARS CONTROVERSIÆ.

Quas hæretici machinas opponunt Ecclesiæ decernenti, in quo sita sit ratio fidei.

PHilosophiæ placitum est vbique receptum, videlicet neminem in malum ferri sub ratione mali, quia appetitus, vt cæteræ omnes animæ potentiæ, deuiare nequit ab idea scopi sui. Nota me dicere, appetitum & alias omnes potentias non posse aberrare ab idea siue ratione sui obiecti. Aliud enim est deuiare ab obiecto, & aliud aberrare ab idea & ratione obiecti. Verbi gratiâ, bonum est obiectum appetitus; qui tamen dum fertur in noxias delicias, malum appetit, nec ita deuiat ab idea sui obiecti, etsi reuera malæ sint illecebræ, quibus anima dementatur. Nempe appetitus illas apprehendit vt bonas, & conuenientes corpori. Ita intellectus non potest ferri in falsum sub ratione falsi, quia sic discurreret extra metas: sed dum hallucinatur anima, effingit sibi simulacrum aliquod veritatis, cui multiplici argumentatione litat. Hæc fuit industria hæreticorum, dum compegere descriptionem illam fidei, quam memini, affirmantes eam nihil aliud esse quàm fiduciam in misericordia Dei. Illi non propugnant hoc effatum vt falsum est, sed vt conueniens est intento, quod sibi hi transfugæ præfixerunt. Quale autem fuerit illud intentum, quod præstituere sibi hæretici, reponentes totam essentiam fidei penes fiduciam, à nemine potui deprehendere, adeò altum fuit Catholicorum de hac re silentium. Arbitror ego, non me latere impium & astutum consilium, illorum, qui commenti sunt adulterinam illam descriptionem fidei. Meæ autem suspicionis accipe rationes. Lutherus & Caluinus, Ecclesiæ desertores, hoc vnum intenderunt à defectione sua, vt fascinarent homines, & abstraherent ab ea veneratione, qua orbis ferè totus suspicit Ecclesiam. Vt fierent ergo voti compotes illi apostatæ, hinc auspicati sunt suum virus euomere, vnde præcipuè est Romana Ecclesia veneranda. Id est aggressi sunt Ecclesiæ fundamina, dirigentes suas machinas vt labefactarent fidem, arbitrati homines abiurantes fidem Ecclesiæ Romanæ, daturos facilè manus fidei iniqui dogmatis insurgentis.

Aliud est aberrare ab obiecto, & aliud deuiare ab idea, obiecti, & est benè aduertenda illa distinctio.

Auctoris sententia explicans quare hæretici reposuerint totā fidei summam penes fiduciam.

Non eos fefellit opinio: vbi enim increbuit illa sententia, fidem non esse sitam in assensu, sed

Quàm iniquos sit sortita effectus illa hæretica fidei descriptio.

ſed in ſola fiducia hominem dirigente in miſericordiam Dei; impune homines ſuo examini ſubiecerunt decreta Eccleſiæ, dedignantes eis præbere aſſenſum ſuum, cauſantes nihil pertinere ad fidem, credat quis necne ea quæ credenda proponit Eccleſia. Inde emerſit illa blaſphemiarum ſeges, quas euomuere hæretici in ſacramenta Eccleſiæ, in Sanctorum ſuffragia, & pleraque alia, quæ vt diuina auctoritate freta fidelium omnium ſibi aſſenſum aliàs obſtrinxerunt, & adhuc hodie deuinciunt. Rurſus genio indulgendi liberam fecere facultatem hominibus, dum dixere ſolam fidem iuſtificare, & fidem nihil aliud omnino dicere, quàm fiduciam diuinæ bonitatis. Quippe tunc libera facultas data eſt cauillandi, & ſpatiandi in his quæ antea tenaciter crediderant illi, qui impia ſuaſione perciti deuiarunt. Itaque hæretici ementitas veritatis exuuias appenderunt tholo illius fidei, quam propoſuere populis vt germanam. Etenim fucatis argumentis, in gratiam ſui effati compoſitis, vulgò imprudenti ſæpius illuſerunt.

Quibus argumentis adſtruant hæretici fidei ſuæ deſcriptionem.

Ecce callidorum hominum technas, quibus volunt imponere, fidem nihil planè aliud eſſe quàm fiduciam bonitatis & miſericordiæ Dei.

Hebr. 11.

Obiiciunt Primò locum Apoſtoli: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum.*

Quid ſignificet vox Græca ὑπόστασις.

Ibi aiunt, loco ſubſtantiæ poni Græcè hanc vocem, ὑπόστασις, quæ æquiuocationem vehit; nam & ſubſtantiam ſignificat; & expectationem. Etenim Pſalmo 38. verſus ille, *Et ſubſtantia mea apud te eſt*, Hebraicè ita legendus eſt, *Et expectatio mea apud te eſt*. Hoc namque exigit vox תוחלתי *thohalthi*, id eſt, expectatio mea, cui ſeptuaginta interpretes probè callentes vim verborum ſubſtituerunt dictionem illam ὑπόστασις, atque ita ex ſententia Apoſtoli petita à textu Græco, Fides eſt expectatio rerum ſperandarum. Expectatio autem perinde eſt ac fiducia, ſicque probatur intentum. Nam expectare res quæ ſperantur, eſt habere fiduciam bonitatis Dei, quæ participes nos efficiet gloriæ illius æternæ, ad quam votis omnibus anhelamus. Ita ſibi applaudunt hæretici garrientes in re Grammatica, ex qua næuos volunt offundere Theologiæ. Miror Bellarminum in hoc argumento diluendo conceſſiſſe hæreticis, ὑπόστασιν poſſe ſignificare expectationem; viro illi docto ſuſpicionem hanc fecit vox Hebræa תוחלתי, quæ æquè ſpem ſignificat atque expectationem, quia radix eius, יחל *iahal*, vtrumque ſignificat, ſcilicet ſperare, & expectare.

Diluitur argumentum hæreticorũ.

Sic ergo fuit ſoluenda obiectio illa Grammaticalis; videlicet negando, vnquam vocem illam, ὑπόστασις, ſignificaſſe expectationem, vt videre eſt apud Budæum, imò apud Eraſmum hominem fidei ancipitis, & propenſiorem hæreticis quàm Catholicis, qui hoc loco ὑπόστασιν vertit ſubſtantiam, licet in gratiam Lutheri, quem impensè amauit, potuiſſet ὑπόστασιν vertere expectationem. Sed potior illi fuit veritas quàm aſſentatio Lutherana. Præterea hæretici à Græcis prouocantes ad Hebræa vtrobique ſuam ignorantiam produnt, neſcientes Septuaginta Interpretes attendiſſe res potiùs quam verba, & ſtuduiſſe magis explicare intentum Spiritus Sancti, quàm facere exquiſitam dictionum anatomen. Vt Pſalmo ſecundo, vbi Hebræa ſonant נשקו בר *naſcheku bar*, id eſt, oſculamini filium, Septuaginta Interpretes non reddidere voces ſimiles, ſed expreſſere ſenſum intentum à Spiritu Sancto, qui concordat cum verſione noſtra Canonica, ita vertentes, *Apprehendite diſciplinam*.

Pſalm. 2. *Septuag. Interpretes* δράξασθε παιδείας.

Sic ſe res habet in propoſito verſu Pſalmi, qui à Dauide exprimitur phraſi aſſueta Hebræis, qui vt ſcatent in ſua dictione tropis, ſeu figuris, paſſim vſurpant abſtracta pro concretis, vt in citato exemplo, vbi expectatio ponitur pro ſubſtantia expectata, id eſt, pro Deo. Idcirco Græci pro more ſuo reddidere intentum Dei, & non verba affinia, ſicque ὑπόστασις in eo loco non reſpondet voci Hebrææ, quæ expectationem ſignificat, ſed eſt explicanda iuxta intentionem Pſaltis, qui illic de Deo loquitur, apud quem ait eſſe illam veram vitam, ad quam feruidus aſpirabat. Vocat autem illam vitam æternam ſuam ſubſtantiam, quia illa ſola ſubſiſtit verè, & non hæc noſtra vita fugax, atque ærumnoſa. Itaque vides quàm futile ſit illud argumentum, quo voluere Hæretici probare fidem non eſſe aſſenſum primæ veritati, ſed fiduciam bonitatis ſiue miſericordiæ Dei.

Aliud argumentum hæreticorum ad aſtruendam deſcriptionem fidei.

Inermes illo conamine hæretici redeunt aliâ armaturâ terribiles vt ventilant. Obiiciunt Abrahamum dici iuſtificatum ex fide, & Paulum nomine fidei intelligere fiduciam miſericordię Dei, vt colligere eſt hoc contextu: *Qui contra ſpem, in ſpem credidit, &c. Non hæſitauit diffidentia.* Reſpondeo; hallucinari etiam hîc aduerſarios. Nam fides Abrahæ verè fuit fides Theologica, ita innixa auctoritati reuelantis, vt omne dubium depoſuerit, credens ſe effœto corpore poſſe procreare liberos. Vnde quia fides eius fuit magna & inſignis, peperit fiduciam, quæ non eſt fides, ſed ſoboles fidei magnæ. Hanc autem Abrahæ fidem pertinere ad intellectum, & non ad voluntatem, quæ eſt ſedes fiduciæ, liquidò explicat Apoſtolus in ſerie eiuſdem capitis, vbi deſcribit illam inſignem fidem, ita fatus: *Pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere.*

Rom. 4. Soluitur argumentum.

Itaque fides illa non fuit in appetitu rationali, quia voces illæ, *Pleniſſimè ſciens*, intellectum notant & non voluntatem, & ſignificant Abrahamum credidiſſe Deum eſſe omnipotentem, vt præteriret naturæ leges, faciendo fœtam vxorem ſuam, quæ annoſa erat impar puerperio. At Deum eſſe omnipotentem, fide apprehendimus; non autem fiducia. Igitur definitio allata labat, quæ conatur expungere dogmata Chriſtiana.

Tertiùm argumentum hæreticorũ.

Tertiò inſtant petulci homines, & opponunt, Chriſto etiam auctore, fidem, & fiduciam eſſe res ſynonymas, vt videre eſt iſtis locis: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Modicæ fidei, quare dubitaſti? Quid cogitatis, modicæ fidei?*

Marc. 8. *Matth.* 14. *Matth.* 16. Soluitur argumentum.

Reſpondeo, debilitatem cauſæ argui ex languido effectu. Vnde quia fides eſt cauſa fiduciæ, Chriſtus diſcipulorum fidem tenuem ſuggillauit, petito argumento à modica eorum fiducia. Chriſtum autem fiduciam eſſe fidem inſinuaſſe nullibi legent tenebriones illi homines. Alia leuis armaturæ argumenta depromunt quamplurima, arbitrati ſe faceſſere negotium ſi nos armis obruerint.

Fides eſt cauſa fiduciæ, ideoque plerumque vni tribuitur quod alterius eſt.

Sed omnia illa diſſoluuntur adhibita illa cautione vt concedamus, ea quæ attribuuntur fiduciæ, quandoque tribui fidei, vt cauſæ illius, & aliqua etiam quæ ad fidem pertinent poſſe concedi fiduciæ; tamen non omnia dici ad conuertentiam, vt loquuntur Philoſophi: quippe non omnia quæ dicuntur de fide poſſunt dici de fiducia, quæ eſt legitima fidei proles. Verbi gratiâ, fides eſt aſſenſus ad omnia quæ innoteſcunt nobis

Deo

Deo reuelante: hoc autem nequit prædicari de fiducia, quæ sibi obiectum singulare affingit, scilicet misericordiam Dei.

Qua industria Ieroboã rebellem populum à suo Rege legitimo subtraxerit.

Dum illa hæresis in perniciem orbis emersit ex inferis, congruâ versutiâ vsa est ad dementandos homines, & eos distrahendo à cultu Ecclesiæ. Æmulata est hæresis industriam Regis Ieroboam, qui cùm insurrexisset in Roboam Regem suum commorantem Ierosolymis, secum abduxit vndecim tribus Israël in Samariam regni sui caput. Ne autem difflueret populus ad Regem suum legitimum Rege Salomone satum, cauit ne quis iret Ierosolymam pensum suum exhibere templo Dei, cuius aditu suos omnes indigenas prohibuit; cautè enim cogitabat populum adeuntem templum Dei ædificatum Ierosolymis, memorem fore obsequij aliàs exhibiti Regi suo legitimo, & conciliatâ sibi gratiâ eius redituram in priorem suam sortem. Accipe ex textu sacro versutiam, in quam se affabrè composuerunt hæretici: *Dixit Ieroboam in corde suo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem, & conuertetur cor populi eius ad dominum suum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis. Nolite vltra ascendere in Ierusalem: Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, &c. Et fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.*

Rebellio Ieroboam congrua est figura defectionis hæreticorum. *3. Reg. 12.*

Ita perduelles & transfugæ Hæresiarchæ, quando defecerunt ab Ecclesia, sequaces multos abduxere secum factos participes erroris sui. Verbi gratiâ, Lutherus toti Saxoniæ virus suum aspersit, & Caluinus Geneuenses omnes subduxit Ecclesiæ. Ne ergo desertores pœnitentia ducti denuo darent manus Ecclesiæ, principes hæretici auctores defectionis excogitauere consilium de prohibendo aditu Ecclesiæ, vt sic hæretici animos deponerent redeundi in gratiam cum Romana Ecclesia. Vt eis ad arbitrium cederet illud consilium, obserarunt fores Ecclesiæ; nimirum aliam statuere fidem ab ea, quam profitetur Ecclesia: ideoque cùm fides sit veluti ianua, qua quisque ingreditur ouile Christi; factum est vt Lutheri & Caluini symmystæ, Dei templo derelicto, duobus vitulis adhærerent; videlicet Luthero & Caluino, qui fidei obiectum fecere tantùm misericordiam Dei.

Hæretici colunt duos vitulos.

Absurda quæ sequuntur ex sententia hæreticorum circa fidem.

Vt dato vno absurdo, pleraque dissona emergunt; ita stante hoc hæreticorum delirio, fidem non consistere in assensu, sed in fiducia misericordiæ Dei, nemo teneretur ad profitendam fidem Christianam tempore persecutionis. Nam negare Christum esse Deum, non esset contra fidem, quia negatio illa non destruit fiduciam bonitatis, vt quid oppositum in ea potentia animæ, vbi residet fiducia: negare enim est actus intellectus, qui distinguitur realiter à fiducia, quæ est in voluntate, & sic vnus actus non destruit alterum, ac proinde negans Christum esset simul fidelis & infidelis. Fidelis quidem, quia non fiduciam deponeret misericordiæ Dei: infidelis, quia negaret. Huic blasphemiæ suum præbuit suffragium Basilides hæresiarcha qui non floruit, sed tabidus emarcuit primo sæculo. Hunc hominem nequam detestantur Irenæus, Clemens Alexandrinus, atque Philastrius, quia docebat vrgente speculatore fidem esse abiurandam, etiam adhibito periurio. Hoc virus ebiberunt Helchesaitæ, quibus fidem ore tenus abdicare, non erat piaculum, vt refert Eusebius.

Basilidis error circa fidem. *Irenæus.* *Clem. Alex.* *Philastrius: de Basilide.*

Euseb. l. 6. c. 38. Helchesaitæ quàm fœde errarint circa fidem ore profitendam.

A clypeo ad gladium transeamus, propugnemus, oppugnemus. Fert animus illudere notioni huic, quam fidei affingunt hæretici mentientes, cùm rationem eius totam deponunt penes fiduciam, & obiectum fidei nullum aliud constituunt præter misericordiam Dei. Volo in hoc discrimine æmulari facinus Banaiæ, qui hominem Ægyptium dignum spectaculo, & instructum hasta prævalida aggressus, propria eius hasta interfecit. Primum telum quod hæretici intorserunt in nos, fuit textus Pauli ad Hebræos, vbi ait fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Ego hunc textum validè retorqueo in perfidos homines, nescios quantùm stabiliat veritatem fidei nostræ locus ille Pauli, qui nequit explicari de sola fiducia, qua quis misericordiam Dei ita sibi applicat, vt certus sit de salute sua. Nempe ait Apostolus, fidem esse substantiam rerum sperandarum. At illa misericordia Dei singulis quibusque fidelibus afficata, non speratur, sed habetur eodem momento, quo quis initiatur fide. Ergo illa misericordia ita apprehensa fidem minimè constituit, quia non speratur, sed possidetur. Rursus actui voluntatis non potest attribui titulus substantiæ, eo sensu quo suggerit Apostolus, ideo vocans fidem substantiam rerum sperandarum, quia res sperandæ, vt sunt gloriæ æternæ opima stipendia, quæ nos Deo miserante manent, nullam adhuc in rerum natura subsistentiam habent aliam ab ea, quam nactæ sunt in intellectu nostro, beneficio intellectus cui incumbit fides. Nam intellectus assentiens his rebus sibi propositis, facit illas subsistere, cùm non sint futuræ, nisi tempore à Christo Domino præstituto. At fiducia misericordiæ Dei in nihil futurum fertur, sed tantùm occupatur circa remissionem peccatorum, qua eo instanti gaudet, quo fidem accepit. Itaque in mente Apostoli nequit fiducia rei præsentis & possessæ esse fides, cùm ea sit id quo subsistit res superioris ordinis à Deo promissa.

Fidem non esse sitam in fiducia misericordiæ Dei plurima argumenta probant.

Quænam pertinent ad fidem.

Aduerte tamen, ea verba Pauli non componere adæquatam definitionem fidei, quia res sperandæ non sunt totale obiectum eius, sed partiale tantùm: quippe fides est de rebus præteritis, præsentibus, & futuris. Credimus namque Filium Dei assumpsisse hominem. Confitemur hodie remitti peccata eis, qui omni obice seposito, sacramentorum gratiam suscipiunt. Demum fides fertur in præmia & supplicia sæculi instantis. Eamobrem Paulus Deo afflatus, ne quid deesset illi descriptioni fidei, adiecit eam esse *Argumentum non apparentium.* Quasi diceret, res omnes inaspectas, quæ diuina auctoritate proponuntur intellectui, esse obiectum fidei, quæ eumdem sortitur effectum in intellectu, quem argumenta proliciunt. Nimirum vt argumenta conuincunt intellectum, & velut adigunt vt suo assensu litet conclusioni obiectæ; ita diuina auctoritas intellectum validè sollicitat, vt assentiatur iis omnibus, quæ illi diuino nomine prædicantur. Sed esto liber & certus sit ille assensus ab anima præstitutus, magisque tenax sit quàm assensus à demonstratione elicitus; dispescitur tamen ab assensu, quem

Hebr. 11. Quare fides dicatur argumentum rerum non apparentium.

quem scientia demeruit, in hoc quòd iste sit obscuritatis impatiens, & requirat erudientem notitiam. At fides secus conuincit intellectum, vt assensum suum vltro præbeat rebus subobscuris, & sensibus inuiis. Demum, quod rei summa est, Paulus fidem appellat argumentum, vt fidei sedem insinuet eamdem esse, quæ est argumenti, scilicet intellectum. Ergo cùm fiducia misericordiæ Dei conciliatæ, & animam eadem morula repurgantis, non sit actio intellectus; omnino absurdum est dicere, fiduciam illam esse argumentum non apparentium, cùm fiducia non conuincat intellectum, sed voluntatem magis deuinciat, vt tota effundatur in obsequiis eius, cuius amor generat illam fiduciam. Hoc idem clamat vox illa, *Substantia rerum sperandarum*. Siquidem res sperandæ non subsistunt, nisi beneficio fidei, quæ facit præsentia, ea quæ alioquin non extant. Sed repræsentare, non est voluntatis vbi degit fiducia, sed est negotium intellectus, qui rem apprehendens per speciem sibi impressam, facit rem esse antequam sit.

Scientiæ & fidei quęnam sit disparitas.

Si hæresis confossa spiculis intortis adhuc spirat, & in modum colubri suos colligit gyros, & voluit spiras, mussitans iterum fidem nihil esse præter fiduciam illam quam memini, & qua adblandiens sibi anima certior effecta de salute sua lætum agit æuum; nouis iaculis est denuo contigenda. Iuxta Dei præceptum gentem hanc perfidam tentabo funditus extirpare. Vt Chaldæi insurgentes in greges viri sancti Iob, tres fecere turmas; ita & hæretici impugnantes gregem Christi, in his quæ ad fidem pertinent, totam illam controuersiam in tria capita refuderunt. Primò dixere, fidem esse fiduciam. Secundò, esse notitiam, non assensum. Demum fidei obiectum esse misericordiam Dei specialem ei, qui actualiter credit eadem ipsa morula cælitus applicatam. Vt vrbs Iericho diruta solo fuit adæquata, & damnata in ruinam perpetuam; & ego volo hanc hæreticorum sententiam ita explodere, vt lacera concidat vsquequaque.

Duplex error hæreticorum circa fidem.

Denuo improbo, fidem esse fiduciam, & dico esse actum intellectus, ipso auctore Paulo, qui dum recensuit fidem Abrahæ, meritum illius ostendit isto argumento: *Non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, & emortuam vuluam Saræ, in repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est facere* Paulus duabus hisce rationibus adstruit fidem Abrahæ, quòd scilicet non considerauerit corpus emortuum, & quod plenissimè scierit Deum nunquam deesse pollicitis. Sed considerare, & plenissimè scire, sunt actiones intellectus. Ergo fides non est fiducia, quæ est actus voluntatis. Rursus si fides esset fiducia, non essent tres virtutes Theologales quas tamen tres realiter distinguit Paulus, hoc versu: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Cùm ergo distinguantur fides, & spes, non poterit fides esse fiducia, quia fiducia nihil omnino aliud est à spe roborata, vt præmonuit supra Angelicus Doctor, & ex Scriptura liquet. vbi spes, & fiducia, idem planè sonant. Consule Iob, & referes inde sententiam istam: *Spes hypocritæ peribit, & sicut tela aranearum fiducia eius.* Res esse concolores spem & fiduciam, alij textus probant. Quod namque

Rom. 4
Ex Paulo fides est actus intellectus.
Fidem non esse fiduciam ostendit Paulus.
1. Cor. 12.
Thom. 2. 2. q. 129. art. 6.
Iob. 8.

spei nomine Dauid occinit, illud idem fiduciæ vocabulo recensuit alter Vates scilicet Ieremias. Ecce Psaltis suaue melos: *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Huic concinit ita Ieremias: *Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Igitur etsi fiducia sit veluti quædam fidei prosapia, non tamen est ipsa fides, ideoque malè sibi consulunt hæretici, salutis suæ summam reponentes penes illam fiduciam, quasi esset ipsissima fides, quod tamen nequaquam est, vt hoc etiam clamat iste alius Pauli locus. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia, per fidem eius.* Reuera batologiæ, & inepti sermonis suspicionem faceret Paulus, si saperent hæretici, affirmantes fidem esse fiduciam. Sensus enim verborum Pauli iste foret: Nos habere fiduciam, & accessum in confidentia per fiduciam. Si ergo Pauli oracula præualere debent in deliria perfidorum hominum, & habeamus fiduciam & accessum in confidentia per fidem; profectò fides non erit fiducia, quamuis fides illam parturiat.

Spes & fiducia idem sonant.
Psal. 39.
Ierem. 17.
Ephes. 3.

Satis superque credo refutatum esse caput illud sanè præcipuum, quo hæretici tentant facere irritam Catholicorum fidem. Itaque machina nostra est in alios dirigenda fucos, hos scilicet quos prætendit Caluinus, homo procax, & iniurius Ecclesiæ, siquis alius sycophanta. Is tanquam licitator impietatis, arbitratus non satis esse mendaciorum aspersum veritati, hoc de suo egessit promptuario, videlicet fidem secum importare euidentem notitiam, ac proinde desipere Catholicos, qui omnia Ecclesiæ placita credere confitentur, etsi non clariùs innotescant. Eamobrem in hanc fidelium indolem inuehitur, & definit fidem per cognitionem. Gladio ancipiti confodiendus est hic rabula, qui voluit arcana fidei esse nota lippis atque tonsoribus, dignus sanè qui commendetur Ethnicis, qui credidere Actæonem in bestiam abiisse, & proinde laceratum à canibus, quia curiosè inspicere ausus est Dianam nudam. Vult ille proteruus homo, mysteria nostra prostare vili plebeculæ, & seposito omni venerando velamine, populo denudari. O abominandum caput! ò hominem in æternum lacerandum vermibus vltoribus iniuriæ illatæ Deo, & arcanis eius. Sed quia declamare in errorem, non est illum conuincere, duobus textibus Caluinum conficio. Prior est iste antea recensitus: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Tota hæc verborum series Caluinum damnat, eliminando notitiam illam claram, quam ille rabula nititur affingere rebus fidei. Primò dicitur ὑπόστασις, substantia, siue fundamentum. At substantia, & fundamina non videntur. Quicquid enim videtur est color, at color non est substantia. Rursus ibi fides dicitur esse de sperandis; at ea quæ sperantur absunt, ac proinde omnium effugiunt oculorum aciem. Demum licet argumentum, cuius ibi meminit Apostolus, aliquam suggerat notitiam; monet tamen Apostolus eam esse subobscuram, quando subtexit, illud argumentum esse rerum non apparentium, quæ eo solo apprehenduntur, quia tales esse persuasit nobis auctoritas Domini reuelantis.

Caluinus homo procax quantum delirarit in fidei definitione.
Caluin. l. 3. Instit. c. 2.
Caluinus vult fidem importare claram notitiam.
Hebr. 11.
Damnatur hæretica fidei descriptio.
Conuincitur insaniæ illa Caluini sententia volentis fidem habere notitiam adiunctam.

Alius locus castigans insaniam Caluini hic est: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Eo textu Isaias elimatè probat, fidem non esse notitiam, sed potius esse præuiam ad notitiam, ita vt operæ-

Isai. 7.

pretium

pretium sit credere, antequam intelligas. Stultè igitur fatuus ille clamat, nihil esse credendum nisi prius innotescat. Concedimus quidem, apprehensionem præire fidei, sed ea quæ quis apprehendit, non distinctè & liquidò agnoscit; imò apprehendendo res fidei, apprehendimus eas esse subobscuras, nihilque habere quo inflectant animum ad assensum præter auctoritatem Domini suggerentis. Dum ergo voluit Caluinus fidei arcanis prætendere facem rationis, voluit lumen Solis intendere obtenta facula modico lumine radiante. Vbi enim illucet diuina veritas, illic satis superque luminis est ad obstringendam animam, vt assensum præbeat omnibus à Domino reuelatis, etiamsi ratio cæcutiat, qua semper credimus inconsultâ.

Fides fertur circa alia plura quàm circa misericordiam Dei.

Tertium quod mihi incumbit impugnare est, fidei obiectum ab hæreticis assignatum. Dicunt enim præcisum fidei obiectum esse remissionem peccatorum, nobis erogatam à Dei misericordia. Quàm longè aberrent illi, vide vnico exemplo, quo Christus ipse alia ostendit esse obiecta fidei iustificantis, præter misericordiam Dei crimina relaxantem. Sic enim affatus est cæcos, de lumine reduce sollicitos: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Proculdubio illa interrogatio pertinebat ad fidem Theologicam; nam opus supra naturam attendebat, atque adeò fides illa speculabatur omnipotentiam Christi. Fidei suæ hoc specimen ediderunt cæci: *Vtique Domine.* Audis, eorum fidem non spectasse misericordiam sed potestatem, & fuisse reuera fidem, vt ipse Christus Dominus approbauit, eorum votis fertuidis annuendo: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Denique illa erronea sententia de notione fidei assignata ab hæreticis, fusè probatur altera parte istius controuersiæ, vbi adstruo Catholicam disciplinam pluribus argumentis.

Matth. 9.

SENSVS ORTHODOXVS.

Pars Secvnda Controversiæ.

Fidei proprium esse, assentiri incunctanter in omnibus, quæ Deo reuelante didicimus.

In hæc verba:

Sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

ARGVMENTVM I.

Ex Scriptvra et Ratione.

Libri Sybillini fuere Romanis instar oraculi.

INstituto veteri Romanorum mos ille inualuit, vt aliqua clade imminente Reipublicæ, consulerent libros Sybillinos; multo namque experimento didicerant, benè cessisse res compositas ad arbitrium illius oraculi. Nolo inficiari fuisse illic pleraque arcana recondita, quibus intellectis percipi aliqua commoda potuerunt. Nobis tamen adhuc melius Deo miserante cautum est, suffragio Scripturæ sacræ, qua Deo afflati homines, non sua dicta, sed edicta aperuere mundo, lucidam sic facem accendentes, cuius obsequio infidelitatis humanæ tenebras abegerunt. Ita Petrus Apostolus: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Cùm ergo in perniciem hominum hæresis Dæmone parente sata sit, maturi & sani consilij negotium arbitror consulere libros sacros, vt Ecclesia reserante eorum oracula, caueamus nobis ad eorum arbitrium. Videamus igitur an fides pertineat ad assensum intellectus; nomine enim assensus propriè intelligitur illa actio intellectus, qua verum decernit esse id quod diiudicandum ei proponitur, licet apud Grammaticos linguæ Latinæ cultioris amantissimos, assensus per omnes potentias vagari queat, cùm quidquid sensus probant, illud eorū assensum possit dici obstrinxisse sibi In eo sēsu vsus est Cicero hac voce, ita fatus: *Qui visum, aut assensum tollit, is omnem actionem tollit è vita.* Tamen vbi nudè assensus ponitur, præcipuè ad intellectum pertinet, quia propriè assentimur veris, & verum nullius potentiæ obiectum est, præterquam intellectus. In sua hac propria significatione accepit vocem illam Cicero hoc loco: *Is quoque qui à vobis sapiens inducitur, multa probabilia sequitur, neque comprehensa, nec percepta, nec assensa, sed similia veri.* Necessariam iudico rem docere hæreticos in his quæ pertinent ad Grammaticam, ne ignorantes fidei rudimenta vtrobique maneant imperiti.

2. Pet. 1.

Quid propriè significet assensus intellectus.

Cicero 4. Academic.

Cicero ibid. Hæretici etiā nescij Grammaticæ.

Ad controuersiæ decisionem opportunè adest Paulus, commemorans prædicationis Euangelicæ fructum, in disseminatione fidei partialiter situm. Nam ideo Euangelij tubæ clangor insonuit orbe toto, vt crederent omnes, quia fides ex auditu, & postea fidei huius beneficio quisque suæ saluti incumberet. Hunc igitur prædicationis fructum, scilicet fidem recensens ille ait: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.* At non potest captiuus fieri intellectus, nisi elicito eius assensu. Ergo fides pertinet ad assensum, & non ad fiduciam. Rursus ipse Dominus liquidò discutit illam caliginem, quam conatur hæresis offundere. Sic enim mulierem alloquitur: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Vides mulierem habuisse fidem, & non fiduciam; aliàs enim fuisset incongrua illa Christi hortatio. Nam si fides, & fiducia vna eademque res essent; mulier illa, cui erat fides insita, non fuisset indiga fiduciæ. Sed quid laboro in textibus aucupandis, cùm Centurionis historia suppeditet locuples argumentum? Vir ille Deo illucente desuper eruditus, fidei suæ magna specimina præstiturus, non ait se confidere accipere à Christo remissionem peccatorum suorum, sed duntaxat professus est Christum esse omnipotentem, & verbo deplorata posse protinus instaurare. Suam hanc professionem testatus est, suo ipsius exemplo, qui licet infra alios homines esset; poterat vnico verbo vrgere milites, & seruos sibi subditos. Et tamen nulla omnino facta mentione remissionis peccatorum, aut misericordiæ, Christus illam hominis fidem prætulit omni Israëli, affirmans se non inuenisse tantam fidem in Israël. Ergo fides non est sita in fiducia misericordiæ Dei relaxantis piacula perpetrata.

Fidei ratio sita est in assensu.

2. Cor. 10.

Matth. 9.

Fidem non esse fiduciam locuples textus probat. Centurionis fides ostendit in quo præcipuè sita sit fides.

Aliud argumentum in gratiā fidei.

Præterea Christus aliud omnino à misericordia obiectum dedit discipulis suis, eos sic compellans: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter ipsa opera credite.* Nullam ibi mentionem nisi diuinitatis fecit, volens acuere hebetem & obtusam fidem discipulorum. Adiice præclarum locum Pauli, vbi fiduciam distinguit à fide. Sic ille: *Qui benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo.* Nota Apostolum dicere in præmium boni operis dari fiduciam. Ergo fiducia non est fides, quia iam erat fides, ratione cuius fuere illa opera Deo grata, quibus homo meruit fiduciam; nam sine fide est impossibile placere Deo. Fortè hæretici lippientibus oculis nequeunt ferre rutilum lumen Scripturæ sacræ, ideoque gratius erit lumen tenue, quod ratio naturalis ingerit. Audiant ergo Moysem alloquentem carnales homines, qui metuunt vocem Domini desuper intonantis. Id est, audiant argumenta petita ex ratione, quandoquidem Scripturæ sanctioris textibus obsurdescunt. Sic arguo ad hominem. Per te, ô hæretice, Scriptura sacra est regula veritatis, & ex articulis tuæ confessionis nefas est credere aliquid citra testimonium Scripturæ sanctæ. Ergo fides non est fiducia misericordiæ remittentis peccata, cùm nullibi reperiatur fides sic descripta; imò verò locis recensitis supra, fiducia realiter distinguitur à fide. Rursus si fides esset idem ac fiducia, quoties Scriptura sacra commemorat verbum, credo, perinde esset ac, confido. Sed hoc est omnino ineptum, vt patebit examinanti textus omnes vbi occurrunt illa verba. Vt in prælaudato textu. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Insulsa plane esset illa conuersio. *Non confiditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa confidite.* Non potest fiducia substitui in locum fidei, quando hic suos discipulos hortatur vt credant Patris & Filij vnam eamdemque esse essentiam: quippe fiduciæ obiectum est bonum quod speratur; fidei verò obiectum est aliqua veritas apprehensa vt deriuata à prima veritate.

Ioan. 14.

1. Tim. 3.

Impugnatur valido textu fidei hæreticæ descriptio.

Quibusnam rationibus ostendatur insulsa sententia hæreticorum circa fidem.

Alia item occurrit ratio stabiliens fidem esse sitam in assensu. Deus homine edito sui iuris, ab eo tamen aliquod exegit obsequium, quo testaretur homo se Deum agnoscere vt Dominum, infra quem sunt omnia. Hoc autem obsequium ab homine non tantùm rependi debet corpore tenus, flectendo genua; sed etiam animam suam Christo Domino deuouendo. Ne autem laboraret homo in indagine modi propitij ad demerendum Deum, ipse Deus semper beneficus, homini infudit fidem, spem, & charitatem, vt principes animæ facultates vltro se suo Domino consecrarent. Fides intellectum inclinat ad assensum eorum, quæ diuino numini credendo indicuntur homini. Voluntas charitate accincta tota in Deum effunditur, eius ita amore flagrans, vt mortem potius appetat, quàm aliquid Deo iniurium concupiscere. Eadem spe instructa fertur in bona futura, magnos concipiens animos, ad gloriæ æternæ præmia capessenda. Vnde patet quàm sit absurda illa conclusio hæreticorum, quæ negat fidem consistere in assensu. Tunc intellectus nulla Deo penderet obsequia, si libera copia daretur ei scrutandi arcana Dei, & de eorum veritate decernere, prout animo ei insideret. Ne quid ergo vacaret in homine, Paulus benè præmonuit prædicationem Euangelij captiuare omnem intellectum in obsequium Christi.

Qua valida ratione constet fidem esse in assensu intellectus.

Quomodo tres virtutes Theologales hominé afficiant.

SENSVS ORTHODOXVS.

Fidei rationem consistere in assensu.

In hæc verba:

Sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

ARGVMENTVM SECVNDVM Ex SS. PATRIBVS.

Cvm Samuel querulus Deum obsectaret, vt sana consilia Iudæis suggereret, qui pertæsi ipsius Samuelis regimen, deposcebant sibi Regem, ad instar cæterarum Gentium. Deus Prophetæ sui mœrorem sic leuauit. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Quasi diceret: Te iudicante populum hunc meo nomine, ego inter eum medius obertabam. Sed quia fastidit populus meum principatum, & vult inire ritus Gentium, præfiniendo sibi Regem, annue eorum votis, & prædic eis iura regni, quæ erunt aspera & acerba sanè, præter eorum intentum. Nempe nihil omnino sui iuris habebunt, statim atque dederint manus suas Regi, & te meas agentem partes missum fecerint, Rex ille grandes induet animos, & filios eorum assumet in equites & pedites suorum agminum. Bonorum omnium præcipuam & opimam partem suis gazis adiiciet. Non defuit suo muneri Samuel; sed omnia sibi iniuncta fideliter enuntians populum præmonuit, multa ei imminere mala. Nihilo tamen cautior effectus populus ille inconstans, exautorauit Samuelem, & Saülem sibi præfecit in Regem, factus deinde sub Regibus multis cladibus obnoxius.

1. Reg. 8.

Hebræorum sors iniqua postquam sese subduxere iugo Samuelis vt præficerent sibi Regem.

In hæc discrimina deuenere Christiani fastidientes Sanctæ Ecclesiæ iusta moderamina. Abdicauere sententias Sanctorum, qui nomine Dei dictauerunt oracula, quæ ad fidem pertinebant. Et plerique populi scissi in turmas præstituere sibi Regem, instar Gentium, quæ olim Philosophis variis adhæserunt. Vt videre est in Pythagoræis, Stoicis, Platonicis, Pyrrhonistis; & aliis huius farinæ viris. Ita Christianorum quidam dedere nomen suum Ario, Pelagio, Nouato, & similibus sycophantis, quorum sectæ vt pessum abiere, diabolus instigator hæreseum imperitum vulgus superiore sæculo nouo dogmate dementauit. Quippe multi exosi regimen Ecclesiæ, sequaces fuere Lutheri, & Caluini, renuentes morem gerere præconibus verbi Dei, præfantibus illud esse ingenium hæreseos, vt opima quæque animarum delibet, infatuando scilicet intellectum, & voluntatem inclinando in omnia iniqua. Suo discrimine experti sunt hæretici quàm amarum sit dereliquisse Dominum, quem noluerunt regnare super se, sed eum abiecere, quando sanctiorem Patrum disciplinam turpiter abiurarunt. Itaque quando ago in transfugas illos, non eo animo depromo sententias Patrum, vt credam eos inde fore prudentiores: qui enim Deum abiecerunt loquentem in Scripturis, eumdem etiam refellent

Christianorũ status infelix fuit postquam repudiato iudicio Ecclesiæ dederé manus hæresiarchis.

Quare referantur senténtiæ SS. Patrũ dum controuersiæ agitantur.

refellent ore Patrum sua dogmata decementem. Eo igitur intento adhibeo Patres in dirimendis controuersiis, vt videant hæretici quomodo Ecclesia Catholica semper constiterit sibi, professa semper eamdem disciplinam: nescit quippe variare fides, alteram prorsus indolem nacta, ab ea vertigine, qua in gyrum acti semper hæretici, nutante vestigio claudicant in vtramque partem; indigiter errabundi.

Fides Ecclesiæ vna eademque est, constans sibi semper.

Ex eo venerando Patrum choro prodit Chrysostomus, suum calculum adiiciens nostræ conclusioni, quæ damnat illam hæreticorum fidem sitam in fiducia misericordiæ, & affirmat præcipuam fidei rationem esse in assensu. Etenim Chrysostomus longam epithetorum seriem texens in gratiam fidei, ait eam esse credulitatem, sed de fiducia altum est eius silentium. Sic ille: *Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus inquam sine hac promeruit Deum, nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit. Est enim fides innocens ac pura credulitas, qua ad Deum accedimus, qua præceptis insistimus, qua expiata mente Dominum veneramur. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet, felix est; qui deserit, miser.*

Fidei luculentum encomium.

Ex SS. PATRIBVS. Chrysost. ser. de fil. spe. & charitate.

Rursus vide fidem pertinere ad assensum ex Irenæo. *Melius est nihil omnino scientem credere Deo, & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, quàm quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* Vides Irenæum comparare scientiam & fidem, quia vt scientia dicit assensum intellectus conuicti euidentiâ rei; ita & fides clamat assensum intellectus, quem sibi deuinxit auctoritas. Subscribit Irenæo doctissimus ille Clemens Alexandrinus ita fatus: *Fides non sapientum secundùm mundum, sed eorum, qui secundùm Deum sunt sapientes, possessio est. Illa autem etiam absque literis discitur.* Sapere, & discere, circa quæ versatur fides, ad intellectum pertinet, & non ad voluntatem; quippe eorum obiectum est verum, quod speculari, negotium est intellectus. Accedit Hilarius sic concinens: *Habet non tam veniam, quam præmium, ignorare quod credas, quia maximum stipendium fidei est, sperare quod nescias.* Quid est autem credere quod ignoras; & ignorare quod credas, nisi præbere assensum propositioni, non benè perspicuæ lumine naturali. Huius generis est hæc sententia Augustini: *Si propter eos solos Christus natus est, qui certa intelligentia possunt ista decernere; penè frustra in Ecclesia laboramus.* Meminit ille liquidò intelligentiæ, notans fidem propriè pertinere ad intellectum. Eò spectat & hoc aliud eius eloquium. *Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Item hoc adstruit ita. *Non quia cognouerunt, crediderunt; sed vt cognoscerent, crediderunt. Quid enim est fides, nisi credere quod non vides?* Nihil profectò elimatius in eo argumento desiderare potes, quo tibi constet fidem esse in assensu, non quidem petito à lumine rationis, quæ plerùmque illudit, sed ab auctoritate, cui annuere; hoc est habere fidem diuinam, si sit illa auctoritas diuina: alioquin diceremur rationales, & non fideles, vt benè admonet Augustinus. Sic ille: *Considera, quòd voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto baptismo hoc dicimus; fidelis factus sum, credo quod nescio.*

Iren. l. 2. cap. 45. Fidem pertinere ad intellectum conclamant SS. Patres. Clem. Al. l. 3. Pædagogi cap. 11.

Hilarius l. 8 de Trin.

Aug. epist. 101. ad Euodium. Idem lib. contra epist. fundamenti c. 4. Idem Tract. 40. in Ioan. Idem ser. 189. de tempore.

Prospera etiam cuncta nobis enuntiat Prosper in hoc themate spatiatus. Sic decurrit: *Dicente Apostolo: Nisi credideritis non intelligetis; datur intelligi, quòd non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat: nec qui intelligit credat, sed qui credit intelligat.* Vides in Sanctorum choro nullam omnino fieri mentionem huius fiduciæ, quàm comminiscuntur hæretici, fidem reponentes penes voluntatem, adiecta clara notitia suæ salutis certissimæ. Concordant in eo argumento Patres, quia vt fideles eodem afflati sunt spiritu, quo percitus Petrus fidem suam professus est. *Tu es Christus filius Dei viui.* In ea professione laudatur à Christo assensus Petri, & hunc assensum fuisse facinus egregium mentis annuentis, ad omnia, quæ cœlitus emicant, Christus ipse insinuat, commendando fidem Petri isto encomio: *Beatus es, Simon Bar-Iona; quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Nota reuelari veritates, & veritatem esse obiectum intellectus, qui scientia non instruitur, nisi assensum suum præbeat. Cùm ergo fides sit habitus certior omni scientia, licet non habeat euidentiam, prærequirit assensum, & in eo propriè consistit ratio fidei illibatæ, & non in illa certitudine misericordiæ Dei in nos actualiter influentis ad peccata emungenda. Nempe ex Scriptura liquet, fuisse fidem absque illa certitudine misericordiæ ei beneficæ, qui tamen ea fide præpollebat, vt patet in leproso illo, qui Christum hac supplici oratione demeruit: *Si vis potes me mundare.* Dubius erat, an vellet Christus esse propitius, & tamen integra fide præditus erat, vtpote Christum esse credens.

Prosper. lib. 1. de vita contemplatiua cap. 19.

Matth. 16.

Fides potest esse absque certitudine remissionis suorum peccatorum.

Marc. 1.

Quia Caluinus Augustinum magni facit; audiat fidem non versari tantùm circa præsentia, vt ille mentitur, constituens actualem remissionem peccatorum esse fidei obiectum, quod quàm sit absurdum, sic explicat Augustinus: *Est fides & malarum rerum, & bonarum; quia & bona creduntur, & mala: & hoc fide bona, non mala. Est etiam fides & præteritarum rerum, & præsentium, & futurarum. Credimus enim mortuum Christum, quod iam præterit: credimus sedere ad dexteram Patris, quod iam est: credimus venturum ad iudicium, quod futurum est. Item fides & suarum rerum est, & alienarum. Nam & se quisque credit aliquando cœpisse, nec fuisse vtique sempiternum, & alia atque alia: nec solùm de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verum etiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cùm ita sint, propter has causas, distinguenda erit fides à spe, sicut vocabulo, ita & rationabili differentia.* Ergo perperam affirmant hæretici fidem esse fiduciam, si fides à spe distinguitur, cùm fiducia sit spes ipsa facta intensior.

Fides non versatur tantùm circa præsentia.

August. cap. 8. Enchiridii. Circa quæ versetur fides.

Quare fides, & spes distinguantur.

Quàm miserandus sit hæreticorum status.

In ea fiducia misericordiæ Dei adeò sibi adblandiuntur hæretici, vt inde velut ex arce munitissima sugillent Catholicos, miserantes eorum sortem, cum semper in ancipiti suam salutem ponant. Eamobrem conscribendi sunt milites, vt hæc munitiuncula fortiter oppugnetur. Hi erunt Sancti Ecclesiæ Patres, quos conduco non tam ad curandum hæreticorum insaniam, quàm ad confirmãdos Catholicos in sua disciplina. Quippe periculum

periculum est ne noxium hæreticorum virus influat in incautos, & irrepat stolida illa suæ salutis opinio, sibi certitudinem fingens adeò inconcussam, vt dubitare nefas sit, an anima nacta fuerit repurgium peccatorum. In hac vrbe Parisiorum vbi hæc scribo, sunt institutæ domunculæ, quibus concluduntur omnes mente capti, & quibus aliqua opinio chimerica insedit; ibi videre est hominum indolem multis cladibus obnoxiam: siquidem quidam ait se principem esse, alius verò Regem, & citra hoc delirium ambo non incongruè discurrunt de aliis rebus. Inquiorem sanè sortem arbitror esse eorum, qui ita insaniunt, vt affirment se eam suæ salutis certitudinem habere, vt ab ea nequeant vllo nomine dimoueri. Illis non sunt decernendæ Parisinæ domunculæ, sed potius eos inhærentes illi certitudini manent carceres infernales.

Quisque cū tremore debet suæ saluti consulere.

Ne huius contagij aspergine inficiaris, ô anima Christiana, cum timore & tremore operare salutem tuam, ita confidens in misericordia Dei, vt diffidas de tua probitate. Nimirum etsi longè latéque pateat misericordia Dei; non ideo tamen omnes eam participant, & id suâ culpâ. Cùm ergo nemini constet an se sicuti par est accinxerit ad gratiæ Dei influxum, hoc reuera vesaniæ est insigne argumentum, sibi affingere fiduciam, quam sibi Paulus noluit arrogare. Vide Pauli ingenium. *Neque meipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.* Paulus indutus nostræ mortalitatis exuuiis, tertio insertus cœlo, renuit asserere certitudinem gratiæ sibi cœlitus insitæ; & tamen abiecti homunciones, vilia capita, infinitis propè piaculis obnoxia, impudenter audent illam indelebilem certitudinem ventilare. Audi Chrysostomum ita hos deliros homines increpantem: *Paulus non dicit se esse iustificatum. Qui ergo habemus conscientiam mille vulneribus plenam, & nullius boni nobis sumus conscij, sed totum contrarium, quid dixerimus? & quamnam ob causam, si sibi nihil fuit conscius, non fuit iustificatus? Quoniam contingebat vt ab ipso quædam peccata essent admissa, neque tamen ipse sciret hæc esse peccata.*

1. Corinth. 4. Superbiam sapit indiscreta misericordiæ Dei fiducia.

Chrysost. hom. 11. in epist. 1. Cor. c. 4. Declamatio in eos qui temerè de Dei misericordia gloriantur.

Si ea indubia certitudo maneret eos omnes, qui credunt, quare Dauid enixè Deum sic orabat: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce seruo tuo?* Multa namque non fecimus, sed fortè aliis ansam dedimus illa crimina perpetrandi, aut non eos monendo cùm decuit, aut impediendo quando oportuit. Idcirco benè ait Augustinus. *Anima mea turbata est, non quia iustitia Dei mei manet, vtrum mea maneat nescio: terret enim me Apostolus dicens: Qui se putat stare, videat ne cadat.* Idem versans eamdem quæstionem hæc ait: *Ego verò in regione vmbræ mortis nescio finem meum, nescio si dignus sim amore vel odio: timeo & pauesco vltimam discussionem, & iram districti iudicis, ne pro peccatis meis mittat me in gehennam ignis.* Huius sinceri dogmatis Ecclesiæ obseruantissimum se præbuit Petrus, quem cùm iterum & tertiò Christus interrogasset, an seipsum Christum plus cæteris amore afficeret, ait: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Non ausus est procaciter affirmare inhærere sibi charitatem, sed certitudinem omnem huius negotij Christo Domino commendauit. Ita Chrysostomus: *Cùm ergo semel atque iterum interrogatus, ipsum arcanorum cordis perscrutatorem testem aduocasset, & adhuc tertiò interrogaret, perturbatus est Petrus, veritus superiora. Nam cùm forti animo esset, reprehensus est postmodum, ideò ad ipsum confugit dicens: Tu omnia scis; hoc est præsentia, & futura. Vide quantò melior factus est, & modestior: non amplius temerè perstat in sententia, neque contradicit: propterea contristatus sum, ne fortè me amare arbitratus, non amem; vt antea cùm me fortem & constantem putarem, postmodum imbecillus deprehensus sum.*

Multa quisque habet argumenta metuendi potius quam confidendi.

August. in Psalm 47. Idem l. de spiritu & anima c. 49. Chrysost. homil. 87. in Ioan.

Petri exemplo damnatur illa certitudo sui status in gratia qua gloriantur hæretici.

Non est quòd obganniant hæretici, affingentes, Ecclesiam noua dogmata semper inuehere: textus namque omnes adsciti conclusionem meam probant, & damnant illam fiduciam, qua hæretici velut cataphracti insurgunt in fideles, qui semper sunt pauidi. Denuo audiant Augustinum. Sic ille: *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi. Quæ occulta? quæ incerta? quia Deus ignoscit, & talibus, nihil tam occultum, nihil tam incertum.* Item alibi. *Quantalibet iustitia sit praditus homo, cogitare debet, ne quid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum.* Non solùm asserere illam certitudinem, sed minus anxiè inquirere, an certissimè remissa sint peccata, Gregorius Papa damnat, carpens fœminam insignem, quæ plus quàm par erat solicita, rescire optabat, rediisset in gratiam cum Deo necne. Rescripserat illa, rogans virum illum emeritæ sanctitatis, vt Deum super hac re consuleret: sed ille curiosum mulieris animum dedignatus abstinuit, eamque ita castigauit: *Quod verò dulcedo tua in suis epistolis subiungit, importunam se mihi existere quo ad vsque scribam, reuelatum esse quia peccata tua dimissa sunt: rem & difficilem etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo, plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.*

August. in Psal. 50. Idem De perfect. iustitiæ. Damnatur à Patribus illa iactātia, qua anima affirmat se esse in gratia.

Damnatur curiosa inquisitio, an simus in statu gratiæ.

Greg. lib. 6. epist. 186. ad Gregoriam Augustæ cubiculariā. Stulta confidentia quare deponenda.

Non est prætereunda insignis Bernardi sententia hæc, longè ab insana hæreticorum fiducia. *Accedit ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cùm meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit; neutra mihi satis est nota: vtraque abyssus est impenetrabilis: vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur mihi vtriusque custodia.* Et alibi memor sui eloquij sic loquitur: *Quis potest dicere, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? quis hæc inquam dicere potest reclamante Scriptura: Nescit homo si dignus sit amore, an odio? Certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubietatis huius anxietate penitus cruciemur.* Consultò Deus voluit hanc nobis esse abditam certitudinem, ne homo insolescens fieret in salute propaganda remissior. Et hoc appositè aduertit Hieronymus hoc contextu: *Ideo ambiguum ponitur, & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortiùs agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.*

Bernard. ser. 3. de Aduētu. Idem ser. 2. in Septuagesim. Certitudinē non habemus remissionis peccatorum nobis factæ.

Hieron. in c. 3. Ionæ. Quare Deus voluerit nobis abscondi certitudinē remissionis nobis factæ.

Perpende igitur, Christiane, an præstet audire suaue melos Sanctorum Patrum, qui præsumptionis insimulant illam fiduciam, vel potius sit ferendus ingratus ille strepitus, quem hæretici excitant, vt ranæ coaxantes. Satius longè duxerim

de

de ea fiducia remittere, vt prudentior anima, suam virtutem acuat, quàm confidendo intempestiuè, tandem suo tempore condemnari.

SENSVS ORTHODOXVS.

Fidem non consistere in certa fiducia, sibi esse remissa sua piacula.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus.

ARGVMENTVM TERTIVM Ex Ivre Canonico.

Qui de se humiliter sentiunt longè sũt à præsumptuosa fiducia hæreticorum.

VT puellæ mundo muliebri ornatæ securæ sistebantur Regi Assuero; ita secus aliæ detrectabant subire præsentiam eius, si quid in se incultum agnoscerent. Sic & sanctiores animæ timuere ad Deum accedere, aut Deum ipsum accedentem fuerunt reueritæ quia nesciebant an amore, aut odio dignæ essent. Eo percitus œstro Petrus ait: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum.* Centurio licet ædes sacras, Synagogam videlicet, suis sumptibus erexisset; tamen parum credens suis bonis operibus, imò nec fidei suæ maximæ, ait se indignum Christi accessu: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Omnium etiam Sanctorum stylus ille fuit, vt orationes suas auspicarentur ab humilitatis actu, vt Dauidi valde familiare fuit, teste hoc versu: *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* At si fideles emeritæ etiam sanctitatis aliquod argumentum indubium haberent gratiæ sibi cœlitus impertitæ, Deo potius læti occurrerent, & non vererentur ad eum accedere. Ego standum Sanctorum omnium praxi, & huic decreto Concilij Tridentini. *Quamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cùm apud hæreticos, & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemque à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum, qui certò credat se absolutũ, & iustificatũ esse: atque hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet: nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito déque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Luc. 5.

Matth. 8.

Psal. 129.

Damnatur ab Ecclesia, stulta fiducia hæreticorũ. Ex Ivre Canonc. Concil. Trid. sess. 6. cap. 9.

Qualis sit doctrina Ecclesiæ circa fiduciã quã quisque debet habere in misericordia Dei.

Præcipua mundi capita conuenere Tridentinum, sub Dei auspiciis visura quid maximè conduceret ad sinceram stabiliendam fidem. Ibi fiducia hæreticorum appensa ad trutinam Canonum damnata est nemine reclamante. Item anathemate feriit sacra synodus omnes, qui eiusdem sententiæ hæreticæ virus ebiberint, affirmantes ingenuam esse disciplinam, quæ adstruit illam fiduciam. Ecce Canon. *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò & absque vlla hæsitatione propria infirmitatis, & dispositionis peccata sibi esse remissa, Anathema sit.* Vide an hominum impiorum, & desertorum præponderet auctoritas, seu magis insania, decretis tot & tantorum Pontificum, qui Deo duce conuenerant. Rursus si tota fidei ratio esset conclusa tali fiducia vt constat, pueruli baptizati non essent fideles; & homines adulti, fidei mysteriis initiati, non fideles sed confidentes deberent congruo nomine nuncupari. At vtrumque ineptum est, hoc Canone. *Paruuli fideles rectè vocantur, quia fidẽ, per verba gestantium quodammodo profitentur, & per eorumdem verba diabolo & mundo abrenuntiant. Et hoc fit vi Sacramenti, & diuina gratia, quam Dominus donauit Ecclesiæ.* Ergo alio modo fides influit in animam, quàm beneficio illius fiduciæ adeò salutaris, vt sine eius obsequio anima sit infidelis, vt blasphemant hæretici. Adijce & hunc Canonem concolorem alteri. *Mater Ecclesia os maternum paruulis præstat, vt sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Nec ideo tamen eos quisquam fidelium, fideles appellare cunctatur, quod à credendo vtique nomen est; quamuis hoc non ipsi, sed alij pro eis inter sacramenta responderunt.* Textus iste assertorem habet Augustinum, è cuius diuite penu transcriptus est à Gratiano inter Canones, & dogmata Christiana.

Concil. Trid. Sess. 6. Can. 14.

An paruuli baptizati sint fideles.

Canone Paruuli De consec. Dist. 4.

August. l. 1. de meritis & remiss. pec. cap. 25.

Reprobanda igitur est hæc fiducia, quam inuexerunt hæretici summo animarum discrimine, cùm ea prorsus contraria sit decretis Ecclesiæ, quæ quisquis imprudenter præterit, non in se tantùm prouocat censuras Ecclesiæ, sed & incurrit in flagella Christi Domini vindicantis iniuriam illatam Ecclesiæ, penes quam voluit esse ius summum, fidei dogmata decernendi.

Quare reprobanda sit illa fiducia salutis suæ, quam hæretici inuexorunt.

SENSVS ORTHODOXVS.

Denuo impugnatur hæreticorum insania, fidem totam constituens in sola fiducia misericordia.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

ARGVMENTVM QVARTVM. Ex Ratione, Et SS. Patribvs.

Lumen fidei præponderat lumini rationum.

EXplicante Sole suos radios, & diffundente diem orbe toto, stellæ omnes antea rutilæ colligunt lumen suum, veluti passæ deliquium, Solis lumine præualente. Tamen vulgato liquet experimento, etiam alta die videri stellas ex imo putei, quo non intorsit Sol radios suos alibi coruscantes. Ita vbi fides emicat, excidunt omnia rationum lumina, nullamque lucem afferre possunt

intensiorem

intensiorem eâ, quam diffundit magna fidei certitudo. Non ideo tamen aspernandum est omne rationis obsequium in his, quæ ad fidem pertinēt; non quòd fides subiaceat examini rationis, sed quia ratio demonstrare potest, esse absurda omnia, quæ contra fidei dogmata proponuntur. Itaque volo deducere hæreticos in puteum Democriti, vbi delitescit veritas, & illic disceptare quàm inepta sit eorum fiducia stabiliens certitudinem salutis indelebilem. Sic arguo. Si ea fiducia sartæ tectæque salutis esset indubium argumentum, frustra essent Sacramenta Ecclesiæ, cum citra eorum subsidium anima saluetur beneficio illius tantùm fiduciæ: Sed hoc admittere, ingratum est, namque in beneficiis præstitis homini à Deo, sacramenta insignem locum obtinent, vt gratiæ instrumenta. Rursus posita hac certitudine gratiæ, malè esset composita oratio Dominica, ab ipso tamen Christo dictata. Sed hoc blasphemum est. Foret sanè incongrua illa oratio; nam illi inserta est ista petitio: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hinc collige validam rationem. Quisquis vult ea oratione litare, vel est fidelis, vel non. Si fidelis, perperam adhibet illam orationem ad repurgium animæ suæ: siquidem ex sententia hæreticorum, non ratione, sed certa fiducia misericordiæ Dei, animæ debita relaxantur. Vnde cùm fidelis orat, ineptè à Deo petit gratiam, quam iam certò scit se possidere, & iniuriam facit fidei, dum refundit in orationem suam effectum, quem soli fidei seu fiduciæ competit assignari. Si verò homo infidelis hac oratione tentat vrgere Deum, frustra conabitur. Nam debiti remissio non fit ministerio orationis, sed fidei.

Non sunt aspernandæ rationes humanæ, quæ adstruunt veritatem fidei.

Quibus validis argumētis impugnetur illa certitudo salutis suæ, quā hæretici sibi affingunt.

Quibus absurdis sit obnoxia illa sentētia hæreticorum de fiducia.

Itaque ne deuies in præfata hæc abrupta, Christiane, hanc fuge fiduciam, quę propellit sequaces suos in præceps. Præterea arguo ex historia Centurionis, quem Patres Sancti vocāt Gentium primitias, & prima Gentilis Ecclesiæ rudimenta, quia eius occasione Christus ait multos venturos ab Oriente, & Occidente, vt recumbant cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Centurionis huius fides præstantior Israëlitarum fide, accincta fuit omni supellectile, quæ fidem absolutissimam decet, iuxta Philosophiæ effatum, pronuntians, Primum in vnoquoque genere esse causam cæterorū, vel certè mensuram, quia ibi causa debet intelligi exemplaris, si de causa efficiente nequit intelligi axioma. Sed in illa fide quā professus est Centurio, tantùm abest, vt aliquod fiduciæ specimen ediderit, quinimò tota eius professio sita fuit in diffidentia, quam testatus est dicens se indignum, ad quem Christus accederet: magnusque ille discursus, quē subiecit dicēs habere sub se milites compositos ad arbitrium suum, ac proinde Christū rerum Dominum posse ad nutum suum moderari verbo; illa inquam omnis oratio explicans fidē supplicis illius hominis, non meminit misericordiam Dei, sed omnipotentiam Christi. Ergo incongrua est fiducia, quam compingunt hæretici vt tesseram fidei illibatæ.

Centurionis fides fuit exēplū fidei sinceræ.

Denuo insurgo cōtra illam fiduciā. Homo, cui affulget clara notitia gratiæ Dei in sua anima residentis, non est potioris conditionis, quàm fuerit Adam, nullo adhuc vitio sauciatus. Sed Adam imò & Angeli certiores effecti de gratia habituali intumuere typho, & non iniere viā perseuerantiæ indefessæ. Ergo satiùs est hominē in ancipiti positum suæ saluti incūbere, solicitū de Deo demerēdo magis quā securū de gratia, cuius posset certitudine gloriari. Fauet Augustinus. *In hoc loco tentationis, tanta est infirmitas, vt superbiā possit generare securitas.* Iterū arguo. In re quæ est superioris ordinis, vt est gratiæ influxus, non est fidendū humanæ indagini, vt resciatur indoles doni supernaturalis, sed standū est doctrinæ in eo argumento cœlitus institutæ. Ergo repudianda est doctrina hæc Caluini, vt inimica sacræ disciplinæ, quæ hanc certitudinem gratiæ è cordibus nostris penitus auerrūcat. Ita probat hoc effatum Daniel inducens Regem Babylonis ad pœnitētiam. *Rex consiliū meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperū, forsitan ignoscet delictis tuis.* Vide quomodo vox hæc, *forsitan*, euacuet certitudinem. Si non placet Latina Catholicorū editio, consulant aduersarij septuaginta interpretes, & audient istud oraculū. Ἴσως ἔσται μακρόθυμος τοῖς παραπτώμασί σου. *Fortè erit patiens peccatis tuis.* Eodē spiritu afflatus propheta Ioël, recensita clade quæ imminebat Iudæis, eos hortatus est ad pœnitentiā ineundam, suā hoc epilogo cōcludens parænesim: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionē.* Ita & Ionas vrgens Niniuitas ad placandū Deum hæc subiecit: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Eodē flamine actus Apostolorum apex Petrus, carpens ingeniū reprobum Simonis illius Magi, ita suasit ei, vt cōsuleret sibi: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Nonne ergo blasphemum est, præferre deliros homines Scripturæ sacræ, contraria hæreticis dogma sancienti?

Quæ causa sit illa sententia adstruēs certitudinem vnicuique de sua salute.

August. lib. de correptione & gratia c. 13.

Quare nemo de sua salute certus esse possit citra reuelationē.

Dan. 4.

Textus sacri qui condemnant certitudinem, qua gloriantur hæretici discentes se beandos in gloria.

Ioel. 2. Ion 3. Act 8.

Altero est adhuc spiculo configenda vanitas illa ludēs in re tam seria, vt est status gratiæ inhærentis. Sic ferio. Adeò implexum est cor hominis, & tot inuolucris absconditū, vt apertam eius notitiā sibi reseruarit Deus, ideo dictus scrutans corda, & renes. Ergo vana est illa certitudo gratiæ, quā cordi affricant hæretici. Nēpe illius beneficio haberent omnia cordis intima peruia, & vnusquisque participaret illā Dei scientiā, qua solus dicitur καρδιογνώστης, id est, cordiū inspector acutissimus. Sed hoc repugnat textui sacro, quē accipe à Ieremia vate, *Prauum est cor omniū, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Si Deo assertore sit inscrutabile cor hominis, quis non damnabit illud scrutiniū, quod adeò peruiū est hæreticis, vt sit eis dubitare nefas, sint in gratia necne? Præterea quid respondebunt Apostolo suadēti, vt probet seipsū homo, antequā de pane illo edat, quo pasta fidelis anima saginatur? Frustra sanè Apostolus homines induceret ad examen animæ, si vnicuique constaret de gratia assistēte sibi. Incassū etiā assignaretur à Propheta timor Dei inter dona Spiritus sancti, timor nāque & fiducia non coëunt. Denique ea stabilita certitudine gratiæ, qua nemo potest fidelis excidere, diabolus nulla vnquam tentatione fideles contureret, vtpote certior factus, fideles non esse in lubrico positos, vt impulsi labare queāt ac proinde Christus incongruè orationi Dominicæ adiecisset, illud supplex votum animæ deprecantis, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Ad quid enim petere rem, qua quis gaudet sine periculo vllius vnquam iacturæ faciēdæ.

Cordis humani anfractus obstant ne quis habere queat peruia illa quæ inibi reconduntur.

Ierem. 17.

1. Cor. 11.

Isai. 11.

Validis rationibus exploditur illa vana certitudo quā de sua salute iactant hæretici.

Ne vltra detur hæreticis spirandi copia, Sancti Patres denuo instaurant certamen. In his emeritæ

Ex SS. PATRIBVS.

militiæ

Ecclef. 9. Hieronym. in Ecclef. c. 9.

Vniufcuiufque animæ ftatus dubius eft, quoad gratiam.

militiæ dux in campum defcendit Hieronymus verfans illum locum Salomonis: *Sunt iufti atque fapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nefcit homo, vtrum amore an odio dignus fit.* Sic ille: *Porrò hic fenfus eft: etiam in hoc dedi cor meum, & fcire volui quos Deus diligeret, quos odiffet: & inueni iuftorum quidem opera in manu Dei effe, & tamen vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos fcire non poffe, & ambigue fluctuare vtrum ad probationem fuftineant quæ fuftinent, an ad fupplicium.* Præiuerat Hieronymo Bafilius in adftruenda incertitudine gratiæ, & quafi alluderet ad finceram fidem Centurionis, qua ftante tamen fe indignum dixit, quem dignaretur Chriftus honore fuæ præfentiæ; fuadet ille Sanctus, doctor vtique maximus, vt omnes pauidi, & perciti timore Dei, non eò affurgant vt certiffimè credant fe effe immunes ab omni peccato. Huic aufculta.

Bafilius lib. conftit. monachalium cap. 1.

Dic: Equidem non fum dignus, Domine, qui coram te verbum faciam, quoniam vehementer peccator fum; & licet nullius tibi culpæ confcius fis, nihilominus tamen ita te oportet dicere. Etenim cùm in multis rebus offendamus omnes, maiorem tamen offenfarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apoftolus dicebat: Nihil mihi confcius fum, fed in hoc iuftificatus non fum, quod idem eft, ac fi diceret: Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc caufam etiam Propheta ait: Delicta quis intelligit? Quare nihil mentitus fis, fi te peccatorem appellaueris. Nam fi intelligis, vel hoc ipfum peccas, quod te peccatorem negas. Quin potius dicito fic: Peccatis peccatores omnes vinco Domine; nempe qui diuinum præceptum violem, quo iubemur, vt cùm omnia fecerimus, inutiles nos feruos appellemus, nimirum qui ea præftiterimus, quæ præftare debeamus.

Salutare confilium Bafilij homines abftrahentis ab illa vana fiducia de fua falute.

Vnde petatur incertitudo falutis animarum.

Bafilium infidelem non dixerit hæreticus: & tamen ille procul ab ea infania, qua furunt hæretici, non aufus eft fibi certitudinem gratiæ imprudenter affingere, vt faciunt homines illi nequam, caftigandi potius quàm vllo cenfendi præmio, veluti transfugæ, & fidei defertores. Quare autem non inconcuffa debeat effe fiducia noftra, docet Hieronymus, fcribens, plerumque bona & iniqua ab impiis & prædeftinatis promifcuè perpetrari, ita vt hodie iuftior anima fui velut immemor grauiter offendat, & fecus homo hactenus improbus, nouos induens animos, feriò ftudeat impigræ virtutum praxi. Vnde vtriufque fortis difpares actus concludunt effe dubium hominum ftatum. Ecce Hieronymi fententiam:

Hieron. lib. 2. contra Pelagianos.

Sunt iufti, ad quos peruenit quafi opus impiorum, & impij, ad quos peruenit quafi opus iuftorũ: hoc idcirco dicitur, quia certum iudicium folius Dei eft. Ne in ambages incurrat hæreticus, audiat Auguftinum, fua luce difcutientem illam caliginem. Is ita fatur:

Aug. hom. 35.

Quamdiu viuimus hic, de nobis ipfis nos ipfi iudicare non poffumus: non dico quid cras erimus: fed quid hodie fimus.

Perfidia hæreticorũ, qui corruperunt textus probantes nos debere cauere ab illa fiducia.

Non eft prætereunda temeritas hæretica, quæ vt conciliaret fibi fidem hominum imprudẽtium, quos linguarum fugit peritia, corrupit textus præcipuos, qui caftigant & explodunt illam certitudinem gratiæ, de qua gloriantur homines imperiti. Primò occurrit infignis corruptela, inducta Scripturæ facræ excufæ Geneuæ. Nam verfus ille Iobi: *Etiamfi fimplex fuero, hoc ipfum ignorabit anima mea.* Gallicà linguâ ita redditus eft, vt verbo ad verbum quadrent hæc Latina. *Summe integer? adhuc non erit mihi curæ viuere.* O noxios impoftores! O reos læfæ maieftatis diuinæ; cuius fanctiora turpant oracula.

Hæretici corruptores Scripturæ facræ.

Si Romanæ editionis codex eis naufeam parit, recurrant ad Hebræos & Græcos textus, per me non obftat, etiamfi potiorem arbitrer noftram Catholicam editionem. Itaque per me licet, vt præbeant iugulum Hebræis, & Græcis, quandoquidem nolunt Latino gladio iugulari. Sic Hebræa fonant תם אני לא־אדע נפשי *Tham ani lo edang naphfchi.* Id eft, *Perfectus ego, non nofcam animam meam.* Quamuis feptuaginta interpretes eadem verba minimè reddiderint; ab eo tamen fenfu nequaquam deuiarunt, vt eorum textus fonat Εἴτε γὰρ ἠσέβησα, οὐκ οἶδα τῇ ψυχῇ. Id eft. *Siue impius fui, non noui animâ.*

Iob 9.

Certitudo falutis eft refufa in futurum fæculum.

Quafi diceret idem quod poftea Salomon liquidò perhibuit, fcilicet omnia feruari in incertum futura, & certitudinem illam ftatus indelebilis, pertinere tantùm ad eos, qui fiftuntur tribunali Iudicis incorrupti, cuius meminit Paulus ita fatus: *Omnes nos manifeftari oportet ante tribunal Chrifti.* Græcè πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ χριστοῦ. Id eft. *Oportet nos pellucidos apparere ante thronum Chrifti.*

Ecclef. 6.

2. Cor. 5.

Certitudo falutis non pertinet ad ftatum viatorum.

Status ille comprehenforũ eft, & non viatorum, apud quos omnia ferè funt vaga ficut in pelago refluente, ad quod alludit Salomon cõparans accuratam hominum peritiã illi notitiæ, quam concipit homo attendens fpeciem fuam in aqua labili lineatam. Sic ille: *Quemadmodum in aquis refplendent vultus profpicientium; fic corda hominum manifefta funt prudentibus.* Non ergo certiffima eft agnitio, quam fabulantur hæretici, ad inftar maris æftuantis eft illa cognitio, quæ affulget ipfis etiam peritiffimis hominibus, quos denotat Scriptura nomine prudentium.

Prouerb. 27.

Alia corruptio facræ Scripturæ.

Vt fimia nequit ferre fpecula, quibus obiicitur eius turpitudo, quam vt nefciat, omnia frangit fpecula; ita & hæretici omnem mouerunt lapidem ad expungendos textus, qui refutant eorum fiduciam, quam buccis concrepantibus iactant in fuis conuenticulis. Hinc ortum eft opacum iftud mendum, quo facros codices afperferunt. Nimirum vbi Salomon ait: *Quis poteft dicere: Mundum eft cor meum, purus fum à peccato.* Verfio vernacula, penes quam plebs imperita reponit falutem fuam, ita effert illam fententiam, vt fic exquifitè poffit reddi. *Quis poteft dicere: Purgaui cor meum, mundus fum ab omni peccato.*

Prouerb. 20.

Hæretici corruptione textuũ Scripturæ facræ fuas hærefes tentant aftruere.

Ne te lateat lethale virus hoc ementito cortice reconditum, operæpretium eft refcias noftrates hæreticos damnare iuftitiam inhærentem animæ, ac proinde petulanter afferere neminem dici iuftum à propria iuftitia, fed duntaxat à iuftitia Chrifti, quæ beneficio fidei imputata fidelibus eos iuftificat. Itaque verficulus ille, in fua corruptione duplicem hæreticorum nequitiam prodit. Prima eft contra iuftitiam inhærentem, de qua alibi fpecialem inftituo controuerfiam, fuis numeris omnibus abfolutam. Altera eft contra Catholicum dogma, damnans fiduciam, & certitudinem factæ remiffionis omnium peccatorum. Ita vt velint Salomonem non damnare eos, qui dicunt fe habere cor mundum, fed eos tantùm, qui dicunt fe purgaffe cor fuum, vtpote iniurios Chrifto, cui foli debetur animæ repurgium. Sicque iuxta dementium delirium, cuique fideli fas eft dicere: Mundum eft cor meum, fed nefas eft dicere: Purgaui cor meum, quia vt garriunt, cuiufque animæ fidelis cor eft mundum, eo folo quòd eft fidelis.

fidelis. Nam fides est fiducia certa apprehendens misericordiam Christi applicatam illi fideli, qui eam apprehendit. At purgare dicit actionem Redemptoris.

Deus omnẽ gloriãdi ansam suis adimit seruis.

Quia refundo in alium locum controuersiam de iustificatione, hîc tantùm ostendo quàm incongruè hæretici recesserint à communi intelligentia versus præfati, quem ex Hebræo ita transtulere Septuaginta interpretes. Τίς καυχήσεται ἁγνὴν ἔχειν τὴν καρδίαν? Id est. *Quis potest gloriari, se habere mundum cor?* Beatus Hieronymus in lingua Hebræa peritissimus, hunc genuinum sensum agnouit, intentum à Spiritu sancto. Beda adiicit, Salomonem non dixisse, neminem esse mundo corde, sed nimirum posse dicere se esse mundo corde, vt sic tolleret illam fiduciam, qua veluti noxio typho tument hæretici. Vt etiam Lucæ 17. Christus non dicit, seruos suos esse inutiles; sed hoc vult, vt dicant se esse seruos inutiles, vt inde omnem gloriandi ansam tollat, quæ magna profectò subesset, si quisque certior esset de sanctiori sorte sua, vt cautè aduertunt Origenes, Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, & Bernardus, quos consule margine prænotatos.

Orig. hom. 22. in Iosue. Cyprian. l. 5. epist. 6. Chrys. homil. de pœnit. & conf. Hier. epist. ad Ctesiphonem. Bern. serm. 4. in Psal. 90. Eccles. 9.

Esto hæ corruptelæ insignes sint; ista tamen traducit hæreticos, & eos omnino damnat. Scilicet illa eorum impudentia, qua veneni sui aspergine infecerunt locum illum Ecclesiastæ: *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit.* Posteriora verba huius versus totam dirimunt controuersiam, de certitudine gratiæ. Vnde ne causâ caderent hæretici, suo more deprauarunt illum textum, & his vocibus: *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit.* Has substituere dictiones: *Nesciunt homines odium aut amorem eorum omnium quæ ante eos sunt.* Quasi Salomon diceret, homines eorum quæ ad extra sunt nescire indolem, etsi quisque suum ipsius ingenium probè calleat. Sed vide perfidiam hanc damnatam à tribunalibus Hebræis, & Græcis. אהוה גם שיאה אן יודע האדם *gam ahauah gam schiheah en iodeang haadam.* Id est. *Etiam amorem, etiam odium nescit homo.* Ipsissima etiam verba reddidere fideliter Septuaginta interpretes. Καί γε ἀγάπην καί γε μῖσος οὐκ ἔστιν εἰδὼς ὁ ἄνθρωπος. Id est. *Et quidem charitatem, & quidem odium non est cognoscens homo.* Satiùs duxerunt hæretici Scripturam sacram emungere, quàm ex ea integra desumere suæ salutis argumenta.

Tertia corruptio sacræ Scripturæ ab iisdem hæreticis vt effugiant textus damnantes illam certitudinem salutis suæ. Quarta hæreticorum corruptio.

Denique vbicunque hæretici subodorati sunt Scripturam sacram damnare illam fiduciam vanam, illi statim adhibito stylo suo confixere locum illum, vt videre est in præfatis versibus, quibus hunc adiicio Ecclesiastici: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Hæretica perfidia sic reddit: *De venia ne sis nimium securus.* Quasi Scriptura sacra tantùm insinuaret esse cauendam nimiam præsumptionem, & non certam fiduciam, quam tamen textus Græcus specialiter pungit. Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ. Id est. *De propitiato noli esse sine metu in abundantia.* Vides damnari abundantiam, & non tantùm præsumptionem. Rursus μὴ ἄφοβος γίνου, significat, *noli esse sine metu*; & tamen perfida indoles hæretica omnem metum eliminans, maluit mentiri Latinè, & Gallicè in Bibliis vtriusque idiomatis, quàm benè sapere

Eccles. 5.

Scriptura sacra metum suadet in his quæ ad remissionem peccatorum spectant.

cum Græcis exemplaribus, ad quæ tamen prouocat semper, cùm aliquid occurrit facessens negotium. Hinc collige, qualis exurgere fides possit ex sacro Codice vitiato.

SENSVS ORTHODOXVS.

Fidei essentia est penes assensum, & non penes fiduciam.

In hæc verba:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

ARGVMENTVM V.

Ex Ritibvs Ecclesiæ Primitivæ.

Moliente Rege Antiocho exterminium legis Mosaicæ; Mathathias vir grandæuus, & obseruantissimus æqui, iam cessurus fatis ita suos hortatus est: *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.* Iuxta morientis votum cessit illa parænesis. Nam Iudæi recolentes fidem Patriarcharum, & Prophetarum, nouos inde resumentes animos, fortiter obierunt pro suis legibus illibatis. Ita & ego agnoscens versutias hæreticorum, qui Christianos initiare volunt suis deliciis, prædicantes eis somnia, & nugas, nullo potiori argumento credo posse dilui eorum technas, quàm priscorum Ecclesiæ Patrum dogmata recolendo. Itaque Christianos omnes, si fortè nutarit eorum fides, sic compello: *Nunc ergo filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.* Nempe recensita fides enascentis Ecclesiæ deterget omnem caliginem, quam perfidi homines offuderunt. Vt ergo commemorem Patres Ecclesiæ, auspicabor ab eo celebri Concilio habito Nicææ. Eò confluxerant præcipua orbis capita, vt fidei orthodoxæ summam describerent, quæ hæc fuit, sicut commemorat Athanasius, de ea certiorem faciens Iouinianum Imperatorem. Sic ille formulam fidei editam in Concilio illo primo Nicæno commemorat: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem. Et in Dominum Iesum Christum Filium Dei, natum ex Patre, & vnigenitum, hoc est, ex substantia Patris, &c.* Et quia præcipuus cardo, in quo tunc vertebatur fides, erat articulus pertinens ad diuinitatem Christi, œcumenica hæc synodus symbolum hoc sic conclusit: *Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam fieret non erat, aut ex non entibus extitit ex alia substantia subsistentiaque, aut creatum, aut conuertibilem, aut alterabilem dicentes Filium Dei: hos anathemate ferit Catholica & Apostolica fides.*

1. Mach. 2.

Mathathiæ oratio efficax ad confirmandos animos Iudæorum in fide.

Formula fidei edita in concilio Nicæno.

Athan. epist. ad Iouinian. Imperat.

Ariani æmulantes Catholicæ Ecclesiæ ritum, vt eius specie ementita incautis imponerent, edidere symbolum suæ fidei vsurpantes formulam affinem Ecclesiæ. Hinc emersit symbolum à Valente Ariano lectum in Concilio Ariminensi.

Formula fidei Arianæ. Athan. l. de Synod.

Credimus

Credimus in vnum solum, & verum Deum Patrem omnipotentem, conditorem opificémque omnium: & in vnigenitum Filium Dei, ante omnia sæcula, & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest, existentem, & ante omnem comprehensibilem substantiam, natum impassibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo. Similem credidere, & non consubstantialem, sicque suum euomuere virus. Nota Patres, vbi fuit profitenda fides, auspicatos fuisse suam professionem à verbo, *Credo*, & non à verbo, *Confido*, vt faciunt nostrates hæretici. Vnde patet eo antiquo ritu Ecclesiæ, Patres sensisse fidem esse sitam in assensu, & non in fiducia. Nam credere est assentiri. Rursus res credendæ, quæ proponuntur in symbolis non pertinent ad confidentiam. Verbi gratiâ, creatio credita de fide est, & non tamen in eam fertur aliqua fiducia. Ergo inepta est illa descriptio fidei, quam comminiscuntur hæretici, non credentes sed confidentes.

Credere, & confidere res esse dispares multa argumenta clamant.

Adiice, hunc fuisse morem in primitiua Ecclesia receptum, vt ipsi etiam Imperatores inaugurati ederent professionem suæ fidei, vsurpato verbo, *Credo*, vt videre est in ea formula, quam conscripsere Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, à quibus eam mutuò accepit Imperator Iustinianus, ab ea auspicatus Codicem suum, cuius prima & præcipua sanè lex hæc est: *Cunctos populos, quos clementia nostra regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, vt secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnam deitatem sub pari maiestate, & sub pia Trinitate credamus.* Nota, in sua professione fidei Imperatores meminisse præcipuè Sanctissimæ Trinitatis, quia ipsa fons est omnium credendorum. Assentiri autem, esse vnum Deum trinum in personis, res est & formaliter & realiter distincta à confidentia illa, cui omnem suam fidem dant hæretici. Nam Iudas à Christo edoctus credebat Deum vnum, trinum in personis; & tamen excidit omni fiducia bonitatis Dei, quando pendulus se laqueo præfocauit.

Imperatores edebát olim professioné fidei suæ.

Leg. Cunctos Cod. De summa Trinit. l. 1. tit. 1. d. 1.

Expunctâ omni fiduciâ misericordię Dei stare potest fides.

Præterea adiice, omnes Principes, qui tentarunt olim Sanctos à fide distrahere, hoc vnum esse enixos, scilicet vt negarent Christum esse Deum; quia didicerant fideles esse tales ab assensu. Nonne Basilius nactus est iniquum Valentem Imperatorem, quia noluit resilire ab eo assensu, quem præbuerat Christo? cumque daretur ei nox ad deliberandum, audacter ait: Ego cras ero idem qui hodie, facit Deus vt non mutes consilium. Hoc ait Sanctus desiderio martyrij, non liuore, aut aliquo inuidiæ œstro percitus in salutem præfecti illius. Ita antea fortem se præstitit Polycarpus præclarum edens specimen fidei suæ; iussus enim iurare per fortunam Cæsaris, ait: Christianus sum atque adeò mihi nefas aliud à vero Deo numen agnoscere. Et ne ad fastum videretur iactare nomen Christi, in confessione numinis huius fortiter occubuit, vt fusè enarrat Eusebius, aliud etiam subtexens exemplum illustre Diaconi, qui nomen suum neque patriam voluit aperire suis tortoribus, ad singulas quasque quæstiones hoc vnum ingeminans: *Christianus sum.* Cùm ergo Concilia, Martyres sancti, & Imperatores fidei suæ tesseras ediderint, vsurpato verbo, *Credo*; sunt procul amandandi hæretici, & standum est formulæ fidei conscriptæ à Sanctis: huic nempe adhærentes non errabimus à scopo indicto fidelibus. Hac cautione vsus Syluanus audacter restitit Imperatori Constantio Ariano, qui mortem ipsi instare minabatur, si non abiuraret illum articulum, qui tutatur Christi iura. Feruidus ille sic respondit: Potes quidem, ô Imperator, inferre necem; sed non hoc suadere vt deseram instituta procerum Ecclesiæ. Possunt hæretici alicubi præualere armis, & garrire contra sensum Orthodoxum fidei, multos item possunt prælo committere libros versantes illud idem argumentum; sed non hoc præstabunt, vt aliam vnquam sectemur viam ab ea, quam sancti priscæ Ecclesiæ Præsules inierunt.

Constantia Basilij admiranda.
Hist. Eccl. l. 11. c. 9.

Egregia Polycarpi responsio.
Constantia Polycarpi.

Eusob. lib. 4. hist. Eccles. cap. 5.

Constantia admiranda.
Eusob. lib. 5. hist. c. 1.

Siluani fides audacter explicata.
Pulchra responsio in gratiam fidei Ecclesiæ.
Theodor. l. 5. Eccles. c. 24.

Cæterum nolim quemquam ex præfatis colligere, fidem omnem abolere fiduciam, hoc namque saperet Nouatum, qui spem omnem lapsis adimebat. Sed hanc fiduciam talem esse volo, vt non sit certissima, qualem mentiuntur hæretici, sed discreta, ne præsumat anima, vel desperet: ita vt anima Deum meditans credat eum esse infinitæ misericordiæ. Ast recolens sua piacula, metuat ne sua culpa imparem se præstiterit donis Dei, vitia namque occulta solent influxum gratiæ remorari.

Fides non omnem adimit fiduciam remissionis peccatorum, sed discretam admittit.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA II.

DIGESTA IN MODVM CONCIONIS.

An fides sine operibus iustificet.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

MEmoratur immane facinus Regis Adonibezec, quem captum Hebræi truncatis summitatibus pedum & manuum reddidere inutilem, eum excipientes simili pœna, qua multos olim Reges affecerat, vt & ipse confessus est, querulo hoc discursu: *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* Esto crudele fuerit supplicium illud; tamen relictis oculis, miserandi homines potuere mitigare suam sortem lumine perfruentes. Eamobrem censeo truculentos esse magis hæreticos, affirmantes fidem solam sine operibus iustificare. Etenim hoc commento fidelibus offundunt caliginem, dempto eis manuum & pedum necessario obsequio. Quid namque aliud est nisi cæcutire, id quod patiuntur omnes, qui suum dant nomen hæreticis. Reuera eis omnia nigricant, quando res est de sacris fidei mysteriis. Præter has tenebras, summos manuum & pedum apices computant hæretici, prædicantes, opera nihil adiicere ad fidem, quam solam dicunt hominem sartum tectumque æternæ Dei gloriæ commendare. Hæresiarchæ facti aliorum errantium principes, & veluti arietes gregum

Iudic. 1.
Quare hæretici negantes meritum bonorum operum sint crudeliores Rege Adonibezec.

gregum in inuio palantium, acriores longè luerunt pœnas. Nam plerique fideles decepti redière reduces in ouile Christi; sed nemo planè aut ratus fuit hæresiarcha repetens caulas Ecclesiæ. Testes luculenti sunt Lutherus, Caluinus, Beza, aliique errorum antesignani, quos impœnitentes gehenna absumpsit, vbi damnati ad tenebras exteriores, æternùm gemunt, manibus & pedibus amputatis. Ne eorum error gliscat, volo eos traducere, & explicare, imbelles fuisse conatus eorum aduersus Ecclesiam, referendo & refellendo eorum argumenta priori parte istius controuersiæ. Altera verò parte, fidem solam sine operibus non iustificare adstruam variis argumentis.

Diuisio Cōtrouersiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

Pars Prima Controversiæ.

Quibus mediis hæretici tentarint probare fidem solam iustificare sine operibus.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

Despumante pelago, si naufragi nautæ superare nequeunt vortices intumescentes, quidquid primum occurrerit, illud tenaciter apprehendunt, etsi quandoque noxium sit. Plures etenim fluctuantes si incurrunt in rudentes asperos ita eis hærent, vt manus totas excorient, funes illos rudiores sæpiùs attrectantes. Ita & hæretici vbi eiecti sunt è salutari naue Ecclesiæ, omnes sibi affingunt textus Ecclesiæ etiam propitios, vt suo errori litent. Verbi gratiâ, vt adstruant, fidem iustificare solam sine operibus, textum hodiernum assumunt, & alium huic affinem, qui pertinet ad latronis fatum: aiunt illi, Centurionem, & latronem in cruce salutem suam nactos, solius fidei suffragio, & citra vllum bonorum operum obsequium. Nam Centurio homo Gentilis erat, nescius proinde bonorum operum. Latro verò etsi Iudæus, legis incurius fuerat vsquequaque.

Quàm desipiant hæretici in citandis Scripturis, vnde etiam in gratiam erroris sui textus contrarios vsurpant.

Inepta sanè argumentatio, quam configit ipsa series historiæ: siquidem Scriba sacer ait, Centurionem suis sumptibus Synagogam Iudæis erexisse, & maximè propensum fuisse in Iudæos, quorum gentem impensè amabat, ita vt seniores Iudæorum dixerint Christo: *Dignus est vt hoc ei præstes.* Vnde fieri potuit, vt homo Romanus extra Iudaismum habuerit fidem sufficientem ad salutem, quam præfatis bonis operibus excoluit? Sed demus, ipsa tunc hora fuisse fidelem Centurionem; non tamen meruit illa gloriosa Christi encomia sine operibus, iisque præclaris. Illa namque confessio diuinitatis Christi, quam impugnabant Iudæi, fuit facinus virtutis emeritæ, cuius non edidere specimen Iudæi illi, qui cognouere quidem Christum Deum, sed metu Scribarum & Pharisæorum, eum fateri Deum publicè detrectarunt. Et reuera nisi Centurionis inclyta fides foras erupisset, sed latuisset abdita cordis inuolucris, nunquam habuisset Christum encomiasten.

Luc. 7. *Centurio & latro non sola fide sine operibus saluati.*

Quare Christus laudauerit Centurionem.

Eodem etiam egregio facinore latro cælum demeruit, & nescio an fide adhuc potiore ea quam laudauit Christus. Quid dubius nuto. Latro patrauit opus maioris meriti, quàm fuerit illa professio Centurionis, ratione obiecti, & subiecti fidei. Primò obiectum vtriusque fidei fuit Christus; sed Christus faciens prodigia agnoscitur Deus à Centurione, qui mox audierat, leprosum solo tactu decori pristino restitutum. At latro Deum confitetur, hominem crucifixum agentem animam, corpore hiulco plagis. Subiectum fidei in Centurione fuit anima erudita à Iudæis, quorum consuetudine vtebatur. Sed in latrone subiectum fidei fuit anima fortè opaca, vtpote vitiis assueta. Adiice, hoc subiectum fuisse satis incongruum ad speculationem, ob dolores, & cruciatus acerbos crucis, cui affixus erat ille latro, cuius fidem Christus potiori etiam elogio dignatus est, quàm fidem Centurionis. Nam maius est dicere: *Hodie mecum eris in Paradiso*, quàm istud affirmare: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Malè ergo instant hæretici, Centurionem, & latronem fidei duntaxat beneficio fuisse saluatos, cùm vterque fidei suæ insignis adeò præclara dederit argumenta, & fidem profiteri sit opus bonum gratiam concilians.

Latronis in cruce fides præstantior extitit fide Centurionis.

Priori huic machinæ inutili adiiciunt validum vt putant arietem, quo fidei nostræ fundamina concuti perperam arbitrantur. Nempe Paulum Apostolum conscribunt in nos, magnam allegantes textuum copiam bonis operibus iniuriam, & fidei partes adiuuantem. Sic ille: *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? Factorum? Non. Sed per legem fidei, &c. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Deinde exemplo probans, quod simplici eloquio præfatus est, Abraham inducit hoc adstruens: *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Et vt veritas semper sibi concolor est, eandem planè repetit Paulus, Galatas erudiens hoc contextu: *Gratia estis saluati per fidem, non ex operibus.* Item: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos.* Tandem hoc etiam versu claudunt agmen textuum, qui dementant homines imperitos. Ita Apostolus: *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est ex fide.* Tota hæc congeries textuum velut agmine facto aggreditur Catholicum dogma profitens non saluari adultos, sine adminiculo bonorum operum. Vnde quia non est refutandus Apostolus cælitus eruditus, est mens illius congruè nobis explicanda, quod vt præstetur operæpretium est præludere ne illudant hostes. Tria itaque prælibanda sunt. Primò quid sit lex factorum, & lex fidei. Secundò quid intersit inter iustitiam legis, & iustitiam in lege. Demum quid Paulus insinuare velit, affirmans hominem iustificari sine operibus. In his prænotatis totus vertitur cardo controuersiæ nostræ.

Textus qui videntur bona opera facere inutilia ad salutem. *Rom. 3.* *Rom. 4.* *Galat. 2.* *Tit. 3.* *Philip. 3.* *Quomodo distinguatur lex factorum & lex fidei.*

Hoc igitur constans esto, legem factorum esse eam, quæ iubet quid sit faciendum; legem verò fidei esse ipsam fidem, quæ impetrat gratiam faciendi quod lex factorum iubet. Nota ita dispesci vnam legem ab alia, vt vtraque tamen requirat opera. Nempe lex factorum continet præceptum, lex fidei auxilium. Lex factorum præstat vt cognoscamus, lex fidei influens, hoc agit vt præstemus, & morem geramus alteri legi, cuius ope facienda nobis innotescunt. Lege factorum Deus Imperatorem agit & Dominum. Lege fidei

Vtraque lex, factorū scilicet, & fidei requirit bona opera.

fidei homo supplex habitum serui induit, gratiam obediendi postulans erogari sibi. Demum lex factorum præcisè spectata est litera lethalis homini posito extra gratiam; nemo namque mandata potest omnia seruare, sine adminiculo gratiæ. Vnde ait Scriptura, literam occidere, & spiritum viuificare. Quis sit autem spiritus ille viuificans, ait Apostolus commemorans legem fidei, quæ reuera viuificat, opem conferendo, vt iustificatio legis impleatur in nobis. Aduerte vtramque legem porrigi ad duo testamenta. Nam lex factorum æquè significat legem Moysis, & legem Christi, quatenus ambæ aliquid imperant. Vt lex fidei æquè significat eumdem spiritum fidei, quo nos Christiani afficimur, & quo Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti omnes dignati impleuere ea quæ legis sunt.[1]

Lex factorũ ad vtrumque testamẽtum pertinet.

Quid autem sonent istæ voces, iustitia legis, & iustitia in lege, accipe.[2] Iustitia legis significat bona opera, quæ lex facienda præscribit. Huius iustitiæ se præconem fecit Apostolus, non censorem, vt mentitur hæreticus. Sic enim ille: *Factores legis iustificabuntur.* Et rursus: *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Vide autem quantùm intersit inter iustitiam legis, & iustitiam ex lege, siue in lege. Iustitia legis significat bona opera, quæ lex significat edita fidei adminiculo, eo modo quo lex præcipit, id est, in charitate: nam lex præcipit Deum diligi ex toto corde; sic iustitia legis iustificat. At secus est de iustitia ex lege. Etenim illa significat opera, quæ patrant homines sola cognitione legis adiuti, propriis freti viribus, & nulla speciali gratia Dei cælitus illabente. Illa iustitia ex lege, iustificat quidem hominem, sed tantùm apud homines, & non ante Deum. Nemo namque est qui non prædicet iustum hunc hominem, qui ad præscriptum legis suos mores instituit. Cùm enim homines de obuiis quibusque rebus iudicent, & præcipuè sistant in externis, quia eos latent recessus implexi cordium; statim atque perceperint hominem compositum ad amussim legis, illico eum iustum pronuntiant. Deus verò nequaquam iudicat ex cortice, sed rimatur penitiora, & de medulla sententiam profert, ac proinde non censet iustum, eum qui obedit legi si sit infidelis, quia impossibile est sine fide placere Deo. Non negamus quidem vocari iustitiam, sed ea opponitur iustitiæ fidei. Et quando nominatur iustitia propria, habet ex aduerso iustitiam Dei. Ita mihi præluxit Apostolus: *Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Et infra: *Gentes quæ non sectabantur iustitiam apprehenderunt iustitiam. Iustitiam autem quæ ex fide est. Israel autem sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Id est, Gentes in sua infidelitate nesciérunt iustitiam quæ Deum conciliat, etsi pleraque bona opera iusta ante homines fortiter exantlarint. Sed vbi eis affulsit fax fidei, dedere manus Christo, cuius virtute recreatæ obediere legi, & sortitæ sunt iustitiam illam, qua Deo Domino deuincimur. Iudæi verò contra iactitantes legem, & se profitentes obseruantissimos æqui, licet aliquali modo viuerent ad normam legis, non ideo tamen iustitiam illam nacti sunt, quam diximus supra iustitiam legis, quæ dicit societatem fidei, & operum, vnde iustificatur homo. Sed hoc tantùm præstiterunt, vt sortiti sint iustitiam propriam, siue iustitiam ex lege, cuius obsequio captantes auram popularem, hoc vnum satagebant, scilicet bonis operibus, hominum oculis arridere. Ideoque non operantes ex fide & gratia Dei, sed ventilantes propriam suam virtutem, cuius tantùm adminiculo præsumpserunt adimplere legem, dicti sunt iusti ab hominibus, sed ante Deum iniqui fuere, & similes sepulchris dealbatis, quæ à foris deliniunt oculos, sed reclusa mouent stomachum, tetro suo odore, & sanie refluente.

Iustitia legis & iustitia in lege, quomodo discepantur.

Rom.2.

Rom.8.

Quomodo iustificetur homo, & quibusnam operibus.

Iustificari apud homines, & ante Deum non periude est.

Rom.10.

Rom.9.

Quare Iudæi adimplentes legem non fuerint iustificati.

Hanc insaniam eorum, qui credunt propriis viribus adimplere legem, & ab ea iustificari, carpit Augustinus hac censura: *Putant se arbitrij sui viribus implere legem iubentem, & ista implicati superbia ad gratiam non conuertuntur iuuantem. Ac per hoc miro quodam modo, sed tamen vero, iustitiam legis non implet iustitia, quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ. Iustitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum. Secundùm iustitiam verò, quæ in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu dicit Apostolus, & iustitiam quæ ex lege est, suam dicit fuisse, non Dei. Intelligendum est igitur, iustitiam legis non impleri secundùm iustitiam hominis, sed secundùm iustitiam, quæ est in statu gratiæ. Quod planiùs, & breuiùs ita dici potest, iustitiam legis Dei non impleri, cùm lex iubet, & homo quasi suis viribus facit, sed cùm spiritus adiuuat, & hominis non libera, sed Dei gratiâ liberata voluntas facit.* Hæc Augustinus, accuratè recensens eas omnes cautiones, quas prælibaui esse apponendas ad intelligentiam, iustitiæ legis, & iustitiæ quæ ex lege est.

August. lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 7.

Declamatio Augustini in eos qui arbitrãtur se suis tantùm viribus posse adimplere legem.

Tertium superest reserandum, scilicet, quænam sint illa opera, quæ Paulus excludit, quando affirmat hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Ea fuit insipiens hæreticorum sententia, videlicet Paulum damnasse omnia bona opera edita etiam in fide, velut inutilia ad salutem, quæ in fidem tantùm ab eis refunditur. In hoc delirium insurgit Augustinus, hoc tenore: *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus Paulus: Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis; putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat. Quod absit, vt sentiret vas electionis.* Quod non effudit vas electionis, hæretici vasa perditionis sparserunt, cùm dixere, citra subsidium bonorum operum fidem initiare animam gratiâ Dei. Inter Catholicos quidam credidere, Apostolum eo loco excludere opera legis Mosaicæ, quæ pertinent ad cæremonias & figuras adumbrantes Christum: siquidẽ omnes illi ritus fuere cassi & irriti, Euangelio Christi Domini propagato. Non probo hunc sensum. Nam Apostolus hîc loquitur de natura fidei, quæ semper eadem fuit in Iudæis sanctis, quæ & in Christianis, spectato eius formali obiecto; quippe eadem veritas, cui fides Iudæorum incubuit, ea est quam sectatur fides Christiana, licet in vtraque lege materialia obiecta non eodem modo fuerint explicata. Cùm itaque fides concolor extiterit, semper verum fuit fidem iustificare sine operibus legis. Quæ autem sunt hæc opera,

Rom. 3.

August. lib. de gratia, & libero arbitr. cap. 7.

Quomodo fides dicatur iustificare sine bonis operibus.

opera, audi. In duplici differentia ſunt opera edita ex inſtituto legis, vt ſacrificia, obſeruatio feſtorum, ieiunia, eleemoſynæ. Aut fiunt ab aliquo ante illapſum fidei, aut poſt influxum fidei viuæ, quam charitas ſtipat. De operibus legis priori modo acceptis, ait Apoſtolus fidem iuſtificare ſine operibus legis: quia cum illa opera fuerint merè moralia, & facta ab hominibus confiſis propriæ virtuti, ſine vllo intuitu diuinæ gratiæ, non potuere attingere iuſtificationem animæ, quæ eſt ſuperioris ordinis, ac proinde non eſt quòd homo fide iuſtificatus ſuis tribuat operibus ante fidem editis gratiæ Dei exortum. Si verò res eſt de operibus editis in gratia, quam concomitatur fides, illa non excluduntur ab Apoſtolo, ſed faciunt ad iuſtitiæ inſitæ nouum incrementum, huius autem iuſtitiæ gloria ad Deum pertinet, à quo ſunt fides & hinc opera deriuata. Ita Auguſtinus: *Ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, a quo nobis & fides eſt, & dilectio.* Fidei verò quare meminerit Paulus, potius quàm bonorum operum, ratio hæc eſt, quòd ſcilicet à fide & gratia emendicent virtutem ſuam bona opera, vt alibi ſubiicit Auguſtinus ita fatus: *Ideo per fidem iuſtificari dicit Apoſtolus hominem non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua cætera impetrantur.*

Auguſt. vbi ſupra.

Idem lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7.

Quare bona opera ſine fidei obſequio nequeant iuſtificare.

Igitur opera legis reſpiciunt opera cuiuſcunque legis, ſiue Iudaicæ, ſiue Chriſtianæ, ſiue politicæ. Quantumuis enim recta ſint illa opera materialiter ſumpta, ſepoſita fide nequeunt iuſtificare. Hominem namque Deo gratum nulla poteſt facere lex factorum præciſè ſumpta, ſed lex fidei, quam diximus ſupra eſſe illum ſpiritum, qui viuificat. Me hunc locum explicare iuxta intentum Pauli probant Gentes ad quas direxit epiſtolas illas, vnde emerſere textus illi, memorantes fidem ſine operibus. Galatas, & Romanos erudiit Apoſtolus, quanti eſſet momenti fides, qua inſcia nullæ leges hominem poterant perficere in ordine ad Deum. Iudæi Galatæ, qui dederant nomen ſuum Chriſto initiati fidei myſteriis, ægrè ferebant abdicatam eſſe legem Moſaicam, cui à teneris vnguiculis aſſueuerant, nec omnino vetus hoc fermentum adhuc expurgatant. Hos increpat Apoſtolus, quaſi arguens à maiori ad minus, hoc diſcurſu. Si nondum abrogata lege Moſaica, lex neminem potuit iuſtificare ſine fide, illa eadem iam expuncta non poterit hoc præſtare. Simili ferè argumento egit cum Romanis, apud quos vigebat ſtudium virtutis, Stoicorum ſectâ ibi maximè propagatâ. Celebre erat ibi nomen Senecæ profitentis rigidæ virtutis praxim. Apollonius Thyanæus grande ſibi nomen faciebat, vſurpato & ementito auſtero virtutis habitu. Cùm ergo Romæ virtutis nomen celeberrimum eſſet apud Philoſophos inibi commorantes, Paulus ait iuſtificationem eſſe facinus fidei, & non Philoſophiæ, aut alicuius legis quantumuis iuſtæ, vt erant Romanorum Senatuſconſulta & plebiſcita.

Quare Paulus Galatis & Romanis ſcribens ſpecialem mentionem fecerit bonorum operum.

Fauet Auguſtinus hoc diſcurſu: *Multi gloriantur de operibus; & inuenio multos paganos propterea nolle fieri Chriſtianos, quia quaſi ſufficiunt ſibi de bona vita ſua. Benè viuere opus eſt, ait. Quid mihi præcepturus eſt Chriſtus? Vt benè viuam? Iam benè viuo. Quid mihi neceſſarius eſt Chriſtus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupiſco, nullo adulterio contaminor. Nam inueniatur aliquid in vita mea quod reprehendatur, & qui reprehenderit, faciat Chriſtianum. Habet gloriam, ſed non ad Deum.* Id eſt ſi paganus reprehenditur à Chriſtiano, & ea reprehenſione componat mores ſuos ex inſtituto Chriſtianorum, etſi non credat & fidei expers ſit; homo ille Gentilis vitam agens nulli vitio obnoxiam ſecundùm hominum iudicium, nulla tamen laude dignus eſt ante Deum, licet ſuſpiciatur ab hominibus, quibus virtute fucata Philoſophi aliàs illuſerunt. Imò nec Abraham ipſe pater credentium, ſi quid vnquam egit ante fidei illapſum, non inde Deum demeruit, ſed duntaxat conciliauit ſibi Dei gratiam fidei infulis adornatus. Iterum audiendus Auguſtinus. *Si ex operibus iuſtificatus eſt Abraham, habet gloriam, ſed non apud Deum. Ad Deum autem habet gloriam: non ergo ex operibus iuſtificatus eſt. Si ergo non ex operibus iuſtificatus eſt Abraham, vnde iuſtificatus eſt? Sequitur & dicit vnde: Quid enim Scriptura dicit? Id eſt, vnde Scriptura dicit iuſtificatum Abraham? Credidit autem Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Ergo ex fide iuſtificatus eſt Abraham. Iam qui audit, non ex operibus, ſed ex fide, obſeruet illam voraginem de qua locutus ſum. Vides ergo, quia ex fide, non ex operibus iuſtificatus eſt Abraham. Faciam ergo quidquid volo, quia etſi bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad iuſtitiam. Si dixit & decreuit, lapſus demerſus eſt: ſi adhuc cogitat & fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei verùſque intellectus, non ſolùm periclitantem à periculo liberat, ſed & demerſum à profundo eleuat. Reſpondeo ergo tanquam contra Apoſtolum, & dico de ipſo Abraham, quod inuenimus etiam in alterius Apoſtoli epiſtola, qui volebat corrigere homines qui malè intellexerant iſtum Apoſtolum. Iacobus enim in epiſtola ſua contra eos, qui nolebant operari benè de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem. Et non ſunt ſibi aduerſi Apoſtoli. Dicit autem opus omnibus notum. Abraham filium ſuum immolandum Deo obtulit. Magnum opus ſed ex fide. Laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet qualecumque illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic fidem teneret Abraham, vt cùm ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filium ſuum, diceret apud ſemetipſum: Non facio, & tamen credo, quia me etiam contemnentem iuſſa ſua liberaret Deus. Fides ſine operibus mortua eſſet, & tanquam radix ſine fructu ſterilis atque arida remaneret: Quid ergo? Debemus nulla opera præponere fidei: id eſt, vt ante fidem quiſquam dicatur benè operatus. Ea enim ipſa opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur laudabilia hominibus, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, ſed quid cùm facit aſpiciat.* Hactenus Auguſtinus quem integrum conduxi, ne in re controuerſa hæretici ſuſpectam haberent ſententiam meam Catholicam.

Auguſt. in præfatione ad Pſalm. 31.

Præclara quæuis opera ſine fide non proſunt ad ſalutem.

Ibidem.

Quomodo Abraham iuſtificatus fuerit.

Vnde bona opera ſuam virtutem emendicent.

Præmittendi fuere textus illi Augustini, vt fidem conciliarent sibi responsiones meæ ad argumenta petita ex epistolis Pauli, quæ secernere videntur bona opera ex iustificatione nostra. Cùm ergo aduersarij ingerunt illum locum: *Exclusa est gloriatio tua., per quam legem: Factorum? Non. Sed per legem fidei.* Respondeo alio modo quàm fecerit Bellarminus versans illum locum, & dico esse duplicem glorificationem, qua anima de bono opere perpetrato gestiens luxuriat. Vna est, qua homines æstimantur laude digni apud alios suæ virtutis exercitæ spectatores, hanc gloriationem non carpit Apostolus, id est non vetat aliquo dignari honore homines moraliter innoxios, vt congrua mercede compensentur. Quorum enim actiones merè humanæ fuerunt, possunt & esse præmia eiusdem sortis, vt sunt hominum elogia, honor, & veneratio. Rursus alia est gloriatio, qua quis obseruata Dei lege assurgit in spem gloriæ æternæ, præsumens de suis operibus, quasi propriis viribus editis. Hanc gloriationem damnat Apostolus, dicens talia opera esse inutilia, cùm fidei sit affingere operibus nostris vim iustificandi animas. Nota obiter, semper Apostolum loqui de fide perfecta, quæ est socia charitatis. Gloriatio igitur illa, qua præsumit homo, se sua virtute assecuturum gloriam, non excidit lege sola factorum; Id est, simplex litera præcipiens hæc & illa fieri, non impertit gratiam obediendi Deo sicuti par est, sed litera illa occidit, cùm homo morem gerens, nimium insolescit. Sed vbi irradiat fides, anima illo lumine illustrata nouit, se imparem esse cælo acquirendo citra adminiculum gratiæ Dei, cuius ipsa fides ingerit notitiam, & influxum: sicque prius intumescens anima, iam dehiscit contracta ad nihilum, flocci faciens opera sua omnia, considerata vt edita sine Deo Domino miserante. In eo sensu ait Apostolus exclusam gloriationem nostram, non lege factorum, sed lege fidei, quia docemur ex fide referre in Deum omnem gloriam cuiuscunque actionis emeritæ. Nec inde tamen concludere possunt hæretici, Paulum omnia bona opera reprobare.

Rom. 3. Solutio argumētorum contra bona opera.

Duplex gloriatio bona opera consequitur.

Quanam gloriatione excidāt opera bona edita sine fidei præsidio.

Meæ distinctioni de duplici gloriatione suum suffragium præbet Paulus, ita fatus: *Ei qui operatur, merces imputabitur secundùm debitum, non secundùm gratiam.* Illic Apostolus duas constituit classes bonorum operum, dicens alia esse quibus redditur merces, alia verò quibus gratia rependitur. Ea quibus merces affingitur sunt illa, quæ naturæ ductu quisque moraliter viuens perficit extra gratiæ statum. Has laus sua quasque manet actiones, & Paulus maximè probat aliqualem tribui gloriam benè agentibus. De operibus verò, quibus appenditur gratia, nulla planè gloriatio hominem decet. Nam à Deo habent id, vnde influit gratia in homines, talia præclara facinora perpetrantes. Ideo Paulus ait excludi gloriationem per legem fidei, quia aspirante gratia Dei anima se impotem confitetur ad æterna gaudia comparanda, ac proinde tantùm abest vt glorietur, quinimò omnem deponit fastum, nullam planè gloriam ab ea prorsus quæ est Christi Domini quæsitura.

Rom. 4.

Bona opera sunt in duplici differentia.

Ad alios textus Pauli, quos suggesserunt hæretici, conclamantes nullam esse iustitiam operum, sed nos iustificari tantùm lege fidei. Respondeo Augustinum satis superque diluisse nodos illos facilè solubiles, quando insinuauit iustitiam quæ ex lege est, homines quidem commendare aliis hominibus, sed non Deo, si opera illa fiant semotâ eius gratiâ, quæ est lex fidei, à qua qui deuiat iustificari nequit. Non tamen lex fidei excludit opera facta in charitate, imo ea inuoluit, quia vt ait alter Apostolus: *Fides sine operibus mortua est.* Cùm quis ergo dixerit tibi, Paulum dicere fidem iustificare sine operibus legis. Concede nullam omnino fuisse nec esse legem, cuius vnquam opera hominem effecerint iustum, si edita fuerint sine fide perfecta. Sed ideo locum illum minimè concludere, fidem non stipari bonis operibus, vt assectis atque sequacibus indiuiduis.

Modus diluendi omnes obiectiones contra bona opera.

Iacobi.

SENSVS ORTHODOXVS.

Denuo insurgunt hæretici, conclamantes fidem solam iustificare sine bonis operibus.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

Marcellus Romanorum Consul inclytus, oppositus Hannibali, vt eius impetus retunderet. Ille inquam Consul ea præliandi prurigine fuit, vt sæpius ab Hannibale fractus, postera tamen die prælia restaurarit. Vt qui viribus & consilio impar erat Hannibali, eum saltem lacessendo multo certamine fatigaret. Haudquaquam tamen ei cessit illa impetigo conserendi manus cum Hannibale milite veterano, cum quo compositus, ille tyro tandem succubuit. Ea ferè sorte iniqua pessum eunt hæretici filij terræ, orti nudius tertius. Nempe illi leuioris armaturæ velites pro comperto habent, non posse frangi Doctores Catholicos, vtpote veteranos, & emeritæ militiæ in his quæ pertinent ad tutanda dogmata Christiana. Idcirco quos non possunt Marte aperto vincere, satagunt lacessere repetitis insultibus, vt multiplices instantiæ saltem fucos faciant, & conglobati textus Scripturæ sacræ dubiam faciant fidem Catholicam. Tamen illæ hæreticorum technæ non fuerunt eis propitiæ; siquidem tantùm abest, vt hæresis grassata fidem extinxerit, quinimò fides liquidior emicuit, & Scripturæ textus conducti ad labefactandam disciplinam Christianam, magnum adiecere fidei luminis incrementum.

Marcelli Consulis industria pertinax.

Hæretici contentiosi multiplicant instantias.

Prior ille occurrit textus, qui titulum fecit istius controuersiæ. Aiunt hæretici, Christum equidem laudasse fidem Centurionis, & captata occasione fidei illius, dixisse multos venturos ab Oriente, & Occidente, & futuros consortes Abrahæ in regno cælorum. Quasi diceret, eadem fide saluas fore Gentes. Notant autem aduersarij, Christum nullam omnino mentionem fecisse operum Centurionis, & tacuisse opimas eius eleemosynas. Respondeo, Christum maximè laudasse Centurionem ab opere quando laudauit fidem eius: nimirum illa externa fidei professio fuit opus extrinsecum, quo Centurio meruit habere Christum in encomiasten. Imò peccasset Centurio si fidei charismate dignatus à Deo, Christum palàm minimè prædicasset, imitatus hos, quibus quidem Christus innotuit, sed nolentes incurrere in offensionem Synagogæ, testimonium

Centurio magis laudatus ab opere quàm à fide sola.

monium suæ huius fidei Christo pendere detrectarunt. Hos pungit ille dilectus Domini ita fatus: *Verumtamen multi ex Principibus crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Itaque fides explicata audacter est opus emeritum, & qui talem fidem laudibus effert, ille bonum opus laudat; mutila quippe fides est, quæ tacita delitescit.

Ioan. 12.

Aliud argumentum pro fide sine operibus.

Luc. 8.

Solutio argumenti.

Denuo latrant canes, & quasi nos Catholici deuij essemus, damnant nos ore Christi ferentis sententiam in gratiam fidei sine operibus. Nempe Principi Synagogæ metuenti filiæ suæ animam agenti, ait Christus: *Crede tantùm, & salua erit.* Vox illa, *tantùm*, seponit opera, fidemque solam adstruit esse præpotentem, etiam Ecclesia Catholica reclamante. Respondeo, errare hæreticos in hoc textu, quia non capiunt Christi sensum: nimirum totum illud negotium ibi gestum, fuit de miraculo edendo in filia rediuiua; ac proinde fides, quam Christus exigebat ab homine, respiciebat illud prodigium faciendum in argumentum diuinitatis Christi, & non præcisè ad iustificationem patris, à quo Christus exegit fidem pertinentem ad virtutem faciendi miracula. Fides autem illa potest stare cum peccato mortali. Id est, homo in statu peccati mortalis potest in testimonium veritatis fidei nostræ facere miracula. Verbi gratiâ, propinatum sibi virus absorbere potest, credens impunè fore hoc facinus editum in gratiam fidei. Et reuera Christus ait multos reprobos edituros prodigia, nec tamen ea fide qua refulsere miraculis fore saluos. Igitur alia est fides requisita ad facienda miracula, & alia planè fides, qua beandi sumus. Nam interdum fides sine vllis operibus Deo gratis potest clarere signis, vt fidei Christianæ veritas adstruatur. Altera verò fides, qua iustificatur homo nequit stare cum peccato, sed in fideli quærit virtutum praxim. (Est autem illa praxis, iugisvsque ad mortem bonorum operum series indefessa. Audiendus est Christus ipse dirimens istam controuersiam hoc discursu: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram.*

Duplex fides, miraculorũ vna, & alia iustificans.

Fides in adultis vult stipari bonis operibus.

Matth. 7.

Christus eo contextu duplicẽ meminit fidem; vnam, qua in nomine suo dicit edita fuisse prodigia. Hanc ait Christus non obstare quin damnentur homines ea fide instructi, non quòd fide caruerint, sed quia bonorum operum expertes erunt. Recenset & alteram fidem ipse largitor fidei Christus, & ait beneficio huius fidei auditum & opera concordare. Huius fidei hæc est tessera: *Audit verba mea, & facit ea.* Ergo incongruè gestiunt hæretici iactitantes illum locum, *crede tantùm*, quasi verò Christus immemor sui, fidei tantùm, & seclusis operibus assignare voluerit stipendia regni. Facessat itaque inepta hæreticorum instantia: nam fides ibi recensita, est fides pertinens ad miracula, quæ necessariò non requirit mirabilia virtutis opera in eo, qui edit prodigia in gratiam fidei. Quod si Christus egisset de iustificatione animarum, non dixisset, *crede tantùm*, ne daretur ansa caligantibus, in praxim sanctiorum operum insurgendi. Vt serpens in frusta dissectus, quamdiu spirat in varias partes inflectitur inquies; ita & hæreticus rationis impatiens nescit acquiescere, idque in pœnam suæ proteruiæ. Eamobrem perfidi omnes & transfugæ, quasi sagittarum manipulum componerent, segregauere textus idoneos suo intento, vt ea in nos spicula fortiter intorquerent. Sic impetunt nos. Scriptura commemorans iustificationem animæ, fidei tantùm meminit, non operum. Ergo sola fides iustificat. Alioquin in re adeò graui, vt est animarum salus, hiulca fuisset & deficiens doctrina Christi, tacens bona opera, si absque bonis operibus nostra nutasset salus. Ecce tela in nos directa. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Item. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Demum. *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.*

Fides miraculorum potest esse cum peccato lethali, sed nõ fides iustificans.

Aliud argumentum pro fide iustificante sine bonis operibus.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Rom. 5.

Bellarminus suo more benè & succinctè respondet, tu eum consule. Ego meas acturus partes volo lumen nouum adiicere, vt discutiam tenebras, quas hæretici crebris Scripturæ textibus asperserunt. Itaque bifariàm respondeo. Primò admoneo esse recolendum illud dogma à me insinuatum supra, scilicet Scripturam sacram, si quando spatiatur in fidei encomiis, illi affingendo negotium salutis nostræ, semper intelligere fidem perfectam, & non informem. Est autem fides perfecta illa quæ charitate flagrat, & est fœta bonis operibus, vt eam describit Sanctus Paulus ita fatus: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Non itaque operæ pretium fuit recolere bona opera, quando Scriptura sacra meminit hanc fidem, à qua opera habent vt bona sint, & quæ habet à bonis operibus vt congruè vegetetur. Prostat enim hoc Scripturæ oraculum: *Fides sine operibus mortua est.* Altera autem responsio mea hæc esto, docens quare Scriptura sacra tantum tribuat fidei, bonis operibus non æquè adeo recensitis.

Bellarm. l. 1. de iustific. c. 20. Tom. 3. Controuersiarum.

Galat. 5.

Quænam sit illa fides quæ iustificat.

Iacob. 2.

Auctoris sententia circa textum qui meminit fidem saluare sine operibus legis.

Ille est stylus Scripturæ sacræ, vt cùm effectus aliquis emergit à pluribus causis coeuntibus, tribuat effectum illum modò huic causæ, & aliàs alteri prout auditorum indoles indigebat: & quæso aduerte hanc solutionem, quia magni est momenti. Æuo igitur Christi erat stabilienda fides diuinitatis eius, quam impugnabant Scribæ & Pharisæi. Bonorum autem operum praxis, non erat ita suadenda, quia valde tenaces erant Iudæi in singulis quibusque suis ritibus obseruandis, quibus tantùm tribuebant, vt inde rei essent, vnde applaudebant sibi, sicuti videre est in illo Pharisæo texente longam seriem suorum operum.

Iactitabat ille dare se decimas, & multiplicare ieiunia, & sic suo typho inutiles fecit has virtutes. Alij exterminabant facies suas protracto ieiunio in multos dies, orabant in angulis platearum, & stipem in propatulo pauperi sæpius erogabant. Duo itaque fuere præstanda Christo. Vnum tollere præsumptionem bonorum operum. Alterum inserere cordibus hominum diuinitatis suæ fidem, quam dubiam faciebat perfidia Iudæorum.

sum. Vtriusque voti compos extitit Christus, prædicando fidei elogia, tacitis operibus. Quia operum vox tum temporis erat anceps, vtpote notans æquè ritus Iudæorum, ac disciplinam Christianam. Vbi autem adoleuit fides, illic aliud schema prædicandi iniit Christus: nimirum tunc suos fideles erudiit, qua cautela esset bonis actibus incumbendum. Et ne suspicentur hæretici me velle eis imponere, consulant Matthæi caput sextum, vbi Christus aperit, quo oleo sint ieiunia condienda, quomodo debeant in abscondito fundi preces, & qua discretione deceat facere eleemosynam. Rursus cùm dixit regnum cælorum pertinere ad eos qui flent & persecutionem patiuntur pro iustitia, & qui pauperes sunt spiritu, tunc suam orationem aptauit ingenio auditorum, quos fide initiatos, bonis moribus imbuebat.

Quomodo Christus bona opera docuerit. Matth. 6.

Eodem spiritu Christi afflata Ecclesia licet vnicolor, tamen in vario sæculorum tractu, variis occurrens erroribus, multas conclusiones edidit, specie distinctas ab inuicem, ac proinde visa est stolam induere polymitam. Verbi gratiâ, quando Pelagius suum virus euomuit attribuens libero hominis arbitrio gratiæ illapsum, quasi verò posset homo suo Marte conciliare sibi gratiam: tunc Ecclesia insurgens in hominem blasphemum, adeò depressit indolem liberi arbitrij, vt hominem pronuntiarit impotem ad propriis tantùm viribus gratiam acquirendam. Huius generis dogmata pleraque prostant apud Sanctum Augustinum, qui de industria libros edidit de libero arbitrio, & de gratia contra Pelagianos. Ast vbi alia dispar omnino hæresis insurrexit, scilicet Caluini, qui omnia dat gratiæ, & nihil planè libero arbitrio, quod ait pessum abiisse, tunc Ecclesia cautè tutata est partes arbitrij, Canone quidem edito de impotentia naturæ solius, sed superstite semper libero arbitrio, quamuis Adami vitio subierit aliquale dispendium. Ita Paulus agens cum Galatis, apud quos vigebat adhuc amor ritus Iudaici, quem suspicabantur pollere virtute magna ad iustificandas animas: vt eos laborantes eo delirio reuocaret ad sanctius institutum, totam iustificationem refudit in legem fidei, & non in legem factorum, damnans, & affirmans inutiles esse ad gloriam æternam omnes actiones editas extra fidem Christi. Idem etiam Romanis ait, apud quos increbuerat virtutis amor. Ne autem videretur Apostolus absolutè eliminare virtutum praxim, & damnare bona opera, vt inane fidei simulacrum erigeret, adiecit fidei charitatem, & bonas actiones vt comites indiuiduas, eo textu quem antea recensui. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

Qua cautela Ecclesia ierit obuiam hæresibus insurgentibus.

Concil. Trid. sess. 6. c. 1.

Paulus flocci pendit opera bona facta ab infidelibus.

Galat. 5.

Societas est indiuidua fidei & bonorum operum.

Rursus, adieci multa præter fidem coire ad iustificationem hominis, quibus seorsim sumptis Scriptura attribuit iustificationem, non excludendo tamen alia quæ concurrunt ad beatum illum statum hominis adstruendum. Ita amori Magdalenæ Christus totum tribuit, vnde sanata est, nullâ factâ mentione fidei. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Eumdem effectum sortitur eleemosyna in libro Iob. *Eleemosyna à peccato liberat.* Et Paulus quasi immemor encomiorum, quæ effudit in gratiam fidei, solius tantùm spei meminit hoc loco. *Spe salui facti sumus.* Iesus Syracides totum dat timori. *Timor Domini expellit peccatum.* Denuo ipse Paulus refundit in aquas Baptismi omnem animæ munditiem, ita fatus: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Attamen nemo sanus dixerit, dilectionem Magdalenæ fuisse citra spem, & fidem; neque eleemosynam à peccato liberare, si sit infidelis homo, qui suarum opum egenos participes facit. Spe etiam aliquem saluari sine fidei subsidio inuoluit contradictionem. Nam fides viua, & spes ab inuicem minimè dispescuntur. Quid enim sperare potest homo beandus, nisi gloriam illam, cuius aspergine cælites beati fiunt? Sed nequit assurgere homo in spem illam, nisi illucente fide, quæ hominem docuit diadema gloriæ bonis actibus imminere. Ita vbi Apostolus dat fidei iustificationem nostram, non inde tamen secernit opera, velut inutilia ad gloriam assequendam.

Luc. 7.

Iob 16.

Rom. 8.

Eccles. 1.

Tit. 3.

Multa concurrunt ad iustificationem.

Spes vt est virtus Theologica nequit esse sine fide.

Quare autem Apostolus tacitis operibus, imò & charitate, fidei toties meminerit, aliam adhuc accipe rationem. In confesso est apud omnes Catholicos, fidem, spem, charitatem simul influere in animam Deo gratam; quia vt tres Charites erant mutuo brachiorum implexu sociatæ, ita tres illæ virtutes, fides, spes, charitas, nullum ferre queunt diuortium; tamen ratione prior est fides aliis, etsi contemporanea: siquidem prior est notitia amore, cùm ignota sui nullam cupidinem efficiant. Ideo Paulus attendens ad illam prioritatem, & aduertens iustificationis incunabula esse penes fidem, toties illam sacro codice commendauit. In ea sententia est Augustinus ita fatus: *Ex fide ideo dicit iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* Et alibi petita similitudine ab ædibus, hæc loquitur: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Vnde fideles vt tales sint habent à fide; vt verò iustificati, & perfecti sint, illud habent à charitate, & aliarum virtutum choro, quidquid reclament hæretici, in bona opera debacchantes.

Quare Paulus sæpius fidem meminerit quàm alias virtutes.

August. lib. de prædest. Sanctor. c. 7.

Idem ser. 22. de verb. Apostoli.

In iustificatione fides stipatur bonis operibus.

SENSVS ORTHODOXVS.

Tertiò insaniunt hæretici, conantes adstruere, fidem iustificare sine bonis operibus.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

VT plerisque dotes corporis non noxiæ tantùm, sed & lethales sunt; ita & singulare ingenij acumen multis obfuit. Fati iniqui specimen edidit Asaël, qui cursu citatissimo quondam omnes homines anteuertit. Hic viribus impar Duci Abner, insecutus est eo quo præualebat cursu. Sensit Abner instare sibi Asaëlem stricto gladio, ideoque ne incautè locum vulneri daret hosti, stetit intrepidus, & Asaëlem præmonuit ne incurreret in lethale ferrum, sed supersederet, quia res dispares erant, currere & coronari, aggredi & vincere. Noluit Asaël morem gerere consilio salutari, sed tentauit circumcurrendo æmulum lacessere; cui tamen diu non fuit importunus: Abner enim vir emeritæ militiæ hasta petitè intorta in proteruum hominem, illum

Asaël importunus periit.

Egregiâ figurâ hæreticorum importunitas declaratur.

illum quantocyùs enecauit. Si è Codice sacro vis synopsim historiæ, ecce textum. *Asael cursor velocissimus fuit, &c. Persequebatur autem Asaël Abner, & non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram omittens persequi Abner. Respexit itaque Abner post tergum suum, & ait: Tune es Asaël? qui respondit: Ego sum. Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, siue ad sinistram, & apprehende vnum de adolescentibus, & tolle tibi spolia eius. Noluit autem Asaël omittere quin vrgeret eum. Rursumque locutus est Abner ad Asaël: Recede, & noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco.*

2. Reg. 2.

Ecce ideam congressus hæreticorum cum Catholicis. Fuere profectò inter fidei desertores, homines perspicacis ingenij, vt Tertullianus, Porphyrius, Auerroës, Faustus Manichæus, & superiore sæculo Caluinus, & aliqui eius asseclæ. Hi veluti cursores industrij præteriere omnes Scripturæ plagas, vt aliquam molestiam facerent Ecclesiæ. Ecclesia miserata dementiam hominum illorum imprudentium, præmonuit eos vt saperent, & rem esse plenam periculi fidei duces velle procaciter impugnare. Desipuerunt hæretici, ideoque plerisque conciliis confossi sunt, & quia denuo volunt lacessere me confitentem fidem solam non iustificare adultos homines sine comitatu bonorum operum; subsistamus excepturi priores impetus tertij huius insultus, vt eo fracto concidant infideles. Non incongruè compono hæreticos cum cursore Asaële; nam cursim tantùm, & superficie tenus voluunt sacros libros. Eamobrem sæpe sæpius ingeminant textus Scripturæ vt nobis iniurios; qui tamen ritè expensi magis stabiliunt Catholicam fidem. Huius generis est locus ille Pauli, quem magnopere iactant. *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam.* Cui & hunc versum adiiciunt. *Si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Ibi fides sola nominatur in mentione iustitiæ, imò tantùm abest, vt opera vocentur in partem iustificationis, quinimò potiùs ab ea virtute iustificandi homines ipsa opera secernuntur. Possem eludere hos imbelles hæreticorum nisus hoc scommate.

Quàm sine imprudentes hæretici in allegandis textibus Scripturæ sacræ.

Rom. 4.

Rom. 11.

Textus ab hæreticis assumpti vt astruant fidem sine bonis operibus.

Nullum cum victis certamen, & æthere cassis.

Etenim satis superque retudi hos insultus, cum dixi Apostolum semper intelligere fidem, quæ per charitatem operatur, quando fidem commemorat in ordine ad iustificationem. Vnde hebes est aculeus spiculi quod intorquent in nos aduersarij, vsurpantes textum illum de fide deputata ad iustitiam. Omni etiam virtute excidit ille locus, quem aptant in nos, vbi Apostolus ait gratiam non esse ex operibus. Punctionis acumen sustuli, quando in suos cancellos retuli bona hominum opera; nimirum distinxi inter opera edita ante fidem, & alia facta postquam anima fide initiata est. De operibus quantumuis arduis editis ante fidem loquitur Apostolus, dicens gratiam non esse ex operibus. Nulla namque opera præcedentia fidem meruere primam gratiam: hoc tamen non obstat, quin bona opera mereantur gratiæ incrementum: etenim fides exercita meritum auget. Duobus itaque modis respondeo ad illum textum Pauli: *Si gratia, iam non ex operibus.* Primò dico, Apostolum loqui de prima gratia, quam nullâ opera de condigno mereri possunt, quia omnia opera edita ante fidem, naturalia, nequeunt assurgere ad indolem gratiæ. Secundò dico, locum illum præcisè non pertinere ad fidem; siquidem Paulus pugnantia proponeret. Dixit enim Galatis in CHRISTO IESV nihil valere circumcisionem, neque præputium, sed fidem quæ per charitatem operatur. Nomine circumcisionis, & præputij, intellexit omnia bona opera, quæ fiebant apud Iudæos, & Gentiles, eaque dixit floccipendi in ordine ad salutem, quam peperit Christus, cuius participes nos efficit fides instructa charitate, & fœta bonis operibus. Vides quomodo importuni hæretici me compellunt eos confodere propriis spiculis, quæ in nos aptauerant, cùm dogmata fidei nostræ congruè etiam eorum adscitis textibus obfirmentur.

Solutio argumētorum contra bona opera.

Explicantur textus adsciti ab hæreticis.

Galat. 5.

Ne fortè meam doctrinam nouam suspicentur hæretici, consulant Augustinum, quem tanti facit eorum antesignanus Caluinus. Audient ab eo, homini inesse merita supposita fide, quam nulla tamen opera præueniunt, cùm sit illa donum Dei gratuitum. Sic ille adstruit, nulla opera præcedere fidem per modum meriti. *Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur arbitrio. nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Præuia autem fide augeri gratiam bonis operibus, ille sic affirmat: *Non gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

Auctoris sententia stabilitur auctoritate Patrum.

August. epist. 105.

Idem epist. 106.

Quibus malè cessit Scriptura sacra putas fore Patres Ecclesiæ propitios? Nequaquam. Quid ergo defodiunt monumenta Patrum, vt inde eruant argumenta in nos? Profectò arbitror cessuram eis illam indaginem textuum, vt cessit cuidam inuestigatio thesauri absconditi. Inuenit ille laqueum, quo suo intento frustratus miserè se suspendit. Ita hæretici dum depromunt Sanctorum Patrum sententias, velut impugnantes disciplinam Christianam, hoc vnum efficiunt, vt inde pateat eorum proteruia, quam configunt ea ipsa spicula, quæ in nostra dogmata dirigunttur. Perperam itaque traducunt inuitos Patres in suæ hæreseos obsequium. Etenim nemo sanus defecit à fide Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Basilium primò conueniunt hæretici vt assertorem sui erroris, quem affatim credunt ab hoc Præsule stabiliri. Sic ille: *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob iustitiam suam quis se iactat; sed nouit quidem se ipsum vera iustitia indignum, sola autem fide in Christum iustificatum.*

Prima gratia non cadit sub meritum hominum.

Ausonius lib. epigram.

Basilius homilia de humilitate.

Antequam discutiam textus depromptos à Patribus, vnum est prælibandum; scilicet non esse seorsim seponendas sententias Patrum, quasi nihil veri dixerint vnquam; sed eas esse exponendas in ordine ad textus antecedentes, atque subsequentes, vt germanus verborum sensus hinc erui possit. Verbi gratiâ, in prælaudato versu Basilij rimanda est intentio sancti Patris, quam quisquis

Quomodo sint explicandæ Patrum sententiæ.

quis assequetur, ille deprehendet Basilium inscripsisse homiliam illam: *De humilitate.* Cùm ergo totus sit ille Doctor in eo sermone, vt deprimat hominum fastum, superbiam aggressus est ea parte, qua fortissima est. Nam oppugnauit arcem munitissimam, quando propriæ cuiusque iustitiæ iactantiam pellere attentauit. Vt ergo typhum illum deponeret, ait opera nostra nullam nobis affingere iustitiam, subaudiendo opera illa quæ à nobis sunt sine vllo influxu gratiæ Dei. Itaque ex mente Basilij iustificari ex sola fide, perinde est ac iustificari ex solo dono Dei: hoc autem non eliminat bona opera; nam illa dignata Dei gratia sunt dona Dei, quæ ideo humilitatem magis parturire debent, quàm inanis gloriolæ cupidinem, cùm Dei sit totum illud, quod est laude dignum in operibus illis, vnde emergit in nos impetigo gloriæ. Ipse Basilius liquidiùs suam aperit mentem in ea homilia, quam de fide composuit. Illic enim ex professo confitetur fidem mutilam esse sine charitate, & probat hoc effatum auctoritate Christi, qui suos dicit discipulos esse discernendos ab aliis charitate mutua. Non ergo Basilius, & hæretici coëunt in eamdem sententiam. Eamobrem prouocant ad Origenem magni nominis oraculum, cuius hæc sunt eloquia: *Dicit Apostolus sufficere solius fidei iustificationem, ita vt credens quis tantummodo iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.* Profectò illa Origenis sententia segregata ex contextu eius spirat aliquid propitium hæreticis: sed decurrenti locum illum apparebit mala fides hæreticorum in laudandis Patribus. Quippe in eo commentario, Origenes commemorat iustificationem Magdalenæ, & latronis in Cruce, & ait neutrum illorum ieiunasse, aut erogasse stipem, vnde quis possit dicere eorum iustificationem accepisse initium.

Germana & notanda explicatio sententiæ Basilij.

Christus suos discipulos non discernit ex fide, sed ex charitate.

Origenes in cap. 3. epist. ad Roman.

Diluitur instantia petita ex textu Origenis.

Itaque sic diluenda instantia petita ex verbis Origenis. Bona opera sunt in duplici differentia. Alia sunt externa omnibus obuia, vt vocalis oratio, eleemosyna, visitatio infirmorum, eruditio paruulorum, prædicatio, & alia id genus. Alia verò opera sunt interna, soli Deo peruia, vt fides, spes, charitas, contritio. Quando deest potestas, & non subest facultati occasio edendi actiones illas extrinsecas, reuera sola fides sufficit ad iustificationem, dummodo actio interna charitatis, aut contritionis adsit, vt patet in Magdalena & Latrone. Vnde intelligendus est Origenis textus de operibus externis, & non de internis. Et ne videar imponere Origeni, ipse alibi monet esse fidem inutilem ad salutem, si non sit instructa consonis operibus. Sic ille: *Puto quòd prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est; profectus verò, & augmenta ædificij, spes: perfectio autem, & culmen totius operis, charitas, &c. Credentibus quidem Christo, neque deponentibus veterem hominem cum actibus suis, fides non reputari potest ad iustitiam.*

Bona opera alia interna & alia externa.

Idem in c. 4. epist. ad Rom.

Maius videntur facessere negotium aduersarij, ex conglobatis textibus Ambrosij, valde propendentis in fidei solius encomia semotis operibus. Ecce viri emeriti sententias. *Sicut sufficit Iuda ad scelera Christum deseruisse; ita sufficit Latroni ad innocentiam Domino credidisse.* Respondeo Ambrosium hîc loqui de opere externo, quod sanè non requiritur ad iustificationem, si non suppetat tempus, vt in morientibus accidit; quos vbi contritio afficit dolore intrinseco, illa diluit eorum noxas, etsi nulla castigatio corporea subsequatur. Non inde tamen suo intento gaudent hæretici; nam fides stipatur opere bono interno, scilicet charitate, fide, & contritione.

Diluitur alia instantia petita ex textu Ambrosij. Ambros. serm. 45.

Rursus obiiciunt alios versus Sancti Ambrosij ita fati: *Iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei.* Adiiciunt & hunc locum: *Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem iustificatur.* Respondeo, ibi fidem componi cùm operibus legis antiquatæ, ideoque Ambrosium iuxta veram Pauli sententiam optimè pronuntiasse, fidem nullum accipere subsidium ab illis operibus siue ritibus Hebræorum. Fuisse autem Ambrosium eiusdem cum Ecclesia sententiæ, vide hoc contextu: *Magna res est fides & salutaris, & sine hac saluari non est possibile: sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, & conuersari dignè Deo.* Chrysostomus etiam conducitur ab hæreticis, in gratiam illius fidei, quam solam volunt iustificare. Sic ille: *Eum, qui operatur opera iustitiæ, sine fide non possum probare viuum esse: fidelem absque operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum cælorum assequutum, nullus sine fide vitam habuit; latro autem credidit tantùm, & iustificatus est.* Eo loco Chrysostomus ait illud quod tota confitetur Ecclesia, scilicet fidem non requirere bona opera externa, si non detur copia fideli tales actus exercendi. Iterum hæretici importunos se præstant Chrysostomo, vt explicet illam suam sententiam: *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola. Quid te spontanea seruituti subdis, & legis iugo collum submittis?* Hæretici suam caliginem nobis volunt offundere, quando hunc textum aptant in nos, qui reuera iugum legis Mosaicæ dicimus abdicandum, cùm opera edita ad amussim ritus antiquati non sint legitimæ fidei obstetrices.

Idem in c. 3. epist. ad Roman.

Idem in c. 4. epist. ad Rom.

Idem in c. 4. epist. ad Hebræos.

Chrys. homil. de fide & lege natura.

Idem hom. 3. in epist. ad Titum.

Augustinus agmen claudit, & sic ab eis inducitur impugnans nostrã conclusioné orthodoxam, statuentem fidem solam non iustificare sine bonis operibus. Accipe Augustinum. *Si quis cùm crediderit, mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet in illo, nec præcedentibus operibus bonis, quia non merito ad illam sed gratia peruenit: nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* Item alibi. *Quantalibet fuisse virtutis antiquos prædices iustos, non eos saluos fecit nisi fides Mediatoris.* Respondeo priorem illum locum de fide hominis positi in supremo agone pertinere ad fidem perfectam, quæ est charitate animata, cuius actus interni probant fidem non saluare sine bonis operibus saltem internis, cùm & ipsi exhalantes animam, quibus est negata copia exantlandi ardua facinora externa, internis saltem amoris actibus obstringantur. Altera instantia de fide Mediatoris, quæ saluos fecit iustos in vtraque veteri lege, naturali scilicet & Mosaica, hoc tantùm probat, videlicet nullam omnino legem etsi accurate à suis sequacibus obseruatam potuisse gratiam inserere citra fidei obsequium, vt sæpius antea præfatus sum.

Aug. lib. 83. quæst. 76.

August. lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum c. 21.

Diluitur aliud argumentum petitũ ex libris Augustini.

Itaque omnes instantiæ petitæ à Scriptura, & Patribus, quę videntur concludere fidem saluare sine operibus, diluuntur duplici distinctione, quarum

Quomodo soluēdæ sint omnes obiectiones factę pro fide saluante sine bonis operibus.

quarum vna pertinet ad fidem, altera verò porrigitur ad opera. Verbi gratiâ, vbi Scriptura absolutè dicit fidem iustificare. Dic esse duplicem fidem, videlicet viuam, & mortuam. Textus autem euehentes ad sidera fidem, esse intelligendos de viua fide. Si verò Scriptura aut Patres dicunt, fidem saluare sine operibus, distingue bona opera in quatuor classes, quarum prima continet opera legis Mosaicæ, quæ vt obsoleta nullius sunt meriti. Altera series operum respicit Christianum institutum, & ea facta in peccato mortali, non sunt obstetrices fidei. Tertia classis spectat opera bona externa facta in gratia. Vltima demum est bonorum operum in genere, quæ anima Deo fœta enixa est, siue sint externa, siue sint interna. Fides non requirit opem operum legis Mosaicæ, nec etiam adiuuatur, id est non iustificat in virtute boni operis editi in peccato lethali. Quod verò attinet ad opus externum, cui gratia suum adiecit patrocinium, fides non semper id requirit; multa namque possunt occurrere, quæ obstabunt, ne fides feruida prosiliat in actus exercitos. Sed nihil omnino hominem soluit à lege bonorum operum internorum, nec vllus vnquam hominum adultorum cælis insertus est beneficio fidei, quin saltem actus amoris ei adiectus sit. Obseruandæ igitur sunt illæ distinctiones, vt earum præsidio, hæreticorum conamina irrita compescantur.

SENSVS ORTHODOXVS.

Pars Secunda Controversiæ.

Fides ad iustificationem animarum, bonorum operum adsciscit suffragium.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem.

Ex Scriptura, et Ratione.

ETsi Palæstina terra opima iuris esset Iudæorum, ex decreto Dei volentis exterminare incolas eius, ob piacula obscœna, quibus infamis erat illa plaga, proinde facta Deo exosa; tamen Hebræi non sunt sortiti vberes illas orbis oras, quin antea obuios hostes gladio vindice profligassent. His quasi internecione deletis, partiti sunt terram Hebræi gestientes, & diuisi in tribus suas. Ita & ego antequam stabiliam conclusionem meam orthodoxam, volo appendere tholo veritatis exuuias hæreticorum omnium, qui fidei tantùm tribuerunt animæ sospitatem. Quot argumenta fregi, tot sunt frusta spiculorum, quæ insero trophæis erectus in gratiam fidei orthodoxæ. Appensis his spoliis volo in suas tribus diuidere argumenta, quæ fulciunt dogma meum Catholicum. Scriptura sacra (ratione pedissequa) agmen ducet, cui instabunt Concilia, deinde Patres, & demum Historia intento huic fauebit, selectis exemplis pro bono opere recensitis. Primas dabo sicuti par est Scripturæ sacræ, liquidò affirmanti, fidem non iustificare sine bonis operibus. Ita loquitur Christus: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Vide quomodo fides sincera bonis actibus innotescat. Fortè dicent aduersarij,

Ex bonis operibus fides innotescit.

Matth. 7.

Textus probantes fidem non saluare sine bonis operibus.

Christum loqui de infidelibus, qui nesciere Dominum. Sed nulla planè est illa euasio: Christus enim statim ait, verba illa præfata pertinere ad reprobos, qui etiam virtute fidei claruere miraculis, & tamen perierunt inopiâ bonorum operum. Sic ille: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Si Christum vocauere Dominum, profectò eis Christus innotuit fidei lumine; aliter enim assensus nequit propendere in eam veritatem, nisi intellectus fidei lumine cælitus illustretur. Tamen in hanc fidem Christus non refundit hominum salutem, sed eam reponit penes obsequium præstitum voluntati diuinæ, obediendo mandatis eius, & bonis actibus insudando. Ita & pessum euntes animas edentium miracula Christus non castigat ob infidelitatem, sed ob iniqua opera perpetrata. Ecce sententiam latam in hæc capita iniqua: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Ex regula contrariorum, si opera nefaria hominem in præceps agunt, non obstante fide; bona opera adiecta fidei, ad sidera suos euehent effectores.

Matth. 7.

Vt amicorum abeuntium æternum vale & verba extrema altius insident animo; ita & recensita oratio extrema Christi in procinctu suæ ascensionis in cælum sola potest dirimere totam controuersiam, & probare fidem adsciscere consortium bonorum operum. Et quæso aduerte legislatoris intentum ex postrema illius sententia, qua discipulis suis normam præscripsit sequendam, sacra Euangelij dogmata propagando. Non ait Christus esse tantùm initiandos homines simplici notitia diuinitatis Christi, & meritorum eius in ordine ad redemptionem mundi, vt nugantur hæretici constantes inane fidei mutilæ simulacrum: sed sigillatim hoc præcepit Apostolis, vt explicata fide Gentibus tinctis salutaribus aquis, adiicerent doctrinam operum. Ita Christus: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Fidei namque sartæ tectæ summa, bono opere consummatur.

Quādo præcipuè Christus sanxerit prædicanda bona opera.

Matth. 28.

Quia Paulus in antiquandis ritibus Hebræorum multus fuit, ideo etiam multum attribuit fidei, pronuntians eam iustificare sine operibus. Ne tamen quispiam imprudenter adimeret bonis operibus illud insigne decus, quo præpollent, præscius ille Apostolus de industria professus est, se non tollere bonorum operum praxim stabiliendo fidem, sed potius se præstare bonorum operum assertorem. Sic ille: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.* Quomodo autem legem statuerit prædicando fidem, Audi. Prædicauit Paulus Christum Deo Patre satum editū in humanis, suo sanguine diluisse quidem omnium hominum piacula, sed neminem fieri conscium pretij salutaris huiusce sanguinis, nisi & ipse manum admoueret operi, vim sibi inferendo, & compatiendo Christo assumptis spontaneis angustiis, vt sunt ieiunia, vigiliæ, longior oratio, & cætera, quæ acerba facessunt corpori negotium. Eò spectant ista Pauli eloquia: *Spiritus*

Rom. 3. Quomodo Euangelium lex sit operum.

Rom. 8.

testimo

testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autẽ filij, & heredes: heredes quidẽ Dei, coheredes autẽ Christi: si tamen cõpatimur, vt & cõglorificemur. Quo verò pacto sit cõpatiendũ Christo, ille ait, suadendo, mortificãda esse membra, quæ peccato nimiũ viuida sunt. Accipe consultorẽ. *Mortificate ergo mẽbra vestra, quæ sunt super terram, fornicationẽ, immunditiã, libidinẽ, concupiscentiã malã.* Toto hoc capite longã seriẽ bonorum operũ texit, quorũ præsidio fides indiget in adultis, quibus est copia vacandi virtutũ praxi. Paulus ergo pangendo sacra fidei mysteria non destruxit legẽ bonorum operum; sed abdicatis Hebræorũ sacris, quibus cutetenus Deo litabãt, in eorum locum suffecit sanctiora lõgè opera, à Christo Domino cœlitus instituta.

Coloss. 3.

Ipsi etiam hæreticorum magistri in suis conuenticulis abhorrẽt à doctrina Caluini, & non audent declamare in bona opera.

Caluin. l. 3. instit. c. 11. §. 13. 14. 18.

Plerique simplices inter hæreticos reuoluentes Codicẽ sacrũ & incurrentes in mẽtionem bonorũ operũ, nequeunt in animũ suum inducere, Caluinũ suum antesignanũ voluisse seponere bona opera à fide: & reuera hodie illi oblaterones & tabulæ, quos verbi Dei ministros nuncupant, meminisse horrent illã blasphemiã læuigantes asperitatẽ eius, imponentes vulgo, & dicentes, se non negare valorẽ bonorum operum, imò ea magni facere, vt fidei ingenuæ tesseras indubias, sed præcipuã laudẽ nostræ iustificationis esse in fidei charismata refundenda. Ita fucos faciunt ignaris hominibus illi sycophantæ, mẽdacio cupiẽtes obtegere turpitudinẽ patris sui Caluini, cuius accipe blasphemias in bonorũ actuum argumẽto. Sic ille incipit insanire: *Sed quoniã bona pars hominũ iustitiã ex fide & operibus compositã imaginatur, præmonstremus id quoque sic inter se differre fidei operumque iustitiam, vt altera stante, necessariò altera euertatur, &c. Valeat igitur eorum somniũ, qui iustitiã ex fide & operibus conflatã cõminiscuntur, &c. Vnde sequitur ne spiritualia quidẽ opera in calculũ venire, vbi vis iustificãdi fidei adscribitur, &c. Inde iustificare dicitur fides, quòd oblatã in Euangelio iustitiam recipit, & amplectatur: quòd autẽ per Euangelium dicitur offerri, eo excluditur omnis operum consideratio, &c. Euangeliũ citra operum subsidium, gratuitã iustitiã largitur, &c. In calculum fidei nõ veniunt opera, sed prorsus superanda sunt.* Toto illo paragrapho decimo octauo totus est in bonis actibus expungẽdis. Beza Caluini simia, magistri sui æmulatus insaniã, vt doctrinam eius adstrueret, blasphemiæ illius adiecit sacrilegium. Nam in traductione noui testamenti, infidelis ille voculas inseruit textui iniurias, vt faceret eas suo errori propitias.

Fidei desertores corruperunt Scripturã sacrã.

Nota, eam semper fuisse indolẽ desertorũ fidei, vt violentas iniicerent manus in textus omnes fidei assertores. Ita Aquila Ponticus vbi Ecclesia pulsus fuit ob assiduã operam, quam dabat Astrologiæ aggressus traductionem Scripturæ veteris ex Hebræo fonte in Græcũ idioma, expunxit textus indices diuinitatis Christi, vt sic impunè obsoletis Hebræorũ ritibus adhæreret. Ita Beza homo infamis, vbi ad Caluinũ defecit transfuga ad rebellẽ, stylum suum aptauit in Scripturã sacrã, vt ei vera decernenti vim inferret. Accipe insignis perfidiæ liquida monumẽta. Ait Apostolus iustũ ex fide viuere; fides enim ianua est, qua gratiarũ omnium agmen influit in animam. Sic vertit ille apostata: *Qui verò ex fide iustus est, viuet.* Quasi Apostolus assereret hominẽ à fide tantùm habere, quòd iustus sit, hoc enim sonat ille spurius Bezæ locus: *Qui ex fide iustus est.* At contra, Paulus affirmat eum, qui iustus est, habiturũ à fide vt protrahatur vita ejus: Fides nãque viua accincta bonis operibus animã viuificat, & non simplex illa fides, quam Beza spoliat operibus. Ita Apostolus. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Iustus autem ex fide viuet.* Idem sonat textus Hebræus prophetæ Habacuc, vnde primò emersit ille textus וצדיק באמונתו חיה *Ibeėb beemunatho vetsadik,* Id est. *Et iustus in fide sua viuet.* Aliud planè est, in fide sua viuere, aut ex fide viuere; & aliud, esse iustum ex fide sola secretis operibus, vt vult Beza in assentationem Caluini cõpositus. Prior textus Catholicus est: nam concordi suffragio Sancti omnes docent, iustos omnes quantalibet iustitia conspicui sint, viuere fide perfecta, quam stipãt opera. Sed alia versio est hæretica, quæ totã iustitiã affingit fidei experti bonorum operum.

Epiphanius l. de mensuris meminit Lapsum Aquilæ.

Insignis perfidia Bezæ. *Rom. 1.*

Alia perfidia hæreticorũ.

Beza leunculus, vtpote Caluini sequax, factus demũ leo, & ipse magister erroris magnas edidit strages, sacro codice vitiato. Ecce aliam insignẽ perfidiã cuius aspergine hæretici fœdarunt locũ illum Pauli: *Scientes autẽ, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Iniqui homines adiecerunt particulã, *solùm.* Quasi Apostolus dixerit solã fidẽ, absque vllo operum suffragio, hominẽ iustificare. Consule textum Græcũ, in quẽ non irrepsit particula μόνον, id est, solùm. Ecce idioma Græcũ, vt prostat in ipso etiam textu typis hæreticorum cuso, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Nisi per fidem Iesu Christi.* Qualẽ putas fore hæreticorũ sectã, quæ tam ruinoso fundamini incũbit. Arbitror ego, horũ hominum ingeniũ idem esse ac sicarij huius, qui Galeaciũ Ducẽ Mediolani confodit in Ecclesia. Ille vt firmaret labantẽ animum horrentem tentare nefas tantũ, quale erat hoc parricidiũ, apud se reposuit speciem sui Ducis descriptã graphicè in tabella. Hanc imaginẽ ritè expressam perduellis ille quotidie armata manu pugione acceptæ iniuriæ vindice feriebat. Eo tyrocinio facto in tabella, factus securior, ipsum Ducem temerè aggressus in Ecclesia, eodem pugione perfidus enecauit. Vnde Paradinus argumentũ sumpsit edendi symbolũ, vbi armata manus hominẽ ferit, hoc titulo. VEL IN ARA. Ita hæretici certiores facti, omnia dogmata Catholica, quæ profitetur Sancta Ecclesia Romana, esse fideliter lineata codice sacro, vt pro suo voto magis industriè impeterent Ecclesiam, hoc immane nefas auspicati sunt, exerendo veluti sicã in tabellã, quando decurtarunt textus sacros, aut codicẽ sanctum adulterinis voculis asperserunt. Vitiatã itaque Scripturã, audacter aggressi sunt Ecclesiam: sed malè cessit eis illa proteruia; nempe Ecclesia stetit impauida, quamuis VEL IN ARAM processerint hæretici, quos quãdoquidẽ nõ mouẽt textus illi, quos fecere ancipites spuria versione sua, agendũ est aliis textibus & ratione, vt stet nostra cõclusio, de necessitate bonorũ operũ.

Galat. 2.

Hæretico rũ indoles benè descripta ex insigni historia sicarij Galeacij Ducis.

Paradin. lib. Symbol.

Quomodo probetur necessitas bonorũ operũ.

Sic arguo. Dispares omnino sunt propositiones absolutæ, & conditionales, ideoque vnâ illarũ verâ, altera nutet necesse est. Beza absolutè ait, hominem esse iustũ ex fide, & viuere: Christus autẽ homines fideles allocutus non ideo dixit fore beatos, quod perinde est ac viuere, nisi adiecta conditione bonorũ operũ. Ergo Christo veridico, necesse est vt Beza perfidus explodatur. Accipe textus quibus conditio bonorum operum est apposita fidei, ad hoc vt stipendia gloriæ consequatur. Prior ille occurrit textus Christo assertore: *Si vis ad vitã ingredi serua mandata.* Non ergo beat fides sine obseruãtia mãdatorũ, id est, absque bonis operibus. Et quia vniuersalia non æquè mouent ac singularia; Christus aliquãdo singulares actiones præscripsit, vt acceptæ iniuriæ obliuionẽ. Sic ille: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* Frustra igitur de fide sua gloriatur homo anhelãs ad vindictam. Rursus suis discipulis eruditis abundè in his quę ad fidẽ pertinẽt, Christus ait eos non fore beatos tantũ ob illã supernaturalem notitiã, sed etiam beneficio praxis, ad quã erant illa

Textus adstruentes necessitatem bonorum operum.

Matth. 19.

Matth. 6.

Ioan.13. Christi dogmata reducenda. Ita Christus: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Eiusdē generis est illud Christi effatum: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Non igitur sola fides, dato repudio, bonis operibus, conciliat Dei gratiam.

Concinunt Christo suo Duci præcones Apostoli, cōmemorantes bonorū operū & fidei cōmercium, vt societatē indiuiduā requisitā ad tripudia illa æterna. Ecce in eo themate perorantē Paulū. *Si secundū carnē vixeritis, moriemini: si autē spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* (Rom.8.) Non ergo sola fides viuificat, si operæpretiū est carnē bonis & asperis actibus edomare. Rursus ille idē Gentiū Ecclesiastes ita fatur: *Fidelis sermo. Nam si cōmortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* (2.Tim.2.) Alter Apostolus meminit confessionis, & eam apponit vt conditionē sine qua non adultorum hominū scelera diluuntur. Sic ille: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* (1.Ioan.1.) Est ergo fides hæreticorum penitus aspernanda.

SENSVS ORTHODOXVS.

Denuo Scriptura sacra, & variæ rationes probant, fidem vt iustificet petere bonorum operum commercium.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

Quare luminaria accenduntur in ædibus sacris.

NOn vacat mysterio ritus ille Ecclesiæ, quo etiā irradiante Sole faces in sacris ædibus accendūtur, nullā tamen adiecturæ lucē solari lumini coruscanti. Credo equidē latere arcanū, quo suadetur homo accendere lumē suum, id est, acuere rationis apicem in his quæ pertinēt ad fidē; non vt fidei lumen intendat, sed vt faciat palàm, conclusiones fidei esse quidē præter rationē, id est, supra hominū captum, sed non contra rationē. Faxit Deus, vt quemadmodum vespertiliones oberrantes in templis ad lumen aduolant; ita & hæretici accurrant ad rationes, quas concinno, vt catholica dogmata confirmentur. Sic arguo. Si fides sola iustificat hominem, quē afficit, idem homo quandoque erit iustus & iniustus. Sed hoc implicat. Ergo inepta illa thesis. Fore autē iustū & iniustū eum, cui talis fides affingitur, liquet ex eo quòd fides potest esse sine charitate, vt videre est in Catholicis verè fidelibus, qui non excidere fide, & tamen aliquali vitio conspurcantur. Hi iniusti sunt, quia iustitia & vitia nō coëunt. Et rursus aliunde iusti sunt, quia ex mente hæreticorū fides sola iustificat. Instabunt fortè, fidē & charitatem indissolubili nexu sociari, ac proinde animā fidelē stāre charitate nunquam dare repudiū Deo. Sed videant an eorum auctoritas præualere debeat Augustini oraculis, quibus res ea est in confesso, videlicet fidem & charitatem, vt res sunt dissitæ, posse etiam alio ingruente crimine separari.

Quare rationes etiam inducunt ad stabiliendam fidem.

An fides esse queat sine charitate.

Audiendus Augustinus ita fatus: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse.* (Aug.l.15. de Trinitate c.8.) Item repetens illud argumentū hæc subiicit: *Iā credit aliquis Christū, sed odit Christū; habet confessionē fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: adde huic fidei dilectionē, vt fiat fides, qualē dicit Apostolus Paulus, quæ per dilectionem operatur.* (Idem Tract. 10. in epist. Ioan.) Sed quid consulo Patres, cùm ipsa Scriptura clamet, fidē posse esse sine charitate, & tunc esse inutilem homini pereunti, licet irradiāte fide. Ita Paulus: *Si habuero omnē fidem, ita vt montes transferā, charitatē autē non habuero, nihil sum.* (1.Cor.13.) Rem impossibilē non prædicat Apostolus; cui enim bono inculcaret ille custodiam charitatis, si fides & charitas mutuo implexu iugiter adhærerēt? Paulo concolor est alius Apostolus, scilicet Iacobus, qui lata sententia in hæreticos solus hanc litē posset dirimere, si aduersarij nostri haudquaquam essent mentis inopes. Sic Iacobus: *Quid proderit, fratres mei, si quis dicat se fidē habere, opera autem non habeat? nūquid poterit fides saluare illū?* (Iacob.2.) Aliud subiicio argumentū. Si fides sola iustificat, frustra Dominus hortatus esset suos discipulos ad obseruantiam mandatorū Dei. Cassæ item tot fuissent paræneses ad sectanda consilia Euangelica. Item impeccabiles essent fideles, quia illucente fide dicunt esse hominē semper in charitate. Vnde quia charitas operit multitudinē peccatorū, fieri non posset, vt peccaret homo fide instructus, quòd quàm falsum sit, liquet ex principibus Iudæorū, qui crediderūt quidē in Christum, sed noluere confiteri Deum, quia dilexerunt magis gloriā hominum, quā gloriā Dei. Rursus ad quid Paulus præmoneret homines accessuros ad sacram synaxim, vt se probarent ne indignè sumerent corpus sacrum, si sola fides Deum conciliat, & animam iustificat.

Multæ rationes probantes fidem solam non iustificare.

Demum quod magni est momenti. In extremo mundi iudicio Christus laturus sentētias dispares in sortes inæquales beatorū, & reproborū, nullā omnino mentionē faciet fidei, sed rationē tātùm operum habebit cōmemorans, & laudans opera pietatis, quibus refulsere pij erogantes stipem pauperibus, & secus inuehens in reprobos, quia de hoc sæculo nimiū sollicitì, cumulauere sibi bona, quæ in suam ipsorū perniciem pauperi denegarunt. Eiusdem generis est condemnatio Simonis Magi, qui fidei mysteriis initiatus credidit, sed nundinans auro dona Dei, quæ voluit mercari, censuram Petri passus est. Nonne idē Apostolus morte repentina feriit Ananiā, & Saphirā, ob partem pecuniæ recōditam, nulla etiam in sua cēsura cōmemoratione facta eorum fidei infirmæ?

Validum argumentum ad astruendam necessitatem bonorum operum.

Ex præfatis, Hæretici dementāt homines ea propè industria, qua Michol vxor Dauid illusit sicariis petentibus Dauidem ad necē. Illa prudenti excogitato consilio dedit cōiugi suo locum fugæ, & cubili eius apposuit simulacrū, tegmine lecti opertum, referens molē corporis quod perfidi homines inquirebant. Eo elapso, homines nequā irruētes in cubile petituri ad mortem hominem innoxium, delusi in statuā incurrerūt. Accipe è Codice sacro seriē rei gestæ. (1.Reg.19.) *Misit Saül satellites suos in domum Dauid vt custodirēt eum, & interficeretur manè. Quod cùm annuntiasset Dauid Michol vxor sua dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris: deposuit eum per fenestrā, porro ille abiit, & aufugit, atque saluatus est. Tulit autē Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellē pilosā caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimētis. Misit autem Saul apparitores qui raperēt Dauid, & respōsum est quòd ægrotaret. Rursumque misit Saul nuntios vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto vt occidatur. Cumque venissent nuntij, inuentum est simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius.* Hæretici in eam se componunt industriā audientes parari varia argumenta vt machinas ad quatiendā suā ipsorū fidē. Nefarij homines malè sibi conscij, non ferentes impetum Ecclesiæ, metuentes acumē rationum, magnū Cōciliorum pōdus, & sentētias Patrū, malè ominantes de hoc congressu, in locū veræ fidei substituunt laruā. Nam Doctores Ecclesiæ volentes explorare fidē hæreticorū, vt eam damnent, quia se mentitur esse illā orthodoxā Apostolorū fidē, incidunt in inane simulacrū, cui titulus quidē fidei affixus est, quāuis ne micam quidē fidei sinceræ præ se ferat, cùm reuera totum illi de infidelitate constet. Nonne enim infidelē sapit, negare bona opera, quæ

Fides hæreticorum est inane simulacrum fidei.

Egregiā figurā ostenditur hæreticorū iniqua industria.

Christus

Hæretici quã stolidi in descriptione suæ fidei.

Christus & Apostoli prædicarunt? Nonne est dare ansam omnibus peccare impunè, destruere virtutem operum, & affirmare fidem solam beate homines, quantumuis bono opere inconsulto? Profectò Catholici Doctores iuxta hanc fidei laruam inuenere pelles caprarum; nam lustrantes doctrinam hæreticorum, explicantem ingenium spuriæ illius fidei, incurrerunt in opiniones, quæ magis exuuias bestiarũ prodũt, quã hominũ sensa.

Blasphemiæ in bona opera.

Ne perperam videar insultare mortuis, volo spolia hæreticorum proferre coram, & eorum referre sententias iniurias bonis operibus, in gratiam illius simulacri, quod fidei simplici concinnarunt. Detraham itaque Luthero pellem, & sequacibus eius, & ostendam sordidam bestiarum indolẽ. Sic ille antesignanus, qui Caluino etiam viam strauit, vt in bona opera declamaret. *Vides quàm diues sit homo baptizatus, siue Christianus, qui etiam volens non potest perdere salutem, quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulitas. Nulla alia via potest homo cum Deo cõuenire, aut agere, quã per fidẽ: opera ille nihil curat, nec indiget.* Nonne omnes nefarij actus, in Luthero eructãte has blasphemias, conduxere hominẽ idoneum ad prædicanda mala, imò & vitia omnia perpetranda? Denuo sic insanit: *Summa ars, & sapiẽtia Christiana est, nescire legẽ, ignorare opera, & totã iustitiam actiuã.* O pectus opacũ, melius dixerim, ò stolidũ pecus! Nam dicere, sapientiã Christianam esse sitã in ignorantia bonorũ operum, perinde est ac garrire, mẽtis inopiã esse rationẽ formalem hominis. Ita enim de fide est, bona opera edita in gratia pertinere ad augmẽtũ iustitiæ, vt de Philosophia est, rationẽ pertinere ad homines. Accipe iterũ delirũ hominẽ, qui instar asini succutientis clitellas suas, deponit omne iugũ Dei. Sic ille: *Sola fides & verbum in anima regnant, vt clarũ sit homini Christiano suã fidẽ sufficere pro omnibus: nec operibus ei opus fore, vt iustificetur. Quòd si operibus non habet opus, nec lege opus habet: si lege non habet opus, certè liber est à lege, verúmque est: Iusto non est lex posita. Atque hæc est Christiana libertas, fides nostra.* Audi iam patronum vitiorum, affirmantem seposita incredulitate esse inane nomen peccati. Ita mentitur impostor. *Nullum est peccatum, nisi incredulitas: nulla iustitia nisi fides.*

Luther. l. de captiu. Babylonica cap. de Baptismo. Idem in argumento epistolæ ad Galatas.

Quàm deliret Lutherus in argumẽto bonorum operum.

Idem lib. de libertate Christiana.

Idem contra Ambrosium Catharinum.

Parum erat homini dæmone afflato euomuisse virus suum in bona opera, ea profitendo nihil cõducere ad iustificationẽ nostram, si nõ alio se crimine conspurcasset. Nimirũ vt abyssus abyssum inuocat, vbi ait nulla esse peccata præter increduli animi piaculum, ille homo procax immemor sui, bona opera vt alia crimina cõdemnauit. Ecce cẽsurã hominis histrionis, personã dæmonũ induẽtis. Sic conspuit: *Caueamus à peccatis, sed maximè ab operibus bonis, & legibus, solãque promissionẽ Dei attendamus, & fidẽ: Ipsa enim breuis est perfectio: nec aliqua lex requiritur, nec opus: imo & legẽ proscindit & opus:* Hoc altè venenũ ebiberat. Huius asini agaso Melanchthõ, quando velut impos sui hæc scripsit: *Omnia hominum quantumuis laudabilia opera, vitiosa sunt, & morte digna peccata.* Ab his asinis Caluinus & Beza rudere didicerunt, exuentes hominem, vt induerent vile caprarum pecus. Nam vbi defecerunt hæretici ab Ecclesia, suo stylo configentes bona opera, protinus nefandæ libidini sua corpora permiserunt.

Idem ser. de Missa.

Philipp. Melan. in locis communibus.

Quàm cautè sit viuendum inter fidem & opera.

Ecce in quod abiere præceps hæretici, & quam compegere fidẽ, postquam in Ecclesiã desertores impij rebellarunt. Præstat sanè audire vocẽ matris nostræ, quæ ita fidẽ sociat operibus, & misericordiam iustitiç, vt dicat esse misericordiæ Dei, quòd fideles sumus, & iustitiæ, quòd gratia bonis operibus augeatur. Itaque prudẽter est versandũ inter vtrasque cautes, ne nos varij errorum vortices absorbeant. Audiẽdus in eo themate Augustinus ita fatus: *Anceps animus humanus, & fluctuãs inter confessionẽ infirmitatis, & audaciã præsũptionis, plerumque hinc atque inde concutitur, & ita impellitur, vt ei in quãlibet cadere partẽ præcipitiũ sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hãc cogitationẽ se inclinauerit, vt dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantũ credentibus quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita parata est in finẽ, vt nemo pereat fideliũ iniquorũ: id est, nemo pereat eorũ, qui sibi dicunt; quiduis faciam, quibuslibet facinoribus, & flagitiis inquiner, quãtumlibet peccẽ, liberabit me Deus misericordiã suã, quia credidi in eum. Qui ergo dicit neminẽ perire taliũ, cogitatione mala inclinatur in impunitatẽ peccatorũ: & Deus ille iustus, cui cantatur misericordia, & iudiciũ, non sola misericordia, sed & iudiciũ, inuenit hominẽ malè de se præsumentẽ, & ad interitũ suum misericordia Dei abutentẽ, & necesse est vt damnetur: Talis quoque cogitatio præcipitat hominẽ, qua quisque terretur, si se in audaciã quandã præsumptionis erexerit, & de suis viribus iustitiaque præsumpserit, & proposuerit animo implere iustitiã, & omnia quæ præcipiũtur in lege ita facere, vt in nullo offendat, atque in potestate sua se habere vitã suã, vt omnino nusquã labatur, nusquã deficiat, nusquã titubet, nusquã caliget, sibique hoc tribuatur, & potentatui voluntatis suæ: etiãsi fortè impleuerit omnia, quæ iusta videntur corã oculis hominũ, ita vt nihil inueniatur in vita eius quod possit reprehendi ab hominibus, ipsam præsumptionẽ iactationẽque superbiæ damnat Deus. Quid igitur fit, si se homo iustificauerit, & de iustitia sua præsumpserit? Cadit. Si considerans, & cogitãs infirmitatẽ suã, & præsumens de misericordia Dei, neglexerit vitã suã mundare à peccatis suis, & se omni gurgite flagitiorũ demerserit: & ipse cadit. Præsumptio de iustitia quasi dextera est: cogitatio impunitatis peccatorũ, quasi sinistra est. Audiamus vocẽ dicentis: Ne declines in dexterã aut sinistrã. Ne præsumas ad regnũ de iustitia tua: ne præsumas ad peccandũ de misericordia Dei. Ab vtroque te reuocat præceptũ diuinum; & ab illa altitudine, & ab ista profunditate. Illuc si ascenderis, præcipitaberis; huc si lapsus fueris, demergeris. Ne, inquit, declines in dexterã, aut sinistram. Iterum dico, quod breuiter fixo animo teneas: ne præsumas ad regnum de iustitia tua: ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei*: Hactenus Augustinus.

Aug. in præfat. in Psal. 31.

Misericordia non est meditanda sine intuitu diuini iudicij.

Caueat homo ne bonorum operum intuitu superbiat.

Prouerb. 4.

Magna cautela opus est, ne homo præsumat de iustitia sua, aut de misericordia Dei.

Huiusce fusioris eloquij summa hæc est. Bifariam homo propẽdet in ruinam, scilicet nimium præsumendo de misericordia Dei, ita vt genio indulgeat quasi nihil omnino bona opera conducant ad salutem. In hoc dehiscunt præceps, illi qui totum tribuunt fidei, temerè bona opera reprobantes. Rursus alia homini fouea prætenditur: videlicet quando ita vacat bonis operibus, vt eorum duntaxat industriæ beandi vim totam referat imprudenter. Vt ergo eatur obuiã huic duplici abrupto, annuẽdũ est Ecclesiç decemẽti salutẽ hominũ adultorũ esse refundendã in fidẽ multiplici bono opere cataphractã, ita vt opera habeãt à fide quod bona sint, & fides habeat à bonis operibus

Quã prudenter est sentiẽdum de fide & bonis operibus.

Fides & bona opera sibi mutuo suffragantur.

vt non vacua sit, & mortua, & homo habeat ab vtrisque vnde Deus ei æterna præmia largiatur.

SENSVS ORTHODOXVS.

Adultorum hominum iustificatio refundenda est in fidem stipatam bonis operibus.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israel.

ARGVMENTVM II. Ex Ivre Canonico.

Plutarch. in Pyrrho.

CYneas nomine Pyrrhi Regis admissus in curiam Romanorum, vbi contemplatus est habitum Senatorum, ea veneratione perculsus est, vt postea affirmarit, arbitratum esse se sisti Deorum obtutibus, nec purpuratum hunc conuentum credidisse concilium hominum, sed Deorum chorum. Quod ille assentationi dedit, illud sanè est & meritò dandum Romanæ Ecclesiæ, cuius Antistites coëuntes in comitia œcumenica, dum componunt concilium generale, Deo afflati nihil prorsus incongruum definiunt; sed quot sententiæ insonant, tot etiam oracula promulgantur. De his adunatis appositè cani potest Psalmi versus ille: *Deus stetit in Synagoga Deorum.* Item & ille alius. *Ego dixi: Dij estis.* Si quandoque foret copia hæreticis adeundi sacros hos consessus, & audire decreta, quæ dictante Spiritu sancto pronuntiant illa veneranda capita: profectò ingenuè faterentur, non hominum sed Dei optimi maximi negotium geri in his comitiis. Sed quia foris canes, & maledici, & nulla est conuentio Christo, & Belial; arcendi sunt hæretici ab eo venerando cœtu, ne stomachum moueant Patribus adunatis.

Quantæ sint auctoritatis concilia.

Psal. 81.

Ex Ivre Canonc.

Canones Apostol. Can. 9.

Canones Apostolorũ peruntbonorum operum & fidei commercium.

Itaque hoc argumento tantùm volo rem habere cum Catholicis, vt videant quàm concordes sint Scripturæ sanctæ, & Canones Ecclesiæ. Variis textibus supra ostendi fidem adsciscere bonorum operum consortium vt iustificentur adulti: iam operæpretium est videre, an Canones, & decreta conciliorum consonent. Primi occurrunt Canones Apostolorum, qui cùm mulctam aliquam imponunt delinquenti, non meminere fidei læsæ, sed operis iniqui editi ab eo, cui pœna decernitur. Imò vnus editus est Canon expressè commemorans præstitum fidei obsequium nequaquam sufficere, si non adiiciantur opera congrua. Sic ille textus canonicus: *Quicumque fideles ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, neque apud preces, & sanctam communionem permanent, eos tanquam qui ordinis in Ecclesia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.* Vides, hunc Canonem pertinere ad fideles, qui Scripturas audiunt, & qui ideo non censentur innoxij, si non studeát bonis operibus, vt orationi, & cómunioni.

Concil. Trid. sess. 6. cap. 16.

Hanc enascentis Ecclesiæ fidem illibatam ad nostra vsque tempora deuenisse liquet, ex decreto sacri Concilij Tridentini coacti Deo auctore, & eodem adiutore numine consummati. En textum venerandum: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruarint, siue amissam recuperarint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundantes in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Dominus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Iesum Christum misericorditer promissa, & tamquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non solùm autem sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cùm enim ipse Christus Iesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtute influat, quæ virtus eorum semper bona opera antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possunt; nihil ipsis iustificatis deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.* Hæ lineæ sunt veluti lineamenta Ecclesiæ illius, cuius fundamenta Apostoli bonis operibus, imò & suo etiam sanguine consecrarunt.

Elegans Cõcilij oratio in gratiam bonorum operum.

Doctrina Ecclesiæ pertinét ad meritum bonorum operum.

Concil. Lateranense cap. 1.

Eodem spiritu afflati Patres Concilij Lateranensis in gratiam bonorum operum pronuntiauerant, eorum praxim obstringere omnes Ecclesiæ status initiatos sanctæ fidei arcanis. En decretum. *Non solùm virgines, & continentes, verùm etiam coniugati per fidem rectam, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.* Omnium sanctorum Ecclesiæ procerum fuisse sententiam consonam Conciliis, dicam proximo argumento petito ex Patribus, cui dabit initium iste locus insignis Augustini, ita discutientis istam materiam: *Illud videamus quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam solam fidem sufficere putauerint; benè autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdã subobscuris sententiis Apostoli Pauli; hoc enim dicere quidam arbitrati sunt: Faciamus mala, vt veniant bona; quia dixerat: Lex subintrauit, vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia. Cùm ergo Apostolus dicit, arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt percepta ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque posse per fidem iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. Quoniam ergo hæc opinio fuerat exorta tunc, aliæ epistolæ Apostolicæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adstruant fidem sine operibus nil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur; sed eam salubrem, planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Et fides inquit, quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdã videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: Si habeam omnẽ fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam nihil sum. Vbi*

August. de fide & operibus cap. 14.

Rom. 3.

Quomodo fides & opera concordent.

Vnde fluxit error eliminans bona opera.

autem

autem hac fidelis charitas operatur, sine dubio benè viuitur. Plenitudo enim legis charitas.

Nota, Patres Ecclesiæ suscepisse patrocinium bonorum operum, quia plerosque fidelium iam torpor inuaserat ipso Apostolorum æuo, vt notat Augustinus loco prælaudato. Huic errori gliscenti fomitem adiecerat Simon Magus, qui testibus Irenæo, Theodoreto, & Niceta, aiebat esse iniquæ seruitutis pensum intolerabile, velle homines obstringere bonis operibus, quia animarum salus erat gratiæ opus, & non industria bonorum operum. Altero sæculo post Simonem emersit velut ex inferis Valentinianus dilapidator bonorum operum, ea esse inutilia comminiscens, vt dolet Irenæus. Æuo Clementis V. Papæ, Begardi asserebant bona opera esse studium hominum imperfectorum, ideoque in eos direxit fulmina Ecclesiæ prouidus ille Pontifex, cauens suo gregi. Priorum temporum tetra colluuies, in hæc tempora confluxit conductis à dæmone Luthero, Caluino, & eiusdem formæ hominibus, ad spargendum illud virus idoneis. Contra hos præcipuè conuenere Patres Concilij Tridentini, eodem flamine perciti, quo ipsi olim Apostoli, quorum fidem omnia Concilia profitentur. In astruendis bonis operibus, fuisse eamdem indolem Concilij Tridentini, quæ fuit Apostolorum, probat illa constitutio, qua sanxerunt Apostoli, neminem cuiuscunque fuerit sortis, debere adeò confidere professioni suæ, quantumuis sanctæ, vt prætereat bonorum operum iugem praxim. Ita in eo argumento viduas adhortantur hæc statuta Apostolica: *Nomen viduitatis non eas introducet in regnum cælorum, sed potius vera fides, & opera sancta.* Clemens Papa, qui ebiberat Pauli spiritum, & ad quem pertinuit cathedra Petri, vtpote quem ad Pontificatum Deus euexit, liquidò concludit ipsam Baptismi regenerationem deposcere bonas actiones, vt salutaribus aquis tinctus homo anhelans ad stipendia æterna fiat voti compos. Sic fatur ille Papa: *Cùm regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus repletus hares efficitur eius, a quo in incorruptione regeneratus est.* Concors ille Ecclesiæ & Sanctorum Patrum sensus in materia, quam hæretici ancipitem volunt efficere, prodit indolem procacem hominum impiorum, qui suo dogmate iniquo hoc vnum maximè habuere cordi, ne perirent soli. Hoc Deus omen auertat, & faxit, vt fideles vltro & votis omnibus malint sequi nutum Ecclesiæ decernentis vtilem bonorum operum vsum, quàm negantibus bona opera hominibus perfidis adhærere.

Irenæus l. 1. cap. 10. Theodoret. l. de hæreticorū fabulis. Nicetas l. 4. Thesauri c. 1. Irenæus l. 1. cap. 1. Clemens V. Extra. c. 3. De hæreticis.

Qui primi declamarint in bona opera.

Constitut. Apostol. l. 3. cap. 12.

Priscæ Ecclesiæ sensus circa bona opera.

Clement. Rom. epist. 4.

SENSVS ORTHODOXVS.

Fides est indiga bonorum operum, vt homines adulti æterna stipendia demereant.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israel.

ARGVMENTVM TERTIVM
Ex SS. Patribvs.

Prodigio simile est illud, quod physiologi omnes in ea re concolores affirmant de pisce, cui nomen est torpedo. Illi homines industrij scrutatores rerum abditarum, aiunt piscem illum, vbi inciderit in hamum piscatoris, statim hamum inficere occulta vi, quæ diffusa filo pendulo discurrit ad brachium vsque hominis, qui eo contagio totus torpet, quasi præcipua torpedinis huiusce labes brachium afficiat. Ita & hæretici eos omnes, quibus se affricant, suo veneno aspergunt; & quia ipsi veterno sopiti torpent, suam omnibus torpedinem insinuant, ita vt omnes, qui hoc ebibere virus, statim otio dissoluantur. Præclaro sanè & aureo poculo propinant hoc toxicum hæretici, cùm affirmant fidem solam iustificare, citra vllam bonorum operum praxim. Calice hoc potati omnes hæretici diffluunt inertiâ, damnantes bona opera vt peccata, sicut ostendi supra, quando recensui blasphemias, quibus nefarij illi transfugæ bona opera denigrarunt. Hoc meminisse virus, est quasi affricare contagium hæreticorum, ac proinde periculum est, ne quis ignauiæ tepor irrepat in incautas animas, & sic torpidæ contabescant. Si memoratæ hæreticorum sententiæ refellentes bona opera quempiam suo infecere contagio, ecce remedium: nimirum vt clauus clauum trudit, ita hæreticorum deliria pessum eunt, vbi insonuere Patrum sententiæ. Et ne ab allegoria torpedinis aberrem longius, æmulabor industriam, qua curantur illi qui obriguere contagio pisciculi torpescentis. Hi male affecti homines si obambulent, & sibi aliqualem vim inferant, vt brachia in varias partes inflectant, sospites illico restituuntur pristinæ sanitati. Eo itaque remedio volo occurrere discrimini ignauiæ, si qua irrepsit auditis argumentis, & ineptiis hæreticorum. In varias orbis oras circumducam eos, qui ancipitē faciunt virtutem bonorum operum, consulam Sanctos Patres, qui in illis floruere plagis, vt illis docentibus, quomodo pangendæ sint manus, & exerenda brachia, bonis actibus impigrè desudemus.

Industria pisciculi, cui nomen est, torpedo.

Quā sit perniciosa hæreticorū frequentatio, & quale eorum contagium.

Auspicari lubet hunc circuitum orbis à Ierosolyma, vt à loco vbi sonuere primò sincera dogmata Christiana, quæ sic Cyrillus Ierosolymitanus Antistes enuntiat: *Quomodo dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cælorum ingrediemur, inquit, & dedistis mihi manducare, &c. Hæc si feceris, regnabis: si non feceris, condemnaberis. Iam igitur incipe hæc operari, & perseueres in fide, ne sicut stultæ virgines empturus oleum excludaris. Non in hoc confidas, quòd solam lampadem habes, sed custodi illam ardentem. Non in hoc solùm confidas quod credis, sed fidem ardentem conserua, vt luceat lux tua coram hominibus per opera bona, ne blasphemetur propter te Christus: feras quoque indumentum incorruptionis cum operibus bonis, quod te deceat, & quod accipis à Deo vtiliter gerens negotium.* Optima sanè compositio fidei perfectæ cum lampade, quæ lumini ardorem consociat. Nam fidei perfectę ratio præcipua non est tātùm in cognitionis luce, sed præterea amoris ardorem adsciscit, & vt amor odit inertiam, fides illa integra solet in bona opera prosilire.

Ex SS. Patribvs. *Cyrillus Ierosolym. catechis. 15.*

Pulchra fidei cum lampade comparatio.

Si à Palæstina in Ægyptum transmigrare fert animus, vt illic audiamus quid senserit olim Macarius Ægyptius in eo argumento, quod versamus; eius reclusa monumenta referent istam sententiam: *Non statim vt quis audiuit verbum Dei, quam*

Macarius Ægyptius hom. 27.

quamprimùm sit bonæ partis. Si enim audiendo simul efficeretur bonæ partis, nequaquam extitissent certamina, aut bellorum occasiones, aut cursus: sed sine labore, modò audisset, peruenisset ad quietem, ac mensuram perfectam. At non ita se res habent. Tollis enim hominis voluntatem, dum hoc inquis, & negas repugnantem facultatem esse, quæ luctatur cum animo. Nos autem dicimus, eum, qui verbum audit, venire in compunctionem; deinde per dispensationem subducente se gratia, ad vtilitatem hominis, in exercitationem & disciplinam militarem ingredi, tum luctari, & inire certamen aduersus Satanam, ac multo cursu, pugnáque, reportatâ victoriâ, Christianum fieri. Nam si quis ex auditu solo, sine labore, ad bonam partem pertineret, etiam qui spectaculis theatralibus oblectantur, & scortatores irent in regnum, & vitam, quam profectò nemo dabit illis citra laborem, & pugnam; quoniam angusta via est, & afflictionis plena. Per hanc viam incedere, sustinere, & affligi necesse est, & ita vitam ingredi. Congruus item ille est arguendi modus petitus à consequentia absurda, qualis hæc est. Si fides sola saluat; nefarij homines etiam dignabuntur regno Dei, æquè ac viri sanctissimi. Nam vna est tantùm fides, quæ augeri nequit spectato eius formali obiecto, quod est veritas prima reuelata. Cùm enim veritas illa non suscipiat magis aut minus, vt schola loquitur, fides illa nescia est intensionis, vt & remissionis impatiens, atque ita, lixæ, calones, & perditi homines, dummodo crederent, essent cum Apostolis in gloria componendi. Ecce in quos anfractus deducit ille hæreticorum error.

Quale absurdum sequeretur si fides sola sine operibus saluos faceret homines.

Si pertæsus Ægyptum cupis inuisere Græciam, arcem scientiarum omnium, Syriam antea permeabis, & audies ab Ephræmo, Ecclesiæ enascentis oraculo, istud effatum referans vim operum. Sic ille: *De fide differens, an opera fidei correspondentia habeas, vide. Nam si dicendi duntaxat, & audiendi sis cupidus, in te quadrabit quod scriptum est: Vis scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Verè enim mortui sunt omnes, qui Deum nosse se profitentur, factis autem negant.* Ille idem benè occurrit instantiæ, quam hæretici sæpius ingerunt, videlicet fidem nos efficere Dei filios, ac proinde aliud omne penicillum operum esse incongruum. Is inquam Ephræmus eam secutus metaphoram tabulæ referentis ideam Dei, sic loquitur: *Cupis esse castum & immaculatum templum Dei, imaginem eius in corde tuo semper habeto: imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno aliave materia deformatam: verùm illam, quæ per bona opera, vt ieiunia, vigilias, honestas actiones, continentiam, & orationes, mirabili quodam modo, purè ingiterque in anima exprimunt. Colores verò illius imaginis cœlestis, rectè facta sunt, & cogitationes mundæ, ac terrenarum rerum nuditas, cum lenitate, ac vita sancta omni tempore.*

Ephræmus lib. de vita spiritu. cap. 91.

Idem lib. de Virginitate. Quomodo fiat anima imago Dei, & quot lumina illi adiiciant bona opera.

Origenes homil. 3. in Cantica.
Idem Tract. 33. in Matthæum.
Idem in c. 2. epistol. ad Rom.

Consonant & Græci omnes Doctores, in quibus audi Origenem vt scientiæ omnigenæ palladium. Sic ille: *Dupliciter constat salus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem. Ratio fidei, primus habeatur salutis gradus; secundo verò loco operum perfectio memoretur.* Rursus ille inanem pungit fidem, sine operibus, ita fatus: *Qui profitentur quidem fidem in Iesum: non autem præparant se bonis operibus ad salutem, assimilantur virginibus fatuis.* Alibi fusiore eloquio discutit istam controuersiam; & vtinam semper Origenes ita sapuisset. Ecce effatum viri doctissimi: *Inquiramus de iusto Dei iudicio, in quo reddet vnicuique secundùm opera sua. Et primò quidem excludendi sunt hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas, vel malas; & audiant, quia non pro natura cuique Deus, sed pro operibus suis reddit. Secundo in loco ædificetur fides, ne putent sibi hoc solum sufficere quod credunt, sed sciant iustum iudicium Dei reddere vnicuique secundùm opera sua. Non expedit incircumcisum esse in fide, & operibus, vt sit circumcisus corde, qui fidem habet, & circumcisus carne, qui opera non habet. Alterum namque sine altero reprobatur: quia & fides sine operibus mortua dicitur, & ex operibus sine fide nemo apud Deum iustificatur. Sic ergo, vt ego arbitror, dictum propheticum conuenienter aptabitur fidelium populo, quibus dicitur: Omnis alienigena, qui est in vobis, in medio domus Israel, circumcisus corde, & incircumcisus carne, non introibit in Sancta mea. Hoc est nimirum, quod & Dominus in Euangelio dicit: Qui credit in me, mandata mea custodit. Et iterum: Qui audit verba mea, & facit ea, &c. Vides igitur fidem vbique cum operibus iungi, & opera sociari cum fide. Cordis est circumcisio, nihil sordidum, nihil indignum sentire de fide: carnis circumcisio est, nihil immundum, nihil contaminatum in opere gestisque committere. Qui enim in altero horum incircumcisus fuerit, & immundus, Dei vocibus ingredi prohibetur in Sancta.*

In iudicio extremo Deus non arguet à fide, sed à bonis operibus.

Elegans discursus in gratiam bonorũ operũ.

Ille idem profectò melius assecutus est Pauli intentum, quàm nostrates hæretici iactitantes illum textum, quo Paulus ait, fidem iustificare sine operibus. Acutissimus ille Pauli scholiastes, expendens illum locum, in eo stetit vt in lapide offensionis, in quem quisquis incautè incurrit, statim vestigio titubante dilabitur. Itaque vt in triuiis olim prostabat statua Mercurij, porrecta manu indicens rectam viam, ne coëuntes & implexæ semitæ viatorem fallerent; Ita Origenes exquisitam faciens anatomen epistolæ ad Romanos, vbi tot & tanta fidei prostant encomia, subodorans inde imprudentes capturos ansam hallucinandi, lectorem admonuit, qua cautela decurrendus esset ille locus, ne à scopo Apostoli animus aberraret. Ecce titulum, quem appendit in gratiam viatorum. *Sed fortassis hæc aliquis audiens resoluatur, & benè agendi negligentiam capiat: siquidem ad iustificandum sola fides sufficiat. Ad quem dicemus; quia post iustificationem si iniustè quis agat, sine dubio iustificationis gratiam spreuit. Neque ob hoc quis accipit veniam peccatorum, vt rursum sibi putet peccandi licentiam datam. Indulgentia namque non futurorum, sed præteritorum criminum datur.* Quisquis eo præambulo eruditus epistolam illam Pauli lustrauerit, impunè leget elogia fidei attributa; neque vllum omnino tædium concipiet aduersus bona opera perpetrata.

Antiquorum industria ne viatores à recta via deflecterent.

Idem in c. 3. epist. ad Rom.

Cautè legendus textus ille Pauli qui multum dat fidei.

Magni etiam nominis in Græcia fuit Didymus Alexandrinus, hac etiam sententia insignis. *Sicut spiritus cohærens corpori viuificat illud; sic & opera fidei coaptata, viuam eam esse procurãt: cogitandũ est, vt fides habeatur cum operibus virtute dignis, vt non mortua sed viua consistat.*

Didymus in cap. 2. epist. Iacob.

Non

Non pigebit adhuc alium audire magistrum, qui in Græcis Theologis summus fuit. Ille est Gregorius Nazianzenus, quo præceptore Hieronymus etiam Theologus euasit tantus, quantus maximus. Is cogitans quæstionem de fide dissita à bonis operibus, controuersiam illam sic dirimit. *Vt actio si à fide desideratur, laudem non meretur, quandoquidem multo gloriæ studio, atque etiam à natura ita informati, virtutem colunt; ita fides sine operibus mortua est. Ac videte, ne quis eorum vos inanibus verbis decipiat, qui omnia omnibus hac vna de causa facilè concedunt, vt impia dogmata complexentur, malámque rei malæ mercedem soluunt. Ex operibus ergo fidem, terraque vestræ fœcunditatem ostendite, vt perspicuum fiat, an frustra sementem fecerimus, an manipulus quidam in vobis reperiatur, ex quo confici farina queat, dignusque qui in horreum inferatur, quò alacrioribus animis, vos impostèrum excolamus.* Acutè equidem pupugit hæreticos ille Sanctus, acerrimus Christianæ fidei propugnator, & securim radici admouit, quando aperuit quo intento aduersarij fidem adeò præconizent. Ideo, inquit, tantùm fidei attribuunt, vt indictis bonorum operum feriis, ipsis impunè genio suo liceat indulgere. Ita Donatistæ turmatim sese præcipites dabant in mare, ne perirent soli, arbitrati gregatim mori leuare omne tædium mortis. Malo proinde merces rei malæ conquiritur, cùm prædicatur error, vt pleraque inde vitia subsequantur.

Gregor. Naz. orat. 28.

Fidei fœcunditas bonis operibus ostenditur.

Quo intento hæretici bona opera acriter impugnatint.

Gregorius ille alterius Gregorij refricat memoriam, videlicet Nysseni illius olim celeberrimi, qui & suo suffragio nostram communit sententiam. Sic ille: *Cùm Apostolus cum fide connexisset & contexuisset iustitiam, per ea armato munit thoracem, rectè & tutè per vtrumque militi pectus muniens. Non potest enim fieri, vt alterum ab altero disiunctum, ex se tuta præbeat arma ei, qui ipsa tractat. Neque enim fides absque operibus iustitia sufficit ad salutem, neque rursus vita iustitia per se tuta est ad salutem, si seiuncta sit fides.* Lustratâ Græciâ, res planè incongrua foret inaspectam prætetiisse Constantinopolim, nouam Romam, & Imperij Orientis caput. Non quòd aliqua me cupido sollicitet visendi vrbem famosissimam orbe toto; sed vt Roma stante, & Tito Liuio superstite, fama huius historici eloquentissimi multos ad sui præsentiam alliciebat, qui Romam ibant aliud extra Romam quæsituri, vtpote cupientes vnum tantùm Liuium intueri: ita & ego volo fessus diuertere Constantinopolim, illic auditurus Græcorum omnium eloquentissimum, vt ex eius nomenclatura liquet. Ille est Chrysostomus, cui duntaxat adhærere volo, flocci pendens marmore incrustata palatia, & arcis munitissimæ præsidia inaccessa. Tua nos itaque præsentia dignare, ô Chrysostome, teque coram liceat affari de rebus spectantibus ad fidem nostram, vt te Duce ineamus eosdem calles, quos ad cælestia anhelans recto tramite decurristi.

Gregor. Nyssenus homil. 8. in Ecclesiast.

Fides, & opera mutuam sibi præstant opem.

Macte, Christiani, litauimus. Nempe nos peregrinos ille Sanctus erudit similitudine petita ab aduenis, & congruâ metaphorâ Catholicum dogma firmat, ita fatus: *Quia peregrini hic sumus, & aduenæ, oportet vt prouideamus, & reponamus nobis spiritualium virtutum viatica, vt quando præceperit nobis Dominus in nostram redire patriam, parati simus, & alia quidem nobiscum afferamus, alia autem iam præmissa habeamus. Horum enim viaticorum talis natura est, vt ea, quæ per bonorum operum actionem voluerimus ante nos præmittere, cùm illuc nos præuenerint, sanuas nobis aperiant fiducia ad Dominum, & introitum facilem, & absque pauore: & magnam apud iudicem beneuolentiam procurent.* Item alibi rursus eamdem materiam discutiens, fidem cassam probat sine operibus. Audiendus ille hoc tenore fatus: *Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in Filium credere? Minimè. Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Et peccatum in Spiritum vel solum est satis, quòd in gehennam detrudat. Et quid de parte doctrinæ loquor? Nam etsi in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum rectè crediderìs, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas. Cùm ergo dicit: Hæc est vita æterna, vt te cognoscant solum verum Deum; nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namque nobis est, & vita, & morum puritate pollere, & licet hoc in loco dicat: Qui credidit in Filium habet vitam æternam. Nec bona tantum, sed suppliciorum quoque formidinem proponit, quòd qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum: non tamen dicimus, satis esse solam fidem ad salutem, quod quæ de vita sæpe in Euangeliis dicuntur ostendunt. Cur enim non dixit: Ipsa est vita æterna sola: neque qui credit in Filium solum, habet vitam æternam: sed in vtroque vitam esse significauit? Nam si mores sequantur mali, sequetur supplicium.* Adeò constans fuit ille Sanctus in assertione veritatis huius, vt sæpe sæpius illam variis textibus affirmarit. Accipe hunc singularem. *Fides res est magna, & salutaris, & absque ea fieri non potest, vt salui simus. Vnde ideo Paulus quoque eos admonet, qui iam sunt dignati mysteriis, dicens: Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus, inquit, ac studeamus, vtpote quòd fides non sufficiat, sed etiam debeat vita adiici, & magnum adhiberi studium. Reuera enim multo opus est studio, vt ascendamus in cælum.*

Chrysost. hom. 5. in Genes.

Bona opera sunt instar viatici homini pergenti in patriam Beatorum.

Idem hom. 30 in Ioann.

Fides viduata factis est mutila.

Idem oratione 7. in epist. ad Hebræos.

Nota, Chrysostomum non simpliciter bona opera adsciscere in fidei subsidium; sed vadem Apostolum traducere, affirmantem opus esse studio impigro in virtutum praxi, ad hoc vt in cælum repetitis actibus euehamur. Eò collimat vox illa, *festinemus*, quam expendit ille pius Pauli interpres. Laudo etiam quammaximè eiusdem Chrysostomi sententiam, qua concludit, homines bonorum operum expertes cruciandos aliquando cum eis qui exciderunt fide, quia confiteri Christum ore, & peccare, hoc est illum fœdè malis actibus abnegare. Sic ille: *Professio Christi fit non tantum per fidem, sed etiam per opera, adeò vt si hæc absint, veniamus in periculum, ne cum abnegantibus pœnas luamus: Profitentur se nosse Deum, sed factis negant.* Si placent hæreticis rudentes asini, & grunnientes ex eorum grege sues; longe potiori ratione placet Catholicis suaue melos, quod resonat ex choro Sanctiorum Patrum, qui ex Græcia suauiter hactenus occinerunt.

Species quædam infidelitatis est, inopia bonorũ operum.

Idem homilia de Anna & Samuelis educatione.

SENSVS ORTHODOXVS.

Variis adhuc ſententiis Sanctorum Patrum adſtruitur neceßitas operum cum fide.

In hæc verba :

Non inueni tantam fidem in Iſraël.

Pulcher ritus veterum. *Herodot. in vrania. Pauſanias in Atticis. Plato lib. 1. Reipublica Eraſmus chiliad. 1. centur. 2. adagio 38.*

VIguit antiquitus in ſtadio genus induſtrium certaminis, cuius inſtitutum tale fuit. Accingebát ſe curſores pręferentes facem accenſam, quam ex lege certaminis ad metam vſque debebant prætendere inextinctam, ita vt hi qui currendo luminis patiebantur in face deliquium, recederent indonati. Non gregatim ſed ſinguli currebant in ſtadio, ita vt prior ſequenti facem daret. Et hinc ortum prouerbium. Curſu lampada trado. Huic & certamini dedere nomen ſuum omnes Chriſtiani: propero greſſu in cælum tendimus, fide apprehendentes æterna præmia, ad quæ anhelat ſpes: ſed in vacuum currit, qui abiicit facem bonorum operum, quæ Chriſtus ipſe voluit cæteris illucere. Ecce edictum ſtadij hominum beandorum. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Sancti omnes in hoc ſtadio feliciter ſe geſſere, face bonorum operum iugiter accenſa. Hanc nobis reliquerunt lucidam, vt eius beneficio noſtras etiam partes fortiter obeamus. Et in argumento quod verſamus, de neceſſitate bonorum operum, concurrerunt Patres Græci accincti tot facibus, quot edidere ſententias in gratiam ſanctorum operum. Ad hoc etiam ſtadium inuitant ſanctos proceres Eccleſiæ Latinæ, ſuoque peracto curſu lampada tradunt eis, vt ipſi ſuas agant partes, & ſua promant oracula, quibus illa Chriſtiana veritas adſtruatur.

Beatitudo dicta, gloria operantium, & quare.

Audiendi itaque Patres Latini aſſertores bonorum operum. Se mihi prior offert Cyprianus, vnico ferè vocabulo lucem magnam afferens iſti controuerſiæ. Quippe is beatitudinem vocat, operantium gloriam, hac compendioſa oratione ſignificans Deum nolle fidem feriari in eo, quem gloriæ æternæ cupido ſollicitat. Accipe Cypriani ſententiam. *Quæ illa erit, fratres chariſſimi, operantium gloria, quàm grandis & ſumma lætitia, cùm populum ſuum Dominus cœperit recenſere, & meritis atque operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare. Præclara & diuina res, fratres chariſſimi, ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati: res poſita in poteſtate facientis, res & grandis, & facilis: ſine periculo perſecutionis, corona pacis: verum Dei munus, & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adiutus perfert gratiam ſpiritualem, promeretur Chriſtum iudicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum ſalutarium palmam, libenter ac promptè certemus: omnes in agone iuſtitiæ, Deo & Chriſto ſpectante curramus. Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, dies nos redemptionis, vel perſecutionis inuenerit, nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit: in pace viuentibus coronam candidam pro operibus dabit: in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit.* Vide quam appoſitè ad præfatiunculam meam diſcurrat Cyprianus.

Cyprian. ſerm. de opere & eleemoſyn.

Gloria eſt operum ſalutarium palma.

Vita Chriſtiana eſt ſtadium, in quo decurritur face accenſa.

Dixi æuum noſtrum ſimile certamini, cuius meminere Herodotus, Plato, & Pauſanias, referentes eos, qui currebant in ſtadio in honorem Promethei, qui facula ignem è cælo deduxerat, etiam curſitando facem præferre accenſam; & Cyprianus eò alludens vocat vitam noſtram, agonem iuſtitiæ, quod perinde eſt ac ſi nuncupaſſet eam, curſum face accenſa. Præmium autem eorum, qui lumine integro metas attigerunt, appellat operantium gloriam, & operum ſalutarium palmam. Idem Sanctus non ideo Martyres ſuis afficit encomiis, quòd fide Chriſti præpolleant, ſed quòd fidem illam eſſe accenſam, indefeſſo bonorum operum curriculo proteſtentur. Sic ille & mortuos, & alios adhuc ſuperſtites affatur: *An ego poſſim tacere, & vocem meam ſilentio premere, cum de chariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos diuina dignatio honorauit, vt ex vobis pars iam martyrij ſui conſummatione præceſſerit, meritorum ſuorum coronam de Domino receptura: pars adhuc in carcerum clauſtris, ſiue in metallis, & vinculis demoretur, exhibens per ipſas ſuppliciorum moras, corroborandis fratribus, & armandis maiora documenta: ad meritorum titulos ampliores, tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cæleſtibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis.*

Idem lib. 3. epiſt. 25. Martyres nō à fide tantùm ſed à bonis operibus extolluntur.

Bona opera ſunt gloriæ ſtipendia.

Hilarius Antiſtes pietate & doctrina ſuſpiciendus olim Sanctis Hieronymo, & Auguſtino, breuiloquio ſuo concludit indiuiduum fidei & bonorum operum conſortium, dicens regnum Dei, quod fide innotuit nobis, eſſe promerendum ſtipendiis vitæ noſtræ. Sic ille: *Omnem expectationem noſtram in fide repromiſſionem, & virtutis ſuæ poteſtate exegit collocari, vt curâ rerum quibus indigemus omiſſâ, ab eo potius omnia, à quo ipſi vitale exordium ſumpſimus, expetamus, regnumque Dei vita noſtra ſtipendiis quæramus. Et hæc rectè perfectéque viuentium merces eſt, vt in nouam cæleſtemque ſubſtantiam, ex hac corruptibilis corporis materia transferantur, & corruptio terrena, cæleſti incorruptione mutetur.* Stipendia illa quæ meminit Hilarius, eſſe bona opera liquidò eſt, alio eius hoc diſcurſu. *Deo noſtro eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandumque eſt aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cæleſtibus obtemperemus, ac talibus officiis cogniti Deo ſimus, agamuſque potius quod vult, quàm quod poteſt gloriemur, repudians eos ac repellens, quos à cognitione ſua, opera iniquitatis auerterint.* Eius item eſt illa concluſio. *Salus Gentium omnis ex fide eſt, & in præceptis Domini vita eſt vniuerſorum.* Imò ipſe ait, bonis operibus fidem acui, quod ita tamen intelligas velim, vt nulla ſuſpicio ſubrepat, vlla opera edita ante fidem poſſe fidem promereri, cùm naturalis rei ad ſupernaturalem nulla queat eſſe proportio. Sed adhibitâ micâ ſalis, puta fidem ſecundùm obiecta materialia bonis actibus ampliari, Deo plura reuelante piis hominibus, quàm reprobis. Sic puto intelligendum Hilarium hæc perorantem. *Prius in bonis operibus viuendum eſt, vt perfecta poſſit ea quæ deinceps ſuccedit diuini ſacramenti eſſe cognitio, ſecundùm id quod dictum eſt: Deſideraſti ſapientiam, ſerua mandata. Dominus præſtabit*

Hilarius Canone 5. in Matth.

Idem Can. 4.

Ibidem.

In prolego in Pſalm. Quomodo fides creſcat bonis operibus.

stabit tibi tamdem. Præstat ergo Dominus sapientiam his, qui per meritum bonorum operum gratiam intelligentiæ consequuntur.

Hieron. epist. 27. ad Eustoch. cap. 14. Idem lib. 2. contra Iouinian. cap. 6.

Eiusdem sententiæ Hieronymus vnico versiculo se bonorum operum prodidit assertorem. Sic enim virginem Eustochium affatus est: *Fides & opera tua Christo te socient.* Alibi fusior ista profert. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Nihil enim prodest absque operibus cælibatus, & nuptiæ, cùm etiam fides, quæ propriè Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur, & hac lege virgines quoque Vestæ, & Iunonis vniuiræ in sanctarum queant ordine numerari.* In argumento petito à ratione præfatus sum, neminem Deo gratum esse charitatis expertem, iuxta Ioannis sententiam asserentem eum in morte manere, qui non in dilectione manet. Inde conclusio indubia emergit, adstruens necessitatem bonorum operum. Nam charitas haudquaquam infœcunda, bonis actibus fœta semper ardua meditatur. Meo illi argumento fauet Hieronymus ista subtexens.

Idem in c. 5. epist. ad Galatas.

Fidei & charitatis nexus indissolubilis in opere meritorio.

Si omne mandatum in eo recapitulatur quod dictum est: Diliges proximum tuum tamquam te: fides autem operata valet plurimum; manifestum est operationem fidei per charitatem, plenitudinem mandatorum omnium continere. Quomodo autem per Apostolum Iacobum, fides absque operibus mortua est; sic absque fide, quamuis opera bona sint, mortua computantur? Qui igitur in Christo non credunt, & sunt probis moribus, aliud quid magis habent quàm opera virtutum? Exemplum fidei, quæ per charitatem operatur, de Euangelio illa meretrix tribuat, quæ cùm in domo Pharisæi accubanti Domino pedes lauisset lacrymis, tersisset crinibus, liniisset vnguento, & Pharisæo murmurante Dominus parabolam quinquaginta, & quingentos denarios debitori proposuisset, adiecit: Propter quod dico tibi: Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et ad ipsam mulierem conuersus ait: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Apertè enim hoc loco demonstratum est, mulierem istam habuisse fidem per charitatem operatam, quæ multum valuerit in Christo. Hæc Hieronymus congruè ad intentum nostrum.

Idem in c. 7. Matthæi.

Ille idem bonis operibus assuetus, se eorum acerrimum patronum probat hoc contextu. *Sicut dixerat eos qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc è contrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus destruunt.* Demum illam irritam esse fidem ait, cui nequaquam bona opera suffragantur. Accipe latam sententiam in fidem infœcundam.

Idem in c. 3. Sophoniæ.

Frustra quis vocem Domini Dei sui audire se dicit, & confidere in Domino, quando operibus fidem destruit. Ecclesia procedens agmine quadrato in hæreticos, iam præmisit Hieronymum vt seniorem; tres alios accipe Doctores, Ambrosium, Augustinum, & Gregorium, sacra bonorum operum dogmata propugnantes. Ita

Ambrosius lib. 2. de officiis c. 2.

Ambrosius: *Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique vtriusque assertionis Euangelicum suppetit testimonium. Nam de scientia ita dicit Dominus Iesus: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et de operibus ita respondit:*

Ioan. 17.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet. Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum. Habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur. Nam etsi exercitatus sit in sermonibus, & desidiosus in operibus; prudentiam suam factis repellit: & grauiùs est scire quid facias, nec fecisse quod faciendum cognoueris. Contra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est ac si vitioso fundamento pulchra culminum vis eleuare fastigia: quod quò plus struxeris, plus corruet; quia sine munimento fidei bona opera non possunt manere. Nonne hic discursus egregiè causam agit sanctiorum operum, in quæ hæretici patroni scelerum impiè debacchantur?

Matth. 19. Fides sine operibus hominē magis obnoxium pœnis facit.

Ambros. in c. 11. Lucæ. Suspecta est fides sine bonis operibus.

Præsensit Ambrosius fore desides homines, qui suæ vecordiæ tegmen è sacro Codice conquirerent; ideoque multus fuit in carpenda illa blasphemia, ne fidei meritum cuipiam illuderet. Hanc rursus accipe insignem sententiam. *Ne fidei studiosos faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri breui sermone concludit, vt & fide, & operibus approbetur, dicens: Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Ambrosij lacte enutritus Augustinus ebibit spiritum eius, vtpote factus strenuus bonorum operum tutor. Sic ille:

August. serm. 16. de verbis Apostoli. Idem in Psal. 32.

A fide incipit homo: sed quia dæmones credunt, necesse est addere spem, & charitatem. Ille idem rursus: *Quæro quid credas? Responsurus es, te credere in Christum. Num audis Apostolum: Iustus ex fide viuit? Fides tua, iustitia tua. Quia vtique si credis, caues. Si autem caues, conaris; & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat, & hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certantem spectat, & deficientem subleuat, & vincentem coronat.* Profectò acutè Augustinus infert necessariam societatem fidei, & bonorum operum, dicens fidei lumine peruia nobis esse ea quæ cauenda sunt, vt peccata & infernus, in quæ non incurrere arduum facinus est, docens indefessam bonorum operum praxim, quæ intentum nostrum congruè profitetur.

Gregorius homil. 9. in Ezechiel. Luculenta bonorum operum cōmendatio.

Quadrati agminis impetus vltimos suarum esse partium ait Gregorius, probans aduersus hæreticos, indiuiduo nexu esse implexa bona opera & fidem. Sic ille: *Vnusquisque homo à conditore suo, aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui à fide recedit, apostata est; ita qui ad peruersum opus quod deseruit redit, ab omnipotente Deo apostata absque vlla dubietate deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur. Vnum enim sine altero nihil prodesse valet; quia nec fides sine operibus, nec opera adiuuant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant: sicut Cornelius pro bonis operibus meruit audire, quàm fidelis existeret.* Rursus occurrens obiectioni, quàm quis posset illidere in conclusionem nostram, ita fatur:

Idem hom. 29. in Euangelia.

Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero: verum dicit si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Tandem ille velut colophonem impositurus isti controuersiæ, ait, homines in die iudicij non esse censendos ex fide, sed ex operibus, quod reuera maximum est argumentum, nutare fidem, quæ nullo bono opere stabilitur. Ecce viri Papæ decretum irrefragabile.

Idem lib. 7. Moral. c. 13.

Qui promerendæ vitæ mercedem benè agendo non prouidet,

prouidet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de iustis per Psalmistam dicitur: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt. Hactenus ille Præsul.

Græcia cultior Româ priscis temporibus.

Græcia quidem Romæ præit in dotibus à Sole acceptis: quippe ea Orientalis est dignata radiis beneficis, quos nescit Occidentalis Roma. Solis beneuolo aspectu recreata Græcia floribus vernat, multoque aromate fragrat, quorum omnium Roma est expers, Sole viuido in eam parcius influente. Nec vberiore solo tantùm Græcia luxuriat, sed est ingeniorum ferax, quibus est insita cultior indoles: ideoque Pallas credita Athenis suas fixisse sedes. Et reuera cælo tersiore fœtus editur aptior ad concipiendas artes. Vnde Roma volens olim se componere in Rempublicam benè moderatam, leges tulit à Græcia mendicatas. Sed esto præualuerint Græci, & industria & garrulitate; Roma tamen inferiorem sibi viribus Græciam fecit, orbe ferè toto sub Romanorum aquilis inclinato. Vt Græcia tersiora ingenia, ita & Roma tulit corpora fortiora. Hinc ansam accepit Mutius Columna, præfectus generalis agminum Romanorum, Prætoriano suo labaro appingere manum armatam vt alibi recensui, hoc titulo inducto. AGERE ET PATI FORTIA ROMANVM EST. Hoc viuidum ingenium maximè viguit in Ecclesia Romana, quæ bonorum operum praxim adeò tutata est, vt nuper in Concilio Tridentino voluerit hoc fulmine esse hæreticorum capita conquassata. *Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.*

Romanę Ecclesiæ proprium est ardua facinora exercere.

Ægid. Sadeler. lib. iconum symb.

Concilium Tridentin. sess. 6. Canone 24

Si itaque volumus censeri filij Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, hoc alto animo sit insitum: scilicet, Romanum esse agere & pati fortia, & omnem deponere torpedinem ignauiæ, quam fidei rectæ desertores hæretici suis næniis affinxerunt.

SENSVS ORTHODOXVS.

Salus hominum adultorum deposcit fidem implexam bonis operibus.

In hæc verba:

Non inueni tantam fidem in Israël.

ARGVMENTVM IV.

EX HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ ADIECTIS SENTENTIIS SANCTORVM PATRVM.

Quintâ reuerentiâ deceat excipere decreta Ecclesiæ.

Tomo 1. epistolarum ad Romanos Pontifices.

Iustinianus Imperator altè sensit de Ecclesia Romana.

IVstiniani Imperatoris ingenium anceps fuit erga Ecclesiam Catholicam, cui aliquando fuit iniurius, & quandoque beneficus. Eo tempore, quo se obsequentissimum præstitit Ecclesiæ, epistolam scripsit Hormisdæ Summo Pontifici, eum consulens de re graui hoc tenore: *Credimus esse Catholicum quod fuerit nobis à vobis intimatum.* Reuera sanæ mentis erat ille Imperator, arbitratus Ecclesiæ decreta esse oracula, quæ in dubium reuocare nefas erat. Nostrates hæretici, æmulantes zelum Iustiniani, clamant se controuersiarum omnium iudicium refundere in illam Ecclesiam primitiuam, à qua mentiuntur hodie desciuisse Romanam Ecclesiam. Sæpe sæpius illud ingeminat Caluinus, velle se reuocare hodiernam Ecclesiam ad priscos ritus inolitos quingentis prioribus annis, quibus ait viguisse Apostolorum disciplinam. Nolo detrectare pugnam, cuius optio armorum propitia est Romanæ Ecclesiæ. Itaque lubens annuo conuentioni, & aggredior probare fidem deposcere suffragium bonorum operum, ad hoc vt iustificet homines adultos aliquo crimine sauciatos. Et ne varias hîc nectam historias, vnico ictu volo configere hæreticos, & eorum ora proterua firmiter obserare. In confesso est apud omnes probè callentes vetustum morem Ecclesiæ, eos qui metu cruciatuum à fide desciuerant, si quando reduces pœniterent, non ideo recipi ab Ecclesia, quòd denuo profiterentur fidem priscis actibus abiuratam; sed liquet ex monumentis antiquis, Ecclesiam exegisse ab his hominibus ardua facinora, quibus angustias sui contriti animi testarentur.

Quomodo pœnitentes olim ab Ecclesia reciperentur.

Pœnitentia non fuit olim sita in renouatione fidei sed in bonis operibus.

Qua verò bonorum operum praxi sanxerit Ecclesia obsignari eorum fidem, asperum est recensere. Nempe eis erat indictum, palàm ante fores Ecclesiæ cinere aspergi, perfundi lacrymis, & prouolui genibus omnium fidelium, ieiunare, abstinere à carnibus, indui cilicio, & parciore vti somno, vt redimerent bonis operibus gratiam, quam perfidi temerarant. Tertullianus austerum illum ritum adhuc nimium mitem censet, vt eo debeant perpetrata in fidem crimina relaxari. Sic ille rigidus censor sugillat Ecclesiam factus ipse extorris. *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliatum & concineratum, cum dedecore, & horrore compositum prosternas in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum, quantis potes misericordiæ illecebris bonus pastor, & benedictus Papa, & in parabola ouis capras tuas quæris, tua ouis ne rursus de grege exiliat, quasi non exinde iam liceat, quod nec semel licuit; cæteras etiam metu comples cum maximè indulges.* Hæc Tertullianus abundè probans Ecclesiam non credidisse fidem solam iustificare adultos homines. Alioquin superflua fuisset hæc supellex pœnitentum, si restaurata fides eos, qui defecerant, pristino gratiæ statui, sine adscitis operibus illico reddidisset. Imò adeò tenax fuit Ecclesia in obseruantia moris huius, vt cùm Martyres è vinculis deprecarentur Ecclesiam, in gratiam lapsorum, ægrè admodum Cyprianus eorum preces admiserit, scriptis epistolis, quibus beatos illos Martyres hortatus est, ne intempestiua miseratione ducti rigorem Ecclesiæ incongruè relaxarent. Ita eos reuerenter affatus est Cyprianus: *Illud ad diligentiam vestram redigere & emendare debetis, vt nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim, quibusdam sic libellos fieri, vt dicatur: Communicet ille cum suis. Quod nunquam omnino à martyribus factum est, vt incerta, & cæca petitio inuidiam nobis postmodum cumulet. Latè enim patet quando dicitur, ille cum suis, & possunt nobis viceni, & triceni, & amplius offerri, qui propinqui, & affines, & liberti, & domestici*

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 13. Tertullianus rigidus censor Ecclesiæ.

Martyres in carcere detenti, pœnitentes conciliabant Ecclesiæ.

Cyprian. epist. 12. Queritur Cyprianus de nimia Martyrum miseratione erga lapsos.

domeſtici eſſe aſſeuerentur eius qui accepit libellum. Et ideo peto, vt eos quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes literas dirigatis.

Ne remiſſior Eccleſia in dimittendo reatu viam ſterneret aliquando delinquentibus ad peccandum, concepta ſpe veniæ præcocis; plerique cautè libellos Martyrum excepere in gratiam pœnitentum, ne dum ſingulis pacem concederent lapſis, ſtantibus aliis rixarum argumentum darent, dum viderent adeò impunè negari Chriſtum, vt transfugis ſatis eſſet ad reditum, canere palinodiam, dummodo Martyres exorarent. Bonitas hæc laxa in reduce lapſo grauiter offendit Tertullianum, ita declamantem in illum morem tunc inolitum. *At tu iam ad Martyres tuos effundis hanc poteſtatem: vt quiſque ex confeſſione vincula induit mollia adhuc in nouo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, iam preces circumſonant, iam lacrymæ circumſtagnant maculati cuiuſque, nec vlli magis aditum carceris redimunt, quam qui Eccleſiam prodiderunt.* Dicit ille vincula adhuc mollia, id eſt, recentia & de nouo induta à Martyribus, eis conceſſiſſe facultatem relaxandi pœnas apoſtatis, ideoque quantùm poteſt carpit illud Eccleſiæ vetus inſtitutum, quod etiam moderationem accepit, Cypriano Præſule reclamante. Et tantùm abeſt, vt crediderit Eccleſia ſolam fidem iuſtificare ſine operibus, vt plerique deſertores fidei, pœnitentes facti, ne denuo raperentur ad idola, loco ſuo extorres ceſſerint, facultatibus ſuis fiſco derelictis, nec ideo ſtatim recepti fuerint ab Eccleſia exigente ab eis maiora fidei ſpecimina, vt colligere eſt ex Epiſtola Calidonij Epiſcopi ad Cyprianum, vbi hæc proſtant. *Neceſſitas temporum facit, vt non temerè pacem demus: ſed oportebat vobis ſcribere, quoniam ij, qui poſteaquam ſacrificauerunt, iteratò tentati extorres facti ſunt. Videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes Chriſtum ſequuntur.*

Tertull. lib. de pudicitia c. 12.

Quàm auſtera olim Eccleſia in reconciliandis lapſis.

Inter opera Cypriani epiſt. 19.

Itaque non delirat Eccleſia, vt obiicit Caluinus, nec noua ſomnia enarrat, quando decernit ſolam fidei profeſſionem factam ore tenus non homini reddere ſuam priſtinam iuſtitiam, ſi non & opera ſancta protinus adſciſcantur. Poſſunt & adduci Canones Apoſtolorum, graues indicentes pœnas negligentiæ Epiſcoporum, & ſacerdotum, vnde colligere eſt, Apoſtolos tam fuiſſe ſollicitos de bonis operibus, quàm de fide; quia eſt irrita fides bono opere deſtituta. Ecce Canonem, qui maximè viguit in Eccleſia primitiua. *Epiſcopus aut Presbyter, qui negligentius circa clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit; à communione ſegregator. Si verò in ea ſocordia perſeuerauerit, deponitor.* Non damnat hoc decretum Epiſcopos & Sacerdotes ob aliquam infidelis animi notam, ſed ob ſocordiam, cuius & nos inſimulamus hæreticos, exoſos bonorum operum praxim, ac proinde fœdam vitiorum omnium colluuiem in animas inducentes. Si aduerſarij noſtri dubiam faciant fidem Canonum Apoſtolorum, audiant ipſum Apoſtolum diſertè ſtatuentem bonorum operum vſum, animæ ſalutarem. Sic ille: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Geneuæ putuit illa vox, *Operamini*, vtpote nimis propitia bonis operibus.

Quam cautè Eccleſia pœnas relaxarit hominum pœnitentum.

Canones Apoſtolor. canone 57.

Hæretici perfidè reddunt verba ſanctæ Scripturæ.

Eamobrem Geneuenſes diſdaſcali ſeu miniſtri iniquitatis, ſubodorantes ea voce ſugillari ſuam deſidiam, eam ex ſuis bibliis Gallicis expunxerunt, eius loco ſubſtituentes verbum ſtudeo, ita reddentes verba Pauli. *Cum timore, & tremore ſtudete ſaluti veſtræ.* Græca tamen quæ apud eos etiam integra vigent, quia vulgus imperitum non conſulit hoc idioma reconditum; Græca inquam verba configunt hæreticos, & arguunt eorum malam fidem circa traductionem textus Græci qui talis eſt: Μετὰ φόβου, καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Philipp. 2.

In gratiam bonorum operum Chryſoſtomus notat, Paulum verbo compoſito eſſe vſum, & non dixiſſe ſimpliciter ἐργάζεσθε, ſed κατεργάζεσθε. Simplex enim illud verbum ſignificat tantùm communem operandi modum; ſed κατεργάζεσθε verbum compoſitum adiicit ſingularem & vehementem tropum agendi. Accipe Græcum Chryſoſtomi textum. Οὐκ εἶπεν, ἐργάζεσθε, ἀλλὰ κατεργάζεσθε, τοῦτ' ἔστι μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς, μετὰ πολλῆς τῆς ἐπιμελείας. Id eſt. *Non dixit, operamini ſimpliciter, ſed operamini cum magno ſtudio, & multiplici cura.* Ne ergo ſuaderentur hæretici admouere manum operi, maluerunt ſacrilegas inferre manus codici ſacro, quam piis eas actibus adhibere. Eumdem Pauli textum verſans Hieronymus ita fatur: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini. Non cum negligentia; ſed ſicut ait Iob, verebar omnia opera mea propter Deum, ſciens quòd non parceres delinquenti. Et ſuper humilem, & quietum, & trementem verba Dei Spiritus Sanctus requieſcit.* Hactenus ille.

Egregius textus in gratiam bonorum operum.

Chryſoſt. in c. 2. ep. ad Philipp.

Hieron. in [illegible] mer. 27.

Si te longior ſeries textuum Sanctorum Patrum delectat, accipe ex Bibliotheca Patrum locos idoneos auctorum, qui floruere prioribus Eccleſiæ ſæculis. Prior in arenam deſcendit Ignatius Apoſtolis charus. Sic ille: *Principium vitæ fides, finis eiuſdem charitas. Hæc autem duo quoties in vnum coeunt, Dei hominem perficiunt.* Ergo non ſola fide ſortitur homo ſalutis ſuæ effectum. Accedit Iuſtinus Martyr, qui non fide tantùm cæli incolatum meruit, ſed eſt eum ſuo effuſo ſanguine nundinatus. Ecce ſtrenui athletæ ſententiam. *Nos immortales duntaxat eos fieri ſcimus; qui ſanctè per virtutem ad imitationem Dei viuunt: torqueri autem igne æterno eos, qui iniuſtè abſque reſipiſcentia ætatem tranſigunt, credimus.* Theophilus Alexandrinus paucis multa concludit hoc tenore: *Sermo, & ratio, & ſcientia, & fides, abſque opere caſſa ſunt, & inſtabilia.* Concinit & Marcus Eremita, clarus quarto ſæculo. Ita hic Sanctus: *Fides eſt, vt non ſolùm in Chriſtum baptizemur; ſed etiam eius mandata opere compleamus. Dedit Chriſtus mandata, vt ea peragentes, donatam nobis perfectionem conſequamur.* Item & alibi. *Quidam non facientes præcepta, ſe tamen rectè & ſanè credere exiſtimant: rurſus ſunt nonnulli facientes, qui tanquam debitam mercedem regnum cælorum ſe ſuſcepturos ſperant. Horum vtrique à regni cæleſtis poſſeſſione fruſtrati excident.* Philo Carpathius, coæuus Marci Eremitæ, idem etiam ſuaue melos edidit hæc inſonans: *Nec quiſquam ex ſolis operibus legis Moſaicæ ſaluari poterit, ſed ex fide Chriſti Ieſu, & pretioſiſſimo illius ſanguine, & mandatorum obſeruatione ſalus æterna paratur.*

Ex SS. PATRIBVS.

Ignatius epiſt. ad Epheſios.

Iuſtinus oratione ad Anton. Pium.

Theophil. Alexandr. in lib. 1. Paſchali.

Marcus Eremita Reſponſione ad eos qui de diuino Baptiſmo dubitant.

Idem de his qui putant ſe bonis operibus iuſtificari, cap. 17.

Philo Carpat. in Cantica.

Quarto illo ſæculo iam acedia patronos inuenerat,

Priſcis ſæculis impugnata ſunt bona opera.

nerat, effœtos scilicet homines in mollitiem fractos, qui suam vecordiam hæreticis huius temporis instillarunt. Et reuera hæc genimina torpedinum, iisdem vtuntur argumentis, quibus olim fidei desertores Ecclesiam impetebant. Nimirum dant totum fidei, vt nihil meriti supersit, vnde bonorum operum vsus validè confirmetur. Gliscenti errori ita se opponit Nilus Abbas. *Ab æterno igne non te liberabit fides, nec baptisma, sine iustitia operibus. Si enim Christo mandata eius te seruaturum promisisti, & quæ futura sunt credis, ad gloriam contende sempiternam, & flammeum gladium pertimesce. Quod si Dei mandata non obseruas, nec te fidelem esse dicas.* Eiusdem æui celeberrimus vir, spei, fidei, & charitatis commercium esse necessarium ait Christiano, si nolit excidere illo titulo specioso. Ille est Proclus Constantinopolitanus, sic arguens: *Fides charitatis est speculum, & charitas fidei probatur esse firmamentum. Credimus quòd Deus Verbum impassibiliter incarnatus est, & piè credimus. Hac enim fides salutis nostræ fundamentum esse cognoscitur. Omnis itaque Christianus, qui non est diues fide, spe, & charitate, id quod dicitur non est.*

Nilus Abbas Institutione ad Monachos.

Proclus Constant. epist. ad Armen.

Perfecta fides accingitur spe, & charitate.

Illa fidei, spei, & charitatis necessaria connexio, vt anima sortiatur beatum iustificationis statum, potest egregiè lineari illo symbolo alibi recensito in alio argumento. Meminit huius symboli Ioannes Ferrus in suo theatro symbolorum, vbi tridentem pingit, corona desuper imminente, hoc titulo. TRINO RAPTA LABORE. Quidquid garriant hæretici, nusquam anima iustificationem nanciscitur, nisi accincta sit fide, spe, & charitate. Eamobrem vnicuique adulto tantùm constat iustificatio TRINO RAPTA LABORE. Benè dicitur rapta labore trino. Nam regnorum omnium acquisitio labores magnos decernit ei, qui ad grandia anhelat. Et iuxta Christi Domini veridicam sententiam, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ne autem arbitreris otiosos habitus fidei, spei, & charitatis conciliare iustificationem animæ, illa congruè dicitur. TRINO RAPTA LABORE, vt quisque suam strenuam impendat operam ad hoc vt fiat voti compos. Accipe Patres interpretes huius symboli, & in his Isidorum Pelusiotam ita fatum. *Videris ea ignorare, quæ etiam puerulis nota & perspicua sunt. Neque enim hoc existimes, quòd fides, si tamen fides dicenda est, quæ operibus tuis refutatur, salutem tibi afferre possit. Etenim fides ea, quæ primum iustificauit, consentaneas sibi actiones exigit, quibus remotis nemo salutem consequi potest. Nam cum qui ad gratiam assumptus est, propriis quoque virtutum dotibus exornari conuenit, ne alioquin ingrati animi notam incurrat.*

EX SYMBOLIS.

Ioan. Ferrus part. 2. Theat.

Regnum cælorum qualem vim patitur.

Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 73.

Ita planè ingrati animi næuos inurit sibi, qui gratiâ Dei acceptâ desidem vitam agit. Gratia namque Dei influit in animas, vt illæ quantocyùs morem gerant Domino largitori. At non ei congruum obsequium præstant, quando inertes otio dissoluuntur. Quippe gratia est instar paradisi, in quem Deus hominem induxerat, vt operaretur, & custodiret illum. Si ergo ignauiâ torpet homo, suo deest officio, ac proinde Deo gratitudinem debitam non rependit. Ab hoc paradiso gratiæ, & ab alio gloriæ eliminandos inertes homines, qui in vacuum gratiam acceperunt, audi ab Isaia Abbate, noto Ecclesiæ in quinto sæculo. Sic ille: *Nisi quis Domini Iesu actionem imitetur, reprobus est, & sponsa eius esse nequit: & virgines omnes parauerunt lampades suas, sed quæ non habebant opera reiectæ sunt: zizania simul cum tritico creuerunt; sed cum messis aduenisset, ligata sunt, & in ignem proiecta: palmites qui fructum non tulerunt, in ignem proiecti sunt. Omnes se credere profitentur, sed qui bona non habent opera, eiiciuntur foras.* Eò spectant & hæc verba Basilij Seleucij affirmantis, nullum esse locum in visione Christi eis, qui fide præstita, tamen bonorum operum suffragia turpiter abdicarunt. Ita fatur ille Basilius: *Quòd recta fides, si impura deprauataque adsit vita, nihil prosit, hoc Christus, & Apostolus, vbi de ea re differunt, luculenter ostendunt. Non omnis, ait Christus, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Qui enim sui ipsorum curam non habent, esto recta fide destituti non sint, y leui de causa in improbitatem abeunt præcipites, quam vnam nos toto conatu fugere & detestari oportet. Quandoquidem fieri omnino non potest, vt Christum videamus, integra castaque vita non ornati.*

Ingrati sunt qui gratiam Dei non excolunt bonis operibus, & quare.

Isaias Abbas oratio. 5.

Fidei ignauia ignibus æternis castiganda.

Basilius Seleucius de excitatione Lazari.

Ecclesiæ in incunabulis eamdem fuisse sententiam, quam Catholica & Romana fides profitetur, in themate bonorum operum probant omnia agmina Sanctorum Patrum directa in aduersarios nostros, quos vicisse reuera non est virtutis arduæ negotium. Quale enim argumentum laudis emeritæ superasse ignauos, qui manibus implexis acedia, nesciunt operari. Fortè Patribus coëuntibus in certamen contra illam pigram hæreticorum illuuiem, quispiam illud Virgilianum obiiciet.

Res est ingloria vincere hæreticos inertia dissolutos.

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis.
———nec habet victoria laudem
Fœminea in pœna.

Non profectò suam laudem reponunt Patres penes silentium impositum hæreticis, sed penes fidem stabilitam suis encomiis. Et ne eo honore frustretur Isaac Presbyter Antiochenus, & ipse insignis æuo priorum Patrum, eum audi sua sic pangentem eloquia. *Si credis in Deum, benè facis; sed fides eget operibus, & spes, quæ de eo habetur, eget afflictionibus ad virtutes. Credis quòd Deus prouideat, credis creaturis suis, & quòd sit in omnibus potens: sed fidem tuam sequatur conueniens operatio, & tunc exaudiet te. Noli tenere ventum in pugno tuo, sine operibus videlicet fidem tuam.*

Isaac Antiochenus de contemptu mundi c. 27.

Optimè profectò ait ille, fidem esse ventosam, quam non fulciunt opera. Illa quippe in auras abit infœcunda, hoc vnum referens loco fructus, vt scilicet aures hominum diuerberet, Christi Domini merita concrepando. At sincera fides opere loquax, est sonora Dei auribus, & oculos Ecclesiæ recreat, bonis operibus iugiter incumbendo. In eo argumento Sophronius Ierosolymitanus agmen claudet Patrum, quos conduxi propitios sanctis operibus. Grandæuus ita sua sensa profert. *Metuo magnoque tremore constringor, ne, qui orthodoxam fidem habere videmur, secundùm illam quoque laborare deprehendamur: vt qui eam solam, hoc est, ab honestarum actionum coniugio seiunctam, bonorumque operum comitatu destitutam oberrare permiserimus. Si enim fides studiosa fragrantium operum actione orbata, secundùm Iacobum fratrem Domini, est mortua, quomodo nos rectum cursum tenebimus,*

Fides sine operibus, est ventus in pugno conclusus.

Sophronius oratione in Christi nat.

Bona opera sunt alæ fidei.

tenebimus, qui fidem operibus quasi aliis quibusdam exornare non curamus? neque animos nostros pernicibus operum misericordia pennis obarmamus? Quamobrem opera cum fide consociemus, neque operum, quæ adesse oportebat, absentiam eam infirmemus: ita enim fiet, vt quemadmodum fortes fide validique consistimus; sic bonis quoque operibus firmemur, & Christum ipsum, qui honestis actionibus impensè delectatur, fide simul & operibus non parum recreemus, clementissimámque ipsius celsitudinem nobis promereamur. Hactenus ille Sophronius.

Generosum consilium Machabæorũ imitandum a Christianis omnibus.

Ex præfatis, duo genera hominum nobis innotuere: nempe vidimus Catholicos & hæreticos disparis ingenij. Animo effœto & in molliciem fracto hæretici tentarunt affingere suam socordiam, conductâ etiam Scripturâ sacrâ in eum finem. Catholici verò secus spirantes masculum animum Romanorum, nos omnes suis sententiis ad bona opera prouocarunt. Vtraque pars nos anhela sollicitat vt ei demus manus. Quid consilij in re controuersa? Dicam quod sentio. Libratis vtrimque ponderibus inclinat animus in partem illam generosam strenuis actibus assuetam. Mens mea fastidit acediam, ac proinde placet generosa illa mens Machabæorum, qui contempsere Ægyptios, & Babylonios vicinos suos, vt cum Spartiatis & Romanis inirent arctissimum fœdus, ea sola ratione ducti, quod Ægyptiis & Babyloniis nulla virtus inesset, vtpote vitiis assuetis: Romanis verò & Spartiatis magnum pondus roboris insideret. Patres Græci & Latini, propugnantes impigram bonorum operum praxim, subolent Ecclesiæ Romanæ priscum ingenium, compositum ad ardua facinora perpetranda. Eamobrem illi me totum addico parti, manusque meas deuoueo bonis operibus, dato repudio hæreticis muliebri animo, in omnia mala pronis, & à Dei Regno penitus alienis.

1 *Mach.* 12. Catholica fides est generosa, & hæretica fides iners.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA TERTIA.

An sit singulare signum veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica, id est orbe toto diffusa.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

Nulla Gens sine aliquo sensu Dei.

NVlla omnino Gens numinis inscia suum æuum egit, nec adeò opaca, mente caligauit orbis, vt religionis omnem sensum exuerit. Quamuis enim ratio humana in indagine Dei veri sæpius hallucinata sit, non vsquequaque tamen homo cæcutiit, quin aliquem Deum præsenserit, ipso Deo desuper illucente. Et vt res abditæ sensibus inuiæ venerationem magnam sibi concilient, coïerunt homines venerabundi in Dei alicuius cultum, quem exhibuerunt ei, aliquibus eo fine ritibus institutis. Ille hominum conuentus, profitens numinis alicuius obsequium exterioribus signis, dicitur Ecclesia, quæ vox in Codice sacro vsurpatur & de Gentilibus, & de Christianis congregatis in ordine ad Deum excolendum. De Christianis scribit Paulus: *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* De Ethnicis Lucas agens, ait Ephesi ortam seditionem magnam, quia populus suspicabatur aliquos homines esse iniurios Dianæ, quam concurrentes venerabantur hac concordi voce: *Magna Diana Ephesiorum.* De hoc concursu facto in honorem Dianæ, ait Lucas: *Erat Ecclesia confusa.* Ecclesia hæc insurrexerat in Apostolicam Ecclesiam, cuius fundamina Paulus iam iecerat, Dianæ Ephesinæ cultum penitus euersurus. Hoc in more hominum positum est, vt nulla detrectent pericula subeunda pro numine præstituto. Quippe esse vindicem Dei in magnis semper positum est. Et tantùm innaluit zelus religionis, vt Iudæi fuerint in duas disliti partes, exercentes odia plusquàm Vatiniana, ob disparem cultum Deo exhibitum Ierosolymis, & Samariæ. Vnde exortum adagium: *Non coutuntur Iudæi Samaritanis.* Eodem zeli œstro perciti Persæ in Turcas sæuiunt, quia discordant in obsequio præstito Mahometi.

Ecclesiæ vox qualiter vsurpetur.

Act. 19.

Prætextus religionis validum est argumentum ad bella indicenda.

Quantùm religionis opinio valeat in homines, Gallia suo discrimine experta est superiore sæculo, scisso regno in Catholicorum partem, & in sectam hæreticorum, gliscente æmulatione vtriusque Ecclesiæ pessum iuit Gallia sua mole nutans. Oppida nigricarunt igne sæuiente, & arua numeroso concurrente milite desudarunt. Quamuis Deus propitius adiuuerit partes Ecclesiæ Catholicæ, Henrico Rege dante nomen suum auitæ religioni Regum Galliæ; tamen tirarum lethales reliquiæ ad nostra hæc tempora deuenerunt. Et esto minimè ferociant armis hæretici hac tempestate; quies illa non est danda remissiori zelo, qui non tepet aduersus Ecclesiam: sed vt attribuenda fractis eorum viribus, quas si resumerent, profectò priores tragœdias in perniciem Ecclesiæ Catholicæ denuo suscitarent. Itaque compressa rebellione deposuerunt arma perduelles homines, impotes agmina componere: sed non indixere ferias libris conscriptis contra decus Ecclesiæ Catholicæ; imò adhuc assiduè lacessunt nos, suam conclamantes Ecclesiam esse legitimam, Romanam verò esse meretricem, Babylonem, & colluuiem hominum impiorum. In hac lite dirimenda proderit sententia olim lata in gratiam aquæ contra ignem. Nempe disceptabant olim duæ Gentes, quænam Deum potentiorem excoleret. Vnius Gentis numen erat ignis; altera verò sibi aquam in Deum præfecerat, Gens ignicola in argumentum victoriæ ait eum Deum in alium præualere, quem potest destruere. Ignem autem suppositum magno æneo vasi aquæ pleno, consumere ebullientem aquam, quæ suo sic excidio litabat igni. Pars æmula negauit ita se habere rem hanc, imò secus affirmauit ignem suppositum vasi aqueo non ferre aquæ præsentiam, sed sensim deficere in tesseram obsequij præstiti numini fortiori. Rei dubiæ iudicium refusum est in experimentum: dies condicta est, qua illucente conuenerunt omnes vtriusque Ecclesiæ proceres, vt periculum facerent virium numinis adorati. Cultores aquæ concinnarunt vas suo intento propitium: nimirum inferiorem huius ollæ sedem aperuere rimis & fissuris, quas obduxere cera, adeò subtiliter inducta, vt industria compositio erroris omnem suspicionem adimeret. Vas itaque plenum aqua igni adiectum est. Sed vbi igne liquante ceram, hiantia foramina fecerunt aquæ copiam exeundi, desudantis

Gallia experta hæreticorum noxium ingenium.

Chaldæi colentes ignem disputarunt contra Ægyptios venerantes aquam. Qua industria ignis cessit aquæ. *Huius historiæ meminere Ruffinus lib. 2. histor. & Suidas in voce Canopus.*

aquæ stillicidia non tulit ignis protinus euanescens. Eamobrem illa præualuit Ecclesia, quæ Deum abstulit alterius, quæ in victricem fuerat antea debacchata.

Ecclesia Catholica sola sibi constat semper dum hæreses extinguuntur.

Insurrexerunt in Ecclesiam Catholicam hæreses quamplurimæ, causantes habere Deum à suis partibus, multa vtrimque edita volumina, præsertim in Arianos, Donatistas, Manichæos, Pelagianos, & huiusmodi farinæ transfugas. Crediderunt hæretici Catholicam Ecclesiam animam agere sub Constantio & Valente Principibus Arianis. Sed omnino secus accidit; nam præter idolorum omnium repurgium Romæ factum, præualens Ecclesia hæreses expunxit, & orbe toto diffusa, constitit sibi semper, & rutila coruscauit. Vtinam hoc altè perpenderent hæretici hodie garrientes aduersus Ecclesiam Romanam. Si namque recolerent illam duntaxat esse quæ vbique terrarum emicat, & eam solam esse Catholicam, id est vniuersalem: procul dubio ei cederent, deprehensis in ea signis indubiis, quibus incumbunt fundamina solius & veræ Ecclesiæ Christi, quæ sola sibi propriè iam vendicat nomen Ecclesiæ, aliàs fusè sumptum. Quæ sit autem illa vera Ecclesia, ad hanc controuersiam discutere pertinet, quæ concludit, illam solam Ecclesiam, quæ Romano Pontifici paret, veram esse; cæteras verò sectas incongruè vsurpare nomen Ecclesiæ, in eo sensu, quo hodie Doctores sacri Ecclesiæ nomen recensent, signantes ea voce cœtum hominum coëuntium in eamdem professionem fidei, & colligatum vniformi sacrorum vsu, sub moderamine pastoris, Christi vices agentis.

Quid sit Ecclesia, & quæ germana eius descriptio.

Quomodo ex verbis Christi colligantur notæ Ecclesiæ.

Huius Ecclesiæ ideam aliqualem edidit Christus eo versu, quem suscepi explicandum orthodoxè. Nimirum ait Christus: *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno calorum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Christum hoc loco significasse ruinam Synagogæ, & Ecclesiæ statum, concors est Patrum sententia. Aiunt enim in fide Centurionis fuisse signatam Ecclesiam propagatam orbe toto; & in Iudæis credere cunctantibus, fuisse Synagogæ ruinam præostensam. Ita Hieronymus: *In Centurione fides Gentium praponitur Israel.* Augustinus etiam inde colligit Ecclesiæ præstantiam supra Synagogam. Sic ille: *Sicut autem videmus vocatos Christianos ad caleste conuiuium, vbi est panis iustitia; ita videmus Iudaos reprobatos.* Cùm ergo hoc textu Deus signarit Ecclesiam, & dixerit multos ab Oriente & Occidente coituros in vnitatem eiusdem fidei, quam Centurio ille profitebatur; illa prior occurrit nota veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica. Illud enim maximè vniuersale est, quod à pluribus accipitur, & occupat ampliora terræ diuortia. Rursus cùm homines conuenientes in eumdem ritum obsequendi Christo, corpore & anima constent; profectò ille hominum cœtus erit visibilis, & hæc erit altera nota. Demum ait hos fideles fore conscios gloriæ æternæ, qua gaudent Abraham, Isaac, & Iacob. Vnde liquet illam Ecclesiam debere esse sanctam, quæ suos fideles reponit in æterna tabernacula. Has tres expediam notas istâ controuersiâ, postquam priori parte diluero instantias hæreticorum.

Hieron. in c. 8. Matth.

August. ser. 6. de verb. Dom.

Prima Ecclesiæ Christi nota est, vt sit Catholica.

Altera nota, vt sit visibilis.

Tertia demum nota Ecclesiæ est, vt sit Sancta.

SENSVS ORTHODOXVS.

Prima Pars Controversiæ.

Quibus instantiis hæretici impugnent notas Ecclesiæ.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno calorum.

Creduli plus quàm par est antiqui Philosophi, pleraque incongrua transmiserunt posteræ ætati, cuius generis est commentum illud, cui Plinius ipse fidem adhibuit, dicens infici lunam sordibus terræ, & vaporibus sursum vectis ad siderum pastum. Quasi verò queant terrestria sideribus aliquas maculas affingere. Periti omnes damnant illud delirium; in quo tamen Plinius non adeò desipuit, quin habeat stultiores se in simili argumento: quippe Ecclesia pulchra vt Luna aduersos patitur hæreticos, qui erroris sui aspergine volunt Ecclesiam turpiter inquinare. Etenim quando tentant ostendere Ecclesiam Romanam, non esse Catholicam; nonne hoc est sacrilego conamine Lunam debito lumine decurtare? Præterea enitentes hæretici adstruere Ecclesiam esse inuisibilem; Lunam perpetua eclypsi inuoluunt. Demum conclamantes posse errare Ecclesiam, & de facto errasse; maculas ei affingunt, & grauiùs in hanc Lunam peccant, quàm Plinius deliquerit euehens terræ sordes vsque ad sidera respersa fæcibus, ita cælo iniuriis. Sed vt conspuentes cælum redeuntia sputa fœdant; ita aduersariorum instantiæ directæ contra Ecclesiam hoc tantùm effecere, vt scilicet hæretici ignari & stolidi videantur.

Plin. lib. 2. naturalis hist. cap. 9.

Lunam infici sordibus terræ quinam crediderint.

Quas sordes Ecclesiæ affingere tentarint hæretici.

Primò obiiciunt, Romanã Ecclesiam non esse vniuersalem seu Catholicam, quia nomen accipit ab vrbe Roma, cùm Ecclesia vniuersalis suam nomenclaturam debeat accipere ab orbe toto, vt vox ipsa Catholica insinuat. Præterea Romanæ Ecclesiæ etiam Papistæ nominantur. Ergo sectam singularem constituunt discretã ab Ecclesia illa Catholica, de qua est quæstio. Ad primum respõdeo, Catholicam Ecclesiã dici Romanã, à potiori sede vicarij Christi, qui est caput visibile, vices gerens inuisibilis capitis Ecclesiæ Christi, ita vt vox illa Romã sonans, & Ecclesiã denominãs Romanam, idem significet ac Ecclesiam Catholicã eam esse, quam Christus commendauit Petro, cuius partes agunt Pontifices degentes Romæ, vt in propria sibi sede. Ea notione prioribus etiã sæculis vsi sunt Patres, vt discernerent verã Ecclesiam à grassantibus hæreticorum sectis. Ita vt dicere se esse Ecclesiæ Romanæ discipulum, perinde sit ac dicere se esse Catholicum, & sincerũ fidei assertorẽ. Inde maximè Ambrosius probat fratrẽ suum Satyrum impensè fuisse Catholicũ, quia fœdus inibat tantùm cum Præsulibus Romanæ Ecclesiæ. Sic ille commemorans actionem fratris sui: *Aduocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi vere fidei gratiã, percontatusque est ex eo vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret, & fortè ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat, & quamquam pro fide exulasset, & fidei*

Argumenta quibus hæretici impetunt Ecclesiã Romanam.

Solutio.

Ecclesia Catholica dicta etiã Romana tempore Ambrosij.

Ambrosius de obitu Satyri fratris sui.

Satyrus frater Ambrosij suspectã habuit fidem Luciferi Calaritani eo solo nomine quòd ab Ecclesia Romana defecisset.

fidei suæ reliquisset heredes; non putauit tamen fidem esse in schismate. Nota, Luciferum Episcopum Calaritanum sub Imperatore Constantio Ariano vapulasse, exulasse, & multa iniisse discrimina in gratiam fidei, vnde orbe toto conciliauit sibi nomen grande, & opinionem sanctitatis suo sanguine nundinatam. Sed quia, causatus se contemptum à Legato Romanæ Ecclesiæ, schema Luciferianum auspicatus est; noluit Satyrus germanus Ambrosij adhærere vlli Præsulum, qui sequuti sunt schisma Luciferi; sed adeò tenaciter auxit partes Ecclesiæ Romanæ, vt flocci fecerit omnem famam sanctitatis Luciferi, ne fide Ecclesiæ Romanæ caderet errabundus. Dicitur itaque Romana Ecclesia, non quòd Roma dederit initium Ecclesiæ; sed quia Ecclesia Romam initiatam fecit præcipuam sibi sedem, ex qua resonant oracula in omnes mundi plagas. Fortè vt Imperatores olim adsciuere sibi cognomina à prouinciis suæ ditioni subiugatis, inde dicti Africani, Asiatici, Vandalici, Gothici; ita & Ecclesia subiugatâ sibi Româ, & in ea orbe toto, dicta est Romana, quasi Catholica, quia Roma fines sui imperij porrexerat vsque ad Garamantas & Indos.

Quare vera Ecclesia dicatur Romana.

Quod verò attinet ad titulum Papistarum, & Pontificiorum, scomma est hæreticorum huius æui, quo arbitrati sunt se inussisse nobis maculam insignem. Tamen non cunctamur affici nominibus illis, nec detrectamus creditam falsò iniuriam. Nam Chrysostomus ait non esse incongruum Ecclesiam denominari ab his, qui eam gubernant nomine Christi, modo non denominetur ab aliquo homine particulari. In eo sensu dicta est Ecclesia Apostolica, quia subiit Apostolorum moderamen, seu gubernacula. Nullius tamen Apostoli nomen induit, imò fuere damnatæ istæ voces singulares, in Ecclesiam inducentes: *Ego sum Cephæ, Ego sum Pauli, Ego sum Apollo.* Nimirum Ecclesia Catholica fideles suos tantùm à Christo voluit nomenclaturam accipere, & non ab aliquo homine singulari. Ita Athanasius: *Nunquam Dominus ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit. Certè à beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes adepti non sumus; sed à Christo Christiani sumus, & nuncupamur: illi verò, qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò auctorum suorum cognomenta præ se ferunt. Quapropter cùm à Christo omnes Christiani essemus, & diceremur; explosus est Marcion inuentor hæreseos; reliqui autem qui remanserunt, titulum Christiani retinuerunt: qui verò Marcionem sequuti sunt, non iam inde Christiani, sed Marcionistæ appellati sunt. Ita quoque Valentinus, Basilides, Manichæus, & cæteri sectatoribus suis nomina impertierunt.*

Chrysostom. homil. 33. in alia epist.

Quare Ecclesia dicta sit Apostolica.

Ecclesia à Christo, & nõ ab aliquo alio suam nomenclaturam accepit.

Ex SS. PATRIBVS.

Athanas. serm. 2. contra Arianos.

Vt hæretici sunt desertores Ecclesiæ; ita & nomen deponunt, quo vigente stabant in cancellis Ecclesiæ, nec alia hæreseos est tessera vestiganda. Quando igitur audis, aliquos dici Lutheranos, Caluinistas, Zuinglianos, Hussitas; audacter pronuntia, tales homines ab Ecclesia Catholica impiè defecisse, iuxta illam Lactantij sententiam: *Cùm Marcionistæ, aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & æterna vocabula induerunt.* Suum & huic sententiæ suffragium adiecit Sanctus Hieronymus, ita fatus: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Iesu Christo, sed à quoque alio nominari, vt Marcionistas, Valentinianos; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* Ea notione se hæretici produnt, vt abdicata fide Ecclesiæ Catholicæ, nomen induant eius, qui lethale virus auribus instillauit. Ita Irenæus: *Habent & vocabula a principe impiissimæ sententiæ, a Simone dicti Simoniani.*

Hæretici denominati à suis seductoribus, & sese ea notione produnt.

Lactant. lib. 4. cap. 30.

Hieron. lib. contra Luciferianos.

Irenæus lib. 1. cap. 20.

Alias excogitauere technas hæretici nostrates, vt suam spuriam adstruerent Ecclesiam: nimirum videntes proprium esse veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica, & hanc notam abesse à noua sua secta; commenti sunt obiectionem istam: Illud quod est articulus fidei non videtur sed creditur. At ex symbolo fidei credimus in sanctam Apostolicam Ecclesiam. Ergo illa Ecclesia haudquaquam est peruia sensibus. Alioquin delendus est ille articulus: Credo sanctam Ecclesiam, & eius loco sufficiendæ voces istæ: Video sanctam Ecclesiam. Ita nugatur Brentius, arbitratus se hoc imbelli ariete magnam facere impressionem muris Ecclesiæ. Huius etiam erroris Caluinus se tenacissimum præstitit assertorem, ita sugillans Catholicos: *Non parum aberrant, dum Ecclesiam non agnoscunt, nisi quam præsenti oculo cernunt, &c. Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur.*

Quo argumento hæretici adstruant Ecclesiam Dei esse inuisibilem.

Brentius in Confessione Vuittemberg. cap. de Concil.

Caluin. in præfatione institution.

Aliquos torsit illa obiectio; sed ego illam nihili prorsus facio: missis itaque aliorum responsis, accipe meam solutionem vtique placituram. Quamuis articuli ad credendum propositi non sint propriè sacramenta illa, quæ numero septenario concludimus; tamen eodem etiam sacramenti nomine recensentur. Nam quod Græci dicunt mysterium, Latini sacramentum dicunt. Vt quando Paulus matrimonij mentionem facit, ait: *Sacramentum hoc magnum est.* Pro sacramento Græcè est μυστήριον, id est, *mysterium.* Imò Latina editio Canonica in eodem capite Apocalypsis mysterium & sacramentum promiscuè vsurpat, hoc contextu: *Et in fronte eius nomen scriptum mysterium.* Et infra ille idem, qui hoc mysterium legit, ait se audiisse vocem pollicentem reserare arcanum abditum illo nomine, *Mysterium*, quod erat inscriptum fronti mulieris; & hoc mysterium vocat sacramentum: *Ego dicam tibi sacramentum mulieris.* Rursus omnia arcana fidei, quia sacra sunt, dicuntur mysteria, ipso etiam Christo auctore: *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum.* In eodem sensu ait Paulus: *Si nouerim omnia mysteria.* Vt ergo fidei nostræ arcana, sunt sacramentorum titulis insignita, aliqualem etiam rationem sacramentorum participant, in eo sitam, vt nullum omnino sacramentum sit, quod non habeat aliquod signum sensibile inuisibilis gratiæ, quæ influit eo signo congruè applicato; ita etiam, nullus planè sit articulus fidei, qui non habeat aliquid sensibile, cuius beneficio anima præbeat illum assensum, penes quem est fidei ratio constituta. Eamobrem tot Catechismi excussi, vt eorum lectione fideles addiscant materialia obiecta fidei; ideo institutæ prædicationes, quia fides ex auditu. Sed vt signa sensibilia non faciunt homini manifestam gratiam; ita & sensus percipientes quid credendum sit, non ingerunt tamen animæ claram notitiam rerum, quæ significantur vocibus aut libris, quibus præbetur assensus ob auctoritatem, quæ est subiectiuè in Ecclesia, & significatiuè tantùm in Scriptura. Assentiri enim propter visa,

Solutio argumenti ex sententia auctoris.

Ephes. 5.

Apoc. 17.

Matth. 13.

1. Cor. 13.

Fides habet aliquid præuium in sensibus.

visa est scire, assentiri verò propter auctoritatem alicuius, est habere fidem. Vnde cùm video hominum cœtum coëuntem in eamdem fidei professionem, sub regimine Vicarij Christi, video quidem homines, sed nescio euidenter an fides eorum sit sincera fides Christi, sed hoc credo fidens auctoritati Ecclesiæ, quæ decreuit sic credendum. Eo modo Petrus videns Christum, ait eum esse filium Dei; hoc autem credidit non obsequio sensus reuelantis, sed beneficio Dei desuper illucentis. Thomas quoque fidem suam non debuit aspectui, licet fidei eius oculi substrati sint. Nempe hominem sibi sisti vidit, & credidit Deum, ita exclamans: *Dominus meus, & Deus meus.*

Matth. 19.

Ioan. 20.

Quare hæretici adeo procaciter defendant Ecclesiã esse inuisibilem.

Cùm ergo debacchantur hæretici, & dicunt ea quæ creduntur debere esse inuisibilia, faciunt contra suam ipsorum fidem; nam credunt vnum baptisma, quod tamen ocolis cernunt. Si respondent se quidem videre aspersionem aquæ, sed credere illa aspergine animam mundari gratia desuper influente; profectò diluunt suam instantiam in nos, qui pariter asserimus, videri quidem cœtum hominum fidelium, sed credi eum cœtum esse Ecclesiam. Quo autem intento hæretici adeò procaciter affirment hæresim illam de Ecclesia inuisibili; accipe. Suspecta fuit semper nouitas in rebus fidei, ideoque in re dubia Patres semper sectati sunt instituta maiorum, consulentes oracula Sanctorum veteris Ecclesiæ, cuius sarta tecta ad nos dogmata deuenerunt. Eaque notio singularis fuit ad discernendum hæreticos, scilicet explorare an quidpiam exoticum & peregrinum vellent inuehere in Sanctuarium Dei, id est, ea cautela Præsules cauerunt Ecclesiæ, sedulam adhibentes curam, ne peregrina aliqua sententia vitiaret veterem disciplinam, iuxta illud præscium Pauli effatum: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Dixit varias has doctrinas, quæ non sunt concolores disciplinæ Apostolorũ: peregrinas etiam nuncupauit doctrinas, quas fideles domestici Dei nusquam suis auribus ebiberunt. Ideo ne hæretici hoc scommate feriantur, quasi abducentes homines doctrinis variis & peregrinis, hoc commento decipiunt homines imperitos. Aiunt, imò fabulantur, se eosdem esse, quos se præstiterunt Apostoli, eamdemque se profiteri fidem; sed Ecclesiam suam fuisse inuisibilem, ideoque non esse deposcenda ab eis testimonia historica suæ Ecclesiæ, cùm de ratione Ecclesiæ sit, vt Deo soli nota, nullis hominum oculis innotescat.

Periculosa est nouitas in rebus fidei.

Hebr. 13.

Quæ sint doctrinæ variæ, & peregrinæ.

Sed ad arbitrium suum garriant hæretici; iisdem tamen semper vrgebuntur aculeis, quibus fuere aliàs lacessiti errorum disseminatores, eo solo nomine damnati, quòd à prisco Ecclesiæ dogmate defecissent. Ita sui æui apostatas carpit Tertullianus: *Qui estis vos, vnde, & quando venistis? vbi tamdiu latuistis?* Eadem spicula intorquet Optatus in Parmeniani asseclas. *Vestra cathedra originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Eodem commento Zamolxis olim dementauit Thraces, vt scribit Herodotus. Is vt sibi conciliaret aliquod specimen abditæ deitatis, tres annos egit in ima specu nemine conscio. Eius absentiam ægrè tulit Gens illa, cuius antea captarat auram. Triennio exacto prodiit ille impostor, mentitus se vsum consuetudine Deorum, quamdiu fuit à cæteris inaspectus. Credula Gens ei postea adhæsit, vt numini.

Tertull. lib. de præscript.

Optatus lib. 2. contra Parmenia.

Herod. lib. 4.

Industria Zamolxis vt sibi Deitatis famam conciliaret.

Ita Caluinus ait suam fuisse Ecclesiam inuisibilem prioribus sæculis, & suo æuo emersisse Deo plenam, & fœtã hominibus à Deo electis, quibus de salute sua instante nefas est dubitare. His fabulis auscultauit quidem vulgus imperitum, dans nomen suum sectæ nefandæ; sed Ecclesia quantocyùs occurrit errori huic de inferis emergenti, eo solo nomine damnans illum, quòd nouum dogma cudat, à disciplina Christi penitus alienum. Vnde & fas in eos inuehi iisdem textibus, quos adhibuere Sancti, vt castigarent deliria hæreticorum, quos iniquos ægrè admodum Ecclesia sustinebat.

Elegans declamatio in nostrates hæreticos.

Itaque congruè compellabis hæreticos hisce vocibus sancti Hilarij: *Tardè mihi hos piissimos Doctores ætas nunc huius sæculi protulit serò hos habuit fides mea, quam tu erudisti magistros.* Acriori stylo pungit eos Hieronymus, ita singulos quosque conueniens hæreticos: *Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæso te vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos nos docere niteris, quod ante nesciuimus? Vsque in hanc diem sine vestra ista doctrina, Christianus mundus fuit.* Simili argumento lacessit hæreticos idem Sanctus, eo solo nomine probans eliminãdam eorum sectam, quia noua & inaudita pangit deliria. Sic ille: *Ex hoc ipso, quòd posteriùs instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit.* Liceat & nobis ludere in simili themate, sugillando nouatores, & sectarios editos in perniciem huiusce sæculi. Dicite eia, ô vilia capita: Vnde & quando venistis? vbi tamdiu latuistis? An fortè cum Zamolxi aucupati estis fucos abditæ deitatis? Aut cum Endimione obdormiuistis in Lunæ amplexibus, vt vos postea in perniciem orbis Christiani sidera parturirent? Sed quid moror in erudiendis hæreticis; cùm eos ad meliorem reuocare frugem, non sit humanum negotium sed diuinum. Rursus audio perstrepentes hæreticos in gratiam Ecclesiæ inuisibilis: nam id maximè cordi habent, vt suadeant, non esse de ratione Ecclesiæ, vt ea sit visibilis; siquidem hac datã portã ruunt, & vt lupi grassantes ouile Christi dilaniant.

Hilarius lib. 6. de Trinit.

Hieron. epist. ad Pammach. & Oceanum.

Idem libro contra Luciferianos.

Quomodo sint sugillandi hodie hæretici.

Vt ergo fiant compotes iniqui voti sui, ita garriunt hæretici. In confesso est apud omnes, stetisse Ecclesiam tempore Eliæ. Sed ipso Deo teste fuit illa Ecclesia inuisibilis: siquidem Elia conquerente, quòd solus esset fidelium; audiit ipse à Deo, plerosque alios superesse in Israël eiusdem fidei, quam profitebatur Elias. Ecce textum, quo vt congruo ligno valida tela conficiunt, vt ea in nos intorqueant. *Relictus sum ego solus. Et Dominus ad eum: Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Inde colligunt aduersarij fuisse Ecclesiam inuisibilem, cùm fuerit ignota Eliæ Prophetæ. Respondeo, hanc instantiam prodere ignorantiam hæreticorum, qui non aduertunt, Iudæos tempore Eliæ fuisse dissitos in duo regna, ab eo die quo populus defecit à Roboam filio Salomonis, vt inauguraret Ieroboam, qui regni sui caput fecit Samariam. Vndecim tribus adhæsere Ieroboam, à quo fluxere Reges Israël. Ierosolymis autem regnauit Roboam, sola tribu Iuda suum obsequium debitum exhibente. Hinc dicti fuere Reges Iuda, diuersi planè à Regibus Israël, qui auxere idolorum cultum, ne si populus diflueret in templum Salomonis, denuo daret manus Regi Iuda, in cuius ditione

Quomodo diluatur præcipua instantia hæreticorum de Ecclesia inuisibili.

3. Reg. 19.

Tempore Eliæ pauci erant cultores Dei in Israël, sed multi erant in Regno Iudæ, id est Ierosolymis.

ditione præcipuè vigebat Dei cultus. Cùm ergo Elias ait relictum se solum, erat in regno Israël, vbi præualente iniquitate Reginæ Iezabel, latebant iusti: sed hi fideles absconditi non erant vniuersalis Ecclesia, sed minima tantùm portio Ecclesiæ. Nam Ierosolymis Synagoga florebat tunc temporis: quippe scimus in recensione Codicis sacri, tempore Eliæ regnasse viros probos Ierosolymis; Asam scilicet, & Iosaphat. Non igitur fuit Ecclesia Dei inuisibilis, etsi septem millia fuerint abscondita in regno Israël, vt & hodie Ecclesia non est inuisibilis, etsi plerique Christiani lateant apud Anglos, Batauos, & Geneuenses. Quid igitur manet Ecclesiam illam nouam Caluini? Profectò in hanc sortem damnata est, vt protinus euanescat.

3. Reg.

Quare hæretici ferre nequeant sanctitatem Ecclesiæ.

Tertia nota superest ex textu nostro enucleanda, in quam etiam fremunt hæretici. Ait Christus, multos venturos ab Oriente, & Occidente, vt recumbant cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. Proculdubio tota series hæc verborum significat Ecclesiam fore adeò sanctam, vt aliquando sit dignanda cælo. Nota, hæreticos esse vt muscas, quæ stercore suo perdunt suauitatem vnguenti. Vt namque nefarij homines omni sanctitate exciderunt; ita & suam nequitiam volunt affingere Ecclesiæ, quam aiunt à scopo veritatis sæpius aberrasse. Hoc probare tentant de vtraque Ecclesia, Iudæorum scilicet & Christianorum, quæ vna fuit comparanda ad seipsam, vt idem homo secum componitur, iuuenis & maturæ ætatis. De prisca illa Iudæorum Ecclesia hæc fatur Isaias: *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi.* Si ergo adeò opacâ ignorantiâ Synagoga cæcutiit, vt Spiritus Sanctus eam nuncuparit cæcam; incongruum planè est, eam Ecclesiam vocare sanctam, quam acriter carpit Deus. Illam sic diluo instantiam. Deus hoc loco arguit ignauiam prædicatorum illius temporis, qui non audebant inuehi in Magnates Hebræorum. Sed aliud est, deesse suo prædicandi officio; & aliud, aberrare à fide. Vt hodie plerique prædicatores in subselliis sermone comptiore luxuriant parcentes vitiis, qui licet inani verberent aures eloquio, & iure queant vocari speculatores cæci; nemo tamen eos congruè dixerit infideles, vt probare volunt hæretici, impugnantes Ecclesiæ sanctitatem, quam totam refundunt in fidem, qua si semel exciderit Ecclesia, profectò intentum habent hæretici. Bellarminus alio modo soluit argumentum hæreticorum, sed quia non vsquequaque placet, aliter fregi impetum, quem conducto Isaia aduersarij facere conabantur.

Ecclesiæ sanctitas impugnata argumentis ab hæreticis.

Isai. 56.

Solutio argumentorũ.

Bellarmin. tom. 1. controu. lib. 3. de Eccl. mil. c. 16.

Denuo næuos affingere volunt Ecclesiæ, conscriptis etiam grauissimis auctoribus, quibus ipsa etiam annuit Ecclesia. Dicunt, Apostolos omnes fide excidisse in Passione Christi, qui satis superque hoc innuit, ita rediuiuus eos affatus velut infideles, sicut ait Marcus: *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.* Vnde Alexander Alensis, & Ioannes à Turrecremata dicunt fidem veram remansisse in sola Beata Virgine Maria, toto triduo Passionis; & hoc maximè notari illâ solâ candelâ, quæ accensa manet in nocturno officio tridui illius ante Pascha. Bellarminus reueritus auctoritatem auctorum quos meminit, variè se torquet, vt soluat has pedicas: sed reuera vir magnus trepidat timore vbi non est timor, & miror eum carpere Ioannem à Turrecremata, quòd nimium tenax fuerit in asserendo, Beatam Virginem solam habuisse fidem in triduo Passionis. Itaque audi me, liquidò nebulas huius instantiæ dispergentem. Tota hæc disputatio Alexandri Alensis, & Ioannis à Turrecremata est de fide Resurrectionis Christi, vt videre est ipso textu qui laudatur in eo themate: siquidem ibi nullam incredulitatem carpit Christus, nisi eam quæ pertinebat ad Resurrectionis fidem. Sed ille articulus nondum homines obstringebat, vt ei assensum præberent. Nam fidei disciplina, Christi actiones omnes explicitè enucleans, non adstrinxit homines ante Pentecosten. Vnde cùm extra Ierusalem multi fuerint fideles, vt Christus ipse aliquos notauit, sicut in nostro Centurione liquet, & in leprosis, & cæcis, & muliere Chananæa; licet non crediderint illi Christum surrexisse, aut fore vt resurgeret; non ideo amisere fidem illam, quam Christus ipse in eis tanti fecit; atque ita non est passa fides vllum deliquium, etsi Ecclesia tunc temporis nescierit illum articulum, qui vt prædicatus est post Pentecosten, vltro ab Ecclesia annuente creditus est; vt nec hodie Ecclesia errat in fide, licet explicitè non credat aliqua, quæ fortasse Deus posteræ ætati reuelabit. Itaque per me non stat, quin luceat illa candela sola sonans Beatam Virginem Mariam vnam fuisse, cui ille articulus innotuit semper, cuius fides adeo viuax fuit, vt morienti Christo non ingemuerit quasi minimè redituro. Viuidæ huius fidei argumentum fuit constantissimus ille habitus, quem prætulit stando iuxta Crucem, vbi lacrymæ profluentes litarunt quidem materno affectui, vt indices naturæ humanæ; sed corporis status ille erectus, nihil planè incongruum committens, perfectæ fidei Resurrectionis instantis edidit argumentum.

Marc. vltimo.

Alex. Alensis 3. p. qu. 16. art. 2.

Ioan. à Turrecremata l. 1. de Eccl. c. 30. & lib. 3. c. 61.

Quomodo sit verum fidem fuisse in sola B. V. Maria toto triduo Passionis.

B. V. Maria sola credidit in Passione Christum resurrecturum.

Valeant nunc aduersarij, vtpote nescientes discernere inter materialia obiecta fidei nostræ, & fidei Ecclesiæ huius temporis. Etsi enim nusquam variarint obiecta fidei Ecclesiæ, ita vt aliquando Ecclesia dixerit non esse credendum de fide, quod semel decretum fuerat credendum de fide; tamen illucente maiori notitia, Ecclesia assensum suum præbuit vltro rebus sibi propositis Deo reuelante. Verbi gratiâ, etiamsi sit de fide credere circumcisionem nihil valere in Christo; non ideo damnat Ecclesia fidem Hebræorum antiquorum ante Christum, quia tunc erat de fide circumcisionem initiare pueros obsequio Dei. Illo impetu fracto resurgunt æmuli nostri, resonantes Hieronymum loquentem de Concilio Ariminensi dicere Patres illic adunatos consensisse in hæresim Arij. Sic ille: *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est.* Non placet illa solutio, quam affert Bellarminus, nec alia, cuius meminit Sanctus Athanasius. Bellarminus ait, Patres ibi congregatos fuisse deceptos ab Arianis, qui formulam fidei callidam obtulerunt, vbi lethale virus erat abditum, quod non aduertêre Patres orthodoxi, subscribentes sic libello prolato ab Arianis, qui Filium dicebant similem Patri, & non creaturam similem aliis creaturis; consentientes deleri ex professione Nicæna vocem, ὁμόιος, quæ Filium consubstantialem Patri dicit, quia non reperitur in Scripturis, & propter illam vocem multæ excitabantur tragœdiæ,

Locus valdè difficilis Hieronymi contra fidem Ecclesiæ explicatur.

Hieron. lib. contra Luciferianos.

Bellarmin. vbi supra.

Refellitur solutio Bellarmini.

quas vt compescerent Patres, annuerunt vt expungeretur hæc vox, ὁμόουσιος; ea intentione tamen vt crederetur res expressa voce, quam tacebant. Ita Bellarminus ait, Patres errasse materialiter, sed non formaliter, quia decreuerunt aliquid contra fidem.

Solutio argumenti difficilis, ex sententia auctoris.

Illa solutio suspicionem facit, Ecclesiam posse errare, saltem materialiter, ac proinde nutantes animos facit, relinquens eis semper locum ambigendi, sit Ecclesia verax necne. Alia solutio, cuius meminit Athanasius, damnatur ab eodem Athanasio. Nimirum quidam dicebant, formulam fidei editam in Concilio Ariminensi, etiamsi faueret Arianis, non vergere in dedecus Ecclesiæ, quia Concilium illud Ariminense fuit illegitimum. Sed hoc falsum esse ait Athanasius, ostendens illud fuisse legitimum. Quomodo ergo non errauerit Ecclesia, errante etiam Concilio legitimè congregato, mearum est partium aperire, quandoquidem nulla mihi plenè satisfacit solutio. Vt autem liquidior sit mea solutio, recole Ecclesiam non esse simpliciter cœtum fidelium conspirantium in vnitatem fidei; sed præterea dicere respectum ad summum Pontificem vicarium Christi, aut eo mortuo ad clerum Romanum, quem etiam Cyprianus ipse loco Pontificis consuluit, vt patet ex eius epistolis. Cùm ergo Ecclesia sit corpus mysticum, & visibili capite præpolleat, si Concilium aliquid decernat explicitè contra fidem Pontificis, reuera Concilium errat, nec tamen errat Ecclesia, quia error ille à capite non influxit in cætera membra. Ita errauit Concilium secundum Ephesinum, quod condere voluit decreta inuitis Leonis Papæ Legatis, vt ipse conqueritur Leo. Celebrata quidem est hęc Synodus generalis annuente Pontifice, qui Ephesum suos Legatos miserat, Theodosio iuniore imperante anno CCCCXLIX. Illic factione Dioscori, occisus est S. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, ac demum hæresis Eutychiana confirmata. Si eo solo quòd reclamarint Leonis deputati, ipse damnauit hoc Concilium generale; quid putas de illo articulo Concilij Ariminensis, cui Papa Liberius fortiter obstitit, vt meminit alter Papa, scilicet Damasus.

Qualem cœtum significet vox, Ecclesia.

Dioscori factione occisus Flauianus Patriarcha Constantinopolit.

Quomodo possit Concilium generale errare.

Itaque potest errare Concilium generale, si decernat aliquid inuito Pontifice, & non tamen errabit Ecclesia, quia illa non est corpus acephalum, id est, capite denudatum. Audi ex Leone Papa, errasse Concilium Ephesinum. Sic ille querulus apud Theodosium Imperatorem gemit: *Literis clementiæ vestræ, quas dudum ad Beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis, & pacis, vt in causa tam simplici, tamque munita nihil putaremus posse existere quod noceret, præsertim cùm ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, vt si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flauianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam diuinitùs inspiratam, & accepimus, & tenemus, omnium congressionum strepitus quieuisset, vt nec imperitia vltra deciperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum priuatæ causæ, religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod Ecclesiam vniuersam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum, quæ gesta sunt, narratore Hilario Diacono nostro, qui vix, ne scribere per vim cogeretur, effugit, conuenisse ad Synodum plurimos sacerdotes, quorum vtique frequentia collationi & iudicio profuisset, si is qui sibi locum principem vendicabat, sacerdotalem moderationem custodire voluisset, vt sicut moris est, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus subueniret. In ipso autem iudicio, non omnes qui conuenerant interfuisse cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui supradicti Sacerdotis arbitrio, impiis subscriptionibus captiuas manus dederent, & nociturum suo statui scirent, nisi imperata fecissent, talemque ab ipso prolatam esse sententiam, vt dum homo vnus impetitur, in omnem Ecclesiam sæuire videretur. Quod nostri ab Apostolica Sede directi, adeò impium, & Catholicæ fidei contrarium esse viderint, vt ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli: constanterque in eadem Synodo, vt decuit, fuerint protestati, nequaquam id quod constituebatur Sedem Apostolicam recepturam.* Hæc liquidò probant, errasse Concilium secundum Ephesinum, idcirco meritò reprobatum.

Leo Papa epist. 25.

Errauit Concilium secundũ Ephesinum, quia inuito Pontifice fauit Eutychianis.

Declamatio Leonis Papæ in illud Concilium Ephesinum.

Concilio Ariminense errante non errauit Ecclesia, & quare.

Si ergo Concilium Ariminense legitimè congregatum aliquid decreuit contra fidem, aut intentum Summi Pontificis; eo errante non errauit Ecclesia, quia formulæ fidei Arianæ subscripsit capite inconsulto. Quomodo autem Papa non probarit illud facinus Concilij subscribentis, audi ex Damaso Papa hæc rescribente: *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cùm formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gesserat, neque aliis eisdem consentientibus: cùmque etiam, quod est omnium maximum, illi ipsi, vti antea diximus, qui in fraudem illecti à veritate deflexisse visi sunt, & post ad meliorem mentem denuò traducti, planè testentur, hanc formulam sibi magnopere displicere.* Sic itaque explica Hieronymum, cùm ait ingemuisse totum orbem & se miratum esse Arianum, vt nomine totius orbis intelligat Patres congregatos Arimini, qui vt deprehenderunt dolum abditum noua hac formula, ingemuere se deceptos, non quòd vnquam fuissent Ariani, sed quod ansam dedissent Arianis prædicandi, Concilium Ariminense negasse Filium esse ὁμοούσιον, id est, consubstantialem Patri, licet non negassent Patres, sed annuissent tantùm, vt vox illa tolleretur è symbolo Nicæno, ob rixas, quas pepererat hactenus. Tantùm autem abest vt in Arianam hæresim lapsi sint illi Patres, quinimò anathema sæpe sæpius illic dictum est in Arianam sectam, vt probat Athanasius, eo etiam nomine commendans illud Concilium, quòd se strenuè gesserit in Arianos, quorum partes agebant illic Valens, Vrsacius, & Auxentius, præcipua capita rebellionis. Perperam itaque iactant hæretici, Ecclesiam tunc errasse, cum Papa non confirmarit hoc decretum, de tollenda voce, ὁμοούσιος. Ideoque nequit dici Ecclesia Concilium sine Papa; si tamen viuat Papa, vt tunc erat superstes Liberius. Nota obiter, Bellarminum cudisse tela hæreticis, quæ ipse non retundit semper: ideoque arbitror me Reipublicæ Christianæ magnum præstiturum obsequium, si adiiciendo sensum orthodoxum

Apud Theodoret. lib. 2. cap. 13.

Quomodo sit intelligendus locus ille Hieronymi, quem hæretici intorquent in nos.

Athanas. l. de synodis.

Euangeliorum,

Euangeliorum, præcipua argumenta hæreticorum diluero, alio planè modo quàm fecerit Bellarminus, & præsertim vbi responsio eius non emungit aculeum instantiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

Pars Secvnda Controversiæ.

Solam veram Ecclesiam esse Catholicam visibilem & sanctitate conspicuam.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

ARGVMENTVM I.
Ex Scriptvra.

Hæretici præstigias Gygis volunt imitari.

Singulare est prodigium quod recenset Cicero, vadem aduocans Platonem rei gestæ, quæ superat omnem hominum fidem. At ille Gygem pastorem Lydium rerum illic summam nactum ope præstigiarum, quibus adhibitis, sese ad arbitrium suum faciebat inuisibilem. Eo ferè pacto nostrates hæretici, vt Ecclesiam suam facerent Catholicam, & inter alias Ecclesias tenentem primas, nouo commento dixerunt eam fuisse inuisibilem; & licet aspectum hominum effugerit, fuisse agnitam Deo, qui illam dignatus est sanctitate adeò tenaci, vt quisquis illi Ecclesiæ nomen suum dederit, nequeat excidere salute sua, vtpote certissimè in æterna gloria recensendus. Quia præstigiæ Gygis habent quidpiam affine commento hæreticorum, audiendus est Cicero, vt ex eo seriem rei gestæ componamus cum fabula Ecclesiæ inuisibilis Caluini. Sic Cicero fatur: *Gyges inducitur à Platone qui cum terra discessisset magnis imbribus, in illum hiatum descēdit, aeneumque equum vt ferunt fabulæ animaduertit, cuius in lateribus fores essent, quibus apertis, hominis mortui corpus vidit magnitudine inusitata, annulumque aureum in digito, quem vt detraxit induit ipse (erat autem Gyges regius pastor) tum in consilium pastorum se recepit. Ibi cum palam eius annuli ad palmam converteret, à nullo videbatur: ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur cùm in lucem annulum inuerterat. Itaque hac opportunitate annuli vsus, reginæ stuprum intulit, eaque adiutrice Regem dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur, nec in his facinoribus eum quisquam videre potuit. Sic repente annuli beneficio Rex exortus est Lydiæ.* Hactenus Cicero.

Cicero l. 3. officior.

Fabula de modo quo in Regem inauguratus est Gyges.

Omnimoda comparatio Gygis & hæreticorum.

Nouatores Lutheri & Caluini asseclæ, suam sectam voluerunt euehere supra Ecclesiam iisdem ferè præstigiis. Nempe superiore sæculo sæuiente Marte, & orbe toto digladiante, terram copiosi imbres sanguinis alluerunt. Vtque silent leges inter arma, vitiorum sese abyssus aperuit, in quam descenderunt Lutherus & Caluinus, qui inter pastores principem locum tenebant: nimirum sectarij iniquitatis, mystas suos, qui alios initiant errore suo, solent pastorum nomine nuncupare. Pastores igitur illi descenderunt in vitiorum omnium colluuiem, & binarum, genio indulgentes, experti impunè quidquid obscœnum & turpe potest corpus vitio manciparum. Gyges dicitur incidisse in equum æneum; profectò iniquiùs actum est cum Luthero, & Caluino: nam ipsi immemores se nactos hominum indolem, adeò fœdam egere vitam, vt equorum luxuriem eos meritò dixeris induisse. Illi insipientes equi somniarunt industriam, cuius ope suæ sectæ primas darent, & sic fierent compotes imperij. Commento inaudito dixere Ecclesiam veram esse inuisibilem, & peruiam solius Dei obtutibus, qui eam videt orbe toto pietate & sancto dogmate propagatam. Hanc suam esse Ecclesiam, & non illam Romanam, quam Pontificij iactant, & ventilant. Ita arbitrati sunt se posse inferre stuprum Reginæ, id est, crediderunt se fore iniurios Ecclesiæ Romanæ Reginæ omnium Ecclesiarum, quando mentiti sunt se inuisibiles fuisse ipso etiam æuo Christi. Quamuis Regina Ecclesiarum casta perstiterit; multi tamen nefarij homines adhæsere sectariis, quos sibi in pastores impiè præfecerunt. His artibus aliquod nomen fecere sibi Lutherus & Caluinus apud desertores fidei orthodoxæ; & vt regnandi, seu potius delirandi facultas amplior esset, & copia liberior, æmulati sunt facinus atrox Gygis, qui sustulit proceres regni, quos subodoratus est obstare sibi. Sic Nouatores vt suam Ecclesiam inuisibilem adstruerent, proscripsere Patres Ecclesiæ, faciendo irritas omnes eorum sententias; & ne quidpiam sacrum effugeret parricidas eorum manus, ex Canone Scripturæ sacræ expunxerunt libros, quibus damnatur eorum secta, vsi nunc duntaxat Codice decurtato. Sed vt oraculo Delphico Herodotus ait prædictum, non perenne fore regnum à Gyge vsurpatum; ita & iam cernimus deficere has sectas, quæ specie ementita veræ Ecclesiæ, primas ambiebant.

Quomodo Lutherus & Caluinus dementarint orbem.

Quàm turpè egerint vitā Lutherus & Caluinus.

Herodot. l. 1.

Tantùm abest vt Ecclesia Romana defecerit; quinimò ab incunabulis diffusa permeauit orbem totum, Apostolis dispersis in omnes mundi plagas, iuxta vaticinium Psaltis: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæc amplissima Ecclesiæ pomœria prædixerat Christus, quando dixit multos venturos ab Oriente, & Occidente, vt discumbant in regno cœlorum. Nec vlla adeò dira sæuiit persecutio, quæ discurrentis Ecclesiæ propagines potuerit funditùs extirpare. Imò proprio sanguine irrigata Ecclesia cœpit incrementum, vt Præsul Leo notat ita fatus: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dùm grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Hanc rursus propagationem Ecclesiæ Dauid luculenter enuntiat, inducens Deum Patrem ita cum Filio colloquentem: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et rursus decurrens eadem spatia Ecclesiæ hæc subiicit: *Dominabitur à mari vsque ad mare.* Non inficiantur hæretici, hos textus pertinere ad Christum, qui non dominabitur à mari vsque ad mare, si eius Ecclesia recondita est in aliquo angulo terræ, vt erat Geneuæ tantùm, cùm Caluinus eò diuertit, optimè præsagiens suam hanc blasphemam sectam in proximo conculcandam. Sic ille: *De posteritate ego sum sic anxius, vt tamen vix cogitare audeam: nisi enim mirabiliter Deus è cælo succurrerit, videre*

Psal. 18.
Ecclesia persecutionibus aucta.

Leo ser. 1. de SS. Petro & Paulo.
Psal. 2.
Psal. 71.
Quàm longè latèque diffusa sit Ecclesia Christi.

Hæreses nullæ potuere dia subsistere, vt & de sua Caluinus ominatus.

 mihi

mihi videor extremam barbariem impendere orbi; atque vtinam non paulò post sentiant filij nostri fuisse hoc verum potius vaticinium quàm coniecturam.

Caluinus in præfatione Catechismi Geneuensis. August. in Psal. 57. Hæreses præterfluunt vt torrentes. *Centuriatores in præfatione secūda Centuria.* Malè ominati sunt hæretici suis sectis. *Idem in præfatione Centuria quinta.*

In hoc omnes impiæ sectæ damnantur exitium, vt torrentis instar præterenntis alueum suum, multa inferant damna: sed etiam similis sors manet, quæ torrentes: nam protinus exsiccantur. Fauet Augustinus ita fatus: *Non vos terreant, fratres, quidam fluuij, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multa hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in riuis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* Vt diabolus inuitus multa in sui ipsius perniciem enuntiat; ita & plerumque hæretici suam ruinam ominati sunt, ita Deo Domino decernente. Hoc luculenter præstiterunt hæretici Centuriatores, de suo Lutherismo malè sentiētes in ipso illius exordio. Sic illi: *Maxima in doctrina variationes, & inclinationes impendere videntur, & sic merentur hominum peccata, quæ fiunt in dies atrociora: ac tempora quidem Germanici Prophetæ Martini Lutheri, cuius voce, & ministerio lux Euangelij quasi e tenebris reuocata est Ægyptiacis, propemodum Apostolorum ætati respondent: nunc verò ipso sublato, quasi alteram Euangelij ætatem ingressi sumus, vbi plures phanatismi incipiunt pullulare, & paulatim regnare.* Idem deposito vaticinio, se iam assertores dixere ruinæ suæ, ingenuè confitentes, impia Lutheri dogmata defecisse. Audi querulos. *Periit iam, idque repentè, veritas patefacta. Philosophia, Papismus, & alia secta, longè latéque in templo Dei primam cathedram occupant.*

Textus probātes Ecclesiam esse visibilem.

Ecclesia illa vniuersalis licet tota simul non videatur, quia nulla oculorum acies adeò longe diffunditur; tamen visibilis est in suis partibus, quæ etiam sortiuntur nomen Ecclesiæ, si plures adunati fideles in eumdum sacrum Dei cultum conueniunt. Et ille loquendi modus est insolitus Scripturæ sacræ, in vtroque testamento. De priori Ecclesia Iudæorum, ita populus Moysem & Aaron increpans affatus est: *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem.* *Numer. 20.* Profectò erat visibilis illa Ecclesia, cui locus erat inuia solitudo. Præterea Salomon dicitur benedixisse toti Ecclesiæ, iuxta illum textum. *3. Reg. 8.* *Conuertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israel stabat.* Stolidum sanè est & dignum hæreticis delirium, arbitrari Salomonem benedixisse ideæ inaspectæ. Fortè dicit hæreticus, illam Hebræorum Ecclesiam fuisse visibilem; quia materialis erat; sed Ecclesiam, Christi exuisse veterem hominem cum actibus suis, atque adeò esse defæcatam, & veluti transiisse in naturam spiritus, qui est inuisibilis. Illud commentum luculenter refellitur ipso etiam textu sacro, dum commemorat Ecclesiam. *Matth. 18.* Christi Domini hoc præceptum est. *Dic Ecclesiæ.* At quod dicitur alicui, eo fine vt his querulis vocibus ille medeatur, supponit Iudicem visibilem. Rursus de Apostolis hæc scribuntur. *Act. 18.* *Cum venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia.* Item Ecclesiam visibilem probat ille alius locus. *Act. 9.* *Ascendit Paulus, & salutauit Ecclesiam.* An congruè dixerint hæretici, Paulum salutasse phantasma Platonicum. Et cùm ille ingemens retroactæ vitæ suæ dicit se persecutum fuisse Ecclesiam Dei, nonne intelligit Christianos, in quos anhelus, multo effuso sanguine sæuiebat? Adiice, de Ecclesia explicari ritè versus istos. *In Sole posuit tabernaculum suum.* *Psalm. 18.* Cui simile est illud Christi effatum. *Matth. 5.* *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Qualis autem fuerit Ecclesiæ sanctitas, & qualis hodie perseueret, dicam sequenti controuersia, vbi ostendam iniquas esse omnes sectas hæreticorum, & solam Romanam Ecclesiam esse sanctam, extra quam esse, & perire, perinde est, Sanctorum Patrum nemine reclamante.

SENSVS ORTHODOXVS.

De ratione veræ Ecclesiæ est, vt sit Catholica seu vniuersalis, & peruia sensibus.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente.

ARGVMENTVM II.
Ex Ratione.

Reduces de captiuitate sua Hebræi, præcipuam adhibuere curā his quæ ad sincerum Dei cultum pertinebant. Auspicati fuere zelum suum à sacerdotum examine, inquirentes an essent legitimè initiati, & Leuitico sanguine sati. *1. Esdr. 2.* Hac præuia inuestigatione exautorarunt omnes, quorum sacerdotium nullo legitimo titulo nitebatur. Ecce seriem rei gestæ. *De filiis sacerdotum: Filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, &c. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio.* Pulchrā figurā liquet quare sint eliminandi hæretici. Eo argumento lacesso hæreticos. Si Ecclesia vestra vera est Ecclesia, ea profectò est quæ fuit tempore Christi. Ostendite igitur quomodo singulis sæculis damnata sit realitas Eucharistiæ, reprobatæ imagines, & auctoritas explosa Summi Pontificis. Si hoc non potestis; reuera foras estis protrudendi, vtpote non habentes scripturam genealogiæ vestræ. Illa nempe non est Ecclesia, quæ de nouo emersit; sed illa duntaxat, cui præterita omnia sæcula suffragantur. Ergo cùm talis sit Ecclesia Romana, vt omnium sæculorum suffragium habeat; illa vna erit Catholica, & omnes alias anteibit.

Quæ sint necessariæ conditiones ad hoc vt Ecclesia sit Catholica.

Nota, Ecclesiam, vt perfectè sibi vendicet rationem vniuersalis Ecclesiæ, debere esse Catholicam, ratione temporum, locorum, & personarum. Ratione temporum illa Ecclesia est vniuersalis, quæ fuit ab initio mundi, nec est vllum passa deliquium, nec desinet vnquam. Talis est Ecclesia Romana, non quòd fuerit semper Ecclesia vniuersalis Romana; sed quia Ecclesia Romana habet eamdem fidem, quam semper habuit, & habebit vera Ecclesia. Quare autem debeat esse perpetua, seu vniuersalis ratione temporum, accipe. Deus, qui omnia disponit suauiter, & omnes sollicitat ad sortiendum finem illum gloriæ, cui fecit homines idoneos, liberali manu impertit media, sine quibus esse nequeunt idonei ad gloriam. At præcipuum medium est fides, sine qua nemo Deum potest facere sibi propitium. Hac fide Deus Adamum dignatus est, & ille suam prosapiam docuit, quæ licet prona

Ecclesia nunquam fide excidit ab orbe cōdito.

in

in vitia genio indulserit, non penitus fide excidit: siquidem Noë iram Dei instantem annunciauit mundo, qui etsi perierit præfocatus aquis; multi tamen in illa internecione reduces demeruere Deum antequam luerent pœnas. De familia Noë, nullus est ambigendi locus: ea quippe fidelis fuit, suamque fidem integram transmisit ad posteros, quorum plerique deflectentes ad idola defecere quidem, sed fides non defecit in omnibus, Deo semper seruante sibi electos, quorum fides mediis in tenebris Gentilium rutila coruscaret, vt videre est in Iob, & Melchisedech, qui ambo degentes inter idola, fide tamen integra fuere conspicui, & hoc ante legem, quam vt Hebræi excepere mediante Moyse, lux effusa liquidior, adiecit magnum fidei incrementum. Nam ex commercio Hebræorum Gentes pleræque ebibebant altam Dei notitiam, vt videre est ex Zamolxi, Pythagora Platone, qui peragrantes orbem diu errabundi, multa ab Hebræis arcana abdita didicerunt. Et esto nomen suum non dederint Synagogæ facti proselyti; hoc non obstitit, quin Gentes edoctæ ex Hebræorum colloquio fidem conceperint, tantam quantam Deus exigebat. Sic orbis gyrauit vsque ad Christum, qui abundantiùs orbi consulturus, suis indixit Apostolis, vt dispergerentur in omnes orbis oras ad disseminandam fidem, quam necesse est perpetuam & integram ad hæc tempora viguisse. Alioquin in promissa Christi irreperet mendum, siquando defecisset fides, qua extincta Christus Dominus ab hominum mentibus abfuisset, contra tenorem pacti huius. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* At Deus non est cum infidelibus eo modo quo hîc pollicetur seipsum fore, videlicet fide indefessa.

Quomodo fides nullo vnquam tẽpore defecerit.

Vnde Gẽtes olim acceperint notitiam Dei.

Matth. vlt.

Nota, hinc apparere, quàm delirent hæretici, garrientes se suscitasse fidem emortuam, & orbi opaco, nouo lumine succurrisse. Hinc maximè liquet eorum vesania, damnans Ecclesiam illam emergentem: siquidem vera Ecclesia noua non est, sed antiqua, & nullis vnquam sæculis antiquata. Eius inconcussi status argumentum petitur à præfata ratione, qua ostendi, Deum non deficere in necessariis, & necessariam esse fidem, saltem in aliquibus, vt eius obsequio Deus aliis innotescat; vt de facto nunquam defuere viri fideles alios edocentes. Adiice textus explicitos Scripturæ affirmãtes, nullam fore fidei ecclipsim. In eo themate, ecce locum insignem, quo stabilem fore fidem ait Christus ita affatus Petrum: *Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Fides Petri defectum nesciit, ipso Domino assertore: & licet negarit Christum; non excidit fide, sed amisit tantùm confessionem fidei, quam præoccupatus infirmitate, non statim exhibuit. Aliud autem est excidere fide, & non palàm profiteri fidem. Rursus fides perpetua ostenditur, hoc Christi effato: *Mittam vobis Paracletum, vt maneat vobiscum in æternum.* At Spiritus sanctus non inhabitat animas infideles. Ergo cùm nusquam Spiritus sanctus Ecclesiam dimiserit; profectò illa non defecit. De Ecclesia omnes intelligunt versum illum Psalmi: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitat in finem.* Eiusdem generis est & ille versus: *Deus fundauit eam in æternum.* Vnde Augustinus arguit Ecclesiæ firmitatem, sic commentans in illum locum: *Quid times, ne cadat firmamentum.*

Quare nequeat Ecclesia deficere.

Luc. 22.

Petrus non excidit fide licet negarit Christum.

Ioan. 14.

Psal. 67.

Psalm. 47.

August. in Psalm. 47.

Ratione personarum illa fides est Catholica, quæ viguit in omnibus Sanctis, qui vixere à Christi tempore vsque ad nos. Quare autem debeat esse eadem in omnibus fidelibus, audi. Obiectum formale fidei est veritas prima reuelata Ecclesiæ: sed veritas non est contraria sibi, sed est vbique concors & similis sibi: ergo fideles omnes fuere concolores, vtpote semper in eadem dogmata collimantes. Vbi nota, esse necesse, vt Ecclesia semper visibilis fuerit, vt emergente aliqua difficultate conuenirent Proceres Ecclesiæ, scilicet Præsules, qui grassante aliqua hæresi, concilia sæpius indixerunt. Disciplinam autem Christianam, quam hodie profitetur Ecclesia Romana, eamdem esse, quam propugnauere Patres omnes singulis quibusque sæculis, liquet ex eorum libris, quos transcribere non est animus, cùm ad manum omnium prostent. Sed hoc volo compẽdiosè probare valido argumento, petito ab ipso Caluini testimonio, sic suam auspicante dementiam: *Ab vno Augustino sumant lectores siquid de sensu antiquitatis habere volunt. Porrò inter illum, & nos, hoc discrimini videri potest, quòd ipse morbum concupiscentia, tunc demum peccatum fieri docet, cùm appetitioni cedit voluntas: nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quòd aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur, imò ipsam prauitatem, quæ huiusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum.*

Ratione personarũ fides Ecclesiæ est catholica.

Fides Ecclesiæ Romanæ eadem quæ omnium SS. Patrum ipso etiam testimonio Caluini lib. 3. instit. cap. 3. §. 10.

Quæso admirare mecum hominis insaniam, similem delirio Cambysis Persarum Regis, qui sæpe adhibebat Crœsum, vt eo consultore suos componeret mores, ea tamen lege vt Crœsus se aptaret indoli ipsius Principis petulci & effrænis, qui captata occasione consilij quod dederat Crœsus, improbans perditos mores nefarij Principis, tulit in eum capitis sententiam, vt meminit Herodotus. Ita Caluinus prouocat omnes vt subeant censuram Augustini in his quæ pertinent ad fidẽ, & statim illemet Augustinum damnat, quia idem sentit cum Romana Ecclesia, quam fatetur habere suæ fidei Patres veteres assertores. Sic ille reprobat Patres Sanctos, Ecclesiæ columina, quia non subscribunt sectis ab Ecclesia Romana penitus alienis. Accipe seriem locorum, quos meminit ille sycophanta, ita fatus: *Fabula de loco subterraneo, qui dicitur Lymbus, tametsi magnos auctores habet; tamen nihil aliud quam fabula est.* Vide typhum hominis assurgentis supra auctores, quos etiam magnos nuncupat. Sed quo titulo inflectur ille buffo, non liquet; nisi dicas eum cacodæmone afflatum disrumpi. Rursus dum declamat in pœnitentiam, cuius praxis est vsitata in Ecclesia, sic pungit veterem Ecclesiam: *Omnes ferè veteres, quorum libri exstant, aut in hac parte lapsi sunt, vbi de satisfactione agitur, aut nimis asperè, & durè loquuti sunt.* Ita strepit anser inter olores, seipsum pluris faciens quàm Doctores omnes Ecclesiæ primitiuæ. Ille idem iratus quòd ipsa etiam Ecclesia rata habuerit nostra dogmata, hæc euomit contra articulum, qui leuat angustias fidelium defunctorum, quos flamma purgatorij cœlo decoquit immaturos. *Ante mille & trecentos annos vsu receptum fuit, vt precationes*

Herodot. l. 1.

Cambyses Rex quo animo adhiberet Crœsum consultorẽ.

Caluini blasphemiæ in Patres Ecclesiæ.

Caluin. l. 2. institut. 16. §. 9.

lib. 3. instit. c. 4. § 38.

lib. 4. cap. 4. § 10.

tiones fierent pro defunctis. Sed veteres omnes *lib.4.c.12. §.8.* *fateor in errorem abrepti sunt.* Hac itera censura ferit venerandam antiquitatem. *Peccauit antiquitas immodica seueritate, quòd plus requireret in Episcopo quàm Paulus requirat, ac præsertim successu temporis calibatum.* *lib.3. cap.5. §.10.* Iterum ille osor pœnitentiæ, sic declamat in praxim veteris Ecclesiæ. *Excusari nullo modo potest immodica veterum austeritas, quæ & prorsus à Domini præscripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa, cum peccatori pœnitentiam solennem, nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicerent.*

Caluinus exosus pœnitentiam. 2.Reg.16. Cùm audio illa conuicia Caluini in Ecclesiam, memini consilij quod iniit Dauid audiens probra Semei hominis iniqui, crebras iniurias eructantis. Noluit hominem hunc iniurium, effuso eius sanguine coërceri. Aiebat enim illa maledicta esse semina gratiarum. Sic ille: *Dimitte eum, vt maledicat, &c. si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Ita & non *Caluinus dū declamat in Patres Ecclesiæ probat fidei nostræ vetustatem. Caluinus l.4.instit. c.12.§.20.* cunctabor alia recensere opprobria, quibus Caluinus afficit priscos Ecclesiæ Patres, eò quòd conueniant cum Ecclesia Romana. Hinc namque vel inuitus probat, Ecclesiam nostram esse Catholicam, cùm in vnitatem eiusdem fidei nobiscum omnia sæcula conspirarint. Itaque fit vt dum maledicus homo nocere putat, hallucinetur, & suis iniurijs Ecclesiæ maximum obsequium præstet. Ecce quomodo carpit instituta maiorum: *Non in totum excusare audeo veteres, quin & superstitionis quadam semina iecerint, & occasionem prabuerint tyrannidi, quæ postea exorta est, & tunc passim inualuerat, superstitiosa Quadragesima obseruatio, quia & vulgus eximium aliquod obsequium præstare se* *Ibidem §.23.* *Deo in ea existimabat, & pastores eam commendabant pro Christi imitatione.* Homo obscœnus puritatem etiam exosus in sacerdotibus, eam quidem inualuisse prioribus Ecclesiæ sæculis confitetur; sed improbat illum ritum, hoc effato: *Quòd sacerdotibus interdictum fuit coniugium, id factum est impia tyrannide, &c. Hæc quia videbantur reuerentiam sacerdotio conciliare, magno plausu etiam antiquitus recepta esse fateor.* Quare ergo tenebrio tentas extinguere veritatem, quæ hactenus illuxit toti Ecclesiæ? An fortè fas est tibi lucifugæ credere magis, quàm antiquitati, tot & tantis titulis honorandæ? Iterum ille sic delirat: *Quod multis abhinc sæculis, adeoque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio vsu receptum video, vt in periculo mortis laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset, non video quàm firma ratione possit defendi.*

lib.4. c.15. §.20. Ille omnis iniuriarum contextus præter intentum calumniatoris propitius est Ecclesiæ Romanæ probans eamdem esse, quæ floruit ipso etiam tempore quo Caluinus ait sinceram fuisse fidem Ecclesiæ. Sed vt oportet mendacem memorem esse; nouator ille non meminit horum, quæ ait sæpius inconsultè, Vnum iam superest probandum; videlicet Ecclesiam debere esse Catholicam respectu personarum, & locorum. Nempe non satis est veteres eadem nobiscum sensisse; sed operæpretium est omnes mundi plagas esse participes eiusdem fidei. Nam omnes homines editi sunt ad imaginem Dei, ac proinde capaces sunt fidei concipiendæ, si eis annuntietur Christus. Ergo & hi omnes, aptitudine insita sibi ad fidem, pertinent aliquali modo ad Ecclesiam, non quòd sint de Ecclesia, sed quia possunt esse; & Christus nullam omnino mundi partem excipit ab hac gratia, imò mandauit Apostolis, vt omnes Gentes facerent participes mysteriorum fidei. En mandatum hoc diplomate recensitum: *Docete omnes Gentes.* *Matth.vlt.* Vnde cùm non defuerint officio suo Apostoli, & orbem ferè totum peragrarint, credo fuisse arcana fidei omnibus oris explicata: non quòd fortè aliquis angulus terræ assignari nequeat expers huius *Quomodo sit verum, fidem Catholicam innotuisse toti mundo.* gratiæ; sed quòd fides Christiana plures mundi partes occuparit, quàm vlla vnquam secta. Rara namque est particula mundi, vbi non fuerint aut adhuc sint Christiani. Et licet Ecclesia passa sit magnum detrimentum alicubi grassante Mahumetismo; tamen non omnino est illic extincta fides, quæ etsi nulla foret ibi in præsentiarum, sufficeret hoc saltem, fuisse fidem aliquando vegetam, vt saluetur veritas Psalmi occinentis: in *Psal.18.* omnem terram exiuisse sonum Apostolorum, & in omnes fines orbis terræ verba eorum.

August. l.de vnitate Ecclesiæ c.5. Hic igitur esto sensus rei controuersæ, vt scilicet Ecclesia dicatur Catholica seu vniuersalis, quia eò permeauit, vbi vigent aliæ sectæ; quæ *Quomodo sit verū, Ecclesiā Christi esse Catholicam.* tamen nusquam adeò longè latéque patuerunt, vt fuit & est adhuc Ecclesia propagata. Eò inclinat Augustinus ita fatus: *Cùm Christi Ecclesia Catholica canonicatum scripturarum diuinis & certissimis testimoniis, in omnibus Gentibus designata sit: quidquid attulerint, aut vndecunque recitauerint, qui dicunt: Ecce hic est Christus, ecce illic: audiamus potius si oues eius sumus, Pastoris nostri vocem dicentis: Nolite credere. Singula quippe hæreses in multis Gentibus vbi Ecclesia Catholica est, non inueniuntur. Hæc autem, quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur.* Non est in hoc etiam discrimine aspernandum vulgare illud effatum, quo bonum dicitur esse sui diffusiuum. Illud enim non naturæ carceribus tantùm concluditur, sed etiam stat in bonis gratiæ, quæ cùm magis participent indolem veri boni, quod est Deus; ita etiam maximè gaudent quando diffunduntur. Si ergo natura hominum luxurians adeò fœcunda fuit, vt illic re- *Quare orbe toto sit disseminata fides.* periantur homines, vbi quadrupedes degunt; æquum est etiam gratiam, quæ fœcunditate sua potior est ipsa natura, generare fideles vbicunque homines possunt subsistere. Deus namque non parciore manu prodigit bona spiritualia, quàm terrena, cùm ad hoc homo editus sit, vt emenso huius æui curriculo stipendia æterna gloriæ consequatur. Vnde quia perperam enititur ad brauium illud omnis homo citra fidem, proculdubio Deus non defuit in re, cuius inopia fecisset homines impotes eius boni, cuius gratiâ præcipuè conditi sunt: sicque liquet, de ratione veræ Ecclesiæ esse, vt sit Catholica, ne cogamur asserere impunè, esse aliquas Gentes editas à Deo, vt nusquam optando fidei lumine potiantur.

Valeat itaque nouatorum Ecclesia inuisibilis & in angulo terræ latens: habeat sibi vetus illud adagium: *Sordes in angulo.* Cùm enim omnia refugiant malum, par est omnes odisse disciplinam, quam nouitas suspectam facit, & cuius dogmata lacessunt fidem, quam tota sæcula comprobarunt.

SENSVS

SENSVS ORTHODOXVS.

Indubia Ecclesiæ tessera est, vt sit Catholica.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente.

ARGVMENTVM III.
Ex SS. Patribvs.

3. Reg. 12.

Ecclesia Catholica in dubiis semper adhibuit oracula SS. Patrum.

Hæretici adhibuerê nouatores ad decisionê dubiorum & hinc mali labes.

DAmnatur, & equidem iustè, Roboam Princeps Rege Salomone satus, quòd conuocato concilio seniorum hominum, non adhæserit prudenti eorum sententiæ; sed adhibitis iunioribus consiliariis, secutus sit eorum sensa penitus immatura. Ita rem commemorat Codex sanctus: *Respondit Rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, & locutus est ei secundùm consilium iuuenum.* Huius erroris mulcta fuit diuisio regni Hebræorum. Ecce geminam ideam omnium tragædiarum, quas multas & diras variæ hæreses excitarunt. Nam superiore sæculo Lutherani, Zuingliani, Caluinistæ multa indixere conciliabula, vt fidem suam appenderent ad trutinam expertorum. Primò consuluere Patres priscæ Ecclesiæ, vt viderent an sua dogmata conuenirent cum sententiis illorum procerum Ecclesiæ. Sed vbi deprehenderunt, toto cœlo dissidere Sanctos ab eorum stolidis institutis; aspernati fidem Patrum veteris Ecclesiæ, dederunt manus iunioribus mystis seu ministris, scilicet Luthero, Zuinglio, Caluino, quorum consilia iniqua regnum Dei pessimè diuiserunt. Ecclesia Catholica cautior est: nam eodem æuo, quo coibant hæretici in Germania, Comitia indixit generalia vt occurreret grassanti malo. Conuenere Tridentinum Præsules Ecclesiæ, appensuri noua dogmata ad bilances Sanctorum, quos Ecclesia Sancta duces semper adhibuit in dubiis argumentis. Captatis eorum sententiis dixit anathema iis omnibus, qui fuere nouas hæreses amplexati.

Ex SS. Patribvs.

Hæretici fingunt se adhærere SS. Patribus.

Aug. l. 4. de Symbolo c. 10.

Quam latè sit diffusa Ecclesia Christi.

Tametsi fulmina Ecclesiæ non percellant hæreticos; non defuere tamen, qui vt imponerent plebi, compegere formulam fidei, qua tenaciter aiunt se profiteri fidem, quam tutati sunt Patres, qui floruere quingentis annis proximè à Christo. Aiunt enim prioribus illis sæculis illibatam fuisse fidem. Hoc omnes Caluinistæ clamant, quos ideo conuenio, & traduco ad tribunalia Sanctorum Patrum, vt hinc audiant ferri sententiam capitis in omnes nouatores; qui negant esse de ratione Ecclesiæ, vt sit Catholica, & Ecclesiam veram defecisse multis temporibus, & tandem à Caluino denuo suscitatam. Quia Caluinus fingit se magnifacere Augustinum, eum volo sistere tribunali Præsulis huius, exosi omne quod sapit animum infidelem. Sic ille probat Ecclesiam veram esse Catholicam: *Audite hæretici quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes Gentes. Omnes Gentes, totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro accepit in dote. Quæcumque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.*

Quare Ecclesia hæreticorum sit meretrix.

Audis, ô Caluine, tonitru quod resonat. Quid Geneuæ latitas, ô noctua? Erumpe foras, & angulum desere, da manus fidei, quam prædicat Augustinus; alioquin tua illa Ecclesia meretricem aget, vtpote delitescens in fornice. Fuit namque olim proprium muliercularum scortantium latere in specu; vnde quia concameratæ specus fornicem cochleatam referunt, quicunque occultè obscœna facit, ille dicitur fornicari. Eamobrem iniquè Ecclesiam Romanam nuncupant meretricem Apocalypsis; cùm illa non lateat, sed se in conspectum det omnium hominum, quos concludit orbis vniuersus. Non est Ecclesia lucifuga, sed vt ait Cyprianus: *Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit.* Aliàs dum tenebræ opacarent Ægyptum, soli terræ Gessen lux affulsit, vbi degebat Gens Hebræa. Sed vbi Christus mundo illuxit, nullam omnino Gentem voluit à sui luminis obsequio segregare. Ideo patens Ecclesiæ sinus concludit orbem totum: & hanc euidentem esse notam veræ Ecclesiæ, ait Augustinus, scilicet vt sit Catholica: congruum namque fuit, vt Christus mortuus pro omnibus hominibus, aliquos haberet in omnibus mundi plagis sinceros suæ fidei professores. Accipe Augustinum. *Quoniam Ecclesiam Dei, quæ Catholica dicitur, sicut de illa prophetatum est, per orbem terrarum diffusam videmus; arbitramur nos non debere dubitare de tam euidentissima impletione sancti prophetæ. Nam & in capite sacrosancti Psalterij scriptum est de Filio Dei: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.*

Cyprian. l. de vnitate Ecclesiæ.

Quare Ecclesia Christi debeat esse Catholica.

August. epist. 171 ad Honoratum.

Vera Ecclesia dicitur Catholica etiam ab hæreticis.

Idem contra epist. fundamenti c. 4.

lib. de vera relig. c. 7.

Idem lib. 2. contra literas Petiliani c. 16.

Hæretici nostrã Ecclesiã vocant Catholicam, & suam nouo aliquo vocabulo designant.

Ille idem Sanctus affirmat, nihil æquè valere apud se ad fouendam fidem suam, & pietatem in Ecclesiam, quàm quòd esset Catholica, ipso etiam testimonio sectariorum, qui singulari aliquo auctoris sui nomine designantur. Sic ille: *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Velint enim nolint, ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant: non enim possunt intelligi, nisi eo nomine hanc discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.* Vnde ille potissimum credit argumentum, ad singulos quosque conueniendos hæreticos, si discedant ab Ecclesia Catholica, à qua separari saltem schisma sapit, iuxta hanc eius censuram latam in transfugam. *Obiicio tibi schismatis crimen, quod tu negabis: ego autem statim probabo. Neque enim communicas omnibus Gentibus, & illis Ecclesiis Apostolico labore fundatis.*

Hæc etiam nomenclatura viget hodie consentientibus etiam sectariis omnibus, qui vltrò fideles Romanæ Ecclesiæ nuncupant Catholicos, sibi verò speciales affingunt titulos. Vt in Gallia, hæretici non affirmant se profiteri fidem Ecclesiæ Catholicæ, sed religionis reformatæ. Vnde & dici volunt, reformati, & non Catholici. In Germania dicunt se Protestantes, nolentes participare Catholicorum nomen, sicut & à re sunt penitus alieni. Eo maximè titulo Doctores insurgentes hæreses impugnarunt, eas flocci facientes,

cientes, vt in angusto positas. Ita Basilius: *State in fide: Ipsum orbem inspicite, & videte quam modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat: Reliqua verò Ecclesia, quæ ab orbis finibus vsque ad fines Euangelium recepit, sanam hanc, & rectam fidem sectatur, à cuius communione, vt ne excidatis, petimus.* Hæreses morbos vocat, non tamen vsquequaque noxios, quia minimam orbis partem infestant, Ecclesia occupante fines terræ, vt iam suo sæculo gestiebat Tertullianus ita fatus: *Nos communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, id est, ab Apostolis fundatis, quod nulla doctrina aduersa facit. Hoc est testimonium veritatis.* Ita sanè indubium est testimonium veritatis habere orbem totum coëuntem in vnitatem eiusdem Ecclesiæ.

Basilius epist. 72.

Tertull. lib. de præscriptionibus.

Quare sit de ratione Ecclesiæ vt toto orbe diffundatur.

Adiice, hoc etiam pertinere ad dignitatem Christi, qui se bonum ait esse pastorem, vt sit eius ouilè maius aliis omnibus sectariorum omnium gregibus, & æquè longè latéque pateat ac ditio Christi. Ergo cùm vniuersus terrarum orbis ad Christum pertineat, valde congruum est, vt sit vniuersalis eius Ecclesia. Eamobrem qui in Ecclesiæ Catholicæ caulis degunt, indubiam debent tenere fidem suam, & ab aliis sectis iugiter abhorrere, quas Deus in aliquam tantum partem trudit, ne, si diffunderetur error, perniciem afferret orbi. Ita in corpore humano restagnans humor noxius semina morbi iacit; nimirum corruptione accenditur, & febres gignit: si tamen natura vegeta præualet in humorem, illum pellit in extimas partes, quas quidem dolore afficit, sed citra totius corporis vllum periculum. Cùm igitur aliqua hæresis ex suo latibulo insurgens iactabit se esse veram Ecclesiam Christi, hinc erit compescenda', quòd Ecclesia Dei in Sole posuit tabernaculum suum, ac proinde fugit angulo coarctari. Eo argumento sugillabat hæreticos sui sæculi Optatus Mileuitanus, ita subsannans eos: *Cùm manifestum sit, & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot nobiscum prouincias: iam videtis vos in parte vnius aut alterius regionis esse positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.*

Optatus Mileuitan. lib. 2. contra Parmenian.

Hanc germanam Ecclesiæ notam credo lineatam in nuptiis Assueri, qui dato libello repudij Reginæ Vasthi, quæ ad imperium Regis venire contempserat, iussit ex omnibus regni sui prouinciis conquiri puellas egregias, vt sufficerentur in locum Vasthi, quæ sua exciderat pristina dignitate. Rem quasi oculis subiicit textus sacer hoc tenore. *Postquam Regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset: dixeruntque pueri Regis, ac ministri eius: Quærantur Regi puellæ virgines, ac speciosæ, & mittantur qui considerent per vniuersas prouincias puellas speciosas, & virgines, & adducant eas ad ciuitatem Susan, & tradant eas in domum fœminarum, sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vsus necessaria, & quæcumque inter omnes oculis Regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi.* Christo degente in humanis, Synagoga primas obtinebat, vtpote dignata legibus, & Prophetis. Hanc Christus vocauit ad obsequium suum, multosque miscuit cum ea sermones ab Euangelio suo; sed illa vocata renuit, magnoque despicatui habuit Regem suum, quem suspendit arbori infelici. Ratione huius piaculi exautorata est Synagoga, & excidit fide illa, quæ ipsam effecerat populum Dei singularem. Ne autem Christus animarum sponsus foret absque thalamo, missi sunt Apostoli in omnes prouincias, vt animas conquirerent idoneas desponsationi Christi, cuius ea vox est: *Desponsabo te mihi in fide.* Lustrato orbe toto, conscriptæ sunt Gentes, dum ex omnibus plures animæ crediderunt. His puellis electis datus est mundus muliebris, quando facta est eis copia sacramentorum, quæ sunt veluti pixides, gratiarum omnium supellectilem optimè concludentes. Quodque magis congruit mysterio, licet coïerint omnes fines terræ; ex his omnibus vna duntaxat effecta est sponsa Christi, substituta in locum Synagogæ. Nam tres mundi partes, Europa, Asia, Africa, non tres faciunt Ecclesias; sed vnam duntaxat Ecclesiam, Catholicam, quæ vna est sponsa, iuxta hanc etiam Pauli sententiam: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

Esther 2.

Ecclesia Catholica lineata in pulcherrima figura.

Osee 2.

Ecclesia Romana est legitima sponsa Christi.

2. Cor. 11.

In hoc præcipuè liquet veritas Ecclesiæ, quòd licet partes eius inter se tanta intercapedine soli dissitæ sint; non discordant tamen, sed conspirant in eamdem fidei vnitatem. Inde seipsum vrgebat Vincentius Lirinensis, vt Ecclesiam Catholicam veram esse adstrueret, ita fatus: *In Ecclesia Catholica, ad quam non vna natio, non vnus angulus, sed multitudo maris conuertitur, id teneamus quod ab omnibus, quod vbique, quod semper creditum est.* Hoc itaque ratum esto; videlicet eos omnes, qui ab Ecclesia Catholica transeunt ad nouatorum sectas, linquere sponsam Christi, vt sequantur fœdam diaboli meretricem.

Breuis parænesis ad sequendas partes Ecclesiæ Romanæ.

Vincentius Lirinensis lib. aduersus prophanas hæresum nouitates.

SENSVS ORTHODOXVS.

Singularis est titulus veræ Ecclesiæ, vt sit Catholica, id est, vniuersalis.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente.

ARGVMENTVM IV.
Ex Ivre Canonico.

EXimium sanè facinus Theodosij Imperatoris meminit Sozomenus. Is ait, Principem illum Christianum ægrè tulisse, proscindi Ecclesiam à grassantibus hæreticis, quos vt coërceret, iussit eos conuenire, vt eorum componeret discordias. Illis adunatis, Theodosius eos interrogauit, crederent necne, Sanctos Patres, qui floruere ante nouas sectas, benè sensisse de fide Catholica. Concordi suffragio annuere omnes, & dixere se iurare in vetera Patrum instituta. Ad hæc pius Imperator: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit teneatur, sin minus, abiiciatur.* Simili argumento volo configere hæreticos nostrates, qui præcipuè lacessunt Romanam Ecclesiam, & eam irrident, quod sit Catholica, eo potissimum nomine gloriantes, quòd sint pusillus Grex Christi, non magna terrarum diuortia concludens, sed angulo contentus, vt decet humilem Ecclesiam

Pulchra methodus conuincendi hæreticos.

Sozomenus lib. 7. histor. cap. 12.

Theodosij Imperatoris egregium facinus, ad refutandos hæreticos.

Ecclesiam, quæ est instar suauium vnguentorum, quæ vtplurimum arctiori pixide concluduntur. Ab eis peto, an velint assentiri Canonibus veteris Ecclesiæ. Respondebunt se adeo tenaces esse doctrinæ illius Ecclesiæ illibatæ, vt quatuor primis Conciliis œcumenicis eam fidem adhibeant, quam quatuor Euangelistis, & se in confessione suæ fidei consultò inseruisse caput simile Canoni illi, quem iactat Romana Ecclesia Gregorio conditore, qui sic fatur. *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor; Nicænum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas indicatur: Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio; quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vita, atque actionis norma consistit.*

EX IVRE CANONICO. *Can. Sicut Dist. 15.*

Quatuor Concilia prima hab ea instar quatuor Euangelistarum.

Nulla sanè machina validior ad hæreses euertendas. Nam in formula fidei edita in Concilio Nicæno, Ecclesia dicitur Catholica, vt meminit Athanasius. Quare ergo mentiuntur hæretici, se eamdem profiteri fidem, quam Canones prisci clamant, cùm imprudenter negent Ecclesiam debere esse Catholicam, vt in eo Concilio sanctissimo Patres Ecclesiæ culmina decreuerunt. Iuxta Concilij mentem alij postea Canones Ecclesiam dixere Catholicam, vt videre est isto Canone. *Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa, tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est Scripturarum, aut traditio vniuersalis, aut certè propria & particularis institutio.* Textus ille canonicus petitus est ex Augustini epistola singulari. Nonne igitur est proteruiæ facinus insigne, negare Ecclesiam esse Catholicam, cùm ipsa sui tituli vniuersalis tot habeat Canones assertores.

Athanasius epistola ad Iouinianum Imperatorem. Canone Catholica Dist. 11. August. epist. 118. ad Ianuarium.

Romana Ecclesia quàm latè pateat.

Illam autem Ecclesiam, quæ Romana dicitur, eamdem esse ac Catholicam, probat iste alter canon Hieronymo auctore fatus. *Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India. & omnes barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis.* Ineptè igitur ait hæreticus, se eruderasse latentem Ecclesiam ex ruinis, vbi diu delituit. Dixi aliàs, illam Ecclesiam dici Romanam, non quòd ibi solùm vigeat Ecclesia; sed quia ad Pontificem Romanum pertinet moderamen illius Ecclesiæ, quæ discurrit orbe toto, & quia nefas est alia inferre dogmata in Ecclesiam, quàm quæ probat illa sedes, penes quam in persona Petri ius omne Deus refudit Ecclesiam gubernandi. Eò spectat iste Canon. *Nolite errare, fratres mei Charissimi, Doctrinis variis, & extraneis nolite abduci. En instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum, canonesque habetis: his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini: vt his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum iacula persistere valeatis. Satis enim indignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videant, & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.*

Canon. Nec altera Dist. 93 Hieron. epist. 85 ad Euagr. Episc.

Canon. Nolite Dist. 11.

Romanæ sedis quanta sit dignitas.

Inimici nostri sint iudices, & audacter in re ancipiti pronuntient. Dico in re ancipiti apud ipsos: nam nemo nostrum dubium facit, an vera Ecclesia sit Catholica. Videant, inquam, si fas sit adhæ ere Luthero, & Caluino, qui nudiustertius emerserunt ex latebris, vbi impiè scortabantur, an sequi sanctissima veterum instituta, quæ viguerunt apud omnes fideles dispersos orbe toto. Antequam dicant sententiam homines nefarij, meminerint nouitates fuisse semper proximas periculo, vbi de fide actum est, ac proinde tutius esse priscis Ecclesiæ legibus adhærere, vt nos iste Canon adhortatur. *Præceptis Apostolicis non durâ superbiâ resistatur; sed per obedientiam, quæ à Sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate iussa sunt, salutiferè impleantur, si eiusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis. Non nouum aliquid præsenti iussione præcipimus; sed illa quæ olim videntur indulta firmamus: cùm nulli dubium sit, quòd non solùm Pontificalis causatio, sed omnis sanctæ Religionis relatio ad sedem Apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum debeat referri, & inde nomen sumere, vnde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omittere.*

Nouitas est cauenda in his quæ ad salutem spectant.

Ecclesiæ Romanæ dogmata non sunt noua. Can. Præceptis Dist. 12.

Profectò si sapiunt hæretici, dabunt manus Christo, & reduces subibunt ouile sacrum, ex quo transfugæ recesserunt, experti luporum rabiem, dum in errores varios incurrerunt. Hoc itaque recolant, scilicet Ecclesiam, etsi propagata sit in omnes mundi plagas, nullum inde discrimen contrahere, sed esse instar Solis huius, quem pro symbolo assumpsit Cardinalis Spinola, hoc titulo apposito. IDEM PER DIVERSA. Quid voluerit innuere hac pictura loquaci, penes eum fuit. At quid ego insinuare velim, vsurpando symbolum illud, neminem credo ambigere. Quippe Ecclesiam dico esse Solem: vt enim Sol solus est; ità Ecclesia Catholica sola est, quæ vendicare potest sibi nomen Ecclesiæ. Sole illucente diluuntur tenebræ; ita & vbi refulget Ecclesiæ fulgor, nulla potest caligo erroris subsistere. Sol omnia climata permeans, varios sortitur effectus, etsi non variet. Ita & Ecclesia se aptans indoli plurium Gentium, multos edidit Canones singulis quibusque populis idoneos; nec tamen vnquam vel latum vnguem à fidei recto tramite deuiauit, æmulata Solem, qui est. IDEM PER DIVERSA.

EX SYMBOLIS.

Ægidius Sadeler. lib. iconum symbolicar.

Ecclesia vna & eadem est orbe toto.

Solis cum Ecclesia comparatio.

Si quis ergo nutet, & sinistrum aliquid suspicetur de Ecclesia, is animæquior sit, & seipsum suo Catholici nomine consoletur, iuxta illud Paciani effatum. *Ne æstues, frater, Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit, hoc probor, inde significor.* Nomen hoc grande est, ac proinde dedecet hæreticos, qui iuxta fidem suam erroneam, non habuere pomœria longè latéque patentia; sed veluti damnati ad fodinas, in antris, & specubus auspicati sunt ritus suos, suffragio tenebrarum. Eamobrem aspernati titulum Catholicum, intrusere sibi suorum nomina symmystarum. Et proinde nobis Catholicis fecere rem pergratam. Etenim par erat, vt qui mutauerant mores, mutarent & nomen, sibi ipsi magis iniurij, quàm Christo, cui se subtrahunt, absque eo quòd decurtare queant hæreditatem Christi, vt apposite Bernardus ait, ita fatus: *Ipsi potius se subtrahunt huic hæreditati, qui illam Christo conantur subtrahere.*

Pacianus epistol. 1. ad Sempron.

Fideles Christiani, & Catholici nuncupantur.

Quare hæreticis non competat titulus fidei Catholicæ.

Bernardus serm. 66. in Cant.

Præstat igitur numerosum agmen Ecclesiæ sequi, quàm rebellantibus in Ecclesiam turbis perfidis adhærere.

SENSVS ORTHODOXVS.

Sola Ecclesia Romana toto orbe diffusa est, ac proinde sola est Catholica.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente.

ARGVMENTVM. V.

Ex Historia Ecclesiæ Primitivæ.

Corpora extincta Romanorum dicta sunt afflare odorem suauem.

VEteres Romani bello & pace clari conciliauere sibi nomen magnum, quod ore omnium Gentium fuit peruulgatum. Nec potuit, morte sua falce demetente illustria capita Romanorum, obliterari eorum memoria: nimirum vice adagij fuit, extincta corpora Senatorum suauem afflare odorem, id est, ipsam memoriam vitæ, quam egerant Romani proceres, spirare virtutum omnium fragrantiam. Hanc priscis Romanis gloriam peperit aliqualis idea virtutum moralium, quas sectati sunt aliqui Senatores. Sed eadem Roma facta Christiana, pietatis & fidei suæ nomen eò transmisit, quò antea Imperij aquilæ non volarunt, vtpote facta Religione potentior, quàm fuerat armis, vt Leo Papa notat, Romam alloquens, & ei ingerens memoriam Petri, & Pauli, quorum obsequio facta est mundi caput. Sic ille: *Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres Religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperij tui terra marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.* Eadem penè cecinit metro Beatus Prosper.

Roma fide clarior, quam fuerit olim armis.

Leo serm. 1. in natali SS. Petri, & Pauli.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Prosper l. de ingratis.

Roma caput mundi ratione Sanctæ Sedis Apostolicæ.

Ait Leo, Romam fuisse effectam caput mundi, ratione Sedis Apostolicæ, & ei totum orbem fuisse subditum pace Christiana. Sicque Summus ille Pontifex sua auctoritate probat intentum meum, scilicet solam Romanam Ecclesiam porrigi ad omnia loca, quæ pertinent ad hæreditatem Christi. At illa hæreditas tantùm patet, quantùm orbis ipse, iuxta præscij Psaltis sententiam: *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Psalm. 2.

Solius est Romani Pontificis indicere Concilia generalia.

Socrates l. 1. c. 9. Nicephorus lib. 8. c. 26. Hieron. in chronico

Quia controuersia hæc est magni momenti, ideo est discutienda maturè, & non perfunctoriè. Sit ergo istud argumentum petitum ab historia. Soli Romani Pontifices congregauere approbata Concilia Generalia, ad quæ conuenerunt Episcopi orientales, & occidentales, qui vnanimes conspirarunt in vnitatem eiusdem fidei, & damnarunt alias sectas disseminantes dogmata contraria decretis Ecclesiæ Romanæ. Primum concilium Nicænum Generale celebratum est auctoritate Syluestri Papæ, ad instantiam Constantini Imperatoris, ęgrè ferentis ob petulantiam Arianorum varias excitari tragedias: ibi damnata est hæresis Ariana, & decreta dies, qua Pascha ageretur ab omnibus. Conuenerunt illuc trecenti decem & octo Episcopi, suo hoc numero testantes, quàm latè pateret Ecclesia, quamuis hactenus Imperatores Ethnici, in eam multo Christianorum effuso sanguine desæuissent. Huius Synodi meminere Socrates, Nicephorus, Hierounymus, & Theodoretus. Celebratum est illud Concilium anno CCCXXVII. & trium annorum spatio confectum. Elapsis quinquaginta sex annis Theodosio seniore imperante celebrata est Synodus secunda Generalis Constantinopoli: conuocarat quidem Romam omnes Episcopos Damasus Papa; sed eò conuenere tantùm Episcopi Occidentales, & permissum orientalibus coire Constantinopolim anno CCCLXXXIII. Illic adfuere CL. Episcopi, qui dixere anathema Macedonio neganti diuinitatem Spiritus Sancti. Hoc Concilium Generale fuit, Damaso Pontifice illud approbante. Huius meminere Socrates, Theodoretus, & Prosper.

Theodoret. lib. 1. histor. cap. 3.

Quando celebrata sunt prima Concilia generalia.

Socrat. l. 5. hist. cap. 8. Theodoret. l. 5. hist. c. 10. Prosper. in Chronico.

Tertia Synodus œcumenica fuit Ephesina, Theodosio iuniore rerum potiente, & Cœlestino I. Papa moderante Ecclesiam. Conuenerunt Ephesum ducenti Episcopi, qui damnarunt Nestorium diuidentem Christum in duas personas. Hanc Synodum commemorant, Liberatus, Socrates & Euagrius. Quartum Concilium generale fuit Chalcedonense Martiano Augusto, & Leone I. Pontifice maximo. Illic damnatus est Eutyches Archimandrita, ab Episcopis sexcentis & triginta ferientibus anathemate hæresiarcham illum, affirmantem Christum vnius duntaxat fuisse naturæ post ortum suum in humanis. Conuocata est illa Synodus à Leone anno CCCCLIV. Hanc recensent Liberatus, & Euagrius. Iuxta eamdem formam alia quatuordecim Concilia generalia congregata sunt à summis Pontificibus, ad quorum nutum duntaxat coïerunt Episcopi orbe toto dispersi, nemine reclamante. Concors omnium Episcoporum sententia in his quæ fidem spectant, luce meridiana clariùs probat, Ecclesiam esse Catholicam seu vniuersalem, cùm eamdem planè fidem profiteantur omnes orbis Episcopi, qui vt obediunt Summo Pontifici, satis superque clamant, Ecclesiam Catholicam esse Romanam, quæ vt caput Ecclesiarum influit in omnes alias Ecclesias, vt isto Canone liquet, quem perpende. *Quis nesciat, aut non aduertat id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari? nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes: aut legant, si in istis prouinciis alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse. Quòd si non legunt, quia nusquam inuenitur; oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur omittere.*

Liberatus in breuiario c. 5. Socrat. l. 7. cap. 34. Euagrius lib. 1. cap. 4. Liberat. in breuiario cap. 12. Euagrius l. 2. histor. cap. 2. 3. 4.

Ecclesia Romana Princeps aliarum omnium Ecclesiarum.

Ex Ivre Canonico.

Canone Quis nesciat Dist. 12.

Omnes orbis Ecclesiæ institutæ à viris quos direxit Romana Ecclesia.

Ita planè series omnium historiarum aperit, alias omnes Ecclesias consuluisse Sedem Apostolicam in re graui, & semper expectatum Petri,

Semper fuit expectatum

Iudiciũ Romanæ Ecclesiæ in re graui pertinente ad fidem.

Petri, aut successorum eius iudicium, antequam quispiam auderet aliquid in re dubia definire: Quippe ex Actis Apostolorum quæstio orta de obseruatione legis Mosaicæ, delata est ad Petrum, qui eam soluit, affirmando legem Moysis quoad ritus & cæremonias esse protinus antiquatam.

Actor. 15. Eusebius l. 5. histor. c. 23. Epiphanius hæres. 50. Euseb. l. 6. c. 35. l. 7. c. 2.

Rursus orbe toto agitato à multis, qui Pascha volebant celebrari decimaquarta Luna, etiamsi non caderet in diem Dominicum, non fuit coërcitus ille æstus, donec Victor Papa ei imponeret modum, edito decreto, cui contradicentes eo solo nomine habiti sunt hæretici, vt ait Eusebius, & hos Epiphanius dicit fuisse vocatos Quartadecimanos, quia procaciter inuita Ecclesia celebrabant Pascha quartadecima Luna. Dum Nouatiani virus suum spargere auspicati sunt, res delata ad Concilium, Papæ congruam anathematis sententiam accepit, in Concilio Romano, vt notat Eusebius, qui adiicit, eumdem Cornelium & Stephanum Pontifices damnasse errorem rebaptizantium hæreticos.

Acta Concilij Nicæni. Theodoret. l. 5. cap. 9. Euagr. l. 1. cap. 4. Acta Concilij Chalcedonensis. Aug. lib. 2. retract. cap. 50. Acta sextæ & septimæ Synodi. Bernard. epist. 195. Bernard. ser. 80 in Cantica. Clementina Ad nostrum De hæreticis.

Acta Concilij primi Nicæni testantur Legatos Syluestri Papæ damnasse Arium. Fuerunt autẽ tres Legati, scilicet Vitus, Vincentius, & Osius. Ex Theodoreto liquet literis Damasi Papæ fuisse conuocatum Concilium primum Constantinopolitanum, contra Macedonium. Euagrio auctore, S. Cyrillus vices gessit Celestini I. Papæ in Concilio Ephesino, vbi damnata fuit impietas Nestorij. Eadem auctoritate in Concilio Chalcedonensi Eutyches reiectus est à Paschasio, & Lucentio Legatis Leonis Papæ, vt acta huius Concilij testatum faciunt. Ex Augustino Innocentius & Zozimus Pontifices reprobarunt impia dogmata Pelagij. Acta Synodi sextæ ferunt Monothelitas censuram passos audito anathemate à Legatis Papæ, qui etiam in septima Synodo Iconoclastas condemnarunt. Berengarij error castigatus fuit à Leone IX. in Concilio Vercellensi, & Nicolao II. in Concilio Romano. Bernardo suasore Innocentius II. explosit deliria Petri Abaillardi. Eodem Bernardo referente scimus Gilbertum Porretanum habuisse censorem erroris sui Papam Eugenium III. in Concilio Rhemensi. Ioachimi Abbatis opinio explosa est ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi. Beguardorum & Beguinorũ hæresis icta fuit fulmine Clemẽtis V. Papæ in Cõcilio Vienensi. Vt & in Concilio Constantiensi, percussi sunt Ioannes VViclephus, & Ioannes Hus à Martino V. Nonne & in Concilio Florentino Eugenius IV. expunxit errorem Græcorum, sicut in Concilio Tridentino Legati Pij IV. Lutheri, & Caluini dogmata condemnarunt?

Centuriat. cap. 1. centur. 7.

Ex præfatis historiis Ecclesia Romana sola est Catholica, nacta principatum aliarum omnium Ecclesiarum ex Christi Domini institutione, & nõ ex indulgentia Phocæ Imperatoris, à quo primò hæretici dicunt Romanum Pontificem obtinuisse, vt diceretur omnium Episcoporum caput. Ita mentiuntur Centuriatores Magdeburgenses, quos summæ impudentiæ arguit Imperator Iustinianus, qui centum annis superior fuit Phocâ, quem impostores auctorem dicunt nomenclaturæ huius gloriosæ, quæ alias omnes Ecclesias orbis subdit Romanæ Ecclesiæ. Audiendus ille Imperator ex epistola rescripta Ioanni Papæ. Sic ille: *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto & fuit, & est; & vt decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent*

Codice lib. 1. Titul. 1. De summa Trinitate.

festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam nobis semper fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subiicere, & vnire Sedi vestræ sanctitatis properauimus, &c. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ CAPVT EST OMNIVM ECCLESIARVM. Per omnia enim properamus honorem, & auctoritatem crescere vestræ sedis.

Centuriatores Magdeburgenses turpiter mẽtiti dum scripsere Phocã Imperatorem primum detulisse Romanæ Ecclesiæ, quam Iustinianus superior Phocâ vocat Ecclesiarum caput.

Codice vbi supra.

In his angustiis positi hæretici quid respondeant non habebunt, videntes se adeò liquidò argui mendacij à Codice Iustiniano, in quem irrepsisse mendum causari nequeunt, cùm ipse etiam Codex Geneuæ prælum passus, eodem textu pungat hæreticos, qui ibidem videre possunt responsionem Papæ, cui & illo æuo erat in more positum vocare Romanam Sedem omnium Ecclesiarum caput. Sic ille: *Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tamquam aliquod sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subiicitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: Pasce oues meas. Quam esse OMNIVM VERE ECCLESIARVM CAPVT & Patrum Regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimè testantur affatus.*

Nullibi fides Christi plãtata ab hæreticis & quare.

Tertullian. lib. de præscript. Socrat. lib. 4. 29. l. 7. cap. 8. Sozom. lib. 2. cap. 23. Nicephorus l. 14. cap. 40. Beda lib. 1. & 2. histor. Anglor. Æneas Syluius lib. de orig. Bohem. cap. 16. Tertullian. vbi supra.

Præterea aliud coruscum lumen petitur ab historia, in gratiam Romanæ Ecclesiæ, quam solam dico esse Catholicam. Nimirum Christi fidem ab vlla secta fuisse alicubi plantatam; proprium enim hæreseos est destruere, & non ædificare, iuxta illud Tertulliani effatum: *Negotium est hæreticis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.* At secus vbi sincera Christi fides innotuit, illud accidit beneficio eorum, quos Ecclesia Romana ad illas mũdi plagas destinauit. Huius generis plurima exempla prostant in historia Ecclesiastica, cuius auctores consule, scilicet Socratem, Sozomenũ, Nicephorum. Et præcipuè vide Bedam, suæ Gentis fidem refundentem in Summi Pontificis curam. Vide etiam Æneam Syluium, qui te docebit quomodo Bohemi debeant Romanæ Ecclesiæ fidem suam. Quare autem hæretici nequeant disseminare fidem sinceram, & sit hoc facinus veræ Ecclesiæ, paucis Tertullianus ait, hæc subiiciens: *Apostoli de mortuis viuos suscitabant; isti de viuis mortuos faciunt.*

Faxit ergo Deus, vt dato libello repudij sectariis omnibus, iugiter hæreamus illi Ecclesiæ, quam Christus olim prædixit venturam ab Oriente & Occidente, vt recumbat cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Sed hoc vnum volo monitos esse omnes Christianos, non sufficere ad salutem recenseri inter membra Ecclesiæ Catholicæ, si non contingat animari eo spiritu, quo tota Ecclesia vegetatur: ideoque esse satagendum vnicuique, vt sortem meliorem congruo opere nanciscatur. Falluntur enim

Ecclesia in hoc sæculo concludit iustos, & reprobos.

qui affirmant, omnes eos esse prædestinatos, quos Ecclesia suis concludit cancellis. Audiendus in eo argumento Chrysostomus ita fatus: *Nec ex perfectis quidem vniuersa constat Ecclesia, sed habet eos etiam, qui socordia & otio se dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter seruiunt voluptatibus.* Concinit Hieronymus hoc accentu: *Arca Noë Ecclesia typus fuit: vt in illa omnium animalium genera; ita & in hac vniuersarum & Gentium & morum homines sunt: vt ibi pardus & hœdi, lupus & agni; ita & hic iusti, & peccatores, id est, vasa aurea, & argentea, cum ligneis, & fictilibus commorantur.*

Chrysost. in Psalm. 39. Hieronym. Dialogo contra Luciferianos.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA QVARTA.

An quis possit fieri saluus extra Ecclesiam.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.

PRÆFATIO.

Raptus virginum Sabinarum a Romanis.

ROma propagante fines suos, conterminæ Gentes veritæ ne recens Imperium, iam potens ab incunabulis, pubescendo viciniam totam faceret sui iuris, inito communi consilio, in ruinam Romanorum sua capita deuouerunt. In his acriores fuere Sabini, eo maximè argumento ducti; quòd Romani rapuerant multas puellas Sabinorum, vt eas inuitis parentibus matrimonio iungerent iuniorum hominum agmini numeroso. Sabini vlturi conceptam iniuriam indixere bellum, & eduxere suas acies in ditionem Romanorum, qui lectissima militum manu occurrerunt hosti, commissuri omnia iura sua ancipiti armorum sorti. Sed dum vtrimque se accingebant milites ad prælium; prosilierunt in medium Sabinæ mulieres illæ raptæ, sparsis hinc & inde crinibus ad luctum compositis orantes inducias, vt vtraque Gens sibi consuleret opportunè. Mulieres illæ infantium baiulæ Sabinis ostendebant puerulos suos, ita eos increpantes: O Sabini parentes nostri, videte in quos vester mucro desæuiat, hi infantes sanguine Romano sati nepotes vestri sunt, ac proinde Romani affines, vestri sunt. Deinde ad Romanos conuersæ aiebant: O coniuges amantissimi, feroces animos deponite, & nolite lethali congressu concurrere cum Sabinis; sunt enim soceri vestri, & istorum infantium aui, & cognati. Componite discordias, & in vnum coite populum, cui sint iura communia. Plus potuere mulierum lacrymæ, quàm armorum fragor: nimirùm omnes anheli in cædes, mitiores facti, noua & perpetua fœdera cogitarunt. Quippe Sabini metuentes Romanam potentiam, quæ sui nominis terrorem omnibus incusserat, iunxere manus, arbitrati nusquam sæ fore tutos, nisi fœdere inito Romanum etiam nomen induerent. Vnde Roma coaluit ex Sabinis & Romanis, ad publica etiam munia exteris aduocatis.

Titus Liuius 1. Decade lib. 1.

Oratio Sabinarum sollicitans Romanos & Sabinos ad concordiam.

Roma in suis olim incunabulis ex varia Gente coaluit.

Roma Christiana vices easdem ferè experta est. Nempe fide eius vbique prædicata, Romana Ecclesia totum orbem conclusit suis Religionis illibatæ claustris. Dum Ecclesia faustis auspiciis adolesceret, multæ hæreses hoc tentarunt, ne Ecclesiæ Romanæ surgerent incrementa. Victrix Ecclesia multas hæreticorum animas ad fidem reduces sibi iunxit. Sed recessum earum ægrè ferentes hæretici indixere bellum, cupientes in publico consilio congredi cum Romanis. Non detrectauit congressum Ecclesia: atque ita sæpius coiere orthodoxi & sectarij, conuocatis eò fine variis Conciliis, vbi statim atque fides Romana cœpit enitere, Nouatores subito dedere manus Ecclesiæ, vel saltem finxere se cum eadem Ecclesia conuenire; extra quam nulla salus est animis errabundis. In Concilio primo Nicæno Eusebius Cæsariensis, & alij sequaces Arij, ementita specie pacis dedere manus Ecclesiæ Romanæ, abiurantes ore tenus perfidiam, quam proceres Ecclesiæ illic adunati explicito Canone condemnarunt. Eadem industria Valens, Vrsacius, & Auxentius Episcopi Ariani in Concilio Ariminensi profiteri se fidem Romanæ Ecclesiæ callidè simularunt. Sinceriore animo in Romana Synodo Berengarius abiurauit errorem illum, quo dubiam faciebat præsentiam Christi in Sacramento Eucharistiæ. Eius confessio iuri Canonico inserta; hunc Canonem fecit Romanæ Ecclesiæ gloriosum. *Ego Berengarius indignus Sancti Mauritij Andegauensis Ecclesiæ Diaconus, cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eamdem fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta synodus, auctoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmauit.*

In Conciliis Generalibus plerique hæretici non ferentes Ecclesiæ maiestatem, finxere se dare manus.

Athan. lib. de synodis.

Canone Ego Berengar. De consecrat. dist. 2.

Berengarij Confessio retractantis errorem suum circa Eucharistiam.

Solennior adhuc fuit Græcorum reconciliatio cum Romana Ecclesia; in Concilio Florentino, sub Eugenio Papa IV. Nam Bessarion, & Isidorus à Græcis missi, vt Præsulum Græciæ doctissimi, ad examinandam fidem, explorato sententia Romanæ Ecclesiæ, persuasere Græcis, vt ipsi in vnitatem eiusdem fidei cum Romana Ecclesia conspirarent. Eorum benè suada oratione Ecclesia Græca facta est Romana, & in signum fœderis indissolubilis, Bessarion & Isidorus Græci fuerunt in sacrum Cardinalium numerum adoptati. Vnde putas emersisse tanta specimina reuerentiæ erga Romanam Ecclesiam? Inde profectò quòd ea diffundente suas propagines in extremas mundi plagas, sanctitatis eius fragrantia ita affecit omnes initiatos Christi arcanis, vt quisque suam salutem dubiam crediderit, extra caulas Ecclesiæ illius; cuius cura præcipua pertinet ad Romanum Pontificem, caput omnium Ecclesiarum.

Ciaconius in Eugenio IV.

Ecclesia Græca facta Romana in Concilio Florentino. Vnde tanta reuerentia erga Romanam Ecclesiam.

Duo

Diuisio totius controuersiæ.

Duo itaque membra complectitur ista controuersia. Primum est de sanctitate Ecclesiæ. Alterum est, an ita Ecclesiæ Romanæ sanctitas addicta sit, vt extra hoc ouile nemo queat saluti suæ consulere. Prior pars argumentum capit ex verbis Christi, affirmantis multos venturos ab Oriente, & Occidente, & fore participes gloriæ Abrahæ, & Isaac, & Iacob. Hinc enim colligere est, illam Ecclesiam, quæ ad Orientem, & Occidentem patet, esse sanctissimam, cùm eam maneat eadem sors, qua dignati sunt principes illi Patriarchæ. Alteri verò parti ansam dedit series eiusdem textus, vbi Christus ait filios regni eiiciendos in tenebras exteriores: siquidem ea verba suspicionem faciunt, Christum eo solo nomine damnare Iudæos, quia increduli detrectarent subire iugum Ecclesiæ, atque ita confirmare conclusionem, quæ sibi hoc pensum imponit, vt astruat, neminem extra Ecclesiam Romanam posse æterna cœli stipendia demerere.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS PRIMA CONTROVERSIÆ.

Quales næuos hæretici tentarint affingere illibatæ Ecclesiæ sanctitati.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum.

Qualis semper fuerit indoles inuidiæ.

Athenienses olim eò liuoris æstu perculsi sunt, vt totis oculis aspexerint illud omne quod rutilo nimis lumine coruscabat. Adeóque sese effudit illa tabes, vt suo contagio infecerit etiam homines inglorios, ad quos maximè non spectat insignium heroum gloriam æmulari. Extremæ huius inuidiæ locuples argumentum edidit infimæ sortis homo, qui rogatus in quem diceret sententiam ostracismi seu exilij; ille petiit Aristidem; quia, inquit, ferre nequeo hominem illum dici iustum. O stolidum pecus! Quasi verò peccare sit in Rempublicam, esse absque peccato, & nitida virtutum praxi contribules cæteros anteire. Simili propè insania furunt hæretici, & lacessunt Ecclesiam. Nempe iniquo animo audiunt eam vocari sanctam Ecclesiam, & auersos aliò dirigunt oculos, vtpote corusco Ecclesiæ lumine caligantes. Et ne illibata refulgeat Ecclesiæ sanctitas, omnem mouent lapidem, vt iniustis ei maculis, eam aliquali modo valeant opacare. In eam sic arietant hæretici. Illa Ecclesia non est sancta, cuius membra vitiis infecta putent. At in Ecclesia Romana fœtet vitiorum omnium colluuies, vt ipsi etiam Sancti Patres dolent, in Præsulum etiam crimina declamantes. Ergo frustra nomen sanctitatis affingitur illi Ecclesiæ, quam tot hominum nequam scelera deturparunt. Respondeo, Ecclesiam non ideo dici sanctam, quòd in ea existentes sancti sint omnes; sed quia nulla planè sanctitas emicat, nec refulgere potest, quàm in membris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, è qua tantùm à promulgato Euangelio cœlites assumuntur. Et reuera hæc est solutio; licet etiam possit dici Ecclesia Sancta ratione doctrinæ, quam sola Ecclesia Romana profitetur sanctam, & ab omnibus vitiis illibatam.

Plutarch. in Aristide.

Aristidis iustitia hominem rusticum offendit.

Hæretici ægrè ferunt Ecclesiam dici Sanctam. Quibus argumentis impetatur sanctitas Ecclesiæ.

Quare Romana Ecclesia dicatur Sancta. Auctoris sententia.

Aliud argumentum contra Ecclesiæ sanctitatem.

Vt qui in acie dimicant ita feruescente vulnera non sentiunt, sed plerumque magis ferociunt plagis inflictis; ita hæretici captata occasione solutionis huius argumenti, dicunt illam Ecclesiam non esse sanctam, cuius summus Pontifex errare potest in fide. At Papam constare ex historia errasse in fide; & eum adhuc posse errare in fide, teneri ab Ecclesia ipsa Romana, quæ decreuit Papam à nemine iudicari, nisi sit à fide deuius. Cùm ergo & Papa fuerit aliquando hæreticus, & Canone dicant Papam posse deuiare à fide, non credunt aduersarij sanctam esse Romanam Ecclesiam. Traducunt duos Pontifices, quos dicunt hæreticos, & Canonem laudant, quo assertore concludunt posse errare à fide Pontificem. Auspicabor solutionem instantiæ ab examine Canonis; mihi nempe suspecta fuit semper hæreticorum fides commemorans aliquos textus. Ecce Canon. *Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus; nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius: pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensius pendere.*

An Papa errare possit.

EX IVRE CANONICO.

Can. Si Papa. Dist. 40.

Papa à nemine in hoc sæculo iudicandus.

Historia lapsus Liberij Papæ.

EX HISTORIA.

Amm. Marcellin. lib. 15. Athan. in vtraque apolog. Ruff. lib. 10. cap. 22. Sulpit. l. 2. Socrat. lib. 2. cap. 29. Sozom. li. 4. cap. 10. Theodoret. lib. 2. cap. 16. Niceph. l. 9. cap. 36. Athanasius vbi supra.

Quia Canonem hunc ventilant hæretici tanquam inglorium Summo Pontifici, quem concludit posse abertare à fide; bifariàm retundo aciem huius aculei, & respondeo primò, Canonem hunc non definire Papam posse peccare in fidem, sed quasi per impossibile allegare quid tunc iuris esset. Præterea dato, non concesso, Papam posse errare in fide, error ille personalis erit, & non iudicialis. Id est, in eo Papa errare potest, vt neget aliquam veritatem ex fide definitam. Sed nequit ipse ex Cathedra Petri sancire aliquem errorem, & hæresim suo Canone propagare. Quod verò attinet ad Liberium, & Felicem Pontifices, instantia diluitur consultis antiquæ historiæ monumentis, vnde liquet Papam Liberium missum fuisse in exilium ab Imperatore Constantio Ariano, quia fouere noluit Arianorum partes, vt meminere Ammianus Marcellinus, Athanasius, Ruffinus, Sulpitius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, qui omnes referunt agones Liberij in gratiam fidei fortiter exantlatos. Quare autem malè audierit ille Papa, edito hoc specimine heroico fidei inconcussæ, ratio hæc est. Valens, & Vrsacius Principes sectæ Arianæ arbitrati angustias exilij fregisse constantiam Liberij, suasere Constantio, vt eum reuocaret, & accerseret ad Concilium Syrmiense, vbi Ariani præualebant. Liberius tædio ærumnarum, quas comites indiuiduas sortitur exilium asperum, vocatus non renuit, sed eò se contulit. Illic à Summo Pontifice duo rogata sunt. Primùm, vt secundùm allegata & probata damnaret Athanasium, in quem illi Pontifices varia crimina prætexebant. Nimirum credulus Papa damnauit Athanasium; sed non fidem Athanasij, quæ non erat argumentum

Liberius Papa durius egit in causa Athanasij.

rei postulati. Nimirum reus ille creditus est ob conuicia plurima recensita. Fuit hoc peccatum Liberij, quod duriùs egit in causa immatura, & præcoci sententia. Sed hic error non pertinet ad thesim nostram, quæ inquirit an Papa queat errare in fide.

Alterum caput vnde insimulatur hæreseos Summus hic Pontifex, magis vrget. Nam dicitur subscripsisse confessioni Arianæ editæ in Concilio Syrmiensi. Respondeo, eos planè ignaros esse historiæ Ecclesiasticæ, qui hoc credunt. Nempe fuere in eo Concilio Syrmiensi editi Canones contra Photinum Episcopum Syrmiensem, qui dubiam faciebat diuinitatem Christi. Huic confessioni Papa subscripsit. Præcipuus Concilij Canon fuit iste adstruens diuinitatem Christi: *Eos qui dicunt, De nullis extantibus est Filius, vel de alia substantia, & non ex Deo, & quòd erat tempus, vel saculum quando non erat, alienos scit Sancta & Catholica Ecclesia.* Hæc Sozomenus, qui fusè texuit seriem rerum gestarum à Liberio. Ariani illud Concilium coëgerant in Photinum captantes inde occasionem palàm facere toti Ecclesiæ se esse Catholicos, expunxere tamen ex illa confessione sua dictionem, ὁμόυσιος, quæ consubstantialem Filium Patri clamat, & quam Concilium primum Nicænum de industria Canoni fidei inseruit, vt sic configeret Arium demolientem diuinitatem Christi. Itaque Ariani in Concilio Syrmiensi, texuere confessionem fidei; quam reuera Hilarius probat Catholicam, etsi taceat nomen, ὁμόυσιος quia satis aliundè exprimebat Filium esse Deum. Nihilominus callidè Ariani expunxere vocem illam; vt habito syngrapho Papæ Liberij publicarent damnatam esse vocem illam à Romano Pontifice, ac proinde Filium non esse id, quod significatur ea voce; sed esse creaturam alterius substantiæ, quàm sit Pater æternus; & de facto sparsis libellis rumor ille increbruit, Papam damnasse vocem, ὁμόυσιος, licet non damnasset, sed tantùm subscripsisset confessioni fidei, à qua aberat vox illa, cuius loco aliæ voces concolores erant adiectæ.

Sozomen. lib. 4. cap. 14.

Hilarius lib. de Synodis.

Astutia Arianorum in Concilio Syrmiensi vt Papam Liberium circumuenirent.

Ex præfatis liquet, Concilium illud Syrmiense fuisse captiosum, & eo nomine tantùm congregatum, vt Ariani circumuenirent Catholicos, quod vt deprehendit Liberius, Ecclesiâ interdixit eis omnibus, qui Filium Patri non consubstantialem affirmarent, vt auctor est Sozomenus. Adiice, Arianos in eo Concilio ad errorem tormentis adegisse Osium virum magni tunc nominis, qui aliàs in Concilio Nicæno Papæ vices egerat. Ille reuera in hæresim lapsus est, dicens tacendum in Filio substantiæ nomen, & silendam omnimodam cum Patre similitudinem. Illi autem hæresi non subscripsisse Liberium, liquet ex Hilario, qui dum recenset acta Synodi Syrmiensis, vnum tantùm carpit Osium præfatæ hæresi subscribentem, vt vitæ fatiscenti tantisper indulgeret. Ita Hilarius: *Oro vos, ne quisquam alius ex his præter senem Osium & ipsum illum nimium sepulchri sui amantem reperiatur, qui tacendum existimet de vtroque.* Ergo cùm Liberius vtrumque asseruerit, videlicet substantiam, & similitudinem per omnia; profectò nequit dici peccasse in fidem. Quòd autem communicauerit cum Episcopis Arianis, illud accidit industriâ callidorum hominum, qui persuasere Liberio, se idem cum eo sentire, vt reuera confessio illa edita & oblata Liberio planè orthodoxa fuit, etsi

Osius tormentis coactus ad subscribendum errori Arianorum.

Hilarius lib. de Synodis.

Defenditur ab errore Liberius.

præterita fuisset vox, ὁμόυσιος, quam Eleusius Episcopus Cyzicenus dixit Liberio esse semen discordiarum, quæ Ecclesiam in varia agmina dispescebant.

Tria itaque obiiciuntur Liberio. Primum, quòd Athanasium indictâ causâ damnarit. Sed, vt præfatus sum, nemo negat Papam duriùs posse agere in rebus, vbi non agitur de decretis fidei, aut moribus Ecclesiæ componendis. Alterum, cum consensisse in hæresim Arianam, & hoc concedit Bellarminus, dicens cum interpretatiuè consensisse in hæresim. Sed refuto Bellarminum, primò quia Nicephorus ait Liberium antequam solueretur Synodus Syrmiensis edidisse confessionem specialem fidei, quâ damnabat hæresim Arianam. Nemo ergo potuit interpretari in gratiam hæresis Arianæ subscriptionem Liberij, cuius sæculo vixit Ruffinus affirmans, se nescire an adhæserit ille Constantio. Is ita fatur: *Liberius vrbis Romanæ Episcopus, Constantio viuente, regressus est. Sed hoc, vtrum quòd acquieuerit voluntati sua adscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerit exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo.* Ruffius Athanasius totam illam Liberij tragœdiam ait fuisse violentiæ negotium, ac proinde nihil inferri posse hinc in fidei detrimentum. Sic ille: *Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. Verùm illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit: quæ enim per tormenta contra priorem sententiam eius extorta sunt, ea iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habenda sunt.* Demum ipse Liberius volens conciliare sibi gratiam Vrsacij, Valentis, & Germinij, qui præcipui erant fautores Arij, eis scribit vt Catholicis, & protestatur se damnare hæresim Arianam. Sic ille: *Scire autem volo etiam fratres, & coëpiscopos nostros Epictetum, & Auxentium, pacem me & communionem Ecclesiasticam cum ipsis habere, quod credo gratanter suscepturos. Quicumque autem à pace & concordia nostra, quæ per orbem terrarum firmata est dissenserit; sciat se separatum esse a nostra communione, Preuaricatori anathema vnà cum Arianis à me dictum.*

Displicet Bellarmini solutio de errore Liberij.

Bellarmin. Tomo 1 contr. lib. 4. de Rom. Pontifice c. 9. Nicephorus lib. 9. c. 37.

Ruffin lib. 1. cap. 27.

Athanasius epistola ad solitarios.

Liberius epist. ad Vrsacium & Valentin. apud Baron. Tom 3. Annal. sub ann. 357.

Si Liberius adhuc extorris in ea epistola; quâ demulcere voluit animos Vrsacij & Valentis, ad quorum arbitrium se componebat Imperator Constantius, detestatus est hæresim, quam nouatores ei volunt affingere; profectò incongruum est, de eo malè sentire in Concilio Syrmiensi, vbi formulam confessionis suæ orthodoxæ iussit publicari. Non vsquequaque tamen dixerim Innoxium Liberium in toto hoc contextu, quin castigatione indigeat aliquali. Primò quod communicauerit cum Episcopis, quos Romana Ecclesia pro Arianis hactenus habuerat. Et esto finxerint illi se esse Catholicos, & odisse Arianum dogma, edita confessione fidei suæ, quæ in nullo articulo abhorrebat à fide Romanæ Ecclesiæ; non potuit tamen Papa occurrere scandalo inde emergenti. Nam cùm Ecclesia Romana audiisset, illum Liberium, qui adeò fortiter obstiterat Constantio Principi Ariano, iam ad nutum Constantij fœdus iniisse cum iisdem Episcopis, qui eum in Berœam deportarant, Ecclesia, quæ indicat tantùm de exterioribus, abominata facinus, quo

In quo errauit Papa Liberius.

dubia

dubia fides Liberij esse videbatur, malè sensit de Liberio, suspicata eum esse hæreticum, quamuis reuera nunquam fuisset hæreticus. Iuxta hanc vulgatam opinionem hæc ait Hieronymus: *Liberius tedio victus exilij, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam victor intrauit.* Vocat Hieronymus communicationem cum hæreticis, subscriptionem in hæreticam prauitatem. Nam de formali subscriptione, quæ fit proprio chirographo, nemo sanè vnquam mentionem fecit. Sed secus liquet, eum proprio stylo damnasse blasphemias Arij. Quia verò anhelans in reditum suum Romam, valebat gratiam aucupari Constantij, cum eo communicauit, non citra scandalum. Eamobrem Hilarius ita inuehitur in Principem illum auctorem rei iniquæ. Sic ille carpit Constantium: *Vertisti deinde vsque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum: & ò te miserum, qui nescio virum maiore impietate relegaueris, quam remiseris.*

Hieronym. in Chronico.

Hilarius ad Constantium.

Historia Felicis Papæ, quem Nouatores dicunt fuisse hæreticum.

Liberio acto in exilium, Ariani suffecere in locum eius hominem magnanimum, & idoneum ad noua omnia moliendum, ille fuit Felix intrusus in Sedem Apostolicam biennio toto, quo exulauit Liberius agens fortiter causam Christi, quem tota diuinitate fautores Arij decurtabant. Clerus Romanus à communione Felicis abhorruit, quia licet Arianus non esset; tamen ope Arianorum Sedem Liberij turpiter inuaserat. Secundò, noluit Romana Ecclesia sibi præfigere Pontificem, incolumi & superstite Liberio, importunum duratione sua agonem fortiter obeunte. Sicque Felix pseudopapa fuit quamdiu in Berœa Liberius extorris abfuit ab vrbe Roma, vbi Felix adiutus auctoritate Arianorum, ad quorum arbitrium Constantius Imperator componebat se totum, Pontificis vices agebat, etsi reuera non esset Papa, vtpote non electus, & quia legitimus Pontifex necdum cesserat fatis. Sed vbi Romæ percrebruit rumor fœderis initi à Liberio cum Arianis in Concilio Syrmiensi, in quo Liberius, arbitratus Episcopos Valentem, Vrsacium, & alios benè sentire de fide, communicauit cum eis. Ecclesia Romana exosa Liberij imprudentiam cœpit inclinare in partes Felicis, qui facinore Liberij animæquior factus, fortiter se in eo negotio gessit, protestatus se damnare omne Arianorum consortium, & nolle ideo cum Liberio communicare. Adeò placuit Ecclesiæ illa Felicis constantia, vt omnes audita eius confessione, abdicato Liberio, substituerint ei Felicem, qui ex tunc legitimus Papa fuit, & in tesseram fidei suæ illibatæ bellum indixit Arianis, à quibus demum oppressus fortiter occubuit, & ab Ecclesia idcirco Martyris nomine recensetur.

Felix Papa Martyr.

Itaque depositus Liberius Romam veniens, acceptis literis à Constantio Imperatore, & à Concilio Syrmiensi, auersos reperit animos, nemine prorsus abiurante Felicem, quem paulò post Ariani peritum insidiis tulerunt è medio, causantes eum esse iniurium Imperatori Constantio. Si ergo fuisset Felix Arianus, vt clamant nostrates hæretici, non inuenisset sibi locum in Martyrologio, vbi quarto Kalendas Augusti quotannis recolitur memoria huius Felicis Pontificis & Martyris, quod nequaquam pateretur Ecclesia, si suspicaretur mendum in Martyrologium irrepsisse. In argumentum fidei illibatæ Felicis huius, Baronius rem singularem ætati posteræ commendauit. Ait ille constare quidem Felicem ab Arianis suffectum in locum Liberij extollantis; & licet Baronius nullum hîc recenseat auctorum inuasionis huius, habeo penes me testes huius rei iniquæ, scilicet Hieronymum, Ruffinum, & Theodoretum. De martyrio autem Felicis, altum ait esse silentium apud probatos auctores, remque fuisse agitatam coram Summo Pontifice Gregorio XIII. an Felix expungeretur è Martyrologio, cum stata esset intrusio eius in Pontificatum, & de martyrio eius tituli non extarent. Baronius, cui nil sine teste placet, ægrè ferebat eum vocari Pontificem & Martyrem, hos insignes titulos nemine comprobante. Cardinalis verò Sanctorius causam agebat Felicis, arbitratus esse deferendum Martyrologio, cui plurima sæcula fecere fidem. Collegio sacro in varias abeunte partes, quidam suspicantes esse reconditum thesaurum in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani, clam suffodientes altare incurrerunt in arcam marmoream, vbi repertum est corpus, cui impositus erat laterculus lapideus hac inscriptione loquax: *Corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui damnauit Constantium.* Defossa fuit arca illa pridie festi huius Sancti, quem Baronius scripto contra eum libello volebat expungere, anno M.D.LXXXII. Sed vbi Cardinalis ille pius vidit clamare lapides, illico dedit manus, & cecinit palinodiam.

Res digna scitu in gratiam Felicis Papæ.

Hieron. in Chronico ann. 361. Ruffinus lib. 10. histor. c. 22. Theod. l. 2. c. 17.

Baronius Tom. 3. annalium an. 357.

Vnum est quod facessit negotium, & vim multam facit, instantibus hæreticis: siquidem aiunt Hieronymum appellare Felicem, Arianum, & referunt hæc eius verba: *Acacius, quem quia luscus erat, μονόφθαλμον nuncupabant, Cæsariensis in Palæstina Episcopus, in tantum sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constitueret.* Etsi Bellarmino videatur difficilis ille locus, qui auctorem habet Hieronymum, ego eum flocci facio, & prætermissa responsione Bellarmini, sic ego respondeo: videlicet Felicem potuisse esse Arianum, quando intrusus est ab Acacio in Sedem Apostolicam; sed non ideo fuisse legitimum Papam, quia tunc viuebat Liberius exul in gratiam fidei; atque ita dicere pseudopapam esse hæreticum, non probare legitimum Papam fuisse hæreticum. Exulante autem Liberio Felicem non fuisse Papam ait Hieronymus, affirmans Clerum Romanum iurasse fidem Liberio, ac proinde auersatum fuisse Felicem antipapam, quo præsente Theodoretus ait neminem ingressum Ecclesiam. Non itaque ad me pertinet, an Felix malè senserit de fide, quando sedem inuasit, dummodo probem eum factum legitimum Papam, non modò rectè sensisse de fide, sed etiam eum Christianam fidem suo effuso sanguine propagasse. Satis autem liquet eum Martyrem fuisse ex Beda, Adone, & Vsuardo, recolentibus eum quarto Kalendas Augusti, sub nomenclatura Pontificis & Martyris, adstipulante etiam præfata illa arca marmorea.

Hieron. in Chronico.

Theodor. lib. 2. histor. c. 17.

Beda, Ado, Vsuardus in Martyr. 4. Kal. August.

Mortuo Sancto Felice, Liberius conciliauit sibi Romanam Ecclesiam, acriter inuectus in hæreticos, vt notat Socrates, ideoque creditus est beatus à plerisque Sanctis, qui eum commemorant præfixa tessera sanctitatis. In his occurrit Ambrosius, ita virginem quamdam affatus: *Tempus est, soror sancta, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quo vir sanctior, eò sermo accedat gratior.* Suo etiam suffragio Epiphanius dignatur Liberium; hoc contextu: *Eustathium, ad Liberium beatum Romæ Episcopum, vnà cum multis Episcopis legatum agebat.* Accedit Basilij

Socrates li. 4. cap. 11. Ambrosius lib. 3. de Virginibus. Epiphanius hæres. 75. Basilius epist. 74. ad Episc. Occiden.

Magni calculus in gratiam Liberij, quem sic commemorat: *Quadam ei proposita sunt, à beatissimo Liberio.* Vides hinc, Liberium denuo sedisse, & mortuo Felice Præsulem egisse sanctissimum: alioquin Sancti Ambrosius, Epiphanius, & Basilius, hostes acerrimi hæreticorum, mortuum Liberium haudquaquam adiecto beatitudinis nomine recensérent.

Quàm ineptiant hæretici mentientes Liberium & Felicem fuisse Pontifices Arianos.

Ex præfatis videre est, ineptire hæreticos, dum putant se argumento Achillæo petere Catholicos, mentientes Liberium & Felicem fuisse Pontifices Arianos. In re obsita multis inuolucris, meus hic discursus magnam lucem adferet, & maiorem quàm quis antea, cùm nemo fortè adeò accuratè ventilarit instantias factas, & eas diluerit consultis priscis historiæ monumentis. Cæterùm si quando nouatores obiecerint, aliquos Pontifices Romanos malè sensisse de fide, duobus modis eludere potes conuicia. Primò negando facinus, cadit obiectio. Secundò, concede posse cadere in Pontificem errorem personalem, sed non iudicialem. Nemo namque negat Pontificem esse hominem, atque adeò errori obnoxium, si spectetur vt singularis homo. Hos autem eius errores nemo sanæ mentis toti Ecclesiæ affixerit, in quam non influit vt priuatus homo, sed vt caput.

Quomodo possit Papa errare.

Quidquid igitur peccat Papa vt priuatus, Ecclesiæ non officit, vt secus Ecclesiam offenderet si aliquid è Cathedra Petri decerneret contra fidem, quod reuera nequit contingere, quia tunc Papa vices agit Christi, qui certiorem fecit Petrum non præualere portas inferi aduersus Ecclesiæ fundamina iugiter inconcussa. Dum verò aliquod aliud negotium tractat Papa, tunc communem cum aliis hominibus personam induit, ac proinde eiusdem nobiscum sortis errare potest, seipsum tantùm adducens in discrimen, suo errore personali, & non Ecclesiam, quæ ad Papam non pertinet, nisi quando capitis officio fungitur, orthodoxa dogmata sanciendo.

SENSVS ORTHODOXVS.

Soli Ecclesiæ Romanæ meritò affingi possunt omnes præcipuæ sanctitatis notæ.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum.

ARGVMENTVM I.
Ex Scriptura, et ratione.

Quando & quare fuerit Pantheon ædificatum Romæ.

Rerum eximiè gestarum gloriâ insignis Roma vetus, infra se vidit orbem totum territum fragore armorum, quæ in extimas mundi plagas strenui Consules inferebant. Parum credidit hæc vrbs inclyta fecisse suis aquilis obsequentes populos, nisi & pietate in Deum omnes etiam anteiret. Vt ergo fieret Roma voti compos, totius orbis est veneata Deos, eo fine conquisitos, vt singula quæque simulacra suis fornicibus asseruata sub eodem templi tegmine Romam efficerent sanctiorem aliis prouinciis, cùm Roma sola concluderet sanctitatis ethnicæ omnes simulacra. Eo zelo Roma fuit perculsa cùm maximè floruit imperium eius, Augusto rerum potiente: tunc enim Marcus Agrippa Pantheon deuouit Diis omnibus, illo templo reconditis. Vt autem Roma suæ pietatis argumentum maius ederet structura templi huius, fabricam sanxit in orbem duci, vt se totam sic probaret teretem atque rotundam. Titulum illum sanctitatis sortita est Roma Christiana, quem ambiit Roma antiqua ritibus iniquis, arbitrata fore sanctam si subscriberet erroribus omnium Gentium, vt benè aduertit Leo Papa, notans veram sanctitatem in illam vrbem cœlitus influxisse, vt inde in orbem totum diffunderetur, quia tunc Roma caput erat mundi. Sic ille: *Dispositio diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna, vno confœderarentur imperio, & cito peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. Hæc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Vnde quanto erat per diabolum tenacius illigata, tantò per Christum est mirabiliùs absoluta.* Vbi sese offudit caligo, illic & refulsit lux omnimodæ sanctitatis.

Plinius lib. 34. histor. c. 5.

Leo serm. 1. in natali SS. Apost. Petri & Pauli.

Quid verò vehat nomen sanctitatis, explicat Angelicus Doctor, dicens sanctitatem duo importare, videlicet munditiem, & firmitatem. Munditiam ait significari nomine Græco, ἅγιος, quod videtur compositum ex particula priuatiua, alpha; & nomine γῆ, id est, terra, ita vt ἅγιος perinde sit ac sine terra. In eo sensu sanctitas dicit hominem abstractum à terrenis, & ab omni fæce sordida defæcatum. Subiicit ille Latinam vocem pertinere ad munditiem: Sanctus enim est quasi sanguine tinctus, iuxta ritum veterem, quo malè sibi conscij homines admisso piaculo, vt detergerent animæ maculas, & sortirentur munditiam, qua exciderant, hostiæ sanguine tingebantur. Rursus nomine sanctitatis, intelligi etiam firmitatem, dicit idem Sanctus Thomas, quia olim sancta dicebantur ea, quæ legibus erant munita, ita vt nefas esset præterire sancita, id est, ea quæ fuerant lege aliqua tenaciter obfirmata. In vtroque sensu sanctitas spectat ea, quæ ad Deum diriguntur: vnde dicimus sancta ea omnia, quæ ad Dei cultum pertinent, vt vasa, templa, vestes, homines. Ad hoc enim vt res sit idonea diuino cultui, debet esse munda, & sordium expers. Vt ergo mens humana sit sancta, debet tergere quidquid suo contagio sordes aspergere potest. At terrena omnia animam inficiunt, vtpote cuius nitela prorsus est pulueris inimica. Itaque anima sitiens adhærere Deo, abhorrere debet ab omni impuro: impurum autem est illud, quod rei ignobilis mistionem patitur; vt argentum illud impurum est, quod plumbum admisit sibi intimè sociari. Præter munditiam, firmitas etiam requiritur ad hoc vt mens Deo applicetur: iungitur enim ei sicut vltimo fini, & primo principio. Sed hæc duo maximè debent esse immobilia: nequit nempe nutare finis, qui terminat, sicut neque primum principium potest è suo cardine dimoueri. In intuitu primi principij, & vltimi finis ait Paulus: *Certus sum, quod neque mors, neque vita separabit me à charitate Dei.*

Thomas 2. 2. qu. 81. art. 8.

Quid significet nomen Sanctitatis.

Quomodò anima fiat sancta.

Quid sit esse impurum.

Rom. 8.

Igitur vt probem, Ecclesiam Romanam solam esse Sanctam, operæpretium est ostendere, eam [illegible] solam

solam esse mundam, & firmam in his, quæ pertinent ad cultum Dei. Ad munditiam Ecclesiæ pertinent isti textus: *Vos Gens sancta, populus acquisitionis.* Nullam sanè patitur instantiam iste locus Petri, nec aliò diuerti potest eius sensus, vtpote luce meridiana clariùs prodens Ecclesiæ sanctitatem. Affinis huic est ille Pauli versus: *Exhibebit sibi Christus Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam.* Ad Ecclesiam etiam pertinere illud eloquium Sponsi Canticorum, nemo inficiatur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Ne autē quispiam hallucinetur audiens Ecclesiam esse Sanctam, vnum est prælibandum; scilicet Ecclesiam esse cœtum hominum, qui conspirant in vnitatem fidei, adhibito eodem ritu externo, profitendi fidē sub vno eodemque moderatore Pontifice. Nemo autem Catholicus dixit, totum illum cœtum esse sanctum, cùm quotidiano experimento pateat esse multos homines, nequam, etsi infideles non sint, quos Christus zizaniorum nomine designauit. Horum tamen iniquitas non obstat, dum plerique refulgeant sancti, quorum sanctitas denominat Ecclesiam. Fauet Cyprianus ita fatus: *Impediri non debet aut fides, aut charitas nostra, vt, quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus.* Cùm ergo audis Ecclesiam esse Sanctam, illud intellige de nobiliori porte eius, quæ concludit tantùm sanctos. In eo sensu accipe Hieronymum hæc scribentem: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, neque aliquid huiusmodi: qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christi subiectus dici.* Per synecdochen Scriptura sacra toti affingit, quod vni duntaxat parti quadrat. Quia sanctitas dicit etiam firmitatem, accipe ex Scriptura, quàm sit firma Ecclesia. Christi vox est iaciens Ecclesiæ fundamina: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā: portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Inconcussam etiam clamant Ecclesiam illa verba Gabrielis Archangeli: *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Eiusdem generis est ille locus Isaiæ: *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet, & corroboret in iustitia, & iudicio, amodo & vsque in sempiternum.* Ne aliquod deliquium pateretur Ecclesia, excidens firmitate sua, Deus ei consuluit prouidendo Doctores, qui eam saniore disciplina iugiter erudirent, vt ait Paulus: *Ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum.* Hoc contextu Paulus ait, Ecclesiam duraturam vsque in diem illum, quo dissoluendus orbis, sententiam supremi iudicis excipiet. Quomodo autem sanctitas ad solam Ecclesiam Romanam pertineat, probatur ex alio titulo; scilicet quòd Ecclesia Romana sola est Apostolica, vtpote professa doctrinam Apostolorum, à quibus accepit immediatè traditiones illas sanctas, quas adhuc hodie tenaciter obseruat, sanctior effecta ritibus illis, quos hæretici sugillant, vt faciliùs genio indulgeant. Esse ritus nostra Apostolica auctoritate sancitos, ait Basilius hoc tenore: *Dogmata quæ in Ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata mysterio recepimus: quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorū iurium experientiam habet.* Concinit Augustinus, cuius ecce suaue melos. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.*

Cùm ergo nulla omnino secta profiteatur exquisitam obseruationem dogmatum Apostolorum, profectò illa sola Ecclesia Sancta erit, quæ vna insistit vestigiis horum procerum Ecclesiæ. Hanc esse Romanam Ecclesiam solam, clamant Patres, & historiæ omnes. Igitur Romana Ecclesia sola erit Sancta, cui Patres etiam omnes congruè suffragantur. Ne eos gratis laudasse videar, eorum traduco chorum, quem audi meo dogmati concinentem.

Marginalia: 1. Petr. 2. — Ephes. 5. — Cant. 4. — Quid sit Ecclesia. — Ex SS. Patrib. — Cyprian. li. 3. epist. ep. 3. — Hieron. in cmt. 5 epist. ad Ephes. — Matth. 16. — Luc. 1. — Isai. 9. — Ephes. 4. — Quare sanctitas pertineat ad solā Ecclesiam Romanam. — Basilius l. de Spiritu sancto c. 27. — Augustin. epist. 118. — Ritus Ecclesiæ præcipui fluxerunt ab Apostolis. Eccl. sia Romana sola seruat traditiones Apostolorum.

SENSVS ORTHODOXVS.

Soli Romanæ Ecclesiæ affingi potest titulus sanctitatis illibata.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente; & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

ARGVMENTVM II.

Ex Sanctis Patribvs.

Stabilito Romano Imperio, penes Cæsarem rerum summa delata est, quæ ab eo influxit in alios moderatores Imperij, qui vt sibi maius reuerentiæ pondus conciliarent, dixere etiam se Romanos Pontifices, à quo titulo non abhorruere primi Imperatores Christiani, arbitrati se faciliùs capturos auram populatem, vendicato sibi titulo sanctitatis. Hoc totum reuera fuit fastus, & vsurpata gratis magni nominis vmbra, quam deposuit Gratianus Imperator, nolens vocari Pontifex Maximus, confessus ingenuè incongruum esse vsurpare nomen debitum soli successori Petri Apostoli. Quodque magis auxit typhum Principum Romanorum, quoties eorum mentio fiebat, præmittebatur nomen diuinum, veluti reconditæ tessera deitatis. Quippe Imperator dicebatur Diuus: imò ipse in rescriptis plerumque Imperator seipsum designat, hoc titulo: *Nostra æternitas*; vt passim videre est in Codice Iustiniano. Vbi religio Christiana typhum hunc depressit, sanctitas hæc ementita prorsus euanuit, ipsaque tenuis ideæ nomine tenus concessa est Imperatori, quem designamus memorantes sacram Cæsaream maiestatem. Ipsum autem sanctitatis nomen soli Pontifici Romano permissum, quem compellare nefas, nisi hoc præmisso præludio: *Vestra Sanctitas.* Hæc autem sanctitas diffusa in præcipuas Ecclesiæ partes, Ecclesiam nuncupat Sanctam, ratione doctrinæ, à qua deuiare nequit ipsa Romana Ecclesia, & ratione morum, quos extra Ecclesiam Romanam nequit vlla alia secta profiteri sanctos, ex defectu gratiæ, quam Deus haudquaquam perfidis impertitur.

Marginalia: Romani Imperatores ambierunt titulum sanctitatis. — Imperatores dici voluere Pontifices. — Gratianus Imperator deposuit titulum Pontificis Maximi. — Romana Ecclesia est nescia perfidiæ.

Ad

EX SS. PATRIBVS.

Cyprianus lib. 1. epist. 3.

Gregor. Nazianz. in carmine de vita sua, ante medium.

Ad hanc sanctitatem Romanæ Ecclesiæ pertinent ista elogia Sanctorum, in quibus ita Cyprianus eloquitur: *Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, &c. nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non potest accessum.* Ait Cyprianus, Romam esse nesciam perfidiæ; vbi nota Romam, penes quam est regula fidei, ex Sanctis Patribus, debere habere fidem tantam, quanta potest esse maxima. At fides maxima charitatem comitem habet indiuiduam, & hæc stipatur agmine virtutum omnium, quarum obsequio surgunt omnia culmina sanctitatis. Sicque liquet, solam Ecclesiam Romanam esse sanctuarium Dei, nec extra illam Ecclesiam posse esse micam veri cultus Dei, ob defectum fidei, quam sola Ecclesia Romana prædicat illibatam. Ita Gregorius Nazianzenus: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.* Profectò fides illa integra quæ est, exosa ferias otij, mercatur iugi & bono opere sanctitatem.

Hieron. lib. 3. Apologia contra Ruffinum.

Romana Ecclesia quantæ sit auctoritatis.

Leo serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum.

Quàm sit spectabilis illa Romana fides, satis superque liquet testimonio Hieronymi, ita scribentis: *Scito, Romanam fidem Apostolica voce laudatam eiusmodi præstigias non recipere, etiam si Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est. Pauli auctoritate munitam non posse mutari.* Plerique Patres Romanæ Ecclesiæ firmitatem in Dei cultu probant ex firmitate Petri primi Romani Pontificis. Diximus autem, firmitatem esse de ratione sanctitatis, quam Thomas ait importare munditiam, & firmitatem. Sic Leo Papa: *Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorũ status certior sit futurus, si mens Principis victa nõ fuerit. In Petro ergo omniũ fortitudo munitur, & diuina gratia ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.* Quasi diceret, Christum præcipuè attendisse ad caput Ecclesiæ, vt cætera membra sese componerent ad capitis arbitrium. Commemorat Leo firmitatem Petri, cuius alios Apostolos dicit fuisse postea participes, vt & nos hodie sumus, eodem Christo Domino iugiter influente. Eiusdem firmitatis se conscium esse Papa Agatho scripsit Constantino Imperatori, hoc tenore: *Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus vnquam deprauata succubuit, quia dictum est Petro: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter. fecisse semper, cunctis est agnitum.*

Agatho in ep. ad Const. habetur act. 4. Synodi 6.

Fides Petri nunquam deficiet in Ecclesia.

EX SYMBOLIS.

Ægidius Sadeler. l. 3 iconum symbolicarum.

Egregium symbolum Sanctitatis Romanæ Ecclesiæ.

Tramite Apostolico decurrens Ecclesia, vendicare sibi potest egregium illud symbolum, quo quidam Magister seu Præpositus Generalis equitum militiæ Melitensis vtebatur in labaro suo. Pingebat ille rotam in orbita rectà, hoc titulo appenso. NVSQVAM EXORBITAT. Profectò nemo citra suspicionem fastus iniqui assumet hoc symbolum, cùm iustus septies exorbitet quotidie, licet à via non longiùs erret. Vni duntaxat Romanæ Ecclesiæ conuenit epigraphe. Ipsa nempe est næuorum impatiens, nesciens maculam neque rugam, ac proinde siue fidem, siue mores spectes, ad quamcunque trutinam appendatur Ecclesia, æquis librata ponderibus, semper sibi constat. Si verò exploretur ex semita, qua pergit, an ea sit Apostolica, sanè NVSQVAM EXORBITAT. Nam præcipua argumenta sanctitatis Ecclesiæ Romanæ petuntur ab eius constantia in sancto Apostolorum tramite decurrendo. Suo sanguine aspersit hoc dogma Lucius Papa & Martyr, ita fatus: *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit.* Inconcussi huius status Ecclesiæ locuples etiam testimonium edidit alter Papa, scilicet Nicolaus I. hoc rescripto. *Priuilegia istius sedis perpetua sunt, diuinitus radicata, atque plantata: impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, & quousque Christi nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.*

EX SS. PATRIBVS.

Lucius I. Papa & Martyr, epist. 1. ad Episcopos Gall. Hispan.

Nicol. I. in ep. ad Michaël.

Ecclesia Romana sibi semper constitit.

Penes Romanum Pontificem semper fuit decisio dubiorũ in rebus fidei.

Bernard. ep. 190. ad Innocentium.

Vt quidquid deuium est dirigitur ad amussim; ita si quando irrepsit aliquod dubium in his quæ pertinent ad fidem, statim causa illa delata est ad Summum Pontificem caput Ecclesiæ Romanæ, vnde semper oracula excepta sunt ad regimen orbis vniuersi, vt ait Bernardus, ita conueniens Innocentium Papam: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Quæ pertinent ad Petrum, spectare etiam ad Ecclesiam totam, probat Origenes hoc effato: *Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec aduersus Petrum, nec aduersus Ecclesiã, portæ præualere poterũt inferorum. Nam si præualerent aduersus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam præualerent.* Cùm itaque in Ecclesia Romana tot sint animæ consecratæ Deo, & occupatæ in sedula virtutum omnium praxi, nec alibi prorsus reperire sit virtutis omnimodæ studium iuge; Ecclesiam Romanam solam esse Sanctam, Patrum omnium vox est vnanimis, eorum literis obsignata.

Origenes in cap. 16. Matthæi.

Ad Ecclesiã pertinent elogia Petro assignata à Christo.

SENSVS ORTHODOXVS.

Nunquam Romana Ecclesia desiit esse Sancta.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

ARGVMENTVM III.

EX HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ.

Regina Saba, suæ maiestatis specimen editura, Ierosolymam ingressa est stipata congruo comitatu, & ornata vt decebat fœminam, cui in votis

votis erat captare gratiam Salomonis. Scriptura sacra præteriit pompatica fercula ingressus eius, & & tantùm meminit aromata, quæ sua fragantia recrearunt Ierosolymam tunc mundi caput: nam adhuc Roma non extabat. Compendiosè codex sanctus meminit suaueolentem illam supellectilem, hoc tenore: *Non sunt allata vltra tam multa aromata, quam ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Non eo inficias, plerasque Ecclesias singulares orbem illustrasse sua doctrina, & sanctitate morum. Sed si omnes aliæ Ecclesiæ componantur cum ea, quæ est Regina omnium Ecclesiarum, id est, cum Romana; in confesso est apud omnes, nullam prorsus Ecclesiam inuexisse in orbem tam multa aromata, ac ea quæ allauit Romana Ecclesia; ea nimirum sola est, quæ nusquam desiit spirare fragrãtiam omnigenæ sanctitatis. Vnde huic vni Ecclesiæ tantùm est datum, vt fuerit semper Sancta, quia nusquam in ea defuere Sancti, nec vllus Romanorum Pontificum à fide deuius aberrauit. Gregorius isto argumento probat Romanæ Ecclesiæ principatum, quòd scilicet aliæ principales sedes Patriarchas habuere hæreticos, quorum virus effusum eas infecit Ecclesias. Tempore Hieronymi, Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus, fautor Origenis, suo lethali contagio multos perdidit. In Alexandria, & Antiochia quoties gemuit Ecclesia, à Patriarchis perfidis occupata.

3. *Reg.* 10.

Nullæ Ecclesiæ tot edidere specimina sanctitatis ac Ecclesia Romana.

Aliæ sedes Patriarchales fuere occupatæ ab hæreticis.

Ex Historia.

Eo nomine Gregorius depressit fastū Patriarchæ Constantinopolitani, qui sibi arrogare voluit titulum Patriarchæ vniuersalis. Sic ille conqueritur apud Imperatorem Mauricium, quòd Ioannes Patriarcha titulo ambitioso iniurium se præstabat Romanæ Ecclesiæ, illius titulos vsurpando. Ait ille Sanctus, illud negotium esse causam Dei. Ecce eum perorantem. *Sæuiunt quotidie & dominantur in necem fidelium cultores idolorum; & tamen sacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis vocabulis gloriantur. Numquid ego hac in re, piissime Domine, propriam causam defendo? Numquid specialem iniuriam vindico, & non magis causam omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta, nouum sibi nomen vsurpare præsumit? Vtinam vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetit Vniuersalis. Et certè multos Constantinopolitana Ecclesia in hæreseos voraginem incidisse nouimus sacerdotes, & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum Iesum Christum duas esse personas existimans, quia Deum fieri hominem potuisse non credidit, vsque ad Iudaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum Deum esse denegauit. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit: vniuersa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellabatur Vniuersalis, cadit.*

Gregorius lib. 4. ep. 32. ad Mauritiū Imperatorem.

Solus Romanus Pontifex est Patriarcha vniuersalis Ecclesiæ.

Hoc profectò validum est argumentū, petitum ab historia; scilicet nullam omnino Ecclesiam præter Romanam habere illa duo, quæ coëunt ad sanctitatem, videlicet munditiam & firmitatem, ab aliquo Apostolorum acceptam. Nimirum in Patriarchales sedes irrepserunt hæretici, sicque desiit illa munditia, quæ ex sola fide orthodoxa influit in animas. Rursus vbi Persæ occupauere Ierosolymam, Alexandriam, & Antiochiam, fuit interrupta diu successio Patriarcharum, quæ sola remansit Constantinopoli, vbi aliquali modo tenorem seruauit series Antistitum. Sed hoc illi deest sedi, quòd multò post Apostolos erecta est; vnde nequit dici Apostolica sedes, quasi immediatè ab aliquo Apostolorum aliàs occupata. Adiice, etiamsi sedes illa fuisset stabilita ab Apostolis; excidisset tamen sua firmitate, quia in Conciliis Lateranensi, & Florentino, illa Ecclesia fuit hæreseos insimulata. Vnde quia nitorem suum semper illibatum tenuit Romana Ecclesia, & nusquam fidei Petri passa est deliquium, meritò est dicta Sancta, & penes eam repositum est iudicium omnium controuersiarum, vt etiam liquet ex historia Eutychetis, quem cum rationibus conuincere non posset eloquentissimus Antistes Chrysologus, hanc ad eum direxit epistolam. *Hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas; quia Beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

Romana Ecclesia sola habet omnia quæ coëunt ad perfectam sanctitatem.

Chrysolog. ep. ad Eutychetem habetur in to. 1. Concil. ante Concilium Chalcedonense.

In eo etiam argumento insignis est historia Hieronymi, qui vt deprehendit dubiam esse vocem hypostasis, consuluit Damasum, vt ille ex Sede Petri dictaret, quomodo esset illa vox vsurpanda. Noluit Hieronymus, vir vsquaquaque doctissimus, suæ credere industriæ: ideóque rei ancipitis iudicium summi Præsulis expectauit. Ita Hieronymus affatur Damasum Papam: *Super istam petram ædificatam Ecclesiam scio. Obsecro, vt mihi literis tuis siue tacendarum, siue dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas. Non timebo tres hypostases dicere, si iubetis.* Illa Romanæ Ecclesiæ sanctitas adumbrata est prisco habitu Pontificis Hebræorum, cuius pectori incumbebat Rationale, quod erat tabella sata gemmulis rutilis vsquequaque; ita vt ille Pontificem agens, rutilantibus gemmis irradians, fulgorem emitteret. Profectò si lustrentur retro omnes historiæ, quæ recolunt Sanctos omnes; nemo planè occurret in serie Sanctorum, cuius fulgor non fuerit mendicatus à radiis Ecclesiæ Romanæ, cuius lux orbe toto diffusa est, eclipsis impatiens, vt Gelasius Papa scribit Anastasio Imperatori. Sic ille: *Hoc est quod Apostolica sedes magnopere cauet, vt quoniam mundi radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus auertat, & quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori.*

Hieronym. ep. ad Damasū.

Romanæ Ecclesiæ sanctitas quomodo olim adūbrata typis.

Gelasius ep. ad Anastasiū Imperat.

Benè equidem arguit Gelasius Papa, ad eam pertinere Ecclesiam alias moderari, quæ nusquam alterius Ecclesiæ correctione indiguit; vt etiam appositè ait Theodoretus ita fatus: *Tenet sancta ista Sedes gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers fuit & permansit.* Itaque si sanctitas maximè munditiam dicit, & munditia est mistionis impatiens, illa proculdubio Ecclesia erit sanctissima, cuius massa nullius fermenti iniqui adiectione vitiata est. Romanam Ecclesiā talem esse, omnes sinceræ historiæ clamāt; quæ tamen aliis Ecclesiis hos affingunt næuos, vt earum Patriarchæ non solùm hæretici fuerint, sed etiam hæreticorum antesignani, id est, hæresiarchæ, vt supra notaui ex Gregorio. Constantinopoliti

Romana Ecclesia est næuorum impatiens.

Theodoret. ep. ad Renatum.

Greg. l. 4. epist. 32. ad Mauritium Imperat.

Sedes Patriarchales à quibus hæresiarchis occupatæ.

polim præter Macedonium, & Nestorium, occupauit etiam alius hæresiarcha, nomine Sergius. Item præter Ioannem Origenistam, sederunt Ierosolymis Eutychius, Irenæus, & Hilarius Ariani. Nonne etiam Alexandrina sedes conspurcata fuit errore Gregorij, & Lucij Arianorum, Dioscori Eutychiani, & Cyri Monothelitæ? Demum Antiochena sedes, cui aliquando Petrus incubuit, venit & ipsa in discrimen fidei, passa Paulum Samosatenum hæresiarcham, Petrum Gnaphæum Eutychianum, Macarium Monothelitam. De Ecclesia verò Romana secus: nam de ea constat adhuc effatum hoc Ruffini: *In Ecclesia vrbis Romanæ, neque hæresis vlla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.* Si nulla hæresis inde emersit, nusquam excidit illa munditie, quam sanctitas vendicat sibi. Si mos ibi seruatur antiquus, ea stat firmitate, quam postulat sanctitas illibata.

Ruffinus in exposit. Symboli.

Egregium elogiū Romanæ Ecclesiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

Sola Ecclesia Romana sanctitate refulget.

In hæc verba:

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

ARGVMENTVM IV.

Ex Vtroqve Ivre.

Leuit. 5.

Discolor rerum omnium conditio fecit, vt singulæ quæque suis libratæ sint ponderibus. Quippe Deus duo assignauit pondera, iuxta duas rerum classes. Vnum repositum in sanctuario, ad cuius trutinam Hebræi appendebant res Deo sacras. Aliud verò vernaculum, profanis vsibus institutum. Respublica Christiana duobus etiam ponderibus inuestigat indolem rerū, bona sit necne, vt æquis decernat præmia, & sæuiat in iniquos. Hoc præstat vtrumque Ius, Canonicum, & Ciuile: quidquid enim vtriusque Iuris suffragio sancitum est, illud reuera sanctum est, indubia Sanctitate. Si ergo probauero ab vtroque Iure, Romanam Ecclesiam esse Sanctam, profectò blasphemus erit, quisquis enitetur ei affricare næuos. Ecce in eo argumento edictum Imperatoris Iustiniani. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, &c. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes vesanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, vltione plectendos.*

Ecclesia Romana ab vtroque iure commendatur.

Ex Ivre civili.

Lege Cunctos Codice De summa Trinit. l. 1. tit. 1. lege 1.

Tanti fecit Romanæ Ecclesiæ fidem Iustinianus Imperator, vt Codicem suum voluerit auspicari ab ea Constitutione, priùs edita ab aliis principibus, videlicet Gratiano, Valentiniano, & Theodosio. Nota, Imperatores non qualemcunque fidem profiteri, sed singulariter meminisse Romanæ Ecclesiæ, quam sequentes iubent Christianos, Catholicorum nomen amplecti, vt maximè congruum sequacibus Ecclesiæ illius, quæ sola est Catholica, vtpote in omnes orbis oras ab eo iam tēpore propagata. Huius Ecclesiæ fidem esse Sanctam, Catholicam, & Apostolicam, speciali constitutione Iustinianus ait hoc contextu: *Cum recta atque irreprehensibilis fides, quam prædicat Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, nulla modo innouationem recipiat: nos sequentes sanctorum Apostolorum, & eorum qui post eos in sanctis Dei Ecclesiis conuersati sunt dogma, iustum fore existimauimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide qua in nobis est sentiamus, insistentes, & adhærentes traditioni, & confessioni Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ.*

Leg. Cum recta Cod. De summa Trinit. l. 1. tit. 1. leg. 5.

Egregium testimoniū Imperatoris Iustiniani, in gratiam Romanæ Ecclesiæ.

Esto suum decus principale Ecclesia Romana non emendicet à iure Cæsareo; magni tamen nominis est eius testimonium, quo maximè pudore suffundi debent hæretici nostrates, iniurij illi Ecclesiæ, quam impensè maiestas Cæsarea veneratur, vt eam, penes quam residet auctoritas summa, iuxta hunc Canonem, vbi nuncupatur Sancta hæc Romana Ecclesia. En textum canonicum. *Ideo huic Sanctæ Sedi præfata priuilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis Conciliis, & iudiciis, ac restitutionibus Episcoporum, quàm & de summis Ecclesiarum negotiis, vt ab ea omnes oppressi auxilium, & iniustè damnati restitutionem sumant.* Vt in corpore humano caput prouidet singulis membris, quorum læsio etiam capiti ingrata est, ita & in Ecclesia, siquas patitur angustias aliquod membrum, proprium est Romanæ tantùm Ecclesiæ occurrere ærumnis oppressi illius membri, vt collecti spiritus in capite ad membra etiam infima diffundantur. Eò spectat iste Canon. *Ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiant tuitionem, atque consecrationem.* Nota, Episcopos habere à Romana Ecclesia tuitionem, & consecrationem. Vnde exurgit hoc validum argumentum in gratiam conclusionis eius, quæ affirmat solam Romanam Ecclesiam Sanctam esse.

Ex Ivre canonico.

Can. Ideo. 2. qu. 6.

Ecclesia Romana refugiū oppressorum.

Can. Ad Romanam 2. qu. 6.

Ecce argumentum. Nemo omnino sanctitate conspicuus est, nisi pertineat ad veram Dei Ecclesiam. Ast Ecclesia nequit esse sine Pastoribus & Episcopis, aut re, aut in voto, qui referant eumdem habitum, qui refulsit in Ecclesia primitiua, quæ Pastores habuit Apostolos, & Doctores, vt ait Paulus ita fatus: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi.* Ergo cùm sola Romana Ecclesia consecrare queat Episcopos, & mittere Doctores, qui sanctitatis dogmata præstituant; nullibi erit sanctitas extra illam Ecclesiam, quæ sola veros habet Episcopos. Esse autem de ratione Ecclesiæ vt habeat Episcopos, liquidò est hac Pauli sententia: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Vt corpus truncum non est vsquequaque corpus humanum facilè cognitu; ita nec caput seorsim sine membris dici potest corpus hominis. Pari modo populus absque Episcopo, in re, aut voto, non est Ecclesia; neque vicissim Episcopus absque cœtu fidelium est Ecclesia, quia ad rationem Ecclesiæ coëunt Episcopus & fideles, vt congruè Cyprianus ait hoc discursu: *Respondit Petrus dicens: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*

Quomodo Ecclesia nequit esse sine Episcopis.

Ephes. 4.

Actor. 20.

Cyprianus l. 4. ep. 9.

habes, & nos credidimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat Ecclesia, docens quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat; Ecclesia tamen Christianorum non recedit, & illi sunt Ecclesia, & plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse. Fauet Hieronymus ita concludens: *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.*

Hieronym. lib. contra Luciferianos.

Instant hæretici, vigere in suis Synagogis Pastoralem curam, & de facto Lutherum fuisse Episcopum VVittembergensem, Zuinglium Episcopum Tigurinum, Oecolampadium Basileæ Episcopum, & Caluinum Episcopum Geneuensem, atque ita non deesse sanctitatem illi Ecclesiæ, cui dedere nomen suum. Respondeo ad hoc vt sit quis Episcopus legitimè consecratus, esse duo necessaria. Primum vt ille Episcopus succedat alteri Episcopo, aliàs à Sede Apostolica ordinato: aut si primus est loci huius Episcopus, ab ipso Papa creatus sit. Alterum est, vt ordinetur secundum formas in Canone præscriptas. Ergo patet, hæreticos carere veris Episcopis, quia nulla est apud eos successio & ordinatio Canonica, vt dicam alibi ex professo. Vnde hoc superest, vt sola Ecclesia Romana sit Sancta, vbi omnia vigent primitus instituta.

Quare Caluinistæ, & Lutherani, non habeāt veros Episcopos.

SENSVS ORTHODOXVS.

Pars Altera Cotroversiæ.

Omnibus extra Ecclesiam positis inuius est aditus ad regnum cælorum.

In hæc verba:

Filij autem regni, eiicientur in tenebras exteriores.

ARGVMENTVM. I.

Ex Scriptvra, Et Sanctis Patribvs.

EBulliente adhuc sanguine Christi in præcordiis fidelium, ipsorum etiam sanguis amore Dei calens, morte tenus efferbuit. Id præcipuè enituit sæuiente in Christianos Diocletiano Principe, exercente odia acerba in sinceræ fidei professores. Audiit ille aliquando, fideles conuenisse in Ecclesiam die natali Christi, vt debitum Deo pensum simul exoluerent. Ille ratus se præstiturum obsequium insigne Ioui, armato milite cinxit Ecclesiam, cui etiam magnam adiecit lignorum struem, adhibito pro foribus Ecclesiæ præcone, qui clamaret non procul hinc esse erecta Deorum simulacra, quibus vnicuique Christiano fas erat adolere incensum, si se vellet subducere ignitum globis, qui iam erant illam Ecclesiam absumpturi. Fuere in biuio Christiani; aut constare sibi conflag rando simul, & ita demerendo cœlos; aut prosilire foras, venerando Deos, Cœtus ille magnanimis haudquáquam dubius hæsit in delectu: quippe sciebat, illius Ecclesiæ septis concludi salut em suam, nec quempiam posse turò prodire foras, quia illic idola prostabant, à singulis quibusque transfugis adoranda. Vrgenti itaque præconi conclamantes dixere se paratos esse, in gratiam Christi flammis occumbere potiùs, quàm procumbere ante idola. Idcirco admotæ faces accenderunt ignem, qui extinxit gloriosam illam turbam, dignatam cœlo eodem die, quo dignatus est Christus nasci in sæculo. Eadem sors manet omnes, qui vt decet salutari Ecclesiæ gremio concluduntur. Hæretici mittunt, præcones qui debacchantur in Romanam Ecclesiam, diraque minantur, si fideles non referant inde pedem. Suos errores proponunt vt idola, quibus qui litarunt exeuntes extra castra Ecclesiæ, miserè perierunt. Qui verò secus adhæserunt Ecclesiæ, conflagrarunt amore Dei, & sacri huius ignis obsequio, ad cœlos euecti, æterno tandem gaudio gestierunt.

Ex Nicephoro lib. 7. histor. c. 6. fuere viginti mille martyres illi combusti Nicomedia.

Exire extra Ecclesiā hoc est impingere in idola.

Egregia cōstantia viginti millis Christianorum Martyrum.

Extra Ecclesiam nulla salus.

Id ipsum clamat titulus iste, arcens ab introitu cœli omnes extorres ab Ecclesia, iuxta Christi Domini sententiam latam in omnes homines infideles: *Qui non crediderit condemnabitur.* Cui adiice & alium hunc textum. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ratio conuincens animum hæc est. Nemo potest fieri compos gloriæ æternæ, quin priùs expertus sit gratiæ Dei influxum. At gratia neminem potest ad Deum conuertere, si huic antea non innotescat Christus. Ergo cùm sola fide sciatur Christus, quem nulla alia scientia potest ingerere nobis; frustra infidelis homo enititur ad gloriam, positus extra Ecclesiam, cuius fides est ianua. Esse alienum ab Ecclesia, Christus recensuit inter maledicta extrema, ita fatus: *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Quasi diceret, eum qui transilit Ecclesiæ septa, deuenisse in summam perniciem. Malorum enim omnium hoc præcipuum est discrimen; scilicet inde recedere, vbi tantùm est compertum bona omnia residere. Cùm ergo fides nos conscribat filios Ecclesiæ; hoc fixum esto, infideles omnes esse foris, atque adeò nullum prorsus habere ius ad gloriam. Ita Ignatius ille Martyr coæuus Apostolorum, hæc scribens: *Nemo erret; nisi crediderit Iesum Christum in carne conuersatum, & crucem illius confessus fuerit, non assequitur vitam æternam.* Compendiosè expedit istud negotium Clemens Alexandrinus, isto breuiloquio: *Fides clauis est regni cælorum.* Et quia fides duo potissimum spectat, diuinitatem scilicet & humanitatem Christi; poterit fidei conuenire symbolum illud, quod semel & iterum alibi recensui in alio argumento. Dixi Paradinum pingere duas claues decussatas, id est, in modum crucis dispositas, hoc titulo adiecto. Hic ratio tentandi aditvs. Esto aliàs detorserim hoc symbolum apposité ad aliud institutum; non ineptè tamen reuocari potest ad fidem quam Clemens vocat clauem regni cœlorum. Ea nempe est Ratio tentandi aditvs, qui profectò nulli peruius erit absque fide. Nam ex Chrysostomo: *Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit. Est enim fides innocens ac pura credulitas, qua ad Deum accedimus, qua præceptis insistimus, qua expiata mente Dominum veneramur. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet felix est: qui deseruerit miser. Hæc in Ecclesia signa ostendit, virtus exercet,*

Marci vltimo.
Ioan. 3.

Fides nulla extra Ecclesiam.

Matth. 18.
Ecclesiam deserere est malorū omnium summa

Ex SS. Patribvs.

Ignatius epistola ad Smyrnenses.

Fides clauis est regni cœlorum.

Ex Symbolis.
Paradinus. lib. symbol.

Ex SS. Patribvs.
Chrysost. ser. De fide, spe, & charitate.

est, charismata complet, hæc amplexanda nobis est semper: hæc mentis virtute tenenda. Per illam enim venimus ad Christum, per illam pergimus ad Deum, per illam properamus ad cælum. Nonne hoc perinde est, ac extra Ecclesiam omnes arceri à gloria æterna?

Præclara encomia fidei.

Si obiicias, posse hominem infidelem aliquali virtutum praxi eminere, & nefas esse hæc omnia bona opera edita deperire? Ioannes Climacus sic tuam soluet instantiam. *Qui fidem non habet, & bona quædam fortè operatur, is ei similis est, qui haustam aquam in perforatum dolium immittit.* Alter etiam Ioannes, scilicet Damascenus, ita fatur: *Si quis fide tamquam manu ductus, Deum bonum, & omnipotentem, & verum, & sapientia & iustitia præstantem reputet, omnia plena, & æquabilia, viamque rectam inueniet. Nam fieri sine fide non potest, vt quisquam salutem adipiscatur.* Bellè ait Cyprianus gratiæ pondus appendi ad trutinam fidei. Sic ille: *Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantùm gratiæ inundantis haurimus.* Quisquis ergo positus extra cancellos Ecclesiæ prætexet bona opera, vt eis nundinetur æternas merces, illud idem audiet quod Balasar audiit, à Domino. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Nimirum, quidquid operatur infidelis, illud omne perperam recensetur ad æterna gloriæ stipendia promerenda. Quippe ex Lactantio: *Nulla spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit.* Subscribit Hilarius hoc suo chirographo: *Salus Gentium ex fide est, & in præceptis Domini vita est vniuersorum.* In eam it sententiam Hieronymus, ita exultabundus cōpellans Christum: *Domine, oculi tui respiciunt fidem, non opera Iudæorum, in quibus, iuxta legis ceremonias exultabant, sed fidem Christianorum, per quam gratiâ salui facti sumus.*

Bona opera sine fide non recolentur in vita æterna.
Climacus gradu 26.
Fidei & gratiæ nexus indiuiduus.
Ioan. Dam. lib. 4. de fide orthodox. cap. 12.
Cyprian. l. 2. epist. 2.
Daniel. 5.
Lactantius l. 4. institut. cap. 19.
Hieronym. in cap. 5. Ieremiæ.

Sunt qui fidem dicunt esse veluti rudimentum bonorum operum, & equidem congruè. In his est Ruffinus ille æmulus Hieronymi, cuius iste est discursus. *Credo, primò omnium ponitur, sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit: Credere enim primò omnium accedentem ad Deum oportet quia est, & credentibus in se remunerator sit. Vt ergo intelligentiæ tibi aditus patescat, rectè primò omnium te credere profiteris: quia nec nauem quis ingreditur, & liquido ac profundo vitam committit elemento, nisi se prius credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque Solis teporem, quibus terra confota, segetem multiplicata fruge ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid ergo mirum, si accedentes ad Deum, credere nos primò omnium profitemur, cùm sine hoc, nec ipsa exigi possit vita communis? Hoc autem idcirco in principiis præmisimus, quia pagani nobis obiicere solent, quòd religio nostra, quia quasi rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat. Et ideo ostendimus nec stare, nec agi aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi.*

Fides est rudimentum bonorū operum.
Ruffinus in expositione symboli.
Fides quare debeat præire bonis operibus.

Ex Sede Petri, Leo conclusionem hanc sic decernit: *Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura: mors morte destruitur, natiuitas natiuitate mutatur: quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & generatio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.* Cùm iustificat peccatorem fides illibata, dat ei ius ad gloriam, ad quam nullo omnino modo pertinent infideles. Nec vllâ plane aliâ portâ subiere cœlos Sancti omnes, quàm necessario fidei ostio. Ita Leo. *Vna fides iustificat vniuersorum temporum Sanctos, & ad eamdem spem fidelium pertinet quicquid per Mediatorem Dei & hominū Iesum Christum vel nos confitemur factum, vel Patres nostri optauere faciendum.* Non est in eo argumento prætereundus Fulgentius, ita meam conclusionem adstruens: *Gaudeo quòd pro vera fide sine vllo perfidiæ vitio custodienda solicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse imò nec esse conuersio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo. Fides namque bonorum omnium est fundamentum: fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest peruenire: quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem: sine fide omnis labor hominis vacuus est.*

Leo serm. 2. de natiuitate cap. 4.
Fides ad iustificationē planè est necessaria.
Idem ser. 24. de Passione Domini c. 2.
Fulgentius de fide ad Petrum Diaconum in prologo.
Fidei necessitas à SS. Patribus cōmendata.

Frustra ergo se torquent hæretici, iactantes certitudinem suæ salutis, quam facere dubiam, piaculum putant. Nihil illis & cœlo, quia nihil illis & Ecclesiæ, quam quis renuerit habere matrem, ille etiam spernit Deum habere patrem. Sanctorum Patrum agmen claudet Bernardus, suum calculum adiiciens pro illo effato, quo adstruitur fidei necessitas ad demerendum Deum. Sic ille: *Necesse est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per intelligentiam Dei: deinde quòd nihil prorsus habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse, &c. Ideoque si credideris, ipsa peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis: sed adde adhuc, vt & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua.* Ille idem Deum compellans, ita fatur: *Quisquis pro peccatis compunctus, esurit ac sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium, & solam iustificatus per fidem, pacem habebit apud Deum.* Cum ergo Sancti omnes Scripturæ sacræ subscribant, affirmantes, fidem esse veluti præludium salutis nostræ, quod perinde est ac dicere, extra Ecclesiam nullam omnino esse viam ad salutem; nonne delirat Erasmus, cùm affirmat Ciceronem sine fide saluum esse? Nonne item hallucinantur omnes nouatores, qui etsi transfugæ recesserint ab Ecclesiæ caulis; concrepantibus buccis aiunt, se securos & certissimos de salute sua, cùm tamen extorres sint à gloria, omnes fidei orthodoxæ impij desertores?

Fides præire debet remissioni peccatorum.
Idem ser. 22. in Cantica.
Erasmus in commentario in Tusculanas quæstiones.

SENSVS ORTHODOXVS.

Nulla salus manet eos, qui sunt extra Ecclesiam.

In hæc verba:

Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.

ARGVMENTVM II.

Ex Vtroqve Ivre.

Excogitauit olim fabricam industriam Marcellus Romanorum Consul. Is nempe duas ædes

Plutarch. in Marcello.

Ecclesiæ triumphantis cum militante societas magna.

ædes fecit sacras Honori, & Virtuti, ita contiguas, vt aperto tantùm Virtutis fano, liber esset aditus ad Honoris templum. Voluit ille architectus insinuare honorem, & virtutem esse res adeò concolores, vt qui anhelat ad honorem, debeat etiam litare virtuti, vt præcipuo gloriæ rudimento. Probo inuentum, vtpote congruum indoli virtutis, & honoris. Potior tamen est vnio vtriusque Ecclesiæ, triumphantis scilicet, atque militantis: gratia quippe Dei vtramque compaginat hoc contextu, vt ingressi Ecclesiam militantem, soli gaudere queant introitu Ecclesiæ triumphantis. Vnde illibata stat conclusio nostra, nullam esse Ecclesiam præter Romanam, à qua fas sit transire ad cœlestia tripudia. Priscis Ecclesiæ temporibus Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, successor Marci Euangelistæ, credidit licere sibi deuiare ab institutis Romanæ Ecclesiæ, & suam sic regere Romano Præsule inconsulto. Temerarios ausus Leo Papa compescuit, à quo emersit iste Canon. *Cùm beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quòd sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, aliis regulis traditionum suarum decreta formauerit: cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ, vnus spiritus fuerit, & discipuli, & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit.*

Dioscori Patriarchę Alexandrini temeritas.

Ex Ivre canonico *Canone Cùm beatus 24. quæst. 1.*

Ecclesia Romana à B. Petro fuit instituta.

Cùm ergo audis Ecclesiam absolutè, Romanam intellige, extra quam quisquis est positus, ille est extra Ecclesiam, vt Cyprianus arguit, probans Nouatianum esse dissitum ab Ecclesia, quia à Cornelio Pontifice Romano segregatus erat. Sic ille: *Ecclesia vna est, quæ vna intus esse & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter sacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit; Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica & Apostolica traditione contempta nemini succedens, à seipso ortus est. Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.* Eum verò, qui est foris, esse etiam à Deo prorsus alienum, clamat iste Canon. *Alienus est, hostis est: habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* In eo argumento familiaris est similitudo petita ab arca Noë, quæ dum vortices aquarum deglutirent homines, illis tantùm consulit, qui beneficio huius arcæ gauisi sunt. Ita & Canones sancti hoc velut indubium astruunt; videlicet omnes qui Ecclesiæ septa transiliunt esse procul à salute. Accipe Canonem. *Quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit. Super hanc petram ædificabo Ecclesiã meã. Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat: sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia Dominus præcepit dicens: In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna namque domo agnus comeditur: quia in vna Catholica Ecclesia, vera hostia redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri foras*

Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ.

Ecclesia Romana est vera Ecclesia, ex Cypriano.

Canone Alienus est 24. quæst. 1.

Ecclesiæ desertor, est infidelis.

Canone Quia ex sola 24. qu. 1. Exod. 22.

Ecclesia Catholica sola est vbi, & vnde veritas emicat.

prohibet; quia sanctum dari canibus vetat. Sola est, in qua bonum fructuosè peragitur: vnde & mercedem denarij non nisi qui intra vineam laborauerant acceperunt. Sola est, quæ intra se positos valida charitatis cõpage custodit. Vnde & aqua diluuij, arcam quidẽ ad sublimiora sustulit; omnes autem, quos extra arcam inuenit, extinxit.

Non possum in eo argumento pretereire tacitum Hieronymum, qui positus in Oriente, procul ab vrbe Roma, exosos habuit naufragos homines, scilicet hæreticos omnes, quibus ne crederetur adhærere, Summo Pontifici Damaso scripsit, se illi, soli dare manus, aliasque damnare sectas, vt alienas à Sede Petri, à qua recedere cadere est. Ait ille, Orientales mundi plagas æuo suo propè submersas fuisse, errore iniqui dogmatis exundante. Ideoque appellere ad arcam Noë esse salutare negotium. Longior epistola non erit ingrata, vtpote congrua titulo, quem probare, pensum est istius controuersiæ. Sic ille: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam per frusta discerpit, & Christi vineam vulpes exterminãt, vt inter lacus contritos, qui non habent aquã, difficile, vbi fons signatus, & hortus ille cõclusus sit, possit intelligi, ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatã censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibũ, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarũ, me à pretiosa margarita potuit inquisitione prohibere. Vbicũq; fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrũ seruatur hereditas. Ibi cespite terra fœcunda Dominici seminis puritatẽ centeno fructu refert: hìc obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea: hìc testacea vasa, vel lignea, virgæ ferrea, & æterno operiuntur incendio. Quamquam igitur me tui terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimæ salutem, à pastore præsidium ouis flagito. Fatiscat inuidia Romani culminis, recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Siquis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem: Meletium respuo: ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit.*

Ecclesiæ Romanæ Hieronymus adhærendum dixit toto Oriente erroribus agitato.

Ex SS. Patribvs *Hieronym. epist. ad Damasum.*

Ecclesię Romanæ egregia cómédatio facta à Hieronymo

Ecclesia Romana sola est portus securus mundo sectis variis agitato.

Ecclesię Romanæ cum arca Noë congrua cóparatio.

Homines Ecclesiæ iniurij, & deficientes à fide, non exciderunt tantùm salute sua æterna, & Iure Cæsareo nulla salus eis conceditur in sæculo; imò Imperatores hæc omnia hominum impiorum capita detestantur. Hos ab Ecclesia extorres mulctant multiplici pœna, vt angustiis erudiri perfidi resipiscant. Hæc decreuerunt Imperatores Arcadius, Honorius, & Theodosius contra hæresim. *Ac primum quidem volumus esse publicum crimen, quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam, quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur. Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non*

Ex Ivre civili. *Lege 4. §. 1. Cod. De hæreticis lib. 1. titul. 5.*

Imperatores Christiani.

hæreticos malè habuerunt.

postremo contrahendi, cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio extendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito & hic debet subire tale iudicium. Ergo & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue epistola, siue quolibet alio genere reliquerit voluntatem. Sed nec filios hæredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Delicti enim veniam pœnitentibus damus. In eos etiam auctoritatis nostræ aculei dirigantur, qui eos domibus suis, damnanda prouisione defendunt. Seruos insuper extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum euitantes, ac Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transierunt. Ius Canonicum omnem salutis spem adimit his qui defecere ab Ecclesia, gloriæ æternæ præcludens ostium quamdiu pertinaces extiterint. Ius verò Cæsareum pro suo modo desæuiens in perfidos, ab eis arcet quidquid temporale potest esse homini salutare.

Omni iure humano cadunt hæretici, vbi viget Ius Cæsareum. Hæretici quibus pœnis addicti Iure Cæsareo. Hæretici Iure canonico condénati.

SENSVS ORTHODOXVS.

Salus indubia animarum in sola Ecclesia Romana præstat.

In hæc verba:

Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.

ARGVMENTVM III.

Ex Historia Ecclesiæ Primitivæ.

Pisces exquisiti aduerso semper flumine enituntur.

EXquisitorum piscium genius is est, vt enitantur semper aduerso flumine, & sic inuestigent capita fluuiorum. Hinc est maximè piscium ferax lacus Lemanius, quia decumanæ truttæ, & salmones fluuiatiles indigenæ, subodorantur non abesse hinc Rhodani fluminis incunabula. Hoc piscium ingenium æmulati sunt semper Patres in Conciliis adunati. Quotiescumque enim emergentes hæreses dubium fecere aliquod dogma, statim Præsules, quibus incumbit cauere Ecclesiæ, recoluere ritus priscos deductos ab Apostolis, vt ad hanc normam Ecclesiam totam dirigerent. Vt ergo liquidior sit nostra conclusio, affirmans, salutem animarum esse repositam penes solam Ecclesiam Romanam; reuoluenda sunt illa priora sæcula, & ex eo scrutinio colligendum, fuerit ne salus animarum alibi, vel non.

Ecclesia in dubiis emergentibus circa fidem semper consuluit Apostolorum æuum.

Ad hoc autem vt veritas se totam prodat, ex abditis Ecclesiæ monumentis, hoc primum suppone, scilicet bonum esse ex integra causa, ac proinde sanctitatem, cuius obsequio constat salus nostra, debere esse lethalis noxæ expertem. Gratia namque, & peccatum mortale non coëunt. Hoc prælibato, hæc esto conclusio, dirimens istud omne litigium. Extra Ecclesiam plures sese effuderunt sectæ, sequaces suos habentes, suæ proteruiæ propugnatores acerrimos; sed singulæ quæque sectæ, peculiares sibi nequitias professæ sunt, à quibus abhorret sanctitas illa requisita ad hoc vt salutem suam anima sortiatur. Cùm ergo sola Ecclesia Romana illibatam seruet illam sanctitatem, quæ in Sanctis enituit; profectò, penes illam tantùm est salutis omnimodæ disciplina. Si placet auspicari à Paganis idololatris, omnia apud eos fœtent. Iouis cum Iunone incestus eis diuinum quidpiam spirat. Martis cum Venere adulterium, cultores eorum prouocat ad exemplum. Hinc Veneri templa erecta, in opprobrium castitatis. Deteriores adhuc fuere Iudæi Gentibus, propagata fide Christiana. Nam præter sordida lucra, quibus iniquis artibus student, edidere libros Talmudicos, quibus vrgentur ad pleraque facinora, & præcipuè ad exterminium fidei Christianæ. Ex paganismo & Iudaismo coalescit Mahumetismus, in quem velut in cloacam coïere fæces omnes Iudæorum atque Gentilium. Præcipuè apud eos viget vsus infandæ libidinis, vt & homines lacerare, aut ad palum transfigere, iocus est Tyranni, qui sic ludit in humanis.

Quare Ecclesia Romana sit sola Sancta.

Gentilium religio quã fœda & turpia de suis Diis commemorat.

Iudæi quàm absurda de Deo credãt in libris Thalmudicis vide in bibliotheca Sixti Senensis.

Turcæ quàm impij sint.

Esto hæretici dignati sint aliquali notitia Christi; nihilo fuere aliis sanctiores: imò iniquitatis accepere incrementum ex defectione sua à fide, qua extincta, in quas deuenere sordes? Meminisse horret animus ea, quæ recenset Epiphanius de Gnosticis. Nimirum adeò sunt obscœna, vt nolim mea scripta pollui illo contagio. Veneris abhorrendæ. Nescio an his in nundinis, licitatores sese præstiterint Carpocratiani, quorum dogma erat suasio ad omnia facinora turpiter exantlanda, vt auctor est ipse Epiphanius. Montanistæ sua præcipua sacra faciebant mactantes infantem anniculum, vt eis exprobrat Augustinus, qui alias Manichæus innumera eorum deliria commemorat, in quibus est singularis illa ineptia, qua fabulantur partes diuinæ essentiæ coangustari vinculis principis tenebrarum. Donatistarum secta, quæ maximam Africæ partem populata est, ita dementauit homines, vt Martyrij speciem esse crediderint, consciscere sibi mortem. Idcirco gregatim homines è rupibus se præcipites in mare dabant, vt referunt Augustinus, Theodoretus, & alij.

Epiphan. hæres. 26. Gnostici fuere obscœni hæretici. *Epiphan. hæres. 27. Augustinus hæres. 26. Idem hæres. 46. Idem Epist. 50. Theodoretus l. 4. de hæreticis fabulis.*

Nostrates hæretici, omnium errorũ fecere compendium, cui inscripsere nomen religionis reformatæ. Vt impunè peccent, hæc impia suæ sectæ iecere fundamina, scilicet hominem sola fide iustificari, & vitanda esse bona opera, vt inutilia ad salutem. Damnauere vota continentiæ, & suo exemplo suasere multis presbyteris, vt moniales ducerent in vxores, & sic eo sacrilegio claustri ostia reserarunt. Dixere sententiam in Quadragesimam, aliasque actiones institutas ad castigandum corpus damnauere vt iniquas. Et vt superbia ascendit semper; Sectarij petiere Sanctos, prohibentes eis rependi cultum, quo eos dignata est Ecclesia ab incunabulis. Quodque mali summa est, expunctâ Missâ è pluribus locis, altaria funditus euerterunt. Demum inducantur omnes sectæ, nulla omnino nitorem præferet eius puritatis, quæ refulgere debet in anima beanda dotibus æternis. At secus examini subdantur omnia dogmata Ecclesiæ, nihil nisi suaue olens afflabunt; & equidem congruum illi sanctitati, quæ decet animas euehendas in illam Ecclesiam, quæ excipit strenuos athletas Ecclesiæ militantis.

Hæreses omnes aliquam singularem nequitiam sunt professæ.

Lutheri & Caluini secta quàm sit impia, & sacrilega.

Ecclesia Romana sola est cuius dogmata nihil spirant præter sanctitatem.

Dixi, sanctitatem importare munditiam, atque firmitatem. Si explores dogmata Ecclesiæ, ea nihil nisi puritatem spirant. Verbi gratiâ, Ecclesia Romana non solùm præcipit abstinere à toto alieno, sed insuper est suada voci continentiæ. Non præscindit tantũ manus vsurpantes indebitũ, fœnus;

Ecclesiæ Romanæ decreta qualia sint.

fœnus, sed suggerit propositum paupertatis spontaneæ. Non damnat tantummodo fastum, sed hominem suauiter inclinat ad sectanda humilia obsequia, Christi indolem illis actibus æmulando. Demum, si quidpiam alibi nitet decurtatum, & in frusta diuisum aliis sectis, illud omne coit in disciplinam illam, quam prædicat Ecclesia Romana, cui soli aptare potes Dauidicum illud: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Nulla nempe hæreticorum secta populum Gentilem pellexit ad ritus suos vsurpandos. Nam cùm ad mutationē religionis priscæ, præter dogma nouū, sequitur etiam sanctitas vitæ in his, qui noua referunt instituta, nulla planè secta potuit inclinare Gentes ad errores suos, ob defectum sanctitatis, quæ sarta tectaque fuit semper in Ecclesia, vnde tantùm prodierunt illi, qui orbem ferè totum Christiano dogmati pepererunt.

Quare nulla secta potuerit Gentes inclinare ad errores suos. Ecclesia Romana sola est quæ Gētes post Apostolos ad fidem traxit.

Præter Apostolos, & eorum discipulos, qui dispersi sunt in omnes mundi plagas, disseminandæ fidei causà, quam suo sanguine resperserunt; ipsi etiam Centuriatores hæretici fatentur, Catholicos omnes eas conuertisse Gentes, quæ dedere nomen suum Christo. In primis recensent Anglos, quos ab idolorum cultu Gregorius Papa sexto sæculo reuocauit, eò missis Monachis, qui doctrina & exemplo Anglos Ecclesiæ, pepererunt. Altero post sæculo, Kilianus vir sanctus, à Canone Papa missus, Francones conuertit. Paulò post Bonifacius Episcopus & Martyr maximam Germaniæ partem initiauit sacris fidei arcanis. Iidem Centuriones non inficiantur Monachos Corbeienses conuertisse Vandalos. Fatentur etiam, à Catholicis tinctos fuisse Bulgaros, Sclauos, Polonos, Danos, Morauos. Sæculo vndecimo, Hungaria Rege suo Stephano conuerso ad fidem, accepit Episcopos à Romano Pontifice. Adrianus IV. ante suum Pontificatum missus ab Eugenio Papa, Noruegiam adiecit caulis Ecclesiæ, vt auctor est Platina. B. Antoninus ait, Vincentium, virum vtique sanctum ex familia Sancti Dominici, alluisse salutaribus aquis viginti quinque millia hominum Iudæorum, & Saracenorum. Congruum sanè fuit vt essent nitida vasa, quæ debebant sacram fundere disciplinam. Idcirco Deus designans Apostolum Paulum in præconem verbi sui, priùs eum fecit vas electionis, vt esset idoneus ad fidei Christianæ sacros latices effundendos: Ratus quippe est, qui velit sedare sitim suam poculo marginis inquinatæ.

Centuria 6. c. 2. col. 37. Centuria 7. c. 2. col. 31. Centuria 8. c. 2. col. 20. Centuria 9. c. 2. col. 15.

Platina in Adriano. IV.

Antoninus 3 par. histor. tit. 23. c. 7. 8. Ecclesiæ prædicatores fuere sancti.

Ex SS. PATRIBVS.

A Doctorum sanctitate, Augustinus arguit in gratiam disciplinæ, quam sparserunt. Sic ille: *Isti sunt Episcopi, & Pastores docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis magnisque ministrauerunt. Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit.* Hæreses autem omnes diabolo patre satæ, fuere fœtus superbiæ. Quippe hæresiarchæ omnes, supra alios enitentes assurgere, infra se ceciderunt, vt recolit Augustinus ita fatus: *Diuersis locis, sunt diuersa, sed vna mater superbia omnes genuit; sicut vna mater nostra Catholica, omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.* Prior occurrit Simon Magus, qui ambiens Episcopalem auctoritatem, qua influebat Spiritus sanctus in animas, quia repulsam passus est, à fide deuius aberrauit. Tertullianus ait, Valentinum non assecutum infulas Episcopi, excogitasse suam sectam. Et proh dolor! vtinam ipse Tertullianus humilior, aliorum lapsu cautior extitisset, non ægrè tulisset, Victorem contribulem suum fuisse suffectum in locum Papæ Eleutheri extincti. Æquo etiam animo tulisset se non euectum ad infulas Carthaginis Episcopatus, vnde Pamelius arbitratur accepisse ansam deserendi fidem, & in Ecclesiæ dogmata debacchandi. Marcion etiam anhelans ad principes Ecclesiæ dignitates, ipse sua frustratus, factus est iniqui dogmatis institutor, vt scribit Epiphanius. Vt alios hæresiarchas sileam; nonne Lutheri defectio ab Ecclesia Catholica fuit negotium superbiæ? Namque vt vidit prædicandæ indulgentiæ munus indictum religiosis Beati Dominici alumnis, & se ex Augustiniana familia postpositum; ille eo titulo sui impos arbitratus est facturum se sibi nomen grande, si nouus hæresiarcha Ecclesiæ dogmata laceraret.

Augustinus libro 2. in Iulianum.

Idem lib. de pastoribus cap. 8.

Tertull. lib. contra Valentin. Quare hæresiarchæ desertores Ecclesiæ.

Pamelius in vita Tert. Tertulianus quare defecerit ab Ecclesia.

Epiphanius hæres. 42. Lutheri defectio ab Ecclesia, vnde fuit.

Ioan. Cochlæus de actis Lutheri sub anno 1517.

Sed quidquid oblatrent hæretici, Ecclesia Romana fuit semper Sancta, nec vnquam sanctitas illa patietur deliquium, iuxta illud effatum Tertulliani ante lapsum suum. Audi oraculum: *Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Statim fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Potior adhuc est auctoritas Martyris Ignatij, qua maximè sanctitas Romanæ Ecclesiæ commendatur. Sic ille: *Ecclesia, quæ præsidet in loco Romanæ regionis, Deo digna, decentissima, beatificanda, laudanda, digna quæ quis potiatur, castissima, & eximiæ charitatis.* Demum hoc maximè commendat Ecclesiam, quòd sectæ omnes defecerunt, aut saltem instar earum deliquium; & tamen Ecclesia, prior aliis sectis, orbe toto adhuc hodie propagatur. Eusebius magni fecit illam rationem, ita fatus: *Cæterùm insignis veræ & Catholicæ Ecclesiæ splendor, perpetuò eodem modo, & iisdem virtutum vestigiis incedens, mirandum in modum propterea creuit, & dilatatus est, quòd veneranda, sincera, libera, modesta, pura diuina viuendi rationis, Christianæque pietatis institutio per vniuersum cùm Græcorum, tum barbarorum genus claritate quadam eximia & decora enituit. Nostra igitur sola permansit disciplina, vtpote quæ tum propter grauitatem, & modestiam, tum propter diuinæ sapientiæ præcepta, institutaque sola esset apud omnes, & auctoritate posita, & summa amplitudine præstare indicata.* Itaque qui stat, videat ne cadat, & qui Ecclesiæ gremio concluditur, ad sanctitatis apicem pro viribus enitatur.

Tertullian. lib. de præscrip. c. 36.

Ignatius epist. ad Rom.

Ecclesiæ Romanæ encomia decantata à viris magni nominis.

FERIA SEXTA CINERVM.

EVANGELIVM SECTVM IN TOT NVMEROS, quot sunt textus literaliter expensi iuxta intentum Spiritus sancti.

Matth. 5. I. Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

II. Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt.

III. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

IV. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt si eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. 1. *CHRISTVS indigestam molem legis Mosaicæ decocturus, ignem idoneum desuper attulit; scilicet, amorem, quem subiiciens veteri legi, malè explicatæ à Scribis & Pharisæis, tota illa inculta legum massa colliquata transiit in Euangelij sanctius institutum, cuius summa penes amorem est, quem Dominus etiam vult inimicis omnibus exhiberi.*

§. 2. *Ne autem legis inaudita praxis ardua facessens negotium; animos deprimeret; locuples adiecit stipendium, pollicitus eos fore filios Dei, qui impigrum obsequium illi legi rependerent, præstando se beneficos erga æmulos, etiam perniciem iugiter anhelantes.*

§. 3. *Vtque virtus exercita feriarum impatiens nescit inducias; Christus suis neophytis alia argumenta suppeditat proficiendi, suadendo vt quisque sibi Deum præfigat in scopum, seu typum, quem studeat illibatis ab omni fæce actibus imitari.*

§. 4. *Et quia tersiores virtutum actus emicant, diffundentes lumen suum; hoc præcipuè monet consultor ille opportunus, ne caliget anima circumfusa luce virtutis suæ, conquirendo applausus hominum, & captando oculorum gratiam quæ solet omnia bona opera deprædari.*

SENSVS LITERALIS.

Euangelii summa penes amorem est, cuius igne decoquitur immatura lex Hebræorum, & carpitur cruda interpretatio Iudæorum.

In hæc verba:

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

§. I.

CONIECTVRA I.

EX RATIONE.

IRrito conamine, diu luctatus Hercules cum serpente hydra multorum capitum, quæ excisa denuo pullulabant, abiecto gladio, & clauâ depositâ, titionem ardentem accepit, & eo armatus, hydræ occurrit, cuius omnia capita elisit, ignis suffragio; sicque Hercules, non in acie gladij, sed duntaxat ignis ope præualuit in serpentem. Ita Christus hodie aggressus est peccati excidium, quod *Plato l. 4. de republica. Plutarch. de fortuna Alexandri.*

Congruum exordium ad texendam concionem de amore inimicorum.

quod frustra tentauit lex vetus, adhibitis etiam minis, atque suppliciis contra delinquentes. Verbi gratiâ, lex illa antiquata arcebat homines ab iniuria inferenda, formidine pœnæ; siquidem præcepto adiecta erat pœna talionis, hoc contextu: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Hæc equidem mulcta fuit gladius extirpans rabiem illam, quæ prosiliendo totas in verbera diffunditur; sed non extinguit abdita semina iurgiorum, quibus vigentibus in intimis præcordiis, anima liuore percita contabescit. Et vt tabes illa lethalis est homini, qui concepit odium immortale, suo plerumque contagio lædit inimicum, effundendo virus suum, iniquo susurro famæ iniurio, conuiciis, imò & plagis inflictis, pœnâ talionis ebullientis iræ impetus minimè remorante. Quod itaque lex Mosaica non potuit districto etiam gladio ad compescendas iniurias, Christus hodie præstitit adhibito amoris igne, cuius obsequio corruit hydra peccatorum. Dixere veteres, hydram esse serpentem limo & paludibus assuetum, cui erant septem insita capita mortalia, quibus erat adiectum octauum caput expers mortis. Vt ouum ouo simile; ita & peccatum hydræ. Namque illud diuaricatur in septem capita lethalia, quæ Deo fauente, & aspirante illius gratiâ, præscindi possunt, vt de facto hodie plerique infideles, accincti gladio pœnitentiæ, cœlitus adiuti, septem peccatorum capita fortiter amputarunt.

Leuit. 24.
Amoris obsequio plus præstitit Christus quàm lex Mosaica pœnis indictis.
Hydra quale serpentis genus.
Hydra symbolum idoneũ peccati.

Inclinatio ad peccandum difficilis est extirpari.

Sed esto præcisa fuerint hæc capita septem; periculum est ne rediuiua facessant negotium, quamdiu caput octauum erit viuidum & superstes. Caput hoc est concupiscentia seu fomes peccati. Quamuis illa concupiscentia, ex traduce nobiscum sata, non sit peccatum, animam tamen torquet, & inclinat in peccatum, quod abactum redit, si concupiscentiæ pruriginem anima cautè non declinet. Nobis inuitis, peccato etiã superato, residua est illa iniqua radix, haudquaquam facilis extirpari. Eò spectant illæ Bernardi querulæ voces: *Quis ita ad vnguem omnia a se superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur, &c. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa, &c. Putetur cupiditas, vt virtus roboretur.* Pace tanti viri dixerim, non potest cupiditas amputari, sed comburi potest. Assidua namque virtutum praxis concupiscentiæ surculos omnes non euellit, vt Paulus expertus est, sentiens aliam legem in membris suis, sanctioribus animæ legibus aduersantem. Castigabat corpus suum strenuus hic athleta, fractus angustiis pœnitentiæ; nec tamen acies huius gladij prurientis concupiscentiæ fibras omnes potuit extirpare.

Bernard. serm. 58. in Cantica.
Fomes peccati nobis inuitis apud nos residet.
Mariæ Deiparæ fomes subtractus in conceptione Christi ex S. Thoma 3. p. q. 27. art. 3.

Quod nesciit egregius Pauli gladius, illud totum præstitit ignis in Maria: Tantus enim apud eam amor incanduit, vt eo conflagrante, fomes ille peccati ademptus sit ei, nemine reclamante. Itaque sortitur amor effectus, ad quos nequeunt pertingere aliarum omnium virtutum ardua facinora fortiter exantlata. Illâ amoris panopliâ sequaces suos hodie Christus instruit, ne anhelent in cædes & verbera, vlturi conceptas iniurias. Lex Mosaica quidem vetabat vltionem, hoc præcepto: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Sed quia vtebatur gladio, commemorans pœnam talionis; arcana odia non secabat: at Christus hodie accensa amoris face, lustrauit intima quæque penetralia cordis, vt eo amoris æstu, exiles etiam fibras discordiæ penitus exsiccaret. Ecce coruscam faculam: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Profectò, hoc amoris igne depascente præcordia animæ impetitæ conuiciis, nulli possunt illic discordiæ & rixarum surculi germinare.

Magna vis amoris sacri.
Leuit. 19.
Amoris præceptum intimos odij surculos exturpat.

Sensus Literalis.

Digladiantur interpretes in indagine legum, quas hodie carpit Christus. Maldonatus affirmat, Christum hîc tantùm agere de lege Mosaica, cui opponit legem cultiorem, scilicet Euangelij. Et ille interpres adeò tenax est in sua sententia, vt eos, qui affirmant, Christum reprobare tantùm commentaria Iudæorum, acriter pungat, dicens eos ebibisse illã opinionem ex lectione librorum hæreticorum. Sic ille: *Omnes hæreticorum interpretes pro comperto habent, Christum non legem, sed Scribarum, & Pharisæorum traditiones, interpretationesque corrigere, eaque de re impudenter veteres auctores, quod aliter senserint, reprehendunt. Idem scilicet alij olim hæretici Pelagiani docuerunt. Catholicus verò nescio an quisquam præter Strabum, & nostro tempore nonnullos, qui minore quam Catholicos decet cautione hæreticorum legerunt commentarios.* Displicet Maldonatus, & in sententia sua, & in opinandi modo. Quamuis enim interpreti liceat refellere aliorum sensa; nefas tamen est acriter inuehi in Doctores Catholicos, qui nobiscum non coëunt.

Reprehenditur Maldonatus in c. 5. Matthæi numero 21.

Mea igitur hæc esto conclusio. Christus hoc capite quinto Matthæi non solùm adiecit legi Mosaicæ noua præcepta, vt vult Maldonatus, nec etiam solas traditiones Iudæorum damnauit, vt sentiunt alij; sed vtrumque fecit. Duo namque in veteri lege occurrunt. Primum est textus literalis. Alterum est sensus inde elicitus à Iudæis. Textui Christus adiecit noua præcepta. Sensum autem appositum à Doctoribus Hebræis damnauit, alium omnino contrarium ex propriis inducendo. Duo itaque habeo probanda, vt eliciam genuinum sensum literalem intentum à Christo. Primum est, Christum hoc capite quosdam appendices assuisse legi Mosaicæ, vtpote breuiori, quàm par erat ad Euangelicam perfectionem assequendam. Secundum est, Scribas & Pharisæos inuexisse adulterinum sensum in textum, quem proprio Marte corrumpebant.

Qui sint antiqui quos arguit Christus promulgando amorem inimicorum.

Vt liquidior eniteat illa prior pars, quæ affirmat Christum aliquid adiecisse legi, nota omne hominum genus posse considerari per modum vnius hominis, qui in lege naturæ fuit infans, in lege autem Mosaica fuit puer, sed rudioris ingenij. Huic hominis indoli se aptauit Deus, in regimine gentis nostræ; siquidem mundo in incunabulis nullam in scriptis legem dedit: sed vt infantes naturæ dictamine consulunt sibi, tenui rationis lumine coruscante; ita veteres in statu naturæ, haudquaquam experti sunt largos gratiarum influxus, quibus Deus posteros afficere dignatus est. Etenim si Patriarchas excipias, in lege naturæ gratia Dei parcior extitit, etsi sufficiens, & plerumque efficax ad salutem. Rerum etiam diuinarum opaca fuit notitia, in eo rudi hominum statu, atque ita in sensuum obsequium propensiores homines extiterunt. Tandem æuo pubescente, adoleuit hominum genus, cui proinde fuit adhibendum frænum, ne luxurians natura in præ-

Quare homini data sint variæ leges.
Humanum genus pro vario temporum statu diuersimodè se habuit in his quæ pertinent ad Dei cultum.

ceps & abruptum vitiorum iret. Pædagogi vices egit lex Mosaïca, hominem nacta grandiorem: quia tamen ille puer hebes erat; obtuso eius ingenio consuluit Deus, erudiens hominem iuxta captum eius, indicendo legem congruam statui obeso, qui tunc erat in more positus. Demum explicante sese hominum ingenio, & natura deponente fæces, quas rudior ante collegerat, Christus ei consultor adfuit opportunus. Quidquid enim lex vt nimis arduum præteriit, Christus hoc expressit, instituens hominem idoneum ad perfectionem Euangelij capessendam.

Galat. 4. Eò collimant Apostoli verba hæc: *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege; vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Lex quidem Mosaïca homines Dei seruos fecit, & genus humanum à Deo editum, vt hæreditate acquireret cœlos, non deuenit in eum finem vigente lege, quia tunc homo conditus, vt esset dominus omnium, paruulus erat, & seruiebat sub iugo legis, quæ obibat munus pædagogi austeri, erudientis paruulos ad sonitum flagri. Multa enim corporalia lex illa iniungebat, vt ablutiones corporis & vestium, sacrificia pecorum, & alia id genus: Vbi autem homo adueniente Christo subductus est asperæ illi ferulæ pædagogi, adscitus est in sortem filiorum Dei, iuxta illud Pauli: *Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.*

Lex Mosaïca seruorū more homines erudiuit.

Euangelica lex homines erudiuit vt filios Dei.

Galat. 3.

Christus de suo penu adiecit legi Mosaïcæ ea quæ non iiquidò homines instruebant.

Vt non addiscitur ardua disciplina sine rudimentis; ita dogmata Christiana habuere sua præludia, lege veteri prænotata. Hisce præambulis eruditus homo se aptauit ad dogmata excipienda, quæ fuerunt à Christo Domino præstituta. Lex Mosaïca quoad præcepta moralia reuera perfecta fuit; sed non perfectè expressit intentum legislatoris, quod præcipuè pertinet ad cordis intima defaecanda. Verbi gratiâ, Deus hoc præcepto: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius*; hoc intendit, vt homo intus & deforis esset immunis ab omni luxuriæ contagio. Quia tamen lex sensuum nullam mentionem fecit, Christus hoc de suo adiecit: *Omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Rursus postquam Dei legislatoris intentum aperuit Christus, explicando legem ad mentem eius, altioris etiam disciplinæ argumenta dedit, lineamenta ducens perfectionis Euangelicæ, ad quam quicunque anhelat, accingi debet ad praxim illius instituti, quod Christus ingerit nobis. Sic autem initiauit suos discipulos Christus: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Tersioris vitæ consilium hoc est adiectum præceptis decalogi, ad quod nemo tenetur cum salutis suæ discrimine. Quando autem aliquid addit Christus sub præcepto, illud non est noua adiectio, sed potius explicatio legis, malè aliàs explicatæ.

Exod. 20.

Matth. 5.

Euāgelij disciplina nobilior lege Mosaïca.

Ibidem.

Christi additiones ad legem Mosaïcam, explicāt intentū Dei legislatoris.

Eamobrem credo Christum hæc præmisisse: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Id est, erant in lege lacunæ quædam, & hiatus: namque reticebat lex multa, quæ conducunt ad perfectionem animæ. Ego bifariam impleo lacunas. Primò impertiendo gratiam, quam lex præcisè sumpta, citra fidē Christi, nequit erogare suis sequacibus. Secundò adiiciendo verba quædam, quibus legislatoris animus melius innotescit. Rursus aliquid impletur, quando perficitur, & illa eius perfectio, non est ipsius dissolutio. Ideo consilia Euangelica adiecta legi perfectiorem legem constituunt, quia suadent homini nobiliorem modum legibus obsequendi. Et equidem arbitror esse verum sensum literalem verborum Christi, quæ præmisit adiecturus aliquid Mosaïcæ legi; quam si dixisset velle abrogare, Iudæi in ipsum vndique conclamassent. Sensus itaque sermonum Christi est hic. O inpigri meæ disciplinæ professores, nolite mirari, si quidpiam decalolo adiicio, præcipiendo vt refrænetis oculos effusos in fœminas, consulendo vt percutienti maxillam vnam, altera præbeatur. Hæc omnia non irritam legem Moysis, sed secus fauent ei, & vos aptiores reddunt, vt componamini ad arbitrium legis, quia qui plus facit, proculdubio etiam præstat quod minus est.

Matth. 5.

Quomodo Christus legem impleuerit bellè explicatur.

Legem Mosaïcam adimplere quid sit.

Nota obiter, aberrare eos, qui credunt Christum eo versu dixisse se venisse implere legem, & non soluere, quasi eo fine natus esset, vt suo exēplo doceret homines seruare legem. Pace eorum dixerim, qui ita explicant illa verba Christi. Procul absunt ab intento eius. Etenim non ideo natus, vt seruaret legem; illam enim soluit imperando, vt paralyticus tolleret grabatum suum & baiularet illud in die sabbati; dicens, filium hominis esse etiam dominum sabbati. Præterea seruare legem non est finis vllius hominis, sed medium tantùm ad gloriam aucupandam, quæ est causa finalis hominis editi à Deo, vt compos fieret Dei, qui est omnium rerum finis. Præterea si obseruantia legis esset hominum finis, Christus tamen non ideo venisset, nihil nempe singulare fecisset obseruando legem, cùm Patriarchæ & Prophetæ legem naturalem, & scriptam quantùm eis fas fuit impleuerint. Ergo cùm Christus ad aliquid peculiare, & ipsi soli proprium venerit; alia est inuestiganda causa aduentus eius, secundùm quam legem impleuerit. Nulla autem potest assignari causa in eo argumento, præter illam, quam expendi, dicens, Christum impleuisse legem explicando intentum legislatoris, & adiiciendo consilia, quæ faciunt ad maiorem obseruationem legis. Hæc adiectio non soluit legem, id est, hominem non liberat ab obsequio legis, sed potius eum arctiore vinculo obstringit, statim atque Christi sermo de ea re habitus innotescit.

Christus non ideo natus, vt obseruaret legem Mosaïcam.

Lex Mosaïca à Christo duobus modis fuit adimpleta.

Altera pars conclusionis superest probanda, contra Maldonatum, scilicet Christum non adiecisse tantùm aliquid priscæ Hebræorum legi, sed & damnasse interpretationem, quam Scribæ & Pharisæi de proprio suo penu legi affinxerant. Probo ex duabus præcipuè à Christo recensitis, quæ nusquam in lege recoluntur, & tamen eas Christus commemorat, vt leges quæ illo suo tempore viguerunt. Prima lex hæc est: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente.* Hæc lex quidem lata est antiquitus, non vt homo læsus bile efferuescente desæuiret in hominem

Quales iniquas interpretationes legis Christus recēsuit.

Exod. 21.

minem iniurium, expetendo pœnas congruas iniuriæ acceptæ, sed vt reus mulctaretur iudice decernente. Hanc legem non abrogauit Christus, quia liberum est hodie iudicibus aduertere in nebulones, & sicarios pœna talionis. Sed eam legem carpit, vt malè intellectam ab his, qui ita eam interpretabantur, quasi actori liceret hominem reum malè excipere euulso dente, & eruto oculo, etiam iudice inconsulto. Itaque ex instituto legis Mosaïcæ, voces illæ pertinent ad officium iudicis, & non ad libidinem animæ vindicantis. Hanc vltionem debere fieri præeunte iudicio, & non ad arbitrium cuiusque patientis iniuriam, patet ex contextu legis huius: *Qui irrogauerit maculum cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem, pro dente restituet, &c. Æquum iudicium sit inter vos.* Debuit ergo præire iudicium pœnæ, ne ferrent sententiam ira & præcipitatio, pessimi consultores. Tamen vt Christus recenset illum textum, videtur eum recolere vt legem, qua quisque sibi vendicabat ius vlciscendi suas iniurias, ex malo sensu adiecto literæ, vitio Scribarum, & Pharisæorum, qui sibi ius in sacros codices arrogabant.

Pœna talionis non decreta est ad arbitriũ hominis læsi, sed iudicis expetitus pœnas.

Leuit. 24.

Scribæ, & Pharisæi pessimè sacras Scripturas explicabant.

Aliam legem meminit Christus, quæ solo hodie in Euangelio recitatur, hoc tenore: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Profectò nullibi reperitur hoc præceptum de odiendis inimicis. Nam nihil ad rem facit instantia Maldonati, qui ait non solùm fuisse licitum, sed etiam præceptum odisse inimicos suos in lege veteri, atque ita Christum non carpere spurias interpretationes Iudæorum, sed esse totum in stabiliendo Euangelio, quod opponebat legi antiquatæ. Eruditus ille & magni nominis auctor, citat versiculum istum quem ait pertinere ad inimicos odio prosequendos: *Delebis nomen eius sub cælo, caue ne obliuiscaris.* Veneror hunc scholiasten, de re sacra benè meritum; sed mihi potior est veritas. Si ille textum integrum Deuteronomij recensuisset, causâ excidisset; nihil enim facit ad argumentum, quod versamus. Nempe totus ille sermo Christi est de priuatis odiis, quæ exercemus eo solo nomine quòd quis nos læserit, has simultates Christus aggreditur, & non odia in publicos Dei hostes & Reipublicæ, quos accedente suprema auctoritate nefas est fouere in discrimen religionis, & boni communis. Nec Christus eo præcepto, quo vrgemur ad dilectionem inimicorum, suadendo vt eis benè faciamus, hoc intendit, vt contra decreta Pontificia, armis instruamus infideles, aut eis suppeditemus annonam, minitante fame eis internecionem. Neque Ecclesia exlex est, quando inquirit quibusnam latibulis sibi consulant hæretici. Hoc odium zelus est, qui etiam ipsum Christum perculit, quando flagello compacto ex funibus expulit mercatores, in templo Domini nundinantes.

Mat. 5.

Deut. 25.

Quale odiũ inimicorum sit vetitum, & quale sit licitum.

Religionis, & Reipublicæ hostes non sunt amandi vt sic.

Itaque locus ille à Maldonato prælibatus primoribus tantùm labris, est de odio publico, & non priuato, in causa Dei & Reipublicæ. Illic enim Deus præcepit exterminari Amalecitas idololatras, qui populo Dei innoxiè prætereunti turpiter insultarunt. Vnde fuit illa Dei iniuria, & Reipublicæ, quam vindicare debuit populus, maximè accedente Dei præcepto, cui morem gessit postea Saül, trecentis post annis. Accipe textum integrum vt videas eum non fauere Maldonato. Ita Codex sanctus. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cœlo. Caue ne obliuiscaris.* Tota hæc series nihil facit ad priuata odia; sed præcipit vt strenuè se gerant in hostes Reipublicæ, sicut fecere etiam in Euangelio plerique sancti Euangelij cultores impigri. Nonne Petrus gladium licitè exeruit in sicarios & perduelles, Christo suo iniurios? Nonne Centurio meritoriè armatus est, debitum obsequium suo Imperatori reddens? Nonne Sebastianus, Mauritius, & Eustachius, celeberrimi Martyres agmina duxerunt in hostes Reipublicæ, quos, eorum effuso sanguine, profligarunt? Non ergo lex de diligendis inimicis lata est in gratiam eorum, quos bello iusto indicto quisque debet fortiter insectari. Sed hac lege Deus damnat iniquam Scribarum sententiam, qui vltionem suadebant, vt annuente lege sancitam; cum tamen lex Mosaïca liuorem omnem, & discordiarum argumenta satis expunxerit hoc contextu. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.*

Quando licebat in hostes odio deseuire.

Deut. 25.

Sancti acies direxere in hostes Reipublicæ, Euangelio nimiè repugnante.

Exod. 23.

Hoc itaque constans esto, legem Mosaïcam fuisse igneam iuxta illud Deuteronomij: *In dextera eius ignea lex.* Ideoque Christum nihil præcepisse noui; sed explicando Dei mentem, explosisse sensum illum, quem Scribæ & Pharisæi perperam inducebant. Vnde hoc capite, vt prælibaui, duo præstat Christus. Primò legem alicubi perficit, ei assuendo noua consilia, quorum obsequium strictiorem legem facit. Secundò legi nihil affingit noui, sed reprobat commentaria illa spurca, quæ Iudæi Doctores aliis explicabant.

Deut. 33

Lex Mosaïca damnauit odia priuata inimicorum, & amorem eorũ suasit.

SENSVS LITERALIS.

Scribarum liuor anhelans in odia suasit vltionem, quam Christus amore inducto funditus extirpauit.

In hæc verba:

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

CONIECTVRA II.

EX LINGVIS.

Cœlitus illapsus ignis, Spiritum Sanctum vehens, ita perculit Apostolos, quos accendit flamma hæc cœlestis, vt eius suffragio locuti sint linguis omnium nationum. Vtque causa omnis constans sibi semper, sortitur eosdem effectus; sic ille Spiritus sanctus linguarum omnium donum

Præceptũ de odio habẽdis inimicis fuit spuria interpretatio Scribarũ, & Pharisæorũ.

donum impertiit iis omnibus, in quos influxit, ita vt loqui variis linguis esset argumentum ignis cœlestis, quo talis anima conflagrabat. In gratiam legis Mosaïcæ linguæ omnes probant contra Maldonatum, hoc præceptum recensitum, de odio inimicorum, esse glossam Scribarum, quos ideo Christus hodie acriter pungit, explicando vt par erat textum illum, quem adulterino sensu Iudaica perfidia corrumpebat. Conclusioni meæ lucem & equidem rutilam adferet id quod notaui; scilicet Christum bifariàm loqui hoc capite, vbi nouas videtur indixisse leges, alias ab his quas recenset. Nimirum ait: *Audistis quia dictum est antiquis.* Aliàs verò non meminit antiquos, sed simpliciter ait: *Audistis quia dictum est.* Cùm ait dictum esse antiquis, illud reuera est aliquod effatum Moysis, qui Iudæis in deserto Dei scita legifer indixit, vt videre est his versibus: *Audistis quia dictum est antiquis, non occides, &c. Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis.* Si quando verò reticet antiquos, subodoror esse aliquam ineptiam Scribarum & Pharisæorum, qui detorsere in læuam textum Scripturæ, eam ad suum libitum inflectentes. Huius generis sunt duo illa præcepta, quæ recolit Christus ita fatus: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, &c. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

Singularis annotatio faciens ad discernendas leges Moysis, & interpretationes Scribarum.

Non ait Christus, hæc præcepta vltionem spirantia esse dicta antiquis, sed simpliciter dicit hoc esse dictum, à quo verò dictum fuerit, silentio præterit vt satis superque cognitum his, quos initiabat arcanis Euangelij sui, cuius amore, cordium intima decoquebat. Non adeò Mosaïca lex obriguit, vt potuerit ferre mandata hæc gelida, quibus extinguitur amor omnis, suas iniurias homine vindicante. Principes linguæ suffragantur Canonicæ versioni. Nam vbi recensentur præcepta decalogi, Hebræa dialectus sic effert נאמר לקדמונים, *neemar lekadmonim. Dictum est antiquis.* Vox illa קדמונים *kadmonim* significat priscos, orientales; deducitur à קדם *kedem*, quod est, *antiquitas, prioritas, oriens.* Vnde hi, qui accepere legem Moysi, priores fuere initiati arcanis Dei, ideo dicuntur, antiqui, prisci, & velut orientales, quibus primò affulsit legis Mosaïcæ splendor. Vbi autem fit mentio de eruendo oculo, & odiendo inimico, nulla planè mentio fit antiquorum, sed simpliciter apponitur hæc vox, נאמר *neemar*, quæ perinde est ac, dictum, est seu, prædicatum est. Nam radix eius, אמר *amar*, significat dicere, & prædicare. Vnde colligo, voces illas, quæ non dictæ fuerunt priscis Iudæis in deserto, fuisse prædicatas à Scribis & Pharisæis ad liuoris sui arbitrium interpretantibus legem. Nam vt præfatus sum, lex non præcipiebat homini cæso, statim alium percutere, & infligere plagas similes acceptis. Quippe textus ille: *Oculum pro oculo*, non pertinet ad actorem, sed ad iudicem. At Scribæ pro sua libidine commentantes legem, referebant eum textum vt argumentum & fomitem vltionis. Ita in Hebræo codice, cum fit mentio huius versus: *Odio habebis inimicum tuum*: præmittitur ea vox sola נאמר *neemar, prædicatum est.*

Quænam sint præcepta data antiquis.

Ex linguis.

Hebræa.

Syriaca.

Syrus interpres nullam antiquorum mentionem fecit in duobus his præceptis, quæ concludo fuisse commentum Iudæorũ, שמעתון דאתאמר *Schemaathun dethemar*, id est, audistis quia dictum est. Fauet radix Syriaca, אמר *amar*, quæ apud Syros non tantùm dicere, sed & commentari significat; vt & apud Chaldæos, qui ex hac radice deducunt nomen significans compositorem Thalmud. Nam ab אמר *amar* voce Hebræa, Syra, & Chaldęa, deriuatur hęc dictio Chaldaica האמורא *haamora*, idest, compositor Thalmudicus. Est autem Thalmud liber ineptiarum, quas deliri homines congessere in volumen vnum, cuius deliria, vim edictorum habent apud Iudæos. Huius generis fuit hoc edictum de odio inimicorum, quod cùm non fuerit licitum antiquis, necesse est inferre, præceptum illud fuisse prædicatum ex proprio penu Scribarum & Pharisæorum, quibus vt Doctoribus Hebræus populus vtebatur.

Chaldæa.

Dicere, & commentari perinde est apud Chaldæos, & Syros.

Consonat & Græcus interpres, qui dum effert aliquod præceptum decalogi, meminit antiquos quibus significata fuit hæc lex: Ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, οὐ φονεύσεις, id est. *Audistis quoniam dictum est antiquis: Non occides.* Ast vbi incidit mentio vltionis expetendę, textus non recenset antiquos, sed hos consultò præterit; quia reuera, quidquid Maldonatus affirmet, nusquam licita fuere Hebræis priuata odia, licet Deus præceperit eis exterminium Amorrhæorum. Illius enim Gentis internecio procurata, non erat simultatis aut liuoris proprij facinus, sed Dei negotium, quod Iudæi peragebant, Domino citiùs obsequentes. Ecce tenorem Græcum. Ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. *Audistis, quoniam dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Cùm ergo vnanimes linguæ consentiant, non dictum fuisse antiquis, vt odio haberent inimicos suos, sed secus indictum fuerit eis opem præstare inimico, reducendo bouem errantem, & subleuando asinum oneri succumbentem; non incongrua est mea coniectura, quæ concludit, hoc præceptum anhelans in cædes esse commentum hominum impiorum.

Græca.

Priuata odia vetita à Deo Iudæis.

Amalecitarũ exterminiũ non fuit facinus priuatĩ odij, sed executio mandati Dei. *Deuter. 25.*

Rursus nemo adhuc aduertit singulare discrimen, quod est inter præcepta data antiquis, & illa quæ non antiquis, sed simpliciter & sine adiectione dicta sunt. Differentia quæ intercedit hæc est; vt Christus damnarit illa præcepta, quæ suggerunt vltionem, & simpliciter dicta sunt; non autem antiquis primitùs imperata. Ita inquam damnauit hæc præcepta, vt alia omnino contraria ex diametro opposuerit, sicut exempla probant. *Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Profectò non coëunt hæc edicta: Exigere oculum pro oculo, & non resistere malo, sed potius percutienti ambas offerre genas. Item: *Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Tantùm abest vt Christus subscribat huic præcepto, quin imò potiùs illud omnino destruit, auerruncat. Contraria nempe sunt, odisse, & amare. Ast vbi recolit mandata dicta antiquis, non ea eliminat vt mala; sed ea magis firmat & roborat, explicando intentum legislatoris, aut adiiciendo consilium, cui obsequentes nec latum vnquem præceptum Domini præteribunt. Huic meo effato fidem facit Christus, ita commemorans legem dictatam antiquis: *Audistis, quia*

Quomodo discernantur vera Dei precepta ab interpretatione Scribarũ.

Christus præcepta pertinentia ad mores non expunxit sed magis adstruxit.

quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Fuit hoc reuera mandatum præscriptum antiquis, ideoque Deo institutore latum. Christus non abrogauit legem illam sanctissimam, aliam condendo contrariam; sed illam maximè stabiliit, prohibendo libidinem oculorum. Item ille nouus legislator sic recenset alia verba dicta antiquis: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Christus ita commentatus, nihil detraxit legi, imò eam magis sanxit, arctiori nexu hominem deuinciens obsequio legis.

Christus iniquis traditionibus Scribarum alias opposuit ex diametro.

Duo itaq; distingunt spuriâ legis interpretationem ab ingenuo legum textu. Primum est, legem dictam fuisse antiquis: vltionis verò sermonem habitum quidem fuisse, sed non Iudæis in deserto; ast posteris eorum, quos Scribæ & Pharisæi adulterino dogmate dementarunt. Alterum est, Christum condidisse leges contrarias iniquo sensui, quem legi Dei perfidi homines adiecerunt. Vnde liquet mea conclusio bipartita, referens hoc capite Christum duo præstitisse, quia legis intentum patefecit, eam explicando liquidiùs: & quia reprobauit sententiam illam, quæ fomitem perpetuum priuato odio ministrabat; Iniquam illam Iudæorum doctrinam amicam simultatû eo modo damnauit Christus, quo in more positum est sæuire in corruptores fidei sinceræ. Hi induuntur veste talari sata pictis dæmonibus, cui subiectæ faces hominem accendunt. Satis superque malam esse vltionem ostendit Christus, & suggestam à diabolo, quando sola libidine vlciscendi expetitur. Dum enim illam damnat, & opponit ei aliam legem amore flagrantem, subiicit ignem, quo consumit vltionis legem, qua cordium intima congelascunt.

Quomodo distinguatur lex Mosaïca ab iniqua traditione Scribarum. Christus damnauit Scribarum legem de priuatis odiis.

SENSVS LITERALIS.

Christus amoris igne accenso, legis intentum aperit, & damnat Iudaeorum adulterinum sensum.

In hæc verba:

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

CONIECTVRA III.

EX SANCTIS PATRIBVS.

SEdente Gregorio XIII. Pontifice, Iudæi moliti sunt nouam editionem librorum Thalmud, quibus Scriptura sacra tota peruertitur, atque in Christianos omnes æterna odia prædicâtur. Illa editione excusa sunt quindecim millia voluminum, Iudæis haudquaquam parcentibus æri congruo ad sumptus, quos sibi prœli industria vendicabat. Vbi Pontifici innotuit illa propagatio doctrinæ disseminantis odia acerba in Christianos, adhibuit ille aliorum Antistitum curam, vt sedula indagine conquisita volumina proferrentur in medium. Non defuere suis partibus illi, quibus ea fuit prouincia demandata. Omnia namque recens excusa volumina intercepta, in forum alata sunt, vbi magno igne accenso fuerunt hæc impia dogmata concremata. Ea animaduersione Christus Pontifex Summus castigauit illa Scribarum commentaria, quæ fouebant odia & rixas. Ille animarum Antistes suscitauit amoris incendia, quibus absumpta est iniqua hæc disciplina, odia suggerens intestina. Eodem amoris igne illucente patefecit Christus intentum legis, quod nemo planè vt Christus fuerat assecutus. Siue igitur adiiciat aliquid legi, siue damnet spurium sensum inductum, illud omne amoris est negotium.

Ciaconius in Gregorio XIII.

Thalmudici libri côbusti.

Amoris igne subiecto Christus traditiones Scribarum castigauit.

Ex SS. PATRIBVS.

Christum autem fecisse vtrumque, scilicet adiecisse legi, & damnasse hîc malas interpretationes Iudæorum, probo contra Maldonatum scribentem hoc negantem, & dicentem, neminem hoc sentire præter Strabum, & paucos Catholicos. Profectò Maldonatum fugit ista sententia Chrysostomi: *Quia veteribus præceptis multò maiora erat positurus, dicens: Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: ego autem dico vobis, &c. etiam ab iracundia temperare, & diuina quadam conuersatione atque cœlesti iter secare viuendi. Quia ergo ista erat dicturus, ne ipsa nouitas audientium corda turbaret, atque aduersus Dominus præcepta quasi quandam cogitationum seditionem moueret, hac vtitur præmunitione: Nolite putare quòd venerim soluere legem.* Hoc textu Chrysostomus suum calculum adiicit meę priori parti affirmanti, Christû de proprio suo pancarpio assuisse legi Mosaïcę pleraq; alia cógrua, quibus ipsi legi, incrementum sanctitatis accessit.

Chrysost. homil. 16. in Matthæum.

Altera pars est probanda; scilicet Iudæos corrupisse legem suis additionibus. Sic ibidem Chrysostomus ait: *Honorem parentibus debitum, præcepta addendo soluerunt, aliaque ex lege plurima importunis his additionum suarum redundantiis subruerunt.* Non ergo incongruè dico, Christum hoc capite inuectum fuisse in subrep tiium illum sensum, qué Scribæ sacris legibus inurebant.

Ibidem.

Scribæ de suo penu iniquo Mosaïcis legibus adiecerunt.

Vt rescinderet Christus interpretationes Iudæorum, qui licitam vltionem suggerebant: quasi verò amoris lex pertineret tantùm ad proximos beneficos; dixi Christum Pontificem admouisse faces amoris illis commentariis, ne vigente hac doctrina charitas excideret animo fidelium. Pergit Chrysostomus, meæ conclusionis partes agens hoc discursu: *Contritio(?) bonum charitatis omnino corrumpit, & mille proximum inuoluit incommodis, ac iuges inimicitias frequenter operatur, & Christi membra discerpit, ac desiderabilem Deo pacem singulis quibusque diebus exagitat, amplissimam diabolo viam per conuitia parans, ipsumque efficiens fortiorem. Proptereà etiam Christus neruos potentiæ eius exscindens, induxit hanc legem. Est quippe illi cura maxima charitatis. Omnium enim mater bonorum, & certum, an discipulus Christi sis, experimentum, & ea quæ in nobis sunt bona cuncta complectens, hæc est omnium maximè. Iure igitur radices inimicitiarum, ipsosque fontes, per quos charitas necari solet, multa cum vehementia Christus intercipit. Nihil ita studet Deus, vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea, & per semetipsû, & per discipulos suos, tâ in nouo, quàm in veteri testamento, plurimo hoc mandatum sermone commendat.*

Ibidem.

Charitas est tessera discipulorum Christi. Charitatis egregia encomia.

commendas. Et vehemens animaduersor atque punitor est eorum, qui preceptum tale contemnunt. Nihil quippe est quod ita omnem malitiam & partas, & firmet, vt interemptio charitatis.

Qualis fuerit Scribarũ de lege sensus.

Thomas quodlibet. quæst. 1. de charit. a. 8. ad 5. ita sentit de scribis.

Glossa, quam induxere Iudæi, tota fuit penes literam adstruendam, ita vt extra literam nihil omnino concederent: V t, quia Deus dixerat esse diligendum proximum, statim inferebant illi, esse odio habendum inimicum. Deus præceperat non mœchandum; Scribæ actionem credidere reprobam, vtpote vetitam, sed affectum dixere innoxium, quia lex explicitè effectum minimè recensebat. Et hoc delirio Iosephus historicus Iudæus insignis etiam laborauit. Nam ille Polybium historicum damnat, eò quòd dicit, Antiochũ Epiphanem malè disperiisse, quia proposuerat animo templum Dianæ sacrilegis manibus expilare.

Iosephus lib. 12. antiquit.

Iosephi historici error, circa peccatũ in affectu

Ait Iosephus, non peccasse Antiochum hoc proponendo, quia peccatum non est in affectu, sed in effectu. Hanc Scribarum sententiam hodie damnat Christus lustrans intima animæ præcordia, castigando affectus deuios ab amore. Et reuera doctrina illa Pharisæorum & Scribarum erat consona moribus eorum, compositis ad præscriptum legis cute tenus, vt hypocritas decet. Etenim cùm intus essent spurcissimi, deforis erant sancti, omnem suam curam ad extima refundentes. Et hoc præcipuè in eis carpit Christus, monendo suos discipulos, vt cauerent à fermento Pharisæorum, id est, ne essent hypocritæ, & totam suam iustitiam reponerent penes obsequium legis deforis obseruatæ.

Hypocrisis malum est fermentum.

Theophylactus in cap. 12. Luc.

Theophylactus mecum in eamdem sententiam coit ita fatus: *Vocat igitur fermentum hypocrisim, tanquam alterantem & corrumpentem intentiones hominum, quibus se ingesserit. Nihil enim sic alterat mores vt hypocrisis.* Pessimum sanè virus, quod minima sui parte coinquinat magnos virtutum cumulos assurgentes. Ita Beda: *Sicut medicum fermentum totam farina massam corrumpit? sic simulatio animum tota sinceritate virtutum & veritate fraudabit.*

Beda cap. 51. in Lucam Ambros. l. 7. in Lucam.

Elimatiùs adhuc Ambrosius sua sensa promit appositè ad intentum Christi, qui virtutis defæcatæ praxim exigens à suis discipulis, non vult eos tantùm aptari ad verba legis secundùm opera externa, sed prætereà iniungit, vt penitiora quæque animæ reformentur. Sic ille: *Pulcherrimum locum tenendæ simplicitatis, æmulandæ fidei Saluator intexuit, ne Iudaico more perfidiæ, alia promamus in affectu, alia voce simulemus.* Illam doctrinam esse tantùm ad faciendos oculis fucos, & non ad faciendam animam tersiorem, Christus alibi conquestus est, hac censura:

Matth. 23.

Pharisæorum & Scribarum sanctitas tota deforis.

Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Pharisæe cæce, munda priùs quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est, mundum.

Typica locutione Christus in conspectum dedit ingenium Iudæorum, quibus præcipua solicitudo erat, quales deforis apparerent. Ita Hieronymus: *Arguit Pharisæos simulationis, & mendacij, quod aliud ostendant hominibus foris, aliud domi agant. Non quòd in calice & paropside eorum superstitio moraretur, sed quod foris hominibus ostenderent sanctitatem.* Scilicet ad fastum dumtaxat, & non ad salutem animæ sortiendum. Ne autem illa praxis excolendi

Hieron. in 23. Matth.

Scribæ & Pharisæi legem ad literam volebãt obseruari, non respiciẽtes intentum legislatoris.

virtutem cute tenus dubiam eorum faceret sanctitatem, legem ita literaliter expendebant, vt ne latum vnguem fingerent se ab ea velle procul esse, etsi reuera in plurimis aberrarent. Illa legis interpretatio opaca & materialis valde congruebat carnalibus hisce hominibus, ægrè sapientibus ea quæ sunt spiritus. Vnde nihil omnino attendebant ad spiritualem sensum legis, arbitrati se satis superque fecisse legi, si ad verborum sonum suos coaptassent mores. Doctrinæ huius noxiæ fibras omnes hodie rescindit Christus, ne in surculos adolescant: Et aliàs, vt prælibaui, suos discipulos alienos fecit ab hac disciplina, sub symbolo fermenti sedulò præcauendi, quod sic Hilarius expendit:

Qualis fuit doctrina Pharisæorum.

Hilarius in Matth. Canone 16.

Monentur Apostoli non admisceri doctrina Iudæorum, quia legis opera in effectum fidei, & præfigurationem rerum consequentium constituta sunt; & in quorũ tempora, atque ætatem veritas contigisset, nihil vltra in veritatis similitudinem positum arbitrarentur, ne doctrina Pharisæorum Christum nesciens, effectum Euangelicæ veritatis rumperet.

In lege duo sunt attendenda, vnum corporale, aliud, spiritale.

Hilarius hoc discursu ait, in lege duo fuisse attendenda; vnum corporale explicatum cortice literali: Aliud merè spiritale, pertinens ad Christum venturum, quantùm ad cæremonialia, & spectans ad animæ cultum, quantùm ad moralia. Iudæi animales adhæsere cortici, aspernantes ea quæ erant Christi, & animæ; totamque suam doctrinam excolendo corpori mancipaarunt. Vetus hoc fermentum suo contagio potest inficere institutum Christi, qui idcirco cauens suis discipulis, prudenter eos præmonuit, vt hoc fermentum vetus & noxium expurgarent. Sic ille: *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Saducæorum.* Hieronymum in eo argumento audire præstat, ita versantem locum istum: *Qui cauet à fermento Pharisæorum, & Saducæorum, legis ac literæ præcepta non seruat, traditiones hominum negligit, vt faciat Dei mandata.*

Matth. 16. Hieronym. in cap. 16. Matthæi.

Fermentum Pharisæorũ quale fuerit.

Quomodo sit intelligẽda illa altissima doctrina Christi præcipiens præberi alteram maxillã percutienti vnã.

August. de mandatis ad Consentium cap. 15. tom. 4. Idem de sermone Domini in monte li. 1. cap. 35.

Ad sensum literalem pertinet, explicare illam altissimam Theologiam, quam Christus hoc capite recensuit, præcipiendo homini percussu in maxilla dextera, præbere & alteram homini sæuienti. Non passim hoc patientiæ specimen exigit Deus in effectu, sed affectu: Id est, eo nos vult amore in proximos flagrare, vt parati simus ad omnes iniurias potiùs quàm mala malis rependere. Ita sanctus Augustinus. *Ea quæ in nouo testamento à Sanctis facta sunt, valent ad exempla intelligendarum Scripturarum, quæ in præceptis digesta sunt, velut cùm legimus in Euangelio: Accepisti alapam, &c. exemplum autem nullum patientiæ quàm ipsius Domini excellentius inuenimus, & ipse cùm percussus esset, non ait: Ecce alteram maxillam; Sed ait: Si malè dixi, exprobra de malo; si autem benè, quid me cædis? vbi ostendit illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam.* Ille resumens eandem thesim de Christo, non exhibente alteram maxillam, sed parato ad grauiores angustias, ita fatur: *Paratus fuit Dominus non solùm in alteram maxillam cædi pro salute omnium, sed in toto corpore crucifigi.*

Adiice ad extremum argumentum, in gratiam meæ conclusionis de Christo carpente sensum & interpretationes Scribarum & Pharisæorum, quorum sanctitas tota erat extrinseca, eundem

eundem Dominũ præcepisse suis Apostolis, vt vacarent alteri sanctitati; quia illa iustitia Pharisæorũ illudens oculis, & captans hominum gratiam non erat idonea ad æternam Dei gloriam aucupãdam. Sic præmonet Apostolos: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Proculdubio cùm isto damnet mores eorum, & statim subiiciat quædam præcepta, quæ ait fuisse dicta, nec tam vllibi reperiantur; fas est eum inuehi in doctrinam eorum, quorum proximè mores acriter obiurgarat. Quantùm autem distent institutiones Euangelicæ à doctrina illa Pharisæorum, quæ legis literam & corticem excolebat, audi ab Augustino componente Christi consilia cum dogmate Pharisæo. *Pharisæorum iustitia minor est, non excedere vindicta rationem, & hoc est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam. Intra illud ergo primum, quod præter legem est, vt maius malum, pro minori malo reddatur. Et hoc, quod Dominus perficiendis discipulis dicit, ne pro malo vllum malum reddatur, medium locum tenet, vt tantum reddatur, quantum acceptum est, per quod a summa discordia, ad summam concordiam transitus factus est. Quisquis enim malum prior infert, maximè a iustitia distat: quisquis autem nulli prior malefecit, sed tamen læsus rependit grauius, recessit aliquantulũ a summa iniquitate. Qui verò reddit tantùm, quantùm accepit, iam aliquid donat. Iustum enim est eum qui læsit prior, grauiùs lædi. Hanc ergò inchoatam minimè iustitiam ille perficit, qui legem venit implere. Duos autem gradus, qui intersunt intelligendos relinquit. Nam est qui non reddat tantum, sed minus. Et hinc ascendit qui omnino nil rependerit, quod parum videtur Domino, nisi & ampliùs sit paratus suscipere. Quapropter non ait; non reddere malum pro malo, sed non resistere aduersus malum, vt non solùm non rependas quod tibi fuerat irrogatum, sed etiam non resistas, quin aliud irrogetur. Hoc enim est quod conuenienter exponitur. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prabe ei & alteram. Quod ad misericordiam pertinere hi maximè sentiunt, qui eis quos multum diligunt seruiunt, vel prauis, vel phreneticis, à quibus multa sæpe patiuntur, si eorum salus id exigat, prebent se etiam, vt plura patiantur. Docet ergo Dominus medicus animarum, vt discipuli sui, eorum quorum saluti consulere velent, imbecillitates æquo animo tolerarent. Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit, quia nihil innocentius est eo, qui in virtute perfectus est.*

Matth. 5. Christi doctrina præcipuè attendit sanctitatem animæ internam.

August. lib. 1. de sermone Domini in monte ca. 33. Tom. 4.

Euangelica disciplina ad quem perfectionis apicem suos euehat professores.

Improbitas omnis ex imbecillitate venit.

Ex præfatis conclusio nostra sarta tectaque superstes est, & liquet hoc capite, Christum iecisse Euangelij fundamina, defæcando legem, tersa rubigine sensus peregrini, quem Scribæ & Pharisæi perperam inducebant.

Charitas est fundamentũ Euangelij.

SENSVS LITERALIS.

Penes charitatem est, adsciscere homines in numerum filiorum Dei.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.

§. II.

CONIECTVRA I.

EX RATIONE.

PRisca ætas industria in cudendis iconibus in gratiam Deorum, qui tunc prostabant in delubris, aliàs Amorem pinxit coronatum; quo intento, hòc penes est vnumquemque conijcere. Plerique arbitrati sunt Amorem diademate dignatum, quià ipse triumphum egit de superis etiam cælicolis. Vt missa faciam obsoleta hæc monumenta Gentilium; dicam, in virtutum choro, charitatem, quæ est amor, dignam esse maximè coronari. Ad eam namque præcipuè pertinent insulæ regni Dei, ad quod duntaxat ius habent filij Dei, cohæredes Christi, quos tales efficit amor Dei, seu charitas, quæ Dei ergò etiam porrigitur ad inimicos. Hoc esse priuilegium charitatis, vt nos efficiat filios Dei, disertè ait Christus, hodie proponens beatum illum statum filiorum Dei, veluti stipendium dilectionis inimicorum. *Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.* Quæ verba adeò liquida sunt, vt mirer Maldonatum affirmare, sensum huius textus esse de similitudine: non de statu; ita vt Christus dixerit, eos qui non odio habent inimicos suos, sed eos amore prosequuntur, & se beneficos erga eos præstant, fore similes filiis Dei. Sic ille: *Hic sensus multò magis conuenit, quia dicere esse filios patris sui tautologia est: dicere autem esse similes vsitata locutio, & quia statim declaratur, quomodo Patris sui filij, id est, similes, si benè omnibus fecerint, erunt, quia Deus Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, & quia versu 48. dicitur: Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester, qui in cælis est, perfectus est; vbi non quomodo filij sed quomodo similes esse possimus declaratur.* Hęc ille, quem impugno.

Amor olim quare pictus coronatus.

Charitas est virtutum præcipua.

Matth. 5.

Maldonat. in cap. 5. Matth. n. 45.

Charitas nos realiter facit filios Dei adoptiuos.

Itaque sensus literalis hic est. Exhibete vos propitios inimicis vestris, eos cumulantes beneficiis, vt sic assequamini titulum & rem filiorum adoptiuorum Dei. Triplici ratione astruo meam conclusionem contra Maldonatum. Primò de ratione sensus literalis est, vt sequatur verborum sonum, nisi sit figurata locutio, obstans quin sensus literæ consonet. At nihil obstat, quin verba Christi sortiãtur illum sensum, quem suggerunt voces antea prælibatæ. Si quid enim remorari posset germanum & sincerum sensum literæ, illud præsertim illud pręsertim esset, quòd homo nequeat esse filius adoptiuus Dei, cùm adoptio naturam imitetur, & homo alterius sit naturæ à Deo. Sed, hoc non officit: nam gratia facit nos diuinæ consortes naturæ vt ait Petrus, ac proinde idoneos, quos adoptio faciat filios, si dignemur

Quomodo possit homo fieri filius Dei.

2. Petr. 1.

dare

dare nomen nostrum Christo Domino reuocanti. Homines, suffragio gratiæ Dei, habere hoc ius adoptionis, ait Ioannes ita fatus: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Potestas illa, qua quis fieri potest filius Dei, ad actum reducitur, quotiescunque practicè excipitur doctrina Christi, quæ amore condita, suos sequaces ita amore decoquit, vt nihil omnino præter amorem spirent. Et esto lacessiti sint ab æmulis; non ideo tamen feruet sanguis ad vindictam, nec caro vltionis impetigine prurit; sed totum est amoris Dei quod eructant & faciunt, vtpote Deo sati, cuius pro modulo suo filij illi adoptiui actiones iugiter æmulantur. Præcipua autem Dei imitatio, ad quam nos sollicitat Christus illa est, quæ pertinet ad beneficentiam erga inimicos. Nempe ait, Deum illucere reprobis æquè ac iustis, accensa vtrisque face Solis alluendo simul omnes pluuia tempestiua. Vnde homo nactus illum spiritum beneficum, profectò non erit similis filio Dei tantùm, sed ipse reuera erit Dei filius adoptiuus. Spiritum hunc in beneficia eroganda pronum homines euehere ad statum filiorum Dei, Paulus insinuat hoc contextu: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Non ergo intelligenda sunt verba Christi, vt Maldonatus ingerit; sed simpliciter, ita vt veri filij adoptiui sint omnes illi quorum anima amore Dei & proximi iugiter æstuans, charitatem suam congruis actibus explicabit.

Charitatis præcipuè negotium est, Christum imitari.

Roman. 8.

Rursus altero argumento probo, Christum attendisse ad veritatem, & non ad similitudinem filiorum Dei adoptiuorum. Amantissimus ille rerum Dominus initiare volens discipulos suos arcanis Euangelij, ne ardui instituti professio facesseret eis negotium, adiecit præmium insigne, veluti stipendiũ agonũ, quos obediendo mandatis eius congruit exantlare. Huius generis est textus ille, quem decurro. Nimirum hoc discursu Christus indicens, quales debeamus nos præstare erga inimicos, doctrinam inuexit hactenus inauditam. Vt ergo animos acueret ad obsequium huius disciplinæ, ait, professores eius fore filios Dei, atque ita filiationem Dei posuit in præmium. Qui igitur exquisitè morem gesserit huic mandato Christi, præmio dignabitur, & non tantùm similitudine præmij. Similem namque esse filio, non est præmium condictum, sed est tantùm præmij expressi species adũbrata. Nonne Saül illusisset Dauidi reduci ex congressu cũ Goliath, si eũ similem fecisset genero suo, locatã alij filiã suã Michol, quam desponderat ei militi, qui Goliath singulari certamine confoderet? Ita planè fecisset fucos Rex ille, qui propositi sui tenax Dauidem deuicto Goliath reuera suum generum fecit. Cùm ergo filiatio illa fuerit apposita in præmium; arbitror esse incongruum, ita referre intentum Christi, vt ad solam similitudinem respexerit. Quasi verò eo solo nomine præceperit, nos esse erga inimicos in beneficia pronos, vt similes simus tantùm filiis Dei. Profectò si desit realis status filiationis eius, quam verba sonant, anima multos experta agnones, non incurret in præmium, sed in inane præmij simulacrum. Sanè infirma hominum indoles erigenda fuit

Quare Christus dixerit, eos fore filios Dei, qui beneficos se præstiterint erga inimicos.

valido argumento ad profitendum amorem illum, quem Christus Dominus ingerebat. At paruuli momenti fuisset hæc ratio: Si obsequimini meo edicto, & benè feceritis persequentibus vos, similes eritis filiis Dei. Nimirum similitudines rerum imponunt, & non æquè afficiunt vt res. Vnde magis congruum est explicare verba de adoptiua filiatione, vt eo stipendio minuatur difficultas illa maxima, quam importat hoc mandatum, de æmulis nostris toto pectore iugiter adamandis. Non enim satis animos acueret spes similitudinis eius, quam conciliaret amor ille, ad cuius praxim heroicam nos Christus Dominus adhortatur.

Tertiò series verborum Christi impugnat illam Maldonati explicationem, quæ suadet beneficentiam erga inimicos, vt similes simus filiis Dei. Etenim Christus hoc sermone multus fuit in damnandis Pharisæis & Scribis, quorum præcipua cura fuit, in similitudine virtutis occupari. Quippe cute tenuserant tantùm compositi in virtutis habitum, vtpote sanctitatis suæ summam reponentes penes virtutis adumbratæ species ementitas. Hoc hominum genus occupatum solùm circa similitudines, & procul à veritate, Christus ita carpit: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Christus igitur censorem agens eorum, qui similitudinem tantùm virtutis aucupantur, noluit suadere amorem inimicorum, vt similes videremur esse filiis Dei. Illa enim similitudo suadetur, vt inde aliis præbeamus aliqua specimina virtutis exercitæ: atque adeò nullum fructum conciliat possessori suo quàm gratiam hominum, quibus filiis Dei similes apparemus. Sed Christus docuit aspernandã illam gloriolam, quæ capitur aliquã præostensã virtutis vmbrã. Ergo totum charitatis pretium non refudit in illam similitudinem filiorum Dei, sed in veram sortem filiorum, ad quam sequaces Euangelij cœlitus euehuntur.

Matth. 6.

Amor inimicorum nos filios Dei facit adoptiuos, & non solùm similes filiis.

Instabis, locum vnum Scripturæ esse faculam alterius, & congruè explicari textum vnum alio versiculo, cuius sensum ipse Christus Dominus explicauit; ac proinde dicere, esse benefaciendum inimicis, vt homines videant nos esse similes Deo, qui propitius est in bonos & iniquos, esse similem textum isti: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Quasi diceret: Si benefacitis iis, qui vos odio prosequuntur, spectatores vestri glorificabunt Deum, quia vos similes sibi effecit, & sic lux vestra lucebit coram hominibus. Respondeo, vtrobique esse particulam, *Vt:* Sed eam habere dispares omnino habitudines. Verbi gratiã, cùm Christus ait: *Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Ibi particula, *Vt*, pertinet ad præmium, sine vllo respectu ad alios homines. Non enim redditur præmium, vt videatur ab aliis, sed vt compenset opus emeritum, atque ita voces illæ Christi nequeunt aliò deriuari. Neque etiam illis fauet ille versus insinuans, præmium virtutis quandoque esse, videri ab hominibus, & præbere eis ansam glorificandi Deum. Nam in eo contextu. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Particula, *Vt*, non directè collimat ad oculos hominũ, sed ad perfectionem operum. Id est Christus

Matth. 5.

Quomodo debeant bona opera videri ab hominibus.

Christus non vult fieri bona operari, vt videantur; sed hoc præcipit, vt adeò sint perfecta, vt etiam nobis inuitis, virtutum radij aliis illuceant. Ita mihi præit Hilarius, hæc commentatus: *Tali etiam lumine monet fulgere Apostolos, vt ex admiratione operis eorum, Deo laus impertiatur.* Videri ergo ab hominibus, non est scopus parænesis Christi; sed studium virtutis adeò defæcatæ, vt illa etiam rutilet nobis inconsultis, iuxta, sancti Hilarij sententiā hanc: *Non quòd ab hominibus oporteat gloriam quærere; sed vt dissimulantibus nobis opus nostrum his, inter quos viuimus, in honorem Dei eluceat.*

Hilar. Canon. 4 in Matth. ibidem.

Filiatio Dei quare promissa amori inimicorum.

Ex præfatis, indubius est ille sensus, quem affingo verbis Christi, vtpote maximè congruens intento Domini suadentis rem arduam, proposita filiatione Dei in præmium, vt vel sic adderet animos, atque adiiceret ingens roboris incrementum.

SENSVS LITERALIS.

Charitatis obsequio præstito inimicis, euehimur in sortem filiorum Dei.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.

CONIECTVRA II.

Ex Lingvis.

Linguæ igneæ datæ Apostolis vt prædicarent amorem Christi.

PRomissis Christi sublati è medio fidem fecere linguæ ignitæ, quæ in die Pentecostes discipulis singulis insederunt: siquidem ille pollicitus Spiritum sanctum, stetit pollicitis, cùm linguę igneæ in discipulos desuper influxerunt. Linguæ illæ erant aptatæ in amoris præconium, quod orbe toto insonuit, quando discipuli prædicarunt Christi amorem in homines ipsi etiam iniurios; pro quibus mortem oppetere minimè cunctatus est. Illæ eædem linguæ, quę increbruere tunc temporis in argumētum amoris filij Dei hodie adhuc clamant, eos esse reuera filios Dei adoptiuos, qui æmulantur amorem illius amantissimi Domini adeò beneuoli erga suos inimicos, vt pro eismet innumeras propè subierit angustias. Nulla planè lingua sonat, eos fore similes Deo aut filiis eius; sed liquidò conclamant omnes illud idem quod translatio nostra Canonica, quæ ad verbum exprimit textum Hebræum. למען תהיו בני אביכם *lemangan thiu bene auichem.* Id est, *Vt sitis filij Patris vestri.* Vox Hebræa, תהיו *thiu*, non importat similitudinem illam, quam adeò tenaciter propugnat Maldonatus, sed liquidò explicat subsistentiam illam quę decet eos, quos gratia fecit consortes diuinæ naturæ. Nam vox illa, תהיו *thiu*, & nomen Dei, יהוה *iehouah*, eamdem radicem habent, id est, ab eodem verbo deducuntur. Quippe illæ duæ voces fluunt à verbo, היה *haiah*, quod significat esse. Vnde vt status gratiæ anteit omnes omnium hominum sortes quantumuis emineant intra naturæ pomœria, dialectus Hebræa appositè adhibuit vocem, quæ assumitur ad Dei essentiam cōgruè referendam. Si legitima esset sententia Maldonati, subodoratus eam author Hebræus adiecta vna duntaxat litera, caph, eā quātocyùs expressisset. Vbi enim dixit, בני *bene*, dixisset כבני *chbne*, id est, *sicut filij.*

Ex lingvis.

Hebræa.

Dei nomen apud Hebræos vnde deriuetur.

Filiationem Dei optimā omnes linguæ promittunt diligentibus inimicos.

Syrus interpres in nullo planè deuiat ab vsitato textu nostro, sed eū religiosè refert vsque ad minimum apicem. דתהוון בנוהי דאבוכון ... *niacano dethevuun benauhi dauuchun.* Id est, *Vt sitis filij Patris vestri.* Vox Syriaca, דתהוון *dethehevuun*, ab eadem etiam radice, הוה *haiach*, fluit. Est namque vox illa communis Hebræis, Syris, & Chaldæis, & ab ea veteres illæ linguæ arbitrantur exprimi nomen Dei, quod supremum esse significat. Græca Scriptura non deuiat. ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν, τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Vt sitis filij Patris qui in cælis est.* Concordes illi textus procul ab ea sententia, quæ dicit, eos, qui benè faciunt inimicis suis, fore similes filiis Dei, me maximè sollicitant vt eam reiiciam. Nam vt variæ linguæ dixere Regem Iudæorum, illum qui moriendo præstitit quod docuit, orando pro suis homicidis; Ita & variæ linguæ conspirant ad apotheosim eius, qui fuerit propitius ęmulis suis, Christi legibus obsequendo.

Syriaca.

Chaldæa.

Græca.

SENSVS LITERALIS.

Charitas diffusa vsque ad inimicos animum dignatur infulis filiorum Dei.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.

CONIECTVRA III.

Ex Sanctis Patribvs.

Isaac magis credidit manibus Iacob quam ori.

IAcob exceptutus extrema vota annosi patris sui Isaac, quem lumen omne defecerat, finxit se esse primogenitum eius nomine Esaü, componens vocem suam ad eumdem tonum, quo Esaü vtebatur in sermone. Sed vt nihil simulatum est sincerum; vox illa Iacob æmulata sonum peregrinum, suspectam fecit fidem affirmantis se esse maiorem natu. Vt ergo Isaac occurreret technæ, quam timebat, iussit hunc filium suum accedere, vt eo palpato coniiceret essetne is quem fingebat, an non. Ecce seriem historiæ: *Dixit Isaac: Accede huc, vt tangam te, fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esaü, an non. Accessit ille ad Patrē, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esaü. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant.* Lingua & manus concordes effecere Iacob compotem voti sui, quo sanè aliter excidisset. Hoc examine suos discipulos probat Christus. Namque lata lege de dilectione inimicorum, plerique professi sunt amorē illū ore tenus, dicentes se nihil cū ęmulis suis habere, quod discordiā sonet. Et quidem hodie vulgaris est illa professio, si quando sint componendæ rixæ inter Christianos. Vtrimque insonant illæ voces: Æmulus suas res habeat; nihil mihi, & illi. Deus alia indagine scrutatur amorem nostrum: etenim præter eloquia, petit opus vt tesserā indubiam amoris. Nempe lingua, & manus discolores, adulterinum amorem damnant.

Genes. 27.

Amor inimicorum magis operibus est probandus quàm verbis.

Reuera Deus exigit manus in gratiam inimici, vt videre est hoc præcepto: *Benefacite his qui oderunt vos.* Vnde frustra suum iactat amorem ille, qui non est beneficus inimico suo, iuxta præscriptum Christi. Profectò non censebitur filius Dei is, qui degeneres habebit manus, dispari ore concordiam resonante.

Sunt qui arbitrentur dæmonem, cùm induit speciem corporis, semper habere manus aduncas in modum vnguium aquilarum. Sed ij omnes, qui ambiunt infulas filiorum Dei, non aduncas & noxias debent circumferre manus, desudantes cruore inimici; sed decet potius eos habere in gratias manus iugiter explicat. Scilicet hoc examine Deus homines adoptat in filios suos. Et quia magnum hoc est præmiũ, magnos etiam agones postulat à vincente, quos Chrysostomus enumerat, de amoris differens in cremẽto. Sic ille: *Vide quot gradus ascendit, & qualiter nos in ipsum virtutis apicem statuit. Primus gradus est, non incipere iniuriam. Secundus, vt iniuriam vlciscens, æquali supplicio sis contentus. Tertius, non facere vexanti, quæ quis passus est. Quartus exponere seipsum ad patienda mala. Quintus, amplius se tribuere, quàm ille vult, qui fecit mala. Sextus non odio habere eum qui hoc operatur. Septimus, diligere. Octauus, benefacere. Nonus, pro ipso orare. Et quia magnum erat præceptum, præclarum præmium subdit, scilicet vt sitis filij Patris vestri.*

Ex SS. PATRIBVS. *Chrysostom. homil. 18. in Matth.* Amoris inimicorũ sunt varij gradus.

Elimatiùs intentum meum probat Augustinus, dicens stipendium charitatis se porrigentis erga inimicos, esse, vt professores suos efficiat filios Dei: & hunc titulum emi adimplendo ea, quæ nobis cœlitus iniunguntur. Accipe eius sententiam. *Ex illa autem regula intelligendum est quod hic dicitur, qua & Ioannes dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Vnus enim naturaliter Dei filius est; nos autem potestate accepta efficimur filij, in quantùm illa quæ ab eo præcipiuntur implemus. Itaque nõ ait: Facite ea, quia estis filij; sed facite ista, vt sitis filij.* Vt in naturalibus, vtplurimum transeunt cum semine mores, vnde & filij referunt indolem patris, ita & gratia, quæ est semen vitæ æternæ, statim atque animam afficit, eam aptat ad imitationem Dei, qui cùm sit beneficus in omnes, neminem à sua gratia secernendo, si dignetur se ad eam accingere, nos suo exemplo sollicitat ad eamdem etiam beneficentiam omnibus errogandam. Et quia tota amoris summa emicat in amore exhibito inimicis; vt nos Christus alliceret ad hoc arduum specimen amoris, Chrysostomus ait, eum, affirmando nos obediendo fore filios Dei, congrua præmia subdidisse.

August. lib. 1. de sermone Domini in monte c. 46. Filiatio diuina emitur obsequio præstito mandatis Dei. Gratia nos componit in habitum filiorum Dei. Filiatio diuina quare promissa amori inimicorum.

Quod verò Maldonatus ait esse tautologiam, si iuxta literæ sonum intelligantur verba Christi, parum mouet. Nam Scriptura variis assueta tropis, id est, figuris loquendi, vt rem altiùs insinuet, crebrò repetit. Neque etiam illa Christi sententia ita est tautologa, seu prædicatio eiusdem de seipso, vt non aliquid aliud formaliter inuehat. Nimirum hæc propositio Christi: *Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Hæc inquam propositio nihil incongruum vehit, intellecta prout sonat, nec vllam repetitionem ingerit importunam, vtpote sic intelligenda. O Discipuli sectatores Euangelij mei, gratia quidem vos adsciuit in numerum filiorum Dei, faciendo vos diuinæ naturæ consortes, ne ergo degeneres siris, referte consonis actibus indolem Patris vestri cœlestis, vt reuera sitis filij eius. Hoc autem est benigni illius Patris ingenium. Solem suum facit oriri super bonos & malos, pluuiarum latices fundit, qui alluunt arua etiam hominum impiorum. Beneficiis assiduis inimicorum suorum corda prouocat ad resipiscentiam, totumque hoc vniuersum, theatrum est, vbi bonitas Dei præcipuas partes agit. Vt ergo maiora præbeatis argumenta eius gratiæ, quæ vos iam effecit filios Dei, hoc vnum altè vestris mentibus insideat, scilicet vt præstetis vos beneuolos, atque beneficos erga inimicos; namque illud est Deum Patrem vestrum congruis actibus imitari.

Amor inimicorum præcipuè probat nos esse in gratia.

Quia neminem cogit Deus ad præstandum hunc præfatum amorem, sed duntaxat præcipit, & penes hominem est obedire ad salutem mediante gratia, vel reluctari, vlciscendi appetitu suadente vindictam, ideo Hieronymus ait, nos non natura filios Dei esse, sed arbitrio nostro. Sic ille: *Si quis præcepta Dei custodiat, & filius Dei efficitur: ergo non in natura filius est hic, de quo loquitur, sed arbitrio suo.* Vnde vt nihil adeò voluntarium est sicut amor, anima percita charitate, quam exhibet inimicis, tunc maximè probat esse filiam charitatis, qua veluti parente sata nihil nisi amorem sapit. Ergo cùm Deus charitas sit, & qui manet in charitate ille in Deo maneat, & Deus in eo; profectò ille filius Dei erit, qui ex charitate renascetur. Itaque esto gratia Dei nos filios Dei faciat; si tamen inguente tentatione vindicandi iniuriam in perniciem inimici, indulgemus illi libidini, & maleficos nos præstamus, non sumus ex tunc quod eramus; desinimus enim esse filij Dei, vtpote passi deliquium gratiæ, quæ comes est indiuidua charitatis. Eamobrem dicere: *Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* Perinde est ac dicere: Etsi gratia Dei vos efficat filios Dei; dilectio inimicorum adeò ingens gratiæ pondus adiicit vobis, vt ea charitate nouum induentes statum, denuo nati videamini, & sic titulo potiore sitis filij Dei, quàm fueritis hactenus.

Hieron. in Matth. cap. 5.

Quomodo simus filij Dei amando inimicos.

Vitione excidimus dignitate filiorum Dei.

Amor inimicorum; magnum gratiæ Dei incrementum adiicit.

Adiice statum filiationis Dei tribui charitati ab eo Apostolo, cui maximè cordi fuit amor. Sic ille: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii Dei simus & nominemur.* Quò maior ergo æstuabit amor sanctus; tantò etiam amplius hominem efficiet filium Dei At summa amoris sacri est, prorumpere in beneficia erga inimicos. Quisquis igitur benefecerit inimicis suis, ille proculdubio filiationis Dei rem & titulum assequetur.

1. Ioan. 3. Amor inimicorum, est summa amoris sacri.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Perfectionis cardo omnis, in amore vertitur.

In hæc verba:

Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

§. III.

CONIECTVRA I.

Ex Ratione.

Nili aquæ fœcundant Ægyptum.

ILluuies aquarum Nili exundantis faciebat olim arua opima Ægypti, quando Nilus assurgebat ad mensuram sacram Serapidi, in cuius templo religiosè asseruata colebatur. Desudante solo Ægypti feracibus aquis Nili, luxuriabant agri in segetes & gramina, quibus homines & pecora saginantur. Habet & anima nostra vnde ferax & fœcunda fiat, amorem scilicet, cuius naturalis alueus est bonum vnicuique conueniens. Sed si hunc canalem transgreditur amor, suos superans terminos, & decurrens vsque ad inimicos, beneficiis eos alluens, tunc maximè à Deo miris gratiæ dotibus anima fœcundatur. Quippe assurgit homo in sortem filiorum Dei, beneficio amoris huius, extra inolitum sibi alueum excurrentis. Huius autem amoris mensura reconditur in templo gloriæ. Nempe Dei amor nobis proponitur in exemplum, quod quisquis assecutus fuerit benefaciendo inimicis; vt Deus se beneficum præstat impiis hominibus, quos patitur inimicos, profectò ille perfectionem hanc assequitur, ad quam hortatur nos Christus ita fatus: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Cuius versus ille non est sensus, quem plerique ei affingunt, arbitrari Deum nobis præfigi in scopum omnium actionum, ita vt quemadmodum Deus nihil hiulcum aut imperfectum agit; sic & nos, in omnimodam perfectionem nostra omnia opera componamus. Aliena planè ab intento Christi est illa literalis expositio.

Amor inimicorum est gratiarum ferax.

Perfectio diuina, quam Christus proposuit imitandam, non est omnimoda, sed ea quæ attinet ad amorem inimicorum.

Itaque hæc esto conclusio, pangens literalem sensum verissimum & germanum, ad quem præcipuè attendit Christus, suos hoc textu discipulos adhortando. Christus commemorando perfectionem Patris cœlestis, ad cuius typum voluit instituere suos auditores, designare voluit amorem illum Dei, qui non consulit tantùm iustis, sed & miseratur iniquos, prouocans illos ad meliorem frugem, multas eis gratias erogando. Vnde hi qui textum hunc promunt, vt probent hominem vsquequaque perfectum esse debere ad æmulationem perfectionis Dei, deuiant ab intento Christi, qui hoc solum voluit inculcare, dilectionem inimicorum exhibitam beneficiis, homines dignari sorte filiorum Dei, quia sic Deum imitantur, qui non propitius est tantùm bonis, sed & est misericors malis, quos beneficiis illectos sibi tandem conciliat. Et vt hanc dilectionem altiùs infigeret, totam hanc parænesim conclusit adiecta particula, *Ergo*. Vt vel sic ingereret, se nihil noui adiicere, sed ea quæ dicebat pertinere ad proximum sermonem, de imitando amore Dei, qui ad amicos & inimicos porrigitur. Sic ille: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Id est: Nanciscetur amor vester apicem suæ perfectionis, quando diffundetur etiam in inimicos, sollicitans eos beneficiis ad redamandum, sicuti Deus cauet etiam malis hominibus, qui experti eum liberalem, dato libello repudij crimini, resipiscunt. Hoc mementote, & pro modulo vestro, assurgentes in eam perfectionem, quam Deus exhibet miserendo malis.

Nota particulam illam, *sicut*, non dicere concolorem perfectionem Dei & hominum: nulla namque finiti ad infinitum proportio est: atque ita vox, *sicut*, non æqualitatem significat perfectionis Dei & hominum; sed relationem similitudinis, quæ intercedit inter prototypum & eius species adumbratas. Quamuis enim nequeat homo pertingere ad perfectionem sui exemplaris; aliqualem tamen potest referre similitudinem eius, subsidio gratiæ, quæ hominem Dei participem facit. Hanc conclusionem sermonis Christi pertinere ad misericodiam præstandam inimicis, & non ad imitandas omnes alias perfectiones Dei, Lucas Euangelista significat, explicans illam perfectionem de sola misericordia, quam quisque debet inimicis omnibus exhibere. Sic enim Lucas effert Christi eloquia à Matthæo recensita: *Diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Lucas notat esse misericordiam, illud quod Matthæus perfectionem nuncupat. Nec discordant ambo, hac duplici nomenclatura amoris inimicorum. Est quippe amor ille misericordia consulens miseriæ inimici. Est & perfectio summa, vtpote tanta, quanta potest esse maxima.

Perfectio hominum quomodo referre queat perfectionem Dei.

Luc. 6.

Perfectio Dei imitanda ab homine est misericordia erga inimicos.

Esto igitur hæc altera conclusio pertinens etiam ad sensum literalem huius contextus. Christus commemorans quantùm diffundi debeat amor noster erga inimicos nostros, praxim illam dixit perfectionem æmulantem perfectionem Dei, quia perfectionis nostræ cardo omnis in amore vertitur, vt probatur hoc discursu. Rei alicuius, effectæ ad exemplar alterius, perfectio sita est in perfecta similitudine exemplaris, cùm res adumbrans nequeat excedere suum prototypum. Homo itaque editus ad imaginem & similitudinem Dei, hoc vnum debet satagere, vt quantùm sibi fas est, referat exemplarem causam. Sed nihil ad hanc similitudinem æquè conducit sicut amor, qui nos conformes facit rei adamatæ. At amare, est idem velle & idem nolle. Ergo qui Deum perfectè amabit, ille erit totus compositus ad arbitrium Dei, ac proinde defæcatus erit ab omni næuo. Nulla namque macula animæ affingitur, nisi ab aliquo affectu deuio. Si ergo omnia animæ vota penes Deum sunt, nihil omnino supererit, vnde peccare queat, cùm deorsum non feratur. Sed summa illius amoris emicat in eo, qui benefacit inimicis suis: Ergo ille, qui amore Dei percitus inimicos suos afficit beneficiis, maximam perfectionis partem impleuit: quomodo enim posset ille malam voluntatem exhibere Deo, qui bonus est, cùm bonam voluntatem præstet homini, qui malus est. Sic patet quàm eminens sit illa praxis amoris, quæ hominem euehit ad perfectionem seu plenitudinem legis, iuxta illud Pauli: *Plenitudo legis est dilectio.* Hæc perfectio neminem arcet, sed omnibus est consona; siquidem

Quomodo homo queat referre sinceram Dei imaginem.

Amoris Dei mira vis in anima.

Amor inimicorum magnam dicit perfectionem.

siquidem nullus est amoris expers; si cætera non potes, ama, & fecisti satis, ipso Apostolo asserto-re, cuius hoc effatum est: *Omnis lex in vno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

SENSVS LITERALIS.

Dilectio inimicorum tessera perfectionis est.

In hæc verba:

Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

CONIECTVRA II.

Ex lingvis.

Beatus Augustinus amore Dei flagrans aiebat, creaturas omnes esse suadas amoris huius sacri, ad quem homini prædicandum nihil prorsus elingue est in hoc rerum vniuerso, sed omnia sunt vocalia, styloque loquaci clamant vt amemus Deum. Si res aliàs tacitæ sunt sonoræ in argumento amoris; quales putas fore linguas, si quando de amoris pondere consulantur. Profectò non in voces perstrepent inconditas; sed illæ concordes suaue melos edent, in amoris gratiam, vt hoc dulcisono cantu deliniti homines incalescant. Quippe dialecti omnes versantes illum versum, quo Christus hortatur nos ad perfectionis apicem aucupandum, suggerunt nullam parænesim esse intelligendam de amoris summa, & non de virtutum omnium agmine conducendo. Ita vt, *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*, perinde sit ac, Satagite, vt amando inimicos vestros, æmulemini amorem illum, quo Deus etiam suos inimicos afficit, eos dignando suis beneficiis, etiam iniurios Domino largitori.

Omnia nos hortantur ad amorem.

Lingua Hebræa vt primogenita se prodit, insinuans illum textum, qui perfectionem summam sonat referri ad amorem. על כן תהיו תמים *nghal chen thihu themim.* Id est. *Ideo estote perfecti.* Vox על כן *nghal chen*, est dictio illatiua copulans totam sententiam, cui adiicitur, præuio sermoni, qui cùm fuerit de perfectione amoris, sita in dilectione inimicorum probata beneficiis, versus ille nequit intelligi de alio perfectionis studio, quàm eo, quod pertinet ad amoris argumenta inimicis singulis exhibenda. Quadrat vox, תמימים *themimim*, deducta à radice תמם *thamam*. id est, *complere*, ita vt perfecti perinde sint, ac complentes, Christo significante nos perfectos fore, si compleamus legem illam, quam tunc temporis inducebat. Appositè etiam Mercerus in thesauro linguæ Hebrææ, expendens illam vocem, תמם, quæ eadem est ac participium תם *tham*, illam sic reddit. *Inculpatus vita & moribus iuxta legem: non fraudulentus consiliis, non varius, sed simplex.* Hæc ille opportunè ad intentum Christi, qui instituens suos discipulos ad inculpatum vitæ genus, quo nos amor initiat, compendiosè hac voce, תמימים *themimim*, quæ quandoque perfectum significat, monuit, vt si perfectionis cupidi sumus componamus mores nostros iuxta illam legem amoris, quam prælibato hoc sermone suo mentibus ingerebat. Quod Latinus interpres ait, *perfecti*, vox Hebræa refert, *Immaculati vita & moribus iuxta legem.* Cùm ergo lex proximè recensita, sit lex de amore inimicorum, non potest Euangelij sensus aliò detorqueri. Atque ita intelligendus est Christus quasi ita fatus: O feruidi sequaces Euangelij, multas hactenus tuli leges; sed earum omnium compendium charitas est, & ea præcipuè quæ pertingit ad inimicos. Si ergo vultis vos aptare ad meæ legis institutum & sic assequi statum perfectionis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos; & sic quantùm homini fas est, prototypum vestrum, nempe Deum, congruo opere refereretis.

Ex lingvis. Hebræa.

Mercerus lexico Hebraeo in voce. תמים

Amor inimicorum magnam perfectionem dicit.

Syrus interpres non præteriit particulam illatiuam, quæ perfectionem refert, ad sermonem de dilectione inimicorum, הוו הכיל אתון גמירא *hanau hachil anthun gemire.* Id est, *Estote, igitur vos perfecti.* Apud Syros vox, הכיל *hachil*, idem sonat, ac apud Hæbræos על כן *nghal chen.* His quippe vtuntur auctores sacri, quando duo versus in vnam coire debent sententiam. Vnde ne discursus, de amore inimicorum, & de perfectione, quibusdam imponeret; quasi verò Christus completo sermone de dilectione inimicorum, ad aliud argumentum transiisset, exorsus sermonem dissitum ab alio; vterque textus apposuit particulam illatiuam, quæ palàm facit intentum Christi fuisse, vt recensio illa perfectionis indictæ, pertineret ad obsequium legis huius, quæ ad amorem æmulorum homines adhortatur. Non vacat etiam mysterio vox, גמירא *gemire*; illa nempe non solùm hominem perfectum sonat, sed & coronatum. Nam Syris & Chaldæis, גמירתא *gemiro*, significat coronam, à radice Syriaca & Chaldæa, גמר *gemar*, id est, *absoluere.* Illud namque quod est suis omnibus numeris absolutum, corona perquàm dignum est. Itaque verba Christi Syriacè expressa, hunc sensum edunt: Dilectio inimicorum facinus arduum est, huic intendite, vt tandem aliquando possitis huius amoris obsequio coronari.

Syriaca. Chaldæa.

Amor Inimicorum coronandus.

Suas etiam opportunè partes egit Græcus interpres, commemorans illam dictionem illatiuam, in qua vt cardine vertitur intentum Christi. Ecce idioma fauens meæ sententiæ. Ἔσεσθε, οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειος ἐστι. Id est. *Estote igitur vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Particula, οὖν id est, *igitur*, satis superque sonat, vt ex ea inferamus, illam perfectionem, ad quam nos Christus initiat, esse amoris huius praxim, quam luculenter antea commendauit. Adiice vocem Græcam τέλειος quæ perfectum significat, deduci à verbo, τελειόω, quod perinde est ac finio, instituo. Vnde, τελείωσις, id est, consecratio. Et Exodi 29. τελειώσεις τὰς χεῖρας Ἀαρών. Id est, *consecrabis manus Aaron.* Quisquis ergo anhelat ad perfectionem instituti Christiani, ille diligat inimicos suos, & beneficum se illis exhibeat, quantùm potest. Eâ nempe industriâ colophonem imponet obsequio, quod deuouit sermonibus Christi, cui profectò ille totus est consecratus, qui etiam iniurias facit sacras, iis vtendo ad incrementum amoris sui, ita Domini institutoris legibus obsequendo. Præterea verbû, τελειόω, *finio*, benè quadrat amori inimicorum: quia cû finis legis Christianæ sit dilectio? Ille penes quem absoluta amoris praxis erit, nô habebit vltra quò procedat

Græca.

Iniurias acceptas consecrat amor inimicorum.

Amor est finis legis.

procedat, vtpote finem nactus, Deoque frui incipiet in hoc æuo, prout fas est homini viatori. Nempe vt gratia est gloria inchoata;gratiæ vbertas, quæ influit in religiosos, & exactos Euangelij professores, aliqua ex nunc eis gloriæ tribuit argumenta.

Ex præfatis, obsurdescet ille, qui non audiet conclamantes linguas in gratiam meæ conclusionis; affirmantis, Christum eo literali textu, qui hortatur ad perfectionem, hoc præcipuè intendisse, vt si amor inimicorum in sua praxi facesseret negotium; recoleremus, nos aliter haudquaquam posse assurgere ad perfectionis statum illum, quem præscribit illa tersior Euangelij disciplina. Non tamen inficior, posse præcones verbi sacri homines vrgere ad omnium virtutum obsequium, vt vel sic aliqualem referant vmbram Dei, qui est vtiquequaque perfectus. Sed quia hoc mihi pensum indixi,vt collimarem ad scopum illum, quem intendit Christus homines affatus; ideo fusè ostendi illas voces, *Estote ergo perfecti*, esse veluti anacephaleosim, id est, breue compendium illius sermonis,ad amorem inimicorum omnes homines adhortantis.

SENSVS LITERALIS.

Amor inimicorum summa est instituti Christiani.

In hæc verba:

Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

CONIECTVRA III.

Ex SS. Patribvs.

Legibus olim cautum est, ne in re ancipiti testimonium amicorum esset momenti alicuius. Sed lex illa antiquata est in argumento amoris inimicorum: nimirum ad eminentiam illius amoris maximè facit testimonium eius, qui eum impensè coluit. Ipse enim legifer Christus, legem, quam sermone hodierno sanxit, perfectè in supremo agone positus adimpleuit. Quippe fudit preces in gratiam perduellium hominum, à quibus fuerat cruci affixus, adeóque beneficus illis fuit, vt plurimos eorum ad fidem conuersos gloriâ dignatus sit. Ille igitur Christus se egregium huius amoris encomiasten præstitit, quando ei perfectionis diadema affinxit, dicens eis quos initiabat eo amore: *Estote ergo perfecti; sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Nemo etiam Sanctorum est, qui non effusus sit in laudes huius amoris, refundens in eum præcipua perfectionis argumenta. Ita Augustinus: *Domine Deus meus, si feci istud, si reddidi retribuentibus mihi mala. Hoc dicere non potest, nisi perfectus. Ait enim Dominus: Estote perfecti,sicut Pater vester cælestis est perfectus, qui Solem suum facit oriri super bonos,& malos.* Remigius perfectionem dilectionis concludit hisce carceribus, arbitratus eum, qui amore dignatur inimicos suos, omnes amoris numeros impleuisse. Sic ille: *Quia perfectio dilectionis, vltra dilectionem inimicorum non potest procedere; ideo postquam Dominus præcepit diligere inimicos subiunxit: Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

Ex SS.Patribvs.

August. in Psal.7
Amor inimicorum est tantùm perfectorum.

Remigius.
Amor inimicorum est tota amoris summa.

Ipse quidem perfectus est, vt omnipotens; homo autem vt ab omnipotente adiutus;

Gregorius Nyssenus ait alia omnia attributa Dei, non proponi homini in scopum, quem attendat, sed vnam ei bonitatem obiici, vt se componat in similitudinem eius. Accipe eius sententiam: *Nulli est natura diuina, nulli potentia, nulli sapientia imitabilis: bonitatis tamen, mansuetudinis, iustitiaque, ac humanitatis diuina typos aliquos quoque modo effingi posse non inficias iuerim.* Sic ego explico Gregorium appositè ad titulum quem expendo. Perfectio hominis sita est in tali similitudine Dei, qualem referre potest homo. At non potest Deum imitari in creatione, simplicitate, æternitate; quia hæc omnia subolent infinitam essentiam, infra quam longè positus est homo. Sola superest bonitas Dei, quæ in eo imitabilis est: vt sicut Dei dona, ad bonos & malos diffunduntur;ita & hominis gratia dispergatur in omnes etiã homines inimicos:& tunc pro viribus suis aliquali modo suum prototypum assequetur.

Gregor. Nyssen lib. de professione Christiana.

Amore inimicorum Deus proponitur imitandus.

SENSVS LITERALIS.

Virtus quantumuis emerita, litans oculis hominum, æterna Dei mercede cadit.

In hæc verba:

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.

§. IV.

CONIECTVRA I.

Ex Ratione.

In venenosis animantibus præcipuum nocendi locum tenet basiliscus, qui etiam oculis suum spargit virus adeò lethale, vt aspici ab eo perinde sit ac necari. Imò tanta est eius oculorum pernicies, vt si ei obiiciatur speculum, vnde se videat per refractam sui speciem, statim ipse malè dispereat interemptus proprio spiculo suo, siue intuitu resiliente ex speculo. Tãti prodigij fides esto penes auctores, illam historiam recensentes. Titulus exponendus similem propè tragœdiam subiicit oculis nostris, dum affirmat, virtutem, quæ oculis hominum litat, id est, quæ eo fine se prodit, vt captet hominum gratiam, excidere præmio æterno. Nonne perinde est ac dicere, oculos hominum id posse in virtutem, quod basilisci aspectus in homines possunt? Ita sanè adeò quadrat isti argumento historia reguli huius serpentis, qui suo etiam aspectu deficit, vt si quispiam ediderit aliquod facinus eximium,& hoc suum opus egregium imprudenter attendat, vt proprium fœtum suo marte satum, statim perimat se propriis obtutibus. Nimirum ille,qui se ipsum suspicit & miratur, æquè est vanitati obnoxius, vt ille qui nimis anxiè captat oculos aliorum. Hinc fortè querula vox Ieremiæ Prophetæ: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Anima namque tumens, suo ipsius intuitu, æquè deliquium patitur, vt illa, quæ alios oculos aucupatur.

Christus occurrens illi discrimini, sic cauet indoli nostræ propensæ ad conciliandos hominum oculos, etsi noxios egregiis actibus exantlatis:

Præclarum exordium contra eos qui videri, volunt bona operantes.

Oculi spectatorũ sunt virulenti virtutibus eo fine editis vt videatur.

Thren. 3.

Quare bona opera nomine iustitiæ significentur.

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Nomine iustitiæ nuncupat illa omnia opera, quæ vel primam iustitiam præcedunt, gratiæ excitantis obsequio; vel illa opera, quæ edita ab homine in gratia, proficiunt ad gratiæ amplius argumentum. Huius generis præcipuè sunt illa, quæ recenset hîc Dominus, recolens eleemosynam, orationem, & ieiunium: monens ita præclara facinora excidere nitore suo, si colliment in oculos hominum vt vltimum scopum suum. Hoc argumentum luculenter expendi, decurrens Euangelium Feriæ quartæ cinerum, initio huius Tomi tertij, vbi multifariàm enucleaui thesim istam, quam ideo nunc vt canis in Nilo cursim expediam, ne luxurians oratio incurrat in aliqua antea prælibata. Hoc igitur habeo probandum, scilicet: nulla esse reposita stipendia actioni, quam quis exeruit, vt captaret hominum gloriam: videri enim ab hominibus, in eo textu idem sonat, ac mendicare gloriolæ auram perinanem.

Quare opera edita ob vanam gloriam, sua mercede cadant.

Præter multa alia argumenta, quæ in præfato Euangelio prostant, accipe & istam rationem validam ad meum intentum adstruendum. Ad hoc vt alicui operi merces æterna decernatur, debet illud opus procedere ex principio superioris ordinis; quia natura suo conamine nequit assurgere ad finem supernaturalem, qualis est gloria æterna, quæ manet beandas animas. At principium superioris ordinis non fertur in creaturas vt in proprium finem: vt namque in naturalibus causæ benè dispositæ non frustrantur intento suo, sed remoto quouis obice sortiuntur effectum congruum; ita titulo potiore, gratia, quam nullus remoratur obex, non deuiat à suo agendi modo, qui est, Deum sibi semper præstituere in vltimum finem: hunc enim quisque sibi præfigit in finem, cuius gratiam vult congruo opere demerere. Ergo ipsa gratia, cuius est animam conciliare Deo, hoc sibi pensum præcipuum indicet, vt illi soli litet, incuria gloriæ hominum, quæ est bonis actibus inimica.

Aliud argumentum demonstrans irrita esse bona opera eo fine edita vt videantur ab hominibus.

Rursus bona opera, eo argumento edita vt videantur ab hominibus, & afflentur aura populari, nullum habere ius ad mercedem illam, quam Deus impertitur virtutum praxi, patet ex natura meriti. Nempe de ratione cuiuscunque meriti est, vt suam mercedem accipiat ab eo cui laborat. Cùm ergo hominis vani omnia vota anhelent ad captandam hominum gloriam, & desudent illi soli, profectò iniquum est, velle à duobus dominis mercedem accipere, cùm vni tantùm sua obsequia omnia mancipárit. Nimirum qui attendit oculos hominum, vt eos sibi propitios faciat, aspectus ab eis vt quidpiam singulare; cùm nactus est illum finem, visus ab hominibus, & accepto ab eis præconio, debitum sibi accepit stipendium, ac proinde non est vnde à Deo mercedem iure queat exigere, quia haudquaquam illi serum Domino desudauit. Et quia mentionem meriti fecimus; recolenda sunt dicta superiùs, scilicet meritum gloriæ æternæ dicere præuiam charitatem, qua inscia nullum omnino est meritum de condigno; quia Deus iis tantùm se obstrinxit, qui morem gererent suis legibus, indictis ad hanc gloriam congruè capessendam. En

Matth. 19. Meritum bonorum operum vnde pendeat.

pactum initum: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ergo cùm homo, impetigine gloriæ humanæ, nihil nisi vanitatis causâ perficiat, frustra sibi adblanditur, sperans à Deo mercedem operis exantlari: vbi enim deficit charitas, illinc abest etiam omne argumentum mercedis æternæ. Esse autem expertem charitatis hominem illum, qui se componit totum ad arbitrium oculorum hominum, liquet ex natura charitatis, cuius cura omnis est adhærere Deo tenaciter, & infra eum reponere quidquid eminet in humanis. Qui igitur Deo abdicato gloriam hominum sibi affingit vt vltimum suarum actionum finem, ille Deo iniurius est, quia in locum Dei sufficit hominem. Ergo tantùm abest, vt à Deo mercedem recipiat, quinimò flagris excipietur, vt fur & latro, manus violentas iniiciens in domini sui gazas. Etenim gloria ad Deum tantùm pertinet, cuius hoc est effatum: *Gloriam meam alteri non dabo.* Reus ergo est, & malæ fidei, qui gloriam ab hominibus exigit, edito specimine virtutis emeritæ, cuius gloriam refundere debuit in Deum bonorum omnium largitorem, cui soli vt Regi sæculorum immortali honor est & gloria. Cùm itaque non coëant meritum, & reatus; ille, qui peccauit, non inde potest exigere à Deo mercedem, vnde fecit digna plagis, gloriam domini sui nequiter vsurpando.

Gloriam hominum aucupari, quàm sit perniciosum.

Isai. 48.

SENSVS LITERALIS.

Gloria humana bonis operibus iniuria est.

In hæc verba:

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.

CONIECTVRA II.

Ex Lingvis.

Quare suos discipulos Christus tot præceptis imbuerit.

ANtequam lapides inferantur in regias ædes, vt eorum compage fabrica assurgat expectatus colophonem, id est, extremam operis manum; peritus artifex explorata lapidum bonitate, eos aptat ad regulam sæpius adhibitam, vt sic expoliti quadrent regiis ædibus inserendi. Ea vsus industria Christus Ecclesiam erecturus, conquisiuit animas vt lapides idoneos huic fabricæ; quos tamen aptauit ad amussim suam, ne inepti fabricam offenderent, architecti gloriæ detrahentes. Rudiores illi lapides sæpe à Christo appositi fuere ad normam, futuri sic aptiores illius ædificio. Quoties enim nouis præceptis eos erudiuit, toties illos ad regulam composuit, ne quid incongruum Ecclesiæ structura mystica pateretur. Et quia rectitudinem regulæ lapides assequi non possunt, nisi deponant superflua quæ assurgunt, crebris ictibus exuenda; Christus industrius architectus operæpretium duxit; suos erudire discipulos, detergendo ab eis iniqua dogmata Scribarum, & Pharisæorum, quibus imbuti erant omnino inepti ad fabricam Ecclesiæ. Præcipua deformitas, ad quam reparandam Christus se accinxit, ea fuit, quæ Scribas & Pharisæos omnes infecerat: scilicet pruritus gloriæ humanæ, ad quam venandam omnia sua bona opera dirigebant; præsertim eleemosynas, quarum hoc est singulare munus,

Eleemosyna cauere debet oculos spectatorum.

munus, vt oculos hominum detineant, non eorum tantùm quibus erogant stipem, sed & aliorum, qui hoc beneficium spectant. Vnde Christus specialem mentionem eleemosynæ fecit, ne suo stipendio æterno excideret facta inanis gloriæ gratiâ. Sic ille: *Cum ergo facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.*

Matth. 6.

Ex Linguis.

Esto singulis quibusque bonis operibus immineat periculum vanæ gloriæ; Christus tamen primò recensuit eleemosynam, vt eam cui maximè solet vanitas insultare. Ideo Græcus interpres pro iustitia substituit eleemosynam. Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. Id est. *Attendite, ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus.* Maldonatus ait, Græcum interpretem non intellexisse vim nominis. Hæbræi, צדקה *tsedakah*, quod iustitiam sonat, & vsurpasse eo versu eleemosynam pro iustitia, quia sequens versus eleemosynam commemorat. Sed errat Maldonatus ipse. Nam vox ipsa Hebræa, צדקה *tsedakah*, in lexico Hebræo Merceri professoris regij vtrumque significat; iustitiam scilicet, & eleemosynam. Et textus Hebræus Matthæi, quo vtor, & qui est Ioannis Tilij Episcopi, longè tersior eo, quem Barbarum nobis obtrusit Munsterus apostata; ille inquam textus Hebræus eadem voce vtitur, cùm de iustitia & eleemosyna loquitur. En contextum. ראו שלא תתנו צדקתכם *reu schello thithnu tsidkatchem* Id est. *Videte ne faciatis iustitiam vestram.* Sequenti versu eadem vox pro eleemosyna sumitur. וכאשר תתן את הצדקה *vcheascher thithen eth hatsedakah.* Id est. *Quando dabis eleemosynam.* Ibi, הצדקה *hatsedah*, non potest à Maldonato explicari de iustitia ob verbum תתן *thithen*, id est, *dabis.* Non enim datur iustitia, sed eleemosyna.

Græca.

Hebræa.

Syrus interpres vocem etiam æquiuocam adhibuit, quæ iustitiam, & eleemosynam significat חרו דין בזדק חכון *charu den bezidkathcun.* Id est. *Attendite autem in eleemosyna vestra.* Vox illa, cui suffixum est pronomen, deducitur à nomine; זדיקותא *Zadi Kutho.* quod Syriacè significat, iustitiam, & eleemosynam. Et de facto sequenti versu, vbi explicitè Christus præscribit regulas eleemosynæ, vt par est erogandæ, Syrus interpres eleemosynam expressit eadem dictione, qua antea iustitiam extulit, vt videre est hoc contextu, אמתי הכיל דעבד אנת זדקתא *emmathai hachil denghaued anthe zdkctho.* Id est. *cùm igitur facturus es eleemosynam.* Itaque liberum fuit interpreti Græco vertere ad arbitrium suum eleemosynam pro iustitia, cùm textus Hebræi & Syri dictionem habeant, quæ eadem est, vbi de iustitia & eleemosyna fit mentio, ac proinde malè carpit Maldonatus Græcum interpretem, quem Chrysostomus, Euthymius, aliique Patres Græci secuti sunt. Non eo inficias, nostram versionem propiùs accedere ad intentum Christi, qui damnaturus immodicam gloriolæ cupidinem, non hoc solùm voluit dicere, vt eam arceremus à sola eleemosyna, aut oratione, & ieiuniis, quorum meminit hoc capite, sed generali edicto rubiginem tersit illam, quæ solet bonis quibusque actibus affricari.

Syriaca.

Iustitia & eleemosyna eadem voce significantur apud Hebræos & Syros.

Peritissimus hic magister, probè callens erudiendi modum, vniuersalem propositionem fixit, vt edocto sic animo singularia melius ingereret. Iustitia namque virtus est generalis, cuius modum præscribens Christus, eum postea cæteris applicuit virtutibus singularibus, vt eleemosynæ, orationi, & ieiunio. Quare autem præmonendo discipulos suos de auertuncanda libidine inanis gloriæ, Christus Syriacè loquens, vt cæteri tunc Hebræi, apud quos erat illa lingua vernacula, vsus sit vocabulo ancipiti, quod æquè ad eleemosynam pertinet, sicut ad iustitiam; id ego arbitror consultò esse factum, vt significaret, opera misericordiæ, vt par est exhibita, maximè habere vim iustificandi, & etiam valde esse obnoxia vanitati. Etenim vt beneficus homo omnium sibi animos conciliat; ita periculum est, ne eò sua dirigit vota, vt humanam tantùm gratiam suis præclarè factis perperam aucupetur. Huic itaque discrimini cauet Christus, insinuans omnium virtutum florem marcescere, si perfletur aura gloriæ popularis.

Quare opera misericordiæ admonentur opera iustitiæ.

SENSVS LITERALIS.

Virtus omnis, & præsertim eleemosyna flaccescit, perflata flabris inanis gloriolæ.

In hæc verba:

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.

CONIECTVRA III.

Ex SS. Patribvs.

Exordium pulchrum pro concione de fuganda vanitate.

Pestilens est aura vanitatis.

VItruuius, homo industrius in his quæ pertinent ad architecturam, ait ædes illas esse insalubres, quæ ad austrum vergunt, quia illinc afflat pestilens aura pelago æstuante sata. Idcirco Sardinia morbis obnoxia est, quia videlicet austro patet. Concordes sunt in simili argumento Sancti omnes, cùm agitur de aura populari, quæ à vento nomenclaturam accipiens, vanitatis nomine nuncupatur. Aiunt Patres, illam auram spirare in perniciem bonorum operum. Ita Auctor imperfecti, huius venti damna commemorat: *Quid à Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo recipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, & à nullo speratur. Quid est enim aliud hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus?* Hanc inanem gloriam Dauid optat in puluerem deduci hoc præmisso voto: *Et gloriam meam in puluerem deducat.* Quem locum sic Augustinus versans enucleat: *Hic est ille puluis, quem proiicit ventus à facie terræ; superborum scilicet vana & inepta iactantia, & inflata, & non solida, tamquam vento elatus pulueris globus. Rectè itaque hic posuit gloriam, quam non vult in puluerem deduci; vult enim eam solidam habere in conscientia coram Deo, vbi nulla iactantia est. Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur. Ita soliditas in puluerem deducitur, si per superbiam quisque contemnens secreta conscientiæ, vbi solus Deus hominem probat, velit apud homines gloriari. Hinc est, quòd alibi dicit Deus: Conteret ossa eorum, qui hominibus placent. Qui autem benè didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè cauendum esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est*

Ex SS. Patribvs.

Auctor operis imperfecti homilia 13.

Psal. 7.

August. in Psalm. 7.

Gloria humana quomodo in puluerem resoluatur.

est anima, hoc vltimum vincit. Initium autem omnis peccati superbia, & initium superbiæ hominis apostatare à Deo.

Hæc pestilens aura non officit tantùm animæ saluti, & integritati bonorum operum; sed est veluti turbo, quo percitum mare tumet, & in vortices agitur, absorbens animas vt naues egregiis mercibus oneratas. Eò allusit Basilius ita fatus: *Fugienda in primis inanis gloria est, quæ non ante labores, à laborum nos susceptione deterret, sed iis iam transactis, mercedis præmiis exuit, spoliatve. Illa expugnatu difficilis, & callida salutis nostræ insidiatrix: illa vel in cœli ipsius connexis insidiarum aduersum nos collocatrix, virtute tamen licet vsque in cœlum expansis ac porrectis adornatas profligare, ac deturbare pertinacissimè contendit. Simul ac enim illa pietatis mercatorem cuiusque modi virtutum mercibus onerariam mentis nauem subarcinasse, & complesse animaduertit, procellâ suâ ocyùs excitatâ, in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat, & aquis pessumdet. Illius enim, qui ad regnum supernum nauigationis suæ cursum instituerat, mente illa ad res humiles gloriasque hominum contemplandas detorta, vniuersas repentino spiritu ex animo diuitias exsufflat, & subrutis virtutum fundamentis, proceritate sua ad cœlum vsque pertingentes labores deturbat, & terræ allidit; cùm nos, vt eorum ab hominibus præmia expectemus, impellat, quos æquum erat, cùm oculos in solum Deum haberemus intentos, illique vni rectè facta nostra reseruaremus, meritam ab eo solum referre mercedem. Nos verò cùm ad amplectendas virtutes, hominum iudicio impulsi potiùs accedamus quàm Dei, inanemque ab illis gloriæ mercedem flagitemus; iure optimo diuinorum præmiorum frustrationem incurrimus: quippe qui non propter Deum labores adeamus, sed hominibus nos operarios locemus nosmetipsos. A quibus cùm mercedis loco, iacturam auferamus quid est, quod nobis à Deo reddi ampliùs poscamus, propter quem animum, vt operis aliquid faceremus, nostrum nunquam induximus? Vnde de huiusmodi hominibus Dominus in Euangelio dicit: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

Basilius lib. constitutionum monast. cap. 11.

Vanitas est ventus submergẽs animas onustas bonis operibus.

Quare oculi hominum deprædentur mercedem bonorum operum.

Vanitatem præcipuè cauendam ab hominibus etiam sanctis, ratio petita à vento probat: nimirum vt quisque patet magis vento, quò plus attollitur: ita quò altior est apex sanctitatis, ad quẽ assurgit homo, diabolus inde maiora argumenta conquirit hominem impetendi flabris auræ popularis, quæ idcirco est etiam viris optimis importuna, eos spoliando bonis ipsis, quæ fuere ingloriæ semina vanitatis. Eamobrem Basilius multus est in hortandis sanctis hominibus, vt declinent æstus pestilentis illius auræ, cuius contagio percussa quæque bona opera contabescunt. Sic ille: *Age igitur, quando hæc ita sunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum expoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu fraudis suæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem quod opinor ea de causa facit, vt vitio se illi auidiùs ingurgitent, nec vlla illius expleantur satietate. Dulce quid imperitis humana gloria est.*

Vanitatis periculum præcipuè incurrunt Sancti homines.

Basilius vbi supra.

Quare autem prudentiores non caueant ab hoc vitio sicut à cæteris, ista ratio assignari potest, quod cætera piacula præferunt quid deforme. Verbigratiâ, homo facto sibi aliquo nomine sanctitatis, non statim tentabitur fœda libidine, gula, aut furto; quippe hæc omnia fœtent adeò, vt subolida nidore suo magis stomachum moueant sanctis, quàm aliquam sui cupidinem faciant; proinde fit, vt homines virtutis emeritæ non vrgeantur sordidis affectibus, quia hæc peccata quidpiam sapiunt indecorum. Vanitas verò ementita speciem zeli, cultior obiicitur homini, qui dum credit aliis prælucere suo exemplo, palàm edit virtutis insolitæ specimina, arbitratus alios laudando suam bonam frugem, concepturos etiam eamdem indolem sanctitatis. Sed plerumque secus accidit, vt scilicet ille, qui capere voluit alios, exhibitis incautè suis præclarè factis, ab inani gloria miserè capiatur. Vnde licet gloria humana non sit semper vana, cùm præsertim tribuit homini sancto, Deo prouocante homines, vt eos colant, quos viderint eminere virtutibus; satiùs duco, & dico declinare suaue melos laudis humanæ, quæ instar Sirenum cantus, affert perniciem illis, qui has dulcisonas voces patulis auribus ebiberunt.

Vanitatis periculum quare non declinetur perfectis, vt alia vitia.

Mihi concinit Augustinus, qui explicat, quàm sit periculosa laus humana. Sic ille: *Qui laudatur, minus sibi assumere debet, quàm offertur: sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, & id quod accipitur laudis, aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere, sed propter illa accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia deiectione vilescat. Ad hoc enim pertinet, quod dictum est: Nemo adolescentiam tuam contemnat, cùm hoc ille dixerit, qui alio loco ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Magnum est de honoribus & laudibus hominem non lætari; sed omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium salutemque conferre. Non enim frustrà dictum est: Deus confringit ossa eorum, qui hominibus placere volunt. Quid enim languidius, quid tam sine stabilitate, & fortitudine, quod ossa significant, quàm homo, quem malè loquentium lingua debilitat, cum sciat esse falsa quæ dicuntur? Non huius hostis virus sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia etsi cuiquam facilè est laude carere dum denegatur; difficile est ea non delectari cum offertur; & tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non meritò laudemur, corrigamus eos, quos possumus, ne arbitrentur in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse quod Dei est, aut ea laudent, quæ quamuis sint in nobis, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen pro his, quia placemus hominibus: sed si coram Deo tales simus, tales non esse credunt, & non tribuitur nobis sed Deo, cuius dona sunt omnia quæ, verè meritòque laudantur. Hæc mihi ipsi canto quotidie; & tamen vehementer cum aduersario dimicans, sæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possim.*

Augustin. epistol. 45. ad Aurel.

Quàm sit periculosa laus hominum.

Psal. 52.

Hæc itaque cantilena tuis auribus iugiter insonet, ne strepitu laudis humanæ quandoque tuus animus obsurdescat. Vtque magis exosam habeas vanitatem, accipe vnde suam perniciem trahat insana cupido gloriæ, in quam Sanctorum omnium

Quare nimia cupido gloriæ humanæ sit Deo iniuria.

nium eloquia debacchantur. In tantùm aliquid est malum, in quantùm Deo iniurium est. At illa impetigo gloriæ, qua pruriens anima percellitur, est maximè Deo iniuria: nam illa cupiditas, & dubiam Dei fidem facit, & Deum quasi impotentem credit: dubitat namque de gloria à Deo promissa bonis operibus ille, qui eâ spretâ gloriâ, laudes hominum aucupatur. Rursus malè de Dei potentia suspicatur ille, qui exiguam hominum mercedem præfert Deo, æterna præmia pollicenti. Nonne ergo est odio habenda illa iniquitas, vtpote ausa Deo inferre iniuriam? Eo maximè argumento vsus est Chrysostomus, homines adhortatus, vt Deum solùm attendant bona sua in pauperes erogantes. Eum audire præstat ita fatum: *Quid infelicius credatur esse, quam cùm in portu sedens, naufragium pateris? Hoc autem faciunt hi, qui ob inanem gloriam bona operantur. Ne igitur istud eueniat, cùm boni quippiam feceris, noli à me gratiam flagitare, vt Deum certè habeas debitorem. Accipit enim ille fœnus à quibus non putatur accipere. Habes igitur locupletissimum debitorem, cur illum relinquens, me exigis hominem pauperem prorsus, at tenuem? Nunquid enim indignatur hic debitor, cùm fœnus exigitur? Num aut verax in soluendo non est, aut soluere sponte dissimulat? Non cernis eius nullo explicabiles sermone thesauros? non liberalitatem illam inenarrabilem donatoris? Ipsum igitur tene, ipsumque exige; hac enim exactione lætatur. Nam si ab alio exigi viderit quæ ipse debet, suam reputabit iniuriam: nec tibi vltra eam reddet, quinimò te sibi vltionis faciet debitorem. Vnde me iudicas, inquit, ingratum? Cuius mihi es idoneus conscius paupertatis? Quia scilicet me prætermisso, ad alium importunus accedis, alterum fœneratus es, & alterius exactor efficeris. Nam etsi homo accepit quod in eleemosyna dedisti, Deus tamen, vt tribueres, imperauit. Se igitur principalem debitorem tuum vult esse, præbens tibi occasiones innumeras exigendi. Noli igitur tantas relinquendo diuitias, tantamque facultatem, & copiam largiendi, à me vt accipias, postulare, qui nihil omnino possideo. Cuius enim rei gratiâ mihi te ostendis, cùm misericordiam pauperibus impendis? Num ego tibi, vt tribueres, imperaui? Numquid à me, vt tribuerem, audisti, vt à me consequenter mercedem videaris exigere? Ipse dixit: Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo. Deo igitur fœneratus es, ipsum reposce, sed non tibi in præsenti cuncta restituet: verùm hoc quoquè tuo commodo facit.*

In eleemosyna erogãda Deus est solus attendus.

Chrysost. homil. 25. in Matthaeum.

Vana gloria demetit omne meritum boni operis.

Egregia descriptio malorum quæ vanitas adfert.

Quamuis illa lethalis aura gloriæ humanæ, virtutum omnium choro aspiret; præcipuè tamen ventilat eleemosynam, quia hæc actio benefica tot conducit præcones, quot homines sibi obstringit stipem erogando. Ac proinde sonus laudum, quæ comitantur eleemosynæ facinus egregium, se blandè insinuat in animam imprudentem. Eamobrem opportunè consulit Christus, vt secreto fiat eleemosyna futura tutior, quò procul erit ab oculo deprædante totum, quod manus pauperi propitia impertiuit. Huic argumento congruè Chrysologus imponet coronidem, aureo sic decurrens eloquio: *Misericordia non terra sit nota, sed cælo; non hominibus insinuata, sed Deo. In plateis, in triuiis suum pietas habet secretum, &c. Deus de cordibus, non de manibus, facta metitur; & de sensu, non de locis operum colligit qualitatem. Misericordiam coram se solum vult fieri, qui solius misericordiæ remunerator est, & testis. Et qui dicit: Esuriui, & dedistis mihi manducare; vult in paupere sibi dari, & qui vult sibi dari, vult quod datum est se debere; & qui vult se debere quod datum est, vult largientibus nil perire. Deus parua poscit, maxima redditurus. Vnde, homo, si in paupere Deo fœneras, testes homines non requiras: fides arbitros non requirit. De accipientis fide disputat, qui sine mediatoribus nil dat: quia credita diffamas, vrit verecundia debitorem. Ergo, homo, daturus Deo, da secretò, vt quod debes, non sit oneris, sed honoris, &c. Quàm verò in paupere sit verecunda paupertas, quod largitatis tua quærat secretum, aperit ipse cùm dicit: Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Sicut sunt nobis in dextera parte virtutes; ita nobis pars vitiorum in sinistra. Ergo vt opus est dextera, quod facit tacitus dator; quod facit dator garrulus, hypocrisis est sinistra.* Hæc ille.

Eleemosyna præcipuè patet vanitati.

Chrysolog. sermone 9.

Eleemosyna soli Deo placere debet.

Elegans exhortatio suadens vt eleemosyna sit secreta.

Vt ergo fœtus recens editus pannis inuoluitur, & subducitur vento, ne pereat; ita hoc tibi altè insideat, virtutum actus debere abscondi, ne afflatu humanæ gloriæ dispergantur.

MORALIS
EXPOSITIO
EVANGELII PROXIME
literaliter expensi.

EVANGELIVM SECTVM IN TOT NVMEROS, quot sunt propositiones discussæ moraliter.

I. AVDISTIS quia dictum est : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros.

II. III. Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos : vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne & Publicani hoc faciunt ? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis ? nonne & Ethnici hoc faciunt.

IV. V. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito ; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

SENSVS MORALIS IN QVO ENVCLEANDO ludunt omnes scientiæ.

1. *VT Deus suum subsidium aptat omnium rerum indoli ; ita ab eis exigit obsequium congruum opi, quam impertit. Eamobrem volens copiosos gratiæ suæ latices in mundum effundere promulgato Euangelio, ideo etiam exegit ab hominibus præcipua amoris argumenta, ferens legem de diligendis inimicis.*

2. *Ea tamen subaudita cautione, vt inimicorum vitia non amentur, sitque is delectus in eo amore rependendo, vt quorumdam inimicorum consortia declinentur.*

3. *Ne autem amoris ementiti species inanis imponat ; Christus exosus ludicra omnia simulacra, sanxit illum amorem non debere esse truncum aut mutilum. Nimirum ei affinxit cor sincerum ad affectum beneuolum, compegit ei os ad fundendas Deo preces pro inimicis, & demum ei affinxit manus, quibus beneficia suis æmulis erogaret.*

4. *Vt beneficiis & præmiis anima prouocatur ad ardua facinora ; Deus in stipendium amoris huius apposuit perfectionem. Nempe is omnium virtutum apicem nactus est, qui præfigit sibi Deum in scopum, vt eum votis æquè vt & actibus assequatur.*

5. *Verumenimuerò cauere debet insidias impiger sectator Christi, quem plerumque vitiis intactum, callidus hostis virtutibus impetit, & prosternit, dum de præclarè gestis, aspirante Deo, se permittit hominum auræ, flabris inanis gloriæ ventilatus.*

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Vt Euangelica lex præcipuè amorem sonat, ad eam maximè pertinuit summum amoris argumentum, quod est dilectio inimicorum.

In hæc verba:

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

SECTIO I.

PRÆFATIO.

Exordium de efficacia amoris.

AGricolis in more positum est, adhibere ignis, obsequium, quando repurgare volunt arua senticetis hispida, iuxta Poëtæ consilium.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros.

Christus adhibito amoris igne repurgauit glossas, quas Scribæ inuexerant in legem Moysis.

Aduertens namque ruricola ligone suo non retundi spinas omnes, neque earum surculos extirpari, ignem opponit, qui spineta, & dumeta accendens, arua etiam fœcundat, opima effecta subsidio flammæ, iniqua germina depascentis. Ea industria Christus legis Mosaicæ repurgium fecit: quippe in illam legem antea sanctam vepres irrepserant, Pharisæorum & Scribarum nequitiâ, qui nolentes assurgere ad obseruationem decalogi spiritualem, ex proprio penu suo multa comminiscebantur contraria intento legislatoris. Nempe præcipuum fuit hoc eorum dogma, scilicet legem debere ad literam intelligi, absque vlla adiectione. Vnde hanc conclusionem inferebant: inimicos esse odio habendos quia lex in præcepto amoris meminerat tantùm proximi, tacitis inimicis. Pleraque alia deliria, & commenta exotica veluti spinas inuexerant in illam legem, quæ in suis incunabulis sancta fuit. His iniquis Iudæorum notis veluti sentibus lex hirsuta, Christi Domini curam nacta, & experta flammas, perfectiorem longè statum sortita est. Namque extirpatis Iudæorum ineptiis, de sensu literali legis, Christus aperuit intentum legislatoris, singulare edens statutum de amore proximi, non eius tantùm qui beneficus est; sed & inimici, acerba odia in nos iugiter exercentis.

Deuter 25.

Lex equidem prisca rudimenta quædam huius amoris exhibuit, quando iniunxit reduci bouem errabundum hominis inimici; sed vltima manus debebatur Christo, qui ignem venit mittere in terras, vt eius incendio singulæ quæque hominum animæ conflagrarent. Itaque detersurus omnem rubiginem, quam Iudæi legibus affinxerant, legem Mosaicam in Euangelij fornacem iniecit, vt inde suum caperet incrementum. Fuit namque amoris summa, dilectio inimicorum, quæ maximè promulgari debuit in lege Euangelica: auctor fuit argumentum & specimen amoris eius, quem induxit. Nimirum ille iniuriarum immemor, suis inimicis adeò propitius extitit, vt seipsum piaculum fecerit in salutem hominum iniquorum. Huic amori inimicorum decerno istam sectionem, cuius prima pars hoc sibi imponet pensum, vt multis argumentis probet, illam dilectionem esse necessariam ad salutem, & quàm

Diuisio sectionis in duas partes idoneas ad terendas duas conciones.

maximè proficuam ratione commodi multiplicis, quod anima percipit decocta iniuriis patienter acceptis. Altera verò parte sectionis, ostendam qua cautela diligendi sint inimici, ne dum personam amamus, in vitia æmulorum nequiter incurramus.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Dilectio inimicorum tessera necessaria est ad salutem.

In hæc verba.

Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS I.

EX THEOLOGIA.

SVbeunte Christo Domino ædes beatæ Marthæ, apud quam hospitij causâ diuerterat; virgo illa curam agens Christi, in varias sese partes egit, solicita quàm lautè exciperet hunc tantum Dominum. Maria verò soror Marthæ alterius incuria negotij, pedibus Christi assedit, vtpote amore eius Domini sauciata. Martha arbitrata, suæ sororis otium esse intempestiuum, quia Christus ieiunus erat cibo recreandus, ac proinde operæ pretium erat instruere epulas, non sedere; Martha inquam pertæsa sororis incuriam, sic querula interpellauit Christum: *Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solã ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium.* Luc. 10.

Quale sit vnum illud omnino necessarium, arbitror omnes intelligere de vnione animæ cũ Deo, quam perfecta charitas operatur. Sed charitas hiulca est & mutila si secernit inimicos: ea quippe dicitur charitas, quasi chara vnitas. Ergo cùm charitas sit illud omnino necessarium, non est inficiandi locus, dilectionem inimicorum esse necessarium ad salutem. Ad hoc pertinet illa explicatio Augustini, de vno illo necessario à Christo Domino recensito. Sic ille: *Proponitur vnum multis: non enim à multis vnum, sed multa ab vno. Circa vnum se voluit Dominus occupari secundùm illud: Mihi adhærere Deo bonum est. Vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ad hoc vnũ non nos perducit, nisi multi habeamus cor vnum.*

Charitas est absolutè necessaria ad salutem.

August. serm. 27. de verbis Domini.

Hoc symbolo vnitatis, Lucas pictor egregius adumbrauit perfectionem Ecclesiæ adhuc in incunabulis. Ecce lineamenta ducta in gratiam Ecclesiæ: *multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Quomodo autem charitas necessariò inuoluat inimicos, Theologia liquidò reserat: quippe ex Sancto Thoma obiectum charitatis est bonum diuinum, inquantum est obiectum beatitudinis. Ait ille, bonum illud debere concipi, non vt obiectum beatitudinis formaliter acceptum, sed materialiter; ita vt bonitas diuina, in quam fertur charitas, sit obiectum charitatis, non secundùm vnam, aut alteram perfectionem eius; sed secundùm omnem perfectionem quæ à Beatis attingitur. Vnde sic arguo: Obiectum charitatis est bonitas diuina communicabilis secundùm dona gratiæ, & gloriæ: Ergo cùm bonitas illa

Actor. 4.

EX THEOLOGIA.

Tom. 2. 2. q. 23. art. 4.

Quare diligendi sint inimici ostēditur valida ratione Theologica.

illa communicari possit inimicis nostris; illi etiam sunt necessariò ex charitate diligendi: Quidquid enim spectat ad obiectum alicuius habitus, illud etiam spectat ad habitum illum: At inimici nostri pertinent ad bonitatem Dei, quam eo miserante participare possunt, futuri consortes nostri in beatitudine, cùm nullius in via salus desperanda sit: Ergo quantumuis ferociant hostes nostri, & peccatis scateant, ex charitate amandi sunt. Amare autem ex charitate, est eis velle summum bonum, id est Deum, cuius nos compotes facit gratia in hoc æuo, sicut gloria in futuro. Itaque quamuis licitum sit velle malum pœnæ inimicis Reipublicæ, quos iustitiæ gladius vltor exterminat; nusquam tamen licet eis velle malum culpæ, quo excidant gratiâ necessariâ ad communicandum nobiscum in beatitudine. Eamobrem iustitia vindex publici piaculi, quando desæuit in reorum capita, nemini prorsus denegat copiam sacerdotis, cuius obsequio supplicium decretum ad mortem corporis, salutem possit animæ procurare.

Cùm igitur nemo inscia charitate queat esse saluus, nec anima possit esse conscia charitatis, si non amet inimicos; patet quàm sit necessaria illa dilectio inimicorum, quæ & probari potest ducto argumento à verbis Christi. Illud est necessarium ad salutem, sine quo nemo intrabit in regnum cœlorum: At nemo intrabit illuc, expers illius dilectionis inimicorum, quæ est iustitia hæc, quam meminit Christus ita fatus: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Scribæ hallucinantes arbitrati sunt, sufficere ad salutem amare proximum, quia lex præcipiendo amorem proximi, non statim adiecerat esse etiam inimicos amore afficiendos, magnumque pondus iustitiæ dicebant esse illum amorem proximi, à quo seponebant homines inimicos. Adeòque increbruerat illud eorum delirium, vt Christus speciatim in illud inuectus sit, eorum carpens ineptias, quas explicitè hîc reprobare voluit, damnans iniquam interpretationem legis, quam illi nequiter inuexerant; quidquid aliter sentiat Maldonatus, affirmans hic Christum voluisse tantùm adducere legem Mosaicam ad perfectiorem statum. Sed hanc ego respui Maldonati sententiam, rationibus allatis, cùm expendi sensum literalem. His adice in gratiam meæ conclusionis auctores maioris nominis quàm sit Maldonatus, scilicet Chrysostomum, Thomam doctorem Angelicum, Glossam ordinariam, illam vtique, quam tot fecere sæcula venerandam Ecclesiæ, Hugonem Cardinalem, & Tostatum.

Matth. 5.

Christus sua disciplina expunxit glossas Scribarum appositas legi.

Chrysost. homilia 16. in Matth. Thom. 3. Sentent. distinct. 30. art. 1. Glossa ord. Hug. Card. in cap. 5. Matth. Tostat. in cap. 5. Matth. qu. 344.

Ne autem quis dicat, amorem illum inimicorum esse de perfectione amoris, & neminem teneri ad exquisitæ perfectionis statum; ecce aliud argumentum. Antiquata fuit quidem lex Mosaica, quoad cæremonialia, & iudicialia; sed quoad moralia recensita in decalogo viget semper. At ad præcepta moralia pertinet dilectio proximi, quam Christus in Euangelio strictè indixit, dicens dilectione concludi totam legem & Prophetas. Ecce oraculum à Christo Domino effusum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Ergo cùm inimici nostri sint etiam proximi (quia proximus ille dicitur, quicunque potest participare nobiscum summum illud bonum, penes quod est beatitudo nostra) eorum etiam dilectio erit de præcepto, citra cuius obsequium, nemini potest patere aditus ad regnum cœlorum. Nec aliter ipse Dominus deliquiis hominum propitius est, quibus hanc orandi formulam indixit: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Matth. 22.

Matth. 6.

Quia morem gerere huic mandato, cui animus iniuriarum vltor ægrè obsequitur, res est operosa; consulo præconibus verbi Dei, ne iugum illud aggrauent, sed æmulati intentum Christi, illud alleuient quantùm patitur pondus illius instituti. Itaque ne prædicent, nos teneri texere catalogum eorum omnium quos iniquos experti sumus, vt quotidie recolentes eorum nomina Deum oremus, in eorum gratiam. Caueant, sub præcepto obstringere eos, qui læsi sunt, conuenire inimicos, vt prostrati eorum pedibus concilient gratiam hominum iniquorum. Etenim nihil eorum hominem iniuriâ affectum obligat, etsi penes eum sit adhuc maiora præstare, si vltro velit cedere iuri suo. Sufficit ergo, ex S. Thoma, ad obsequium huius mandati, ita diligere proximum in vniuersum, vt nullo actu contrario secernantur inimici ab amore, quo quis omnes homines prosequitur, eis desiderans gratiam hîc, & gloriam in altero sæculo. Fit satis huic præcepto concepto proposito ferendi suppetias inimicis nostris in genere, si occurreret occasio, vbi maximè ageretur de discrimine salutis corporeæ, aut æternæ. Non esse autem necesse vt conueniamus inimicos nostros, patet ex schemate viuendi cum amicis nostris, à quibus esto crebris beneficiis afficiamur; tamen non eis semper adhæremus, nec quotidie eorum mentionem specialem facimus in contextu precum, quas fundimus. Neque in eo incurrimus vllam ingrati animi notam; quia ita animo nostro insedit memoria gratiarum, vt oblato aliquo argumento rependendi gratiam, nostras partes citiùs obiremus. Ad id genus grati officij pertinent mutuæ salutationes, & sermones haud quaquam inglorij, cùm mentio incidit de æmulis nostris.

Thomas, 1. 2. qu. 25. art. 8. & 9.

Amor inimicorum ad quid homines obstringat de rigore præcepti.

Amorē inimicorum nimium grauem faciunt multi prædicatores imprudentes.

Cùm ergo illa sufficiat præparatio generalis animi, nemini nocendi, imò potiùs omnes etiam inimicos adiuuandi in tempore opportuno, arbitror esse intempestiuè factum concionatoribus, declamare in eos, qui mutuo prouoluti ad genua lacrymis non expiant facinus exantlatum. Auspicandum est à necessariis, videlicet ab odio detergendo, quo expuncto est inserendus amor, maximè supernaturalis, quo desideramus inimicis gloriam æternam; nam nemo tenetur ad illum amorem, quo inimicis bona temporalia desiderantur; fieri enim posset vt talis ingenij esset homo inimicus, pronus in Bacchum & Venerem, vt desiderando ei diuitias, perniciem eius cuperemus, quod tamen cauere debet anima, auscultare volens Christo, cuius præceptum præcipuè pertinet ad salutem animæ procurandam.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

A salute æterna procul facit homines acerbum odium, quod exercent cum suis inimicis.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS II.

Ex Philosophia.

Ex Philosophia. *Aristoteles lib. Ethicor.*

EA industria factum est templum Salomonis, vt licet ad illud aditus non pateret Gentibus; concederetur eis tamen atrium exterius, vnde capere poterant suffitus odorum, & suaue melos organorum, quæ in Dei cántica resonabant. Ita cùm agitur de templo gloriæ æternæ, perperam inducitur Philosophia naturalis, vt decernat ea quæ pertinent ad iura huius templi, quod est superioris ordinis, & quod adire nulli scientiæ concessum est, Theologia excepta, quæ est initiata arcanis fidei. Tamen ex atrio, id est ex sphæra naturali, Philosophia concinnare potest aliqua argumenta propitia conclusioni nostræ, affirmanti odium inimicorum facere nos expertes gloriæ æternæ, ac proinde necessariam esse illam dilectionem inimicorum, ad quam nos Deus obstrinxit. Philosophicè itaque discurramus, & ex eo discursu merè naturali assurgemus ad altum ratiocinandi modum.

Odium inimicorum, vltori est indecorum.

Ex Aristotele, præmium virtutis est honor: Ergo qui exercet inimicitias immortales, ille indignus est honore, quia ille est virtutis inops; quippe virtus & nequitia non coëunt: virtutis enim proprium est, facere bonum eum hominem, cui insedit. Est autem quisque hominum bonus, iuxta suæ voluntatis ingenium: nemo namque dicitur bonus à cognitione sola, sed ab affectu. Ergo cùm is, qui alterum odit, prauis affectibus indormiat, malitia voluntatis eius inquinat hominem totum, qui præterea contra naturam peccat, quando inimicum odit: siquidem naturæ ductu omne animal diligit sibi simile. Et ex Aristotele: *Amicitia est præcipuum bonorum externorum.* Qui ergo inimicum auersatur: ille deuius est à sincero naturæ dictamine; quia non amat animal simile sibi. Quamuis enim inimicus iniuriam intulerit; non idcirco tamen hominem exuit & excidit illa natura, quæ similem obstringit vt ametur. Adiice, illam incuriam amicitiæ, quam Philosophus nuncupat præcipuum bonorum externorum, arguere affectum prauum naturæ in illo homine nonercantis. Vnde inferre licet, hominem acerbis actum odiis, concolorem esse suis affectibus, qui cùm iniqui sint, nihil nisi iniquum affricant homini malè affecto erga suos inimicos, ac proinde indignum faciunt omni laude, cùm gloria sit virtutis stipendium, & virtus omnis insideat potentiis animæ, quas si odium asperum præoccupat, impotem hominem facit ad vlla præclarè facta penitus exerenda.

Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 9.

Amor inimicorum suadetur ex Philosophia.

Non adeò opacus fuit animus Gentilium, vt eos fugerit illa notitia: videbis enim infra historias recolentes plerosque homines infideles, qui duxere necessariam esse dilectionem inimicorum ei, qui anhelat ad grandia. Nempe Philosophia benè oculata in his quæ ad naturam spectant, agnouit causam vnam primam, cuius influxu stant omnia quæ subsistunt, omniumque entium perfectionem venata est illa disciplina rerum indagatrix ex maiori similitudine effectuum, & illius causæ primæ. Ergo ex Philosophiæ principiis, homo iniuriarũ immemor, & suum amorem omnibus communicans, magis accedit ad statum primæ causæ, quæ iugiter influit in omnia. Et secus ille, qui maleficus est suis inimicis, suamque negat opem indigis, procul abest à bonitate primi illius entis, atque adeò indignus est laude illa, quæ solos manet homines insigni aliqua virtute cõspicuos. Hęc naturalis disciplina faces prætendit, quarum lumine conclusio nostra Theologica se quàm maximè rationalem prodit. Nam si ex meris naturæ fontibus ille est indignus laude, qui odit inimicum, vtpote expers virtutis, & incurius imitari primam causam, quamquis magis participat, ille etiam maiorem in latitudine entis perfectionem sortitus est. Potiori etiam ratione, ille homo nequam sui odij acerbitate censebitur extorris à gloria, quæ maiora conquirit augumenta, quàm gloria humana. Quisquis itaque capitur cupidine gloriæ æternæ, ille Deum præfigat sibi in scopum, vt causam primam, ad quam propiùs accedere, illud est comparare sibi perfectionis omnimodæ maximum argumentum. Vt ergo ille bonus est omnibus; ita & homo æquus sit etiam suis inimicis, vt hunc rerum Dominum æmuletur.

Libro de causis initio.

Cuiusque entis creati perfectio attenditur inde, vnde suã causam refert.

SENSVS MORALIS

Diligere inimicos, res est digna imperio.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS III.

Ex Ivre Civili.

VT imbecillus oculus tenui lumine gaudet, vtpote cuius acies lucifuga Solem non fert; ita plerique hominũ caligantes in his quæ ad finem spectant, acuti sunt in rimandis conclusionibus, quæ emergunt ex lumine naturali. Moralis hæc Encyclopædia consultura sanis oculis, & lippis, vacabit aucupio rationũ vndique collectarum, sic factura satis omnibus hominibus, quibus mentis integræ tantillus radius illuxerit. Philosophia luce sua naturæ congrua ostendit, eum laude dignissimum, qui bonitate sua non excidit, etiam imperitus acerbis odiis inimici; quia hoc virtutis edito specimine refert indolem primæ causæ, sua beneficia in cuncta prorsus entia porrigentis. Eiusdem sphæræ lumen est, quòd accendunt leges Cæsareæ, editæ vtplurimum ab Imperatoribus Ethnicis, aut Christianis, ductis lumine naturali in edendis suis constitutionibus. Hi Principes è re sua crediderunt esse, tollere simultates,

Amor inimicorum arguit bonitatem in eo, qui diligit.

simultates, suum vel sic animum probantes esse dignum imperio, si se præstarent immemores iniuriæ acceptæ. Huius generis est lex lata à Theodosio Imperatore, & filiis eius, Arcadio, & Honorio Augustis Ecce legem. *Si quis modestia nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœna nolumus subiugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.*

Ex Iure Civili. *Lege unica. Cod. Si quis Imperatori maledixerit lib. 9. tit. 7.*

O vocem dignam Imperio, & primi entis Dei ideam adumbrantem in Principe, cuius præcipuæ partes sunt, rerum omnium Dominum imitari. Volunt Principes, suas esse impunes iniurias, & homunciones abiecti solam suspicionem iniuriæ acriter vlciscentur. Homines infulis insignes, & rerum potientes, irritas volūt esse iniurias sibi illatas; & tamen humile hominum vulgus, lixæ, & calones acceptas iniurias marmori inscribunt, vt nacto tempore opportuno vltioni, possint effuso etiam inimicorum sanguine desæuire.

Amor inimicorum suadetur exemplo egregio Imperatorũ Theodosij, Arcadij, & Honorij.

Remissionem illam iniuriarum esse argumentum animi ad imperium nati, probauit Christus, hoc stipendium adiiciens legi à se latæ, scilicet filiationem Dei: *Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Id est: Si animus est vobis aspirare ad regnum æternum; mercamini sceptrum, praxi huius dilectionis inimicorum: quia tunc maximè ostenderis vos esse imperio dignos, cùm nullus iniuriæ sensus, aut aliqua cupido vindictæ, vestris animis imperabit. Huius effati ipse Christus edidit specimen egregium positus in supremo agone, & iam cessurus fatis. Is nempe Deo commendans animam suam, sic orauit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Deum hîc vocauit Dominũ, quia commendare Deo animam suam, res est communis omnibus hominibus, qui Dei dominium in se humili animo profitentur. Sed vbi fudit preces pro inimicis suis, alio vsus est stylo Dominus Christus: siquidem Deum ita interpellauit. *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Etenim Christus orans pro inimicis suis, non vernaculum actum fecit & communem: sed proprium filiorum specimen edidit. Hinc est differentia vtriusque vocis. Dauid referens Christum commendantem Deo suum spiritum, sic eum loquentem inducit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Lucas verò recolens remissionem iniuriæ, cum refert, Deum patris nomine compellantem.

Amor inimicorum facit dignos imperio.

Pulcherrima obseruatio in gratiam eorum qui remittunt iniurias.

Luc. 23.

Ibidem

Psalm. 30.

Si quis ergo anhelat ad infulas regni, is obsequium præstet legi præfatæ, quam Iustinianus Imperator suo codici adiiciens, sic ostendit velle sequi, & aliis reliquit posteris imitandam: ita vt lex illa clamet hominem indignum solio, qui acceptas recolit iniurias, vt secus coronas ei plectit, qui vlciscentis rabiem auersatur. Eo argumento Saül præsciit Danidem fore Regem, etsi ille errabundus in deserto ageret vitam miserrimam. Etenim Saül Dauid factus iniquior, in perniciem eius iurauerat, & eo intento collecta manu militum Dauidem obsederat, qui nacto tempore opportuno potuit Saülem occidere; sed eum miseratus, à cæde abstinuit, condonans ei graues ab eo acceptas iniurias. Gratia illa accepta adeò perculit Saülem, vt lacrymabundus prædixerit Dauidem fore Regem. En contextum: *Leuauit Saül vocem suam, & fleuit, dixitque ad Dauid: Iustior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inueneris inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus, & habiturus in manu tua regnum Israel, iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me.* O miras rerum vices! Saül Rex armato milite stipatus, transfugæ & exulis hominis iram metuit, & ab eo iureiurando fidem expetit, in gratiam fœderis incundi, & insuper ei imminere regni infulas ominatur. Vnde amabò illud augurium? Profectò inde, vt sonat textus ille prælibatus appositè ad titulum huius articuli, qui affirmat eum dignum Imperio, qui dimittit iniurias. Quia namque Saül vidit Dauidem immemorem iniuriarum, benè ei ominatus est.

Amor inimicorum in Dauide fuit præsagium regni futuri.

1. Reg. 24.

Nec Imperatores tantùm Christiani malè imprecati sunt inferentibus iniurias, sed & etiam Principes infideles, cauentes speciali edicto, ne quis etiam seruis foret iniurius. Ita sanxit Imperator Alexander. *Nec seruis quidem alienis licet facere iniuriam.* Quales arbitraris fuisse erga homines ingenuos, Principes illos, qui curabant ne quis facesseret vllum negotium vilibus etiam hominibus, quibus speciali edicto prouidere non duxerunt inglorium. Si ergo animum regium arguit, condere leges prohibentes inferri iniurias; validius erit argumentum operis, quàm sermonis, ac proinde homo facilis ad remittendas iniurias conquiret sibi iura regni. æterni, iuxta effatum Christi affirmantis, eos qui ignoscunt, & diligunt inimicos, eo præclaro facinore fieri filios Patris cœlestis; quod perinde est ac dicere, eum qui amore prosequitur inimicos suos, ita se aptare ad regni titulos acquirendum.

Lege 1. Codice. De iniuriis lib. 9. titul. 35.

Alexander Seuerus noluit dominos, alienis seruis iniurios esse.

Rursus Iure Cæsareo adimitur omne ius mulieri, cui nefas est aliquid decernere in foro iudiciali, sed ius reponitur penes viros vtique probos, & tantò illustriores, quantò erit ius concessum, ita vt si habeant ius vitæ, & necis, ius illud dicatur summum, & plenissimum. Inde elicitur argumentum probans titulum, quem expendo, dicens eos esse dignos imperio qui diligunt inimicos. Remittere iniuriam ei, qui reus est, dicit ius aliquod in eo qui relaxat: ergo ille debet esse masculo & generoso animo, non autem muliebri. Quòd si valens adimere vitam inimico, tamen ei condonat grauem iniuriam; profectò ille facinus edit regium: Regum namque solùm est, condonare vitam ei, in cuius caput leges possunt. Itaque homo nactus inimicum suum inermem, quẽ armatus posset occidere vltione malè suada, si ei offensam relaxat, se tunc magnanimum præstat, & dignum cui diadema deferatur, vt fecit Saül, agnito Dauidis ingenio, à quo vitam precariò acceperat, licet hactenus iniurius ei, qui vitam licet offensus sæpius impertiuit.

Fœminis adimitur iudiciaria potest.

Leg. Cum Prætor ff. De iudici.

Leg. 2. ff. De reg. iuris.

Leg. 1. ff. De senator.

Quàm sit generosum parcere inimicis.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Conciliari nequit Deus, nisi reconciliato inimico.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS IV.

EX IVRE CANONICO.

Exordium congruũ ad concionem de dilectione inimicorum.

Iniuriæ acceptæ obliuio facit vt Deus suas etiam iniurias à nobis illatas condonet.

INdustrius artifex regias meditatus ædes incrustandas marmore Pario, & pigmentis variis adornandas: antequam fundamina reseret fabricæ conceptæ animo tantùm tenus, in charta aut humi lineas ducit indices ædium, quas molitur; imò plerumque adhibito figulo, ex limo fingit speciem ædium, quæ debent ex marmore postmodum assurgere, nec alio planè modo potest quispiam imponere colophonem cœpto ædificio, quin antea in abiecta materia, ædium formulam adumbrarit. Eam voluit Christus industriam adhiberi ab hominibus, qui sibi parant æterna tabernacula. Ait ille, homines fieri idoneos cœlo, miserante Deo; quia inquit, quod est impossibile apud homines, est possibile apud Deum. Quomodo autem conciliare queat homo Deum demerendo eius gratiam, explicauit idem Dominus, volens humi lineas easdem duci proportionaliter. Id est, hoc Deus indixit, vt sicut è cœlo volumus remitti quod peccauimus in cœlum, ita & in terra remittamus quod peccatum est in nos. Ecce regulam proportionis: *Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Illa relaxatio, quæ deorsum fit, est velut idea quædam remissionis eius, quam à Christo Domino præstolamur. Si quis igitur exercet aliquas cum inimico simultates, is remittat iniurias acceptas, si cum Deo redire vult in gratiam: ea nempe remissio concessa inimico, est veluti rudimentum gratiæ, quam animæ reduci solet Christus Dominus erogare. Eamobrem appositè componi potest venia, quam cõcedimus æmulis nostris, cum lineis illis in terra ductis, quibus adumbramus ędes è marmore construendas.

Matth. 6.

EX IVRE CANONICO.

Can. Habeatur. Dist. 18.

Concil. Nicænum cap. 5.

Iniuriæ condonandæ in Quadragesima & quare.

Eò collimauit Concilium Nicænum instituens ante dies celeberrimos vtrimque condonari iniurias, vt hisce præambulis Dei misericordiam ad veniam inflectamus. Adeò placuit illa sanctio Concilij, vt eam Gratianus donarit Iure Canonico. En Canonem. *Habeatur semel Concilium ante dies Quadragesima, vt omnibus, si qua sunt, simultatibus amputatis mundum ieiunium & solenne Deo possit offerri.* Ecclesia Deo afflata, volens consulere suis fidelibus, & cauere ne incassum vacent bonis operibus, tempore instituto ad corporis angustias, prudenter indixit conuenire Christianos, vt deponant omnia argumenta discordiæ, si qua irrepsit, vt mutua concordia initiati, omnes se accingant ad gratiæ Dei influxum, cuius impos est is, in cuius præcordiis adhuc repullulant surculi simultatum Eamobrem pacis fit mentio à sacerdote in tremendis mysteriis ante communionem, vt sic moneantur adstantes se lustrare, an concordi voto cõueniant cum aliis, vt fiant concolores Christo, qui eo sacramento percipitur, quo vnitas adumbratur. Fauet iste Canon *Hoc sacramentum pietatis est, signum vnitatis, vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat; habet vnde viuat: accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur.* Vide Tomum primum istius Moralis Encyclopædiæ, & consule tractatum de Eucharistia, vbi fusè ostendi, incautè accedi ad sacram hanc synaxim, si anima discordiarum lethale virus ebiberit. His adiicio pium hunc & nouum cogitatum, videlicet animam, quæ cupida est mensæ sacræ, velle vnum quid effici cum filio Dei, iuxta illud Pauli: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* At nulla fit vnio partium dissitarum, nisi prius in aliquo conueniant, siquidem ea quæ omnino discrepant, coire nequeunt. Sed nihil est quod magis hominem Deo assimilet, quàm charitas illa adeò intensa, vt etiam concludat inimicos. Ea nimirum facit nos filios Patris nostri, qui in cœlis est. Est ergo sectanda via hæc his omnibus, qui redire volunt in gratiam cum Deo, si quando eum turpiter offenderunt. Alioquin ad eos pertinebit hæc censura recensita in Iure Canonico, cuius en seriem. *Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.*

Canon Hoc sacramẽtum. De consecr. Distinct. 2.

Pacis mentio quare fiat in Missa ante communionem.

1. Cor. 6.

Itaque satius est abstinere à sacris, quàm ad ea accedere animo humore felleo delibuto. Debet anima esse amore decocta congruè ad parænesim illam comm emorati Canonis, sic homines adhortantis: *Quomodo ergo videtis esse vnum, quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam charitatem.* Alio Canone vtitur mundus suadens vltionem; sed sic etiam in se prouocat iram Domini vindicantis: easdem namque pœnas parat sibi, quas inferre suo proximo meditatur.

Canone Qui passus est. §. Ita. De consecr. Distinct. 2. Can. Eodem

Amor inimicorum necessarius ad receptionem Eucharistiæ.

SENSVS MORALIS.

Quàm sit salutare repurgium odii inimicorum.

In hæc verba:

Ergo autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS V.

EX MEDICORVM DISCIPLINA.

Satius est nõ simulare cõcordiam quàm eius nomine grauia machinari.

VEtus est effatum, hominem malum tunc esse pessimum, quando se bonum simulat: nam præter illam nequitiam, quia iam triobolaris homo nequam est; in hoc recens etiam discrimen incurrit, quòd virtutem adulterat, faciendo eam vitio concolorem. Ita & ægri pessimè habent, cum noxij humoris colluuiem parca manu mouent: nimirum ægritudinis hoc fermentum non cedit pharmacis imbecillis. Eamobrem natura oppressa ferociente humore, deliquium patitur, vitio inchoati tantùm repurgij. In eam perniciem deuenit anima saturata odiis, quæ exercuit cum æmulis suis: hæc quandoque factura fucos inimico iungit dextras, iuratque in noua fœdera, imposistura modum rixis hactenus excitatis: ruit in

in amplexus, exerit vota effecta, quæ incautis illudunt; sed dato tempore opportuno ad vindictam, excidit illud omne propositum amandi inimicum, & signa omnia obsequij hactenus exhibita protinus euanescunt. Simulata hæc amicitia, quæ aliquid relaxit de odio prisco, non est homini proficua, imò verò noxia, quia manet alta mente reposta acceptæ iniuriæ memoria recensita ementiri amicitiam, & in partem consuetudinis nostræ reuocare inimicum odio non extincto, illud lethale est, & per quàm simile illi effato Hippocratis, qui damnat modicum bilis vomitum, quia bilis residua stabulans in stomacho, & aliò refluens ægro perniciem adfert.

Iniuriarum memoria residens est lethalis.

Ex Re Medica.

Hippocrates prorrhetico. 47. s. 2. 1. Galenus in hunc locum.

Philista mortuus ex residente bile.

Audiendus Hippocrates. *τὰ σμικρὰ ἐμέσματα χολώδεα, κακόν· ἄλλως τε κἢν ἐπαγρυπνέωσι.* Id est. *Exiguus vomitus biliosi, malè habent ægrotos: idque cum alias, tum si vigilias agitauerint.* Galenus in hunc locum, mentionem faciens vomitus, paucitatem damnat. *ὅτι τῶν κρισίμων οὐδὲν σμικρὸν εἶναι προσήκει.* Id est, *quia eorum, quæ critica sunt, nihil conuenit esse paucum.* Modicem illam excretionem bilis, ait Hippocrates, esse insaniæ obnoxiam, præuiis surditate, ac vigiliis. *τὰ ἐμέσματα ἰώδεα ἐν κεφαλαλγίῃσι μετὰ κωφώσιος ἀγρυπνώδεα ταχὺ ἐκμαίνει.* Id est. *Æruginosi vomitus in cephalalgia, cum surditate ac vigiliis, citò adducunt insaniam.* Ratio petitur à natura bilis, quæ per anadromen sursum lata, calore suo dissoluit cerebri temperiem, & discutit vapores omnes somniferos, vnde enascuntur noctes insomnes comite surditate, quam parturit illa bilis, suo incendio depascens spiritus & temperamentum organi congrui ad auditum. Hipocrates illam suam prædictionem confirmat exemplo Philistæ hominis febrientis, quem secunda die à decubitu surditas accepit, præuio vomitu exiguo bilis, quem secutus est insaniæ insultus, præludium mortis, quæ die quinta hominem tulit è medio.

Hippocrates lib 3. epidim. histor. 1. sectionis 3.

Ecce ideam symptomatum, quæ animam afficiunt biliosam, cùm ficta confessione totam bilem non euomuit ad pedes sacerdotis à confessionibus. Et vtinam ad omnes pertingeret ista obseruatio moralis, ducta ex medicorum viuifica disciplina. Plerique suasione amicorum componunt rixas ementito fœdere inito cum inimicis, & instante confessione egerunt vomitum exiguum, confitentes se iniquos fuisse inimicis suis. Tamen odij affectum non deponunt: eamobrem bilis illa conclusa præcordiis, multis fœta malis, parturit surditatem, vigilias, insaniam, & demum extinguit ægrū morte pessima, vtpote æterna, vnde nemo rediuiuus ampliùs excitatur. Primò obsurdescit homo ille fouens odium conceptum. In cassum susurro interno Deus hunc admonet, vt supersedeat, imponatque modum noxiis affectibus, quos exercet: frustra concionibus aures patulas exhibet; etenim nullum inde salutare consilium traiicitur in cor, æstuante bile depastum. Noctes præterea insōnes ducit, eum ad capessendam iniuriæ vindictam odio perurgente. Scilicet illud odij ingenium est, vt si quando radices altas egit, suggerat semper nouas nocendi artes, quibus inuigilans animus, inquies fit, homine meditante modos omnes, vt acceptam iniuriam vindicet opportunos. Oblatā ansā idoneā vltioni, insanit animus vltor, prosiliens in conuicia, verbera, & cædes, quibus anima in discrimen mortis æternæ adducitur, postmodum flammæ vindici mancipanda.

Simulata venia concessa inimico, lethalis est ei, qui adhuc odium fouet.

Amor inimicorum est pharmacum salutare ex Aug.

Ex SS. Patribus.

Præeat igitur integra confessio, euomatur bilis tota, vt in odij locum succedat amor ille penes quem est animæ sanitas, iuxta illud Augustini: *Primum medicamentum est animæ ægrotanti plena & perfecta dilectio, per quam possit non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere.* Quæ autem sit pernicies symptomatum iræ, ille pergit enarrare hoc contextu: *Cor meum conturbatum est in me, quando turbatus est præ ira oculus meus: & si oculos turbatus est, quid sequitur? Formido mortis cecidit super me. Vita nostra dilectio est: ergo mors odium est. Cùm cœperit homo timere, ne oderit quem diligebat, mortem timet, quia occiditur anima: ille sæuiendo corpus alienum occidit, tu odium habendo animam tuam occidisti. Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: quia qui odit fratrem suum, in tenebris est vsque adhuc, & in hac infirmitate positus, & exercitatione contristatus, ait: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam; si desunt pennæ, dentur; si ligatæ sunt, soluantur, pennasque postulat, non corui, sed columbæ: columba enim pro signo dilectionis ponitur. Quid ergo dicit iste dilector? Conuitia hominum ferre non possum, rabie feruntur, strident iracundia, prodesse illis non possum, vtinam requiescam alicubi, ab eis separatus corpore non amore, ne in me conturbetur ipsa dilectio: verbis meis, & collocutione mea prodesse non possum, orando pro eis forsitan prodero.* Vides hac serie, quàm noxia sit illa bilis hominum efferata, cui vt occurras Augustinus, idoneum amoris pharmacum suo hoc eloquio propinauit

Augustin. serm. 68. de tempore.

Idem in Psal. 14.

Odium inimicorum, qualem perniciem in animas inuehat egregiè describitur.

Ad hanc etiam rem Medicam pertinet egregia meditatio Chrysostomi, monentis nos, vt misereamur inimico nobis iniurio, & cogitemus illum vexari bile nimis efferata, quam egerit quando sæuit in nos; ac proinde patienter habendam illam bilis asperginem, quam prohibere nefas. Si enim refundendo iniuriam facessis negotium inimico tuo, arbitratus te sic cohibere bilem eius, & iram compescere; malè ominaris: nam sic cohibita bilis amplius incandescit. Vtque aiunt Medici, bilem inflammare partem, cui insedit, cùm ex propria sede mota aliò translata est; ita ira oppressa conuiciis, differtur in aliud tempus, quo se odij prodet acerbitas. Nonne igitur æquius est accōmodare manum ægro vomenti, sustinendo caput bile desudans, & ferendo nidorem ructuum, quàm compescere iniuriis os maledicum, quod occlusum concludet bilem aliàs exituram. Audi Chrysostomum idoneum, consultorem. Sic ille: *Medici quando iniuriis & calcibus caduntur furentum, tunc illorum magis magisque miserentur, tum maximè ad reddendam illis sanitatem parantur, scientes quòd excellentiam morbi significat ea iniuria. Et tu igitur de inimicis eamdem teneto sententiam, sicque tractes iniurios. Illi namque sunt maximè ægroti, omnemque violentiam sustinentes. Libera eum à graui isto dolore, & da operam vt iram remittat. Libera eum à sæuissimo dæmone, propria scilicet mentis furore. Nam & cùm aliquos à dæmone actos videmus, sæpe lacrymamur: non autem agimus, vt ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam in ira percitis fer-*

Durettus in commentario in coacas, ad illud prorrhetic. 47. sect. 2. 1.

Chrysostom. homil. 18. in Matth.

Pulchra meditatio suadens patientiam ei qui conuiciis appetitur ab inimicis.

uemus:

seruiemus: illorum enim sunt similes iracundi, imò illis longè miseriores, qui vtique sensibus adhuc integris insaniunt. Propter quod veniam non meretur istorum dementia. Noli igitur insultare iacenti, quinimò miserere. Etenim si videamus aliquem horribiliter à bile vexatum, & vertiginis suæ tenebris obtectum, quique etiam malignum illum humorem vrgeatur euomere, porrigimus manum, & supportamus huc illucque iactatum. Et si vestimenta ille nostra polluat, non auersamur, neque abiicimus ægrotum, sed illud tantummodo vnum requirimus, quemadmodum à tam grandi hac eum angustia liberemus. Hoc igitur etiam erga istos faciamus, vt & supportemus vomentes, & confoueamus ægros, nec eos vspiam relinquamus, priusquam totam prorsus amaritudinem ponat: & tum tibi gratiam qui talis fuerit exoluet maximam. Quando enim huiusmodi æger à passione requieuerit, tunc liquido cognoscet, à quanta illum conturbatione sanaueris: & quid dico ab illo tibi gratiam referendam? Deus te illicò coronabit, & innumeris remunerabit bonis, quia fratrem tuum grauissima ægritudine liberasti; sed etiam ille te honorabit vt Dominum, modestiam tuam per cuncta miratus. Nonne vides parientes fœminas, quemadmodum assistentes sibi commordeant; & tamen illæ minimè dolent? imò dolent quidem, sed ipsum dolorem fortiter ferunt, ac dolentibus, & partus vexatione conscissis maximè condolent. Has ergo etiam tu æmuleris, & noli esse fœminis mollior. Cùm enim pepererint mulieres istæ (nam reuera mulieribus magis sunt pusillanimes) tunc te virum esse cognoscent. Hactenus Chrysostomus, luculenter in eo argumento rei Medicæ spatiatus.

Miseranda est sors eorum, qui nos lacessunt iniuriis.

Ego appositè ad mentem Chrysostomi dico, eos qui æquo animo ferunt suorum inimicorum proteruiam, participare dotes gratiarum, quas meminit Dauid ita fatus: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Itaque, ô Medice, cura teipsum, & alios: teipsum, omnem euomendo bilem, alios verò, haudquaquam ægrè ferendo tuos æmulos, bile sua famam tuam turpiter aspergentes.

Psalm. 40.

SENSVS MORALIS.

Ad dilectionem inimicorum Deus singulos quosque homines obstrinxit.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS VI.

Ex Mathematica.

Metaphora quid sit, & qualis eius vsus.

RHetorica ars garrula, & disciplina loquax, homines erudiit aspergere sermones variis loquendi tropis. Hinc emersit illa equidem multa series figurarum, quibus polymita luxuriat oratio, futura ingrata si rei & vocis concolor esset vsus. In hoc figurato loquendi modo principem ferè locum tenet metaphora, adeò vernacula, vt rara sit phrasis, quam non participet hæc figura, cuius ratio sita est in translatione vocis ad significandam rem, ad quam explicandam non fuit vox illa primitus instituta. Vt cùm dicimus, ridere prata consita floribus, vox ridere suo sensu excidit, vt lætam terræ faciem peramœnam sonet, sicque metaphora faciens discordes dictiones & res, schema loquendi perelegans rhetoribus facit. In omni rerum supellectile versatur hæc figura, deducens vndique voces, suo consonas instituto. Verbi gratiâ, metaphora suffurata lineas Mathematicæ disciplinæ, his vtitur ad significandum aliquod opus, vt videre est in querula voce huius, qui suis ingemendo feriis ait: *Nullam hodie lineam duxi.* Quod effatum abiit in prouerbium, vt & istæ locutiones prouerbiales, quas vide apud Chiliades Erasmi. *Lineam mittere. Lineam ne moueto. Ad lineam summam venimus. A linea incipere. A linea sacra talum mouebo. Lineas primas ducere. A lineis excidere.*

Erasmus Chiliade 1. Centur. 1. adagio. 12.

Vt ergo probem ex Mathematica, debere singulos quosque homines habere cor benè affectum erga suos inimicos, hoc suppono vt certissimum, duos homines esse veluti lineas paralelas, iuxta hanc propositionem Euclidis: *Quæ eidem recta lineæ sunt paralelæ, & ad inuicem sunt paralelæ.* Id est, subtendantur duæ lineæ, à dexterâ in læuam ductæ, & his duabus alia tertia inseratur. Si tertia illa linea inter vtramque protracta, æquè distet à singulis antea subtensis, illæ duæ erūt paralelæ. At duo homines quantumuis inimici, si considerentur in ordine ad Deum, qui medius est nostrum, ambo æquè ad Deum pertinent, spectatum vt finem, quo solo beari debent omnes homines. Nemo namque est in statu viæ, qui non possit Deo miserante & influente beatitudinem assequi. In eo sensu omnes homines sunt tamquam lineæ paralelæ, quia omnes recta via æquè ad Deum spectant, saltem in potentia, & sub ea ratione, quilibet homo etiam infidelis proximus noster est, quia Deo adiuuante potest esse compos gloriæ æternæ. Hoc igitur supposito, scilicet homines duos esse sicut lineas paralelas, quia æquè ad Deum accedunt, consideratâ eorum naturâ, à qua non excidunt, licet peccatis fuerint obnoxij. Si desuper in has duas lineas inciderit alia linea recta secans, illa linea incidens faciet angulos alternos æquales adinuicem siue & æquales etiam oppositos, qui omnes anguli siue alterni, siue oppositi, siue exteriores, & interiores, recti erunt, si linea incidens erit ex perpendiculo recta. Ecce Euclidis propositionem: *In rectas lineas paralelas recta incidens linea, & alternatim angulos ad inuicem æquales, & exteriorem interiori, & opposito, & ad easdem partes æqualem, & interiores, & ad easdem partes duobus rectis æquales efficit.*

Ex Mathematica.

Euclides l. 1. de element. geom. prop. 30.

Omnes homines spectati in ordine ad Deū sunt veluti lineæ paralelæ.

Idem propos. 29 lib. 1.

Iam accipe demonstrationem moralem. Omne Dei præceptum est regula vitæ æternæ: quando autem hæc regula, multis hominibus innotescit, tunc est linea desuper incidens in lineas paralelas: Sed præceptum de dilectione inimicorum à Christo Domino nobis indictum est. Ergo dum omnes homines obstrinxit, omnium etiam corda ita permeauit illa linea recta, vt facerit angulos omnes rectos, & æquales rectis. Eoque intento Deus condidit illam legem, qua veluti linea recta persuasit

omnium corda, vt sic angulos omnes internos siue externos efficeret rectos. Anguli hominum interni sunt affectus, externi vero sunt potentiæ externæ. Vult itaque Christus esse concordes hominũ affectus, conspirantes in vnum idemque bonum summum, quod est Deus. Qui vult ergo suo inimico bonum illud æternum, ille ex charitate suum diligit inimicum, & sic habet internos angulos rectos. Sed quia recta linea incidens in paralelas, facit etiam angulos exteriores rectos; regula illa de dilectione inimicorum, homines obstringit ad aliqua obsequia externa, vt sunt beneuoli oculorum intuitus, & mutuæ salutationes, à quibus qui abstinent, profectò non habent illi angulos externos compositos ad amussim lineæ illius rectæ, quam Deus desuper iniecit, vt incideret in homines paralelos.

Amor inimicorũ debet porrigi ad signa externa, vt salutationes & colloquia pacifica.

Non ergo sufficit habere angulos exteriores rectos; sed operæpretium est actibus etiam extrinsecis amorem suum probare, ne quid obliquum deforis apparens, animam iniustam clamet. Cùm igitur occurrerit inimicus tuus, eum oculis propitiis intuere, & præueni salutatione, ne tibi præripiat hunc amoris titulum insignem. Ne cuncteris in rependendis mutuis obsequiis, quæ si negas, tu deflectis à rectitudine angulorum, quos Deus esse rectos instituit. Hanc hominum deflet insaniam Chrysostomus, damnans eorum indolem, qui etiam hæc minima obsequia pendere dedignantur. Ecce viri sancti censuram. *Cuius rei gratiâ eum salutatione non præuenis? quia, inquis, hoc expectat. Propterea ergo præcipuè ad hoc oportet accurrere, vt tu potiùs accipias coronam. Non, inquis, quandoquidem idipsum ille quæsiuit. Et quid hac dementia deterius? Quia, inquis, ille mihi factus est mercedis occasio, nolo hanc accipere occasionem. Si enim ille te salutat prior, nihil tibi proficiet etiamsi tum salutaueris. Si verò tu prius ad salutandum properes, lucrum de illius tumore cepisti, & largissimum quemdam fructum de illius superbia etiam messuisti. Quemadmodum igitur non extrema omnino dementia est, vt qui nudis etiam verbis tantum capere fructum possumus, eum tamen sponte perdamus; & super quo culpamus alterum, in idipsum nihilominus incidamus? Si enim culpas, quoniam prius ab alio salutationis expectet officium; cur obsecro, quod reprehendis, imitaris? Quodque ipse malum esse conquereris, cur & hoc quasi bonum imitari studes? Vides certè quam nihil sit omnino vecordius homine inter vitia viuente: propter quod obsecro, fugiamus hunc morem malignum, & ridiculum. Despiciemur, inquis, & conspuetabimur prorsus, cùm ei hoc donauerimus. Et ne contemnaris homo, offendis Deum? Ne contemnat te conseruus furens, Dominum ipse contemnis, & eum certè, qui te beneficiis honorauit? Si enim indignum est, vt te is, qui eiusdem status & conditionis est, despiciat; quantò indignius est à te contemni Deum, qui tuus est creator & Dominus? Post hac verò etiam illud expende, quoniam quando te ille contempserit, tunc tibi fiet maioris mercedis occasio. Propter Deum enim ista perpeteris, quia scilicet legem eius audisti. Hoc enim quo tandem digno honore pensandum est? quibus diadematibus? Mihi verò magis proueniat inimicitias sustinere propter Deum, atque contemni, quàm vel à cunctis Regibus honorari.* Hæc ille, suadens, amorem nostrum in externa etiam opera prosilire.

Chrysost. homil. 18. in Matth.

Egregia declamatio in eos, qui nolunt priores salutare inimicos suos.

Gloriosum est præuenire salutatione suos inimicos.

SENSVS MORALIS

Vltionis cupido coërcita, res est gloriosa.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS VII.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm.

Scitè admodum ait quidam, omnes plagas esse curabiles, sed vulnera inflicta à calumniatore nusquam adeò obduci posse, quin cicatrix ingloria remaneat. Sensit illam perniciem dilectio inimicorum; virtus enim illa, licet emerita, fuit impetita dicteriis à diabolo calumniatore suggestis. Quippe nequam hic spiritus amoris expers, felle delibutus, multis hoc suasit, scilicet dilectionem illam, quam Christus induxit, esse argumentum animi penitus imbecilli, qui inimico porrigit herbam, impos assurgere ad gloriam iniuriæ propulsatæ. Serpens ille antiquus suo sibilo virus hoc instillauit auribus hominum etiam fidelium, qui hoc toxico præpediti cunctantur morem gerere Christo, suadenti iungere dextras cum æmulis nostris. Omnes ferè homines in discrimen adduxit hoc venenum, suo contagio inficiens plerumque homines virtutis omnimodæ professores. Non est hic periculum, aliquem offendendi. Se quisque conueniat, & proculdubio deprehendet quàm sit imbellis ad præstandum obsequium ei, quem expertus est asperum inimicum. Imò apud maximam hominum partem viget adhuc hoc commentum, videlicet esse ignaui hominis tacitas & inultas præterire iniurias, vt secus esse magnanimi viri rem, congruâ vindictâ compescere mala ab æmulis irrogata. Experimento vernaculo liquet, non redire homines in gratiam, quia apud eos viget ille error dæmone patre satus, scilicet esse rem ingloriam, inclinare animum ad affectum erga eos, qui nos iniuriis affecerunt.

Congruum exordium ad concionem de remissione iniuriarum.

Mundus extat arbitratus esse rem ingloriam dimittere iniurias.

Hunc ergo errorem auerruncare aggredior isto articulo, argumentis petitis à variis Gentibus, apud quas non fuit res indecora, conciliare gratiam æmulorum. Prior occurrit Abel adolescens ingenuus, quem non fugiebat ille liuor, quo Cain actus aliquid lethale animo suo versabat. Huius odij acerbitas effundenda in Abelis perniciem, vt ipse etiam non erat inscius, non eum remorata est, quin fratri perduelli obediret roganti vt vna secederent in agrum. Fratris sui Cain iniqui hominis proculdubio conieceerat odium Abel, habebatque locuples argumentum, suspectam faciendi fidem eius, ac proinde potuit citra offensam fratris declinare consortium, & sta cauere insidias, & mortem instantem. Tamen ne huic dilectioni inimicorum deesset, vocantem inimicum suum secutus est statim, tanquam ouis ad victimam. Ita Codex sanctus, *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Suo sic sanguine litauit Abel amori fratricidæ sui. Iacob nonne etiam muneribus tentauit inflectere animum fratris sui

Genes. 4.

Abel, Iacob, Ioseph, præbuere egregia specimina amoris inimicorũ.

Esau sibi infensi? Tanto & adeò mansueto patre editus Ioseph, haud quaquam degener, non indecorum credidit condonare fratribus suis mortem, quam statuerant ipsi inferre. Imò factus Prorex Ægypti, quò venerant eius fratres inscij regiæ sortis, ad quam Ioseph euectus, rerum potiebatur; ille conuocatos fratres præmiis affecit, explicans eis Deo miserante totam illam tragœdiam cessisse ad honorem patientis iniurias. Sic ille: *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur quòd vendidistis me, &c. Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.*

Genes. 45.

Nullo planè felle desudat oratio hæc, sed melle amoris condita nihil nisi dulcedinem sapit, vt meditatur Ambrosius ita fatus: *Quàm pia fraternitas, quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidale excusetur admissum, dicens diuinæ illud prouidentiæ fuisse, non impietatis humanæ, quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à Domino missus sit ad vitam.* Alexandro Magno nulla ignauiæ labes inusta est vnquam, & is tamen grauiter aliquando lacessitus à Lampsacenis, in quorum caput iurauerat, statuens eorum vrbem adæquare solo, totum iræ incendium hoc restinxit, fractus precibus Anaximenis, vt mominere Pausanias & Valerius. Pyrrhus Epirotarũ Rex bello clarissimus, antequam ancipiti bellorum sorti committeret sua discrimina, omnem mouebat lapidem, vt pacificè intentum suum ab æmulis extorqueret, indignum ratus hominẽ magnanimo, in humana capita desæuire. Neque Indos latuit hæc veritas. Nam Taxiles Rex Indiæ audiens Alexandrum numeroso agmine populari regnum suum, non conscripsit militem, vt potuit, cùm esset India valde hominum ferax; sed deposito omni sensu iniuriæ acceptæ, parua nobilium manu stipatus conuenit Alexandrum, eum sic compellans: Quid mihi iniurius irrupisti in fines meos, Alexander? Si es indigus opum, ego te liberali manu mearum participem efficiam: si verò ditior me es, non dedignor liberalem tuum animum experiri. Placuit Alexandro illa indoles ingenua, quam non corrupit sensus illatæ iniuriæ, ideoque bello abstinens, aliò transmigrauit.

Ambrosius li. de Ioseph Patriarcha cap. 12.
Alexandri actio memorabilis.
Valerius Maximus lib. 7. cap. 3.
Taxilis Regis Indiæ pulchrum facinus.
Pyrrhus abhorrebat à vindicta.
Plutarch. in Alexand.

Gentes etiam Ponticæ, licet assuetæ duriori cœlo, non passæ sunt obrigere pietatem, vbi omnia gelu concreta sunt. Specimen mitioris ingenij Heraclienses Gens Pontica edidere Christianis etiam inculcandum. Ad eorum oras duxit classem prævalidam Dux Atticus nomine Malachus, qui deposito milite in continentem, populatus est agros hos Ponticos. Molestum sanè fuit Heracliensibus, videre hostem igne & ferro exerto terribilem. Sed dum fureret hostis in Ponto, ferocians mare naues omnes contriuit & assumpsit, relicto exercitu in alieno & hostili solo, vbi penuria annonæ, cessurus erat in ius hostium, quos immani facinore sibi graues effecerat. Heraclienses audito fragore nauium, non statim prosilire in hostes, facturi eos victimas odij iustissimi, vt eorum sanguine sic litarent; sed receptis in gratiam non permisere tantùm reditum in patriam, sed auxilia & commeatus insuper adiecerunt, arbitrati facinus animi moderati, præstare piaculo sceleris vlciscendi. Si Græcos prostrassent armis illi incolæ Ponti, seipsos non vicissent. Itaque summa illius belli fuit, Athenienses venisse hostes acerbos in Pontum, & recessisse hospites amicissimos, pietate sic in omnem Martis panopliam præualente.

Sabellicus lib. 3. Enneadis 4.
Mirabilis historia de relaxatis iniuriis ab Heracliensibus.

Vt ardua facinora congruos etiam animos exigunt; Romani rerum domini sese præstitere fortissimos in eo agone iniuriæ relaxandæ. In his eminet Camillus, qui vrbe pulsus ingloriè, audiens patriam suam ingratam obsideri à Brenno duce Gallorum, expeditissima manu militum lecta, opportunè adfuit patriæ, supremum agenti spiritum: namque improuidos adorsus Gallos, eos fregit, soluta obsidione vrbis, quæ suum excidium redimere tentabat ingenti Gallis auri pondere persoluto. Potuit Furius ille Camillus de omni populo, sibi aliàs ad summum dedecus iniurio, graue sumere supplicium, opem suam patriæ denegando; sed maluit in deposita simultate, præstare se suis æmulis beneficum, quàm in nece plurium hominum erigere vltionis horrida simulacra. Propius ad Christianam pietatem accedit historia, quam recensent Liuius, & Gellius, recolentes quomodo compositæ fuerint tragœdiæ excitatæ Romæ, ob acerba odia Scipionis Africani, & Tiberij Gracchi. Aiunt illi, duos hosce viros insignes coëunte populo conuenisse in Capitolium, ad Iouis Capitolini sacra fieri solita ad mensam Iouis, vbi qui fecerant rem sacram, debebant accumbere. Toto spectante Senatu, eodem temporis articulo Scipio & Gracchus mensæ Iouis admoti sunt, vbi assidentes erubuere aspectum Romæ astantis, reuoluentes animo quàm fœda hactenus exercuissent odia. Vt Scipio Africanus erat illustrior, seipsum prior vicit, dextram prætendens Graccho in signum reducis animi. Annuit ille, & rependens eamdem tesseram amoris, ruit in amplexus Scipionis, cuius amor ita incaluit, vt illic Corneliam filiam suam elegantissimam Graccho desponderit, in duro inimico nactus generum obsequentem. Tantùm siquidem potest amor, vt nequiores homines anhelantes in scelus & in cædes inimicorum, possit ad meliorem frugem subitò reuocare.

Plutarch. in Camillo.
Camillus memor iniuriæ acceptæ.
Liuius 38. Aul. Gellius lib. 12. cap. 8.
Egregia historia ad conciliandos animos ante communionem.
Scipionis Africani facinus egregiũ in oblita iniuria.

Ad vos pertinet æmulandum hoc facinus, ô Christiani, qui Romano nomine censemini. Vos nempe Ecclesia Romana sollicitat, vt saltem accessuri ad mensam sacram, deponatis odia incongrua mensæ, quæ concordes tantùm homines admittit, vtpote amoris epulo saginandos. Species inanis simulacri referentis Iouem adeò perculit Scipionem, vt animo illius exciderint iniuriæ omnes, quarum memoriam nulla religio tunc temporis expungebat. Date hoc Christo, quod ille homo infidelis idolo vacuo condonauit. Despondete animam vestram inimico, vt ex discordis animi indole concors proximus enascatur. Græcia Philosophorum consuetudine edocta, fœta fuit exemplis, quibus suadetur illa iniuriarum remissio, quam Basilius ipse etiam veneratur in Ethnicis, aliquos suis scriptis commendans posteræ ætati, ad fidelium animos excitandos. Sic ille: *Conuitia iactabat quidam homo plebeius in Periclem: hic autem non animaduertebat, & per totam diem perseuerabat; ille quidem opprobriis immodicè diuexans ipsum, hic verò non curans illum deinde vespere iam facto, & tenebris obortis, cùm vix discederet, cum lumine ipsum Pericles deduxit, ne quid in Philosophia studio amitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi iratus mortem minatus est, ac iurauit: hic verò contra iurauit se placaturum ipsum ac sedaturum, vt neque ipsi molestus esset. Percutiebat quidam So-*

Exhortatio ad relaxãdas iniurias ante sacram cõmunionem.
Basilius tomo 1. Homil. 24. ad adolescentes.
Periclis exẽplum in ferendis patienter iniuriis.
Euclidis, & Socratis similia patiẽtiæ exẽpla.

cratem in ipſam faciem impetu facto, hic verò nihil reniſus eſt, ſed exhibebat ſe, vt ebrioſus ille ſe ira exſanaret: intumuit facies eius, & præ plagis facies ſanioſa facta eſt. Vbi autem ille à verberibus ceſſaſſet, Socrates quidem nihil aliud feciſſe dicitur, ſed fronti velut ſtatua inſcripſiſſe opificem, ille faciebat, & in tantum ſanè de illo ſe vindicaſſe. Hoc quidem Socratis factum ſimile eſt illi præcepto, quo percutienti vnam maxillam, etiam alteram exhibere conuenit.

Plutarch. in Phocione. Phocionis mira hiſtoria. *Ariſtot. lib. 1. Ethic.* Sapiẽs duobus indiget, & quæ ſint. *Herodot. l. 1.* Cambyſes vltor iniuriarum. *Diodorus Sicul. lib. 2.* Arbaces Rex Chaldæus immemor iniuriæ.

Præterire nequeo Phocionis morituri edictum. Is iniquè à ſuis damnatus iuſſit adeſſe filium, cui adſtanti hanc ſupremam legem indixit; ſcilicet, vt perpetua obliuione deleret memoriam iniuriæ acceptæ, ne eum aliqua cupido vindictæ laceſſeret. Dignus planè fuit vir hic generoſus titulo ſapientis, ad quem denferendum duo petit Ariſtoteles. Vnum eſt, vt ſit melior aliis. Alterum vt non inferat ſolùm, ſed nec quidem acceptam referat iniuriam. Perſæ contermini Græcis tanti fecere diſſimulationem iniuriarum, vt eo nomine malè audierit Cambyſes, quia videlicet ad minimam ſuſpicionem iniuriæ acceptæ, omnia ſanguine cruentabat. At contra Aſſyriorum & Chaldæorum animos ſibi deuinxit Arbaces Chaldæus, qui capta Niniue, & extincto Sardanapalo, imperauit Aſſyriis. Hunc Regem grauiter offenderat Bleſis illi aliàs intimus: nimirum ille inſcio Rege, gazas demortui Sardanapali callidè defoſſas aliò tranſportauit. Re comperta, in ea locuples iræ argumentum reperit Arbaces, vinctumque Bleſim ſibi iuſſit ſiſti. Expectare omnes quàm diris ſuppliciis Rex tantum facinus expiaret. Sed ille præter omnium hominum expectationem, & crimen relaxauit, & elatas permiſit opes, arbitratus regna conſtare ſibi iniuriis æquo animo acceptis. Sic Arbaces ſuo exemplo fidem facit, Aſſyrios & Chaldæos colere etiam virtutem illam, cuius præcipuæ partes ſunt, iniurias æmulo relaxare.

Myſticus ſenſus ex antiquitate plurium gẽtium faciens ad amorem inimicorũ. *Diodorus Sicul. lib. 1.*

In ea materia dicam rem ſingularem, petitam ex antiquitate plurium nationum. Diodorus ait, Æthiopes, Ægyptios, & Chaldæos attribuere ſibi primos ſacrorum vſus, qui ab eis ad Græcos & Romanos poſtea deflexerunt. Vnde liquet, aruſpicinam maximè viguiſſe apud illas Gentes, aliunde etiam propenſas in omnem capeſſendi augurij diſciplinam. Vt autem erat eis inolitum, ſacra tegere notis ſymbolicis, aruſpices extis inſpectis, ex eorum typica ſignificatione coniiciebant bona, & mala, quæ inſtabant. Verbi gratiâ, ſi abeſſet hepar ab hoſtia, Liuius ait ſuſpenſos fuiſſe adſtantium animos, vtpote ominantes malè Reipublicæ. Eo peſſimo omine deceſſit Imperator Claudius veneno ſublatus, cùm paulò antè caput iecoris abfuiſſet ab hoſtia, vt auctor eſt Plinius. Eodem etiam die, quo Pertinax Imperator occiſus eſt, defuit cor victimæ, ex Iulio Capitolino. Cæſari etiam fuiſſe ominoſa ſimilia ſacra paſſa deliquium cordis, notat Cicero: neque ipſe Cæſar, aliàs impauidus, adſtans inſpectioni extorum potuit conſtare ſibi, excordis hoſtiæ timens præſagium, quod Spurina aruſpex pangere metuebat, veritus offenſam Cæſaris, qui ne metum proderet, ait ſibi illud idem aliàs accidiſſe. Demum Cicero ait, iecur aut cor liuidum peſſima rebus hominum augurari. Ratio petita à Gentibus, vnde effluxit ille ritus, tota attenditur penes myſteria, typos, & ſymbola, quibus ſua ſacra Ægyptij, Æthiopes, & Chaldæi primitùs adumbrabant. Si autem augurabantur, vt liuido corde, aut iecore, coniicerent aliquod in amore deliquium; quia vt cogit amare iecur, ita & cor amoris ſedes eſt. Itaque vbi defectus in victima erat penes cor, aut iecur, coniectores diſſidia, rixas, bella inſtare præfabantur, quæ omnia ſi liquidò reſerare nollent; paucis aiebant, graue malum populis imminere.

Liuius 5. Dec. lib. 1. Plin. lib. 11. cap. 37. Iulius Capit. in vita Pertinacis. Cicero. lib. 2. de diuinatione. Hoſtiæ defectuoſæ aliàs fuere ominoſæ vt experti ſunt Claudius, Pertinax, & Iulius Cæſar.

Alexand. lib. 5. c. 25. Veſica fellis grandior ominoſa fuit. Galbæ vnde prædictum Imperium.

In prodigiis Alexander ait, metuendum fuiſſe prægrande fel. Ita planè in moralibus, nihil æquè animarum perniciem portendit, vt ingens odij acerbitas. Ex communi itaque ſuffragio omnium penè nationum, quibus præcipuè in votis fuit, viuere ex præſcripto rationis, concepta diu fouere odia, peſſimum omen fuit: vt ſecus ſi auis cor hoſtiæ rapuiſſet, erat optima coniectura: ſicut expertus eſt auus Galbæ, cui ſacrificanti, cùm aquila cor victimæ rapuiſſet, aruſpices præſcij futurorum, vt credula nimium gentilitas arbitrata eſt, dixere familiæ illius inſulas imminere. Prædictio illa ſortita eſt ſuum effectum in Galba rerum potiente. Vt ergo, ô Chriſtiane, læta & proſpera tibi fas ſit ominari, explica cor tuum amori, qui inſtar auis pingitur alatus, quidquid eructent inimici declamantes in te, moreſque tuos; caue ne liueſcat cor tuum felle nimio delibutum: illud enim diſcordiarum præludium habens in odio rudimentum, lethale tibi erit. Principiis obſta, deuouens cor tuum amori, ſecutus ſenſum earum omnium Gentium, quas tinxerunt olim optimæ diſciplinæ.

Suetonius in Galba cap. 4. Cor liuidum malũ omen portẽdit.

Ex præfatis meipſum non capio, præ ſtupore, recolens in quæ tempora deuenimus, & quàm rarus ſit ille æmulorum amor. Profectò ſi omnium hominum, quos vulgus imperitum ſanctiores credit, recluderentur præcordia inſpicienda coràm, pleraque liuida palàm omnibus apparerent. Inde profectò arbitror effluere mala omnia, quæ inundant. Nempe diuinus amor intepuit, & proximi charitas obriguit. Felle deſudant hominum corda, ideo & nos felle potamur, Deo propinante nobis flagella, luem, bella, famem, & omnem mortis immaturæ ſupellectilem. Hiſce temporibus videtur Hieronymus ingemuiſſe ita fatus: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſiderauit anima mea, id eſt, ſaltem immaturas ficus optabam, & non inueniens panem, præ famis magnitudine, quiſquilias & furfures requiſiui. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt. Vbique inſidia, vbique fraudulentia, innoxius ſanguis effunditur, omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum venatur in mortem, id eſt, præ auaritia & libidine germanitas ignoratur: qui enim optimus eſt inter eos, quaſi paliurus pungens, & retinens, vulnerans appropinquantem ſibi, & qui rectus fuerit inuentus, quaſi ſpina de ſepe, vt ibi inueniatur dolor, vbi putabatur auxilium, nolite credere amico, & nolite confidere in duce: quia ſi inter chara nomina, & conſanguinitatis affectum rara eſt fides; quantò magis in his fidendum eſt, qui ſuæ tantùm conſulunt aut vtilitati, aut voluntati.*

Hieronym. l. 2. in cap. 7. Michææ. Elegans inuectiua in homines memores iniuriarum.

Malorum omnium, quæ nos premunt, iliadem peperit error, qui hactenus inualuit, & quem toto hoc capite configo; ſcilicet non rependere iniuriam, eſſe ſuæ impotentiæ confeſſionem penitus indecoram; vt ſecus, citiſſimam vltionem prodere potentiam hominis vlciſcentis. Laudaui in eo argumento Gentilium facta, vt pudori ſint multis, qui ſibi incautè adblandiuntur titulo ſanctitatis,

ẽitatis, quos tamen minima suspicio iniuriæ illatæ facit impotes sui, & Dei prorsus immemores, cùm malè suada cupido vindictæ sollicitat eos ad conuitia conuitiis illico rependendum.

SENSVS MORALIS.

Commemoratio Christi condonantis, argumentum est efficax, ad omnem iniuriarum memoriam expungendam.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS VIII.

EX HISTORIA, ET SS. PATRIBVS.

Pulchrum exordium ad concionẽ de imitatione Christi.

SPartani professi masculum vitæ genus, & compositi in omne facinus arduum, quotannis Heroum præclarè facta versibus insonabant. Nempe rati, exempla multum posse in animos, non tam sermone suos excitabant liberos ad virtutem, quàm maiorum aliquo generoso opere recensito. Ab eo stylo non abhorret Ecclesia, quotidie in choro commemorans agones Sanctorum prælecto Martyrologio. Eodem afflati Spiritu Sancti omnes, dum suadere volunt dilectionem inimicorum, Christum commemorant, è Cruce pendulum, agentem causam inimicorum suorum apud Patrem, eamque historiam crebrò ingestam mentibus hominum, esse validum argumentum credunt, quo maximè ad tergendas iniurias homines inclinantur. Historia Sicula locuples factum suppeditat in subiecta materia. Series rerum illic egregiè gestarum meminit, Carolum Andegauensem, germanum sancti Ludouici, fuisse inauguratum in Regem Siciliæ conscio Pontifice, ad cuius arbitrium erat illud Regnum, quo iure Pontificio pulsus erat Conradus Imperator iniurius Ecclesiæ, ad quam proinde pertinebat decernere Regem illi solio, quo exciderat hic Conradus. Annuente itaque Pontifice, conscribit militem Carolus, & victoria aspirante initiatur in insulis regni, obsistente tamen Conradino Principe, filio Conradi. Is armata manu Carolum aggreditur, pro auito regno ancipitem belli sortem citiùs experturus. Concurrunt acies multa vtrimque strage edita primo congressu. Sed vt omnia feruida primò ebulliunt, deinde sensim tepent; ita Conradini impetus præcox, remissior effectus est, suaque remissione locum dedit hosti, qui factus inde vegetior, fregit exercitum Conradini, ægrè admodum fuga sibi consulentis, vnde redux sistitur Carolo Regi, qui eum duriùs exceptum, publicè lictoris gladio decollauit.

Historia Regni Siciliæ accepti à Carolo Andegauensi.

Conradini Regis mors ingloria.

Constantia Conradini mater, fœmina supra sexum magnanimis, vt audiit filium suum fusum armis Caroli, & insuper esse ab eo captum, illico suas omnes aperuit gazas, nullis omnino gemmis parcens, vt eum redimeret. Irrita tamen fuere vota matris afflictæ, Carolo respuente ingens auri pondus oblatum in pretium Conradini, qui ætate immatura, vtpote sexdecim annos natus occubuit. Sed vt fortuna gyrans versat rerum omnium vices, nihilque suum sub cœlo tenorem seruat; decennio elapso iure belli captus est filius Caroli, & adductus ad Constantiam, vt eius sanguine litaret Manibus Conradini, quem Imperatorum Rege satum pater captiui istius igloriè sustulerat. Fœmina hæc demirata Dei consilium, in ea captura filij Caroli Regis, quem adeò acerbum fuerat experta, vt præter omnium Gentium morem captiuo Regi turpiter insultarit. Fœmina hæc recolens grauem sibi à Carolo illatam iniuriam, vt leæna furens, Caroli filium supplicio etiam simili destinauit. Vtque vltione suada moratum impatiens est animus mulier anhela in mortem filij inimici sui, misit nuntium, qui referret ei instare mortem, ac proinde sciret esse sibi illamet die cedendum fatis. Erat illa dies feria sexta sacra memoriæ Passionis Christi. Reginæ obsequitur vir destinatus ad perferendam mortis sententiam Principi Siculo, qui haud quaquam immemor suorum natalium, eum se gessit quem decebat ducem ortum sanguine Gallico. Vbi namque audiit Reginam velle parentare filio suo Conradino sanguine ipsius, intrepidè ait nuntio: Dic Reginæ, mortem mihi haud quaquam esse ingratam, sed me eam æquo animo excipere; & maximè die ista, qua recolit Ecclesia memoriam mortis Christi. Rediit nuntius ad Reginam, quæ sciscitatur, quo oris habitu occurrerit fatis, quæ vrgebant. Reuera, inquit ille, audacter audiit peti caput suum; imò adiecit, se gratam habere mortem hodie, quia iam recolitur memoria mortis Christi, cui commori gloriosum Princeps hic Siculus arbitratur.

Constantiæ Reginæ facinus egregium.

Caroli Principis Gallico sanguine sati magna constantia accepto mortis nuntio.

O efficacem memoriam Christi condonantis iniurias! Vt primum insonuit nomen Christi morientis, statim subiit animum Reginæ memoria veniæ, quam Christus in eo agone suis hostibus procurauit, eoque Christi exemplo adeò perculsa est mulier hactenus impos sui, vt eadem mora remiserit nuntium ad Principem captiuum, quem sic nomine Reginæ affatus est: Animæquior esto, ô Princeps, & depone propositum mortis obeundæ: nam eadem memoria mortis, quæ in animum tuum induxit vt fortiter occumberes, Reginæ persuasit vt viueres. Satiùs enim ducit condonare tibi, Christum imitando, quàm sæuire in caput tuum, immane patris tui facinus vlciscendo. Nescio an Abraham plus meruerit, filium suum offerendo ad mortem; an hæc Regina, eripiendo morti filium alienum. Regina hæc Constantia, robusta etiam supra nomen, quæ veniam corde muliebri dedit filio Caroli, qui talem gratiam negauerat proprio Constantiæ filio turpiter enecato. Vlta suam iniuriam Constantia, morte Siculi Principis, mortua fuisset ingloria, sed concedendo lucis vsuram inimico suo, famam sibi præstitit immortalem. Heroina mater, meditata mortem filij Dei, oblita est vitam filij sui extincti; oblita suam iniuriam, ne foret iniuria Christo, gratis inimicorum crimina relaxanti.

Rarissimum exemplum iniuriæ condonatæ. Historiam hanc sumptam aliunde refert Cæsar Nostradamus in historia Prouinciæ sub an. 1289.

Constantiæ Reginæ laus egregia.

Propè accedit pietas Episcopi Arelatensis, quem die Natali Christi Bonosus Rex in Ecclesia malè habuit, in eum sacrilegis manibus iniectis, & alapà inflictâ, populò circumstante. Præsul pro suo munere conquestus est apud Othonem I. Imperatorem, qui indignatus in Regulum illum Arelatensem, reum sacrilegij perpetrati in personam sui Episcopi, contendit Arelatam, quam arcta obsidione cinxit, & admotis machinis quatere incœpit. Non cunctante Othone arietatum est in mu-

Idem Cæsar Nostr. post ann. 493.

Insignis historia Episcopi Arelatensis condonantis iniuriam.

ros, quaque parte patuit aditus in vrbem victor illam subiit exercitus capto Regulo Bonoso, quem Imperator acriter obiurgatum, morti quantocyùs adiudicauit. Vt increbuit sententia capitis lata in Bonosum; Episcopus grauiter læsus à Bonoso, recolens se pastorem esse Principis huius damnati ad mortem, statuit apud se imitari animarum omnium nostrarum Pontificem, qui oues etiam sibi iniurias tulit reduces in ouile. Eamobrem conueniens Othonem prouolutus ad pedes eius, deprecatus est vitam ei, à quo fuerat grauiter impetitus. Fleuit, orauit, veniam impetrauit.

Ex SS. Patribus.

Chrysostom. homilia 18. in Matth.

Nemo nostrûm adeo durè exceptus est; & cunctamur tamen deponere minimas iniurias. Si earum sensu excidere volumus, intueamur Christum vt serpentem æneum ligno impositum, vt sanet eos, quibus infernalis serpens suum virus noxium inspirauit. Christus è Crucis solio condonans iniurias, nos suo exemplo sollicitat ad simile facinus exerendum. Chrysostomus suggerit hoc consilium, ita imbecillos ad veniam homines adhortatus. *Vidisti Deum hominem fieri, & eo vsque pro tua descendentem salute, tantáque propter te esse perpessum, & adhuc inquiris, & dubitas quemadmodum possibile sit iniurias donare conseruis? Non audisti in patibulo eum dicentem: Pater dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt. Non vides quia & post crucem suam, & post resurrectionem Iudæis interfectoribus suos Apostolos miserit, bona illis innumera portantes, idque cùm ab eis innumera mala passuri essent? At tu plurimum omnino læsus es. Verùm quid tandem tale perpessus es, quale tuus, imò omnium Dominus? Vinctus loris, verberatus, palmis ora temeratus, consputus à seruis, mortem sustinens, & mortem omnium turpissimam, & intensissimam, & hæc postquam beneficia eis mille contulerat. Sin autem omnino nimis læsus es, idcirco nihilominus beneficium refer nocenti, vt & tibi facias maiorem coronam, & fratrem periculo grauissimi languoris absoluas.* Ille idem versans eamdem materiam, sicperurget ad veniam. *Frater tuus iniuria te affecit, lacrymare non ob tuam iniuriam, sed ob illius exitium, sicut Christus Dominus Iudam lacrymatus est, non quando ipse crucifigebatur, sed quando ille prodebat. Iniuria te & conuicio affecit: Deum obsecra, vt statim illi propitius fiat: iram frana, quoniam quidem ille lethalem accepit plagam, quoniam ipsum vulnerauit diabolus. Ne igitur & tu praterea ferias, ne te ipsum vnà cum illo deiicias: nam tantisper dum supersedes, potes ipse & illum seruare; qui si iniuriam iniuria referens, teipsum quoque deieceris, quis tandem vos hum iacentes tollet? Certè haudquaquam poterit humi prostratus, an tu qui vna cum illo collapsus es? Qui tibi ipse manum porrigere nequisti, alteri poteris? Sta igitur generoso pectore, ac scuto opposito, & mortuum illum è pugna. frater tuus est, per lenitatem trahito. Vulnerauit illum ira, ne vulneraueris & tu, sed prior iaculum abiicito.*

Christi è cruce condonantis iniurias exemplum est efficax ad imitationem.

Idem homilia 8. in epist. Pauli ad Romanos.

Inimicorum nostrorum est salus deploráda potius quàm iniuriæ vindicanda.

Bernardus indignatur in homines memores iniuriæ acceptæ, considerans Christum adeò beneficum suis inimicis, vt non etiam dedignatus sit Iudæ osculum præbere, cui antea pedes luteos absterserat, etsi proditori. Profectò ille, cui familiaris erit illa Bernardi meditatio, eosdem, quos olim Bernardus, & ipse patietur amoris æstus, factus æquior inimicis. Vt nempe Sol incurrens in nubem roridam, in eam inducit imaginem, Solis ita & is qui alta mente recolit mansuetos Christi mores, exhibit eius propitiatiam inimicis indolem. Vt familiaris sit illa meditatio, accipe Bernardum. Sic ille: *Te perdissimo traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna oblationis etiam coram ipso genu flexus procumbens, maledictos pedes eius, veloces ad effundendum sanguinem tuum sanctissimis manibus tuis attrectare, lauare, & extergere dignatus. Cur autem adhuc extento collo ambulas o terra, & cinis? Adhuc te superbia eleuat? Adhuc te impatientia exagitat? Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum Iesum, vniuersæ creaturæ factorem, tremendum iudicem viuorum, & mortuorum, ante pedes hominis, & traditoris sui, genua incuruantem, Disce quia mitis est, & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubesce in patientia sua. Hoc quoque erat mansuetudinis tua Domine, perfidum illum in cœtu fratrum detergere, & palam confundere noluisti, &c. Accedentem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bestiam auersatus non es: sed os, in quo dolus inuentus non est, ori quod abundauit malitia, dulciter applicuisti. Innocens agne Dei, quid tibi, & lupo illi? Quæ conuentio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ Domine fuit, vt omnia illa exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire possent.* Hac meditatione reor posse marmora colliquari. Si Dei enim altitudo inclinatur infra hominem inimicum; quare remoratur homo veniam suis æmulis impertiri?

Bernard. sermone de passione Domini.

Exhortatio elegans suadens obliuionem iniuriarum.

Qui se adeò beneuolum præstitit erga Iudam, non contraxit manum, ne in cæteros homines mortis suæ conscios, gratiarum latices effunderet. Namque ærumnis satur, instante morte, quantùm ei fas fuit, conciliauit Deo inimicos suos, precibus eo intento fusis, exquisitissimo etiam doloris sensu corpore lancinato. Præstat denuo audire Bernardum ita fatum: *Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus; omnium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis. Hinc multa miseria corporis, hinc multa misericordia cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc sanguinis gutta decurrentis in terram. Misericordia Domini multa, sed & miseria Domini multa; &c. Exaudiendus pro reuerentia tua clamas: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. O quàm multus es ad ignoscendum, ô quàm magna multitudo tua dulcedinis Domine! O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! ô quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille clamat: Ignosce illis; Iudæi: Crucifige. Molliti sunt sermones eius super oleum; & ipsi sunt iacula. O charitas patiens, sed compatiens! &c. Patiens charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem: sed benigna trahit, ducit, conuerti facit ab errore viæ suæ: denique operit multitudinem peccatorum. O Iudæi, lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis. Quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?*

Idem serm. in feria 4. hebdomadis pœnosa.

Christus admirabilis in remittendis iniuriis.

Si te igitur aliqua cupido vltionis sollicitat, ô homo iniuriarum impatiens, recole Iesum, suis etiam inimicis propitium, imò tibi homini nequam beneficum; & hebes fiet omnis aculeus, qui te stimulat ad vindictam, sensusque omnis mali illati pontinus euanescet.

SENSVS MORALIS.

Quàm sit vltio iniuriarum noxia vindicanti.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS IX.

EX SYMBOLIS ET SS. PATRIBVS.

Exordium ad loquendum de symbolis.

CReaturas omnes esse loquaces, & insonare motibus componendis aliquid idoneum, fuit peritorum sententia, in quam pedibus iuit Christus, dicens lapides clamaturos quando homines elingues erunt & magnalia Dei tacita præteribunt. Nihil omnino silet in hoc rerum vniuerso, sed singula quæque sonora sunt, suisque modulis suaui rerum omnium musicæ collaborant. Hinc emersit illa congeries symbolorum, quę exercuerunt Ægyptios, quibus cuiusque rei species adumbrata sine vllis literis adiectis quidpiam ingerebat. Et huius artis libris prostant. Nostrates ob spissum hominis ingenium, picturæ inscripsere voculas quasdam, quibus anima seu intentum symboli colligitur. Verbi gratiâ, Ferrus in theatro symbolorum pingit basiliscum obiecto sibi speculo morientem, hoc titulo appenso. NOXA NOCENTI. Quid innuat ille hoc symbolo non referat, in cuiusque arbitrio relinquens, hoc & alia omnia symbola aliis explicare. Ego illud symbolum de basilisco se necante suis aspectibus explico de homine vindicante, qui cùm toruis oculis inimicum aspicit, ille intuitus virulentus in eum resilit lethali vulnere sauciatum. Etenim vltionis genius ille est, vt appetitus eius animam vltricem lædat, antequam noceat inimico. Sicque vltionis insana cupido fit NOXA NOCENTI. Imò animus inquies vlciscendi libidine grauior longè est sibi, quàm suis inimicis, quibus duntaxat inferre potest iniuriam cute tenus, dum conficit animam suam lethali plaga & plerumque etiam corpori suo iniurius est, dum appetitu vindictæ nimium exardescit.

EX SYMBOLIS. *Ioann. Ferrus parte 2. Theatri.*

Vltio lethalis est ei qui vindicat iniurias.

Non impunè hominem indulgere animo vindici ait Seneca, hoc breuiloquio. *Maxima est facta iniuria pœna, fecisse: nec quisquam grauius afficitur, quàm qui ad supplicium pœnitentiæ trahitur.* Potes & huc reuocare alia symbola, quæ meminit primo & altero Tomo istius Encyclopædiæ, vt sunt scorpius, apis, draco, canis. Scorpius assumptus fuit à Duce Mãtuano hoc lemmate adiecto. QVI VIVENS LÆDIT, MORTE MEDETVR. Nempe ex medicorum obseruatione scorpius arcuato vulnere inflicto, plagam sanat, si occisus vulneri imponatur. Ita quisquis vrgente vltionis appetitu sæuit in alium, morte sua luet pœnas, quas intulit inimicis. Scita est omnibus apis imprudentia, quæ sibi mortẽ consciscit, vt leuioris aculei punctione suas iniurias vlciscatur. Virgilianũ illud ei affingitur. ANIMAM IN VVLNERE PONIT. Nihil æquè refert insaniam hominis, quem cupido vltionis exagitat. Ille animam in vulnere ponit, imò deponit animam, antequam ponat vulnus: nam satius

Seneca l. 3. de ira c. 26.

Typotius l. 3. Symbolorum.

Variis symbolis exprimitur quàm sit noxia vltio homini vindicatiuo.

esset huic homini rabido mori quàm gratiâ Dei excidere, iniuriam suam perpetrato crimine vindicando. Draconis etiam liuor plectitur morte, quando is aggrediens elephantem, suis voluulis implexus corpori bestiæ immanis vulnere inflicto fugit eius sanguinem: nam cruore exhausto deliquium patitur elephas, qui ruina sua draconem elidit, sic occisum bestia fatiscente. Huic serpenti malè sibi consulenti ebibendo sanguinem, cuius haustum morte sua luit, affinguntur istæ voces indices instantis fati. NEC DVDVM LÆTABERE VICTOR. Id est, ad morulam gestis luxuriante vindicta: ea nempe lethalis erit tibi.

O præco verbi Dei, hîc se tibi aperit fœcundus ager spatiandi in hoc themate, & declamandi in hominem impunè sui proximi sanguinem ebibentem. Moralis censuræ hoc tibi specimen esto, ex pulpito postea propagandum. Eia adesdum homo æstuans ira in fratrem tuum, quare simultate æterna gaudes nescius pacis, cuius nomen auribus tuis malè sonat? Fortè quia vltro expetita placet, nihilque palato hominis læsi æquè sapit vt vindicta. O incaute triumphum agis inglorium!

Vltio est ad moram dulcis, sed postea lethalis est homini vindicanti.

Bella geri placuit nullos habitura triumphos. Pruritus ille vindictæ, affrictu molestior efficitur. NEC DVDVM LÆTABERE VICTOR. Nam Deus expetet à te pœnas mali imprudenter aliis irrogati. Apposita etiam est imago canis in gyrum acti, quem dormientem quisquis malè afficit, ille suæ imprudentiæ mulctam protinus accipit, cane citiùs insurgente. Symboli titulus hic est recensitus. QVIETVM NEMO IMPVNE LACESSET. Et reuera hoc effatum maximè potest vsurpari de homine iniquo aliis. Quamuis enim videatur ad horam esse superior æmulis suis; tamen non impunè feret cõuicia aliis intentata. Eo argumento vsus est Petrarcha, vt solamen aliquod ingereret homini iniuriam rependere meditanti.

Lucan l. 1.

Ægidius Sadeler. l. 3. nonum symbolorum.

Ecce dialogum hominis afflicti iniuriis, cum probo alio homine colloquentis. *Hinc illinc hostibus premor. Responsio. Illi quoque suis premuntur affectibus, estque apud illos vltor tuus, isque non vnus: pro te partes faciunt ira, metus, odium, inquietudo, nec dum percussi pœnam criminis exigunt, sic interdum vltio præit offensam, & fortasse non sequuturam. Armabuntur, laborabunt, sudabunt, æstuabunt, anhelabunt, trepidabunt, & fortassis horum nihil ad te. Multi sæpe grauibus odiis sibi non aliis nocuere. Est mihi pugna cum hostibus. Responsio Et illis secum, & tutius aliquando cum hostibus, quam cum vitiis pugnatur. Quisquis alium odit, primum anima sua vulnus infligit, proximum nonnumquam suo corpori. Nimia nempe cupiditas feriendi, nocendique multos incautos nudatosque dedit hostibus, sic semper prima pars malorum in suum auctorem vertitur, interdumque nouissima. Cùm sæpe interim sit illæsus, in quem pernicies parabatur.*

Petrarcha dialogo 32.

Malè . . . solum . . . nec vindictæ cupidit.

Sed quid profana laudo, cùm Christus ipse insinuarit, in quale discrimen incurrant homines aliis iniurij rependentes iniuriam. Nonne ait imminere durum iudicium ei qui omnem misericordiæ sensum expunxerit? Compendiosè erudiuit nos hic præceptor vindictam Deo suggere, vt piacula nostra pariter vlciscatur. Ita Chrysostomus: *Tales nos erga conseruos exhibeamus, qualem erga nos Deum cupimus. Dimitte, inquit,*

EX SS. PATRIBVS. *Chrysost. homil. 18. in Ioan.*

inquit, debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: qui centum denarios non dimisit, non conseruum sed seipsum læsit, & tot millibus talentorum, quæ sibi dimissa erant, obnoxium reddidit. Tu legem scribis de venia, & pœna, tu fers sententiam, & an Deus tuorum peccatorum recordetur, tui iuris est, tu Dominus. Alij vigilando, in nuda humo dormiendo, carnem assiduis laboribus macerando dolent peccata, tibi faciliori via nemini succensendo, ideo consequi datur. Quid contra te ensem, vt insanus & furēs stringis? quid culpâ tuâ futurâ gloriâ fraudaris? quam non consequeris nisi inimicum diligas.

Vlciscens homo Deum prouocat contra se.

Basilius libro cui titulus est. *Admonitio ad filium spiritualem.*

Simili argumēto Basilius homines allicit ad relaxandas iniurias. Eum opportunum accipe consultorem. *In tempore orationis omnem malitiam cordis proiice abs te, & remitte siquid habes aduersus proximum tuum: est enim genus quoddam serpentis, qui cum potatum ad fontem pergit, antequam bibat, venenum proiicit, & dimittit. Imitare ergo huius serpentis astutiam, & omne venenum amarissimum proiice ab anima tua, remitte conseruo tuo centum denarios, vt tibi decem millia talenta remittantur, & qualem Deum habere volueris in te, & tua anima, tu talem te exhibe fratri tuo; qua enim mensura metieris, remetietur tibi.*

Iniuriarum memoria omnis deponenda ante orationem.

Eadem Christi disciplinâ benè tinctus Augustinus, similia inculcat, monens Deum fore nobis talem, quales fuerimus & nos erga inimicos nostros; penes eam dilectionem inimicorum nostrorum affirmans, esse cardinem, in quo vertitur omnis orationum summa. Sic ille: *Dicit tibi Deus: Quid mihi das, vt ego dimittam tibi peccata tua, quale munus offers? quale sacrificium conscientiæ tuæ imponis altaribus meis? Continuo docuit te, quid petas, quid offeras. Petis, dimitte nobis debita nostra; & offers, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitor es ei, qui falli non potest; dicit tibi Deus: Tu debitor meus es; inimicus debitor tuus est, hoc facio ego tibi debitori meo, quod tu facis debitori tuo. Si debitor es, gratulare te habere debitorem, in quo facias, quod fiat in te: si qui te læsit petat à te veniam, & ignoscis, iam potes securus dicere: Dimitte nobis debita nostra. Si autem clauseris contra pulsantem, clausam inuenies cùm pulsaueris.* Hæc ille.

Augustin. serm. 170. de tempore.

Iniurias qui remittit ille facit sibi Deum propitium.

Vltionis exigendæ impetiginē valdè lacessere hominē percitum illa vesania, liquet ex virtute opposita scilicet mansuetudine: illa namque sic componit hominem, vt pelago æstuante placidus sit, frustra restantibus iniuriarū flabris. Nimirum animus fortis constat sibi semper, nec aliquando nutare potest etiam multis ictibus impetitus. Habes in Stephano typum animi inconcussi, requiem nactū medio in turbine furentium æmulorum. Fauet Augustinus encomiastes Stephani, ita fatus: *Si non potes imitari Dominum tuum, cùm penderet in cruce: Stephanum seruum eius, cùm lapidaretur, attende, qui genuflexo, postquam præmiserat: Domine Iesu accipe spiritum meum, ait; Domine ne statuas illis hoc peccatum, & cùm hoc dixisset, obdormiuit in requie dilectionis; pacem pinguissimam inuenit: quia pacem inimicis optauit. Vide quomodo pro se stans orauit, & pro illis genu flexit. Pro se stans tanquam iustus facilè exaudiebatur: nam pro iniquis genu figendum erat. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Felix somnus, & requies vera. Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare.* Ergo inquies animus est, referens iniuriam cupidus vltionis.

Animi mansueti quies est summa.

Ibidem.

Stephani encomia.

Congruo itaque symbolo animaduerti in animum tardum ad veniam, cùm hæc ei imprecatus sum. NOXA NOCENTI. Nam præter acerbitatem odij quo angitur homo iniquus, experietur Deum vltorem rigidum iniuriæ aliis irrogatæ. Hanc Dei censuram commemorat Psaltes, sic occinens: *Facit iudicium iniuriam patientibus.* Vnde Augustinus ansam arripit ita homines adhortandi. *Vindicat omnes iniuriam accipientes, puniens omnes iniuriosos. Si ergo fauebit iniuriam accipientibus, & puniet iniuriosos, vide modò, de quorum numero esse vis? Vide, an in eis velis esse, qui iniuriam accipiunt? an in eis, qui iniuriam faciunt? Statim enim ad te procedit vox Apostolica, & dicit tibi: Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum: quare non magis iniuriam patimini? Corripit homines, quia non patiuntur iniuriā. Non vt patiaris molestiam, te hortatur; sed vt patiaris iniuriam: non enim omnis molestia iniuria est. Quidquid enim iure pateris non est iniuria:* Nolo tamen vt sic intelligas Augustinum, quasi liceat non vindicare iniuriam, vt eo nomine Deum habeas vindicantem iniurias tibi inflictas: hoc nimirum dedecet animum mansuetum. Sed sic explico textum illum vt sit ille eius sensus: O homo, miserere inimici tui, nec ei repende malum: nam eum multa mala manent, quibus illatas tibi iniurias hactenus expiabit.

Psalm. 145. Augustin. in Psalm. 145.

Deus est vindex iniuriæ illatæ.

1. Cor. 6.

SENSVS MORALIS.

PARS ALTERA SECTIONIS.

Hac cautela diligendi sunt inimici nostri, vt eorum vitia detestemur.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS X.

Ex Theologia.

Esto indiuidua substantiæ connexio deuinciens accidentia, vnum quid efficiat coalescens, ex dispari entitate; tamen animus cautior oculo, qui rebus afficitur vt affulgeat: animus, inquam, specie rerum illectus, non statim in eas effunditur, sed sedulò explorat, quid in eis homini conducat, aut noceat, vt ea præuia indagine concludat homo, quæ sint amore vel odio prosequenda. Inde emergit illa conclusio, quam expendo Scilicet, ita esse dignandos amore inimicos nostros; vt eorum tamen vitia persequamur. Ratio petitur à Theologia edocente nos, ea tantùm esse amanda ex charitate, quæ conducunt ad participandum Deum; ratio enim obiecti charitatis attenditur penes illud summum bonum. Ergo quidquid impedit ex se & directè adeptionem huius finis, illud debet secerni ab amore, atque adeò modis omnibus impeti, vt penitus abigatur Ergo cùm vitia maximè obstent, ne homines assurgant ad illud summum bonum; non erunt vitia vspiam adamanda.

EX THEOLOGIA. *Thomas 2. 2. q. 26. art. 7.*

Vitia nō sunt in inimicis amanda.

Rursus,

Amor noster quibusnam rebus debeat adhæ- rere, & à quibus debeat recedere.

Rursus, omnis actus debet proportionari obiecto, & agenti. Ex obiecto habet speciem: ex virtute autem agentis habet modum suæ intensionis. Sicut motus habet speciem ex termino, ad quem est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis, & virtute mouentis. Itaque dilectio, quæ est actus internus, speciem habebit ex obiecto, & intensionem ex parte ipsius diligentis. Obiectum autem charitatiuæ dilectionis Deus est; homo autem diligens est. Quidquid ergo obiectum charitatis destruit, illud non est amandum, & si insuper noxium est diligenti, actio agentis debet esse intensior, ad hoc vt anima refuga sibi sic consulat auersando. Cùm igitur vitia inimicorum destruant in eis participationem Dei, quæ est summum bonum, & præterea periculum sit, ne vitia hæc suo contagio animam labefactent, quæ inimicos amat, prudenter anima suos diliget inimicos, ita vt in eis discernat vitium à persona, amando naturam Dei capacem, & vitia persequendo. Hinc tantùm abest, vt inimicorum hominum correctio eo nomine facta, vt afferat repurgium, mala sit; quinimò charitatis officium sit, sollicitare eos, ad quos pertinet, vt inimici nostri castigentur, non ad vindictam, sed ad correctionem, vt sic fiant idonei ad gloriam Dei capessendam.

Quomodo citra charitatis dispendium, possimus lætari de ruina inimicorum nostrorum.

Ad aliud etiam odium vitiorum pertinet gaudium de malo temporali æmulorum nostrorum, cùm ex eorum ruina temporali exurgit commodum in ordine ad gloriam. Vt liquidior sit illa propositio, vnum est supponendum, quod est in confessio apud omnes, scilicet charitatem non esse directè de omni bono, nec per eam excludi omne malum & sic aliquod esse bonum, quod non tenemur velle inimicis, licet eos ex charitate diligamus, & aliquod malum esse, quod eis velle possumus, vigente etiam maximè charitate. Est autem charitas amor Dei directè, & amor proximi propter Deum, in quantùm tendit in Deum. Tendit verò in Deum homo, quatenus ad beatitudinem æternam pertinere potest, ad quam cùm nullus omnino pateat aditus, nisi beneficio gratiæ, tenemur velle gratiam & gloriam omnibus inimicis. Nemo namque potest citra dispendium charitatis velle vt inimicus gratiâ Dei excidat, aut gloriâ; quia duo hæc pertinent ad charitatem, qua stante in nobis fieri nequit vt suo obiecto careat adæquato. Nec etiam quis superstite charitate potest lętari de malo æterno alicuius, aut de amissione gratiæ, ob præfatâ rationem. Dispar est omnino ratio in serie bonorũ inferioris ordinis, vt sunt sanitas, honores, opes; quia enim per accidens tantùm spectant charitatem, ita etiam per accidens pertinent ad vitam æternam, quippe citra obsequium illorum bonorum, quisque potest fieri compos summi boni. Sicque possunt temporalia illa bona in variis obstare sibi, nam plerumque vnius augmentum, est alteri decrementum.

Tostatus in c. 5. Matth. qu. 346.

His præfatis, placet hæc Tostati conclusio: *Potest quis manente charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere de malo temporali, si illi eueniat; & tristari de bono temporali eius, si illi eueniat.* Est condienda mica salis ista conclusio, & ita intelligenda, vt cùm quis gaudet de malo alterius, non gaudeat de malo in quantũ est malum illius, sed inquantum est obex, ne aliis inferat aliqua nocumenta. Verbi gratiâ, scio inimicũ meum velle alium hominem prouocare, vt singulari certamine rixas componat, vtriusque tamen animę dispédio. Die indicta ad certamen audio inimicum febre valida correptum, gratias ago Deo, & gestio exultabundus, eo accepto nuntio: non quòd gaudeam de illa febre, quatenus æmulum meum malè afficit; tunc enim malum esset obiectum meæ lætitiæ, & hoc esset contra charitatem. Sed gaudeo quia febris illa remoratur intentũ pugnæ illius indictæ ad perniciem animarum, quarum, salus ea febre congruè procuratur. Vnde liquet, gaudij mei finem esse bonum, ex charitate diligendum, scilicet salutem animarum. Ita etiam quis potest tristior esse de bono temporali alicuius; quia verbi gratiâ nimium penu ditiorem facit iniquum hominem, & sic aptiorem reddit ad mala hominibus cæteris irroganda. Cùm ergo in inimicis æquè & amicis debeamus odisse vitia; debent etiam placere nobis mala temporalia, quibus vrgentur à Deo inimici nostri, vt abdicato vitio resipiscant.

SENSVS MORALIS.

Quomodo possit esse odium homini salutare.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS XI.

Ex Philosophia.

Parthorum mos vincere fugiendo.

Effera gens Parthorum, etiam Romano nomini terribilis, hoc singulari schemate repugnandi, in hostes præualuit: scilicet fortiter irrumpendo in cuneos hostium, si hoc suggereret animus præscius victoriæ instantis; vel etiam fugiendo, si quando ferocior hostis, fracto eorum impetu, ipsorũ humeris immineret. Vtroque modo, videlicet irrũpendo, & fugiendo, magnas fuderunt acies Parthi: quippe cominus gladio cæsim & punctim feriebant; eminus verò nihil obstante fuga, spiculis intortis insequentia agmina lacessebant. Sic Parthi in accessu & recessu lucabãt victoriæ. Hoc duplici armorum genere Deus homines instruxit; arcu scilicet, & gladio, vt hac veluti panoplia expediti milites, tutiùs in vitia decertarent. Quippe prouidus ille rerum institutor, homini duo affinxit, quorum obsequio potest accedere, & recedere. Duo illa sunt amor, & odium; amore accedimus ad summum bonum, & ea omnia quæ conducunt ad bonum illud; odio verò secus recedimus à noxiis, quæ inferre aliquam animæ perniciem possunt: cuiusmodi sunt vitia, quæ afflicta animæ, eam adducunt in discrimen. Duæ illæ passiones sunt principes animæ motus, vnde fluunt aliæ passiones, quibus homo accingitur veluti congruis instrumentis, vt propositum sibi à Deo finem citiùs assequatur. Gratia namque non destruit naturam, sed perficit. Sunt ergo bonæ passiones, in genere entis, ac proinde odium est homini salutare, vtpote adiectum, vt sibi consuleret, noxia fugiendo. Nec obstat illud Aristotelis eloquiũ: *Passionibus neque laudamur, neque vituperamur.* Aristoteles enim illic considerat passiones prout fluũt ab appetitu sensitiuo, qui est scaturigo passionum.

Amor & odium quare hominibus

Ex PHILOSOPHIA. *Aristotel. l. 2. Ethic. cap. 5.*

Sic spectatæ passiones, vt soboles appetitus nescij rationis, nec laudem, neque vituperium aliquod sortiuntur. Namque præcipua laudis argumenta petuntur ab actibus, qui congruunt rationi, vel ab ea deuiant. At si passiones expendantur ad trutinam rationis rectæ, provt subeunt moderamen animæ dirigentis eas in consonum vnicuique scopum, tunc illi motus ipsam animam perficiunt in genere supernaturali, accedente gratia moderante motus illos in ordine ad Deum vt finem nostrum, & bonorum omnium summam, quam qui participat, is est æterna gloria laureandus.

Passiones quomodo sint dignæ laude & vituperio.

Itaque Philosophiâ etiam naturali consciâ, odium est homini salutare, si eo vtatur ex dictamine rationis, quæ benè suada monet esse fugienda vitia, quia vt ex Philosopho, *Virtus est, quæ bonum facit habentem*; ita & vitium hominem deteriorem facit, ac proinde malum est homini. Vnde sicut amor dignus est stipendio laudis, effusus in virtutem; si odium laude sua non excidit, hominem ab ingruentibus vitiis auertendo. Ille igitur, qui inimicum amat vt hominem editum ad gloriam, non debet amare inimicum formaliter, vt inimicus est: hoc nempe esset amare malum, siquidem simultates, & inimicitiæ omnes malæ sunt contrariæ charitati: imò debet odisse vitia inimici, quia ille in consensum inclinat, qui annuit vitiis alienis. Hinc liquet, esse indiscretam illam charitatem, quæ ementita specie amoris erga inimicos, eorum vitiis parcit, imò & quandoque laudat, ne videatur fouere semina simultatum. In eo errore sunt plerique fidelium, qui ægrè ferunt Sanctos acriter inuehi in reprobos, & præcipuè in sectarios, sinceræ fidei corruptores. Eiusdem imbecilli animi est, carpere zelum præconum verbi Dei, quando durius excipiunt crimina delinquentium. Nulla etenim suppetunt tela satis acuta ad scelera configenda, dummodo quisque suum sic zelum attemperet, vt in reprobo secernat vitium à natura. Ergo tantùm abest, vt peccent illi, qui in vitia debacchantur, quin potius essent censuræ obnoxij, si tacerent vitio præualente. Cùm enim natura ferias exosa, nihil ediderit frustra, & vnumquodque sit propter suam operationem, nullaque prorsus in eis debeat esse forma, ille planè suis deesset partibus, qui nullo odio perciti in vitia, eis indulgeret. Eò pertinent pleraque Scripturæ exempla, quibus edita sunt specimina odij huius, sine tamen vllo dispendio charitatis. Vt quando Christus inuectus est in Scribas, & Pharisæos, damnans eorum hypocrisim, & alia etiam vitia perstringendo. Nonne exemplo Christi, Stephanus adeò propensus fuit in inimicos suos, vt occubuerit orans in gratiam eorum? verum enim verò charitas illa immensa nó obfuit, quin moriturus texuerit veluti catalogum vitiorum, quibus tunc Synagoga ingloriis fœdabatur. Nempe proceres Iudæorum obstinatos dixit, proditores, & homicidas Christi. Nec ideo quisquam meritò dixerit, tot conuiciis in Iudæos effusis, amorem Sphani tepuisse. Sic ille: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.*

Idem lib. 2. Ethic. c. 6.

Quare inimicorum vitia sint odio prosequenda.

Christus sine dispendio charitatis acriter inuectus est in vitia.

Act. 7.

SENSVS MORALIS.

Citra charitatis dispendium, quisque debet habere exosa inimicorum vitia.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS XII.

EX MEDICORVM DISCIPLINA, ET SANCTIS PATRIBVS.

Congeries tota rerum editarum infra cœlos, aliquid impurum sortita est ob commercium disparium partium, quibus singula quæque corpora coalescunt. Natura tamen prouida consulit viuentibus affluxu bilis, quæ humore suo mordaci, repurgio viscerum inuigilat. De eo namque humore felleo sic pronuntiat Fernelius: *Proprio ductu in intestina illabens, tum ea ad excrementorum deiectionem stimulat, vnde & fuluo colore infecta comparent, tum lentam, & adhærescentem illis pituitam detergit, & exturbat, quæ alioqui immodicè aucta, in grauissima incommoda deduceret.* Ideo Medici bilem clysterem naturalem vocant, & Hippocrates ait, alui deiectiones felleo colore tingi, cùm fit sicuti par est. Ecce effatum eius. Διαχώρημα τῆς κοιλίης βέλτιστον, μαλθακόν, συνεστηκός, ὑπόπυρρον. Id est. *Deiectio alui est optima, mollis, compacta, subrufa.* Eo pacto insinuans elui fæces, bile suas obeunte vices. Natura sagax adeò sollicita de corpore emundando, non immemor fuit animæ, sed & ei suam bilem aspersit, vt ea refluente omnem colluuiem abstergeret, illam vtique, qua stabulante, anima conspurcatur. Illæ animarum sordes sunt vitia, in quæ insurgit odium, quod est animæ motus refuga mali, cuius exterminium molitur anima percita odio rationabili. Cùm ergo omnes homines sint alter alterius membra, ac proinde vnum corpus efficiant in ordine ad Deum, debent omnes satagere, ne restagnent fæces vitiorum alicubi: omnibus enim hæc cura incumbit, vt tersior quisque fiat, vitiis abdicatis.

Bilis vtilitas homini innata.

EXEMPLA MEDICA.

Fernelius lib. 6. Physiologiæ cap. 9.

Hippocrates lib. 3. Coacar. lib. 4.

Bilis & odij mira affinitas.

Ad hanc sollicitudinem spectat odium, ideo institutum, vt omne noxium exterminet. Et licet odium videatur amori ex diametro opponi; tamen maximè ad amorem proximi conducit, si in eo tantùm vitia oderimus, satra tectaque natura eius, cui procuramus bonum gratiæ, vitia castigando. Et reuera fauet compositio vesicæ fellis: enim vasculum illud ex hepate emergit, vnde pendulum felle alluitur, eo fine quem memini, scilicet ad viscera repurganda. Dixi supra, iecur siue hepar esse sedem amoris, iuxta vernaculum hoc effatum.

Odium vitiorum pertinet ad amorem proximi.

cogit amare iecur.

Nempe vt ex physiologia, cor est sedes partis irascibilis; ita & in iecore residet facultas concupiscibilis, ad quam pertinet amor, qui incandescit, quando insurgit odium rei contrariæ obiecto amoris. Vnde vesicam fellis pendere ex iecore, perinde est, ac odium sequi amoris pondus; ita vt tale sit momentum odij,

Pulchra obseruatio de vesica fellea.

odij, quale fuerit amoris pondus. Itaque qui feruida charitate deperit animam sui inimici, perfectò etiam odio debet in eius vitia succensere: nempe bonum adsciscitur, quando malum procul abigitur. Cauenda tamen bilis efferatæ lethalis ascensio in caput, cuius ex Dureto soboles est phrenesis. Etenim statim atque bilis, præ intento naturæ fuerit, sursum vecta, quatit illico rationis sedem, & hominem sui impotem facit. Ita prudenter anima studeat moderari odium suum, ne dum in vitiorum fæces effluit, etiam incautè feriat inimicos. Quippe tunc hallucinaretur anima, sibi pessimè consulens, malè affecta erga inimicum, eiusdem cum ea naturæ consortem, in quo odisse vitia, & amare naturam, est dispensare odium suũ ad mensuram à Domino præstitutam.

Duret. in l. 3. Coac. Hippocr. cap. 4. pron. 19.

Perfecti huius odij meminit Psaltes sic occinẽs: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.* Odit Dauid eos qui odere Deum; non quia homines sunt, sed quatenus Deo iniurij sunt: & hoc odium vocat perfectum, quia reuera fertur eo ad quod institutum est, scilicet ad malum perstringendum. Vt enim potentia actibus perficitur; ita & actus perfecti sunt, quando fiunt iuxta normã cœlitus institutam. Huic præcentori concinit Augustinus ita fatus ex persona Dauid: *Nonne cùm zelus domus tua comederet me, videbam insensatos, & tabescebam? Nonne & tadium detinebat me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam? Qui enim sunt inimici tui, nisi qui vitã suã indicant, quàm oderint legem tuam? Hos ergo cùm odissem, cur mihi calumniantur qui acceperunt in vanitate ciuitates suas, quòd mihi imputari possint peccata eorum, quos oderam, & super quibus zelo domus Dei tabescebam? Sed vbi est, Diligite inimicos vestros? An quia vestros dixit, non Dei? Benefacite, inquit, eis, qui oderunt vos. Non ait, qui oderunt Deum, ideo iste secutus dixit: Nonne qui oderunt te, Domine, odio habui? non dixit, qui oderunt me. Et super inimicis tuis tabescebam: tuis dixit, non meis. Sed qui nos propterea oderunt, & propterea inimici nobis sunt; quia Deo seruimus; quid aliud quàm illum oderunt, & eius inimici sunt? Numquid ergo tales inimicos nostros diligere nos debemus? Aut non propter Deum persecutionem patiuntur, quibus dicitur: Orate pro persequentibus vos? Ergo attende quod sequitur: Perfecto odio oderam illos. Quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitatẽ eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.*

Psal. 138. Odium quãdo, & quomodo esse queat perfectum.

EX SS. PATRIBVS.

August. in Psal. 138.

Odij liciti luculenta descriptio facta ab Augustino.

Ad perfectionem huius odij pertinent duæ res valde discordes, quas in eo argumento egit Moyses, agnito peccato populi. Is nempe ea qua potuit contentione Deum orauit pro malè consciis, & postea ab oratione redux plerosque eorum deleuit gladio. Quomodo concolores sint oratio & cædes, audi ex Augustino. *Tempore veteris Testamenti, quo visibilibus suppliciis carnalis populus coërcebatur; homo ad nouum Testamentum per intelligentiam pertinens famulus Dei Moyses, quomodo oderat peccatores, cùm pro eis orabat, & quomodo non oderat, cùm eos occidebat, nisi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione sic oderat iniquitatem quam puniebat, vt diligeret humanitatem pro qua orabat.* Quomodo coëant amor inimicorum, & gaudium de eorum ruina, quam odium desiderat, Gregorius explicat hoc tenore: *Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cùm non de profectu deicimur, nec de ruina illius lætamur. Non enim amat aliquis quem non vult esse meliorem, eumque stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. Euenire tamen plerumque solet, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum eius gloria sine inuidia culpa contristet; cùm & ruente eo, quosdam benè erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi timemus. Sed ad hoc, seruandum est discretionis examen, ne cùm nostra odia exequimur, fallamur sub specie vtilitatis alienã. Oportet etiam pensare, quid debemus ruina peccatoris, & quid iustitia ferientis; nam cùm peruersum quemquam omnipotens percutit, & congaudendum est iustitia iudicis, & condolendum est miseria pereuntis.*

Idem vbi supra. Quare Moyses occiderit populum pro quo orauit.

Gregorius l. 22. Moral. cap. 6.

Inimicorum mala quomodo possint licitè placere, vt & bona displicere.

Speciali exemplo ostendit Petrus, stante charitate odium posse sua spicula in reprobos intorquere. Nam Ananiam & Saphiram censura feriit, quem secuta est capitis sententia. Malum hoc tempore cessit in profectum totius Ecclesiæ. Hoc genus odij illud est, quod intentò meis titulis adstruere. Cuiusnam genij sit hoc odium, disce ex Augustino, quem accipe ita diluentem istum nodum. *Hoc perfectorum est, vt non oderint in peccatoribus, nisi peccata: ipsos autem homines diligant, & cùm vindicant, non vindicent acerbitate sæuitiæ, sed moderatione iustitia: ne ipsa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quàm pœna vindicta.* Consule Hieronymum, & vide libros in Ruffinum; quibus asperis verbis excipiat hominem illum impium, citra tamen vllam suspicionem læsæ charitatis.

Augustin. lib. contra Adimantum.

Hieronymus quare asperis verbis agat in Ruffinum.

SENSVS MORALIS.

Quomodo sint salua Charitate nostrorum inimicorum vitia castiganda.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS XIII.

EX VTROQVE IVRE

Fuit vetus institutum Persarum, vt siquando Magnates delinquerent, eorum vestis detracta vapularet coràm, corpore tamen rei insimulati criminis illibato. Tantùmque valuit ille ritus, vt ictus cadentes in vestem proficerent hominis ad medelã. Non eatenus exoleuit mos ille antiquus, quin aliquali parte sui vigeat in omnibus iudiciis vtriusque fori; canonici scilicet & ciuilis. Nam cum leges animaduertunt in sontes, & aliqua decernunt supplicia, hoc vnum spectant, vt quasi homine illæso, vitia feriantur. Sunt autem hæc, veluti vestes, quibus malè induitur homo, inde reus, quòd suo etiam arbitrio essimè vestiatur. Cùm itaque audis seueriores paliquado leges latas in reprobos, hoc animum tuum subeat, scilicet hos ictus cadere in malos hominum habitus, homine semper superstite: etenim conscia charitate potes odisse vestem hominis adamati.

Persarum mos in castigandis vitiis nobilium hominum.

Vestis pœna castigata corpore illæso, quid significet.

Ex Ivre civili. Leg. 16. §. 2. ff. De Pœnis.

Hinc emersit illud celebre effatū Iuris, de his qui verberibus adhibentur: *Emendationis non iniuria gratiâ videntur adhiberi.* Quasi diceret legislator, pœnas esse veluti virgas succutientes puluerē vitiorum. Qui ergo animaduertit in vitia hominum, eorum meliorem frugem spirans, non eorum ruinam procurat, sed salutem. Et vtinam iste articulus insonaret auribus Magistratuum, quorum laxa bonitas totam Rempublicam lædit, dum non audent flagris improba capita coërcere. Heu & in claustra irrepsit misericordia hæc crudelis, ementitâ speciem bonitatis, nō ausa cohibere nefas, ne quid deterius contingat homini lapso, quē eum erigere expectant, ille nequam impetum facit in omnium mores, quos inficit suo contagio. Proh dolor! serpit, & gliscit in dies iniquitas, accincta pallis bonitatis. Faxit Deus vt hæc sit formido inanis animæ, quæ omnia tuta timet. Ruina ingens illi imminet familiæ, cuius Prælati, proteruiam subditorum impunè ferunt, veriti ne coërcente virga foras amandetur potius, quàm intus ictibus emendentur. Quid cunctaris, Præsul, amādare pecus tabe infectum, quo stante diu labes affligitur officio tuo, quo reclamante insimulaīis ignauiæ apud tribunal Dei. Macte Antistes, armate zelo Dei, emenda, aut amanda, sic emundas familiam tuam, alioquin futuram deteriorem contagio hominum iniquorum. O ignaue pater familias, erras imprudenter, dum animo tuo insidet, ferire, & furere, perinde esse. Ferire vt par est improbos, non furor est, sed feruor, qui rectorem decet, cui si magnanimum cor est, de rectore fit corrector. Correctio namque est cordis erectio; & corrigere, est cor regere, quod à recto virtutum tramite deuiauit. Fortè instabis: Fiam inimicus, vera dicens. Ita planè hostis impiorum, & amicus Dei, & eorum quibus pietatis propagatio maxime cordi est. O te beatum si placere bonis, & cohibere malos, præcipua est tibi cura, qua dum excides, ô Prælate, caue, ne vt aries errans, in lupi fauces inducas pecudes errabundas.

Superiorum laxa bonitas nutrit audaciam dyscolorum.

Elegans hortatio ad Superiores vt corrigant subditos.

Correctionis laus magna.

Ex SS. Patribvs.

Quis arguet Christum temeratæ pietatis, dum flagello animaduertit in nundinas templo iniurias. O animarum rector, Dei vices agis, Deum age, & animarum redemptorem, iuxta illud Psalmi: *Ego dixi: Dij estis.* Nonne Moyses à Deo electus, vt Pharaonem reuocaret, audiit; *Ego te constitui Deum Pharaonis.* Deum autem æmulari in eo argumento, est ferire vt sanes, iuxta illud Iob: *Ipse vulnerat, & medetur, & manus eius sanabunt.* Quòd sic expendit Hugo Cardinalis. *Percutit corpus, & sanat animam.* Quod coincidit cum præfatis, de veste succussa virgis, ad nitorem. Opportunus adest Petrus Blesensis ita fatus: *Flagello Domini puluis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit, & exteriori vulnere sanatur plaga interior.* O salutarem illam plagam, quæ excepta cute tenus, præcordiis ægris consuluit animæ decumbentis! Eò etiam collimauit Beatus Thomas à Villanoua, hoc contextu: *Sicut vestes diu thecis inclusas, & à tinea corrosas, vel nimio puluere respersas aliquando virga percutimus, & ab eis vermes, & puluerem percutientes, excutimus; sic Deus homines nimio luxu, & abundantia corruptos, illecebrosis appetitibus, veluti vermibus corrosos, vanitatis, & cupiditatis puluere fœdatos, tribulationis virga, excussa vanitate, & carnalibus desideriis extinctis purificat.* Bernardus expertus quàm vtiles sint linguæ asperioris ictus, dixit in commodum animæ, hoc locuples testimonium edidit: *Ego plagis conscientiæ meæ nullum iudico accommodatius medicamentum, probris, & contumeliis.*

Psal. 81. *Exod. 7.* *Iob. 5.* *Hugo Cardin. in Iob. cap. 5.* *Petr. Bles. epist. 31.* *B. Thomas à Villanoua ser. de sancto Quirito.* *Correctionis factæ vt par est, salutares sunt effectus.* *Bernard. epist. 280.*

Esto igitur rata mea conclusio; scilicet debere castigari vitia, sine suspicione læsæ charitatis: Ille enim amatur ex charitate, cui procuratur bonum æternum: At castigando reprobos, detergimus eorum vitia, quæ remorari possunt huius summi boni lucrum: Nullum ergo periculum est minus integræ charitatis, si congrua pœna vitiis infligatur. Quippe vt sanxit Cæsarum oracula, ad emendationem leges institutæ sunt. Ecce textum Iuris. *Si pœna alicui irrogatur, receptum est commentitio iure, ne ad heredes transeat; cuius rei illa ratio videtur, quod pœna constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem constitui videtur, desinit.* Speciali edicto Imperatores cauerunt, ne vitia impunè gliscerent Reipublicæ dispendio. Ecce constitutionem Imperatorum Valentiniani, Theodosij, & Arcadij. *Per omnes regiones, in quibus fera, & periculi nescia latronū feruet insania, probatissimi quique & districtissimi defensores adsint disciplinæ, & quotidianis actibus præsint, qui non sinant crimina impunita coalescere, remoueant patrocinia, quæ fauorem reis, & auxilium scelerosis impertiendo, maturari scelera fecerunt.* Nota, ad coërcendam proteruiam nebulonum, decerni viros probatissimos, districtissimos, dictos eo nomine defensores. Et reuera defensoris titulo dignandus ille qui aliorum saluti inuigilat, obstando ne vitia grassentur. Vnde arguo esse improbitatis genus in eo, qui nactus est regimen aliorum, si deuios eorum mores negligit emendare: deest namque suis partibus, euersorem agens, & non defensorem. Rursus non esse maleuoli animi notam, sed benefici, castigare vitia, probat illa lex, quæ hanc curam mandat propinquis, quia ad eos maximè pertinet edere signa amoris, quibus natura affinxit amoris mutui tesseras ampliores.

Ex Ivre civili. Leg. 8. pœna ff. De pœnis l. 48. tit. 19. lege 20. *Leg. per omnes Codices De defensoribus lib. 1. tit. 55. leg. 4.* *Correctio vitiorum Reipublicæ interest.* *Correctio vitiorum, actio est amici hominis.*

Ecce edictum: *In corrigendis minoribus, pro qualitate delicti, senioribus propinquis tribuimus potestatem: vt quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant, saltem correctionis medicina compellat.* Charitas itaque repet eis, qui remissiore animo sunt, in subditorum vitio compescendo. Nec patrocinatur ignauiæ Prælatorum, animus inferiorum procax, correctionis omnemq; spem adimens: nam si cunctatur resipere sycophanta, tamen eo coërcito, pœna eius cedet in exemplum, cuius obsequio forsan alij resipiscent. Ideo imperatores Diocletianus, & Maximianus hanc tulere legem: *Non remitti pœnam facile, publici interest, ne ad maleficia temerè quisque prosiliat.* Et Theodoricus Gothorum Rex ambiens Principis æqui nomen, voluit illud editis in reprobos legibus aucupari. Sic eum Cassiodorus inducit loquentem: *Quoniam emendatio malarum rerum nos delectat, ne concessa videatur ex taciturnitate agendi licentia.* Iterum ille: *Malum autem cum perseuerat augetur, & remedium est contra peccatum accelerata correctio.* Quia igitur impunitatis spes, est magna peccandi illecebra; illi ad quos pertinet aliorum cura nemini parcant vitiis obnoxio, etiamsi resilire nolit à vitiis insoliti: etenim vnius censurâ acerbâ prout decet fient cæteri cautiores. Fauet Plato sic discurrens. *Conuenit omnem, qui ab aliquo rectè punitur, vel ipsum fieri meliorem, vtilitatemque percipere, vel cæteris exempla dare, vt illi pœnas aspicientes meliores*

Leg. vnica Codice De emendatione propinquorum lib. 9. tit. 15. *Leg. 14. Cod. De pœnis lib. 9. tit. 47.* *Correctio quare instituta.* *Cassiod. l. 3. variar. ep. epist. 31.* *Idem lib. 9. epist. 14.* *Correctionis zelo Theodoricus Rex aucupatus est grande nomen.* *Correctionis finis duplex ex Platone.*

liores efficiantur. Quidam verò apud Deos & homines ita dant pœnas, vt vtilitatem aliquam referant, si sunt qui peccata sanabilia commiserint, quibus dolor cruciatusque prodest, & apud homines, & apud inferos. Non enim potest aliter quis ab iniustitia liberari. Qui autem extrema iniustitia detinentur, ac propter huiusmodi delicta sunt insanabiles, non pro eorum vtilitate dant pœnas; sed in exemplum aliorum. Concinunt leges, affirmantes eos vtplurimum cogi acerbitate pœnarum, qui lenitate peiores fiunt.

Plato l. 34. in Gorgia. Leg. 1. ff. De iustitia & iure. Polybius in fine libri. 1.

Non est in eo argumento prætereundus tacitus Polybius acutè probans, quam sit salutare, & priuatis rebus, & publicis, non odisse tantùm vitia, sed & ea plagis emendare, ne dum vni triobolari homini parcitur, iniuria bonis pluribus irrogetur. Sic ille: *Non modò vlcera in corpore hominum quadã recrudescere, vt sanari nullo modo possint: sed id longè magis humanis animis accidit. Vt enim vlceribus euenit, vt si illis medicamẽtum curandi caussã adhibeas, vlcus ipsum vt medicaminis refricatum augescit: si verò curam eius negligas, longè magis sua natura extenatur, neque prius desinit, quàm omne subiectum corpus corruptum, labefactumque sit. Ita animis consimiles quoque interdum morbi, & tales accidunt, vt nullum ex reliquis animalibus homine atrocius atque efferacius fiat: cui si interdum veniam aut impunitatem concesseris aliquam, aut benignitate fueris eum promeritus; id omnè dolum fraudemque existimans, erga beneficum longè magis fit infidus.* Congruâ itaque pœnâ feriendus est ille procax, vt qui impunem agens vitam, nequam est; alios ædificet, verbera expertus, iuxta Platonis sententiam, qui pœnam publicè inflictam vocat exemplum. Παράδειγμα ἄλλοις γινέσθαι, ἵνα ἄλλοι οἱ ὁρῶντες πάσχοντα, φοβούμενοι βελτίους γίνωνται. Id est. *Exemplum aliis fieri, vt alij videntes patientem supplicia, sibi timentes reddantur meliores.*

Correctio hominũ nequam proficua est toti Reipub.

Plato in Gorgia. Correctionis hominũ nefariorum vtilitas.

Nota, legibus fuisse olim institutum duplex pœnarum genus. Vnum ad emendationem. Alterum ad satisfactionem, seu solatium hominis læsi, qui vltione inimici suas tergebat iniurias. Pœnæ huius inflictæ ad solamen hominis iniuria affecti, meminit iste textus Iuris. *Famosos latrones in his locis, vbi grassati sunt, furca figendos, compluribus placuit, vt & conspectu deterreantur alij ab eisdem facinoribus, & solatio sit cognatis, & affinibus interemptorum, eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia fecissent.* Aristoteles legem institutam ad emendationem vocat κόλασιν. Aliam verò, quæ vltioni, & vindictæ litat, τιμωρίαν nuncupat. Sic ille, ἡ κόλασις ἕνεκα τοῦ πάσχοντος: ἡ τιμωρία τοῦ ποιοῦντος ἵνα ἀποπληρωθῇ. Id est. *Colasis est pœna inflicta, eius gratiâ, qui patitur: timoria verò pœna est indicta, in gratiam eius, qui exigit vt illa mulcta vitiis impleatur.* Hanc vltimam pœnam nescit charitas Christiana; quippe patiens est, & benigna, nec quærit quæ sua sunt, vtpote iniuriarum immemor, gaudens potiùs iniuriis, quàm vindictâ. Decernit autem alias pœnas, quæ reis inuruntur ad eorum vitia coërcenda. Ita Iure Canonico cautum, vnde emersit iste Canon. *Quid facis hic Ecclesia medicina, salutem omnium materna charitate conquirens, tamquam inter phreneticos, & lethargicos æstuans? Numquid contemnere, numquid desistere vel debes, vel potest? Vtriusque sit necesse molesta, quia neutris est inimica. Nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari: sed perseuerat diligentia charitatis phreneticum castigare, letargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur: ambo molestati, quamdiu ægri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur.*

Leg. Capitalium. § famosos. ff. De pœnis l. 48. tit. 19. Pœna quare reis olim fuit inflicta. *Aristoteles l. 1. Rhetor.* Pœnarum olim duplex genus.

Ex Ivre Canonico.

Canone Quid facies 23. q. 4. Correctio illis maximè consulit, quos [illegible].

Medicus illata molestia ægro, morbum impugnat, non personam; imò personæ consulit, quando facessit ægro negotium. In huius effati gratiam editus est iste Canon. *Duo ista nomina cùm dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur. Quia peccator est, corripe, quia homo est miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem. Huic officio nominis inuigilet disciplina, sicut cuique regenti apta, & accommodata est, non solùm Episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam, diuiti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, iudici regenti prouinciam suam, Regi regenti gentem suam. Ita nulli homini claudenda misericordia est: nulli peccatori impunitas relaxanda est.* Vitia castigata, lex misericordiam vocat, cuius proprium est pellere miserias: nulla autem miseria magis hominem deprimit, quàm vitia. Is ergo maximè beneficus est inimico, qui satagit vt ille à vitiis omnibus emundetur. Quod quia præstari nequit sine animaduersione, & censura; charitatis negotium est, in vitia desæuire. Fauet iste Canon. *Non omnis qui parcit amicus est; nec omnis qui verberat inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm blanda oscula inimici. Meliùs est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtiliùs esurienti cibus tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur vt iniustitia seductus acquiescat. Putas neminem cogi debere ad iustitiam, cùm legas patrem familias dixisse seruis: Quoscumque inueneritis, cogite intrare: cùm legas, ipsum primò Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum. Et noueris aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare. Si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur iniustus est; & qui eam facit iustus est. Sed planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per iniustitiam, isti consulendo per disciplinam: illi immaniter, isti temperanter: illi seruientes cupiditati, isti charitati. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet: qui autem curat, considerat quemadmodum secet; Ille enim persequitur sanitatem, iste putredinem. Occiderunt impij Prophetas; occiderunt impios & Prophetæ. Flagellarunt Iudæi Christum; Iudæos flagellauit & Christus: traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ: tradiderunt & Apostoli homines potestati satanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causâ, quis emendandi?*

Can. Duo 23. q. 4. Correctio est medicina. Correctio à quibus debeat fieri. Correctio quibus debeat aptari. Correctio est misericordia.

Can. Nimium § Non omnis 23. q. 4.

Correctio, vt par est facta, amorem arguit singularem in eo qui corrigit.

Correctionis finis est emendatio.

Ex præfatis, censura vitiorum non derogat præcepto de dilectione inimicorum; sed illud magis adstruit: quia sic annuente charitate, procul arcemus à proximis obices, stipendia æternæ gloriæ remorantes.

Correctio non derogat præcepto amoris inimicorum.

SENSVS MORALIS

De integritate amoris inimicorum est, vt se congruis actibus prodat.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri.

SECTIO II.

PRÆFATIO.

Exordium ad concioné de affectibus omnimodæ charitatis.

INnumeris penè mysteriis fœta lex Mosaica, multimodè exercet sacros Scripturæ interpretes, quibus haudquaquam deesse potest copia fandi, quia nusquam est satis quod in eo argumento dicitur. Nimirum vberrima rerum seges, quæ demeti potest in eo campo priscæ legis, omnes ditat, vtpote inexhausta. Etenim cortice literali infiniti propè implexi sensus se produnt eis, qui alto scrutinio inuestigant sub putamine literæ abdita documenta. In eo schemate occurrit lex illa antiquata, indicens Hebræis, vt quotannis ter Domino sisterentur, accincti donis Deo sacris, in tesseram gratitudinis expensæ, ob beneficia cœlitus accepta. Totam seriem legis fuisse amore decoctam, ait Moyses hoc versu: *In dextera eius ignea lex.* Ergo amorem subolent illa omnia edicta Dei, & citra vllam suspicionem deuij sensus, subodorari fas est amoris incendia in singulis quibusque Dei legibus, cùm inde effluxerint leges, vbi amoris fornax creditur æstuare. Ad hunc itaque amorem pertinere potest sensu accommodatitio textus iste: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, &c. Non apparebit ante Dominum vacuus: sed offeret vnusquisque secundùm quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quàm dederit ei.*

Deut. 33.

Amor Dei scintillat in omnibus legibus.

Deuter. 16.

Charitate tria sunt amanda.

Tegmine literali huius edicti seposito, ad amorem detorqueo verba legis: quippe amori indictum est, vt ter se in conspectum det. Tria namque amanda sunt ex charitate, videlicet Deus, & proximi etiam inimici. Et ne amoris species ementita illudat, Deus vetat hunc amorem apparere vacuum; nimirum etiam erga inimicos nostros lex cauit amorem nostrum obsequiis congruis exhiberi. Itaque si quando vacat amor, & vacuus imponit, profectò ille reprobus est, vtpote dissonus ab eo, quem Deus instituit feruidum, atque idoneis actibus æstuantem. At secus cor amore decoctum ebullit totum in affectus indices sui effectus. Rursus ter apparet ille amor inductus, quando inuritur cordi, brachio, & linguæ; has enim tres sedes ab amore Deus voluit occupari. En decretum: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio.* Ecce cor, & brachia sigillata; accipe linguam effusam in suaue melos, amoris huius præfati consonum argumentum. Sic ille amasius animam compellat: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpeculas paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Vocat columbam, animam amore percitam, quia instar columbæ felle exhausto, tota amore conditur. Vox animæ huius suaue sonat, quando orat pro inimicis suis. Cor signaculo inuritur, quando amore deperit inimicos. Brachia denique sunt tessera amoris adornata, cum ruunt in amplexus hominis infensi, & beneficiis eum afficiunt, iuxta sanctionem à Christo Domino præstitutam.

Amoris tres sunt sedes vbi se præcipuè explicat.

Cant. 8.

Columbæ nomen quare affictum animæ tandem.

Cant. 2.

Amore animæ decocta benè figurata in sponsa Canticorũ.

Quomodo institutio Christi quadret huic prælibatæ legi, obstringenti homines vt quotannis ter Domino sisterentur, perpende ex titulo præfixo isti sectioni, & inde colliges, Deum velle amorem nostrum tribus veluti sellis mysticis insidere. Namque tria meminit Christus, præfiniendo leges amoris; cor nempe, brachia, & os recensuit. Primò mentionem cordis fecit, hoc contextu: *Diligite inimicos vestros.* Deinde ne amor ille otiosus diflueret inertiâ, voluit eum discurrere toto brachiorum tractu, vsque ad manus, hæc sanciens: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Demum industrius ille amoris assertor, omnes querulæ vocis inhibendo modos, oris obsequium fecit amori sacrum, isto ritu: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quisquis igitur inimicos amat corde sincero, & eis brachiis exertis beneficus est adiectis precũ suffragiis, ille amorem suum tribus vicibus Domino sistit haudquaquam vacuum. De effectibus amoris inimicorum erit hæc sectio. Prima parte inducam varios modos benefaciendi inimicis nostris. Altera verò parte sectionis, aperiam commoda, quæ emergunt ex amore integro, nostris æmulis impertito.

Matth. 5.

Amoris proximi qualis Deus esse sanxerit argumenta.

Diuisio sectionis.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Dilectio inimicorum hominem totum deuincit, vt pro modulo suo se eis beneficum præstet.

In hæc verba.

Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.

ARTICVLVS I.

EX THEOLOGIA.

Exordium idoneum ad concionem de perfectione charitatis.

EXauctoratâ Reginâ Vasthi, dato ei libello repudij, Rex Assuerus in animum suum induxit, ex puellis egregiis vndequaque conquisitis vnam seligere, & sufficere in locum Vasthi, quæ solio exciderat. Vt autem species esset sarta tectaque puellæ initiandæ in Reginam; sanxit Rex virgines illas instrui omni supellectile rerum, quæ conducunt ad cultiorem faciei speciem amplificandam. Ecce ritum eo fine institutum: *Sex mensibus oleo vngebantur myrtino, & aliis sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vtebantur. Ingredientesque ad Regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens accipiebant.* Eo apparatu Deus charitatem instituit Reginam omnium virtutum. Nempe ei adiecit illud omne, quod facit ad gratiæ incrementum. Præcipuè oleum myrtinum meminit, quo insinuatur inimicorum amor; oleum namque sonat misericordiam, & myrtus arbor succum

Esther. 2.

Amor non est otiosus, sed se operibus prodit.

fœcunda Veneri sacra, clamat illam misericordiam debere esse bonis pluribus fœtam, in nostros æmulos effundendis. Ne autem quis hæreret in modo excolendi charitatem, virtutum omnium facilè principem; Christus ipse sponsus eius composuit mundum muliebrem idoneum huic intento. Etenim ait omnem charitatis ornatum attendi penes tria, quæ sunt cor, brachia, & os. Cordi insidet amor, vt congruo sibi throno: discurrit in brachia, vt in areas, quas obambulando, dotes suas & beneficia spargit in omnes etiam homines inimicos. Denique vt oris compositio multùm confert ad venustatem; amor os recludit ad orandum pro maleficis hominibus. Sic accinctus amor nullum prorsus deliquium patitur, quin potiùs omnimoda formâ nitet, vtpote circumfusus totô gratiæ complemento.

Amoris proximi pulchra descriptio.

Hunc autem amorem debere effundi in actus indices æstuantis animæ, genius Theologiæ Thomas ita probat: Cùm dilectio proximi sit in præcepto, necesse est in præceptum cadere ea, sine quibus extinguitur illa dilectio: At nequaquam viget amor proximi, tardus ad necessaria obsequia proximis exhibenda. Vnde & Ioannes hæc suggerit: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Rursus, in omni præcepto attenditur substantia, & modus: natura quidem aliqua'i modo pertingit obsequium præcepti, quoad substantiam; naturaliter enim homo obseruare potest aliqua præcepta, vt non occidere, non furari, aut alia id genus. Sed vt quis ea obseruet ad demerendam Dei gloriam, & conciliandum incrementum gratiæ, hoc superat naturæ vires, & iste modus gratiæ Dei influxum desuper emendicat. At, qui gratiæ Dei compos est, ille charitatis conscius est; gratia enim & charitas sunt res concolores, & quæ indiuiduo nexu coëunt semper. Ergo qui charitate conspicuus dignatur amore suos inimicos, ille erit eis beneficus dum res feret; quia charitas est gratiæ consors, quæ hominem totum componit ad arbitrium Dei. Vnde cùm Deus velit amari inimicum, corde, ore, & opere; proculdubio ille amator sincerus inimici, benefaciet æmulis suis tempore opportuno, suasque preces fundet in gratiam illorum, facturus ita satis titulo quem versamus: *Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.* Alioquin esset implicatio in adiecto, si ille, qui est in charitate, non amaret ore & opere: nam esset in charitate, & non esset in charitate: esset quidem ex hypothesi, quia amore afficere inimicum, illud est charitate insigniri: at aliunde non esset in charitate, si non se beneficum præstaret inimicis, cùm res postulat. Etenim ille excidit charitate, qui expers est gratiæ, quia, vt præfatus sum, charitas & gratia minimè dispescuntur: Sed ille cadit gratia, qui inocius est præceptorum Dei. Ergo cùm sit Dei singulare indictum omnibus hoc mandatum, vt scilicet diligamus inimicos, benefacientes eis, & orantes in gratiam illorum; profectò ille iniurius est illi legi, qui eam vltro præterit, denegando suo inimico gratiam, quam facili negotio potuit impertire. Itaque gratiam exuens homo iniuriarum vltor, nescius est charitatis, quæ non quærit quæ sua sunt.

Ex Theologia. Thomas 2. 2. q. 32. art. 5.

1. Ioan. 3.

Mandata Dei attendi possunt, secundùm substantiam, vel secundùm modum.

2. 2. quæst. 109. art. 4.

Amor inimicorum quare obstringat animam ad benefaciendû illis, cùm res tulerit.

Sed ne scrupulum gignat ista conclusio; est obseruanda cautio recensita à sancto Thoma: videlicet neminem teneri ex charitatis præcepto, vt dilectionis affectu, vel operis effectu moueatur in speciali ad eum, qui nulla ei constrictione coniungitur; nisi fortè pro loco & tempore, vtpote si videremus eum laborantem aliquo deliquio, cui nemo nobis exceptis posset occurrere. Adiicit ille, teneri omnes ab orationis suæ affectu & effectu neminem excludere. Cùm enim nulla vnio nisi charitatis nobis deuinciat inimicos, qui vnum sunt nobiscum in natura; ex necessitate præcepti tenemur eos diligere in communi, & effectu, & effectu, & in speciali quando aliqua eis ingrueret angustia. Demum ait ille, esse tantùm de consilio, & non ex præcepto charitatis, exhibere inimicis eosdem speciales affectus & effectus charitatis, quos præstamus amicis. Vt ergo quisque suas agat partes, in eo argumento, sufficit neminem excludere ab affectu nostro, & non negare obsequium illi inimico, cuius ærumnæ aliis incognitæ, nobis ad subsidium innotescunt.

Thomas in quolibetalibus q. 1. de charitate art. 8.

Quando teneamur benè facere inimicis.

SENSVS MORALIS.

Perfectio amoris erga inimicos, dum res exigit, beneficiorum postulat argumentum.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos.

ARTICVLVS II.

Ex Philosophia.

Industrius artifex incurrens in statuam æneam, cui ærugo labem fecit, exedendo manus, & os deformando, igne accenso liquat simulacrum, vt ære fuso, & insinuato in nouum typum, alia planè forma exeat è fornace. Hinc tantùm abest, vt ignis officiat statuæ, quinimò illa proficit eius obsequio, nacta manus, & os, quibus exciderat rabida vetustate. Hanc æmulatus industriam Christus, subuenit annosæ hominum indoli fatiscenti: etenim explorans veternos hominum mores, deprehendit esse truncas manus, si quando ageretur de beneficio æmulis irrogando. Præterea aduertit labia iniqua, & dolosa, & veloces pedes ad effundendum sanguinem, & os elingue & tacitum ad fundendas preces pro meliore fruge eorum, quos iniquos experti fuerant homines sui illius. Inualescebat illa tabes contagio Scribarum, qui ex proprio penu iniquum sensum adiecerant legi, prædicantes inimicos esse odio prosequendos. Vt generale dispendium auerteret Christus, ignem venit mittere in terras cœlitus illapsum, amorem videlicet, vt eius beneficio reformaret exesa hominum membra à liuore. Statim atque incaluit homo, eo percitus incendio, amor ei effinxit manus, & os ei protinus efformauit. Totusque homo emersit ex ea fornace amoris, in similitudinem typi, ad cuius exemplar eum componere Dominus intendebat. Id est, præceptum amoris homines euexit ad similitudinẽ Christi, qui fuit typus homini propositus, vt se ad instar eius in eo amoris gereret argumento.

Exordium idoneum ad concionem de effectibus charitatis.

Amoris igne accẽso Christus hominem reformauit, quoad cor, linguam, & manus.

Vide amoris ope redditas homini manus. *Benefacite his qui oderunt vos.* Aduerte etiam nouum oris habitum, in hac exhibita formula deprecandi. *Orate pro persequentibus vos.* Eodem adhuc vigente amore, faces ille ignis eosmet etiam

etiam nunc sortitur effectus, faciens hominum indolem beneficam, erga inimicorum genus maleficum. Nempe quò quid magis accedit ad naturam causæ primæ, eò etiam aptius est ad exerendum effectus similes illi, iuxta axioma sonans, similes causas, similes etiam progignere effectus. Ergo cùm gratiæ obsequio homines assurgant in sortem filiorum Dei, & proprium sit filij Dei, non parcere modò inimicis, sed eos beneficiis obstringere; quisquis conceperit gratiam Dei, ille etiam propensior erit ad beneficia aliis eroganda. Adiice ex Philosophia, vnumquodque esse propter suam operationem, & causas omnes iuxta ingenium suum parturire effectus. Vnde colligere est, charitatem, si quando influxerit in animam, non esse desidem, sed in effectus congruos illico prosilire. Ergò cùm benefacere inimicis, quando ingruit necessitas, sit è re charitatis, illa non deerit his partibus, si quando animam afficit. Nam in serie actionum supernaturalium, gratia vegetior est ipsâ naturâ, in contextu actionum inferioris ordinis, nempe infimum supremi superat supremum infimi. Si itaque inuenitur ignis adeò intensus, vt agat in lignum viride, & dissoluat metalla, & depascat res ferè incombustibiles, vt marmora; profectò charitas Deo afflata concludet etiam suis æstibus inimicos; sua etiam actione adstruens illud veridicum axioma iam præfatum: *Vnumquodque est, operationis suæ gratiâ.*

Ex Philosophia. Arist. lib. de causis. Amore cōponimur in similitudinē Christi.

Charitas ignis est agens in materias incombustibiles.

In hac alea Philosophiæ, conclusio nostra suas patitur instantias, suadentes, dilectionem inimicorum non pertinere ad charitatem. Primò insurgit Philosophus dicens, delectationem esse signum generati habitus. Ergo cùm nulla sit delectatio imò adsit ingens auersio in dilectione inimicorum, illa actio non pertinebit ad habitum charitatis, cùm ea sit huius delectationis expers, quæ indiuidua tamen comes est omnium habituum, quando suos exerunt actus. Respondeo, in dilectione inimicorum duo attendi, vnum physicum, aliud supernaturale. Physicum est ipsa dilectio, vt actio est vitalis emanans ab homine, cuius natura deliquium passa in Adamo plerumque deuiat. In eo sensu, natura refuga ægrè ruit in amplexus hominis inimici. Alterum quod importat dilectio inimici, est charitas superioris ordinis, quæ Deo percita, non quærit quæ sua sunt, sed vltro effunditur eò quò vocatur, illud suum arbitrata delicium, quod Deo placuit, & non carni, iuxta illum sensum discipulorum Christi, quorum amor suo sapore cuiuslibet angustiæ leniit amarorem. Audi Lucam veridicum testem eorum præclarè gestorum. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Proinde charitas suâ etiam voluptate gaudet, quando benè afficitur erga osores suos, & eos dignatur beneficiis.

Aristot. lib. 2. de cælo text. 17. Idem lib. 2. Ethic. cap. 3.

Amor inimicorum quomodo impugnetur.

Amor inimicorum vnde molestus sit.

Actor. 5. Amor inimicorum vnde gratus sit.

Vt dura est sicut infernus æmulatio; vltionis aculeus non vna ratione retunditur, ideoque rursùs pungit, conducto Aristotele ad labefactandam thesim nostram. Sic ergo arguit vindictæ insana cupido. Ex Philosopho, valet argumentatio petita à contrariis; vt si vera sit ista propositio: Bonum est diligere amicos, & eis benefacere; altera opposita etiam erit verax: Malum est diligere inimicos, & eis benefacere. Respondeo veram esse regulam Aristotelis in propositionibus per se; sed errare in propositionibus per accidens. Verbi gratiâ, quia bonum est diligere amicum per se; ita & malum est diligere inimicum per se, vt inimicus est. Nam inimicitia eius malum est quoddam, in quod amor ferri nequit; imò enitendum est extirpare malum illud beneficiis, & omni alia industria, vt orando, aliaque præstando, quibus plerumque ferox anima cicuratur. Quando autem diligimus inimicum, vt ad Deum pertinet; dilectio nostra fertur in inimicum per accidens: nimirum huic naturæ, quam Dei causâ deperimus, est quid accidentale, quòd nos odio prosequatur. Ideoque nutat argumentum sumptum ex libro Topicorum.

Aristot. lib. 2. Topic. cap. 3.

Amor inimicorum non amat inimicitias in homine inimico.

Rursus, amicus & inimicus res sunt contrariæ. Ergo dilectio non ferri potest in vtrosque, quia contraria non coëunt. Respondeo, amicos, & inimicos esse vnum quid in natura; & dilectionem attendi penes naturam, in qua conueniunt. Ita etiam diluitur obiectio, clamans dilectionem ferri in bonum proprium, atque adeo excludi inimicos, vtpote anhelantes in exterminium nostrum. Nempe dico, nos haudquaquam amare æmulos nostros, quatenus in perniciem nostram iurant; sed vt sunt eiusdem naturæ, cuius & nos sumus, capaces Dei, quo annuente eo amoris incendio conflagramus. Stat igitur inconcussa thesis nostra, videlicet amorem inimicorum esse de præcepto, non corde tenus, sed & opere; ita vt nos præstemus beneficos erga inimicos nostros, eos necessitate aliqua perurgente.

Amor inimicorum quid nam diligat in inimicis.

SENSVS MORALIS.

Cælestes animos decet, acceptas iniurias reddito beneficio compensare.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos.

ARTICVLVS III.

EX SYMBOLIS, ET SS. PATRIBVS.

Hominibus insita cupido scientiæ, eos adeo sollicitat, vt oculo mentis rerum omnium contextum lustrent, arbitrati scientiam esse improbi laboris opus, & negotium sedulæ indaginis. Hic pruritus Pythagoram & Platonem egit in extimas orbis oras, gratiâ noui aliquid addiscendi. Ille idem appetitus ita perculit Chaldæos omnes, vt pertæsi rerum inferarum notitiam, animum totum appulerint ad inuestigandos siderum cursus, & præcipuè momenta Solis, & Lunæ; rati, ea quæ imminent sidera præsagire. Alio argumento ducti sancti Dei homines, scrutati sunt ea, quæ sursum sunt, qualia sunt meteora: nimirum inde venati sunt pulchritudinem Dei, & bonitatē, qua consulit omnibus hominibus. Eo fine Iesus Siracides voluit nos attendere arcum illum, qui *Mille trahit varios aduerso Sole colores.* In nubibus etiam subodorans specialem Dei curam, eas etiam recensuit vt congruum scopum meditationis nostræ. Sic ille: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicij sui. Propterea aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebulæ sicut aues. In magnitudine*

Scientiæ cupido homines egit ad indaginem rerum.

Eccles. 43.

Amoris inimicorũ indoles benefica, egregio symbolo lineata.

In magnitudine sua posuit nubes. Nonne & ipse Dominus Iesus pluuiam accepit in tesseram bonitatis Dei, quæ neminem prorsus excipit ab influxu suo? pluuia namque bonos & reprobos alluit, sicut & Sol omnibus irradiat.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 2. Theatri symbolor.*

Itaque non erit abs re meminisse symboli egregij, quod recolit Ferrus in Theatro suo. Pingit ille cœlum desudans imbre copioso decidente in mare, hoc titulo. Reddit Agmine Dulci. Quid hæc pictura sonet, ille non explicat, sicut nec alia symbola recensita. Ego appositè ad titulum nostrum explico symbolum illud, de homine adspirante ad grandia. Hunc dico hominem nactum animum cœlestem, & acceptas iniurias reddito beneficio compensare. Profectò ille æmulatur indolem cœli, cuius dulcedinem salsedo maris nequit corrumpere: licet enim mare exhalet, & sursum mittat salsos vapores; cœlum tamen suauitate sibi innata, melle condit amarorem illum, & defæcat omnem hanc maris colluuiem, cœlesti lumine repurgatam. Sic estò mare ingratum sit, suis plerumque nebulis opacans Solem, & totam cœli faciem fœdans; tamen illas maris fæces cœlum transcolat in pluuiam dulcem, quodque amarum accepit, hoc Reddit Agmine Dulci. Ita & mens cœlo sata suam sapiens originem, nihil nisi dulcedinem spirat, licet æmuli insurgant, qui eam iniuriarum felle aspergunt. Frustra inimici tentant inficere animam hanc cœlestem, nihil prorsus in eam possunt: quippe ea amaroris expers, accepta conuicia beneficiis compensat, & iniuriis gratias Reddit Agmine Dulci. Profectò agmina dulcia sunt, bona quæ erogat in osores anima cœlo digna, licet vndique à reprobis perperam impetatur.

Anima cœlo sata nescit rependere malum pro malo.

Amor inimicorum, fel mutat in mel.

Vt ergo cœlis apta fias, ô anima, caue ne ex odiis æmulorum incautè colligas amarorem: quinimò hoc satage, vt apes imitata mel componas ex rebus etiam importunis. Hoc præstabis homo, factus inimico tuo beneficus, Christum imitatus, quem nulla inimicorum acerbitas efficere potuit insuauem. Huius vestigia sectatus eò appelles, quò euehuntur mites. Sic Augustinus: *Sicut Christi Domini via ab exordio vitæ vsque ad crucem, fuit inimicis benefacere, ipsosque opere & veritate diligere, quousque iam moribundus clamauit. Pater ignosce illis. Sic si tu didiceris orare pro inimicis tuis, ambulas viam Domini.* Ad hanc beneficentiam nos hortantur passim sacræ paginæ, & earum interpretes, in quibus accipe Paulum Apostolum, & Ambrosium scholiasten eius. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Hunc Pauli locum ita versat Ambrosius: *Non nudam vindictam Deo reseruari debere ostendit, sed & beneficia dari inimicis: vt verè ostendamus non meritis nostris habere nos inimicos, quos vt ab inimicitiis desinant, obsequiis vincere nitimur. Qui si inimicitiis perdurauerint impietate mentis suæ, nostra obsequia proficient illis ad pœnam: aut certè obsequiorum nostrorum sedulitate compuncti, veluti carbones mortui reuiuiscent. Vt ergo nos in tantum perfectos faciat, vt non solùm nos ipsos, sed & alios acquiramus ad vitam, inimicis non solùm vicem reddere prohibet Dominus per Salomonem, verum etiam humanitate ad amicitiam prouocare hortatur.* Beneficiis conciliandos inimicorum animos Augustinus eodem Pauli textu probat, ita fatus: *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, &c. hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Caput in homine, sensus rationalis intelligitur: qui sensus, cùm à feruore charitatis recedens, factus fuerit frigidus, necesse est, vt quod obest saluti, contrarium sapiat; vt cui deberet esse amicus, inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos, & charitatis igne succensos hortatur Spiritus sanctus, dicens: Carbones ignis congeres super caput eius. Cùm enim inimico tuo pio animo frequentius benefeceris, quamlibet sit impius, & crudelis, barbarus, & cruentus; tamen tandem aliquando erubescit, & dolet, & pœnitere incipit quod admisit. Nam cùm pœnitentiam cœperit agere, sensus rationalis, hoc est: Caput ipsius incipit charitatis igne succendi: & qui prius quasi frigidus, & phreneticus contra te consueuerat iracundiam retinere, spiritali calore de tua bonitate succensus, incipit toto corde diligere.*

Ex SS. Patribus. *Aug. tract. 1. in primam canon. Ioan.*

Roman. 13.

Ambrosius in c. 13. epist. ad Roman.

Amor inimicorum consulit inimicis nostris.

August. serm. 168. de tempore.

Inimici sunt tractandi vt phrenetici, & vt tales ferẽdi ex Augustino.

In beneficiis præstitis inimico illud summum credo, quod plerumque salus procuratur animæ deuiæ; siquidem nemo adeò ferus est, quin mitescat iugi gratiarum influxu. Et arbitror eò aspexisse Apostolum versu antea prælibato. Quippe odio rigens anima gratiis incalescit, & calor ille demum nactus suum incrementum, animam amore decoquit, facitque compotem gratiæ Dei, qua priùs exciderat. Nec sanè melius animæ consulitur, quàm ab ea malum culpæ in inimicitia situm funditus extirpando. Hoc reuera est lucrari fratrem suum, & modico beneficio opimum comparare fœnus; nempe & proximi salus conciliata nostris opibus, in gloriæ etiam nostræ resilit incrementum.

SENSVS MORALIS.

Anima amore decocta, iniurias transmutat in gratias.

In hæc verba.

Benefacite his qui oderunt vos.

ARTICVLVS IV.

Ex Medicorvm Disciplina.

Exordium pro amore omnia mala in bonum cõuertente.

Ex Re Medica. *Hippocrates l. de morbis acutis lib. 3. Coacar. c. 20. præn. 3.*

ADeò est benefica vis caloris, vt plerique subodorati Deum in igne, venerati sint eum veluti numen orbi maximè propitium. Gratiarum seges opima, quam calor adfert, fecit illi nomen grande: nimirum omnes calorem viuificum vocant, siue ille sit Solis fouentis omnia quæ vegetant; siue ille sit animalis, cui calere & viuere perinde est, sicut & frigere & mori. Huic calori naturali homines, dum vegetus est, Medici in morbis attribuunt reducem sanitatem, dum eius beneficio humores noxij decoquuntur, & ea coctione mitiores facti, citiùs excernuntur. Coctionem illam caloris viuidi, præualentis in morbum, ars Medica pepasmum vocat, quo ex Hippocrate, bilis πᾶς φλεγμα τῦται, id est, quodammodo pituitescit, & pituita fit puriformis. Eiectiones ægri albidæ sunt, & clamant instare sanitatem, licet antea fuisset deplorata salus, vt affirmat Duretus doctissimus interpres Hippocratis, expendens istam Coacam prænotionem,

Duret. in illum textum. Dysenteria quid sit, & quale signũ sanitatis eius.

nem. Οἷσιν ἐκ δυσεντερίης ἐξείης ἐς πυώδεα ἔχει, τὸ ὑγρὸν, τὸ ἐφιστάμενον, ἐκλευκόν ἐστι, καὶ πολύ. Id est. *Quibus è dysenteria sana, itur ad puriformia, qui superstat humor, multum albus erit, & multus.* Dysenteria fluxio est, vtplurimum cruenta à bile fera. Sed vbi caloris viuidi ope mitior effecta est illa bilis, iam albescit, & quidquid excernitur candicat, & salutem prænuntiat.

Amoris cũ calore multa ioest affinitas.

Adiice & ex eadem Medicorum schola, bilem illam sic decoctam, cùm sortita est naturam pituitæ, conducere ad corporis alimentum. Apposita sanè est illa animaduersio medicinæ ad titulum isti præfixum articulo, cuius est probare, animam amore flagrantem, iniurias in charismata commutare. Vt fiam voti compos, hoc suppono; scilicet amorem in moralibus illud idem esse quod calor in physicis, iuxta Scripturæ sacræ phrasim, vbi status animæ innuitur typo frigoris, & caloris; Deo ipso vsurpante modum hunc exprimendi hominis ingenium. Sic Ioannes Deum inducit, hominem desidem increpantem: *Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus; incipiam te euomere ex ore meo.* Huius caloris animæ vis est, vt si validus sit, decoquat omnem bilem, quam ingessit rabies æmulorum; ita enim amor attemperat iniuriarum sensum, vt omnia etiam amara dulcescant ei, qui amore flagrat. Et vt bilis abiens in pituitam quandoque gerit vices alimenti; ita plerumque conuiciis anima saginatur: maximè quando potens amor suo dulcore condit iniurias, iis vtens vt mediis congruis ad salutem. Ait Hippocrates, esse alba quæ egeruntur, quando bilis efferata abiit in pituitam; & Medici ex ea albedine sanitatem reducem augurantur. Vbi anima amore percita, dulcorem affinxit, iniuriis, quæ bilem exasperant, nihil omnino egerit ore, & factis, quin sit innoxium, & referens albedinem animæ, quam decoxit, amor. Ait Duretus albicare partes vnde effluit albicans ille humor. Ὁμοιά ἐστιν ἡ ἀπόῤῥοια, τῷ ὑποκειμένῳ οὐσίᾳ: id est. *Effluentia similis est subiectæ substantiæ vnde manat.* Ita & intima animæ præcordia, si amore calent, eius obsequio concipiunt albedinem gratiæ candicantis, & hunc suum candorem affingunt illis omnibus actibus, qui erumpentes foras ab anima deriuantur.

Apocal. 3.

Amor inimicorum maximè est proficuus amanti inimicos.

Duretus vbi supra.

Amore inimicorum probatur animæ candor.

Ex præfatis arguere est, animam, quæ suum amorem prodit actibus innoxiis, vt sunt beneficia collata inimicis, esse maximè Deo gratam, vtpote gratiâ insigni conspicuam, cùm iniuriarum acerbitas ei nullum adiecerit bilis incrementum, sed potiùs illum animæ calorem accenderit, quo æstuante amara omnia dulcore mystico condiuntur. Ne autem inimicorum iniquitas remoretur fluxum gratiarum, quibus amor veluti fœtus distenditur, recolenda sunt ea, quæ prælibaui supra; scilicet non amari in inimico illud quo deuiat sed id, quo coire potest in eumdem rerum omnium finem, Deum optimum maximum, iuxta illud Augustini effatum. *In ipso vno qui malus est, & proximum habes, & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est: quod malus est, non solùm tuus, sed suus est etiam inimicus: dilige ergo in eo carnem & animam, hoc est proximum tuum, quem Deus fecit, & odio habe malitiam, quam ipse consentiente diabolus intromisit. Quod cum sanctò & pio animo feceris, vices cœlestis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum.*

Amor ex Augustino quid debeat attendere in inimicis.

Augustin. serm. 169. de tempore.

SENSVS MORALIS

Vt Deus iugi gratiarum influxu suos etiam inimicos deuincit; ita & homines beneficos se præstare debent in osores suos.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos.

ARTICVLVS V.

Ex Mathematica, Et Sanctis Patribvs.

IN rebus præcipuis, quæ singulares fecere insulas fortunatas, historia commemorat speculum prægrande in aperto positum, cui res deforis extantes, etiam procul positæ, suas sinceras & genuinas species ingerebant. Deus adhuc rerum omnium indolem magis genuinè refert; quippe cum nihil latere potest eorum, quæ à cunctis entibus exeruntur. Quodque accedit ad naturam speculi, Deus aliquali modo se componit erga homines, vt eos viderit accinctos ad inuicem. Hinc est illud eiusdem Dei durum eloquium: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Sed quod superat ingenium speculi, Deus cum se præstitit erga homines etiam inimicos suos, quales vult homines se gerere ad inuicem. Nempe nullas indicit ferias influxui gratiarum, quæ iugiter manant, à quibus non secernit iniquos, eos sollicitans motibus internis ad meliorem frugem: hoc specimine amoris edito in impios, prouocat amorem nostrum, vt se componat in hunc modum, à Deo exhibitum, & nobis ab eodem ipso Domino præstitutum. Rei summa hac conclusione concluditur præfixa titulo huius articuli: Vt Deus iugi gratiarum influxu suos etiam inimicos deuincit; ita & homines beneficos se præstare debent in osores suos, ne degeneres deuient ab exemplo Dei, si alio se modo habeant ad inimicos suos, quam Deus se habeat ad impios, quibus assiduè suorum bonorum latices impertitur.

Deus est speculum, & quare.

Iac. 2.

Homo pro modulo assecutus intentum Dei, benefaciendo inimico suo, refert illam figuram Mathematicam, quam parallelogrammum vocant. Est figura hæc quadrata huius generis, vt si duæ lineæ à dextra in læuam extensæ æquales, habeant vtrimque sua extrema clausa à duabus lineis perpẽdiculis, necesse sit has lineas esse æquales & parallelas, quia nectunt duas alias lineas æquales, & parallelas. Ecce propositionem Euclidis. *Æquas, & parallelas ad easdem partes, rectæ lineæ coniungentes, & ipsæ æquales, & parallelæ sunt.* Dixi alibi, duos homines esse veluti duas lineas parallelas, quia æquali modo se habent ad Deum, qui est veluti linea protensa inter vtramque lineam, iuxta illam Euclidis propositionem: *Lineæ eidem rectæ lineæ parallelæ, & ad inuicem sunt parallelæ.* Vt ergo ex duabus his lineis parallelis, id est, ex duobus hominibus, etiam inimicis, parallelogrammum seu quadratum fiat, operæpretium est ducere alias duas lineas, quæ hinc & inde extrema claudant, & proinde sint æquales ad inuicem, & parallelæ, Deus vnam ex his duabus lineis ducit, eam videlicet quæ à dextris est,

Ex M A- THEMATI- CA.

Euclid. lib. 1. de elem. geometricis propos. 33.

Lib. 1. propos. 30.

est, iungendo sibi hos homines indefesso gratiarum fluxu, qui arctè Deo deuincit homines. Iam alterius lineæ ductus, socians lineas ad sinistram partem, pertinet ad homines, qui ad inuicem necti debent mutuis beneficiis, nulla omnino simultate remorante gratias alternas, quas singuli quique debent suis etiam æmulis exhibere. Si hoc mutuum gratiarum pensum sibi reddunt homines, compositi ad exemplum Dei, qui etiam suos inimicos beneficiis prouocat ad amorem; profectò beneficia vtrimque nectent homines, & illæ lineæ nectentes alias erunt æquales, & parallelæ, quia eadem nomina sortientur, nacta etiam eosdem effectus. Nam sicuti Deus inclinat homines ad amorem suum, eos pelliciendo donis; ita & homo suos osores debet inflectere ad affectum, illis gratias congruas erogando.

Homo ad exemplum Dei debet suos prouocare inimicos beneficiis ad amorem.

Rom. 12.

Eò spectat consilium superiori articulo memoratum, quo Paulus ait congeri carbones super caput inimici, quando eum dignamur bonis, quæ ad manum sunt. Ad hoc argumentum spectat illa meditatio Augustini suadentis, vt nos tales exhibeamus inimicis nostris, qualem se Deus erga nos præstat. Ait ille, nos Dei debitores esse, & Deum amore nostri peritum relaxare piè æs omne, quo grauamur; eoque nos exemplo obstringi ad easdem vices rependendas aliis inimicis, quos debitores conscripsimus in rationibus nostris. Nos experti Deum propitium erga suos debitores, debemus & gratiam hanc rependere debitori, benè faciendo ei, quem inimicum & iniurium tulimus hactenus, alioquin non erimus quadrati homines & constantes, vtpote quos deficit illa linea nectens duo extrema, quæ ad sinistram sunt. Duo extrema ad læuam, sunt duo homines inimici, quos mutua odia posuerunt ad sinistram; impensa beneficia sociant hos animos antea dissitos, fitque hoc gratiarum nexu, vt in vnum coalescant quadratum animi antea penitus alieni. Illa praxis nos componit in similitudinem Dei, cuius proprium est misereri semper & parcere. Et profectò valde gloriosum est homini, habere vnde queat, benefaciendo suis osoribus, beneficam Dei indolem æmulari.

Amor inimicorũ procurat animæ gratias insignes.

Ex Patribus. August. in Psalm. 14.

Audiendus in eo argumento Augustinus, suggerens illam similitudinem Dei debita relaxantis. Sic ille: *De nulla re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus. Omnia delentur mala, cùm ex vero corde, & plena fiducia dicimus illi qui videt: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; aut noli dimittere, si non dimittimus. Vis vt dimittam, dimitte. Aliquid contra te teneo, aliquid & tu contra alterum tenes; dimitte, & dimitto. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hæc est mensura; ignosce, & ignosco. Est apud te mensura veniæ dandæ, inuenies apud te mensuram veniæ accipiendæ.* Profectò benè quadrat iste Augustini textus animaduersioni factæ ex Mathematica, vnde venatus sum commemoratum supra discursum de parallelogrammo, seu quadrato, vbi linea vna recta claudens & nectens ex vna parte duas lineas, est veluti mensura alterius lineæ, quæ sociare debet alia extrema linearum. Ita Augustinus ait, illam misericordiam nobis à Deo impertitam, esse nobis veluti mensuram gratiæ, quam debemus aliis impertiri. Et secus illam veniam, quam damus inimico, esse veluti formam eius, quam nobis Dominus erogabit. Hoc idem suggerit ille alibi, ita fatus: *Omnis homo debitor est Dei, & debitorem habet fratrem suum. Quis est, quis non habeat debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccauit? Putasne quisquam in genere humano reperiri potest, qui non & ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, habens tamen & ipse debitorem. Ideo Deus iustus constituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet ipse cum suo. Donantes, ait Apostolus, vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donauit vobis.* Hæc itaque norma est deuinciendi Deum, vt scilicet immemores iniuriæ acceptæ, gratiis nostros æmulos obstringamus. Ad hanc etiam amussim reuocari potest illud Pauli effatum: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Pax namque multa manet eos, qui largo gratiarum imbre desudantes, prudenter omnes discordiæ & rixarum surculos exciderunt.

Idem homil. 15. de verbis Domini in c.18. Matth.

Galat. 6.

SENSVS MORALIS.

Amoris est suspecta fides, quam gratiæ impensæ indubia non adstruunt argumenta.

In hæc verba.

Benefacite his qui oderunt vos.

ARTICVLVS VI.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm.

Arteriarum scaturigo ebulliens in corde, perpetuis æstibus agit hoc nobile viscus semper inquies, quia arteriarum motus nullas patitur inducias, nisi morte quantocyùs imminente. Hæ autem arteriæ emergentes à corde, permeant totum corpus distinctæ in ramos, qui & ipsi suas propagines habent, vnde & alij plures surculi procreantur. In ea sobole arteriarum, medici recensent præcipuè illas, quæ discurrunt toto brachiorum tractu, suosque tonos edunt in eo brachiorum flexu, quem subeunt manus. Idcirco in more positum est apprehendere manum, quando est de cordis motibus augurandum. Nimirum cordis & manuum motus, iisdem ferè momentis acti, ad eamdem trutinam appenduntur. Illa cordis & manuum connexio, & communio motionum, non in physicis solùm, sed & in moralibus etiam locum habet: quippe volens aliquis explorare indolem, seu affectum alterius hominis, manum eius palpat, id est, opera contemplatur. Alto scrutinio expendit actiones eius, spirent amorem necne: inde enim maximè de amore ancipiti congruum iudicium possumus aucupari.

Arteriarum motus inquies.

Exordium congruum pro concione de modo cognoscendi amorem.

Hinc effluxere ritus varij plurium nationum, ad conciliandas amicitias: nulli namque Genti fuit satis audire se amari, nisi & probaret amorem hunc assertum congruis argumentis. Primi occurrunt Hebræi, coniicientes amorem esse sincerum ex manu apprehensa, aut mutuis amplexibus, & osculis. Ita Iehu suspectam habens fidem Ionadab, petiit ab eo manum in tesseram affectus indubij. Ecce textum. *Inuenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut*

Ex Antiqvitate plvrivm nationvm.

Amoris probatio, qualis fuit apud Hebræos.

sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille leuauit eum ad se in currum. Christus alludens ad hunc Hebræorum morem, non dixit tantùm oportere circumferre correctum in gratiam inimicorum, eos diligendo; sed adiecit manus, insinuans esse benefaciendum his qui oderunt nos, ne amor manibus truncus sit deformis. Rex Iehu accepta manu Ionadab, quam is vltro porrexerat, eum traxit ad se dignatum eodem curru, quo prima suæ inaugurationis die vehebatur. Ita & qui auscultant Christo, benefacientes suis inimicis, morem sic gerentes præcepto de extensione manus, profectò ad gloriæ currum triumphalem cohæredes Christi postmodum euehentur.

4. Reg. 10.

2. Reg. 20.

Hebræis etiam inolitum fuit adhibere osculum, vt coirent manus & os ad amoris specimina propaganda. Idcirco Ioab nectens insidias Amasæ, vt ei omnem suspicionis ansam adimeret, finxit se velle ei osculum infigere. Et Iudas hac osculi tessera Christum tradens audiit à Christo hanc censuram. *Osculo filium hominis tradis.* Id est. O Iuda, assumpsisti amoris symbolum, scilicet osculum, vt supremi odij facinus exantlares. Hoc oris obsequium voluit etiã Christus exhiberi inimicis, fundẽdo preces Deo in gratiã illorum. Itaq; Dominus ille amantissimus, vt se idoneum probaret amoris assertorem, tria adhibuit; cor scilicet ad amandum, manus ad benefaciendum, & os ad orandum, vt hisce tribus testibus staret amor ille inimicorum, quem is sacer Amasius adstruebat. Iungere dextras fuit familiare signum Romanis, volentibus conciliare amorem, iuxta Virgilianum illud.

----*Coeant in fœdera dextræ.*

Luc. 22.

Amoris probatio quæ apud Romanos, Campanosque.

Virgilius l. 11. Æneid.

Ex Liuio, Campani iungebant quidem dextras; sed eo etiam ritu adiecto, vt inde simul sacris epulis assiderent. Hoc ille probat exemplo Calauij hominis Campani, ita suum filium alloquentis: *Pauca hora sunt, intra quas iurantes per quicquid Deorum est, dextras dextra iungentes fidem obstrinximus, vt sacratis de mensis essemus.* Inualuit & ille mos apud Christianos, vt graues simultates compositæ, homines adducant ad sacram Eucharistiæ mensam: ita Henricus III. Gallus conciliauit sibi fratres Guysianos Principes admotos eidem sacræ mensæ. Eò etiam spectauit Christus hoc præcepto: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens afferes munus tuum.* Ætoli, etsi immanes, iungebant dextras ad altare, arbitrati summum esse piaculum, hunc postea temerare ritum, quem seruauere, fœdus ineundo cum Romanis, vt auctor est Liuius. Parthi etiam, esto feroces extiterint, omnes inimicitias extinxerunt in crepidine altaris, iunctis inibi dextris in tesseram amoris, morem illum Cornelio Tacito recensente.

Liuius 3. Decad. l. 3.

Non est accedendum ad Euchari stiam animo acerbo.

Matth. 5.

Amoris probatio quæ apud Ætolos.

Liuius 4. Decad. l. 8.

Corn. Tacitus l. 2 & 12.

O in quæ tempora acerba incidimus! ô Christianorum hominum genus ferox, durius etiam populis, quos prisca ætas saxeos arbitrata, addùxit in exemplum sæuitiæ immanis! Parthi ad aras deponunt omnia semina rixarum, ante vacuas numinum sedes; & Christiani adstantes altaribus, vbi fide eruditi credunt se Deo sisti, circumferunt odia, & felle lethali pectora delibuta. O scelus! ô Gentem hypocritam, peiorem Hircanis, cum tigribus enutritis! Tacitus ait, hos Hircanos, quos sæuitia diffamauit orbe toto, iungendo dextras omne suum virus euomere. Et tamen homines conscij Christianæ disciplinæ, nullis argumentis adduci possunt, vt cum inimico suo fœdus percutiant, ira Dei sic & hominum iugiter aspernantes. Videlicet nihili facientes sacras Angelorum epulas, id est, mensam sacram, vbi esca proposita melle amoris condita est, cui suæ bilis affricant amarorem. Mitiores sanè animos versarunt in barbaro pectore Thraces, & Ægyptij, quos Xenophon, & Alexander vina libando ferunt omnes tergere simultates. Quamuis hodie repetantur libamina sanguinis Christi, seu vini consecrati, rarus tamen est amor redux inter homines Christianos, nomine tantum tenus. Possidonius & Athenæus, aiunt Carmannis epulas fuisse terminos odiorum. De Persis idem asserit Alexander, adiiciens, eos epulis institutis, ad fœdera ferienda adhibuisse vxores, liberos, & charos omnes, veluti pignora amoris, quem illæ epulæ procurabant. Macedones ex Curtio subodorati in pane typum concordiæ, specimen edituri amoris præcipui panem gladio diuidebant. Ritum illum Curtius adstruit exemplo Alexandri Magni, quem ille sic meminit: *Rex medio cupiditatis ardore iussit afferri patrio more panem, hoc erat apud Macedones sanctissimum coeuntiũ pignus, quem diuisum gladio vterque libabat.* Hæc ille.

Amoris probatio qualis apud Parthos Hyrcanosque.

Idem lib. 11.

Christiani plerique grauiores inimicitias exercent quã barbari.

Xenophon l. Ascensus 7. Alexand. l. 5 genial. dier. cap. 3. Possidonius, & Athenæus l. 2. c. 2.

Alexand. vbi supra. Q. Curtius lib. 8.

Amoris probatio quæ apud Aegyptios, Thraces, Persas, & Macedones.

Specie panis infertur altaribus, Christi corpus, vt vel inde amor insonet; nam panis ex multiplici grano coëunte prodit. Irrita ferè est hæc Christi industria sollicitans nos ad communem concordiam: nam plerique in suam perniciem edunt panem illum concordiæ, quo vnitas Ecclesiæ lineatur, vt liquet hoc Canone. *Quia passus est Dominus pro nobis, commendauit nobis in isto Sacramento corpus, & sanguinem suum: quod etiam fecit, & nos ipsos. Nam & nos ipsum corpus facti sumus, & per misericordiam eius, quod accipimus nos sumus. Recordamini & vos; non fuistis, & creati estis: ad aream Dominicam comportati estis laboribus boum, id est annuntiantium Euangelium, triturati estis: quando catechumeni differebamini, in horreo seruabamini, nomina dedistis, cœpistis moli ieiuniis, & exorcismis: postea ad aquam venistis, & conspersi estis, & panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo videtis esse vnum quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos, &c. Heretici, quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt diuisionem, cùm iste panis indicet vnitatem: sic & vinum in multis racemis fuit, & modò vnũ est, vnum est in suauitate calicis, post pressuram torcularis. Et vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem & contritionem cordis iam in nomine Christi, tanquam ad calicem Domini venistis: & ibi vos estis in mensa, & ibi vos estis in calice, nobiscũ vos estis. Simul enim hoc, sumimus, simul bibimus quia simul viuimus. Ita Dominus Iesus Christus nos significauit, vos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit.*

Canone Quia passus De consecr. Distinct. 2.

Panis apud Macedones propositus in signum amoris.

Panis & symbolum vnitatis.

O latum spatiandi campum, & inuehendi in homines accedentes ad sacram Eucharistiam mensam anhelantes in cædes! Barbaris olim religio fuit non dissoluere odia, si quando inimici eisdem epulis assiderent. Et nos tamen eodem Christi epulo pasti excandescimus odiis in fratres nostros, incurij concordiæ sacro Christi corpore lineatæ.

Inimicitiæ omnes deponendæ ante communionem.

Eodem Canone §. Ita Dominus.

Pacis ineundæ ritus solennis apud Romanos.

Liuius 1. Decad. l. 9. Plin. l. 22. c. 2. Festus Pomp. l. 6. Virg. lib. 8. Æneid.

Ad malè conscios pertinet hæc censura, in calce eiusdem Canonis apposita. *Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.* Placet & illud vetus institutum inolitum in solenni fœdere decernendo, cuius meminere Liuius, Plinius, Festus Pompeius, & Virgilius. Fecialis manu sceptrum tenens & verbena coronatus, accepto silice ex templo Iouis Feretrij, porcam hoc saxo validè feriebat, vt Virgilius fatur.

—— Et casâ iungebant fœdera porcâ.

Pulcher antiquorum ritus explicatus moraliter.

Fecialis impingens saxum in caput porcæ, edita voce orabat Iouem, vt si quis sciens falleret, vel fœdera violaret, ita feriretur, & occumberet vt illa porca, quæ subinde occisa fiebat sacra, & id matutino tempore, vt aduertit Plinius. Fecialis quo ministro fœdera inibant, erat corona redimitus, & sceptro instructus, quia reuera regium est fœdera sancire, & conciliare animos antea à se inuicem alienos: quare autem acceperint è templo Iouis lapidem illum, quem maximo nisu capiti bestiæ illidebant, summum est apud auctores silentium; si fluxisset ille ritus ex Codice sacro, decernente sumi ex templo Dei lapidem idoneum ad mactandam suem, explicarem ego saxum illud de singulari gratia Dei; necessaria equidem ad demendum omnem bestialem sensum, qui insurgit ex concepta iniuria, cuius memoria non excidit animo, nisi gratia efficax influat in animam, quæ ideo Deum debet consulere, fœdus cum æmulis initura. Rursus adiicerem, fecialem illum congruè coronari, & sceptro accingi; quia profectò res est imperio digna, deponere odia, & cum inimicis fœdera procurare. Nota ex Liuio & Polybio, feciales, qui erant homines conducti ex officio suo ad componendas omnes discordias, præeunte Senatus consulto, & iussione populi accedente cum mandato Prætoris, fœdera sanxisse. Suppetunt & nobis multa edicta Dei, & Ecclesiæ de relaxandis iniuriis, & ineunda pace cum inimicis nostris; rem hanc esse luculentam, ipso etiam sacro Codice prædicante. Hanc fuisse orationem fecialis, ait Liuius. *Si prior deflexit publico consilio, dolo malo; tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam.* Tantæ religionis fuit illud votum, vt partes discordes antea, & nunc in amicitiæ iura coëuntes, non sponsores dederint aut obsides fœderis assertores. Arbitrati sunt namque populi, Deum interpellatum vindicem violatæ amicitiæ, præstare cautelis omnibus adhibitis ad fœdera conseruanda. Sic Liuius: *Quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, vbi precatione res transigitur.*

Inimicitiarũ relaxatio, quo ritu facienda.

Liuius 3. Decad. lib. 10. Polyb. l. 3. Liuius 1. Decad. l. 1.

Inimicitias renouanti olim est imprecatum.

Idem 1. Decad. l. 9.

Iniuriarum relaxatio olim fuit religionis ritus.

Simili & nos voto obstringimur, ad tuendam sartam tectamque pacem cum inimicis: siquidem illi imprecatione orabant fieri Deum vindicem iniuriæ illatæ, vt noxa reflueret in caput hominis iniurij; ita & nos vernacula oratione petimus à Deo, easdem nobis rependi vices, quas aliis exhibemus. Ecce votum vltionis diuinæ imminentis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nonnunquam fuit additus & agnus in sacrificio, vt sanctius esset fœdus, sic Maro.

Matth. 6.

Virg. l. 12.

—— Puraque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit——

Mactare porcum, hoc est omnem deponere sensũ iræ. Nam vt grunniẽs porcus rostro repando, & dente minaci fertur in lædentes. Ita & animus ferox, quem concepta iniuria exasperat, rationis immemor, obmurmurans ore fœto conuiciis, nihil nisi vindictam spirat, cuius propositum ille abdicat, qui pura induitur veste, ritu Christiano factus particeps gratiæ Dei, adhibito sacerdote à confessionibus, & agni sancti corpore delibato. Et hoc sanè reor esse salutare consilium omnibus quos lacessit pruritus iniuriæ citiùs vlciscendæ; scilicet vt consulant sacerdotem, facta confessione ingenua, & sumpta opima carne agni, quo lautè & opiparè anima saginatur. Quis enim non mitescat consuetudine agni? Si quando elephas ira flagrans, in agnum incidit obuium, bestia illa immanis illico feros exuit animos, venerata mitem indolem agni. Ita & qui in Eucharistia recolit mansuetudinem Christi, ille profectò nescius iniuriæ non eam vlciscetur.

Agnus adhibitus olim in sacris quæ fiebant ad reconciliandas inimicitias.

Eucharistia adhibenda vt fœdera sanciantur.

Græci & Phryges duobus agnis adhibitis ad sacrum, omnium iniuriarum memoriam deposuerunt inito fœdere, vt auctor est Homerus, dicens mactatos fuisse agnos in honorem terræ, & Solis. Sic ille:

Homer. l. 3. Iliades.

Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν ἑτέρην δὲ μέλαιναν
Γῇ τε, καὶ ἠελίῳ

Afferte autem agnos, alterum album, alterum autem nigrum
Terræque, & Soli.

Amoris probatio qualis apud Græcos, & Phryges.

Profectò iræ aliàs indulgentes, & terram, & Solem offendimus; vtrique litandum: nec sufficit amorem Dei profiteri, nisi & adiiciamus amorem proximi, acceptas ab eo iniurias propitio animo condonantes. Non possum non inuehi in animos iniurios nomini Christiano, vbi agitur de reduce amicitia. Cunctantur omnes reuocare animos, quos veluti extorres & alienos fecere conuicia, quòd si aliquo præualente superiore conuenitur, omnia frigent quæ ad amorem spectant, & ementita specie reducis amicitiæ, ira calet, vigente memoria noxæ, quæ manet alta mente reposta. Non fuere Gentiles potioris conditionis, quàm nos; & tamen vbi res fuit de diluendis grauioribus inimicitiis, Gentes illæ infideles nesciæ Christi, omnia perfecere congrua ad animos ingenuo fœdere sociandos. In eo genere celebris est ille ritus obseruatus in fœdere inito inter Reges Agamemnonem & Menelaum filios Atrei, & Troianos. Lauerunt manus, & vina propinarunt ad inuicem; & Agamemnon, quem Homerus illic Atridem vocat ab Atreo Patre, exerto gladio pilos è capite agnorum leuiter exscidit. Audiendus Homerus.

Iniuriarum obliuio est difficilior apud Christianos, quã apud Barbaros.

Idem vbi suprà.

—— κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν
Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας.

——Cratere autem vinum
Miscuerũt, & Regibus aquã manibus fuderũt;
Atrides autem trahens manibus gladium,
Qui apud ensis magnã vaginã sẽper pẽdebat,
Agnorum ex capitibus incidit pilos.

Amoris mutui qualia argumenta dederint Agamemnõ, & Menelaus.

Vina propinata sonant conuiuendum esse, & reuocandos animos peregrinos: Nam, vt ait Aristoteles, silentium soluit amicitias. Aqua fusa manibus abluendis, clamat in posterum fore actiones innoxias, nec quenquam commissurum in æmulum suum aliquid, vnde apud alios possit criminis insimulari. Districti gladij vsus ad tondendum caput agni, insinuat gladium post hac esse exerendum tantùm bono fine: pili enim capitis

Amoris stabiliendi ritus olim solennis.

capitis intentionem significant. Vnde pilos gladio demetere, perinde est, ac bello bonam intentionem affingere. Et quia Christus sortitus est nomen agni, tondere caput agni, & seorsim reponere pilos eius, est versare animo easdem cogitationes, quas circumferebat agnus ille inter gladios & flagella positus, vbi amore singulari percitus orauit pro suis homicidis, proprio sanguine litans eorum saluti, cùm ipsi suæ salutis incurij, morte afficerent ingloria Saluatorem.

Pilos gladio demetere, quid sit.

Longè absumus ab ea charitate Christi, sanguine desudantis in gratiam hominum ipsi iniquorum; imò & amor noster cedit barbaris etiam Gentibus, quæ in argumentum reducis gratiæ, non deponebant odia tantùm, sed & amorem suum misso sanguine testabantur. Scythæ, alioquin crudeles, & in hominum perniciem nati, eo ritu præfato iungebant dextras: Solinus enim, Tertullianus, & Pomponius Mela, hoc eorum memorant institutum. Aiunt, eos vinum mutuo sanguine diluere, & in tesseram affectus reciproci cruentum hoc poculum epotare. Ex Herodoto Medis & Lydis hoc erat familiare institutum, vt dissectis gladio brachiis, alter alterius sanguinem exugeret: fortè eo ritu insinuabant, se paratos etiam vita cedere potiùs quàm inita fœdera temerare. Carmani, vt auctor est Athenæus, non pepercere faciei suæ, sed eâ incisâ, calice excipiebât effluentem sanguinem, arbitrati esse supremum amicitiæ argumentû, mutuum sanguinem ebibisse. Arabes homines impexi & inculti, liberali quoque effluxu sanguinis, alternis tingunt vestes vtriusque inimici, in fœdera coëuntis, vt recenset Herodotus. Illa cruoris nota aspersa vestibus, est velut index animi testati amorem suum, vsque ad effluxum sanguinis eliquati, cuius aspectu calet amor eius, qui recolit in gratiam sui fuisse factam illam sanguinis asperginem. De Armenis, & Iberis, Cornelius Tacitus hæc meminit. *Mos est regibus quoties in societatem coëunt, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere. Mox vt sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus habetur, quasi mutuo cruore sacratum.* Hæc ille, vocans arcanum, illam emissionem sanguinis è pollice dextro, strictè ligato, & annexo pollici eius, cum quo sancitur fœdus. Hunc reor esse fidem arcani, vt pollices dextri mutuo implexi, & arcto ligamine vincti, sociatos fœdere animos significent commune habituros in posterum illud omne, quo maximè pollent, & possunt; ita vt ne parcant proprio sanguini, cùm res feret, vt confœderatis adsint, quos sibi emisso sanguine sociarunt.

Amoris probatio, quæ apud Scythas.

Solin. c. 25. Tertull. in apologet. c. 9. Pomponius Mela l. 2. c. 1. Herodot. l. 1.

Athenæus lib. 2. cap. 2.

Herodot. l. 3. Amoris probatio quæ Medis, Lydis Carmanis.

Tacit. lib. 12.

Amoris probatio quæ apud Arabes, Armenos, & Iber. Pollices iungere, quid significarit antiquitus.

O quàm denij homines Christiani, & procul ab amore Gentilium, quibus res vernacula fuit adhibere mutuum sanguinem, in fidem animæ reciprocantis affectum hominis alterius. Adeò charitas obriguit, vt sit res operosa sociare animos dissitos iniuriis. Tantum abest vt fideles æmulentur ingenium illud, in amicitiam reducem pronum, quin potiùs multos in proximorum cædes nouimus anhelare. Idcirco caue, ô præco verbi Dei, ne auditores tuos obstringas ad rigidæ illius disciplinæ institutum, dicens eos obligari ad fundendum sanguinem pro inimicis suis; illa enim eruditio auersos faceret animos, tardos aliunde ad iungendas dextras etiam cute tenus. Sufficiat insinuare doctrinam Sancti Thomæ, ex quo supra recensui, omnes citra exceptionē debere concludi amore nostro, nec operæ pretium esse, singulares edere actus amoris erga inimicos nostros, nisi ad hoc aliqua necessitas vrgens inimicum, nos illico prouocaret. Itaque vt se prædicator aptet imperfectæ hominum indoli, poterit quidem recolere varia hæc Gentium instituta in restaurandis amicitiis, vsurpato sanguine indice affectus reciproci, vt hoc veluti cruore suffusi fideles homines erubescant, se non posse imitari, Christo duce & præmonstrante viam amoris indicia, quæ barbaræ Gentes Christi nesciæ præstiterunt.

Barbaræ Gētes olim iniuriarū obliuionem testatæ sunt effusione sanguinis.

Amoris redintegrati probatio qualis apud Lacedæmones.

Erunt igitur assumendi ritus magis idonei repentibus hominum animis, quos optamus stricto amoris mutui vinculo deuincire. In his placent Lacedæmones, quorum Dux Clearchus barbaros sibi animos conciliauit, tauro, lupo, & apro, Ioui immolatis, hoc ritu, vt barbari sua spicula tingerent sanguine victimarum; Græci verò suos gladios eodem cruore inficerent, sicque res pro voto cessit, vt vtrimque rubentibus armis sanguine hostiarum, coierint omnes, acerbo omnia odia deponentes, vt Xenophon commemorat immolare taurum, lupum, & aprum, perinde est, ac domare superbiam, odium, & iram, tres pessimos animæ consultores, quibus dum homo auscultat, fertur in abruptum impos sui, in obuia quæque capita sæuiendo. Rursus tingere arma sua sanguine hostiæ, perinde est, ac recolere mortem Christi, & sanguine illius aspergere omnes iniuriarum sensus, qui sunt velut arma, quibus accingimur in osores. Sunt qui affirment, candentes gladios sanguine humano conspersos protinus emolliri. Hunc sortitur effectum sanguis Christi: quisquis enim recolit Christum suo sanguine perfusum orantem pro inimicis suis, statim excidit omni sensu vltionis, aduertens, Christi Domini amore decocti sanguinem ebullire. Et profectò apud me tantùm valet illa sanguinis Christi commemoratio, vt illius obsequio omnia iniuriarum acumina retundantur.

Xenophon lib. 2. de expeditione Cyri minoris.

Arma tingere sanguine hostiæ, quid significarit.

Iniuriarum memoriam detergit meditatio sanguinis Christi effusi pro suis inimicis.

Penes nos etiam est inducere morem Indorum, quibus eâdem potari aquâ ritus est valde accōmoditus ad excitandos affectus antea consopitos. Philostratus ait, aquam illam peti de fonte Tantali. Omnibus prostat in eo argumento vena salutaris aquæ, ad cuius haustum nos hortatur Isaias, præscius hos aliquando latices effundendos. Sic ille: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Fons ille omnibus apertus est gratiâ Dei, quam quisquis consulit, ille huius roris obsequio restinguit omnia odia, quantumuis acerba hactenus æstuarint. Nempe fieri nequit, duos homines ad inuicem exercere simultates, & allui eodem fonte Dei. Idcirco salutare remedium est contra odia altis insita præcordiis, ea frequentare sacra, quibus gratia Dei influit in animas, vt eius beneficio sopitus amor illico suscitetur. Vt sit ille perennis amor quem ingessit gratia Dei restaurans præteritā affectuum dispendia, proderit etiam Persarum ritibus adhærere. Hi specimen edituri redintegratæ amicitiæ, commutant arma cum suis inimicis, quasi denotantes illa arma prius opposita, iam coire in vtriusque Gentis commodum, vt meminit Xenophon. Christus aliquid simile sanxit instituendo preces mutuas: *Orate pro persequentibus vos.* Orationes sunt iacula semper ad manum: hæc spicula cum inimico communicat, quisquis eum dignatur oratione fusa in

Philostratus lib. 3. vita Apollonij c. 10.

Isai. 12.

Amoris probatio, quæ apud Indos. Gratia Dei est fons extinguēs odia.

Xenophon l. 4. de Cyri minoris expeditione. Amoris probatio, quæ apud Persas.

in gratiam eius, vt vnicuique fuit à Christo Domino præstitutum.

Liuius 3. Decad. l. 6. Cicer. oratione pro Cornel. Balbo. Polyb. l. 3. Dionys. Halicarn. l. 4. Fest. Pompei lib. 3. Ioseph. l. 19. Antiq. c. 4. Pausanias lib. 5. Plutarch. lib. problem. cap. 118. Polyb. l. 5.

Inimicitiis compositis publicè erigebantur pacis monumenta à Romanis, & Græcis.

Demum vt perennaret amor redux, & rescinderentur omnes surculi simultatum, monumenta fœderis initi publicè ponebantur. Liuius ait, Romæ fuisse reposita in Capitolio, & à Græcis Ætolis in Olympia. Cicero eo fine ait in foro post rostra erectam fuisse columnam æneam, vbi fœdera sculpebantur. Meminit & Polybius illum morem, sicut & Dionysius Halicarnasseus, referens Tullium Regem erexisse delubrum Dianæ sacrum in Auentino eminentissimo vrbis tumulo, illis ædibus Dianæ sacris addidit columnam æneam, vbi erant fœdera recensita. Festus Pompeius adiicit aliquando in clypeis scripta esse monumenta pacis. Pro rei dignitate in medio foro ære inciso prostabat celebris alicuius fœderis argumentum, vt fuit illud æs collocatum, in memoriam amicitiæ perennis Romanorum cum Agrippa Rege Iudæorum, vt auctor est Iosephus. Græci in fano Iouis Olympij erexere insigne monumentum, quo testati sunt reconciliatos animos Græciæ, quæ in varias scissa factiones deuenerat in summum discrimen, vt Pausanias memor est. Aliàs ex Thucydide Græci in ludis Olympicis suorum fœderum titulos erexerunt. Lacedæmonij facta cum Tegeatibus pace, & condonatis vtrimque iniuriis, communem apud Alpheum columnam statuerunt, in signum æternum amicitiæ restagrantis, vt Plutarchus ait. Huc etiam pertinet facinus industriam Arati, qui vt vidit vrbem Megalopolim deperire intestinis odiis, qua potuit cura concordes fecit animos, & ne semina pullularent odiorum, omnia restinxit. Capita verò conuentionis columnæ inscripsit, & aram Vestæ in Omario collocauit. Historiæ huius assertor est Polybius.

Luxuriâ diffluentes homines Deum grauiter offenderant. Noluit Deus eos abire impunes, ideo conduxit aquas vindices iniuriæ suæ, quam vltus est extinguendo ferè omne hominum genus, cuius reliquiæ in arca Noë reconditæ, ita demulsere Deum, vt in gratiam redierit cum homine, pollicitus se non amplius inuecturum vltrices aquas in perniciem hominum, quos vt securos efficeret, cœlo affixit fœderis initi celebre monumentum. Etenim diluuij aquis penè exhaustis, ita compellauit Noë, superstitum hominum caput: *Hoc est signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem.* Arcus ille, fœderis Dei argumentum, non obstitit, quin tota Pentapolis regio conflagrarit, Deo vlciscente flammis libidinem, quæ fœdo incendio animas, & corpora depascebat. Sed vt Dei bonitas otiosa non est, sed erumpit in gratias iugi influxu locupletante animas; Deus iniuriarum hominis immemor, rem maximè ingloriam, videlicet Crucem fecit signum fœderis inter cœlum & terram. Deus enim Crucis intuitu placatus est, & huic patibulo affixit æs omne, quo tenebamur in nominibus Dei. Hoc signo fœderis sui cum homine voluit Deus obstringere homines ad simile fœdus ad inuicem, vt memores veniæ acceptæ à Deo beneficio Crucis, similem etiam gratiam suis æmulis impertirent. Idcirco Crux vbique erigitur, in compitis, in plateis, in templis, in ædibus etiam profanis vt vbique prostet & occurrat hominibus illud singulare Dei gratiæ monumentum. Si quando igitur, ô homo lacessitę iniuriis, peteris ad vindictam, memorare Deum relaxantem tibi infinita propè piacula, & confestim immemor conuiciorum, aliena etiam debita condonabis, adiecto etiam beneficio, quo inimici tui gratiam illico demerebis.

Gen. 9.

Crux est monumentum fœderis Dei cum homine.

Crucis signũ quare vbique erigatur.

SENSVS MORALIS.

PARS ALTERA SECTIONIS.

Beneficia collata inimicis magno cum fœnore resiliunt in homines, illas gratias erogantes.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri.

ARTICVLVS VII.

Ex Variis Historiis.

Congruum exordium pro concione de beneficiis in inimicos erogandis.

INcultum pingue solum, tribulis & spinis tantùm idoneum, in hæc iniqua solùm germina luxuriat. Sed si manu industria repurgetur ager, etsi fortè manus incurrerit in spinas, vberes tamen fructus adfert, ita vt gratia collata infelici solo resiliat in cultorem, qui haud quaquam pertæsus aculeos spinarum, suam operam illi impendit agro, benè ominatus labori suo. Sic se res habet cum inimicis: etenim hi feraces agri, si inculti sint, nihil nisi sentes edunt; sed exculti, vt tellus opima virent, & vberem prouentum adferunt suis beneficis, magno cum fœnore gratiarum. Vtque honor non est in honorato, sed in honorante; ita & gratia concessa inimico resilit in caput eius, qui sua debita condonauit. Etesto homines ægrè admodum relaxent iniurias, arbitrati quantocyùs vlcisci, hoc inducias dare aliis conuiciis; tamen omnes suspiciunt & venerantur eos, qui in eo argumento condonatæ iniuriæ præclarum specimen ediderunt. Haudquaquam vulgares, & selectas referam historias adstruentes hoc effatum, & probantes animos immemores iniuriæ, magnum gratiæ pondus contrahere sibi apud Deum & homines.

Rebellio homines cogit ad facinora immania, quorum pòstea pœnitet.

Prior occurrit Andronicus iunior Imperator Græcus à quo cùm defecisset Constantinopolis Imperij caput. ille stipatus numeroso exercitu rebellem ciuitatem arcta obsidione cinxit. Sed vt rebellione nouercante ciues proterui fiunt, ciuitas illa procax, suis erudita malis minimè resipuit; imò furens ingloriè excepit Imperatorem suum, ei illudens scommate vario. Quodque fuit iniuriarum summa, Marcus quidam Caballarius triobolaris homo, toto spectante exercitu conscendit summi muri pinnas, vnde voce quanta potuit maxima atroces euomuit iniurias in Imperatorem suum, dira ei imprecatus, adiectis in colophonem tragœdiæ gestibus indecoris. Quàm altè perculerit intima Andronici præcordia series illa tota condita probris, facilè est coniicere, cùm

Marci Caballarij facinus impudens.

cùm vel gregarius miles æquo animo vix capere possit verbum tantisper asperum à Centurione suo prolatum. Hæc perduellium hominum dicacitas non fregit animum Andronici, qui nihilo segnior factus, adeò validè oppugnauit vrbem, vt muris apertis victor vrbem ingressus, clangente buccina triumpharit.

Rebus vtquaque compositis, diligentissimè conquisitus est Marcus ille Caballarius, & repertus delitescens in specu opaca. Nihil cunctati satellites, miserum illud caput rapuere in palatium, vbi Andronicus maiestate qua par erat insidebat regali solio, cui adstabant præcipui Dynastæ Imperij. Iussit sibi sisti hominem illum infelicem, & reum vsquequaque læsæ maiestatis. Impudentissimus ille hominum vrgetur vt subeat aulam, vbi in caput suum sciebat omnium ora personare. Vix dum attigerat nutante vestigio limen aulæ regiæ, cùm defecit eum animus. Tandem ex eo deliquio redux audiit ex throno Imperatoris has intonare voces: O Caballari congruum in te habes argumentum defectionis animi, cùm ipsa vita tua parum sibi constet, vtpote malè conscia, ob spretum Imperij decus à te adductum in summam iniuriam. Nihili duxisti in me absentem conuiciari, nisi per summam oris impudentiam, coràm adstares, & è pectinati muri pinnis eructans atroces iniurias, duriùs obiurgares. Expectare omnes capitis sententiam congruam facinori indigno misericordiæ, cùm maximè Imperator iniquo animo tulisset, se probris affici tota acie circumstante. Mansuetudo tamen præualuit, nacta in Principe argumenta veniæ, quæ deerant homini nequam, quem non dicteria tantùm & sales, sed obscœnæ iniuriæ euomitæ in Imperatorem, grauibus pœnis addixerant.

Andronici iunioris Imperatoris misericordia insignis in relaxanda iniuria.

Facinus heroicum.

Hæc itaque historiæ huius summa fuit: Imperator omni deposito supercilio, & ore in pietatem composito, sic affatus est illum hominem infelicem: O Caballari, est immane scelus tuum, vtpote petens caput Imperatoris tui; sed tamen ego grauiùs offendi Deum, Regem Regum, quo miserante reor esse diluta mea piacula, quorum si supersunt adhuc aliquæ fæces residuæ, has Deum oro mihi relaxari, sicut hodie condono tibi crimen in quod noxius incurristi. Inexpectata catastrophe hæc adeò placuit adstantibus, vt conclamarint omnes: Tibi, ô Imperator, reuera fas est iam nuncupare Deum patrem tuum, & ab eo confidentiùs expetere, vt expungat noxas tuas; quia nemine vrgente, & sola pietate suada, seruo nequam omnia debita condonasti. Reuera fuit Andronicus ille iniuriis clarior, quàm triumpho.

Historia Imperialis, in Andronico iuniore sub ann. 1320.

Non est prætereundus in hoc contextu historiarum Henricus ille Magnus, Christianissimus Rex Galliæ, cui totus orbis aliàs fuit obex ad auitum regnum occupandum. Præcipuè iniquiores expertus fuerat Parisienses, penes quos erat tunc rerum summa sub Duce Medunensi, ideoque Rege instante mœnibus vrbis infensæ, habuere ciues quod timerent, memores offensæ maiestatis. Tamen iniuriarum pondus non traxit Regem ad vindictam; imò ampliùs acuit misericordiam eius: quippe triumphanti similis introductus in vrbem, accinctus valida & cataphracta nobilium manu, omnium iniuriarum veniam consternatis ciuibus erogauit. Vtque fidei dubiæ omnem suspicionem adimeret, schedas sparsit vrbe tota, quibus erat inscripta veniæ certitudo, vt Parisienses è charta coniicerent, qualis esset erga eos animus Regis, qui hac tessera moderati animi arctè sibi deuinxit ciues, antea furentes armis, Principem auersantes. Sicque Rex ille, in quem armatum obsessi ciues sua tormenta bellica direxerant, factus ab amore inermis, suos armatos hostes captiuos fecit, diluendo metum omnium tormentorum. Fuit quidem vrbs saxea capta fragore armorum; sed amoris fuit captura animorũ. Paludatus Rex subiit vrbem, conclusus corona murorum; sed vbi venia condonata inermis apparuit, conclusit corde suo totam vrbem, & vicissim subiit omnium hominum corda, à singulis corona ciuica dignatus, fortior factus amore captus, quàm capiens armis: parum namque est corpora vincere communia cum bestiis, quæ etiam possunt atqueférociunt in hominum capita; sed ardui negotij est animum deuincire, quo maximè potest homo. Præstitit hoc Henricus: nempe immemor offensarum, & deponens omnem iniuriarum sensum, suorum æmulorum corda simul & corpora profligauit.

Henrici IV. Regis Christianissimi misericordia summa in remittendis iniuriis.

Hist. Gallica sub an. 1593.

Henrici IV. elegãs commendatio ob veniam concessam vrbi Parisiensiũ.

Eodem argumento amoris, ille idem testatam fecit fidem suam Cardinali Alexandro Mediceo, quem Clemens VIII. Legatum suum in Galliam direxerat, vt exploraret an Henricus rectè sentiret de fide, quam in eo esse fucatam, hostes Gallici nominis affirmabant. Occurrit Legato Henricus, accepto comite Duce Meduano, quem expertus fuerat hostem acerrimum, vtpote caput belli, cuius exitus anceps dubiam diu fecit sortem Regis. Admiratus Alexander in Henrico praxim illam, quam Christus indixit, suggerendo esse benefaciendum inimicis suis, hanc solam fidei eius tesseram credidit sufficere, ad rumores alios extinguendum. Duci Meduano se alij adiecerant olim iniqui Henrico, quos omnes æquo animo tulit, & suo regio comitatu dignatus est, ea professione amoris inimicorum, meliùs adstruendo fidem suam, quàm pluribus aliis argumentis. Hinc maximè Legatus coniecit sincerum animum Regis, cui Gallia quidem dederat titulum filij primogeniti Ecclesiæ; sed venia data inimicis, adiecerat eiusdem nominis incrementum.

Hist. Gall. in Henric. IV. sub an. 1596.

Alexander Medicæus Cardinalis admiratur Henrici IV. animum immemorem iniuriarum.

Proximè ad regem accedit magnanimus heros Franciscus à Guysia, cuius virtus ære perennior debeat ætati posteræ commendari. Obsidebat ille castrum ab hæreticis propugnatum. Sed vt ea hæreticorum gens infida Deo, est etiam omnibus infidelis, ac proinde composita in fraudes, & omnia teterrima facinora; perduelles homines obsessi emisere sicarium, qui clanculum occideret Principem posticò adorsum. Deo tamen pro arbitrio suo moderante momenta hominum, irrita fuere conamina nefarij hominis, qui coràm adductus, & rogatus ab heroë magno, quare hoc sibi pensum indixisset, vt ipsum occideret, hoc responsum dedit: Quia arbitratus sum, me facturum rem pergratam sectariis eiusdem farinæ mecum, quorum religioni maximè es infensus, vtpote nostrorum rituũ impugnator. Et hęc sola causa me accinxit ad facinus tantum, scilicet vt placerem religionis meę sodalibus. Ergone, ait Princeps, vestra religio profitetur homicidia Principum: sanè longè sanctior est Christi disciplina, quam sectatur Ecclesia Catholica: hæc nempe decernit odia deponi, & in tesseram amoris debita relaxari. Tu auso immani facinore probasti te hæresis noxiæ fœtum viperinum: Ego verò secus condonando scelus tuum, prodam me Christiani dogmatis assertorẽ. Itaque securus

Hist. Gallica sub Henri. III.

Francisci à Guysia actus magnanimus in iniuriis relaxãdis.

Hæresis Deo est, & suis etiam Principibus infidelis.

securus esto, & abi vias tuas. Dixit, & cauit ne quid illi facinoroso homini inferretur mali. Vir ille magnus condonans hosti facinus ingloriurn, adsciuit sibi gloriam immortalem. Noluit ille sicarium extinguere, vt sibi perenne decus accenderet, aliisque viam sterneret ad acerba odia compescenda.

Historia Gallica, sub an. 1394.

Vt faciles motus mens generosa capit; Galli strenui facilè in rixas proni, faciliore motu reduces fiunt, & deponunt odia, quibus ingentes etiam iniuriæ fomitem ministrarunt. Præter exempla recensita ex penu historiæ Gallicæ, accipe iterum rem præclaram, & dignam cedro. Clissonius militaris rei Gallicanæ Prætor; vulgus Connestabilem vocat. Hic inquam præpositus exercituum Galliæ, fraude occupatus à Regulo Britanniæ, qui graues cum eo simultates exercebat, morti ab eo adiudicatus est, & necis inferendæ cura fido Reguli domestico demandata, qui consultò in crastinum distulit hoc horrendum facinus, vt si Britannum altera die pœniteret homicidij immanis, haberet vnde resarciret crimen antea meditatum. Noctem illam assignatam tragœdiæ insomnem duxit Regulus, animo voluens quàm grauiter offendisset Regem Galliæ in nece Clissonij, quem sublatum è medio tunc credebat. Occurrebant mala, quæ instabant vltra scelus tantum: nimirum è re Regis Galliæ erat, exigere pœnas à Duce Britanniæ auso scelus atrox: gliscente eo cogitatu, Dux ille arbitratus interfectum Clissonium prout imperarat, factus est velut impos sui, stratumque suum lacrymis alluens, desperanti propè similis effectus est. Eum in illo agone conuenit diluculo is, ad quem pertinebat occidere Clissonium. Vt primum subiit cubiculum Ducis, audiit illum ingementem Clissonio, quem cessisse fatis pro certo habebat: hinc coniecit prudenter à se factum, quod præcipiti sententiæ domini sui non gessisset morem. Ideoque securus accedens ad lectum decumbentis, faustam ei deprecatur diem. Sed Dux velut amens, actus furiis extincti inimici, eiulans ait: O infelix serue, hanc diem infaustam fecit mihi velox obsequium tuum: quippe hac nocte occidendo Clissonium, me meosque in æternum hominis innoxij Manibus obstrinxisti. Hoc facinore inglorio, incurri in perfidiam meo tandem aliquando sanguine detergendam. Omni bono nomine excidi, si quod vnquam nactus fui. Hactenus ero piaculum regni diris imprecationibus obnoxium. Et licet graue sit offendisse Regē; mihi tamen est importuna magis consideratio criminis inhumani. Nempe huc venit Clissonius nomine Regis, nihil mali suspicatus, de mea fide benè sentiens, etsi haberet vnde eam dubiam faceret, vtpote certior factus, me sibi nequiter inuidere. Denique catervatim tot mala occurrunt, in pœnam facti, vt tædeat viuere, consiliumque subeat morte mea parentandi fatis hospitis interempti.

Præcipitis peccati sera pœnitentia.

Ducis Britāniæ facinus horrendum.

Peccato perpetrato est animus inquiet.

Prudentissimus ille seruus hæsit in ea funebri oratione Ducis Britanniæ, nescius an aperiret consilium suum: timebat enim ne Regulus ille ferox iniquè haberet, mandata sua non sortiri effectum, quem dominus intendebat. Ideoque eum sic affatus est: Hoc equidem mihi animo insedit, ô Princeps, præcipitis Imperij citam esse pœnitentiam, cùm turpe est quod iubetur: cam-obrem proposui quidem integrum reseruare Clissonium vsque in crastinum, vt ebullientis iræ feruore extincto, reuocares capitis sententiam. Sed vt seruorum est obedire Principi, & non eorum iussa appendere ad trutinam; nolui deesse partibus meis, ne gratiâ illâ exciderem, qua me dignatus es hactenus. O te beatum, inquit Regulus, si Deo hæc suggerenti consilia paruisses potiùs, quàm mihi suadenti scelus, nullis vnquam lacrymis expiandum? Tunc ille: Animæquior esto mi domine; nam Dei instinctus præualuit in iussionem tuam: ac proinde Clissonio sua salua sunt omnia, tuique adhuc arbitrij est eum reddere incolumem Regi, cum quo poteris res componere faciliùs integro Clissonio, quàm eo turpiter enecato. Eo nuntio Regulus vti rediuiuus è lecto prosiliens, ruit in amplexus hominis huius, collato stipendio prædiuite, in gratiam facti tam insignis, & subinde remisit sospitem hostem suum, mortem sibi instare ratum, vt ex conuiciis Britanni fuerat ominatus.

Clissonij Præpositi Generalis exercituum Galliæ incarceratio.

E carcere eductus ille Generalis præpositus exercituum Galliæ, iniquo animo tulit se adeò ingloriè habitum, & tantùm non nequiter enecatum. Querulus aduolat ad Carolum Regem, apud quem poterat quantùm alter. Regem vocat in partem pœnæ exigendæ à Regulo Britanniæ, contra quem obtinet decerni expeditionem, vt capite suo luat iniuriam factam Prætori Gallicę rei militaris. Clissonius ipse armata manu Britanniam ingreditur, igne & ferro desæuiens. Dux Britanniæ impar Clissonio, rogat ea quæ pacis sunt; sed incassum: nam hostis memor iniuriæ acceptæ, detestatus est omnia promissa hominis infidelis. Grassante malo, Britannus filium suum primogenitum mittit Clissonio in obsidem, & sponsorem fœderis ineundi. Clissonius demiratus pœnitentem Ducis animum, lautè excepit pubescentem illum Principem, haud quaquam conscium iniquæ indolis Reguli Britanniæ, & subinde rem excogitauit plenam periculi, quæ tamen ei ex voto cessit. Hoc nempe propositum ei insedit, scilicet conuenire Ducem Britanniæ, & ei reddere filium incolumem, & sine vllo alio arbitro componere discordias, & deponere odia hactenus exercita: proposuit, fecit, coràm adfuit, filium patri reddidit, affectum eius demeruit, plusque potuit dum se præstitit impotentem.

Exemplum insigne moderati animi in Clissonio.

Alius fortè memor insignis iniuriæ acceptæ, & recolens vitam suam, quæ nutarat ad arbitrium serui: alter inquam versans animo piaculum hostis sui acerbi, nactus occasionem rependendi perfidiam, forsan iniquiùs filium Principis excepisset. Etenim ira rationis expers, & nescia consilij, vltro rapitur in nefas. Sed Præfectus ille prætorio, satiùs duxit remittere iniuriam, quàm vlcisci. Occidendo filium, vnus tantùm pater superfuisset inimicus; at filio seruato, & adducto ad patrem, duos sibi amicos fecit, arcto fœdere sociatos. Filio Principis sublato fecisset quod solent filij hominum; sed eo incolumi præstito, hoc egit, quod filium Dei decet. Filium reddendo patri, meruit vt decebat filium Dei à Patre cœlesti accipere in sacra synaxi, quem proculdubio perdidisset, si perditus ipse filio Principis insultasset. Ex præfatis, vides esse vberem prouentum gratiarum, quæ effluunt ex iniuria relaxata. Nimirum Andronicus recepto in gratiam Caballario, conclamatus est dignus reclamare Deum Patrem, suum, & ab eo petere veniam cuiuscuis criminis antea perpetrati. Rex Henricus, diu luctatus cum vrbe Lutetia, inuitam armis cepit; sed vbi arma deponens amorem induit, elargitâ omnibus veniâ,

Mira laus hominis cōdonantis iniurias.

Iniurias relaxata magnam adfert gloriam, vt pluribus historiis ostēditur.

veniâ, vrbem eadem mora vinxit, qua amauit. Sicque Henrico telo amoris accincto, perinde fuit vincere, & vincire. Francisco à Guysia condonare vitam sicario conducto in caput suum, fuit caput rerum omnium, quas multas fortiter exantlauit: quippe addicendo morti reum capitis, ostendisset se timere mortem; at relaxando scelus, sic probauit inesse sibi vitam, in quam mors nihil posset. Demum Clissonius lautè excipiens filium hostis sui, filium se præstitit eius Patris, à quo sunt degeneres omnes iniuriam vlciscentes.

Inimiciæ amore franguntur.

Non est in eo argumento frustranda Respublica Veneta bello potens, & pace inclyta, semper fœta viris ad stuporem magnis. Illa Respublica eò assurrexit, vnde etiam summa capita despicit, vt probauit frangens impetus Friderici I. Imperatoris, qui Venetis iniquior factus, quia vt decet exceperant Alexandrum III. Pontificem, classem instruxit in Venetos, arbitratus illam Rempublicam breui fore infra culmen Imperij. Nihilo segniores facti Veneti maris indigenæ, copias eduxere suas, experturi nauali prælio quantùm possent, adeoque fuere propitij venti Venetis, vt fuderint classem Friderici, serò sapientis, Venetos esse inexpugnabiles. Quodque colophon fuit victoriæ, Otho filius Imperatoris deuenit in potestatem Venetorum, quos dirè afflixerat, conscius & ipse paterni odij. Nescio an rumor iniquus, falsò affinxerit Italis vlciscendi libidinem; saltem à Venetis abfuit hæc prurigo: nam factâ insigni copiâ vlciscendi, & sæuiendi in caput Deo iniurium, vt & Pontifici, in quod proinde ius erat illi populo debacchandi, & suas etiam iniurias rependendi Principi infenso, Respublica nata ad grandia facinora, Othonem hunc suum acerbum hostem reddidit incolumem patri, stipatum congruo commeatu. Imperatoris animus hactenus adamantinus, ea pietate liquatus magnifecit Venetos beneficos, quos antea spreuerat inimicos. Occiso Othone inimico, Respublica vnum hominem inermem morti addixisset; sed iniuriâ condonatâ, Respublica se armatam vicit, vtpote nescia vinci, nisi à seipsa. Othone in gloriè habito, fuisset vrbs Veneta dedecus Imperij. Ast immemor iniuriæ, consors Imperij effecta est, facta parens filij, quem enixa est, ei lucis vsuram denuo concedendo. Suis hæc Respublica filiis consuluit, quando indulsit filio Friderici, quem si è medio sustulisset, hoc vnum tenax propositum animo Imperatoris fixum adhæsisset, scilicet sanguine Veneto litare Manibus filij sui, quo sospite Respublica Veneta triumphauit.

Venetorum animus insignis.

Petrus Iust. in historia Veneta sub an. 1177.

Veneti de Friderico I. Imperatore reportant victoriam.

Veneti relaxant iniuriã Othoni filio Imperatoris.

Præmium condonatæ iniuriæ.

Hoc magnanimo Venetorum sanguine satus Antonius Venerius, vbi summam rerum Veneriis obtinuit, factus Reipublicæ caput, statim atque electus est in Ducem almæ Reipublicæ, accersiuit Ducham collegam suum, cum quo exercuerat odium plusquàm Vatinianum: vocatus Duchas ad reddenda obsequia Duci electo, non tenuit, nec cunctante vestigio distulit pensum debitum exhibere. Eo accedente, Venerius seipso maior, amplexatus est inimicum, eo specimine amoris faustis auibus suum regimen auspicatus. Potuit Dux ille inclytus malo genio indulgere enutritis odiis, & persequendo Ducham; sed sic non fuisset Dux Venetorum, sed odij veneno ductus in præceps. Vbi autem ducatu amoris, omnem iniuriæ amarorem exuit, meruit & rem & titulum ducatus, orbis totius nobilissimi.

Petrus Iust. in hist. Veneta sub an. 1352.
Antonij Venerij Ducis Venetorum facinus egregium in iniuriis relaxandis.

Participat & hæc encomia Respublica Genuensis, quondã æmula Venetorũ, sicut olim Carthago Romæ. Illic rerum potitus Adurnius, accepit imminere sibi cladem factione perduellium, qui in caput suum vnanimi voto conspirarant. Non defuit ille suis partibus; sed cautè occupauit omnes conscios iniqui consilij, & præcipuè Petrum Fulgosium principem coniuratorum, quem arcto carceri mancipauit. Reus erat ille mortis bifariam. Primò quia peccauerat in Rempublicam súsque déq; euertendam, & rursus quia petebat Principis Adurnij caput. Eamobrem non fuit negotium iudicij ancipitis, ferenda sententia in rebelles. Tamen Adurnius memor se esse patrem patriæ, oblitus est se fuisse petitum ad mortem, deponens personam iudicis, vt præstaret rem paternam, sicariis vt filiis indulgendo. Itaque Petrum Fulgosium è carcere eductum, & blandè admonitum fecit sui iuris, conciliauitque animos suorum omnium ciuiũ, obstãdo ne foret exanimis ciuis vnus.

Petr. Bizarrus in hist. Genuensi sub an. 1390.

Adurnij Ducis Genuensium actio insignis in condonandis iniuriis.

Hoc igitur constans esto; scilicet eum, qui condonat iniurias, maius inde reportare lucrum, quàm is qui percipit hanc gratiam. Ea nempe momentanea est, & ideo exigui momenti, cùm tamen homo nescius iniuriæ gloriam demereat immortalem. Paucis dicam: quisque homini condonat offensam, ille Christo Domino fœneratur.

Iniurias relaxate, est Christo fœnerari.

SENSVS MORALIS.

Multa mala manent vindicantes, vt secus præmia decernuntur iniuriam condonanti.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri.

ARTICVLVS VIII.

Ex Vtroqve Ivre.

Esto figura & officio dissita sint membra; tamen pertinent omnia ad compagem eiusdem corporis; & quantumuis humiles sint partes, earum curam gerit caput, participans angustias illis partibus irrogatas. Quippe tota neruorum soboles est capite vt parente sata, ideoque molestiæ omnis sensus refunditur in caput, vt in fontem vnde scaturiunt nerui. Nemo ambigit, vnde propagatum sit omne hominum genus: namque in confesso est apud omnes; Deum esse corporis & animæ conditorem; atque adeò omnes simul homines arctiùs adhuc pertinere ad Deum, quàm omnia membra corporis ad caput. Hinc concludit Augustinus, Deum peti, quando quis ab alio læditur, quia sumus alter alterius membra, quorum omnium Deus est caput. Vnde cum sit capitis meditari vltionem iniuriæ illatæ membris; ita Deus ait, suarũ esse partium crimina vindicare. Sic ille; *Mihi vindicta; Ego retribuam.* Fauet lex edita ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, qua Dominorũ est agere partes seruorũ, quos quis iniuriâ affecit. Ecce edictũ. *Dominũ pro atroci iniuria, quã seruus eius passus est, edicti perpetui actione proposita, qua damni etiã haberi rationẽ verbis euidẽter exprimitur agere posse conuenit.* Cùm ergo Dñi simus, quotquot sumus; si quis alterum

Exordium ad concionem inulciscendarum iniurias.

Iniuria facta proximo redundat in Deum, & quare.

Rom. 12.

Ex Ivre Civili.

Lex. Dominum Cod. De iniuriis l. 9. tit 35 lege 8.

alterum iniuria affecerit, incurret in censuram Dei, quem offendit, in alium insurgendo. Accipe Augustinum alibi recensitum huc denuo reuocatum. Sic ille: *Omnes homines etiam inimicos vestros diligatis, non quia fratres non sunt, sed vt fratres sint. Corpus Christi vbi iacet, membra ipsius vbi laborant, ibi esse debes, vt sub capite sis. Audi Prophetam: Latum mandatum tuum nimis. Extende charitatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per totum orbem iacent. Si amas partem diuisus es, in corpore non es: si in corpore non es, sub capite non es. Amat ille corpus suum: si tu te præcidisti à corpore ipsius caput, non se præcidit à corpore suo. Sine causa me honoras clamat tibi caput desuper, tamquam si velit tibi aliquis osculari caput, & calcaret pedes. Debet plus clamare caput pro membris calcatis, quàm pro se honorato.*

Augustin. homil. 10. in epist. 1. Ioannis.

Amoris mãdatum quare dicatur. latum.

Egregiè Augustinus ait, irritum esse honorem, quem Deo rependimus, si sumus iniurij inimicis nostris: siquidem eorum liuor acerbus, quo furunt in nos, haudquaquam obstat, quin ad Deum spectent omnium hominum assertorem. Hinc conijcere est, non esse salutare obsequium, quod Deo rependitur homines offendendo. Hinc Augustinus Deum sic inducit querulum, increpantem eos, qui pœnas exigunt ab æmulis suis. *Dicis: osculari te volui; sed non vides, ô stulte, quia quod vis amplecti, per quamdam compaginem vnitatis peruenit ad id quod calcas. Sursum me honoras, deorsum me calcas: plus dolet quod calcas, quàm gaudet quod honoras. Quomodo clamat lingua cùm calcatur? pes dolet, inquit, mihi: non dicit, dolet pedi meo. O lingua, quis te percussit? quis te tetigit? Nemo, inquit; sed coniuncta sum iis quæ calcantur: quomodo non vis vt doleam, cùm non sim separata.* Nonne turbine saxorum crepitante, & quatiente corpus Stephani, Christus adfuit pro foribus cœli, velut ingemens plagis athletæ in supremo agone positi? Nonne idem omnium hominum caput ait Paulo, se peti, & persecutionem pati, Christiano populo diuexato? Ita Augustinus: *Dominus dicit discipulis: Eritis mihi testes in Ierusalem, & Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Vide quàm distendat corpus suum: vide vbi calcari non vult. Ascendo, inquit, quia caput sum; iaceo quia iacet adhuc corpus meum per totam terram. Caue ergo ne percutias, ne calces: iam non inuenies ipsum loqui in terra, sed de cœlo, quia membra sua calcantur in terra: persecutori enim Saulo dixit desuper: Saule, Saule, quid me persequeris; Ascendi in cœlum, & adhuc in terra iaceo: hic ad dexteram Patris sedeo; ibi adhuc esurio, sitio, & peregrinus sum.*

Quare Deus suas faciat iniurias eas quas aliis irrogamus.

Augustin. vbi supra.

Iniuriam quisquis irrogat alteri virtutes suas irritas facit.

Ibidem.

Historia Anglica in hac alea locuples exemplum suppeditat. Nempe liquet ex contextu rerum ab Anglo gestarum, Edoardum Regem iura belli prætereuntem traiecisse in Galliam, & adeò sæuiisse in regnum, vt populatus sit omnes Carnotensium oras. Sed eadem historia adiicit, Anglum vltori genio indulgentem, sensisse grauem Dei manum, & tantæ molis grandinem excidisse in castra, vt inde oppressi plerique perierint, Deo demonstrante suas esse iniurias illas, quæ proximis infliguntur, iuxta edictum Iuris Cæsarei, quo domini est vindicare iniuriam irrogatam seruo. Et hodie in discrimen singularis certaminis incurrunt plerique nobiles, ob pedissequos malè exceptos, qui iniuriorum hominum sanguine vindicantur.

EX HISTORIA, *Andreas Chesneus in histor. Angliæ sub ann. 1360.*

Edoardus Rex Angliæ facta irruptione in Galliã Deo vltore debellatur grãdine lethali.

Ad hoc argumentum pertinet historia luculenta Laban, furentis in generum suum Iacob transfugam, quem dum insequeretur animo acerbo, cui etiam lethale virus asperserat furtum idolorum; Deus dormienti indixit, ne quam molestiam inferret Iacob, sic curam eius agens, vt Dominus serui, cui hostis grauior imminebat. Sic textus iacet. *Nuntiatum est Laban die tertio, quòd fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem, & comprehendit eum in monte Galaad. Viditque in somnis Dominum dicentem sibi: Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.* Efficax sanè fuit diuina hæc iussio: quamuis enim Laban iniquè ferret despicatum illum generi sui, insalutato hospite recedentis, & versaret animo, quas lueret pœnas hic desertor; mitior tamen effectus est, Deo decernente, vt nihil gereret inhumanum. Hunc hominem furibundum imposuisse modum iræ vergenti ad vindictam, contextus iste probat, inducens Laban explicantem mœrorem animi sui, & compescentem motus insurgentes, vt morem gereret Deo, ne cum Iacob ageret durius, inhibenti. Audi Laban obiurgantem generum suum: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis. Non es passus, vt oscularer filios meos, & filias: stultè operatus es: & nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam duriùs.*

Genes. 31.

Iacob à Deo seruatus ab iniuriis Laban.

Consideratio Dei inhibentis vltioné potens est ad veniã concedendum.

Homo idololatra ad vnum tantùm Dei nutum acceptum in somnis, illatam sibi grauem iniuriam relaxat; & homo Christianus cunctatur parcere inimico, licet eum vigilem sollicitet Christus suadà inspiratione iugi. Quas, ô Christiane, moras nectis? Quare tardus es ad veniam? Morem gere Christo indulgentiam tibi cœlitus ingerenti. Bilis quidem ebulliens suggerit conuicia; sed Christus è regione clamat: *Caue ne loquaris quicquam duriùs.* Nonne præstat auscultare Deo suadenti bona, quàm in tuam perniciem diabolis obedire, quorum satellites sunt iniuriæ lacessentes osores nostros, vt malum malo pessimè rependamus? Itaque quoties insurgent motus vltionis prurientis, hos compesce illico, reuocata Christi iussione: *Caue ne loquaris quicquam durius.* Sic clauus truditur clauo, & sensus iniuriæ retunditur, dum timemus inferre iniuriam Christo, mala inflicta suis seruulis vlciscenti.

Iniuriarum obliuio suadetur eleganti oratione.

Adiice, inimicos nobis etiam esse beneficos, ac proinde non esse Vatiniano odio compensandos. Hi namque inuigilant nobis, vitia prodendo, si quæ nobis etiam insciis irrepserint; dumque cauemus infamiam, quæ excipit apertos mores improbos, hoc præstamus, vt impigræ virtutum praxi iugiter insudemus. Fuit hæc Petrarchæ sententia solamini magno futura recolentibus illam. Sic ille: *Inimicitias habeo. Fac vt iustitiæ sis amicus, nullum certius præsidium. Vera virtus fortunæ minas calcat, ac despuit. Cautior eris, & notior. Multos inimicitiæ illustrarunt, qui obscuri mansissent, si hostibus caruissent. Obstabunt hostes, ne inuisibiles animorum hostes subeant voluptates. Non tam hostes tibi sors obtulit, quàm custodes; malo malum maius arcebitur.*

Inimici nobis proficui sunt.

Petrarcha Dia. 32. Inimici faciunt nos cautiores, ne indulgeamus vitiis.

EX IURE CANONICO.

Proximo articulo versabo iterum istam rationem; iam propero ad Canonum sensa, quibus præ-

mium

mium decernitur homini, æquo animo ferenti maledicos homines. Ecce textum Canonicum. *Qui iniustus est, & iniustè maledicitur; præmium illi redditur.* Sed à quo decernitur hoc brauium, nisi ab eo, in cuius gratiam vltio cohibetur. Intuitu coronæ illius homo, debet satagere bonum etiam malo opponere, benedictionibus conuicia detergendo, vt suadet Papa Calixtus hoc Canone. *Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere, vel non augere malè loquendo; nisi etiam eas extinguere benè loquendo studuerit.* Sic beneficiis odia extincta, extinctum antea suscitant inimicum, consulendo saluti eius, qui sibi iniquus, aliorum salutem petit. Et hoc sanè donari est coronâ ciuicâ, ob ciues seruatos, constanter iniurias homine patiente. Ecce opportunum Canonem. *Paratus debet esse homo iustus & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus potiùs crescat bonorum, non vt pari malitia se quoque numero addat malorum.*

Can. Iniustè §. Homini 11. quæst. 3.

Can. Paratus 23 q. 3.

Corona ciuica manet eos, qui parcunt inimicis.

Ea fuit olim dignitas coronæ ciuicæ, vt vltro milites hosti pectus apertum obiecerint, ad liberandum ciuem, quem iniqua sors armorum obnoxium fecerat morti, gladio hostili desuper imminente. Cùm quis iniuriâ affectus, modos animo versat idoneos ad vindictam; ille durior instat tergo inimici sui, meditans pœnas congruas vltioni. Sed si Deo susurrante redux animus exuit aculeos, quibus cor hispidum, & hirsutum pungere vult inimicos suos; profectò pietatis obsequio fit ille rediuiuus, quem vindex animus tollere nitebatur. Et sic corona decernitur ei, qui secernit à se iniuriarum memoriam. Caue ergo, ne excidas coronâ gloriæ, quę manet omnes homines beneficos suis etiã inimicis. Quot piè & constanter degluris iniurias, tot vniones nectis alternantibus gemmis, quibus corona cœlestis irradiat. Hoc memento, vt sis immemor ærumnarum, quæ callidâ inimicorum industriâ aliàs irrepserunt. Recole, coronam è capite Cæsaris ablatam fuisse malum omen mortis, quæ instabat; ita & incuriam tuam seruandæ coronæ ciuicæ, esse veluti præsagium mortis æternæ quæ imminet.

Corona ciuica qualis fuerit antiquitus.

Cæsari mors significata ex corona excidente.

SENSVS MORALIS.

Variis titulis sollicitamur ad benefaciendum inimicis.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri.

ARTICVLVS IX.

EX SENTENTIIS SANCTORVM PATRVM ET DICTIS ALIORVM HOMINVM.

STante Carthagine, grauis quæstio proposita est in Senatu, an satiùs esset euertere Carthaginem, quàm ei relaxare motus & impetus factos in Romanos. Patres abiere in diuersas sententias. Arbitratus est Cato, esse solo adæquandam vrbem hanc potentem, quæ fecerat hactenus biceps imperium mundi; & rem esse plenam periculi, habere à tergo prævalidum hostem. Vtque Cato suspensos tenebat omnium animos, prævaluit, & diruta est Carthago. Sed quàm malè ominatus sit Cato, & quàm potior esset altera sententia, exitus sũmo Reipublicæ discrimine cõprobauit. Aiebat æmulus Catonis, esse indulgendum Carthagini. Primò, quia parcere, magnanimos decet: & sic Romanos magnitudinem suæ indolis, inuictumque animi robur omnibus ostensuros. Præterea interesse Reipublicæ, vt acuerentur animi Romanæ militiæ, quæ siquando foret iners, Respublica pessum iret. Nihil autem esse aptiùs ad instruendam militiam, quàm habere è regione potentes æmulos; & reuera Romam Pœnorum armis fuisse hactenus eruditam. Ideoque operæpretium esse seruari Carthaginem, vt viciniâ strenuorum hominum, fieret & Roma fortior, alioquin futura vecors, eam nullo inimico vegeto lacessente. Et satius esse Romam exerceri bello assiduo, quàm hoste deleto internecione, ingloriâ solui ignauiâ. Consultor ille præscius erat malorum, quæ instabant: nam euersa Carthagine, Roma nutans & seipsa deterior effecta est, vtpote otio dissoluta.

Plutarch. in Catone.

Carthago euersa suasione Catonis.

Roma deterior effecta euersa Carthagine.

Quàm vtiles sint inimici.

Eadem ferè sors manet eos, quos graues inimici exercent. Quamdiu adstant æmuli exploratores motuum, tamdiu attendimus nobis, & cauemus, ne sagax oculus hostis deprehendat quidpiam deuium, vnde incautis meritò valeat insultare. In figuram effati huius, Deus non deleuit vno impetu omnes Amorrhæos, & Iebusæos, Hebræorum hostes, ne terra inculta deficientibus incolis syluesceret, luxuriante gleba in horrida senticeta, & feræ plagam illam nesciam hominum occuparent. Ecce textum assertorem diuini intenti. *Non eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.* Pessimum equidem est ferarum genus vitium, quod ne grassetur, & depascat animam, Deus obstat beneficio inimicorum, qui ita nos obseruant, vt illis insciis, nihil omnino animas nostras subeat indecorum. Si enim subdolus assentator, gloriolæ inanis aspergine aures nostras infecerit, opportunè adest æmulus, qui detergat hanc maculam, insimulando hominem vanitatis, & abdita forsan crimina detegendo. Eò allusit Gregorius ille Magnus, ita fatus: *Nos si laudibus erigimur, vituperationibus humiliamur, arundo vento agitata sumus, &c. Sunt autem plurimi, qui vitam bonorum ampliùs quàm debent laudant: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere: vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est ergo quòd doctor Gentium se in prædicatione currere testatur per infamiam, & bonam famam. Qui etiam dicit: Vt seductores, & veraces. Si ergo fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc seductorem vocarent; quis nunc Christianus debet indignum ducere pro Christo iniurias audire?*

Inimici à Deo derelicti Hebræis ad exercitium.

Exod. 23.

EX SS. PATRIBVS. *Gregor. l. 4. epist. 39.*

2. Cor. 6.

Inimici saluti nostræ inuigilant.

Omnium ferè Sanctorum vitam fuisse hoc tenore contextam, probat ille Præsul, obseruans, nullam fuisse societatem adeò sanctam, cui se iniqui non adiecerint ad exercitium hominum optimorum, quorum emerita virtus inde sumpsit gratiæ maximum incrementum. Vtque veritas illa fiat palàm, Gregorius longam seriem texit hominum illustrium, quibus æmuli fuere virtutis occasio. Sic ille: *Neque Deus electis suis in hac vita promisit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, vt medicina more, per amarum*

Gregor. v supra.

rum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant, &c. Discipulis suis ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pensate quæso vbi erit patientia, si desit quod toleretur? Ego, Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. Tres in arca filij Noe fuerunt. Vnus irrisor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuit; maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham filios habuit; sed tamen carnalis eius filius, est repromissionis filium persecutus, &c. Duos Isaac filios habuit; sed vnus qui spiritualis extitit, ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim Iacob filios habuit; sed vnum qui rectiùs viuebat, vndecim Ægypto vendiderunt. In Dauid propheta quia fuit quod purgari debuisset, actum est vt persecutionem pateretur. Beatus Iob de societate reproborum dicit: Frater fui draconum, & socius struthionum. Ad Ezechielem Dominus ait: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. In duodecim Apostolis vnus reprobus missus est, vt esset cuius persecutione vndecim tentarentur, &c. Paulus quoque Apostolus discipulis scribit, dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Quia ergo Scriptura teste cognoscimus in hac vita bonos sine malis esse non posse: de stultorum voce excellentia vestra turbari nullatenus debet: maximè quia in omnipotentis Dei misericordia tunc certa fiducia est, quando pro bono opere aduersitatis aliquid in hoc mundo recipitur, vt plena merces in æterna retributione seruetur. Vnde in sancto Euangelio veritas dicit: Beati eritis cùm aduersum vos omne malum dixerint homines, mentientes propter nomen meum. Qui in consolationem nostram suâ in exemplum adducere opprobria dignatus est, dicens: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos. Hæc ille Summus Antistes, explicans magnum esse prouentum gratiarum, quæ emergunt expressuris hominum impiorum.

Luc. 21.

Sanctis fuere sui etiam inimici.

Iob 30.

Ezech. 2.

Phil. 2.

Boni, & mali promiscuè viuunt in hoc sæculo.

Matth. 5.

Matth. 10

Ex Profanis.

Laërtius l. 6. de vitis Phil. Idem lib. 6. cap. 1.

Mentibus etiam Gentilium, quantumuis opacis, veritas hæc illuxit: quippe Diogenes hoc familiare effatum habuit, videlicet hominem indigere fido amico, aut aspero inimico: namque ambo nobis inuigilant, vt vitia obserúent, quamuis dispari intento. Meliùs adhuc, meo iudicio, Antisthenes scripsit de inimicis, ex eodem Laërtio. Nimirum acutus ille Philosophus ait, inimicos longè præstare amicis, quia neminem palpant, quod tamen est vitium amicorum, quibus amare, & assentiri perinde est. Inimici verò secus asperiore lingua detergunt animorum vlcera purulenta; atque adeò vberior est gratiarum seges, quam demetimus inimicorum falce. Hinc subest benefaciendi odoribus nostris haudquaquam modicum argumentum. Huius generis est sententia Xenophontis, qui aiebat, esse vulgaris ingenij, percipere commoda ab amicis; sed esse duntaxat magnanimæ indolis beneficos facere inimicos. Hoc autem fieri, quando ex censuris eorum componimus mores nostros ad virtutis amussim, vitia inolita penitus abdicantes. Multùm conferre inimicos ad meliorem nostram frugem; probè ostendit Onomademus, qui suppressa factione, noluit conjuratos vrbe pellere, dicens, omnes fore cautiores stantibus inimicis. Eo respexit Ariston, qui damnauit Cleomenis mentem, scilicet esse colendos amicos benefactis, inimicos verò exagitandos acriter. Imò, inquit Ariston, sedulò satagendum est, vt inimicos beneficiis expensis largiis obstringamus. Eritne Christianus Gentili deterior? Minimè sanè, & præsertim cùm plura argumenta sollicitent nos ad exhibendos nos beneficos inimicis nostris. Primum est, ipsa explicita iussio Domini Redemptoris: *Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Alterum est, cumulus gratiarum, quæ influunt in animam beneficam suis æmulis. Etne meum huic veritati desit suffragium, hoc omnibus esse volo ratum, si quos vnquam nactus sum inimicos, æmulos, aut inuidos, me illis debere præcipuam partem indolis emendatæ; ac proinde eos penes me fuisse ad instar benefactorum. Quodque summa beneficij est, Deo maximas rependo grates, quòd hoc sapere sit donum eius, assidua gratitudine iugiter excolendum.

Inimici vtiliores amicis ex Antisthene.

Erasmus 7. apophr. Idem 6. apophteg. Plutarch. in apophteg.

Onomademi actio insignis probans vtiles inimicos esse.

Aristonis apophtegma insigne de inimicis.

Matth. 5.

Omnia hæc præfata sonant ore tenus; ideoque depromendum facinus aliquod egregium, quod fidem faciat his præclarè dictis. Occurrit factum Alphonsi Aragonum Regis, qui dum obsideret Caietam vrbem fortissimam, & penuria annonæ ciues adegisset, vt pellerent vrbe senes, infantes, & mulieres, impedimenta bellica; Alphonsi exercitus videns has turmas exiisse, Regem consuluit, an internecione delendi essent hi homines imbecilli, aut pugione faucibus adiecto adigendi ad regressum, vt his reducibus ciuitati obsidione cinctæ, fames grauior immineret. Obstitit Rex detestatus immane scelus, ita fatus: O commilitones, non bellum indiximus puerulis, & senibus, imbelli ætati, aut fœminis imbecillis, nec habet victoria laudem, de infirmo æmulo reportata. Res nobis est cum hoste cataphracto, æqua armorum sorte disputante decus victoriæ proinde mitiùs agendum est cum his turbis, quas miseranda illarum conditio reddidit impotentes. Porrò non incolume tantū dimisit imbecillū vulgus, sed & annonam præstitit; beneficiis debellando imbelles, antequam de armatis gladio vindice triumpharet. Duplici sanè triumpho dignus ille Alphonsus, quia se suosque hostes superauit.

Alphōsi Regis Aragonū actio insignis erga inimicos.

Panormit. l. 1. de rebus gestis Alphōsi.

O vocem regiam! Non bellum indiximus imbelli ætati, aut fœminis imbecillis, ac proinde genus hoc non est arcendum à benefico influxu gratiarum. Hoc memorare effatum, Christiane, siquando pruritus vltionis animam sollicitat ad vindictam. Collige teipsum totum, & fortiter occurre insurgenti animo sæuiendi. Si quæ male suada libido rependendi iniurias, suggerit inferri inimico malum; obiice dictum generosum sapientissimi Regis: Non indiximus bellum ætati imbelli, nos fortiora manent certamina. O vtinam altas in anima radices ageret hoc effatum, rara foret vltionis impetigo! Itaque sic te accinge miles Christiane, quando acceptæ iniuriæ sensus te vrgebit ad vindictam. Animam subiratam sic compella. O anima, non ad hoc edita es, vt sæuires in homines imbecillos. Hi nimirum non sunt hostes tui, sed propinqui, vtpote eodem tecum Deo patre sati, licet eos censeas sicut inimicos. Quid eorum reformidas conamina? nihil profectò in animam possunt, ac proinde res est potior, hos superare beneficiis velut impotes inimicos, quos delere armis, non est fortitudo, sed ferarum indoles inhumana. Igitur accingere, ô anima, ad maiora certam-

Egregius modus retūdendi tentationes de vindicta excipienda.

Inimici propriè hominis irreconciliabiles sūt vitia.

certamina; ea nempe, quæ bello irreconciliabili à diabolo, & vitiis ingeruntur. Res est operosa in illam aleam descendere, & hoc præstare, ne occumbas. Vt ergo auspicatò adoriare vitia, auspicare à superata cupidine vindicandi. Retunde aculeum huius appetitus, totamque iram tuam dirige in vitia, & non in carnem, aut sanguinem hominum, quos falsò quereris inimicos. Te ditiora donatiua manent, si dederis nomen tuum militiæ Christi, quæ non attendit carnem, sed omnimodam nequitiam. Eò pertinet ista parænesis Apostoli. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturā Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnib. perfecti stare. State ergo succincti lūbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ & calceati pedes in præparatione Euāgelij pacis.* Ephes. 6.

Congrua armorum supellectile instruxit nos Christus, suppeditans armaturam Dei, scilicet charitatem, qua non armauit cor tantùm, insinuando amorem erga inimicos; sed & fecit brachia cataphracta, monens esse benefaciendum his, qui nos persequuntur. Opportunè Paulus ait, debere calceari pedes in præparatione Euangelij pacis. Nam cum plenitudo legis sit dilectio, præparatio ad hanc pacificam disciplinam, est animus concors nesciens inimicos. Ne igitur experiare tuas vires in carnem proximi tui; sed animo versa fortiora certamina, nobiles habitura triumphos. Vitiis indic bellum, fœderis impatiens, teque Christianum sic militem exhibebis. Quòd si in animum tuum induxisti occidere inimicos tuos, per me non stat, dummodo eos interimas more Sigismundi Imperatoris, in quem cum inueheretur Laurentius quidam Hungariæ Palatinus, eò quòd non modò parceret inimicis, sed eos etiam receptos in gratiam, opibus adaugeret: Ait Imperator, nobilissimum genus occidendi inimicos, illud esse, quo depositis odiis, illecti beneficiis æmuli acerbi, personam induunt amicorum. Emoritur namque sic simultas omnis, & animum subit amor, inimicitiarum omnium congruus interemptor. Hac internecione licet hostes demetere, ita vindicare fas est, & hinc magna commoda emergunt, quibus locupletatur anima benefica suis odoribus, satiùs arbitrata, beneficam se præstare, quàm in hostium infirma capita desæuire.

Æneas Sylvius l. 3. de rebus gestis Alphonsi Nobilissimū genus occidendi inimicos.

Sigismundi Imperatoris Christianū apophthegma de inimicis.

Ex prælibatis, duo commoda emergunt ex beneficiis inimico præstitis. Primum est, gloria insignis, quam demeremur gerendo morem Christo, cuius est præceptum illud de dilectione inimicorum, benefico opere comprobata. Alterum est, nos etiam deuincire animos, eos inflectendo bonis collatis affatim, vnde etiam emergit salus æterna inimicorum, quos si mors occupasset sauciatos odio intestino, proculdubio præcipites in tartara demersisset. Itaque palàm est, quantis sit fœta bonis illa dilectio, quæ prorumpit in gratias æmulis impertitas. Sed quia vrgetur anima magis instantibus malis, nec adeò prouocatur bonis præostentis; non est prætereundum hoc validum argumentum: scilicet inuium esse aditum cœli homini auersanti suos inimicos; quippe Deus pacem posuit veluti fines cœli, ita vt aliunde subire cœlos nemini concedatur.

Iniuriarum relaxatio quot commoda adferat.

EX SS. PATRIBVS *Augustin. serm. 168. de tempore.*

Præstat in eo argumento audire Augustinum ita enarrantem. *Lauda Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem. Ergo vt ipsi videtis, Ierusalem illa cœlestis muros de pace constructos habet. Qui enim talem pacem, & talem charitatem habet, vt omnes homines diligat, & pro bonis oret, vt meliores fiant; pro malis supplicet, vt citò se corrigant, de qua parte voluerit intrare, illius cœlestis Ierusalem portas apertas merebitur inuenire: qui autem non vult habere talem charitatem, quem & Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex omni parte Ierusalem portas clausas inueniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clausis ianuis sponsi, cum illis fatuis virginibus illam metuendam audiet vocem: Amen dico vobis, nescio vos vnde sitis. Quomodo enim illis quinque virginibus, quæ charitatis oleum habuerunt, illa cœlestis Ierusalem aperiet ianuas suas, vt intrent in gaudium Domini sui: sic illis è contrario qui sine charitate viuunt claudet, & æterna à se separatione claudet, & implebitur illud, quod in Psalmo legitur de Ierusalem: Quoniam, inquit, confortauit seras portarum tuarum. Clausis portis, & confirmatis seris, nunquam exiet amicus, & nunquam intrare poterit inimicus: quia sicut iustus nunquam erit exiturus à gloria; ita & peccator nunquam poterit liberari à pœna. Et ideo si volumus, vt ab istis malis nos dignetur diuina pietas liberare, vt feliciter ad illam cœlestem Ierusalem mereamur intrare, totis viribus laboremus, vt in nobis impleatur illud quod Apostolus dixit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an fames, &c. Ecce sicut audistis, beatum Apostolum, & apostolicos viros tanta ac tam terribilia, à charitate Dei separare non poterant. Vnde nimis dolendum est, quòd cùm illi à charitate Dei nec tormentis poterāt separari, nos interdū otiosis fabulis separamur, & nonnunquā ob paruissimum conuicium, & cuiuscumque miseri hominis detractionem ita derelinquimus charitatem, vt non solùm cum eo multis diebus, sed etiam mensibus, fortassis & annis nec loqui, nec ad conuiuium peruenire velimus: & non attendimus quia dum nos inuicem odio habemus, ita muros ciuitatis Ierusalem contra nos claudimus, vt nullus nobis aditus permaneat, per quem intrare possemus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum habet, dicente Ioanne Euangelista: Deus charitas est, qui charitatem habere noluerit, qua fronte, vel qua conscientia ad Dominum, qui est charitas, præsumit accedere*; Hactenus Augustinus.

Pacificis tātùm patet aditus cœli.

Matth. 25.

Charitatis expertes procul amādantur à cœlo.

Rom. 8.

Charitate cōstant omnia quæ in cœlis sunt.

Ignis concauo Lunæ obductus, ita obiicitur illis, qui ad sidera enituntur, vt necesse sit vri eis, quibus in voto est peruios habere cœlos. Ea physicorum obseruatio locum habet in moralibus, & hoc bifariàm. Primò, quisquis animam suam componere vult instar cœli; is debet auspicari ab igne, quo adeò stipari debet, vt anima amore decocta nihil nisi amorem spiret, quo etiam suos depereat inimicos. Rursus quisquis ambit cœlis inscribi, ille accingi debet eo igne, quem Christus accendit, suggerens amorem inimicorum, quo extincto, nemo est idoneus cœlo. Et hoc incommodum altè meditatum, potest esse satis superque ad inflectendos animos amoris expertes, vt suam miserati sortem amore flagrent, cuius obsequio superis adscribemur.

Amor necessarius anhelanti in cœlos.

Cæterùm occurrit scrupulus importunus infirmis animis, inde exortus, quòd in Apocalypsi sancti Deum sollicitant, vt eorum effusum impunè

Quomodo sancti desiderent vindicari. nè sanguinem vlciscatur. Alia etiam specimina vindictæ suppetunt, quæ facessunt negotium, nisi liquidò textuum series explicetur. Vt res enucleata nanciscatur pondus maius, ego nihil in eo themate de meo penu adiiciam, sed laudabo Augustinum, quem conducam, vt in ea quæstione satis implexa Oedipum agat. Sic ille: *Non est praetereundum, quomodo accipi debeat quod in Apocalypsi scriptum est: Sub ara Dei Martyres ad Deum clamare, & dicere: Quousque Domine non vindicas sanguinem nostrum, ne propter exsaturandum odium credantur sancti desiderare vindictam, quod ab eorum perfectione longè abest, & tamen scriptum est: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum; manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Et Apostolus ait: Non vos ipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Nec ipse itaque præcipit vt nolint vindicari, sed vt non seipsi vindicantes dent locum iræ Dei, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et Dominus in Euangelio viduā proponit in similitudinem, quæ vindicari desiderans, iudicem interpellabat iniustum, qui eam tandem aliquando non iustitia ductus, sed tædio victus audiuit. Hoc autem Dominus proposuit, vt ostenderet multò magis Deum iustum citò facturum iudicium electorum suorum, qui ad eum clamant die ac nocte, &c. Cùm homo iustus, & homo malus de inimicis suis velint à Domino vindicari, vnde discernentur, nisi quia iustus magis cupit inimicum suum corrigi, quàm puniri, & cùm in eum videt à Domino vindicari, non eius delectatur pœnâ, quia non eum odit; sed diuinâ iustitiâ, quia Deum diligit. Denique si in hoc sæculo, in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, si corrigatur, vel certè pro aliis vt eum timeant imitari, ipse quoque fit melior non supplicio illum odia pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de beneuolentia est, non de malitia, quòd iustus lætatur, cùm videt vindictam, & manus suas lauat, id est, opera sua mundiora efficit in sanguine, hoc est, in exitio peccatorum, sumens inde non mali alieni gaudium, sed diuinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro sæculo, vltimo Dei iudicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo, ne benè sit malis, ne piorum præmiis etiam impij perfruantur. Quod vtrique iniustum est, & à regula veritatis, quam diligit iustus, alienum. Cùm enim nos ad diligendum inimicos Dominus hortaretur, exemplum proposuit Patris nostri qui in cœlis est, qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Numquid tamen ideo vel temporalibus correctionibus non emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat. Sic ergo inimicus diligatur, vt non displiceat Domini iustitia qua punitur. Et si placeat, iustitia qua punitur, vt non de malo eius, sed de bono iudice gaudeat. Ita intelligamus, sanctos homines Dei suos inimicos dilexisse, nec cuiquam voluisse nisi bonum, quod est pietas in hoc sæculo, æternitas in futuro. In pœnis autem malorum, non malis eorum, sed Dei bonis iudiciis fuisse delectatos. Et vbicumque in Scripturis sanctis leguntur in homines odia eorum, odia fuisse vitiorum, quæ ipse etiam vnusquisque hominum odisse debet in se, si diligit se.* Hæc ille.

August. in Psal. 78. — Apoc. 6. — Rom. 12. — Deuter. 32.

Elegans explicatio Augustini de modo quo Sancti desiderant vindicari.

Iustus quomodo lauet manus suas in sanguine peccatoris.

De plectente inimicos nostros, qualis debeat esse animus noster.

Aliquid adiicere his, esset frondibus addere frondes.

SENSVS MORALIS.

Virtutis apicem nactus est ille qui Deum præstituit sibi in scopum, congruis actibus assequendum.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

SECTIO III.

PRÆFATIO.

QVàm arctâ premeretur inopiâ mundus iste positus infra cœlos, Plato compendiosè ostendit, dicens prædiuites quæsque gemmas esse quisquilias cœli, eo loquendi tropo significans, adeò prædiuites esse cœli gazas, vt earum purgamentis euerriculo aggestis homo ditari queat. Inde arbitror, illum Philosophum voluisse ingerere homini fastidium harum rerum omnium infimarum. Si namque rutila quæque & præfulgida monilia sunt veluti scopis aggregatæ sordes cœlo pulsæ; imprudenter anima suum despondet affectum ingloriæ supellectili huius mundi, cùm suppetant aliunde bona, quibus abundè beari potest. Itaque Plato opportunè consulit, esse aspernandas opes, quæ illudunt oculis, vt ad eas, quæ in cœlis prostant, votis omnibus anhelemus. Alio egregio commento prisca Gentium philosophia insinuauit, esse petenda è cœlis ea, quæ conducunt ad hominem sartum tectumque faciendum: nimirum finxit fuisse diu omnia gelu concreta, & homines obriguisse, vtpote nescios ignis: his autem malis occurrisse Prometheum, ignem de cœlis ferula deducendo. Profectò hac fabula industria nos eruditè docuit ingeniosa antiquitas, penuriam mundi huius solo cœlorum influxu leuari posse, ac proinde homines solicitos de æquiore sorte, si terrenis inhient, perperam insudare. Hisce inuolucris theologia Gentilis sua sensa texit: sed melius longè est consultum Christianis, quos secreto omni tegmine Christus effecit cœlestium conscios arcanorum. Nempè liquidò ait hic consultor omniscius, perfectum seu sublimem hominum statum nullos habere typos in hoc sæculo, quos sequatur, ideoque eos, quos perfectionis cupido sollicitat, debere è cœlo cultioris vitæ specimen aucupari. Et hoc sonat illa parænesis: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Priori parte istius sectionis dicam, obstrictos esse homines, ad studendum perfectioni. Secunda verò parte ostendam, omnimodam perfectionem attendi penes tantam similitudinem Dei, quantam referre potest anima, quæ sibi indixit Deum rerum omnium Dominum imitari.

Præcipua hominum bona sunt petenda è cœlo.

Terrena nequeunt hominem beare.

Diuisio sectionis.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Perfectioni sedulò quisque debet incumbere.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

ARTICVLVS I.

Ex Theologia.

Catena aurea Homeri de cœlo pédula quid significet.

NOn arcano vacat illa Homeri sententia, affirmans esse catenam auream è cœlo pendulam, qua implexi homines sursum efferuntur. Quisque ad arbitrium suum commentatur affingendo huic catenæ sensum quem effinxit. Neminem carpo, neque per me stat, quin singuli quique interpretes benè ominati sint: mihi tamen occurrit dissita ab aliis interpretatio, vtique singularis huius effati principis poëtarum. Nempe arbitror, Homerum dixisse Iouem euehere homines in cœlum beneficio catenæ aureæ, quia nemo cœlis inseritur, citra obsequium mandatorum Dei, quæ sunt velut aurea vincula, ad euehendos homines instituta. His funibus homines trahi in cœlum, Psaltes subindicat, hoc suaue melos edens: ***Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.*** Id est, Antequam adeas hæreditatem hanc præclaram quæ Beatos manet, apprehende funes mandatorum Dei. Esse autem spiritalem sensum affricandum his catenis, liquidò monet idem Vates benedicendo Dominum, quia ipsi illuxerat inspirando arcanum abditum illis funium inuolucris. Ex commercio Hebræorum, Græci Poëtæ & Philosophi multa delibarunt ex Scripturis, quibus sua respersere scripta. Vnde quia Homerus audierat, hominem mox editum accepisse à Deo præceptum, quo violato pulsus erat paradiso, vbi stetisset æternum felix, si huic funi firmiter adhæsisset, ideo fortè finxit Iouem cœlis assuetum, homines sibi emisso de cœlis aureo vinculo sociare.

Mandata Dei sunt catenæ aureæ de cœlo pendulæ, vt homines trahant. *Psal. 15.*

Dei mádata nihil nisi amorem spirant, & ornatum.

Quare autem aurea sit catena, ratio petenda est ex intento Dei, qui non cudit hanc catenam ad ingloriam seruitutem, qua premuntur vilia capita vinculis oppressa ferreis; sed oblongam hanc catenam dimisit ad ornatum: siquidem mandata Dei nihil nisi amorem spirant, & ornatum. Perfici enim ornari est, & illud ornamentum animæ, est amoris Dei adornantis hominem locuples argumentum. Vide quàm perficiant hominem hæ catenæ, ditantes potius quàm cingentes, & ornantes magis quàm onerantes: disce hoc præcepto, quod meminit Christus facta mentione Dei amantis suos inimicos, dignatos eodem Sole, quo optimis quibusque hominibus est solitus affulgere. Sic ille: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Vox illa, *Ergo*, illatiua est, & concludens homines amore perficit: vnde patet hoc præceptum esse de perfectione, & amore. Benè ergo aurea est catena amore deuinciens homines, sic perfectos. Fauet & alius Propheta, Deum inducens sic loquentem: ***In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*** Cùm itaque præceptum illud de studio perfectionis, omnibus indictum sit, nemo planè secernitur ab illa cura; ideoque tenentur omnes, saltem in voto procedere in alea virtutis, quod fit perfectioni iugiter incumbendo.

Osea 11. Perfectionis studiũ omnes obstringit.

Illud autem studium perfectionis, Theologia sic suadet. Præceptum legis cùm sit obligatorium, est de aliquo factibili; quòd verò aliquid debeat fieri, hoc prouenit ex necessitate alicuius finis: sicque patet, de ratione præcepti esse, vt importet ordinem ad finem, inquantùm scilicet illud præcipitur, quod est necessarium, vel conducens ad finem. Ergo non sufficit ad legislatoris intentum, implere præceptum, si talis obseruatio non assequatur finem præstitutum huic præcepto. Verbi gratiâ, hoc homini pensum impositum est, vt seruet mandata, si velit ad vitam ingredi: si igitur morem gerat mandatis aliquibus, & non tamen fiat compos gloriæ æternæ, profectò aliquali parte sui defuit partibus requisitis ad integritatem legis, quæ reuera non integrè & perfectè seruatur, si non deducat ad finem suum, qui est beatitudo æterna. Itaque qui non perfectè obsequitur mandatis Dei, etsi quoad substantiam illa obseruet; non tamen obedit plenè, quia non perfectè, & sic est exlex, & præuaricator. Nam ex S. Thoma, modus qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub præceptum, quod datur de actu virtutis eius. Modus autem requisitus, vt mandata Dei suum sortiantur effectum est perfectio, quæ in amore sita est, vt conclusit Christus ex eo sermone de amore Dei, in homines etiam reprobos influentis.

Ex THEOLOGIA. *Thomas 1.2 q. 99. art. 1.*

2.2 q. 44. art. 8.

Hanc esse legis summam, vt homo obediat socia charitate, Paulus edocuit hoc contextu: ***Plenitudo legis est dilectio.*** Quasi diceret: Si quis legem totam seruat, & tamen est ab amore deuius, huic profectò lex vacua est, nec suum pondus habet requisitum ad hoc vt quis donetur æterna ciuitate Dei. Eamobrem perfectionis illa necessitas, homini indicta est, ne excidat effectu legis obseruatæ. Etenim non merentur gloriam præcepta Dei, quibus anima morem gerit aliquo lethali crimine sauciata. In eo sensu perfectio est de præcepto, ac proinde quisque debet ei sedulò incumbere, satagendo pro virili parte, nequando tepescat amor, quo præcipuè perficitur homo editus ad gloriam. Et ne qua tergiuersandi daretur occasio homini prono in perniciem suam, speciale mandatum editum est, pertinens ad amorem illum, quo stipari debent mandata Dei, vt stipendia congrua nanciscantur.

Rom. 13.

Perfectio quare homini præcepta sit.

Vtque Deus hominem perficeret, amorem illum voluit esse tantùm, quantùm potest esse maximus hominum amor, vt ipse tenor verborum clamat. En præceptum statuens hunc amorem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Ille idem textus à Marco Euangelista sic censetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Apud Lucam loco fortitudinis, seu virtutis, hoc ponitur: *Ex omnibus viribus tuis.* Hi versus conciliati sonant perfectionem amoris, quæ sic colligitur. Dilectio est actus voluntatis, quam nomenclatura cordis ingerit auditori: quemadmodum enim cor materiale est principium omnium

Deut. 6. *Marc. 12.*

Luc. 10.

nium motuum corporalium; ita etiam voluntas, & maximè quantùm ad intentionem finis vltimi, qui est obiectum charitatis, est scaturigo spiritualium omnium motionum. Tria autem sunt principia actuum, quæ mouentur à voluntate; scilicet intellectus, quem mens significat; vis appetitiua inferior, quam anima denotat; demum vis executiua exterior, quæ insinuatur nomine virtutis, fortitudinis, & virium. In his ergo vertitur omnis cardo amoris; scilicet vt tota intentio nostra feratur in Deum: & hoc est eum diligere ex toto corde. Rursus operæpretium est, eum diligere ex tota mente, & hoc fit quando intellectus Deo perfectè subditur. Prætetea integer & sincerus amor exigit, vt appetitus noster dirigatur ad arbitriũ Dei, & hoc est Deum diligere ex tota anima. Denique vt quis coronidem amori imponat, hoc debet satagere; scilicet vt exterior actus obediat Deo, & hoc est eum diligere, ex tota fortitudine, & ex omnibus viribus.

Dilectionis Dei ex toto corde pulchra explicatio.

Quidquid hominis est, debere litare amori, Deus egregiè ostendit hæc tria recensendo, cor, animam, & mentem: animam enim vegetabilem cor designat; sicut & anima facultatem sensitiuam: intellectus verò mentis nomine lineatur. Sic præcepto amoris obstringimur, ad Deum referre id totum, quo nutrimur, sentimus, & intelligimus. Ex prælibatis colligere est, perfectionem, aut saltem studium eius, esse de præcepto. Nam præceptum datur de actu virtutis; at actus omnis vt sit virtutis, debet stipari modo, qui pertinet ad illam virtutem, alioquin actio illa etiamsi sit edita, non erit actus, circa quem versatur iussio indicta homini laboranti. Vnde cùm præcepta Dei præfixa sint nobis, vt mereamur vitam æternam; illud etiam erit nobis iniunctum, sine quo præcepta obseruata cadunt merito. Illud autem est amor Dei concludens etiam proximum propter Deum.

Amoris præceptum nostra Deo obstringere. *Thomas 2. 9. 44. art. 4.*

Instabis, frustra indictum esse præceptum de perfectione aucupanda, cùm cuiusque rei appetitus à natura insitus omnia dirigat in finem suum, qui est bonum perfectiuum rei. Verbi gratiâ, grauitas est indita lapidi, vt deorsum inclinet, & suum petat centrum, vbi lapis, alibi inquies, est quietus. Ita & leuitas assignata est flammæ, vt sursum citiùs euehatur. Item animalia ingenito appetitu norunt ea, quæ conducunt ad sarta tectaque corpora conseruanda. Ergo cùm homo præstet illis rebus, non est indigus eorum, quæ perfectionem suggerunt, & important. Respondeo, hominem in statu naturæ integræ, & vigente ea gratia, quam Deo miserante sortitus erat, fuisse accinctum omni supellectile necessaria ad perfectionis statum; sed passum fuisse iacturam ingloriam eius sortis, quam nactus erat. Vnde quia peccatum labefactauit indolem hominis in deteriora pronam, Deus occurrit tantæ miseriæ, erigendo appetitum ad superna, datis eo fine congruis mandatis, vt eorum obsequio perficiatur homo, passus deliquium eius priscæ iustitiæ, qua ab incunabulis fuerat adornatus.

Amoris præcepti quare fuit iniunctũ hominibus.

SENSVS MORALIS.

Conditione sua quisque ad perfectionem obstringitur.

In hæc verba:

Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS II.

Ex Ivre Civili.

PRiscis historiæ monumentis comperimus, extitisse familias, quibus natura notas iussit indices animi generosi. In his fuere, vbi masculi ex vtero matris hastam in femore, vel gladium habuere in brachio prænotatum. Natura sic præludente, & præsciâ æui instantis: rei namque euentus præsagio fidem fecit; quippe hi signati pueruli pubescentes, assurrexere in cothurnos, & versarunt animo grandia facinora, præstantes cæteris robore lacertorum. Dispari longè nota signati sumus ab vtero, vbi illam contraximus. Audi hominem huic caracteri inglorio ingementem: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Id est, ab ineunte ætate subij iugum miseræ seruitutis, vtpote factus vile mancipium carnis, & peccati. Indecorum illud signum diminuti capitis, seu seruitutis, est culpa originalis, qua propagata in hominum genus, illa libertate excidimus, quam iustitia originalis inscripsit homini sarto tecto. Quamuis enim steterit libertas arbitrij in natura sauciata; illa libertas haudquaquam obstitit, quin homo reus incurrerit in omnes seruorum sortes, quas memorant leges.

Multi notati ex vtero matris gladio aut hasta.

Psalm. 50.

Seruorũ tres sunt classes.

Sic Imperator statum illum meminit infelicem. *Serui autem aut nascuntur, aut fiunt. Nascũtur ex ancillis nostris: fiunt autem iure Gentium, ex captiuitate, aut iure ciuili, cùm liber homo maior viginti annis ad pretium sese venundari passus est.* Textus hic recenset tres seruorum classes, vnam eorum, qui nascuntur ex ancillis, alteram illorum, qui cedunt in ius inimici victoris: vltimam demum hominum, qui se vltro Domino vendiderunt. Illam omnimodam seruitutem patitur homo, malè sibi conscius. Primo natus est ex ancilla, humana scilicet natura peccatis obnoxia. Rursus impetitus à dæmone, susurris & tentationibus, deditionem fecit, subiitque iugum turpissimæ seruitutis. Denique voluptatum illicio fractus homo, accepto veluti pretio, genio indulget, perpetrato crimini mancipatus. Iuxta illud effatum Christi: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Vnde autem eorum nomenclatura ceperit initium, lex aperit isto paragrapho. *Serui autem ex eo appellati sunt, quòd Imperator captiuos vendere, ac pro hoc seruare, nec occidere soles, qui etiam mancipia dicti sunt, eò quòd ab hostibus manu capiuntur.* In eo sensu reprobi sunt serui: non enim in nihilum abeuntes pessum eunt, sed seruantur, æternum cruciandi; quia principatus sui immemores turpiter exciderunt. Ad eos etiam pertinet ista sententia capitis: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum,*

Ex Ivre civili. *§ 4. Serui instit. De iure personarum l. 1. tit. 3.*

Seruitutem omnimodã patitur omnis qui peccat.

§. 4. Serui eodem titulo instit.

Serui nomẽ, à seruando. Mancipia vnde sic dicta. *Iuda epist. serm. 9.*

Libertini qui sint.

tum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Iterum impij sortiti sunt nomen mancipij, quia dedere manum suam diabolo, vt Psaltes ait: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

§. Libertini institut. De libertinis lib. 1. tit. 5.
Manumissio quid sit.

Si spectetur homo capite diminutus, id est, in ea sorte seruitutis extremæ, ad eum non spectat perfectio; quia hæc non cadit in reprobos, quorum status & perfectio non coëunt. Est itaque considerandus homo, veluti libertinus. Quæ autem sit illa conditio disce hoc contextu Iuris. *Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio autem est, de manu datio: nam quandiu aliquis in seruitute est, manui & potestati suppositus est, & manumissus liberatur potestate.* Huius recuperatæ hominum libertatis, se assertorem præstitit Christus, cuius obsequio homines quasi postliminio sui iuris effecti sunt, excusso iugo sordidæ seruitutis. Multifariàm fiebat hæc manumissio, vt colligere est ex lege: *Multis autem modis manumissio procedit: aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesiis, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum.* Duobus præcipuè modis homines manumissi sunt, scilicet per epistolam, & in Ecclesiis. Epistola notat verbum Dei, quo veluti beneficio epistolæ, Dei beneplacita omnibus innotescunt. In Ecclesiis perficitur ille ritus, ope sacramentorum, quibus ritè excepris homo gaudet & re & titulo libertini.

§. Multi eodem titulo.
Manumissio olim quot modis fiebat.

Leg. Si tempore. Codice De operis libertorum l. 6. tit 3. lege 1.

Ad eam sortem spectat studium perfectionis: eadem quippe conditione manumissi sumus, qua olim quidam serui, quibus aliqualem operam impendere patronis, erat iniunctum in manumissione. Hinc emersit illa constitutio Imperatorum Seueri, & Antonini. *Si tempore manumissionis operæ tibi impositæ sunt, scis, te eas præstare debere. Solet autem inter patronos, & libertos conueniri, vt pro operis aliquid præstetur.* Simili pacto Christus asseruit libertatem nostram: nimirum hoc iniunxit, vt sedulam conferremus operam ad perfectionem nanciscendam. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Benè adiecta est particula, *ergo*, vtpote concludens, nos ea conditione niti, vt æmularemur pro modulo nostro perfectionem Dei, sicuti honorarij ephebi, tesserariam sui Domini vestem præferunt. Si ergo deposuimus graue iugum seruitutis peccati, & liberti sumus Christi, operam demus perfectioni; hoc nempe suam est sortem cōgeuis actibus exhibere.

Manumissio hominis à Deo qualis fuerit.

Perfectio est tesseraria vestis ephebórum Dei.

SENSVS MORALIS.

Christiani nomen sollicitat nos ad perfectionem.

In hæc verba.

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS III.

Ex Ivre Civili, Et SS. Patribvs.

Ex Ivre Civili.

Adeò simplicitatis amans fuit prisca Romanorum ætas, vt prudenter cauerit, ne quo irrumpente dolo Respublica pessum iret. Tantumque abfuit à rerum iniuria, vt ne nomine tenus passa sit homines iniurios, vt videre est hac lege. *Si quis sibi falsum nomen imposuerit, genus parentesve finxerit, quo quid alienum interceperit, possederit; pœnâ legis Corneliæ De falsis coercetur.* Cuiacius ait, liberos homines in legem illam impingentes, fuisse deportatos in insulam, aut damnatos ad metalla; seruos autem accepisse capitis sententiam, vel damnatos ad triremes, vt probat exemplo eius, quem Augustus remo affixit ob nomen alienum nequiter vsurpatum. Hac lege tenentur Christiani omnes incurij perfectionis: nam sibi arrogant incongruum nomen; siquidem illud nomen tantùm conceditur his, qui adeunt hæreditatem Christi: vnde Cuiacius ait, olim adire nomen alicuius, & adire hæreditatem eius, perinde fuisse: Etenim sæpe extranei adsciti sunt in hæredes, ea lege, vt nomen testatoris induerent. Nullius autem nominis fuisse seruos ait idem iurisperitus, affirmans illicitum fuisse seruis assumere nomen, sed fuisse è re dominorum imponere nomina mancipiis, & hunc morem inualuisse apud exteras etiam Gentes, vt probatur exemplis Pharaonis, & Nabuchodonosor. Statim enim atque Pharao soluit Ioseph è carcere, speciosum ei nomen affinxit. Ecce seriem historiæ Geneseos. *Dixit Rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* Vbi etiam Rex Chaldæus, è captiuis selegit pueros impuberes in ephebos, nomina simul imposuit, vt videre est hoc contextu. *Imposuit eis præpositus eunuchorum nomina, Danieli, Baltazar, Ananiæ Sidrach, Misaeli, Misach, & Azariæ, Abdenago.*

Leg. Falsi. ff. Ad legem Corneliam De falsis. Cuiacius l. 5. sentent. Iul. Pauli tit. 25. Idem lib. 8. obseruation. cap 18. Idem in paratitlis lib. 9. Codicis Iustiniani tit. 25. De mutatione nominis.

Gen. 41.

Dan. 1.

Itaque homo peccatis obnoxius, diaboli seruus incurrit in legem Corneliam De falsis; quia cùm iniquus sit, vsurpat nomen indebitum, cui facit iniuriam, illud fœdando aspergine suorum vitiorum. Qui ergo citra piaculum vult censeri Christianus, ille inanimum suum inducat, vacare sedulò perfectioni, ni degener velit ab inusto sibi nomine deuiare. Concinunt Patres, ex quorum choro prodiens Augustinus ita sonat: *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani assume.* Quantùm autem medullæ pondus sit hoc corticce reconditum, id est, quot virtutes ingerat animo nomen Christiani, referat idem Sanctus hoc tenore: *Ille verò Christianus est, qui in omnibus misericordiam facit, qui nullâ omnino mouetur iniuriâ, qui alienum dolorem tamquam proprium sentit, cuius mensam nullus pauper ignorat; qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & Angelis glorietur, qui terrena contemnit, vt habere possit cœlestia, qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris subuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis; quod benefaciebat Paulus: Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Concordat & Maximus Episcopus, isto breuiloquio concludens partes ingenui Christiani. Sic ille: *Christianus nemo dicitur rectè, nisi qui Christo moribus prout valet coæquatur, &c. Tota vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, est crux atque martyrium.*

Seruis nomē imponere fuit iuris Dominorū.
Christiani nomen falsò impij vsurpant.

Ex SS. Patribvs
August. lib. de vita Christiana.
Christianum esse, quid sit.
Ibidem.
Christianus est nomen virtutum omnium
Maxim. ser. de natali Dom.

Quisquis

Christiani vita crux est. *Bernard. hom. de duobus dist. euntibus in Emaus.* Perfectio paulatim acquiritur. *Idem ser. 2. de festiuitate S. Michaëlis. Idem ep. 34.* Perfectionis studium nullas sibi præfigit metas.

Quisquis ergo remissè suum agit æuum, parum sollicitus de virtutum omnium praxi impigra; profectò ille iniurius est nomini Christiano: hoc namque nomine vrgemur ad apicem virtutis, cuius est impos anima quæ tepescit; siquidem ex Bernardo: *Incipienti difficiles via Domini videntur; sed curritur per eas, dum cor cœperit dilatari. Non leniter ad perfectionis culmen attingitur; sed paulatim virtutum gradibus ad apicem charitatis per violentiam peruenitur.* Nomenclatura Christianæ nuncupationis dicit operandi modum nomini consonum. Vtque Christus vocem habet à chrismate, seu vnctione plenitudinis gratiæ; ita quisquis hoc nomen participat, ille mores suos debet componere ad arbitrium gratiæ Dei, vt non desit perfectioni, quæ decet animam Christianam, iuxta hanc Bernardi sententiam: *Cuius voluntas ex affectione, & cum desiderio gratia cohaeret, vt nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus benè, quàm gratia suggerit; hic planè perfectus est vir.* Rursus ex eodem Sancto maximè conscio perfectionis humanæ in Christo IESV, anima anhelans ad perfectionem nullas debet sibi metas præfigere. Sic ille: *Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit. Et in eo quisque perfectiorem se probat, quòd ad maiorem tendit perfectionem.*

EX IVRE CIVILI. *Leg. 11. Cod. De operis libertorum. Leg. 5. Cod. De obsequiis patron.* Seruitute mulctati libertini ingrati.

Vt libertis in manumissione affingebatur nomen; ita Christus nobis initiatis arcanis fidei suæ mysteriis, imposuit nomen suum, vt eo quo par est honore reuereamur nomen illud, quod est titulus omnimodæ sanctitatis. Qui secus faxit, eum manet sors iniqua libertorum, quos ingrati animi nota exautorabat, & mulctabat pristina seruitute, velut indignos gratiâ libertatis, vt cauerunt Imperatores Diocletianus & Maximianus, quibus adiice Gordianum, qui hanc libertorum reuerentiam voluit porrigi vsque ad filios patronorum, quos vindex iudicis gladius absumpserat. Ecce legem. *Etiam liberis damnatorum consuetum obsequium libertos paternos præstare debere in dubium non venit. Proinde si non agnoscunt reuerentia debita munus, non immeritò videntur ipsi aduersum se prouocare seueritatem.* Obsequium quod Christus exigit à nobis, vergit in decus & commodum libertorum eius. Nempe hoc petit, vt geramus nos sicut decet liberos, & caueamus à ritibus hominum impiorum. Quippe is libertate sua cadit, qui vltro diabolo subiicitur appenso pretio vitiorum. Ita Ambrosius: *Voluntarium sibi militem elegit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis adstrictum possidet, nisi se priùs peccatorum are vendiderit.* Eò spectat illud Pauli effatum: *Nescitis quoniã cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obeditionis in iustitiam?* Seruire iustitiæ non derogat illi libertati, quam Christus asseruit; sed eam magis adstruit: at peccato dare nomen suum, hoc seruitus est ingloria.

Ex SS. PATRIBVS. *Ambr. lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 3.* Serui diaboli quinam sint. *Roman. 6. Ambros. vbi supra.*

Seruire iustitiæ, quàm sit gloriosũ. Seruitus sub Deo pretiosa.

Audiendus in ea thesi Ambrosius ita fatus: *Si aut peccato seruimus, aut iustitia, consideremus in qua parte seruitus tolerabilior, fructus vberior. Sed qui potest esse fructus in morte? Peccati enim stipendium mors: & ideo nullus in eo fructus est, sed pudoris dispendium: cùm ea, quæ gessimus, erubescimus. Seruire autem iustitia, libertas est. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Vtraque conditio optima, esse sub Christo, sub quo & pretiosa seruitus, & gloriosa libertas. Pretiosa seruitus, quasi tanti sanguinis pretio comparata: gloriosa autem libertas, quàm nulla seruitius culpa, nulla peccatorum vincula constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui seruitutis addicunt.* Isto liberti liberi sint, vtpote manumissi; tamen aliquali modo serui sunt ratione obsequij, quod tenentur patronis, vt dominis exhibere; Sed hæc seruitus est libera, & confirmat libertatem manumissi, qui alioquin redigeretur in ordinem, si præfatis deesset obsequiis. Ita & qui morem gerit Deo, ille libertus est Dei, cui cultus exhibitus aliquam in homine seruitutem sapit, sed adeo liberam, vt homo rursus vile diaboli mancipium fieret, si debitum Deo pensum reddere detractaret.

Seruitus libertorum libera est. Pretiosa, & libera seruitus est filiorum Dei.

Ambrosius ibidem.

Seruire Deo, & libertate gaudere, esse res concordes, eruditè explicat Ambrosius, quem accipe. *Seruum te dicis? libertus es: liberum te iactas? seruus es. Nam & ille qui quasi seruus redemptus est, libertatem habet: & iste qui quasi liber vocatus est, bonum est illi vt seruum Christi se esse cognoscat, sub quo seruitus tuta est, & libertas secura. Quis quasi idiotam Paulum, vel in ipso iure asserit? Sciuit enim discernere inter libertum, & liberum, & ideo non perfunctoriè, sed propriè dixit: Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Reuera enim omnes Christi liberti sumus, nemo liber. Omnes enim in seruitute generati. Quid seruili conditione arrogantiam libertatis assumis? Quid titulos libertatis vsurpas, seruilis hæreditas? Nescis quòd te Ada atque Eua culpa mancipauerit seruituti? Nescis quòd redemerit te Christus, non emerit? Non auro, non argento redempti estis de vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine agni, clamat Apostolus Petrus. Ergo redemptus a Domino es, seruus es, quia creatus es: seruus es, quia redemptus es: & quasi Domino seruitutem debes, & quasi Redemptori. Nec inferiorem putes libertinitatem sub Christo, quàm libertatem esse. Ad dignitatem æqualis, ad tuitionem præstantior est, ad gratiam par, aduersus lapsum cautior, aduersus superbiam tutior. Ita libertatem accepisti, vt meminisse manumissoris tui debeas, vt patrono tuo noueris legitimum obsequium deferendum, ne ab ingrato reuocetur libertas. Quid te beatius, qui sub Domino regnas, & sub patrono militas?*

Serui sunt omnes homines.

1. Petr. 1.

Libertas homini à Deo data qua conditione.

Christianus, est nomen libertatis.

Itaque vt obsequium Domino pensum vergit in fœnus libertorum; ita & cultus Deo exhibitus ab homine magnum huic liberto Dei conciliat gratiarum pondus, vt liquet ex natura pensi, quod Christus imposuit, hanc scilicet exigens operam à nobis, vt simus perfecti, ne fiat iniuria nomini Christiano, quo dignati sumus vt titulo libertatis. Vnde vox ista, *Estote perfecti*, perinde sonat, ac, estote liberi, & cauete, ne quidpiam committatis inglorium, quo detrahatis sorti hominum liberorum. Deus obsequiis nostris haudquaquam in cothurnos surgit, aut gloriæ incrementum suscipit; sed omne lucrum in nostra compendia refunditur: perficimur enim, quando pollicitis stamus; nec liberiores vnquam sumus, quàm dum vota & mores componimus ad arbitrium Dei: & penes hanc libertatem est illa perfectio, quam suggerit ille textus præfixus

Perfectionis studium adstruit libertatẽ hominis.

Ambr. in Psal. 104. præfixus articulo quem decurro. O nos beatos, quibus seruire, regnare est; & perfectioni incumbere, est clauo trabali suam figere libertatem! Secus verò impiis libertas est vitiorum omnium seruitus indecora, iuxta illam Ambrosij sententiam: *Est sapienti & seruire libertas. Vnde colligitur, quia stulto & imperare seruitus est, &* (*Quæ sit seruitus peccati.*) *quod peius est, cùm paucioribus præsit, pluribus dominis, & grauioribus seruit. Seruit enim propriis passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum dominatum nec nocte potest fugere, nec die; quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile. Gemina enim seruitus est, altera corporis, animorum altera. Domini autem corporis quidem homines, animorum autem malitia, & passiones, à quibus sola animi libertas sapientem vendicat, vt seruitio ei liceat exire.*

Libertas impiorum, est seruitus omnium vitiorum. Ambr. vbi supra.

Vides hinc, quàm sint sigillandi degeneres illi Christiani, qui abhorrent à studio perfectionis, ne ea libertate cadant, qua gestiunt vitiis indulgentes. Quasi verò iacere in spurcissima vitiorum colluuie, crapula distendi, fœtere olida libidine, ira ardere, dissolui inertia, sint res congruæ libertati. Ita Ambrosius: *Quomodo se erigat abiectus, & vilis sensu, atque ignobilis, demersus in omnem infirmitatis voraginem vitæ huius cupiditate?* Quòd si fas est arguere ab infimis, vt superiora nobis innotescant, hominis integritas spiritalis venanda est ea ratione, qua suæ corporeæ integritati homines student, scilicet ex animo suis dominis obsequendo. Sic morem gerere Christo suadenti perfectionem, hoc est se integrum & perfectum præstare. Audi rursus Ambrosium. (*Ibidem.*) *Tantumne cæcitatis est, vt non videamus manifestas rerum imagines, & virtutum expressiones? Et quàm indignum, vt populi integri obediant humanis legibus, quot sint libertatis participes: sapientes autem veram legem naturæ expressam ad imaginem Dei, veramque rationem signiferam libertatis negligant, & derelinquant, cùm in ea tanta libertas sit, vt paruuli seruire vitiis nesciamus, alieni ab ira, exortes auaritiæ, ignari libidinis? Quàm miserum igitur, vt qui nascimur in libertate, moriamur in seruitute! Sed hoc fit leuitate animi, atque infirmitate morum: quia curas inanes voluimus, & operamur superuacua. Sapientis autem cor, actumque, & opus esse radicatum decet atque immobile.*

Libertas vera acquiritur obediendo legibus.

Illa animi constitutio recensita ab Ambrosio ea est, quam Deus exigit à libertis suis, ne sint degeneres, & iniurij suo manumissori, qui cùm sanctus sit, vult esse sua sancta omnia, ne aliena tessera rebus superis inuratur. Hinc emersit hoc (*1. Thess. 4.*) Pauli effatum: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Vtque eò redeat vnde effluit oratio; Christiani dicimur à Christo, vt professi disciplinam eius, eosdem virtutum calles obeamus, quos iniit ille consultor perfectionis, suppeditans idoneos gratiæ sumptus, ad hoc tersioris vitæ genus arduum acquirendum. Ita Augustinus: (*August. lib. medit. c. 7.*) *Elegit te in omnibus, & assumpsit te ex omnibus, & amauit te in omnibus, nomine suo vocauit te, vt memoriale eius esset semper apud te, voluit te esse semper participem in nomine, participem in nomine veritate, quoniam vnxit te illo quo & ipse vnctus erat oleo lætitiæ, vt ab vncto sis vnctus, qui à Christo diceris Christianus.* Si igitur, ô homo, interpretaris nomen tuum illud, quo Christi censeris esse discipulus, habebis inde

Christianus nomen est vnctionem significans.

ad perfectionem aucupandam congruum argumentum.

SENSVS MORALIS.

Natura nouercante deterior fit homo incurius anhelare ad perfectiorem statum.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS IV.

Ex Mathematica, Et SS. Patribus.

INcrebruit quondam apud Persas ista opinio, scilicet hominem fuisse progenitum ex connubio cœli & terræ, quo autem assertore viguerit ista sententia, non occurrit, nisi fortè Persæ audientes hominem è limo formatum, Deo gerente vices figuli, crediderint Deum esse cœlum, & limum, terram. Rectius arbitror Persas ex vicinia Ægyptiorum accepisse hanc fabulam, de hymenæis cœli & terræ: familiare siquidem fuit Ægyptiis multa recondere arcana tegmine fabularum. Itaque Persæ arbitrati sunt, hominem cœlo terraque satum, quia vtriusque naturam participat. Parte sui potiore, id est anima, patrem suum refert, scilicet cœlum; corpore verò matrem suam, id est, terram reddit: corpus namque, vt & terrea omnia, corruptioni obnoxium est, ac proinde suo tempore dissoluendum. Ast anima secus, quasi diuinæ auræ particula nescia est interitus, nacta substantiam, in quam nihil omnino potest æuum diuturnitate temporum obsoletum. Eamobrem homo & cœlum res sunt concolores, petitis vtrimque multis dotibus, quas vtriusque naturæ Deus communes fecit. Primò substantia cœli æmulatur animæ indolem, quæ est corruptelæ impatiens. Secundò cœlum multa siderum face rutilum, nocte dieque coruscum est; ita & anima virtutibus & gratiis est splendida, si non se ei offundant spissæ vitiorum nubes. Quodque magis ad rem pertinet, figura rotunda cœlis aptata est, vt magis idonea gyris interminis, quos perpetuos agunt cœli, ita & animæ insita est quædam propensio ad agendum, ratione cuius anima gyrat semper, estque inquies, vtpote exosa ferias, & actionibus consonis occupata.

Homo natus ex connubio cœli & terræ ex Persarum sententia.

Ex Mathematica.

Animæ cum cœlo comparatio.

Planetæ in suis epicyclis sese tribus modis habent.

In tota serie corporum cœlestium, periodi & motiones siderum non eumdem omnino tenorem seruant: idque præcipuè constans est in planetis, qui etsi suo cœlo deferente rapiantur ad occasum; tamen aliud cœlum compendiosum vendicant sibi, cui epicyclus est nomen. In illo breuiore circulo, planeta se trifariàm habet; aut enim directus est, aut retrogradus, vel demum in statione positus. Planeta retrogradus ille est, qui contra regularem signorum positionem graditur, vt quando Saturnus à Tauro in Arietem transit. Directus verò est planeta quando decurrit Zodiacum, singulis quibusque signis tramite constituto, vt cùm Saturnus peragrato Ariete subit Taurum. Tandem erraticum sydus in statione positum est, quando in neutram partem inclinat sensibiliter: & hic status nequit esse diuturnus,

Ioan. à Sacro Bosco lib. de sphæra.

Stohmanus l. de iudiciis Schemerus. Origanus.

nus, quia vt præceps est siderum motus, necesse est planetas esse directos, aut retrogrados. Ecce in planetis graphicum animæ typum. Illa nempe diu constare nequit sibi in eodem situ, vtpote gyrans semper; ac proinde operæpretium est, animam proficere, ad dexteram incedendo; aut deficere, vergendo ad sinistram. Quia figura orbicularis anceps est in quam inclinet partem; data est intelligentia cœlis, quæ eos verset ad arbitrium rerum omnium moderatoris Dei, cui ita subdita sunt procera illa corpora, vt nunquam à præfixo sibi ordine deuiarint. Anima non est adeò sui propositi tenax, nimirũ aliam à cœlis indolem sortita resilire potest ab impulsu,quo ab intelligẽtia sua percellitur,vt probãt tot degeneres animarũ motus. Licet enim Deus hortetur homines ad perfectiorẽ statum, quod perinde est ac mouere, vt directè incedant de virtute in virtutẽ;rari sunt, qui decurrunt illam virtutum viam, ad quam ineundam nos articuli huius titulus adhortatur.

Planeta diu nequit esse in statione.

Tertia itaque in homine exurgit obligatio ad sectandam perfectionem. Duas supra recensui, vnam, quæ attenditur ex præcepto omnibus indicto, ad studendum perfectioni; alteram, quæ sequitur nomen nostrum, quod est titulus integræ libertatis. Tertia rursus occurrit ratio sollicitans singulos homines ad componendam vitam suam iuxta sanctiores ritus à Christo Domino constitutos, prout expedit vnicuique hominum sortiri nam esset incongruum coniugatos velle æmulari mores eorum, qui se arctioris claustri carceri manciparunt. Illa hæc ratio petitur à natura inconstanti animæ,quam nullus omnino status adeò afficit, vt eo gaudere queat; omnia namque ei noua placent: vnde si pertæsa laborem assiduum,quem secum vehit ardua virtutum praxis, hoc sibi imponit pensum, vt in eo virtutis gradu sistat, profectò rem sibi indixit difficilis negotij, & superantis animæ vires. Eamobrem necesse est animam retrocedere, si procedere ei non insedit. Et hoc validum esse reor argumentum ad prouocandas animas: scilicet fore eas deteriores, si non satagant esse meliores; quia anima inquies nunquam vni eidemque puncto assueuit. Ita Theodorus Abbas apud Cassianum. *Nulla virtus potest immobiliter ab homine possideri; sed vt parta iugiter teneatur,necesse est eam semper illa qua acquisita est sedulitate atque industria custodiri.*

Quare homo obligetur ad sectãdam perfectionem.

Anima nequit in codẽ statu diu remanere.

Ex SS. Patribus.

Cassianus coll. 6. c. 14.

In huius rei figuram, Isaac pueruli pubescentis ætas hoc dicendi schemate describitur: *Proficiens crescebat Isaac.* Illic subodoratur inesse mysterium Gregorius Nyssenus,sic versans illum locum. *Neque enim consistebat, sed magnis semper spatiis progrediebatur: crescebat virtutum studiis, & officiis: crescebat iustitia, & pietate.* Eodem scribendi tropo vsus est Lucas vt congruo penicillo, ad lineandam perfectionem parentum Ioannis, Christi Domini præcursoris. Sic ille. *Ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus.* Iustitiam & incessum nexu indiuiduo implectit; quia hiulca & deficiens est iustitia, quæ virtutum progressu maiora in dies non suscipit incrementa. Audiendus in eo themate scholiastes egregius; Petrus scilicet Chrysologus, quem accipe. *Incedit qui non stat in triuiis peccatorum: qui peregrinum se hoc sentit in sæculo: qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones: qui montes iustificationum, mandatorum colles indefessus viator ascendit, vt præsentia parentis Dei, patria cœlestis beatitudine perfruatur.* Ad idem perfectionis arcanum pertinet illa adiectio recensita à Luca, qui meminit, grandæuos parentes Ioannis Baptistæ inoffenso pede decurrisse viam mandatorum Dei, subiicit has voces: *Sine querela.* Quasi diceret: Esto queruli homines leiusculà suspicione mali offendantur,nemini tamen molesti sunt illi, quos perfectionis alta cupido tenet: nimirum apud eos degit Ioannes, id est, gratiarum cumulus ingens Neque ab eo scopo aberrat Chrysologus,ad suam trutinam appendens illum versum hoc tenore: *Quis fumi nescius cupiditatum transit incendia? quis vita lubricum nunquam lapsus euadit? per vitiorum gurgites quis impollutus incedit? carnis negotia, vitæ causas, actus mundi quis peragit, & non erit in querela, cùm nasci ipsum plenum sit & lacrymis, & querelis? Namque parturiens queritur ex dolore, & natus in lacrymas queritur ex natura. Sed in Zacharia & Elizabeth reatus occidit, periit querela, omnis est amputata causatio; quia in illis parabatur,vnde tota sanctitas nasceretur.*

Gen. 32.

Greg. Nyssenus.

Luc. 1.

Chrysol. s. 89. Perfectionis studiũ nullas agnoscit moras.

Idem vbi suprà. Perfectio animã quietam dicit.

Vides, quantis præludiis natiuitas Ioannis Baptistæ fuerit honorata, Deo præmonente, magnos gratiarum cumulos congeri tantùm ab eis, qui incedunt in omnibus mandatis, nullo eos planè vitio remorante. Eò etiam spectant illa eiusdem Lucæ verba: *Ambo processerant in diebus suis.* Vnde Chrysologus in gratiam perfectionis ita fatur. *Processerant, non decesserant: vixit in sanctis ætas, non defecit; sed processit. Aut quid illis deficit, quibus accedunt semper incrementa virtutum?* Profectò vt ille seipso melior est in dies, quem assidua virtutum praxis excolit; ita ille non procul à ruina est, qui sibi præclarè gestorum ferias indixit gratia fatiscente.

Ibidem.

SENSVS MORALIS.

Homo perfectionis incurius in peiora ruit.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

ARTICVLVS V.

Ex Philosophia, et Sanctis Patribus.

Athalia fœmina famosa, vtpotè damnata in fœdam omnium scelerum praxim: fœmina hæc exosa Deum expilauit templum eius, vasaque sancta transtulit in delubrum Baalim; sed Deo vindicante suas iniurias, gladio vindice sacrilega mulier occubuit: & ruina eius fuit instauratio templi, quam procurauit Rex Ioas, multâ pecuniâ vndique conquisitâ. Et quia nihil in hoc æuo diuturnum est, & omnia vetustate labant; præfatus ille Ioas respiciens ad sarta tecta templi, penes sacerdotes reposuit magnum auri pondus, vt huius æris obsequio consuleret sacris ædibus obsoletis. Simili cautione Deus prouidit animarum ruinis. Nempe instituit Sacramentorum vsum omnibus obuium beneficio sacerdotum, qui & aliâ pecuniâ reparant hominum dispendia, videlicet suggerendo praxim virtutum, quæ sunt è regione vitiorum, quæ arietant in mystica templa

Exordium congruum ad concionem de perfectionis studio indefesso.

2. Paral. 14.

FF 4 Dei,

Dei, scilicet in animas; quarum omnia vasa Deo olim sacra in Baptismo, postea præualente vitio dæmoni mancipantur: tunc maximè, quando omnes animæ facultates, nihil nisi impium versant, illectæ voluptatum aucupio. Vt ergo instauremus ingruentes quotidie animarum ruinas, quas ingerit natura in malum prona, par est consulere ærarium templi, conueniendo sacerdotes, vt illis quæstoribus habeamus opes necessarias ad sarta tecta nostra. Non satis est semel & iterum adire ærarium templi, id est, haud quaquam sufficit parcè vti Sacramentis, & raro virtutum vsu frui; sed operæpretium est, multa edere virtutum specimina, & familiarem habere vsum Sacramentorum, si animo insedit quotidiana animarum deliquia reparare.

Sacramentorum frequens vsus necessarius est ad reparandas animæ ruinas.

Ex Philosophia. Aristotel. l.1. de cælo text. 18.

Eò pertinet illud Philosophiæ theorema: *Nullum violentum perpetuum.* Vnde arguo, virtutes non fore diuturnas, quas quis rarò & remissè profitetur. Etenim virtutis indoles vim facit ingenio hominis corrupto, atque ita virtutis professio est quid violentum lacessens animam, cui propensio in malum abiit in naturam, vtpotè velut insita ex traduce. Homines namque sati parente vitiis obnoxio, eius contagio virus illud participant; proinde inualescente ætate, simul & procliuitas in vitia iugiter adolescit: vt Deus ipse hominum sortem miseratus ait, mundo adhuc posito in incunabulis: *Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Cùm ergo altè radicata sit illa in homine mala propensio, & sit veluti tenax habitus; est indiga sollicitudinis magnæ ad hoc vt funditus euellatur. Vnde licet aliquando anima assurgat in aliquos virtutum actus; si postea fessa labore capiat inducias, illa praxis modicam facit impressionem, ideoque vt violenta parum durat, in eam peruersâ animarum indole præualente. Fitque anima deterior prægustato virtutum vsu, quem turpiter abdicauit.

Genes. 8. Virtutũ praxis est veluti quid violentum homini.

Vt ergo fiat anima cautior, debet omnem mouere lapidem, vt quod hactenus violentum fuit, abeat in naturam. Hoc præstabit, si refricet crebros virtutum actus: namque ex placito Philosophorum, habitus acquisiti repetitis actibus ingeruntur. Ergo cùm repetere crebros virtutum actus perinde sit, ac perfectioni sedulò incumbere; necesse est hominem studere illi negotio, & sic perfici, si non vult esse deterior: quippe, vt præfatus sum, remissa virtutum praxis aliqualem homini violentiam facit, sed momentaneam, quia nihil violentum perpetuum. Diligens verò virtutum vsus eas sic affricat animæ actibus intensis, vt quod violentum fuit initio, fiat naturale postmodum in progressu, ac proinde diuturnum. Itaque fit homo præstantior, cui vegetior inest cupido boni, prosiliens in effectum: namque assidua consuetudine virtutum natura defæcata, facit eas sibi vernaculas, atque naturales: quod autem naturale est, illud ægrè deliquium patitur.

Quomodo virtus possit esse in homine perpetua.

Perfectionis incuria hominem deteriorem facit.

Instabis, virtutes nullâ omnino industriâ posse fieri naturales; quia contraria non coëunt: Sed natura humana est veluti consita vitiis, iuxta ipsius Dei laudatam sententiam affirmantem, omnia quæ hominis sunt, esse prona in malum: Ergo vitia & virtutes haudquaquam simul afficient animam, sicque nusquam virtus erit homini naturalis. Respondeo, bifariàm aliquid esse naturale. Primò vt positâ naturâ, statim effluat illa proprietas, sicuti calor ignem consequitur. Eo modo virtus non est homini naturalis; imò verò discolor est, & facessit homini negotium, ob naturam, Adami crimine sauciatam. Rursus, naturale sumitur pro eo, quod est naturæ conueniens, vt albedo est naturalis chartæ, licet omnis charta non sit alba. In eo sensu virtus est naturalis homini; siquidem ex Dionysio, conueniens est homini viuere ad arbitrium rectæ rationis: Ergo cùm virtutum praxis pertineat ad vsum rectæ rationis; virtus erit homini naturalis. Præterea ex Aristotele, *Virtus est dispositio perfecti.* Atque ita, quod perfici potest, illud est etiam capax eius, quod aliqualem ei perfectionem affricare potest. Ergo cùm ex Aristotele homo naturaliter inclinet in cognitionem veri, & in appetitum boni; poterit vtrimque perfici, & sic virtutes intellectuales, & morales, quæ pertinent ad intellectum, & ad voluntatem, erunt homini naturales. Macte igitur, ô homo, & memor esto indolis tuæ, quam à Deo bonam sortitus es; non te deseret institutor ingenij tui, si strenuam nauas operam, & quam decet adhibere ad infestos habitus extirpandos. Si secus faxis, proculdubio natura dehiscente fies deterior, vtpotè vitio præualente. Quemadmodum enim aqua tepens, cui calor deforis adueniens vim intulit, citius alterâ congelascit; ita anima tepida, vecorsque, in acediam fracta, post aliqua rudimenta virtutis, in vitiorum omnium barathrum delabitur, & extincto prorsus omni calore pietatis, infelix tota vitiis obrigescit.

Quomodo virtutes sint homini naturales.

Dionysius l. de diuin. nominib. cap. 4.

Aristot. l. 7. Physic. text. 17.

Idem lib. 1. Metaph. l. 2. Eth. cap. 1.

Perfectio est feriari impatiens, ne otiando breui amittantur bona lõgo tempore comparata.

In ea historia naturæ nouercantis, familiare est exemplum nauiculæ vi remorum aduerso flumine renitentis: vigente brachiorum œstro percita nauis superat impetum aquæ; sed otiante remo, nauis acta fluminis obsequio, vnâ morulâ perdit hoc spatium omne, quod vno die confecerat valido brachiorum nisu, & viribus indefessis. Ea similitudo prostat apud Cassianum ita fatum: *Necesse est aut renouatus quis spiritu mentis sua per singulos dies proficiat, ad ea quæ ante sunt se semper extendens, aut si neglexerit, consequens est, vt retrò redeat, atque in deterius relabatur. Necesse est enim aut virtute brachiorum torrentis alueí impetum desecantem ad superiora conscendere, aut remissis manibus, ad præceps prono amne reuocari.* Idcircò Theodorus Abbas, quem ibi memorat Cassianus, veritus incommoda acediæ, familiarem habebat istam sententiam: *Debemus ad virtutum studia irremissâ curâ nos semper extendere, ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur: non acquisiuisse enim, minuisse est; quia desinens proficiendi appetitus, non aberit à periculo recedendi.* Luculenter hoc argumentum versat Bernardus, meditans quare Sponsa Canticorum dixerit aduenisse tempus putationis: alibi eum laudaui; sed quia truncam illic recensui sententiam eius; illam nunc integram accipe, & appositè ad intentum meum, de anima excolenda iugiter, ne in perniciem eius vitia turpent adolescentiam. Hæc ille: *Quis ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpè putandum est, imò si fieri posset, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. Quamtumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa.*

Ex SS. Patribus. Cassian. coll. 6. cap. 14.

Ibidem.

Bernardus serm. 58. in Cant.

Velis

Quare semper insistendum sit mortificationi.

Velis nolis intra fines tuos habitat Iebusaus: subiugari potest, sed non exterminari. Scio, inquit, quia non habitat in me bonum. Parum est nisi & malum inesse fateatur. Ait: Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Si autem quod odi illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Aut te ergo si audes prafer Apostolo, nempè ipsius ista vox est, aut fatere cum illo te quoque vitiis non carere. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solùm putatione, sed & circumcisione. Alioquin verendum ne circumquaque à labentibus, vel potiùs rodentibus vitiis, illa dum nescis paulatim elangueat, aut si superevenerint suffocetur. Vnum in tanto discrimine consilium est, obseruare diligenter, & mox vt renascentium capita apparebunt, prompta seueritate succidere. Non potest virtus pariter cum vitiis crescere. Ergo vt illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, salubria surgunt: vtilitati accedit quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi. Putetur cupiditas, vt virtus roboretur. Nobis putationis semper est tempus, sicut semper est opus. Hactenus ille Sanctus, apprimè versatus in ea virtutis omnigenæ disciplina.

Virtuti nullæ sunt feriæ concedendæ.

Illud indefessum studium, quod Bernardus ingerit ad defæcandas animas, adstruit meam sententiam, quæ concludit, hominem in deteriora labi, si detrectat virtutis obsequia. In ea sententia quoque fuit Salomon, vsus dictionum abditis inuolucris. Sic ille: *Stillicidia eiiciunt hominem de domo sua in die hyemali.* Quem locum erudite expendit Cassianus hoc contextu: *Mentis incuriam domati comparauit, tectoque neglecto, per quam primo penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali, id est, tempore tentationis ingruente, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua circumspecta se diligentia retinens, velut in domus propriæ possessione requieuerat.* Vt huic dispendio occurras, ô homo cupide melioris sortis, caue inducias, sed totus irrequieto conamine gratiæ collabora. Æmulare zelum Zachariæ, & Elizabeth, quos Lucas ait fuisse *Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Dei sine querela.* Vide superiori articulo, quomodo Chrysologo sapiat ille versus, quem denuò alibi sic expendit congruè ad intentum meum. Ita vir ille melliloquus: *Incedentes dixit, vt eos ostenderet cucurrisse virtutibus, non stetisse: & ambulasse in via iustitiæ, non sedisse: nec remansisse in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem peruenisse. Beati quos percutit, non vulnerat crimen; sed beatiores isti, quos tetigit nec querela. Si pueritia, si adolescentia, si iuuentus sine querela est, qualis horum senectus? Si tale initium, qualis finis? Ascendisse iustificationum vertices, colles mandatorum, nec in aliquo titubasse, est gratia singularis, est vnica fœlicitatis insigne.*

Prouer. 27.

Cassianus coll. 6. c. 16. Negligentia quam lethalis sit animæ aliàs intentæ studio perfectionis.

Chrysol. ser. 91. Perfectionis studiú quibus gratiarum dotibus animas afficiat.

Quisquis igitur retrogradi metuit, is ne sit segnior in progressu, sed omnes animæ neruos sic contendat enitendo ad ardua, vt faustis auibus assurgendo, tandem auspicatò ad optatum virtutis apicem euehatur.

SENSVS MORALIS.

Disciplina Christiana iugiter vrget suos Professores ad perfectionem comparandam.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS VI.

Ex Historia, et Vtroqve Ivre.

Aristoteles arbitratus, acui mentis aciem deambulando, suos discipulos illi modico exercitio assuetos erudiit, vnde & ab ambulatione nomenclaturam accepit illa Aristotelis secta, dicta Peripateticorum, id est deambulantium: nam περιπατέω perinde est ac deambulo. Similem ferè denominationem sortita est disciplina Christiana: nimirum nomen habet ab alacri motione, quæ vncta corpora consequitur, ita vt sors Christianorum sit veluti status athletarum, quos vnctio faciebat in discrimina alacres, & expeditos. Itaque Christiani nomen deductum à verbo, χρίω, id est, vngo, hominem initiat disciplinâ exosâ requiem illam ignauam, quæ hominem frangit, faciendo eum ineptum ad grandia moliendum. Vox illa mascula est, suosque bajulos eâ panopliâ cataphractos erudit ad ardua audendum: ea scilicet, quæ meminit Christus illa parænesi: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Eo breuiloquio prudens hic præceptor disciplinæ suæ summam fecit: quippè professio Christiana concludit omnes omnium virtutum vsus; neque Christianis in ea virtutum alea sufficit ambulare, vt Peripateticis, sed currere incumbit, iuxta illud Pauli: *Sic currite, vt cōprehendatis.* Eamobrem ille idem Apostolus, Christianum esse, perinde censuit ac currere: increpans enim Galatas ob aliquos eorum næuos, quos in fidei norma contraxerant, illos feriit hac censura: *Currebatis benè, quis vos impediuit?* Vbi nota, hæc omnia quæ remorantur incrementum perfectionis nostræ, esse impedimenta iniuria animæ decurrenti.

Ad quid nos obstringat nomē Christianum.

Christianus nomen est actionis nesciæ feriarum.

Christianæ disciplinæ summa est, currere. 1. Cor 9.

Galat. 5.

Plerique olim vt facerent sibi nomen grande, magnos induerunt animos, ita se aptantes ad illustria facinora; nihilque non operosum moliti sunt, vt vilia stipendia humanæ gloriæ mercarentur. Meliùs nobiscum actum est, & æquiori sorte dignati sumus: etenim nobis nomen magnum inditum est citra vllum facinus egregium, ea tamen lege, vt nihil indignum hoc nomine committamus. Eo argumento edocta virgo Blandina elusit omnes tortorum minas, & tormenta: nimirum tentata de abiuranda fide, audacter restitit in has effusa voces: *Christiana sum, nihil apud nos sceleris admittitur.* O sponsam Deo dignam, cui solum fidei nomen congruus fuit aculeus ad fortia audendum, & turpia detestandum! O homo, non pudeat te discere à virgine, quibus armis diabolo resistatur! Habe in tuos vsus familiarem hunc clypeum, siquæ spicula intorquet dæmon; *Christianus sum, nihil apud nos sceleris admittitur.* Tantúmque abest, vt Christianum nomen & crimina coëant, quin potiùs titulus ille sonat quid

Blandina virgo solo nomine Christiano gloriata.

Ex historia. Baronius annal. tom. 2. sub ann. 179.

Christiani nominis quanta sit virtus. *Euseb. lib. 5. cap. 1.*

Sancti Diaconi vox vna in tormentis, Christianus sum.

quidpiam grande, nimirum virtutum omnium compendium, statumque animæ defæcatum. Eodem nomine armatus diaconus quidam Viennensis, nomine Sanctus, patriam suam, parentes, & sortem siluit in tormentis, quæ subiit Christi causâ: ad omnia namque interrogata vnum hoc subiecit: *Christianus sum.* Quasi diceret: Frustra in me facitis periculum quid valeant exquisiti cruciatus ad labefactandas animas; quamdiu recolam nomen professionis cui me deuoui, tamdiu mihimetipsi constabo tum Christianum esse, & martyrem, perinde est.

Christianus nomen est martyrij.

Disciplinæ Christianæ professio altè meditata, animo ingeret propositum tenax excolendi animam suam studio perfectionis, quam suggerit eruditio hæc cœlestis, vt suo exemplo illustri ostendit Pelagius puer impubes, tredecim annos natus. Is datus obses pro auunculo suo Ermoigo Episcopo Cordubæ, specimen edidit insigne suæ Religionis auitæ: nam cùm esset corpore eleganti, & facie venusta vsque ad stuporem: Rex Abraham, à quo tenebatur, eum amore obscœno deperiit: vtque morarum impatiens est hæc prurigo, Rex ille impudicus ausus est immane nefas: irrita tamen fuere conamina nefandi hominis in puerum, qui suprà ætatem vegetus obstitit, fortiter eludens spurcissimi hominis insultus, in has erumpens voces: *Christianus sum, cui nequaquam licet turpia perpetrare.* Ea voce perculsus Rex, & ægrè ferens suæ libidinis incendia non restingui, iuuenem hunc formosissimum in frusta crudeli funere laniauit. O iuuenem æuo longiore dignum, ni grandæui hominis atque magnanimi partes omnes puerulus obiisset! Christianum nomen castitati decorem adiecit, faciens eam Deo sacram: & castitas illibata, nomini Christiano nihil tulit indecorum.

Baronius to. 10. ann. sub ann. 925. ex Raguele authore illius æui.

Pelagij pueri castitas admiranda.

Christianus Iustinus Philosophus in Dialogo cum Tryph. Iuda.

Vt hoc Christianum nomen indueret Iustinus Philosophus, vir famosus rerum omnium peritia, quam callebat, nomen suum Christo dedit, ea confessione præuia, se lustrasse canones & dogmata omnium sectarum, & vbique lacunas & pleraque hiulca reperisse, quæ animum ieiunum relinquebant, solamque requiem animæ nactum in indagine disciplinæ Christianæ, quam aiebat esse absolutissimam omnium disciplinam, cuius argumenta sunt virtutes omnes vernaculæ Christianis, vt ait Hieronymus, affirmans solum Christiani hominis habitum, si is est qui Christianum decet, infidelium hominum vitia condemnare. Hic ille carpit Iouinianum hæresiarcham, gulæ & ventris vile mancipium. *Fauent tibi crassi, nitidi, albati: quoscumque formosos, calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus genis videro, de tuo armento sunt; imò inter tuos sues grunniunt. De nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius sæculi: licet sermone taceant, habitu loquuntur & gestu.* Christiana professio & virtutes alternis obstetricantur: namque Religio suos professores initiat amore virtutum, & virtutes excultæ produnt disciplinam Christi, quæ homines tantùm ingenuos decet, vtpotè socia libertatis.

Christiana disciplina est absolutissima omnium.

Hieronymus lib. 2. in Iouinianum.

Christiani vtplurimùm subpallidi.

In gratiam huius disciplinæ conditæ sunt leges, quibus cautum est, ne quis Paganus, aut Iudæus haberet mancipia Christiana. Ecce legem. *Græcus seu Paganus, & Iudæus, & Samaritanus, & alius hæreticus, id est, non existens orthodoxus, non potest Christianum mancipium habere, quia & ipsum mancipium Christianum ad libertatem peruenit.* Imperator credidit indecorum, Christianum hominem, hominis alterius subiici seruituti. Similem legem tulerant Imperatores Honorius, & Theodosius hoc tenore sancitam. *Iudæus seruum Christianum nec comparare debebit, nec largitatis, vel alio quocumque titulo consequetur. Quòd si aliquis Iudæorum mancipium, vel Christianum habuerit, vel secta alterius, seu nationis crediderit ex quacumque causa possidendum, & id circumciderit: non solùm mancipij damno multetur, verùm etiam capitali sententia puniatur, ipso seruo pro præmio libertate donando.* Si rem ingloriam Principes arbitrati sunt, seruili contagio pollui nomen Christianum; collige quàm Deo ingratum sit, videre in homine Christiano vitia pullulare: namque magis iniurius est nomini Christiano ille, qui vitiis seruit, quàm is, qui corpore tantùm tenus, terreno Domino mancipatur. Ante Deum enim libertas attenditur, non ex sorte sed moribus, iuxta veridicam istam Ambrosij sententiam. *Non natura seruum facit, sed insipientia: nec manumissio, sed disciplina liberum. Esaü liber natus est, & seruus factus est. Ioseph venditus in seruitutem est, & electus est ad potestatem, vt suis emptoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obsequium sedulitatis, sed tenebat virtutis fastigium, conseruabat libertatem innocentiæ, integritatis auctoritatem. Vnde pulchrè Psalmista ait: In seruum venundatus est Ioseph; in seruum, inquit, venundatus est, non seruus factus est. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit: Ferrum pertransiit anima eius? Nam cum aliorum animas peccatum transeat; ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile; Ioseph sancti anima ita non patuit peccato, vt magis peccatum ipsa penetraret. Denique nec herilis illecebra flexus est delinimento: vt immeritò flammas non sensit libidinis, quia maiore diuina flagrabat ardore gratiæ.*

Christianus non seruus esse potest Iudæi, aut Pagani. Ex Ivre Civili.

Lege 2. Cod. Ne Christianum mancipium l. 1. tit. 10.

Leg. Iudæus Cod. eodem tit.

Christianus nomen est libertatis. Ex SS. Patribvs.

Ambros. in Psal. 104.

Seruus propriè nemo nascitur, sed fit.

Itaque præstantior est animæ libertas, quàm corporis, ac proinde si legibus adstruitur libera conditio hominis Christiani, eo solo nomine, quòd Christianus est; potiori ratione debet esse expers vitiorum ille, qui congruam vult agere vitam nomini Christiano: Siquidem titulus ille assertor est libertatis, in quam nihil etiam ipsa vincula possunt, iuxta illud Ambrosij effatum: *Contractus non mutat genus, nec sapientia adimit libertatem.* Ille idem Sanctus hoc confirmat exemplo Pelagiæ Virginis & martyris, quæ libertatem integram seruauit etiam in vinculis. Ita Ambrosius, *Quid sublimius Sancta Pelagia, quæ vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens moriar, nemo me continget manu, nemo oculo proteruo violabit virginem, mecum fero pudorem, mecum incolumem verecundiam: nullum prædones lucrum sua capient insolentia. Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captiuam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam, & prosapiam prudentiæ. Quod seruum est, hic manebit nullos in vsus debitum. Magna igitur pia virginitatis libertas, quæ septa agminibus persecutorum, inter maxima pericula integritate & vita nequaquam inclinata est. At non ille liber, qui seruit auaritiæ, nec potest enim possidere vas suum. Non ille liber, qui seruiens desideriis, & voluptatibus vago fluctuat*

Idem vbi suprà.

Ibidem.

Virginis Pelagiæ virtus in vinculis.

fluctuat mare. Non ille liber, qui curuatus ambitu seruit alieno; sed ille liber, qui potest dicere: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis.

Christiani nominis etiã cupido liberos facit.
Ex Ivre canonico.

Iure etiam Canonico cautum, non solùm eum, qui Christianus est, eximi iugo seruitutis, sed etiam eos, quos aliqua cupido tenet nominis Christiani; ita vt velle date suum nomen Christo, sit veluti quædam ingruentis sponsio libertatis. Bibe igitur aquas de cisterna tua, ô homo Christiane, ex professione tua argumenta sume liberiore vita frui: pudeat te profiteri statum, qui liberos tantùm homines decet, à quo tamen es incultis moribus alienus. Ecce decretum Pontificis Gregorij IX. *Nulli Iudæo, baptizatum vel baptizari volentem, emere liceat, vel in suo seruitio retinere. Quòd si quem nondum ad fidem conuersum causa mercimonij emerit, & postmodum factus sit, vel fieri desideret Christianus: datis pro eo duodecim solidis, ab illius seruitio protinus subtrahatur.*

Capite Nulli Iudæo. De Iudæis & Saracenis decretal. lib. 5 tit. 6.

Numeriani Imperatoris industria vt se vrgeret ad praxim virtutis.

Titulus ille insignis eosdem Christianis in gerere animos debet, quos Numeriano addidit Imperatoris nomen grandiloquum. Princeps ille inclytus nequando deesset nomini suo, se sic vrgebat: ESTO QVOD AVDIS. Quasi diceret: O Numeriane, audis te Imperatorem appellari, caue ne detrahas nomini summo, actibus ingloriis: eum te gere, quem decet nomenclatura Principis eminentis. Ita & compellare fas est singulos quosque homines Christianos, eos hortando, ne quam inferant maculam nomini integræ libertatis. Præco verbi Dei, luculentam habes hîc materiam discurrendi: & hoc esto tibi exemplum parænesis. Christiane interpretare nomen tuum, & deprehendes esse vocem virtuti omnigenæ synonymam. ESTO QVOD AVDIS. Euoluto cortice nominis huius, sese medulla prodet opima tibi; quippe tota perfectorum sors illo titulo reconditur. Quodque auribus singulare delicium est, si propiùs accedas ad suaue melos editum illa voce, profectò gratissimus concentus chori omnium gratiarum illo Christiani nomine resonabit: ESTO QVOD AVDIS. Demum hoc nomen est adeò seruitutis impatiens, vt vtroque Iure nefas sit homini Christiano iugum imponere seruitutis: caue ergo, ne seruias pessimis dominis, scilicet vitiis, quibus maximè læditur hęc libertas Christiano nomine lineata. Quæ autem sit illa, audi rursus ex Ambrosio.

Christiani nominis encomia.

Ex SS. Patribvs.
Ambros. in Psal. 104
Christianus omnis quomodo sit liber.

Sic ille: *Iudæus sub lege, Christianus per Euangelium. In lege seruitus, in Euangelio libertas, vbi cognitio sapientiæ. Omnis ergo qui Christum recipit, sapiens: qui autem, sapiens: liber. Omnis igitur Christianus, & liber & sapiens. Docuit me tamen Apostolus quòd vltra ipsam libertatem sit, vt & seruire libertas sit. Cum liber, inquit, essem, omnium me seruum feci, vt plures lucri facerem. Quid est vltra libertatem, nisi habere spiritum gratiæ, habere charitatem? Libertas enim liberum facit hominibus, charitas amicum Deo.* Libertatem autem illam pertinere ad perfectionis statum, quam suasit Christus, facilè videre est perpendenti, in quo sita sit ratio disciplinæ Christianæ. Nimirum illa est professio reconditæ sapientiæ, cuius partes sunt, omnia æquis librare ponderibus, & quidquid agit facere rectè nemine reclamante. Ita Ambrosius: *Sapiens liber, quoniam qui ea facit quæ vult, liber est. Sed nõ omnis bonæ voluntatis, sed sapientis tantum est, omnia quæ bona sunt velle. Odit enim malum, quia quod bonum est elegit. Ergo si quod bonum est elegit, arbiter electionis, & eligens operationis liber est, quia quod vult facit. Liber ergo sapiens. Sapiens omnia quæ facit, benè facit. Qui autem bene facit omnia, rectè facit omnia. Qui verò rectè facit omnia, vtique inoffensè, & irreprehensibiliter, & sine damno, & commotione sui facit omnia. Cui igitur hoc subest, vt inoffensè faciat, faciat irreprehensibiliter, faciat sine commotione sui, sine damno, nihil insipienter faciat, sed sapienter omnia.*

Ibidem.
Christianæ disciplinæ quale sit institutum.
Sapiens, quis sit.

Si quis igitur nominis immemor, vitam agit imparem homini Christiano, eodem scommate ferietur, quo Alexander Macedo pupugit militem ignauum, cui nomen erat commune cum Alexandro, qui ægrè ferens pollui nomen suum, ita castigauit militis inertiam: *Aut muta nomen, aut muta mores.* Componendi mores in melius illi, qui gaudere volet titulo Christiani, quo eadem cautione par est vti, qua Athenis olim fas fuit vsurpare nomina Harmodij & Aristogitonis, qui occiso Hipparcho tyranno Pisistrati filio, vindices fuere publicæ libertatis. Speciali edicto cautum est, ne quis seruo suo illa nomina affingeret, quia Harmodius & Aristogiton Athenas sui iuris effecerant, confracto iugo ingloriæ seruitutis. Ea lege Deus animaduertit olim in hominem indignum nomine Christiano, cum sic increpans, ministerio Angeli: *Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris: & serua, & pœnitentiam age.* Reuera opera eius non sunt plena, qui nihil omnino perfectum satagit exerere, proinde si Christianus dicitur, nomen habet quòd viuat, & mortuus est; & quia mors illa vitiorum est, nouo etiam scelere contaminat nomen illud, ei affricans turpem maculam sordidæ seruitutis.

Alexander noluit nomẽ suum affingi ignauis hominibus.
Herodot. l. 6.

Hermodij & Aristogitonis nomina sacra Athenis.

Apoc. 3.
Christiano nomini sunt iniurij impij.

Faxit Deus vt tandem aliquando morem geramus Ambrosio consultori optimo, sic congruè suadenti: *Deponamus igitur tam grauem seruitutis sarcinam, renuntiemus luxuriæ ac deliciis, quæ nos quibusdam adstringunt nexibus cupiditatum, & vinculis ligant. Nihil enim prosunt deliciæ stulto. Et qui à pueritia dederit se deliciis, manebit in seruitute, vt viuẽs mortuus sit. Rescindatur ergo luxuries, deliciæ resecentur. Et si quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus. Recisa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit, neglecta luxuriat. Ideoque scriptum est: Tamquam agricultura homo imprudens, & tamquam vinea homo egens sensu: si reliqueris eum, desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrum, castigemus illud, redigamus ad seruitutem, non illud despiciamus, sunt enim membra nostra arma iustitiæ, sunt & arma peccati. Si eleuentur, arma iustitiæ sunt, vt peccatum in his non dominetur: si mortuum fuerit peccato, non regnabit in eo culpa. & erunt membra nostra à peccato libera. Non obediamus igitur cupiditatibus eius.* Hactenus Ambrosius, cuius eloquio factus homo vegetior, ad perfectionem anhelans, gratiâ Dei, potiore omni ambrosia & nectare, conditur.

Ambrosius vbi suprà.

Prou. 29.

Christiani hominis quænam esse debeant studia.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Ipsa etiam corporis humani conditio animam sollicitat ad perfectiorem statum.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS VII.

Ex Medicorvm Disciplina.

Augustini magna cupido scientiæ.

SCiendi ea, quæ ad perfectionem animæ spectant, cupido tanta Augustino affricta est, vt ille solitus fuerit affirmare, cupere se ab ancilla doceri. Si homo ille omniscius hoc suum votum expressit scriptis; opere se talem præstitit, qualem & stylo suo finxit: nam multa didicit à matre sua Monica ancilla Dei, quæ ipse recensuit in confessionum libro, vt propositum abstinendi à vino, & aquæ refrigerio leuandi sitim, ex obiurgatione facta ab ancilla Monicæ, carpente heram suam ob furtiuos vini haustus. A Monica accepit schema moderandi præcoces animi impetus, & familiarem breuiusculārum precum vsum. Si Augustino & Monicæ non fuit inglorium, doceri ab ancilla; anima non dedignabitur doceri ab ancilla, scilicet à carne, quæ spiritui iugiter ancillatur.

August. l. 9. cap. 8. 9. Monica docta ab ancilla.

Ex re Medica. Calor naturalis est cœlestis. *Hippocrates l. 1. aphor. 14.*

Prima itaque rudimenta perfectionis, quæ caro seu corpus ingerit, duo hæc sunt, in quibus totus perfectionis cardo vertitur. Primum est, corpora non crescere, nisi beneficio caloris natiui, quem cœlestem esse ars medica profitetur; adiiciens, corpora eo calore fota multo indigere alimento, ne tepescat ille sidereus calor, & corpora congruum capiant incrementum. Eò pertinet ille textus Hypocratis. Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμὸν, πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς. *Quæ crescunt corpora, plurimum habent caloris natiui, multo igitur indigent alimento.* Alterum documentum est, corpus nunquam in eodem statu esse, vigente calore viuifico, quem Hippocrates animam vocat. Nam aut nutritur corpus, vel augetur. Sic præceptor. Ἀνθρώπου ψυχὴ ἀεὶ φύεται ἄχρι θανάτου. *Hominis anima semper fundit vsque ad mortem.* Illa duo principia sibi constant in his, quæ ad perfectionem animæ pertinent. Etenim in confesso est apud omnes initiatos Theologiæ arcanis, animam non posse assurgere ad perfectionis statum citra beneficium gratiæ, quam realiter non dispesci à charitate, affirmant plerique nobiles Theologi. Esse autem charitatem cœlestem igniculum, quo accenditur anima, Christus insinuat dicens, se venisse mittere ignem in terras, & velle vt ardeat. Vt corpora quæ augentur plurimo alimento indigent, calore naturali depascente aliti substantiam, ita & anima Dei amore percita, ne lentescat, debet ali multa virtutum praxi vt congruo cibo, quo crescens anima vegetatur.

Corpora quę crescũt multo egent alimento. *6. Epidem. part. 5.*

Animæ incrementum vnde attendatur.

Rursus vt ex Hippocrate, anima hominis fundit vsque ad mortem, id est, ex Dureto, calor naturalis aliquid molitur semper pertinens ad augmentum, aut ad nutricatum; ita & anima, cui gratia Dei suum calorem inussit, exosa ferias inquies est, & semper grandia meditatur. Totum autem illud negotium augmenti & nutricatus perficitur à virtute & facultate, vt probat idem scholiastes Hypocratis ita fatus: *Virtutem intelligo τὴν ἰσχὺν, id est, substantia ipsius robur, cuius potentia est ipsa δύναμις, Latinè facultas dicta, quæ versatur circa officia partis cuiusque. Ac trium principatuum quorum dominatu regitur ipsa corporis vniuersitas, totidem facultates esse dicuntur, hepatis quidem, nutritiua: cordis, viuifica: & cerebri, animalis. Porrò hepatica facultatis ab hepate naturaliter constituto, in laude est sanguificatio. Eaque sanguificandi actio, sicut virtute & integritate perficitur hepatis; ita suscipitur ope & ministerio illarum quatuor facultatum, quæ ab officio nominantur, attractrix, retentrix, coctrix & expultrix. Earumque omnium totidemque actionum præsidia sunt; hepatis εὐτονία, vasorum libertas, εὐχυλία, optima conspiratione atque consensu, facultati morem gerit actio in attrahendo, retinendo, coquendo, & expurgando; vnde sanguificatio ipsa veris naturæ respondet: ita illapsis tribus illis præsidiis, labefactantur auxilia τῆς αἱματώσεως, id est, sanguificationis, ac nulla facultas officium facit, omnisque cessat actio, aut certè in vitio est deprauata vel imbecilla: vt est conditio facultatis, meatus, & chyli. Enim verò sicut illorum trium εὐτονίας, εὐῤῥοίας, καὶ εὐχυλίας conspiratio esse debet, vt inoffenso cursu progressio fiat τῆς ἰσχύος πρὸς δύναμιν, καὶ δυνάμεως πρὸς ἐνέργειαν, id est virtutis ad facultatem, & huius ad actionem, vnde perficitur sanguificatio naturæ consentanea: sic eorum discordia concidit triplex illa consensio, actionis non morigera facultati, nec huius virtuti, & robori principatus. Est quidem virtutis & roboris exolutio, ipsa perditio facultatis, & perditæ huius symptoma, vacuitas actionis.* Hactenus ille doctissimus interpres Hippocratis, & Galeni.

Duret. in l. 3. Concurum tract. 2. pranot. 4.

Idem in l. 2. Coac. c. 18. pran. 1.

Corporis augmentum & nutritionẽ eruditè describit Duretus.

Hepatis, cordis, & cerebri mira facultates.

Ex prælibatis, videre est, quàm sit natura sagax in procurandis auxiliis, quæ faciunt ad corporis incrementum, & quàm familiarem admonitionem habeat anima, vt studeat perfectioni suæ, petito rudimento sui augmenti à momentis, quæ natura instituit vt corpora citiùs adaugescant. Habet & anima suas facultates corpori symbolicas, scilicet attractricem, & retentricem, coctricem, & expultricem. Desideria feruida, & vota anhela, sunt facultas attractrix animæ, cui optare efficaciter, attrahere est. Retentricis vices agit, propositum tenax seruare dotes à Deo acceptas. Coctricis partes obit efficacia charitatis, quæ animam impugnat, & digerit omnia cruda. Demum synderesis est expultrix: ea quippe excernit omnes animæ fæces, nec patitur aliquid sordidum ibi stabulari. Quodque ritè explicat studium naturæ cupidæ sui profectus, illæ etiam corporis facultates, integra suauitate nusquam feriantur; sed suum semper tenorem seruant, etiam homine dormiente. Signumque fatiscẽtis naturæ, & mortis in procinctu, est illa vacuitas actionis, quam Duretus ait esse prænuntiam interitus. Si ergo anima compos sui cupit esse, hoc satagat, ne quid in ea torpescat, sed potius omnia conspirent ad conseruandam illam sartam tectamque. Arte Medica præcipuè requiritur vasorum integritas ad hoc vt perfectiorem statum corpora nanciscantur; ita & Patres vitæ spiritualis Antistites, hoc maximè petierunt, scilicet vt cor esset ab omni impura colluuie defæcatum.

Facultates animæ, quæ perfectioni eius inseruiunt.

Synderesis quomodo perfectioni inseruiat.

Cordis puritas necessaria ad perfectionem.

Eò

Abbas Moyses apud Cass. Collat. 1. c. 4. & c. 5.

Eò spectat illa Abbatis Moysis exhortatio. *Si paulum quid à puritate cordis cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem eius illicò recurrentes, rursus eam velut quadam norma rectissima corrigamus, quæ semper omnes conatus nostros ad vnum hoc reuocans signum, arguit statim si à proposita directione mens nostra vel paululum deuiarit, &c. Quidquid ergo nos ad puritatem cordis potest dirigere, tota virtute sectandum est. Quæ si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerit, nō solùm labores nostros varios, & instabiles reddēs, incassum ac sine emolumento vllo cōpellet eos effundi, sed etiam cogitationes omnes diuersas sibique contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem quo recurrat, cuiue principaliter inhæreat non habentem, per singulas horas atque momenta, pro incursuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinsecus accidunt, in illum statum continuò transformari, qui sibi primus occurrerit.* Hac suppositа vasorum integritate, facultates non desunt suis partibus; ita & stante puritate cordis, vegetæ sunt omnes animæ facultates.

Cordis puritas comparanda est sedulò.

Perfectionis studium expressum in Sponsa Canticorum.

Vide in Sponsa Canticorum omnes illas functiones. Cùm amore languet, & petit à Sponso, vt indicet vbi pascat, suam maximè probat virtutem attractricem, quam præfatus sum esse sitam in votis feruidis & anhelis. Illam hanc facultatem attractricem sibi inesse, vegetam ostendit hoc proponens. *Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Alacris hæc facultas sociam habuit retentricem, eadem etiam Sponsa teste, cuius hæc sunt eloquia: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Quàm integra fuerit illi coctrix illa facultas, quæ excipit retentricem, ipsamet explicat hoc contextu: *Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meū, cum lacte meo.* De facultate expultrice, locuples est testimonium Psaltis, adeò auersantis omne quod displicet Deo, vt sic orare solitus sit: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ne ergo anima desit suis partibus in conciliando incremēto suo, hoc sibi imponat pensum, vt desiderio assurgat ad superna, concepto tædio rerum infimarum. Gratiæ, quæ influxit, iugiter inuigilet, ne effluat: amoris ignem illum foueat, cuius ope omnia cruda & aspera decoquuntur. Denique det libellum repudij vitiis, quæ animam labefactant, expellat quidquid remoratur perfectionem animæ, & ea cautione congrua capiet incrementa.

Cant. 3.

Ibidem.

Cant. 5.

Psal. 118.

SENSVS MORALIS.

PARS II. SECTIONIS.

Anima inhians perfectioni, ne aberret, Deum tantùm debet sibi in scopum præfigere.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS VIII.

Ex Theologia, et Sanctis Patribus.

Ingeniosa sanè æquè ac pia est Richardi sententia, affirmans animam amore Dei percitam rebus vti vt speculis, quorum obiectu res amata oculis ingeritur. Sic ille: *Integer Dei amator quocumque se verterit habet familiarem admonitionem amoris; rebus pro speculis vtitur: aspicit cuncta quæ condidit Deus, & quo condiderit fine; & in his, non tam admirabilis, quàm amabilis sibi occurrit.* Huius generis anima amore Dei flagrans considerans ἡλιοτρόπιον & σεληνοτρόπιον, id est, florem, cui nomen solsequium, & herbam lunisequam, quibus hoc est ingenium ex Pierio, vt adinstar Solis & Lunæ gyrent, hæc inquam anima sauciata amore Dei, discet à rebus infimis, esse quid in cœlis, vnde expectanda est extrema manus seu perfectio, iuxta illam Christi vocem præmonentem, perfectionem nostram esse appendendam ad trutinam Dei, ita vt simus perfecti, si simus perfecti sicut Pater noster cœlestis perfectus est. Quippe ex Theologia, omnium rerum perfectiones in Deo præexistunt formaliter aut eminenter, vt in scaturigine primitiua bonorum omnium, quæ varios influunt in canales. Namque in tantùm res est perfecta, inquantùm est. Cùm ergo Deus sit esse, à quo omnia fluunt entia; quidquid erit perfectum in entibus, illud erit illic, vnde omnia entia processerunt. Sic que è re hominum est, attendere Deum vt omnimodæ perfectionis typum primigenium, ad quem quisquis propius accedit, ille etiam maiores gratiarum latices exhaurit.

Exordium cōgruum ad concionem de imitatione Christi.

Richar. à S. Victore l. de gradib. charit.

Pierius l. 58 hieroglyphic. c. 47.

Ex Theologia.

Thomas 1. p. q. 4. art. 2 & 2.

Deus causa exemplaris omnis perfectionis.

Ad astruendam illam conclusionem, de perfectione omnigena existente in Deo, hi textus passim vsurpari solent. *Ostendam tibi omne bonum.* Nimirum Deus hocce versu, seipsum, Moysem affatus, graphicè lineauit, erudiens hunc Prophetam, se esse prædiuitem omnium bonorum gazam. Accedit & Ioannes in eamdem sententiam. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Concinit & Paulus isto tono. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Si per ipsum, quasi per causam exemplarem, sunt omnia; ergo perfectiones omnium rerum: ita vt qui videret ipsam essentiam diuinam videret meliùs res in ipsa diuina essentia, quàm in ipsis: sicut artifex, qui operatur per intellectum & voluntatem, continet in se artificiatum ipsum in ipsa eius idea; quoniam idea est exēplar rei, & quodammodo res exemplata ad extra; & in ipsa idea est meliùs & perfectiùs ipsum arte factum, quàm in seipso: domus enim in mente artificis est conscia vitæ eius, vtpote habens esse viuum, & immateriale; in re verò habet esse nesciens vitæ, & materiæ contagio imperfectum. Simili etiam modo, quia Deus est exemplar infinitum omnium creaturarum, & istud exemplar est quodammodo rei creatæ, & exemplatæ, propter similitudinem, quam habet cum illis, ideo in hoc exemplari diuiniores sunt, & continentur altissimo & infinito modo; atqui, ex Anselmo, vniuersæ res productæ, multò veriùs habent esse in Deo, quā in se, quia in exemplari diuino sunt res viuæ, vt præfatus est Ioannes; in se verò sunt res quasi mortuæ, & corruptibiles, multisque næuis obnoxiæ.

Exod. 33.

Ioan. 1.

Rom. 11.

Deus continet res ita, vt res in se perfectiori modo quàm sint in se.

Ansel. c. 34. monolog.

Inde liquet tituli huius veridica conclusio: scilicet hominem cupidum perfectionis debere attendere ad Deum vt in summam omnigenæ perfectionis; quia sicut imago, vt imago est hominis, nullam habet perfectionem, nisi propter similitudinem, & imitationem, qua refert hominem viuum; ita & homo non est vsquequaque perfectus, nisi vt accedit ad perfectionem Dei, illam vtique, quam Deus ab æterno, homini designauit.

Perfectio animæ debet esse ad amussim perfectionis Dei.

Ex SS. Patribus.

Bernard. lib. de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei.

In huius rei fidem homines perfectos nuncupamus ſpirituales, quaſi æmulantes naturam Dei, qui ſpiritus eſt. Ita Bernardus: *Sunt perfecti, qui ſpiritu aguntur, qui à Sancto Spiritu plenius illuminantur. Et quoniam ſapit eis bonum, cuius trahuntur affectu, ſapientes vocantur. Quia verò induit eos Spiritus Sanctus, cuius affectu trahuntur, ſicut induit olim Gedeonem; Spiritus Sancti indumento ſpirituales appellantur.* Sed vt antequam ferrum reſplendeat, debet exuere rubiginem, cuius eſt aſpergine ſalebroſum; ita & anima corpori immerſa debet deponere carnales exuuias, vt tandem aliquando ſortiatur beatum illum ſtatum, ad quem ſeruatis quibuſdam cautelis & ordine deuenitur: nemo quippe de repente aſſurgit in culmen arduum. Quibus autem gradibus & momentis, fas ſit eniti ad præfatam Beatorum ſortem, ſic ait Bernardus: *Primus ſtatus circa corpus ſe habet, ſecundus circa animam ſe exercet, tertius non niſi in Deo requiem habet. Quorum ſinguli ſicut habent certam proficiendi rationem; ſic in genere ſuo certam habent perfectionis ſuæ menſuram. Initium boni in conuerſatione animali, perfecta obedientia eſt. Profectus, ſu[illegible]cere corpus ſuum, & in ſeruitutem redigere. Perfectio vſus boni, conſuetudinem vertiſſe in delectationem. Initium verò rationalis eſt, intelligere quæ in doctrina fidei opponuntur ei. Profectus talia præparare qualia opponuntur. Perfectiò cùm in affectum mentis tranſit iudicium rationis. Perfectio verò hominis rationalis, initium eſt hominis ſpiritualis. Profectus eius, reuelata facie ſpeculari gloriam Dei: perfectio vero, tranformari in eamdem imaginem à claritate in claritatem, ſicut à Domini ſpiritu.* Hæc Bernardus.

Perfecti vocantur ſpirituales.

Ibidem.

Perfectio quibuſnam gradibus acquiratur.

Bonauent. Breuiloquij part. 5. 6.

Placet & ſeraphici Bonauenturæ ſententia, quæ concludit tribus cancellis perfectionem totam. Ait ille, tria hominem perficere, ſcilicet receſſum à malo, proceſſum in bonum, & ſtatum in optimo. Multi quippe à malo recedunt, qui non procedunt, ſolliciti de augmento gratiæ. Alij verò procedunt quidem, ſed nacti aliquod incrementum, ſibi conſtare nequeunt, ſed veluti natura dehiſcente, potius euaneſcunt. Stare in optimo, eſt perfectionis apex: qui nempe Deo adhæret, vnus ſpiritus efficitur. Vnde cùm Deus ſit ſummè ſimplex; ſancta ſimplicitas, erit ſumma perfectionis animarum, quia quò quis ſimplicior, eò etiam erit Deo ſimilior, ac proinde perfectior. Vt ergo propiùs ad Deum accedat homo, aliqualem ſimplicitatis ideam debet induere, & ſic quod eſt optimum aſſequetur. Bernardus denuo audiendus in eo argumento. Sic ille: *Sancta ſimplicitas eſt eadem ſemper circa idem voluntas, ſicut fuit in Iob, qui dictus eſt ſimplex, & rectus, ac timens Deum. Propriè enim ſimplicitas eſt perfectè ad Deum conuerſa voluntas, vnam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in ſeculo. Vel eſt ſimplicitas in conuerſatione vera humilitas, ſcilicet virtutis magis conſcientiam amplectens quàm famam, cùm non refugit vir ſimplex videri ſtultus in ſeculo, vt ſit ſapiens in Deo. Vel ſimplicitas eſt ſola ad Deum conuerſa voluntas.* Magis appoſitè dixerim, ſimplicem eum eſſe, qui nihil de ſuo adiecit extra normam vnicuique à Domino præſtitutam. Verbi gratiâ, hanc homini legem Deus indixit, ſcilicet vt eſſet perfectus, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt: ſi huic edicto morem gerat homo, & ſe totum componat ex præſcripto Dei; profectò erit ſimplex. Sed ſi deuians ab intento Dei, ſuo arte velit comparare ſibi aliud ſchema perfectionis; proculdubio ſortietur aliquid impurum, & proinde à præfixo ſcopo longiùs aberrabit.

Perfectio tribus cancelis concluditur.

Perfectio tanta eſt, quanta ſimplicitas.

Bernard. vbi ſupra.

Simplicitas ſancta quid ſit.

Simplex quiſnam dicatur.

Quia tamen Deum vt Deus eſt attendere res eſt perardua; ipſe Dominus omnium moderator homo effectus eſt, vt ad amuſſim eius ſeſe alij homines efformarent. Ita Auguſtinus. Homo videri poterat, ſed non ſequendus erat: Deus non videri poterat, & ſequendus erat. Vt ergo exhiberetur homini & quem videret homo, & quem ſequeretur homo, Deus homo factus eſt. Poſitus eſt itaque Chriſtus veluti ſignum ad ſagittam, vt colligere eſt paſſim ex eius eloquio, vbi ſe eſſe ait propoſitum ad exemplum. Huius generis ſunt hi textus: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Rurſus ille liquidiùs aperit quo intento præclara ſua facinora omnium oculis explicarit. Illum conſule & hoc referes oraculum: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Profectò perfectionis noſtræ ſumma eſt beatitudo: hanc Chriſtus reponit penes praxim earum virtutum, quarum edidit ſpecimina. Hoc enim ſonant illæ voces: *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Nemo neſcit, Chriſtum eſſe exemplarem cauſam noſtræ perfectionis; hoc ſcire non eſt cardo præcipuus felicitatis noſtræ, quæ incumbit actioni, & non ſcientiæ tantùm. Eamobrem præco verbi Dei ſuos auditores potiſſimum inſtruere debet, ad Chriſtum quantùm homini fas eſt moribus aſſequendum; præmonendo, eos id præſtituros, ſi ad arbitrium Euangelij viuant, iuxta illud Gregorij exponentis ſimilitudinem hominis viſam fuiſſe inter ſancta quatuor animalia. Sic ille: *Quid per quatuor animalia, niſi quatuor Euangeliſtæ ſignantur? Nec immeritò per Euangeliſtas quatuor, perfectorum omnium numerus exprimitur, quia omnes qui in Eccleſia modò perfecti ſunt, perfectionis ſuæ rectitudinem per eorum Euangelium didicerunt. De medio enim eius ſimilitudo quatuor animalium; quia illi tūc eius corpori vniti, eius maieſtati coniuncti, & ſimul facti cū eo iudices videbūtur, qui modò perfecta opera iuxta Euangelica præcepta ſecuti ſūt.*

Quare Deus homo factus ſit.

Matth. 11.

Chriſtus eſt propoſitus ad exēplum.

Ioan. 13.

Perfectionis ſumma, quænam ſit.

Gregorius homil. 2. in Ezechiel.

Perfectio acquiritur obediendo Euangelio.

Quare autem ſimilitudo hominis aſpectui, facta fuerit obuiam, prodiens è medio quatuor animalium, luculenter explicat ille Sanctus appoſitè ad concluſionem meam, quæ affirmat, omnem noſtram perfectionem eſſe petendam à Deo, cuius ſimilitudo nos initiat cumulo gratiarum. Audiendus in eo themate Gregorius ita fatus: *Et hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis. Quis hoc loco homo deſcribitur, niſi ille, de quo ſcriptū eſt: Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualē Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo? Hæc itaque animalia, vt ſurgere ad ſanctitatis verticem valeant, ad huius hominis ſimilitudinem tendunt. Sancta enim non eſſent, ſi huius hominis ſimilitudinē non haberent: quia quidquid in eis de viſceribus pietatis, quidquid de manſuetudinis ſpiritu, quidquid de cuſtodia humilitatis, quidquid de feruore charitatis eſt, hoc ab ipſo fōte miſericordiæ, ab ipſa radice māſuetudinis, ab ipſa virtute iuſtitiæ, id eſt, à mediatore Dei & hominū Deo Domino traxerunt. Huius ſe hominis ſimilitudinem*

Ibidem.

Perfectionis cardo præcipuus vertitur in imitatione Chriſti.

nem habere egregius prædicator oſtendit dicens: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Ad eius nos ſimilitudinem ſurgere admonet, cùm dicit:

1. Cor. 4.

Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius qui de cœlo deſcendit.

Chriſtus eſt virtutis omnigenæ exéplar.

Sanctus etenim quiſque in tantum ad ſimilitudinem huius hominis dicitur, inquantùm vitam ſui Redemptoris imitatur. Nam ab eius mãdatis atque operibus diſcordare, quid eſt aliud quàm à ſimilitudine longè recedere? Dicatur ergo de ſanctis animalibus, quòd ſimilitudo hominis in eis eſt; quia quod ſancta, quod mira ſunt, hoc in eis de ſpecie ſimilitudinis eſt, id eſt, de virtute imitationis. Caput quippe omnium noſtrûm Redemptor noſter eſt. Et per Salomonem dicitur: Oculi ſapientis in capite eius; ſtultus autem in tenebris ambulat.

Chriſti actiones meditatæ, & in praxim reuocatæ perfectos efficiunt.

Tunc enim in capite oculos habemus, cùm vitam Redemptoris noſtri tacita cogitatione conſpicimus: cùm omnis noſtra intentio, in eius ſe imitationem erigit, ne ſi vias lucis aſpicere oculis mentis neglexerit, ſtatim clauſus in tenebris erroris cadat. Ad huius ſimilitudinem hominis ſurgere feſtinabat Propheta cùm diceret: In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Qui enim vias Domini tacitè in mente conſiderat, & ſe exercere in mandatis illius feſtinat, quid aliud in ſemetipſo niſi imaginem noui hominis reformat?

Pſal. 118.

Quod quia in ſanctorum cordibus inceſſanter agitur, rectè nunc de animalibus dicitur: Similitudo hominis in eis. Poſt hanc verò ſimilitudinem, quæ nunc in moribus tenetur, quandoque ad ſimilitudinem gloriæ peruenitur. Hæc ille.

Fruſtra igitur anima cupida perfectionis, aliam ſimilitudinem induit ab ea quam Chriſtus Dominus prætulit imitandam. Eò itaque dirigantur noſtra omnium vota, ſi animo inſedit, virtutum, quæ indolem noſtram decent, præalta cacumina ſuperare.

SENSVS MORALIS.

Anima ſollicita de perfectione ſua debent vota omnia in Chriſtum Dominum collimare.

In hæc verba:

Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

ARTICVLVS IX.

Ex Symbolis, et SS. Patribvs.

Veteris hiſtoriæ monumenta clamant, fuiſſe homines adeò cupidos gloriæ, vt ad eam aucupandam, omnem ſuam curam adhibuerint. In his duo recenſentur famoſiſſimi Reges, quorum vnus conduxerat honorarium ephebum, qui longiorem ſomnum ſolueret hac voce: ΑΝΑΣΤΑ ΒΑΣΙΛΕΥ; id eſt, ſurge ô Rex, quod perinde eſt, ac animos erige Rex, & hoc propone, vt nihil hodie excidat Rege indignum.

Caroli Ducis Cleuéſis egregium ſymbolum.

Alius hoc indixerat, vt familiares illud ei crebrò ingererent; Memento te eſſe hominem. Nempe aſſueta mens monitis, cauet ne committat aliquid deuium ab his cautelis ſæpius antea repetitis. Ho-

rum Magnatum ingenium aſſecutus eſt Carolus Princeps Cleuenſis, qui Imperiali proſapia ſatus, hanc ſemper præ oculis tabulam habebat, ſcilicet pullum aquilæ, cui duæ faces illucebant, ſtella deſuper affulgente, adiecto hoc verſu

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 2. Theatri.*

Exempla maiorũ recolenda.

Me iuuat auſpiciis, magnorũ adoleſcere Diuûm.

Ægydius Sadeler. lib. 2. iconum ſymbolicarum.

Id eſt, ergo Heroum ſanguine cretus, habeo eorum præclarè geſta, quæ mihi affulgent, & quibus vrgeor ad ardua meditandum. Nolo meis deeſſe partibus, ſed qua par erit cura, hoc ſatagam ſemper, vt domeſticis exemplis adiiciam & ſingularia facinora, quibus probem non gratis me habere Principes atauos.

Eodem etiam œſtro percitus Veſpaſianus Gonzaga Dux Mantuanus pingebat anulum aureum implexum ſurculis palmæ, hoc etiam verſu appoſito.

Virtuti trophæa noua non degener addam.

Anuli figura orbicularis, index eſt perfectionis, & palmæ erant argumenta proſapiæ glorioſæ, vnde erat ille Regulus oriundus.

Veſpaſiani Gonzagæ ſymbolum.

Huius ſymboli aſpectu, quaſi in cothurnos aſſurgebat magnanimus hic Dynaſta, indignum ratus nihil tentare, quo probaret ſe claris ortum natalibus. Non damno zelum illuſtrandi ſuam proſapiam congruis actibus, & præſertim animâ ſartâ tectâ. Tamen mihi magis arridet illud propoſitum, excolendi animam ſuam, ne ſuorum natalium immemor ſe demittat ad humilia & abiecta facinora perpetranda.

Pulchra inuentio ad erigendos animos, vt audeant ardua.

Deus dicitur aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, vnum ex his pullis vſurpemus in ſymbolum, ſequuti ingenium Caroli Cleuenſis, adiiciamus & huic pullo virtutes Chriſti, vt lucidas faces, quibus irradiante gratia, vt ſidere fauſto, anima noſtra illuſtrior facta, poterit ſpem magnam conîicere incrementi ſui, hoc lemmate præfati Principis vſurpato.

Chriſtus eſt Chriſtianorum caput.

Me iuuat auſpiciis magnorũ adoleſcere Diuûm.

Ita ſanè recolere Chriſtum eſſe parentem & caput noſtrum, validum eſt argumentum ad animas percellendas, ne quidpiam committant inglorium, quo detrahant generi glorioſo.

Ex SS. Patribvs. *Leo ſerm. 1. de natiuit. Domini.*

Huc pertinet illa parænesis Leonis Papæ, ſollicitantis Chriſtianos ad actiones congruas illi generi, vnde trahunt nomen ſuum. Sic ille: *Agamus, dilectiſſimi, gratias Deo Patri per Filium eius in Spiritu Sancto, qui propter multam charitatem ſuam, qua dilexit, nos, miſertus eſt noſtri: & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, vt eſſemus in ipſo noua creatura, nouumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus ſuis; & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renuntiemus operibus.*

Chriſtianus vt talis ſic debet deponere veterẽ hominem.

Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vtilitatem degeneri conuerſatione redire. Memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus es in Dei lumen, & regnum. Per Baptiſmatis ſacramentum, Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubiicere ſeruituti: quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti, qui in veritate te iudicabit, qui in miſericordia te redemit.

Illa recenſio præclarè factorum à maioribus, adeò perculit Iudam Machabæum, vt maluerit glorioſè occumbere, fortiter dimicando, quàm ſibi fugâ conſulere.

Iudæ Machabæi conſilium generoſum.

Nempe is exigua manu militum ſtipatus, vt aduertit nutare animos ſo-

ciorum, quorum plerique sine classico recessui se dederant, respuit consilium fugæ, hoc specimine edito sui animi intrepidi, vt satius diceret esse, mortem oppetere, quam aliquam ignauiæ labem aspergere illi gloriæ quam adiecerat nomini maiorum suorum. Ecce seriem historiæ. *Dixit ad eos, qui residui erant. Surgamus ad aduersarios nostros, si poterimus pugnare aduersus eos. Et auertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modò, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos: nos autem pauci sumus. Et ait Iudas: Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Nullo alio argumento Rechabitæ abstemiam egere vitam, nisi vt patris sui sanctiones integras obseruarent. Romani etiam nihil habuere antiquius, quàm statuta maiorum facere illibata. Fuitque effatum solenne, fore Respublicas florentes, atque sui iuris, quando posteri maiorum legibus vterentur.

1. Machab. cap. 9.

Maiorum exempla, & præcepta, si sancta sint, sequenda.

Non equidem inuideo Gentibus hanc gloriam; sua stent illis omnia: habemus enim Patrem, quem præstituere sibi in exemplum, est habere domesticum virtutum omnium argumentum. Ille parens optimus est Christus, quem præfigere sibi in scopum, est inire compendiosam viam ad perfectionem, iuxta illam Petri sententiam: *Si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Non triumphandi omnem materiam exhausit Christus suo triumpho, quantumuis celebri; multos reliquit agones asperos, suis etiam filiis exantlãdos. Itaque quisq; vsurpare potest palmas symboli prælibati.

Perfectionis compendiũ, est imitatio Christi.

1. Petr. 2.

Christus reliquit nobis materiam triumphandi.

Virtuti trophæa noua, non degener addam.

Ferunt fabulæ Antheum terra matre satum, collegisse nouas vires ex attactu terræ suæ alumnæ, nec potuisse necari ab Hercule, quamdiu terræ attactu vegetior effectus est, ideoque Herculem eum sustulisse in auras, & ita eum confracto latere suffocasse. Eâ industriâ diabolus elidit omnium propè hominum vires: obstat ne attendamus ad amantissimum patrem nostrum Christum, penes quem est tota animarum panoplia. Animam incuriam dæmon facili negotio prosternit: sed secus cæditur ab homine, cui cordi est Christum Dominum imitari.

Antheus filius terræ.

Christi imitationem quomodo impediat Dæmon.

Quanti sit momenti illa consideratio Christi nobis propositi ad exemplum, Patres enuntiant. Audi Basilium. *Omnis actio, omnis item sermo Saluatoris Iesu Christi, excolendæ pietatis virtutisque obeundæ regula est: propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, vt in se velut in tabula quadam veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis maribus simul ac fœminis ante oculos statuam vnicuique pro viribus imitandam, ceu archetypum proponeret. Neque enim alia de causa ille corpus nostrum gerit, nisi vt quoad fieri possit, nos ad imitanda vitæ eius studia conformemus. Quapropter tu quandocumque vel factum ipsius audieris commemorari, vel dictum, ea nolito negligenter & tamquam aliud agens audire; quin stude potiùs, vt mente tecum ipse cogitando, rimandoque, ad eorum profundum peruenias, eorumque quæ tibi traduntur apertè, particeps fieri contende.* Profectò nihil omnino vacat in factis aut dictis Christi: omnia namque, quæ de eo prostant, edita sunt ad homines instruendos, quibus hoc solum est securum, scilicet inire vias, quas pede inoffenso decurrit Christus. Ita Hieronymus: *Hunc imitari tutissimum est, atque eius vestigia sequi, qui dixit: Ego sum via, veritas, & vita: nunquam enim errat qui sequitur veritatem, vnde & Apostolus Ioannes ait: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Ille idem exponens locum Isaiæ, ita fatur. *In semita iudiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te. Adhuc Propheta de Christo loquitur, de quo supra dixerat, conculcabit eam pes pauperis. Huius ergo iusti semita recta est, in vna igitur semita Christi omnes iustitiæ reperiuntur, & propterea eam suo calcauit & triuit pede, vt quicumque volueris per eam ambulare cursu ambulet inoffẽso in hac semita iudiciorũ Domini. Sustinuerunt eũ Sancti, & sperauerunt in eo, quia spes non confundit, & nomẽ illius & memoriale habuerunt in desiderio animæ, dicentes: Concupiuit anima mea desiderare iudicia tua in omni tempore; & iterum: Desiderat anima mea, & deficit in salutari tuo: qui autem nomen Domini habet in desiderio, aliud non desiderat.*

Basil. l. constitution. monachal. cap. 1.

Christi imitatio fuit causa incarnationis.

Christi imitatio quanti sit momenti.

Hieronym. epistol. 14. ad Celantiam. Idem in cap. 26. Isa.

Christianorum, qualis sit semita decurrenda.

Vt ouibus adaquatis Iacob offerebat discolores virgas, quarũ obiectu fœtus earum erant respersi maculis; ita & Christus virga de radice Iesse obiicitur menti, vt eam afficiat virtutibus, quarum affluxu fit anima polymita, & induit formam Christi. Fauet Augustinus ita fatus: *Formatur Christus in eo qui formam accepit Christi, formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spiritali; ex hoc enim fit, vt huius imitatione sit quod ille, quantùm gradu suo sinitur: qui enim dicit se in Christo manere, ait Ioannes, debet quomodo & ille ambulauit & ipse ambulare.* Quia tamen Christus exultauit vt gigas ad currendam viam suam, & incessus noster angustior nequit assequi Christum; satis erit vnicuique sequi agnum non passibus æquis: siquidem nemo in culpa est, si suas omnes obiit partes. Vnde quia Christus omnes omnium virtutum calles iniit; vellẽ ego singulos quosq; homines, illos sibi seligere calles, qui cuiusque sorti conueniunt: siquidem plerosque deficit animus, quia incongruè Christũ satagunt imitari.

Aug. lib. exposit. ad Galat. cap. 4.

Christus quomodo formetur in anima.

Christi imitatio non est indiscretè tentanda.

Eò spectat illa Augustini sententia. *Quid est Christum sequi, nisi imitari? quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, sicut ait Apostolus Petrus, vt sequamur vestigia eius. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, non inquantum Filius Dei est vnus, per quem facta sunt omnia, sed inquantum filius hominis quæ oportebat in se præbuit imitanda, & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur. Sequantur agnum omnes fideles, licet non quocumque ierit ille, tamen quousque ipsi potuerint: Beati pauperes spiritu, imitamini eum, qui propter vos pauper factus est, cùm diues esset, &c. Beati pacifici, imitamini eum qui pro suis persecutoribus dixit: Pater ignosce illis. Hæc qui imitantur, in his agnum sequuntur.* Hoc iugi intuitu Christi, Bernardus ait se multùm profecisse, componendo mores suos adinstar eius Domini morum. Sancti huius consilium & praxim ego subiiciam, vt si quis animo cadit, impos assequi Christum; resumat animos, seruulum imitando, scilicet Bernardũ ita præfatum. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera commorabitur. Tu si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ*

Idem libro de sancta virginitate.

Quid sit sequi Christũ. Christi imitatio, quomodo intelligenda.

Bernardi perfectio fluxit ex meditatione.

Bernard. serm. 43. in Cantica.

tam

tam charum fasciculum principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit semper in memoria retinēs, & assidua meditatione reuoluens, quo possis dicere & tu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Et ego, fratres, ab ineunte mea conuersione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare curaui, & inter vbera mea collocare, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei,&c. Mihi hic salutaris fasciculus seruatus est, nemo tollet eum à me, inter vbera mea commorabitur. Hac meditari dixi sapientiam: in his iustitia mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum, in his mihi interdum potus salutaris amaritudinis: ex his rursum suauis vnctio consolationis, hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter tristia lætaque vitæ præsentis, via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum. Hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Iesum, & hunc crucifixum. Non requiro sicut Sponsa vbi cubet in meridie, quem latus amplector mea inter vbera commorantem: non requiro vbi pascat in meridie, quem intueor Saluatorem in Cruce. Hactenus Bernardus.

Quam sit vtilis meditatio Christi patientis.

Passio Christi quomodo sit recolenda.

Bernardus semper præsentem habuit Christū patientem.

Huic Sancto crede experto, quàm conducat ad perfectiorem animæ statum, habere virtutis omnigenæ typum, scilicet Christum Dominum oculis animæ iugiter obuersantem.

SENSVS MORALIS.

A Deo petendi sunt perfectionis omnimodæ typi.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARTICVLVS X.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Exordium ad concionē de perfectione.

Pier. l. 29. hieroglyph. cap. 2.

Theologia Gentilium implexa pluribus inuolucris ænigmatum, ignaris ansam dedit carpendi Ægyptios, ob cultum exhibitum crocodilo. In hos censores inuehitur Pierius vt in nescios arcanorum, quæ crocodili tegmine concluduntur: quippe ait, Ægyptios deprehendisse in eo animali semina quædam deitatis reconditæ. Vnum præcipuum quod Pierium fugit, hoc est, crocodilum exiguo ouo satum, breui crescere in proceram molem, ita vt prodigij loco sit, videre quantum excurrat corpus antea conclusum arcto putamine oui. Ægyptij arbitrati sunt, crescere esse quid diuinum, ideo venerati sunt animal hoc procerum. In ea etiam fuere sententia Indi, quos Curtius ait coluisse maximas arbores, quasi esset indubia deitatis tessera, corporum incrementum. In argumentum suæ fidei adorauerunt Indi immanem draconem quinque iugerum, rati illa incrementa subolere quidpiam supra vernaculum rerum ordinem. Hoc obsequium draconi exhibitum commemorat Maximus Tyrius.

Crocodilus quare symbolum sit Dei.

Q. Curt. l. 8. Maximus Tyrius serm. 38.

Fides Christiana tersior illā Gentilium, non ingerit tantùm perfectionem esse rem diuinam, sed affirmat vnumquemque fore eatenus tantùm perfectum, quatenus refert Deum, penes quem est perfectionum omnium summa, & à quo rerum præcipua effluunt incrementa: non enim aliunde venanda est perfectio nostra, quàm à Deo, quem imitari, est vltima hominis perfectio. Hinc fluxit ille ritus adorandi Deum corpore in gyrum circumacto, vt fecere quondam, Hebræi, Græci, & Romani, hoc corporis gyro rati se imitari Deum, quem figura sphærica lineabant, siquando litare vellent, vt auctor est Pierius. Fuisse autem Hebræorum morem, adhibere suis sacris circuitus, audi ex canone sacrorum. *Immolabit vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotis sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum.* Eo circuitu attenderunt Deum, quem signabant circulo, in cuius area erat nomen Dei. Hos gyros pertinuisse ad perfectionem animæ denotandam, subindicat Philo, ita commentatus: *Sanguis circa altare funditur per circuitum, quia circulus figura est perfectissima, ne huius libationis exors sit vlla pars animæ; nam animam quodammodo libare videmur sanguine. Figuratè docemur, vt integra mente in orbem agitante per omnes consiliorum, dictorum, factorumque species Deum colamus* Hæc Philo.

Ægyptij, & Indi crediderunt esse quid diuinum in rebus quæ magnus habebant incrementa.

Persæ Deum quomodo nuncuparint.

Pier. l. 36. hyerog. c. 8. Leuit. 1. Philo lib. de victimis.

Hebræorum circuitus circa altare perfectionem adumbrabant.

Vt circuitus nequit esse integer, nisi ductus adinstar circuli, qui Deum significat; ita nec anima nostra potest esse perfecta, nisi nacta similitudinem Dei, vt ait Christus volens nos esse perfectos ad instar Patris nostri, qui in cœlis est. Nomine altaris Isychius Christum intelligit; circuitum verò ait referre imitationem Christi. Sic ille: *In circuitu, vt in omnibus quidem eum imitemur.* Operum etiam suorum perenne decus adumbrauit Sponsa Canticorum, orbicularis figuræ typis & titulis vsurpatis. Siquidem ait se habere manus tornatiles, vt ostendat esse omnia rotunda quæ ab ipsa iugiter effluūt. Non aberrat Hugo Cardinalis versans arcana illa Sponsę eloquia, quibus & lumen adiicit hoc contextu: *Fiūt manus tornatiles, dum affectus animi facilè diuertuntur ad quaslibet operationes. Sunt aureæ, dum affectiones animi ab omni appetitu carnalis desiderij redduntur puræ. Plenæ sunt hyacinthis, dum æstuant amore & desiderio cælestis patriæ.*

Isychius in c. 1. Leuit.

Christi imitatio decorata circuitu Hebræorum

Cant. 5.

Perfectionē actionum linearunt manus tornatiles sponsæ.

Græcis etiam familiaris fuit ille gyrus, vt notat Pierius, ex illo præscripto Pythagoræ: προσκυνεῖν περιφερόμενος, id est, *adora circumactus.* Fuitque in more positum Gręcis, vt peracto sacrificio, circulū in ara illinirent ex hostiarum sanguine, quē religiosè collegissent. Facto autem illo circulo, edita voce sacrificulus hoc verbum proferebat τελέσθαι, id est, *omnia perfecta sunt.* Apud Aristotelem ἀρετὴ τελεία perinde est ac virtus perfecta: quisquis igitur circulariter mouetur à bono in bonum, ille pro modulo suo Deum sedulus imitatur. Romanos etiam gyrando suos coluisse Deos, subindicat Tertullianus, carpens mulierum fastum hac censura: *Quæ vobis causa est strictiùs prodeundi, cùm remota sitis ab his, quæ ad aliud indigent; nam nec templa circuitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies Gentilium nostis.* Alludit ille ad priscos Romanorum ritus, quibus in sacris erat circuire templa, est liquido ex ea constitutione, qua Theodosius irrita voluit esse sacra hominum Ethnicorum. Sic ille: *Nullus sacrificandi tribuatur potestas, nemo templa circumeat, nemo delubra suscipiat, interclusos sibi nostra legis obstaculo profanos aditus recognoscant, adeò vt si quis vel de Diis aliquid cōtra vetitum sacrisque moliatur, nullis se tuendū*

Pierius l. 39. cap 9.

Græcis adorare Deum in gyrum mos fuit.

Arist. l. 1. Ethic. c. 13.

Perfectio notata circulo.

Tertull. de cultu fœm. cap. 11.

Romanorū circuitus in Sacris.

Lege 11. Cod. Theod. De paganis.

indulgentiis recognoscat. Hunc & Ecclesiæ circuitum Præsules obseruant, ex Pontificali, in dedicatione templi, & Curopalata in principis inauguratione meminit huius moris, insinuans non initiari Imperatorem infulis, sine circuitu templi, περιελθόντες δὲ κατὰ τὴν συνήθειαν τὸν ναὸν, id est, *circumeuntes, vt consuetum est, templum.* Hunc suspicor circuitum esse eum, quem vulgus processiones vocat, quæ ab Ecclesiæ valuis incipiunt, & reuoluto gyro ad Ecclesiam terminantur, vt fideles inde resciant, se à Deo exiisse; & si sapiunt, illuc etiam circumflexo tramite redituros.

Pontificale pag. 119. Græci Imperatores initiati circumeundo templum. *Curopalata de officiis magna Ecclesiæ Constant. c. 17 n. 30.* Processiones quid significent.

Ad sensum hunc mysticum respexit Psaltes, cuius hoc suaue melos perfectionem sonat. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Quasi diceret, actibus innoxiis me accingam ad imitationem seu similitudinem Dei, qui circuli typo congruè lineatur, ac proinde sibi deposcit circuitus in venerationis argumentum. Nullus autem circuitus magis accedit ad Deum, quàm innocentia, cuius obsequio rotunda fit anima defæcata. Concinunt Psalti plures etiam sancti, probantes totum perfectorum æuum esse continuum quasi circuitum. Prior occurrit Gregorius, vt ordine summus, ita fatus: *Sancti omnes foris se intusque circumspiciunt, & vel reprehendendos se exterius, vel iniquos se interius videri inuisibiliter timent. Hoc est, quòd animalia, quæ per Prophetam videntur, in circuitu & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honestè disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti verò omnes, quia exteriora sua circumspiciunt, vt bona de se exempla fratribus prabeant; & interiora sua vigilanter attendunt, quia sese irreprobabiles interni iudicis obtutibus parant, & in circuitu oculos & intus habere perhibentur.*

Psal. 25. Perfectio sanctorum lineata in circulo.

Ex SS. Patribus. *Gregor. l. 19. Moral. c. 9.*

In eo circuitu ad dextram & sinistram agitur, nihilque omnino præterit non lustratum. Bona nempe considerat, vt acquirat; mala verò attendit, vt caueat; & hoc Ezechieli perinde est, ac plenum esse oculis, vt placet Gregorio, quem accipe: *Corpora animalium idcirco plena oculis describuntur, quia Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est; bona desiderabiliter prouidens, mala solerter cauens.* Etenim nisi anima malo ingruenti prouidè occurreret, frustra in gyros acta Deum coleret, vtpote vitiis obnoxia, quæ tamen exquisito circuitu debuit extirpare. Ad idem etiam perfectionis studium pertinet illa sententia sancti Zenonis Episcopi Veronensis, ita homines adhortantis: *Vndique teipsum circumspice; peruigiles gere ad custodiam tui oculos anima. In medio laqueorum ingrederis. Occulta tibi ab inimico tenduntur insidia. Doli, machina, pedica vbique defossæ. Circumspice igitur omnia, & cauta intentione considera, vt effugias sicut damula ex laqueis, & sicut auis ex retibus, &c. Nunquam cesses teipsum perscrutari, si vita tua secundum formam dirigitur mandatorum; si conuersatio tua omni culpa vacat.* Hæc ille, opportunè monens otiosos fore circuitus nostros, si ad gloriam Dei minimè dirigantur. Et eò respexisse arbitror Pythagoram, cùm voluit Deum adorari à circumactis: nimirum est Deo gratum obsequium eius, qui vt cultior sit, se iugiter explorat, vt fortiatur illam munditiam, quam Damianus meminit hoc contextu: *Munditia cordis ab intellectus puritate descendit, qui cordis receptacula purgat, & latebras eius affectus acutissima circumspectionis falce succidit.*

Examen conscientiæ quale debeat esse. *Gregor. hom. in Ezech.* Examinis conscientiæ vtilitas.

S. Zeno Episcop. homilia cui titulus est: Attende tibi.

Quid sit adorare Deú gyrando. Pythagoræ præceptum de circulari Dei adoratione. *Petr. Dam. serm 55.* Cordis munditia quomodo procuranda.

Non est prætereundus Hugo Cardinalis in eo argumento, suggerens idoneum consilium ad instituendam meliorem frugem, beneficio circuitus antea memorati. Sic ille. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide. In circuitu, vt sis circumspectus in omnibus, & prouidus respicias, ad Orientem, id est, vtilitatem ortus tui: Occidentem mortis: Austrum mundana prosperitatis, quàm vana, quàm caduca, quàm deceptoria: Aquilonem, aduersitatis sæculi, quàm leuis, & breuis.* Non ergo incongrua est illa recensio huius antiquitatis plurium nationum, quibus agi circum aras, fuit alta religio, significans Deum hunc maximè à nobis cultum exigere, quo anima perficitur. Fit autem anima perfecta gyrando, & circumspiciendo se ad emendationem mali, & ad iuge virtutum omnium incrementum. Fauet Remigius, hoc concentu occinens Psalti: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, id est, gratia eius in me vacua non fuit. Circuiui, id est, circumspexi ad similitudinem strenuè militantium.* Morem hunc circumeundi altare, Hebræis insolitum, defluxisse inde ad Persas, Græcos & Romanos, in comperto est, sicut & quidpiam arcanum denotasse, vt perpendit Hugo, sic librans versiculum Psalmi: *Circumdabo altare tuum, Domine, id est, mentem meam circumspiciam, & discutiam: mens enim est altare, in quo debemus offerre Deo sacrificium spiritus contribulati. Hoc altare debet esse concauum & inane per humilitatem, non solidum per propriam confidentiam.*

Hugo Card. in Isa. 49. Mundus est plenus periculis.

Remig. in Psal. 26. Perfectionis studium adiuuatur examine conscientiæ.

Hug. Card. in Psal 25.

Ex præfatis, in propatulo est, principes orbis nationes, gyrando circa altare, professas fuisse, hominem debere Deo assimilari, vt propiùs ad Deum accedat, quod vt præstarent hallucinantes hi populi agebantur in gyrum arbitrati Deum esse circulum, seu sphæram intelligibilem. Quia adhuc in Ecclesia viget ille ritus circumeundi altaria, cum explico de cura seu circumspectione, quam quisque tenetur adhibere, vt se componat in similitudinem Dei, & perfectionem debitam assequatur. Vt semina pietatis singulis quibusque hominibus à Deo insita sunt; ita & Gentes omnes, quibus aliqua deitatis suspicio affulsit, credidere suum omne bonum à Deo iugiter emanare. Ideo quidquid aliquid commodi in naturam inuexit, illud peculiare sibi delubrum fecit, suosque cultores habuit. Hinc apud Massagetas cœlum inter Deos principatum tenuit ex Herodoto, quia arbitrati sunt bonorum omnium supellectilem influere in homines cœlo propitio. Strabo & Asconius Pædianus illam etiam religionem affingunt Persis, qui neque aras, nec statuas erigebant, sed in loco excelso, & aperto, faciebant sacra, rati se satis superque Deo sisti, si aspicerent cœlum. Sed esto cœlum Persis pro Deo habitum sit; illi tamen præcipuum cultum detulere Soli vt sideri maximè benefico, cui equos immolabant, ex Herodoto, & Iustino. Alij, vt Ægyptij, subodorati prima vitæ rudimenta esse in calido, & humido, adorauerunt ignem, & aquam, vt meminere Porphyrius, Eusebius, & Lucianus. Laërtius & Plutarchus aiunt, Anaximandrum & Pythagoram

Quare hodie vigeat ritus circumdandi altaria. Ritus qui apud Massagetas, Persas, Ægyptios, circa Deorum cultum. *Herod. l. 1. Strabo l. 15. Asconius Pædianus in act. 3. in Verrem. Herodot. l. 1. Iustin. l. 1. Porphyrius lib. de abstinentia. Euseb. l. 3. de praeparatione Euang. cap. 2. Lucianus in loco magade. Laërtius in Pythagora Plutar. l. 1. de pla. itu Philos c. 1.*

gorum nullos alios credidisse Deos præter sidera; & inde credo increbuisse nomina Saturni, Iouis, Martis, & aliorum, quorum nomenclaturam planetæ ferunt, sidera errabunda.

Terra quot nodis appellata. *Lactant. Firm. l. 1. fals. relig. cap. 21.* *Aug. l. 7. de ciuit. Dei cap. 20.* *Lil. Girald. Sintagm. 14.* *Eleusyna sacra quare instituta.* *Sueton. in Neron. c. 34.* *Puritas in sacris.* *Ælius Lamprid. in Al. Seuero.* *Cic. oratione pro Corn. Balbo* *Idem lib. 2. de legibus* *Festus Pomp. lib. 7.*

Gratitudinis suæ argumenta homines edituri in gratiam terræ, singulares illi decreuere honores. Primò eam Telluris & Opis nomine nuncuparunt, quia opes suppeditat, & ab ea homines tollunt omnium bonorum summam; ideoque dicta tellus, à tollendo. Grati animi in terram mnemosynon expressere Græci, colentes terram sub nomine Cereris, quam dixere suggessisse modum serendi, metendi, pistendi, & conficiendi panes. Vtque maior esset gratitudo, Græci instituere sacra Eleusina in honorem Cereris, vt meminere Lactantius, Augustinus, & Lilius Gyraldus, & ne hominum nequam sordida colluuies pollueret illa sacra, cautum erat ne quis malè sibi conscius ad illa sacra accederet, præcone monente, puris tantùm hominibus patere aditum ad illa sacra Eleusina, in gratiam Cereris instituta. Ea lege Nero abstinuit ab his sacris, quia multa vitiorum fæce respersus erat, & timuit incurrere numinis iram vt recenset Suetonius. Eadem religione ductus Alexander Seuerus, sanxit esse inuiolabile hoc decretum, vt meminit Ælius Lampridius, affirmans illum Imperatorem tulisse legem, qua à sacris Eleusinis impij homines arcebantur. Romani dixere ea sacra, Græca; quia ex Græcia in vrbem fluxerant illi ritus, vt Cicero ait, ita Senatum affatus: *Sacra Cereris, Iudices, summa maiores nostri religione confici, ceremoniaque voluerunt. Quæ cùm esse assumpta de Græcia, & per Græcos semper curata sint; sacerdotes, & Græca omnia nominata.* Idem alibi. *Nemo quem initiante, nisi, vt assolet, Græco solo.* Fuisse illa sacra valde solemnia Festus Pompeius ait.

Varro lib. 2. linguæ Latin. *Liu. 3. Dec. l. 10.*

Romani præter acceptos ritus à Græcis ad decus & gloriam, de suo penu, adiecere ludos solennes, quos à Cerere Cereales congruè nuncuparunt, vt Varro fatur. Hos magni facit Liuius; & Tacitus eosdem ludos Circenses & Cereales esse affirmat, hoc contextu, vbi Neronem commemorat: *Tandem statuere Circensium ludorum diem, qui Cereri celebratur, exequi destinata: quia Cæsar rarus egressu, domoque aut hortis clausis ad ludicra Circi ventitabat.* Multa odorum fragrantia Deorum simulacra, auro argentoque cælata, virorum humeris in hac ludorum pompa circumferri tradit Dionysius Halicarnasseus, à quo etiam Sabellicus mutuatus est ea quæ recenset, in eo argumento. Locuples etiam est apud Macrobium locus pertinens ad illos ludos. Ecce locum. *Vehitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium Deorum simulacra.* Ex præfatis collige, Christiane, qualiter Deum demerere debeas, à quo multò

Tacit. l. 15. *Dionysius Halic. l. 7.* *Sabell. l. 9.* *Ennead. 2.* *Macrob. l. 2. cap. 23.*

plura tollis, quàm Græci & Romani olim à sua Cerere mendicarint. Si plura piget præstare Deo, quàm præstiterint Cereri Gentes illæ memores gratiarum, has saltem in hoc imitare, vt studeas mente impolluta initiari sacris. Si hoc propositum alto animo tibi insidet, pectore illibato Deum attendere; profectò non eris longè ab ea perfectione, quam suggerit Christus, sollicitans nos, ad perfectionem Dei pro viribus imitandam: Deus namque propositus in scopum animos erigit ad grandia audenda.

Quid Christiani referre debeant ex sacris Gentilium. *Herodot. l. 4.* *Lucianus in Ioue Tragœdo* *Arn. lib. 5. contra Gentes.* *Iustinus l. 43.* *Varro apud Arn. lib. 5.* Romani olim adorauerunt hastas. *Arist. l. 7. Ethic. c. 1.* *Macrob. l. 1. de somno Scipionis cap. 9.* *Seruius in lib. 1. Georgic.* *Festus Pomp. l. 9.* *Virgilius lib. 1. Georg. l. 12. Æneid.* *Liuius Decad. 1. l. 1.* *Solinus, c. 8.* *Gellius l. 2. cap. 16.* *Ouid. l. 15.*

Ea industria Scythæ illi inhospitales, qui in exoticas orbis oras damnati sunt: hi inquam perfectionis suæ summam refundentes in bellicam gloriam, ita se accingunt ad concipiendum œstrum belli. In sarmentorum inconditam struem euehunt acinacem, qui erectus vice numinis adoratur: nullique apud Scythas alij Deo litare fas est. Ita Herodotus, Lucianus, & Arnobius. Imò ex Iustino, & Varrone, diu fuere Romani sine simulacris; ne tamen malè audirent, apud exteras Gentes, quibus in delubris prostabant infinitæ propè Deorum imagines; hastas pro numine coluerunt. Et hinc sua cunabula fecit ille modus pingendi Romæ Deos instructos hasta, vt eo habitu Roma recoleret prima sui Imperij rudimenta. Nempe Roma ferox armisque potens, nacta mundi dominium beneficio armorum, nequando illa gloria bellica excideret, arma coluit, vt etiam deficiente ferro, foret ciuitas illa animo cataphracto. Quippe arma suo obiectu, quasi ad classicum populum hunc strenuum aduocabant, quem pudebat humiles versare animos medio in strepitu & fragore armorum. Hoc fortè intento eriguntur cruces stipatæ flagris, spinis, clauis, & alia supellectile Passionis Christi, vt anima in otium fracta, & veluti passa deliquium, recolens mortem Christi Domini resipiscat.

Huc reuocandi Lacones, qui ex Aristotele, viros benè meritos de Republica referebant in Deorum numerum, decernentes eis templa, flamines, puluinar, & aras; vt qui superstites erant assequentes imitatione eorum facta, assurgerent ad præclara. Idem etiam Genius Romanos perculit, qui heroas suos dixere semideos, seu Indigetes, quasi in diis agentes, vt ait Macrobius. Hos meminere Seruius, Festus Pompeius, & Virgilius, quem accipe.

Dij patrij Indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi cælo, fatisque ad sydera tolli.

Liuius, Solinus, Gellius, & Ouidius etiam recolunt Indigetes, vt eorum exemplo homines fiant consortes diuinorum. Apage hæc commenta, melior namque suppetunt nobis specimina virtutum, scilicet Christi, quibus si vacare vacat sidera transcendemus.

CONTROVERSIÆ

EMERGENTES

EX PROXIMO EVANGELIO

EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

TEXTVS EVANGELII

Sectus in tot numeros, quot controuersiæ proponuntur.

I. AVDISTIS quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.

II. Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, &c.

III. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est, &c.

ORTHODOXA ET CAtholica expositio Euangelij, distributa in tot titulos, quot argumenta controuersiarum suppeditauit textus literalis.

1. *Vt nihil inhumanum Deo affricari potest; ita & nefas est suspicari eum nobis indixisse præcepta, quæ nequeant obseruari, gratia desuper influente.*

2. *Cuius etiam beneficio, adeò exquisitè defæcatur anima, vt stante gratia fæces omnium peccatorum illico diluantur. Quippe gratia, & peccata non coeunt, ac proinde sapit delirium, dicere animam nunquam deponere næuos suos, & maculas, etiamsi merita Passionis Christi ei cœlitus affingantur. In homine insano esset plangenda illa vesania; sed in homine Christiano, hæretica illa sententia est æternis ignibus expianda.*

3. *Tantùm enim abest, vt anima Deo grata, sordes residuas penes se reconditas habeat, quinimò potiùs assurgit in beatum illum statum, qui refert pro modulo humano similitudinem Dei, emeritis virtutum actibus adumbratam.*

ELENCHVS ET RATIO Controuersiarum, quibus proximum Euangelium ansam dedit.

Christus indicens præceptum de dilectione inimicorum, adhibuit istam præfatiunculam: *Ego autem dico vobis.* Vnde ansam arripio quærendi:

I. *An mandata Dei, accedente gratia Dei possint obseruari.*

In serie eiusdem Euangelij, Christus præmonuit, amorem, quo dignandi sunt inimici, debere esse beneficum, vt nos efficiat filios Dei. Hinc desumo argumentum carpendi hæreticos, qui dicunt, concupiscentiam, quæ sequitur peccatum originale post Baptismi repurgium, esse peccatum mortale indelebile, etsi credentibus non imputetur. Damno illam sententiam, quia illa stante non possemus esse filij Dei: nam titulus ille & peccatum mortale non concordant. Itaque secunda controuersia quam agito, hæc est:

II. *An concupiscentia affingat aliquem reatum animæ patienti inuitè motus fomitis insurgentis.*

Demum Dominus sermonem hunc de amore inimicorum conclusit, hortando suos auditores, vt essent perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est. Illa parænesis dubium hoc ingessit, quod torsit plures hæreticos superiore sæculo, scilicet:

III. *An denominemur iusti, iustitia inhærente, vel imputatiua.*

Sicque sensus orthodoxus Euangelij discutitur tribus controuersiis, succinctè expensis, pro virili tamen, & vt patitur inopia disputantis.

SENSVS ORTHODOXVS.

Gratia Dei influente in animam, homo aptatur ad subeundum iugum mandatorum Dei.

In hæc verba.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

CONTROVERSIA I.

PRÆFATIO.

Exord. ad concionẽ de obseruandis mãdatis Dei. *Plutarch. in vita Solonis.* Draconis leges sanguine delinitæ. *Rhodiginus l. 10. c. 6.*

MAlè audijt Draco apud Athenienses, quos legibus adeò austeris instituit, vt leuioribus etiam noxis diceret capitis sententiam, vt Plutarchus ait, subiiciens Demadem ideo dixisse, Draconem suas leges non atramento sed sanguine condidisse. Cùm itaque incauti plerique impingerent in leges, & cruore desudarent omnia; rigidus ille conditor legum concillata sibi Græcorum inuidia malè periit apud Æginam in celebri hominum frequentia, aduersus eum toto populo personante. Hæc suprema eius fata luget Rhodiginus. Meliùs consultum est rebus humanis à Christo Domino, condente leges perquàm difficiles. Quamuis enim legifragis indixerit pœnas acerbas, vtiq; æternas, refrigerij nescias; eas tamẽ leges inunxit sanguine suo, cuius merito leges illæ sunt respersæ, & citiùs obseruantur. Non inficior, esse aliquas Christi leges, quæ facessunt homini negotiũ, si spectentur ab homine suis tantũ instructo viribus. Verbi gratiâ, quis nõ dixerit esse crudam, aut præcoquam legem, quæ indicit deponenda odia, & induendum affectum inimicorum? Si tamen attendatur ille, qui hoc edictum sanxit, erit hæc sarcina leuis, ratione gratiæ, quam suis sequacibus Christus Dominus impertiuit.

Draco legislator occisus à populo.

Mãdata Dei respersa sanguine Christi possunt obseruari.

Gratiæ Dei vnctio leue facit iugum mandati. *Isa. 10.* Dilectionis inimicorum mandatum à legislatore accepit gratiam vt possit obseruari. *Matth. 19.* Hæretici Deo iniurij, dicentes mandata nõ posse obseruari.

Præscius Isaias commemorans hæc beata Christi tempora, præfatus est, beneficio vnctionis eius, id est, gratiæ, omne alleuiandum iugum. Sic ille: *In die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Eamobrem cùm instituit hoc decretum de dilectione inimicorum, antequam ferret legem illam momenti tam ardui, hac præfatiuncula vsus est: *Ego autem dico vobis.* Id est, si hanc condo legem carni acerbam, illam etiam condio suaui gratiæ condimento, quo tota tergitur asperitas legis. In simili argumento, Dominus ille cauens infirmitati hominum, dixit imbelles esse eorum nisus ad salutem, sed accedente gratia Dei, eos posse assurgere ad salutis æternæ stipendia capessenda. Hoc oraculum ita recenset Matthæus: *Auditis autem his, discipuli valde mirabantur, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem* IESVS *dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Frustra ergo hæretici obganniunt, & blasphemant, Deo iniurij, atque Catholicis. Deum petunt quando eum insimulant indolis inhumanæ, causantes eum tulisse leges, quas nemo etiam comite gratia potis est obseruare. Catholicis imponunt, eis affingentes notam superbiæ, quasi obseruantiam mandatorum sibi propriis viribus arrogarent. Bimembris itaque erit ista controuersia. Dicam priori parte, nos procul abesse ab illa calumnia, quam affricant nobis hæretici, & ostendam quàm humiliter de se sentiant Catholici, confitentes ingenuè se impotes esse obseruare legẽm Dei sine adminiculo gratiæ. Secunda verò parte ostendam, gratiæ Dei illapsu hominem instrui omnibus partibus idoneis ad præcepta Dei iugiter obseruanda.

Diuisio controuersiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS PRIMA Controuersiæ.

In hæc verba:

Anima expers Dei gratia nequit morem gerere omnibus mandatis homini à Deo indictis.

Ecclesiæ facies speciosa fœdata ab hæreticis.

Plutarch. in August. Augusti facies eleganti specie conspicua eum à morte liberauit.

ADeò eleganti facie fuit Augustus, vt sicarius intromissus ad eum confodiendum, iniquo exciderit proposito eo viso, etsi antea apud se Principem perdere decreuisset. Ecclesia Catholica eum etiam oris habitum præfert, vt si æmulis eius daretur copia adstandi coràm, statim deperirent formam Ecclesiæ, quam oderunt, ab hæresiarchis fœdè laceratam. Illâ nempè industriâ hostes Ecclesiæ, homines auerterunt à fide, scilicet imponentes Christianis, & affricantes eis omnem nequitiam; ita vt nescij vitæ Christianæ, crederent se obsequium præstare Deo, quando infideles igne & gladio sæuiebant. His calumniis occurrerunt Iustinus Martyr, & Tertullianus, factâ luculenta Apologiâ, qua probarũt, quàm sancta esset & aliena à mendis Christianæ fidei disciplina. Quodque magis singulare est, Plinius iunior, homo Consularis, iussus à Traiano Imperatore delere internecione Christianos, vt gentem inuisam, & pondus inutile terræ, luculentam scripsit Epistolam, qua se Christianorum præstitit encomiasten. Ait enim, diligenti perquisitione præhabita inuenisse homines innoxios, & tenaces in legibus obseruandis, quæ pertinent ad institutionem morum, & hoc solum in eis posse reprehendi, quòd conuenirent antelucanis horis, vt psallerent, & dicerent pæana homini crucifixo.

Tertull. in apologet. Iustin. Mart. in apol. Plin. iunior epist. ad Traian.

Christiani laudari à Plinio iuniore.

Hæreticorũ calliditas vt homines auertant à professione fidei.

Dæmon eodem liuore percitus hodie, quo priscis Ecclesiæ temporibus, idem suum virus aspergit, conductis hæreticis, qui populo imponunt, debacchantes in fidem Catholicam, vt respersam erroribus, nihilque hodie nouatores in suis synagogis ingeminant crebriùs, quàm Catholicos esse Pelagianos, & extorres à sincero dogmate Christiano. Sectarij namque ea impudẽtia, qua tantùm possunt, concrepantibus buccis aiunt, nos irritam facere gratiam Dei, & dare virtutibus nostris editionem bonorum operum, quod est valde iniurium Christo, cui sic detrahimus titulos, & honorem redemptionis nostræ. Hoc passim effutiunt proterui homines, mendacio veritatem iugiter oppugnantes. Hæc eis ad arbitrium cedit improbitas: siquidem multi hæretici cunctantur ad nos transire, arbitrati, nos nimium deferre viribus nostris, cùm dicimus, hominem Deo fretum posse morem gerere omnibus mandatis desuper indictis; suspicantur enim in ea propositione

Christiana fides nihil arrogat sibi credens mãdata Dei posse obseruari med. gratiâ.

tione

tione typhum, ab humilitate Christi penitus alienum.

Ex Ivre canonico.

Vt Sole in opacis nubium inuolucris, tenebræ suam offundunt caliginem; ita gliscente errore, quem calumnia aspersit, plerique moras nectunt dubij, an sint professuri fidem, quæ videtur sibi nimium arrogare. Hanc hæreseos imposturam tersit Ecclesia in celebri consessu, spectante toto orbe Christiano: cùm scilicet in Concilio Tridentino Canones edidit, quibus Ecclesia Catholica profitetur, hominem suapte natura non assurgere ad iustificationem, imò nec id olim fuisse concessum legi Mosaïcæ: ecce textum Concilij Tridentini. *Primum declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam probè & sincerè intelligendam, oportere, vt vnusquisque agnoscat & fateatur, quod cùm omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & vt Apostolus inquit, naturâ filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, vsque adeò serui erant peccati, & sub potestate diaboli, ac mortis, vt non modò Gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset; viribus licet attenuatum, & inclinatum.* Vides hoc contextu, tundi os procax hæreticorum, quibus mendacium fuit semper validum argumentum. Tantùm igitur abest vt Catholici insurgant in merita Christi, & sua adstruat cum dispendio Saluatoris, quinimò editi sunt Canones, hoc dogma pessumdantes, & gratiæ Dei tribuentes, si quando homo sortiatur statum animæ defæcatæ. Ecce Canones. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legem fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit. Si quis dixerit, ad hoc solùm diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt faciliùs homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit; quasi liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit. Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hactenus sancta Synodus, in eo argumento satis superque elidens capita proteruorum.

Homo nequit propriis tantùm viribus obseruare leges Dei. *Conc. Trid. sess. 6. cap. 1.* Hæretici sunt calumniatores.

Ibidem De iustificatione can. 1. 2. 3. Gratia Dei necessaria ad omne bonũ opus consũmandum.

Eodem spiritu acta Synodus Mileuitana hunc olim Canonem ediderat. *Placuit, vt quicumque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, faciliùs possimus implere per gratiam; tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed possemus etiam sine illa diuina implere mandata, anathema sit.* Illam hominum impotentiam Theologia sic adstruit. Natura humana sauciata lapsu Adami auersa à Deo, & conuersa ad creaturas, & præsertim ad se, finem vltimum vel actu, vel habitu, vel certè propensione præstituit sibi in creatis, & non in Deo. Vnde quando occurrunt aliqua agenda vel euitanda ex fine illo præconcepto, quasi naturaliter inclinatur ad malum, & violenter ad bonum, ideo necessaria est vis quædam, & vt homo perpetuò vigilet, & præmeditetur, & contra propensionem & amorem proprium pugnet. Vis autem hominem accingens ad ardua non est naturalis, sed superioris ordinis, qualis est, animam instruens ad præliandum contra nequitiam. Prætereo rationem toties alibi decantatam, scilicet operandi schema esse congruum modo essendi, ideoque hominem non posse eniti ad opera supernaturalia, cùm sit ipse naturalis ordinis.

Concilium Mileuitan. Gratiæ necessitas ad bona opera edenda est de fide.

Ex theologia.

Thom. 1. 2. q. 109. art. 4.

Gratiæ De necessitas ad bona opera quibus rationibus à Theologia cóprobetur.

Rursus fides Catholica subscribit Scripturæ sacræ, quæ affirmat, Deo inconsulto hominem non posse egregia facinora perpetrare, iuxta illam Sapientis sententiam. *Vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum; adij Dominum, & deprecatus sum.* Præterea obseruare omnia mandata est argumentum insitæ charitatis, vt Ioannes ait hoc tenore: *Qui seruat verba eius, in hoc charitas Dei perfecta est. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Christus ipse antea dederat hanc tesseram charitatis, scilicet obseruationem mandatorum Dei. Sic ille rerum Dominus: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Ergo, cùm charitas solis naturæ viribus non influat in animas; nemo etiam solo conamine humano omnia mandata Dei poterit obseruare, quandoquidem talis obseruatio præsupponit charitatis influxum.

Sap. 8.

1. Ioan. 2. & 5.

Ioan. 14. Obseruantia mãdatorum Dei, est signũ gratiæ Dei inhabitantis.

Ea etiam fuit fides Sanctorum Patrum, vt videre est in Augustino passim, cuius est hæc sententia: *Iustitiæ præcepta omni ex parte implere non possumus nisi adiuuemur à Deo.* Itaque ineptè debacchantur hæretici, declamantes in nos velut in Pelagianos, cùm toto cœlo distemus ab eo delirio, quod illi aliàs inuexerunt.

August. lib. 2. de peccatorũ remissione c. 3.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS SECVNDA Controuersiæ.

Homo beneficio gratiæ Dei aspirantis potest obseruare omnia mandata Dei.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARGVMENTVM I.

Ex Scriptvra, et Ratione.

Exploratores missi à Moyse, vt lustrarent terram illam opimam, ad quam Deo duce Hebræi suum dirigebant iter, non fuere concordes in relatione sua. Alij namque dixere esse impossibile potiri terra illa, ob gentem ferocem incolam soli feracis. Iosuë verò & Caleb, freti subsidio Dei, labantis populi erexere animos, affirmantes regionem illam posse cedere in ius hominum Hebræorum. Ecce seriem historiæ: *Caleb compescens murmur populi contra Moysem ait: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alij verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Detraxeruntque terræ quam inspexerant.* Istorum ignauiam Deus hac censura ferit, vt nullus eorum ingressus sit terram illam, quæ tamen cessit Calebo, & posteris eius. Accipe Dei sententiam in vecordes illos, qui Deum quasi inhuma

Exordium idoneum ad concionem de possibilitate mandatorum Dei. Iosuë & Caleb viri magnanimi fuere figura Catholicorum.

Num. 13. & 14.

Hæretici vecordes figurati in populo ignauo qui noluit ingredi terram promissionis.

inhumanum arguebant, eò quod hortaretur eos ad bellum inducendum Amorrhæis. Sic eos Deus ferit: *Non videbunt terram, pro qua iurauit patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, & semen eius possidebit eam.*

Blasphemiæ hæreticorũ de impossibilitate mãdatorũ Dei. *Luther. in confutatione rationis Latomianæ. Idem Respõsione ad Dialog. Sylueſtri. Melanchr. in cap. 4. epiſtol. ad Romanos. Caluin. l. 2. inſtit. c. 7.*

Ecce ideam hominum, qui se dicunt profiteri Euangelium, cuius disciplina nos accingit in terram viuentium, quam subeunt omnes ineuntes viam mandatorum Dei. Quidam aiunt esse inaccessos calles, nec ab aliquo posse teri, ac proinde Deum præcipere impossibilia, quando ait, esse obseruanda mandata si volumus ad vitam ingredi. In his blasphemis hominibus Lutherus & Caluinus primas tenent. Sic Lutherus. *Tot Scripturæ testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis, vt nihil sit manifestius.* Rursus alibi. *Pessimè facis quod negas Saluatorem impossibilia iussisse: plusquam pessimè facis, quod hoc falsitatem audes appellare. Non possumus in hac vita mandata Dei implere.* Lutheri assecla perinde crocitat, ille est Melanchthon, mali corui malum ouum. Ecce insani hominis iniuriam Deo factam. *Cùm mandat lex diligi Deum, perinde impossibilia iubet, atque si præcipiat nobis transuolare caucasum.* Eiusdem farinæ homo, bipedum nequissimus, is est Caluinus, ita detrahit mandatis Dei. *Sit extra controuersiam, impossibile esse in hac carne legis implementum.* Hi transfugæ suum hoc veternum affinxere suis sequacibus, qui pertæsi viam cœli, dixerunt esse tem impossibilem, vt mandatorum Dei tramites ineantur. In pœnam blasphemiæ omnes hæretici longè à cœlo sunt, futuri ęternùm extorres, nisi ab hac iniqua sententia resipiscant.

Hæretici vt ignaui dicũt non posse Dei mandata obseruari. *Philip. 4. 1. Ioan. 5. Matth. 11. Luc. 1.* Manda'a Dei obseruata à plerisque, ex Scriptura Sacra.

Alij exploratores viæ cœli retulere nobis, iter illud haudquaquam esse inuium, sed Dei gratia comite, posse iniri calles tritos à plerisque iam incolentibus cœlum. Ita Paulus: *Omnia possum, in eo qui me confortat.* Concinit alter Apostolus, videlicet Ioannes, ita resonans: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus; & mandata eius grauia non sunt.* Christus ipse hanc damnauit calumniam impositam mandatis Dei, à quibus ait abesse grauedinem, ita protestatus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Ne deessent exempla hominum, qui nulli defuere legi, Lucas traducit parentes Ioannis Baptistæ, quos obsequutos fuisse legi commemorat, hoc versu: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Non ergo impossibilis est illa obseruatio mandatorum Dei, vt mentiuntur hæretici, nequaquam attendentes, Scripturas etiam sacras meminisse multos vitæ innoxiæ viros, benè meritos de lege Dei. In his occurrit Rex Iosias, cui codex sanctus hoc testimonium perhibet: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.*

4 Reg. 23.

Deo aspirante possibilem esse illam obseruationem, liquidò ostendit Ezechiel, inducens Deum hæc promentem: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Nihil profectò liquidius in hac controuersia recenseri potest. Nota, Deum dare obseruationem mandatorum spiritui, quo perciti homines erant inituri viam mandatorum Dei, exemplo Moysis, & Iosuë, quos eadem Scriptura sacra meminit vt exempla legis iugiter obseruatæ. Ecce textum veridicum: *Sicut præceperat Dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosuë, & ille vniuersa compleuit: non præteriit de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.*

Ezech. 36. Gratia à Deo promissa vt præcepta obseruentur.

Iosue 11.

Mandatorũ possibilis obseruatio à Deo declaratur. *Deuter. 30.*

Sed quia laboro in textibus idoneis meo intento, cùm Deus ipse ferens legem dixerit, ita esse aptatam hominum captui, vt ab ea resilire non fas sit hominibus. Ecce oraculum: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non suprà te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrûm vales ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poteris transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & corde tuo, vt facias illum.* Cui amabo fides est adhibenda, Deóne, an periuris hominibus, Luthero, & Caluino? Hos luculentos textus ratio excipit, suadens esse possibile obsequium mandatorum Dei: res namque esset ludicra intentare minas hominibus ob violatam, si non esset penes eos obseruare legem. Frustra decernerentur stipendia obseruantibus, & supplicia violantibus, si morem gerere legi esset res superans omnes hominum nisus. Euangelium esset merum ludibrium, si non posset obseruari; nec se Christus proposuisset in exemplum, cùm ad impossibile nemo teneatur, & conditio impossibilis adiecta pro nulla teneatur in iure.

Mandatorũ possibilis obseruatio probatur ratione.

ff. de regulis iuris.

SENSVS ORTHODOXVS.

Mandata Dei gratia obsequio possunt obseruari.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARGVMENTVM II.

Ex Sanctis Patribvs.

Exordium ad conciõnẽ de obseruatione mandatorũ Dei.

IN his qui Geographiæ chartas conscripsere, maxima fides adhibetur eis, qui lustrauere plures mundi plagas; quippe in aliorum fide dispungere varios terrarum situs, res est valde lubrica, & vicina lapsui. Ita & in discursu de tramite cœli ineundo, res est incongrua credere errabundis hominibus, & deuiis à regia illa via, vt sunt hæretici omnes: melius agitur cum eis, qui consulunt Sanctos assuetos illis itineribus, quæ impij homines vt inuia diffamarunt. Sancti verò secus nihil asperum aut salebrosum nacti sunt in via mandatorum Dei, sed omnia plana experti, alios homines hortati sunt pro virili parte, ad eosdem inoffenso pede tramites ineundos. Quia versamur in difficillimo omnium mandatorum Dei, de dilectione inimicorum;

Hæretici quare non credendi in his quæ ad cœlum pertinent.

Ex SS. Patribvs. *Basilius in regulis breuiorib. respon-*

cotum;

strom. 176. Clem. Alexand. l. 4. strom. c. 8.

corum; audi Basilium asseuerantem, eum, qui præcepit, impertiri gratiam congruam ad præstandum debitum obsequium. Sic ille: *Sine dubio non præcepisset hoc qui bonus est ac iustus, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus, quam quidem etiam in natura ipsa insitam videri voluit: etenim benefactores naturaliter amant bestiæ.* Accedit Clemens Alexandrinus Basilio suppar, ita fatus: *Præcepta sunt einsmodi, vt à nobis possint fieri, & non fieri, quæ consentaneum est vt consequatur laus & vituperatio.*

Hæretici quare dicant mandata Dei non posse obseruari.

Perpendenti mihi vnde irrepserit illa blasphemia, Deo affricans hunc genium adeò inhumanum, vt damnet homines, quia fuere præceptis impares, ea violantes assiduè, quia nequeunt obseruari; occurrit illa Hebræorum vecordia, qui assueti Ægyptiacis carnium ollis, nolebant conserere manus cum Amorrhæis; dicentes, eos esse fortissimos, ac proinde fore vt concurrente Amorrhæo, cum castris Israël duriùs ageretur. Ita plerique Christiani animo muliebri, & deperdito robore masculino, fracti in voluptates detrahunt mandatis, quasi eorum obsequium esset res operosa valde. Fauet Origenes, ita carpens hominum acediam. *Quantæ ex mulierum sexu apud Deum in viris fortibus numerantur? Et quanti ex viris inter remissas & languidas mulieres reputantur? An non tibi videtur inter mulieres æstimandus ille vir, qui dicit: non possum obseruare quæ scripta sunt: vendere quæ habeo, & dare pauperibus non possum: percutienti maxillam, alteram præbere non possum: maledicentem benedicere non possum: blasphematus deprecari non possum: cætera similia quæ mandantur, qui dicit implere non possum, quid tibi videtur aliud, quam inter mulieres, quæ nihil virile possunt, esse numerandos?* Hactenus Origenes, fortè alludens ad Medicorum effatum; mares esse calidæ indolis, fœminas verò secus tepescere, non feruere. Pro illa etiam possibilitate mandatorum pugnat Athanasius, vt masculos nos præstemus, & probemus opere vigere in nobis calorem illum viuidum, quo duntaxat anima vegatur. Sic ille: *Intende vnicuique præcepto, & id quod iubetur præsta. Si enim ista serues, digna habeberis cælesti thalamo. Ne dixeris in corde tuo: At quonam ista modo præstare potero? Ne pauorem concipiat mens tua, sed cum omni alacritate seruabis ea. Siquidem timentibus Dominum præcepta Domini difficilia non sunt.*

Orig. hom. 9. in Iosue.
Mãdatorum Dei obseruatio quibusnam sit impossibilis.

Athanasius de virginitate seruanda.
Mãdatorum obseruatio masculos animos postulat.

Experimento quotidiano & vernaculo patet, eos baiulos grandiores subire sarcinas, qui maiori calore pollent, alios verò succumbere, quibus parciore manu suos igniculos natura distribuit. Ita & in moralibus, vbi amor Dei accendit præcordia alicuius, ille impiger enititur ad grandia: si verò quis tepet, statim acediâ dissoluitur, & causatur præceptorum pondus esse humeris importunum. Suffragatur meo intento Chrysostomus, ita sugillans hominum inertiam: *Dei præcepta, quæ sunt salutaria, & gloria plena, & magnam nobis præbent Philosophiam, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare. Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio & alacritate animi suscipiat, videbit ea esse leuia & facilia.* Quòd si cui facessat negotium nomenclatura oneris, quam indidit Christus præceptis suis; illemet Dominus omne minuit pondus, tantùm detrahens oneri, quantùm est pondus gratiæ, quam adiecit, inuitans homines ad tollendum hoc suaue iugum & onus leue. Vnde Chrysostomus inducit Christum, ita pellicientem animas: *Nolite igitur iugum audientes pertimescere: suauitatis enim eximiæ plenum est. Neque metuatis etiamsi onus dixerim: leue enim est.* Ille idem pergens explicat, quibus hoc iugum sit asperum & ingratum. Hæc sunt sensa eius: *Quomodo in superioribus dicebat angustam esse portam, & tristam tribulationibus viam: quando videlicet desidiâ, quando ignauiâ dissolutus es. Nam quando quæ dicta sunt perfeceris, leue tunc onus erit. Quomodo autem, inquies, quæ dicta sunt perficiam animo? si humilitate sincera, si mansuetudine vera, si moderatione integra te communias.*

Chrys. in Psal. 111.
Mãdatorum Dei difficultas vnde petatur.

Mãdatorum iugum quare leue esse dixerit Christus. *idem hom. 39. in Matt. ibidem.*

Mãdata Dei quomodo possint obseruari.

Benè affecti Patres Græci erga Dei præcepta, concordi suffragio dixere, esse possibilia hæc mandata: & ne arbitrere, proceres Latinæ Ecclesiæ fuisse dissitos ab aliis, & malè ominatos obseruationi mandatorum, accipe eos, qui principem locum tenent in illo doctissimo Sanctorum choro. Et quia huic controuersiæ ansam dedit hoc præceptum de dilectione inimicorum, consule Augustinum, possit homo necne morem gerere huic edicto. Sic ille: *Dicet aliquis: Nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus Scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu è contrariò respondes, non posse. Considera nunc, vtrum tibi an Deo debeas credi. Et ideo quia veritas mentiri non potest, iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quòd non potuit vitare, quia pius est.* Eum verò qui secus de Deo senserit, Augustinus execratur vt blasphemum. Ecce animi subirati voces indices: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.* Quòd siquando mandatorum Dei pondus humeris ingrauescit; illud onus importunum nos admonet, esse petendum subsidium ab eo, qui tale onus imposuit, sicque grauitas illa cedit in argumentum gratiæ, quam petitam Christus Dominus impartitur.

An possit impleri præceptum de dilectione inimicorum. *Aug. ser. 61. de tempore.*

Idem ser. 191. de tempore.
Mandata dura dicẽtes Augustinus execratur. *Idem lib. de natura & gratia c. 69.*

Si dubiam facis meam fidem, & aliò prouocas, per me non stat: audi Augustinum ita fatum: *Valdè bona sunt præcepta, si legitimè his vtamur. Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est, aut ea vna est sarcina ipsa quæ leuis est: secundùm hoc dictum est: Et præcepta eius grauia non sunt: vt cui grauia sunt, consideret non potuisse diuinitus dici; grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt, & petat quo destituitur, vt impleat quod iubetur. Et quod dicitur ad Israel in Deuteronomio, si piè, si sanctè, si spiritualiter intelligatur, hoc idem significat: quia vtique cùm hoc testimonium commemrasset Apostolus: Propè est verbum in ore tuo, &* in

Mãdatorum Dei pondus nos obligat ad gratiam Dei deposcendam.

Mandata Dei omnia amori condita sunt.

in corde tuo : quod hic habet, in manibus tuis: in corde enim sunt spiritales manus. Hoc est, inquit, verbum fidei quod prædicamus. Conuersus ergo quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habet graue, cùm sit dilectionis mandatum. Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est; aut diligit, & graue esse non potest. Hoc igitur esto ratum, scilicet omnem grauedinem, quæ mandatis inficit, non esse affingendam vlli omnino ponderi præceptorum, quod nullum est, sed imbelli hominum indoli, quæ quod non vult, se non posse turpiter ementitur.

Mandata Dei grauia his, qui nolunt obedire.

Præstat audire Hieronymum sua sensa grauiter expromentem. Ausculta: *Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos: cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid in Saul, & in Absalon. Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est: & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis.* Si è sede Petri desideras oracula, quibus conclusio mea sarta tectaque fiat; ecce tibi duos Pontifices sanctos, suis hisce sententiis adstruentes intentum meũ. Prior est Leo sic decernens: *Hic labor piis filiis, & bonis seruis, non solùm nec asper, nec onerosus, sed etiam suauis & leuis est, dicente Domino: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Nihil ergo arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt in affectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Prima illa sedes concolor sibi, tulit Gregorium eodem spiritu afflatum, quo recensitus ille Leo. Diceresque duorum vnam esse eamdemque sententiam, adeò benè concordant summa hæc Ecclesiæ columina. Ecce Gregorium. *Psalmistam audio dicentem: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras: atque in Euangelio Dominus dicit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quomodo ergo aut lata charitas, si angusta porta: aut quomodo iugum suaue est, & onus leue, si in præceptis Dei via dura custoditur? Sed hanc nobis quæstionem citiùs ipsa veritas soluit, quia via Dei & inchoantibus angusta est, & perfectè iam viuentibus lata. Et dura sunt, quæ contra consuetudinem spiritualiter animo proponimus; & tamen onus Dei leue est postquam hoc ferre cœperimus: ita vt pro amore eius etiam persecutio placeat, & omnes pro eo affectio in mentis dulcedine veniat, sicut Sancti quoque Apostoli gaudebant, cùm pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit, ipsæ viæ duræ specialiter currentibus molles, ac planæ fiunt, dum scit animus, se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, & hoc incipit quod affligitur amare.* Hactenus ille Gregorius.

Hieron. in cap. 5. Matthæi.

Mandata Dei non impossibilia præcipiunt, sed perfecta.

Leo serm. 5. in solemnitate Epiphaniæ.

Quibus sunt possibilia mandata Dei.

Greg. hom. 27. in Ezechiel.

Amanti nihil difficile. Mandatorũ pondus omne deperit amori.

Grunniant pro arbitrio suo hæretici, Epicuri de grege sues, qui fingunt laborem in præcepto, & adhærent sordidæ sedi nequitiæ; non obstabunt tamen quin sequamur ductum sanctiorum Patrum, qui explorata via cæli, tetulere, aspera omnia facta esse in vias planas, & Deum prouocare homines multifariàm ad faciles cæli tramites ineundos. Lubet audire Cyprianum in eo argumento, ita Deum compellantem: *In quibusdam per legem tuam promissa præmia nos inuitant: in multis pœna proposita, & supplicia, vel damna territos animos à scelerum retrahunt appetitu: neque lex tua scripta, à lege naturali in aliquo dissonat, sed reprobatio mali, & electio boni, sic animæ rationali infixa sunt diuinitus, vt de hoc nemo rectè causetur: quia nulli ad harum rerum persecutionem deest scientia, siue potentia: quia & quod agendum est scimus, & quod scimus facere possumus. Quòd si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, vt non posset intelligi, quid à nobis tua expeteret altitudo, licet inuitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis, & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio auctoritati cognoscibili prouidissent: & simul se complecterentur possibilitas, & facilitas, scientia, & potestas. Præcipis mihi, Domine Deus, vt diligam te: hoc & possum, & debeo: & totum me, & interius tibi esse iubes obnoxium: & de proximo iubes, vt ad meam mensuram complectar. Gratias ago tibi, clemẽtissime Deus, quia quod quæris à me, prius ipse donasti.* Qui ergo dedit vnde obseruemus præcepta, profectò impossibilia non indixit, vt delirant hæretici, crudelitatem Deo nequiter affingentes.

Cyprian. ser. de baptis. Christi.

Mandatorũ Dei obseruationem possibilem fecit Deus multis auxiliis quæ Cyprianus enumerat.

SENSVS ORTHODOXVS.

Gratia facilem facit obseruationem mandatorum.

In hæc verba:

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.

ARGVMENTVM III.

EX IVRE CANONICO, ET HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ.

Dei flamine percitus Rex Persarum Cyrus, Hebræis in Perside degentibus indixit, vt reduces in Iudæam pergerent, & vacarent sacris ædibus instaurandis, vt templo sarto tecto, litarent congruis holocaustis. Egregium equidem & salutare fuit hoc præceptum, vtpotè vergens ad Dei gloriam, & commodum animarum. Tamen fuisset iussio illa importuna, si Rex propitius votis Hebræorum, non suppeditasset supellectilem templi, & alios etiam hortatus esset, vt de proprio penu suo sumptus adiicerent ad fabricam illam Deo rerum Domino consecrandam. Ecce dictum Cyri: *Dominus cæli ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini*

Congruum exordium ad concionem de gratia concessa à Deo pro obseruatione mandatorum Dei.

Cyri Regis industria, vt Hebræos alliceret ad templum ædificandum.

Dei Israël; ipse est Deus qui est in Ierusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento, & auro, & substantia, & pecoribus, &c. Vniversique qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis, & aureis, in substantia & iumentis, in supellectili, &c. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat in templo Dei sui.

1. Esdr. 1.

Cyri Regis liberalitas, in gratiam templi.

Series illa rerum ibi gestarum, vt Iudæi morem gererent Cyro præcipienti structuram templi, idea est eorum, quæ experitur anima, cui carpendum est iter versus Ierusalem illam beatam, vt illic æternum in templo gloriæ sacrificet hostiam laudis. Vrgente inopia gratiarum Dei, anima nequit decurrere inoffenso pede viam mandatorum, quæ sola homines adultos vehit in patriam Beatorum. Irrito conamine tentaret homo sine lapsu, eoque lethali, præterire vias omnium mandatorum, quæ ingruente tentatione valida, citra gratiam Dei nequeunt obseruari. Ne ergo anima causaretur, prouidentiã Dei esse infra illam, qua Cyrus cauit Hebræis, quibus indixerat pensum erigendi templum; prouidus ille mundi sator, omnia cum fœnore præstitit, quæ de Cyro meminit textus sacer. Præcone resonante Cyrus Hebræos hortatus est, vt redirent ad propria, & postliminio priscas incolerent sedes. Item vniuersis, qui erant in Hebræorum vicinia præcepit, vt suam etiam conferrent opem, in gratiam viæ conficiendæ ab Hebræis versus Ierusalem. Deus homines in seruitute natos, à teneris vnguiculis manumittit beneficio aquæ salutaris qua tinctos infantes libertate donat, & adsciscit in familiam suam. Rursus Angelis, qui in vicinia hominum degunt, has mandauit partes, vt curam hominum gererent, quamdiu decurrerent arduas cœli vias. Hinc effluxit suaue melos regij præcentoris: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Suã opem conferunt Angeli, purgando, illuminando, & perficiendo. Deus verò, quo decernente accingimur ad obeundos cœli calles, sumptus idoneos suppeditauit affatim, vt & vasa congrua ad munia singulis quibusque hominibus propria. Vasa sunt Sacramenta, quæ à Theologis vasa gratiæ nuncupantur: sumptus verò quotidiani, sunt gratiæ excitantes, & cooperantes, quibus homini succurritur, & leuatur tædium animæ fatiscentis.

Mãdata Dei impossibilia, sine gratiæ Dei influxu.

Hominis curam singularem agit Deus ab ipso momento natiuitatis.

Angeli qualem opem conferant hominibus.

Psal. 90.

Sacramenta sunt vasa gratiæ.

Itaque magnificentiam Cyri superat Deus; homines nempè instituit omnibus auxiliis necessariis ad salutem, nullaque omnino præcepta indixit, quibus non possit anima sufficere, Deo ipso cælitus adiuuante. In eo argumento prostat celeberrimus iste Canon, adeò propitius, vt ex professo videatur esse compactus. Ecce textum illum canonicum. *Gratia quæ per Christum datur, non solùm peccatorum remissionem facit, sed etiam, vt lex impleatur, vt natura liberetur, ne peccatum dominetur. Spiritus etiam gratia dat fidem, quæ etiam non petita à Deo conceditur, vt homini petenti & alia concedantur. Nam fides non est liberi arbitrij tantùm, sed donum Dei.* In Concilio illo celebri Mileuitano, cui interfuere duo lumina Ecclesiæ, Augustinus, & Anselmus, editi sunt Canones dirimentes vtramque partem istius controuersiæ. Nempè sacra Synodus rem voluit esse statam, scilicet homines suopte ingenio non posse obseruare omnia mandata Dei sine gratiæ illapsu: sed influente gratia Dei posse ab homine integrum obsequium mãdatis exhiberi. Ecce fidei Christianæ decreta. *Placuit, vt quicumque dixerit, ideo nobis iustificationis gratiam dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit.* Pertinet ille Canon ad priorem partem istius cõtrouersiæ, cuius erant partes probare, nos Deo inconsulto non posse morem gerere legi Dei.

Ex IVRE CANONICO.
Can. Gratia. de consecr. distinct. 4.

Gratia Dei facit mandata leuia vt Canones multi clamant.

Conc Mil. can. 5. 4. Can Placuit.

Iam verò gratiæ Dei præsidio hominem posse obseruare ea, quæ legis sunt, Concilium hoc præfatum isto Canone definiuit. *Quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorũ, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autẽ per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Tantum abest vt fideles enascentis Ecclesiæ crediderint impossibilem obseruationem mandatorum, quinimò potiùs eo perciti fuerunt œstro, vt toti etiam Euangelio præstarent obsequium: plura namque præstitere Christiani, quàm decalogus imperaret. Vtque suum animum Euangelio obsequentem Christiani facerent palàm, appendebant collo Sacrum Euangelij codicem pectori incumbentem, eumque morem increbuisse æuo Apostolorum probant vetusta historiæ monumẽta. Vnde nihil singulare egit Cæcilia Virgo, Euangelium circumferẽs instar fasciæ pectoralis: fuit namque familiaris ille vsus fidelium, dum vigeret feruor ebullientis adhuc sanguinis Christi in precordiis Christianorum. In gratiam ritus huius Chrysostomus edidit locuples testimoniũ, dicẽs, ipso etiam sæculo quo scribebat mulierculas sacros bajulasse libros pendulosè ceruice, sicut olim Scribæ & Pharisæi phylacteria sua, quæ erant chartulæ complicatæ, vbi erant acceptæ à Deo gratiæ recensitæ. Et membranæ illæ seu chartæ dicebantur phylacteria id est conseruatoria, ἀπὸ τοῦ φυλάττω, id est, *conseruo.* Præstat audire Chrysostomum ista subiicientem. *Quænam sunt ista phylacteria & fimbriæ? Quoniam facilè beneficiorũ Dei obliuiscebantur, idcircò Deus signa sua in libellis breuissimè conscribi, & manibus eorum appendi iussit; vnde dictum est: Non remouebuntur ab oculis tuis. Hæc phylacteria, id est, conseruatoria vocabant, sicut multæ mulierum modo faciunt, Euangelia ex collo dependentes.*

Can. Quisquis de consecrat. dist. 4.

Christiani olim etiam consilia Euangelica seruarunt.

Ex HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ.
Baron. tom. 2. annalium Ecclesiæ sub ann. 132 ex actis S. Andreæ Apostoli

Acta S. Cec. Chrys. hom. 73. in Matth.

Pulcher ritus appendere olim collo Euangelia.

Profectò fuerũt hæ mulieres animo masculino, quibus Euangelium cessit ad ornatum, & non ad terrorem. Eo etiam ornamento acuebatur infantiũ animus, vt præclara facinora edere minimè detrectarẽt. In his recẽsentur pueruli, & puellæ martyres, quibus possibilis obseruatio mandatorum effuso sanguine comprobatur. Nec alio argumento ductus Augustinus credidit posse homines continere, quàm recolendo greges innoxios hominum, qui Deo aspirante obedientiæ suæ ediderant specimina luculenta. Sic ille suos nutantes animos fixit, medicando pueros & puellas impigrum obsequium mandatis Christi Domini præstitisse. Audi argumenta labantis animi, seipsum ad ardua perurgentis.

Euangelij olim quantus amor.

Exempla quantum valeant ad virtutem.

Aug. lib. 8. confess. c. 11. Mandata Dei obseruata à puellis

urgentis. *Aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentia, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus: & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris quod isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Proiice te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proiice te securus, excipiet & sanabit te.*

Ex symbolis. Ioan. Ferrus par. 2. Theatri symb.

Non ergo est commentum Romanæ Ecclesiæ, dicere gratiam Dei facere nobis peruium iter mandatorum Dei, quod inuium est soli naturæ, se accingenti ad omnia mandata perfectè obseruanda. Non inficior, onus aliquale mandatorum Dei, cui plerumque caro succumbit sine obstetrice gratia; tamen illud pondus est velut sarcina alarum, quæ non onerant aues, sed ornant, & adiuuant vt reliquum pondus corporis efferatur. Sicque mandatis Dei potest aptari symbolum egregium, quod Ferrus commemorat, pingens alas explicatas hac epigraphe adiecta. PORTANTEM PORTANT. Id est; esto auis portet alas, attamen est reciproca latio: nam alæ corpora attollunt, quibus inferuntur, Ita & mandata Dei, piorum hominum insita cordibus, illas sursum efferunt animas, quibus Deo dante cœlitus inscribuntur. Fitque hæc veridica proposito explicata de mandatis Dei: PORTANTEM PORTANT. Nimirum homo tenax obseruator mandatorum Dei, postquam ea bajularit corde obsequenti, mutuum etiam experietur obsequium mandatorum Dei; etenim ab eis, postquam cesserit fatis, euehitur sursum, congrua meritorum præmia percepturus. Diceres, Bernardum attendisse hoc symbolum, quando in ignauos homines inuectus est, sic declamans: *Pudeat negligentiæ nunc in vitam quem prius in mortem ire, & minore studio salutis acquirere quàm perditionis augmentum. Nam vt omnino simus inexcusabiles: in via vitæ quò citiùs, eò facilius curritur, & leue Saluatoris onus, quò crescit amplius, eò portabilius est. Nonne & auiculas leuat non onerat pennarum sine plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus pondere suo fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suaue iugum, sic onus leue, quò deponimus, eò deprimimur ipsi, quia portat potius, quam portatur.*

Mandatorũ Dei pondus potius alleuiat quàm grauat.

Ex SS. Patribus Ber. ep. 34. Mandata Dei similia alis auium.

Illa etiam possibilitas mandatorum notatur à Psalte, ita Deum compellante: *Latum mandatum tuum nimis.* Quasi diceret: vitium naturæ in Adamo sauciatæ fecit arctam viam cœli; sed gratiæ illapsus diffusum fecit iter, quo ad sidera deuenitur. Concinit Hilarius hoc accentu: *Latum igitur mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare: cum latum & diffusum sit ad placendum officiosa religionis varietate. Neque solum latum sed vehementer latum: latitudinis infinitate hæc ipsa superlatiui adiectione monstrata.* Itaque satis superque liquet ineptia hæreticorum, & quàm incongruè detrahant mandatis Dei, dum affirmant ore procaci, nulla etiam obstetricante gratia posse obseruari, suam inertiam blasphemo hoc tegmine concludentes.

Psal. 118.

Hilarius in Psal. 118.

Gratia Dei fecit iter cœli latum.

SENSVS ORTHODOXVS.

Fomes peccati non obstat quin gratia influxu homines adsciscantur in numerum filiorum Dei.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis Filij Patris vestri qui in cœlis est.

CONTROVERSIA II.

PRÆFATIO.

Corui assueti nigredini, vt concolores illi speciei, dum deprehendunt pullos suos alba lanugine candicare, eos veluti degeneres abdicant, nec vllam eis annonam suppeditant, donec nigricante penna auitum colorem induant. Ita & hæretici atrati, nigrore peccati, omnibus hominibus volunt affingere suam nigredinem, ideoque omnes, in quibus suspicantur albedinem gratiæ, iugiter auersantur, secum benè actum arbitrati, si probarint, fomitem peccati nigra aspergine inficere animas, ita vt nulli gratiarum latices diluere possint næuos, quos inuexit culpa originalis. Stante hac hæretica sententia, illud absurdum insigne consequitur: scilicet peccatum & gratiam coire simul & semel: vnum eumdemque hominem esse simul filium Dei & diaboli, quod quàm ineptum sit, liquidò est. Textus huic controuersiæ, præfixus damnat hæreticos: cùm namque ait Christus, eos fore filios Dei, quorum charitas erit benefica inimicis; sufficiente ait, eos fore immunes à peccato, quibus amor Dei insitus aduret præcordia. Hoc ergo pensum erit istius controuersiæ, probare fomitem peccati, qui remanet suscepto etiam Baptismo, non obstare, quin gratia suos effectus in anima sortiatur. Dicam igitur primò, reliquias infelices peccati originalis neminem peccato obstringere, si gratia Dei in animam cœlitus illabatur. Secundò subnectam parænesim ad superandas difficultates quæ emergunt ex fomite illo, hominum præcordia percellente.

Quare hæretici exosam habeant albedinem gratiæ.

Diuisio controuersiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS PRIMA Controuersiæ.

Fomes peccati nullam nequitiam inuris animæ, in quam gratia Dei cælitus influxit.

In hæc verba:

Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis Filij Patris vestri.

ARGVMENTVM I.

Ex Scriptvra, et Ratione.

Alexander Seuerus simul habuit imagines Christi & Deorū Gentilium.

ALexander ille Seuerus Imperator, facturus sibi nomen grande apud Christianos & Gentiles, necnon & Iudæos, in iisdem fornicibus delubri sui habuit reconditas imagines Christi, Abrahæ, Mosis; & idola Iouis, Martis, Veneris, & Saturni. Etenim nescius ille fidei illibatæ, credidit esse pietatis incrementum, litare Diis pluribus. Obstrinxerunt se simili delirio hæretici, qui in eodem pectore collocant gratiam Dei, & peccatum mortale: faciliùs namque coëunt, sub eodem tholo imagines Christi, Abrahæ, & Mosis, & impia simulachra: siquidem hic concursus imaginum est figura, seu specie tantùm tenus, nec ita potest oriri aliqua rixa inter imagines. At secus se res habet in gratia, & peccato: nimirum non concordant, neque ad morulam gratia Dei stare potest cum lethali peccato: vnde liquet quàm aberrent hæretici, affirmantes concupiscentiam, seu fomitem peccati, qui remanet etiam post Baptismum esse reuera peccatum, etiamsi credentibus haudquaquam imputetur. Et hic error est argumentum huius controuersiæ, quæ vt sit liquidior, nota ex S. Thoma, peccatum originis esse esse habitum corruptum, qui non solùm dicit priuationem iustitiæ, sed etiam peruersionem omnium potentiarum. Adiice ex eodem Sancto, habitum illum diuidi in duas partes, quarum vna propriè & formaliter est peccatum originis; alia verò est quasi materiale peccati illius, & quid consequens hoc peccatum. Prior pars corrupti habitus huius est auersio mentis à Deo, quam importat priuatio iustitiæ originalis, iuxta quam nascimur omnes filij iræ. Altera verò pars est rebellio partis inferioris, quæ insurgit in superiorem, & inclinat in sensuum illecebras.

Gratia Dei & peccatum non coeunt in anima.

Th. 1. 2. q. 82. ar. 1. 3.

Originale peccatum quid sit, & quæ mala inuexerit in animam *Caluin. l. 2. institut. c. 1 paragr. 9. Petr. Mart. in c. 5. ep. ad Rom. Kemnitius in exam. sess. 5. Conc. Trid. pag. 454.*

Non quæro hic, an peccatum originale remaneat post Baptismum, sed an corruptio illa, siue concupiscentia, quam patitur homo conscius gratiæ Dei, sit peccatum, vt pertinaciter affirmant hæretici, Caluinus, Petrus Martyr, & Martinus Kemnitius, contra quos, hæc esto orthodoxa conclusio. Concupiscentia illa, quæ hominem pronum facit in malum, non est peccatum, ac proinde terso peccato originali aquis Baptismi, illa concupiscentia citra reatum remanet in homine. Huic sententiæ consonant oracula Scripturæ sanctioris. In his occurrit Iacobus Apostolus, ita fatus: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde cùm concupiscentia conceperit parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem.* Hoc textu quatuor meminit Apostolus, scilicet concupiscentiam, & tres motus eius, qui sunt suggestio, quæ præludens abstrahit, & allicit animam. In illo præludio anima est citra omnem peccati labem, quia non sentire, sed consentire peccatum facit. Si verò suggestio titillans aliqualem voluptatem sensibus illinit, sequitur ille motus, qui ex Iacobo parit peccatum, non tamen est lethale peccatum delectationis, si non consentit plenè & perfectè anima titillata. At accedente pleno & perfecto consensu, exurgit tertius ille motus, qui spiculo lethali configit animam, cuius funus exprimitur hoc contextu: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Hinc collige validum argumentum, ad probandum, concupiscentiam aliasque reliquias peccati originalis non esse peccatum. Ex Scriptura, peccatum non est in suggestione, quæ concupiscentiâ posterior est: Ergo minus erit peccatum in illa concupiscentia; quæ longiùs distat à consensu: quia ex Philosophia, illud est minus tale, quod magis recedit à maximè tali. Rursus peccatum omne eatenus est peccatum, quatenus est voluntarium: At concupiscentia illa non est voluntaria, ideoque nequit hominem obligare. Non esse voluntariam Paulus expertus ait, ingemens suæ indoli deprauatæ, querulis hisce verbis: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: & ego ipse mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati.* Hactenus ille, satis superque probans, illam concupiscentiam nullum omnino reatum affricare nobis, quia plerumque motus eius insurgunt, nobis insciis & inuitis.

Iacob. 1.

Concupiscentia quibusnam motibus animā impetat.

Peccatum quibusnam gradibus se insinuet in animam.

Concupiscētia non est peccatum.

Rom. 7.

Illam impetiginem carnis non esse refundendam in animæ culpam, ex eodem fonte probat idem Apostolus, dicens concupiscentiam esse vitium carnis, nec peccatum animæ, vtplurimum innoxiæ, etiam corpore pruriente. Sic Paulus: *Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum.* Sed esto caro sit veluti scaturigo mali; nihil tamen labis refluit in animam, si dissentit, nulloque modo fit damnationi obnoxia anima, quæ dedit nomen suum Christo licet vrgeatur concupiscentiæ motibus importunis. Audi Paulum: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Hallucinantur ergo sectarij, confundentes concupiscentiam & peccatum, quasi perinde sint, cùm vtriusque dispar sit omnino ratio, similis nempe ei, quæ intercedit inter fœtum & prægnantem. Fauet Augustinus ita versans locum Iacobi: *Cùm dicit Apostolus Iacobus: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: profectò in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Esto illa concupiscentia peccati præludium sit, non ea tamen est principium seu pars peccati, quia inuitos plerumque inclinat in malum, & hoc ante omne criminis argumentum. Ita Cyrillus: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & feruens cupiditas ad delicta solet allicere, quæ ante peccandi actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facilè hac via veniendum esse, quo gliscimus. Quod verum Christi discipulus ostendit, dicens: Nemo qui tentatur, dicat à Deo tentari:*

Concupiscentia quare non sit peccatum.

Rom. 8.

Ex SS. Patribvs. *Aug. lib. 6. aduersus Iulianum c. 5. Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 51.*

Concupiscētia inclinat ad peccatum.

tentari: neminem enim Deus tentat; sed vnusquisque à sua cupiditate abstractus, atque seductus tentatur.

Præterea accedit hæc valida ratio, suadens, illam concupiscentiam non esse peccatum. Nimirum actus illi concupiscentiæ facessunt molestiam dormientibus, & mente captis; sed nemo dixerit amentes, & dormientes peccare, iuxta illam Augustini sententiam: *Quantò magis concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Ergo iidem motus non inficiunt animam iustam, cui inuitæ plerumque facessunt negotium. Denique res est iniuria Christo, dicere dæmonem præualuisse ad perniciem animarum. Si namque concupiscentia veram rationem peccati participat, & altas radices agit in homine, quantumuis iusto, reuera Christus nos non verè sed tantùm imputatiuè redemit à peccatis, & sic diabolus eminet veluti potentior, cùm ille verè potuerit inficere, Christus verò nequaquam diluerit sordes, quas dæmon aspersit: Sed hoc est blasphemum suspicari de Christo, quem Paulus Apostolus perfectum libertatis nostræ credidit assertorem. Sic ille: *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obedientiam, iusti constituuntur multi.* Non valeret oppositio, si superstes esset ille reatus in anima, quam Christus illapsu suo dignatus est. Accedit & illud veridicum Christi effatum, directum ad Iudæos: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Quare igitur insurgunt hæretici, exosi libertatem illam sanctam, qua gaudet anima, Christi sanguine restituta.

Aug. lib. 1. de ciuit. Dei c. 25. Peccatum debet esse voluntarium.

Christus nos perfectè liberauit à peccato.

Rom. 5.

Ioan. 8.

SENSUS ORTHODOXUS.

Concupiscentia nullum reatum affingit animæ, in quam gratia Dei cælitus influxit.

In hæc verba:

Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri.

ARGUMENTUM II.

Ex Sanctis Patribus.

Mortuo Salomone, Hebræi conuenerunt filium eius Roboamum, deprecati mitiùs secum agi; vt alleuiato iugo gratius esset obsequium. Rex communicato consilio cum senioribus regni, audiit à prudentibus esse minuendum iugum impositum à patre suo; sic fore populum magis pronum ad mandata omnia capessenda. Pertæsus Rex illud salutare consilium, adhibuit iuuenes; serò expertus, regimen austerum homines inducere in desperationem. Iuniores itaque illi consultores suasere Regi dura, quibus auditis à populo vndecim tribus ab insano Principe defecerunt. Ecce historiæ contextum, quo inconsulti Principis facinus aperitur. *Dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi: dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, vt respondeam populo huic? qui dixerunt mihi: Leuius fac iugum quod imposuit pater tuus super nos? Et dixerunt ei iuuenes, qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu releua nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cadam vos scorpionibus.* Malè cessit Regi consilium illud; eo enim aperto subiratus populus apprehenso præfecto ærarij, eum lapidibus obruit, & ni Rex cōsuluisset sibi fugâ, expertus esset, quàm sit insipiens consilium illud, quod impugnat vota seniorum. Pergit textus. *Respondit Rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, & locutus est eis secundum consilium iuuenum, &c. Misit ergo Rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, & lapidauit eum omnis Israel, & mortuus est. Porrò Rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recessitque Israël à domo Dauid vsque in præsentem diem.*

Congruum exordium ad concionē de libertate gratiæ.

3. Reg. 12. Roboam iuniorum hominum consilio deferens malè suis rebus consuluit.

Consilia seniorum debent anteponi iunioribus.

Ecce synopsim controuersiæ, quam versamus. Pater omnium nostrûm Adam imposuit graue iugum posteris suis; quale verò sit iugum, non conuenit inter omnes, etsi dicant illud esse concupiscentiam, siue fomitem peccati. Fides Catholica interrogata, cuiusnam rationis esset tale iugum, adhibuit senes consultores, scilicet Patres Ecclesiæ, qui dixere, iugum illud non esse vsque adeò graue, vt animam grauet, si tamen est gratia Dei desuper illustrata. Hæresis verò secus adhibuit iuuenes, vt communicato consilio, Christianis responderet petētibus quidnam esset iugum illud. Iuuenes illi, Caluinus, Martyr, Kemnitius, & alij huius farinæ nebulones, responderunt dura, dicentes concupiscentiam illam, quæ non cedit aquis Baptismi, esse peccatum lethale, ac proinde facere animam obnoxiam flammis æternis; Deo tamen miserante iniquam hominum sortem, non imputari noxam illam iis hominibus, quibus fidei lumen illuxit. Dura sanè conclusio, & quæ male cessit eis, qui non adhæsere senioribus, id est sanctis Ecclesiæ Patribus. Nam Ecclesia Catholica ab eis recessit, exosa iuniorum hominum definitiones, quæ aggrauant iugum patris nostri Adæ. Non enim neotericis sufficit, concupiscentiam seu fomitem peccati importunum facessere negotium hominibus iustis, sed insuper de suo spiritu inhumano adiiciunt, illam concupiscentiam esse peccatum mortale indelebile, licet fidei beneficio hoc lethale facinus obtegatur.

Ecclesia Catholica adhibet seniores consultores, scilicet SS. Patres.

Hæresis adhibet iuuenes consultores, scilicet Nouatores.

Concupiscentia, seu fomes peccati est peccatum mortale indelebile secundùm hæreticorum delirium.

Seniores Ecclesiæ proceres detestati illam sententiam, quæ animos exasperat, humaniùs sensere de fomite peccati, concupiscentiæ pruritu, aliisque reliquiis peccati originalis, quas vocauere quidem infirmitates animæ, non peccata, vt Caluinus ipse licet inuitus cogitur liquidò confiteri. Sic ille: *Neque opus est multum inuestigando laborare, quid hic veteres sentiant, quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnaque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volunt. Porrò inter illum, & nos hoc discrimen est, quòd ipse quidem concupiscentiæ morbum peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tum demū fieri peccatū docet, vbi vel opus, vel consensus accedit. Nos autem* illud

Caluin. lib. 3. institut. c. 3. parag. 10.

Concupiscentia ex Augustino morbus est animæ, non peccatum.

Caluinus ſe-ſe vnum præfert roti antiquitati.

illud ipſum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate homo titillatur. Demitare amabo hominis impudentis typhum, qui totius Eccleſiæ priſca oracula infirmat, vt ſuam adſtruat blaſphemiam. Vide quò aſſurgat ſuperbia, vt homo virulento tumens flamine, infrà ſe ponat quidquid in Eccleſia creditur eminere. Ne afflati aura noxia peſtilentis huius ſectarij hallucinemur, adeamus ſeniores illos conſultores, vt alleuient iugum patris noſtri Adæ, & teſtentur, illud non eſſe adeò importunum, vt debeat peccati nomine recenſeri. In choro Sanctorum primas tenet dignitas ſumma, ideoque Gregorius Papa præit, eruditè verſans iſtam materiam, & concludens, concupiſcentiam illam non obſtare, quin beneficio Baptiſmi fiat anima defæcata. Sic ille: *Si qui ſunt qui dicunt peccata in Baptiſmate ſuperficie tenus dimitti, quid eſt hac prædicatione infidelius, in qua ipſum fidei ſacramentum feſtinant ſoluere? in quo principaliter ad cæleſtis munditia myſterium anima ligatur, vt abſoluta radicitus à peccatis omnibus ſoli illi inhæreat, de quo Pſalmiſta ait: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, &c. Totus mundus dici non poteſt, cui de peccato aliquid remanſit. Sed nemo reſiſtit voci veritatis, qua ait: Qui lotus eſt, mundus eſt totus: nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipſe qui redemit.*

Ex SS. Patribus.

Gregor. lib. 9. epiſtol. 39. ad Theodeliam.

Baptiſmus omnia peccata detergit.

Profectò hæreſis præfata inſimulat Baptiſmum impotentiæ, dum affirmat fæces peccati animam inficere baptizatam. Paucis expedit iſtam controuerſiam Auguſtinus ita fatus: *Ille iuſtificatur à peccato, cui per Baptiſmum peccata remittuntur omnia.* Si remittuntur; ergo non ſuperſunt. Rurſus ille elimatiùs explicat ſenſum orthodoxum iſtius difficultatis, quam ſic ſoluit: *Nulla ergo damnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Non enim damnatur, niſi qui concupiſcentiâ carnis conſentit in malum, &c. Dicimus, Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, ne vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcunt iterum reſecanda peccata. Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua neceſſe eſt, vt baptizatus & hoc ſi diligentiſſimè proficit, & ſpiritu Dei agitur pia mente confligat. Sed hæc etiamſi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur; ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quod manus eam fecerit.* Denique alibi ſic poſtulat. *Nunquid quia deleta eſt tota iniquitas, nulla remanſit infirmitas.* Eodem quo Auguſtinus flamine actus Chryſoſtomus, disertè ait, ſurculos emergentes ex peccato originali non eſſe peccata, & in ſpecie concupiſcentiam memorat ille Præſul, quem accipe. *Ipſa paſſiones in ſe peccatum non ſunt; effrænata verò ipſarum immoderantia peccatum operata eſt. Et vt exempli gratiâ vnam illarum tractem, concupiſcentia quidem peccatum non eſt; quando verò egreſſa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit, non à concupiſcentia, ſed à nimio illius luxu.* Si à Græcis redire lubet ad Latinos Antiſtites; præter Auguſtinum, & Gregorium ſupra laudatos, auſculta Præſulibus emeritis, Cypriano, & Hilario, quos Eccleſia ſuſpicit, & impensè veneratur.

Aug. li. 2. in Iulianum.

Idem lib. 1. contra duas epiſtol. Pelagian. c. 10. 11.

Quare concupiſcentia vocetur peccatum aliquando.

Chryſ. hom. 13 in epiſtol. ad Roman.

Paſſiones non ſunt peccata.

Cyprianus adeò ſalutares credidit eſſe aquas Baptiſmi, vt alluendo animas, abluant omnes næuos, quos culpa originalis affinxit. Sic ille: *Sic abluit quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula poſt ablutionem illam vlla ſui veſtigia derelinquat.* Hilarius verò diſtinguit peccatum, & viam iniquitatis, dicens vtrumque poſſe ſimul eſſe, ſed vtplurimum diſpeſci, in his præſertim, quos etſi concupiſcentia vexet, non tamen vſquam aliquo crimine ſauciantur. Sic Hilarius expendit verſum hunc Dauidis: *Viam iniquitatis amoue à me.* Duo præfata meminit ita fatus: *Promptum fuerat dicere: Iniquitatem amoue à me. Sed licet infirmitatis ſuæ conſcius, cùm memineris in corpore ſuo viam ineſſe peccandi; tamen per timorem Dei à peractione omni alienus eſt. Viam igitur peccati, qua ad peccatum pergere promptum eſt, amoueri à ſe deprecatur, id eſt, omnia corporalium voluptatum deſideria auferri, nec tentationem aliquam concupiſcentiæ, aut ignorantiæ, qua tamquam per viam ad peccatum itur, ingruere.* Faceſſant itaque ſectarij; non enim par eſt, eorum inſanam ſententiam præferre oraculis ſeniorum Eccleſiæ Senatorum.

Cypr. ſer. de ablutione pedum.

Hilarius in Pſal. 118.

Concupiſcentia eſt via ad iniquitatem ſed non eſt iniquitas.

SENSVS ORTHODOXVS.

Concupiſcentia inuitis non affricat reatum aliquem.

In hæc verba.

Benefacite his qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri.

ARGVMENTVM III.

Ex Ivre Canonico, Et Historia Ecclesiæ Primitivæ.

Ex ſingulari decreto Dei ſtandum fuit iudicio ſacerdotis, quando dubia fuit lepra domus. Ecce textum legis. *Ibit cuius eſt domus, nuntians ſacerdoti, & dicet: Quaſi plaga lepra videtur eſſe in domo mea. At ille præcipiet vt efferant vniuerſa de domo.* Summa ritus fuit, radere & tergere parietes, ſi eis aſperſa fuit lepra, & credere deinceps mundam eſſe domum, ſi ita ſacerdos affirmaſſet. Appoſitè ad hunc ritum quæſtio ſoluta eſt, quæ aliàs excitauit multas tragœdias, circa lepram animarum in concupiſcentia ſitam. Res illa delata eſt ad ſacerdotes, qui maturè luſtrantes penetralia animæ, immundos cenſuere receſſus eius, decernentes, Adami contagio luem in poſteros influxiſſe, ac proinde detergendam lepram aquis Baptiſmi, & deinceps eſſe animas mundas, beneficio gratiæ Dei, concupiſcentiâ perperam corpora titillante.

In dubiis deferendum eſt iudicio Eccleſiæ.

Leuit. 14.

Indigere hominem hoc lauacro, & eo perfectè ſortiri remiſſionem peccatorum, audi luculento Canone Concilij Mileuitani, celebrati tempore Auguſtini. Ecce Canon. *Placuit vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adâ trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro*

Ex Ivre Canonico.

Conc. Mileu. cap. 2.

ero expletur. Vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non verè sed falsò intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, vbique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Hactenus Synodus illa sacra, liquidò definiens, nullas superesse fæces peccatorum, quando in animam detergentes Baptismi latices influxerunt.

Baptismus peccatum originale delet.

Esto concupiscentia molesta sit, & importunâ impetigine carnis inquies sit; nulla tamen labes inde inuitis animis affricatur. In huius rei fidem editus est iste Canon. *Hac autem lex peccati, de qua dicit Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, non sic manet in membris eorum, qui renati sunt, tamquam non sit facta eius remissio, vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicis interfectis, quibus separabamur à Deo; sed manet in vetustate carnis tamquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat, & in regnum proprium dominationemque reuocetur. Ab hac autem vetustate carnis, in qua est ista lex peccati, vel peccatum iam remissum, vsque adeò vita spiritus discernitur, in cuius nouitate baptizati, per Dei gratiam renascuntur, vt tales etiam in præsenti non solùm in peccato, sed etiam nec in carne esse dicantur, cuius desideria non sequuntur, sed in spiritu.*

Canone Non est quo §. Hac autem lex. De consecratione Dist. 4.

EX HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ.

Ex actis Sanctæ Luciæ

Luciæ Virginis effatum de his qui castè viuunt.

Huic Canoni magnam lucem adfert historia Beatæ Luciæ virginis & Martyris, cui nulla omnino labes concupiscentiæ obstare potuit, quin Spiritus Sancti templum effecta sit. Sic enim Paschasium affata est, vt ex eo colloquio constet animam quæ non obsequitur concupiscentiæ, esse sacrarium Spiritus Sancti, imò & duplicari stipendia ei, si inuita patiatur aliquem concupiscentiæ sensum deforis ingestum. Ecce dialogum virginis, & Præfecti suadentis idolorum cultum. *Cùm Paschasius interrogasset: Est ne in te Spiritus Sanctus? Respondit: Castè & piè viuentes templum sunt Spiritus Sancti. At ille: Iubebo te ad lupanar duci, vt te Spiritus Sanctus deserat. Cui virgo: Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Deo afflata probat eruditè, concupiscentiam, quæ residet post lauacrum, non esse peccatum: alioquin Spiritus Sanctus degeret in sordibus, incolens animas castas. Nulla namque castitas viâ ordinariâ tollit æstus concupiscentiæ. Si ergo Spiritus Sanctus intimè adest eis, qui non sunt concupiscentiæ expertes; profectò illa concupiscentia, non est peccatum. Nam Spiritus Sanctus & peccata non coëunt.

In actis S. Cæciliæ.

Adiice & luculentam historiam Beatæ Cæciliæ virginis, quæ Angelo stipata comite, qui ei adstabat, sponsum suum Valerianum participem fecit eius Angeli aspectu, beneficio Baptismi, post cuius repurgium Valerianus dignatus est optatâ Angeli præsentiâ, Deo indicante, gratiam remouere omnes obices, id est peccata, quæ sola nos meditantes ardua remorantur. Locuples etiam est historia Pauli Apostoli, qui tot æstibus concupiscentiæ iactatus est, vt dixerit sibi datum esse spiritum satanæ, stimulum carnis, & se sentire aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Illa tamen irrequies angustia concupiscentiæ non obstitit, quin Paulus raptus sit vsque ad tertium cœlum; quò tamen non euehuntur animæ vitiis irretitæ. Audiit ille concupiscentiæ obnoxius arcana Dei. Ergo concupiscentia non est peccatum: sapientia namque Dei, ex Salomone, non intrat in maleuolam animam, nec habitat in corpore subdito peccatis.

Rom. 7.

2. Cor. 12.

Sap. 1.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS SECVNDA Controuersiæ.

Concupiscentia minuitur nacta sollicitas animas, illecebris fortiter obsistentes.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

PARÆNESIS EX SANCTIS PATRIBVS, ET IVRE CANONICO.

Statim atque percrebruit fama exploratorum populi Israël, qui subierant vrbem Ierícho; Rex prouidus omnem mouit lapidem, vt traducerentur homines illi nocte ingressi regiam ciuitatem. Ecce synopsim historiæ. *Nuntiatum est Regi Iericho, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, vt explorarent terram. Misitque Rex Iericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, & omnem terram considerare venerunt.* Eadem & nos vehimur naue, qua Rex ille Iericho: nimirum nocte subierunt animam nostram hostes absconditi, quando effusa caligine peccati originalis, plerique motus incongrui animæ nostræ intima penetrarunt. Elapsi incolumes exploratores ex vrbe Iericho perniciem intulerunt vrbi, Regemque spoliatum infulis turpiter enecarunt. Ita & concupiscentiæ malè habent eos, qui adblandiuntur illis: accedente enim consensu, lethales fiunt concupiscentiæ, in discrimen vitæ æternæ animas inducentes. Si verò secus anima se totam colligit, & irreconciliabile bellum indicit importunis hisce motibus, magnum facit cum tentatione prouentum, indeque refert triumphi materiam, vnde incauta damnationis suæ patitur argumenta.

Exordium ad concionẽ de sollicitâ custodia animæ suæ.

Iosue. 2.

Concupiscẽtia nos debet sollicitos facere ne peccemus.

Fuisse hanc sententiam Sanctorum Patrum, vide ex infra referendis oraculis, editis à Sanctis, in quibus Epiphanius, culmen vnum Ecclesiæ priscæ, laudat Methodium ita suadentem. *Confidenter ipsas concupiscentias depellere oportet. Quòd enim admittamur in regnum cœlorum, per omnes voluptates ac tristitias probati, si non immutati fuerimus, sed vbique velut aurum incorruptum, per ignem examinati, à propria virtute non discesserimus, contingit hoc, & vt à multis mens nostra infestetur. Vides quòd cogitationes propter inhabitans in nobis peccatũ, forinsecus nobis instant, velut canes rabiosi, aut feri, aut audentes latrones contra nos semper instigati à tyranno*

EX SS. PATRIBVS

Epiphanius hæresi 64.

Tentationibus illustrior fit anima.

Concupiscentia tollit ad certamen.

ac principe iniquitatis, probantes nos an resistere ipsis possimus, & aciem contra instruere. Age igitur, ô anima, fortiter resiste, ne fortè veniens capiaris. Quomodo retundantur impetus huius hostis intestini, negotium est impigræ praxis, & non scientiæ otio torpescentis. Quippe consuetudini fortiter obsistens homo, hebetes facit aculeos fomitis importuni, iuxta illud Chrysostomi effatum: *Nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à natura principium? Concupiscere enim naturale; at malè concupiscere, iam est voluntatis.* Esto non commoueri magnum sit; maius tamen est compescere insurgentes motus. Nimirum quandoque bonæ indolis est, non sentire motus incongruos; sed virtutis est, ferocientis naturæ conamina fortia cohibere. Ita Ambrosius: *Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferiùs, quàm omnino commoueri. Hoc nostrum est; natura illud.*

Chrysostom. homil. 19. ad populum Antiochen.

Concupiscentiæ motus compescere generosi animi est.

Ambr. lib. 1. de officiis cap. 21.

Non est igitur carpenda iniqua hominum sors, sed dirigenda ad normam virtutis, ne procliuitas in malum deorsum hominem inflectat. Fauet Bernardus ita consulens: *Peccatum in foribus est; nisi aperias, non intrabit: appetitus in corde prurit; sed nisi sponte cesseris, nihil nocebit: consensũ cohibe, ne praualeant hæc, & immaculatus eris.* Res sanè est plena periculi, vrgeri semper ab hoste domestico; & imminens hoc discrimen, homini pensum imponit istud, scilicet vt inuigilet sibi, ne latenter ab hoste abdito feriatur. Audi denuo Bernardum sic monentem. *Cura concupiscentiæ totis resistere viribus, vt non pertrahat in consensum, & omnis deinceps malignitatis machina euanescit.*

Bernard. ser. de sex tribulationibus.

Idem ser. 56. in Cantica.

Fuit quidem Adami virtus felix in statu innocentiæ, nullos passa agones; sed sauciatâ naturâ robustior est iam virtus, irrigata sudoribus, culta vigiliis, & arcto sæpe ieiunio saginata. Ideoque non cadendum animis, ob conflictum; sed ratione discriminis est cupidini malæ fortiter occurrendum. Non erit cassius ille labor, sed similis illi, quem Epaminondas intrepidè pertulit, sæpius confligendo cum Spartanis, quos etsi rerum dominos, fregit tamen assiduitate belli, ita vt bellum iuge & interminum Thebanis indictum, quamuis aliquando molestum extiterit, fuerit tamen prædiues materia gloriæ. Nemo est qui nesciat, Deum consultò reliquisse in præcordiis nostris reliquias peccati originalis, vt inde fieret homo cautior, & haberet ampliora argumẽta triumphandi. Consonat Augustinus, hoc accentu. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compescit. Quod cùm fit non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.*

Tentationes perpetuæ hominẽ obstringunt ad impigras vigilias.

Plutarch. in Epamin.

Epaminondas assiduitate pugnãdi Spartanos vicit.

August. l. 2. de Genesi cõtra Manichæos c. 14.

Quàm dispares sint sortes animæ quiescentis, & pugnantis, liquet in diuerso statu Dauidis & Salomonis. Omne ferè Dauidis æuum classico personante fuit palma & lauro virens, dumque Hebræi lacesserent hostem, negata est eis copia delinquendi. Ast rebus compositis, & sublato Dauide: Salomon auspicatus est regnum pacificum, multis vitiis indecorum. Ita strenui athletæ, qui quotidie vim faciunt concupiscentiis suis, in vitia pronis, æuum multis victoriis fœtum agunt. Sed hi qui torpent otio, vitam ducunt ad prauæ cupidinis arbitrium, ac proinde inglorij in præceps acti pessum ibunt. Ideoque velim homines recolere, hæc prima esse rudimenta virtutis, scilicet vim facere suopte ingenio: nemo siquidem est, qui non aliquos patiatur Manes, & penes se habeat semina iurgiorum Porro hoc vnum adeò necessarium est, vt plerique hodie macerantes corpus suum inediâ, & prætereuntes noctes insomnes, orationi instantes, sint tamen nequissimi, vtpote versantes secreta odia, anhelantes ad inanem gloriam, ambientes primos discubitus, & ita impatientes ad contemptum, vt minima suspicio despicatus faciat eos impotes sui, & furentes rapiat in conuicia contemnentiũ, in eorum mores & fortasse fictitia vitia debacchãdo. Multa est classis illorum hominum, qui non attendunt sibi, vt compescant concupiscentiæ effrænis impetus insurgentes, & idcirco virtute ementita illudunt oculis hominum imprudentum.

Tentationes resistentibus cedunt ad gloriam.

Ex Ivre Canonico.

Virtus fucata est, quæ non internis motibus inuigilat, sed tota est externa.

Ne referamur in hoc album, operæpretium est recolere, Baptisma quidem tersisse peccatum originale, quoad reatum, sed non quoad fomitem, cuius vexatio hominem obstringit ad discrimen continuum, quo homo fortior fit & sanctior, iuxta Canonem istum. *Non ex quo quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas in eo absumitur. Sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum, & intelligentia, & operatione spiritalium. Cætera verò in spe facta sunt, donec etiam in re fiant: quod erit in resurrectione. Nam in Baptismo, quamuis plena fiat remissio peccatorum, nondum tamen est plena nouitas, & perfecta mutatio: quia adhuc remanet corruptio, non solùm in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo si perfecta esset nouitas, non diceret Apostolus, quòd renouatur de die in diem.* Alia quippe sanctitas est infantium, & hominum adultorum. Gratia nempe influit in infantes, eorum etiam arbitrio inconsulto, quia hoc totum negotium Baptismi est, nec concupiscentia in infante quatit propositum virtutis iugiter amplectendæ. Sed dispar est ratio de virtute adultorum: quamuis enim habeant à gratia baptismali repurgium noxæ originalis; debent adhuc sedulam nauare operam, vt refrænent ausus fomitis æstuãtis. Ad hoc nos hortatur textus iste Canonicus. *Hoc meminisse debemus, tantummodo omnium peccatorum plenam perfectamque remissionem Baptismo fieri: hominem verò non totum commutari continuò, sed in benè proficientibus de die in diem nouitate crescente commutari, quod vetustum, & carnale est: donec ita renouetur, vt animalis infirmitas corporis, ad firmitatem spiritalem, incorruptamque perueniat.*

Canon. Non ex quo De consecrat. Distinct. 4.

Baptismus tollit peccatum originale quoad reatum, sed non quoad concupiscentiã quæ non extinguitur.

§. Hoc meminisse Eodem Canone.

Virtutes morales non solo Baptismo comparantur ab hominibus adultis.

Non suadeo vt extirpentur omnino, & quasi internecione deleantur concupiscentiæ; hoc enim superat omnes hominum nisus, nec fortè expedit: Deus namque ad exercitium permisit hos peccati originalis surculos in anima pullulare, nostramque exigit operam eo intento, quo Pharao Hebræorum pensum auxit, ne scilicet aliò diuerterent. Itaque pro virili parte satagendum est vt concupiscentia non sit iniuria animæ: quisque autem hoc præstabit, si non cunctatur congruis actibus exerceri.

SENSVS

SENSVS ORTHODOXVS.

Homo de sua perfectione sollicitus, & dignatus gratiâ Dei, iustitiâ inhærente perficitur.

In hæc verba

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

CONTROVERSIA III.
PRÆFATIO.

Beatus Benedictus animaduertens, spathatium Totilæ regalibus indutum ementiri personam Regis, cum blandè corripuit, monendo vt deponeret habitum insuetum, propriisque vteretur indumentis suæ sorti congruis. Eodem zelo Ecclesia carpit hæreticos, dum vsurpant ipsissimam iustitiam Christi, eam sic induentes, vt affirment se formaliter iustos esse eâdem iustitiâ, quæ renitet in Christo. Monet Ecclesia esse induendam iustitiam consonam vnicuique, cùm præsertim Deus aptet singulis quibusque hominibus gratias idoneas. Ita Iehu Rex Israël exosos habuit fucos, & aduentitiam formam impiæ Iezabel, quæ precariò petiit è stibio decorem, quem natura minimè prodiga denegarat. Secus verò placuit Regi Assuero virgo Esther, suis instructa gratiis: ideoque illa spreto mundo muliebri prælata est puellis, quæ conquisiere è fucis gratiam & decorem. Iezabel mutuatitiâ formâ gaudens, regno excidit, & præceps acta canibus obiecta est, quibus in pabulum cessit. Esther verò sua specie & venustate genuina adeò deuinxit oculos & amorem Regis Assueri, vt eam regni infulis illustrarit. Hæretici venantur deforis aliqualem iustitiam, vt speciem sanctitatis ingerant oculis. Sed quia incurij sunt iustitiæ propriæ, quam gratia Dei vnicuique affingit, pelluntur regno Dei, æterno gehennæ incendio cruciandi. Meliùs Ecclesiæ consultum est: nimirum illa studuit excolere iustitiam inhærentem, qua sic sibi conciliat Deum, vt castos cum eo ineat hymenæos. Priori parte istius controuersiæ, damnabo errores sectariorum. Altera verò parte, adstruam Ecclesiæ sententiam orthodoxam congruis argumentis.

Ex vita S. Bened.

Fucata omnia displicet.

Iustitia hæreticorum est mutuatitia.

SENSVS ORTHODOXVS.

Prima Pars Controversiæ.

Refelluntur sententia hæreticorum, dissona ab ea, quæ adstruit iustitiam inhærentem.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

Hiram Rex Tyrius annuendo votis Salomonis, suam operam & impensas contulit ad structuram templi illius famosi, quod Rex ille Dauide satus erexit Ierosolymis. Ligna Libani cedrina aptauit, & direxit Ierosolymam, magnum etiam auri pondus contulit in gratiam templi, arbitratus Salomonem fore memorem tot donorum. Sed regulus ille nimium credulus spe sua excidit, quádo vidit oppida sibi dono data à Rege Salomone. Etenim nihili fecit ea, nomenque inglorium eis imposuit, vt ex contextu historiæ sacræ videre est. Sic se habet ille tenor sacer. *Egressus est Hiram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salamon, & non placuerunt ei. Et ait: Hæcine sunt ciuitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellauit eas Terram chabul vsque in diem hanc.* Vox *chabul* כבול deducitur à nomine sex punctorum כבל *chebel*, quod significat compedem, seu catenam ferream, vnde quia terra lutea quasi compedibus assolet irretire pedes, ideo dicitur כבול *chabul*, id est, terra pedibus importuna. Ita & hæretici omnes clamant, se Ecclesiam Dei erigere collapsam, conducunt vndique operarios, quando in suam sectam pelliciunt homines; sed cùm ad stipendia deuenitur, nullam planè mercedem aliam refundunt, quàm terram Chabul. Nempe aiunt, animas remanere semper luteas, & suis vitiis irretitas, nullamque gratiam promereri inhærentem tenaciter; sed opera nostra omnia esse lutea, nulliusque prorsus meriti, hominemque solâ iustitiâ imputatiuâ Christi reputari iustum, licet à parte rei sit multo crimine præpeditus. Displicet Ecclesiæ terra illa lutea, retinens animas in colluuie vitiorum, affricans eis iustitiam alienam.

Exordium ad concionẽ de perfidia hæreticorum, qui non stant pollicitis.

3. Reg. 9.

Sed ne hallucinandi præbeatur ansa, operæ pretium est annotare, tres disciplinas agere de iustitia: scilicet Iurisprudentiam, Philosophiam, & Theologiam. Apud Iurisperitos iustitia est legalis: apud Philosophos est moralis: apud Theologos supernaturalis. Ita autẽ se habent illę iustitię, vt secunda includat primam, & tertia duas alias habeat eminenter. Verbi gratiâ, iustitia legalis suum cuique ius tribuit. Moralis verò morum rectitudinem dicit opere comprobatam: At non est rectitudo morum vbi violantur leges: Ergo moralis iustitia legalem importat. Rursus, Iustitia supernaturalis est rectitudo interna, qua homo rectè ordinatur erga Deum & proximum, quæ sola eminenter est iustitia, & dicitur iustitia fidei, quia à fide auspicatur: nominatur etiam iustitia Dei quia natura sola nequit ad illam iustitiá pertingere, sed est singulare donum Dei, iuxta hanc Pauli sententiam: *Inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* Hæc iustitia concludit legalem, & moralem quia omni rectitudine pollet.

Iustitia in tres classes diuiditur, iuxta tres disciplinas, quæ disputant de iustitia.

Triplex iustitiæ acceptio noua ratione demóstrata.

Philip. 3.

Iustificatio quot modis accipiatur.

Ab hac iustitia deducitur iustificatio, quæ variè vsurpatur. Primò pro lege, quæ iustitiam docet, & hac notione passim vtitur Dauid sic occinens: *Iustificationes tuas custodiam. Doce me iustificationes tuas. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes.* Secundò iustificatio accipitur pro acquisitione iustitiæ, vt hoc loco: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis* Et alibi: *Quos vocauit, hos et iustificauit.* Tertiò iustificatio significat incrementum iustitiæ, in eo sensu accipiendi sunt versus isti: *Qui iustus est iustificetur adhuc.* Rursus. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Demum Iesus Siracides agnouit illum vsum, ita fatus: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Domini manet in æternum.* Quartò denique iustificatio

Psal. 118.

1. Cor. 6.
Rom. 8.
Apoc. 22.
Iacob 2.
Eccles. 18.

notat

notat declaratione iustitiæ modo quodam forensi, vt ille censeatur iustificari, qui cùm esset ab accusatore factus reus alicuius iniquitatis, à iudice per sententiam declaratur iustus, sicque absoluitur. Ita accepit hanc vocem Salomon isto loco: *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustū, vterque abominabilis est apud Deum.* Huic adiice Isaiæ textum hunc: *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.*

Prou. 17. Isa. 5.

Hæc omnia fuere prænotanda, vt liqueret status controuersiæ istius, quæ tot excitauit tragœdias. Sectariorum itaque fuit opinio, iustificationem animarum debere tantùm sumi quattò modo, pro declaratione quadam, cuius beneficio reus absoluitur, & reputatur iustus. Vnde etiam iidem nouatores explodunt iustitiam illā supernaturalem, qua diximus hominem rectè ordinari ad Deum & proximum, & damnant secundā & tertiam acceptionem iustificationis, pro vt significat acquisitionem iustitiæ, siue illius incrementum, ita vt sola supersit homini iustificatio modo forensi, id est, quædam declaratio facta in gratiam rei sententiā Iudicis absoluti. Quomodo autem imputetur iustitia, non concordant hæretici. Lutherus ait, causam formalem iustificationis esse fidem, seu Christum fide apprehensum. Sic ille: *Sicut Sophistæ dicunt, charitatem informare, & imbuere fidem, sic nos dicimus, Christum informare, & imbuere fidem, vel formam esse fidei. Ergo fide apprehensus & inhabitans Christus est iustitia Christiana, propter quam nos Deus reputat iustos, & donat vitam æternam, &c. Est ergo formalis nostra iustitia, ipsa fides, & nebula cordis, hoc est fiducia in rem, quæ non videtur.* Delirus homo non sibi constat, iam fidem, aliàs Christū dicens esse causam iustificationis. Æquè cæcutiit Hosiander, affirmans formalem causam iustificationis esse illam ipsam iustitiam, qua Deus essentialiter iustus est. Hominis insani delirium refellit pluribus alter insipiens, scilicet Caluinus. Mathias Illyricus appositè ad Lutheri lapsum, sic errabundus ait: *Iustitia quam Deus impio imputat, non sunt qualitates, aut virtutes nostræ, neque ipsa Dei essentia, seu diuina, & substantialis iustitia, sed totum opus, quod Christus Deus in vna persona mediator noster pro toto genere humano præstitit.*

Sententiæ hæreticorum circa iustificationem.

Lutherus in c. 2. epist. ad Galatas.

Caluinus refellit Hosiandrum l. 3. Instit. cap. 11. Math. Illyr. centuria 1. l. 2. col. 258. Caluin. l. 2. Instit. c. 11. §. 1. & 3.

Caluinus annuit quidem Lutheranis inficiantibus inesse homini iustitiam inhærentem, sed discordat in modo, quo iustitia Christi nobis imputatur. Ait enim, iustificationem propriè & præcise sitam esse in remissione peccatorum, ita vt nomenclatura iustificationis sit vox forensis, pronuntians iustum illum hominem, cuius salus vocata est in discrimen. Sic ille: *Nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet eamque in peccatorum remissione, ac iustitia Christi imputatione positam esse dicimus &c. Iustificare nihil aliud est, quàm eum qui reus est, vel agitur, tamquam approbata innocentia à reatu absoluere. Cùm itaque nos Christi intercessione iustificet Deus, non propria innocentia approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.* Idem alibi ridet illam renouationem internam, & sanctificationem, quam meminere doctores orthodoxi in hoc argumento, & concludit, ea omnia, quæ recenset fides Catholica, non mereri nomen iustitiæ. Martinus Bucerus vt circumueniret Catholicos, dicit in homine esse duplicem iustitiam, vnam imperfectam, alteram perfectam. Imperfectam vocat illam, quæ propria est singulorum, perfectam verò illam, quæ Christi est, & nobis imputatur. Sic ille: *Etsi autem is qui iustificatur, iustitiam accipit, & habet per Christum etiam inhærentem; tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli iustitia Christi nobis donatæ, sine qua nulla omnino est, nec esse potest iustitia.* In cum errorem incautè lapsus est vir Catholicus Albertus Pighius, non ideo tamen hæreticus, quia paratus fuit subire censuram Ecclesiæ.

Idem in antidoto Concil. Tridentini ad sessiom.

Martinus Bucerus libello exhibito Imperatori Ratisbonæ art. 5.

In hoc themate, omnium errorum summa hæc est, nullam esse iustitiam homini inhærentem, quia ex Caluino: *Omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta sunt & sordes.* Ne autem quempiam pungant hi errores, retundendi sunt eorum aculei, eodem ordine, quo fuerunt à me initio recensiti. Prior occurrit Lutheri sententia, affirmans fidem esse causam formalem iustificationis. Ille error à Paulo destruitur isto versu: *In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Non ergo sola fides sufficit: nam sic mortua est, nec moue tur nisi acta charitate; vt corpus inanime non mouetur, nisi perculsum ab anima. Et hoc bellè indicat vox Græca ἐνεργουμένη, id est *acta:* quasi diceret Apostolus fidem non habere à se, quòd operatur meritoriè, sed à charitate, à qua validè perurgetur. Fauet Augustinus refundens iustificationē in charitatem, & non in fidem seorsim sumptam, vt cæcutit Lutherus. Ita Augustinus: *Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta est iustitia. charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta est iustitia.* Rursus idem non potest esse simul impetratoriū, & causa formalis iustificationis: Sed ex Augustino fides est imperatoria iustificationis: Ergo non erit causa formalis. Ecce Augustinum. *Opus quod qui fecerit viuet in eo, non fit nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur.* Idem alibi. *Geme, vt impetres, plora vt impetres, crede vt impetres.*

Albert. Pighius contro. uersia 2. Caluin. l. 3. Instit. c. 12. §. 4

Galat. 5. Fides sola non iustificat

Ex SS. PATRIBVS. *August. lib. de nat. & grat. cap. vltimo.*

Idem l. de spiritu & litera c. 29. serm. 15. de verbis Domini.

Præterea configitur error ille alio textu Pauli, explicitè monentis, fidem citra charitatis obsequium esse imbecillem. Accipe locum. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Accedunt & rationes explodentes illam Lutheri sententiam, constituentem fidem causam formalē iustificationis. Primò iustificatio maximè enitet in Beatis: At in his non est fides: Ergo fides non est causa iustificationis, alioquin sublatā causā tolleretur effectus. Rursus iustificatio facit nos aliquali modo diuinæ consortes naturæ, & similes Christo; sed tantùm abest vt fides nos efficiat similes Christo, quin potiùs dissimiles facit Christo, in quo non fuit fides. Demum iustitia non potest esse informis, & mortua, cùm sit ipsa animæ vita: Sed fides sine operibus mortua est, ex Iacobo: Ergo non est animæ iustitia.

Fides impetratoria est iustificationis. 1. Cor. 3. Rationes validæ probantes fidem non esse causam iustificationis.

Iacob. 2.

Vno auulso non defficit alter: Luthero extincto, exurgit Osiander, dicens, Deum nullam acceptabilem habere iustitiam, nisi suam illam, qua essentialiter iustus est. Quàm verò blasphema sit illa sententia iniuria Christo, patet ex eo, quòd gratis & perperam passus esset Christus, si nulla iustitia creata Deo esset acceptabilis. Non esset Christus Dominus redemptor noster, quia iustitia

Error Osiandri quis fuerit, & quomodo refellatur.

Rom. 3. 5.
Isai. 53.
Ioan. 1.
Ephes. 4.

iustitia eius creata est, nec fuit ab æterno. At hoc contradicit Apostolo, qui ait nos reconciliatos Patri in sanguine filij sui. Et Isaias præscius Euangelij, ita præfatus est: *Iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* Præterea, si nemo iustificaretur nisi eâ iustitiâ, qua Deus essentialiter iustus est, iusti omnes æquè iusti essent ac ipse Christus, cùm eadem Dei iustitia pertineat ad omnes iustos: Sed hoc somnium refellitur auctoritate Ioannis Apostoli, docentis, nos accepisse de plenitudine Christi. Huic etiam concinit Paulus affirmans, vnicuique nostrum dari gratiam secundum mensuram donationis Christi.

Ex SS. Patribus.
August. l. de spiritu & litera c. 9.
Idem epist. 120.
Idem. Serm. 11. de verbis Domini.
Iustitia nostra alia est ab ea, qua Deus essentialiter est iustus.

Si Patres desideras liquidò explicantes, illam iustitiã, quæ affingitur nobis non esse ipsammet Dei iustitiam, vnus Augustinus sufficiet, passim suâ censurâ castigans hunc errorem. Sic ille: *Sicut fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic iustitia Dei, non qua iustus est Deus, &c. Iustitia Dei, nõ qua Deus iustus est, sed qua induit hominem: dum iustificat impium.* Nihil profectò liquidius in hoc themate potest laudari. Rursus ille: *Ignorantes Dei iustitiã, qua nos eius gratiâ iusti sumus, vt ipsa Dei iustitia nos simus, cum iustè viuimus, credentes credentes in eum, qui iustificat impium, non illa qua ipse iustus est æterna sua & incommutabili iustitia.* Demũ sic concludit istam controuersiam: *A quo mundamur accipiendo indulgentiam, ipsum accipimus habitatorem ad faciendam, augendam, perficiendamque iustitiam.* Si potest augeri & perfici illa iustitia; profectò longè alia est ab ea, qua Deus immutabiliter est iustus: quippe illa Dei iustitia nullum suscipit incrementum.

Quid sit homines fieri consortes diuinæ naturæ.
2. Petr. 1.

Ne Osiandri asseclæ causentur inesse liuorem Catholicis, traducentibus Osiandrum, tacitis argumentis eius, præcipuum asseram, illud scilicet, quod ipse sectarius credidit Achillæum. Ait ille, Petrum dicere nos fieri consortes diuinæ naturæ, qeod perinde est, ac esse iustum illa iustitia essentiali, qua Deus iustus est. Respondeo, spurium esse illum sensum, quem de suo penu adiicit Osiander, & petendum esse à Petro ipso intentum eius. Illic Petrus gratulabundus & iubilans, sic cõgaudet fidelibus. *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Christi Iesu Domini nostri: quomodo omnia nobis diuina virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatẽ donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Nota obiter, Bellarminum ieiunè & cursim se expedire ab hoc argumento Osiandri, quod dilui nequit sine liquida intelligentia verborum Petri, quę Bellarminus raptim versat, & quibus ego, prout affulserit Deus, lumen adiiciam. Ita sic commentor. Petri & Pauli votum hoc vnum idemque fuit, scilicet hortari fideles, ne deessent gratiæ Dei, siue, quod perinde est, ne in vacuum gratiã Dei reciperent.

2. Cor. 6.
2. Petr. 1.

Ecce hoc votum Pauli: *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Eodẽ zelo percitus apex Apostolorum Petrus, liquidiùs aperit quid præstandum sit, ne hiulca & deficiens sit gratia: nimirum hortatur homines ad vegetam virtutum praxim, hoc ipso capite, vnde Osiander venatus est spicula, quæ intorquet. Sic Petrus: *Efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem abstinentiam, in abstinentia autem patiẽtiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint & superent; non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quaproptèr, fratres, magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Explicatio sincera loci difficilis Petri, quo vsus est Osiander ad hæresim adstruẽdam.

Gratia Dei quomodo impleatur, & non sit vacua.

Tota itaque Petri parænesis seu exhortatio eò vergit, vt gratia fidei sortiatur effectum, quem dum nanciscitur, tunc impletur. Effectus autem ille est, vt simus diuinæ consortes naturæ per hæc dona, quæ aliàs promissa ante aduentũ Christi, eo prædicante postea concessa sunt. Vnde Petrus commemorans illa dona Christi, hæc subiicit. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ, corruptionem.* Id est formaliter per hæc dona constituimini consortes diuinæ naturæ, siue quod perinde est, cauentes omne contagium concupiscentiæ. Dona illa promissa, sunt charismata Spiritus Sancti, quorũ ope debitum obsequium pendemus mandatis Dei. Accipe eiusdem Dei oraculum: *Dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Christum stetisse illis pollicitis, Paulus ait, sic testatus: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Per hæc dona concessa simus consortes diuinæ naturæ, id est iusti, & non vsurpata iustitia Dei, qua iustus est, vt Osiander errat, & alios tentat pessimè dementare.

Ezech. 36.
Rom. 8.
Error Caluini de iustificatione refellitur.
Rom. 5.

Traducẽdus est iam Caluinus, assignans causam iustificationis remissioni peccatorum. Huic è regione oppono Paulum, ita arguentem: *Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Vides, peccato obiici iustitiam. Peccatum regnasse dicitur in mortem, quia operabatur opera lethifera, virus suum effundendo. Vt ergo dicatur gratia regnare per iustitiam in vitam, debet iustitia infusa operari opera vitæ. Est autem illa iustitia aliud præter remissionem peccatorum. Nam iustificatio non à Deo cõfertur tantùm, vt subducamur pœnis, sed vt etiam dignemur stipendio glotię æternæ, iuxta hoc Pauli effatum. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Sed sola remissio non facit reos dignos præmio, vt in forensi iudicio quotidie liquet, vbi reum absolui, non est facere dignum brauio. Ergo iustificatio, quæ nos dignos cœlo facit, aliquid infundit in animam, quo benè affecta Deum sibi conciliat, & demeretur titulos insignes, qui in sacro codice prostant, vbi iusti nominantur ciues, & domestici Dei, amici, filij, & hæredes. Illud autem quo dignatur anima, est iustitia inhærens ipsi animæ, post remissionem peccatorum, ipso etiam Augustino teste, quẽ accipe ita fatum: *Nec quisquã liberatur, & iustificatur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius inspiratione ipsius fidei, & timoris Dei impartito salubriter orationis affectu, & effectu.* Rursus ille: *Quid est quòd abundantiã gratiæ, & iustitiæ accipiunt,*

Rom. 6.
Iustificatio forensis non facit dignos brauio eos quos declarat iustos.
Ex SS. Patribus.
Aug. epist. 105. ad Sixtum.

sine

nisi quòd non ei tantũ peccato, in quo omnes peccauerũt, sed eis etiã quæ addiderunt gratia remissionis datur, eisque hominibus tãta iustitia donatur, vt cùm Adã consenserit ad peccatũ suadenti, non cedant etiã isti cogenti. Vbi vides, liquidã esse sententiã Augustini, præter remissionẽ peccatorũ memorantis iustitiam, qua vt tegmine defenditur homo cõtra impetus dæmonis insurgentis Demũ ille sic expedit istã controuersiã hoc compẽdioso effato: *Iustificati sumus, sed ipsa iustitia cùm proficimus crescit.* At remissio peccatorum non crescit quãdo proficimus: Ergo illud, quo iustificati sumus, & quod augescit, est qualitas inhærens distincta ab illa remissione peccatorum.

Sixtus. Idem l. 1. de pecat. meritis. cap. 13. Serm 16. de verbis Apostoli. Iustificatio fit beneficio gratiæ inhærentis.

Vltimus demum error circa iustificationem est de iustitia imputatiua Christi, cuius beneficio dicimur iusti, etsi reuera nulla penes nos sit iustitia residens, vt propria. Ille error habet patronos Caluinistas, & quosdam incautos Catholicos. Sed ex duplici capite refellitur. Primò, quia peccata quando remittuntur, non amplius hominem obstringunt iisdem peccatis numero; sed hæc remissio ita hominem emundat, vt non excogitari possent termini aptiores ad exprimendã animam sanctam, quàm voces quibus vtitur Scriptura referens statum animæ cœlitus emundatæ. Dicuntur ablata peccata, & deleta, Deo ipso assertore apud Isaiam. *Deleui vt nubem iniquitates, & quasi nebulam peccata tua.* Ibi similitudo nebulæ, & nubis, satis superque clamat, nullam ideam aut vestigium peccati remanere, homine reo cœlitus absoluto. Præterea idem Dominus ita fatur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quàm tersasit anima Deo miserante restituta natalibus illis, quibus natura refulsit in Adamo, disce ex Dauide, ita Deum deprecante: *Asperges me hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Profectò non coëunt albedo niue candidior & peccata, quæ nouatores aiunt in anima residere, etiam post crimina desuper expiata, quæ Dauid procul esse ab anima, denuo asseuerat sic iubilans: *Quantùm distat ortus Occidente, longè facit a nobis iniquitates nostras.*

Error de iustitia imputatiua Christi refellitur. Isai. 44. Ezech. 36. Iustificatio omnia peccata emundat. Psal. 50. Psal. 110.

Nec in veteri duntaxat codice frequentes sunt illæ phrases, sed & vsurpãtur passim in nouo Testamento, vt videre est his textibus. *Conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Et Ioannes ostẽsurus vim detersiuam sanguinis Christi, sic occinit: *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Alio vocabulo vtitur Paulus explicante vim illam beneficam. Sic ille: *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Tantùm abest, vt remissio peccatorum aliquas in anima fæces residuas linquat, quin imò potius hanc relaxationem peccatorũ excipit gratiæ influxus animam sanctificans, iuxta hoc Pauli eloquium. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Si quæ nebula peccatorum animam opacaret post condonata peccata, Paulus non sic esset fatus. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et ibidem. *Vt exhiberet ipse sibi gloriam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam.*

Act. 3. 1. Ioan. 1. Hebræ 9. Gratia influit in animam cui peccata sunt remissa. 1. Cor 6. Ephes. 5.

Rursus, frustra fit per plura, quod sufficienter perficitur à paucioribus: Ergo cùm iustitia inhærens vnicuique iusto cum sanctificet, quare precariò mutuam accipiet vnusquisque iustitiam Christi, vt eam imputet sibi? Liquet ex Scriptura, fidem posse hìc perfectam esse sicut & charitatem. Igitur illæ virtutes supernaturales sufficiunt, absque illo appendice iustitię Christi, deforis illabẽtis. Fidem posse nancisci perfectionẽ suam, ait Petrus, sic hortatus: *Vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam, in reuelatione Domini nostri.* Fuisse in fidelibus Ecclesiæ enascẽtis fidẽ plenã, Ioannes scribit. *Hæc est victoria, quæ vincit mundũ, fides nostra.* Huius generis fidẽ commendat Paulus, hoc contextu: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Demum sic hortatur ille: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Charitatem posse esse perfectam ostendit Christus, si Deum diligamus ex toto corde; & perfectionem charitatis Ioannes petit ex obseruatione mandatorum Dei. Sic ille: *Qui seruat verbum eius, in hoc verè charitas Dei perfecta est.* Inueniri autem homines huius generis, scilicet perfectos, Paulus ait hæc prædicans *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et rursus. *Quicũque ergo perfecti sumus.* Incõgruè igitur venantur hæretici iustitiam illam imputatiuã Christi, cùm perfectio satis superque animã afficiat, vt iusta dici queat.

Fides esse potest hic perfecta. 1. Petr. 1. 1. Ioan. 5. Ephes. 6. Heb. 3. Charitas quando sit perfecta. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 2. Perfecti homines aliqui sunt.

Sancti etiam Patres à nobis sunt, contra nouatores. Aiunt enim meritis Christi hominem recuperasse iustitiam illam, qua Adamus exciderat: at illa iustitia fuit intrinseca, & realis, inhærens Adamo. Ita Irenæus *Quomodo incarnatus & homo factus Christus longam hominum expositionẽ in seipso recapitulauit, in compendio nobis salutem præstans, vt quod perdideramus in Adam, id est, secundùm imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus.* Consonat Augustinus hoc tenore: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Ecce quod amisit Adam per peccatum. In hoc ergo renouamur secundùm id quod amisit Adam, id est, secundùm spiritum mentis nostræ.* Si hæretici suspectam habent fidem Sanctorum Patrum, eos vt profanos traduco ad subsellia Philosophiæ, qua erudiente scient, concurrentibus duabus formis contrariis, quarum vna sit intrinseca, altera verò secus extrinseca; denominationem absolutam debere peti à forma inhærente. Vnde licet Æthiops induatur albis, dicimus tamen eum esse nigrum, & non albũ, quia nigredo tenax cuti eius affingitur. Si ergo peccatum altè residet in anima, quam extrinsecè tãtùm denominat iustitia Christi imputatiua; profectò illa forma extrinseca non obstabit, quin illa anima sit peccatrix & reproba. Demũ, si imputetur homini iustitia Christi, de eo homine prædicabuntur ea, quæ consequuntur illam iustitiã, sicq; diceturille homo, Redẽptor animarũ, cùm ei imputetur eadẽ numero iustitia, qua Christus saluum fecit omne hominum genus. Quàm autẽ sit hoc ineptum, omnes pro comperto habent.

Ex SS. PATRIBVS Irenæ l. 3. cap. 20. Iustitia hominis iusti est inhærens illi. August. l. 6. de Genes. cap. 26. Iustitia Sanctorum inhærentia probata ex Philosophia. Iustitia imputatiua Christi non iustificat.

Resipiscent hæretici, si recolant apophtegma Regis Antigoni, à quo cùm miles gregarius stipendia peteret in gratiam patris sui extincti, qui strenuam nauarat operam militando Regi; respondit Antigonus, se nihil dare paternæ virtuti, sed vnumquemque metiri ex propriis meritis. Eò respexit Paulus dicẽs se adimplere ea quæ desunt Passioni Christi. Si in sua pertinacia sibi constent hęretici ventilantes illam iustitiam imputatiuam Christi reuocabunt fabulæ illius ideam, qua Asinus induit exuuias leonis, æmulatus incessum regij illius animalis, quod vt aliis innocuit, malè asino cessit. Esto clament hæretici, se

Pulchrum apophtegmã Regis Antigoni. Præmia dãtur propriis meritis, & non alienis.

se induere exuuias leonis de tribu Iuda; sua tam è confessione nō inficiātur, se esse reprobos. Et hoc per me non stat; imò sectarios omnes damno, si reduces esse nolint, & dico esse capita deuouēda.

SENSVS ORTHODOXVS.

PARS II. CONTROVERSIÆ.

Singulis quibusque hominibus iustis quædam affingitur iustitia inhærens.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

ARGVMENTVM I.

EX SCRIPTVRA, ET RATIONE.

Daniel. 5. Baltasar Rex Chaldæus appensus in statera, & inuentus minus habens, regno excidit: ita & hæretici appensi ad trutinam Ecclesiæ, pelluntur regno Dei, quia iustitia inhærente carent, & impugnant eos, qui adstruunt illam iustitiam; Catholici verò secus inaugurantur infulis, quia Deo influente instructi sunt iustitia inhærente, vt hoc textu liquet. *In omni Gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Vides, bona opera, & non imputationem iustitiæ, facere nos Deo gratos. Rursus incongruè Christus diceretur secundus Adam positus in antidotum primi, si iniusta nobis iustitia inhærente non tersisset iniustitiam, qua nos omnes Adam infecerat. Argumentum illud est Pauli Apostoli, quem accipe. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Nota, vnumquodque tale constitui à forma inhærente. Præscia mente Vates ita de Christo præfatus est; *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* Vox Hebræa, יַצְדִּיק *iatsdik*, non simpliciter significat, *iustificabit*, vt צָדַק *itsdak*, sed perinde est ac, *iustos faciet*. Ea enim est proprietas coniugationis hiphil, vt quæ in kal simplicem notionem habent, in ista inflexione significent esse actionis auctorem, siue impulsorem. Vnde Isaias elimatè ait, Christum non facturum homines denominatiuè tantùm iustos, sed formaliter.

[Margin: Act. 10.]
[Margin: Adstruitur iustificatio per iustitiam inhærentem.]
[Margin: Christus quare dicatur secundus Adam.]
[Margin: Rom. 5.]
[Margin: Isa. 53.]
[Margin: Christus quomodo homines efficiat iustos.]

Rursus iustitia illa inhærens exprimitur per aliquid insitum nobis, vt hoc loco: *Charitas diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Caluinus ineptè ait, charitatem illic denotare amorem Dei in nos, qui imputat nobis iustitiam Christi: sed desipit, ipso etiam censore Augustino, qui sic versat illum locum. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.*

[Margin: Rom. 5.]
[Margin: August. l. de spiritu & littera c. 32. Charitas Dei diffusa in cordibus nostris quęnam sit.]

Demum ordo & ratio redemptionis hominum exigebat, vt sicut per generationem influxit in homines quid reale ab Adamo faciens nos Deo ingratos; ita etiam per regenerationem aliquid etiam positiuum opponeretur illi defectui, seu deliquio, quod patitur homo iniquo parente satus. Et sic intelligendus Bernardus, ita fatus: *Qui factus est nobis iustitia à Deo Patre; quæ ergo mihi iustitia facta est, mea non est. Si mea traducta culpa, cur non & mea inducta iustitia? Et sanè mihi tutior donata, quàm innata.* Adiice, contraria non coïre in eodem subiecto: ideòque, hæreticos omnia etiam diuina & humana violare iura, quando affirmant, post Baptismum residere lethale piaculum, sed tegi iustitia imputatiua Christi, quod perinde est, ac arcam, & Dagon eodem delubro concludere sacro codice reluctante.

[Margin: Gratia Dei non residet in anima vbi peccata supersunt.]

SENSVS ORTHODOXVS.

A iustitia inhærente, anima iusta suos titulos aucupatur.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

ARGVMENTVM II.

EX SANCTIS PATRIBVS.

Nemo nescit, in epithalamio Sponsi & Sponsæ Canticorum lineari amorem reciprocum Christi & animæ dignatæ à Deo gratia singulari. Illic describitur pulchritudo Sponsi, alia planè à venustate amasiæ eius, quæ sic refert imaginem Sponsi: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Illa sanè pulchritudo mascula est, & vt Sponsum decet. Vbi verò mentio fit venustatis animæ, seu Sponsæ Christi, describitur species hæc decora typis idoneis formæ fœmininæ. Vnde amasius ille sacer sic affatur animam: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te, &c. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchra sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa.* Hæc omnia elogia pertinent ad denotandum speciem fœmininam. Et hinc allegoricè liquet, non eandem esse iustitiam Christi, & Ecclesiæ; sed singulas quasque animas iustas habere insitam sibi iustitiam realiter differentem ab ea, quæ in Christo residet, vt ait Augustinus ita fatus: *Quantùm distat inter lumen quod illuminat, & quod illuminatur; tantùm distat inter iustificantem, & iustitiam quæ iustificatione facta est.* Inhærete autem animæ illam iustitiam adinstar formæ, quæ afficit corpus, sic ille perhibet: *Natura cum à suo conditore iustificatur, à deformi forma, formosam transformatur in formam.*

[Margin: Cant. 5. Sponsi pulchritudo quare describatur alia ab ea Sponsæ. Cant. 4.]
[Margin: Ex SS. PATRIBVS. Aug. l. 13. conf. cap. 15. Ibidem l. 15. de Trinit. cap. 8.]

Quia iustitia illa inhærens videtur subolere typhum, quasi anima suopte ingenio Deo inconsulto assurgat in beatum illum statum; Augustinus ait, iustificationem esse diuinum negotium. Sic ille: *Nisi vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest; vt ex hoc incipias iustificari, & accipias facultatem benè operandi.* Item alibi. *Hîc in vnoquoque iustitia est, vt Deus obedienti homini, animus corpori, ratio autē vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo, vel resistendo: atque vt ab ipso Deo petatur, & meritorum*

[Margin: Iustificatio est Dei opus. Lib. 1. ad Simplicianum q. 2.]

Lib. 19. de ciuit. Dei. cap. 17. Ambr. l. 6. hexam. c. 8. Iustificatio non fit solis animæ viribus.

vitorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio persoluatur. Ait ille, pertinere ad iustificationem nostram, vt à Deo merendi gratiam mendicemus, sicut & veniam delictorum, pro dotibus hisce acceptis congruas gratias exhibentes. Augustino concinit Ambrosius, hoc tenore: *Dubitare non potes, cùm iustitia, vnde iustificatio deriuata est, mentis tua vtique, non corporis sit.* Ergo cùm iustitia imputatiua Christi non inhæreat corpori, vel animæ, in confesso est, Ambrosium refundere iustificationem hominis in iustitiam inhærentem. Accedit Hieronymus, de hac iustitia sic discurrens: *Hac est hominis summa iustitia, quidquid potueris habere iustitia, non tuum esse putare, sed Domini, qui largitus est.* Idem rursus. *Nunc mundus factus es in lauacro, & de te dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, & lota quidem fit, sed custodire non valeat puritatem suam, nisi à Domino sustentetur.*

Hieron. lib. 1. aduersus Pelagianos. Idem lib. 3. aduers. eosdē. Iustitia iustificās iustitia iustificata. Greg. l. 18. Moral. c. 33.

Vt agmine quadrato Patres impugnent hæreticos: Ecce tibi quartum Patrem, scilicet Gregorium commemorantem duas iustitias, vnam scilicet, quæ iustificat efficaciter, aliam, quæ iustificat formaliter. Sic ille: *Omnes superna patria electi, sancti quidē & iusti sunt, sed participatione sapiētia, non comparatione. Iustitia quidē, sapiētia, iustitia & serui sapientia nuncupatur: sed illa iustitia iustificans est; isti autem sunt iustitia iustificata.* Si turbas auxiliares aduocare lubet, vt agmini quadrato accedant; præstò aderit è Græcia Cyrillus Alexandrinus, adstruens iustitiam inhærentem hoc contextu: *Calor Spiritus est, qui simul vt charitatem in nobis diffuderit, & igne mentes nostras inflammauerit, iam sumus iustitiam consequuti.* Consequi autem, & imputari, res sunt discolores. Quod namque quis consequitur, hoc habet; sed quod imputatur, illud totum est deforis, & nomenclaturâ tenus. Cæteris etiam se adiungit prosperè iuxta nomen suum Prosper Aquitanus, ita militans Ecclesiæ. *Iustificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo precedente bono merito accepit donum, quo medio acquirat & meritum, vt quod in illo incheatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere vt permanere in bono quisquam potest.* Nota, iustitiam inhærentem adiectione graduum posse intendi, vt ait Prosper, vnde liquet esse aliam prorsus ab ea, quam somniant hæretici: quippe iustitia Christi eumdem suum semper tenorem seruat, nescia penitus incrementi.

Cyrillus Alexand. l. 6. de Trin.

Prosper in responsione ad cap. 6. Gallorum. Iustificatio animæ quomodo fiat. Iustitia animæ inhærēs potest intendi.

SENSVS ORTHODOXVS.

Iustitia inhærentis animæ iusta veritas adstruitur.

In hæc verba:

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

ARGVMENTVM III.

Ex Ivre Canonico, et Historia Ecclesiæ.

VT Daniel audiit peti innocentiam Susannæ à delirts senibus, ille Deo afflatus, maledicto feriit homines illos iniurios fœminæ innoxiæ. Censuram Danielis excepit populi zelus sæuiens in nocentes: quippe crepitans saxorum turbo elisit hæc impia capita. Ille idem spiritus, quo percitus erat Daniel, egit Ecclesiam congregatam Tridentini, vbi auditis calumniis, quas hæretici euomuerunt in animas iustas, quas dixere esse peccato lethali obnoxias, & nulla inhærente iustitia instructas; Patres sancti concordi suffragio sententiam illam anathematis fulmine ferierunt. Et exploso errore, ediderunt hoc decretū. *Vnica formalis causa est iustitia Dei, non quo ipse iustus est, sed quo nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostra, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, &c. Id in hoc impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima Passionis merito, per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, eaque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.*

In quo sita sit iustificatio.

Ex Ivre canonico. Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. Iustificatio animæ decretum Concilij Tridentini.

Vt turris Dauidica erat armatura fortium; ita & hoc decretum panopliam concludit omnem idoneam ad debellandos omnes hostes Ecclesiæ, qui iustitiæ inhærenti bellum nequiter indixerunt. Cùm dicitur vnica & formalis causa; damnatur sententia Buceri, & Pighij de duplici iustitia, quarum vna nostra est insufficiens ad iustificandum, altera Christi perfecta, & plenè iustificans. Quando illa iustitia dicitur alia ab ea, qua Deus iustus est; carpitur sententia Osiandri, de iustitia diuina essentiali, quæ nobis affingitur. Vbi adiicit textus, illam iustitiam esse, qua renouamur spiritu mentis, & eam inhærere, & eius obsequio nos verè iustos esse, & censeri; refellitur sententia Lutheranorum, de iustitia imputatiua. Cùm audis, eam iustitiam non consistere in sola remissione peccatorum; notatur sententia Caluini, de iustificatione more forensi, sita in absolutione rei, nihil prorsus adiiciente reo, sed declarante eum reputari & haberi pro innoxio. Demum cùm meminit Concilium fidem, spem, & charitatem in argumento iustificationis, eliminat Lutheri ineptias, affirmantis fidem esse cardinem solum, in quo vertitur tota iustificatio. Et ne cauillandi aliqua daretur occasio, Concilium hoc feriit fulmine reluctantes. *Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitia Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.*

Decretum Concilij Tridentini omnes carpit hæreses de iustificatione.

Iustitia forensis, quæ. Conc. Trid. sess. 6. Can. 11. de Iustificatione.

Huic etiam sententiæ magnum luminis incrementum adfert Paulus, compendiosè enarrans beneficium iustificationis hoc modo: *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis sua.* Nequit autem homo fieri regni æterni consors, si adhuc malè sibi conscius sit: non enim ad præmium consequendum sufficit reatum tegi, sed operæpretium est animam affici aliquo, vnde Deum demereat. Illud autem est iustitia inhærens, benè figurata in historia Catharinæ virginis & Martyris, quæ vt à superstitione Gentilium transiit ad cultum Christi, ab eo desponsata est virginali connubio, Maria matre pronubam agente. Et ne casti hymenæi suspicionem facerent delirij; Christus digito Catharinæ inseruit anulum in desponsationis locuples argumentum.

Coloss. 1. Catharina Virgo & Martyr à Christo desponsata.

Ex Historia. Ecclesia Primitiua.

Ex vita S. Catharinæ Martyris. *Osee 2.*

tum. Si simplex remissio peccati iustificaret, & hoc desponsationis honore animas omnes initiaret; nihil singulare nacta fuisset Catharina virgo, eo tamen nomine celebris, quòd eam Christus anulo desponsarit. Hoc priuilegium inuehere aliquod donum præter remissionem peccatorum, patet ex Propheta, inducente Deum ita animam alloquentem: *Sponsabo te mihi in iustitia.* Non ergo anima assurgit ad honorem sponsæ Dei sola relaxatione reatus; sed accepta cœlitus iustitia inhærente. Subscribit Apostolus, sic compellans animas: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Castitas illa præambula nuptiis, est innocentia, seu iustitia, quæ animam stipat omni virtutum choro. *2. Cor. 11.*

Demum si iustitia nostra nulla esset præter iustitiam imputatiuam Christi, frustra aliqui discipuli primitiuæ Ecclesiæ recolerentur titulo specialis iustitiæ & sanctitatis. Vt Ioseph Barsabas cognomento iustus; Stephanus, cuius Scriptura facit istam luculentam mentionem. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia & signa magna.* Profectò res indubia est, plenitudinem illam gratiæ dicere iustitiam inhærentem, & non nomine tantùm tenus imputatam. *Act. 1.* *Act. 6.*

DOMINICA
PRIMA
QVADRAGESIMÆ.
EVANGELIVM
SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT Sunt Textus literaliter expensi iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. IESVS ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo. *Matth. 4.*
II. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.
III. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
IV. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.
V. Tunc dixit ei IESVS: Vade Satana. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

LITERALIS EXPOSITIO,
Cuius Paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. I. QVisquis Spiritu Dei percellitur, ille se illico accingit ad facinora ardua perpetranda, exemplo Christi, qui hoc sancto flamine percitus iuit in desertum vt in aleam congruam ad certamen cum Angelo nequam.

§. II. Qui suspicans in Christo aliquid supra hominem, eum realiter desertis tentauit, explorans an Deus esset, & induci posset ad impiè delinquendum.

§. III. Malis auspiciis dæmon iniit hunc conflictum, Christo esurienti prætendens gulæ illecebras, quasi consulens saluti corporis inediâ fatiscentis. Nempe Deum non agnouit, nec homini fucos fecit: quippe suasori iniquo Christus hoc suggessit; scilicet Dei mandata, obseruata sicuti par est, animam & corpus reficere, Deo desuper influente.

§. IV. Sed superbia dæmonis intumescit opprobriis; acerbus ille hominum hostis

denuo Christum aggressus est, qui vt ei dubiam magis faceret suam diuinitatem, passus est se à diabolo realiter adsportari, & suggeri sibi præcipitium, & cupidinem opum huius sæculi, sæpè oculis illudentis.

§. V. Noluit Christus explicare suam diuinitatem, probando quantum posset; sed suam victoriam voluit esse negotium hominis, Dei gratiâ afflati. Idcircò Scripturâ sacrâ ille rerum Dominus vsus est, vt panopliâ ad ignea diaboli spicula retundenda. Eâ industriâ monens vnumquemque nostrûm, lectionem Scripturarum esse scutum inexpugnabile, dummodò lectionem hanc oculis exhibitam, aut auribus haustam, praxis impigra consequatur. Ne autem caderent animis homines acti importunis tentationum flabris, suspicantes illas suggestiones impias esse argumenta reprobationis; Christus expleto agone suo, stipatus est Angelis, qui pæana cecinere, homines ita erudientes, multiplici agone immarcessibilem gloriam, id est, æterna præmia demereri.

SENSVS LITERALIS.

Christus baptizatus, Spiritu Sancto impulsore, fugâ sæculi, & abstinentiâ, aliisque duris agonibus Ecclesiasticæ disciplinæ iecit fundamina.

In hæc verba:

IESVS *ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

§. *I.*

CONIECTVRA PRIMA.

EX RATIONE.

Solitudo, ieiunium & oratio fuere veluti præludia Ecclesiæ.

VT prima lineaméta produnt figuram, qualis sit futura; ita & rudiores typi Synagogæ fuerunt indices Ecclesiæ. In his celebre fuit templum Salomonis, Deo auctore editum in monte, loco excelsissimo vrbis Ierusalem, & semoto à cloacis. Ad structuram eius, Rex ille pacificus opes conquisitas à Dauide contulit, nullis impensis parcens, vt assurgeret hæc fabrica diuino cultui mancipata. Ita & Christus, Spiritus Sancti flamine actus, Ecclesiæ suæ fundamina iecit, secedens in solitudinem, & quadraginta dies agens impastus, & orationi intentus. Secessus ille in desertum dicit locum editum, & semotum à fæce populi: ieiunium, oratio, aliaque virtutis opera Christo vernacula, fuere opes congestæ ad fabricam Ecclesiæ: tentationes illatæ Christo, referunt agones, quibus Christiani iugiter exercentur. Ille nimirum omnis apparatus à Christo instructus ante prædicationem Euangelij, delineat rudimenta & progressum Ecclesiasticæ disciplinæ, nec vllum Christo gratiæ incrementum adiecit; quia penes illum ab ortu eius fuit tota gratiæ plenitudo.

Ecclesiæ fundamina fuere omniũ virtutum specimina edita à Christo. Gratia Christi non suscepit aliquod incrementum.

Itaque sensus literalis huius Euangelij, quod expendo, iste est, scilicet Christum voluisse facere & docere, ne verba operibus orba, cunctantes reperirent animos, & detrectantes obsequium suum doctrinæ Christi. Ideò auspicatus est à Baptismo, insinuans hoc lauacrum esse veluti limen Ecclesiæ. Inde abiit in desertum, notans sæculi fugam esse medium idoneum ad praxim Euangelij. Ibi ieiunio & orationi intentus irrita fecit diaboli conamina, suo exemplo docens, virtutes esse panopliam animarum. Voluit Christus hisce præludiis auspicari legem gratiæ, vt eam sic probaret fuisse adumbratam in lege Mosaïca, quam præcessere ieiunium quadraginta dierum, secessus in montem, & iugis oratio. Præterea vt ædes incumbunt firmo fundamini; ita & Ecclesia solis virtutibus, quarum specimina edidit Christus, factus ipse lapis angularis, duos populos veluti binos parietes nectens, Iudæos scilicet, & Gentiles, iuxta præscij Vatis istud eloquium: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Vt ergo fideles Christiani essent congrui lapides illi ædificio Ecclesiæ, Christus omnibus obiectus est, vt ad amussim eius sese componerent homines, quibus in votis est huic diuino lapidi coaptari. Coaptantur autem singuli illi fundamento consonis operibus eis, quæ edidit Christus, quem quisquis assequitur, non ad æqualitatem, sed ad facultatem & modulum, is superædificat vt par est, apponens lapides idoneos ædibus Ecclesiæ, sicut Apostolus ait, ita fatus: *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit.*

Baptismus est limen Ecclesiæ.

Quare Christus secesserit in desertum tentandus à diabolo.

Isai. 28.

Virtutum praxis Christianos efficit congruos lapides ædificio Ecclesiæ.

1. Cor. 3.

Apostolus hoc contextu recenset duos superædificandi modos, quorum vnus consonat fundamento, alter verò discolor est. Ille, qui congruus est fundamento, attenditur penes imitationem Christi, ita vt baptizari, secedere in solitudinem, id est cauere à contagio mundi, vacare precibus, & affligi inediâ, superando diaboli tentamina, sit adiicere fundamento Ecclesiæ probatos lapides. At secus, vitam ducere in bonis huiusce sæculi, genio indulgendo, hoc procul est ab instituto Christi, ideoque stipulam & fœnum est apponere sacro Christi Domini fundamento. Ne quis ergo causaretur deesse sibi fundamentum, cui incumberet, Christus factus est norma, quam sequeretur anima volens dare nomen suum Ecclesiæ: quippe ille tentatus per omnia, passus est se tentari, sua victoria retundens impetus omnes dæmonis insurgentis, cuius vires omnes elisæ sunt, quando irrito conamine in Christum Dominum impegerunt.

Christi imitatio nos facit idoneos lapides ad structuram Ecclesiæ.

Christus vincendo diabolum, fecit, vt & nos eum hostem vinceremus.

***

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Quisquis Spiritu Dei percellitur, ille se illico accingit ad facinora ardua perpetranda.

In hæc verba:

Iesus ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex Lingvis.

Spiritus animales dant corpori, vt sentiat, & vt moueatur. Quomodo differant motiones gratiæ excitantis, & efficacis.

INdubium Medicorum effatum est, eosdem spiritus animales tribuere corpori vt sentiat, & moueatur. Tamen familiari experimento liquet, vigere omnes sensus in paralyticis, motu corpori denegato. Vnde concludit ars Medica, maiorem spirituum affluxum peti ad motum corporis, quàm ad sensum. Ita & in supernaturalibus, gratiæ omnes excitantes, & efficaces, Spiritus Dei illapsus sunt, in hoc dissiti, quòd in simplici gratia excitante anima tantùm sentit Dei influxum, eam vrgentem ad ea, quæ sunt salutis æternæ, at non mouetur efficaciter, habitu iniquo altè insito præualente. Sed in gratia efficaci tam vegeto motu anima percellitur, vt infallibiliter prætereat omnes mali fines, ab omni crimine defæcata. Fauet figura Samsonis, qui sæpè ligatus non rumpebat vincula, nisi irruente Spiritu Domini, quo etiam percellente magnam stragem edidit æmulorum. Ecce synopsim historiæ. *Cùm venisset ad locum maxillæ, & Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt, & soluta. Inuentamque maxillam, id est mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Iuxta hunc loquendi tropum, textus hodiernus expensurus agones Christi, ait, eum fuisse ductum à Spiritu in desertum, quod perinde est ac Spiritum Domini irruisse in eum.

Iudic. 15. Spiritus Dei irruens in Samsonem acuebat vires eius.

Christus qua ratione ductus à Spiritu.

Nota tamen Christum non fuisse actum à Spiritu Sancto eo modo, quo cæteri homines perciti sunt, id est, non suscepisse gratiæ aliquod incrementum hodie vt eius beneficio ad fortiora sese accingeret: etenim in eum ab ortu influxerat tota gratiæ plenitudo, nesciens adaugeri. Sensus itaque literalis huius versiculi est, Christum connotatiuè tantùm & non subiectiuè fuisse percitum maiori œstro Spiritus Sancti: vt cum dicimus Deum magis affici amore in vnum quàm in alterum, connotantur varij effectus in hominibus à Deo adamatis, sed non designantur in Deo varij amores essentiales. Ita cùm audis hodie Christum à Spiritu perculsum in desertum, caue ne arbitreris Christum aliquod accepisse augmentum gratiæ, sed cogita, illam Christi gratiam, quæ sibi semper eadem constitit, hodie prosiliisse foras, in effectus hactenus inaspectos; vt fuere, secessus in solitudinem, iuges orationes, & protracta ieiunia longo dierum contextu. Fuisse autem hæc opera Spiritus Sancti negotium, certissimum est, etsi quidam dubitarint an vox illa, Spiritus, debeat accipi pro diabolo, quasi malus ille Spiritus Christum egerit in desertum, vt tentaret illum. In eo argumento Syrus interpres adimit omnem ansam dubitandi, dicens Christum fuisse gubernatum à Spiritu sanctitatis. דקודשא יֵשׁוּע אתדבר מן רוח *ieschuang etbdebar men rucho dekudscho.* Id est Iesvs *gubernatus est à Spiritu sanctitatis.* Vox Syra, אתדבר *etbdebar*, deducitur à radicali, דבר *debar.* Significat autem verbum illud, ducere, gubernare, auferre. Vnde liberum est ex contextu Syro dicere, Christum fuisse à Spiritu Sancto ductum, gubernatum, & subductum oculis hominum in desertum. Spiritum illic debere intelligi, Sanctum, & non nefarium, duo maximè probant, vnum est articulus præmissus, alterum est vox, spiritus, absolutè posita. Vnde Hieronymus & Didymus certissimè inferunt, esse vocem illam intelligendam de Spiritu Sancto, qui cùm semper insedisset Christo, tunc maximè enituit: ideoque Græcus interpres verbo vsus est significante motionem magnam. ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη, εἰς τὴν ἔρημον, ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Id est, Iesvs *actus est in desertum à Spiritu.* Vox ἀνήχθη deducitur ab ἀνάγομαι, id est, *desuper agor*, quod motionem cœlestem insinuat. Marcus item impulsionem disertè significat, hoc tenore: Τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει. Id est. *Expellit eum Spiritus.* Textus Hebræus elimatiùs ait, Christum fuisse eductum manibus Spirit. הוּבא ישו במדבר יהודה על ידי רוח *boba ieschu bammidbar Iehudah neghali iede ruach.* Id est. Eductus est Iesvs in desertum Iuda, per manus Spiritus Sancti scilicet, vt expressè meminit interpres Syrus.

Ex Lingvis.

Syriaca.

Græca.

Christus à quo Spiritu ductus in desertum, ex linguis.

Hebræa.

Spiritus S. & non nefarius Christũ duxit in desertum.

Ad quod autem Spiritus Sanctus eduxerit Christum, notat series historiæ, referens eum eductum fuisse, vt tentaretur à diabolo Principe dæmoniorum. Vox Hebræa, Satan, generica est, pertinens ad omnes spiritus nefarios; sed in hoc versu Textus Hebræus, non simpliciter illam adhibuit vocem, sed præmisit, hè demonstratiuum, quod Hebræi emphaticum vocant. Sic lingua illa sancta למען ינסה מהשטן *lemanghan innase mehasatan.* Id est, vt tentaretur à diabolo, antonomasticè diabolo, & hoc nemo adhuc aduertit, fortè ex penuria codicis Hebræi, quem Ioannes Tilius Episcopus acceptum à Iudæis fecit publici iuris. Magni autem momenti est illa animaduersio, ad intelligentiam sensus literalis, ad quem pertinet explicare, an Christus tentatus fuerit à Lucifero. Cur verò istos agones obiecit Christus, multæ sunt rationes ad trutinam Sanctorum Patrum citiùs expendendæ.

Christus tentatus à Principe dæmoniorum.

Dæmon qui tentauit Christum quisnam fuerit.

SENSVS LITERALIS.

Christus consulturus Ecclesiæ, illam suo exemplo erudiit, angustias eius leuans, illas superando.

In hæc verba:

Ductus est Iesvs *in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

CONIECTVRA TERTIA.

Ex Sanctis Patribvs.

QVamuis artis gladiatoriæ regulæ hominem erudiant; cautiores tamen fiunt homines aspectu peritorum, quos in arena vident obire partes omnes eximij palæstritæ, cautè scilicet declinando

Christi exempla plus contulerunt hominibus ad virtutum praxim, quã oracula Prophetarum.

nando insidias, & opportunè in æmulos insurgẽdo. Ante ortum Christi in humanis, Prophetæ multa luculenter edidere pertinentia ad ineundũ certamen, vt posset homo sibi consulere contra spicula à diabolis intorta. Ne qua cupido rei necessariæ ad salutem facesseret homini negotium, Christus illud omne præstitit, quod ad æquiorem hominum sortem maximè conducebat. In his autem, quibus indiguit homo, illud in primis occurrebat, vt hostis humani generis impetum eliderct Christus, qui descenderat in certamen, vt prioris Adæ ignominiam suo certamine repararet. Locus idoneus ad hoc electus est, scilicet desertum, medium inter Ierusalẽ & Iericho, vbi latrones grassabantur assiduè: vnde vocatum est desertum, דמים *damim*, id est, *sanguinem*, ob frequentes cædes ibi perpetratas. Ad hoc desertum pertinet parabola hominis, qui cùm descendisset ab Ierusalem in Ierico, incidisse dicitur in latrones, gerens figuram Adæ, qui à dæmone malè habitus est. Congruum itaque fuit, vt ibi Christus diabolum superaret, vbi diabolus hominem sub figura miserè sauciarat.

Quare Christus in desertum se contulit.

Gloss Ordin. in c. 4. Matt. Christus in quo deserto tentatus sit.

Vt athletæ vnguntur, futuri sic aptiores certamini; ita Christus agones suos obiit post Baptisma susceptum, & descensum Spiritus Sancti in specie columbæ, vt sic rescirent homines, se debere à Deo initiari ad discrimen anceps cum diabolis ineundum. Adiice, Christum accepto de cœlo testimonio luculento, se esse Filium Dei, statim se aptasse ad prælium, vt discerent inde homines, gratiam Dei non esse inertem, sed acuere animos ad operosa fortiter exantlanda. Chrysostomus in eo argumento fatur appositè ad meã sententiam. *Quæ omnia ad nos erudiendos, & facienda sibi, & patienda susceperat, in eremum se quoque patitur abduci, & cum diabolo inire certamen: vt vnusquisque cùm fuerit baptizatus, si post Baptisma maioribus tentationibus vrgeatur, non vtique turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obuenerit: sed permaneat, cuncta viriliter sustinendo, vtpotè quæ sibi consequenter contigerint. Idcirco enim accepisti arma, non vt otieris, sed vt pugnes. Propterea Deus in te tribulationes irruere permittit. Primò quidem, vt discas, quoniam Christi Baptisma multò te fortiorem fecit. Deinde vt in egregia illa animi mediocritate permaneas, neque donorum magnitudine euehar is, dum te scilicet tentationes cohibent, & refrenant. Ad hæc verò vt malignus ille dæmon cùm de tua à se discessione dubitat, ex ipsa tribulationum tolerantia discat, quòd perfectà ab illo abrenuntiatione discesseris. Quartò, vt fortior, & ipso prorsus ferro valentior, tentationum exercitatione reddaris. Quintò vt capias grande documentum thesaurorum tibi à Domino creditorum. Neque enim superuenires tibi, neque aduersus te diabolus irrueret, nisi in maiore te positum honore conspiceret. Hinc enim aduersus Adam insurrexit ab initio, quia multa illum dignitate vidit conspicuum. Propterea, & contra sanctum Iob nequitiæ sua arma commouit, quia vtique videbat illum ab omnium Deo miris laudibus coronatum.*

Gratia Dei homines acuit ad ardua.

Ex SS. PATRIBVS.

Chrysost. hom. 13. in Matth. Gratia datur congrua ad frangendos impetus dæmonum.

Diabolus eos maximè tentat quos videt esse gratia conspicuos.

Fuisse totum hoc certaminis Christi negotium susceptum in gratiam hominum, quos præclaro edito specimine, ille rerum Dominus informabat, omnium Patrum concors clamat auctoritas, meæ sententiæ suffragata. Si namque recensui Christum velut palæstritam, Spiritus Sancti vnctione armatum, occurrisse diabolo, illud consonat Hilario sic mihi concinenti. *In desertum traductio, & quadraginta dierum ieiunium, & post ieiunium fames, Satanæ tentatio, & responsio Domini, magni cœlestisque consilij effectibus plena sunt. Nam quòd in desertum ductus est, significatur libertas Spiritus Sancti, hominem suum iam diabolo offerentis, & permittentis tentandi, & assumendi occasionem, quam non nisi datam tentator habuisset, &c. Adam pellexerat, & in mortem fallẽdo traduxerat. Sed ita dignum nequitia eius & scelere erat, vt in eo, cuius morte & calamitatibus, gloriãtur, homine vinceretur: & qui Dei beneficia homini inuidisset, ante tentationem Deum in homine intelligere non posset. Tentatur igitur statim post Baptismum Dominus, tentatione sua indicans, in sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassari: quia ei victoria est magis exoptata de Sanctis.* Esto Christus tentatis occurrat, gratiam infundendo; voluit etiam adiicere exemplum suum, eundo obuiam hosti, & retundendo spicula, quæ diabolus intorserat. Sic Augustinus. *Cur seipsum quoque tentandum præbuit? vt ad superandas tentationes mediator esset, non solùm per adiutorium, verùm etiam per exẽplum.* Ne igitur homines animo caderent pulsati à dæmone; Christus passus est se tentari, monens bono animo essent, quia proprio experimento didicerat diabolum insurgere in omne hominum genus.

Spiritus S. homines excitat ad certamen.

Hilar. can. 3. in Matth.

Christus sua victoria reparauit ignominiam Adami.

August. l. 4. de Trin. c. 13. Christus suo experimento sensit deforis diaboli ferociam. *Hebr. 4.*

Inde Apostolus argumentum capit consolandi eos, qui vrgentur diaboli ictibus importunis. Sic ille: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Christus tentatus iuit obuiam dubio, quod facessere potuisset negotium hominibus, cùm tentantur: erat quippe periculum ne malè sibi homines tentati ominarentur, arbitrati tentationes esse indices damnationis æternæ, quia validè pelliciunt ad peccandum. Ne igitur desperarent homines pulsati à diabolo, Christus æquo animo, imò & vltrò subiit omnes impetus dæmonis insurgentis. Demũ vt hebes fieret mucro, quem diabolus in homines distrinxerat, Christus Dominus se feriendum obtulit, sic retundens aciem gladij, quo infinita propè hominum capita demetebat. Vt enim ille rerum Dominus mortis aculeum moriendo confregit; ita & tentatus, irritos fecit ausus omnes diaboli tentatoris.

Cur Christus passus sit se tentari.

Tentationes validæ non sunt notæ reprobationis, sed sunt argumenta virtutis exercendæ.

SENSVS LITERALIS.

Diabolus suspicans in Christo aliquid suprà hominem, eum realiter deforis tentauit, vt induceret illum ad peccandum.

In hæc verba:

Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

§. II.

CONIECTVRA PRIMA.

EX RATIONE.

THeologiæ scitum est, Angelos in editione sua accepisse species rerum omnium, quæ ad naturam

An dæmones possint errare in intelligendo.

naturam spectant, ac proinde nihil omnino latere dæmones, si quando res est de aliquo argumento concluso naturæ cancellis: quippe dæmonum lapsus non extinxit rutilum illud lumen naturale, quod ipsis stantibus affulgebat: vnde & dicuntur Angeli irreuertibiles, quia res naturales se totas Angelo produnt primo intuitu, conclusionesque vident in ipsis rerum incunabulis, seu principiis; ideoque tenaces sunt assensus, quem præbuere conclusioni: nullo namque luminis incremento diuelli queunt inde; siquidem toti effusi sunt in ascensum, nec locus vllus eis superest dubitandi.

Dæmon non excidit sua scientia naturali.

Si verò res est superioris ordinis, diabolus habet in ea locuples hallucinandi argumentum: cùm nimirum ex rudimentis merè naturalibus vult assurgere ad diuina, quæ nemo pertingere potest, nisi beneficio fidei, tunc dubius est Angelus nequam, & vacillat, vt hodie errauit aggrediens Christum. Vt nempè in deserto vidit impastum quadraginta diebus & noctibus, suspicatus est in eo esse quidpiam exoticum, & suprà hominem: non inde tamen potuit concludere, hominem illum esse Deum; nihil namque sensibile, quod apprehenditur lumine naturali, potest elicere assensum fidei absque lumine superioris ordinis: At lumine naturali dæmon videbat Christum ieiunare: Huic ergo principio innixus, non potuit ille concludere, Christum esse Deum. Adiice, diabolum illum coryphæum, & superborum omnium caput, non potuisse sibi persuadere, Deum voluisse demittere apicem suum vsque ad humilem hominum sortem, nostram indolem induendo: & eamobrem sumpsisse animos ad tentandum Christum duobus modis, iuxta significationem verbi, tento. Quippe, tentare, idem est, ac explorare, seu experiri: hinc illa locutio, tentare vadum, pro explorare an queant flumina transuadari. Item apud Ouidium.

Dæmon in quibusnam falli possit, & quomodo.

Dæmon cur non potuit agnoscere Christũ esse Deum.

Quid sit tentare.

Cuncta prius tentanda: sed immedicabile vulnus.
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur

Ouidius l. 1. Metamor.
Cicero l. 1. Tusculan.

Et apud Ciceronem. *Tentaui quid in eo genere possem.*

Tentare idẽ quod corrũpere.

Rursus, tentare, perinde est, ac corrumpere, & id apud principes linguæ Latinæ assertores. In his accipe Ciceronem ita fatum: *Illud animorum corporumque dissimile est, quòd animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt.* Vult hac locutione Cicero dicere, sinceros & ingenuos animos vitiis corrumpi non posse. Item alibi sic: *Iudicium pecunia tentatum est, non à Cluentio, sed contra Cluentium.* Seneca vsurpauit hoc idem verbum ad corruptionem adumbrandam. Sic ille: *Cùm quarumdam mulierum vsque ad tentandum pudorem formosi adolescentis peruenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset.* Eò etiam spectat illa phrasis Suetonij: *Tentare veneno aliquem, inflammatione precordiorum tentari.* His immoror, quia nemo adhuc penetrauit illam genuinam significationem verbi, tento, quæ maximè pertinet ad sensum literalem versus, quem expendo, vbi tentatus rerum Dominus affirmatur. Dixi esse tentatum duobus modis, qui significantur illa voce, quæ perinde sonat, ac explorare, & corrumpere. Primò namque Angelus ille vafer explorauit, an Christus esset homo, à diuinitate secretus: non quòd eo fine præcipuè accesserit: non enim dicitur tentator, quasi explorator, sed quia hoc illi insedit propositum tenax, labefactandi scilicet omne hominum genus. Hoc itaque

Cic. lib. 4. Tuscul.
Idem pro Cluentio.
Seneca lib. de consol. ad Marc. c. 24.
Sueton. in Nerone cap. 34. in Aug. cap. 81.
Dæmon, quare dicatur tentator.
Dæmon tentando Christũ duo intendit.

primò intendit dæmon, vt Christum induceret ad peccandum, licet ordine exequutionis priùs explorarit, an Deus esset.

Bimembris igitur est tentatio, vna pertinens ad examen, alia spectans Christi Domini corruptelam, à diabolo nequiter intentatam. Non latebant æmulum hunc Christi oracula, partim iam sortita sui fidem præsagij. Audierat à Ioanne vocatum agnum, qui tollit peccata mundi. Præsenserat vim pueruli Iesu deturbantis simulacra Ægypti, quando eò transuectus est. Memor erat tacita fuisse oracula, ipso vagiente in cunis: ideoque habebat dubium Christi statum validis argumentis. Eamobrem sic prælusit: lapides esurienti obtulit, suadendo vt suæ potestatis periculum faceret, iubendo vt lapides oblati speciem panis induerent. Non hortatus est Christum, vt oraret instrui sibi dapes ex materia incongrua: siquidem orare erat præter intentum indaginis, in qua totus erat is tentator, versans se in gyros omnes, vt suis spiris Christum concluderet, si liqueret illum non esse Deum. Suggerit igitur vt Christus imperet illis lapidibus, vt deponant suam formam, & transeant in panes. Vox enim illa, *Dic vt lapides isti panes fiant.* Perinde sonat, ac, Iube vt lapides isti panes fiant, sicut ostendam in proxima coniectura ex linguis contra Maldonatum. Sagacis æmuli solertiam Christus elusit dicens, Deo suppetere multos modos alios ad leuandam inediam hominis impasti. Hoc responso diabolus animæquior factus, se accinxit ad corrumpendum Christum. Nempè cum impulit, vt se præcipitem daret à pinnaculo templi, deinde ostendit ei omnia regna mundi, pollicitus ea, si Christus vellet pronus ipsum diabolum adorare. Et hic præcipuus erat finis tentatoris, cùm aggressus est Christum; scilicet vt in errorem turpiter adduceret. Promiserat Adamo is seductor infulas diuinitatis, si à Dei præcepto deuius aberraret. Cesserat ad arbitrium eius illa tentatio; idcircò simile spiculum intorquet in Christum, pollicitus ei rerum summam, si suasori assensum daret. Quod ergo Satanas cunctatus est, primò explorans an Christus esset Deus, fuit hoc præludium certaminis, cuius summa penes diabolum erat, Christum pellicere ad peccandum. Cùm ergo audis, Christum fuisse ductum à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo, intellige Principem dæmonum fuisse expertum omne quod potuit in Christum, qui ei obiecit naturam infirmam, vt sic magis dæmonem elideret, deprimendo typhum, quo tumebat ob hominem aliàs callidè dementatum.

Quare dæmon dubitarit an Christus esset Deus.

Christus ante tentationem in deserto, suæ diuinitatis aliqua dederat argumenta.

Dæmonis præcipuus finis quisnã fuit in tentatione Christi.

Dæmon omnem vim suam est expertus in Christum.

SENSVS LITERALIS.

Non in imaginatione sed deforis & realiter Christum tentauit Lucifer Angelus refuga.

In hæc verba.

Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

CONIECTVRA SECVNDA.

EX LINGVIS.

GEorgij Castrioti, quem Turcæ Scanderbergium vocant. Principis inquam huius elogium

Paulus Iouius in elogio Scanderberg.

gium hoc est valdè singulare, quòd sæpè sæpiùs cum Amutathe Dynasta Turcarum congressus est, nullo vnquam vulnere sauciatus. Sed hæc laus est infra decus debitum Christo, qui cum hoste magis acerbo certamen iniit. Is nempè spolia opima retulit de Angelis apostatis, quorum caput

HEBRÆA.

Luciferum fregit trino impetu. Fuisse hunc dæmonem summum, & Principem cæterorum, præfatus sum suprà ex voce השטן *hasatan*, vbi litera, hè, demonstrat esse diabolum antonomasticè.

EX LINGVIS.

Et reuera fuit æquum, illum eumdem ab homine frangi, qui quondam de homine triumpharat.

GRÆCA.

Græcus interpres eum tentatorem absolutè dixit, *ὁ πειράζων*. Est autem *πειράζω* idem quod, dissimulo, exploro, tento. Syrus auctor bifariàm nominat Angelum apostatam, qui eò temeritatis

SYRIACA.

proruþit, vt tentaret Christum. Primò vocat eum אכלקרצא *acelekartso, accusatorem*, & eo versu, quem decurro, nominat eum seductorem, seu tentatorem; vtrumque enim significat vox Syriaca דמנסא *damnase*. Cùm Christus ait, Principem huius mundi venisse, & nihil suum reperisse in ipso, satis superque ostendit, totam tentationis huius seriem & contextum fuisse Luciferi technas.

Tentatio Christi, non fuit in sola imaginatione.

Nota obiter, errare eos, qui suspicantur, tentationem istam fuisse in imaginatione, quia indecorum credunt Christum portari à diabolo; sed Christum abstractum à sensibus habuisse species in phantasia, quas res ipsæ adstantes sensibus ingessissent. Damno ego illam sententiam. Primò, quia pugnat cum sensu historico, qui semper accipiendus est iuxta sonum literæ quádo nihil obstat. Secundò illa explicatio destruit intentum Christi, in illa tentatione: siquidem Christus, ideo maximè tentatus est, vt sua tentatione specimen ederet dæmones explodendi, & victoriam

Tentatio Christi fuit ad exemplū.

referret de dæmone luculentam. At illud omne quod in imaginatione geritur, non est argumentum laudis, aut exempli, cùm ratio hebes sit & obtusa, dum res tota fit in phantasia. Vnde dicimus eos non peccare, qui in somnis indecora præstant, non enim sunt sui iuris ratione penitus otiáte. Laborant itaque imaginatione illi, qui totam istam historiam refundunt in imaginationem Christi. Adiice esse inglorium Christo, potuisse dæmonem ad arbitrium suum mouere phantasiam Christi, cùm maximè nihil inde possit emergere ad exemplum. Nam non erant erudiendi homines ad ludicra certamina, qualia sunt illa quæ dormientibus repræsentant, phantasmatum oberrantia ludibria. Portari autem Christum à dæmone realiter non fuisse indecorum dicam infrà. Stet itaque rata ista conclusio, scilicet Christum fuisse tentatum deforis, & realiter, & plenam idcircò fuisse victoriam de dæmone reportatam.

Qualis autem fuerit illa tentatio, res est scitu dignissima, imò necessaria his, quibus sensus literalis est maximè cordi, & qui reuera princeps est in sensibus Euangelij, & hoc raptim lugeo, nostrates doctores pluris facere libros, qui sensum

Quomodo differant tétatio interna & externa.

moralem suoptè Marte compingunt, quàm illos, qui altiore scrutinio penetrant abdita arcana corticе literali. His vt facerem satis, vim mihimet ipse feci, plurimos meditando Tomos Moralis Encyclopædiæ, quamuis apud me potior longè sit sensus literalis, vt doctior, & propior intento

Tentatio interna dicit

Christi. Ad intelligentiam ergo tentationis Christi, operæpretium est, tentationes omnes scire esse in duplici differentia. Aliæ enim sunt internæ, aliæ verò externæ. Tentatio interna est deordinatio appetitus sensitiui reluctantis obedire rationi. Ista tentatio non est peccatum, si inuita ratione inquies sit ille appetitus sensitiuus, molestus animæ gementi sub sarcina motus importuni, imò plerumque hæc lucta cedit in animæ lucrum, dum sibi cauens validè compescit illos impetus insurgentes. Et hoc insinuat Paulus, dicens, nos facere cum tentatione prouentum. Hoc tamen non obstat, quin talis tentatio sit magna imperfectio, non contra iustitiam Dei, sed contra iustitiam originalem, de cuius ratione est, ita cohibere appetitum sensitiuum, vt totum se componat ad arbitrium appetitus rationalis, nulla omnino passione reluctante. Emergit autem illa tentatio interna insciâ concupiscentiâ, imò quando dæmones omnes pessum irent, & in nihilum redigerentur, quisque sibi diabolus esset, fomite peccati suggerente nobis multa; contraria rationi, iuxta illud: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

Imperfectionem, sed non peccatum.

Christus nō potuit tentari tentatione interna.

Iacob. 1.

Hæc tentatio non potuit cadere in Christum, in quo motus omnes animi adeò fuere concordes, vt præuia ratione affectus eius animum perculerint ad nutum rationis, qua semper præualente Christus agebat, & non agebatur, instar aliorum hominum, qui plerumque multi aguntur impetu passionis, plus nimio debacchantis; ita vt sæpè gliscente passione, homo velut impos sui videatur insanire. Cùm ita Christus eodem tenore sibi constiterit semper, nec fuerit vnquam eius ratio percita passionum motibus importunis, nulla tentatio carnis aut mundi in eum potuit cadere, cùm talis tentatio sit interna, & dicat aliquod dissidium vtriusque appetitus, rationis scilicet & sensitiui. Namque caro concupiscit aduersus spiritum; & mundi illecebræ, vt sunt opes, gloria, fastus, desiderium acuunt, vt homo velit necetur illi speciosæ mundi supellectili. At desiderare vilia mundi crepundia, hoc dicit indecorum animæ motum, contrarium iustitiæ originali, quæ in Christo summa refulsit. Ergo non potuit illa carnis & mundi tentatio pertingere ad Christum, sed tota tentatio externa fuit. Dicitur autem tentatio extrinseca, illa quæ ita deforis est, vt agente extrinseco suggerente, ratio semper maneat inconcussa. In huiusmodi tentatione nihil accidit inglorium homini tentato, si resistit, ideoque potuit sic tentari Christus, & sic quotidie sancti tentantur ab aliis etiam hominibus suggerentibus impia.

Homo dæmone etiam cessante, tentatur à propria concupiscentia.

Christus agebat se, & non agebatur.

Christi tentatio fuit externa

Fortè instabis, debuisse Christum tentari à carne, & mundo, vt sic suo exemplo nos erudiret ad quotidianum hunc conflictum, qui maioris est momenti, quàm sint alia omnia discrimina. Respondeo, Christum luculenter suo exemplo instruxisse homines omni panoplia contra omnes tentationes: nam licet à carne & mundo tentatus non sit; ad ea tamen, quæ mundi & carnis sunt, à diabolo tentatus est: nimirum prima tentatio, quæ suggerebat desiderium cibi, pertinebat ad carnem, vt & vltima spectabat ea quæ mundi sunt: quippe sycophanta ille hostis ostendit Christo omnia regna mundi, & gloriam eorum, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Non fuit tamen Christus à carne & mundo tentatus, quia nulla concupiscentia aut prurientes illecebræ vellicarunt animam eius, vt eam nequiter inclinarent; sed tota illa historia deforis acta est,

Christus exemplum locuples dedit superandi omnes tentationes.

est, dæmone suggerente, & Christo Domino remanente illibato. Et in hoc quòd validè dæmonem fregit versantem varios tentandi modos, locuples argumentum homini dedit, diluendi technas diaboli, iuxta illud Ioannis: *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissolueret opera diaboli.* Nam ad exemplum & doctrinam fidelium, non operæpretium fuit Christum tentari ab intrinseco, experiendo rixam appetitus sensitiui reluctantis rationi; sed satis superque fuit ab extrinseco expertum diabolum suadentem ea, quæ pertinent ad carnẽ, & mundum, vt Christiani forent hoste acerbo superiores, Christi Domini facinus æmulantes.

1. Ioan 3. Christus quare non fuit tentatus à mundo & carne.

SENSVS LITERALIS.

Dæmon dubius an Christus esset Deus, cum sola suggestione tentat, non innitum, vt sic homini consuleret, omnia diaboli ludibris superando.

In hæc verba:

Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

CONIECTVRA III.

Ex Sanctis Patribvs.

Æternùm benè meritus est de Atheniensibus Rex eorum Codrus, qui in medias hostium acies irruit ementito habitu, ne illi agnito parcerent hostes volenti occumbere pro subditis; quippe didicerat oraculo, morte sua tantùm se posse litare victoriæ. Huic egregio facinori quidpiam affine præstitit Christus, prostraturus principem hominum hostem Luciferũ. Nempè obducto velamine corporis nostri, in eum processit dubium an Christus esset Deus: callidus namque hostis erat superandus potiore industria, vt aduertit Augustinus ita fatus: *Subtiliter Deus subtilem inimicum voluit expugnare, & quasi sub esca humanitatis hamum celauit Deitatis.* Nimirum Dominus ei obiecit quod infirmũ erat, scilicet carnem inediã afflictam, & esurientem. Quamdiu enim Christus impastus nesciit esuriem, haudquaquam accessit ad eum diabolus. Ideoque arbitror errare Euthymium, qui ait Christum variè tentatum à diabolo, per ignauiam, tristitiam, & somnum, illis etiam quadraginta diebus, quibus ieiunauit. Errori argumentum dedit ille textus Marci: *Erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana.* Inde malè arguit Euthymius, Christum ante esuriem fuisse à diabolo multis nisibus impetitum. Vox illa, *tentabatur*, nullum necessarium nexum habet cum quadraginta diebus; cùm, Matthæo teste, diabolus tantùm accessisse dicatur quando Christus esuriit, vtpotè metuens accedere ad hominem alterius indolis, quàm cæteri, nequeuntes ferre tot dies impastos. Adiice, Euthymium affingere Christo rem indecoram, cùm affirmat Christum per somnum tentatum, quasi verò diabolus potuerit in phantasiam Christi.

Codri Regis Atheniensium amor erga suos subditos. Diabolus ignorauit an Christus esset Deus. Christus industriè superauit dæmonem. Ex SS. Patribvs. August. li. cur Deus homo. Euthym. in Matth. 4.

Marc. 1. Christus nõ fuit tentatus totis quadraginta diebus.

Mihi longè Euthymio præstat Chrysostomus, insinuans Christum fuisse terrori Satanæ, quamdiù ieiunus extitit, & ideò sponte esuriisse, vt hac infirmitate agnita, resumeret animos dæmon, inuigilans actibus Christi, quem sedulus obseruabat. Sic Chrysostomus: *Considera cum quanta ad eum arte malignitatis accedat, quodvè tempus præcipuè obseruet: non enim ieiunantem tentat, sed esurientem, vt scilicet discas quàm sit bonum grande ieiunium, & quia hæc aduersus diabolum arma sint maxima, &c. Si vlterius progressus fuisset, plurimis etiam incredibilis fuisset carnis assumptio. Cùm igitur quadraginta dies ac noctes ieiunasset, postea esuriit. Occasionem diabolo tentandi præbens, vt prius ipse congressus, quomodo etiam ab aliis vinci possit, ostenderet. Sic enim faciunt Athletæ, qui cum discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum aliis certamen exercent, vt in luctantium corporibus faciant artem spectari vincendi: quod in hac quoque colluctatione constat esse effectum. Quia enim diabolum ad certamen voluit attrahere, esuriem suam ei fecit manifestam, & non repulit accedentem.* Hactenus ille, explodens Euthymij sententiam.

Quare Christus esurierit post longam inediã. Chrys. hom. 13 in Mat.

Ieiuniũ diabolo est reformidabile.

Ieiunium, arctum præiuisse tentationi, Cyprianus ait, quasi fuerit inedia velut præludium ad agones cum dæmone subeundos. Sic ille: *Forma ieiuniorum proposita fixoque exemplo, postquàm quadraginta dierum abstinentiam Dominus consummauit, Satan cùm videret esurientem accessit. Retroactum tempus obtinuerat quies, & secum silentij sera opus illud eximium Saluator exegerat, modo oblata occasione tumultuator de latebris prodiens foras egreditur, & subdola professione quasi compatiens ei subuenire periclitanti naturæ hortatur. Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Nec vult fateri, nec præsumit diabolus diffiteri Christum Filium Dei, sed dubiè dispensèque consulens tendiculas blandis innectit sermonibus, vt obaudientem sibi reddat obnoxium, & se de compassionis specie reddat acceptum. Caro, & lassitudo, & cætera huiusmodi hominem testabantur: virtutis integritas, & vita carens omni peccato, perfectius ei priuilegium adscribebant, & diuinitas potentissima ex ipsis effectibus negari non poterat. Fuerant & ante Christum viri insignes, Prophetæ, & sacerdotes, sed in peccatis concepti, & nati, nec originali, nec personali caruere delicto, & inuenta est in omnibus vel ignorantia, vel insufficientia, in quibus erronei peccauerunt, & eguere misericordia Dei, per quam edocti, & restituti gratias egerunt Deo, & ad plenitudinem iustitiæ multum sibi deesse confessi sunt, & sperantes in Deo nullam sibi soliditatem attribuere præsumpserunt. Non ita Christus, in quo Verbi, carnisque sic conuenit natura, vt nulla alteri ex altero iniuria deueniret, quia in carne socia nullam diuinitas maculam reperit, nec secuta est, nec præcessit. Hæc naturarum coniunctio diabolum exsæcabat, quia ei impossibile videbatur, vel quòd esurire posset diuinitas, vel quòd tanta tolerantia posset esse, tantaque potestatis corporis humilitas. Duplicem itaque inquisitionem sinuosa calliditate orditur, vt de Christo vtrum naturalis Filius Dei sit, ipso respondente certitudinem habeat, vt cùm Deum confessus se fuerit, absurdum videatur quod Deus esuriat, & in quamcumque partem se responsio verterit, necessitas concl-*

Cyprian. ser. de ieiunio & tentat. Christi. Ieiunium hominem aptat ad pugnam contra diabolos.

Quibus argumentis, dæmon fecerit dubiã diuinitatem Christi.

Dæmon sollicitus an Christus esset Filius Dei.

conclusionis occurrat. Si Filius Dei es, tibi non competit esurire. Quòd si esuris, manifestum est Filium Dei non esse, quem violentia necessitatis communibus indigentiis intercludit.

Dæmon non absolute credidit Christum esse Deum.

Itaque errant, qui arbitrantur Dæmonem credidisse Christum reuera fuisse Filium Dei;non enim adeò pessum iuit Angelus ille nequam, vt putarit posse Filium Dei induci ad peccandum. Non tamen eo inficias, diabolum magis inclinasse vt crederet Deum, quàm hominem tantùm: quippe non ausus est pellicere Christum ad peccandum, quin priùs venaretur aliqua argumenta, quibus concluderet esset Christus Deus necne. In ea autem indagine, nota nebulonis huius hostis superbiam, qua elatus non suasione agit, sed imperio, ita quasi imperitans Christo: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Maldonatus opinatur ibi vocem, *Dic*, esse simpliciter intelligendam de dictione, seu simplici oris apertione; quia, inquit, Dei dicere semper suos sortitur effectus. Sed arbitror Maldonatum aberrare à scopo, & vocem, *Dic*, perinde esse, ac iube. Vox enim Hebræa, אֱמֹר *emor*, perinde est ac, iube, licet etiam verti possit aliter ad arbitrium Maldonati. Secundò falsum supponit Maldonatus: nam omne Dei dicere, non est effectiuum rei; multa namque Deus dixit, quæ caruere effectu. Vt quando dixit Moysi se velle pessumdare omnem populum Israël, & cùm dixit Ionæ, se deleturum Niniuem. Vt ergo dicere Dei suos exerat effectus, debet idem esse ac iubere. Idcircò Dauid dicens Deum dixisse & fecisse, statim adiicit, illud dicere perinde fuisse ac iubere. Sic ille præcentor occinit: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Rursus, voces illæ, *Dic vt lapides isti panes fiant*, non sunt tá interpretandæ ex sono literæ, quàm ex ingenio & intento proferentis, scilicet dæmonis. At certum est, superbientem hunc Angelum voluisse dicere, vt Christus iuberet lapides abire in panem: nam hoc magis congruit eius typho, qui vt assurgit, & nihil nisi imperium spirat, voluit in Christo periculum facere suspectæ deitatis, hac suada oratione: *Si Filius Dei es, iube*; nam Deum decet imperare. Hieronymus probè callens vim phrasis Hebrææ, vocem illam, *Dic*, de imperio intellexit. Sic ille: *Esurienti congruè dicitur: Dic vt lapides isti panes fiant: sed duobus contrariis teneris, diabole. Si ad imperium eius possunt lapides panes fieri: ergo frustra tentas eum, qui tanta potentia est. Sin autem non potest facere, frustra Filium Dei suspicaris, dicens: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.*

Dei dicere non est semper practicū.

Dei dicere quando sit practicum.

Psal. 32.

Hieron. in c. 4. Matth.

Dæmonis tentatio de lapidib. mutandis in panem fuit incongrua.

Etsi vafer ille serpens, in omnes se gyros & volulos torquens, conatus sit Christum suis concludere spiris; tota tamen tentatio deforis extitit, nec rationi Christi minimum sensum deuij affectus potuit affingere, appetitu sensitiuo eius nescio pruriginis. Ita Gregorius Theologiâ consciâ. Ecce oraculum: *Tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, & consensu. Et nos, cùm tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato, in nobis ipsis etiam gerimus, vnde certamina toleramus. Deus verò, qui in vtero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris non intus fuit.*

Greg. hom. 16. in Euág.

Tentatio tribus modis animas sollicitat.

Quo autem fine Dominus hæc tentamenta & conatus diaboli pertulerit, antea præfatus sum dicens, ideo tentatum Christum, vt nostras tentationes superaret, & Adami lapsum repararet, restaurato certamine in victorem Angelum, cum iterato conflictu integrè profligando. Vtriusque rationis assertor est Gregorius ita fatus: *Iustum erat vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare.*

Ibidem.

Præterea series tota congressus Christi cum dæmone, cum liquidò Saluatorem prodit, ad hoc ortum in humanis, vt omnes dilueret nexus, quos homini mox edito diabolus intentarat. Ideoque Satanas inscius adimplebat intentum Dei, qui eo nomine factus homo descenderat in arenam, vt hominum tergeret opprobrium, prosternendo dæmonem eadem humanitate, cui superbiens ille Angelus insultarat. Fauet Gregorius ita pergens: *Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum in tribus se tentationibus erexit, quia hunc videlicet gula, vana gloria, & auaritia tentauit; sed tentando superauit, quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe tentauit, cùm cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentauit, cùm diceret: Eritis sicut dij. Et ex prouectu auaritia tentauit, cùm diceret: Scientes bonum, & malum. Auaritia enim non solùm pecunia est, sed etiam altitudinis. Rectè enim auaritia dicitur, cùm suprà modum sublimitas ambitur. Si enim non ad auaritiam, honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de vnigenito filio diceret: Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. In hoc autem diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quo eum ad auaritiam sublimitatis excitauit. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini tentator succubuit. Per gulam quippe tentat, cùm dicit, Dic vt lapides isti panes fiant. Per vanam gloriam tentat, cùm dicit, Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Per sublimitatis auaritiam tentat, cùm regna omnia mundi ostendit, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Sed eisdem modis à secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur, vt à nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat.*

Quare tentatus fuerit Christus.

Greg. vbi suprà.

Tribus olim tentationibus Adam imperitus.

Iisdem tentationibus est pulsus Christus, quibus olim Adam.

Itaque totum cessit ad gloriam Christi, quod dæmon in ruinam hominis antea cogitarat. Non æternùm victori Angelus trophæa erexit de homine, primo conflictu humiliato; namque de ossibus eius, scilicet Adami, vltor exortus est, elidens superbiam dæmonis assurgentis. Nequeo tacitum præterire Ambrosium in eo argumento, cùm ad hunc titulum de SS. Patribus pertineant sententiæ Patrum. Accipe igitur consilium Dei in toto contextu agonum, quos Christus in deserto fortiter exantlauit. Imò recolendo incunabula Christi, disce, quàm sit mysteriorum ferax eius vita. Sic Ambrosius: *Conuenit recordari quemadmodum de paradiso in desertum Adam primus eiectus sit, vt aduertas quemadmodum de deserto ad paradisum Adam secundus reuerterit. Vides enim quemadmodum suis nobis præiudicia resoluantur, & suis diuina beneficia vestigiis reformentur. Ex terra virgine Adam, Christus ex virgine. Ille ad imaginem Dei factus, hic imago Dei. Ille omnibus irrationabilibus, hic omnibus animantibus antelatus. Per mulierem stultitiam,*

Christus abunde reparauit omnia Adami dispendia.

tia, per virginem sapientia. Mors per arborem, vita per crucem. Ille spiritalium nudus, arboreis se texit exuuiis: hic sæcularium nudus, corporis non desiderauit exuuias. In deserto Adam, in deserto Christus. Sciebat enim vbi posset inuenire damnatum, quem ad paradisum resoluto errore reuocaret. Sed quoniam sæcularibus indutus exuuiis redire non poterat, nec paradisi incola potest esse nisi nudus à culpa, exuit veterem hominem, nouum induit: vt quia solui non queunt diuina decreta, persona magis quàm sententia mutaretur. Sed qui in paradiso sine duce iter amisit acceptum, quemadmodum de deserto sine duce iter repetere posset amissum, vbi tentationes plurimæ, nisus ad virtutem difficilis: lapsus facilis ad errorem? &c. Quem igitur apponeret ducem contra tot illecebras sæculi, contra tot versutias diaboli, cùm sciret nobis primò contra carnem, & sanguinem, deinde contra potestates, contra rectores mundi tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus esse luctamen? Angelum apponeret? & ipse lapsus est: legiones Angelorum vix singulis profuerunt. Seraphim dirigeret? & ipsum descendit in terras in medium populi immunda labia habentis, & vnius tantum Prophetæ labia apposito carbone mundauit. Alius dux requirendus fuit, quem sequerentur omnes. Quis tantus esset dux qui prodesset omnibus, nisi ille qui suprà omnes est? Quis me suprà mundum constitueret, nisi qui maior est mundo? Quis tantus esset dux, qui posset masculum & fœminam, Iudæum & Græcum, Barbarum & Scytham, seruum & liberum, vno regere ductu, nisi solus, qui est omnia & in omnibus Christus? Multi enim laquei quacumque progredimur. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur à diabolo, &c. Quomodo igitur hos laqueos euitabimus, vt possimus & nos dicere: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus? Non dicit: Ego contriui laqueum; non ausus est hoc dicere Dauid, sed: Adiutorium nostrum in nomine Domini; vt ostenderet vnde laqueus solueretur, vt prophetaret quòd venturus esset in hanc vitam, qui contereret laqueum fraude diaboli præparatum. Sed non potuit meliùs conteri laqueus, nisi prædam aliquam diabolo demonstrasset, vt dum ille festinaret ad prædam suis laqueis ligaretur, & ego possim dicere; Laqueos parauerunt pedibus meis, & inciderunt in eos. Quæ potuit esse præda nisi corpus? Oportuit igitur hanc fraudem diabolo fieri, vt susciperet corpus Dominus Iesus, & corpus hoc corruptibile, corpus infirmum, vt crucifigeretur ex infirmitate, &c. Dignationis est quòd suscepit corpus meum; dignationis est quod suscepit iniurias meas, suscepit infirmitates meas, quas vtique natura Dei sentire non potuit.

Ambr. l. 4. in Lucam c. 4.

Quare Christus homini datus est ad ducatum in cœlum.

Mundus iste plenus laqueis, quos dissoluit Christus.

Diabolus prudenter à Christo fuit inescatus obiecta ei carne humanitatis.

Christi astu fuit consiliũ cum permisit se tentari.

Demirare consilium Dei in omni contextu actionum Christi reparantis in homine imaginem Dei, quam hostis Angelus hominum osor acerbius turpiter infecerat, Tincto penicillo priores ductus sequens, congruos gratiæ colores induxit, vt homine denuò sic illito forma redux esset, qua nequiter exciderat. Opportunè igitur homini consultum est industriâ Christi, quem idcirco operæpretium est sedulò sequi, & ei iugiter adhærere. Eò pertinet illa parænesis Ambrosij. *Sequamur Christum, iuxta quod scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis, & ipsi soli adhærebis. Cui adhærebo, nisi Christo? sicut Paulus dixit: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Illius igitur de deserto, vt ad paradisum redire possimus, vestigia persequamur. Et videte quibus itinerib. reducamur. Nunc in deserto Christus est, agit hominẽ, instruit, informat, exercet, vngit oleo spirituali, &c. Plenus igitur Iesus Spiritu agitur in desertum: consilio vt diabolum prouocaret; nam si ille certasset, non mihi iste vicisset: mysterio, vt Adam illum de exilio liberaret: exemplo, vt ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere, & tunc magis esse cauendum, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas.* Adiice hanc Augustini sententiam. *Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem, Petra erat Christus: Propterea petra illa, in qua ædificati sumus, prius percussa est ventis, flumine, pluuia: quando Christus à diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit stabilire.* Et alibi. *Ideò tentatus est Christus, ne vincatur à tentatore Christianus.*

Ambr. vbi suprà.

Christi exẽpla sedulo sunt sectanda nobis.

Aug. in Ps. 60.

Christi tentatio fuit hominum victoria.

Idem in Ps. 90.

SENSVS LITERALIS.

Dei mandata, obseruata si uti par est, animam & corpus impinguant.

In hæc verba.

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA.

Ex Ratione.

ADeò strictus est corporis & animæ nexus, vt plerumque in corpus refluant animæ affectus, cuiuscumque indolis sint illi. Verbi gratiâ, iubilus animæ cor aperit, viamque præstat facilem exeundi sanguini qui vapescit: vt secus angustia intercludit anfractus cordis, quod proinde mœrore corroditur, vnde & corpora contabescunt. Inde multi magni nominis auctores credidere, Christum hodie parùm fuisse sollicitum de cibo corporali, quia spirituali cibo vtebatur, quo anima cœlitus impinguatur. Qui enim, verbi gratiâ, orationi intentus est, is Deo affixus flocci facit ea, quæ carnis sunt; tantaque lætitia cor eius perfunditur, vt ille animæ iubilus refluat in corpus, vt de plerisque Sanctis legimus, quibus orare fuit perinde ac pasci. Itaque multis insedit iste sensus literalis: *Non in solo pane viuit homo*; nam si rebus diuinis afficitur, gratia non impinguabit duntaxat animam, sed etiam corpori consulet: etenim Deus corpora non deserit, quorum animas sibi gratia vendicauit.

Animæ affectus etiam corpus afficiunt.

Anima Dei gratiâ impinguata, flocci facit ea quæ corporis sunt.

Illa explicatio, quia magnos auctores habet assertores, defenditur infrà, ne quis eam incongruam credat. Sed reuerà non fuit hoc præcipuum intentum Christi, licet eò etiam potuerit aspicere, laudans illum versum, qui deductus est ex Deuteronomio, vbi Moses ita populum affatus est: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui; vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuis homo, sed in omni*

Gratia Dei quandoque etiam corpora vegetat.

Deut. 8.

omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Sensus igitur maximè literalis textus huius, relati à Christo, desumentis voces illas ex Moysis eloquio, proculdubio ille est, quem Moses his vocibus intellexit. Ille namque spiritus, quo Moyses percitus est, egit etiam Christum referentem illum versum eodem intento, quo Moyses illum primitus vsurpauit. Nimirum concordes fuere sibi Christus & Moses, & spiritus eorum concolor extit. Ergo cùm Moyses non locutus sit de vita spirituali illo loco, sed de vita tantùm corporali, ad quam sustentandam Deus manna dedit Hebræis, vt cibum idoneum corpori saginando; non est Christi intentum præcipuum, vt detorqueatur versus ille ad vitam spiritualem: nam in eo texto legislator egit tantùm de corporali vita, prædicans populo Dei potentiam, quam penuria panis non facit impotentem, vt experti sunt Hebræi in deserto, pasti verbo Dei, id est re, quam Deus iusserat edi, hoc est manna, quod dicitur illic verbum Dei, quia Deus illud præfixerat in annonam. Et profectò Hebræi non fuere enutriti verbo Dei, vt quid vocale sonat, sed realiter consuluere vitæ corporali, comedendo manna, quod quia à Deo concessum est in edulium, ideo dicitur verbum procedens ex ore Dei. Ita vt geminus sensus literalis iste sit etiam à Christo intentus: O dæmon, quid me vexas, insusurrans vt meam leuem inediam pane conquisito miraculis: Non adeò decurtata est Dei potentia vt solo pane queat homo viam propagare: Penes Deum est alere omne hominum genus omni re quam suggesserit, affingendo illi rei facultatem opimam & congruam ad corpora saginandum: Idcirco nequaquam me torqueo ad reperiendum panem, quia quid mihi iusserit Deus vt assumam in pastum, illud mihi erit esca salutaris.

Quomodo non in solo pane viuat homo, & quæ sit genuina explicatio illius versus.

Homo potest refici his omnibus quæ Deus suggesserit.

Esse illum veridicum sensum, patet ex antecedentibus, vnde præcipue colligitur verax sensus reconditus cortice literali. Dixit scriba sacer, Christum esuriisse post ieiunia protracta in quadraginta dies: adiecit Angelum nequam finxisse, se huic inediæ Christi ingemere, ac proinde adstitisse Christo, vt succurreret corpori fatiscenti, suadendo vt panes ex obiecto lapide suscitaret: hanc autem tentationem fuisse superatam à Christo referente textum illum Deuteronomij, vbi agitur de vita corporali Hebræorum, quam Deus olim vegetam manna illapso cœlitus adseruauit. Non ergo Dominus ad rem respondisset, si ad quæstionem de vita corporali transiisset ad vitam spiritualem. Cùm itaque peritus ille hominum doctor congruè responderit ad petita; profectò non prosiliit extra metas, sed stetit in lineis, dicens æmulo tentatori, vitam ipsam corporalem posse refici obediendo Deo, cuius iussio nobis indicta, ope scripturæ, aut suffragio prædicatorum, appositè dicitur, verbum procedens ex ore Dei. Illud namque dicitur os Dei, cuius beneficio arbitrium Dei nobis innotescit.

Verbum Dei quot modis dicatur in Scripturis.

Rursus verbum Dei hoc loco non debere intelligi spiritualiter, vt quid pertinens ad vitam spiritualem, cuius incremento propitium est verbum Dei lectum ex Scriptura, aut auribus exceptum, ab erudito homine prædicatum, collige ex comparatione verbi ad panem. Duo siquidem hæc, panis, & verbum, coëunt, vt res idoneæ ad pascendum. Vnde operæpretium est, explicare verbum Dei, de re indicata cœlitus ad leuandam famem, ne cogamur dicere, Christum declinasse acumen teli intorti, substituendo vitam spiritualem vitæ corporali, quam sartam tectamque fore præfatus est, si Christus lapides in panem illico commutaret, daturus hinc specimen egregium suæ potestatis. Nota præterea, Christum noluisse edere hoc miraculum, quia prodigia fiunt in commodum eorum, quibus innotescunt. Cùm ergo reprobus sit dæmon, ad quid miracula?

SENSVS LITERALIS.

Quidquid à Deo decernitur homini in cibum, illud est congruum hominis alimentum.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex Lingvis.

Colombas Dodonæas fuisse vocales, & edidisse præscia oracula, plurium auctorum est oppignerata fides. Illi æuo haudquaquam inuideo loquaces has columbas: potior nempe mihi columba prostat, in re dubia referens fatidicas voces. Hæc columba est Spiritus Sanctus, cuius oracula sonant in Scriptura sacra, quæ & ipsa valde loquax est, eò quòd linguis expressa pluribus audiatur. Vt ergo suffragio linguarum nanciscamur intentum Christi, affirmantis, hominem non in solo pane viuere, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei; operæpretium est prænotare, voluntatem Dei signo exteriori factam palàm, esse verbum resonans ex ore Dei, verbum inquam, non inane, sed practicum, & viuidum, vtpote viuificans homines conscios huius verbi sacri, vnde voluntatis Dei indubium petitur argumentum. Quàm viuax sit hoc verbum referens voluntatem Dei, Psaltes ait, sic occinens: *Vita in voluntate eius.* Voluntas autem illa Dei, se explicans hominibus, dicitur verbum extrinsecum præcipiens. Quod enim hominibus est dicere, illud Deo est imperare iuxta significationem verbi אמר *amar*, quod significat, loqui, seu dicere, quando vsurpatur de homine. Vbi verò de Deo dicitur, perinde est ac, iubere, vt eo textu luculento patet, vbi Deus dixit pisci, vt euomeret Ionam ויאמר יהוה לדג *vaiomer Iehoua ladag. Et dixit Dominus pisci*, id est imperauit pisci, vt euomeret Ionam. Ab ea radicali fluit vox אמר *amer*, seu אמיר *amir*, quæ significat verbum, seu iussionem. Cùm ergo audis hominem viuere ex verbo, quod procedit de ore Dei, ita intellige, vt sit sensus, ea quæ iubet Deus edi, habere vim viuificandi, vt patet in manna præstito Hebræis. Non enim adeò decurtata est Dei potentia, vt deficiente pane alicubi, non possit aliis escis homini subuenire, vt fecit cùm immisit coturnices facturus satis cupidini carnium, quæ Hebræorum viscera titillabat. Psaltes ita commemorat illud prodigium: *Pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis.*

Columbæ vaticinantes in Dodona *Herodot. l. 2. Strabo lib. 7. Dionysius Halicarn. l. 1. Probus l. 1. Seruius in 1. Eclog. Geor.*

Psal. 29.

Ex lingvis Hebræa. Plerumque verbum, dico, cum de Deo vsurpetur perinde est ac, iubeo.

Psal. 77.

Non

Verbum Dei sumitur pro voluntate eius expressa.

Non ergo in solo pane vegetat homo, sed quicquid suggerit Deus edendum, illud habet vim salutarem, vt videre est in Paulo, & Hilarione, Eremitis, qui caricis, dactylis, & gramine vitam vsque in senium corpore integro propagarunt.

SYRIACA. CHALDÆA.

Syrus interpres voce vtitur æquiuoca בכל מלא *becul mello*. Id est, *in omni verbo*, seu complemento. Vox enim מלא *mello* potest deduci à radicali Syra מלא *mela*, id est, *impleuit*, vel à radice מלל *melal*, id est, *locutum est*. Vtraque notio fauet meo intento, ita vt verbũ exiens de ore Dei, sit sortiens semper suum complementum, ac proinde sit idem quòd iussio, quæ impletur ei præstito obsequio ab eis, ad quos pertingit verbum Dei, ideo interpretabile iuxta radicẽ Syriacam, & Chaldæam מלא *mela*, id est, *impleuit*. Græca Matthæi versio sese veluti obstetricem præstat meo concepui. Sic enim illa dialectus effert versum, quem decurro. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπε· γέγραπται, οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ. Id est. *Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Nota, textum illum Græcum, non dixisse ἐπὶ παντὶ λόγῳ id est, *in omni sermone*; nam, λόγος nihil nisi sermonem, seu rationem significat. Latiùs autem patet ἐπὶ παντὶ ῥήματι, id est, *in omni verbo*: siquidem ῥῆμα significat, verbum, legem, & iussionem. Itaque sensus est, hominem posse viuere cibis aliis à vernaculis, dummodo morem gerat iussioni Dei, cui obedire, nutriri est etiam corporaliter.

Verbum Dei qui significet apud Syros & Chaldæos.

GRÆCA.

Verbũ Dei, & sermo Dei, quomodo differant apud Græcos.

Christus ergo volens refellere susurrum diaboli, sic illusit dæmoni suggerenti: Quid me sollicitas, de deglutiendo pane vt leuem meam inediam? Deo suppetunt alia infinita media, ad corpora sospitanda. Eamobrem illi meam esuriem commendo, nequaquam anxius, quanam ratione mihi impasto consulet; quicquid enim indixerit mihi comedendum, illud erit esca conueniens corpori opportuna. Si alioquin Christus intellexisset verbum Dei spiritualiter, non diabolo respondisset iuxta illius sententiam, quæ erat de vita corporis consono edulio propaganda. Quia tamen plerique Patres hunc textum deflectunt ad vitam spiritualem; excogitanda est via, qua deuenire possimus ad sensum literalem huius versus, eum exponendo de vita spirituali. Nimirum non repugnat eundem locum habere plures sensus literales, dummodo fateamur, in verbis à Christo prolatis fuisse præcipuè vnum sensum literalem ab eo intentum, etsi quandoque ipse rerum Dominus ad plura simul & semel aspexerit. Accipe ergo alium huius versiculi sensum literalem.

Sensus literalis vnus præcipuè intentus est à Christo, quando locutus est.

SENSVS LITERALIS.

Anima sollicita de salute sua, & spiritualibus intenta, non curat ea, quæ pertinent ad corpus.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

CONIECTVRA III.

EX SANCTIS PATRIBVS.

Habitus animæ se produnt in repentinis actionibus.

VVlgatum est Philosophiæ effatum, nos in repentinis agere ex habitu, nempe vnicuique insitum est, indolem sequi, quam nactus est. Iuxta illud axioma Patres Sancti versantes textum, quem appendi ad trutinam rationis, & linguarum, excogitauere sensum congruum suo ingenio. Cùm enim Proceres illi Ecclesiæ procul essent ab omni corporis illecebra, & anhelarent tantùm ad integritatem animæ, credidere voces Christi esse explicandas de vita illa spiritus, quæ eis maximè cordi fuit. Ita vt Christus suadenti dæmoni curam corporis in procurando cibo responderit, hominem non in solo pane viuere, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, id est, animam sollicitam de salute sua, ita attendere rebus spiritualibus vt flocci faciat ea omnia, quæ corporis sunt, quia longè potior est animæ vita, quæ æternùm stare debet; corporis verò integritas labat singulis quibusque motulis. Vnde potuit esse hic sensus Christi compescentis æstus diaboli suadentis edulia: Quid te in gyros versas, ô inique serpens, tuam omnem colligens industriam, vt ingeras cupidinem cibi corporalis; frustra tentas vt conquiram escas corpori morituro: Alio cibo vtor, quo saginatur anima mori nescia: quippe meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei; iugi oratione pascor, vt & omnimoda virtutum praxi, ac proinde frustra vellicas animam, vt studeat corpori saginando: In cassum suggeris terrena homini meditanti cœlestia: Et esto corpus esuriat, illa fames animam non abstrahit à cura rerum cœlestium. Vt quisque affectus est, sic iudicat. Eamobrem Sancti omnes capti studio vitæ æternæ, hunc textum de vita spirituali expenderunt: licet reuera præcipuum intentum Christi fuerit illud, quod antea prælibaui.

Anima sollicita de sua salute flocci pẽdit ea quæ corporis sunt.

Patres Sancti mysticũ sensum secuti sunt potiùs quàm literalem in expositione Scripturarũ.

EX SS. PATRIBVS.

Hieronym. in cap. 4. Matthæi.

Quia etiam Patrum sensus pertinet ad literam, non eum censeo peregrinum, imò & Christum credo secundariò aspexisse ad illum sensum, indicando illam solam esse vitam, qua anima cœlitus impinguatur. Ita Hieronymus: *Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non viuit.* Hieronymus Hilario suppar, & versatus maximè in lucubrationibus eius, ab eo accepit illum sensum, de vita spirituali ambienda magis, & præferenda corporum sospitati. Sic ille: *Fallax diabolus, & ad traducendum artifex callidissimus, posse omnia Christum sciebat, & esuritionem in homine ex ipso ieiunij tempore sentiebat, ignarus quidnam esuriretur. Ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam & in Deo ex demutatione lapidum in panes virtutẽ potestatis agnosceret: & in homine oblectamento cibi patientiam esuritionis illuderet. Sed Dominus, non panem potiùs quàm salutem hominis esuriens, ait: Non in solo pane viuit homo. Quia ipse non solùm homo, sed & Deus, licet vsque in tentationis diem cibo hominis abstineret; Dei tamen spiritu alebatur: ostendens non in pane hoc solitario, sed in verbo Dei alimoniam æternitatis esse sperandam.* Hoc tenore Hilarius arbitratur, Christum dixisse curam corporis esse quidpiam infra hominem, ac proinde præcipua hominum vota eò esse dirigenda, vbi vita nescitura finem semper constabit sibi. Eodem calle incedens Ambrosius in ea sententia est, Christum illusisse diabolo, dicendo vitam corporalem parui pendi ab his, qui toti sunt in animæ alimentis, in quibus potiora sunt illa, quæ Scriptura sacra suppeditat. Ita Ambrosius: *In ipsa tentatione artificem diaboli disce versutiã. Sic tentat, vt exploret: sic explorat, vt tentet. E contra Dominus sic fallit, vt vincat:*

Vita animæ penes quid attendatur.

Hilarius can. 3. in Matthæ.

Ambrosius l. 3. in Lucam cap. 4.

sic adhuc vincit, vt fallat. Nam si conuertisset naturam, proderet creatorem. Medie ergo respondit, dicens: Scriptum est: Quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Vides quo genere vtatur armorum, quo hominem à spiritalis nequitiæ incursione defendat aduersus irritamenta gulæ septum atque munitum? Non enim quasi Deus vtitur potestate, quid enim mihi proderat? sed quasi homo commune sibi accersit auxiliũ, vt diuinæ pabulo lectionis intentus, famem corporis negligat, alimentum verbi cœlestis acquirat. Huic intentus Moyses panem non desiderauit. Huic intentus Elias famem prolixioris non sensit ieiunij. Non enim potest qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cùm substantiam cœlestis panis accipiat. Humanis enim diuina præstare, non dubium est, & corporalibus spiritalia. Et ideò qui vitam desiderat, illum panem expetat, qui per insensibilem substantiam humana corda confirmat.

Dæmonis astutia in homine tentando.

Anima Deo intenta non sentit ea quæ corporis sunt.

Ex præfatis Patribus, dicere hominem viuere præcipuè verbo Dei, perinde est ac dicere diabolo suadenti cupidinem cibi: O Angele procax, frustra iacis rete tuum ante oculos pennatorum: irrito nisu pulsas corpora, quorum mens Deo intenta capit hinc animæ & corporis robur: Desine itaque suggerere corporalia ei, cui in votis est tantùm ad spiritualia iugiter anhelare.

SENSVS LITERALIS.

Vt Christus suspectam faceret suam diuinitatem diabolo, permisit se ab eo realiter adsportari, & variè tentari.

In hæc verba:

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum, &c.

§. IV.

CONIECTVRA PRIMA.

Ex Ratione.

Christo non fuit inglorium portari à dæmone.

Irradians Sol luminis sui aspergine fimum lustrat, nec inde tamen trahit vllum dispendium; ita neque Christus vllum detrimentum passus est, motus à dæmone localiter. Et miror, Maldonatum improbare illam sententiam, & dicere Christum non assumptum à diabolo, sed vltro suis pedibus iuisse eò, quò Satanas impellebat. Nullius sanè momenti sunt rationes Maldonati, quibus respondere, & diluere, perinde est. Ait primò, esse parum vero simile, Christum tantam permisisse potestatem diabolo, vt ab eo portaretur. Respondeo, Christum maiorem concessisse diabolo potestatem, dum permisit se tentari; tentatio enim ex se inducit ad peccandum; assumptio autem, seu corporis translatio, nihil nisi motum localem dicit, quem ideo sustinuit Christus, vt vel sic suspectam magis faceret hosti suam diuinitatem, quam Angelo nequam texit, vt eum armis nostræ infirmitatis elideret. Rursus, quid Maldonatus incongruum subodoratur in hoc locali motu, cùm minus sit Christum portari à diabolo, quàm à ministris diaboli alapa cædi, flagris sauciari, & efferri in crucem, cùm etiam in hac motione dæmon vires suas expertus sit decurtari; etenim non potuit Angelus ille nequam quidquid posse in hoc corpus voluisset: nimirum non valuit vllam corpori Christi iniuriam facere, inde præsentiens aliquod superioris indolis argumentum.

Christus realiter à dæmone adsportatus.

Refellitur Maldonati sententia negãs Christum fuisse portatum à diabolo.

Hæc ratio militat etiam contra Cyprianum, qui præiuit Maldonato. Ita Cyprianus: *A multis ambigitur vtrum fuerit hìc translatio corporalis, & si de loco ad locum se Christus transferri permiserit, eo modo quo Abacbuc de Iudæa in Chaldæã delatus est, & Philippus de Azoto in occursum eunuchi, qui reuertens de Ierusalem non intelligens Isaiam, codicem reuoluebat. Sed quòd corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens, quòd humeris eius Saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit, quem præcipitaturum sciebat, vel ei ferendum se commiserit, cuius insidias agnoscebat.* Hæc ille in eo singularis; nam celeberrimi proceres Ecclesiæ contra Cyprianum sentiunt: nõ enim firmo fundamini incũbit illa Cypriani sententia; ad cuius rationem respondeo, Christum non cunctatum subire humeros Angeli refugæ, qui speciem hominis induerat, nec timuisse dæmonis insidias, quia diabolus hìc non quod volebat, sed quod valebat egit. Parum autem fuit quod valuit, Deo præstituente ei terminos, extra quos nequiit ille transfuga prosilire. Nil itaque potuit remorari Christum, quò minùs intrepidè hostis sui humeris insideret.

Cyprianus serm. de ieiunio, & tentatione.

Dæmon speciem hominis induit, quando tentauit Christum.

Denuo insurgit Maldonatus, dicens, diabolum adorientem Christum noluisse haberi pro diabolo tentatore, sed pro consultore opportuno, & hoc esse ingenium tentatoris, vt specie sua ementita alium simulet, quàm sit, ideoque diabolum non raptasse Christum per aëra, ne sic Christus agnosceret tentatorem esse, & non hominem, cuius habitum assumpserat. Instantia hæc leuioris est armaturæ: nam dæmonis intentum omnino non fuit, vt se alium mentiretur; imò explicitè se diabolum professus est, quando ostendit Christo de apice montis ardui omnia regna mundi, dicens ea sibi omnia tradita, & se dare illa ad arbitrium suum, & se ea daturum Christo, si ad tentatoris genua procumberet. Diaboli mens tota fuit, vt exploraret primò an Christus esset Deus, & secundò, vt eum pelliceret ad peccandum, ideoque à scopo aberrat Maldonatus affirmans, tentatorem non portasse Christum, ne sic diabolus appareret. Nempe Abachuc à Iudæa in Chaldæam per aëra raptatus est, vt & Philippus in Azoto in occursum Eunuchi, quem tinxit salutaribus aquis, nec ideo tamen vllus eorum credidit se à dæmone deportatum. Verax ergo sensus historiæ est, Christum realiter à diabolo assumptum supra pinnaculum templi, & inde in montem excelsum, vt experiretur in Christum sua omnia tentamenta. Si namque pedes iisset Christus in Hierusalem, & ascendisset supra pinnaculum templi, & inde descendens se contulisset in illum montem excelsum, vnde ostendit ei regna mundi, profectò aliquot dies præteriissent, quos egisset Christus esuriens & impastus, contra tamen seriem historiæ, quæ liquidò significat Christum ieiunasse duntaxat quadraginta dies, post quos esurijt, & consum-

Rursus alia ratio Maldonati refellitur.

Dæmon noluit celare Christo se diabolum esse.

Quare Christus nõ pedes iuit in Hierusalem sed à diabolo portatus est.

mata tentatione, ieiunium soluit obsequio Angelorum, qui eodem die victori cibum congruum obtulerunt.

Christus portatus per aëra à nemine fuit visus, & quare.

Nota, Christum à dæmone portatum per aëra à nemine visum fuisse, ne daret ansam Iudæis suspicandi Christum esse hominem veneficum, & magicis artibus assuetum. Fuisse autem Christum inuisibilem ad arbitrium suum, patet pluribus exemplis, vt cùm voluere Iudæi Christum dare præcipitem ex monte sito iuxta Nazareth, & cùm cum lapidare voluerunt Iudæi, dicentem, se fuisse ante Abraham. Quis autem fuerit ordo tentationis, facilè est ex contextu colligere, vnde liquet maxima dæmonis industria. Scilicet duo hic intendebat Angelus ille nequam. Primum erat, explorare an Christus esset Deus. Alterum erat, eum inducere ad peccandum. Duæ primæ tentationes, ita aptatæ sunt, vt dæmon inquirendo deitatem, illuderet humanitati. Etenim dum suggessit dæmon lapides in panem verti, cupiit Deum prodi, edito insigni prodigio; & hominem esurientem ad gulam cibo congruo prouocare. Neutri voto diaboli annuit Christus, Deum tegens, & hominem explicans nulla gulæ cupidine fractum. Destitit itaque dæmon adiicere secundum impetum in gratiam ventris, desperans posse hominem hunc pellici ad gulæ cupedias. Quia tamen dubius adhuc erat, esset Christus filius Dei necne, rursus subtili indagine tentat, an deuenire queat in illam notitiam, aliamque illi examini assuit tentationem, vt vel sic etiam peccato obnoxium efficiat. Nimirum fingit se credere Christum esse filium Dei, & vrget vt mittat se deorsum; fore namque Angelos præstò, qui suum penderent obsequium misso per aëra. Dæmonis hoc fuit in votis, extorquere aliquod miraculum in abditæ deitatis argumentum, & simul ab eo elicere sensum gloriosæ inanis, aucupando auram popularem, spectante populo volitando. Cassa fuit illa tentatio, vanitatem ingerens, idcirco suas omnes vires collegit callidus hostis, vt Christo imponeret. Itaque denuò Christum raptat, & per aëra traiicit in montem excelsum, vnde plagas mundi indigitans, compendiosè disseruit de præcipuis regnis, eorum gloriam & prædiuites gazas pollicitus, si adoraret flexo poplite tentatorem. Fuit illa bicornis tentatio, vtpote suadens desiderium regni, & prætendens opes, vt malè suadâ auaritiâ Christus opibus inhiaret.

Luc. 4.
Ioan. 8.

Qualis ordo fuerit tentationum Christi.

Dæmonis astutia in tentatione Christi.

Dæmõ quare voluerit à Christo lapides mutari in panem.

Esto maleficus Angelus excidisset votis in duabus aliis tentationibus, potiorem suam machinam explosit, inclinante conflictu, vt Christo maiorem vim inferret. Namque libido regnandi, & inexhausta sitis opum, valida sunt ad perdendos homines argumenta. Illa duo tentamenta tulit æquo animo Christus, vt plenè frangeret hostem, & præcipuè passus est sibi suggeri idololatriæ susurrum, ne sancti homines desperarent, quando dictat hæc impia susurrator. Nota obiter, simiam semper esse simiam, & dæmonem semper esse mendacem, & turpiter mentitum, quando dixit esse sibi tradita omnia regna mundi, & ea distribuere ad arbitrium suum: hoc namque vires superat diaboli, & hoc præstat populis explicari, ne sub spe iniqui dominij diabolis obsequantur. Non posse ad libitum suum dæmonem aliquos euehere ad regnum, Scripturæ probant, & ratio. Prior occurrit Paulus ita fatus: *Non est potestas nisi à Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Temeraria igitur est illa dæmonis assertio, de traditis sibi regnis. Rursus cùm Nabuchodonosor in fastum nimis assurgeret, & esset Deo iniurius, volens adorari, quasi Deo inscio rerum potiretur; Daniel typhum eius sic depressit: *Fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.*

Diabolus nequit ad libitum distribuere regna mundi.

Rom. 13.

Daniel. 4.

Dices, regna iustè acquisita Deo moderante distribui; sed alia iniustè vsurpata, esse de diaboli iure, & ab eo reprobis impertiri, iuxta illud Oseæ: *Regnauerunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui.* Respondeo, nullum planè regnum esse Deo inuito, cùm non sit potestas nisi à Deo, vt præfatus est Paulus; illud tamen inesse discrimē inter principatus bonorum & malorum, quòd regimen bonorum est à Deo totaliter, qui congruis mediis eos infulis illustrauit; de reprobis verò longè dispar est ratio: nam à Deo quidem instituuntur Principes, cùm nulla planè sit potestas, nisi à Deo; non tamen absolutè placet eorum nequitia, sed eorum regimen Deus instituit, inquantum est pœna castigans impios, & corripiens bonos, quos Deus hoc flagello statuit emendare. Vnde Vates ait: *Regnauerunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui.* Id est, medium illud, quo in rerum summam deuenere, non fuit ex me, vtpote iniquum: quia per tyrannidem, fraudes, & periuria, culmen adepti sunt: principatus verò fuit ex me, quo inscio nemo regnat, per me enim Reges regnant, Principes imperant, & potentes decernūt iustitiam. Quod verò subiicitur: *Principes extiterunt, & non cognoui.* Hoc debet intelligi de cognitione approbationis, qua Deus ea tantùm dicitur agnoscere, quæ approbat. Deum esse auctorem principatus hominum impiorum. Iob liquidò aperit hoc contextu: *Facit regnare hominem hypocritam, propter peccata populi.* Et hoc confirmatur historia Phocæ Imperatoris, qui vsurpato Imperio internecione deleuit familiam Mauritij Imperatoris Principis Deo accepti, quod cùm molestè ferret sanctus Eremita, & ideo querula voce sciscitaretur à Deo, quare hunc hominem nequissimū in solium probi Principis euexisset: Deus ait se inaugurasse Phocā, quia erat scelestissimus, vt eo tortore mūdus lueret pœnas vitæ retroactæ.

Oseæ 8.

Principes omnes Deo auctore instituuntur.

Principes mali quomodo regnent Deo inconsulto.

Iob. 34.

Phocas quare Imperator fuit.

Ratione etiam arguitur mendacij dæmon: nam si daret omnia regna mundi, ea concederet impiis, vt omnia susque dèque versa pessum irent. Sed quotidiano experimento liquet viros probos vbique terrarū regnasse, & hodie adhuc regnare. Perperam igitur ille susurro iactat se dare regna ad arbitrium suum, & hoc velim passim inculcari à præconibus verbi Dei, ne delusi homines se diris deuoueant, illecti spe regnandi. Etenim operæpretium est, scire dæmonem non posse erogare gazas Deo inuito, alioquin magna profusione auri & argenti mercaretur animas cupidas auri. Quod siquando pollicitur opes, dementat homines, nec potest stare pollicitis. Talibus technis voluit illudere Christo peritus ille dolorum artifex, petens adorari in præmium regni postea concedendi. Ad sonitum huius blasphemiæ, Christus excandescens ait: *Vade Satana.* Hactenus nihil asperè Christus emiserat in propria causa, sollicitatus ad gulam, & ad vanitatem. Sed vbi actum est de gloria Dei, quam vsurpare voluit ille tenebrio; statim Dominus illum compescuit: & suboderor in illa voce aliquod pœnæ incrementum, in

Ex historia Imperiali in vita Phocæ.

Mali regnāt in pœnam aliorum.

Dæmon nequit opes erogare malis ad arbitrium suum.

Quid significat Christus hac voce: Vade retro Satana.

Dæmon à Christo amandatus in infernum.

in mulctam insaniæ ita vt, *Vade Satana*, perinde sit ac vade & demergere in præceps, passurus augmentum pœnæ, cui te ob noxium fecit illa blasphemia detestanda. Habeo meæ sententiæ vadem Hieronymum ita fatum: *Non, vt plerique putant, eadem Satanas, & Apostolus Petrus sententiâ condemnantur. Petro enim dicitur: Vade retro me, Satana, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ; hic verò audit: Vade Satana, & non ei dicitur, retro me, vt subaudiatur: vade in ignem æternum, qui præparatus est tibi, & Angelis tuis.* Et quia plerumque Deus exaudit vota piorum hominum, dæmon malè mulctatus non ideo agnouit Christum esse verè Deum, licet dirè ab eo exceptus sit, Deo arcanum diabolis occultante.

SENSVS LITERALIS.

Dæmon experturus quid in Christum posset viâ tentationis, illum realiter in aëra raptauit.

In hæc verba.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex Lingvis.

Christus reuera in sublime portatus à diabolo contra Maldonatũ.

Plerumque pueruli illecti splendore candelæ illucentis, dum eam attrectare volunt, suo dispendio discunt, non esse salutare apprehendere ignem. Suo discrimine hoc expertus est Satan, qui aduertens in Christo gratiam aliis omnibus eminentem, eò prorupit audaciæ, vt Christum tolleret in sublime, facturus periculum an posset pati fucos. Fuit namque dæmonis impulsus realiter assumentis Christum, illa collocatio super pinnaculum templi, quidquid neget Maldonatus. Omnium linguarum concolor auctoritas mihi suffragatur. Ecce Matthæi textum à Tilio Episcopo factum publici iuris

Ex lingvis.

העלהו השטן לעיר *benghelehu hasatan langhir.* Id est. *Assumpsit eum Satan in ciuitatem.* Nota, vocem העלהו *benghelehu* esse coniugationis hiphil, à verbo עלה *nghala*, id est, *ascendit*. Vnde colligere est contra Maldonatum, Christum non suapte industria ascendisse in pinnaculum templi, gradibus inibi dispositis, hoc nempe ridiculum est, Christum ex deserto

Hebræa.

traiecisse vrbem Ierusalem, & peditem ascendisse in culmen templi, vt illic à dæmone audiret susurrum de præcipitio subeundo. Est enim apud Hebræos illa verborum notio, vt prima coniugatio, *Kal*, significet rẽ simpliciter vt est, & tertia, *hiphil*, dicat impulsum, seu motionem ab extrinseco agẽte. Ergo cùm vox, העלהו *benghelehu*, sit tertia personæ præteriti, *hiphil*; peritus quisque hac in lingua damnabit Maldonatum, vtpote nescium, vocem Hebræam dicere Christum fuisse valida motione raptatum à Satana supra pinnaculum templi, vt inde facilis esset ansa decidendi. Rursus Latinus interpres, qui dixerat *Assumpsit eum diabolus*; adiecit: *Et statuit eum suprà pinnaculum templi.* Non ergo Christus ipse se statuit, sed illic repertus est diabolo deforis impulsore. Fauet ad-

Christus non ascendit pedes in pinnaculum templi, sed illuc à dæmone raptus est.

huc textus Hebræus, vsus iterum coniugatione, *hiphil*, quam præfatus sum dicere impulsionẽ ab agente extrinseco ויעמידהו על פנת ההיכל *vaianhamidehu nghal penath hahecal. Et fecit eum stare supra pinnam templi.* Vox ויעמידהו *vaianghamidehu*, non est coniugationis simplicis, seu leuis *Kal*, sed eius quæ impulsionem ab alio significat, à radice עמד *nghamad*, *stetit*. Cùm itaque Hebræa clament, Christum localiter à dæmone motum, gratis excogitat Maldonatus, Christum pedibus iuisse & in Ierusalem, & in montem excelsum ductore diabolo, quia Lucas non vtitur verbo, *assumere*, vt Matthæus; sed vsurpat istam vocem, ἤγαγεν, id est, *duxit*, vnde arguit, diabolo ductore Dominum gressus suos sponte & vltro direxisse eò quò ducebat impius susurrator.

Dicere Christum iuisse pedibus super pinnaculum templi est Christo iniuriosum.

Profectò iniuria est Christo illa explicatio, quia supponit aliquid indecorum, scilicet Christum obediuisse in aliquo dæmoni susurranti; & se habuisse positiuè ad obsequium ducatus Angeli, cui hoc insidebat hoc ducatu, vt illum pelliceret ad peccandum. At cùm diabolus assumpsit Christum, ille nullo actu positiuo aut motione spontanea diabolo obediuit, sed habuit se merè passiuè, non obstans quin Angelus ipsum veheret in sublime. Quod autem Maldonatus obiicit, Lucam vti voce, ἤγαγεν, id est, *duxit*; non est contrarium Matthæo sic narranti. Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ. Id est. *Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit ipsum super pinnaculum templi.* Nullum sanè prostat verbum in tota serie dictionum Græcarum, quod liquidiùs possit explicari mea sententia: nimirum vox, παραλαμβάνει, perinde est ac, *assumit, amplectitur.* Et nota, Euangelistam vsum tempore præsenti, & non præterito, vt sic innueret, totam illam historiam fuisse citissimè gestam, ita vt morula breui consumpta fuerit illa tentatio. Fauet Lucas ita fatus: *Duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* At si pedibus iuisset Christus à deserto in sanctam ciuitatem, & inde in montem excelsum, rei gestæ series protracta fuisset ad dies aliquot, cùm tamen eodem die Christus soluerit ieiunium: non enim ieiunus extitit vltra quadraginta dies, vt sic concordes essent veritas & figuræ, & faceret Moysem & Eliam ieiunasse in figuram huius ieiunij. Quod autem Lucas ait ductum, hoc notat Christum non inuitum, & coactè assumptum à diabolo, pernice motu traiiciente Christum eò quò libuit.

Græca.

Luc. 4.

Christus quare dicatur ductus à diabolo cùm fuerit raptus.

Syrus interpres luculenter hanc controuersiam dirimit, hoc tenore הידין דברה אכלקרצא *hoiden debareh aclcKarso. Tunc transtulit eum accusator.* Vox דבר *debar*, apud Syros & Chaldæos perinde est, ac raptare, aut transferre, & hinc deducta vox Syra, & Chaldæa דברתא *debartho*, id est, captura, seu præda. Itaque principes linguæ applaudunt canonico textui Matthæi, vbi Christus dicitur assumptus, id est, ope Dæmonis in sublime vectus, vt Hieronymus intellegit, ita commentatus: *Assumptio ista, quæ dicitur, non ex imbecillitate Domini venit, sed de inimici superbia, qui voluntatẽ Saluatoris necessitatem putat.* Sic igitur puta Christũ adsportatum à diabolo, vt nihil coactè pertulerit: nihil namq; in Dominũ potuit spiritus hic nebulo, nisi quod idẽ Dominus vltrò permisit. Adijce, Christum hanc sui assumptionẽ permisisse diabolo, vt sua omnia spicula ille hostis in

Syriaca. Chaldæa.

Ex SS. Patribvs. *Hieronym. in cap. 4. Matth.*

Christus quare permiserit se rapi per aëra à diabolo.

in Dominum intorqueret: alioquin dæmon non plenè fuisset profligatus, si elusa tentatione de gula, non habuisset vnde præcipitium suasisset, sub spe suffragij Angelorum; & si non habuisset copiam euehendi Christum in montem, vnde potuisset obiicere omnes mundi plagas, vt sic vndique experiretur vires suas. Ne ergo callidus hostis causaretur, Christum agere potestate Dei, & non infirmitate humana adiuta diuina gratia, permisit Deus Christum à dæmone transportari. Et quamuis prima fronte cunctetur animus assentiri, & suspicetur quidpiam inglorium Christo, si dicamus eum à diabolo localiter assumptum; illa Christi patientia nihil detrahit gloriæ eius, sed magis virtutem eius prodit, quia tantùm dumtaxat valuit hostis, quantùm voluit Christus, qui amoris hominum ergò acerbiora tulit ab hominibus, quàm fuerit passus à diabolo, iuxta illam Gregorij sententiam.[1] *Cùm dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam ciuitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expauescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo, & alia facta pensamus. Certè iniquorum omnium caput est diabolus, & huius capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra Iudæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro, quòd tentari voluit qui venerat occidi.*

Christus grauiora passus est ab hominibus, quàm à diabolo.

Gregor. hom. 16. in Euangelia.

Non est igitur vnde animus refuga detrahat fidem Euangelio, & Sanctis Patribus, vt magis auscultet Maldonato, cùm potioris longè sint auctoritatis Hieronymus & Gregorius, mihi suo calculo suffragantes. Adiice & præfatis Auctorem operis imperfecti, quem Doctor Angelicus Thomas laudat nomine Chrysostomi. Ille liquidò ait, Christum à diabolo assumptum seu ductum, nec vllam subodoratur factam fuisse iniuriam Christo, cùm nihil eo inuito potuerit diabolus intentare. Sic ille. *Quando audis dicentem, ductus à diabolo, nihil cogites de potentia diaboli, quia potuit ducere Christum: sed de patientia Christi mirare, quia sustinuit vt à diabolo duceretur. Ergo insequente Domino, non infirmitas, sed patientia est. Inducente autem diabolo, non virtus sed superbia est: quia volentem Christum non intelligens quasi inuitum ducebat. Ille ductus est, vt nos voluntatem diaboli non sequamur. Et statuit eum supra pinnaculum templi. Sed fortè cogitamus: Quomodo in corpore constitutum, omnibus videntibus statuit illum super templum? Si potentiam Christi cõsideramus, intelligibilia inueniuntur omnia. Forsitan enim diabolus quantùm ad se sic eum assumebat, vt ab omnibus videretur: ipse autem nesciente diabolo inuisibiliter sic agebat, vt à nemine videretur; sicut de eo scriptum est: Ipse autem transiit per medium eorum, & abiit sic. Si enim Abacuc homo constitutus à nullo est visus quando ab Angelo per crinem capitis portabatur de Iudæa in Babylonem; quantò magis est credibilius de Christo non fuisse visum, cùm volens à diabolo assumeretur?* Hæc ille magni nominis auctor, occurrens instantiæ, quam quis posset opponere dicens Christum potuisse à Iudæis videri raptum per aëra, & sic contrahere suspicionem hominis rem habentis cum dæmone.

Auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 5.

Christo non fuit inglorium potestati à diabolo.

SENSVS LITERALIS.

Omnes diaboli technæ eò vergunt, vt homines à Dei cultu auertat, & dementatos agat præcipites in ruinam.

In hæc verba:

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

CONIECTVRA III.

Ex Sanctis Patribus.

Familiare fuit Romanis congressuris cum exercitu inimico, procursare in hostem velitari certamine, antequam vtrimque concurrerent acies explicatæ. Fuit namque rei militaris industria, velitando hostem lacessere, vt illis præludiis se milites accingerent ad victoriam aucupandam. Expeditus hominum hostis dæmon habet suas prolusiones, cùm vult animas aggredi: etenim non aperto Marte sua signa pangit, sed quasi per cuniculos homines adoritur, ne si palàm occurrat, caueantur insidiæ hostis compositi in mille nocendi artes. Procursator ille velitaris prælia sita auspicatur à spiculis infirmis, quæ leuior armatura potest retundere, vt sic anima incauta sibi applaudens de faustis auspiciis, ad fortiora certamina pereat imparata. Primò explorat callidus hic susurro, vnde queat sibi viam facere ad præcordia animæ, cuius aditum tentat, vt reseratis animæ claustris, eam præcipitem agat. Ita adorsus est Christum: nimirum deprehendit eum esurire; idcirco ratus famem esse congruum rudimentum gulæ suggerendæ, lapides obtulit, deposcens eos verti in panes, vt sic periculum faceret abditæ deitatis, cuius argumenta venabatur hic tentator. Ea inuestigatione prælusit dæmon, vt scitè aduertit Ambrosius hoc contextu: *Quid sibi vult talis sermonis exorsus: Si filius Dei es, nisi quia cognouerat, Dei filium esse venturum, sed venisse per hanc corporis infirmitatem non putabat? Aliud explorantis, aliud tentantis est, & Deo se profitetur credere, & homini conatur illudere. Sed vide arma Christi, quibus tibi non sibi vicit. Nam qui maiestate sua lapides in panem posse conuerti, natura alterius transfusione monstrauit, docet nihil tibi pro diaboli arbitrio nec declaranda virtutis contemplatione faciendum.*

Dæmon non aperto Marte sed clam homines impetit.

Ex Patribus. Ambros. l. 4. in Luc. cap. 4.

Fractus hostis in illa prolusione certaminis, cui gula initium fecit, se accingit ad grauiores ictus totis nisibus intorquere. Quippe vt vidit Christum esse inuium cupidini gulæ, à qua etiam plerique Sancti se præstitere immunes; eum sollicitat de inani gloria, quæ est aura perflans præalta bonarum mentium cacumina. Suggerit, vt in specimen suæ cum Deo Patre affinitatis, mittat se deorsum; affore namque Angelos præstò qui suum pendent obsequium, ne impingat in offendiculũ. Eo fine astutus ille hominum osor Christum in sublime vexit, scilicet in pinnaculum templi vt in locum congruum præcipitio, quod suggessit Angelus ille susurrator. Accipe Ambrosium luculenter decurrentem istum locũ. Sic ille: *Hæc quidẽ est instantia, vt dũ se putat vnusquisque ad altiora cons*

Gloriæ inanis tentatio quàm periculosa.

Ibidem.

conscendere, sublimium vsurpatione factorum ad inferiora trudatur. Et dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Verè diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quàm suadere vt vnusquisque se mittat deorsum? Disce ergo & tu diabolum vincere. Agit te spiritus, sequere spiritum. Non te reuocet carnis illecebra, spiritu plenus disce contemnere voluptates, &c. Simul infirmitatem suam diabolus malitiamque designat: quia neminem potest mittere deorsum, nisi ipse se miserit. Nam qui relictis cœlestibus eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit.

Gloria inanis hominem attollit vt deprimat.

Dæmonis suasiones ad præcipitium vergunt.

Pessimè arguebat dæmon inquirens argumenta diuinitatis, quando suasit præcipitium; Dei namque non est cadere, sed labentes erigere, vt benè aduertit Chrysostomus, ita fatus: *Dæmonum est seipsos iacere deorsum; Dei verò homines erigere iacentes. Nam si potentiam oporteret ostendi, non semetipsum temerè proiiciendo ac præcipitando ostenderet, sed alios profectò saluando. Cæterùm seipsum in præcipitia ac prærupta proiicere, diabolicæ est cateruæ. Quoties enim istud aliqui faciunt, consilio nimirum seductoris agitantur. Neque verò mireris, si diabolus Christo loquens sæpe huc illucque vertatur. Nam vt prœliantes solent, cũ acceperint lethales plagas, multo vtique sanguine persluentes, tenebrasque patientes, moribunda circumferre membra: ita hic quoque prima statim ac secunda sauciatus plaga, & vertigine correptus, in alia atq; alia verba deuoluitur, & tamen hic quoque tertium certamen ingreditur. & ducens illũ in montem excelsum valde, ostendit ei omnia regna mundi, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: tunc dicit ei: Vade retro Satana; scriptum est enim: Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies. Quia enim iam in Patrem ipsum nequissimus ille peccauerat, omnia quæ illius sunt sua esse dicendo, ac plenè se Deum studeret profiteri, quasi cunctorum esset creator: tunc iam eum vtique corripit.*

Chrysost. hom. 13. in Matthæum.

Deus iacentes erigit, & dæmon stantibus suggerit, vt cadant.

Dæmonis artes vt dementet homines.

Vide quibus exordiis dæmon homini summam criminum ingerat: à carne incipit, eam titillando, deinde pestilentis auræ afflatũ mittit, de inani gloria sollicitans animam mox casuram, si auscultet. Demum, nequid illibatum homini desit, pollicetur opes, vt eis homo litet, dato stipendio animæ suæ diabolo mancipatæ. Hoc triplici funiculo restem texuit hostis, vt Christum sui iuris efficeret. Et profectò hodie rari sunt, qui has insidias permeant illibati. Illo ternario concludi malorum omnium compendium, ait Chrysostomus hoc tenore. *Quomodo Lucas ait, quòd omnem tentationem consummauerit? Mihi quidem videtur is qui præcipua capita tentationum enumerauit, omnia dixisse, vt ea quoque omnia pariter intelligas, quæ sub istis quasi principalibus continentur. Hæc enim sunt quæ in se mala innumera comprehendunt, seruire ventri, inanis appetitu gloriæ quippiam facere, ac furiosè pecuniarum amore superari. Quod vtique etiam sceleratus iste cognoscens, quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem postremo loco posuit, ante iam quidem, & prorsus ab initio certaminis idipsum meditatione parturiens: extremum verò illud reseruans, quasi quod omnibus valentius esse indicaret. Hic quippe mos deceptionis eius est, vt quæ magis ad supplantandum idonea esse credit, hæc adhibeat extrema.*

Chrysost. vbi supra.

Auaritiæ tentatio potentissima.

Quia ad arbitrium diaboli cesserunt hæc tria tentamenta; quibus maximam hominum partem pessum dedit, eisdem etiam armis in Christum ausus est, & vltro se Dominus obiecit vt animæquiores essent homines hisce tribus spiculis impetiti. Hanc nequissimi spiritus insaniam increpat eleganter Cyprianus, sic inuectus: *O execrabilis diaboli malitia! ò stulta nequitia, & insensata versutia! ò præsumptio excæcata! Putabat malignus, quem gula non vicerat, vanâ gloriâ superari. Experiẽtia quippe rerum didicerat, & in multis probauerat, vitiorum victores sæpe nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquumque esse virtutibus malum adulationem, nec facile quemquam posse euadere, quin libenter assentatorum canticis porrigat aures, & laudatorum modulationibus delectetur. Et sicut rarus est, aut nullus qui de se mala dici æquanimiter ferat; ita rarus est, qui non benè de se velit sentiri, & se, si rectè viuit, stantem in vitæ rectitudine non diligat æstimari. Quòd si opera virtutum foras exierint, rarus est qui hominum iudicia conspuat, & laudes humanas contemnat. Hoc generale malum in humano genere Satan putabat, ex præcedentis occasione victoriæ suggerere Saluatori, vt popularibus laudibus vellet attolli, & facere sibi nomen magnorum qui sunt in terra, si geminato miraculo ieiuniorum constantia innotesceret populo, & vectoribus Angelis sine offendiculo sustentatus, se filium Dei tam potenti abstinentia, quàm Angelorum obedientia comprobaret. Huiusmodi consiliis filios hominũ Satan corrumpere consueuerat, & robustis virilibusque animis etiam huiusmodi cogitatus immittit, & si ab ingressu mentis arceatur, renitente consensu; aliquid tamen de spurcitia sua euomens, ibi abominationum horrore nauseare compellit. Sic, vt aliquid poëticum inseram, temulentus Cyclops, illiciti coniugij appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Ericthonium fundit, & incorrupta Minerua, superest tamen deforme monstrum, nec omnino affectata scelera in memoria moriuntur.*

Cyprianus ser. de ieiunio, & tentatione.

Vanitatis tentatio sese subtiliter insinuat.

Erichtonij ortus in gremio Palladis incorruptæ quid significet.

Semel & iterum victus hostis, extrema tentat, & præcipuum arietem librat, vt eum validè in Christum pulset. Nempe speciem excelsæ potestatis ingerit Christo, & pessimus ille nundinator mercari vult animam Christi, exigens ab eo adorationem, vt sic fiat compos summæ omnium bonorum mundi. Sic Cyprianus: *Alia explorator malignus argumenta conatur adducere, & ad summam cumulumque nequitiæ suæ, continentem & humilem oblata aggreditur potestate, & ostensa mundi huius sublimitate, & gloria, quasi indignum sit tantæ auctoritatis doctorem, & insigniũ operum patratorem, ignobili & contemptibili schemate obumbrari, & dominatione vniuersorum vsque animum dignum honore solicitat, & daturum se omnia pollicetur, si & pro tanto munere gratias agat, & procidens adoret tanti culminis largitorem.* Stomachũ mouit Cypriano susurronis illa impia suggestio, ideoque in illam animaduertit increpitans hanc censura: *Insanissime Satan, qua fronte, qua lingua ausus es dicere Saluatori, vt ante te, qui stat inflexibilis & immobilis, caderet: vt te damnatum, ipse qui te damnauerat, adoraret? Quis ausus, quàm impudens hæc fuit præsumptio, quid desperate sperasti, an filium Dei putabas tecum posse apostatam fieri?*

Cyprianus vbi supra.

Cupido honorum proxima est idololatriæ.

Cyprianus vbi supra.

Fusè

Elidendum est statim tentationis caput.

Fusè spatiati sunt Patres in eo argumento, vt detecta nequitia diaboli, qua fieri potest solertia vnusquisque eam caueat, ne si serpens ille astutus insinuet caput suum, statim totum corpus suum intromittat, & suis spiris inuoluat animam, illam pelliciendo ad lapsum, multiplici rerum humanarum vinculo præpeditam.

SENSVS LITERALIS.

Scriptura sacra idonea est panoplia, ad omnia dæmonum spicula retundenda.

In hæc verba:

Vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

§. V.

CONIECTVRA PRIMA

Ex S. Patribvs.

Scriptura sacra fuit armatura.

VBi Saül accepit Dauidem velle suum caput obiicere discrimini, & experiri quantum posset in Goliath. Prouidus ille Rex metuens saluti militis inexperti, quid valeret æmulus gigantea mole & lacertorum robore præstantissimus; iussit afferri arma sua regia, vt illis Dauidem instrueret. Eâ suis athletis industriâ Christus cauit: quippe ostendit eis, vnde petenda esset omnis armatura fortium, adhibendo Scripturæ sacræ clypeum, ad omnia diaboli spicula refellenda. Nimirum contra susurrum gulæ adhibuit textum Deuteronomij: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Dæmoni rursus suadenti præcipitium, sub spe instantis obsequij Angelorum, obiicit alium versum eiusdem Deuteronomij: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Denique infrendens acerbus hominum hostis, exigere volens singularem cultum à Christo, in stipendium infularum, quibus se eum inaugurare finxit, à Domino confixus est alio telo, ex eadem pharetra Deuteronomij sumpto. En iaculum: *Vade Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quare autem eximius ille palæstrita è solo Deuteronomio cuderit sibi arma, suspicor hanc esse rationem congruam intento Christi, scilicet vt fideles Christiani rescirent esse sibi paranda arma ex secunda lege. Nam Deuteronomium vox Græca est, perinde sonans, ac Δέυτερ©-νόμ©, id est, *secunda lex.* Cùm ergo Euangelica lex sit secunda lata in gratiam hominum, lex illa instructissima est officina ad omnimodum armorum vsum.

Deut. 8.

Deut. 6.

Deut. 6.

Christus quare frequentes textus assumpserit ex Deuteronomio contra tentationes diaboli.

Dæmon qua industria præoccupet intellectum, & voluntatē.

Christus suis armis induit fideles Christianos, ostendens suo exemplo, quàm potens sit Scripturæ sacræ suffragium ad eludendas dæmonum technas; quippe illæ omnes solutæ sunt, vt insonuere versus codicis sacri à Christo Domino recensiti. Horum excellentia armorum petitur à modo, quo diabolus homini insultat. Is nempe bifurca tentatione animas adoritur, impetens intellectum & voluntatem, principes animæ potentias. Hoc namque ei primò insedit, extinguere lumen illud, quo irradiante malum nequit inducere speciem ementitam boni, & sic facere fucos homini. Etenim scit ille astutus insidiarum artifex, malum, si se prodit sicuti est, nauseam ingerere magis quàm cupidinem sui, vnde hoc maximè satagit, vt deliret homo, nimium credulus suasori, dum suggerit sensuum illecebras conducere ad beatam hominum sortem. Dementato intellectu, facili negotio voluntas inflectitur ad obsequium rei præostensæ, sub ratione boni. Etenim non pertinet ad illam cæcam animæ facultatem, explorare indolem obiecti; sed de ratione eius est assentiri bono, cuius indolem ei obtulit intellectus. His dæmonum insidiis abundè occurrit Scriptura sacra: siquidē illa diluit omnē errorum caliginem, quæ se animæ offudit, iuxta hæc Dauidis eloquia: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Vtque lux comes indiuidua caloris est, quem sibi adsciscit; Scriptura sacra affulgens homini, accendit in eo amorem rerum cœlestium, facitque hominem inuium terrenis affectibus, vt expertus est Psaltes sic occinens: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Benè itaque Deus homini consuluit, dans ei ad manum Codicem sacrum, vt eius obsequio retunderet tela dæmonis insurgentis.

Scripturæ sacræ obsequio potest homo resistere diabolo.

Psal. 18.

Psal. 118.

Ex SS. Patribvs.

Hieronym. in c. 4. Matth.

Ambr. l. 4. in Lucam c. 4.

In ea fuit sententia Hieronymus, ita commentatus: *Falsas de Scripturis diaboli sagittas, veris Scripturarum frangit clypeis. Et notandum quòd testimonia necessaria de Deuteronomio tantùm protulerit, vt secundæ legis sacramenta monstraret.* Prætendebat hostis ex Scriptura laqueos; sed soluit eos Christus, eiusdem Scripturæ vsus adminiculo, vt aduertit Ambrosius ita fatus: *Dominus nec ea quidem quæ de se fuerant prophetata, ad arbitrium diaboli putauit esse facienda, sed diuinitatis propria auctoritate seruata, versutia eius occurrit: vt quia Scripturarum exemplum prætenderat, Scripturarum vinceretur exemplis. Potestas enim est Deo vincere, Scriptura mihi vincit.* Ita sanè, Scriptura sacra meditata cataphractos efficit homines, si ad praxim impigre redigatur. Hæc igitur esto rei militaris industria, vt si quando dæmon ex Scriptura fucos facere tentauerit, habeamus ad manum textus idoneos ad eius spicula reprimenda, exemplo Christi declinantis insidias, assumptis textibus idoneis ad refellenda diaboli conamina, vt aduertit Cyprianus hoc tenore: *Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Hoc in Deuteronomio scriptum est: Ecce lex legi obiicitur, & Satan auctoritate Scripturæ abutens malus legis interpres præcipitium quasi ex ratione mandati hortatur: sed intellectus fallax & falsus veritate sincera confunditur, & generali edicto interdictum ostenditur, ne dum patet in quibuslibet angustiis quilibet exitus, Deus vlla præsumptione tentetur.* Habe igitur, ô homo, familiare munimen hoc armorum, vt diaboli conamina irrita compescantur.

Scripturis sacris vtitur & diabolus.

Cyprian. ser. de ieiunio, & tentatione.

Scriptura sacra debet esse familiaris Christiano.

***

SENSVS LITERALIS.

Cultus, qui Deum decet, nemini debet communicari.

In hæc verba:

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex Lingvis.

Quare Angeli non retractent assensum circa aliquam cōclusionem.

ADeò tenax est Angelorum apprehensio, vt si credulus eorum intellectus assentitur alicui propositioni, nequeant diuelli ab assensu præstito, quia primo conamine mens eorum deprehendit in obiecto quidquid via naturali eis obuersari potest. Et esto mutare possit dæmon sententiam in rebus superioris ordinis, vt cùm post ascensionem credidit Christum esse verè Deum; cuius tamen diuinitatem antea fecerat ancipitem, hoc non obstat, quin in aliquibus adhuc proteruus sit, ita vt redux esse nequeat, vt videre est in eo delirio, quo anhelauit ad infulas Dei, proprio suo auctori ambiens adæquari. Proteruiam eius recenset Vates, increpitans eius superbiam hac censura: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris, &c. qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Spiritus ille procax, Deo sæuiente actus in præceps, nusquam deposuit illam nequitiam, qua in cothurnos assurgens, solium appetiit. Inde emerserunt tot idola, quæ erexit dæmon, vt cultum eis exhibitum nequiter vsurparet. Vt enim magnos cōncepit animos superbus ille Angelus; ita cupit exhiberi sibi cultum illum, quem nemo sub Deo participare debet, eoque honore voluit haberi à Christo, quando eum sic ore impio compellauit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Eamobrem Christus assumpto textu Deuteronomij, obiecit cultum vni Deo sacrum non debere rependi alteri quamtumuis emineat. Sic ille: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Dæmon non deposuit suā superbiam. *Isa.* 14.

Dæmō quare idolorum cultum propagarit.

Matth. 4.

Quem cultū Deus sibi vendicet. Ex Lingvis.

Nota, Christum non recitasse verba ipsissima Deuteronomij, sed respexisse ad intentum Spiritus Sancti. Ecce textum Mosis אלהיך תיראואתו תעבד את יהוה *eth iehoua elobeca thira veotho thangbabed.* Id est. *Dominum Deum tuum timebis, & illi seruies.* Maldonatus credit, interpretes respexisse ad intentum Spiritus Sancti, & pro timore substituisse adorationem; & adiecisse, cùm Hebræa tacitam præterierint vocem, *Soli.* Sed reuera Maldonatus non legit textum Hebræum Matthæi, quem superiori sæculo Tilius Episcopus eruderauit ex vetustissimis Rabinorum monumentis, & quo solo vtor, aspernatus illum Matthæi textum, quem Munsterus homo apostata spurium edidit. Si ergo Maldonato innotuisset Matthæus suo idiomate Hebræo fatus, deprehendisset canonicam nostram versionem consonare verbis, quæ Christus Dominus vsurpauit. Sic sua dialecto fatur ille scriba sacer יהאלהיך תעבור לבדו ואתו תשתחוה *iab elobeca thischtachauah veotho lebado thangbabod.* Id est. *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Radix שחה *schacha*, vnde fluit vox חשתחוה *thischthacaua*, perinde est ac, *incuruari*, & promiscuè vsurpatur de humili corporis inflexione, quæ defertur etiam hominibus, qui aliis eminent, sicut & vox עבד *neghabad*, significat, seruire, siue Deo, siue homini. Vt ergo tolleretur æquiuocatio, Christus restrinxit vsum latè patentem illarum vocum, addendo vocem, *Soli* לבדו *lebaddo.* Quasi diceret, esse quidem deferendum aliquem cultum creaturis eminentibus; sed non eum, qui debetur Deo Soli.

Hebræa. Adorari à Christo voluit dæmon.

Syrus interpres velut acu rem tetigit, ita reddens בלחודוהי תפלוח ולמריא אלהך תסגוד ולה *dalmario eleboc thesduc veleh balchudohi thephluach.* Id est. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli sacrificabis.* Vox enim תפלוח *thephluach*, deducitur à radice פלח *pelach*, quæ apud Syros & Chaldeos perinde est ac, *sacrificare.* Vnde patet, diabolum exegisse à Christo honorem vni Deo debitum, scilicet sacrificium cordis, omnia sua vota dæmoni deuouendo, vt auctori bonorum omnium, penes quem est distribuere regna. Hanc fuisse mentem Angeli huius apostatæ, æmulantis omnia, quæ Dei sunt, Græcus interpres liquidò expressit hoc contextu. Κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, id est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Nota, Græcum vsum esse verbo, λατρεύω, vnde deriuatur, λατρεία, quæ apud auctores Ecclesiasticos significat seruitutem soli Deo debitam, sicut δουλεία significat cultum aliis infra Deum exhibitum.

Syriacā. Chaldæa. Græca.

Hoc operæpretium fuit prænotasse, ne quispiam causaretur, nullum esse obsequium deferendum dominis suis, imò & Sanctis, contra sanctionem Apostoli præcipientis esse exhibendum honorem, vectigal, & tributum eis, ad quos pertinent illa iura. Fauet Augustinus hoc tenore: *Nomine seruitutis cultus Deo debitus intelligitur. Latriam quippe nostri, vbicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem. Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apostolus seruos dominis suis subditos esse debere, Græcè nuncupari solet dulia. Latria verò, aut semper, aut tamen frequenter, ea seruitus dicitur, quæ ad colendum Deum pertinet.* Consonat Augustino Venerabilis Beda, versans istum locum, quem sic expendit: *Aliquis quæret, quomodo conueniat quod hîc præcipitur, soli Deo seruiendum esse, Apostoli verbo, qui dicit, per charitatem seruite inuicem: sed in Græco dulia intelligitur seruitus communis, hoc est, siue Deo, siue hominibus exhibita, secundùm quam iubemur seruire inuicem: Latria autem vocatur seruitus diuinitatis cultui debita, qua iubemur soli Deo seruire. Et quia de hac seruitute loquebatur diabolus petens à Christo adorari, allegauit ipse auctoritatem, quæ intelligeretur de sola seruitute Deitatis.* Quia diabolus assurrexit ad indebitos sibi honores; Christus eum durè abegit, relegans eum retro, quia primas ambierat, atque ita fastum eius congruè castigauit.

Qualem sibi creaturæ cultum vendicare queat. Ex SS. Patribvs. *Aug. L.10. de ciuitate Dei.* Latriæ cultus ad quem pertinet. *Beda in cap. 4. Lucæ.* Dulia & latria, sunt cultu differentes.

SENSVS LITERALIS.

Tentationibus exercetur anima, demum coronanda.

In hæc verba:

Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.

CONIECTVRA III.

Ex Sanctis Patribus.

Lycurgi lex de non pugnando diu cum iisdem hostibus. *Plutarch. in Lycurgo* Quare Deus sinat homines tentari à diabolis.

RErum omnium experientiâ liquet, ea quæ torpent vitium contrahere, vt secus ea quæ exercentur; quantùm fas est accipere roboris incrementum. Eamobrem speciali edicto cauit Lycurgus, ne Spartani cum vicinis gererent irreconciliabile bellum: aiebat enim fore hostes valentiores quotidiano armorum vsu. Non est ergo quòd queruli homines causentur prouidentiam Dei incuriam esse, permittendo dæmones variis insidiis animas exercere: namque omnis ille conflictus cedit in commodum necnon & gloriam animarum. Hoc vt fiat liquidiùs, vnum est pro comperto habendum, scilicet neminem tentari vltra vires, si Dei opem supplex efflagitet; siquidem nulli vnquam defuit Deus, ideò dictus refugium nostrum & virtus in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Ratio autem cur tentamur (Ex SS. Patribus.) hæc est, vt scilicet congruis actibus mereamur coronam, ad quam miserante Domino prouocamur. Nemo autem coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: at tentari certare est; quocunque enim se verterit homo locuples, ei occurrit tentationum argumentum: tota nempè hominum vita tentatio est: siue enim prospera sint omnia, siue aduersa, vtrimque laquei prætenduntur. Ita Basilius: *Duplex est tentationum genus. Nam vel corda hominum, tanquam aurum in fornace, per patientiam afflictis rebus aduersisque probantur, quæ ipsorum coarguant ac declarent probitatem: aut certè ipsa vitæ prosperitas, sæpenumerò multis tentationis & experimenti locò est. Æquè enim durum est, in rerum difficultate minimè deiici, & infractum seruare animum, ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam. Et quidem prioris exemplum magnus Iob inuictus athleta præ se tulit, qui omnem diaboli violentiam veluti torrentis impetum inconcussò corde firmoque proposito cùm excepisset, tantò maior tentationibus apparuit, quantò duriora illi vixque eluctabilia ab hospite visa sunt obiecta illi certamina. Earum verò tentationum exempla, quæ ex lætiore rerum successu contingunt, cùm alia multa sunt, tùm etiam diuitis illius, qui opes quidem ingentes habuit, in iisque maximè spem collocauerat, qui abundantiâ diuitiarum tentatus, damnatus est.*

Tota hæc vita tentatio est. *Basil. hom. 6. inter varias tom. 1.*

Prosperitas tentationibus patet validis.

August. in Psalm. 144. Tentationũ vtilitas. *Hieron. in Psalm. 9.* Tentatio nulla est suprà vires.

Omnia hæc tentamenta à Deo permitti, vt animæ rubigo quantocyùs abstergatur, Augustini sententia est, quam accipe. *Si nunquam tentaris, nunquam probaris. Nonne melius est tentari, & probari, quàm non tentatum reprobari? Ne accidat aliquid, quod ferre non possimus, ipse facit.* Nec prouidus ille Deus moderatur tantum ausus inimici, sed etiam potenter adiuuat; factus, vt prælibaui ex Dauide, refugium, & virtus, vt scire commentatur Hieronymus hac serie: *Vocatur Deus adiutor in opportunitatibus, quando opportunum est, vt ait Apostolus: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere, ne cum peccatoribus supplicio damnemini æterno.* Huius refugij animarum Augustinus luculentam facit mentionem, consolatus hominem dæmonum laqueis interceptum, affirmans eum impunè omnes laqueos euasurum. Sic ille: *Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Sunt quædam refugia, vbi non est virtus, quò quisque cùm fugerit, magis infirmatur, quam confirmetur. Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrum virtus est, cùm illuc confugerimus, securi erimus.*

Tentatis Deus adest adiutor opportunus.

August. in Psalm. 45. Auxilium Dei quam sit efficax.

Plerique annuunt, tentationes esse vtiles, sed in eis esse quasdam, quæ dubiam animæ salutem efficiunt, vt sunt suasiones inhonestæ, quas caro pruriens ingerit. Eis namque insidere nequit, Deum adesse menti assuetæ impuris ideis, quas parturit caro fœta sordibus impudicis. Et equidem credo, nulla prælia maius homini facessere negotium, tùm ratione molestiæ, quæ cor lancinat assiduè, tum ratione periculi, quod imminet animæ nutanti vestigio lubricante. In solamen eorum, qui pulsantur illis angustiis, dicam, obscœna quandoque obuersari animo inuito, vt reliquias iniqui habitus, quem contraxit anima quondam Veneri litans. Anima redux æquo animo ferre debet importunos hos pruritus, vt pœnam criminis antea perpetrati. Nimirum in pœnitentiæ argumentum est æquum animum inuitum pati, quod pruriente libidine sæpiùs adamauit. Ne tamen aliquod patiatur anima deliquium pertæsa fæces Veneris æstuantis, hoc recolat, Sacramentum pœnitentiæ alligasse Satanam, cui hoc tantùm conceditur, vt latret, ac proinde eos sponte morderi, qui impingunt in fauces carniuori canis, nullamque sic habere querelarum ansam, si peccant corpore titillante. Augustinus mihi suffragatur ita fatus: *Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem; venit ergo Christus, & alligauit diabolum, sed dicet aliquis, si alligatus est, quare adhuc tantum præualet? verum est, fratres, quia multum præualet, sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur; alligatus est enim tamquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi illum, qui se ei mortifera securitate coniunxerit. Iam videte, quam stultus sit ille, quem canis in catena positus mordet: tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non præsumit accedere: latrare potest, sollicitare potest; mordere omnino non potest, nisi volentem: non enim cogendo sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.*

Tentationes quædam periculosæ. Quare obscœnæ tentationes animum sæpè inuitum pulsent. Pœnitentia dæmonem alligat.

Vitio tantùm nostro dæmon præualet in nos. *Aug. ser. 197. de tempore.* Dæmonis impotentia in animas generosas.

Si verò pruritus ille obscœnus vexat animam, magnis aliunde dotibus gratiæ conspicuam, nullis olim sordidis actibus obnoxiam; profectò hic conflictus à Deo decernitur, vt anima conquirat inde humilitatis locuples argumentum. Experta namque affricare sibi indecori appetitus illecebras, deponit altos animos; quos conceperat ex probatæ castitatis opinione. Ita Deus consuluit Paulo, ne suprà hominem assurgeret memor se fuisse socium Angelorum. Audiendus in eo themate Augustinus ita fatus: *Apostolo Paulo non deerat*

Tentatio humilitatis est argumentum viris sanctis.

Aug. ser. 3. de verbis Apostoli.

deerat tentatio, qui dicebat: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Ne extollat, inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ. O venenum, quod non curatur nisi veneno! Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, ne caput extolleretur: O antidotum, quasi quod de serpente conficitur, & propterea theriacum nuncupatur! Quod ait Apostolus: Propter hoc ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me; vbi est, adhuc te loquente dicam, ecce adsum? Nonne cum ter Dominum rogauit, & ipse dicebat: Sed tu Domine vsquequo? Sed numquid quia differebat, inde non aderat, & falsum erat: Adhuc te loquente dicam, ecce adsum? Quid enim medicus, quando dat quod desideras adest, quando secat non adest? Nonne sub medici ferramento clamas, vt parcat? Et quia magis adest, magis secat?

Vanitas est venenum, quod alio veneno curatur.

Isa. 58.

Ita sanè adstat Christus viris sanctis, suo influxu eorum agones obfirmans; adsunt & Angeli, animos addentes hominibus, quos strenuos adiuuant in palæstra. Non indiguit Christus eorum obsequio, sed passus est eos ministrantes, vt inde colligerent homines, certantibus legitimè imminere coronas congruas agoni fortiter exantlato. Si ergo triumphorum nos amor tenet, si qua palmarum nos cupido tangit, accingamus nos ad omnia diaboli tentamenta validè perferenda. Parænesis hæc Bernardi proderit meditata. *Quid trepidas, cui assistunt Angeli à latere, quem dux belli Christus præibit suos animans ad victoriam, & dicens: Confidite, ego vici mundum. Si Christus pro nobis, quis contra nos? Securus potes pugnare, vbi securus es de victoria. O verè tuta pro Christo & cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec milies, si fieri possit occisus fraudaberis à victoria, tantum ne fugias; sola causa, qua perdere possis victoriam, fuga est: fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes, & beatus si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis.* Hæc maneant alta mente reposta.

Angeli adstant hominibus validè pugnantibus in dæmones. Egregia Bernardi hortatio ad ferendas validè tentationes.

Bern. epist. ad Robertū.

MORALIS
EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.
EVANGELIVM
SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt propositiones discussæ in ordine ad mores excolendos.

I. DVCTVS est IESVS à Spiritu.

Matth. 4.

II. In desertum vt tentaretur à diabolo.

III. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit ei.

IV. Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

V. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

VI. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dixit ei IESVS. Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus.

VII. Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

SENSVS

SENSVS MORALIS, IN QVO ENVCLEANDO ludunt omnes ſcientiæ.

I. *VT bonis auibus olim præcedebant Imperatores ad bellum, ita Chriſtus ſe accinxit ad certamen cum dæmone, columba, id eſt Spiritu Sancto deſuper apparente, ſuo exemplo nos erudiens, nihil audendum Deo inconſulto.*

II. Quo propitio, anima ſe debet expedire à nexibus, qui eam remorantur egregia facinora meditantem. In eo argumento prodeſt ſolitudo, vtpote conſcribens libellum repudij omnibus illecebris, quibus anima titillatur.

III. Sed eſto ſeceſſus ille animam accingat ad prælium cum Angelo ſuſurrone, qui externis ſæculi rebus vtitur vt remoris ſaluti noſtræ iniuriis, alia ſupereſt cautela potior, interna removens impedimenta; videlicet ieiunium, ponens modum laſciuienti pruritui corporis inſurgentis.

IV. Hac ſupellectile armatus homo, diuinis aſſueſcens, & recolens quàm ſit inglorium litare ventri, quemadmodum ſues adipoſi, non annuit gulæ, volenti animam dapibus ineſcare. Quippe qui recolit incommoda, quæ recenſet Scriptura ſacra effluxiſſe à ventris ingluuie, ille abundè verbo Dei paſtus faſtidit eſcas, communes nobis & beſtiis, vt annonâ cælicâ ſaginetur.

V. Non ideo tamen confectum eſt bellum, quia benè ceſſit homini victoria de ventre importuno, anhelante cibos. Admonet alium arietem hoſtis induſtrius ad ſubtiles inſidias homini prætexendas. Nimirum homini victori inſpirat afflatum auræ popularis, vt qui gulam vicit, ille ab inani gloria ſuperetur. Hanc dæmonis aſtutiam declinat anima memor ſuæ infirmitatis, in Deum refundens quidquid fortiter enixa eſt, Domino cælitus influente.

VI. Iterato certamine ſauciatus dæmon, ſuas omnes colligit vires, vt tertio inſultu præualeat. Idcircò aduertens, animam Deo dignam non capi vilibus, totam ſæculi pompam ingerit ei, vt eius cupidine capta, opibus inhians, dæmoni mancipetur. In eo locuplete rerum omnium apparatu, ſtrenuus Chriſti athleta ſubodorans diaboli technas, flocci pendit opes illas, ditiora verſans animo, ſcilicet regnum Dei cui dumtaxat militando, vota ſua omnia conſecrauit.

VII. His artibus & eo Marte fractus bellis ille acerbus hominum, cedit inglorius, non ſuſtinens Satellitium Angelorum, qui victorem hominem ſtipant, eius facta ardua coronantes.

SENSVS MORALIS.

Chriſtus à Spiritu Sancto actus in deſertum, ſuo ſchemate repugnandi erudiit homines, quanam induſtria ſint omnia dæmonum ſpicula retundenda.

In hæc verba.

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.

SECTIO I.

PRÆFATIO.

ACHAB Rex Iſraël, ſuoptè ingenio, & renitente Propheta Domini, ſe accinxit ad bellum indicendum Regi Syriæ, ob vſurpatam ciuitatem locupletiſſimam Ramoth Galaad. Credidit Achab, eſſe de re ſua, vrbem ſui iuris repetere, quidquid ſecus Michæas vates auribus inſonaret. Itaque malis auibus inſtruxit aciem Rex incurius ſuperni conſilij, ſuo tantùm dictamini credens. Sed ne daret locum hoſti, exuit regias veſtes, & communibus indutus eſt; arbitratus eâ induſtriâ ſe fore inuium hoſti, qui in ſolius Regis Achab perniciem conſpirarat. Ecce ſeriem hiſtoriæ. *Rex Iſraël mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum. Rex autem Syriæ præceperat Principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, niſi contra Regem Iſraël ſolum.* Non ceſſit ad arbitrium Achab cautela eius: quippè ingraueſcente prælio, ſpiculo lethali transfixus eſt, vt explicat iſte ſacer textus. *Vir quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſraël inter pulmonem & ſtomachum.* Longè melius Chriſto ceſſit prælium, quod iniit cum dæmone. Namque is expeditus Athleta, ductore Spiritu Sancto, dæmonem aggreſſus eſt, communibus armis vſus, & diſſimulato diuinitatis habitu, quia diabolum latuit. Primo congreſſu, hoſtis æmulus Chriſti telum intorſit in ſtomachum eius, de gula eum ſollicitans, hac mala ſuada oratione: *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Secundo impetu caput adorſus eſt, Chriſtum de vanitate ſollicitans, dicens affore Angelos præſtò ei ſi ſe in præceps ageret. Eluſis à Domino duobus his ictibus, in tertio conflictu ſerpens ille antiquus totum virus ſuum euomuit. Nempè vt victorem hactenus æmulum ſuum proſterneret, cordi eius inſtillare voluit concupiſcentiam rerum infimarum. *Oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Inuictus athleta hoc etiam conamine fregit hoſtis ſui vires omnes, homines plenè erudiens, qua cautela ſeſe debeant accingere ad prælium contra impium ſuſurronem.

Achab Deo renuente bellum indicit,

3. Reg. 22.

Achab veſtes regias deponit in prælio.

Quo apparatu Chriſtus ſe aptauit ad prælium in dæmonem.

Matth. 4.

Tota hiſtoria tentationis Chriſti vnica ſectione comprehenſa, cuius duæ partes, varias diſtinguunt propoſitiones morales.

Vt illa liquidior ſit inſtructio, totam hanc hiſtoriam vna ferè ſectione concludam. Prima pars aperiet, qua cautela ſit ineundum certamen cum hoc callido hominum hoſte. Altera pars explicabit; quomodo ingraueſcente prælio, ſit nequiſſimo illi Angelo reſiſtendum.

Vtraque

Vtraque pars tres propositiones discutiet moraliter, quibus sex numero, decurret totius Euangelij moralis expositio.

SENSVS MORALIS.

PRIMA PARS SECTIONIS.

De cautelis obseruandis ad tentationem,

PRIMA PROPOSITIO.

Nihil omnino auspicandum Deo inconsulto.

ARTICVLVS I.

Ex Theologia.

Hercules ne quidem contra duos.
Plato in Phædone.

VEtus hoc adagium increbruit, scilicet neque Herculem sufficere contra duos. Prouerbio ansam dedit Plato in Phædone ita fatus : Ἀλλὰ πρὸς δύο οὐδ' Ἡρακλῆς λέγεται οἷός τε εἶναι. Id est. *Sed nequidem contra duos Hercules dicitur sufficisse.* Quippiam simile effutiit Homerus hoc versu.

Homerus Odyssea.

——χαλεπὸν γὰρ ἐρυκακέειν ἕνα πολλούς
Difficile ac durum est ; vnum compescere multos.

Homo ex se solo impar est tentationibus validis.
Ex Theologia.
Tho. 1. 2. q. 109. art. 8.

Non ergo debet homo temerè in certamen descendere contra tres validissimos hostes, diabolum, mundum, & carnem, cùm vix sufficiat ad morulam vnius æmuli ferre impetus irruentes, si validi sint ; quod vt fiat palàm, consulenda est Theologia. Sacra hæc disciplina docet, hominem posse bifariàm considerari, scilicet in statu naturæ integræ, aut in iniqua sorte naturæ corruptæ : in statu naturæ integræ Theologiæ genius Thomas ait, hominem sine gratia habituali potuisse vitare peccata mortalia : quia peccare nihil aliud est quàm recedere ab eo quod naturæ consonum est : vnde vt vnumquodque sine gratia habituali naturæ ductum sequitur, potuit homo citra influxum illius gratiæ agere iuxta indolem sibi à Deo præstitutam, quæ dum integra fuit, si peccasset, profectò à præfixo sibi ordine deuiasset. Sed esto hæc doctrina sit Catholica ; ipse tamen S. Thomas pro comperto habet, hominem adhuc in eo statu indiguisse speciali auxilio Dei conseruantis singula quæque in statu, quem sortita sunt. Si verò res est de homine in statu naturæ corruptæ, Theologiæ toti in confesso est, hominem indigere gratia habituali seruante naturam, ad hoc vt omnino non peccet : hæc autem animæ cùra sit secundùm mentem adhærentem fini suo vltimo, licèt carnalis appetitus nondum sit nactus repurgium suum. Paulus expertus has reliquias naturæ sauciatæ, sed reducis, has querulas misit voces : *Ego ipse mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati.* In hoc statu naturæ reparatæ, gratiæ habitualis obsequio potest homo vitare omnia peccata mortalia, quæ in ratione consistunt, quatenus hominem abstrahunt à Deo rerum omnium fine. Non potest autem vitare caternatim omnia peccata venialia, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, quia dum ratio vni motui compescendo inuigilat, alij insurgunt, qui eam incautam præpediunt, sine vllo tamen lethali discrimine, animæ vltimo suo fini fortiter adhærentis.

Quomodò homo possit vitare peccata mortalia.
Rom. 7.
Homo nequit omnia simul vitare peccata venialia.

Anima nequit sine speciali Dei auxilio resistere peccatis.

Nota, naturam sanatam medicamine gratiæ habitualis non indigere quidem alia gratia habituali, vt declinet peccatum aliquod mortale ; sed esse indigam auxilij alicuius diuini impellentis animam ad vtendum gratia illa, cuius beneficio ratio suo fini iugiter adhæreſcit. Discursus ille Theologicus sensim animæ nostræ ingerit veritatem propositionis præfixæ isti articulo, scilicet ; Nihil omnino auspicandum Deo inconsulto. Etenim, cùm de tentatione valida agitur, vel anima est in statu gratiæ habitualis, vel non. Si Deo miserante gratia in eam influxit, indiget adhuc præfato Dei auxilio, cuius mentionem feci, ne in vacuum gratia Dei videatur illapsa menti, Deo iugiter obsequenti. Sicque stat viridica nostra propositio, Deum esse consulendum, si quando agitur de re perardua, vt est conflictus cum dæmone, cuius præcipuum intentum est, vt menti illudat, eamque sic diuellat ab vltimo fine suo, & proinde inducat in præceps. Quòd si anima patiatur gratiæ deliquium, maiora eam argumenta sollicitant ad Deum demerendum, cùm grauis instat tentatio Dæmone sæuiente. Nimirum ratione diuulsa ab vltimo fine suo, & obsequente sensuum illecebris, non habet homo, quo pacto eludat validum susurrum diaboli prætendentis speciosa obiecta, quibus assolet illudere peccatori. Ne ergo cogatur homo herbam porrigere congressurus cum dæmone, assuescat Dei obsequio, animumque inducat procul à libidine delinquendi, ne stabulante peccato præcordiis animæ, ea expers gratiæ, & contra insultus Angeli refugæ penitus imbecilla.

Homo in peccato nequit resistere validæ tentationi.
Peccatum rationem abstrahit ab vltimo fine suo.

Eo fine prodest habere familiares hos versus Psaltis, ingruente tentatione : *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium meum. Auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram.* Si verò insurgat grauior æstus tentationum, erunt vsurpandæ voces Regis Ezechiæ succumbentis infirmitati : *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me.* Erit & tempestiua. Petri oratio pelago æstuante : *Domine saluum me fac.* Tantique momenti est ille recursus ad Deum ante conflictum cum dæmone, vt ipse mox laudatus Petrus profligatus fuerit turpiter à diabolo, factus desertor Christi, quia præmonitus à Domino de tentatione instante, nimium credidit sibi, parum sollicitus de Dei auxilio deposcendo. Vnde qui solus ambitioso eloquio præfatus est, se paratum oppetere mortem ad tutanda iura Domini sui, solus turpiter aufugit factus transfuga, aliis Christum minimè negantibus. Petri itaque dispendio cautiores facti imminente tentatione, Deo commendemus agones nostros, ne malè nobis conscij, nostro vitio succumbamus.

Psal. 123.
Psalm. 19.
Psal. 120.
Orationes iaculatoriæ vsurpandæ in tentatione.
Matth. 14.
Petrus quare Dominum negarit.
Tentationi succumbunt illi qui sunt incurij opẽ Dei reclamare.

***

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Absque iugi Dei influxu animas vegetante, homo impar est certamini cum dæmone.

In hæc verba:

Ductus est IESVS *in desertum à Spiritu.*

ARTICVLVS II.

Ex Philosophia.

Antæus quis. *Plut. in Sertorio. Eusebius in chro.* Antæus terræ attactu factus vegetior. Attactu terræ peccatum præualet in homines.

ANtæus vir Lybicus adeò procera mole assurrexit, vt ad quadraginta cubitos excreuerit, ideoque dictus Neptuni & Terræ filius, quasi aqua & tellus abundè suas dotes cōtulerint ad compingendum corpus eius, quod gigantæa crassitie repertum est à Sertorio post multos annos ab eius nece, vt meminere Plutarchus, & Eusebius. Obæso huic homini terra parens ita fuit propitia, vt suo attactu fessa Antæi membra recrearit. Vnde Antæo decumbere promtum, erat & solamen, & virium maximum incrementum; quod vt aduertit Hercules congressus cum Antæo singulari certamine, hominem hunc terra satum sustulit in aëra, ne terræ commercio vegetior existeret; sicque latum in sublime compressit arctè & fortiter amplexatum. Genuina sanè hæc est idea hominis in statu naturæ corruptæ: is nimirum conceptus in peccatis & veluti è limo compactus, è terra accepit vires ad animum prosternendum: quoties enim homo terræ litat, Veneri & Baccho addictus, lethales illæ telluris illecebræ magnum corpori robur adiiciunt in animæ perniciem, quæ corporis mole oppressa deorsum vergit. Ne ergo contactu terræ caro præualeat in animam, homo suos omnes neruos eò dirigat, vt caro à terrenis penitus abstrahatur. Fiet autem illa carnis à terrena diuulsio, si anima ad Deum assurgat: illâ industriâ caro potest comprimi. Itaque hac cautela sibi consulat homo congressurus cum dæmone; prælium auspicetur, Deum demerendo iugi obsequio, & præsertim emendicando precibus eius opem, qua duntaxat influente anima vegetatur; vt & feriante influxu Dei, caro facesset negotium importunum.

Corpus quomodo præualeat in animam.

Corpus quomodo cedat formæ.

Ex Philosophia. *Arist. l. 3. Ethic. c. 8.* Corruptio naturæ iniquus habitus est.

Quanti verò momenti sit, Deum habere adiutorem in bello nobis indicto à susurrone Angelo, disce hoc discursu Philosophico. Quilibet habitus altè insidens animæ, illam validè inclinat ad exerendos actus congruos illi habitui, ita vt quandoque anima non præmeditatos actus eliciat habitu præualente, iuxta illud Aristotelis eloquium: *In repentinis agimus ex habitu præexistente.* Quò autem tenacior erit habitus, & fortiora habebit argumenta prosiliendi foras; eò etiam faciliùs erumpet, anima etiam non aduertente quid agat, & præcipuè obiecto aliquo pelliciente animam deforis applicato. Cùm ergo naturæ corruptio sit iniquus habitus, vtique nobis inolitus à teneris vnguiculis, & huius habitus indoles ea sit, vt hominem inclinet ad omnes sensuum cupedias, homo validè rapiatur ad omnia, quæ titillant sensus: imò nemine tentante homo malè suada carne quasi inuitus ad sordida prouocatur. Et licèt penes animam sit, rationis obsequio compescere appetitus importuni motus; si tamen gratia Dei non influat, proculdubio repentinus validæ tentationis æstus animam abripiet, & inducet ad peccandum: nam vt illa corruptio permeat totum corpus; sensus omnes peruij sunt peccato, sicque anima vndique perfluens, effundetur in sensuum illecebras. Ne igitur illa corruptio habitualis homini, stans à partibus Angeli refugæ, sit lethalis animæ, operæpretium est Deum adsciscere in auxilium suum: etenim vt in Physicis omnes corporum motus cientur à primo mobili raptante inferiores cœlos; ita & in moralibus anima moueri nequit, nisi perculsa à Deo, & maximè cùm agitur de discrimine cum diabolis fortiter ineundo.

Corruptio naturæ quàm importunè hominem sollicitet ad peccandum.

Quomodo occurrendū ingruenti tentationi.

Itaque hoc propositum tenax esto illi qui non vult succūbere tentatori, scilicet adeò iungi supremo rerum omnium fini Deo, vt iuxta propositionem, quam expendo, nihil planè eo inconsulto fiat. Sicut enim in speculatiuis, ille nequit errare, qui non deuiat à primis principiis; ita & in practicis, ille, qui supremum rerum omnium finem sibi præstituit, non facilè ab eo recedet, quidquid animæ obiiciat dæmon prætendens corpori placentia. Sed quia præter gratiam habitualem notatam illa firma adhæsione, necessarium est adhuc diuinum auxilium, seu motio percellens animam, hoc inculco, Deum præcipuè in procinctu, & ingrauescente tentatione, esse sæpius inuocandum. In ea praxi præit nobis Ecclesia, auspicata suas horas canonicas hoc versu: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Si cunctetur Deus explicare suam opem, ignauiâ fortè nostrâ remorante gratiarum eius influxum, conduceret ex eodem Psalmo identidem repetere subiectos versus istos: *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Ego verò egenus, & pauper sum, Deus adiuua me. Adiutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.*

Ecclesia suas horas canonicas quare auspicetur ab hoc versu. Deus in adiutoriū, &c. *Psal. 69.*

Ibidem.

SENSVS MORALIS.

Feriante Dei influxu, anima de se nequit diabolo resistere.

In hæc verba:

Ductus est IESVS *à Spiritu in desertum.*

ARTICVLVS III.

Ex Medicorum Disciplina.

Animæ status quis sit Deo non influente.

SCaturiente fonte, canales pleni deducunt aquas in arua, quæ beneficio roris huius in gramina luxuriant: sed si fons aliò diuertit, arent tubi, & exsiccatis alueis campi marcidi contabescunt. Hunc rerum statum æmulatur homo mundi compendium; quandiù enim Deus omnium bonorum fons in animam influit, illa omnium virtutum floribus vernat: at secus feriante Dei influxu, anima marcet, nullumque alium prouentum quàm spinarum facit; vtpotè vitiis hispida, & inculta. Arente namque humore, quo anima velut opima recreabatur, non habet vnde virens & vegeta floreat, & ditescat. Familiaris est in eo argumento apoplexiæ descriptio. Ea ægritudo omnem motum corpori adimit & sensum; quia spiritus animales oriundi à capite, non diffunduntur in inferiora membra. In eam perniciem incurrit, anima,

Quis sit effectus apoplexiæ.

Anima quādo sit impotens.

anima, quando caput omnium rerum Deus non influit in hominem. Is nempè infelix homo quasi motus expers patet insidiis diaboli, non valens repugnare pro maiestate certaminis: vt enim in apoplexia, intercepto spiritu animali, nequeunt nerui suas exerere functiones, collapso motu; ita nec quidquam valet anima, quam non recreat ille Spiritus, qui duxit Christum in desertum.

Ex re medica. Quid sit apoplexia, & quomodo fiat.

Ne autem videar imponere imperitis ista similitudine petita à re Medica, audiendus est Fernelius, nulli Medicorum secundus. Sic ille: *Apoplexia est repentina motus & sensus omnisque animalis functionis priuatio. Hæc quippè perculsus nullis ferè mali indiciis præcurrentibus totus repentè quasi attonitus concidit: atque si acerbum malum est iacet fixis oculis sine sensu, sine motu, sine mente, sola respiratione à mortuo dissidens. Huius causa in cerebro consistit, omnis motus atque sensus communi principio. Ea autem est crassior frigidiorque pituita; neque enim à sanguine, neque à melancholia hanc gigni verisimile est, etiamsi toto corpore exuperent. Atque frigidior pituita licèt sit proprium cerebri excrementum;* *Fern. l. 3. pathol. c. 3.* *dum tamen affatim & vniuersè omnes eius ventriculos implet, aut dum minimum quiddam retis admirabilis arterias, per quas spiritus ex corde in cerebri sinus influit, repentè obstruit aut coarctat, apoplexiam infert. Tum quippe sinus influente spiritu destituti, nihil deinceps suppeditare possunt sensuumque motuumque neruis, moxque necesse est animal collabatur, ac si eius carotides arteria interciperentur vinculo. Quibus caput graue frequenti sopore tentatur, & corpus omne pigrescit inertiusque euadit, & oculi tenebris offunduntur.* Hæc ille.

Apoplexiæ incommoda, & causæ.

Quare apoplexia omnẽ motum adimat.

Audis, necesse animal collabi, capite non dignante membra spiritibus, qui conducunt & ad motum, & ad sensum. Hippocrates Medicorum summus adiicit, huiusmodi homines apoplecticos ægrè respirare, & hoc respirationis deliquium prouocare sudatiunculam, quam cita mors excipit. Quare autem ægrè respirent apoplectici, facilè est dignoscere: nimirum respiratio liberalis *Apoplexia respirationem adimit facilem.* prærequirit integrum motum neruorum, quos natura inseruit musculis ad respirationem. Sed apoplexiæ genius ille est, vt omnibus neruis adimat motum spiritu intercepto, quo omnes etiam neruuli recreantur. Nequit ergo respirare homo decumbens apoplexiâ, nisi quantùm satis est ad viuendum vno aut altero die. Præfatus autem sudor est index naturæ fatiscentis, cui instat mors ineuitabilis, ipso Hippocrate dicente mortis sententiam in eos, qui damnati sunt ad illam iniquam sortem. Ecce prænotionem oraculi Medicorum. *Hippoc. l. 2. Coac. c. 23. num. 4.* Ἐν τοῖσιν ἀποπληκτικοῖσιν, ἐπὶ δυσφορίῃ τοῦ πνεύματος ἱδρὼς ἐπιγενόμενος θανάσιμον. Id est. *In apoplecticis à spiritus angustia sudor prorumpens, mortem subesse ostendit.* Ita quos deserit Spiritus Sanctus, mors cita excipit, vt & ægrè respirant omnes, in quos non influit ille viuificus spiritus. Ad minimum cum diabolo congressum sudant, & animis cadunt, facti suis hostibus impares.

Spirituum interceptio in apoplexia quàm lethalis.

Itaque satagat homo procurare sibi liberalem illum affluxum spirituum, qui diffluunt à capite Ecclesiæ, id est, à Christo, quo influente vegeti sunt omnes animæ motus, & sensus. Anima namque Deo afflata sapit ea quæ sunt cœli; at animalis homo abiurato Dei obsequio, non sapit ea quæ sunt spiritus, ac proinde iacens in spurcissimo vitiorum cœno nequit moueri ad ardua: eamobrem ingruente aliquo conflictu cum dæmone, mundo, & carne, anima lethali spiculo configitur, hoc destituta flamine salutari.

SENSVS MORALIS.

Vt vitiis bellum vtiliter indicatur, à Deo petenda sunt auspicia votis anhelis.

In hæc verba:

Ductus est IESVS *à Spiritu in desertum.*

ARTICVLVS IV.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET EX VTROQVE IVRE.

QVò grauius imminet periculum, eò etiam cautela maior adhibenda: si ergo homo in maius discrimen incurrit, pugnæ aleam tentans in vitia, quàm contra homines decertando; nonne etiam est potior cura adhibenda, ne succumbat anima, vndique vitiis impetita? In eo præliandi schemate, quo anima vitiis est bellum indictura, placet ille ritus olim inolitus plerisque Gentibus, quibus hoc in more fuit positum, vt prima belli auspicia peterentur à Deo, eum demerendo sacris, & congruis precibus eo fine fusis, vt sic Deo duce staret victoria à partibus eorum, qui Deum votis pluribus inclinassent. *Vnde fluxerit mos auspicãdi bella à Deo.* Primi occurrunt Hebræi, quibus hoc familiare fuit, Deum consulere, antequam experiri ancipitem belli sortem. Eò allusit Scriba sacer, dicens Christum fuisse ductum à Spiritu vt tentaretur à diabolo: quasi diceret, Christum ductore Deo, se aptasse ad bellum diabolis inferendum: Hunc morem auspicandi bella à Deo, indubium est fluxisse ab Hebræis, vtpotè quibus prior Dei notitia affulsit. *Moyses assuetus consulere Deum in re graui.* Nec coniectura inanis: quippè primo bello indicto Hebræis ab Amalec, Moyses confecit hoc bellum, Deum deprecando, plusque valuit ad stragem hostium iugis oratio Moysis, quàm gladius vindex Iosuë. *Ex antiquitate plurium nationum.* Ecce tenorem historiæ. *Dixit Moyses ad Iosuë: Elige viros, & egressus pugna contra Amalec; cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.* *Exod. 17.* *Fecit Iosuë vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec. Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec, &c. Fugauitque Iosuë Amalec, & populum eius in ore gladij.* Adeoque fuit tenax huius instituti Gens Hebræa, vt Samuele longiores nectente moras, Rex ipse Saül vsurparet sacerdotis officium, offerens holocaustum, ne Deo inconsulto bellum gereret contra Philistæos. Sic ille facinori suo quæsiit argumentum, vt occurreret Samuëli increpanti: *Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas: Dixi, Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* *1. Reg. 13. Hebræorũ mos inuocandi Deum ante conflictum.*

Dauid sæpiùs ad fœderis arcam excepit oracula, vt Deo annuente prælia committeret: & quamuis Iosaphat Rex Iuda intima necessitudine obstringeretur

stringeretur Regi Israël Achab, cui se suaque omnia deuouerat; tamen suspectam habens impietatem Achab, qui numerosum exercitum conscripserat, vt oppugnaret Ramoth Galaad, noluit ei iungi, quin Deum consuluisset, vt veteris instituti se obseruantissimum ostenderet. Ecce Synopsim historiæ. *Achab dixit ad Iosaphat: Veniesne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad? Dixitque Iosaphat ad Regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu, populus meus, & populus tuus vnum sunt, & equites mei, equites tui. Dixitque Iosaphat ad Regem Israel: Quære, oro te, hodie sermonem Domini.* Fuisse & hunc ritum Ammonitarum, erigere aras ante prælium, liquet ex historia pseudoProphetæ Balaam, qui placiturus Balac Regi Madian vt malediceret Israëli, sic eum affatus est: *Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes.* Scythæ arbitrati quidpiam diuinum gladiis insidere, gladios adorabant, ita vt exerentes gladios nihil suo Deo inconsulto agerent. Hinc Scytharum morem meminere Herodotus, Lucianus, & Arnobius Si fideles Christiani familiarem vsum habent precum, & his velut iaculis dæmones petunt & vitia, non pugnabunt Deo inconsulto; illis enim orare, & spicula intorquere, perinde erit.

Iosaphat Rex Iuda Deo inconsulto non vult pugnare.

3 Reg. 22.

Diuersarum nationum ritus ante bellum.

Num. 23

Gladij adorati.

Herod. lib 4. Lucianus in Ioue. Trag. Arnobius l. 5. contra Gētes.

Solenne fuit plerisque Gentibus, facere sacra Marti, vt eum sibi facerent propitium. Persæ vt victima idonea, equo litabant Marti, arbitrati equum Martiali indole præpollere, vt aduertere, Strabo, Plutarchus, Festus Pompeius, & Ouidius. Eidem Marti à Caribus canes fuere immolati, & à Scythis asini, vt commemorat Arnobius. Fortè vt in asino occiso proponerent omnem deponere pigritiam, & in cane mactato notarent, bella non confici latrando, sed in hostes fortiter insurgendo. Romani quibus maxima fuit olim religio delitare cum cæteris Gentibus; vt Martem conducerent, tria hæc animalia, suem, ouem, & taurum, circum castra ter agebant, & demum toto spectante exercitu Marti immolabant, rati congruè illo piaculo agmina perlustrari. Huius delirij mentionem facit Liuius. Bellonæ Sacerdotes, vt militum sanguini parcerent, suo cruore rubentes, sanguinem suum fundebant gladiis sponte eductum, vt notat Lactantius, cui præierat Lucanus, ita fatus.

Strabo l 3. Plut. probl. cap. 97. Festus Pomp. l. 5. & 13. Ouid. lib. 1. Fastor. Arnob l. 4. contra Gētes. Liu. l. decadis 1.

Bellonæ sacerdotum ritus.

Diráque per populum Cumanæ carmina vatis
Vulgantur, tum quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet.

Lucan. l. 1.

Ex Ælio Lampridio, Commodus Imperator hūc ferè exoletum ritum instaurauit, cogens Bellonæ sacerdotes sese Marti fuso sanguine deuouere. Senecæ æuo vigebat illud institutum vt ipse est auctor, & Prudentium censorem habet ille mos sæuus. Sic ille.

Commodus Imperator instaurat sacra Bellonæ.

Ælius Lamprid. in vita Commodi. Seneca l. de vita beata. Prudentius in vita Rom. Martyris.

Cultrum in lacertos operit phanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat Deûm.

Homerus passim meminit, Græcos prouocasse Deos, vt starent ab eorum partibus.

Hom. l. 7. Iliades.

Τοῖσι δ᾽ ὶ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Ἄρσενα πενταέτηρον ὑπερμενεῖ Κρονίωνι

His autem bouem sacrificauit Rex virorum Agamemnon.
Marem quinquennē, valde potenti Saturnidæ

Non est in eo argumento prætereundus celeberrimus ille ritus Romanis vsitatus ad bellum indicendum. Consul magnâ coronâ ciuium stipatus se conferebat propè Bellonæ ædes, & inde hasta arrepta eam vibrabat quàm validè, hoc signo volens esse ratum omnibus bellum apertum, vt ait Festus Pompeius. Aliàs idem Consul magnâ pompâ templum Iani recludebat, quasi prouocaret Ianum, vt ipsis esset propitius. Meminit huius moris Virgilius:

Bellum quo ritu indictū à Romanis.

Festus Pomp. l. 2.

Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt
Religione sacræ, & sæui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus
Has vbi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul,
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cætera pubes

Virgil. l. 7.

Templum Iani quàm superbum fuerit.

Non erit abs re meminisse Achæos, qui mirantes se nullā reportasse coronam ex Olympia, post veterem victoriam Oibatæ celebris Olympionicæ, consuluere oraculum, vt rescirent, vnde toties ingloriè ex certamine recessissent. Hoc accepere responsum; scilicet eis affore omnia prospéra, si ante discrimen ineundum sacrificarent Oibatæ. Achæi gessere morem dictis, nullamque iniere pugnam, quàm consulto Oibata sacris, in præmium obsequij. Primo congressu Sostratus Achæus victor pronuntiatus est, cui multi demum Achæi adiecti sunt victoriâ insignes, qui ne gratia accepta ab Oibata animis excideret, non se, sed Oibatam coronabant; vt fusè enarrat Pausanias. Profectò arbitror multos Christianos à diabolo grauiter sauciari iaculis vitiorum, quia victorem diaboli Christum non consulunt humilibus votis. Quisquis itaque se accingit ad pugnam vitiorum, is auspicetur ab obsequio sospitatoris nostri, & eo aspirante, si victoria cesserit pro votis, non cunctetur anima victrix imponere diadema Christo, vt quo influente congruè laureamur. Fas etiam fuerit priscis Romanis recludere templum Iani ante pugnam, vt eo aperto liberior esset Ianus ad suppetias afferendas. Deus noster nullis templorum angustiis concluditur, vbique prostat eius auxilium, si vti par est Deum hunc beneficum adeamus.

Oibatas Achæus celebris Olympionica.

Egregia historia dicens quomodò victoria sit comparáda.

Pausanias in Achaicis.

Victoria omnis ad Deum est referēda.

Sostrati victoris gratitudo in Deū.

Christianos quare vincat dæmon.

Si verò quisque pro arbitrio suo, & quasi Deo insalutato, sese discrimini obiicit, bellum vitiis illaturus, rem incongruam facit immemor legis, quæ cauet, ne quis militare onus suscipiat Principe inconsulto. Sic sanxere Imperatores Seuerus & Antoninus. *Si militiæ nomen dare vultis, offerte vos his, qui probandi ius habent.* Eodem Iure serui censentur inhabiles militiæ, quamdiū iugum patiuntur seruitutis, liberumque est eorum dominis eos repetere in castris, & vt in transfugas animaduertere. Ita definit Imperator Iustinianus, ista constitutione. *Super seruis qui postea ad quamdam militiam adspirare tentauerint, vel scientibus, vel ignorantibus dominis, præcipimus, siquidem his ignorantibus eam meruerint, licere dominis competentem iudicem adire, & suam ignorantiam, eò quòd contrarium minimè probatur, ostendere, eoque modo spoliatos eos militia in dominium suum trahere.* Si Ius hoc ciuile deducatur ad mores, nemo temerè se magnis debet obiicere periculis, quasi facturus periculum virtutis suæ. Verbi gratiâ, nemo adire debet cauponas, & choreas, vt Venerem & Bacchum exterminet. Cautè omnia sunt tentanda, & arduæ virtutis vsus assumendus, sub diuinis auspiciis, & consultis eis, quos Deus huic oneri præfecit. Nimirum communicato consilio cum præfecto animæ nostræ, sacerdote scilicet à confessionibus, non omnia

Ex IVRE CIVILI.

Leg. 1. Cod. Qui militare possunt L. 12. tit. 34.

Non licet seruis militare.

Leg. 6. Cod. eodem l. & tit.

Seruos licet repetere ex castris si ad ea transfugerint.

Agricolæ sunt inhabiles militiæ.

simul & semel vitia aggredienda sunt, sed in præparatione animi omnia quidem detestanda, vno tamen præposito, à quo præcipuè acriùs infestamur.

Leg. 3. eodem l. & tit. Cod.
Peccatum in affectu nos ineptos reddit militiæ Dei.
Ex IVRE CANONICO.
Canone Nisi ista bella. 23. qu. 1.

Rursus, si alicuius iniqui habitus importunum patimur iugum, verbi gratiâ, si adhuc animo insidet prauus affectus, vt libidinis, aut vindictæ; incassum damus nomen nostrum militiæ Christianæ: vno namque peccato vigente constringimur, & diaboli sumus, Dei dominio sponte nostra turpiter abdicato. Imò quandoque anima ingenua, id est, excusso iugo lethalis peccati, si nimio rerum infimarum capitur affectu, non idonea est militiæ, ad quam Deus requirit animas expeditas. Potestque in eo themate recenseri lex Imperatorum Arcadij & Honorij hoc tenore lata. *Cura peruigili obseruare debebit sublimitas tua, ne coloni, vel saltuenses, aut vltrò se offerentes, ad militiam suscipiantur armatam.* Etenim is, quem rerum huius sæculi quæpiam sollicitat illecebra, non idoneus est ad ardua facinora fortiter exantlanda. A militia corporali posse peti argumenta conducentia ad militiam spiritualem, Canones sancti clamant. In his hunc accipe. *Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent, nunquam, vt opinor, Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere, legendi in Ecclesijs fuissent ab Apostolis traditi. Quo enim ei bellorum proficeret ista descriptio, quibus dicitur à* IESV*: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & quibus per Apostolum iubetur, & dicitur: Non vosmetipsos vindicantes, sed magis iniuriam accipite, & magis fraudem patimini. Vnde denique sciens Apostolus nulla nobis iam vltra bella esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina contra spiritales aduersarios desudanda, velut magister militiæ præceptum dat militibus Christi, dicens: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus astutias diaboli.* Adijce & hunc textum Canonicum. *Iustum est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causâ. Iudex dictus quasi ius dicens populo, siue quod iure disceptat. Iurè autem disceptare est iustè iudicare.* Consule itaque Christiane Deum, vt decernat tibi, & inspiret quid magis congruat ad militiam animæ contra vitiorum irruentes cateruas impigrè profitendam.

Bellum corporale, figura est belli spiritualis.
Canone Iustum est 23. qu. 2.
Bellum quando sit iustū.

SENSVS MORALIS.

Auspicatò fit, quidquid Deo consulto fit.

In hæc verba:

Ductus est IESVS *à Spiritu in desertum.*

ARTICVLVS V.

Ex Mathematica, et ex varijs Historiis.

Æqualitas linearum circuli, vnde sit petenda. Quomodo omnes nostræ actiones possint in æqualitate sua consistere.

Dicitur Archimedes insudasse diù in indagine figuræ vnius, quæ tandem deprehensa iubilans exclamauit, εὕρηκα, εὕρηκα, id est, *inueni, inueni.* Ego isto articulo locupletius arcanum verso, petitum è fontibus Mathematicæ: videlicet qua ratione actiones nostræ omnes seruare queant eumdem iustitiæ tenorem, ita vt ab æqualitate nec latum vnguem discedant. Res operosa sanè, & quæ vno duntaxat modo potest confici: eo nimirum, quem meminit Euclides, hanc vnam viam dicens esse ad faciendas omnes lineas æquales eiusdem circuli, si à centro & non aliunde ducantur lineæ omnes. Vnde illæ lineæ omnes, si sunt æquales, sufficienter probant sua æqualitate, se à centro suum sumpsisse exordium. Sic ille: *Si intra circulum puncto signato, ab eo plures quàm duæ lineæ ductæ ad circumferentiam fuerint æquales, punctum illud, centrum circuli esse necesse est.* Nemo inficiatur, Deum esse rerum omnium centrum, à quo quidquid orbe toto editum est fluxit, ac proinde sacro Codice probata est tota rerum congeries, hoc contextu. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Si ergo volumus operibus nostris congruam affingere bonitatem; ab eo centro, id est Deo, actionum nostrarum ducamus exordium.

Ex MATHEMATICA.
Euclid. l. 3. elem. Geom. proposit. 9. Genes. 1.
Ex officio Eccles. ad Matut. feria 2.

Ad hanc regulam Mathematicæ nos Ecclesia prouocat, Deum sic deprecata.

Somno refectis artubus,
Spreto cubili surgimus,
Nobis Pater canentibus
Adesse te deposcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat:
Vt actuum sequentium
Tu Sancte sis exordium

Ita autem auspicari suas omnes lineas, seu actiones, illud est à centro priores ductas incipere, ac proinde se initiare sacris iustitiæ ritibus, ita vt non sit hallucinandi locus ei, qui Deo afflatus, nihil prorsus adoritur, nisi Domino pelliciente. Et hoc, appositè ad versiculum Euangelij, est duci à Spiritu. Qui verò aliunde, quàm à centro petunt agendi exordia, non sibi semper constant, sed in pleraque dissona & inæqualia impingunt, vt fecere Hebræi, qui contendentes in terram promissionis, nihil nisi Deo annuente proponebant. Vbi verò præteriere ad morulam Dei auspicia, decepti sunt à Gabaonitis, simulantibus se finitimas orbis oras incolere. Erroris huius hanc prætexit causam sacra Historia, sic perorans: *Susceperunt igitur de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt.*

Malè cedit, aliquid auspicari Deo inconsulto.
Iosue 9.
Hebræi quare sunt decepti à Gabaonitis.

Melius longè cessere negotia illis, qui communicato cum Deo consilio, eius flamine perciti sunt. In his prior occurrit Constantinus ille Magnus Imperator, cui vt fidei lumen illuxit, semper inolitum fuit Deo commendare præcipua orbis negotia. Et ne quis singulari Principis industriæ daret prosperos rerum exitus, ille voluit numisma cudi, in quo ipse Constantinus erat orantis habitu, vt sic rescirent omnes, esse in Deum refundendum, quidquid secundum hactenus aspirarat. Quippè Christianus Imperator hoc omnibus voluit esse palàm, maxima quæque bella citiùs confici Deo duce, quàm numeroso milite comparato. Ille idem suo pietatis œstro percitus, mutato labaro, seu prætorio signo Imperij, Crucem ei substituit, ea præeunte ducens agmina in Maxentium Tyrannum Romanorum, quo occiso, in medio foro crucem erexit, hac subiecta professione fidei: *Salutari hoc signo Romanus principatus & vniuersum Imperium custoditur.* Summa sanè gloria dignus Imperator, quia gloriam hominum aspernatus, in Deum contulit illud omne, quo applausum poterat aucupari. Idcircò vt

Ex HISTORIA.
Euseb. l. 4. vita Const.
Constantini pietas expressa proprio eius numismate.
Crucis virtus quàm sit salutaris.
Euseb. l. 1. vita Const.
Maxentius Tyrannus signo crucis debellatus.

Constantinus quare nuncupatur Magnus. Quomodo se accinxit Theodosius Magnus ad pugnam cōtra Tyrannos.

vt Deo fœnerari, locuples est lucri compendium, Constantinus numismate idoneo, & Cruce erecta, confessus se imparem esse tot rebus egregiè gestis Deo auctore, dum se minimum probat, nomenclaturam Magni accepit, humilitate eius congruo nomine decorata.

Celeberrimum etiam in eo argumento prostat exemplum Theodosij Magni, æmulati pietatem vt & gloriam Constantini. Nimirum Maximo Tyranno rerum potiente, occiso Gratiano Imperatore, & fugato Valentiniano, Theodosius parans expeditionem in nefarium & perduellem hominem, misit legatos ad Ioannem Monachum, quem Hieronymus multis commendat, vt cum consuleret de dubio belli euentu, eum deprecatus, vt Deum faceret propitium sibi molienti exterminium hominum impiorum. Sic facinus hoc meminit Augustinus ita fatus: *Cum Maximum terribilem faceret ille successus, nempè obitus Gratiani, cum fuga Valentiniani; Theodosius in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas atque illicitas: sed ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem Dei seruum prophetandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat, misit, atque ab eo nuntium victoriæ certissimum accepit.* Eadem propè commemorant Ruffinus, & Euagrius. Ad eamdem Theodosij pietatem spectat eius anxia cura sollicitandi Senuphium eremitam sanctissimum, vt veniret Constantinopolim, suam collaturus operam rebus afflictis Imperij collabentis. Quod cum renueret facere Senuphius, & non omninò indonatum vellet esse Theodosium, transmisit superhumale suum, & baculum, monens eum scriptis, vt hoc tegumentum suo capiti imponeret ingruente prælio, baculumque manu proferret, & pro indubio haberet, se hoc paludamento instructum fore victorem. Nihil cunctatus Imperator, hoc Senuphij tegmine vtroque concurrente exercitu, adeò terribilis apparuit hostibus, vt perterrita acies inimica verterit terga, Theodosiô magnam edente stragem, & victoria integra potiente. Recensent hoc facinus Metaphrastes, & Michaël Glicas. Didicit Imperator, eum non esse inermem, cui Deus adest, aliis deficientibus armis, & gratiam Dei cùm influit, conferre luculentam armorum supellectilem.

Hier. ad Ctesiphontem. Aug. l. 5. de ciu. Dei c. 26. Ruff. l. 2. c. 32. Euagr. l. 1. vita SS. Patr.

Opes Senuphij monachi refert victoriam Theodosius Imperat.

Metaphr. die. 31. Ianu. Glicas p. 4. Annal.

Rursus idem Imperator aduertens, alium tyrannum nomine Eugenium suam velle tyrannidem stabilire, conciliatis animis hominum Ethnicorum, quos in consilium adsciscebat, delinitus oraculis Gentilium, qui pollicebantur rei rerum summam, si restitueret cultum idolorum. Theodosius inquam, vt Eugenium illum fautorem idolorum prosterneret, acriter animaduertit in omnia simulacra, ratus se conciliaturum sibi Deum, si tutaretur eius partes, priscis idolorum cultibus antiquatis. Ecce legem editam ab eo, in gratiam obsequij, quod vni Deo tantùm debet exhiberi. *Nullus omninò ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla vrbe, sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam cædat, vel secretiore piaculo larem, ignem, penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat. Quòd si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere: ad exemplum maiestatis reus, licita cunctis accusatione delatus, excipiat sententiam competentem, etiamsi nihil contra salutem Principum, aut de salute quæsierit. Sufficit enim ad criminis molem, naturæ ipsius leges velle rescindere, illicita perscrutari, occulta recludere, interdicta tentare, finem quærere salutis alienæ, spem alieni interitus polliceri. Si quis verò mortali opere facta, & æuum passura simulacra imposito thure venerabitur, ac ridiculo exemplo metuens, subitóque ipse vel redimita vittis arbore, vel erecta effossis ara cespitibus, vanas imagines humiliore licet muneris præmio, tamen plena religionis iniuria honorare tentauerit: is vtpote violatæ religionis reus, ea domo, seu possessione mulctabitur, in qua eum Gentilitia constiterit superstitione famulatum. Namque omnia loca, quæ constiterit vapore fumasse, si tamen ea in iura fuisse thurificantium probabuntur. Fisco nostro associanda censemus. Sin verò in templis, fanisue publicis, aut in ædibus, agrisue alienis tale quispiam sacrificandi genus exercere tentauerit: si ignorante Domino vsurpata constiterit, viginti quinque libras auri mulctæ nomine cogetur inferre: conniuentem verò huic sceleri par ac sacrificantem pœna retinebit.* Hac pietate vt probatissima panoplia Theodosius Eugenium fregit, & ingloriè habitum trucidauit.

Theodosij fides magna.

Ex Ivre Civili. *Lege 12. Codice Theodos. De paganis.*

Edictum pro exterminio Idolorum.

Theodosius vt sibi conciliaret Deū, omnia idola comminuit.

Templa idolorum exterminata à Theodosio Magno.

Ad hoc etiam argumentum pertinet vetus institutum Regum Galliæ, quibus indultum est cælitus famosum illud labarum flammeum, vulgo, *Orislamme.* Eo vexilli desuper illapso vsi sunt Reges, vbi agebatur de summa rerum: mosque fuit accipere de manu Episcopi Parisiensis hoc militare signum, vt bellum auspicatum Deo consulto cederet pro votis Gallorum, quibus ideo sæpe sæpius præstò Deus adfuit. Non est frustranda Hispania debito etiam honore in hoc themate: nimirum illic reliquiæ Sanctorum magno semper honore habitæ sunt, & præcipuè Sancti Vincentij Martyris, quem beneficum experti sunt in præliis. In eo genere pietatis excelluit Vamba Rex Hispanus, qui audita defectione Pauli tyranni, qui Regias infulas impudenter assumpserat, & numerosum conscripserat exercitum, noluit tyranno occurrere, quin omnium Sanctorum suffragia fecisset sibi propitia, multis eo fine votis emissis. Cœlitum ope cataphractus Rex Hispanus, congressus est cum tyranno, quem in vincula coniectum accepit pro dignitate facinoris. Et ne ingrati animi notam incurreret, totam mœnium coronam cinxit multis Sanctorum iconibus, quasi tutoribus vrbis Toletanæ, vt alibi recensui. In tesseram animi sui memoris gratiæ acceptæ, hos versiculos inscripsit.

Vos Domini Sancti, quorū hic præsentia fulget
Hanc vrbem, & plebem, solito seruate fauore.

Ex Historia. *Historia Gallica in Clodoueo.*

Galliæ Reges cœleste labarum [illegible].

Vamba Rex Hispaniæ gloriosam de Tyranno victoriam reportauit omnium Sanctorum petito suffragio.

Simili ferè pietatis argumento Edoardus primus Rex Angliæ fecit sibi nomen grande. Nam Principibus parantibus expeditionem in Saracenos, ille vesti suæ assuit crucem purpuream, hac tessera protestatus, se à Dei ope bellum illud incipere, & non à proprio Marte. Vtque Deum demulceret, & sibi faceret propitium, legem tulit, qua Iudæis omnibus indixit exilium, dicens posse se cōuti inimicis Christi, vt virtutem Christianæ Crucis posset integram experiri.

Edoard. I. Rex Angliæ quo pio apparatu se accinxit ad bellum.

SENSVS MORALIS.

Fit anima Deo influente vegetior.

In hæc verba:

Ductus est IESVS *à Spiritu in desertum.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Ex Symbolis et SS. Patribvs.

Ægyptus quare scateat virulentis animalibus.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus p. 2. Theatri.

QVia Ægyptus stagnantibus aquis alluitur nescia pluuiarum, scatet virulentis animalibus, incognitis vbi terra madet imbre; ita & anima, cui duntaxat suppetunt humana auxilia, multis est obnoxia deliquiis, quibus eximitur, Deo cœlitus influente. Ideoque placet animæ affingere lemma, cuius ideam refert Ferrus, pingens examen apum actum imbre defluente. Ea nempe est indoles apum, ex Aristotele, vt pluuiâ affluente magnum capiant incrementum. Itaque apibus fœtis imbre copioso apponitur hæc epigraphe: CREBRIS IMBRIBVS AVCTÆ. Hoc symbolum apprimè quadrat animæ, in quam copiosus gratiarum imber influit. Anima hæc gratia irrorante multis virtutum floribus vernat, fitque in dies seipsa robustior, vt diaboli arietantis impetus frangat, quibus alioquin impar est, si propria tantùm virtute freta cum dæmone congreditur. Cùm namque anima sauciata sit plagâ Adamo inflictâ, nequit proprio Marte validos ausus diaboli ferre impunè; sed diuinæ opis indiga est, duntaxat CREBRIS IMBRIBVS AVCTÆ.

Gratia significata nomine aquæ. Ioan. 4.

Ex SS. Patribvs. Chrysost. hom. 33. in Ioan. Ioan. 7. Chrysost. hom. 50. in Ioan.

Gratia quare typo aquæ designetur.

Nec id insolens est Scripturæ Sacræ, gratiam censere nomine aquæ, iuxta phrasim Christi sic loquentis: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hunc locum Chrysostomus ita versat: *Gratiam appellat aquam, vt significet ablutionem, & refrigerium, quibus ipsum accipientes animi fruuntur. Etenim tanquam hortum virentem, & fructiferis & semper florentibus arboribus comantem, ita promptam animam disponit, vt nulla anxietate, nullis Satanæ insidiis distrahi sinat; sed omnia ardentia malitiæ tela extinguat.* Rursus ille explicans illa Christi verba affinia superioribus: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ita commentatur: *Gratiam flumen vocat, vt eius abundantiam significet. Et hanc aquam viuam dicit, hoc est, semper operantem. Spiritus enim gratia, cùm menti illapsa est, eamque irrigarit, omni fonte vberiùs scaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam stat. Simul autem, & indeficientem copiam, & incredibilem operationem, & fontes, & fluuios appellauit.*

Idem Homil. 46. in Genes.

Profectò animæ his gratiarum CREBRIS IMBRIBVS AVCTÆ florent & congruos parturiunt fructus bonorum operum, & eo veluti succo viuido roborantur; iuxta illud gratiæ elogium Chrysostomo auctore: *Gratia est nostra armatura solida, & inexpugnabilis; hæc, nostra maxima diuitiæ, per hanc & Ismahel quamuis adolescens, & in solitudine, verumque omnium inopia statim creuit, & in Gentem magnam factus est, quia Deus erat, inquit, cum puero.* Appositè equidem explicaui de gratia præfatum illud symbolum de imbribus: nimirum multa fauent. Primò pluuia deorsum est; ita gratia de supernis. Secundò largiter influit imber; ita & Deus gratiam liberali manu infundit. Tertiò stillant aquæ cœlitus, nullo pretio comparatæ; ita gratia dicitur gratia, quia gratis data. Quadrant ista Hieronymi verba petita ex Scriptura, quam expendit. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis pecuniam properate, venite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. Hæc aqua gratiam Spiritus Sancti significat, de qua Propheta mystico sermone resonabat: Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Et iterum: Apud te est fons vitæ. Qui ipse de se loquebatur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; & foderunt sibi lacus contritos, qui aquas continere non possunt. Præcipiturque sitientibus, vt nequaquam bibant aquas turbidas, & tumentes gurgites Assyriorum, sed pergant ad aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, nec timeant si argentum fortè non habeant, sed audiant Apostolum dicentem: Gratis salui facti estis. Mirumque in modum emunt aquas absque pecunia, & non bibunt eas, sed comedunt. Ipse enim, & aqua, & panis est, qui de cœlo descendit.*

Gratiæ cum aqua affinitas multa.

Hieronym. in c. 55. Isai.

Psal. 41. Psal. 35.

Ierem. 2. Isai. 45. Ephes. 2.

Cùm Ecclesia Deo afflata rogat, vt rorent cœli desuper, & nubes pluant iustum, nonne orat vt sint animæ nostræ gratiarum CREBRIS IMBRIBVS AVCTÆ? Quasi diceret, esse marcidum omne, quod non cœlitus irrigatur. In ea etiam metaphora stetit Bernardus, Christo affingens nomenclaturam fontis, variosque enumerans vsus scaturientes in gratiam animarum. Sic ille: *Fons nobis Christus est, vnde lauemur; vnde aqua significat Christum, quoniam sicut aqua lauat, ita de ipso scriptum est: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris: verumtamen non iste solum aquarum est vsus, nec tantùm sordes abluunt, sed & sitim extingunt. Beatus, ait sapiens, qui in iustitia morabitur: quia sapientiâ salutaris potabit illum. Tertius aquarum vsus est irrigatio, quam maximè necessariam habent nouellæ plantationes, alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo deuotionis aquas, quisquis seminauerit bonorum operum semina, vt irrigatus fonte gratiæ, bonæ conuersationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat.* Diceres Sanctum hunc alludere ad symbolum apum, quæ sunt CREBRIS IMBRIBVS AVCTÆ. Si enim Salomon hominem pigrum misit ad formicam, vt in eius schola addiscat actionis impigræ rudimenta; quidni & fas erit suadere hominibus, vt meditentur, quàm feraces sint apes largo imbre fœtæ, & inde æmulando solertiam apum, gratiarum capiant incrementum?

Bernard. serm. 1. de natali Christi.

Homo instruendus à bestiis.

Bernard. vbi supra.

Christus est plurium fontium scaturigo.

Redeamus ad Bernardum reponentem salutis nostræ summam penes Christum, fontis nomine recensitum. Sic ille pergens in themate proximo: *Putasne inueniri poterit quartus fons, vt paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnissimum? Nam si terrenum paradisum denuo nobis non reddendum speramus, quomodo regnum cœlorum sperabimus? nunc autem & paradisum habemus multo meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt: & paradisus noster Christus Dominus est, in quo tres quidem fontes iam inuenimus, nunc autem & quartum quæramus. Habemus de fonte misericordiæ ad diluendas culpas, aquas remissionis: ha-*

bemus de fonte sapientiæ ad potandam sitim nostram, aquas discretionis: habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas deuotionis: quæramus ad decoquendos cibos aquas feruentes, aquas æmulationis, hæ nimirum condiunt, & decoquunt affectiones nostras, ebulliunt de fonte charitatis, vnde ait Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis, & vide ne fortè de fontibus istis prædixerit Isaias: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: nam vt promissionem hanc vitæ præsentis esse noueris, non futuræ; sequitur: Dicetis in illa die, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Inuocatio quippe præsentis temporis est. Porro quatuor istos fontes adhuc in carne viuentibus nobis in semetipso Christus exhibet. Quintum, qui est fons vitæ post hoc ipsum sæculum repromittens, ad quæ sitiebat Propheta cum diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: fortassis propter hos fontes quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc viuens in Cruce: propter quintum, cum iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Viuebat adhuc quando foderunt ei manus, & pedes, vt nobis adhuc viuentibus quatuor fontes ex seipso proferret. Quintum pertulit vulnus, cum iam expirasset, vt in se nihilominus quintum fontem post obitum aperiret. Hæc Bernardus.

Quare Christus in quinque locis vulneratus est.

Athletæ olim vncti oleo, & quare.

Vt olim athletæ vngebantur oleo, rati viuaces esse artuum compages, hoc vnguine illito, ita gratiæ vnctione præuia tantùm debet homo suum caput obiicere discrimini, dum agitur de conflictu animæ cum vitiis, quibus profectò est impar anima, si gratiæ Dei illapsu & imbre minimè recreetur.

SENSVS MORALIS.

SECVNDA PROPOSITIO.

Secessus à mundi consortio, congruus est apparatus ad superanda diaboli tentamenta.

In hæc verba:

Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

ARTICVLVS VII.

EX SANCTIS PATRIBVS.

Plutarch. in Fabio Max.

Populante Italiam Hannibale, Senatus Romanus esse ratus est è re sua, decernere ducem inclytum, qui si non armis, saltem industriâ remoraretur progressum Hannibalis. Eo fine Consulatu inauguratus est Fabius ille Maximus, qui viribus impar Hannibali proposuit agere arte, si non Marte. Hæc præcipua eius cautela fuit, vt Hannibale multis belli impedimentis grauato, & permeante campos, ipse assurgens lectissima licet exigua militum manu, iugis montium insideret. Ea namque industria cauit insidias Hannibalis, multo rerû vsu callidissimi hostis, & opportunum nactus est tempus adoriendi Pœnorum castra incuria, quibus ipse semper Fabius imminebat. Quem igitur explicato exercitu Fabius non ausus est aggredi in aperto campo, hunc velitari certamine lacessiuit crebrò, tempestiuè de montibus irruendo. Vnde cùm Marcellus Fabij collega duceret Aquilas Romanorum contra Hannibalem, nec tamen Fabius descenderet è statione sua, quam fixerat in montibus, vbi castra metabatur, dixisse fertur suis proceribus manu indicens Fabium montibus incubantem: Nubes illa discurrens in montibus, malo omine nobis à tergo est; periculum namque est ne instet in perniciem nostram, videlicet graui grandine in nostra capita defluente. Nasuti hominis veridicum fuit præsagium: nam Fabius desuper irruens in incautos crebras retulit victorias, seque ipsum præstitit incolumem, quamuis æmulum haberet orbe toto rerum gloriâ diffamatum.

Congruum exordiû pro concione de solitudine.

Non est aspernatus illam industriam Dominus Iesus, congressurus cum Angelo susurrone; quippe se recepit in locum semotum à turbis, scilicet in desertum, quod dicere non cunctabor montem, quia locus est veluti secretus à terra, & proinde homines subducens omni populorum commercio. Illinc Christus quasi desuper Angelum apostatam despiciebat, flocci pendens omnem illius armaturam, vt infirmam aduersus eos, quibus hoc stat propositum tenax, deserti montibus insidere. Nec sanè ob aliam causam strenuus hic athleta deserti aleam elegit, nisi vt succurreret homini, suo exemplo docens, secessum à mundi consortio esse instructissimam panopliam ei, qui meditatur amplos triumphos de dæmone reportandos. Experti Patres Sancti, quantum prosit hic secessus; & contra, quibus dispendiis obnoxios efficiat mundus asseclas suos, longas panegyres texuerunt in gratiam solitudinis, vt aptissimæ ad Deum demerendum earum virtutum praxi, quibus est fœta solitudo.

Quare Christus elegit desertum ad pugnandû cû diabolo.

Solitudo locus idoneus ad Deû demerendû.

In gratiam eius solitudinis, ait Chrysostomus, Ezechielem dignatum fuisse arcanis Dei, iuxta fluuium Chobar, quasi illa intercapedo posita inter vrbes & hoc flumen esset idoneus locus ad illapsum gratiarum Dei. Sic ille: *Hic ad Chobar fluuium, quomodo Daniel ad Tigrin diuinam accipit reuelationem. Quoties enim Deus nonnihil explicaturus suis famulis est, extra vrbem tumultumque hominum ducit, & loco tranquillo constituit, quo nullis rebus, quæ sese aut oculis aut auribus offerant, animus interpelletur, sed liber omnino & otiosus vacet eorum quæ ipsi diuinitus aperiantur contemplationi.* Hieronymus multiplici vulnere sauciatus, dum sæculo implicitus attenderet rebus sæcularibus, altè ingemit eis, quos mundus adhuc implexos tenet suis nexibus irretitos. Ille amicum suum Heliodorum sollicitat, vt consulat sibi fugâ, dando libellum repudij mundo, oppignerando fidem suam sanctæ solitudini. Accipe querulas voces animæ memoris ruinæ à mundo acceptæ. Sic fatur illacrymans: *Ego non integra rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum premoneo; sed, quasi nuper naufragio eiectus in littus, timida naui gaturis voce denuntio: In illo æstu Charybdis luxuria salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla renidens fauæ libido blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pyrata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, magnos hic campus montes habet. Intus inclusum est periculum, intus est hostis. Tranquillitas ista tempe-*

Ex SS. PATRIBVS. *Chrysostom. hom. 3. De incomprehensibili natura Dei.*

Hieronym. epist. 1. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ.

Hieronymus solitudine sanat vulnera accepta in sæculo.

stas est. Sed forsitan dicturus es: Quid, ergo quicumque in ciuitate Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa quæ cæteris, &c. Desertum Christi floribus vernans. O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis extruitur. O eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis in sæculo qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum vmbræ premunt? Quamdiu te fumosarum vrbium carcer includit? Crede mihi nescio quid plus lucis aspicio. Infinita eremi vastitas terret. Sed tu paradisum mente deambula. Quotiescumque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. In eo argumento multa luculenter congerit ille spatiatus eleganter.

Hieronym. epist. 28. ad Lucinum.

Idem Hieronymus, deserti amore flagrans, hunc suum affectum in horrida illa & inculta loca voluit omnibus ingerere. Vnde vbi audiit, familiarem suum hoc genus vitæ iniisse, ad eum transmisit istam epistolam. *Piscator hominum, misso reti Apostolico, te quoque inter innumera piscium genera traxit ad littus. Reliquisti amaros fluctus, salsos gurgites, & Leuiathan regnantem in aquis; cum Iesu deserta expetens contempsisti, vt posses illud Propheticum canere: In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Et iterum: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate. Obsecro te & moneo parentis affectu, vt qui Sodomam reliquisti, ad montana festinans, post tergum ne respicias, ne aratri stiuam, ne fimbriam Saluatoris, ne cincinnos eius, noctis rore madefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas, ne de tecto virtutum, pristina quæsiturus vestimenta, descendas, ne de agro reuertaris domum, ne campestria cum Loth, & amœna hortorum deligas, quæ non irrigantur de cœlo, vt terra sancta, sed de turbido flumine Iordanis, postquam dulces aquas maris mortui commixtione mutauit. Abrahæ dicitur: Egredere de terra tua, & de cognatione tua; relinquit Chaldæam, relinquit Mesopotamiam: non enim arbitratus est, simul se habere posse & patriam, & Dominum.*

Mundi consortia lethalia sunt homini.

Solitudinis gratia cautè est tenenda.

Rursus ille audito masculo Bonosi proposito, qui conuasatis mundi sarcinulis, eas abiecerat, vt solitudini nomen daret, miris encomiis nobilem illum hominem effert, & ei applaudit magnâ eloquij pompâ, Ruffino enarrans constantiam hominis huius; vastæ solitudinis desiderio capti. Ita Hieronymus: *Bonosus scalam Iacob iam scandit, portat crucem suam, nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit. Seminat in lacrymis vt in gaudio metat. Ecce puer honestis sæculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprimè inter æquales erat, contempta matre, sororibus, & charissimo sibi germano, insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est, quasi quidam noui Paradisi colonus insedit. Nullus in tanta vastitate adhæret lateri comes, solus ibi, imò iam Christo comitante non solus, videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant. Non quidem conspicit turritas vrbes, sed in noua ciuitatis censu dedit nomen suum. Horrent sacco membra deformi, sed sic melius obuiam Christo rapietur in nubibus. Totam circum insulam fremit mare, & sinuosis montium illisum scopulis æquor reclamat. Nullo terra gramine virет, nullis vernans campus densatur vmbraculis. Abrupta rupes, quasi quemdam horrore carcerem claudunt. Ille securus, intrepidus, nunc Deum audit, dum diuina relegit, nunc cum Domino loquitur, dum Deum rogat, & fortasse ad exemplum Ioannis, aliquid videt, dum in insulis commoratur.*

Hieronym. epist. 41. ad Ruffinum.

Solitudinis commoda quàm sint animæ proficua.

Vt ingeniosa pietas est ad reperienda loca Dei obsequiis idonea; Bernardus amore flagrans deserti, reperit vnde suo genio indulgeret, nactus in feracissimo solo, vbi solitudinis alicuius speciem adumbraret. Quippe in Clara-valle iecit fundamina nouæ vitæ monasticæ, qua illecti plerique nobiles, suum abdicauere satellitium, quo stipati erant in sæculo, vt in recessu Deo tantùm comite militarent, æmulati delicias Sponsæ Canticorum, quæ secreta à turbis, Deo largius vtebatur. Si ille: *Beatus qui dicere potest: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, vt posset quiescere: Transilisti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiscentiis eius, nec tenearis illecebris, profecisti, separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate praualeas. Huc vsque noli tibi promittere requiem. Erras, si extra te inuenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc peruenerit, & incunctanter fateor quiescentem, qui meritò dicat: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Atque hic verè in solitudine locus, & in lumine habitatio prorsus, iuxta Prophetam, tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu, in securitatem, & absconsionem à turbine & à pluuia. De quo & sanctus Dauid: Abscondit me, inquit, in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui. Puto ego in solitudinem hanc secessisse Sponsam, ibique præ amœnitate loci, inter amplexus Sponsi suauiter obdormisse, id est, in spiritu excessisse, quando prohibitæ sunt adolescentulæ expergefacere illam.* Quisquis ergo ad pugnam se accingit contra vitia, is secretus à turbis seorsim satagat sua prælia conficere, ne irruente frequentia populorum animus obruatur.

Solitudinis amore captus Bernardus Claræ-vallis cœnobium extruxit.

Bernard. ser. 51. in cantic.

Solitudo animæ est penes vnumquemque.

Solitudo quam sit bonorum sedes.

SENSVS MORALIS.

Solitudo valida est armatura contra illud omne, quod potest aliquod facessere animæ negotium.

In hæc verba.

Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

ARTICVLVS VIII.

EX HISTORIA, EX SS. PATRIBVS.

IMmortale sibi fecit nomen Leonidas ille Spartanus, qui expedito milite conscripto occurrit Xerxi Persarum Regi, quem stipabant ter decies centena millia virorum armatorum, qui omnes in Græcorum capita coniurarant. Leonidas fretus præsidio loci eminentis in angustiis montium, adorsus noctu castra Persarum posita in ima crepidine

Leonidæ Ducis facinus egregium.

Montium commoda in re bellica.

pidine montis, tantam edidit stragem, vt non aliunde finem feriendi fecerit quàm viuendi: quippe toto irruente exercitu magis obrutus est, quàm vlla armorum industria superatus. Diodorus Siculus ait, proditorem Græcum indicasse Persis cliuũ, quo circumeuntes montem possent circumuenire Leonidam, eius alta statione fortiter occupata, qua stante integra, parua militum manus remorata est victorias exercitus numerosi. Ita etiam res cessit plerisque, qui secedentes à seculo, & quasi positis castris in edito loco, sæpe sæpius de dæmone triumpharunt. Sed vbi solitudinem pertæsi deserunt locum mundo, repetentes priscos vitæ abdicatæ ritus, ingloriè confossi multo vitiorum vulnere ceciderunt. Huius ruinæ indices sunt apostatæ omnes, qui redeuntes ad vomitum, vitam agunt multis vitiis obnoxiam. Vt secus, qui emisso voto militandum deserto religionis, quamdiu sibi constant, innumera propè erigunt trophæa de dæmone lutulenta.

Solitudinem pertæsi religiosi sunt dyscoli.

EX HISTORIA. *Laërtius lib. 6. de vitiis Philosophor.*

Quamuis opaca Gentium Philosophia fuerit incuria praxis solidæ virtutis; tamen æmulata speciem aliquam virtutis ementitæ, credidit animum, discretum à turbis esse aptiorem studio Philosophiæ. Ideo Pythagoras diu in subterraneo specu delituit, sortitus hoc secreto famam diuini consortij: credula namque illa ætas, arbitrata est hominem gaudere Deo, quem omnino non caperent hominum commercia. Ad arbitrium Pythagoræ cessit eius secretio ab hominum cœtu: siquidem illi suspicionem fecit abditæ deitatis, magnumque auctoritatis pondus adiecit eius disciplinæ, quam vt cœlo illapsam eius discipuli susceperunt. Exemplo Pythagoræ, Græcia subodorata est in solitaria vita quidpiam supra hominum indolem, ideoque venerata est Timonem Nicæum, cui potior erat cura à consortio hominum abhorrere. Magni etiam fecit Hippocrates illud vitæ institutum, quod hominem turbis eripit: ideoque cùm rogaretur ab Abderitis, vt eò se conferret, in gratiam Democriti Philosophi, quem crediderant excidisse mente, quia tacitus loca semota sedulus inquirebat. Respondit ille Medicorum summus, audito instituto Democriti, habere in eo quod suscipiat magis quàm quod sanet: & illud schema vitæ esse sartam tectamque animæ sanitatem, nulloque modo melius sibi consuli contra pestilentem hominum auram, quàm recipiendo se in tuta solitudinum loca. Christiani supremo flamine perciti, sibi cauerunt capessentes illud vitæ genus, rati se nacturos illic requiem, cuius in sæculo fuerunt expertes. Quodque demirere magis, homines, penes quos fuit rerum summa, depositis infulis abdicarunt se principatu, vt sibi duntaxat in secessu tutiùs imperarent.

Pythagoras secessu quæsiuit sibi nomen. *Laërtius lib. 9. c. 12. Hippocrates epistola ad Abderitas.*

Democriti solitudo laudata.

Michaëlis Imperatoris secessus in eremum. *Zonaras lib. 4. c. 5. Bonfinius l. 4. Decad. 2.*

In his occurrit Michaël Curopalates Constantinopolitanus Imperator, qui multis trophæis inclytus, ad perennius Imperium anhelans, relicto Imperio se contulit in eremum, expertus animum esse securiorem in Dei obsequio, quàm mundi regimen ambiendo. Multas ille retulerat victorias: sed semel malè habitus à Bulgaris, vt fortuna aspirans parum est sui propositi tenax, adeò acerbè tulit versatas prosperæ auræ vices, vt se totum mundo subduxerit, Christo Domino iugiter obsequendo. Vtinam omnes, quos malè quotidie excipit mundus, darent ei libellum repudij, ei indicendo vt valeret, suaque sibi res haberet: profectò sors iniqua cederet eis in animæ fœnus; si ex vndoso rerum ponto se se reciperent ad littus, canentes receptui post multa dispendia accepta. Ita sibi cauit Salomon Hungarorum Rex, qui regno pulsus, in animum suum induxit ambire regnum perennius, quo quis inauguratus est, eo nusquam excidere potest. Itaque secluso aditu ad regnum Hungariæ, hoc sibi pensum indixit, scilicet omnem mouere lapidem, vt compos fieret regni cœlorum. Eo intento Istrum glacie concretum traiiciens, eremum adiit, vbi terreno principatu abdicato, se præstitit dignum cœlo, à quo fortè procul abfuisset, si ei in proprio regno omnia constitissent. Non est prætereundus in hac serie historiarum beatus Fiacrius illustri Scotiæ Regum sanguine satus. Is Eugenij IV. Regis filius, clam secessit è patria, & appellens in Galliam humili habitu, vt suspicionem sui regij stemmatis adimeret, petiit à Sancto Pharaone Episcopo Meldensi locum, in quo Deo sedulus inseruiret. Vbi cum virtutum eius fama recrearet omnes sua fragrantia; Scoti mortuo Rege suo miserunt in Galliam, vt reducem Fiacrium reciperent: sed ille Deo reuelante subodorans Legatos ad se trãsmissos, petiit à Domino sui propositi constantiam, ne nutaret, sollicitantibus eam Scotis. Annuit Deus; nam ad ingressum Legatorum, Fiacrij corpus leprâ respersum est, cuius horrore adeò perculsi sunt Scoti, vt noluerint ei facessere negotium. O hominem æquum rerum æstimatorem! qui solitudinem lepra infectam prætulit regno, quia plerumque regiis infulis alia tetrior affricat, quam nihil nisi virtus emerita tergit.

Salomõ Rex Hungariæ secedit in eremum.

Fiacrij Principis amor in solitudinem.

Guaguin. l. 6. histor. Franc.

Fiacrius satiùs ducit, leprâ respergi, quam deserere solitudinẽ.

Quàm conducat ad salutem vita discreta ab hominum cœtu, palàm ostendit Petrus Moronus, qui euectus ad summum Ecclesiæ apicem, factus Papa nomine Celestinus, desiderio suæ solitudinis captus; abdicauit se Pontificatu, timens iacturam facere in turma earum virtutum, quas obstetricante eremo congregarat. Sciebat quippe Deũ familiariùs adesse eis, qui absunt à tumultu rerum infimarum, vt expertus est Ezechiel vates, assuetus diuino commercio. Is nimirum ait, manum Dei factam esse super se, cùm esset iuxta fluuium Chobar, quem locum enucleans Gregorius ita commentatur: *Quando egreditur in campum, fit ibi manus Domini. Ad videndam gloriam Dei, non ad pugnandum egreditur. Et hoc animaduertendum, quòd in medio captiuorum sedentium, ipse sedens Propheta, gloriam Domini non viderit. Egressusque in campi latitudinem, vidit stantem gloriam Domini, quam priùs viderat ambulantem, & eleuantem se, & interdum stantem. Quia iuxta fluuium sæculi huius Chobar, gloria cernebatur, quod significat omnem mundi huius gloriam præterfluere, & gradum stabilem non habere. Gloria autem Domini stans, & perseuerans, cum stante Propheta videtur in campo, qua in medio captiuorum, nec stare poterat, nec videri.*

EX SS. PATRIBVS. *Gregor. l. 1. in cap. 3. Ezechielis.*

Quia secessum magni momenti dæmon scit esse ad victoriam reportandam de vitiis, ea qua potest industria contendit, vt homines mundi nexibus implectat, eos ita minùs expeditos efficiens ad conflictum. Hoc animarum discrimen luget Ambrosius hoc contextu: *Frequens nobis sermo est de fugiendo sæculo: atque vtinam quam facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites animoque voluas. Quod cauere difficile est homi-*

Ambrosius lib. de fuga sæculi c. 1.

Quàm sit plenus periculis mundus.

ni

ni, exuere autem impoſſibile. Ad ſæcularia nos reuocant cogitationes noſtra, mundana inſerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque in tempore, quo eleuare paramus mentem, ad terrena plerumque deiicimur. Nam quis inter tot paſſiones huius ſæculi, inter tantas illius illecebras, tutum ac intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? Omnia vanitas qua in hoc ſæculo ſunt. Qui vult ſaluus eſſe, ſupra mundum aſcendat: fugiat hunc mundum, terras relinquat, vnde niſi prius homo hunc fugerit, non poteſt percipere illud quod ſemper eſt. Et ideo Christus Dominus volens Deo Patri appropinquare, Apoſtolis dixit: Surgite, eamus hinc.

Mundus totus vanitate conſtat.

Solitudo eſt antidotum mundi.

Fugiendum eſt citiùs è ſæculo.

Vt ſibi cauerent Sancti ab hoc ſæculi contagio, nullum præſentius antidotum nacti ſunt, quàm eremum, in quo citò contendere arbitrati ſunt rem eſſe tutiſſimam, ratione periculi, quod imminet eis, qui longiores nectunt moras. Totus in ea parænesi eſt Ambroſius, vrgens homines ad citiſſimam mundi fugam. Sic ille: *Qui fugit, velociter fugiat, ne comprehendatur, velociter deprædetur hunc mundum, vt Hebræus Ægyptum. Qui parturit, pariat, ne onuſtè & grauato iniquitatibus mentis vtero fugere non poſſit, & fugiat non quaſi latentem ferens, ſed quaſi expeditum: non paruulum geſtans, ſed perfectum in Chriſto exhibens. Fugiat non quaſi feriatus in Sabbato, ſed tamquam operarius in negotio, nec tamquam ſterilis in frigore, ſed tamquam opimus in meſſe. Ideo enim dictum eſt: Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel Sabbato. Fuga hæc neſcit frigus timoris, contractionem ſollicitudinis, diſſolutionis otium, laſciuia feriæ: ſed vita cæleſtis requirit impigrum viatorem. Deſertum fuga bona eſt, ad quod fugit Elias, Eliſæus, Ioannes Baptiſta. Fugit Elias mulierem Iezabel; & fugit ad montem Oreb, vt cognoſceret Deum plenius. Ita fugit ſæculum, vt nec cibum corporis eius exquireret, niſi quem aues detuliſſent miniſtra. Quadraginta diebus ambulauit. Vtique non mulierem fugiebat Propheta tantus, ſed ſæculum. Fugiebat ſæcularem illecebram, & conuerſationis maculoſa contagionem, & impia & præuaricatricis nationis ſacrilegium. Salomon quoque in mulieris illius ſpeciem corruptelam ſæculi huius exponit, & meretricias artes declinandas edocet.*

Ambroſ. l. 1. de fuga ſæculi cap. 6.

Periculoſum eſt nectere moras vbi agitur de fugiendo ſæculo.

Hoc contextu Ambroſius locuples eſt in ſuadenda expedita fuga ſæculi, ne homo implexus remotis importunis, nequeat diſſoluere nexus, quibus ſuos mundus illaqueat. Arguit ille à malis, quæ imminent homini aſſuetuo fugacibus mundi illecebris. Sed gratior eſt arguendi ratio, qua Chryſoſtomus vtitur, vt homines inclinet ad affectum vitæ ſolitariæ. Diceres eum effudiſſe tropos omnes, quorum Rhetorica ſupellectilem conducit ad orationis integræ contexturam. Nihil quippe illibatum ſinit ille, vt eremi laudes accumulet. Sic ille orditur encomia vitæ illius ſingularis: *Solitaria vita cæleſtis doctrina ſchola eſt, ac diuinarum artium diſciplina. Eremus, eſt Paradiſus deliciarum, vbi tamquam redolentium ſpecies pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, ſic fragrantia ſpirant odoramenta virtum. Ibi ſiquidem roſæ charitatis igneo rubore flammeſcunt. Ibi lilia caſtitatis niueo candore candeſcunt. Ibi myrrha perfecta mortificationis, non ſolùm carnis, ſed quod glorioſius eſt, propria voluntatis excidit, & thus aſſidua orationis indeſinenter emanat, & igne diuini amoris ſuauiter ardet. O eremus, ſanctarum mentium delectatio,*

Chryſoſt. l. de laude vitæ ſolitaria.

Solitudo eſt ſchola virtutum omnium.

& intimi guſtus inexhauſta dulcedo. Tu caminus ille Chaldaicus, vbi ſancti pueri feruentis incendij vires orationibus reprimunt, & ardore fidei crepitantium circa ſe flammarum globos extingunt, vbi ſcilicet & nexus vruntur, & ardorem membra non ſentiunt, quia & peccata ſoluuntur, & ad hymnum diuinæ laudis anima prouocatur dicens: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tu fornax, vbi ſuperni regis vaſa formantur. O cella, negotiationum cæleſtium apotheca, in qua videlicet illarum mercium ſumma reconditur, quibus terra viuentium poſſeſſio comparatur. Fœlix commercium, vbi terrenis cæleſtia, tranſitoriis mutantur æterna. O cella, ſpiritualis exercitij mirabilis officina, in qua certè humana anima creatoris ſui imaginem in ſe reſtaurat, & ad ſua tendit originis puritatem. Tu das vt ieiuniis videantur ora pallentia, & mens diuina gratia ſit pinguedine ſaginata. Tu facis vt homo in mentis arce conſtitutus, cuncta ſub ſe videat terrena defluere. O cella, ſacræ militiæ tabernaculum, caſtrum Dei, turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Tu campus diuini pralij, vbi ſpiritus cum carne congreditur, & fortis ab infirmo ſuperatur. Qui in te ſunt lorica fidei præmuniti, ſub Imperatoris ſui inuicta protectione tripudiant, & de hoſtium ſuorum certè iam deiectione triumphant. Quibus nimirum dicitur: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et, noli timere, etſi vnus es, quia plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis. O eremus, mors vitiorum, ac proculdubio fomes & vita virtutum: quicumque ad perfectionem venerunt, tuum cognouerunt præconium.

Vita ſolitaria eſt omnibus fœta virtutibus.

Solitudinis elogia.

Luculenta illa elogia, etiam ad cæterarum virtutum inuidiam conglobata, ſuſpectam Chryſoſtomi fidem efficerent, niſi Scripturæ ſanctioris exemplis illa obfirmaret, quibus ille facer textus, etiam licitatorem agit, adiiciens encomiis, quæ multa inuexit præfatus auctor, quem denuo audire præſtat, ſuam panegyrim multo comptioris eloquij tractu protrahentem. Accipe eum exemplis adſtruentem ſolitariæ vitæ laudes antea prælibatas. Sic ille. *Moyſes tibi dedit bis accepta legis Decalogum. Per te Elias nouit Domini pertranſeuntis excurſum. Per te Eliſæus duplicem magiſtri ſui ſortitus eſt ſpiritum. Et quid amplius dicam? Quandoquidem Saluator mundi in ipſo redemptionis humanæ primordio præconem ſuum, tui accolam fecit. Tu ſcala illa Iacob, qua homines vehis ad cælum, & Angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea certa, & compendioſa, qua homines ducis ad patriam. O vita eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium ſordidorum. Tu mentium ſecreta purificas, ſqualores diluis ſcelerum, atque ad Angelica nitorem munditia peruenire animas facis. Cella nempe eſt conciliatio Dei & hominum. Ibi ſuperni ciues ad colloquia humana conueniunt, eſtque cella conſcia ſecreti conſilij, quod habet cum hominibus Deus. Cella eſt inſtrumentum, quo pretioſi lapides poliuntur, & eſt ergaſterium, vbi pretioſi lapides reponuntur. Cella Dominica ſepultura propemodum æmula, quæ peccato mortuos ſuſcipis, & per afflatum Spiritus ſancti Deo reuiuiſcere facis. Tu es ab huius vita turbida vexatione ſepulchrum, ſed cæleſtis vitæ pandis introitum. Te portum tranquillitatis inueniunt, qui naufragium mundani fluctus euadunt. Te*

Exempla quibus vitæ ſolitariæ vtilitas approbatur.

Chryſoſtom. vbi ſupra.

Solitudo defæcat animas.

Solitudo homines euehit ad ſpirituum cæleſtium commercia.

Ieremias

Ieremias aspexerat cùm dicebat: Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei. Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, & eleuabit se supra se. Habitator etenim tuus se eleuat supra se, quia Deum esuriens anima, & terrenarum sororum obtutibus erigit, & in diuina contemplationis arca suspendit. A mundi se actibus segregat. Cumque illum, qui supra omnia conspicere satagit, semetipsum quoque homo cum reliqua mundana vallis derelictione transcendit.

Cella quantarũ est virtutum parens.

Vt columba aduerso Sole renitens, perfusa radiis, innumeros ferè colores oculis obiicit, qui pro spectatorum situ variant; Ita & solitudo altè meditata tot & tantis gratiarum dotibus est respersa, vt succincta oratio nequeat earum seriem concludere. Ideo Sancti experti, quàm sit locuples solitudo, fusiore stylo gaudent eius encomia recensere. Audiendus iterum amasius vitæ illius Angelicæ, scilicet Chrysostomus affectus sui in solitudinẽ vela pandens, hoc tenore: *O cella, quæ de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina charitate feruentes. Tu ieiuniorum ac vigiliarum nutrix, tu patientiæ & pacis perfectissima custos, tu purissima simplicitatis magistra; ac omnino fraudulentæ duplicitatis ignara. Tu facis vt indisciplinati moribus a sua se prauitate compescant. Tu nostri homines ad perfectionis culmen euehere, atque ad consummata sanctitatis fastigium sublimare. Tu homines à semetipsis extraneos reddis, & prius vasa vitiorum refloreре virtutibus facis. Tu nigra, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Tu lauacrum tonsarum, & sicut piscina in Hesebon. Oculi tui sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident iuxta fluenta plenissima. Tu namque es speculum animarum, cuius contemplatione se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est, impleat; quod superfluum, reprimat, quod obliquum est, dirigat; quod deforme, componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo sancti Spiritus anulus tribuitur, & cœlesti sponso felix anima fœderatur. Rectè diligunt te, & qui te fugiunt, veritatis luce priuati, quò ponere gressus debeant, non agnoscunt. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ. Illuc enim cum Propheta Dauide voce alacri libet cantare de te: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Quàm pulchra es amica mea, & quàm decora in deliciis tuis. Tu areola aromatum, tu fons hortorum, tu malum punicum es odoris. Licet enim vescentibus amara videaris in cortice, sed magnum est, quod intrinsecus latet, cùm peruentum fuerit ad suauitatem medullæ. O eremus, mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, mœrentium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, reclusio corporum, libertas animarum. Te Dauid petiit, cùm mundi mala perferret, cùm timidi & tenebrosi cordis tædium sustineret. Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine.*

Chrysost. Ibidem.

Solitudo arx tuta contra dæmones, & vitia.

Cella amica puritatis.

Egregij tituli cellæ.

Esto sit vberrima seges illa laudum, nihilque videatur adiici posse huic cumulo: tamen solitudo pancarpium est adeò ferax & locuples, vt quidquid Sancti in gratiam eius scripserunt, sit infra dignitatem eius. Charta, quæ excepit sententias Patrum, incongrua est materia ad vitæ huius meritum explicandum. Nec tamen aliquid in eo argumento præteriret Chrysostomum, Christi incolatu ait fuisse desertum etiã honoratum. Quippe à deserto auspicatus est eos agones fortissimos, quos meminit textus sacer, ea recensione probans secessum à turbis esse probatissimam, & expeditam contra dæmones armaturam. Sic ille: *Quid amplius memorem? quandoquidem ipse Saluator omnium exordio suæ manifestationis inuisere, ac propria dignatus est habitatione consecrare. Postquam enim baptizatus est, ductus est in desertum, & erat ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & erat cum bestiis. Debitorem se tibi mundus agnoscat. Vnde prædicaturum ac mirabilia facturum, suscepisse te Deum non ignorat. O eremus, terribile malignis spiritibus habitaculum, vbi cellæ Monachorum velut tentoria ordinata castrorum, quasi turres Sion, & quasi propugnacula Ierusalem eriguntur aduersus Assyrios, & contra faciem Damasci, quod tunc fit, cum vno eodemque spiritu diuersa geruntur officia, dum videlicet hic psallitur, illic oratur, in alio scribitur, in alio verò variis manuum operibus insudatur. Quis non verba diuina huic congruere videat, quibus dicitur: Quàm speciosa tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israel, velut valles nemorosæ, & horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Deus, quasi Cedri prope aquas. Et quid dicam amplius? O vita eremitica, vita sacta, vita Angelica, vita benedicta, vinarium animarum, curia cœlestium Senatorum, odor tuus cunctorũ aromatum fragrantiam superat, faper tuus super distillantes fauos guttur obdulcat, atque adeò quidquid est, quod de te dicitur, dignitatis tuæ meritis non adæquatur: quia quod tu capis interiori gustu, lingua exprimere non sufficit. Illi te nouerunt, qui diligunt te, illi præconia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris amplexibus fideliter requiescunt. Cæterum qui se ignorant, quomodo præualent nosse te? Me etiam imparem tuæ laudis fateor, sed vnum pro certo scio, ô vita benedicta, quod indubitanter affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio perseuerare studuerit, ipse quidẽ habitator est tui, sed eius inhabitator est Deus. Exul mundi, hæres est Paradisi: abnegator sui, sectator est Christi. Hoc ausim dicere: Qui singularem vitam vsque ad finem vitæ prò diuino amore tenuerit, de habitaculo carnis egressus perueniet ad domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* Hactenus ille.

Chrysost. vbi supra.

Deserta sunt fortissima Dei castra.

Solitudinis bona non possunt concipi ab his, qui procul sunt à solitudine.

Deus adest iis qui eremum incolunt.

Vtinam familiarem haberent istam panegyrim omnes illi, qui dedere nomen suum claustro, professi vitæ genus semotum à sæculo: rarior esset religiosorum frequentia, & Christi bonus odor esset longè suauior. O viri Deo sacri, & initiati ritibus vitæ religiosæ, hoc mementote, non coire sæculum & institutum religiosum, nec eum procul esse à ruina, qui pertæsus claustrum, vagus errat in sæcularium turba. Rarus ille est, qui suo dispendio non probarit, virtutes magno labore partas in arctiore viuendi ritu seorsim, defluere & pessum ire sæcularium consortio, à quo qui non abhorret, profectò is erit citiùs abhorrendus. Nec alia prorsus via in præceps trahit homines refugas, quàm tædium claustri, Ni reducès animi retrogradò gressu repedent eò vnde deuij aberrarunt, ruina imminet illis omnibus, qui cum cella ineuntes diuortium, fœdo & suo statui incongruo obsequio, sese sæculo mancipaturnt.

Exhortatio ad religiosos, vt fugiant sæculum.

Mundus deprædatur virtutes in solitudine comparatas.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Ea præcipuè solitudo appetenda est, quæ non tam corpus quàm animam abstrahit à sæculo.

In hæc verba:

Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

ARTICVLVS IX.

Ex Symbolis et SS. Patribus.

Remora piscis est virtutis abditæ.

VVlgata est orbe toto vis abdita pisciculo, quem à facultate præcipua remoram vocant. Is vbi affinxit rostrum suum naui velis turgentibus actæ, eam iuxta sonum sui nominis illico remoratur. Simili ferè prodigio pleríque virtutum candidati, bonis auibus decurrentes aleam vitæ emeritæ, stant ingloriè nacti remoras importunas, scilicet homines mundi asseclas, quorum commercium aliquod semper virtutis tædium ingerit iis, qui incautè coutuntur hisce dyscolis ingeniis, à quibus longè abduci prudentet est sibi consulere eâ industria, quâ sibi cauit ille Bernardinus, quem meminit Ferrus, eius symbolo recensito. Pingebat ille aquilam in sublime latam, hoc titulo apposito. ELEVOR DVM SEGREGOR. Quid eo symbolo prætenderit auctor, penes illum est: sed nequaquam obstat, quin liberum sit vnicuique discurrere ad arbitrium suum in eo argumento. Vnde vt se latior campus aperiat, aio aquilam illam genuinè referre altas mentes, quæ Deo propiores sunt, quo se sæculo magis animo subduxerunt. Ea nimirum est indoles mentis humanæ, vt magis ad Deum accedat, quò plus terris eripitur: ita vt sibi aptare queat præfatum hoc symbolum, pertinens ad secessum, ELEVOR DVM SEGREGOR.

Mundus remoratur pia vota.

EX SYMBOLIS. *Ferrus in p. 2. Theatri.*

Homo terris ereptus, cœlo melius inseritur.

Si se quisque conueniat, ingenuè fatebitur, animæ suæ pennas grauari commercio rerum infimarum, quæ vt luteæ sunt, fœda aspergine inficiunt alas, minusque idoneas efficiunt ad volandum. Quisquis ergo optat eleuari, is si non corpore, saltem animo segregetur: malim namque corpore esse in medio hominum cœtu, & animo versari in cœlo, quàm corpore esse in deserto, & mente volutari in spurcissima hominum colluuie. Quippe illa propriè humana est actio, quæ fluit à forma distinguente hominem à bestiis: atqui hæc est anima: Ergò præcipuus actionum humanarum cardo vertitur in animæ statu, qui vt abstrahitur à sæculo, hominem totum euehit ad superna. Ad hunc secessum mentis pertinent illa Ambrosij verba: *Nunquam minùs solus sum, quàm cùm solus videor, nec minus otiosus, quam cùm otiosus: certè pro arbitrio arcesso, quos volo, atque adiungo mihi, quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror, nemo interpellat. Sola erat Maria, & loquebatur cum Angelo; sola erat, quando superuenit in eam Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbrauit eam, sola erat & operata est mundi salutem.* Ambrosio non obfuit vrbs opulentissima, cui præfuit, in his, quæ ad animam spectant, imò nec Mariæ solitudini molesta fuit vrbs Nazareth: nempe, licet corpore solo affixa esset, cœlo tamen firmiter adhærebat.

Solitudo animæ præferenda est corporali.

EX SS. PATRIBVS. *Ambros. l. 6. epist. 41. ad Sabinum.*

Solitudo vbique est viro sapienti.

Præcipuam solitudinis rationem non esse in secretione corporis à sæculo, sed in sedula mentis custodia, Sancti Patres eruditè probant, nihil facientes corporis exilium; si animus errabundus obambulat & discurrit orbe toto. Eò spectant illa verba Gregorij: *Vox Dei quasi per somnium auditur, quando tranquilla mente ab huius sæculi actione quiescitur, & in ipso mentis silentio diuina præcepta pensantur. Cùm enim ab externis actionibus mens sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur. Tunc verba Dei mens viuaciùs penetrat, cùm se admittere curarum sæcularium tumultus recusat. Aurem autem cordis terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit, atque in secretario mentis quantò minus curarum tumultuantium sonus compescitur, tantò ampliùs vox præsidentis iudicis non auditur. Neque enim perfectè homo sufficit ad vtraque diuisus, sed dum sic interiùs erudiri appetit, vt tamen exteriùs implicetur, vnde exteriùs auditum aperit, inde interiùs obsurdescit. Moyses admixtus Ægyptiis, quasi vigilabat, & idcircò vocem Domini in Ægypto positus non audiebat: sed postquam extincto Ægyptio, in desertum fugit, illic dum quadraginta annis degit, quasi ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus obdormiuit, atque idcirco diuinam vocem percipere meruit, quia per supernam gratiam, quantò magis ab appetendis exterioribus torpuit; tantò verùm ad cognoscenda interiora vigilauit. Rursus Israelitici populi turbis prælatus, vt legis præcepta percipiat, in montem ducitur, atque vt interna penetret, ab externis tumultibus occultatur. Vnde & sancti viri, qui exterioribus ministeriis deseruire officij necessitate coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, & legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur. Hinc est, quòd Moyses crebro de rebus dubiis ad tabernaculum redit, ibique secretò Dominum consulit, & quid certi decernat agnoscit. Relictis quippe turbis, ad tabernaculum redire, est postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare. Ibi enim Dominus consulitur, & quod foris agendum est publicè, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni rectores faciunt, vt enim exterioribus officiis inoffensè deseruiant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant, & sic vocem Dei quasi per somnium audiant, dum in meditatione mentis, à carnis motibus abstrahuntur. Hinc est, quod Sponsa in Canticis Canticorum, Sponsi vocem quasi per somnium audiret, quæ dicebat: Ego dormio, & cor meum vigilat. Ac si diceret: Dum exteriores sensus ab huius vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente viuaciùs interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat. Quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo; & dum homo sic instus viuit, quasi in deserto commoratur.*

Gregor. l. 23. Mor. c. 12.

Mẽs abstracta rebus sæcularibus Deo abundè perfruitur.

Solitudo mentalis, à Deo magis attenditur, quàm solitudo corporalis.

Moyses quomodo fuerit factus compos diuinorum.

Non itaque nimis anxiè conquirenda est illa solitudo, deportans homines in insulam: viro enim sapienti vbique solitudo. Præterea non datur omnibus eremum incolere: sua namque singulis quibusque hominibus indoles est, haudquaquam semper idonea culturæ eremi: sed penes vnumquemque est, animum in Deum refundere sine suspicione vitæ singularis, atque ita gaudere dotibus gratiarum, quæ manent eremitas.

Nihil confert solitudo, si mens anhelat ad sæculi tripudia.

Huic

Huic mundo subduci mente præcipuum est, vt memini, solitudinis cardo; vt secus concludi arctissimo ergastulo, nihil conducit ad incrementum gratiæ, si animus inquies anhelat ad tripudia hominum dyscolorum. Quia non desunt homines damnati in hanc iniquam sortem, vt pertæsi suum sanctum institutum, queruli gemant inuiti conclusi carcere claustri sui; eos carpit Gregorius, vt secus applaudit eis, quos à Deo non abstrahit hominum frequentia. Sic ille: *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe. Itaque benè conuersantibus, primùm solitudo mentis tribuitur, vt exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, vt ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importunè se afferentium leuium cogitationum, quasi quasdam circumuolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu grauitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, vbi cum illo exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. Sciendum verò est, quia nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessamus. Nequaquam nos metipsos intuemur, vt sciamus aliud in nobis esse rationale, quod regit, aliud animale quod regitur, nisi ad secretum huius silentij recurrentes, ab omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum benè Adam dormiens figurauit, de cuius mox latere mulier processit. Quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur, à rebus visibilibus oculos claudit, & tunc in semetipso, vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse possunt infirma distinguit, vt aliud in illo sit; quod regere valeat tamquam vir, aliud tamquam fæmina quod regatur.* Hactenus Gregorius.

Solitudo corporis, ret est ingrata ei qui caret solitudine interna.

Greg. lib. 30. Moral. c. 22.

Quid sit solitudo interna.

Quanti momenti sit solitudo illa interna.

Multarum animarum funera probant, eremi incolatum, si sit corpore tantùm tenus, non esse paludamentum vsquequaque integrum. Ipsa enim solitudo præcisè sumpta non est virtus, alioquin sine vlla alia adiectione hominem meliorem efficeret, cùm de ratione virtutis sit aliquam bonitatem ei affingere cui insedit. At multi in solitudine deteriores fiunt, iuxta vetus effatum, scilicet solitarium aut Angelum esse, aut dæmonem. Ergo sola corporum solitudo hominem non perficit, si non adsciscat obstetricantem secessum animæ, dantis libellum repudij curis inanibus huius sæculi, sequaces suos perfidè vincientis. Homines tantùm corpore secretos à sæculo, non esse in tuto positos, si non se etiam animo totos subduxerint mundo, eruditè monet Bernardus, ita fatus: *Multi sunt filiorum Adam, qui errauerunt in solitudine in inaquoso, illi, qui in solitudinem superbia recedentes, socialem vitam habere non volunt, quorum singularitas associari non potest. Sedent in inaquoso, quia nullo imbre lacrymarum compuncti, in terra sterili, & arenti perpetua siccitate morantur. Propterea viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, quia inueterati in terra aliena coinquinati sunt cum mortuis, deputati cum his, qui in inferno sunt. Non erat ita solitarius ille, de quo sanctus Ieremias ait: Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se. Illi errauerunt, sed iste sedebit semper, sedebit solitarius, cùm habuerit honorem singularitatis, sedebit, & tacebit à strepitu diabolicarum suggestionum, à strepitu carnalium desideriorum, à strepitu mundi.* Præcipua ergo animæ cura sit, omnes affectus suos & non corpus tantùm à sæculo segregare.

Solitudo præcisè sumpta, non est virtus. Quare solitudo multis noxia sit.

Bernardus sermone 1. in die Apost. Petr. & Paul.

Solitudo quædam affectatur à superbis.

SENSVS MORALIS.

PROPOSITIO TERTIA.

Anima, quæ vitiis bellum indixit, opportunè sibi caues ieiuniorum armaturâ.

In hæc verba:

Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

ARTICVLVS X.

Ex Theologia, et Sanctis Patribus.

Nabuchodonosor animo concipiens totum terræ dominium, tentauit remotissimas orbis oras, Imperij sui iugum vellent subire, nec ne. Vtque ad arbitrium suum inuitas etiam Gentes subigeret, copiosum instruxit exercitum, eumque lectissimo milite, & numero præpotentem. Ingens ille belli apparatus adeò perculit populos, vt plerique Reges dederint manus Holoferni, præfecto militiæ Nabuchodonosor. Ecce tenorem historiæ. *Miserunt legatos suos vniuersarum vrbium ac prouinciarum Reges ac Principes, Syriæ scilicet, Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Lybiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem dixerunt: Desinat indignatio tua circa nos: melius est enim vt viuentes seruiamus Regi magno Nabuchodonosor, & subditi simus tibi, quam morientes, cum interitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiamur. Omnis ciuitas nostra, omnisque possessio, &c. vniuersa facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt: sint omnia nostra sub lege tua.. Nos, & filij nostri serui tui sumus.* In ea historia egregiè adumbratur indoles Angeli desertoris: quippe ille à defectione sua non tulit hominem editum ad regnum Dei, ideoque suos omnes conduxit asseclas Angelos apostatas, vt singulos quosque homines suo subderent imperio. Spiritus illi nequam morem gessere Lucifero: siquidem conscripsere voluptates omnes, vt eo veluti satellitio impietatis, homines pellicerent ad dæmonis obsequium. Præcipuum robur exercitus diaboli fuit penes Venerem & Bacchum; potior namque hominum pars & gulæ & luxuriæ litat, sua omnia deuouendo Angelo susurroni.

Iudith. 3.

Egregia figura dominij, quod diabolus vsurpauit in homines impios.

Dæmon non tulit hominem susfectum esse in suum locum.

Dæmonis satellites voluptates.

Sed vt populus Deo sacer tempsit Holofernem, accingens se orationibus & ieiuniis; ita & hodie viri sancti dæmonum vires frangunt, eâdem ieiuniorum panopliâ sibi consulentes. Ecce Iudæorum industriam contra irruentes Assyriorum turmas. *Miserunt in omnem Samariam per circuitum vsque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium. Et muris circumdederunt vicos suos, & congregarunt frumenta in præparationem pugnæ.*

Iudith. 4.

Ieiunalis frãguntur satellites diaboli, voluptates.

pugna. Sacerdos etiam Eliacim scripsit ad vniuersos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuersos, per quos via transitus esse poterat, vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & illic custodirent vbi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filij Israel secundùm quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi, & mulieres eorum. Auspicatò sibi cauit iste populus ieiunio accinctus vt probatissima panoplia: etenim Deum ita demeruit, & insignem victoriam retulit de hoste superbo, aliis populis insultante. Eâdẽ industriâ Christus se accinxit, vt fortiter exciperet omnes dæmonum acies, quæ concordi impetu conspirarant in athletam illum strenuum diabolis illudentem. Non indiguit sanè Christus, ea cautione, vtpote supra dæmonum omnia tentamenta: sed in gratiam hominum, quos suo exemplo erudiit, ieiunus diabolo occurrit, vt iisdem armis Christiani suos acerbos hostes facilè superarẽt.

Ieiunium Christus adhibuit ad exemplum hominibus.

Ex THEOLOGIA.

Thomas 1. 2. q. 53. art. 2. 1. 2. p. 82. art. 2. q. 83. art. 3. 2.

Quàm autem conducat ieiunium ad compescendos dæmonũ ausus, disce hoc discursu Theologico. Homo vbi gratia originali excidit, & incurrit in discrimen peccati originalis, omnium virtutum passus est deliquium; earum scilicet, quæ indiuiduo nexu priscæ illi iustitiæ firmiter adhærebant. Et hoc deliquium excepit fœda propensio sollicitans animam ad omnes corporis illecebras; vnde licet originale peccatum vnum sit specie; tamen à sancto Thoma dicitur multiplex virtute, quia hominem inclinat ad omnia iniqua: nec vlla prorsus est animæ potentia, quæ non in aliquam iacturam incurrerit. Habet autem hoc peccatum duplicem processum; scilicet à carne ad animam, secundùm ordinem generationis; & ab essentia animæ ad potentias eius, secundùm ordinem naturæ. Nota tamen, carnem non esse sedem congruam peccati originalis adæquatè sumpti: nam hic defectus in semine est instrumentaliter, in essentia animæ subiectiuè, & in carne vt in pœna. Vnde quò caro vegetior est, magis etiam pœna diffunditur: & peccatum hoc etsi reatu tersum in Baptismo; fomite tamen facessit ingens negotium animæ, eam agendo stimulis importunus, vt corporis illecebris turpiter obsequatur. Ne ergo præualeat in animam, ieiunium opportunè cauet, fitque anima hac virtute magis expedita ad cohibendos carnis impetus insurgentes. Aduerte obiter me hîc agere de ieiunio, vt virtus est, & non vt mera est inedia: sic enim ieiunium, vt dicit negationem cibi, non est virtus, sed tantùm vt à ratione recta dirigitur, & imperatur. Tantùm namque aliquid virtutis indolem induit, quantùm rationis amussim participat, cuius moderamen congruum bonitatem affingit actibus humanis. Vt ergo ratio discretè moderatur appetitum, & gulæ illecebras frænat, ieiunium sortitur effectum vtique salutarem. Caro siquidem reprimitur, & anima in Deum assurgit, eò robustior, quò carnis sagina minor est.

Originale peccatum quare dicatur vnum specie, & multiplex virtute.

Originalis peccati incommoda.

Ieiunium quando sit virtus.

Ex SS. PATRIBVS.

August. lib. quæstion. vtriusque testament.

In eo argumento longè latéque spatiantur Patres, suo experimento docti, quæ & quanta referat anima dedita ieiuniis. Sic Augustinus: *Sicut corpus febricitans si accipit escam, aut potum, increscit illi calor; ita & humana corpora, quæ sanguinis feruore vruntur, vehementer exardescunt, nisi fuerint abstinentiâ gubernata: igitur enim si deest esca, sopitur. Animi est ducere corpus: si autem dimiserit illud, præcipitabit ipsum, sicut equus furiosus negligentem sessorem. Igitur necessaria sunt nobis ieiunia, sicut vulneribus medicina: medelam enim conferunt vitæ perpetuæ, ita tamen, vt duarum rerum testimonio commendentur, id est, oratione, & misericordia. Ieiunia ergo intemperantiam corporis mitigant, motus aduersos reprimunt, pressuram animæ auferunt, sicut ait Dominus: Nolite dediti esse in esca & crapula, ne grauentur corda vestra. Cùm enim anima ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit, qualis est; ita & si esca & crapula fuerit grauatus, alterum se sentit, quàm est, & tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria, vnde Apostolus: Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria. Quòd si temperatum fuerit corpus interposito ieiunio, cognitione sui recepta anima intelligit, qua deuotione obsequi debeat Redemptori: magna ergo ex parte ieiunia sunt necessaria. Sub Esther etenim Regina cùm Iudaicus populus in periculo positus esset, ieiuniis suffragantibus liberatus est. Et Niniuitæ cùm euersionis suæ præscriptum diem à Propheta audissent, ieiunio indicto euadere meruerunt. Et iusti ac Prophetæ nostri quando à Deo aliquid impetrare volebant, ieiunio se humiliabant, dicente David: In ieiunio humiliabam animam meam. Nam & Saluator, cui opus non erat, vt nobis exemplum daret, ieiunauit: & vt accepta sit oratio, consortium vult secum habere ieiunij.*

Ieiunij necessitas optimè probata ab Augustino.

Ieiuniũ animæ vires exacuit.

Iona. 3.

Psal. 34.

Errat itaque, qui benè pransus, & distento corpore aleam virtutum ingreditur; quippè hic conflictus animæ cum vitiis, postulat impastos tantùm, & ieiunos. Hac panoplia cataphractum Adã Deus ediderat, nec eum callidus hostis prosternere potuit, stante ieiunio, quo soluto hominem turpiter enecauit. Audiendus in eo themate Chrysostomus ita fatus: *Deus hominem à principio fouẽs, illico frænum ei ieiunij manibus imposuit, velut piæ amabilique matri, & magistro optimo cõmittens: Nam de omni ligno quod est in paradiso comedetis; de ligno verò scientiæ boni & mali non comedetis. species ieiunij est. Si in Paradiso ieiunium necessarium fuit, extra Paradisum multò magis. Si ante plagam vtilis medicina fuerat, multò magis post plagam. Si necdum bello voluptate insurgente, nobis arma fuerant opportuna, multò magis post voluptatum vitiorumque prælium à dæmoniis nobis illatum. Igitur necessaria à ieiunio nobis sunt auxilia.* Præfatus sum, abstinentiam debere à ratione præstitui, vt participet rationem virtutis: debet igitur ad prudentiæ trutinam appendi ieiunium, institutum ad animæ salutem, ne quid anima peccet in qualitate, aut modo cibi: siquidem vtrobique potest imprudens anima deuiare. Et quia discolor est hominum temperies, non est singulis quibusque hominibus, eadem ieiunij tessera præscribenda. Nimirum erit parca manus vni, quæ alteri prodiga annonam impertiet. Timotheo decernitur vinum; quod aliis litabit Veneri, libidinis incendia suscitando.

Chrys. hom. 2. de panit.

Adam ieiunio armatus à Deo creatus est.

Ieiunio obseruato Adã dæmone superior fuit.

Ieiunium est prudenter vsurpandũ.

Hæc igitur esto prima regula circa normam ieiunij! scilicet vt vitentur ea quæ fomitem luxuriæ fouent, & parcè vtatur homo aliis cibis innoxiis: quippè vndique patent angustiæ, vel si calidis obsoniis impinguescat homo, vel si quouis cibo ita saginetur, vt ad libidinem stomachus intumescat.

Quibus debeat homo abstinere.

Hier. ep. ad Furiam de viduitate seruanda.

mescat. Eò spectant illa Hieronymi verba: *In ipsis cibis calida quaque deuita, non solùm de carnibus loquor, super quibus vas electionis profert sententiam: Bonum est, vinum non bibere, & carnem non manducare: sed etiam in ipsis leguminibus inflantia quaque & grauia declinanda sunt, nihilque ita scias conducere Christianis adolescentibus, vt esum olerum: vnde & in alio loco, qui infirmus est, ait, olera manducet, ardorque frigidorum epulis temperandus est. Si autem tres pueri, & Daniel leguminibus vescebantur, pueri erant, necdum ad sartaginem venerant, in qua Rex Babylonis senes iudices frixit. Nobis non corporis cultus, qui in illis, excepto priuilegio gratia Dei, ex huiusmodi cibis enituerat, sed anima vigor quaritur, qua carnis infirmitate fit fortior: inde est, quòd nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium putant, & leguminibus onerant stomachum, qua moderatè parcéque sumpta, innoxia sunt. & vt quod sentio loquar, nihil sic inflammat corpora, & accendit ad libidinem, sicut indigestus cibus. Quicquid facit seminarium voluptatum, venenum puta; parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis ieiuniis praefertur, & multo melius est, quotidie parum, quàm raro satis sumere. Pluuia illa optima est, qua sensim descendit in terram: subitus & nimius imber in praeceps arua subuertit: quando comedis, cogita quòd statim tibi orandum, vel legendum sit.*

Abstinere debet homo rebus quæ ad luxuriam fomitem subministrant.

Ieiunium in gratiam castitatis institutum, vino & carnibus prudenter interdicit.

Luxuria cibis gaudet.

Nimia indulgentia hodie vinum vernaculum quidem fecit, sed sanctitatem etiam extorrem si non omnino, tamen ex parte effecit. Nempè virtutis rigidi professores, multum se profecisse autumant, si lautioribus escis abstineant, & eorum vinum vix lymphatum tantilla desudet aqua. Non carpo debiles, sed castigo rubentes vultus, quibus luxurians sanguis ebullit in venis, virente ætate focum iugiter accendente. Egregiè suo more decurrit istud argumentum Hieronymus, ieiuniorum sacer encomiastes. Sic ille: *Hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno: hac aduersus adolescentiam prima arma sunt damonum, non sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio, facilè aliis caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est, quocumque pergamus, nobiscum portamus inimicum. Vinum, & adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Paulus ad Timotheum: Iam noli, inquit, aquam bibere, sed vino modico vtere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas. Vide quibus causis vini potio concedatur, vt ex hoc stomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas. Et ne nobis forsan de agrotationibus blandiremur, modicum pracipit esse sumendum, Medici potiùs consilio, quàm Apostoli, licet Apostolus sit Medicus spiritualis, & ne Timotheus imbecillitate superatus Euangelij pradicandi non posset implere discursus, alioquin se dixisse meminerat, vinum non bibere, & carnem non manducare. Noe vinum bibit, & inebriatus est: post diluuium rudi adhuc saculo, & tunc primùm plantatâ vineâ inebriare vinum fortasse nesciebat: post ebrietatem immolatio secuta est, & libido iuncta luxuria. Priùs enim venter extenditur, & sic catera membra concitantur: manducauit enim populus & bibit, & surrexerunt ludere. Loth amicus Dei in monte saluatus, & de tot millibus populi solus iustus inuentus inebriatur à filiabus suis, & licèt illa putarent genus humanum defecisse, & hoc facerent liberorum magis desiderio, quàm libidinis; tamen sciebant, virum iustum hoc nisi ebrium non esse facturum. Elias cùm Iezabel fugeret, & sub quercu iaceret lassus, veniente ad se Angelo suscitatur, & dicitur ei: Surge, & manduca. Respexit, & ecce ad caput eius subcinericius panis, & vas aqua. Reuera non poterat Deus conditum ei merum mittere, & electos cibos, & carnes. Elisaus filios Prophetarum inuitat ad prandium, & eos herbis agrestibus alens, consonum prandentium audit clamorem: Mors in olla. Homo Dei non iratus est coquis: lautioris enim mensa consuetudinem non habebat; sed farinâ desuper iactâ amaritudinem dulcorauit eadem spiritus virtute, qua Moyses mutauerat Maram in dulcedinem. Necnon & illos qui ad eum comprehendendum venerant oculis pariter ac mente cacatos, cùm in Samariam nescios perduxisset, qualibus eos epulis reficere imperauerit, ausculta: Pone eis panem, & aquam, manducent, & bibant, & remittantur ad Dominum suum. Potuit & Danieli de regiis ferculis opulenta mensa transferri: sed Habacuch ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum: ideoque vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderij non manducauit, & vinum concupiscentia non bibit. Sollicitè prouidendum est, vt quos saturitas de Paradiso expulit, reducat esuries. Quòd si volueris respondere, te nobili stirpe generatum semper in deliciis non posse à vino & esculentioribus cibis abstinere, nec his legibus viuere; respondebo districtiùs: Viue ergo lege tua, qui Dei non potes; non quòd Deus intestinorum nostrorum rugitu & inanitate ventris delectetur; sed quod aliter pudicitia tuta esse non possit.*

Vinum est lethale virus adolescentibus.

Hier. ep. 22. ad Eustoch.

Vinũ luxuriæ fomes est improbus.

Exempla eorum, quibus male cessit vinum bibere.

Epulæ à sanctis viris paratæ quam parcæ fuerint.

Ab hac arctioris ieiunij regula se exemerunt etiam claustra, vt darent aliquid infirmitati: non tamen desunt plerique Religiosi homines, sectantes illud salutare genus vitæ, quo quidem fit exilior caro, sed vicissim opiparè anima saginatur. Quod enim corpori subtrahitur adipis, illud in animæ pinguedinem refunditur: Vt enim se habet lien ad reliquum corpus, ita se habet caro ad animam. Experimento autem vernaculo liquet, extenuari totum corpus, si affluxu seri melancholici ingurgitatus lien, in molem assurgens nimiùm intumescit: simili ferè modo contabescit anima, si distenta caro dapibus ingrauescit. Vt secus extenuato liene, valet corpus; ita & carne modicè pasta, anima citiùs impinguatur. Opportunè adest Chrysostomus ita fatus: *Per ieiunium quantò exterior noster homo corrumpitur, tantò interiùs renouatur; ieiunium corpus comprimit, & lasciuias inordinatas refrenat, animam autem clariorem efficit, & sublimem. An non videtis quotidie ex sumptuosis mensis, & immodica ingluuie infinita morborum genera induci? Vnde capitis dolores? Vnde corruptorum humorum abundantia? vnde innumeri alij morbi? nonne ab intemperantia, & largiore vini ingurgitatione quàm oportet? Nam sicut nauis, qua aquis ita impletur, vt exhauriri nequeat, statim submergitur; ita homo quando crapula & ebrietati seipsum exponit, in praeceps vadit, & rationem*

Pulchra comparatio lienis & corporis.

Chrys. ho. 10 in Genes.

Gula est morborum parens.

Gulæ incommoda.

submergit: denique iacet quasi viuum cadauer, ad mala quidem operanda sæpe potens; ad bona autem omnia, nihil se melius habens, quam mortui: idcircò obsecro, vt secundum beatum Paulum, carnis prudentiam ne feceritis in concupiscentiis.

Vt terra superfluo humore exhausto luxuriat in gramina, & multifariam picta viret, ita anima exsiccata ieiuniis vernat virtutibus. Non abhorret ab ea similitudine Chrysostomus sic discurrens: *Iucundum quidem nautis est ver, iucundum quoque & agricolis; sed non ita istis iucundum est ver, vt his, qui philosophari volunt, iucundi sunt ieiuniorum dies. Spirituale animarum ver, & fidissima tranquillitas animorum. Nam agricolis ver idcircò iucundum est, quia delectat aspicere tunc depictam floribus terram, & variis frondibus virgulta comantia: nautis verò acceptum est ver, quod dorsum maris deductis nauibus tutò licebit ascendere, nec vndarum pericula formidare. Nobis autem iucundum est ieiuniorum ver, quod tunc non vndarum, sed cogitationum, & concupiscentiarum carnis fluctus ac turbines mitigantur, & corona nobis non florum, sed spiritualium gratiarum parantur. Non ita ergo apparens suis hirundo vernaculis fugatam hyemem nuntiat, vt ieiuniorum dies fugari ex visceribus nostris vitia carnis & cupiditatis ostendunt. Cessat pugna carnis aduersus animam, & anima aduersus carnem, nec insurgit ancilla in dominam, nec serua superbit in liberam; sed vniuersa hæc prælia ieiuniorum præsentiâ conquiescunt.*

Chrys. hom. de ieiunio.

Ieiunium est veluti vernũ tempus animæ.

Ieiunij & verni temporis comparatio.

Ne arbitreris meritum ieiunij peti tantùm ab encomiis Sanctorum Patrum, quibus inedia maximè cordi fuit; consule Sacra Scripturarum oracula, & rescies inde, quàm benè cesserit impastis hominibus familiaris ieiuniorum vsus. Audiendus denuò in hoc argumento Chrysostomus hæc subtexens: *Ebrietas & luxuria stantem euertunt ciuitatem; commotam ieiunium solidauit. Cum ieiunio Daniel in lacum leonum ingressus est, & eorum tantam mansuetudinem sensit, vt simplicitatem ouium arbitraretur: nam bestia in illa feralis ardoris rabie, furoris sui naturâ lenitâ, oblato sibi cibo parcebant, & aliquanto tempore famæ defecta præparatam satietatis copiam respuerunt. Nam diebus septem fuerat eis cibus denegatus; vt in ipso oblationis aspectu Propheta carnibus auida cupiditate inhærentes, consumpto se corpore satiarent. Cum ieiunio & tres pueri in fornacem Babyloniam ingressi sunt, & ingenti flamma spatio aliquanti temporis erogato intacti egressi sunt; & eorum corpora ignis lumine splendidius micuerunt: sed si hæc flamma erat, monstrabat flamma naturam, & illa si corpora erant, subiacebant corporis passioni; sed hanc admirabilem quæstionem nullus poterit nisi ipsum ieiunium explanare: quæstio etenim ardua est. Humana corpora cum igne pugnabant, & victoria corporum monstrabatur. Vidisti admirabilem pugnam; vidisti admirabiliorem victoriam: mirare igitur ieiunium, & illud cum omni auiditate tuis amplexibus festina suscipere; quando enim & in flamma prodest, & in lacu leonum subuenit, & spiritus propulsat immundos, & diuinam sententiam mitigare nouit, & ad libertatem reuocare consueuit; quis huius insania reperitur, qui velit ieiunium tantorum bonorum materiam declinare? Insuper & Medici parcitatem, salutis nominant matrem.* Hactenus ille, cui ego subscribo, dicens, ieiunium plus etiam conferre ad salutem animæ, quàm corporis. Huius enim sanitas parum curatur à Sanctis, quia plerumque noxia est, sed animæ salus homines euehit ad gaudia sempiterna.

Exempla eorum, quibus benè cessere ieiunia.

Chrys. hom. de Iona Prophetæ.

Ieiunio sanata sunt ea, quæ gula sauciarat.

Ieiunio leones, & ignes superati.

Ieiunio sanitas animæ comparatur.

SENSVS MORALIS.

Ieiunium conducit ad ardua quæque facinora.

In hæc verba:

Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

ARTICVLVS XI.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET EX SANCTIS PATRIBVS.

Celeberrimum est Iulij Cæsaris apophtegma, ieiunium homines aptare ad grandia facinora; gulam verò facere homines indecoros. Adeo veracem credidit illam sententiam præfatus Heros, vt dubiam fecerit fidem Bruti & Cassij, quos sciebat à nimiis dapibus abhorrere. Nimirum nasutus homo suspicabatur inediam animos acuere, ac proinde Brutum & Cassium, ieiunos homines, fore aptiores ad succutiendum iugum seruitutis, quod Cæsar ciuibus imponebat. Non fefellit eum malum omen: nam à ieiunis hominibus Cæsar occisus est. Religionem inesse ieiunio arbitratæ sunt præcipuæ orbis nationes, in quibus Hebræis indicere ieiunium solenne fuit, etiam ante certamen, esto tunc maximè corpora cibis indigeant, vt vegetiora viribus haudquaquam excidant. Ad hunc ritum pertinet illud ieiunium sancitum à Rege Saül, in procinctu pugnæ contra Philisthæos. Sic textus sacer. *Adiurauit Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem: omnisque terra vulgus venit in saltum, in quo erat mel suprà faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum & apparuit fluens mel, nullusque applicauit manum ad os suum; timebat enim populus iuramentum.* Si quando decretum esset tale ieiunium, capitale erat illud soluere, & dicta est capitis sententia in Ionatham ipsum filium Regis, quia mellis fauum modicè degustarat, vigente ieiunio. Iidem Hebræi penes ieiunium constituerunt præcipuam suæ sanctitatis partem, eosque crediderẽ sanctiores, qui longiorem ferebant inediam. Eamobrem magnum sibi fecere nomen Essæni, seu Esslæi, quos commemorant fusè Iosephus, Hieronymus, & Eusebius. Hi vt procul essent ab omni contagio carnis, sponte sua religione ducti, carnibus abstinebant. Eorum institutum æmulati sunt illi Indorsi Philosophi, quos Strabo meminit respuere vsũ vini, vt inde sibi conquirerent auram popularem. Subiicit ille, eos cælibem egisse vitam, ad quod abstemiũ esse, maximè conducit.

Suet. in Iulio Cæs.

Ieiunio grãdia facinorã consummantur.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

1. Reg. 14.

Ieiunia indicta multis nationibus.

Qui maximè apud Hebræos ieiunia coluerint.

Ioseph. l. 18. cap. 2. antiq. & l. 2. c. 7. de bello Iud.

Hier. lib. 2. in Iouinian.

Euseb. l. 8. c. 4

Strab. lib. 15.

Herod. lib. 2.

Græcia quondam aucupata famam Religionis, peculiaria quædam ieiunia instituit, in honorem Cereris, cuius Sacra Herodotus ait adire nefas ab aliis, quàm impastis: huius instituti Gyraldus varia refert argumenta. A Græcis ad Romanos fluxit ille mos ieiunandi, vt se accingerent ad aliquid arduum. Ita se aptauit Numa Pompilius, abdicato carnium esu, siquando facienda sacra forent, vt recolit Ouidius, subiiciens etiam eum abstinuisse ab omni libidinis æstu.

Lil. Gyrald. lib. de diis Gent. Syntagm. 12.

Numæ vetus institutum.

Visus

Ouid.lib.4. Fastorum.

Vsus abest Veneris, nec fas animalia mensis
Ponere, nec digitis annulus vllus inest.

Theod. lib.3. c.2.hist.Eccl. Pomp. Latus in Iul. Ex Possid. Strabo lib.7. Apuleius lib.11. Met. Herod. lib.2. Plin.l.12.c.6. Hier. l.2. in Iouin. Laërt. in Procem.

Iulianus Imperator abiurata fide Christiana, licèt in omnem vitiorum colluuiem corruisset, tentauit ieiuniis aliquem pietatis habitum induere: quippe ex Theodoreto, & Pomponio Læto, olera tantùm & legumina suis ferculis apposuit; Religionis ergò. Mysiorum etiam fuit ritus abstinere à carnibus, & melle tantùm & caseo vesci, vt ex Possidonio refert Strabo. Hanc etiam carnium abstinentiam professi sunt omnes, qui initiandi erant sacris Isidis; nempè eis lex erat, diebus decem parcere carnibus, & vino, vt auctor est Apuleius. Et Herodotus apprimè versatus in sacris Ægyptiorum, scribit, eos habuisse dies festos, quos erat piaculum celebrare, si non pridie ieiunassent. Vt Gymnosophistæ assurgebant ad singulare genus vitæ eminentis, ita etiam addicti erant peculiari instituto ieiunandi: etenim ex Plinio sapientes illi missa faciebant omnia obsonia, solùs frugibus inediæ consulentes. In hunc morem Euripides ait, in Creta, Iouis sacerdotes, quos Prophetas nuncupabant, non abstinuisse modò carnibus, sed ne quidem coctos vllos attigisse cibos, vt etiam Hieronymus ait. Eàdem etiam carnium abstinentiâ fuisse conspicuos in India Solis sacerdotes, scribit Laërtius, quasi illa abstinentia Sole dignos efficeret. Et profectò non vana fides; nihil enim hominem magis spectabilem facit quàm cibi nausea lautioris.

Hier. lib.2. in Iouinian. Dicæarch. lib. antiquit. Xenophon in Cyropædia. Plut. in Lycurgo.

Ieiunia aureo sæculo frequentata. Abstinentia sacerdotum Ægyptiorũ.

Ad hoc caput antiquitatum pertinet illa Hieronymi recensio facta in gratiam ieiunij, quod laudibus effert, Iouinianum carpens vile abdominis sui mancipium. Ita fatur Hieronymus: *Dicæarchus in libris antiquitatum, & descriptione Græciæ refert in Saturno, in aureo sæculo, cùm omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus, & pomis. Persarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & sale, ac pane cibario eum asserens victitare. Lacedæmoniorum mensam, frugalitatesque Xenophon, & Theophrastus, & omnes penè scriptores Græci testati sunt. Chæremon Stoïcus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Ægypti sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis curisque postpositis, semper carnibus & vino sese abstinuerint: pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, hyssopum sumebant in cibo, vt escam grauiorem, illius calore decoquerent, & oleum tantùm in oleribus nouerant, verùm & ipsum parum propter nauseam & asperitatem gustus leniendam. Quid loquar de volatilibus, cùm ouum quoque pro carnibus vitauerint & lac. Quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato, biduique triduique inediam sustinentes Iosephus tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, Essenos, quorum nouissimos miris effert laudibus, quòd & ab vxoribus, & vino, & carnibus abstinuerint semper, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. Asclepiades Cyprius, ætate qua Pygmalion in Oriente regnabat, scribit esum carnium in Oriente non fuisse. Eubulus quoque, qui historiam Mitræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera magorum, quorum primos, qui sint doctissimi, & eloquentissimi, exceptâ farinâ, & olere, nihil amplius ait in cibo sumere. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantùm præcepta in Templo Eleusyna residere scribit, venerandos parentes, & Deos, & carnibus non vescendum.*

Ioseph. l. 18 antiquitatũ. Persæ tria genera Magorum habuere. Tria præcepta solennia scripta in templo Eleusyno.

Hactenus Hieronymus, ex vetustis & obsoletis historiæ monumentis, quibus ieiunij dignitas astruitur.

Ex SS. Patribus. Hier. lib. 2. contr. Iouin.

Ille idem Sanctus probè sciens, gulam hominem deponere ad infima; congrua similitudine vtitur, vt homines pelliciat ad affectum ieiunij. Nempè ait, corpora obesa esse scaturiginem morborum, quibus humorum colluuies fomitem & pabulum subministrat. Quos igitur ieiunij decor non inuitat, hos fortè discretæ abstinentiæ commoda demulcebunt. Accipe Hieronymum, hac benè suada oratione ieiunium inculcantem. *Morbi ex saturitate nimia excitantur. Hippocrates in Aphorismis docet, obesa & crassa corpora, quæ crescendi mensuram compleuerint, nisi citò ablatione sanguinis minuantur, in paralysim, & pessima morborum genera incidere. Vnde & Galenus, vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorum vita & ars sagina est, dicit in exercitatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animumque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutum, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare. Diogenes tyrannos, & subuersiones vrbium, bellaque vel hostilia, vel ciuilia, non pro simplici victu olerum, pomorumque, sed pro carnibus & epularum deliciis asserit excitari. Quodque mirandum sit, Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit oleribus, & pomis; & vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparantur, maioremque pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo: corpora autem nostra cibo tantùm & potu indigere, vbi aqua, & panis sit, & cætera his similia, ibi naturæ satis factum: quicquid suprà fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis, bibere, & comederè non ad deliciarum ardorem, sed sitim, famemque restinguere. Qui carnibus vescantur, indigere etiam his quæ sunt carnium, qui autem simplici victu vtantur, eos carnes non requirere. Sapientiæ quoque operam dare non possumus, si mensæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget: citò expletur naturæ necessitas. Qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo, & castigato victu: nec quis putet morbos oleribus concitari. Si autem Milonis illius Crotoniatæ vires olera non ministrent, quæ nascuntur, & aluntur carnibus, quid necesse est viro sapienti, & Philosopho Christi tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus necessaria est, quam cùm habuerit ad vitia prouocetur? Christiano sanitas absque viribus nimis necessaria est. Legimus quosdam morbo articulari, & podagra humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos conualuisse. Sed & ex vilissimis vitanda satietas est; nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter, & exæstuans, & huc illucque se vertens, & in ructus respirans.* Hæc Sanctus ille, Ieiunij encomiastes & propugnator acerrimus.

Corpora obesa inepta ad grandia facinora.

Gula virtutibus inimica. Epicurus damnauit vsum carnis.

Ieiunio sanitas corporis comparatur.

Ieiunium ab athletis vsurpatum ad fortitudinem.

Tanta sunt commoda, quæ ex hoc ieiunij fonte deriuantur, vt Scriptura Sacra peculiarem de eo panegyrim texuerit, vt aduertit Hieronymus

Hier. lib. 2. contra Iou.

congerens sacras historias, quæ recolit textus ille sanctus in gratiam ieiunij, & quibus adstruitur titulus quem expendo, scilicet ieiunium conducere ad ardua facinora. Et vt ab incunabulis mundi exordiar, Adam in Paradiso primum accepit præceptum, vt cætera poma comedens, ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiù impastus & abstemius, tamdiù fuit Angelorum consors, & incola Paradisi; ast vbi soluit inediam, malè pastus turpiter exulauit. Factus extorris, statim duxit vxorem, qui ieiunus virgo fuerat in Paradiso: satur in terra matrimonio copulatur, qui nescius cibi, rerum omnium Domino iungebatur. Eiectus è Paradiso, non protinus accepit ius carnium vescendarum, sed tantùm poma arborum, & fruges segetum, & olera ei traduntur in cibum, vt exul quoque Paradisi, non carnibus, quæ in Paradiso non erant, sed similitudine frugum Paradisi vesceretur. Tandem natura facessente negotium homini, Deus indulsit esum carnium, vt dum homines intelligunt factam sibi copiam huius obsonij, nimia cupidine comedendi carnes non vexentur, ne mandatum verterent in causam præuaricationis, quamuis & tunc ex parte indictum sit ieiunium: nam cùm alia munda dicantur, alia immunda, & in arca Noë de immundis introducuntur impatia, & vtique immundorum esus ablatus sit, ne frustra dicerentur immunda, ex parte ieiunium dedicatum est; quasi Deus ex tunc quorundam recisione, abstinentiam omnium decerneret. Cur perdidit Esaü primogenita sua? Nonne propter stimulos & impatientiam gulæ?

Gen. 2. Ieiunij encomia ex Scriptura.

Gen. 7.

Quid vnum hominem commemoro passum aliquod dispendium à malè suada gula, cùm omnis ferè populus Israël, genio indulgens, & escarum cupidine flagrans, Moysem adegerit ad frangendas tabulas legis, quas longè protractis ieiuniis impetrarat. Ille vacuo ventre legem accipit exaratam Dei stylo; populus verò factus vile abdominis mancipium, manducans, & bibens, consurgensque ludere, aurum conflat in vitulum, & Ægyptium bouem præfert Domini Maiestati. Tot dierum labor, vnius horæ saturitate periit. Frangit audacter Moyses tabulas: sciebat enim exleges esse homines, quibus nihil de lege constabat. Secunda descriptio tabularum absque ieiunio non potuit impetrari. Quod ebrietas amiserat, repetit inedia: ex quo liquet, posse nos per ieiunium redire in Paradisum, vnde per saturitatem fuimus eiecti. In Exodo aduersus Amalec oratione Moysis, & totius populi vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iosuë stationem imperauit Soli, & Lunæ, & inediam plusquam vnius diei victoris exercitus protelauit. Congregatum populum in Masphat Samuël indicto ieiunio roborauit, quo armatus præualuit in saturum hostem. Ciuitas Niniue imminentem iram Domini ieiuniorum miseratione detersit, quam & sedassent Sodoma, & Gomorrha, si voluissent agere pœnitentiam, & lacrymas conciliare patrocinante ieiunio. Denique bonorum omnium ferax inedia, occurrit instantibus malis, & inducit bona, quorum indigus homo summam patiebatur inopiam.

Lex à Deo ieiuniis impetrata.

Gula fregit tabulas legis.

Gula homines exleges facit.

Ieiunium facit homines reduces in paradisum.

Ionæ 3.

Licèt præcipua ieiunij gratia animam afficiat, à qua decernitur inedia; tamen eius vtilitas etiam refluit in corpus, vt paucis ait Chrysostomus, ita fatus: *Numquid voluptatem quæris? hanc frugalitate parabis: num sanitatem? etiam hanc inde: num libertatem? num valetudinem, ac robur corporis? num bonam constitutionem? num animæ sobrietatem? num alacritatem? Ista bona omnia hinc: in crapula autem contraria, insuauitas, mala valetudo, infirmitas, illiberalitas, sumptus.* Ne itaque homo lasciuientis gulæ susurrum audiat; consulo, vt quisque dapibus vtatur vt pharmacis, iuxta hoc Augustini effatum: *Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere. Nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens.* Hac cautela fiet familiare ieiunium, citrà quod imprudenter homo se obiicit discrimini vitiorum. Est enim ieiunium velut rudimentum omnium virtutum; virtuti namque nemo potest operam dare, & ventri; quippè non coëunt venter, & virtutes. Ita Gregorius: *Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non semetipso per afflictam ventris concupiscentiam prius carnis incentiua deuicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gula videlicet appetitus, edomatur; quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora prosternimus, nimirum inaniter ad ea, quæ longiùs sunt, impugnanda transimus: incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra vrbis mœnia ciuis insidians habetur. Nonnulli verò ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & iam ad spiritualia bella consurgunt, qui aliquando multa etiam quæ sunt fortitudinis magna faciunt, sed dominante gula vitio, per carnis illecebram, omne quod fortiter egerint perdunt; & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cuncta virtutes obruuntur. Vnde & Nabuchodonosor vincente scribitur: Nabuzardan, id est, Princeps coquorum destruxit muros Ierusalem: quid enim per muros Ierusalem significans Scriptura exprimit, quæ ad pacis visionem tendis? aut quis coquorum Princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissima à coquentibus cura seruitur? Muros igitur Ierusalem Princeps coquorum destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdidit. Hinc est, quòd Paulus contra Ierusalem mœnia decertanti vires coquorum Principi subtrahebat, cùm diceret: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Vnde præmiserat: sic pugno, non quasi aerem verberans; quia cùm carnem restringimus, ipsius abstinentia nostra illibus non aërem sed immundos spiritus verberamus; & cùm hoc quod intra nos est subiicimus, extra positis aduersariis pugnas damus. Hinc est, quòd cum Rex Babylonis succendi fornacem iubet, stuppa & picis ministrari congeriem præcepit; sed tamen abstinentes pueros hoc igne minimè consumit, quia antiquus hostis, licèt innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat; bonis mentibus superni spiritus gratia insibilat, vt à carnalis concupiscentia æstibus illæsa perdurent.* Hæc sanctissimus ille Præsul.

Chrys. hom. 37. in acta Apost. Ieiunij vtilitas, in corpora redundat.

Aug. lib. de confl. vitiorum, & virtutum.

Cibis vtendũ vt pharmacis.

Greg lib. 30. Moral. c. 12.

Ieiunium est rudimentum aliarum virtutum.

Gula refrænanda est ei, qui vult virtutibus operam dare.

Gula figurata in Nabuzardan destruẽte muros Ierusalem.

Ieiunio dæmones validè prosternuntur.

Mihi seriò perpendenti, quare sit sedulò gula cohibenda, ieiunij præsidio, hæc ratio occurrit, videlicèt corpus nostrum è limo oriundum suam semper sapere originem, id est, non omnino deposuisse naturam limi. Est autem hæc indoles luti, vt quò plus aqua respersum fuerit, eò etiã sordescat magis & progignat buffones & serpentes, vt congruum prouentũ aquæ stabulantis. Editus homo,

Quare sit sedulò cohibenda gula.

Gula ferax omnium vitiorum.

gratiâ

gratiâ Dei instructus, habebat ius in corpus suum, quod congruo tunc rore madens, vernabat pictum mitis virtutum flosculis, atque coloribus. Sed vbi gratiâ excidit homo imprudens, & beneficus ille humor exhaustus, caro suo reddita est principio, ac proinde limosa effecta est, & hoc cœno enata est spurca vitiorum colluuies, cui magnum incrementum adfert gula: siquidem caro ebrietate desudans, crapulâ diluitur, & effecta sordidior, vitiis ingrauescit. Vt liquidior sit hæc ratio, & accõmodata magis omnium captui, operæpretium est recolere, inesse homini duplicem appetitum, vnum rationalem, alium sensitiuum. Appetitus rationalis est voluntas, cui pro obiecto decernitur quidquid homini conuenit. Appetitus sensitiuus est facultatis animalis propensio in omnes sensuum illecebras. Homine sauciato culpa originali, præualuit appetitus sensitiuus, hominemque pellexit ad carnalia, non tamen inuitum potuit cogere ad peccandum, libero semper appetitu rationali, ad annuendum, aut ad repugnandum. Si tamen homo cedit iuri suo, & indulget appetitui sensitiuo, viuendo ad corporis arbitrium, voluntas sensim immemor suæ libertatis, ad præscriptum sensuum agitur, & sponte sua dominio excidit, & ingloriè corpori mancipatur.

Gula Adam perdidit.

Appetitus sensitiuus quid sit.

Appetitus rationalis quid sit.

Quàm difficile est corpus reficere sine periculo voluptatis.

Ad hanc animæ perniciem præpotens est gula: vt enim cuique cupido insita est conseruandi indiuidui sui, & corpus indigeat alimentis, vt sartum tectumque sit; natura validè hominem sollicitat ad epulas, conscia voluntate, cui etiam ratio indicit, vt congruis eduliis corpori consulat. Vnde cùm necessitas, & voluptas, res sint contiguæ & affines, transitus vnius ad alteram facilis est, rarusque est, qui voluptati non annuat, arbitratus se mederi corpori fatiscenti. Non erubuit confiteri hoc suum deliquium Augustinus, hisce querulis vocibus: *Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo, priusquam escas, & ventrem destruas, cum occideris indigentiam meam satietate mirifica, & corruptibile hoc induerîs incorruptione sempiterna. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar: & quotidianum bellum gero in ieiuniis, sæpius in seruitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames, & sitis dolores quidam sunt. Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præstò est, ex consolatione tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra & aqua & cælum seruiunt, calamitas deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est: & non est alius, quà transeatur, quàm quò transire cogit necessitas. Et cùm salus sit causa edendi, ac bibendi, adiungit se tamquam pedissequa periculosa iucunditas: & plerumque præire conatur, vt eius causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo: nec idem modus vtriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpè incertum fit, vtrùm adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppeditat: Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis, obumbret negotium voluptatis.*

Aug. l. 10. confess. c. 31.

Gulà quàm sit industria vt hominem prætextu necessitatis præpediat.

Gulam compescere, est operosum negotium.

Cùm ergo res sit adeò operosa gulam refrænare, præcipuam anima curam debet impendere, vt sese expediat à laqueis, quos inde prætendit callidus inimicus; & maximè quia vitium hoc turmatim incedit, vtpotè stipatum aliis animæ dispendiis, vt sunt, luxuria, acedia, rixæ, quibus subditur homo gulæ obnoxius. Statim enim vt præualuit gula, anima velut impos effœta est in his, quæ pertinent ad salutem: nimirum obesa caro suffocat animam, omnemque ei adimit sensum rerum supernarum; quippè delinitus animus adipe voluptatum, desipit ad superna. Idcircò æmulus animarum dæmon, primum arietem, quem impellit in hominem, petit à sagina. Nemo namque potest impastus diù degere in hoc æuo: & dum pabulum subministrat, vt homo suas obeat vices, præpedit incautos, eos illaqueans vinculo voluptatis. Itaque vt acerbus hominum osor dæmon incipit à gula animas impetere; ita strenuus athleta Christi debet à ieiuniis aleam auspicari. In ea fuit sententia Basilius, adhortatus ita neophytos, vnumquemque eorum ita conueniens. *Vide ne te seducat inimicus per primi parentis peccatum, & citò te eiiciat ex Paradiso voluptatis: qui enim Adam per esum subtraxit à vita, & sperauit* IESVM *se supplantaturum, non reuerebitur multò magis etiam tibi temperare primam malorum causam, cùm fortè venenum hoc esse sciat: nam gulositatis vitium non in copia eduliorum proprium robur ostendere solet, sed in desiderio, ac immodico gustu. Si itaque desiderio breuis alicuius gustus malueris te subiicere, gulositatis vitio citra laborem te morti tradet: quemadmodum enim natura aquæ est, vt dum per multos ductus diuiditur, omnem circa aquæductus locum florere faciat; sic & gulositatis vitium, si digestum fuerit ad cor, omnes sensus tuos rigans, malitiæ syluam in te plantans, ferarum habitaculum animam tuam efficiet: multos enim ego vitiis corruptos, in sanitate esse vidi: vnũ autẽ ex omnibus clancularium heluonẽ, aut gulosum non vidi, sed aut à continẽte vita abruptos, & mundo corruptos, aut inter continẽtes occultari conãtes, & per voluptatẽ diabolo cõmilitantes: mendaces enim sunt, periuri, seditiosi, molles, morosi, tenebris gaudentes, virtuosæ actioni vltro resistentes: quò enim gulositatis vitium tegunt, in examen malorum incidunt, qui habitu sunt inter eos, qui soluuntur, re autem ipsa inter condemnatos. Hæc Adam morti tradidit, & mundo consummationem indixit. Per ventris voluptatem Noë ridetur, & Cham deuouetur. Esaü primogeniti prærogatiuam amittit, & cum Chananæis affinitatem contrahit. Loth filiæ maritus fit, ipse sui ipsius gener, & socer, pater, vir, & auus, vtrimque naturæ terminis contumeliam inferens, &c. Daniel autem vir desideriorum dominatus contra Chaldæorum Regem præualuit, simulachrorum destructor existens, & draconis peremptor, leonum pædagogus, incarnationis Dei prænuntius, & mysteriorum occultorum enarrator; & vt omnia compendio dicam, si dominaberis ventri, habitabis Paradisum; si non dominaberis, factus es mortis accessorius sumptus.* Hactenus Basilius.

Dæmon auspicatur suas tentationes à gula.

Gula præualente in animam, alia vitia se insinuant.

Basil. ser. 1. tom. 2.

Gulæ vitium in quo propriè consistat.

Gulosi rarò, aut nulli ad Deum conuertuntur.

Gen. 3.

Gen. 9.

Scandala orta ex gula.

Gen. 19.

Ille idem alibi suum calculum adiicit illi sententiæ, quà præfatus sum, animam pati deliquium corpore præualente, & tantùm spiritus adimit

adimi, quantum adipis corpori accedit. Ecce eius suffragium. *Ieiunium Paulum euexit ad cœlum, quo & nos erudiuit, vt per ieiunia vagamur, & exerceamus nos ipsos ad certamina in tentationibus. Qui carni opitulatur spiritum debellat, & qui spiritui opem fert, carnem in seruitutem redigit: quare si mentem fortem vis facere, carnem per ieiunium doma, quia quantùm homo externus corrumpitur, tantùm internus renouatur; & illud, cùm infirmor, tunc fortior sum. Ignoras te per immodicam saturitatem, crassum tibi ipsi vermem tortorem præparare.* Ex præfatis Patrum sententiis luculenter adstruitur illa conclusio, quæ decernit, ieiunium esse optimam cautelam contra dæmonum technas, quæ cùm multæ sint, magnam petunt in homine solertiam, vt citra vllum animæ dispendium valeant euitari. Vnde cùm prudenter eis occurrat ieiunium; opportunè Christus longâ inediâ quadraginta dierum omnes astus dæmonis anteuertit.

Basil. hom. de laud. ieiun.

Ieiunij commoda pensanda ex gulæ incommodis.

SENSVS MORALIS.

PARS SECVNDA SECTIONIS.

Quanam industria superandæ sint tentationes.

QVARTA PROPOSITIO.

Gula compescitur appositè meditatis incommodis, in quæ hoc vitium præcipites agit homines.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

ARTICVLVS XII.

EX THEOLOGIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Bellantium omnium hæc est industria, vt dum oppugnant arcem, explorent vnde facilior aditus ad eam pateat, ne si munitiora loca tentent, in cassum obeatur labor. Ita Absalon viam sibi fecit ad solium, quo patrem suum Dauid expulit. Non statim proceres regni conscios fecit suæ perfidiæ; sed auspicatus est à populo, quem vt in suas inflecteret partes, cerebris eum amplexibus & osculo demulcebat. Ita facet textus. *Manè consurgens Absalon, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum qui habebat negotium, vt veniret ad iudicium Regis vocabat Absalon ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vnâ tribu Israël ego sum seruus tuus. Respondebatque ei Absalon: Videntur mihi sermones tui boni, & iusti; sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Dicebatque Absalon: Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem? Sed & cùm accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israëli venienti ad iudicium, vt audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israël.* Hoc astu vafer hominum hostis dæmon circumuenit homines. Nempe haudquaquam primò impetu quatit hominem totum, sed primò carnem palpat. Ad instar Absalon manè consurgens, spiritus ille nequam stat iuxta introitum portæ: primo enim diluculo sensus externos occupat vt animæ fores, & quicquid occurrit idoneum ad faciendos animæ fucos, illud potenter ingerit, & præsertim æmulatur ingenium Absalonis, qui homines osculo dementabat. Quicquid enim diabolus ori hominis admouere potest, gulam conducit, vt stet à partibus Angeli desertoris, & animam consciam efficiat defectionis, in quam corpus inducitur sensuum illecebris, in quibus illæ quæ pertinent ad gulam cautè hominem pelliciunt, & impellunt in laqueos diaboli: animus enim imprudens, non aduertit gulæ perfidiam, in Ioab homicida graphicè lineatam.

Absalonis astutia vt patrem suum solio deturbaret.

Quænam sit dæmonis industria vt hominem circumueniat.

2. Reg. 15.

Dæmon carnis obsequio animam fallit.

Accipe historiam. *Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salue mi frater. Et tenuit dextera manu mentum Amasæ quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit.* Gula ementitur tunicam strictam, ad mensuram habitus, cùm suggerit esse sumendos cibos, pro quantitate molis corporeæ; ne caro deficiat. Gladio accincta est, qui fabricatus leui motu egredi potest, & percutere: nam huic vitio mille nocendi artes sunt; quippè à gula in alia crimina transitus est facilis. Tenuit Ioab mentum Amasæ, simulans osculum, ita & intempestiua cupido escarum prætexit speciem necessitatis, quæ consulit homini ciborum obsequio. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere; ita & rarus est, qui gulæ indulgens obseruat eius insidias, adeò subtiles, vt vix adeatur vsus escarum necessarius, sine conscia voluptate. Ita Augustinus: *Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis, &c. Itaque frani gutturis temperata relaxatione, & constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum.* Percusso latere Amasæ, malè periit homo ille infelix, lethali vulnere sauciatus, nec apponendum fuit secundum vulnus. Statim etiam atque gula suo implexu præpediit hominem, illa satis est ad animam enecandam: vt suo extremo discrimine probarunt incauti parentes nostri, quos feralis edulij perdidit vsus nequiter assumptus.

Egregia figura, quâ denotatur gulæ perfidia ad necandas animas.

2. Reg. 20.

Ioab quam perfidè Amasam occiderit.

Gulæ insidiæ à paucis obseruantur.

August. l. 10. conf. c. 31.

Cùm ergo præcipuè Amasa perierit, quia non cauit insidias Ioab, cuius gladium non obseruauit, & ea imprudentia dispereant omnes, qui genio indulgent, quòd scilicet non recolant damna; quibus hoc vitium homines facit obnoxios; operæpretium erit recensere incommoda, quæ consequuntur gulam, ne homo delinitus escarum illecebris, hoc vitio pereat indecoro. Præcipuum gulæ incommodum est, quòd lethaliter animam petat, ita vt sit animæ funus, illud quod caro fœnus existimat. Nota, nomine gulæ non intelligi appetentiam cibi, quæ pertinet ad vires animæ funus,

Gulæ incommoda.

Gula quid sit.

EX THEOLOGIA.

vegetabilis, in quibus nequit eſſe ratio virtutis aut vitij: ſed intelligi concupiſcentiam inordinatam appetitus ſenſitiui, qui à recta ratione deuiat. Poteſt autem ordo rationis concupiſcentiam moderantis bifariam vitiari. Vno quidem modo ſecundùm ea quæ ſunt ad finem, ita vt nimis anxiè cibos homo conquirat ad voluptatem, non tamen vt eſcarum causâ Deum velit lethaliter offendere; paritur eo pacto animæ deliquium, ſed non ſummum. Alio item modo tollitur ordo rationis in illa concupiſcentia, ſecundùm ipſum finem, cùm nimia cupido cibi hominem à Deo auertit, qui eſt præcipuus rerum omnium finis, ita vt homo non cunctetur Deum poſtponere voluptati, quam percipit ex gulæ illecebris, flocci faciendo præcepta Eccleſiæ, cibis vetitis abutendo. In hoc ſita eſt extrema gulę pernicies, vim inferens animæ, vt res viles, quales ſunt eſcæ, Deo turpiter anteponat.

Tho. 2. 2. qu. 148. art. 2.

Gulæ quot modis hominem inducat ad peccandum.

Rurſus gulæ malitia hæc eſt, vt ſi quando hominem affecerit, eum validè implexum teneat, ſuis nexibus irretitum. Namque ille finis tenaciùs vinctum hominem tenet, qui magis appetibilis eſt; appetibilitas enim rationem finis affingit vnicuique rei. Illud autem magis appetitur, cui felicitatis vmbra creditur ineſſe. At guloſi felicitatis ſuæ ſummam reponunt penes gulæ cupedias, arbitrati ſe litare Deo, quando viſcera ſaburrant, eſcas crebrò congerentes. Adiice, animam fieri impotem ſui, exundante cibo; quia retunditur acies intellectus, deſudante cerebro nimio affluxu humorum. Quodque magis aggrauat hoc peccatum, gula parens eſt multorum vitiorum, & inſtar gladij ancipitis hominem vtrimque ferit, corpus ſcilicet malè afficiendo, & vim faciendo functionibus animæ. Vnde ad vitium hoc compeſcendum, credidere Lacones ſatis eſſe oſtendere filiis ſuis hominem ebrium, quia habitus eius ita dedecet hominem, vt ſolo aſpectu deterrere queat ſpectatores. Paucis & eleganter Chryſologus ſubiicit ideam hominis, eo vitio conſpurcati. Sic ille: *Ebrietas cadis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantia deformiter eſt magiſtra: hanc qui habet, ſe non habet: hanc qui habet, homo non eſt: hanc qui habet, non peccatum facit, ſed eſt ipſe peccatum. Ebrietas eſt dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hoſtis, illecebra honeſtatis, & pudoris iniuria: hanc nullus nouerit Chriſtianus, ne auditu quidem ſacerdos attingat: ne, qui eſt forma virtutum, vitiorum inde fiat & inueniatur exemplum.*

Gula, quando ſit peccatum lethale.

Gulæ illecebræ fortes.
Gula eſt gladius anceps, corpus & animam feriens.

Ex SS. PATRIBVS.
Chryſol. ſer. 26.
Ebrietas quàm ſit homini iniuria

Vt lupo gyrante circa caulas ouium, conclamant paſtores, & canes pecuarios immittunt in feras illas truculentas; ita ſi qua mentio gulæ incidit, Sancti Patres ſuum ſtylum acuunt, vt configant hoc peccatum, multa prole virulenta fœtum. Accipe Chryſoſtomum, ita fatum: *Qui viuit in deliciis, & ebrietati deditus eſt, & carnium vorationi, & vini potatione diſrumpitur, ſępè & inuitus, & ſponte neceſſe eſt peccare. Nam ſicut nauis oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata ſubmergitur; ita anima, & corporis noſtri natura, ſi plures acceperit cibos, quàm ferat natura ſua, impletur, & iniectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipſum onus cum hominibus perdit. Et qui cibis vacat, & ad præſentem vitam inutilis fit, ad nihil accommodus, & vbique ridiculus, tamen publicis quàm priuatis rebus, & ſi in tumultu aliquid opus eſt fieri, non inuenitur habere aliquid prouidentiæ, vel gubernationis.* De ſobrietate dicit Sapiens: *Anima indigenti, & amara dulcia videntur: anima impleta fauis illudit: Vnde ſi voluptatem quærimus, hic magis inuenimus. Quomodo ergo non extremæ dementiæ fugere à menſa frugali, quæ habet voluptatem, & ſuauitatem, & omnia bona, & Dei amorem, & ſtruere alteram plenam innumeris calamitatibus inſuauem, triſtem, & morboſam, & quod grauiſſimum eſt omnium, concitantem contra nos Deum.* Quod de equo Troiano commenta eſt antiquitas, illud appoſitè poteſt affingi gulæ. Nempè credula nimis ætas arbitrata eſt, equum illum proceræ molis parturiiſſe milites armatos in perniciem Troiæ, quam totam flammis & ſanguine deturparunt. Penes huius commenti aſſertores fides eſto; ſed indubia ſunt mala, quæ progignit homo diſtento abdomine grauis. Vitiorum ilias omnis eſt huius vitij genitura: quodque fabulæ Troianæ congruit, venter obeſus ſæua ſpargit incendia, ſcilicet libidinem, & innumera propè ſemina iurgiorum.

Chryſoſt. ſer. contra luxuriam. & crapulam.
Gulaquantis incommodis hominem afficiat.

Gulæ indulgere dementia eſt.
Gula Deo eſt inimica.

Gulæ & equi Troiani comparatio.
Gulæ & luxuriæ ſocietas.

Fornax illa vitiorum, præambula eſt incendio, quod manet has victimas ſaginatas, vt Cereri & Baccho citiùs immolentur, & demum cum diuite epulone crementur in inferis. Eò ſpectant illa Baſilij verba: *Timete exemplum diuitis. Illum deliciæ vitæ igni tradiderunt; non enim ob iniuſtitiam, ſed propter delicatam vitam accuſatus in flamma fornacis torrebatur. Quò itaque illum ignem extinguamus, aquâ opus eſt; & vide ne nunc conſpuens aquam, poſtea guttam concupiſcas, velut etiam diues. Nullus ab aqua grauatus eſt crapula, nullius caput vnquam doluit aqua degrauatum: nullus alienis pedibus opus habuit in aqua potu agens vitam.* Sed quid commemoro Patres, cùm potior medicina gulæ petatur à Scriptura Sacra, qua quicunque paſcitur, hic recta viuit de verbo quod procedit de ore Dei, expertus hominem non in ſolo pane viuere. Prætereo Adami ſortem damnatam in ſudores inexhauſtos, ob gulæ obſequium. Alia detrimenta commemoro, in quibus occurrit illa ſtrages, quæ extulit multa millia Hebræorum, qui ſe abdomini deuouerant orantęs dari ſibi carnes. Sic codex ſanctus, huic guloſo populo parentauit. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis.* Illa hominum nequam internecio eſt quidem cenſura grauis; ſed longè deterior eſt ille effectus, quem præſcius Moyſes recolit, dicens populum collapſurum in cultum idolorum, ſi quando gulæ deliciis indulgeret. Sic ille: *Cùm comederint, & ſaturati, craſſique fuerint, auertentur ad Deos alienos, & ſeruient eis, detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum.* Huic præſagio fidem facit vita hominum, qui ſe Baccho & Cereri manciparunt. Horum venter Deus eſt, cui & Venus eſt in eadem fornice conſocia, iuxta Hieronymi ſententiam, affirmantem, pro ordine membrorum, eſſe ordinem vitiorum. Quodque probat eſſe deploratas res hominis gulæ addicti, ridet omnia quæ ingerunt aliquod tædium vitæ indecoræ. Exemplum locuples ſuggerit Eſaü, cuius inſaniam meminit Moyſes hoc contextu. *Accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit;*

Baſil. hom. de laud. ieiun.
Gula homines trudit in inferos.

Aquæ vſus neminem inebriauit.

Gula Adamo infulta tulit incommoda.

Mala inſignia quæ gula peperit.

Num. 11.
Gula idololatriæ parens.

Deut. 32.
Gula ridet omnia ſalutaria monita exemplo Eſaü.
Gen. 25.

abiit, parui pendens, quòd primogenita vendidisset.

Genuinè hac figura adumbratur iniqua sors mancipiorum gulæ. Si eis occurrat homo frugi, carpens eorum mores dyscolos, & vitam crapulâ infamem. Si, inquam, is suggerat illud Pauli: Non in comessationibus, & in cubilibus, aliaque ventris supellectile sidera demereri. Triobolares illi homines omnia subsannant, & rident quòd primogenita ære paruo dæmoni vendiderunt. Sed esto rideant, & delitent ad tempus; eos tamen manet illud præsagium viri sancti Iob: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Extrema namque gaudij luctus occupabit, & pœnas luent, aliquando cibos indigestos æterna flamma vindice decoquente. Hoc alta mente recolere, est pasci verbo quod procedit de ore Dei, atque adeò fieri inuium tentationi gulæ: nemo namque benè pastus incongruos appetit cibos. Sunt autem cibi incongrui, dapes omnes obiectæ animæ versanti Dei verba, & repetenti sedula mente sacræ dogmata disciplinæ. Vt secus, ille qui fastidit Dei verba, dapibus inhiat, vtpotè cui totum de culina constat, & hoc vnum animo incumbit, abiurare Deum, & suasori gulæ diabolo deuoueri. Aliis vitiis sua sunt stipendia, quibus authoratus homo, tenaciter iis obstringitur, stante voluptate, qua vt donatiuo meret assecla vitiorum. Sed gula expleta grauat, & pro authoramento, seu mercede, fastidium ingerit, ructus, & nidorem vini acescentis, stomacho sub escarum pondere fatiscente. Heluo, Dei incurius, vni tantùm diabolo studet, quo etiam susurrone gula conducit alia vitia, vt eis animus assuescat.

Gulam sors amara consequitur.

Iob. 20.

Anima verbo Dei intenta non attendit ad gulæ illecebras.

Gulæ sequela, ructus, grauedo, corpor.

Gula Deo abdicato deuouet hominē diabolo.

Præstat in eo argumento audire Chrysostomum in hoc vitium inuehentem. Sic ille: *Nihil tam gratum dæmonio, quàm deliciæ sunt, & ebrietas, quoniam omnium malorum fons est, & genitrix. Per hanc dæmon Israelitas in idolorum cultum præcipitauit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Per hanc alios perdit innumeros, & gehennæ tradit. Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur cœno, & stercore pascitur: hic autem abominabili magis pascitur mensa, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores: huiusmodi nihil à dæmoniaco differt: simili namque fertur impudentia, simili que bacchatur furore, & dæmone quidem pressum miseramur, hunc autem odimus. Modico vino vtere, ait Paulus Timotheo, propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas: si verò sanctus ille morbo laborans, & frequentes patiens ægritudines, vinum non gustabat, donec præceptor mandauit; quam nos habuerimus veniam, qui in bona valetudine sectamur ebrietatem? Igitur quidem illi dicebat: Modico vino vtere propter infirmitates tuas: Cuique verò ebriorum dices: Modico vino vtere propter fornicationes, propter crebra turpiloquia, propter cæteras turpes concupiscentias, quas solet ebrietas parere. Vinum datum est ad lætitiam; vos autem & hanc eius virtutem destruitis: quæ namque lætitia non esse in semetipso, innumerosque pati dolores? quantò melior his est asinus, aut canis? Nam & horum quodlibet animalium, & omnium brutorum seu comedere, seu sit opus bibere, necessitatem terminum nouit, nec vltra quàm est opus progreditur, licèt sint infiniti, qui rogant in immodestiam procedere non patitur; & sicut tempestate sedata procella, tempestatis tamen manet nocumentum; itidem & in ista: sicut enim illic mercium fit iactura; similiter & isthic ferè omnium bonorum efficitur, siue modestiam inueniat, siue pudorem, siue prudentiam, siue mansuetudinem, aut humilitatem, in iniquitatis omnia proiicit pelagus ebrietas. Illic post iacturam scapha leuis efficitur, hîc autem magis grauatur: nam pro diuitiis arenam admittit, & omnem ebrietatis sordem, quæ cum nautis pariter & gubernatore scapham illicò submergit, & perdit.* Hæc ille, luculentam materiam suppeditans detestandi gulam, qua vt parente sata, tot animam vitia populantur.

Chrysost. ho. 71. ad populum.

Gula diabolo gratissima, vt quæ mala patrat infinita.

Homo gulosus deterior bestiis.

Egregia cōparatio gulosi cum homine naufragante.

SENSVS MORALIS.

Multa est malorum supellex, quam gula secum vehit.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

ARTICVLVS XIII.

EX MEDICORVM DISCIPLINA, ET EX SS. PATRIBVS.

VBi homo pristina sua sorte excidit, qua velut Angelorum consors vitam agebat quasi nesciam cibi, animâ ipsius desuper impinguatâ, ita corpori immersus est, vt nihil propè animo valeat concipere sine sensuum obsequio, quibus vt facibus vtitur anima, volens aliqua sibi priùs abdita speculari. Ego huic animæ infirmitati consulens, isto articulo pangam incommoda, quibus afficitur homo gulæ addictus, petita similitudinè à morbis, quibus ægrum iacet corpus, crapulâ dissolutum. Itaque operæpretium est illud præfari: scilicet cedere in corporis perniciem, quidquid ciborum ingeritur, præter modum vnicuique congruum. Natura namque impar huic oneri, non concoquit escas hiante stomacho deuoratas, ac proinde succus inde elicitus impurus est, & ineptus corpori saginando, quod ideo in cacexiam transit, & hinc plurium morborum noxia rudimenta. Primò petitur caput vino vapescente, & ebulliente cibo mittente fumos, quibus oppletum caput nimio humore desudat, qui dum refluit in sinus ventriculi apoplexiam gignit, quia spiritus animales liberiore tractu non influunt in neruos. Si verò madens cerebrum alluit exordia neruorum, eos sic obstruens, refluens humor defluit in oculos inde lippientes, & in aures saniem excernentes. Hinc caligo, & surditas. Nec hîc malorum finis: quippè vt stabulans ille humor totum corpus alluit, & ad pepasmum non peruenit, vt egeri queat salubriter, sistit in articulis manuum, atque pedum, ita vt ferè inutili tota membrorum compage, homo sit sine nomine truncus, vtpotè aure graui, oculo opaco, tumentibus artubus, & corpore expette motus. Tantaque est gulæ vis iniqua prolifica, vt eam Fernelius crediderit omnium ferè morborum fontem. Sic ille: *Euidentium causarum ordine cibus, atque potus locum obtinent secundum,*

Quæ mala vehat gula ex medicina. Gula morbos creat.

EX RE MEDICA.

Fern. l. 5. Pathol. c. 2.

Gula est apoplexiæ parens.

Idem l. 2. Pathol. c. 14. Gula radix omniū morborum ex Fernelio.

cundum, eorumque vis est aëri proxima. Hic quidem celerius ac promptius in plures inuadit: at cibus atque potus quoniam permanentem ac inhærescentem corpori materiam suppeditant, id validius contumaciusque efficiunt. Cibi potusque vitia gignendis morbis pabulum materiamque suggerunt, è qua & morbi interdum sponte emanant, nulla euidentis causa impulsu. Imò & quoniam vel ab aëre, vel ab animi perturbationibus, vel aliis causis euidentibus morbi nulli excitantur, nisi consentiat corporis præparatio, & humorum constitutio: si hæc tota ex cibo potuque profecta est, maximum hi sanè in gignendis morbis vim obtinent. Vt semel dicam: Vna gula omnium est propè morborum mater.

Hipp. lib. 7. Aphor. 7.

Ait Hippocrates, plerosque gulæ indulgentes obriguisse, delirasse, & exanimes illico defecisse. Vnde hunc edidit Aphorismum. Ἐκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν. Id est. *Ex largiore potu rigor, & delirium, malum.* Summus ille medicus, malis instantibus ab excessu gulæ, famem ait esse vnicum antidotum. Ecce senis oraculum. Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι, δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν, λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Id est. *Corporibus prehumidas carnes habentibus, fames imperanda est: fames enim exsiccat corpora.* Profectò hæc sunt animæ discrimina, quando se homo ingurgitat escis. Nempè gula primò in caput arietat, oppugnans rationem, principem animæ facultatem capite lineatam: mentis enim acies obtusa est iis omnibus, qui effusi in dapes, totos se illis infarciunt. Ægrè admodum meminere ea, quæ pertinent ad salutem: & si quando mentio incidit horum, grauiter audiunt, vt quibus aures sunt iugiter occlusæ affluxu humoris, in has animæ fores affatim exundantis. Rursus heluo, omnibus exosus, & factus velut opprobrium hominum, vtpotè agens vitam porci, non tamen aduertit, in quo turpidinis cœno volutetur, quia caligant oculi mentis, exuberante crapula lippientes. Præterea, si aliquod opus arduum est tentandum, homo vorax ineptus est: quippe qui manus habet obeso corpore dissolutas. Nihilo etiam aptior est ad frequentandas Ecclesias, vt animæ suæ consulat adstando sacris: nam præpeditos habet pedes, scilicet affectus habet duntaxat ad coquinas, delubra Bacchi & Cereris anhelantes. Idcircò homo sui cultor abdominis, totus in acediam frangitur, & impos fit ad salutem animæ capessendam. Etenim deliciæ carnis & animæ non coëunt. Denique quod minatur Hippocrates corpori saburrato vino & dapibus, anima gratiæ moritur superfluis carnibus impinguata.

Idem lib. 7. Aphor. 59.

Gulæ mala sanantur ieiunio.

Gula quomodo fit animæ inidonea.

Gula totam animam facit impotẽ.

Ne suspicetis, moralem hunc discursum esse ieiuni hominis inuectiuam, contextam ad arbitrium mentis impastæ, & ieiuniis assuetæ, consule Sanctos Patres, Ecclesiæ columina, & rescies inde, me ad eorum trutinam singula perpendisse. Ita Gregorius ille magnus: *De ventris ingluuie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur.* Paucis ille Sanctus concludit omnem perniciem, qua gula hominem totum afficit, nullam omnino facultatem illibatam sinens. Quomodo autem ventris ingluuies enixa sit hanc vitiorum sobolem, Angelicus doctor sic explicat: Gula consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis & potibus. Et idcircò inter filias gulæ recensentur illa vitia, quæ deriuantur ex immodica delectatione escarum. Illi autem omnes defectus attendi possunt ex parte animæ, vel corporis. Ex parte animæ, quadrifariàm homo deliquium patitur. Primò quantùm ad rationem, cuius acumen obtunditur, ex immodico vsu cibi & potus, vnde nascitur hebetudo sensus; circa intelligentiam, ob ebullientes in stomacho cibos, qui vapescunt, & fumositate caput replent, rationisque actiones præpediunt, vt secus abstinentia confert ad indaginem sapientiæ, iuxta illud Salomonis: *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam.* Secundum dispendium, cui hominem subiicit ingluuies, attenditur penes appetitum, qui multipliciter errat in immodica cibi & potus sumptione, quasi impedito gubernaculo rationis. Inde scaturit inepta lætitia, ad quam multæ passiones ordinantur. Tertiò peccat homo in moderamine linguæ, quæ dum æstuante ventriculo calet, & refluente vino madet, impos sui soluitur in longam & importunam verborum seriem: & hinc emergit multiloquium; ipso etiam Gregorio assertore, cuius est hæc sententia: *Nisi gula deditos immoderata loquacitas raperet; diues ille, qui epulatus quotidie splendidè dicitur, in lingua grauiùs non arderet.* Quartò censuræ obnoxius est homo, ob inordinatum actum, & sic emergit scurrilitas, id est, quidam pruritus iocandi enascens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita nequit imponere modum gestibus externis. Ex parte corporis petitur immunditia, proles indiuidua ventris dapibus inflati.

Ex SS. PATRIBVS.

Greg. l. 31. Mor. c. 31.

Gulæ qualis sit prosapia.

Tho. 2. 2. qu. 144. art. 6.

Quæ sint filiæ gulæ.

Eccl. 2.

Gula quot modis animam afficiat

Ieiunium confert ad sapientiam acquirendã.

Gulæ filiæ quomodo enascantur.

Greg. p. 3. past. c. 20.

Gula linguosos homines facit.

Gula scurriles actus excitat.

Ingloria hæc prosapia gulæ, refert incommoda, quæ perstinxi ex præfata Medicorum disciplina, damnante cibos immodicè sumptos, vt incunabula morborum. Eò etiam spectauit Ambrosius hoc contextu: *Maior vis vini est, quàm veneni; tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat; denique venenum vino excluditur, non veneno vinum. Meritò Deus per Moysem non solùm veneno, sed etiam draconum veneno vinum comparauit, dicens: Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis: & pulchrè additur, insanabilis: multi enim reliquorum serpentum veneno curantur, nemo ebrietate; certè veneno caro vulneratur, vino mens. Aduerte etiam perfidia venenum, vini declaratum nomine: ait enim Scriptura de alienigenis, qui nescierunt Deum: De vinea Sodomorum vinum eorum, & vitis eorum, vitis Gomorrhæorum; vua eorum, vua fellis.* Compendioso hoc eloquio sacer textus vini nequitiam appositè pungit, componens meri potum cum veneno, cuius nomenclatura ducitur à venis, in quas venenum influit, citò permeans hos alueos & canales. Ita & vinum statim sese in venas insinuat, & virus suum veneno citiùs intromittit, pertingens etiam vsque ad intimas animæ compages, quò deuenire virus nequit. Est itaque parentandum homini, qui victima gulæ, litat ventri, nescius in quod barathrum sua ipsius anima deuoluatur. Audi funus helluonis, Bernardo auctore. Sic ille: *Non est regnum Dei, esca, & potus. Quid ad hæc vos dicitis, gulosi, & luxuriosi, quorum Deus venter est, quorum omnis vsus, aut in ventre, aut sub ventre est? Audite, audite, quia esca ventri, & venter escis: Deus autem hunc, & has destruet. Vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui*

Amb. l. de Elia & ieiun. cap. 14.

Vinum peius est veneno.

Vini immodicè sumpti incommodã.

Venenum vnde dictum.

Bern. ser. 1. de verbis Apost. ad Rom. 14.

Gulæ & regno Dei nihil commune.

comeditis

Ieiuniis frāguntur satellites diaboli, volagences.

pugne. Sacerdos etiam Eliacim scripsit ad vniuersos qui erant contra Esdrelon, quae est contra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuersos, perquos via transitus esse poterat, vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & illic custodirent vbi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filij Israel secundùm quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi, & mulieres eorum. Auspicatò sibi cauit iste populus ieiunio accinctus vt probatissima panoplia: etenim Deum ita demeruit, & insignem victoriam retulit de hoste superbo, aliis populis insultante. Eàdē industriâ Christus se accinxit, vt fortiter exciperet omnes dæmonum acies, quæ concordi impetu conspirarant in athletam illum strenuum diabolis illudentem. Non indiguit sanè Christus, ea cautione, vtpote supra dæmonum omnia tentamenta: sed in gratiam hominum, quos suo exemplo erudiit, ieiunus diabolo occurrit, vt iisdem armis Christiani suos acerbos hostes facilè superarēt.

Ieiunium Christus adhibuit ad exemplum hominibus.

Ex THEOLOGIA. *Thomas in 2. q. 53. art. 2. 1. 2. p. 83. art. 2. p. 83. art. 3. 2.*

Quàm autem conducat ieiunium ad compescendos dæmonū ausus, disce hoc discursu Theologico. Homo vbi gratia originali excidit, & incurrit in discrimen peccati originalis, omnium virtutum passus est deliquium; earum scilicet, quæ indiuiduo nexu priscæ illi iustitiæ firmiter adhærebant. Et hoc deliquium excepit fœda propensio sollicitans animam ad omnes corporis illecebras; vnde licet originale peccatum vnum sit specie; tamen à sancto Thoma dicitur multiplex virtute, quia hominem inclinat ad omnia iniqua: nec vlla prorsus est animæ potentia, quæ non in aliquam iacturam incurrerit. Habet autem hoc peccatum duplicem processum; scilicet à carne ad animam, secundùm ordinem generationis; & ab essentia animæ ad potentias eius, secundùm ordinem naturæ. Nota tamen, carnem non esse sedem congruam peccati originalis adæquatè sumpti: nam hic defectus in semine est instrumentaliter, in essentia animæ subiectiuè, & in carne vt in pœna. Vnde quò caro vegetior est, magis etiam pœna diffunditur: & peccatum hoc etsi reatu tersum in Baptismo; fomite tamen facessit ingens negotium animæ, eam agendo stimulis importunis, vt corporis illecebris turpiter obsequatur. Ne ergo præualeat in animam, ieiunium opportunè cauet, fitque anima hac virtute magis expedita ad cohibendos carnis impetus insurgentes. Aduerte obiter me hic agere de ieiunio, vt virtus est, & non vt mera est inedia: sic enim ieiunium, vt dicit negationem cibi, non est virtus, sed tantùm vt à ratione recta dirigitur, & imperatur. Tantùm namque aliquid virtutis indolem induit, quantùm rationis amussim participat, cuius moderamen congruum bonitatem affingit actibus humanis. Vt ergo ratio discretè moderatur appetitum, & gulæ illecebras frænat, ieiunium sortitur effectum vtique salutarem. Caro siquidem reprimitur, & anima in Deum assurgit, eò robustior, quò carnis sagina minor est.

Originale peccatum quare dicatur vnum specie, & multiplex virtute.

Originalis peccati incommoda.

Ieiunium quando sit virtus.

Ex SS. PATRIBVS. *August. lib. quæstion. vtriusque testament.*

In eo argumento longè latéque spatiantur Patres, suo experimento docti, quæ & quanta referat anima dedita ieiuniis. Sic Augustinus: *Sicut corpus febricitans si accipit escam, aut potum, increscit illi calor; ita & humana corpora, quæ sanguinis feruore vruntur, vehementer exardescunt, nisi fuerint abstinentiâ gubernata: igni enim si deest esca, sopitur. Animi est ducere corpus: si autem dimiserit illud, præcipitabit ipsum, sicut equus furiosus negligentem sessorem. Igitur necessaria sunt nobis ieiunia, sicut vulneribus medicina: medelam enim conferunt vitæ perpetuæ; ita tamen, vt duarum rerum testimonio commendentur, id est, oratione, & misericordia. Ieiunia ergo intemperantiam corporis mitigant, motus aduersos reprimunt, pressuram animæ auferunt, sicut ait Dominus: Nolite dediti esse in esca & crapula, ne grauentur corda vestra. Cùm enim anima ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit, qualis est; ita & si esca & crapula fuerit grauatus, alterum se sentit, quàm est, & tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria, vnde Apostolus: Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria. Quòd si temperatum fuerit corpus interposito ieiunio, cognitione sui recepta anima intelligit, qua deuotione obsequi debeat Redemptori: magna ergo ex parte ieiunia sunt necessaria. Sub Esther etenim Regina cùm Iudaicus populus in periculo positus esset, ieiuniis suffragantibus liberatus est. Et Niniuita cùm euersionis suæ præscriptum diem à Propheta audissent, ieiunio indicto euadere meruerunt. Et iusti ac Prophetæ nostri quando à Deo aliquid impetrare volebant, ieiunio se humiliabant, dicente Dauid: In ieiunio humiliabam animam meam. Nam & Saluator, cui opus non erat, vt nobis exemplum daret, ieiunauit: & vt accepta sit oratio, consortium vult secum habere ieiunij.*

Ieiunij necessitas optimè probata ab Augustino.

Ieiuniū animæ vires exacuit.

Ionæ. 3.

Psal. 34.

Errat itaque, qui benè pransus, & distento corpore aleam virtutum ingreditur; quippè hic conflictus animæ cum vitiis, postulat impastos tantùm, & ieiunos. Hac panoplia cataphractum Adā Deus ediderat, nec eum callidus hostis prosternere potuit, stante ieiunio, quo soluto hominem turpiter enecauit. Audiendus in eo themate Chrysostomus ita fatus: *Deus hominem à principio fouet, illico frænum ei ieiunij manibus imposuit, velut pia amabilique matri, & magistro optimo cōmittens: Nam de omni ligno quod est in paradiso comedetis; de ligno verò scientiæ boni & mali non comedetis. species ieiunij est. Si in Paradiso ieiunium necessarium fuit, extra Paradisum multò magis. Si ante plagam vtilis medicina fuerat, multò magis post plagam. Si necdum bello voluptate insurgente, nobis arma fuerant opportuna, multò magis post voluptatum vitiorumque prælium à dæmoniis nobis illatum. Igitur necessaria à ieiunio nobis sunt auxilia.* Præfatus sum, abstinentiam debere à ratione præstitui, vt participet rationem virtutis: debet igitur ad prudentiæ trutinam appendi ieiunium, institutum ad animæ salutem, ne quid anima peccet in qualitate, aut modo cibi: siquidem vtrobique potest imprudens anima deuiare. Et quia discolor est hominum temperies, non est singulis quibusque hominibus, eadem ieiunij tessera præscribenda. Nimirum erit parca manus vni, quæ alteri prodiga annonam impertiet. Timotheo decernitur vinum; quod aliis litabit Veneri, libidinis incendia suscitando.

Chrys. hom. 1. de pœnit. Adam ieiunio armatus à Deo creatus est.

Ieiunio obseruato Adā dæmone superior fuit.

Ieiunium est prudenter vsurpandū.

Hæc igitur esto prima regula circa normam ieiunij: scilicet vt vitentur ea quæ fomitem luxuriæ fouent, & parcè vtatur homo aliis cibis innoxiis: quippè vndique patent angustiæ, vel si calidis obsoniis impinguescat homo, vel si quouis cibo ita saginetur, vt ad libidinem stomachus intumescat.

Quibus debeat homo abstinere.

Hier. ep. ad Furiam de viduitate feruanda.

mefcat. Eò fpectant illa Hieronymi verba: *In ipfis cibis calida quæque deuita, non folùm de carnibus loquor, fuper quibus vas electionis profert fententiam: Bonum eft, vinum non bibere, & carnem non manducare: fed etiam in ipfis leguminibus inflantia quæque & grauia declinanda funt, nihilque ita fcias conducere Chriftianis adolefcentibus, vt efum olerum: vnde & in alio loco, qui infirmus eft, ait, olera manducet, ardorque frigidorum epulis temperandus eft. Si autem tres pueri, & Daniel leguminibus vefcebantur, pueri erant, necdum ad fartaginem venerant, in qua Rex Babylonis fenes iudices frixit. Nobis non corporis cultus, qui in illis, excepto priuilegio gratiæ Dei, ex huiufmodi cibis enituerat, fed animæ vigor quæritur, quæ carnis infirmitate fit fortior: inde eft, quòd nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt, dum folam abftinentiam carnium putant, & leguminibus onerant ftomachum, quæ moderatè parcéque fumpta, innoxia funt. & vt quod fentio loquar, nihil fic inflammat corpora, & accendit ad libidinem, ficut indigeftus cibus. Quicquid facit feminarium voluptatum, venenum puta; parcus cibus, & venter femper efuriens triduanis ieiuniis præfertur, & multò melius eft, quotidie parum, quàm raro fatis fumere. Pluuia illa optima eft, quæ fenfim defcendit in terram: fubitus & nimius imber in præceps arua fubuertit: quando comedis, cogita quòd ftatim tibi orandum, vel legendum fit.*

Abftinere debet homo rebus quæ ad luxuriam fomitem fubminiftrant.

Ieiunium in gratiam caftitatis inftitutum, vino & carnibus prudenter interdicit.

Luxuria cibis gaudet.

Nimia indulgentia hodie vinum vernaculum quidem fecit, fed fanctitatem etiam extorrem fi non omnino, tamen ex parte effecit. Nempè virtutis rigidi profeffores, multum fe profeciffe autumant, fi lautioribus efcis abftineant, & eorum vinum vix lymphatum tantilla defudet aqua. Non carpo debiles, fed caftigo rubentes vultus, quibus luxurians fanguis ebullit in venis, virente ætate focum iugiter accendente. Egregiè fuo more decurrit iftud argumentum Hieronymus, ieiuniorum facer encomiaftes. Sic ille: *Hoc primum moneo, hoc obteftor, vt fponfa Chrifti vinum fugiat pro veneno: hæc aduerfus adolefcentiam prima arma funt dæmonum, non fic auaritia quatit, inflat fuperbia, delectat ambitio, facilè aliis caremus vitiis, hic hoftis nobis inclufus eft, quocumque pergamus, nobifcum portamus inimicum. Vinum, & adolefcentia duplex incendium voluptatis eft. Quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpufculo fomenta ignium miniftramus? Paulus ad Timotheum: Iam noli, inquit, aquam bibere, fed vino modico vtere propter ftomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas. Vide quibus caufis vini potio concedatur, vt ex hoc ftomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas. Et ne nobis forfan de ægrotationibus blandiremur, modicum præcipit effe fumendum, Medici potius confilio, quàm Apoftoli, licet Apoftolus fit Medicus fpiritualis, & ne Timotheus imbecillitate fuperatus Euangelij prædicandi non poffet implere difcurfus, alioquin fe dixiffe meminerat, vinum non bibere; & carnem non manducare. Noë vinum bibit, & inebriatus eft: poft diluuium rudi adhuc fæculo, & tunc primum plantatâ vineâ inebriare vinum fortaffe nefciebat: poft ebrietatem immolatio fecuta eft, & libido iuncta luxuriæ. Prius enim venter extenditur, & fic cætera membra concitantur: manducauit enim populus & bibit, & furrexerunt ludere. Loth amicus Dei in monte faluatus, & de tot millibus populi folus iuftus inuentus inebriatur à filiabus fuis, & licèt illæ putarent genus humanum defeciffe, & hoc facerent liberorum magis defiderio, quàm libidinis; tamen fciebant, virum iuftum hoc nifi ebrium non effe facturum. Elias cùm Iezabel fugeret, & fub quercu iaceret laffus, veniente ad fe Angelo fufcitatur, & dicitur ei: Surge, & manduca. Refpexit, & ecce ad caput eius fubcinericius panis, & vas aquæ. Reuera non poterat Deus conditum ei merum mittere, & electos cibos, & carnes. Elifæus filios Prophetarum inuitat ad prandium, & eos herbis agreftibus alens, confonum prandentium audit clamorem: Mors in olla. Homo Dei non iratus eft coquis: lautioris enim menfæ confuetudinem non habebat; fed farinâ defuper iactâ amaritudinem dulcorauit eadem Spiritus virtute, qua Moyfes mutauerat Maram in dulcedinem. Necnon & illos qui ad eum comprehendendum venerant oculis pariter ac mente cæcatos, cùm in Samariam nefcios perduxiffet, qualibus eos epulis reficere imperauerit, aufculta: Pone eis panem, & aquam, manducent, & bibant, & remittantur ad Dominum fuum. Potuit & Danieli de regiis ferculis opulentior menfa transferri: fed Habacuch ei mefforum prandium portat, arbitror rufticanum: ideoque vir defideriorum appellatus eft, quia panem defiderij non manducauit, & vinum concupifcentiæ non bibit. Sollicitè prouidendum eft, vt quos faturitas de Paradifo expulit, reducat efuries. Quòd fi volueris refpondere, te nobili ftirpe generatum femper in deliciis non poffe à vino & efculentioribus cibis abftinere, nec his legibus viuere; refpondebo diftrictius: Viue ergo lege tua, qui Dei non potes; non quòd Deus inteftinorum noftrorum rugitu & inanitate ventris delectetur; fed quòd aliter pudicitia tuta effe non poffit.*

Vinum eft lethale virus adolefcentibus.

Hier. ep. 22. ad Euftoch.

Vinū luxuriæ fomes eft improbus.

Exempla eorum, qui bus male ceffit vinum bibere.

Epulæ à fanctis viris paratæ quàm parcæ fuerint.

Ab hac arctioris ieiunij regula fe exemerunt etiam clauftra, vt darent aliquid infirmitati: non tamen defunt plerique Religiofi homines, fectantes illud falutare genus vitæ, quo quidem fit exilior caro, fed viciffim opiparè anima faginatur. Quod enim corpori fubtrahitur adipis, illud in animæ pinguedinem refunditur: Vt enim fe habet lien ad reliquum corpus, ita fe habet caro ad animam. Experimento autem vernaculo liquet, extenuari totum corpus, fi affluxu feri melancholici ingurgitatus lien, in molem affurgens nimiùm intumefcit: fimili ferè modo contabefcit anima, fi diftenta caro dapibus ingrauefcit. Vt fecus extenuato liene, valet corpus; ita & carne modicè pafta, anima citiùs impinguatur. Opportunè adeft Chryfoftomus ita fatus: *Per ieiunium quantò exterior nofter homo corrumpitur, tantò interiùs renouatur; ieiunium corpus comprimit, & lafciuias inordinatas refrænat, animam autem clariorem efficit, & fublimem. An non videtis quotidie ex fumptuofis menfis, & immodica ingluuie infinita morborum genera induci? Vnde capitis dolores? Vnde corruptorum humorum abundantia? vnde innumeri alij morbi? nonne ab intemperantia, & largiore vini ingurgitatione quàm oportet? Nam ficut nauis, quæ aquis ita impletur, vt exhauriri nequeat, ftatim fubmergitur; ita homo quando crapulæ & ebrietati feipfum exponit, in præceps vadit, & rationem*

Pulchra cōparatio lienis & corporis.

Chryf. ho. 2[...] in Genef.

Gula eft morborum parens.

Gula inco[...] moda.

submergit: denique iacet quasi viuum cadauer, ad mala quidem operanda sæpe potens; ad bona autem omnia, nihil se melius habens, quam mortui: idcircò obsecro, vt secundùm beatum Paulum, carnis prudentiam ne feceritis in concupiscentiis.

Vt terra superfluo humore exhausto luxuriat in gramina, & multifariam picta viret, ita anima exsiccata ieiuniis vernat virtutibus. Non abhorret ab ea similitudine Chrysostomus sic discurrens: [Chrys. hom. de ieiunio.] *Iucundum quidem nautis est ver, iucundum quoque & agricolis; sed non ita istis iucundum est ver, vt his, qui philosophari volunt, iucundi sunt ieiuniorum dies. Spirituale animarum ver, & fidissima tranquillitas animorum.* [Ieiunium est veluti vernú tempus animæ.] *Nam agricolis ver idcircò iucundum est, quia delectat aspicere tunc depictam floribus terram, & variis frondibus virgulta comantia: nautis verò acceptum est ver, quod dorsum maris, deductis nauibus tutò licebit ascendere, nec vndarum pericula formidare. Nobis autem iucundum est ieiuniorum ver, quod tunc non vndarum, sed cogitationum, & concupiscentiarum carnis fluctus ac turbines mitigantur, & corona nobis non florum, sed spiritualium gratiarum parantur. Non ita ergo apparens suis hirundo vernaculis fugatam hyemem nuntiat, vt ieiuniorum dies fugari ex visceribus nostris vitia carnis & cupiditatis ostendunt.* [Ieiunij & verni temporis comparatio.] *Cessat pugna carnis aduersus animam, & anima aduersus carnem, nec insurgit ancilla in dominam, nec serua superbit in liberam; sed vniuersa hæc prælia ieiuniorum præsentiâ conquiescunt.*

[Exempla eorum, quibus benè cessere ieiunia.] Ne arbitreris meritum ieiunij peti tantùm ab encomiis Sanctorum Patrum, quibus inedia maximè cordi fuit; consule Sacra Scripturarum oracula, & rescies inde, quàm benè cesserit impastis hominibus familiaris ieiuniorum vsus. Audiendus denuò in hoc argumento Chrysostomus hæc subtexens: *Ebrietas & luxuria stantem euertunt ciuitatem; commotam ieiunium solidauit.* [Chrys. hom. de Iona Propheta.] *Cum ieiunio Daniel in lacum leonum ingressus est, & eorum tantam mansuetudinem sensit, vt simplicitatem ouium arbitraretur: nam bestiæ in illa ferali ardoris rabie, furoris sui natiuâ lenitâ, oblato sibi cibo parcebant, & aliquanto tempore fame defecta præparatam satietatis copiam respuerunt. Nam diebus septem fuerat eis cibus denegatus, vt in ipso oblationis aspectu Propheta carnibus auida cupiditate inhærentes, consumpto se corpore satiarent.* [Ieiunio sanata fuit ea, quæ gula saucia tat.] *Cum ieiunio & tres pueri in fornacem Babyloniam ingressi sunt, & ingenti flamma spatio aliquanti temporis erogato intacti egressi sunt; & eorum corpora ignis lumine splendidiùs micuerunt: sed si hæc flamma erat, monstrabat flamma naturam, & illa si corpora erant, subiacebant corporis passioni; sed hanc admirabilem quæstionem nullus poterit nisi ipsum ieiunium explanare: quæstio etenim ardua est. Humana corpora cum igne pugnabant, & victoria corporum monstrabatur: Vidisti admirabilem pugnam, vidisti admirabiliorem victoriam:* [Ieiunio leones. & ignes superati.] *mirare igitur ieiunium, & illud cum omni auiditate tuis amplexibus festina suscipere; quando enim & in flamma prodest, & in lacu leonum subuenit, & spiritus propulsat immundos, & diuinam sententiam mitigare nouit, & ad libertatem reuocare consueuit; quis huius insania reperitur, qui velit ieiunium tantorum bonorum materiam declinare? Insuper & Medici parcitatem, salutis nominant matrem.* [Ieiunio sanitas animæ comparatur.] Hactenus ille, cui ego subscribo, dicens, ieiunium plus etiam conferre ad salutem animæ, quàm corporis. Huius enim sanitas parum curatur à Sanctis, quia plerumque noxia est, sed animæ salus homines euehit ad gaudia sempiterna.

SENSVS MORALIS.

Ieiunium conducit ad ardua quæque facinora

In hæc verba:

Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

ARTICVLVS XI.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM, ET EX SANCTIS PATRIBVS.

Celeberrimum est Iulij Cæsaris apophtegma, [Suet. in Iulio Cæs.] ieiunium homines aptare ad grandia facinora; gulam verò facere homines indecoros. [Ieiunio grádia facinora consummantur.] Adeo veracem credidit illam sententiam præfatus Heros, vt dubiam fecerit fidem Bruti & Cassij, quos sciebat à nimiis dapibus abhorrere. [EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.] Nimirum nasutus homo suspicabatur inediam animos acuere, ac proinde Brutum & Cassium, ieiunos homines, fore aptiores ad succutiendum iugum seruitutis, quod Cæsar ciuibus imponebat. Non fefellit eum malum omen: nam à ieiunis hominibus Cæsar occisus est. [1. Reg. 14.] Religionem inesse ieiunio arbitratæ sunt præcipuæ orbis nationes, in quibus Hebræis indicere ieiunium solenne fuit, etiam ante certamen, esto tunc maximè corpora cibis indigeant, vt vegetiora viribus haudquaquam excidant. [Ieiunia indicta multis nationibus. Qui maximè apud Hebræos ieiunia coluerint.] Ad hunc ritum pertinet illud ieiunium sancitum à Rege Saül, in procinctu pugnæ contra Philisthæos. Sic textus sacer. *Adiurauit Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem: omnisque terra vulgus venit in saltum, in quo erat mel suprà faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum; timebat enim populus iuramentum.* [Ioseph. l. 18. cap. 2. antiq. & l. 2. c. 7. de bello Iud. Hier. lib. 2. in Iouinian. Euseb. l. 8. c. 4. Strab. lib. 15. Herod. lib. 2.] Si quando decretum esset tale ieiunium, capitale erat illud soluere, & dicta est capitis sententia in Ionatham ipsum filium Regis, quia mellis fauum modicè degustarat, vigente ieiunio. Iidem Hebræi penes ieiunium constituerunt præcipuam suæ sanctitatis partem, eosque credidere sanctiores, qui longiorem ferebant inediam. Eamobrem magnum sibi fecere nomen Essæni, seu Essæi, quos commemorant fusè Iosephus, Hieronymus, & Eusebius. Hi vt procul essent ab omni contagio carnis, sponte sua religione ducti, carnibus abstinebant. Eorum institutum æmulati sunt illi Indorsi Philosophi, quos Strabo meminit respuere vsu vini, vt inde sibi conquirerent auram popularem. Subiicit ille, eos cælibem egisse vitam, ad quod abstemiũ esse, maximè conducit.

Græcia quondam aucupata famam Religionis, peculiaria quædam ieiunia instituit, in honorem Cereris, cuius Sacra Herodotus ait adire nefas ab aliis, quàm impastis: [Lil. Gyrald. lib. de diis Gent. Syntagm. 12.] huius instituti Gyraldus varia refert argumenta. A Græcis ad Romanos fluxit ille mos ieiunandi, vt se accingerent ad aliquid arduum. [Numæ vetus institutum.] Ita se aptauit Numa Pompilius, abdicato carnium esu, siquando facienda sacra forent, vt recolit Ouidius, subiiciens etiam eum abstinuisse ab omni libidinis æstu.

Vsu

Ouid.lib.4. Fastorum.

Vsus abest Veneris, nec fas animalia mensis
Ponere, nec digitis annulus vllus inest.

Theod. lib.3. c.2.hist.Eccl. Pomp. Laetus in Iul. Ex Possid. Strabo lib.7. Apuleius lib.11. Met. Herod. lib.2. Plin.l.12.c.6. Hier. l.2. in Iouin. Laert. in Prooem.

Iulianus Imperator abiurata fide Christiana, licèt in omnem vitiorum colluuiem corruisset, tentauit ieiuniis aliquem pietatis habitum induere: quippe ex Theodoreto, & Pomponio Læto, olera tantùm & legumina suis ferculis apposuit, Religionis ergò. Mysiorum etiam fuit ritus abstinere à carnibus, & melle tantùm & caseo vesci, vt ex Possidonio refert Strabo. Hanc etiam carnium abstinentiam professi sunt omnes, qui initiandi erant sacris Isidis; nempè eis lex erat, diebus decem parcere carnibus, & vino, vt auctor est Apuleius. Et Herodotus apprimè versatus in sacris Ægyptiorum, scribit, eos habuisse dies festos, quos erat piaculum celebrare, si non pridie ieiunassent. Vt Gymnosophistæ assurgebant ad singulare genus vitæ eminentis, ita etiam addicti erant peculiari instituto ieiunandi: etenim ex Plinio sapientes illi missa faciebant omnia obsonia, solis frugibus inediæ consulentes. In hunc morem Euripides ait, in Creta, Iouis sacerdotes, quos Prophetas nuncupabant, non abstinuisse modò carnibus, sed ne quidem coctos vllos attigisse cibos, vt etiam Hieronymus ait. Eâdem etiam carnium abstinentiâ fuisse conspicuos in India Solis sacerdotes, scribit Laërtius, quasi illa abstinentia Sole dignos efficeret. Et profectò non vana fides; nihil enim hominem magis spectabilem facit quàm cibi nausea lautioris.

Hier. lib.2. in Iouinian. Dicaarch. lib. antiquit. Xenophon in Cyropedia. Plut. in Lycurgo.

Ad hoc caput antiquitatum pertinet illa Hieronymi recensio facta in gratiam ieiunij, quod laudibus effert, Iouinianum carpens vile abdominis sui mancipium. Ita fatur Hieronymus: *Dicaarchus in libris antiquitatum, & descriptione Gracia refert in Saturno, in aureo sæculo, cùm omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus, & pomis. Persarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & sale, ac pane cibario eum afferens victitare. Lacedamoniorum mensam, frugalitatesque Xenophon, & Theophrastus, & omnes penè scriptores Graci testati sunt. Charemon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Ægypti sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis curisque postpositis, semper carnibus & vino sese abstinuerint: pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, & siquando comedebant, hyssopum sumebant in cibo, vt escam grauiorem, illius calore decoquerent, & oleum tantùm in oleribus nouerant, verùm & ipsum parum propter nauseam & asperitatem gustus leniendam. Quid loquar de volatilibus, cùm ouum quoque pro carnibus vitauerint & lac. Quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato, bidui triduique inediam sustinentes. Iosephus tria describit dogmata Iudaorum, Pharisaos, Sadducaos, Essenos, quorum nouissimos miris effert laudibus, quòd & ab vxoribus, & vino, & carnibus abstinuerint semper, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. Asclepiades Cyprius, ætate qua Pygmalion in Oriente regnabat, scribit esum carnium in Oriente non fuisse. Eubulus quoque, qui historiam Mitra multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera magorum, quorum primos, qui sint doctissimi, & eloquentissimi, exceptâ farinâ, & olere, nihil amplius ait in cibo sumere. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantùm præcepta in Templo Eleusyna residere scribit, venerandos parentes, & Deos, & carnibus non vescendum.* Hactenus Hieronymus, ex vetustis & obsoletis historiæ monumentis, quibus ieiunij dignitas astruitur.

Ieiunia aureo sæculo frequentata. Abstinentia sacerdotum Ægyptiorũ. Ioseph. l. 18 antiquitat. Persæ tria genera Magorum habuere. Tria præcepta solennia scripta in templo Eleusyno.

Ex SS. PATRIBVS. Hier. lib. 2. contr. Iouin.

Ille idem Sanctus probè sciens, gulam homines deponere ad infima; congrua similitudine vtitur, vt homines pelliciat ad affectum ieiunij. Nempè ait, corpora obesa esse scaturiginem morborum, quibus humorum colluuies fomitem & pabulum subministrat. Quos igitur ieiunij decor non inuitat, hos fortè discretæ abstinentiæ commoda demulcebunt. Accipe Hieronymum, hac benè suada oratione ieiunium inculcantem. *Morbi ex saturitate nimia excitantur. Hippocrates in Aphorismis docet, obesa & crassa corpora, qua crescendi mensuram compleuerint, nisi citò ablatione sanguinis minuantur, in paralysim, & pessima morborum genera incidere. Vnde & Galenus, vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorum vita & ars sagina est, dicit in exercitatione medicina, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animumque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutum, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare. Diogenes tyrannos, & subuersiones vrbium, bellaque vel hostilia, vel ciuilia, non pro simplici victu olerum, pomorumque, sed prò carnibus & epularum deliciis asserit excitari. Quodque mirandum sit, Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit oleribus, & pomis; & vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes, & exquisita epula ingenti cura ac miseria praparentur, maioremque pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo: corpora autem nostra cibo tantùm & potu indigere, vbi aqua, & panis sit, & catera his similia, ibi natura satis factum: quicquid suprà fuerit, non ad vita necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis, bibere, & comedere non ad deliciarum ardorem, sed sitim, famemque restinguere. Qui carnibus vescantur, indigere etiam his qua sunt carnium, qui autem simplici victu vtantur, eos carnes non requirere. Sapientia quoque operam dare non possumus, si mensa abundantiam cogitemus, qua labore nimio & cura indiget: citò expletur natura necessitas. Qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo, & castigato victu: nec quis putet morbos oleribus concitari. Si autem Milonis illius Crotoniata vires olera non ministrent, qua nascuntur, & aluntur carnibus, quid necesse est viro sapienti, & Philosopho Christi tantam habere fortitudinem, qua athletis & militibus necessaria est, quam cùm habuerit ad vitia prouocetur? Christiano sanitas absque viribus nimis necessaria est. Legimus quosdam morbo articulari, & podagra humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos conualuisse. Sed & ex vilissimis vitanda satietas est; nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter, & exæstuans, & huc illucque se vertens, & in ructus respirans.* Hæc Sanctus ille, Ieiunij encomiastes & propugnator acerrimus.

Corpora obesa inepta ad grandia facinora. Gula virtutibus inimica. Epicurus damnauit vlum carnis. Ieiunio sanitas corporis comparatur. Ieiunium ab athletis vsurpatum ad fortitudinem.

Hier. lib. 2. contra Iou.

Tanta sunt commoda, quæ ex hoc ieiunij fonte deriuantur, vt Scriptura Sacra peculiarem de eo panegyrim texuerit, vt aduertit Hieronymus con-

congerens sacras historias, quæ recolit textus ille sanctus in gratiam ieiunij, & quibus adstruitur titulus quem expendo, scilicet ieiunium conducere ad ardua facinora. Et vt ab incunabulis mundi exordiar. Adam in Paradiso primum accepit præceptum, vt cætera poma comedens, ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiù impastus & abstemius, tamdiù fuit Angelorum consors, & incola Paradisi; ast vbi soluit inediam, malè pastus turpiter exulauit. Factus extorris, statim duxit vxorem, qui ieiunus virgo fuerat in Paradiso: fatur in terra matrimonio copulatur, qui nescius cibi, rerum omnium Domino iungebatur. Eiectus è Paradiso, non protinus accepit ius carnium vescendarum, sed tantùm poma arborum, & fruges segetum, & olera ei traduntur in cibum, vt exul quoque Paradisi, non carnibus, quæ in Paradiso non erant, sed similitudine frugum Paradisi vesceretur. Tandem natura facessente negotium homini, Deus indulsit esum carnium, vt dum homines intelligunt factam sibi copiam huius obsonij, nimia cupidine comedendi carnes non vexentur, ne mandatum verterent in causam præuaricationis, quamuis & tunc ex parte indictum sit ieiunium: nam cùm alia munda dicantur, alia immunda, & in arca Noë de immundis introducuntur impari, & vtique immundorum esus ablatus sit, ne frustra dicerentur immunda, ex parte ieiunium dedicatum est; quasi Deus ex tunc quorundam recisione, abstinentiam omnium decerneret. Cur perdidit Esaü primogenita sua? Nonne propter stimulos & impatientiam gulæ?

Gen. 2. Ieiunij encomia ex Scriptura.

Gen. 7.

Quid vnum hominem commemoro passum aliquod dispendium à malè suada gula, cùm omnis ferè populus Israël, genio indulgens, & escarum cupidine flagrans, Moysem adegerit ad frangendas tabulas legis, quas longè protractis ieiuniis impetrarat. Ille vacuo ventre legem accipit exaratam Dei stylo; populus verò factus vile abdominis mancipium, manducans, & bibens, consurgensque ludere, aurum conflat in vitulum, & Ægyptium bouem præfert Domini Maiestati. Tot dierum labor, vnius horæ saturitate periit. Frangit audacter Moyses tabulas, sciebat enim exleges esse homines, quibus nihil de lege constabat. Secunda descriptio tabularum absque ieiunio non potuit impetrari. Quod ebrietas amiserat, repetit inedia: ex quo liquet, posse nos per ieiunium redire in Paradisum, vnde per saturitatem fuimus eiecti. In exodo aduersus Amalec oratione Moysis, & totius populi vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iosuë stationem imperauit Soli, & Lunæ, & inediam plusquam vnius diei victoris exercitus protelauit. Congregatum populum in Masphat Samuël indicto ieiunio roborauit, quo armatus præualuit in saturum hostem. Ciuitas Niniue imminentem iram Domini ieiuniorum miseratione detersit, quam & sedassent Sodoma, & Gomorrha, si voluissent agere pœnitentiam, & lacrymas conciliare patrocinante ieiunio. Denique bonorum omnium ferax inedia, occurrit instantibus malis, & inducit bona, quorum indigus homo summam patiebatur inopiam.

Lex à Deo ieiuniis impetrata.

Gula fregit tabulas legis.

Gula homines exleges facit.

Ieiunium facit homines reduces in paradisum.

Ions 3.

Licèt præcipua ieiunij gratia animam afficiat, à qua decernitur inedia; tamen eius vtilitas etiam refluit in corpus, vt paucis ait Chrysostomus, ita fatus: *Numquid voluptatem quæris? hanc frugalitate parabis: num sanitatem? etiam hanc inde: num libertatem? num valetudinem, ac robur corporis? num bonam constitutionem? num animæ sobrietatem? num alacritatem? Ista bona omnia hinc: in crapula autem contraria, insuauitas, mala valetudo, infirmitas, illiberalitas, sumptus.* Ne itaque homo lasciuientis gulæ susurrum audiat; consulo, vt quisque dapibus vtatur vt pharmacis, iuxta hoc Augustini effatum: *Sicut ager ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere. Nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens.* Hac cautela fiet familiare ieiunium, citrà quod imprudenter homo se obiicit discrimini vitiorum. Est enim ieiunium velut rudimentum omnium virtutum; virtuti namque nemo potest operam dare, & ventri; quippè non coëunt venter, & virtutes. Ita Gregorius: *Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non semetipso per afflictam ventris concupiscentiam prius carnis incentiua deuicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gula videlicet appetitus, edomatur; quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora prosternimus, nimirum inaniter ad ea, quæ longiùs sunt, impugnanda transimus: incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra vrbis mœnia ciuis insidians habetur. Nonnulli verò ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & iam ad spiritualia bella consurgunt, qui aliquando multa etiam quæ sunt fortitudinis magna faciunt, sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram, omne quod fortiter egerint perdunt; & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cuncta virtutes obruuntur. Vnde & Nabuchodonosor vincente scribitur: Nabuzardan, id est, Princeps coquorum destruxit muros Ierusalem: quid enim per muros Ierusalem significans Scriptura exprimit, quæ ad pacis visionem tendit? aut quis coquorum Princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissima à coquentibus cura seruitur? Muros igitur Ierusalem Princeps coquorum destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdidit. Hinc est, quòd Paulus contra Ierusalem mœnia decertantis vires coquorum Principi subtrahebat, cùm diceret: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Vnde præmiserat: sic pugno, non quasi aërem verberans; quia cùm carnem restringimus, ipsius abstinentia nostra illibus non aërem sed immundos spiritus verberamus; & cùm hoc quod intra nos est subiicimus, extra positis aduersariis pugnas damus. Hinc est, quòd cum Rex Babylonis succendi fornacem iubet, stuppæ & picis ministrari congeriem præcepit; sed tamen abstinentes pueros hoc igne minimè consumit, quia antiquus hostis, licèt innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat; bonis mentibus superni spiritus gratia insibilat, vt à carnalis concupiscentiæ æstibus illæsa perdurent.* Hæc sanctissimus ille Præsul.

Chrys. hom. 37. in acta Apost. Ieiunij vtilitas, in corpora redundat.

Aug. lib. de conf. vitiorum, & virtutum.

Cibis vtendû vt pharmacis.

Greg lib. 30. Moral. c. 12. Ieiunium est rudimentum aliarum virtutum.

Gula refrænanda est ei, qui vult virtutibus operam dare.

Gula figurata in Nabuzardan destruéte muros Ierusalem.

Ieiunio dæmones validè prosternuntur.

Mihi seriò perpendenti, quare sit sedulò gula cohibenda, ieiunij præsidio, hæc ratio occurrit, videlicèt corpus nostrum è limo oriundum suam semper sapere originem, id est, non omnino deposuisse naturam limi. Est autem hæc indoles luti, vt quò plus aqua respersum fuerit, eò etiã sordescat magis & progignat buffones & serpentes, vt congruum prouentũ aquæ stabulantis. Editus homo, gratiâ

Quare sit sedulò cohibenda gula.

Gula ferax omnium vitiorum.

gratiâ Dei instructus, habebat ius in corpus suum, quod congruo tunc rore madens, vernabat pictum mitis virtutum flosculis, atque coloribus. Sed vbi gratiâ excidit homo imprudens, & beneficus ille humor exhaustus, caro suo reddita est principio, ac proinde limosa effecta est, & hoc cœno enata est spurca vitiorum colluuies, cui magnum incrementum adfert gula: siquidem caro ebrietate desudans, crapulâ diluitur, & effecta sordidior, vitiis ingrauescit. Vt liquidior fit hæc ratio, & accōmodata magis omnium captui, operæpretium est recolere, inesse homini duplicem appetitum, vnum rationalem, alium sensitiuum. Appetitus rationalis est voluntas, cui pro obiecto decernitur quidquid homini conuenit. Appetitus sensitiuus est facultatis animalis propensio in omnes sensuum illecebras. Homine sauciato culpa originali, præualuit appetitus sensitiuus, hominemque pellexit ad carnalia, non tamen inuitum potuit cogere ad peccandum, libero semper appetitu rationali, ad annuendum, aut ad repugnandum. Si tamen homo cedit iuri suo, & indulget appetitui sensitiuo, viuendo ad corporis arbitrium, voluntas sensim immemor suæ libertatis, ad præscriptum sensuum agitur, & sponte sua dominio excidit, & inglorie corpori mancipatur.

Gula Adam perdidit.

Appetitus sensitiuus quid sit.

Appetitus rationalis quid sit.

Ad hanc animæ perniciem præpotens est gula: vt enim cuique cupido insita est conseruandi indiuidui sui, & corpus indigeat alimentis, vt sartum tectumque sit; natura validè hominem sollicitat ad epulas, conscia voluntate, cui etiam ratio indicit, vt congruis eduliis corpori consulat. Vnde cùm necessitas, & voluptas, res sint contiguæ & affines, transitus vnius ad alteram facilis est, rarusque est, qui voluptati non annuat, arbitratus se mederi corpori fatiscenti. Non erubuit confiteri hoc suum deliquium Augustinus, hisce querulis vocibus: *Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo, priusquam escas, & ventrem destruas, cum occideris indigentiam meam satietate mirifica, & corruptibile hoc induerus incorruptione sempiterna. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar: & quotidianum bellum gero in ieiuniis, sæpius in seruitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames, & sitis dolores quidam sunt. Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præstò est, ex consolatione tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra & aqua & cœlum seruiunt, calamitates deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mibi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est: & non est alius, quà transeatur, quàm quò transire cogit necessitas. Et cùm salus sit causa edendi, ac bibendi, adiungit se tamquam pedissequa periculosa iucunditas: & plerumque præire conatur, vt eius causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo: nec idem modus vtriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpè incertum fit, vtrùm adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppeditat: Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis, obumbret negotium voluptatis.*

Quàm difficile est corpus reficere sine periculo voluptatis.

Aug. l. 10. confess. c. 31.

Gula quàm sit industria vt hominem prætextu necessitatis præpediat.

Gulam compescere, est operosum negotium.

Cùm ergo res sit adeò operosa gulam refrænare, præcipuam anima curam debet impendere, vt sese expediat à laqueis, quos inde prætendit callidus inimicus; & maximè quia vitium hoc turmatim incedit, vtpotè stipatum aliis animæ dispendiis, vt sunt, luxuria, acedia, rixæ, quibus subditur homo gulæ obnoxius. Statim enim vt præualuit gula, anima velut impos effœta est in his, quæ pertinent ad salutem: nimirum obesa caro suffocat animam, omnemque ei adimit sensum rerum supernarum; quippè delinitus animus adipe voluptatum, desipit ad superna. Idcircò æmulus animarum dæmon, primum arietem, quem impellit in hominem, petit à sagina. Nemo namque potest impastus diù degere in hoc æuo: & dum pabulum subministrat, vt homo suas obeat vices, præpedit incautos, eos illaqueans vinculo voluptatis. Itaque vt acerbus hominum osor dæmon incipit à gula animas impetere; ita strenuus athleta Christi debet à ieiuniis aleam auspicari. In ea fuit sententia Basilius, adhortatus ita neophytos, vnumquemque eorum ita conueniens. *Vide ne te seducat inimicus per primi parentis peccatum, & citò te eiiciat ex Paradiso voluptatis: qui enim Adam per esum subtraxit à vita, & sperauit Iesvm se supplantaturum, non reuerebitur multò magis etiam tibi temperare primam malorum causam, cùm fortè venenum hoc esse sciat: nam gulositatis vitium non in copia edulιorum proprium robur ostendere solet, sed in desiderio, ac immodico gustu. Si itaque desiderio breuis alicuius gustus malueris te subiicere, gulositatis vitio citra laborem te morti tradet: quemadmodum enim natura aqua est, vt dum per multos ductus diuiditur, omnem circa aqua ductus locum florere faciat; sic & gulositatis vitium, si digestum fuerit ad cor, omnes sensus tuos rigans, malitiæ syluam in te plantans, ferarum habitaculum animam tuam efficiet: multos enim ego vitiis corruptos, in sanitate esse vidi: vnū autē ex omnibus clanculariū heluonē, aut gulosum non vidi, sed aut à continēte vita abruptos, & mundo corruptos, aut inter continētes occultari conātes, & per voluptatē diabolo cōmilitantes: mendaces enim sunt, periuri, seditiosi, molles, morosi, tenebris gaudentes, virtuosa actioni vltro resistentes: quò enim gulositatis vitium regnat, in examen malorum incidunt, qui habitu sunt inter vos, qui soluantur, re autem ipsa inter condemnatos. Hæc Adam morti tradidit, & mundo consummationem indixit. Per ventris voluptatem Noë ridetur, & Cham deuouetur. Esaü primogeniti prærogatiuam amittit, & cum Chananæis affinitatem contrahit. Loth filiæ maritus fit, ipse sui ipsius gener, & socer, pater, vir, & auus, vtrimque naturæ terminis contumeliam inferens, &c. Daniel autem vir desideriorum dominatus contra Chaldæorum Regem præualuit, simulachrorum destructor existens, & draconis peremptor, leonum pædagogus, incarnationis Dei prænuntius, & mysteriorum occultorum enarrator, & vt omnia compendio dicam, si dominaberis ventri, habitabis Paradisum; si non dominaberis, factus es mortis accessorius sumptus.* Hactenus Basilius.

Dæmon auspicatur suas tentationes à gula.

Gula præualente in animam, alia vitia se insinuant.

Basil. ser. 2. tom. 2.

Gulæ vitium in quo propriè consistat.

Gulosi rarò aut nulli ad Deum conuertuntur.

Gen. 3.

Gen. 9.

Scandala orta ex gula.

Gen. 19.

Ille idem alibi suum calculum adiicit illi sententiæ, qua præfatus sum, animam pati deliquium corpore præualente, & tantùm spiritus

adimi, quantum adipis corpori accedit. Ecce eius suffragium. *Ieiunium Paulum euexit ad cælum, quo & nos erudiuit, vt per ieiunia vngamus, & exerceamus nos ipsos ad certamina in tentationibus. Qui carni opitulatur spiritum debellat, & qui spiritui opem fert, carnem in seruitutem redigit: quare si mentem fortem vis facere, carnem per ieiunium doma, quia quantùm homo externus corrumpitur, tantùm internus renouatur, & illud, cùm infirmor, tunc fortior sum. Ignoras te per immodicam saturitatem, crassum tibi ipsi vermem tortorem praeparare.* Ex præfatis Patrum sententiis luculenter adstruitur illa conclusio, quæ decernit, ieiunium esse optimam cautelam contra dæmonum technas, quæ cùm multæ sint, magnam petunt in homine solertiam, vt citra vllum animæ dispendium valeant euitari. Vnde cùm prudenter eis occurrat ieiunium; opportunè Christus longâ inediâ quadraginta dierum omnes astus dæmonis anteuertit.

Basil. hom. de laud. ieiun.

Ieiunij commoda pensanda ex gulæ incommodis.

SENSVS MORALIS.

Pars Secvnda Sectionis.

Quanam industria superanda sint tentationes.

QVARTA PROPOSITIO.

Gula compescitur appositè meditatis incommodis, in quæ hoc vitium præcipites agit homines.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

ARTICVLVS XII.

Ex Theologia, et Ex SS. Patribvs.

Bellantium omnium hæc est industria, vt dum oppugnant arcem, explorent vnde facilior aditus ad eam pateat, ne si munitiora loca tentent, in cassum obeatur labor. Ita Absalon viam sibi fecit ad solium, quo patrem suum Dauid expulit. Non statim proceres regni conscios fecit suæ perfidiæ; sed auspicatus est à populo, quem vt in suas inflecteret partes, crebris eum amplexibus & osculo demulcebat. Ita facet textus. *Manè consurgens Absalon, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum qui habebat negotium, vt veniret ad iudicium Regis vocabat Absalon ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israël ego sum seruus tuus. Respondebatque ei Absalon: Videntur mihi sermones tui boni, & iusti; sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Dicebatque Absalon: Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem? Sed & cùm accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israëli venienti ad iudicium, vt audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israël.* Hoc astu vafer hominum hostis dæmon circumuenit homines. Nempe haudquaquam primò impetu quatit hominem totum, sed primò carnem palpat. Ad instar Absalon manè consurgens, spiritus ille nequam stat iuxta introitum portæ: primo enim diluculo sensus externos occupat vt animæ fores, & quicquid occurrit idoneum ad faciendos animæ fucos, illud potenter ingerit, & præsertim æmulatur ingenium Absalonis, qui homines osculo dementabat. Quicquid enim diabolus ori hominis admouere potest, gulam conducit, vt stet à partibus Angeli desertoris, & animam consciam efficiat defectionis, in quam corpus inducitur sensuum illecebris, in quibus illæ quæ pertinent ad gulam cautè hominem pelliciunt, & impellunt in laqueos diaboli: animus enim imprudens, non aduertit gulæ perfidiam, in Ioab homicida graphicè lineatam.

Absalonis astutia vt patrem suum solio deturbaret.

Quænam sit dæmonis industria vt hominem circumueniat.

2. Reg. 15.

Dæmon carnis obsequio animam fallit.

Accipe historiam. *Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salue mi frater. Et tenuit dextera manu mentum Amasæ quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram; nec secundum vulnus apposuit.* Gula ementitur tunicam strictam, ad mensuram habitus, cùm suggerit esse sumendos cibos, pro quantitate molis corporeæ; ne caro deficiat. Gladio accincta est, qui fabricatus leui motu egredi potest, & percutere: nam huic vitio mille nocendi artes sunt; quippè à gula in alia crimina transitus est facilis. Tenuit Ioab mentum Amasæ, simulans osculum, ita & intempestiua cupido escarum prætexit speciem necessitatis, quæ consulit homini ciborum obsequio. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere; ita & rarus est, qui gulæ indulgens obseruat eius insidias, adeò subtiles, vt vix adeatur vsus escarum necessarius, sine conscia voluptate. Ita Augustinus: *Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis; &c. Itaque frena gutturis temperata relaxatione, & constrictione tenenda sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum.* Percusso latere Amasæ, malè periit homo ille infelix, lethali vulnere sauciatus, nec apponendum fuit secundum vulnus. Statim etiam atque gula suo implexu præpediit hominem, illa satis est ad animam enecandam: vt suo extremo discrimine probarunt incauti parentes nostri, quos feralis edulij perdidit vsus nequiter assumptus.

Egregia figura, qua denotatur gulæ perfidia ad necandas animas.

2. Reg. 20.

Ioab quàm perfidè Amasam occiderit.

Gulæ insidiæ à paucis obseruantur.

August. l. 10. conf. c. 31.

Cùm ergo præcipuè Amasa perierit, quia non cauit insidias Ioab, cuius gladium non obseruauit, & ea imprudentia dispereant omnes, qui genio indulgent, quòd scilicet non recolant damna, quibus hoc vitium homines facit obnoxios; operæpretium erit recensere incommoda, quæ consequuntur gulam, ne homo delinitus escarum illecebris, hoc vitio pereat indecoro. Præcipuum gulæ incommodum est, quòd lethaliter animam petat, ita vt sit animæ funus, illud quod caro fœnus existimat. Nota, nomine gulæ non intelligi appetentiam cibi, quæ pertinet ad vires animæ

Gulæ incōmoda.

Gula quid sit.

Ex Theologia.

vegetabilis, in quibus nequit esse ratio virtutis aut vitij: sed intelligi concupiscentiam inordinatam appetitus sensitiui, qui à recta ratione deuiat. Potest autem ordo rationis concupiscentiam moderantis bifariam vitiari. Vno quidem modo secundùm ea quæ sunt ad finem, ita vt nimis anxiè cibos homo conquirat ad voluptatem, non tamen vt escarum causâ Deum velit lethaliter offendere; patitur eo pactò anima deliquium, sed non summum. Alio item modo tollitur ordo rationis in illa concupiscentia, secundùm ipsum finem, cùm nimia cupido cibi hominem à Deo auertit, qui est præcipuus rerum omnium finis, ita vt homo non cunctetur Deum postponere voluptati, quam percipit ex gulæ illecebris, flocci faciendo præcepta Ecclesiæ, cibis vetitis abutendo. In hoc sita est extrema gulę pernicies, vim inferens animæ, vt res viles, quales sunt escæ, Deo turpiter anteponat.

Tho. 2. 2. qu. 148. art. 2.

Gulæ quot modis hominem inducat ad peccandum.

Rursus gulæ malitia hæc est, vt si quando hominem affecerit, eum validè implexum teneat, suis nexibus irretitum. Namque ille finis tenaciùs vinctum hominem tenet, qui magis appetibilis est; appetibilitas enim rationem finis affingit vnicuique rei. Illud autem magis appetitur, cui felicitatis vmbra creditur inesse. At gulosi felicitatis suæ summam reponunt penes gulæ cupedias, arbitrati se litare Deo, quando viscera saburrant, escas crebrò congerentes. Adiice, animam fieri impotem sui, exundante cibo; quia retunditur acies intellectus, desudante cerebro nimio affluxu humorum. Quodque magis aggrauat hoc peccatum, gula patens est multorum vitiorum, & instar gladij ancipitis hominem vtrimque ferit, corpus scilicet malè afficiendo, & vim faciendo functionibus animæ. Vnde ad vitium hoc compescendum, credidere Lacones satis esse ostendere filiis suis hominem ebrium, quia habitus eius ita dedecet hominem, vt solo aspectu deterrere queat spectatores. Paucis & eleganter Chrysologus subiicit ideam hominis, eo vitio conspurcati. Sic ille: *Ebrietas cadis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantia deformiter est magistra: hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet; homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria: hanc nullus nouerit Christianus, ne auditu quidem sacerdos attingat: ne, qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat & inueniatur exemplum.*

Gula quando sit peccatum lethale.

Gulæ illecebræ fortes. Gula est gladius anceps, corpus & animam feriens.

EX SS. PATRIBVS.

Chrysol. ser. 26.

Ebrietas quam sit homini iniuria

Vt lupo gyrante circa caulas ouium, conclamant pastores, & canes pecuarios immittunt in feras illas truculentas; ita si qua mentio gulæ incidit, Sancti Patres suum stylum acuunt, vt configant hoc peccatum, multa prole virulenta fœtum. Accipe Chrysostomum, ita fatum: *Qui viuit in deliciis, & ebrietati deditus est, & carnium vorationi, & vini potatione disrumpitur, sæpè & inuitus, & sponte necesse est peccare. Nam sicut nauis oneraria, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata submergitur; ita anima, & corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quàm ferat natura sua, impletur, & iniectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipsum onus cum hominibus perdit. Et qui cibis vacat, & ad præsentem vitam inutilis fit, ad nihil accommodus, & vbique ridiculus, tamen publicis quàm priuatis rebus, & si in tumultu aliquid opus est fieri, non inuenitur habere aliquid prouidentia, vel gubernationis.* De sobrietate dicit Sapiens: *Anima indigenti, & amara dulcia videntur: anima impleta fauis illudit: Vnde si voluptatem quærimus, hic magis inuenimus. Quomodo ergo non extrema dementia fugere à mensa frugali, quæ habet voluptatem, & suauitatem, & omnia bona, & Dei amorem, & struere aliam plenam innumeris calamitatibus insuauem, tristem, & morbosam, & quod grauissimum est omnium, concitantem contra nos Deum.* Quod de equo Troiano commenta est antiquitas, illud appositè potest affingi gulæ. Nempè credula nimis ætas arbitrata est, equum illum proceræ molis parturiisse milites armatos in perniciem Troiæ, quam totam flammis & sanguine deturparunt. Penes huius commenti assertores fides esto; sed indubia sunt mala, quæ progignit homo distento abdomine grauis. Vitiorum ilias omnis est huius vitij genitura: quodque fabulæ Troianæ congruit, venter obesus sæua spargit incendia, scilicet libidinem, & innumera propè semina iurgiorum.

Chrysost. ser. contra luxuriam. & crapulam.

Gula quantis incommodis hominem afficiat.

Gulæ indulgere dementia est.

Gula Deo est inimica.

Gulæ & equi Troiani comparatio.

Gulæ & luxuriæ societas.

Fornax illa vitiorum, præambula est incendio, quod manet has victimas saginatas, vt Cereri & Baccho citiùs immolentur, & demum cum diuite epulone crementur in inferis. Eò spectant illa Basilij verba: *Timete exemplum diuitis. Illum deliciæ vitæ igni tradiderunt; non enim ob iniustitiam, sed propter delicatam vitam accusatus in flamma fornacis torrebatur. Quò itaque illum ignem extinguamus, aquâ opus est; & vide ne nunc conspuens aquam, postea guttam concupiscas, velut etiam diues. Nullus ab aqua grauatus est crapula, nullius caput vnquam doluit aqua degrauatum: nullus alienis pedibus opus habuit in aqua potu agens vitam.* Sed quid commemoro Patres, cùm potior medicina gulæ petatur à Scriptura Sacra, qua quicunque pascitur, hic recta viuit de verbo quod procedit de ore Dei, expertus hominem non in solo pane viuere. Prætereo Adami sortem damnatam in sudores inexhaustos, ob gulæ obsequium. Alia detrimenta commemoro, in quibus occurrit illa strages, quæ extulit multa millia Hebræorum, qui se abdomini deuouerant orantes dari sibi carnes. Sic codex sanctus, huic guloso populo parentauit. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Illa hominum nequam internecio est quidem censura grauis; sed longè deterior est ille effectus, quem præscius Moyses recolit, dicens populum collapsurum in cultum idolorum, si quando gulæ deliciis indulgeret. Sic ille: *Cùm comederint, & saturati, crassique fuerint, auertentur ad Deos alienos, & seruient eis, detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum.* Huic præsagio fidem facit vita hominum, qui se Baccho & Cereri mancipatunt. Horum venter Deus est, cui & Venus est in eadem fornice consocia, iuxta Hieronymi sententiam, affirmantem, pro ordine membrorum, esse ordinem vitiorum. Quodque probat esse deploratas res hominis gulæ addicti, ridet omnia quæ ingerunt aliquod tædium vitæ indecoræ. Exemplum locuples suggerit Esaü, cuius insaniam meminit Moyses hoc contextu. *Accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, &*

Basil. hom. de laud. ieiun.

Gula homines trudit in infernos.

Aquæ visus neminem inebriauit.

Gula Adamo infinita tulit incommoda.

Mala insignia quæ gula peperit.

Num. 11.

Gula idololatriæ parens.

Deut. 31.

Gula ridet omnia salutaria monita exemplo Esau.

Gen. 25.

abiit,

abiit, parui pendens, quòd primogenita vendidisset.

Genuinè hac figura adumbratur iniqua sors mancipiorum gulæ. Si eis occurrat homo frugi, carpens eorum mores dyscolos, & vitam crapulâ infamem. Si, inquam, is suggerat illud Pauli: Non in comessationibus, & in cubilibus, aliaque ventris supellectile sidera demereri. Triobolares illi homines omnia subsannant, & rident quòd primogenita ære paruo dæmoni vendiderunt. Sed esto rideant, & delirent ad tempus; eos tamen manet illud præsagium viri sancti Iob: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Extrema namque gaudij luctus occupabit, & pœnas luent, aliquando cibos indigestos æterna flamma vindice decoquente. Hoc alta mente recolere, est pasci verbo quod procedit de ore Dei, atque adeò fieri inuium tentationi gulæ: nemo namque benè pastus incongruos appetit cibos. Sunt autem cibi incongrui, dapes omnes obiectæ animæ versanti Dei verba, & repetenti sedula mente sacræ dogmata disciplinæ. Vt secus, ille qui fastidit Dei verba, dapibus inhiat, vtpotè cui totum de culina constat, & hoc vnum animo incumbit, abiurare Deum, & suasori gulæ diabolo deuoueri. Aliis vitiis sua sunt stipendia, quibus authoratus homo, tenaciter iis obstringitur, stante voluptate, qua vt donatiuo meret assecla vitiorum. Sed gula expleta grauat, & pro authoramento, seu mercede, fastidium ingerit, ructus, & nidorem vini acescentis, stomacho sub escarum pondere fatiscente. Heluo, Dei incurius, vni tantùm diabolo studet, quo etiam susurrone gula conducit alia vitia, vt eis animus assuescat.

Gulam sors amara consequitur.

Iob. 20.

Anima verbo Dei intenta non attendit ad gulæ illecebras.

Gulæ sequela, ructus, grauedo, corpor.

Gula Deo abdicato deuouet hominē diabolo.

Præstat in eo argumento audire Chrysostomum in hoc vitium inuehentem. Sic ille: *Nihil tam gratum dæmonio, quàm deliciæ sunt, & ebrietas, quoniam omnium malorum fons est, & genitrix. Per hanc dæmon Israelitas in idolorum cultum præcipitauit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Per hanc alios perdit innumeros, & gehennæ tradit. Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur cœno, & stercore pascitur: hic autem abominabili magis pascitur mensa, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores: huiusmodi nihil à dæmoniaco differt: simili namque fertur impudentia, similique bacchatur furore, & dæmone quidem pressum miseramur, hunc autem odimus. Modico vino vtere, ait Paulus Timotheo, propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas: si verò sanctus ille morbo laborans, & frequentes patiens ægritudines, vinum non gustabat, donec præceptor mandauit; quam nos habuerimus veniam, qui in bona valetudine sectamur ebrietatem? Igitur quidem illi dicebat: Modico vino vtere propter infirmitates tuas: Cuique verò ebriorum dicet: Modico vino vtere propter fornicationes, propter crebra turpiloquia, propter cæteras turpes concupiscentias, quas solet ebrietas parere. Vinum datum est ad lætitiam; vos autem & hanc eius virtutem destruitis: quæ namque lætitia non esse in semetipso, innumerosque pati dolores? quantò melior his est asinus, aut canis? Nam & horum quodlibet animalium, & omnium brutorum seu comedere, seu sit opus bibere, necessitatem terminum nouit, nec vltra quàm est opus progreditur, licèt sint infiniti, qui cogant in immodestiam procedere non patitur: & sicut tempestate sedata procella, tempestatis tamen manet nocumentum; itidem & in ista: sicut enim illic mercium fit iactura; similiter & istic ferè omnium bonorum efficitur, siue modestiam inueniat, siue pudorem, siue prudentiam, siue mansuetudinem, aut humilitatem, in iniquitatis omnia proiicit pelagus ebrietas. Illic post iacturam scapha leuis efficitur, hic autem magis grauatur: nam pro diuitiis arenam admittit, & omnem ebrietatis sordem, quæ cum nautis pariter & gubernatore scapham illicò submergit, & perdit.* Hæc ille, luculentam materiam suppeditans detestandi gulam, qua vt parente sata, tot animam vitia populantur.

Chrysost. ho. 71. ad populum.

Gula diabolo gratissima, vt quæ mala patrat innumera.

Homo gulosus deterior bestiis.

Egregia comparatio gulosi cum homine naufragante.

SENSVS MORALIS.

Multa est malorum supellex, quam gula secum vehit.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

ARTICVLVS XIII.

Ex Medicorvm Disciplina, Et ex SS. Patribvs.

VBi homo pristina sua sorte excidit, qua velut Angelorum consors vitam agebat quasi nesciam cibi, animâ ipsius desuper impinguatâ, ita corpori immersus est, vt nihil propè animo valeat concipere sine sensuum obsequio, quibus vt facibus vtitur anima, volens aliqua sibi priùs abdita speculari. Ego huic animæ infirmitati consulens, isto articulo pangam incommoda, quibus afficitur homo gulæ addictus, petita similitudine à morbis, quibus ægrum iacet corpus, crapulâ dissolutum. Itaque operæpretium est illud præfari: scilicet cedere in corporis perniciem, quidquid ciborum ingeritur, præter modum vnicuique congruum. Natura namque impar huic oneri, non concoquit escas hiante stomacho deuoratas, ac proinde succus inde elicitus impurus est, & ineptus corpori saginando, quod ideo in cacexiam transit, & hinc plurium morborum noxia rudimenta. Primò petitur caput vino vapescente, & ebulliente cibo mittente fumos, quibus oppletum caput nimio humore desudat, qui dum refluit in sinus ventriculi apoplexiam gignit, quia spiritus animales liberiore tractu non influunt in neruos. Si verò madens cerebrum alluit exordia neruorum, eos sic obstruens, refluens humor defluit in oculos inde lippientes, & in aures saniem excernentes. Hinc caligo, & surditas. Nec hîc malorum finis: quippè vt stabulans ille humor totum corpus alluit, & ad pepasmum non peruenit, vt egeri queat salubriter, sistit in articulis manuum, atque pedum, ita vt ferè inutili tota membrorum compage, homo sit sine nomine truncus, vtpotè aure graui, oculo opaco, tumentibus artubus, & corpore expertе motus. Tantaque est gulæ vis iniqua prolifica, vt eam Fernelius crediderit omnium ferè morborum fontem. Sic ille: *Euidentium causarum ordine cibus, atque potus locum obtinens secundum,*

Quæ mala vehat gula ex medicina. Gula morbos creat.

Ex re medica.

Fern. l. 5. Patholo. c. 2.

Gula est apoplexiæ parens.

Idem l. 1. Pathol. c. 14. Gula radix omnium morborum ex Fernelio.

cundum, eorumque vis eſt aëri proxima. Hic quidem celeriùs ac promptiùs in plures inuadit: at cibus atque potus quoniam permanentem ac inhæreſcentem corpori materiam ſuppeditant, id validiùs contumaciùſque efficiunt. Cibi potuſque vitia gignendis morbis pabulum materiamque ſuggerunt, è qua & morbi interdum ſponte emanant, nullo euidentis cauſa impulſu. Imò & quoniam vel ab aëre, vel ab animi perturbationibus, vel aliis cauſis euidentibus morbi nulli excitantur, niſi conſentiat corporis præparatio, & humorum conſtitutio: ſi hæc tota ex cibo potuque profecta eſt, maximum hi ſanè in gignendis morbis vim obtinent. Vt ſemel dicam: Vna gula omnium eſt propè morborum mater.

Hipp. lib. 7. Aphor. 7.

Ait Hippócrates, pleroſque gulæ indulgentes obriguiſſe, deliraſſe, & exanimes illico defeciſſe. Vnde hunc edidit Aphoriſmum. Ἐκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν. Id eſt. *Ex largiore potu rigor, & delirium, malum.* Summus ille medicus, malis inſtantibus ab exceſſu gulæ, famem ait eſſe vnicum antidotum. Ecce lenis oraculum. Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι, δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν, λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Id eſt. *Corporibus præhumidas carnes habentibus, fames imperanda eſt: fames enim exſiccat corpora.* Profectò hæc ſunt animæ diſcrimina, quando ſe homo ingurgitat eſcis. Nempè gula primò in caput arietat, oppugnans rationem, principem animæ facultatem capite lineatam: mentis enim acies obtuſa eſt iis omnibus, qui effuſi in dapes, totos ſe illis infarciunt. Ægrè admodum meminere ea, quæ pertinent ad ſalutem: & ſi quando mentio incidit horum, grauiter audiũt, vt quibus aures ſunt iugiter occluſæ affluxu humoris, in has animæ fores affatim exundantis. Rurſus heluo, omnibus exoſus, & factus velut opprobrium hominum, vtpotè agens vitam porci, non tamen aduertit, in quo turpidinis cœno volutetur, quia caligant oculi mentis, exuberante crapula lippientes. Præterea, ſi aliquod opus arduum eſt tentandum, homo vorax ineptus eſt: quippe qui manus habet obeſo corpore diſſolutas. Nihilo etiam aptior eſt ad frequentandas Eccleſias, vt animæ ſuæ conſulat adſtando ſacris: nam præpeditos habet pedes, ſcilicet affectus habet duntaxat ad coquinas, delubra Bacchi & Cereris anhelantes. Idcircò homo ſui cultor abdominis, totus in acediam frangitur, & impos fit ad ſalutem animæ capeſſendam. Etenim deliciæ carnis & animæ non coëunt. Denique quod minatur Hippocrates corpori ſaburrato vino & dapibus, anima gratiæ moritur ſuperfluis carnibus impinguata.

Idem lib. 7. Aphor. 53.

Gulæ mala ſanantur ieiunió.

Gula quomodo fit animæ inidonea.

Gula totam animam facit impotẽ.

Ne ſuſpiceris, moralem hunc diſcurſum eſſe ieiuni hominis inuectiuam, contextam ad arbitrium mentis impaſtæ, & ieiuniis aſſuetæ, conſule Sanctos Patres, Eccleſiæ columina, & reſcies inde, me ad eorum trutinam ſingula perpendiſſe. Ita Gregorius ille magnus: *De ventris ingluuie inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſus circa intelligentiam propagatur.* Paucis ille Sanctus concludit omnem perniciem, qua gula hominem totum afficit, nullam omnino facultatem illibatam ſinens. Quomodo autem ventris ingluuies enixa ſit hanc vitiorum ſobolem, Angelicus doctor ſic explicat: Gula conſiſtit circa immoderatam delectationem, quæ eſt in cibis & potibus. Et idcircò inter filias gulæ recenſentur illa vitia, quæ ſequuntur ex immodica delectatione eſcarum. Illi autem omnes defectus attendi poſſunt ex parte animæ, vel corporis. Ex parte animæ, quadrifariàm homo deliquium patitur. Primò quantùm ad rationem, cuius acumen obtunditur, ex immodico vſu cibi & potus, vnde naſcitur hebetudo ſenſus; circa intelligentiam, ob ebullientes in ſtomacho cibos, qui vapeſcunt, & fumoſitate caput replent, rationiſque actiones præpediunt, vt ſecus abſtinentia confert ad indaginem ſapientiæ, iuxta illud Salomonis: *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam.* Secundum diſpendium, cui hominem ſubiicit ingluuies, attenditur penes appetitum, qui multipliciter errat in immodica cibi & potus ſumptione, quaſi impedito gubernaculo rationis. Inde ſcaturit inepta lætitia, ad quam multæ paſſiones ordinantur. Tertiò peccat homo in moderamine linguæ, quæ dum æſtuante ventriculo calet, & refluente vino madet, impos ſui ſoluitur in longam & importunam verborum ſeriem: & hinc emergit multiloquium; ipſo etiam Gregorio aſſertore, cuius eſt hæc ſententia: *Niſi gula deditos immoderata loquacitas raperet; diues ille, qui epulatus quotidie ſplendidè dicitur, in lingua grauiùs non arderet.* Quartò cenſuræ obnoxius eſt homo, ob inordinatum actum, & ſic emergit ſcurrilitas, id eſt, quidam pruritus iocandi enaſcens ex defectu rationis, quæ ſicut non poteſt cohibere verba, ita nequit imponere modum geſtibus externis. Ex parte corporis petitur immunditia, proles indiuidua ventris dapibus inflati.

Ex SS. PATRIBVS. *Greg. l. 31. Mor. c. 31.*

Gulæ qualis ſit proſapia.

Tho. 2. 2. qu. 144. art. 6.

Quæ ſint filiæ gulæ. ciat.

Eccl. 2.

Gula quot modis animam afficiat.

Ieiunium confert ad ſapientiam acquirendã.

Gulæ filiæ quomodo enaſcantur.

Greg. p. 3. paſtor. c. 20.

Gula linguoſos homines facit.

Gula ſcurriles actus excitat.

Ingloria hæc proſapia gulæ, refert incommoda, quæ perſtrinxi ex præfata Medicorum diſciplina, damnante cibos immodicè ſumptos, vt incunabula morborum. Eò etiam ſpectauit Ambroſius hoc contextu: *Maior vis vini eſt, quàm veneni; tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infert, caput vexat; denique venenum vino excluditur, non veneno vinum. Meritò Deus per Moyſem non ſolùm veneno, ſed etiam draconum veneno vinum comparauit, dicens: Furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis: & pulchrè additur, inſanabilis: multi enim reliquorum ſerpentum veneno curantur, nemo ebrietate; certè veneno caro vulneratur, vino mens. Aduerte etiam perfidia venenum, vini declaratum nomine: ait enim Scriptura de alienigenis, qui neſcierunt Deum: De vinea Sodomorum vinium eorum, & vitis eorum, vitis Gomorrhæorum; vua eorum, vua fellis.* Compendioſo hoc eloquio ſacer textus vini nequitiam appoſitè pungit, componens meri potum cum veneno, cuius nomenclatura ducitur à venis, in quas venenum influit, citò permeans hos alueos & canales. Ita & vinum ſtatim ſeſe in venas inſinuat, & virus ſuum veneno citiùs intromittit; pertingens etiam vſque ad intimas animæ compages, quò deuenire virus nequit. Eſt itaque pertentandum homini, qui victima gulæ, litat ventri, neſcius in quod barathrum ſua ipſius anima deuoluatur. Audi funus helluonis, Bernardo auctore. Sic ille: *Non eſt regnum Dei, eſca, & potus. Quid ad hæc vos dicitis, guloſi, & luxurioſi, quorum Deus venter eſt, quorum omnis vſus, aut in ventre, aut ſub ventre eſt? Audite, audite, quia eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem hunc, & has deſtruet. Vobis qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtibus, qui comeditis*

Amb. l. de Elia & ieiun. cap. 14.

Vinum peius eſt veneno.

Vini immodicè ſumpti incommoda.

Venenum vnde dictum.

Bern. ſer. 1. de verbis Apoſt. ad Rom. 14.

Gulæ & regno Dei nihil commune.

Psal. 48. Gula elegãti discursu pũgitur à Bernardo.

comeditis de armento, & bibitis vinum defæcatum, & primis vnguentis vngimini vnguentis. Filij hominum vsquequo graui corde? quà corpore pingui, vt quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? pinguedo carnis, deliciæ corporis, satietas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis: Quoniam, inquit Sanctus, cùm interierit non sumet omnia, neque descẽdet cum eo gloria eius, sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quàm benè sicut oues, quia detracto vellere mũdialium diuitiarũ, durèque detõsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos, quia semper moriëtur ad vitã, & semper viuent ad mortem. Ergò hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati tormentis pœnalibus socientur, qui socij fuerunt in vitiis. O delicate, qui deliciis circumfusus, atque confusus confusionem expectas & mortem, non est regnum Dei esca & potus, non purpura & byssus, quia diues ille bis decoratus in puncto ad inferna descendit.

Gula compescitur meditatione malorum quæ prodeunt ex hoc vitio.

Longior ille contextus malorum à mè recensitus, profluens ex captata gulæ illecebra, sufficere potest ad escarum nauseam ingerendam, si homo attento versaret animo discrimina magna, quibus ingluuies obnoxiam facit animam. Hæc meditari, est pasci verbo, quod procedit de ore Dei, quia quidquid verax est & salutare, illud ad nos cœlitus emanauit.

SENSVS MORALIS.

Gula vitium est multis titulis indecorum.

In hæc verba:

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

ARTICVLVS XIV.

Ex Variis Historiis, et ex Ivre Canonico.

Congruum exordium ad concionem de incommodis gulæ.

VBi quidpiam altas radices egit in mente hominis creduli, illud sibi fidem facit, etsi res non sit vt anima lineauit. In eo argumento alibi recensui fatum Caroli VII. Regis Galli, cui vt insedit opinio veneni propinandi, non potuit adduci, vt vllo edulio pasceretur, suspicatus inesse virus cibis omnibus appositis. Dumque prævaluit error ille, fatiscens natura Regem defecit, fame frustra nitentibus Medicis enecatum. Si errore abductus Rex cauit escas innoxias, & necessarias ad sartum tectumque corpus; qua cautela debet homo prudens accedere ad lautiores epulas, quarum superfluus vsus multorum hominum millia dementauit. Frequentes in eo themate prostant historiæ, testantes in quam perniciem deueniant homines facti viles abdominis asseclæ. Aliquas locupletiores seligam, & extra communem historiarum aleam, vt suadeam fastidium escarum, congruo tamen vsu sumpto. Ad quatuor capita referam historias, quæ suâ censurâ castigant ingluuiem. Primò ostendam, gulam, & res serias non benè conuenire, atque adeò helluones esse suæ salutis incurios. Rursus aperiam, gulam, & Venerem esse res concordes, ac proinde gulosos omnes esse obscœnos. Deinde adiiciam, frequentes epulas arbitrari cultum Dei, & inducere ritus peregrinos. Demum liquidò probabo, epulones extillimam iram Dei in sua se proba capita prouocare.

Histor. Galliæ in Carolo VII.

Caroli VII. Regis Galliæ mors ob inediam.

Gula fuit pœreus Michaëlis Imperatoris socordiæ.

Vitium hoc homines efficere ineptos ad ardua audendum, suo exemplo fecit palàm Michaël III. Imperator Græcus, homo adeò epulis assuetus, vt constare duntaxat abdomine videretur. Etenim ea solùm curabat, quæ ventris sunt, alia omnia flocci pendens. Homo ille ingurgitatus, & vino madens, vt liberiore tractu ructus effunderet, in hyppodromo currum agitabat, cum infimæ sortis hominibus aurigam agens, totam diem terens in ludicris. Hominis huius nequam indole cognitâ, Saraceni irruptione facta populati sunt fines Imperij, certiores facti, Bacchum & Martem non in eodem delubro coli. Non fefellit hostem coniectura petita à viuendi instituto Principi insolito: quippe ludicra tractans Imperator, vt audiit Saracenos expedita manu velitum procursare, & grassari igne & ferro, malè excepit hominem, qui huiusce cladis nuntium attulit, acriter in eum inuehens, quòd ausus esset Principi suo ludenti facessere negotium vocibus importunis. O hominem factum ludibrium hominum, cui ludus erat res potior salute hominum! Dignus planè fuit homo ille, quo fortuna luderet vt pila ventosa, qui Imperij iacturam ludum suum fecit, vt deflet Curopalata, damnans helluonis huius mores ingloríos, quos æmulantur omnes ventris asseclæ. Nempe vbi gulæ cupido immodica hominem sibi obstrinxit, eum statim rebus seriis adimit, ludicra tantùm obiiciens, quibus ita se deuouet homo litans ventri, vt prorsus incurius sit salutis suæ. Huius incuriæ argumenta sunt conuicia, quæ eructant helluones in eos, qui monent instare dæmones, qui in animam incautam irruunt, vt præcipitem agant in barathrum. Nihil frequentiùs audies in epulis, quàm scommata in homines abstemios, & ieiunij cultores impigros. Et quia totum æuum gulosi hominis, ventris obsequium est, nulla conceditur mora censori opportuna, vt consulat saluti animæ ludicris occupatæ. Idcirco vitia impunè grassantur in omnes oras, & ditionem animæ huius, quam sibi gula deuinxit. Oculi eius Veneris igne scintillant, aures patulæ hiant ad obscœna, totusque homo fit summo piaculo omnium propè criminum holocaustum. Itaque oleum & operam perdunt, qui vilia ventris mancipia tentant ad meliorem reuocare frugem; illis enim omne salutare consilium pertinens ad salutem animæ, est narratio penitus importuna, concilians eorum iram, quæ plerumque ebulliente bile, in contumelias & verbera debacchatur.

Michaël Imperator gulæ & ludis tantùm natus.

Ioannes Curopalata in Michaële III. Imp.

Gula ludicris homines occupat & facit ineptos ad seria.

Gula non patitur censores aut consilia.

Esto gula diris omnibus hominem deuoueat; quem aliàs sibi Deus in Baptismo sacrauerat; præcipuè tamen hoc vitium in luxuriæ laqueos incurrit, hominemque liquat eius incendio, priscis eum infulis exuens, si quas vnquam sortitus erat ante professum ventris obsequium. Locuples est huius dispendij testis Imperator Constantinus IV. qui arbitratus omnia licere Principi, auspicatus est Imperium suum à compotationibus, & crapula; vnde in eam exarsit libidinem, vt exauctorata coniuge sua, multas in torum suum pellices induxerit, quibus perculsi proceres Imperij, hominem hunc solio pulsum turpiter excæcarunt. Eamobrem nequissimus ille, iniquæ etiam sorti impar, præcoci morte occubuit, suo fato probans,

Constantini IV. Imper. fatum inglorium in pœnam gulæ & libidinis.

Theophanes in annalibus sub ann. 797.

probans, epulas atque luxuriam æqua indole semper in hominum capita conspirare. Fatum inglorium Principis huius nefarij luculenter meminit Theophanes. Eadem sors manet omnes, qui gulæ ritibus initiati, & velificantes ventri, prouocant Venerem: illis enim gradibus dehiscunt in abyssum, vnde reuocare gressum, res est omnibus inconcessa. In huiusce rei typum, Theodoretus meminit facinus impium perpetratum ab Ethnicis, in odium Gentis nostræ. Nimirum ait, Emesæ prope Heliopolim, Gentiles irruisse in Ecclesiam à Christianis erectam, & spurcissimis actibus eam vsurpasse, illic statuentes Bacchum muliebrem nudum, qui vtriusque sexus obscœna templum hoc adeuntibus ostentabat. Si horrorem parit illa relatio, hoc memento, Christiane, compotationes superfluas esse libamina, quibus Baccho anima dedicatur, excidens vnctione, qua quondam Deo consecrata fuit templum Spiritus Sancti. Hoc item recole, neminem gulæ obstrictum, esse expertum luxuriæ, & posse diu vitam agere moribus illibatis.

Theodoret. l. 3. c. 6. sub ann. 362.

Bacchus impudicè pictus in téplo Christianorú, quid morale significet.

Illa gulæ cum omnibus vitiis affinitas, Dei cultum omnem expungit ab anima effusa in dapes: nihil etenim præter escas diuinum est ei, cui Deus venter est. Ille totam sui templi supellectilem petit à culina: quidquid palato sapit, hoc adorato numini dedicatur. Hanc esse gulæ nequitiam, probè sciuit improbus Imperator Julianus refuga, qui vt multos milites haberet conscios defectionis suæ à Christo, publicas instituit epulas, vbi temulentos adigebat homines ad cultum idolorum, ita vt inter escarum nidorem thura fumarent, & prostarent impia Simulacra. Eamobrem Iuuentinus & Maximus milites, exosi nefandas epulas Principis apostatæ, suspirantes has voces querulas ediderunt, quas meminit Chrysostomus: Heu, heu; in quæ tempora deuenimus? Non licet aërem liberiorem ducere, mediis etiam in epulis, vbi thure impio Christus Dominus abdicatur. Eâ industria dæmon homines eripit obsequio Christi, scilicet epulis allicit, & demum assuetos illecebris gulæ, deducit in gurgitem vitiorum, vbi Deus penitus ignoratur. Ad hunc abdominis cultum pertinent verba ista Hugonis Victorini: *Solent Diis templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari, Deo ventri templum est coquina; altare, mensa, ministri, coqui; immolata pecudes, cocta carnes; fumus incensorum, odor saporum.* Hæc ille.

Chrysostom. oratione de SS. Martyrib. Iuuentino, & Maximo.

Hugo Victor. lib. 4. de claustro anime.

Vt nullius planè rei contextus in hoc æuo constare sibi potest, necesse est helluonum vitam in bonis ductam desinere aliqua lethali & luctuosa catastrophe. Et profectò talis exitus infelix manet eos, quorum dies omnes epulæ sunt, instructæ ad saginam corporis; quasi verò esset corpus impinguandum ad victimam: sic Deus alloquitur hos homines adiposos: *Audite verbum hoc; vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Hunc versum ego literaliter explico de gulosis, quos escæ nimiæ adeò distenderunt, vt eis obesa caro ademerit vsum pedum, ita vt necesse sit eos in sella circumferri. Illis Deus prædicit æternum interitum, dicens, eorum reliquias, scilicet animas, quæ supersunt corpore extincto, igne vindice concremandas. Esto Deus cunctetur in plectendo; tamen nunquam impunes præterit helluones, vt famoso exemplo liquet. Rei series hæc est. Nilus Abbas, vir celeberrimæ sanctitatis, deuenit olim in montem Cassinum, pietatis ergò. Ibi demoratus, audiit Mansonem Abbatem præfectum illi cœnobio vacare epulis cum præcipuis suis monachis, & post prandium opiparè instructum, introduxisse citharœdum. Rei nouitate perculsus homo sanctus, illacrymans ait adstantibus: Exeamus hinc, & confestim: quippe ira Dei imminet istis hominibus abdicantibus Dei cultum, vt ventri suo exquisitis dapibus obsequantur. Non inane fuit præsagium: nam Abbati paulò post eruti sunt oculi, & monachi omnes eius criminis conscij perierunt. Quamuis sit sera Dei vindicta, pœnas exigens à gulosis; nullus tamen se subducere potest gladio vindicanti.

Amos 4.

Gula suos asseclas in fine ominosum adducit.

Baronius Ex vita S. Nili Tomo 10. Annal. sub 995. ann.

Mansonis Abbatis punitio ob gulam.

O Epicuri de grege sues, indulgete genio ad arbitrium vestrum, distendite carnes vestras, adiecta volatilium & quadrupedum carne, conducite citharœdos, vt eructante stomacho demulceantur aures: extrema gaudij huius luctus ingruens occupabit. Hoc animo volutate, est vti pharmaco salutari, contra vrgentes gulæ illecebras, quæ quia magnò constant, tantum viris cautis ingerunt fastidium, quantum incautis suggerunt appetitum. Eo argumento vtuntur Canones sancti, vt effectum sobrietatis insinuent. Incommoda gulæ referunt, vt secus commemorant abstinentiæ vtilites. Prior ille occurrit Canon *Nihil sic iucundum est, sicut cibus benè digestus, & decoctus. Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur: nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio: sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul procreat, & voluptatem. Abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo facit ciborum: magis autem & multò peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat de hac vita pœnali: excessus verò consumit, & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna: & tunc morte crudeli consumit.* Hoc versare attenta mente, vices agit antidoti contra gulæ perniciem.

Gula compendiosa exhortatione perstricta.

EX IVRE CANONICO.

Canone Nihil De consecr. Dist. 5.

Sobrietas est amica sanitatis.

Gula procreat morbos.

Eâdem etiam cautelâ vtitur alter Canon: Ecclesia namque arbitrata est, homines incurios salutis suæ æternæ, daturos fortè aliquid sanitati corporum, cui maximè consulitur ab homine frugi, vt secus conciliato adipe derogatur. Ecce textum Canonicum. *Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos magno partos & perditos labore doleamus. Olerum, pomorum, ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte impendiisque coquorum non indiget, & sine cura sustentat corpus humanum, moderatéque sumptus, quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet leuiori digestione concoquitur. Nemo enim vno aut duobus cibis hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium, & saporis delectatione percipitur. Cùm variis nidoribus fumant patinæ, ad esum sui, expleta esurie, quasi captiuos trahunt. Vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impotentiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt.*

Canone Ne talis de consecr. Dist. 5.

Sobrietas cibos lautiores spernit.

Gula etiam ciborum nimietate sibi est onerosa.

Eâdem ratione inducta Ecclesia cauit, ne liber esset vsus carnium monachis, rata carnium abstinentiam tutari religiosos homines à malis,

quæ, ſollicitant lautiore obſonio victitantes. Sic decernit Canon. *Carnem cuiquam monacho, nec ſumendi, nec guſtandi eſt conceſſa licentia: non quòd creaturam Dei iudicemus indignam, ſed quòd carnis abſtinentia vtilis & apta monachis aſtimetur, ſeruato tamen pietatis moderamine erga ægrotos. Quòd ſi quis monachus violauerit, & contra ſanctionem regulæ vſumque veterum veſci carnibus præſumpſerit, ſex menſium ſpatio retruſioni & pœnitentiæ ſubiacebit.* Vitium hoc adeò turpe cenſuerunt Apoſtoli, vt ſolam ſuſpicionem gulæ in clerico acriter caſtigarint, damnantes omnem ingreſſum in cauponam, quia locus ille eſt veluti alea, vbi ſuos aſſeclas exercet gula. Sic ſæuierunt Apoſtoli hoc Canone. *Si quis clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, à communione excluditor.* Cùm igitur hiſtoriæ & Canones declament in gulam, neſcio quibus argumentis homo dapibus obſtringetur.

Canone Carnem De conſecr. Diſt. 5. Monachis quare interdictus carnium vſus.

Canone 53. Apoſtol. Gulæ clerici obnoxij quomodo ab Apoſtolis caſtigati.

SENSVS MORALIS.

Ingluuies eſt deteſtanda vt res omnibus indecora.

In hæc verba:

Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei:

ARTICVLVS XIV.

EX IVRE CIVILI, ET EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Platonis hoc circumfertur conſilium opportunum, ſcilicet exeundum eſſe ciuitate, vbi maioribus incommodis afficitur homo, quàm commodis. Iuxta hanc ſententiam homo ſollicitè debet cauere frequentes epulas, quia hoc Epicureum viuendi genus homines multis diſpendiis obſtringit; nullum verò prouentum vtilem affert. Suprà recenſui longam ſeriem malorum, quæ vehit hoc portentum: vnum hoc malum ſupereſt explicandum, quod fortè vrgebit homines ſollicitos, de bono nomine conquirendo: ſcilicet ingluuiem eo etiam argumento deteſtandam eſſe, quòd ſit omnibus indecora. De ea namque leges Cæſareæ, & plurium nationum vetera monumenta fecere mentionem vt de re ingloria. Eò ſpectant leges conditæ in odium popinarum, vbi impunè gula luxuriat. Seuerus Imperator cauponam & lupanar fecit nomina ſynonyma, decernēs ancillam non poſſe adigi inuitam ad miniſtrandum in caupona, ratione periculi, in quod pudor incurrit. Ecce edictum Cæſaris. *Eam quæ ita venit, ne corpore quæſtum faceret, nec in caupona ſub ſpecie miniſtrandi proſtitui, ne fraus fiat dictæ legi oportet.* Cùm ergo proſtitui, res ſit inhoneſta; ea quæ conducunt ad facinus hoc obſcœnum, ſunt toto pectore declinanda. Vnde cùm in his caupona cenſeatur, ob ventris ingluuiem, cui dant operam diuertentes in præfata hæc loca; in confeſſo eſt, gulam inurere notam iniuriam homini helluoni. Eiuſdem generis eſt lex, qua datur homini actio in eum, qui ſeruum aut filium ipſius duxit in cauponam: nimirum lex finxit fieri iniuriam homini, cuius filius ducitur ad cauponam; dedecus enim filij reſilit in parentem. Ecce legem. *Si quis ſeruum meum vel filium ludibrio habeat, licet conſentientem, tamen ego videor iniuriam accipere, veluti ſi in popinam duxerit illum.*

Platonis apophthegma.

Ingluuies eſt res ingloria.

EX IVRE CIVILI. Caupona, & lupanar res ſynonymæ.

Lege 3. Cod. Si mancipiū l. 4. tit. 56.

Leg. Si quis ſeruum ff. de iniuriis l. 47. tit. 10.

Iiſdem etiam legibus cautum, exauctorari militem ebrioſum: cùm enim cingulo militiæ fiat illuſtrior homo; congruo ſupplicio plectitur ebrius, ſi in ordinem redigatur. Ecce mulctam. *Per vinum lapſis capitalis pœna remittenda eſt, & militiæ mutatio irroganda.* Lex rem dubiam fecit, eſſet capite animaduertendum in milites ebrios nec ne, ſic hærendo notans, qualem infamiæ teſſeram ſuæ ſorti degeneres illi milites irrogarent. Eo etiam nomine malè audierunt olim nationes illæ, quibus de gula conſtitit totum. In his recenſentur Lydij, vt neſcij prorſus honoris, & gloriæ: hos Herodotus ait adinueniſſe cauponarum vſum, vt laxiore ritu vacarent ludis, quorum etiam fuere auctores: gulam namque & ludi res ſunt concolores, & Epicuri de grege ſues, ſunt omnium hominum ludibrium. Ea laborarunt infamia Byzantij, quorum ingenium Ælianus execratur: qui relictis ædibus ſuis, eas locabant peregrinis hominibus, quibus etiam ſuas vxores exponebant, eis illarum copiam facientes, dum ipſi cauponis intendebant, nihil niſi de crapula cogitantes. Quales arbitraris filios inde ſatos, Baccho ſcilicet, & Venere vaga? Credo equidem inde exortam vitiorum omnium colluuiem, & ingens dedecoris argumentum. Ad eos proximè acceſſerunt Argiui, & Corinthij, quibus epulari & viuere perinde fuit: vnde flocci habiti ſunt in Græcorum conuentu, vt inepti ad facinora egregia fortiter exantlanda. Illis Ælianus adiungit Thraces, quos aliæ nationes habuere exoſos, ob immodicum hauſtum vini.

Lege Omne delictum §. Qui ſe volneraūit ff. De re milita. ri l. 49. tit. 16.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Herodot. l. 1. Ælian. l. 13. cap. 14.

Idem l. 3. cap. 13. 14 & 15

Cautiores aliis Gentes cauerunt ſibi audita pernicie, quam gula affingit ſuis mancipiis. In his iſti recoluntur inclyti populi, videlicet Spartani, Athenienſes, & Romani. Spartanos Lycurgus ea frugalitate inſtituit, vt lautiores eſcas ſanxerit exulare. Subdit Ælianus, pulſos fuiſſe Sparta coquos omnes, exquiſitis condimentis & dapibus intendentes. Athenienſes Laconum æmuli, quamdiu anheli ad gloriam ſtuduere rebus egregiis, acerbè exceperunt helluones. Idcirco Athenæus ait, eos creaſſe Oenoptas. Erant hi Magiſtratus præfecti epulis, ne nimio vino populus indulgeret. Laërtius ait, Solonem non pepercíſſe Principi Athenienſium; ſed legibus eius, fuiſſe liberum vnicuique occidere Principem ebrium. Et Ariſtoteles probat legem Pittaci decernentis, vt ſi quis ebrius alium percuteret, duplo plecteretur, quàm ſi plagam ſobrius inflixiſſet. Ego equidem illi legi meum calculum adiicio, & conſulo bis plecti temulentum, qui obuium hominem illato vulnere ſauciauit. Primò, quia in Rempublicam peccat, factus ſcandalum aliis, eos inducens in ſimile crimen. Secundò, quia factus eſt proximo ſuo grauis.

Plutarch. in Lycurgo. Ælian. l. 4. var hiſt. c. 7. Athen. l. 10. dipno. c. 7. Laërtius in Solone.

Ebrius percutiens hominē quare duplicitet plectendus. *Ariſt. l. 2. Polit. c. vltimo.*

Romani experti, quàm noxia eſſet gula, conſulentes Reipublicæ, ſuggeſſere Neroni, vt in guloſos animaduerteret. Annuit ille, & decreuit, ne dapes exquiſitæ venales eſſent in cauponis, vbi antea proſtabat omne delicatum obſoniorum genus. Hoc edictum Neronis Claudij Cæſaris meminit Sueton. Adiicit Dion Caſſius, eodem Principe auctore fuiſſe demolitas tabernas, in quas coibant homines gratiâ conuiuandi. Veſpaſianus

Sueton. in Nerone c. 16.

Imperator,

Dion. Cassius l. 60. histor. Xiphilinus in Vespasiano. Macrobius l. 3. Saturn. cap. 17.

Quid Orchia lex.

Imperator, gloriæ Romanorum cauens, legem tulit, ne quidpiam venirent in popinis præter olera, & legumina, vt Xiphilinus suis prodidit monumentis. Antea multæ leges fuere latæ, vt iis occurreretur ignominiæ Romani nominis, magnam iacturam gloriæ patientis, ob gulæ illecebras impunè à Romano populo frequentatas. Ad hoc antiquitatis argumentum pertinet integrum caput Macrobij, quod non erit abs re describere, in gratiam illorum, quibus ille auctor non est visitatus. Sic ille: *Imperari cœpit, vt patentibus ianuis pransitaretur, & cœnitaretur. Sic oculis ciuium testibus factis, an luxuria modus fuerit. Prima autem omnium de cœnis lex ad populum Orchia peruenit, quam tulit C. Orchius Tribunus plebis de Senatus sententia. Summa eius præscribebat numerum conuiuarum. Et hæc est lex Orchia, de qua Cato mox orationibus suis vociferabatur, quòd plures quàm præscripto eius cauebatur, tum ad cœnam vocarentur. Cùm auctorem nouæ legis aucta necessitas imploraret, post annum XXII. legis Orchiæ, Fannia lex lata est, anno post Romam conditam secundum Gellij opinionem DLXXXVIII. De hac lege Sammonicus Serenus ita refert. Lex Fannia sanctissimi Augusti ingenti omnium ordinum consensu peruenit ad populum. Neque eam Prætores, aut Tribuni, vt plerasque alias, sed ex omni bonorum consilio & sententia ipsi Consules pertulere, cùm Respublica ex luxuria conuiuiorum maiora, quàm credi potest, detrimenta pateretur. Siquidem eò res redierat, vt gulâ illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam, & libertatem suam venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrij de Republica salute consulerent. Hæc Sammonicus. Fanniâ legis seueritas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numerus tantùmmodò cœnantium cohibebatur, licebatque secundùm eam vnicuique bona sua inter paucos consumere: Fannia autem & sumptibus modum fecit assibus centum. Vnde à Lucilio Poëtâ festiuitatis suæ more centussis vocatur.*

Gulæ modũ variæ leges imposuere apud Romanos.

Quæ mala olim gula intulerit in Romanam Rempublicã.

Gulam quæ retion auctore castigare homines qui aliis præsunt.

Heu in quæ tempora deuenimus nos, qui adblandimur nobis & perperam Romanæ Ecclesiæ titulo specioso. Nonne venalis iuniorum hominum pudor est, cui pro auctoramento datur copia conuiuandi? Nonne omnia iura Dei & hominum præterit gula, consciis etiam illis, ad quos pertinet huic luxuriæ modum imponere. Vnde altum silentium, & torpor insignis ad carpendam gulam, nisi quia Magistratus, & Prælatos, fortè plures, quàm par esset, pudet commendare abstinentiam quam deuorato multiplici ferculo condemnarunt. Vtinam qui Romano nomine censemur, æmularemur gloriam Romanorum, quos aliquando pœnituit, ventri nimium indulsisse. Accipe alias leges eo intento conditas, vt Macrobius pergit enarrare. *Fanniam legem post annos decem & octo lex Didia consecuta est. Eius ferendæ duplex fuit causa. Prima & potissima, vt vniuersa Italia non sola vrbs lege sumptuaria teneretur, Italia æstimantibus Fanniam legem, non in se, sed in solos vrbanos eius esse conscriptam. Deinde vt non soli, qui prandia cœnasve maiore sumptu fecissent, sed etiã qui ad eas vocati essent, atque omnino interfuissent, pœnis legis tenerentur. Post Didiam Licinia lex lata est à P. Licinio Crasso diuite, cuius ferendæ probandæque tantum studium ab Optimatibus impensum est, vt consulto Senatus iuberetur, vt ea tantummodò promulgata priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obseruaretur, quasi iam populi sententia comprobata. Lex verò hæc paucis mutatis in plerisque cum Fannia congruit. In ea enim ferenda quæsita est noua legis auctoritas, exolescente metu legis antiquioris: ne Hercules, vt de ipsis XII. tabulis factum est, quarum vbi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina transierunt. Legis Liciniæ summa, vt Kalendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi causâ sumere liceret: Cæteris verò diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo libra, quod ex terra, vite, arboreve natum sit.*

Macrobius ubi suprà.

Quid in gulam decreuerit lex Didia.

Quid lex Licinia sanxit.

Roma Christiana sanctiores tulit leges, carnibus interdictis toto tempore Quadragesimæ, aliisque diebus Canone recensitis; sed præcipua harum legum sanctitas est penes tabulas, vbi conscriptæ sunt: rarus namque est, qui morem gerat illis optimis institutis. Degeneres itaque Christiani labe afficiunt Romanum nomen, cùm vitam agunt ab indicta sibi abstinentia penitus alienam. Quia hominum indoles in decliue prona fatiscit semper, & ægrè admodum assurgit ad virtutem; præfatæ leges editæ non obstare potuerunt, quin gulæ illecebræ non arietarint in constantes Romanorum animos, quos sensim inflexit ingluuies, Censoribus etiam consciis, & populo fastidiente leges. Sed vt ægritudo non statim permeat totum corpus, ita luxus sese insinuans, non infecit Senatum omnem. Idcirco Cornelius Sylla ingemens Reipublicæ nutanti, legem Corneliam edidit, de qua sic Macrobius: *Sequitur lex Cornelia, & ipsa sumptuaria, quam tulit Cornelius Sylla Dictator, in quo non conuiuiorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus, verùm minora pretia rebus imposita: & quibus rebus Dij boni, quamque exquisitis, & penè incognitis generibus deliciarum? Quos illic pisces, quasque offulas nominat? Et tamen illis pretia minora constituit, ausim dicere, vt vtilitas eduliorum, animos hominum ad parandas obsoniorum copias incitaret; & gulæ seruire, etiam qui paruis essent facultatibus, possent. Dicam planè quod sentio. Apprimè luxuriosus mihi videtur, & prodigus, cui hæc tanta in epulis vel gratuita ponantur. Itaque tanto hoc sæculum ad omnem incontinentiam promptius, vt pleraque earum rerum, quæ Syllana lege, vt vulgo nota comprehenduntur, nemo nostrûm, vel fando compererit. Syllâ mortuo, Lepidus Consul legem tulit & ipse cibariam. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellat. Dehinc paucis interiectis annis Antia lex peruenit ad populum, ferente Antio Restione: quam legem quamuis esset optima; obstinatio tamen luxuriæ, & firma vitiorum concordia, nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Restione latore ipsius legis fertur, cum quoad vixit, foris postea non cœnasse, ne testis fieret contempta legis, quam ipse bono publico pertulisset.* Hactenus Macrobius ille antiquarius.

Gulã vt pauit est Romana Ecclesia cõpescuit.

Macrobius ibidem.

Gulæ patronus Sylla extitit.

Gula Romanis quantùm noxia fuerit.

Roma triumphans æquè gulam cauit ac hostes acerbos; suo nempe discrimine erudita, labare Imperium, quod passim gulæ illecebræ populantur. Ad hunc Reipublicæ cultiorem habitum pertinent editæ leges à Platone, è quibus vnicam laudare sufficiet, vt pateat, quàm sollicita

Plato l. 11. de legibus.

ſollicita fuerit Græcia, ne vigeret gulæ principatus. Sic ille: *Qui illiberali cauponationi cupiam operam dedit, à quolibet poſſit apud Optimates accuſari, iſque cauſâ in vinculis dicat. Quòd ſi domum indigno ſtudio maculaſſe deprehenditur, vinculis annuis ab hac opera arceatur. Si iterum lapſus, biennium vinciatur, ac deinceps quoties peccaſſe deprehendetur, duplo tempore ſemper detineatur.* Veteres Franci rerum egregiè geſtarum gloria famoſi orbe toto, rati ſunt ingluuiem magnam inferre labem Reipublicæ: ideo mulctarunt aquæ potione immodicos vini hauſtus. Beatus Rhenanus hanc eorum legem è vetuſtis monumentis erudetauit. *Nemo militiæ ſocium, aut quemlibet alium, ad potandum inuitato: quod ſi quis ebrius repertus fuerit, eiectus quoad culpam agnoſcat, aquam bibito.* Priſcæ huius Gallicæ diſciplinæ memores Galli Reges, ſæpius inhibuere ciuibus ingreſſum popinarum, quas duntaxat eo tantùm nomine conceſſerunt, vt ad eas diuerterent viatores. Sed vt venter eſt abyſſus multa, nullæ ei leges potuere modum imponere, Galliaque non habet vnde aliis inſultet nationibus, quas eſcarum luxus inglorias fecit. Faxit Deus vt tandem aliquando Gallia caſtigata ærumnis, & tributis, ſobrietate Deum demereat, beatius ſæculum expertura.

Quæ fit congrua pœna ebrietatis olim Gallis vſitata.

Beatus Rhenanus l. 2. rerum Germanicarum.

Gulam Reges Christianiſſimi congruis legibus amandarunt.

SENSVS MORALIS.

Callidus hoſtis ingluuie ſibi obſtringit animas, quæ ſola ſobrietate poſſunt declinare dæmonis aſtutiam.

In hæc verba:

Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

ARTICVLVS XIV.

EX SYMBOLIS, ET EX SS. PATRIBVS.

VT degener homo, Deo abdicato, pecudum indolem æmulatus eſt, terrenis inhians, & nihili faciens ea, quæ cœli ſunt; ita etiam dæmon induſtrius ad circumueniendum, homines aggreſſus eſt eo Marte, quo homines illudunt feris, vt earum carne paſcantur, & corio veſtiantur. Dæmoni maximè arridet ille modus, quo venatores Pantheræ nectunt inſidias. Animal hoc eſt quàm cupidum vini, & auidè fertur eò vbi fragrat odor vini. Venator itaque ſuſpicatus alicubi eſſe pantheras, vas vehit vino plenum deſuper apertum, ita vt commodè bibulum animal, vino queat infundi. Non cunctatur fera meribibula pernice greſſu ferri in dolium, quo expleta fit illico motus expers, vtpote inebriata cedens in ius hominis, qui liberali manu vinum propinauit. Inde tenuit ſymbolum Ferrus, vtique congruum meo intento. Pinxit ille pantheram iuxta dolium, quo epoto iacet, & capitur. Tabulæ hunc idoneum titulum adiecit: EPOTA CAPITVR. Idonea ſanè hæc eſt pictura ad lineandas dæmonum inſidias, quas prætendunt animæ hominis imprudentis. Hanc variis ferculis ineſcatam largiore etiam vino perfundunt, quo irrigata & velut impos ſui, vapeſcente vino, EPOTA CAPITVR. Dumque putat capere, capitur, ſuas in ſepulchro relictura exuuias, & æterno igne vindice decoquendâ. Eam obtem ſi daretur voce liberiore frui, vltro moneret homines, vt cauerent ab illa anxia indagine cupediarum gulæ, ad quas dum anhelant, congruum locum dant dæmonum inſidiis, animaque ſic EPOTA CAPITVR, & ſic exitus infelix excipit delicias magno labore partas, & induſtriâ improbâ conquiſitas. Appoſitè ad hoc argumentum Petrarcha increpat helluones.

Quãdo dæmon illudat hominibus.

EX SYMBOLIS. *Ioann. Ferrus p. 2. Theatri.*

Gulæ pernicies egregio ſymbolo depicta.

Gula homines inducit in ius diaboli.

Sic ille caſtigat hominem conquerentem ſibi gulam eſſe moleſtam. *Nulla res tam vilis, tam ſollicitos vos habet. Stupor & pudor eſt cogitare, quo ſe humanum inclinat ingenium ad maiora creatum, niſi reſpuere terrarum tractus, caliqué & maris abdita penetratis. Meditati eſtis retia, & hamos, & viſcum, & laqueos, & rapaces volucres imperio parere, & prædari vobis docuiſtis, ad nihil aliud, niſi vt gula ſatisfiat, quam non modò explendo, ſed onerando fatigatis, & anguſtum ventrem varia arte laxatis ac premitis obſequendo, cui aliquantò fames eſſet vtilior, vtiliſſima verò ſobrietas, & fœdo illi ac miſero ſacculo, ſimul & ſyluis, & nubibus, & fluctibus pacem linquẽs. Ita tamen eunt res. Hic eſt mos nobilium ante alios, hæ ſunt artes, quæ liberales fuerant, mechanicæ euaſere; ipſique, qui bellorum Duces, ac Philoſophi, ac rectores vrbium, ac Patres patriæ eſſe ſolent, venatores atque aucupes facti ſunt: vtque intelligas nullam eſſe reliquam ſpem ſalutis; nobilitati tribuitur, quod eſt gula, aut proculdubiò vanitatis. Hoc malum nullo meliùs modo, quàm generoſa quadam indignatione & rei ipſius exiſtimatione contunditur, vel ſenſim, vt Ciceroni placuit, vel repente, vt Ariſtoteli viſum eſt. Multum confert cogitatio exitus, quod cùm omnibus vitiis ſit commune, tamen huic proprium atque luxuriæ.* Hæc ille, congruè omnino ad verſum, quem expendo. Qui etenim meditatur infauſtos helluonum exitus, faſtidiet cibos, quibus caro diſtenta capitur, & eſuriem patietur dapium ſupernarum, probans non in ſolo pane hominem paſci, ſed eduliis veſci cœlitus illapſis.

Petrarcha de remediis aduerſa fortuna Dial. 108.

Gula magnos animos depoſuit ad culinam.

Gulæ faſtidiũ quemodo concipitur.

Hac ventris illecebrâ concluſit olim Sybaritas vitium hoc gulæ. Nempe homines illi in otium fracti, & veliſicantes abdomini, Spartanos irridebant, eorum frugalitatem ſtolidè ſugillantes. Vnius Sybaritæ delitium notat Athenæus. Is vt audiit Spartanos homines frugi, fortiter mortem oppetere, nec vlla belli diſcrimina detrectare, ſubſannando ait: Non ſe mirari homines malè paſtos temnere vitam, fame aſſidua ingratam; Sybaritas verò eſſe magis de ſua ſalute ſollicitos, quia vitam agebant ſuauem, & conditam multis ſenſuum illecebris. O pecora non homines, quorum anima fuit in adipe! Ad hos ſues acceſſere Sauromatæ; quos fœminæ ſibi ſubiecere, inſtructis opiparis epulis, in quos effuſi homines hi guloſi, multo deſudantes mero, & variis infarti cibis, viriles animos exuebant, totos ſeſe componentes ad arbitrium fœminarum, quibus ſubditi parebant ex præſcripto. Nonne homines illi ignobiles circumtulere animas in ventris ergaſtulo dapibus ineſcatas, vt Stobæus ait? Eo pacto dæmon allicit homines, vt epotos capiat: ita ſæculo Noë inũdante crapula, vindex aqua vinum diluit, quod gula meracius epotarat. Eadẽ ſorte perituros homines ſuprema mũdi ætate, præſcius Chriſtus ait. Vnde Hieronymus anſam capit hæc monendi:

Sybaritæ guloſi quàm inepti.

Athenæus l. 4. dipno.

Sauromatæ poſt gulam fœminis ſubditi.

Stobæus ſer. 42.

EX SS. PATRIBVS. *Hieron. l. 2. contra Iouinian.*

nendi: *Timeamus ne ab aduentu æterni Iudicis, sicut in diebus diluuij, & euersionis Sodomæ, inueniamur manducantes, & bibentes: nam & diluuium, & ignis de cœlo saturitatem, quam deleret, inuenit. Christus est, qui diuitem purpuratum propter epulas narrat in tartaro, & Lazarum pauperem ob inediam dicit esse in sinu Abrahæ. Deus in Leuitico præcepit vt septimo mense, decima mensis omnis populus ieiunet vsque ad vesperam, & qui non affixerit animam suam, moriatur. Quare sepulchra concupiscentiæ, vbi carnibus deditus populus ruit, vsque hodie in solitudine perseuerant? Cur homo Dei, ad cuius prophetiam manus aruerat Regis Ierobcam, qui manducauit contra edictum Dei, illico percussus est, & leo, qui asinam custodiuit intactam, Prophetæ leuanti se de prandio non pepercit. Qui ieiunus miracula fecerat, pransus illico saturitate pœnas luit. Sed & Ioel clamitat: Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, vt demonstraretur ieiunium sanctificari cæteris operibus, & sanctificatum ieiunium curationi proficere peccatorum.*

Gulam Deus olim multifariam castigauit, vt historiis patet.

Ex vita S. Ambrosij.

Adeo verax est illa sententia prælibata, scilicet animas dapibus inescari, vt tenaci proposito Ambrosius indixerit sibi, procul abesse semper ab epulis: quippe multo rerum vsu didicerat, modestiam, sobrietatem, & epulas minimè conuenire. Et Beatus Martinus Episcopus vix semel adduci potuit, vt ad mensam Imperatoris pransurus accumberet. Et esto Christus fuerit omnium virtutum typus, nec vnquam epulis interfuerit, nisi vt se beneficum exhiberet, nunc mutando aquam in vinum, & aliàs Magdalenæ veniam erogando: tamen æmuli eius inde captarunt ansam carpendi mores ipsius innoxios; arbitrati non coire virtutes & epulas, ac proinde hominem, qui epulis adstabat, non esse vsquequaque vitiis illibatum. At secus Ioannes benè audiit, quia ieiunus ad pœnitentiam homines inducebat: & Iudæi eo solo nomine, quòd impastus esset hic Ioannes, suspicati sunt eum esse Messiam, aut aliquid supra vernaculum genus hominum. Idcirco hoc est in confesso, sobrietatem esse virtutum illecebram; gulam verò vitiorum omnium rudimentum, ac proinde auspicandum esse à repudio illecebrarum gulæ, si virtutum chorum conciliare nobis volumus: abstinentia namque præit aliis virtutibus, quibus etiam vtitur veluti satellitio contra dæmones insurgentes. Vt contrà callidi hostes animarum diaboli gulam conducunt multis escarum stipendiis, vt hominem palpet; certiores facti, hominem, qui dat nomen suum gulæ, fore etiam breui vitiis omnibus irretitum. Quemadmodum enim in putente fimo scaturiunt vermes; ita & caro distenta crapulâ, multoque vino madens, benè composita est in colluuiem omnium peccatorum: nec vllus vnquam helluo fuit virtutis integræ sectator impiger; ieiunus vero fuit congruè accinctus ad sequendum omnium virtutum agmen.

Seuerus Sulpicius in vita S. Martini.

Ambrosij propositum tenax nunquam adesse epulis.

Ieiuniũ homines gloriosos efficit.

Sobrietas est virtutum illecebra.

Gula facit corpus scaturiginem vitiorum.

Ambr. lib. de Ieiunio & Elia.

Eò collimant hæc Ambrosij effata. *Quis deteriorauit domum suam ieiunio? quis imminuit facultates? cui non venerabilis abstinentia? cuius totum appetiuit parsimonia? cuius pudorem non læsit ebrietas? Ieiunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, custodia innocentiæ, infirmitatis allenamentum, alimentum salutis, &c. Qui graue ieiunium esse dicunt respondeant: quis ieiunio defecerit; multi in prandio, plerique dum vomunt epulum, fudere animam: quod postremo animal ieiunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? Per escam laqueus non cauetur, in esca hamus latet, & cibus deducit in foueam, cibus deducit in retia, cibus visco etiam aues alligat, cibus volantes deponit ad mortem: quæ non propter ventris pericula muta animalia crimen nesciunt, & in hoc solo tanquam pro crimine puniuntur. Ieiunium sobrietas mentis est, hoc vigent sensus, in hoc iudicia tractantur, in conuiuio pocula, ieiunium custodit disciplinam; luxuriam sequitur inopia, mater est luxuria famis, secundùm Propheticum dictum; ieiunium quietem diligit, luxuria inquietudinem. Obsonator est, qui antequam luceat, fores pulsat alienas; turbatum vides, interrogas, quæ causa perturbationis sit: poscit, inquit, dominus meus, vbi vinum melius vaneat, vbi phasianus pinguior, vbi piscis recentior.*

Antitheses ieiunij, & gulæ.

Gula est hamus inescatus.

Luxuriæ quænam sit indoles.

Hoc contextu Ambrosius luculenter enarrat, quale discrimen intersit inter epulas & sobrietatem; vtque liquidò magis probet ieiunij prouentus vberes, & incommoda gulæ, spatiatur suo more Præsul ille eloquentissimus, recensitis historiis congruis intento suo. Ne quid eius lepôri depereat, præstat eius referre seriem contextus, atque ita genuinam reddere venustatem. Sic ille: *Bibebant vinum in ebrietate potentes, qui Holoferni principi militiæ Regis Assyriorum se tradere gestiebant: sed non bibebat fœmina Iudith, ieiunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solennitates: his armis munita processit, & omnem Assyriorum circumuenit exercitum, sobrij vigore consilij abstulit Holoferni caput, seruauit pudicitiam, victoriam reportauit. Itaque vnius mulieris ieiunium innumeros prostrauit exercitus ebriorum. Esther quoque pulchrior facta est ieiunio: Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat, & omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum, à persecutionis acerbitate liberauit, ita vt Regem sibi faceret esse subiectum. Aman autem dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exoluit. Ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ. Ieiunium nescit fœneratorem, non sortem fœnoris nouit, non redolet vsuras mensa ieiunantium, non strangulat filium: etiam ipsis conuiuiis ieiunium dat gratiam, dulciores post famem epulæ sunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt: condimentum cibi ieiunium est, quantò auidior appetentia, tantò esca iucundior, vsu etiam pretiosa degenerant, quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio. Ipse Sol post noctem gratior, &c. gratior ergo mensa ieiuniis.* Hactenus Ambrosius.

Ambr. eod. lib. cap. 9.

Dispendia gulæ, & commoda ieiunij.

Ieiunio fiũt epulæ gratiores.

Fortè instabis, non damnandas epulas, quia Christus etiam illas suâ præsentiâ veluti calculo comprobauit, nec posse quemquam in epulas inuehi, quin subinde carpat Christum epulas adeuntem. Respondeo, quandoque posse moderatas epulas institui, in argumentum mutui amoris, aut fœdera renouandi. Nemo namque in frugales epulas inuectus est, sed in nimium epularum vsum; ideoque non esse dãdum vitio alicui homini probo, si quãdoque inuitatus ad solenne conuiuium adsit, & sobrius epulatur. Quia tamen solis

Epularum vsus quandò licitus.

Epularum ad peccata facilis est transitus.

datum est Sanctis, non prætetire modum positum illecebræ; arbitror esse rem tutiorem, declinare mensas opiparè instructas, quàm se exponere ancipiti gulæ discrimini. Conuiuari esse rem dubiam, & plenam periculi, Iob affirmat, qui post epulas filiorum suorum, Deum sacris demerebat, vt sic dilueret noxas in epulis incautè à sua familiâ perpetratas. Vnde patet, escas affluenter exhibitas valida & vrgentia esse criminum argumenta. Fauet Gregorius ita fatus: *Hoc nobis solerter intuendum est, quòd peractis diebus conuiuij, purgatio per singulos adhibetur holocausti: vir quippe Sanctus nouerat, quia celebrari conuiuia sine culpa vix possent: nouerat quia magna purgatione sacrificiorum diluendæ sunt culpæ conuiuiorum: nonnulla quippe sunt vitia, quæ à conuiuiis vix separari possunt: penè enim semper epulas comitatur voluptas; nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Penè enim semper epulas loquacitas sequitur, cumque venter reficitur, lingua defrenatur. Vnde rectè apud inferos diues aquam appetere describitur: Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti in aqua, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma: prius epulatus quotidie dicitur splendidè, & post aquam petere in lingua memoratur: quia enim vt diximus inter epulas valde defluere loquacitas solet, ex pœna indicat culpam, cùm eum, quem epulatum quotidiè splendidè veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Nihil enim contra diuitem de loquacitate memoratur, sed dum pœna in lingua dicitur, quæ in conuiuio inter alias grauior fuerit culpa, monstratur.* Cùm ergo tanta sit propensio gulæ ad omnem vitiorum colluuiem, è re est animæ cauere dapes superfluas, vtpote quibus subiicitur hamus, vnde lethaliter imprudens anima sauciatur.

Gregor. l. 1. Moral. c. 3.

Epularum, & voluptatis est indiuidua connexio.

Gula loquaces & garrulos homines facit.

Epulæ fuere suspectæ viro Sancto Iob.

SENSVS MORALIS.

PROPOSITIO QVINTA.

Diffidentia sui obstat, ne præsumat anima.

In hæc verba:

ARTICVLVS XVI.

Ex Philosophia, et Theologia.

CHristi Domini oraculum est, dæmonem pulsum assumere septem spiritus nequiores se, & instaurare bellum, quod ei malè cessit primo congressu. Eo Marte vafer ille hominum hostis in Christum irruit: primo namque impetu, quasi procursando velitari certamine, de gulæ illecebris tentauit ieiunum hominem, quem vt vidit inuium his spiculis, se accinxit ad alia iacula fortius intorquenda. Quippe ille industrius inimicus in perniciem hominum, aduertens Christum non vellicari gula, credidit posse inani gloria titillari. Idcirco ei applaudens vt filio Dei, eum sollicitat, vt periculum faciat suæ dignitatis, mittendo se deorsum; affore namque Angelos præstò, suum obsequium citiùs exhibentes. Hoc diaboli ingenium meminit auctor operis imperfecti in Matthæum, sic inducens diabolum garrientem: *Tria hæc habeo retia extensa super omnem mundum, vt quisquis euaserit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ: qui euaserit de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia auaritiæ. De his autem retibus tribus nullus hominum ad perfectum euasit: & si euasit, non integer, sed contritus euasit. Hic autem iam retia ventris dirupit, retia vanæ gloriæ transiuit. Ponam ei nunc retia auaritiæ, & ostendam illi omnia regna mundi.* Vt refugæ Angeli conamina Dominus sustinuit ad eruditionem nostram, operepretium est aduertere, quanam industria cassum fecit insultum illum, qui pertinet ad præsumptionis sensum, & quid responderit Angelo desertori. Suggerebat ille præcipitium, vt probaret inde Dominus, se Deo Patre satum, & satellitium beatorum spirituum affuturum. Christus huic susurro opposuit versum illum Deuteronomij: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quasi diceret, non esse transiliendos modos, singulis quibusque hominibus à Domino præstitutos, cùm omnia Deus ad trutinam rectæ rationis ediderit.

Dæmonis industria homines tentando.

Auctor operis imperfecti apud Chrysost. hom. 5.

Tentationes diaboli ad tres præcipuè referuntur.

Deut. 6.

Inde elicio hanc salutarem sententiam, scilicet, diffidentiam sui obstare, ne præsumat anima. Illa namque diffidentia emergit ex adæquata cognitione sui. Sed illa notitia suggerit homini ea non esse tentanda, quæ superant vires, ac proinde inducit diffidentiam sui, cùm agitur de aliquo arduo facinore prætereunte nisus hominis ad grandia prouocati. At, qui diffidit se posse assequi quod occurrit, profectò non tentat illud negotium, & sic non præsumit. Ad hunc discursum pertinet istud Philosophi axioma: *Nihil inordinatum est eorum, quæ à natura, & secundùm naturam fiunt. Natura enim causa ordinis est in omnibus.* Hoc coincidit cum alio hoc effato, quo opus naturæ dicitur opus intelligentiæ: quicquid enim naturæ rectæ consentaneum est, illud intelligentiæ ductum sequitur. Est autem duplex intelligentia: vna mouens res inanimes & irrationales: altera percellens viuentia conscia rationis. Res inanimes, & irrationales mouentur ad arbitrium Dei, qui dedit rebus formam, qua præditæ sunt, & iuxta quam suas actiones exerunt, nec vnquam aliquid creaturæ illæ tentant præter vires congruas suæ formæ, illoque ordine decurrit hoc rerum omnium vniuersum. Et quasi esset insita rebus inanimis diffidentia, nihil prorsus in agendo præterit intentum naturæ, sed omnia tenorem seu ordinem suum seruant. De hominibus verò dispar est ratio: non enim aguntur vt res inanimæ motæ ab intelligentia extrinseca formis earum; sed ipsi se mouent œstro intelligentiæ ad suam formam pertinentis. Hæc intelligentia est ratio, scintillula diuini luminis, vt occinit Psaltes: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vt formæ rationis expertes non prætereunt sphæram suæ actiuitatis; ita nec agentia conscia rationis, quidpiam conantur contra indolis suæ nutum. Hoc autem modo se habere, est diffidentiæ suarum virium præclarum specimen exhibere; nec vllum periculum præsumptionis instat ei, qui suæ infirmitatis conscius non assurgit ad altiora se, sic illudens Angelo susurroni. At secus si quid ordinem naturæ præterit, illud sortitur rationem monstri, ac proinde reprobum est, ita & in moralibus hoc damnatur, quod deuiat ab ordine cœlitus homini præstituto.

Naturæ opera quæ ordinata.

Ex Philosophia. Aristot. l. 8. Phys. text. 15.

Intelligentia duplex est, quæ mouet omnia.

Quomodo opus naturæ sit opus intelligentiæ.

Psal. 4.

Monstrum est quidquid præterit naturæ ordinem.

Conclusio

Ex theologia. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 2.

Conclusio ista liquidior est ex limpidis Theologiæ fontibus. Nempe illa disciplina distinguit duplicem in homine formam, vnam substantialem naturalem, quæ est principium actionum naturalis ordinis. Hæc forma est anima rationalis, cuius est amare, & intelligere res eiusdem cum ea ordinis. Alia est forma accidentalis, & superioris ordinis, videlicet gratia, cuius obsequio homo assurgit ad ardua facinora naturæ inuia. Vt autem hæc forma nobilis sarta tectaque sit, homo id maximè cauere debet, ne sibi illam arroget, sed in Deum auctorem omnium bonorum debet refundere quicquid insigne emergit ab hac forma, & ingenua mente profiteri, actiones à gratia oriundas, esse supra naturalem hominum sortem. Imò eadem Theologia affirmat, animam gratia habituali conspicuam, indigere tamen alio adhuc peculiari auxilio Dei, ad hoc vt emeritum opus edat dignum æterno stipendio. Cùm ergo duo sint supernaturalia, quæ hominem accingunt ad inclyta facinora, gratia videlicet habitualis, & auxilium aliquod singulare Dei influentis; homo habet diffidentiæ sui locuples argumentum. Ideoque Angelo susurroni audacter debet obiicere versum præfatum dicens: Non tentabo Dominum Deum, id est, nolo meis viribus aggredi negotium, quod exeri nequit à me, nisi Deo Domino miserante.

Thomas 1. 2. q. 109. art. 9.

Diffidentia sui necessaria homini ardua meditanti.

Gratiæ Dei & humilitatis affinitas.

Rursus ad gratiæ iustificantis inhæsionem pertinet, omnia quæ hominis sunt dirigere ex præscripto Dei: At Dei decretum est inhibens homini alta sapere, & consulens humiliari sub manu potenti Dei. Verùmque autem præstat diffidentia, vtpote refundens in Deum quicquid homo potest, & animam sui nihili consciam efficiens. Nota, illam diffidentiam non esse simplicem notitiam exilis sui esse, sed præterea adiicere praxim eius intuitus; ita vt illa diffidentia perinde sit ac cognitio practica suæ sortis imbecillæ, qua præeunte tantùm abest vt homo assurgat in cothurnos, quin potiùs se demittit infra se, & indignum acceptis à Deo dotibus arbitratur.

Diffidentia sui, quid sit.

SENSVS MORALIS.

Diffidentia sui salutare est præsumptionis antidotum.

In hæc verba.

Non tentabis Dominum Deum tuum.

ARTICVLVS XVII.

Ex Vtroque Ivre.

Natura humilitatem quomodo insinuet.

EA seminum omnium indoles est, vt sata radices agant humiles, antequam assurgant in caules & stipites: priùs enim fibras tenues deponunt, & ima petunt, tum demum emergentes graminis apices enituntur. Vt opus naturæ opus est intelligentiæ, sicuti mox Philosophia palam fecit; illud omnium stipitum ingenium insinuat nobis salutare intentum supremæ intelligentiæ, id est Dei, qui res omnes sensibus obuias condaxit, vt hominem erudirent. Verbi gratiâ, illa radicum propensio ad infima antequam germinans semen habeat, quo eminere queat, homini suggerit, vt sit sui nihili conscius, antequam proprio fretus ausu grandia moliatur. Profectò hoc schemate procedendi natura damnat præcoces hominum nisus, & consulit experiri quid quisque valeat, antequam incautè cogitet intentata. Sic rerum omnium hæc magistra intelligentia præsumptionem damnat, & statuit familiarem sese demittendi typum, vt inde resciant homines, humilem sui cogitatum obstare, ne intempestiuè emergant, in præsumptionis maculam incurrentes. Eò spectat illa constitutio Iuris Cæsarei, quæ decernit eos tantùm promoueri ad honorem sacerdotij, qui se indignos eo tituló profitentur. Ecce edictum Imperatorum Leonis, & Anthemij, quo opportunè occurritur fastui hominum, quos præsumentis animi typhus erigit vltra modum. Ita sanxerunt Principes hi præfati. *Castus, & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocumque locorum peruenerit, omnia vita propria integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantùm ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* O legem consonam intento Dei!

Præsumptio damnatur à natura.

Sacerdotio quisnam sit dignus.

Ex Ivre civili. Lege Si quisquam Codice, De Episcopis.

Duo meminit hæc lex, quibus diffidentia sui tota concluditur. Nimirum exigit humilitatis habitum, præcipiendo eligi humilem Episcopum. Et quia erumpentes actus indices sunt habituum, lex adiicit, debere ei decerni infulas, qui suæ indignitatis benè conscius, honorum refuga est, suumque animum testatur effugio, ita vt necesse sit inuitum speciosis titulis honorari. Itaque diffidentia sui salutare est præsumptionis antidotum. Eodem Iure Cæsareo præcluditur via ad honores etiam sæculares iis, qui diffidentiæ nescij nimium præsumunt. Sic cauerunt Imperatores Arcadius & Honorius. *Honoris argumentum, non ambitione sed labore, ad vnumquemque conuenit deuenire.* Si ambitione præuiâ cadunt homines omni spe honoris, profectò longè latéque patet aditus ad gloriam illis, qui sectantur humilia. Ne quis ergo ignominiæ labem incurrat, sit sua sorte contentus, alienæ non inuidens, & sic suas obeundo vices à Deo indictas, nihil præsumet, neque appetet inconcessa. Hoc etiam Iura clamant, quando monent esse nefas præterire honoris mensuram à curia præstitutam. Ecce legem. *Quicumque ex palatio nostro cuiuslibet tituli ad prouincias commeauerit, compulsor, exactor, admonitor, portitorve præcepti, agens in rebus, vel palatinus, vel apparitor illustrium potestatum: hoc tantùm potestatis arripiat, quod mandatum curia sua specialiter approbauit, ne quod iniunctum fuerit alteri, collegij iure præsumat: ne dum hoc sibi inuicem mutui officij licentia patiuntur, agant cuncti, quod singulis credebatur.*

Episcopi inuiti sunt eligendi.

Episcopi qualitates.

Lege 14. Cod. De re militari l. 10. tit. 36.

Lege 2. Codice, De Executoribus lib. 12. tit. 61.

Hæc igitur esto diffidentiæ summa, videlicet vt quisque suis conclusus cancellis, agat pro mensura dotis à Deo acceptæ, nihil omnino de alienis titulis vsurpando. In eo argumento prostant Canones, hoc etiam appositè decernentes, ne fiat iniuria aliis, dum à quopiam sibi nimium arrogatur. In eo argumento, Concilium Africanum vetuit, Archiepiscopos appellari Principes sacerdotum, ne tituli pompa superbos animos ingereret. Placuit Gratiano facete decretum Iuris Pontificij. Ecce Canon. *Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis*

Ex Ivre canonico. Concilium Africanum canone 6.

Can. Primæ sedis Dist. 99.

Episcopus. Eadem animaduersione Pelagius Papa depressit fastum Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani, qui cothurnos sumpserat indebitos, vt suæ staturæ quidpiam adiiceret. Epistolæ eius summa inserta est Iuri Canonico, vnde emersit hoc decretum. *Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur: quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cuiusquam mente, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.* Bellè igitur Ecclesia consulit prurigini hominum, quos titillat præsumptionis impetigo, quando præcipit vnumquemque suo limite coërceri.

Can. Nullus Patriarcharũ Dist. 99.

Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani fastus depressus.

SENSVS MORALIS.

Quisquis de se humiliter sentit, is infirmitatis suæ conscius, non tentat inconcessa.

In hæc verba:

Non tentabis Dominum Deum tuum.

ARTICVLVS XVIII.

Ex Variis Historiis, Et Ex SS. Patribus.

NOn vacat mysterio insigni, illa nuncupatio lilij conuallium, qua Scriptura sacra refert Christum. Quid hæc nomenclatura sonet, res est Oedipo non indigens: quippe in confesso est apud omnes, lineari Christi humilitatem illo lilij cõuallium typo. Vt enim lilia valle madente gaudent; ita & Christus humilem animam nactus, lucusenter in eo solo vernat, neque alibi germinare queunt vlli virtutum flores, quàm in anima vallium situs æmulante. Namque sicut in valle humores desudant, quia se demittunt; ita & animas humiles iugis gratiarum imber alluit, iuxta hoc Psaltis suaue melos: *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Potestque homini suæ infirmitatis conscio, conuenire illud Poëtæ effatum.

Christus quare dictus liliũ conuallium.

Psal. 103.

> *Complentur vallesque caua, saltusque profundi.*

Virgil. 1. Georgic.

Huic adiice alium Nasonis versum.

> *Concaua vallis erat, quò se demittere riui*
> *Assuerant pluuialis aquæ.*

Ouid. lib. 8. Metam.

Cùm igitur gratiarum latices sint fœcundi; anima hoc superno delibuta rore, multicolor est, vario picta flore virtutis, omnigenæ. Vtque non coëunt virtutes, & vitia; anima humilis non præsumit aliquid audens supra vires: imò veluti nescia gratiarum, quibus à Deo dignata est aliis refugit eminere, licet honos præmium sit virtutis. Quomodo igitur homo humilis inconcessa volet, qui debita etiam suæ virtuti stipendia votis omnibus aspernatur.

Humilitas est honorũ refuga.

Ex variis historiis.

Annales Ecclesiastici multiplices in eo argumento suppeditant historias, quibus illa liquet conclusio, affirmans, hominem suæ infirmitatis conscium non tentare inconcessa, imò etiam respuere vltro oblata. Prior in eo genere occurrit Gregorius ille reuera Magnus, quia sibi paruus. Ille nobili genere satus, & pertæsus sæculi pompam, sectatus est humile genus vitæ, professus regulam S. Benedicti. Sed vt humilitas sequaces suos euehit, vt superbia secus deprimit asseclas suos; mortuo Summo Pontifice, totius Ecclesiæ vota in vnum Gregorium concordi calculo conspirarunt, vt hominem humilem supremo rerum apice dignarentur. Mirum est in quas se verterit industrias vir beatus, vt declinaret illud gloriæ fastigium. Nempe parum credens sibi, vtpote arbitratus se imparem huic oneri, omnem mouit lapidem, vt se honori subduceret imminenti. Eo fine à clero Romano prouocauit ad Imperatorem Mauritium, enixè efflagitans fieri irritam electionem suam, quod vt nequiit impetrare, dissimulato habitu Roma excedens, abditus in syluis fefellit hominum vota, quibus tamen annuens Deus, Gregorij latebras aperuit, speluncæ illius columnã igneâ desuper imminente, ideoque inuitus Ecclesiæ præfectus est, & quamuis Summum Pontificem ageret, respuit tamen dignitatis suæ titulos eminentes, vt videre est ex epistola, qua carpit Eulogium Patriarcham Alexandrinum, hoc tenore: *Ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes imprimere curastis. Quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec honorẽ esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor vniuersalis Ecclesiæ: meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.*

Humilitas Gregorij Magni vt declinaret Pontificatum.

Ioannes Diaconus lib. 2. vitæ Greg. cap. 44.

Gregor. l. 7. epist. 30.

Prælatus debet eminere moribus magis quàm verbis, & titulis.

Eodem spiritu afflati plerique magni nominis homines, non potuere adduci, vt oblatæ gloriæ consentirent. In his propositi sui tenax fuit Bernardus, qui præpositus Ecclesiæ Mediolanensi, & Genuensi, constanter obstitit. Eius humilitatis sectator impiger fuit Thomas Aquinas, quem cum Clemens IV. Romam aduocasset, vt eum inauguraret infulis Archiepiscopatus Neapolitani; suos prudenter humeros subduxit huic oneri, ratus se imparem illi dignitati. Eiusdem etiam moderationis specimen egregium edidit superiore sæculo Michaël Ceruinus, vir vsquequaque summus, qui electus in Summum Pontificem & nuncupatus Marcellus II. diffluens in lacrymas indices diffidentiæ suæ, ait: Heu, heu, quàm ægrè poterit vacare saluti suæ is, cui incumbit aliorum omnium hominum cura. Præterea, vt probaret se non sufficere regimini Ecclesiæ, vocauit ad se S. Ignatium à Loyola, Præpositum generalem inclytæ Societatis Iesu, vt ab eo acciperet duos viros emeritos illius Ordinis emergentis, ad quorum arbitrium tutò posset Ecclesiæ gubernacula moderari. O hominem sibi constantem, & inuium auræ populari, quæ vehemens afflat eis, qui infra se cernunt omne hominum genus. Sacro Cardinalium collegio ei deferente primas, habitus est dignus orbe toto, & ille parum sibi credens, alios sibi adsciscit homines, quorum vsus obsequio summæ posset sufficere dignitati.

Ex vita S. doctorum Bernardi & Thomæ.

Vox notanda Papæ Marcelli II.

Ciaconius in Marcello secundo.

Marcellus Papa humiliter de se sentiens.

Profectò fuit illud omnium insignium hominum

tum ingenium, vt quò eis maior gloriæ splendor affulsit, eò etiam magis indignos se verbo & opere prædicarint. Scierunt namque Deum conciliari humilitate, vt secus ad iracundiam superbiâ prouocari. Accipe in eo themate pauculas Patrum sententias, in quibus appositè Augustinus ita fatur: *Ad superbum non accedit Deus; certè altus est, non eum attingit elatus. Omnia sublimia vt contingamus, attollimus nos; & si attingere non possumus, machinamenta aliqua, vel scalas quærimus, vt sublimati sublimia contingamus. Contrà, Deus & altus est, & ab humilibus contingitur. Scriptum est: Propè est Dominus his qui obtriuerunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Ergo inuocatus Deus venit, ad superbum non venit. Audi aliud testimonium: Excelsus Dominus, humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Et ne fortè cùm dictum esset, quia humilia respicit, superbi de impunitate gauderent, quasi eos superbientes non agnoscat, qui in excelsis habitat; territi sunt, & dictum est eis: Videt vos & cognoscit vos, sed à longè. Vos, ô superbi, non eritis impuniti, quia cognoscit; non eritis beati, quia à longè cognoscit. Videte quid agatis, quia sic agnoscit.*

Ex SS. Patribus. *August. in Psal. 14.*

Deus longè est à superbis.

Humilitas Deo proxima.

Vt contrariorum dispares sunt effectus; ita & humilitas, & superbia discolores sortientur exitus. Superbiâ turgens homo dum præsumit, nescius est gratiæ: siquidem hæc declinat animas, quæ assurgunt montium instar; confluit autem, vt prælibaui, ad ima conuallium, id est diuina fluenta gratiarum influunt in humiles, ac proinde non præsumunt de se, quia præsumptio vitium est; vitia autem & gratia non coëunt. Audi ex Augustino, animas humiles desuper irrigati. Sic ille: *Emittit fontes in conuallibus. Conualles depressa loca sunt terrarum, quibus colles & montes opponuntur. Conualles humilitates sunt terrarum, montes tumores sunt. Noli contemnere humilitates, inde fluunt fontes, emittit fontes in conuallibus. Audi montem, dicit Apostolus: Plus illis omnibus laboraui. Magnitudo quædam commendatur; statim tamen vt profluant aqua, conuallem se fecit: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Non repugnat vt qui sunt montes, sint & conualles. Sicut enim montes dicuntur propter spiritualem magnitudinem; ita & conualles propter sui spiritus humilitatem. Non ego, inquit, sed gratia Dei mecum. Ergo conuallis est, & gratia Dei fons est, de qua Dominus dicit: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Videamus si conualles sunt, vt emittantur fontes in conuallibus. Audi Prophetam: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & trementem verba mea? Quid est, super quem requiescet Spiritus meus? super humilem & quietum; nisi qui habebit fontem meum; conuallis.*

Humiles cælitus irrigantur.

Aug. in Ps. 103.

Anima potest esse simul mons, & vallis.

Humilitas requiē Deo parat.

Diffidentiam sui, siue humilitatem occurrere præsumptioni liquet exemplo Iob, qui audaciùs fortè quàm par erat aliqua effutiit, quorum pœnituit pensatâ suâ ipsius miseriâ, vt scitè aduertit Hieronymus ita fatus: *Beatus Iob sapientes Domini sententias audiens, se cognoscendo non esse sapientem, semetipsum reprehendit dicens: Ideò insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excedunt scientiam meam. Sed quia nulla est cogitatio reprehensionis, si non sequitur & lamentatio pœnitudinis eorum quæ fecit, post reprehensionem subditur: Et ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. Ac si apertè dicat: De nullo auditorio superbio, quia sumptus ex puluere per illata mortis sententiam, ad puluerem me redire cognosco.* Cautior fuit Iob meditatâ suâ miseriâ, nec effusus est postea in voces immemores suæ infirmitatis: Humilitas enim est virtutum, & parens, & custos Bernardo assertore. Sic ille: *Vt charitas seu castitas dentur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam. Seruat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini, nisi super quietum, & humilem. Seruatas consummat; nam virtus in infirmitate perficitur, hoc est in humilitate. Inimicam omnis gratiæ, omnisque initium peccati, debellat superbiam. Siquidem cùm ex altis quibusque bonis virium magis suarum capere soleat incrementum superbia, sola hæc omnium propugnaculum quoddam, turrisque virtutum, eius fortiter resistit malitiæ, obuiat præsumptioni.* Esto itaque humilis, ô homo, & sic non præsumes, nec tibi superbiæ virus à dæmone poterit instillari.

Hier. l. 2. in c. 5. lam. Ier.

Humilitas virtutū parens & custos.

Bernard.

SENSVS MORALIS.

PROPOSITIO SEXTA.

Contemptu facultatum occurritur auaritiæ.

In hæc verba:

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

ARTICVLVS XIX.

Ex Theologia, Et Philosophia, Et ex SS. Patribus.

VT Deus Hebræorum animos alliceret ad affectum Palæstinæ, & ingereret tædium terræ Ægypti, ait se eos introducturum in terram, quæ in montes apricos assurgit, vbi gramina luxuriant, & terra rore cœli madens, indefessa florum editione vernat; ac proinde eos habere vnde fastidiant campos Ægyptios, quos Nilus inundans limo obducit, vnde virulentæ bestiæ in hominum perniciem sæpius enascuntur. Ita Moyses populum affatus est: *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irrigua, sed montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluuiam, quam Dominus Deus tuus semper inuisit.* Eodem argumento ducti homines sancti fastidiunt ditiorem quàque mundi supellectilem, & toto pectore anhelant ad opimas cœli gazas. Nempè aduertunt, non esse luculentas opes huius sæculi, quibus error affinxit nomen opum, cùm profectò illæ adulterinæ facultates indigum efficiant hominem rerum cœlestium. Et ex aduerso meditantur hi prudentes homines, nihil nisi altum & æternum posse beare animas, quas in ea meditatione defixas frustra aggreditur dæmon, explicatâ sæculi pompâ, eam suggerens ambiendam. Quippè beatæ illæ mentes Deo afflatæ, detestantur omne quod deliquium sapit; non coëunt enim gratia, & peccata. Ergo cùm sit piaculum depetere plusquàm par est opes mundi, sollicitè caueant iusti ne his facultatum laqueis implectantur. Idcircò hoc eis animo insideat propositum tenax, scilicet aspernari ea, quæ mundus magni facit, ne si plusnimio afficiant

Hebræi illecti ad Palæstinam, quia illa erat terra montuosa cœlitus irrigata. *Deut. 11.*

Quare cœlestia ambienda magis quàm terrena.

Mundus quare odio habendus.

afficiantur illis crepundiis, aberrent ab illo rerum omnium scopo, in quem debet assiduè prudens anima collimare.

Ex Theologia.

Th. 1. 2. q. 71. art. 6.

In quo sita sit peccati ratio.

Actus humanus quomodo sit voluntarius.

Voluntatis humanæ regula duplex.

Penes hunc contemptum opum, esse antidotum auaritiæ, & eam superari illâ industriâ, patet hoc discursu Theologico. Peccatum est actio humana nequam: quòd autem aliquis actus sit humanus, habet ex hoc quòd est voluntarius, & id bifariàm esse potest: nimirum actio illa voluntaria est, quæ à voluntate elicitur, vt velle, eligere, sunt actus voluntarij, vtpote ab ea facultate eliciti. Rursus eam nomenclaturam voluntarij sortitur actus à voluntate imperatus, vt sunt actiones extrinsecæ, ad arbitrium voluntatis editæ. Huiusmodi omnes actus sunt humani, in quos cadit malitia, quando carent debita commensuratione. At omnis commensuratio attenditur ex relatione ad aliquam regulam, à qua si deflectat res regulanda, erit deuia, & obliqua. Regula voluntatis humanæ duplex est. Vna propinqua, & homogenea, id est, eiusdem indolis, & naturæ ac voluntas, videlicet ratio, quæ est, vt voluntas, facultas intellectualis. Alia est regula eterogenea, & suprema, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei, à qua si deuiat actus humanus, eo ipso irregularis est, & reprobus, quia recedit à norma cœlitus instituta. Ex præfatis, auaritia peccatum mortale est, quia dicit appetitum immodicum opum cum iniuria Dei, quem auarus postponit opibus, prætereundo præcepta Dei, vt per fas & nefas aurum accumulet. In eo enim auarus declinat à suprema regulà, quia vult frui opibus, quibus vti tantùm, & non frui concessit Deus, id est, deuius ille est appetitus opum, qui eas vt vltimum suum finem habet, in quo quiescit incurius superioris alterius obiecti, scilicet Dei, in quem debent nostra vota omnia conspirare. Cùm igitur contemptus opum obstet ne anima eis adhæreat vt vltimo fini; profectò floccipendium illud est salutare remedium contra piaculum illud, quo intendit hostis incautos homines irretire. Frustra namque susurrator hic Angelus inducet cupidinem auri in animum eius, qui arbitratur omnia veluti stercora, vt Christum lucri faciat.

Auaritia quando sit peccatum mortale.

Virtus quid sit.

Ex Philosophia.

Arist. lib. 7. Physic. textu 17.

Idem lib. 1. polit. cap. 6.

Iisdem ferè argumentis vtitur Philosophia, vt modum imponat illi cupidini immodicæ facultatum. Ait illa disciplina, virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum, iuxta definitionem Aristotelis. Vnumquodque autem in tantùm est perfectum, in quantùm sequitur ordinem à natura præstitutum. Ordo autem ille est, vt vtilia amẽtur vt media, & non vt finis. Ergo qui facultates eas vt res vtiles, sufficit in locum Dei, qui est vltimus finis, ille aberrat à perfectione insita singulis quibusque rebus, cadens bonitate, quæ competit vnicuique. Nam in quibus bonum consistit in debita mensura, necesse est malum emergere per excessum vel diminutionem illius mensuræ. At in omnibus, quæ sunt propter finem, bonum consistit in quadam mensura; quippè necesse est ea, quæ sunt ad finem, commensurari fini, vt de medicina patet in ordine ad sanitatem, ipso etiam Philosopho assertore. Cùm ergo opes externæ vtiles sint homini, ac proinde rationem boni habeant; necesse est hominem se habere circa illud bonum, adhibitâ mensurâ congruâ illi bono. Est autem hæc mensura, scilicet vt afficiatur homo circa opes vt erga media vtilia, si eis anima vtitur opportunè, cauendo ne iniquis artibus eas congreget, aut vltimum suum finem in eas refundendo: sic enim bifariàm homo regulam præteriret. Primò nocendo alteri, eius vsurpando facultates. Secundò detrectando suum obsequium mandatis Dei, quæ præterit, vltra modum opibus inhiando.

Bonum consistit in debita mensura à Deo præstituta.

Arist. lib. 1. Ethic.

Opes non sunt bona simpliciter.

Ex eisdem Philosophiæ fontibus sic occurrendum censeo Philargyriæ, id est cupidini opum. Aliquid in tantùm bonum est, in quantùm conuenit, ratio namque boni in eo sita est vt appeti possit: nihil autem incongruum vellicat appetitum. Cùm igitur opum vsus valde dubius sit, & plerumque magis noxius sit, quàm salutaris; arbitror opes esse plenas periculi, atque adeò indignas, quæ animam pelliciant ad ipsarum aucupium. Vnde sic arguo: Vbicumque periculum est naufragandi, tutiùs est non velificari, quàm dubio se committere ponto: Cùm ergo naufragiis penè infinitis infamis sit appetitus opum; benè sibi consulet ille, qui cauebit hos scopulos. Prudenter autem hos declinat ille, qui locupletes huius mundi gazas sedulus aspernatur. Nempè is non incurret in discrimen à me prælibatum, quando præfatus sum, esse reproborum frui vtendis, quia tunc illud quod medium duntaxat esse debet, vendicat sibi rationem finis, in quo est maxima ordinis perturbatio. Vnde cum peccatum perinde sit ac ordinis transgressio; palàm est, quantùm peccent illi, qui affectus suos opibus huiusce sæculi deuouerunt.

Quare opes aspernandæ.

Opum cupido periculosa est.

Ex SS. Patribus.

Aug. lib. 83. qu. quæst. 30.

Præstat in hac alea decurrentem Augustinum conspicere. Sic ille: *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem. Vtimur ea, quam referimus ad id vnde voluptas capienda est. Omnis itaque humana peruersio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus nominatur, fruendis frui, vtendis vti. Fruendum autem est honestis, vtendum vtilibus. Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos propriè dicimus: vtilitatem autem, diuinam prouidentiam. Quapropter cùm multa sint pulchra visibilia, quæ minus propriè honesta appellantur; ipsa tamen pulchritudo, ex qua pulchra sunt quæcumque pulchra sunt, nullomodo est visibilis. Item multa vtilia visibilia, sed ipsa vtilitas, ex qua nobis prosunt quæcumque prosunt, quam diuinam prouidentiam dicimus, visibilis non est. Oportet ergo frui pulchris inuisibilibus, id est, honestis. Vtilibus autem vtendum est omnibus, vt quoque eorum opus est. Et frui quidem cibo, & qualibet corporali voluptate, non adeò absurdè existimantur & bestiæ: vti autem aliqua re non potest nisi animal, quod rationis est particeps. Scire namque quò quidque referendum sit, non datum est rationis expertibus, sed neque ipsis rationalibus stultis. Nec vti potest quisque carè; quæ quò referenda sit nescit, nec quisque potest scire nisi sapiens. Quare abuti rectiùs dici solent, qui non benè vtuntur. Non enim cuiquam prodest id quo malè vtitur, & quod non prodest, non vtique vtile est. Vtile autem quicquid est, vtendo est vtile: ita nemo vtitur nisi vtili. Non ergo vtitur, quisquis malè vtitur. Perfecta igitur hominis ratio, quæ virtus vocatur, vtitur primò seipsa ad intelligendum Deum, vt eo fruatur, à quo etiam facta est. Vtitur autem cæteris rationalibus animantibus ad societatem. Vitam etiam suam ad id refert, vt fruatur Deo, ita enim beata est. Ergo & ipsa vtitur, quæ profectò inchoat miseriam per superbiam, si* ad

Quid sit frui, & vti.

Deo solo frui debet anima.

Creaturæ editæ vt eis vtatur homo non fruatur.

ad seipsam non ad Deum referatur. Vtitur etiam corporibus viuificandis ad beneficentiam: sic enim vtitur suo corpore, quibusdam assumendis vel respuendis ad valetudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad iustitiam, quibusdam considerandis ad aliquod documentum. Vtitur etiam iis, à quibus se abstinet ad temperantiam. Ita omnibus & sensis & non sensis vtitur, nec aliquid tertium est. Iudicat autem de omnibus, quibus vtitur; de solo Deo non iudicat, quia secundùm Deum de cæteris iudicat, nec eo vtitur, sed fruitur. Neque enim ad aliquid aliud est referendus Deus: quoniam omne, quod ad aliud referendum est, inferius est quàm id ad quod referendum est. Nec est aliquid Deo superius, non loco sed excellentia suæ naturæ. Omnia ergo, quæ facta sunt, in vsum hominis facta sunt, quia omnibus vtitur iudicando ratio, quæ homini data est. Et ante lapsum quidem non vtebatur tolerandis, nec post lapsum vtitur, nisi conuersus. Hæc ille, equidem eruditè.

Homo qua cautela debet vti rebus.

Bonitas rerum attenditur ex earum vsu.

Cùm itaque rerum editarum in subsidium hominis bonitas attendatur ex modo, quo in eas fertur homo; hoc maximè cauere debet anima, ne illecta rebus speciosis totam se illis deuoueat, quasi in eis esset sortita suum finem. Ab eo crimine procul erit, si nihili facit opes, quibus omnem affectum suum tot hominum millia mancipatunt.

SENSVS MORALIS.

Homines inducuntur ad peccandum nimiò affectu erga diuitias, quæ idcircò sunt flocci faciendæ.

In hæc verba:

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

ARTICVLVS XX.

EX SYMBOLIS, EX HISTORIIS, ET EX SS. PATRIBVS.

Plut. in Philippo.
Auri efficacia ad corrumpendos homines.

SCitum est illud Philippi Macedonum Regis dictum, scilicet expugnabilem esse omnem munitionem, in quam potest introduci asinus auro onustus. Affine est huic aliud apophtegma, nimirum muros ferreos concuti & labare, si pulsentur aureo pugno. Locutiones illæ Symbolicæ significant vim maleficam auri ad peruertendum animos, eos ad perfidiam inducendo. Eò etiam spectat Metamorphosis illa Iouis, qui specie imbris aurei Danaën corruptâ turpiter imprægnauit. Vnde editum est hoc Symbolum enuntians auri perniciem. Depicta est in tabula mulier speciosa perfusa guttulis aureis, hoc versu adiecto. FRANGIT MARMOREOS AVREA GVTTA SINVS, Id est, nulla prorsus est constantia, quam non frangant opes largiore manu infusæ. Aurum impellere homines in ruinam, diabolus ipse luculenter ostendit, ita affatus Christum: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Vult tentator casum præire, quasi insinuans, lapsus seu peccata esse præambula necessaria ad congregandas opes. Vnde ex Apostolo, qui volunt diuites fieri incidunt in laqueos & in tentationem diaboli: cuius ea fuit industria, suggerendi idola fieri aurea & argentea, vt rutilante metallo delusi homines, simulacris inde effictis sua obsequia minimè detrectarent. Ita Ieroboam conflauit vitulos aureos, & populum Israël hac auri specie dementauit. Eo etiam astu Babylonios illusit Nabuchodonosor, dum diuinos ritus suæ statuæ voluit exhiberi. Quippè aureum fecit illud simulacrum, vt aureus ille splendor, rationis aciem obtundens homines excæcaret.

Auro virtutes omnes expugnantur.
EX SYMBOLIS.
Ambros lib. Symbol.
Aurum quære idolis cōponendis vsurpatum.
Auri malefica vis ad homines decipiendos.
3. Reg. 12.
Daniel. 3.

EX HISTORIA.
Socrat. lib. 3. cap. 12.

Eo astu Iulianus plerosque milites Christianos traxit ad cultum idolorum, scilicet aureis stipendiis, & exauctorando eos, qui ante idola procumbere cunctabantur. Fuitque vis auri potior ad perdendas animas, quàm tormenta: quod namque minæ non fecerunt, auri effusi pondera præstiterunt. Præscius Psaltes idcircò sic occinit. *Simulacra Gentium aurum & argentum.* Quod perinde est, ac auro & argento inesse magnum virus ad animas enecandas: quia, quisquis auro obstringitur, ille venalem habet animam in idola pronam, ac proinde dispositam accepto auctoramento ad Christum Dominum abiurandum. Eamobrem Paulus attendens ad illam auri perniciem, ait, auaritiam esse idolorum seruitutem. Esto hoc modo diuitiæ deducant homines in summum discrimen, cum opibus illecti fide cadant, Deo postposito gazis; illud tamen ab auri cultu nequaquam abstrahit homines infideles. Sunt itaque alia conquirenda argumenta, quibus obstringatur animus vt refuga sit opum. Hoc vnum reor esse præstantissimum, si dixero, opes possessori suo sæpè conciliare fatum præcox, id est, mortem immaturam; & non cedere in ius eorum, quibus fuerant auri cumuli congregati. Deo sic plectente hominum vota iniusta, incuria propriæ salutis æternæ, & ipsi Deo iniuria, cuius obsequium auri gratiâ nequiter abdicatur. Huiusce supplicij testis est Chosroas, expertus quid malefica vis auri possit in homines.

Psal. 113.
Iuliani industria in obsequio auri.

Auaritia idolorum seruitus.

Aurum suo possessori plerumque est ominosum.

Chosroæ Regis supplicium ob auaritiam.
Theoph. in Annal. sub ann. 617.

Fuit Chosroas Rex Persarum eo nomine inglorius, quòd gloriæ suæ summam reponeret penes aurum, in quo congregando grauis fuit suis, hoc duntaxat regium arbitratus, quod ad cumulanda auri pondera conducebat. Sordidus ille, cui iniqua facinora fuere mores, noluit familiam suam vacare ab iniustis actibus. E duobus namque filiis suis maiorem exauctorauit, minore initiato infulis, & assumpto in partem regni, cui etiam suas omnes deuouit gazas improbo labore partas, vt iniquis artibus aurum congregatum, delectu iniusto cederet in ius filij, ad quem minimè pertinebat. Hanc iniuriam ægrè tulit Siroes maior natu, qui captata opportunitate tetendit insidias, in quas Chosroas, & Medarses, pater scilicet, & filius impegerunt. Vtrumque enim conclusit Siroes, qui oblitus se esse filiū Chosroæ, & fratrem Medarsis, in ambos se præstitit inhumanum. Huius Tragœdiæ scenam auspicatus est à vinculis ferreis, quibus onerauit patrem suum conclusum antro opaco, vbi eius reconditæ latebant opes. Illic arcto pane, & aqua breui patrem suum pauit, sugillans eum hac censura: Edat illic aurum, quod vt congereret in cumulos, multos fame turpiter enecauit. Dies aliquot egit in hoc squallido carcere Chosroas malè pastus, vtpotè tantulum annonæ delibans, quantùm satis erat, vt longioris inediæ tormini consentiret. Ad eum sic fame tabescentem Siroes Medarsem adduxit, nuper regno inauguratum, quem indecorè exceptum, & grauiter obiurgatum ritu Barbaro iugulauit. Ita infelix pater excisas spes vidit suas in

Chosroas fame enectus iuxta thesauros suos.

occiso

occiso filio, cui tamdiù in congerendis opibus insudarat. Et quia Chosroas erat prima mali labes, Siroes eum palò alligatum sagittis leuiter ictum confodit, vt lenta morte sentiret se mori, luens pœnas congruas vitæ, iniquo & crudeli opum obsequio mancipatæ.

Opes crudeles inspirant animos.

Nonne truces dixeris opes, quæ vbi suum virus infuderunt in animam, statim eam sæuam efficiunt? vt Chosroas expertus est, factus immitis exactione truci spolians subditos suos fame enectos. Vnde & Deo alternante vices, sensit etiam crudeles opes esse suo possessori, quia vt pateant prædæ furum, in ditiorum hominum caput vndique coniuratur. Cùm ergo tot & tantis malis opulentiores gazæ sint fœtæ; non reor esse tutum, affectus suos rei tam noxiæ deuouere. Si itaque dæmon stipulatus opus explicat in gratiam obsequij, quod deposcit; opportunè occurres illo versu, quo despicatus opum insonat: *Vade retro Satana.* Id est, adeò flocci pendo tuas opes, vt eas meo aspectu indignas censeam; plura namque dispendia, & portenta parturiunt, quàm commoda, quæ compendiosè significat Apostolus, dicens, auaritiam esse idolorum seruitutem. Vt namque idola suis cultoribus noxia sunt; ita & infinitæ ærumnæ, clades, atque angustiæ, prosapia sunt facultatum. Ideoque appositè dixeris, istas esse querulas diuitum voces, quæ resonant in inferis: Seruiuimus diis alienis, qui non dabant nobis requiem die ac nocte, vt nimitum aliquod incrementum accederet opibus nostris, nihil non ingratum tentauimus, & stipendij loco cessere nobis hæc tormina sempiterna.

Quare auaritia est idolorum seruitus.

Vt summam malorum, quæ excepere Hebræos, Scriptura refert in vitulos aureos, quos conflauit Ieroboam; ita & Paulus malorum omnium scaturiginem dixit illam immodicam cupidinem auri, vt benè commentatur Ambrosius ita fatus: *Auaritiam idololatria comparauit, vt nihil illa scelestius demonstraret; vt malitia non disparesse credatur, licèt diuersum sit nomen, vnde Apostolus ait: Radix omnium malorum est auaritia; omnium enim capax est delictorum. Vt auiditatis suæ, quod impossibile est, impleat desiderium, semper bibens, & semper sitiens. Non immeritò ergo sub vno nomine vtrumque malum ostendit: penè enim vno explentur opere; quia sicut idololatria vni Deo auferre nititur gloriam, ne quod eius peculiare est, solus habeat nomen diuinitatis sibi soli condignum: ita & auaritia in Dei se res extendit, vt si potest fieri vnus & solus creaturam eius sibi vsurpet, quam Deus omnibus fecit. Vnde Deus dicit per Prophetam: Meum est aurum, & meum est argentum. Vtraque igitur Deo est inimica: amba enim Deo abnegant qua eius sunt.*

Ex SS. PATRIBVS. *Ambr. in ep. ad Tim.*

Auaritiæ & idololatriæ comparatio.

Inde patet, nimium appetitum auri esse grauius piaculum, quàm suspicentur homines anheli in gazas, cùm hæc cupido detrahat obsequium vni Deo debitum: nimirum omnis thesaurus deuincit sibi cor humanum, quod tamen Deus sibi postulat exhiberi. Sicque ille nimius appetitus auri maximè Deo iniurius est, ei adiiciens Deum alium consortem, scilicet aurum, vt rursus explicat Ambrosius hoc tenore: *Vt auaritiam rem periculosam esse doceret, idololariam hanc nuncupat, qua nullum peccatum maius est. Videamus ergo cur auaritia idololatria Dei honorificentiam vsurpat, & vendicat creatura, cùm in nomine diuinitatis, quod soli conditori competit, participem illi asserit eius facturam; auaritia autem idcirco hunc exæquata est, quia simpliciter ea qua Dei sunt, sibi vsurpat, & recondit auarus, vt qua vsibus omnium concessit communiter, auaritia denegat: quando idcircò hæc congregat apud se, ne alij vtantur: qua res facit vt carè venundentur, ne pauperes viuant. Si enim minimè reconderentur, abundantia omnium rerum faceret vilitatem. Denique apud veteres, quia auaritia non erat, nec caritas; rectè ergo idololatria comparata est, quia multos lædit. Creatori similiter inimica: vult enim Deus, ac iubet, de his qua creauit subuentiri pauperibus; auaritia contradicit.* Hæc ille.

Amb. in ep. ad Ephes.

Auaritia quantùm sit Deo iniuria.

Non desunt Codici sacro exempla, quæ referant auri perniciem, & mala quæ inuexit auaritia facta plurium hominum excidium, vt qui beatè noluerunt viuere sub Deo, grauati nummis morte ingloria disperirent. Huius vitij nequitiam ita pungit Ambrosius. *Propter auaritiam Balac putauit Balaam præmiis posse tentari, vt malediceret populum. Propter auaritiam præcipitatus Achan in exitium deduxerat plebem parentum. Itaque Iesus Naue, qui potuit Solem sistere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius Sol stetit, auaritia non stetit: sole stante confecit Iesus trophæum; auaritia autem procedente penè amisit victoriam. Quid fortissimum omnium Samson; nonne Dalila mulieris auaritia decepit? Infuxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia, &c. Auarus habet quod custodiat magis, quam possideat: illud enim possidemus, quo vtimur: quod autem vltra vsum est, non vtique habet possessionis fructum, sed custodia periculum.* Hactenus Ambrosius.

Quàm sit noxia auaritia.

Ambr. lib. 2. offic. cap. 26.

Auaritia quos malè habuit ex Scriptura.

Pletique ab aliis vitiis abstinent, quia notâ afficiunt homines indecorâ. Verbi gratiâ, gula in porcorum ordinem redigit helluones: luxuria fœtore suo, Veneris asseclas olidos facit, tetrum odorem afflans, ideoque cauent multi in has cautes impingere, dato libello repudij vtrique vitio recensito. Rari tamen sunt, qui declinent auri iacula; nimirum omnes ferè arbitrantur inesse opibus vim beandi, quasi verò diues esset diuus. Eo delirio captos homines diabolus opibus illaqueat, ita vt, qui aliis tentationibus superiores extiterant, huic succumbant, auri pondere prægrauati. Hos diaboli laqueos ita Bernardus commemorat: *Dic nobis, B. Paule, quis sit iste laqueus diaboli, à quo se fidelis anima liberatam congratulatur: Qui volunt, inquit, diuites fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. Ergone laqueus diaboli diuitiæ sunt huius sæculi? quàm paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent, quam multos qui dolent; quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantùm possunt ipsi se inuoluere, & intricare laborant. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis eum, qui non habet vbi reclinet caput suum, confitemini illi, & totis medullis cordis ei gratias agite, dicentes: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium; & vt noueritis, quàm magnum sit beneficium, hoc audite, quod sequitur: Et à verbo aspero. O homo, vel magis bestia, laqueum non timebas, timere vel mallem à verbo aspero: quod est hoc verbum, nisi illud insatiabilis gehennæ, nisi illud; tollatur impius ne videat gloriam Dei;* Hæc ille.

Quare auaritia laqueus nuncupetur. Vitia omnia habent aliquid indecorum.

Bern. serm. 3. in Psal. Qui habitat.

Auaritiæ laqueos paucâ declinant.

Auarus quare dicatur bestia.

Congruo nomine auaros nuncupat bestias hic

Sanctus,

Sanctus, bestiarum enim imprudentium est laqueis irretiri. Imò in bestiis quædam sunt, quæ cauent retia, vbi aduerterunt laqueos explicari. Proinde meritò dixeris auaros esse infrà bestiarum sortem, quia non declinant opes, quibus vti-
1. Tim. 6. tur animarum auceps, vt eas illaqueet. Vide iam, Christiane, incongruè necne insinuarim, esse aspernandas omnes sæculi facultates, quibus inest tanta malorum ilias, vt sola recensio fastidium ingerere queat homini, tot noxia meditanti. Eamobrem libet istum articulum concludere, ea Parænesi, qua Paulus Apostolus, compellat Timo-
Auaritia impedit omniũ virtutum praxim. theum suum, deductis auaritiæ incommodis. *Tu autem, homo Dei, hæc fuge: sequere autem iustitiam, pietatem, fidem.* Quem locum versans Ambrosius, hæc de suo morali penu adiicit. *Quoniam auaritia res iniqua est, hominem Dei, vt ab hac dissentiat, iustitiam sequi iubet, atque pietatem, & alia, quæ memorat: non enim poterit hanc euitare, nisi his adhæserit, quæ auaritiæ aduersa sunt. Quomodo autem fieri potest, vt auarus fidelis sit, qui operibus negat, quod verbis fateri videtur? vnde autem amator fraternitatis, cuius manus sunt aridæ? quomodo verò patiens qui semper ad aliena se tendit, aut quatenus quietem animi possit habere, qui die noctuque auiditate cupiditatis accenditur.* Hæc recole attentè, & frustra tibi opum laquei prætendentur.

SENSVS MORALIS.

Opes eo nomine aspernandæ, quia sunt momentaneæ.

In hæc verba:

Luc. 4. *Ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis.*

ARTICVLVS XXI.

Ex Variis Historiis, Et ex Sanctis Patribus.

Exordium ad concionem de gloria mundi momentanea. Tiberius Cæsar olim dixit capitis sententiam in hominem, qui eam nactus erat industriam, vt vitrum naturà suâ fragile componeret eâ constantiâ, ad quam diluendam mallei minimè præualerent: quippe aiebat Imperator, homines spreturos aurum, si vitrum sibi constans sortiretur saxeam duritiem. Duriùs adhuc agit Deus cum his, qui labentibus huius sæculi gazis perpetuitatem quamdam affingunt: eo namque delirio stante, contemptâ gloriâ æternâ, homines huiusce æui vanis opibus inhiarent. Esto vafer sit
Gloria mundi momentanea. tentator Angelus, & ad seducendum industrius; non ausus est tamen imponere Christo, suggerendo rutilam mundi suppellectilem stare diù nesciam interitus. Semel & iterum prostratus à Christo ille susurrator, deprehendit non posse ei illudi fucis, idcircò facturus ei cupidinem diuitiarum, non eas eminentia duratione finxit perpetuas, sed iuxta propriam indolem momenta-
Opes labiles sunt, & non fixæ. neas & labiles explicauit. Quod enim hodierno Euangelio Matthæus præteriit, Lucas adiecit, commemorans totam hanc mundi pompam fuisse præostensam Christo velut in instanti. Sic ille:
Luc. 4. *Ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Hinc elicio hanc conclusionem, scilicet, Omnem hunc prætereuntis sæculi ornatum esse indignum cui litemus, quia non stat. Eo etiam argumento vsus est Paulus, vt fidelibus enascentis Ecclesiæ mundi fastidium ingere-
ret. Ecce suadam orationem. *Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* 1. Cor. 7.

Ideo fortè Deus Sphæricum fecit orbem, vt notaret, non ei esse plus nimio confidendum: etenim non stant quæ rotunda, sed leuiter pulsa gyrant. Malè itaque sibi consulunt, qui se totos deuouent opibus, quasi illæ fixæ sint & æternæ, cùm sæpè ditiores homines, experti diuitiarũ inconstatitiam, in supremam deuenerint inopiam, vt Valerius probat exemplo M. Crassi, qui Romanorum quondam ditissimus, ideoque diues nuncupatus, eò egestatis deuenit, vt eius hæreditas minimè suffecerit diluendo æri alieno. Eam etiam opum perfidiam sensit Phormio Atheniensis, qui rerum gloriâ nemini impar, & auri pondere etiam ipsi sibi grauis, eò tandem miseriæ redactus est, vt fœnore depascente suas opes, coactus fuerit exulare, vt auctor est Pausanias. Alternantis fortunæ vices tulit Claudius Imperator ille, qui Caio sublato inauguratus est. Is olim locuples vsque ad inuidiam, deinde exhausto penu, in summa egestate fuit, quam postea tersit factus Imperator, vt Suetonius commemorat. Eam rerum inconstantiam tulit inglorié Balduinus Imperator Græcus, qui obsidione pressus Constantinopoli à Ioanne Lascari, precariò æs mutuum accepit à Venetis, quibus Philippum filium suum obsidem dedit, vt rebus compositis eum repeteret persoluto ære numerato. Auctores sunt Egnatius, Æmilius, & Blondus. Nouercantis fortunæ etiam tædio grauatus est alius in Occidente Imperator, videlicet Maximilianus I. Qui indigus opum non potuit geminam propulsare iniuriam acceptam à Carolo VIII. Rege Gallo, qui Margaritam filiam Imperatoris repudiauit, & in coniugem accepit Annam Britannicam, ipsi Maximiliano Principi desponsatam. Hác iniquam Maximiliani sortem luget Polydorus.

Exempla eorum, quos defecerunt opes immẽsæ

Ex Variis Historiis. Valer. lib. 6. cap. 11.

Pausanias in Atticis. Sueton. in Claudio.

Egnat. lib. 7. cap 6. Æmil lib. 7. Blondus l. 7. decad. 2. Polydorus lib. 26.

Non est ergo quòd sibi blandiantur incautè inferioris sortis homunculi, si fortuna ditior eis aspiret aliquando: siquidem nequit seruare suum tenorem fortuna diù, vtpotè assueta gyris, quibus, si quem aliàs, affecit valde Imperatorem Andronicum seniorem, pulsum solio à nepote, quo rerum potiente grandæuus Andronicus redactus in ordinem, non habuit, quo vestis pelliceæ obsequio frigori occurreret hyeme sæuiente. Præfati omnes locupletes homines viderunt sibi gazas præostensas potiùs quàm concessas; momento namque temporis opes hæ rutilæ fortè plus nimio cultæ, oculis illuserunt. Faxit Deus vt extrema inopia, quæ excepit ditiorum hominum sortem, conciliet nobis fastidium pompæ sæculi transeuntis, quam suis coloribus ita delineat Ambrosius. *Benè in momento temporis sæcularia & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpè honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna* non

Gregor. lib. ... fuse explicat Andronici sortem, inopem. Andronici senioris Imperatoris sors iniqua.

Ex SS. Patribus. Ambros. l. 4. in Lucam. Mundus fugax depingitur.

non sint sæcula? Docemur hic, inanis ambitionis flabra despicere, quod omnis dignitas sæcularis diabolicæ subiacet potestati. Gloriæ æternæ Dominus non attendit ad gloriam, quæ præterit; quare nos prætereuntes ad vmbratilem illam gloriam votis omnibus anhelemus.

Ibidem.

Quàm fortis tentatio illecebrarum sæculi.

Audiendus denuò Ambrosius ita consulens: *Si Dominus Iesus propria non desiderauit, tu aliena cur quæris? Si Creator omnium sæculi gloriam subeundo paupertatem contempsit: cur tu fastidias quod natus es, appetas quod indebitum est? Cur ea, quæ ad vsum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? Caue insidias, caue fraudes. Et hoc ipso, quòd ad subuertendum hominem totum versuta diabolus mundum fraude concutiat, totius sæculi pugnet illecebris, eius tibi blanditiæ plus cauendæ. Non Euam cibus inflexit, non mandatorum obliuio destituit, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. Quæ si solum Dominum adorare voluisset, indebita non quæsisset. Et ideo remedium datur, quo telum ambitionis obtundas, vt soli Domino seruias. Caret enim ambitione Religiosa deuotio.* Hactenus Ambrosius.

Mundi insidiæ multæ.

Egregia historia notās ea quæ transeunt non esse colenda.

Vtinam labilis opum conditio eum sortiretur apud nos effectum, quem mors sortita est apud Legatos barbaræ Gentis, Romam missos, vt fœdus inirent cum populo illo armorum gloria præpotente. Hi magnitudine Romani nominis adducti crediderant, Romæ nasci homines immortales, ac proinde suspicati in eo populo peculiare numen, venerabundi adierunt vrbem illam mundi caput. Sed vbi videre Romæ grassari mortem, & non esse perpetuos illic homines, despexere Gentem, quam antea suspexerunt. Eo argumento conor detrahere opibus illecebras, quibus circumueniunt homines imprudentes, qui arbitrantur se nullius vnquam rei fore indigos, si totis animæ votis opibus obsequantur. Habent sanè homines incauti, quòd deponant illam sententiam de perpetua diuitiarum sorte: illæ namque fluunt, nesciæ status immobilis, vt præmonent quotidiana exempla, & Sanctiorum Patrum vetera monumenta. In his accipe Basilium versantem Psalmum, prædicantem non esse affigendum cor opimæ rerum supellectili, cùm affluit. Sic ille: *Si videris aliquem prædiuitem, ne prædicaueris vitam ipsius, si ex multis locis & luculentis fontibus affluant pecuniæ, ne amplectaris ipsarum abundantiam: diuitiæ si affluant, admirare vocem, fluxa est diuitiarum natura, torrente citius præterlabitur habentes, alios alio modo apta mutare Dominos. Quemadmodum fluuius, qui ab alto fertur, appropinquat quidem adstantibus ripæ, simul verò vt contigit, statim secedit; sic etiam diuitiarum promptitudo celerrimum ac lubricum habet accessum, alios ex aliis permutare solens. Hodie est huius ager, cras alterius, &c. Intuere domos in vrbe, quot iam nomina ex quo extructa sunt, transmutauerunt, aliud ab alio possessore nomen ferentes, & aurum semper è manibus habentis diffluens, ad alterum transit, & ab illo ad alium. Magis possibile est vt aquam manu comprehensam contineas, quàm vt diuitias durabiliter conserues: quare rectè dictum est, diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Ne animi tui affectus apponas, sed vtilitatem ab ipsis excipe, non vt vnum aliquod bonorum ipsas diligens, ac admirans; sed instrumentorum ipsorum ministerium eligens ac complectens.* Hæc ille.

Moralis omnia contemnenda.

Diuitiæ quā sint labiles.

Basil. in Psal. 61.

Mundi supellex omnis est fugax vt fusè probat Basil.

Nihil profectò facit ad perpetuitatem opum, quòd aurum constantissimum est metallum, in quod nihil possunt incendia, quibus alia metalla liquata deliquium patiuntur. Huic autem etiam colliquato nihil deperit: genius enim auri, defectus impatiens, non obstat, quin saluâ auri constantiâ, deficiat eos, qui se imprudenter auro labili deuouerunt. Hoc denuò inculcat Basilius ita fatus: *Si qui aurum ingens in vita collegerunt, non proprium ipsorum perpetuò manet, sed aut viuentibus adhuc, & vndequaque ipsum coarctantibus angustiis aufugit ad potentiores delapsum, aut etiam prope mortem existentes relinquit, & non vult simul cum his, qui ipsum acquisierunt peregrè proficisci.* Idem hinc ansam captat hortandi homines ad spernendas opes, quarum acquisitio magnò constat, & nequit esse possessio diuturna. Chrysostomus eodem flamine percitus, hæc consulit. *Despiciamus præsentes diuitias, vt veras diuitias inuenire valeamus: neque enim possibile est, vt qui præsentibus est mancipatus, ineffabilium bonorum desiderium accipiat vnquam. Contra non est possibile, qui solida & immobilia illa bona ament; momentanea illa, & quæ antequam appareant, marcescunt, concupiscunt. Nam saucius amore diuino, & futurorum desiderio tenetur, aliis oculis videt præsentium statum, & videt quòd omnis præsens vita figura est, deceptio, & à somniis nihil differt: ideo & Beatus Paulus dicebat: Præterit figura huius mundi, monstrans, quòd omnia humana in figura tantùm sunt, & sicut vmbra, & somnium transeunt, nihil solidum, nihil verum habentia. Quare ergo voluntarius imposturam fers, & non cogitas quàm sunt mutabilia, & ea præteris, ad illa autem quæ semper durant, semper immobilia, semper stabilia, nullius vicissitudinis capacia quare desiderium non transfers?* In diuitias Hieronymus intorquet eadem spicula, sic iaculans. *Verè hæc vita somnus est, & diuitiæ. Quando enim videmur eas tenere, statim amittimus: sicut illud quod scriptum est in Propheta; sicut cùm aliquis dormit sitiens, si inuenerit aquam bibit, postea cum vigilauerit ipsa sitis manet: ita sunt diuitiæ in hoc mundo, dum tenemus, amittimus.*

Idem hom. 23. ex variis.

Impossibile est homines esse in vtroque sæculo diuites.

Chrys. hom. 12. in ep. 1 ad Timoth.

Hieron. in Psal. 75.

Sanctorum Patrum agmen claudet Gregorius ille Magnus, in omnem mundi apparatum sic inuehens: *Iniquorum potentia floribus fœni comparatur; quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur: sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum dissipatur: sic ab infimis nebula ascendendo se erigit, sed exortus hanc Solis radius, ac si non fuerit, abstergit: sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur: sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluuiis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, sed eò celerius dirupta depereunt, quò inflata citius extenduntur, cúmque excrescunt vt appareant, crescendo peragunt ne subsistant. Ita terrena stare nullo modo queunt, quia ipsa quoque fugiunt, quibus innituntur; dumque*

Greg. lib. 17. Moral. c. 15.

Elegans descriptio mūdi prætereuntis.

quæ temporalia diligunt, cum his ex temporis volubilitate percurrunt. Hæc si alta mente reponis, profectò depones opum noxium appetitum.

SENSVS MORALIS.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Satellitio Angelorum stipantur homines, qui se fortes præstitere in agone contra spiritus nequam.

In hæc verba:

Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

ARTICVLVS XXII.

Ex Prædivite Scientiarvm omnivm Penv.

Samson vir strenuus, præstans robore lacertorum, irruente Spiritu Domini, leonem obuium aggressus est nemine conscio, & fortiter agens, in eum præualuit. Diebus aliquot elapsis rediens Samson, & declinans à via vt videret cadauer leonis, vidit in faucibus eius examen apum, & fauum mellis, quem decerpens & delibans, opiparè pastus est eo cibo ab apibus instructo. Diceres, apes eò conuolasse, vt suo murmure pæana victori canerent, & explicato melle suo, de proprio penu congruas epulas appararent. Victoriam Christi de dæmone excepit illustrior exitus: Christus enim Spiritu Dei percitus, & nullo comite conscio secessit in desertum, vbi leo sæuus & rugiens diabolus ei occurrit, anhelus in cædes, & ore patulo deuorare volens strenuum hunc athletam. Non declinauit agonem Christus; sed fortiter iuit obuiam furenti bestiæ, quam prostrauit tertiò repugnantem. In tesseram victoriæ non confluxerunt apes tinctæ melle suo, sed coierunt Angeli, escas victori Domino ministrantes, vt liquet textu præfixo isti articulo. *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*

[Margin: Egregia figura lineans Christi victoriam de dæmone. — Iudic. 13.]

Eodem, licèt inuisibili, Angelorum obsequio gaudent omnes, qui strenuè se gerunt contra dæmonum ausus: victoria namque hominum cedit in gaudium Angelorum, quia salute hominum reparantur ruinæ beatorum spirituum, in quorum ordinibus lacunæ sunt, quas repleri necesse est strenuis hominibus, quos vt consortes suos Angeli lautè excipiunt de prælio reuertentes. Accipe luculentam Bernardi sententiam, quæ pertinet ad hoc thema. Sic ille: *Ipsi nos Angeli sancti desiderant: nonne de vermiculis istis, & de puluere isto restaurandi sunt muri cœlestis Ierusalem? Putatis quantum desiderant ciues cœlestis suæ ciuitatis ruinas instaurari? quomodò solliciti sunt, vt veniant lapides viui, qui coædificantur eis, quomodo discurrunt medij inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad Deum gemitus nostros, & ipsius gratiam nobis deuotissimè reportantes? Planè non dedignabuntur, vt simus eorum socij, quorum facti sunt iam ministri: Nonne enim omnes administratorij sunt spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Festinemus obsecro, dilectissimi; festinemus obsecro, festinemus, tota nos multitudo cœlestis curiæ expectat. Exultare Angelos fecimus quando conuersi sumus ad pœnitentiam. Proficiamus, & festinemus implere in nobis eorum lætitiam. Væ tibi, quicumque es, qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitum, putasne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato priuare vis gaudio? exultauerunt, cum nos ad pœnitentiam venimus, tamquam super his, quos ab ipsa inferni porta vidissent reuocari. Quid erit nunc, si ab ipsa Paradisi ianua reuerti viderint, & abire retrorsum eos, qui iam pedem alterum in Paradiso posuerunt. Currite, currite fratres, ipsi vos Angeli expectant, imò & Angelorum Dominus.* Hactenus ille.

[Margin: Ex SS. Patribvs. — Bern. ser. 5. in Vigilia Natiu. Domini. — Angeli homines amāt — Angelis similes sunt homines in gratia. — Angeli lætantur de pœnitentia.]

Anima Lazari portata ab Angelis in sinum Abrahæ clamat, quàm præstò sint beatæ illæ mentes ad decernendos triumphos eis, qui agones suos fortiter exantlarunt. Si gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente; qualia putas fore tripudia post victoriam integram de diabolo reportatam.

Quomodo Angeli adsint iustis & triumphantibus, vide in secundo Tomo huius Encyclopædiæ in Tractatu de Angelis, vbi omnium scientiarum obsequio decurro illud Argumentum. Consule præterea in eodem Tomo homiliam Dominicæ primæ Quadragesimæ, cuius thema est: Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

[Margin: Tractatus vbi luculenter & fusè ago de auxiliis & obsequiis homini præstitis ab Angelis.]

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

ARGVMENTVM.

SAMSON fractus blanditiis fœminæ compositæ in omnes Veneris illecebras, ab ea dementatus excidit eo robore portentoso, quo antea præpollebat. Ideoque deueniens in potestatem suorum hostium acerborum, ab eis excæcatus, ad molam damnatus est, factus ludibrium populi infidelis. Non impunè tamen illusum est ei: namque epulantibus inimicis in aula, cuius tectum incumbebat duabus proceris columnis, Samson illa duo fulcra validè succutiens euertit, ac proinde tegmentum suâ ruinâ oppressit omnes Philistæos, qui conuenerant illuc. Eâdem propè industriâ sæuierunt hæresiarchæ in Ecclesiam Dei. Nempè illi pertæsi illibatum vitæ genus, quo sunt conspicui professores Christianæ disciplinæ, carnis prurigine illecti dedere manus illecebræ, quæ vt perfida est, miseros excæcauit. Quippè à fide defecerunt illi apostatæ, facti opprobrium mundi, & obiectum in quod Ecclesia intorsit spicula censuratum. Iniquo animo desertores hi tulere, peti se flagris Ecclesiæ, ideoque sæuientes, & anhelantes in vindictam, præcipuas Ecclesiæ columnas tentarunt euertere. Etenim aduertentes, Pontificatum, & monachatum, esse duo fulcra, quibus incumbit Ecclesia, cuius præcipuæ partes sunt Ecclesiastici diuisi in duas turmas, quarum vna clerum facit, altera monachatum. Perduelles illi rati se fore quàm maximè iniurios Ecclesiæ, si in has columnas fortiter impingerent, in vtrumque statum impiè declamarunt.

Sed res non successit pro eorum voto; illis enim occidentibus, Ecclesia non fuit in occasu; quam tamen illi pereuntes voluere ruinis suis inuoluere. Deo influente stant hæc duo fulcra, scilicet Pontificatus, & monachatus. Prior ille, vt dignior, venerationem sibi conciliat totius Ecclesiæ, Regibus etiam aduolutis ad pedes Summi Pontificis: ideoque superfluum esset scribere in gratiam dignitatis, quæ proscribere potest scriptores iniurios apici suo. Tamen ne desim partibus meis, cùm expendam Euangelium Feriæ III. Dominicæ II. Quadragesimæ, vbi Scribæ & Pharisæi dicuntur sedere super Cathedram Moysi, tunc texam encomia eorum, qui in clero primas tenent, vt sunt Pontifices, & Curati, seu Pastores animarum. Iam sollicitor ad firmandum statum monasticum. Primò quia Euangelium de Christo secedente in desertum, ad hoc me inuitat. Tunc enim sapiens ille Dominus specimen præclarum edidit monachatus, cuius est secessus, vt professionis huius notio singularis. Rursus ille status est hodie veluti columna nutans, non tam ictibus hæreticorum, quàm libellis famosis editis ab æmulis Monachorum, qui nomine tantùm tenus Catholici sunt. Hoc vitæ Religiosæ elogium locuples duo præstat, quorum vnum frangit impetus hominum impiorum, diluendo probra, quæ liuidi homines offundunt statui monachali. Alterum effusum in laudes illius instituti, suppeditat vberem segetem materiarum ad conciones componendas in gratiam monachatus.

CONTRO

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT controuersiæ proponuntur.

I. IEsvs ductus est in desertũ à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.
Matth. 4. II. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadragintà
noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Fi-
lius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens
dixit.
Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni
verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciui-
tatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es,
mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in
manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesvs:
Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit
eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, &
gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.
Tunc dicit ei Iesvs. Vade Satana: Scriptum est enim:
III. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum
diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

ORTHODOXA ET CATHOLICA expositio Euangelij, distributa in tot titulos, quot argumenta controuersiarum suppeditauit textus prælibatus.

I. *SECESSVS à sæculo, locus est adeò opportunus ad pugnam cum dæmone, vt vita Monastica fuerit semper eo nomine veneranda, vt cui Christus ipse dederit initium, factus deserti incola, suo specimine probans, quàm sit salutare religionum omnium institutum, quibus hoc commune est, vt vale dicant mundo, vt vberiùs, atque suauiùs Christo suo amantissimè Domino perfruantur,*

II. *Alterâ etiam armaturâ se accinxit strènuus ille pugil, ieiunans quadraginta diebus, in typum Quadragesimæ, quæ sua inde trahit incunabula. Post secessum, & longam inediam, Christus hostem acerbum prostrauit, erudiens nos, quibus sint cautellis contra dæmonem homines accingendi.*

III. *Sed quia solitudo, & dies impasti non faciunt hominem immunem auaritiæ; ostendit, quo vitium hoc tegmine caueatur. Nempe ait, esse cor vni Deo deuouendum, cultu scilicet Latriæ. qui ad solum Deum pertinet, & cui non est iniurius honor ille, qui defertur sanctis imaginibus, modo sanctis Ecclesiæ regulis instituto.*

ELENCHVS, ET RATIO Controuersiarum, quæ hic agitantur.

Nemo inficiatur, seriem cautionum, quibus præuiis Christus tentatus est, esse typum, ad quem se debet componere anima Christiana, prælium initura cum dæmone. Vnde, quia Domi-

nus auſpicatus eſt à ſeceſſu, capio anſam agitandi controuerſiam:

I. *An vita Monaſtica ſit ſancta, & idonea virtutum praxi.*

Ne quis malè credulus arbitraretur, eſſe licitum homini ſolitario indulgere ventri; Chriſtus opportunè adiecit ieiunium protractum ad quadraginta dies, quod vt æmuletur Eccleſia Quadrageſimam inſtituit. Et hinc argumentum ad hanc quæſtionem:

II. *An Quadrageſima ſuperſtitiosè fuerit instituta.*

Demum, vt nulla tentatione percuſſus homo poteſt ſuccumbere, quamdiu cor ſuum Deo deuouet illibatum; Chriſtus fortiſſimæ omnium tentationi occurrit, dicens, eſſe ſoli Deo ſeruiendum, & hinc anſa datur vltimæ controuerſiæ.

III. *An licitus ſit ſanctarum imaginum cultus.*

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA PRIMA.

Quàm ineptis argumentis impetatur vita monaſtica.

In hæc verba:

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.

IMPETVS PRIMVS

IN NOMEN MONACHORVM.

Quale ſit hæreticorũ ingenium.

ADeò eſt tigrium indoles homicida, vt ſi quando furens hoc animal inciderit in hominum veſtes, illas ſtatim ore rabido dilaceret. Eo immani œſtro percelluntur omnes diabolo patre ſati; cùm nequeant veneni ſui noxam offundere Eccleſiæ, ſæuiunt in id omne, quod eſt maximè cordi Eccleſiæ, vt videre eſt in vita monaſtica, quam quia Sancta Sedes Apoſtolica dignata eſt multis & ſingularibus beneficiis, illi arbitrati ſe facturos rem dæmoni gratam, qua contentione poſſunt in cœnobia debacchantur. Hæreticis hoſtibus apertis Eccleſiæ ſe adiunxere comites quidam Catholici, nomine tantùm tenus, qui ſectantes aliqualem pietatis vmbram, ægrè ferunt ſe deſpici, religioſos verò ſuſpici ab omnibus, tanquam profeſſores virtutis omnigenæ, atque adeò multis aliis eminentes. Vt hæretici impoſturis egerunt, atque conuiciis; cauſa etiam illico ceciderunt: eorum ruina cautiores facti pſeudocatholici falſi fratres, clam, & per cuniculos adorſi ſunt ſacrum religionum omnium inſtitutum, petentes illud à fundamine, vota emiſſa pro viribus impugnantes. Habeo itaque debellandam totam hæreſeos proſapiam, & curandam falſorum fratrum inſaniam.

Quid ſonet monachi nomen.

Auſpicabor à furentibus hæreticis. Hi noluere, in religioſis hominibus eſſe aliquid intactum, ideoque primo impetu venerandum Monachi nomen, vt quid humile aſpernati, tentarunt facere inglorium ſuis dicteriis, imò & picto dæmone cucullato. Vtque mali labes ſerpens ſuo contagio incautos, quibus ſe affricat, inficit; ita & prauitas hæretica, dum traduxit ſuo ſcurrili eloquio Monachi vocem, eam apud impios Catholicos ridiculam fecit, ita vt hodie malè audiat nomen illud apud homines, ementita ſpecie Chriſtianos, qui ſuæ impietatis ſpecimen edituri, & detrahentes viris religioſis, credunt ſe eis ſummam ignominiæ notam inuſſiſſe, ſi eos Monachi nomine nuncuparint. Ita cæcutiunt tenebriones illi, quibus gratia Dei non illuxit, quoſque latet cultioris literaturæ peritia. Ad eos deliros homines pertinet illud ſcomma Apoſtoli Iudæ: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant.* Hanc ego terſurus ignorantiam, expendam vim nominis huius, ei afferendo lucem, quam nemo adhuc accendit. Etenim nullus aduertit vocem Græcam *μόνος*, vnde deducitur *μοναχὸς*, non duntaxat ſignificare hominem ſolum, ſed etiam hominem ſimplicem: ſiquidem Græcis *μόνος* perinde eſt, ac ſolus, & ſimplex, & hinc deducitur illud aduerbium, *μοναχῶς*, id eſt, ſimpliciter. Iuxta illam nominis anatomen, Monachus duo ſignificat, hominem ſcilicet ſimplicem, & hominem ſolitarium. Nomine ſimplicitatis, Scriptura ſacra puritatem inſinuat, vt videre eſt in encomiis beati viri Iob, cuius puritatem Deus ſic explicat, dæmonem alloquutus: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?*

Iudæ epiſt. verſu 10.

Noua explicatio vocis, *μοναχὸς*.

Monachus idem quod ſimplex.

Iob. 1.

Profectò luculenter ipſe Deus aperit, quæ ſint partes ſimplicis hominis, dum ait, non eſſe ei ſimilem in terra, vtpote qui nulla ſui parte deuius ſit à rectitudine, quæ decet hominem ſanctum, Dei timore inſignem, & refugam mali. In eo etiam ſenſu vocem illam Chriſtus Dominus vſurpauit, quando commendauit eo nomine puritatem. Nimirum: *Eſtote ſimplices ſicut columbæ*, perinde eſt, ac æmulamini puritatem columbarum. In ea notione ſimplicis hominis, id eſt, puri & ſancti, Monachi vox inſonuit antequam deſignaret hominem ſolitarium, & eremitam. Etenim trecentis annis ante Paulum primum eremitam, Dionyſius Areopagita Religioſos vitæ Apoſtolicæ ſectatores, Monachos appellauit, dicens hoc eis affingi nomen, quòd rebus diuiſibilibus relictis, Monadi, id eſt, Diuinitati ſoli obſequi ſatagerent. Eſto religioſis in cœnobio degentibus omnia communia ſint; illi tamen dicuntur puri à rerum diuiſibilium contagio, quia nullius rei ſæcularis cupido eos afficit. Nec ſimilis reperitur eis in terra. Id eſt, Nemo eorum hominum, quos cura mundi occupat, ea pollet ſanctitate, quæ refulget in Monachis, qui idcirco ſimplices ſunt, vtpote immunes ab omni rerum huiuſce ſæculi cõmiſtura. Inde accipit Caſſianus nomenclaturam Monachi, dicens, viros illos beatos ſic vocari, quia à coniugiis abſtinebant, & ſecreti ab iniquo mundi conſortio, vni Deo intenti iugiter inhærebant. Ad hanc vitæ religioſæ puritatem aſpiciens Auguſtinus, concordes admiratus hominum mores, in eodem cœnobio coeuntes collimare ad eumdem ſanctitatis ſcopum, propriè ait illis hominibus conuenire Monachi nomen, & primò fuiſſe dictum de illis Chriſtianis, qui voto emiſſo, ſe ſuaque omnia Domino mancipabant. Sic Auguſtinus,

Matth. 10.

Quàm antiquũ ſit Monachi nomen.

Dionyſius c. 6. cæleſt. hierarchi.

Monachi à terra ſecreti.

Caſſian. collat. 18. c. 5.

August. in Psal. 132.

gustinus. *Ipsi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur: Et distribuebatur vnicuique, sicut vnicuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Et erat illis anima vna, & cor vnum, in Deum. Ergo ipsi primi audierunt: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim vsque ad illos ista dilectio & vnitas fratrum venit tantùm. Venit enim ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo. Vouetur enim aliquid Deo, & dictum est: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Melius est autem non vouere, quàm vouere & non reddere. Sed debet esse impiger animus vt & voueat, & reddat: ne cùm se minus idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vouendum. Planè nunquam reddet, si de suo se putauerit redditurum. Ex voce huius Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis.* Hæc ille, affirmans primam fidelium vouentium vitam concordem, sortitam fuisse titulum monachismi.

Tempore Apostolorũ viguit monastica disciplina.

Monachi nomé deductum ex Scriptura.

Hieronymus hoc nomen ait esse commune cœnobitis, & eremitis. Cœnobitæ dicti sunt, qui in communi loco concolorem agebant vitam, inde *κοινοβιον*, locus vbi degunt homines communis vitæ nexu sociati. Idem Hieronymus aliàs intellexit propriè pertinere ad solitarios. Sic suum Heliodorum compellat, longiores quàm par erat moras trahentem in sæculo: *Interpretare vocabulum Monachi, hoc est tuum; quid facis in turba, qui solus es?* Cùm itaque vox Monachi sua cœperit exordia à cœnobiis; non est quòd erubescat vir religiosus, audiens se suo pristino nomine nuncupari, cùm maximè Summi Pontifices velint pertinere ad omnes vsquequaque cœnobitas titulos Iuris Canonici inscriptos DE STATV MONACHORVM. Ne igitur ego videar habere exosum Monachi nomen, mihi toto pectore venerandum, titulum isti controuersiæ affinxi, De vita monastica, eo nomine concludens omnia omnium religionum instituta. Erit è re nostra, suscitare priscam huius nominis sanctitatem, cui detraxere spurij quidam Monachi, qui etiam æuo Augustini, inusſere maculam illi voci, quæ fuit initio tessera puritatis. Ita Augustinus: *Sunt & qui Monachi falsi sunt, Et nos nouimus tales: sed non perit fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non sunt. Tam sunt enim Monachi falsi, quàm & clerici falsi, & fideles falsi.*

Hieronym. in epist. ad Eustochium de seruanda virginit. Idem epist. ad Heliodor.

Monachus, nomen est commune religiosis omnibus. August. in Psal. 132.

Nequitia quorumdam Monachorum mala aspergine infecit nomen illud, tempore Augustini; sed superiore sæculo teterior fuit ille fœtor, quem Lutherus & socij eius omnes Monachi turpiter exhalarunt. Et æuo hoc grassante hæresi, & dehiscente pietate, multi Religiosi veste tenus sua pertæsi claustra, ad castra hostilia transfugerunt. Idcirco Catholici detestantes illorum perfidiam, & suspicantes in aliis Monachis eamdem defectionis indolem, habuere despicatui nomina Monachorum, rati se nobis inurere notam ignobilem, dum Monachos vocant. Iniquitas illa vigens hodie in aliquibus Catholicis impiis, est surculus hæreseos, quæ vt experta est semper Monachos fortissimos Ecclesiæ propugnatores, eis etiam indixit bellum irreconciliabile. Sed vt malorum odia cedunt in gloriam bonorum; ita & conuicia hæreticorum, atque sodalium ipsorum, nullam omnino labem aspergunt nomini Monachorum. Imò Deo miserante floret ille status, suasque propagines transfert in varias orbis oras, ita vt quò grauiores patitur angustias, eò etiam magis assurgat frustra reflantibus flabris hominum æmulorum. Inepta igitur est argumentatio petita à nomine, quasi verò vita monastica reprobanda foret, statim atque apud nebulones esset ludibrio Monachi nomen, viris probis vtique venerandum.

Monachi nomé quare malè audierit.

Monachi quare inuisi sint hæreticis.

Inuitis impiis floret status monachalis.

Grunniant itaque hæretici sues, & suo rostro tepando feriant illud nomen, in quod etiam latrant spurij Catholici; hoc non obstat, quin rutilus ille status Monachorum perstringat oculos inuidorum, & gratias perennes agamus Spiritui Sancto, quo afflante, desertum vitæ monasticæ adiimus, impigræ virtutum omnium praxi sedulò vacaturi.

SENSVS ORTODOXVS.

Non esse ludibrio habendas vestes Monasticas.

In hæc verba:

IESVS *ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

IMPETVS SECVNDVS

IN HABITVM MONACHALEM.

Plerique dum nucleum esse volunt, ori apponunt nucem, vt eam dente tenaci premant, & diuidant, ita futuri compotes voti, & nucleo potituri. Sed si fortius fuerit hoc putamen nucis, proculdubio dolent illisi dentes, & luunt pœnas iniuriæ nucibus intentæ. Ea mulcta excepti sunt hæretici, bello indicto Monachis: nimirum aggressuri beatum illum statum, primò rabiem suam in res eius exteras effuderunt, illudentes nomini Monachorum, & habitum monachalem impiè traducentes. Hoc cacodæmonis œstro percitus Constantinus Copronymus, Imperator hæreticus, in circo exposuit habitum Monachorum, vt in theatro desidum hominum, vestis illa pugilum Christi esset ludibrio. Sed postea præcoci damnatorum pœna decumbens in lectulo, igne inuisibili flagrans, eiulans expirauit. Agrippa visâ tabellâ, vbi dæmon erat habitu cucullato, scripsit, eo artifice compositas fuisse vestes Monachorum. Vt Agrippa fuit dæmonum consortio infamis, vtpote magus; ita diabolo, cui se totum deuouerat, gloriam voluit affingere habitus huius sacri. Blasphemus homo congrua morte sublatus est. Etenim Paulo Iouio teste, dum perditus ille circumduceret diabolum specie molossi nigri, Lugduni decubuit in xenodochio, vbi morienti canis ille horridus adstitit, eademque mora, qua periit sortilegus homo, dæmon trucis bestiæ speciem referens, præcipitem sese egit in flumen illac præterfluens. Digno sane fato elatus homo ille, vt qui Monachis insultarat, attribuens eorum vestem diabolo; tribueret animam suam, iustè eidem spiritui, cui iniquè sacra vitæ monasticæ insignia vendicarat.

Male sibi cõsulunt hostes Monachorũ.

Copronymi rabies in habitum monachalem.

Gregorius Cedrenus in Constantino Copronymo. Agrippa l. de vanitate scientiarum. Paulus Iouius in Agrippa l. de elogiis.

Impia mors Agrippæ hostis Monachorum.

Quàm ludicrè habuerit Lutherus vestes illas sacras, cum quibus & pudorem omnem deposuit, videre est in eius libris, quos respersit dicteriis atque conuiciis in habitum illum sanctum cœlitus inspiratum. Eâ armaturâ destitutus apostata, cessit in ius diaboli, qui eum benè pastum & crapula distentum in lectulo strangulauit. Sed ne hæretici videantur agere tantùm contumeliis, eo argumento arietant in habitum monachalem: Scriptura sacra nullam vestium facit differentiam: Ergo perperam inuecta est discolor hæc species habituum Monachorum. Hoc telum intorsit Vvolfgangus Musculus, ita fatus: *Respondeant Monachi, quo loco cucullos suos habeant, & quomodo ab hypocrisi, & superstitione tueantur, quòd singulari & colore, & forma, à consuetò sese ac populari amictu disiunxerunt.* Illa obiectio arguit in hæreticis animum immemorem veteris & recentioris historiæ sacræ, vbi viri professi sanctius & diuersum ab aliis vitæ genus, singularitate etiam vestis sacro Codice commendantur. Ita Ochozias Rex impius, ex recensione habitus, Eliam credidit hominem sic vestitum. Eo enim pacto affatus est nuntios reduces: *Cuius figura & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.* Vides quomodo canes hi rabidi quærentes fragili illidere dentem, infringant solido, & proprio etiam spiculo feriantur.

In vita Lutheri.

Vvolfgang. Musculus in locis communibus c. de votis.

Vestes Monachorum, quo argumento impetantur ab hæreticis.

4. Reg. 1.

Si prouocare lubet ad nouum testamentum, ibi describitur vestis Ioannis Baptistæ, in argumentum sanctitatis eius. Ecce textum sacrum. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Vestium asperitatem conducere ad virtutem, & esse pietatis indicium, Paulus Apostolus luculenter explicat, dum seriem texit sanctiorum hominum, qui vixere sæculis Hebræorum. Sic ille: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.* Melotæ erant ouium exuuiæ aptatæ in vestes; Græci enim ouem vocant μῆλον. Et ille melotarum vsus fuit frequens apud priscos Monachos, vnde patet cæcitas hæreticorum qui blasphemant quæcumque ignorant. Habitum monachalem fuisse institutum eodem spiritu, quo compactæ fuerunt vestes Eliæ & Ioannis, ait Chrysostomus, hoc contextu. *Vestis Monachis fortitudine digna. Non enim caudatis vtentes vestibus, iuxta eneruatos & molles induuntur, sed iuxta beatos illos Angelos Eliam, Elisæum, Ioannem, secundum Apostolos, cùm vestimenta sint ipsis parata, his quidem ex caprarum pilis, his autem è camelorum. Sunt autem & quibus sola sufficiunt pelles, & hæ iam dudum confecta.* Et tantùm abest, vt reprobanda sit vestium distinctio in Monachis; quin maximis elogiis Sancti omnes eam concordi calculo celebrarunt. In his Dionysius, coæuus Apostolorum, meminit illum ritum vsitatum in Ecclesiæ cunabulis, vbi initiandi monachatui profanas exuebant vestes, vt alias induerent sanctiores. Ita Dionysius: *Eum consignans Crucis signo sacerdos tondet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans, exutumque veste omni, aliam induit, & cum sanctis aliis, qui adstant, ipsum salutans diuinorum mysteriorum participem efficit. Vestis positio, alteriusque assumptio, migrationem illam à media vita, sacra licet, ad perfectiorem significat: sicut in diuina regeneratione promotionem inducebat à purgata vita ad contemplantem illuminantemque habitum, illa vestis candentis commutatio.*

Vestiũ asperitas arguit sanctitatem. Matth. 3.

Heb. 11. Melotę quęnam olim vestes.

Sanctitas habitus Monachalis. Ex SS. PATRIBVS.

Chrysost. hom. 56. ad popul. Antioch.

Dionys. lib. cœlestis hierarch. c. 6.

Nota Dionysium Pauli Apostoli discipulum illo monachalis habitus vsu dicere, Ecclesiam significasse, huiusmodi homines sic indutos ad schema vitæ tersioris solitos anhelare. Hoc etiam argumentum luculenter versat Dorotheus Abbas, qui floruit paulò post Augustinum. Is factâ velut exquisitâ anatome habitus monachorum, explicat quid singulæ quæque partes insinuent. Sic ille: *Habitus noster is est, Tunica absque manicis, & zona pellicea, analabus, & cucullus. Hæc autem signa sunt omnia. A nobis igitur perdiscendum est, quid habitus nostri signa præ se ferant. Vt quid autem tunicam feramus absque manicis, cum cætera quæque manicas habeant? Manica signa sunt manuum. Manus ad practicen pertinent. Cum igitur surrepit cogitatio aliqua operandi, & agendi quippiam per pristini hominis manus, vtpote furari vel verberare, aut peccatum aliquod perpetrare cogitamus, aduertamus tunc oculos mentis ad habitum nostrum, discamusque abesse illi manicas, id est, non habere nos manus ad operandum quippiam pristini hominis, &c. Habemus & zonam pelliceam circa renes nostros. Id signum est, ad opus quodque accinctis vt quàm primùm simus & parati: laboraturus enim quis primo accingitur, & sic demum opus aggreditur. Mortificati quoque corporis signum est: nos enim desideria nostra mortificare debemus. Habemus & analabum. Analabus in modum Crucis ponitur. Super humeros autem nostros Crucis signum deferimus, &c. Ferimus & cucullum, innocentiæ signum, & puritatis. Pueri enim paruuli cucullum ferunt, non viri perfecti. Nos igitur ideo cucullum ferimus, vt paruuli simus malitiâ. Est & cucullus signum gratia Dei. Quoniam vt cucullus tuetur & fouet pueri caput, sic & gratia Dei mentes nostras defendit.* Hæc ille.

Habitus Monachalis quid significet in suis omnibus partibus.

Doroth. doctrina 1.

Religiosis habitus excitat ad virtutem.

Nec profectò fuit instituta fortuitò varietas illa vestium Monachorum, sed vt cuique institutori afflauit Spiritus Sanctus; ita & ab eo contextura fluxit habitus instituti. Verbi gratiâ, quia Seraphicum Patrem Franciscum altus amor Crucis perculerat, ille habitum sibi finxit, in modum Crucis assutum, vt vtuntur Capucini, legitima proles tanti Patris. Non inficior, alios omnes Patriarchas, decernendo suis alumnis vestes, habuisse pium aliquod intentum, cui congruebat habitus indictus. Eamobrem viros omnes Religiosos compello, hac Dorothei sententia: *Nobilitemur igitur ex habitu nostro, & ne alienum schema feramus.* Ab austero habitu peti argumenta pietatis, Hieronymus probat hoc contextu: *Tu, si Monachus esse vis, non videri; habeto curam, non rei familiaris, cui renuntiando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. Sordida vestes, candidæ mentis indicia sint; vilis tunica contemptum sæculi probet: ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant.* Ab eo etiam vestis acerbæ vsu, maximè eidem Hieronymo commendatur virgo Demetrias; illo namque sæculo fuit in more positum, puellis, quæ conceperant propositum virginitatis, vilibus indui vestimentis. Inde celebrat Demetriadem præ-

Dorotheus vbi supra.

Hieron. epist. ad Rusticum.

fatur

Idem epist. 8. ad Demetriadem c. 2. Idem c. 3. Demetrias virgo laudata ab austero habitu.

fatus ille Sanctus, isto elogio. *Incredibilis animi fortitudo, inter gemmas, & sericum, inter eunuchorum, & puellarum cateruas appetisse eam ieiuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam. Legerat enim Domini verba dicentis: Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Stupebat ad conuersationem Eliæ, & Ioannis Baptistæ, quorum vterque zona pellicea astrinxit, & mortificauit lumbos suos. His & aliis pluribus inflammata stimulis, omnem corporis cultum, & habitum sæcularem, quasi propositi sui impedimenta proiecit: pretiosa monilia, & graues censibus vniones, ardentesque gemmæ redduntur scriniis, vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.*

Non est igitur superstitiosa vestium discolor varietas, discreta à schemate sæculari, vt mentiuntur hæretici, nescij quàm venerandus fuerit ipsis etiam sanctis habitus ille Monachalis, quem illi confodiunt & lacerant iniuriis. Longè aliter sensit Beatus Paulinus, Hieronymo & Augustino suppar, vtpote eodem sæculo doctrina & pietate conspicuus & famosus. Ille professus vitam monasticam, describit aliquas singularitates huius instituti, quod suis veluti coloribus sic depingit:

Paulinus Nolanus epist. 7.

Nos adeant & reuisant conseruuli & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles; nec clamyde curtalini, sed sagulis palliati; nec baltheo, sed reste succincti; nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem casi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte prærasi, & ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti sint, & honorabiliter despicabiles, cum ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, vt fiant pudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honesti mentibus.

Elegans descriptio habitus monachalis.

Hæc ille commemorans illo etiam sæculo vitam monasticam patuisse spiculis inuidorum, qui aduertentes suarum vestium pompam damnari abiecto Monachorum amictu, hunc habitum sæpe sæpius irriserunt, vt meminit ille Sanctus ita pergens:

Ibidem.

Huiusmodi hominum & vultus, & habitus, & odor nauseam illis facit, quibus odor mortis est in odorem vitæ, quibus dulce quod amarum, & turpe quod castum, & hostile quod sanctum est. Diceres eum fuisse præscium ærumnarum, quas patitur hodie vita monastica, hæreticorum iaculis impetita.

Ad hanc vestium distinctionem pertinet ille ritus solennis in prisca Ecclesia, vbi velatæ virgines, virginitatis suæ votum hoc tegmine confirmabant. Inde ansam accepere Tertullianus & Cyprianus conscribendi libros, De velandis virginibus. Præter applausum Patrum, qui magni ponderis esse debet apud omnes, accedunt Canones editi in Conciliis etiam Generalibus in gratiam habitus Monachorum. Vnde cùm hæretici omnes conclament se venisse reddere Ecclesiam nitori suo, aduertant quàm aberrent à suo intento cùm subsannant Monachos; eo nomine, quòd non communibus cum laicis vtantur vestibus. Accipiant in eo themate Canonem editum in primo Concilio generali Nicæno, cui se multum deferre simulant hæretici. En decretum.

Habitus Monachorum, quàm sint antiqui.

Ex Ivre Canonico.

Concil. 1. Nicænum Canone 76. Arabico.

Religiosi, tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores quàm habeant laici. Synodus Constantinopolitana edita sub Photio, videns diabolum omnes suas collegisse vires, vt ludibrio haberetur habitus ille sanctus Monachorum, vitio eorumdem vitæ monasticæ professorum, sanxit neminem indui veste beata, quin aliquot annorum examine probasset se dignum hoc habitu. En Canonem.

Concil. Constantin. Can. 4 & 5.

Multis modis malignus monasticum venerabilem habitum probrosum efficere contendit, & magnam ad eam rem inuenit eius, qua præcessit, hæresis occasionem. Statuit Sancta Synodus, vt nemo monastico habitu dignus putetur, priusquam triennij tempus, ad experientiam eis relictum, eos esse probatos, & tali vita dignos ostendat. Marcellus I. Papa, qui floruit tertio sæculo, centum annis superior Hieronymo & Augustino, luculentam facit mentionem distinctionis habituum, commemorans alias omnino fuisse vestes Monachorum. Pontificis huius decretum super hac re Canonem istum fecit.

Canone Illud autem 20. q. 1.

Illud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij monasterio fuerint oblati, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt decimo quinto anno à Prælatis moniti, verbis inquirantur, vtrum in ipso habitu perseuerare cupiant, an non? Si verò permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti possunt. Si verò ad sæcularem habitum reuerti voluerint, redeunte licentia nullo modo denegetur; quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur.

Monachalis habitus olim magna cautione datus.

Decurrenti tomos Conciliorum, multi Canones occurrunt, decernentes, eos, qui tersioris vitæ genus obeunt, debere etiam pietatis suæ propositum speciali habitu profiteri. Idcirco iuxta numerum personarum, in Conciliis habituum distinctio decreta est. Vt virginibus voto adstrictis velamen capitis, viduis Deo addictis vestis humilior, Monachis congruus habitus instituto, & clericis inhibitæ vestes, quæ sapiunt animum sæcularem, aut redolent mundi pompam. Ad virgines pertinet hoc decretum editum in Concilio Romano sub Syluestro Papa, enitente iam Christiana disciplina auspiciis Constantini Magni. Ita sancta Synodus.

Concil. 1. Romanum c. 10.

Pudicitiæ custodiâ virgo vncta vertice introducatur in nuptias Christi, velamen capitis ferens, non cordis. Ne discolor habitus esset iniurius illi velamini, indictæ sunt virginibus vestes congruæ sanctitati, ita enim Concilio Carthaginensi cautum.

Concil. IV. Carthagin. cap. 11.

Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni, & sanctimoniæ aptis. Ad virgines Deo sacras dirigitur hoc effatum Augustini.

August. epist. 109. ad Moniales.

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus: nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Viduis etiam præfixa est decens & humilis habituum forma, præfato Concilio Carthaginensi, cuius est hæc sanctio.

Concil. IV. Carthagin. cap. 104.

Sicut bonum est castitatis præmium: ita & maiori obseruantia, & præceptione custodiendum est; vt si quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis posita, & matura ætate à viro relictæ, se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ, religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias sæculares transierint, secundum Apostolum damnationem habebunt. Huius habitus vidualis mentionem facit Augustinus hoc tenore.

Augustin. epist. 199. ad Ediciam.

Scriptum est quidem, mulieres esse non debere in habitu ornato, aurique compositione, & intortione crinium, & cætera huiusmodi, quæ vel ad inanem pompam,

vel

vel ad illecebram adhiberi ferme ſolent, meritò reprehenſa ſunt. Sed eſt quidam pro modulo perſona habitus matronalis, à viduali veſte diſtinctus, qui poteſt fidelibus coniugatis saluâ religionis obſeruantiâ conuenire.

Habuiſſe Monachos ſpecialem veſtem, dixi ſupra, ex primo Concilio Nicæno; ſupereſt vt hoc idem probem de fœmineo ſexu profitente vitam monaſticam, ita vt fœminæ religioſæ in claustro habuerint congrua veſtimenta. Ecce in eo argumento Canonem editum, in Concilio Aurelianenſi, habito ſexto ſæculo. En ſtatutum.

Moniales peculiarem habitum acceperunt.

Concil. V. Aurelian. cap. 16.

Quæcumque puella ſeu propria voluntate Monaſterium expetunt, ſeu à parentibus offeruntur, annum in ipſa, qua intrauerint veſte permaneant: poſtmodum ſecundum ſtatuta monaſterij ipſius, in loco, quo elegerint permanere, veſtimenta religionis accipiant. De diſcreto habitu pertinente ad eos, qui in vtroque ſexu dedere nomen ſuum vitæ Monaſticæ, aut ſtatui viduali; locuples eſt ſanctio Concilij Toletani. Sic illa Synodus. *Proclinus eſt curſus ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quiſquis virorum vel mulierum habitum ſemel induerit spontaneè religioſum, aut ſi vir deditus Eccleſiæ choro, vel fœmina fuerit, aut fuit delegata puellarum monaſterio: in vtroque ſexu prævaricator, ad propoſitum inuitus reuerti cogatur; vt vir detondeatur, & puella ad monaſterium regrediatur. Viduæ quoque, ſicut vniuerſalis Synodus iamdudum ſtatuit, profeſſionis vel habitus ſui deſertrices, ſuperiori ſententia condemnentur.*

Concil VI. Toletan. c. 6.

Concilium Lateran. c. 16.

Clericis etiam cautum eſt in Concilio Lateranenſi, qualiter induantur. Oecumenica Synodus hæc decreuit. *Clerici clauſa deſuper indumenta deferant, nimia breuitate vel longitudine non notanda: pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis, aut ſotularibus conſutitiis, ſeu roſtratis, &c. non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Eccleſiam non gerant: ſed nec alibi qui ſunt in ſacerdotio, vel perſonatibus conſtituti, niſi iuſti cauſa timoris exegerit, habitum transforment. Pontifices in publico ſuperindumentis lineis omnes vtantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem.* Vide quàm reuerenter habeat habitum monachalem hoc Concilium generale, vt Pontificem de claustro aſſumptum nolit deponere veſtem indicem vitæ monaſticæ, quam Antiſtes dignatus eſt antea profiteri. Sexcentis annis ante Concilium Lateranenſe, Synodus Matiſconenſis clericis hoc indixit. *Vt nullus clericus ſagum, aut veſtimenta, aut calceamenta ſæcularia, niſi quod religionem deceat, induere præſumat. Quòd ſi poſt hanc definitionem clericus, aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniore ita coërceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aqua tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.*

Concil. I. Matiſconenſe cap. 5.

Christiani etiam Imperatores, qui vixere priſcis Eccleſiæ temporibus, rem glorioſam duxere, veſtiri habitu pertinente ad aliquam earum profeſſionum, quas ſupra recenſui. Ideoque ne fieret iniuria veſti alicui ſanctæ, Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius hanc tulere legem, quam ſua etiam auctoritate firmauit Iuſtinianus codici ſuo inſertam. Sic illi omnes. *Mimæ, & quæ ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publicè habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, non vtantur.* Nouella etiam conſtitutione edita poſt codicem; voluit Iuſtinianus Imperator, neminem dignari habitu monachi, quin ſe aptaſſet ad honorem illum, multa virtutum praxi. Sic iubet Imperator. *Sancimus ergo ſacras ſequentes regulas, eos, qui ſingularem conuerſationem profitentur, non promptè mox à reuerendiſſimis Præſulibus venerabilium monaſteriorum habitum percipere monachalem: ſed per triennium totum tolerare, nondum monachicum habitum promerentes ſed tonſura, & veſte eorum, qui laici vocantur, vti, & manere, diuina addiſcentes eloquia. Et dum triennio toto ita permanſerint, optimos ſemetipſos, & tolerabiles aliis Monachis, & Præſuli demonſtrantes, tunc monachicam promereri veſtem, atque tonſuram.*

Ex Iure civili.

Lege 5. Cod. De Epiſcop. audientia.

Nouella 5. De Monachis c. 2. & 3.

Monachali habitu nemo olim donatus ſine præuia probatione.

Quodque luculentius eſt, aliqui Imperatores pertæſi purpuram; hanc ſacro Monachorum habitu commutarunt, rati beatam illam veſtem eſſe paludamentum inuium ſpiculis Angelorum nequam. In ea ſerie famoſus eſt Manuel Imperator Græcus, quem ſic Nicetas commemorat: *Manuel Imperator monaſticum habitum poſtulauit. Quo dicto, cum vt fieri ſolet, tumultus eſſet ortus, & ſpiritualem veſtem nigro panno, omnis ornatus expertem, miniſtri neſcio vbi nacti, mollibus & regiis veſtibus detractis, & aſpero illo diuinæ vitæ indumento illi impoſito, in ſpiritualem eum conueſtiunt militem, & galea thoraceque inſigniore ornatum, in cœleſtis Imperatoris catalogum referunt.* Nonne igitur inſaniunt hæretici, probro habentes habitum monachalem, tot probatum Conciliis emergentis Eccleſiæ, & adeò charum Principibus, vt multi eorum crediderint, illas veſtes eſſe ſuo diademate tutiores.

Ex historia.

Nicetas Choniates in Manuele.

Monachalis habitus eſt armatura.

Manuel Imperator fit Monachus.

SENSVS ORTHODOXVS.

Quàm ardua res ſit, & ſancta, profeſſio conſiliorum Euangelij.

In hæc verba:

Iesvs *ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

IMPETVS TERTIVS

In Vota.

Experimento quotidiano liquet, veſpertiliones adeò exoſam habere lucem, vt ſi quis in eorum ſpecum faces inferat, ſtatim videat peti lumen ab illarum impuro agmine beſtiarum. In eam propè ſortem incurrit vita monaſtica. Etenim vbi fulgor eius illuxit Eccleſiæ, hæretici omnes, ſordidum pecus, & aliqui ſpurij Catholici, tenebriones inuidi, huic rutilo inſtituto liuoris ſui nebulas offuderunt. Itaque hæretici, & liuentes Catholici, neſcij virtutis integræ, condixerunt in perniciem profeſſionis religioſæ. Priores hæretici ſuum virus effuderunt in conſilia Euangelica; ſed ne erretur in notione conſilij, operæpretium eſt explicare, ad quæ ſe porrigat illa vox conſilij. Conſilium perfectionis, eſt bonum opus à Chriſto non imperatum quidem, ſed laudatum, & præoſtenſum, vt ſuis encomiis animos auditorum inflecteret ad praxim virtutis adeò commendatæ. Diſpeſcitur autem conſilium à præcepto quadrifariam, primò ratione materiæ, ſecundò

Inuidia multos armauit in vitam monaſticam.

Veſpertiliones odere lucem.

Conſilij & mandati differentia.

secundò ratione subiecti, tertiò ratione formæ, quartò ex parte finis. Consilium ex parte materiæ bifariam differt à præcepto. Primò, quia materia præcepti facilior est, vtpote ad manum, & naturæ congrua. Materia verò consilij est operosa magis, & ardua, & superans naturæ vires. Verbi gratiâ, ad præstandam coniugi fidem, natura est benè suada; sed omnino abhorrere à coniugio, haudquaquam est vernaculum opus, vt opportunè ait Ambrosius hoc contextu. *Quis humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit? è cœlo accersiuit, quod imitaretur in terra.* De eodem consilio castitatis hæc fatur Hieronymus. *Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis.* Secundò materia præcepti bona est; sed consilij melior, & perfectior, quando videlicet præceptum & consilium versantur circa eamdem materiam: quippe consilium includit præceptum & aliquid præcepto adiicit, vt Augustinus insinuat hoc discursu. *Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, vsque adeo acceptarunt præceptum, vt non recusarent consilium, vt plus placerent plus se ornauerunt.*

Ex Patribus.
Ambros. l. 1. de virginib.
Hieron. ser. de Assumptione.
August. serm. 18. de verbis Apostoli.

Si præcepti & consilij subiectum discutias, in eo discrepant consilia à præceptis, quòd præceptum concludat omnes, consilium verò secus ad paucos pertinet, vt explicat Augustinus ita fatus. *De virginitate dicitur: Qui potest capere capiat: De iustitia non dicitur: Qui potest facere faciat: sed, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur.* Rursus inter vtrumque differentia intercedit ex parte formæ, quòd præceptum vi sua obstringat hominem vinculo debiti; consilium verò nequaquam, quia audito eo consilio, homo sui iuris est, & per eum stat, morem gerere dicto, vel ab eo resilire. Ita Hieronymus. *Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium; vbi præceptum datur, ibi necessitas est seruientis.* Adiice & hoc Augustini effatum. *Neque enim, sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest, non nubes. illa exiguntur, ista offeruntur: si fiunt ista, laudantur; nisi fiunt illa, damnantur.* Demum discrimen intercedit inter præceptum & consilium, ex parte finis, siue effectus, quòd præceptum obseruatum, dignatur præmio, non verò obseruatum pœnâ afficit animam delinquentem. At consilium si non obseruetur, nullis hominem pœnis obnoxium facit: & si ei quis attendat, stipendia sibi vendicat ampliora Eò pertinet iste Augustini textus. *Quoniam deuitatis remissisve peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequenda, parum est, liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur, quod non sit criminis non vouisse, sed vouisse ac reddidisse sit laudis.*

Idem ser. 61. De tempore.
Hieron. epist. ad Eustochiũ de seruanda virginit.
August. de sancta virginitate c. 30.
Ibid. c. 14.

Tria esse consilia perfectionis, penes quæ versantur vota religiosa, concors est omnium Patrum auctoritas, sacro etiam Codice roborata, vbi castitas, obedientia, & spontanea paupertas maximè commendantur. De singulis agam sigillatim, propriis quibusque titulis assignatis. Nunc operæpretium est frangere impetus, qui fiunt in consilia, & in vota, & prænotare diaboli industriam ad perdendos homines, captata occasione indolis eorum, in quos se accingit. Verbi gratiâ, quia aduertit, Tertullianum hominem esse austerum, rigidæ abstinentiæ, & absolutissimæ continentiæ coniugalis; Angelus ille vafer nactus hominem satyricum, pronum in vitia, suo stylo vindice castiganda, ægrè ferentem, non se electum in Pontificem, armauit in Ecclesiam, ei suggerens vt carperet laxiorem Ecclesiæ disciplinam. Homo ille ratus se despici, suo critico ingenio indulsit, voluitque suos mores affricare toti Ecclesiæ, & in eam introducere monogamiam, & tres Quadragesimas, pro vt ipse inclinabat, eò etiam omnes volens abducere. Vbi verò vidit homines gulæ obstrictos, alias instruxit machinas, vt eos prosterneret: nimirum suggessit, Quadragesimam esse ex fastis Ecclesiæ penitus expungendam, vt ritum corpori iniurium, & superstitione plenum, vt fusè explicaui in controuersiis Euangelij feriæ quartæ Cinerum. Ita se gessit spiritus ille nequam in his quæ spectant consilia, sua argumenta aptauit ingenio hominum, quos conduxit ad consilia impugnanda. Nempe quia in incunabulis Ecclesiæ feruebat adhuc sanguis Christi ebulliens in mente fidelium, illa cruoris aspergine calentium, ille susurro suggessit aliquibus consilia esse de præcepto, & inde emersere hæretici Apostolici, ita nuncupati, quia omnem spem salutis adimebant hominibus, si non more Apostolorum profiterentur castitatem, & paupertatem. Horum meminere Epiphanius, & Augustinus. Quia hi homines erant ad quæque operosa proni, nimio tumentes typho, eò assurrexere fastus, vt se solos idoneos cœlo crederent, & eos, qui instar eorum continebant, professi spontaneam egestatem. Hæc hæresis proprio Christi dogmate configitur: *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serua mandata.* Hoc contextu mandata docens sufficere ad salutem congruè capessendam. Vt item probauit idem Dominus, qui audito ab adolescente, eum obseruasse omnia Dei mandata ab ephebis; *Intuitus est eum & dilexit*, vt Marcus ait. At non dilexisset eum, si gratiæ expers extitisset, amor namque Dei, & peccata non coëunt. Non constitit sibi diu præfata hæc hæresis, ideoque fuit citiùs antiquata. Tepente apud homines Christi sanguine, illi velut immemores consiliorum, extiterunt etiam pigri ad sequelam mandatorum. Eamobrem ne mentio consiliorum facesseret eis negotium, carnales illi hæretici cogitarunt sententiam suo dignam abdomine, scilicet esse superstitiosa illa consilia, circa quæ versatur vita monastica, atque adeò Monachos posse impunè ab hoc ritu sibi inolito resilire. Vtque fidem suo errori facerent; hi præcones noui Euangelij, turpiter à Christo Domino defecerunt.

Consilia Euangelica sunt libertatis.
Consilia Euangelica Quot sint.
Qui fuerint hæretici Apostolici.
Epiphan. hæresi 61.
Augustin. hæresi 40.
Consilia Euangelica non omnes obstringunt.
Matth. 19.
Marc. 10.

In huiusmodi consilia sic Caluinus arietat: Eo solo nomine dicitis hæc consilia, quia consulunt perfectionem. Sed hæc ratio nulla est, quia omnes ad perfectionem obligantur ea voce Christi: *Estote perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est.* At nihil omnino deest illi, qui perfectus est: Ergo frustra proponuntur consilia ei, qui præceptis morem gessit, cùm sit ille perfectionem assecutus. Respondeo, duplicem esse perfectionem; vnam quæ obstringit omnes; aliam, quæ duntaxat consulitur. Perfectio, quæ obligat

Quibus argumentis hæretici petant consilia.
Matth. 5.

obligat attenditur penes mandata Dei, & hæc hominem Deo conciliat, vt præfatus sum de illo adolescente, qui cùm dixisset Christo, se omnia mandata obseruasse à iuuentute sua, singulari amore dignatus est ab illo, tamen audiit ab eodem Christo: *Vnum tibi deest.* Quale sit illud vnum, audi ex dialogo Christi, & huius bonæ indolis adolescentis. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum, &c. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo; & veni, sequere me.* Profectò nihil deerat illi adolescenti ad perfectionem necessariam ad salutem, quæ omnes obligat homines, vtpote obstrictos obsequio mandatorum: sed illi deerat sequela consiliorum, pertinens ad illam perfectionem, quæ est vitæ monasticæ, aspirantis ad maiorem gloriam. Nempe de obseruatis mandatis ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Nulla ibi fit mentio thesauri, sed simplicis aditus ad gloriam. Ast vbi agitur de schemate & typo vitæ religiosæ, quæ omnia missa facit, vt adhæreat Christo; Dominus ait hoc esse perfectorum, qui auscultantes illi consilio, locupletes in beatitudine gazas componunt sibi: quasi res essent indiuiduæ thesaurus in cœlo, & professio consiliorum. Duplex itaque est perfectio. Vna, quam mandata Dei obseruata affingunt, & hæc ad omnes vsquequaque homines adultos porrigitur. Alia verò non est necessitatis vt illa prior, sed est consilij, homines aptans ad gloriæ latices ampliores. Vna est necessitatis, altera libertatis, & ad hanc posteriorem pertinent consilia, quibus incumbit vita monastica.

Marci 10.

Matth. 19.

Consilia Euangelica maiora manent præmia in cœlo.

Rursus insurgunt hæretici, hoc textu Christi: *Quàm angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Ergo si mandata, quæ Dominus ait esse fores cœli, tantum facessunt negotium; nonne temerarium est inducere consilia, quæ suo pondere grauant iugum illud aliàs importunum. Respondeo, hominem spectatum in sphæra actiuitatis suæ naturalis, non posse perfectè adimplere omnia, ad quæ lex Dei porrigitur. Accedente tamen gratia Dei, nihil omnino impossibile præcipitur, aut consulitur, ipso etiam Christo assertore, cuius ista vox est. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Quid ergo latrant illi canes, inficiantes esse impossibilem hanc sequelam consiliorum, cùm Deo influente possit homo sufficere consiliis, æquè ac præceptis, iuxta illud Leonis Papæ effatum: *Nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus.*

Matth. 7.

Matth. 19.

Ex SS. Patribvs.

Leo. ser. 5. de Epiph.

A consiliis ad vota transeunt hostes, explodendi postquam retulero aliquas Patrum sententias in gratiam consiliorum perfectionis, quæ, vt præfatus sum, à præceptorum serie dispescuntur. Ambrosius: *Vt intelligas distantiam præcepto atque consilij, illum recorderis, cui in Euangelio antè præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat; præceptum enim ibi est pœna peccati: at verò cùm se præcepta legis memorasset implere, consilium ei datur, vt vendat omnia, & sequatur Dominum: hæc enim non pro præcepto dantur, sed pro consilio deferuntur.* Appositè sanè ad ea quæ antea prælibaui. Accedit Hieronymus, impugnans Vigilantium hoc discursu. *Quod asseris, eos meliùs facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quàm eos, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, non à me, sed à Domino respondebitur: si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, & nauiculam, & rete dimittit: iste, quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis præferenda.* Gloriam verò ampliorem manere eos, qui consiliis morem gerunt, quàm illos, qui præceptis tantùm obsequuntur, disertè explicat Augustinus ita fatus: *Qui illius perfectionis de vendendis rebus suis consilium tam grande, tamque præclarum non receperunt, & à damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum pauerunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi.* Benè quidem se habebunt in iudicio Christiani sequaces mandatorum Dei; sed erunt infrà eos, qui professi fuerint consilia. Eo maioris stipendij argumento Christus allexit adolescentem illum, cui mentione consiliorum facta dixit, magnum gloriæ pondus imminere, si crederet Domino consulenti. Ita Chrysostomus: *Vt alliciatur, ingentem ei mercedem futuram ostendit, & voluntati eius omnia relinquit.* Igitur affirmare, consilia in Euangelio recensita homines euehere ad gratiæ incrementum, & ad stipendia ditiora, non est delirium Monachorum, vt blasphemant hæretici; sed est sacri Codicis oraculum, cui concors sanctiorum Patrum sententia suffragatur.

Sententiæ in gratiam cõtinentiæ.

Ambr. lib. de viduis.

Præceptum est vbi est pœna non facienti.

Hier. contra Vigilantium.

Consilia Euangelica perfectiora præceptis.

Aug. ep. 89. quæst. 4.

Chrysost. in c. 19. Matth.

Diluuntur obiectiones in vota Monastica.

Ex Theologia, et Ex Sanctis Patribvs.

Hæc industria inolita est viris, qui piraticam exercent, vt scilicet signis seu vexillis ementitis instruant naues suas, vt faciliùs incautis illudant, quibus imponunt signa illa erecta à grassatoribus, maria infestantibus. Ita plerumque fucos faciunt hæretici impugnantes dogmata Christiana. Nimirum fingunt se agere causam Dei contra Catholicos, quos queruntur Deo iniurios, dum dicunt se vouere paupertatem, castitatem, & obedientiam, ad maiorem Dei gloriam; quasi verò humanis obsequiis possit gloriæ Dei adiici aliquod incrementum. Sic suo argumento affingunt speciem aliquam veritatis. Christi Domini lex est: *Cùm feceritis hæc omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus; quæ debuimus facere, fecimus.* Ergo malè vouent Monachi, arbitrati sua vota conducere ad gloriam Dei: tunc enim vtiles essent Deo, contra Domini Iesu effatum. Bellarminus in varias se torquet partes, vt diluat argumentum. Sed non placet eius solutio. Ait ille, eo versu Christum voluisse damnare omnem iactantiam, ideoque suasisse voces indices humilis animi: qui namque se inutilem seruum dicit, profectò ille non captat auram

Astutia hæreticorum vt Catholicos decipiant.

Luc. 17.

Seruum inutilem esse hominem dixit Christus.

autam popularem de bonis actibus exantlatis. Ait ille, Christum non dixisse: *Serui inutiles estis.* Sed: *Dicite: Serui inutiles sumus.* Non mihi probatur hic discursus, quo Bellarminus intendit astruere, Christum voluisse homines auertere à iactantia, licèt quandoque sint serui vtiles, si mandata perfecerint. Sic ille: *Vult nos humiles esse, & non iactare merita nostra; sed ipse tamen postea dicit: Euge serue bone & fidelis: inutilem autem seruum vocans eum, qui non obedierit praeceptis, vt patet Matthæi 25. in parabola de talentis: Inutilem, inquit, seruum proiicite in tenebras exteriores.* Illa explicatio non arridet, quia vim facit intento Christi, qui reuera aliud voluit, quàm quæ Bellarminus ait textu antea prælibato.

Bellarm. to. 1. Contr. quinta generali l. 2. cap. 13.

EX THEOLOGIA.

Auctoris explicatio diluens instantiam hæreticorum, cui non facilè sit satis.

Hæc igitur esto mea explicatio. Gloria Dei bifariàm sumitur: primò substantiuè, secundò connotatiuè. Gloria Dei substantiuè est ipse Deus, qui seipso & nulla adiectione beatus est, nec vllum potest accipere beatitudinis incrementum. Ad gloriam Dei sic acceptam non pertinet illa locutio, qua dicimus votum emitti ad maiorem Dei gloriam: nescit namque augmentum gloria illa Dei, cùm sit ipse Deus. Gloria verò Dei connotatiuè accepta, est gratia Dei inhærens viatoribus, & beatitudo æterna afficiens comprehensores. Gratia Dei dicitur gloria inchoata à Theologis, imò absolutè dicitur gloria à Paulo Apostolo hoc versu: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Cùm itaque aliquis facit opus, vt inde fiat ei accessio gratiæ, profectò illud facinus egregium editum est ad maiorem Dei gloriam: nam meritum boni operis porrigitur ad gratiam in hoc æuo, & ad beatitudinem in futuro. Cùm ergo Christus ait, Dominum redeuntem à villa non habere gratiam seruo suo, à quo debita excepit obsequia, & nos etiam sortiri eundem exitum, quando omnia præcepta perfecimus, quia quod debuimus facere fecimus, gratia hîc notat peculiare augmentum gratiæ; vltra stipendium solitum dari illis, qui amore Domini sui perciti plura exhibent, quàm teneantur. Hi reuera sunt inutiles Deo quia non prætereunt normam singulis quibusque Christianis impositam de Decalogo obseruando, & hoc eorum obsequium non propagat gloriam Dei connotatiuè sumptam, id est, communis illa deuotio, quæ elucet in his, qui præcepta Dei tantùm obseruant, non eos apud alios homines sortitur effectus, quos parit vita eorum, qui sequaces sunt consiliorum Dei. Hi namque quasi vtiles Deo sunt, quia suo exemplo homines inclinant ad virtutum praxim, & sic aptiores efficiunt ad influxum gratiæ illius, quæ est gloria inchoata. Vnde quia plus præstiterunt illi serui, quàm fuerat eis expenso indicto impositum, Dominus eorum habet eis gratiam, id est, eos dignatur stipendio singulari, præter auctoramentum, de quo conuentum est cum eis qui præcepta Dei duntaxat seruant.

Gloria Dei duobus modis accipitur.

Rom. 3.

Luc. 17.

Seruum inutilem esse Deo quid sit.

Gloria Dei quomodo queat esse maior.

Quisquis igitur Deo miserante viuit ex præscripto consiliorum, ille Deo lucratur omnes animas quæ ipsius exemplo redeunt ad meliorem frugem: ideoque illis professoribus Euangelij non est iniunctum dicere se esse seruos inutiles, cùm plus egerint quam conuentum sit ex pacto obstringente omnes Christianos, quibus hoc tantùm est iugum impositum, vt scilicet morem gerant Decalogo. Fauet Ambrosius huic meæ sententiæ, sic versans illas voces, quibus inculcat Christus, eos esse seruos inutiles, qui nihil aliud præstant, quàm quod eis incumbit ex officio grauiter exhibere. Ita Ambrosius. *Hoc virgo non dicit, hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi reposita expectat præmia, sicut sanctus Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? non enim quasi inutilis seruus, quod debuit facere, fecisse se dicit; sed quasi vtilis Domino, qui commissa sibi talenta quæsitis multiplicauit vsuris, mercedem fidei, atque virtutis, benè sibi conscius meritorumque securus expectat.* Non igitur Christus solam hic iactantiam damnat, vt putat Bellarminus; sed ostendit, eos qui mandata Dei tantùm obseruant, non habere magnum gloriandi argumentum, quia nihil nisi commune aliis præstant, ideoque debere de se humiliter sentire, & non alta sapere, quasi aliquod heroïcum opus fortiter exantlarint. Illa siquidem Christi sententia: *Dicite, serui inutiles sumus.* Perinde sonat, ac cogitate vos esse exilis admodum meriti. Etenim vox Hebræa אמרו *imru*, significat, cogitate, quippe אמר *amar*, idem sonat, ac cogitare, seu dicere.

EX SS. PATRIBVS.

Ambr. l. de viduis.

Serui Deo vtiles qui sint.

Igitur malè hæretici vim faciunt, & insulsè in vota arietant intorquentes illum versum, cùm potiùs ille in gratiam votorum debeat vsurpari, ita vt sit is sensus eius. Si vultis vobis à Deo Domino aliquam mercedem singularem exhiberi, præter commune stipendium dari solitum illis, qui obseruant Decalogum, facite aliquid, quod non incumbat vobis ex præcepto, id est, vouete professionem consiliorum, quia tunc eritis vtiles Domino lucrantes animas, quæ cultioris vestræ vitæ specimine edito resipiscent. Dæmon videns hæreticos causâ cecidisse, & neminem sanæ mentis eorum errori subscribere, conduxit aliquos Catholicos hypocritas, compositos in habitum virtutis ementitæ. Hi scioli homines, inuiduli, delicatuli, & comptuli, vt facerent aliquod sibi nomen grande, Monachos aggressi sunt, editis famosis libellis, quibus detraxere votis, illi offundendo virus suæ pessimæ disciplinæ. Omnium argumentorum summa ad duo capita reducitur. Scilicet votum nihil adiicere merito actionis, quia meritum attenditur ex charitate. Alterum caput est, necessitatem & amorem non coire, ac proinde decurtari meritum operis editi ex voto, quia votum inducit necessitatem, cui ex diametro amor opponitur. O pectora opaca, viridi felle liuentia, & experta virus, cuius aspergine tentarunt concutere fundamina vitæ monasticæ, cuius meritum dum nequeunt assequi homines hypocritæ veste tenus pij, nobis triumphandi semina protulerunt.

Quomodo possimus dici vtiles Deo

Quomodo falsi Catholici insurgũt in vota religionis.

Ne conuiciis eorum vitia videar traducere, tacitis argumentis, accipe solutionem prioris instantiæ. Charitas est radix meriti: Ergo frustra adiicitur votum. Benè antecedens arguit, sed pessimè emergit consequentia, quæ talis esse debuit. Ergo vbi votum accesserit operi, fiet magna meritorum adiectio, quia voti emissio magnum importat amoris pondus: qualis enim amor, tale & donum, & ideo Christus amorem Dei erga mundum probauit, ex magnitudine doni. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quasi diceret, amorem infinitum colligi

Amor colligitur ex dono.

Votum consilij Euangelici amorem importat.

Ioan. 3.

colligi ex dono infinito. Idemque Dominus insinuare volens amorem Magdalenæ, parabolam proposuit eius qui plus amauit, quia plus donatū est, non quòd amarit, quia plus donatum est; sed quia plus donatum est ei, quia plus amauit: vt Magdalenæ remissa sunt peccata multa, quia dilexit multum; non autem dilexit multum, quia dimissa sunt ei peccata multa. Cùm ergo proprium sit amoris se totum deuouere ei, qui amatur, & seipsum quasi sibi ipsi adimere, vt cedat in ius hominis adamati, anima viuente plus vbi amat, quàm vbi animat; appendendus erit amor ad trutinam doni, vt quò locupletius erit donum, potior etiam amor appareat. At quis non videat, eum, qui se totum deuouit Deo, dare illi etiam libertatem aliter faciendi, cùm alter penes se integram facultatem retineat nubendi, etsi contineat ex simplici proposito castitatis: donat enim ille actum tantùm; at qui vouet, præstat eundem actum, & insuper facultatem Deo in æternum dicat. At ex Anselmo: ***Plus donat, qui arborem cum fructibus, quam qui solos fructus donat.***

Magdalenæ amor vnde colligitur.
Amori proprium est dare.
Voti donum est maximū.
Anselm. l. de simil. c. 84.

Rursus opus omne bonum eò gratius est Deo, quò ex pluribus & sanctioribus principiis enascitur. At continentia ex voto, duo habet principia, scilicet temperantiam, quæ est communis illi, qui continet absque voto, & præterea includit religionis actum, ad quem pertinet votum. Sed actus religionis est supernaturalis, ac proinde specialem dignitatem affingit continentiæ; quam votum nobilitat. Ita Augustinus. ***Nulla fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest: neque enim & ipsa quia virginitas est; sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur, ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vouet, ac seruat continentia pietatis.*** Eò etiam spectat examen amoris, cui Christus subiecit illum adolescentem, quem memini supra, cui hoc vnum deesse dixit, scilicet quòd penes se reconderet facultatem vtendi suis opibus ad arbitrium suum, cùm amoris Dei summa sit, eas abdicare, vt Deo expeditiùs animus obsequatur. Hoc igitur esto ratum, plura coïre amoris argumenta in actione edita ex voto, quàm in alia citra votum facta.

Votum quātæ sit dignitatis.
Votum est actus religionis.
Aug. de sancta virginitate c. 8.
Virginitas quare Deo grata.
Votum Deo factum, est magni amoris index.

Alia instantia, quæ concutit votum, petitur à necessitate. Aiunt enim illi hostes acerbi vitæ monasticæ, gratiam deperire illi actioni, cui necessitas hanc legem indicit, vt hoc modo fiat, & non secus: quia de ratione meriti est, vt actio liberè fiat non coactè. Multos dementauit hic discursus, si tamen fas est nuncupare discursum, illud delirium, quod imponit aliquam vim homini, iuxta voti sui indolem operanti. Tantùm enim abest vt coactè se habeat anima voti sui custos impigra, quinimò alacrius voto emisso facit illud idem, quod alij inscio voto faciunt, aut fingunt se facere. Hoc vt palàm fiat, est ratio necessitatis inquirenda. Necessitas opponitur libertati, ideoque triplex est necessitas, quia triplex est libertas. Prima necessitas est ex parte debiti, siue debitum oriatur ex præcepto, siue ex voto. Id enim dicimur liberè facere, quod non tenemur facere; id verò necessariò, quod tenemur. Necessitas illa nihil adimit merito, aut laudi actionis, imò plerumque adiicit, quia qui præstat opus, ad quod tenemur ex debito, ille facit opus iustitiæ. Vnde sancti, & iusti nuncupantur omnes, qui obseruant Dei mandata, licèt ex debito teneantur ad hæc. Itaque libertas ex parte debiti, non requiritur ad hoc vt opus sit sua laude dignum, nec necessitas illa ex parte debiti potest merita decurtare. Alioquin non peccaret homo cunctando reddere quod tenetur ex debito, quia necessitas, quæ tollit meritum, minuit & peccatum: Sed hoc falsum; ergo illud. Igitur esto præeunte voto quis teneatur ex debito reddere quod promisit, illa necessitas nihil detrahit operanti.

Quænam sit necessitas adiuncta voto.
Necessitas triplex.
Quot modis dicitur necessitas tot etiam dicitur libertas.
Quid sit libertas ex parte debiti.

Alia est necessitas ex parte naturalis determinationis voluntatis; tunc enim quis dicitur liberè operari, cùm versatur circa obiectum, in quo voluntas non est determinata ad vnum. Propriè hæc libertas pertinet ad liberum arbitrium, & ad vtrumque oppositorum porrigitur. Hæc libertas requiritur ad meritum & laudem boni operis, & hinc dicimus bestias non mereri, aut peccare, quia determinatæ sunt ad vnum, vtpotè expertes voluntatis, quæ est animæ potentia respiciens opposita. Hæc libertas stare potest cum necessitate ex parte debiti. Verbi gratiâ, voto emisso Monachus obstringitur necessitati ex parte debiti, sed non excidit libertate voluntatis: ea namque potest iuxta genium arbitrij sui, votum non reddere, & peccare. Ideoque cum audis, eum, qui vouit, non esse liberum post votum, nega de libertate liberi arbitrij, esto verum sit de libertate ex parte debiti, quæ non requiritur ad laudem virtutis exercitæ. Denique tertia necessitas est, quæ dicitur coactionis, siue ea sit absoluta coactio, vt cùm quis inuitus trahitur ad supplicium, siue sit moralis quædam & quasi conditionata coactio, vt cùm quis ægrè aliquid facit, quod quidem præstat, aliquo timore percitus. Profectò ista necessitas est iniuria bonitati virtutis emeritæ, quæ spontanea debet esse, & requirit in homine libertatem ex parte coactionis: nemo namque meretur laudem ex opere, quod inuitus facit, quia voluntarium, vnum est ex merendi principiis.

Quid sit libertas arbitrij.
Votum quālem libertatem seruet.
Quid sit libertas ex parte coactionis.

Nota, illam libertatem ex parte coactionis stare cum necessitate ex parte debiti, quia plerumque fit vt alacriùs homo Deo reddat vota sua: ea nimirum est natura voti, vt hominem magis faciat expeditum: cùm enim votum sit amoris opus, & amor sit aliger; ille vouenti suas alas affingit, vt expeditè decurrat stadium, quod sponte ingressus est: & quotidiano experimento liquet, eos qui sanctioris vitæ institutum professi sunt, præferre suo vultu tesseras hilaris animi, qui vota reddita consequitur. Ego eo argumento puer concepi propositum transuolandi ad Capucinos, quia esto decennis tantùm essem, cùm occurrerent homines illi nudipedes in media sæuiente bruma, barbâ impexâ, habitu austero, & ieiuniis assueti, admirabar tot corporis angustias & hilarem vultum coïre posse. Quia impubes ætas obstabat ne experirer vnde emergeret alacritas illa nitens in hoc viuendi schemate rigido, pubescente æuo adolenit hæc cupido dandi nomen meum illis hominibus, qui se totos dederant Deo. Ideoque statim vt per ætatem licuit inconsultis & inuitis parentibus, septemdecim circiter annos natus, professus sum hoc arduum vitæ genus, vbi Deo miserante degens à pluribus annis, immensa propè animi alacritate perfusus, occino illud Dauidicū melos: ***Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.*** Experior etenim quàm sit veridica fama innoxiæ iucunditatis, qua gestiunt veri & sinceri Capucini, germana

Alacritas est voti comes.
Votum facit homines expeditos.
Psal. 47.
Vota Deo reddita homines hilares efficiunt.

&

& legitima proles B. Francisci. Ideo vix mihi temperare queo, quin acriter inuehar in obtrectatores vitæ monasticæ, qui in vota desæuiunt vt in laqueos & compedes animarum. Quasi verò religiosi coactè reddant ea quæ vouerunt, sponte sua sese Domino consecrantes. Ne ergo impij susurrones in vota suis instantiis faciant fucos incautis hominibus, dum dicunt votum inducere necessitatem, & ea quæ necessariò fiunt carere debita venustate; seriò recolendæ sunt illæ tres necessitates antea prælibatæ: etenim præuiis his cautelis, itur obuiam blasphemiis, quas eructant illi ganeones & Sycophantæ, qui suspicantur se contemni, dum religiosis applauditur ab omnibus vsquequaque.

Quomodo diluantur obiectiones contra vota.

Hoc igitur esto antidotum veneni, quod aspergunt æmuli Monachorum, dum dicunt, necessitatem, quæ vota consequitur, innuere seruilem animum, & esse nobilius liberè obsequi quàm coactè. Hoc inquam pharmacum esto præsentissimum contra virus illud; scilicet vota emissa nullam imponere homini necessitatem, præter necessitatem debiti, quæ nihil detrahit encomiis boni operis, dummodo non habeat adiunctam necessitatem coactionis, qua quis inuito & renitente animo suis votis obsequitur. Verbi gratiâ, Tobias ille iunior ex debito morem gessit patri suo imperanti vt longum carperet iter ad Medorum oras; sed quia ad hanc necessitatem ex debito non accessit necessitas coactionis, sed alacri animo fecit quod debuit, ideò quàm maximè sacro Codice commendatur. Si ergo debitum non minuit laudem obsequij præstiti parentibus; ita neque debitum ex voto emergens detrahet merito operis, cui se homo alacri animo mancipauit. Vide igitur quomodo sint diluendæ instantiæ hominum inuidorum, quorum hæc est prior instantia. Illud Deo gratius est, quod fit liberius, vt ait Psaltes: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Ergo cùm votum necessariò reddi debeat, & libertas opponatur necessitati; ille, qui vouet bonum opus, est deterioris conditionis eo, qui sine vllo præuio voto tale præstat opus. Respondeo vt suprà, scilicet accedere ad votum necessitatem quidem ex debito, sed non inde sua libertate excidere hominem; namque libero adhuc arbitrio peccare potest, & sic non stare pollicitis. Rursus adest libertas illa, quæ attenditur ex parte coactionis: etenim non cogitur ille qui alacri animo votis suis morem gerit, vt profectò illud est omnium vt par est voventium ingenium, vota sua reddere iubilando. Huius sententiæ vades accipe Hebræos, quos meminit iste sacer textus. *Lætatus est populus, cùm vota sponte promitteret; quia toto corde offerebant ea Domino.* Quamuis etiam Dei mandata debitum dicant, cui omnes homines obstringuntur: illa tamen ratio debiti non obstat, quin iubilet & lætetur anima sequax mandatorum. Audi in eo themate voces tripudiantis hominis indices. *In via testimoniorum tuarum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Et rursus. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.*

Votum qualem necessitatem vehat.

Psal. 53.

Votum non adimit sed auget alacritatem animi. 1. Par. vltim.

Psal. 118.

Sed quia etiam vox illa debiti facessit negotium ignaris hominibus, quos eo nomine circumuenierunt æmuli nostri, operæpretium est tergere virus inde offusum votis. Itaque non eo inficias, votum inducere in animam vnam nouam necessitatem, quam antea nesciebat; sed dico, illam necessitatem magnos gratiarum prouentus homini adferre. Primò, vt præfatus sum, anima se sic ita deuinciens, amplioris amoris æstu percellitur, quia nihil excipit, dum facultatem & actum Deo dicat. Secundò perfectioris est virtutis argumentum, agere ex voluntate confirmata in bono, quàm agere sine ea firmitate, sicut est iniquius peccare animo ad malum obfirmato, quàm delinquere ex imbecillitate. Etenim vt qui animo tenaciter malo adhærente peccant, referunt indolem damnatorum, qui à sua nequitia nunquam resilient; ita qui virtuti iugem operam nauant, ex voluntate rata & fixa bono, illi sortem Beatorum ex hoc æuo pro viribus æmulantur, & sic emissione voti consulunt nutanti hominum indoli, quæ nescit sibi constare diù, nisi quibusdam nexibus obfirmetur. Sed reuera funes ceciderunt in præclaris, his omnibus, quos votorum laquei deuinxerunt: siquidem eo modo cauent nutanti hominum indoli, quæ, alternante naturâ vices omnes, nescit vllius propositi constantiam seruare diù. Sed vbi accesserit votum, fixa manet indoles illa labans, & armatur homo contra tentationes diaboli, & constantior factus, non resilit à bono incepto.

Voti necessitas felix est, & quot bona secum vehat.

Votum facit vt homo imitetur indolem beatorum qui constantes sunt in bono.

Denuò insurgunt aduersarij, dicentes, Paulum vocare vota laqueos, ac proinde illa damnare; nam laqueus insidias notat. Vbi enim Apostolus virginitatis encomia texuit, sic concludit: *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Respondeo, sensum verborum Pauli hunc esse: Suadeo continentiam; sed ea cautela tamen, vt neminem cogam eam vouere animo reluctante; huiusmodi enim vota, quæ fiunt ab inuitis, non seruantur, ac proinde sunt laquei, qui ad ruinam eorum, qui ægrè vouent, à dæmone prætenduntur. Nemo itaque temerè voueat, sed hi tantùm quibus Dominus inspirarit. Ecclesia afflata eodem Spiritu Sancto, quo percitus erat Apostolus, grauissimâ censurâ ferit parentes, qui inducunt filios suos in claustra inuitos, adigentes eos coactè vota emittere: talia namque vota sunt in ruinam & laqueum eorum, qui se ita Domino deuouerunt. Et hoc Salomon insinuat hoc contextu, *Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare.* Pro ruina vox Hebræa מוקש *mokesch* laqueum significat, à radice יקש *iakasch*, id est, illaqueare, vnde & deducitur nomen יקוש *iakusch*, id est, auceps. Et septuaginta interpretes probè callentes vim linguæ Hebrææ, dictioni huic substituerunt nomen hoc Græcum παγίς, quod laqueum significat. Neque tamen hallucinatus est Latinus interpres, qui vocem מוקש *mokesch*, ruinam vertit; finis namque seu intentum laquei, est lapsus siue ruina. Damnat ergo Paulus vota, quæ non vltro fiunt, sed coactè & ea vocat laqueos; at non carpit vota, quæ hilari animo fiunt, cùm Spiritus Sanctus ad hæc homines adhortetur hoc versu: *Vouete & reddite Domino Deo vestro.*

Vota non esse laqueos.

1. Cor. 7.

Vota non debent esse coacta.

Prou. 20.

Quãdo vota sint laquei.

Psal. 75.

Paulum intellexisse tantùm notare vota illa intempestiua, quæ animas cogunt, ait Augustinus, ita inducens Paulum loquentem: *Non vt laqueum vobis iniiciam, id est, non vt cogam vos.* Huic Sancto præierat Hieronymus, eo etiam modo versans locum illum Pauli. Sic ille: *Non imponit nobis Apostolus laqueum, nec cogit esse quod nolumus.* Iterum aduersarij, Pauli epistolis

Aug. lib. de bono viduitatis. c. 10. Hier. l. 1. in Iouin.

epistolis vtuntur vt pharetra, vnde tela educunt, vt ea fortiter intorqueant contra vota. Aiunt, Paulum hanc indixisse legem bonis operibus, vt fiant absque tristitia, & necessitate; Deum namque gaudere tantùm actibus editis animo hilari. Ecce oraculum. *Vnusquisque pro vt destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Inde inferunt nefarij homines, damnari vota, quia aliquam necessitatem vehunt. Respondeo, Paulum hîc agere de collectis, id est, de eleemosynis, quæ egenis Christianis fiebant ab aliis fidelibus. Has monet Apostolus non fieri debere animo inuito, & quasi coacto oculis spectatorum, vt faciunt illi, qui captant auram popularem; ac proinde locum illum non irrita facere vota monastica.

2. Cor. 9.

Bona opera non debent fieri coactè.

Maioris est momenti ista scientia Hieronymi. *Ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum: maiorisque gratiæ est, offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.* Inde dicunt aduersarij, Hieronymum damnare vota, quia res voto emisso facta iam imperatur, & non sponte tribuitur, & sic melius est non vouere, & liberè rem præstare sine necessitate ex debito. Respondeo, Hieronymum loqui de opere, quod exigitur ratione præcepti, & non de eo, quod petitur ex debito voti. Quod enim vouetur, liberè tribuitur, nullo cogente hominem ad vouendum, ideoque licèt vouerit anima, illa tamen dicitur sponte tribuere, quia nulla necessitate inducta est ad vouendum. In præceptis verò secus, animæ incumbit debitum, quod ab ea exigit obsequium longè minoris meriti, quàm sit votum obseruatum in eodem genere, quia tunc votum includit præceptum, & aliquid nobilius adiicit. Verbi gratiâ, non fornicari est præceptum, quod perfectiori modo obseruatur à vouente castitatem, quàm ab eo qui citra votum continet; & sic patet, Hieronymum non carpere votorum vsum, sed potius eum suo calculo commendare.

Hier. l. 1. in Iouin.

Votum quare sit maioris meriti quàm præceptum.

SENSVS ORTHODOXVS.

IMPETVS QVARTVS

In votum castitatis.

Aman Dynasta potens in Perside, volens perdere Mardochæum, tetendit insidias toti Iudæorum Genti, vt eius ruina Mardochæum concluderet. Sed malè cessit ei votum illud factum in perniciem Hebræorum: namque inde Deus argumentum cepit supplicij huius hominis homicidæ. Eâ industriâ tentarunt hæretici expungere votum castitatis, quo maximè cruciantur, quia principes eorum sycophantæ fuerunt apostatæ, & vitæ monasticæ perfidi desertores. Vt ergo famæ consulant hominum transfugarum, & alios post se abducant Monachos pertæsos suum institutum, hi causæ iniquæ pessimi patroni debacchantur in votum castitatis. Sed virtus illa Angelica est, vt simulacrum illud Palladis, cuius meminit Pausanias, dicens hanc virginis Palladis effigiem sub dio positam, nullo vnquam fuisse ictam calculo grandinis, licèt circumquaque grandine crepitante. Adiicit idem Pausanias, coruos vnguibus & rostro fuisse insectatos Palladis insigne; sed frustra, quia nullam inde iniuriam accepit hæc statua. Ita & castitas voto obfirmata, fuit scopus, in quem infideles & hæretici facto velut agmine collimarunt. Illibata tamen fuere vota emissa in gratiam intemeratæ virtutis huius, cuius odium fuit excidio impuris hominibus, sortitis exitum Aman, qui periit dum extrema omnia suo æmulo moliretur.

Quare hæretici impugnāt votum castitatis.

Pausan. in Atticis.

Palladis simulacrum sub dio positum grandine non tactum.

Palladis Imago non lædi potuit à coruis.

Quæ autem obtrectatores nostri spicula vibrarint, accipe. Priores pugiles in castitatem fuere Gentiles, exosi genus vitæ, sibi hoc pensum indicentis, vt æuum suum transigat corpore defæcato. Ethnici Philosophi nescij dignitatis, ad quam assurgit castitas perpetua, eam damnarunt, arbitrati latius esse propagari homines beneficio nuptiarum, quàm à Venere penitus abstinere. Ideoque Mercurius ille Trismegistus insurgit in eam virtutem, cui non vacat, vacare coniugio. Sic fatur: *Maxima in vita & piissima cura est prudentibus filiorum procreatio: & maximum infortunium & impietas sine filiis aliquem ex hominibus excedere, & pœnas iste dat post mortem dæmonibus.* Eâdem Mercurij disciplinâ tinctus Plato, sanxit castigandos homines, quibus licebat per ætatem nubere, si cunctarentur hoc subire iugum. Ecce delirium hominis, qui apud erroris sui conscios fecit sibi nomen. *Si quis in cælibe vita ad annum trigesimum quintum vsque perdurauerit, damnis, & mulcta quotannis plectitor: si de maxima censu est, drachmas centum: si de secundo, septuaginta: si de tertio, sexaginta: si de quarto, triginta. Si quis singulis annis mulctam non soluerit, decuplum debeto: omnino honorem nullum iuuenes ei debent.* His freta lex Papia, Romanos olim omnes adegit ad nuptias, ita vt ea lege nefas esset colere castitatem. Et Augustus abolere volens studium pudoris illibati, stipendia indixit nubentibus, & pœnam innuptis, vt meminit Dionysius.

Quare Gentiles sint exosi castitatem perpetuam.

Mercurius Trismeg. l. 9. qui sic inscribitur. Sermo vniuersalis.

Plato lib. 6. de leg. lex Papia.

Dion. l. 54. & 56.

Augustus cœlibes habuit inglorios.

Turpiùs errarunt hæretici, quibus Euangelij tenor insonuit: quippe adeò commendatur Christi encomiis castitas illa perpetua, vt lectione Euangelij leuiter tincti, meritum huius voti nequeant ignorare. Vnde impugnant agnitam veritatem, quod est extremæ nequitiæ. Sed vt quisque hostis sui acerbi voce concutitur; ita & his, qui à Christo defecerunt, hoc animo insedit, in eius omnia dogmata declamare. Transfugarum princeps fuit Nicolaus ille diaconus, Beati Stephani in officio consors, sed quem Venus adorata exortem fecit. Ille impar suæ libidinis incendio aiebat, quotidie in Venerem solui, esse viam vnicam ad salutem. O porcum dignum suo volutabro! In hunc Irenæus, Epiphanius, & Augustinus acriter inuehuntur. Nicolaitarum lacte suillo abundè potati sunt Gnostici, in adeò horrendam libidinem fracti, vt charta licèt alba erubescat illa referre turpia, quæ hi Veneris asseclæ perpetrabant. Hos etiam suo stylo confodit Epiphanius. Non longè ab illis fuit Eunomius, qui tædio Monachatus, bellum indixit virginitati, inducens virgines vt nuberent, affirmans coniugium multis titulis eminere. Hunc carpunt Hieronymus, & Augustinus. Vigilantius eò dementiæ prorupit, vt continentiam dixerit hæresim, & pudicitiam libidinis seminarium. Sed ille obtrectator idoneum censorem nactus est, scilicet Hieronymū, qui eum traduxit,

Blasphemiæ cuomitæ in votum castitatis.

Irenæus Epiphan. August. de Nicol.

De Gnosticis agit Epiph. hæres. 26.

Hier. ad c. 4. Osee. Aug. hæres. 54.

traduxit, sicut & Heluidium parum altè sentientem de virginitate. Eodem cacodæmone afflatus est Faustus Manichæus, qui professionem virginitatis dixit dæmonum disciplinam, vt meminit Augustinus, damnans illum hominem impudicum.

Hier. c. 1. in Vigilantium.

Idem contra Heluid. c. 10.

In hanc errorum colluuiem se immerserunt nostrates hæretici, vtpote conspurcati fœda aspergine hæreseos Lutheri, & Caluini, quos dæmon conduxit, vt Samson vulpes illas, quibus alligauit faces, vt perderent suo incendio segetes opimas Philistinorum. Namque hisce temporibus eo nomine deplorandis, multi apostatæ libidinis igne conflagrantes, sua sparserunt incendia, vt Monachi, qui sunt speciosi & vberes messis Christianæ manipuli, hisce luxuriæ facibus vrerentur. Non est mei instituti texere seriem blasphemiarum, quas in castitatem Monasticam euomuerunt illi lubrici Ecclesiæ desertores: sufficiet vnico textu notare insaniam Lutheri, qui cæteris peruium fecit iter ad interitum. Sic ille: *Decima facies Antichristi est insignis ille cælibatus, & castitatis monasticæ multitudo, planè Angelica facies, sed diabolica res.* O sordidum pecus! Ne autem gratis videantur agere hostes nostri, putant se arietare in nos validis argumentis. Hoc velitare prælium auspicantur ab hac Pauli oratione suada nuptiarum. Sic ille: *Qui non se continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri.* Ergo malum est ingerere hominibus votum castitatis, cùm hoc obstet, ne importuna incendia Veneris extinguantur. Respondeo, hoc textu coniugium præcipi tantùm illis, qui non se continent, & eo semper sunt animo fornicandi: Coniugium namque remedium est eorum luxuriæ. Illis autem, qui resistunt stimulis luxuriæ, Paulus non decernit nuptias: nam ipse validè tentatus stimulo carnis suæ, virgo fuit. Itaque hoc loco, vri, perinde est atque, fornicari, vt eodem capite liquet, vbi hæc Apostolus: *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat.* Malè ergo aduersarij explicant, vri, pro, tentari.

Luth. l. contra Ambr. Catharinum.

Quibusnam argumentis hæretici impugnent cælibatem.

1. Cor. 7.

Coniugium quibusnam præcipiatur à Paulo.

1. Timoth. 1.

Iterum obiiciunt illum locum Pauli: *Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam dare occasionem maledicti causa aduersario. Iam enim quædam abierunt post Satanam.* Ergo peccant, qui iuniores obstringunt voto castitatis, cui impar illa luxurians ætas illicitæ Veneri mancipatur. Respondeo, illum textum pertinere ad puellas, quæ illectæ sua libidine omnem pudorem abiecerant, ita vt Gentilibus ansam darent malè sentiendi de Christiana disciplina, cuius professores erant incurij castitatis. Non porrigi autem hoc præceptum ad puellas, quæ continere possunt, idem Apostolus liquidò significat, dum virgines adhortatur ad perseuerantiam in beato illo statu. Sic ille: *De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do.* Item ibidem virginitas ab eodem Apostolo maximè commendatur, dum ita consulit: *Volo omnes esse sicut meipsum.* Profectò non constaret sibi Paulus, si aliàs omnibus nubere præcepisset. Sensum autem dictionis esse de consensu in peccatum, & non de sensu libidinis, liquet ex Sanctis Patribus, equidem præferendis Luthero & Caluino.

Virginitatis assertor fuit Paulus.

1. Cor. 7.

In argumento luxuriæ, quid sit, vri.

Prior occurrit Chrysostomus, ita versans illum locum Pauli: *Volo iuniores nubere: Volo quæ ipsæ volunt, &c. An verò matrimonium præcipit? Absit. Sed neque prohibet, &c. Prohibet igitur ob huiusmodi viduas, atque deterret: non quòd adolescentulas esse viduas nolit, sed quòd adulteras fieri vetet.* Ita etiam commentatur Ambrosius versans locum illum, sic discurrens: *Non puto quòd iuniores reuocandas putauerit à viduitatis affectu, maximè cùm dixerit: Melius est nubere, quàm vri: nam vtique pro remedio nuptias suasit, vt peritura sanetur, non pro electione præscripsit, casta & continens quod sequatur.* Eò etiam spectant hæc Hieronymi verba: *Vult Apostolus alterum matrimonium, cùm ait: Volo iuniores nubere, præferens bigamiam fornicationi, secundùm indulgentiam duntaxat, non secundùm imperium.* Accedit Augustinus concinens aliis hoc discursu. *Quod dicit: Volo iuniores nubere, nuptiarum bonum Apostolica sobrietate, & auctoritate commendat: non procreandi officium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tamquam ad obsequelam legis imponit.* Rursus aduerte, illum Pauli locum non dirigi ad viduas, quæ vouerunt in posterum perpetuam castitatem; tentatio namque ingruens non dirimit votum. Fauet Ambrosius ita fatus: *Dicit aliquis, melius est nubere, quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro.* Ergo nequit anhelare ad alios hymenæos, quin adulterij crimen incurrat. Adest & Hieronymus propitius illi sententiæ, hoc suo suffragio. *Si nupserit virgo non peccauit: non illa virgo quæ semel Dei cultui dedicauit: harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit: virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ.*

Ex SS. Patribus.

Chrys. in 1. Tim. c. 5.

Ambr. in c. 5. 1. ad Tim.

Hier. epist. 11. ad Ageruchiam de monogamia.

Aug. l. de bono viduitatis cap. 8.

Ambr. ad virginem lapsam c. 5.

Votum castitatis impedit nuptias.

Hieron. l. 1. in Iouin.

In gratiam huius sententiæ, suum calculum adfert Augustinus, damnans viduas, quæ emisso voto continentiæ repetunt coniugium quasi licitum auctoritate Pauli dicentis, satius esse nubere, quàm vri. Sic ille: *Illis, qui se non continent, vtique expedit nubere; & quod licet expedit: quæ autem vouerint continentiam, non licet, nec expedit.* Et alibi rursus sibi constat, ista subdens: *Proinde quæ se non continent, nubant antequam Deo voueant, quod nisi reddant, iure damnantur.* In re controuersa potioris est momenti, Summi Pontificis oraculum, & præsertim Gregorij Magni, quem etiam hæretici suspiciunt & venerantur. En decretum. *Scriptum est: Melius est nubere, quàm vri: sine culpa quippe ad coniugium veniunt, si tamen necdum meliora vouerunt.* Malè ergo aduersarij vsurpant illum versum Pauli, quasi reprobantem vota, cùm suffragari queat tantùm hominibus, nullis votorum nexibus irretitis, vt constat concordi Patrum suffragio, cui & subscribit Chrysostomus, hoc discursu. *Viduæ omnino si voluerit, potestatem nubendi facit: at eam, quæ coniugi se in sequens tempus Deo consecrarit, si postea nupserit, vehementer accusat, vt quæ fidem Deo datam post fefellerit: non iis ergo, sed illis dixit, si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri.* Ille idem exponens hæc Pauli verba. *Si nupserit virgo, non peccauit.* Hanc veluti cautelam apponit.

Aug. l. 1 de adulterinis coniugiis c. 15.

Idem lib. de bono viduitatis c. 8.

Greg. par. 3. pastor. admonit. 28.

Chrys. lib. de virg. c. 39.

Idem hom. 19 in epist. 1. ad Corinth.

Non de ea, quæ sibi elegerit virginitatem loquitur; quippè quæ iam peccauit. Nullus itaque cauillandi locus relinquitur hæreticis, cùm tot & tanti Patres coëant vt vnanimi sensu damnent hæreticos, qui ex eo loco Pauli argumentum capiunt continentiæ votum penitus abolendi.

Aliud argumentum credunt Achillæum hæretici, validum ad continentiæ votum euertendum. Nimirum aiunt, neminem debere vouere id, quod non est sui iuris, verbi gratiâ, stultum esse vouere se fore Prophetam; ita etiam esse delirium vouere continentiam, cùm ea sit donum Dei singulare, vt & Prophetia, ac proinde institutas à Deo nuptias, quia rari sunt homines, quos Deus dignatur eo dono continentiæ. Prætendit speciem humilitatis illa instantia iniuria castitati: nullum tamen facessit negotium hæc obiectio, facilè diluenda. Respondeo igitur, verum esse antecedens, affirmans continentiam esse donum Dei; nempè pro eo effato militant multi textus, quos accipe. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Ita Salomon, cui anteponendus est Christus, adstruens continentiam supponere singularem Dei influxum: de ea namque sic loquitur: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, &c. Qui potest capere capiat.* Eadem propè clamat Christi præco Paulus, homines inducens ad virginitatem, ista parænesi. *Volo omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: vnus sic, alius autem sic.* Sed esto verum sit, continentiam esse Dei donum; non desinit esse falsum consequens, scilicet, eam non esse materiam voti, quia non est in animæ potestate. Mentitur enim hæreticus, & facit fucos imprudentibus, asseuerans hominem non posse continere, quia continentia est Dei donum.

Continentia est donum Dei.

Sapient. 8.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

Sic sophisticum illud dilues argumentum. Dona Dei sunt in duplici differentia. Nempe alia sunt, quæ influunt in nos insciis nobis, & nulla comite operatione nostra, vt gratia prophetandi, pulchritudo, sanitas, robur. De illis donis nullum conceditur emitti votum, quia nemo assurgere potest ad has dotes. Alia sunt dona sita in auxilio Dei, citra quod non hoc faceremus, quod præstamus adiuti eius gratia cœlitus influente, vt sunt, credere, amare, sperare, perseuerare, patienter se habere in ærumnis. Hæc inquam sunt Dei dona, quorum nemo fiet vnquam compos, nisi eum Deus præueniat excitando, adiuuet dirigendo, protegendo, & cooperando. Non tamen Deus influendo cogit hominem, vt annuat illis donis, sed est in potestate hominis ea refellendi. Rursus, quamuis homo præeunte tantùm auxilio Dei possit aliquod bonum opus exerere; spectato tamen auxilio Dei, quo dignantur omnes homines, instructi gratia sufficiente, homo dicitur posse credere, sperare, amare, continere; gratia namque sufficiens data est, saltem vt possimus facere quod debemus, alioquin non peccarent infideles, qui non credunt, & luxuriantes effusi in Venerem, quia causari possent, sibi esse dona continentiæ & fidei denegata. Cùm ergo nemini Deus detrahat gratiam, si vt par est se accingat; in cuiusque potestate situm est continere, si pro viribus à Deo influente datis, velit hoc bonum opus impigrè profiteri.

Dona Dei sunt duplicis generis. Quomodo continentia sit in potestate hominum.

Igitur sic diluo textus oppositos, vt dicam, [illegible]

teros, & alios luxuriantes vitio suo effecisse vt careant illo dono, quod tamen adhuc est in eorum potestate, si reduces Deo litent, conuersi ad meliorem frugem, vt quotidiano liquet experimento iuniorum hominum, qui ex sæculo transuolant ad claustra, castra Dei, vbi profitentur æternam continentiam, licèt antea intestinis luxuriæ facibus vrerentur: Quippe gratia sufficiens transit in efficacem, si ei non desit homo obicem ponens, negligendo Deum congruè demereri. Præuiis his cautelis de gratia sufficiente, potest homo iustam spem concipere de sua constantia in obseruando voto continentiæ. Dicente igitur Christo, omnes non capere verbum istud continentiæ deuouendæ, sed eos tantùm, quibus datum est; intellige eos, qui non capiunt, noluisse capere, resistendo scilicet gratiæ sufficienti, non eam excolendo, & Deum eius obsequio deprecando, vt gratiæ huic incrementum daret. De aliis, qui capiunt verbum istud, puta eos morem gessisse auxilio Dei prouocantis ad agonem illum, quo sedatur sordida impetigo Veneris æstuantis. Hæc explicatio stabilitur auctoritate Patrum, in quibus Hieronymus ita fatur: *His datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur.* Facilis nempè Deo transitus est à gratia sufficiente ad efficacem, si anima se vt decet aptarit. Consonant & Gregorij Nazianzeni hæc verba: *Cùm audis, quibus datum est; adde datum esse iis, qui volunt, & assentiuntur.*

Quibus non detur continentiæ donum.

Continentiæ donum quibus detur.

Hier. in c. 19. Matth.

Greg. Naz. oratione 31. in cap. 19. Matth.

Præeunte igitur gratia Dei potest homo continere, alioquin frustra Dominus ad votũ continentiæ homines inuitasset. Concinit Ambrosius, hoc tenore. *Scit creator hominum, affectum esse varios singulorum, & ideo præmiis virtutem prouocauit, non infirmitatem vinculis alligauit.* Argumentum hoc Theologicum eruditè soluit Chrysostomus, appositè ad præfata. Sic ille: *His datum est, qui sponte eligunt id, quod ideo dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio opus esse, quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac lucta euadere superiores.* Esse in potestate nostra votum continentiæ liquidò etiam innuit Augustinus Deum sic compellans: *Vtique dares continentiam, si gemitu interno pulsarem aures tuas.* Omnia equidem vota nequeunt adimpleri sine Dei dono; nec tamen vllus inficiatur esse fas vouere, quasi superbiam arguat emissio voti, vtpotè præsumens habere donum, quod à liberali manu Dei pendet. Audiendus iterum Augustinus decurrens hanc aleam. Sic ille: *Ipse David vouit tamquam in potestate habens, & rogat Deum vt impleat quod vouit: est deuotio vouentis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat suis viribus reddere quod vouit. Qui te hortatur vt voueas, ipse adiuuat vt reddas.* Non sunt in hoc argumento despiciendi Tertullianus & Origenes, etsi aliàs malè audierint. Ita Tertullianus: *Elige quod bonum est; si non potes quia est, non vis, posse enim si velis, ostendit, quia tuo arbitrio vtrumque reliquit.* Idem ferè Origenes ait, sic consulens: *Qui vult capere verbum, quod de castitate positum est, petat, credens dicenti, & accipiet non dubitans de illo, quo dictum est: Omnis qui petit, accipit.*

Ambrosius l. de viduis. Gratia præstò petentibus.

Aug. l. 6. conf. c. 11.

Idem in Psal. 137.

Tertull. lib. de monogamia prope finem. Castitas datur petentibus.

Quia

Iudic. 9.

Quia Scriptura sacra non militat hæreticis, confugiunt ad ratiunculas, imitantes Abimelech hominem spurium & fratricidam, qui frustra oppugnata turre Sichem, admota strue lignorum, igne & fumo perdidit mille homines ibi conclusos, viros æquè ac mulieres. Ita & obsceni susurrones dum impugnant castitatem, vbi aduertunt Scripturam sacram non fauere suo spurcissimo intento, cogitant aliam armaturam petitam à sensibus, vtpotè idoneam ad flammas Veneris excitandas. Struunt igitur argumenta merè carnalia, & congrua suo ingenio in Venerem fracto. Dicunt Deum frustra instituisse distinctionem sexuum, & singulis quibusque hominibus inseruisse propensionem ad generandum, quæ vsque adeò bona & laudabilis est, vt homine stante in iustitia originali, ea propensio viguisset, vt medium institutum ad propagandum genus humanum. Ideoque malam esse continentiam, quia pugnat contra laudabilem inclinationem. Respondeo primò, ad sexuum distinctionem, quam meminere Iouinianus, Lutherus, & Erasmus, non fieri irritam ratione voti continentiæ: quia res instituta ad bonum speciei, non est frustra, sed vtiliter edita, si aliqua indiuidua ea vtantur ad conseruationem speciei, verbi gratiâ, poma emergunt cum acinis suis, quibus tamen rarò vtuntur homines, ad seminanda poma: nemo tamen dixerit, frustra semen hoc concludi pomorum ergastulis, quia omnium pomorum acini non seruntur: sufficit enim aliquando semen hoc mandari terræ, & sic paucula poma suis acinis opportunè satis consulunt speciei, & faciunt, ne frustra semen hoc sit à rerum omnium Domino procreatum. Ita licèt omnes homines haudquaquam vacent generationi, ad quam pertinet illa discretio sexuum instituta ad sartam tectamque speciem ætati posteræ commendandam: non idcircò tamen perperam erunt illi sexus, quia plures sunt, qui conuolant ad nuptias, quàm qui voueant castitatem; si quidem status continentiæ rarior, quia difficilior. Neque hinc metuendum est mundo, quasi perituro, si omnes voueant: alia namque fata manent mundum, cuius libido fortè hoc meruit, vt sit generali incendio periturus.

Carnalis hæreticorũ instantia.
Hier. lib. 1. in Iou.
Luth. serm. de matrim.
Erasmus in encomio matrim.

Continentiæ status quare sit rarus.

Hier lib. 1. in Iouin.

Non fore hinc periculum mundo, bellè aiunt Patres, in quibus Hieronymus Iouinianum sic refellit. *Dices: Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum? Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Difficilis est res virginitas, & ideo rara, quia difficilis.* Reuera esset vtilius mundo desinere, vigente voto continentiæ, quàm stare grassante flamma vindice, ignis illius infernalis, qui à Venere accensus depascitur animas imprudentes. Hieronymo etiam concinit Augustinus, subsannans illos, qui insurgunt in continentiæ votum. Sic ille: *Noui quosdam, qui murmurant: Quid si omnes velint ab omni concubitu abstinere, vnde subsistet genus humanum? vtinam omnes hoc vellent. Multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi.* Sic amputatur vnum caput bicipitis instantiæ. Aliud hoc caput est, bonam esse propensionem illam, qua quisque inclinat ad propagandam speciem; ac proinde non debere impediri voto continentiæ. Multum laborat Bellarminus in diluendo illo argumento; sed quia eius solutio est implexa aliis instantiis, & multas secum vehit ambages, tacitam prætereo, aliamque de proprio penu subiicio, quam accipe.

Aug. lib. de bono coniugali cap. 10.

Vnum quodque inclinat ad perpetuitatem sui esse, quod cùm nequeat homo sortiri in suo indiuiduo corruptioni obnoxio, ad generationem inclinat, arbitratus se victurum in filiis: sitque ita, vt maior sit inclinatio hominis ad se efficiendum perpetuum; quàm ad nuptias ineundas, quia intensior amor est finis, quàm mediorum. Si ergo homo aliunde suæ potest perpetuitati consulere, quàm nubendo; profectò ille eligendo hoc medium vtilius generatione, non facit contra bonam naturæ propensionem, si à Venere abstineat, vt aptiore medio nanciscatur finem illum, ad quem carnis stimulus inclinabat. Cùm ergo votum continentiæ Deo sacræ magis ad salutem conducat, quàm nuptiæ, & beatitudo dignetur animas & corpora statu perpetuo; is qui vouet non facit contra propensionem naturalem, qua quisque immortalitatem aucupatur, sed potius consulit illi, præferendo media aptiora minùs idoneis: namque coniugium replet terram, continentia verò cœlum. At satius est fore perpetuum in cœlo beneficio continentiæ, quàm pauculis annis viuere in filiis suis. Vtque allato exemplo liquidior fiat mea distinctio. Detur homo impastus, & stimulante fame anhelans in cibos, admoueatur mensæ instructæ cibis communibus, videlicet carne bubula, & pane pingui. Si ab hac mensa eum prouoces ad aliam lautiorem, profectò si ieiunus surgat à priori ferculo, vt opiparè excipiatur in aliis epulis, non facit contra naturalem inclinationem, qua auidè ferebatur in carnes bubulas idoneas quidem ad sedandam famem, sed non adeò consonas, vt phasiani, & perdices, quibus constant epulæ, ad quas postmodum inuitatur. Esto nuptiarum propensio conducat ad faciendos homines aliquali modo perpetuos, corpore saltem tenus; continentia tamen medium aptius est, maioresque illecebras secum vehit: quippe deliciæ nuptiarum corporales sunt nobisque communes cum pecude; at voluptas animæ, quam parturit continentia, nos euehit ad sortem Angelorum.

Nuptiæ quare institutæ.

Continentia salutẽ animæ confert.

Quomodo votum continentiæ nõ sit contra naturalem propensionem.

Rursus ille non facit contra propensionem naturæ, quia relicto minori bono, aliud melius amplectitur, quo potiri nequit, nisi priori penitus abdicato. Ergo cùm continentia Deo sacra, multis gratiarum dotibus hominem afficiat, ideoque præstet coniugio, ille rationis ductum sequitur, qui coniugij bonũ postponit alteri bono potiori, scilicet continentiæ. Hoc vsque adeò verum est, vt Casimirus Rege Poloniæ patre satus, adolescens virginitatis amantissimus, mori maluerit, quàm nubere, vt medici suadebant, ita curaturi morbum, quem castitas induxerat. Et tantùm abest, vt peccarit adolescens propositi sui tenax, vt contrà elatus hoc specioso funere castitatis, claruerit miraculis, vt auctor est Cromerus: ideoque relatus in numerum Sanctorum. Facessant itaque omnes spurcissimi Veneris asseclæ, cum suis argumentis prouocantibus homines ad suam illam obscœnam colluuiem luxuriæ, cuius aspergine conspurcantur, suum fœdum ingenium prætexentes nomine coniugij; quasi verò queant apostatæ conuolare ad legitimum torum, voto continentiæ emisso. Sed heu esto delirent homines hi blasphemi; Monachos tamen & Moniales aliquot hoc suo luxuriæ incendio perdiderunt.

Martin. Cromerus l. 29. de rebus Polonic.

Casimirus Princeps vitam postponit continentiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

Quam sit eminens & vtilis Status continentiæ.

Ex SS. Patribvs, Et ex Variis Historiis.

Iusti non iisdem argumentis capiuntur ac reprobi.

FOrtuna in perpetuos acta gyros, ludit in humanis alternando vices, ita vt quandoque lethale sit illud idem quod fuit antea salutare. Hoc iocantis fortunæ ludibrium expertus est ille Abimelech, quem mox recensui. Homo ille perduellis, & iniquis artibus factus Hebræorum caput, audita defectione turris Sichem, eam oppugnauit, vti præfatus sum, scilicet ignem admouendo foribus. Sed ei funesta fuit eadem industria in vrbe Thebe: illuc enim aduolans, vt oppugnaret turrim munitissimam, cùm subiiciebat ignem portæ, mulier desuper illisit saxum capiti eius, quo vulnere grauiter sauciatus, mori voluit ense armigeri sui, ne diceretur occisus à fœmina. Ita hæretici admouere faces libidinis monasteriorum portis, debacchantes in vota continentiæ; eo grassante incendio aliquæ animæ conflagrarunt. Sed dum gliscente nequitiâ hæretici sua spargere longius latiusque voluerunt incendia, turpiter explosi sunt, non à fœminis tantùm matronis viduis, cælibem vitam agentibus, sed & à tenellis etiam virginibus puellis, quæ propositi sui tenaces impigræ, damnant homines hæreticos, affirmantes continentiam esse suprà hominum vires, ac proinde temerarium esse huic se statui arduo deuouere. Profectò lubrica hæc capita conquassantur eo animo masculo puellarum, quæ suo exemplo probant, sexum muliebrem in puellis virginibus præstare masculino in viris apostatis, violantibus votum castitatis. Ne hæretici hoc tantùm luxuriæ vulnus videantur accepisse, conquirunt etiam aliorum vitiorum plagas ne credantur periisse gladio fœminarum. Et reuera bifariam fœminas habent hostes. Primo namque religiosæ omnes damnant libidinem eorum, constantes sibi in proposito castitatis. Rursus aliæ mulieres impudicæ, quarum consuetudine vtuntur, animas eorum ancipiti gladio confodiunt, vtpotè peccati mortalis plaga horrenda animas & corpora sauciantes.

Iudic. 9.

Puellæ virgines suo exemplo damnant luxuriam hæreticorum.

Votum continentiæ probatur ex Scriptura.

Itaque imprudenter agunt obtrectatores continentiæ, quæ tot patronos habet, atque defensores, in quibus Scriptura sacra primas tenet, vbi Deus ipse præconem agit continentiæ hoc contextu. *Non dicat Eunuchus: Ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & seruauerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, à filiis, & filiabus, nomen æternum dabo eis, quod non peribit.* Hic agi de continentibus voluntariis constans est sanctiorum Patrum sententia, & præsertim Hieronymi, Cyrilli, Augustini, Basilij, Ambrosij, & Gregorij, quibus adhærere præstat quàm transfugis hæreticis, qui in eo versu subodorantes continentiæ suauem odorem, malè eo afficiuntur, more scarabeorum, quibus est rosa lethalis, licèt afflet suauiter. Itaque volunt hæretici referri textum illum ad veros eunuchos, qui humanis artibus abscissi sunt, ita vt Deus in solatium dispendij accepti polliceatur eis aliquod stipendium, velut auctoramentum patientiæ. Sed conuincuntur ipsissimis verbis, quæ singulariter notant hos eunuchos elegisse quod Deus voluit, & seruasse fœdus initum cum Deo; at abscissi non elegere hanc sortem: sed inuiti passi sunt illam iniuriam, quæ ideo compensari nequit gloriâ æternâ, quæ est tantùm stipendium egregiorum operum, quæ sponte & fortiter exantlamus, vt est votum continentiæ vitæ monasticæ, cuius professores sunt eunuchi illi, ad quos pertinet hoc Dei effatum: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius, à filiis, & filiabus, nomen æternum dabo eis, quod non peribit.*

Isai. 56.

Hier. & Cyrillus in Isa. 56.
Aug. l. de sancta virg. c. 8.
Basil. lib. de vera virg.
Ambr. exhortat. ad virgin.
Greg. 3. parte Pastoral. cap. 29.

Eunuchi Euangelij quinam sint. Isai. 56.

Quia textus ille continentiæ valde propitius est, & eam maximè commendat ex præmio; hæretici fatentur quidem esse vtile continere, quia coniugium multas facessit angustias: sed aiunt illam vtilitatem esse temporalem, & non pertinere ad salutem æternam. Hoc commentum excogitarunt homines illi nequam, ne cogerentur admittere, continentiam esse meritoriam vitæ æternæ, vt distinctè sonant verba illa, quibus promittitur eunuchis Euangelij nomen æternum. Diceres Augustinum velutí præscium nostrates hæreticos impugnasse hac censura. *Quid tergiuersaris impia cæcitas? quid temporalem tantummodo vtilitatem promittis continentibus Sanctis? Nomen æternum dabo eis. Et si fortè hîc ipsum æternum pro diuturno conaris accipere; accumulo, inculco, nec vnquam deerit. Quid quæris amplius? quid dicis amplius? æternum illud nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod vtique gloriam quamdam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo constitutis. Nam ideo fortasse & nomen dictum est, quòd eos quibus datur distinguat à cæteris.* Itaque delirium est dicere, momentanea tantùm esse stipendia castitatis.

Continentia meritoria vitæ æternæ cum est Deo sacra.

Aug. l. de sancta virg. c. 25.

Continentiæ encomia.

Brauium æternum decerni eunuchis Euangelij, quos Isaias indigitat, Christus ipse congruus interpres Scripturæ sacræ ait hoc oraculo. *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Textu hoc designari continentiam voto obsignatam, canit omnium Patrum chorus, è quo suaue melos istud edit Clemens Alexandrinus, quem doctissimum hominum vocat Hieronymus, ducentis ferè annis eo posterior. Sic ille: *Nos propter dilectionem in Dominum, & propter ipsum honestum, amplectimur continentiam, templum Spiritus sanctificantes. Honestum est enim propter regnum cælorum seipsum castrare ab omni cupiditate, & emendare conscientiam à mortuis operibus, ad seruiendum Deo viuenti.* Quàm arcta sit continentium & Dei societas, Athanasius paucis explicat ita fatus: *A quo tempore statuisti Deo casta esse; corpus tuum sanctificatum, & Templum Dei est, &c. Magna virtus continentia, ingens gloriatio, puritas, magna encomia virginis. O virginitas opulentia indeficiens! ô virginitas, corona immarcessibilis! ô virginitas, Templum Dei, & domicilium Sancti Spiritus! ô virginitas, margarita speciosa, vulgo inconspicua, & quæ non nisi à paucis inuenitur! ô continentia, amica Dei, & à Sanctis deprædicata! ô continentia, apud multos odiosa, sed apud dignos spectata! ô continentia, mortem & infernum profligans, & quæ ab immortalitate possidetur! ô continentia, gaudium*

Matth. 19.
Encomia castitatis.
Ex SS. Patribvs.
Clemens Alex. lib. 3. stromatum.

Athan. lib. de virg. seu de medit.

Continentia facit homines Templú Dei.

Continentiæ tituli singulares.

dium Prophetarum, & Apostolorum gloriatio! ô continentia, Angelorum vita, & Sanctorum corona! Beatus est qui te tenet: beatus qui obdurat in tolerantia, quoniam pauxillulum fatigatus multum in te gaudebit. Hactenus Athanasius.

Nonne igitur blasphemi sunt hæretici, Moniales hortantes ad nuptias, dicentes eas præstare continentiæ? nonne hoc est eas inducere ad adulterium, cùm præuio voto castitatis sint Christo Domino desponsatæ, vt opportunè probat Basilius ille Magnus, ita monens: *Non se fallat, qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexerit. Coniugium quippe illis in peccatum reputabitur. Primum quidem, quia pessimum coniunctionis huius fundamentum voluptatem fecit, præuaricationisque malum: deinde quia causa non est libera: neque enim est mortuus vir eius, vt eis velit nubat: viuente immortali viro, meritò censetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini thalamis intulit.* Vtinam aduerterent apostatæ Præsulis huius effatum singulare, notans sacrilega eorum coniugia. Redeat oratio ad illa Patrum encomia, quibus continentia transcendit sidera. Sic Basilius: *Virginitas vitam nostram de corruptione ad sanctitatis gloriam colligit, &c. Praeoccuparunt virtutis opere virgines, quod in regeneratione per eam corporum mutationem, quæ in resurrectione continget, in ipsis Dei virtute perficiendum est. Hi enim Angelorum instar, neque nubunt; neque nubentur, verùm & virtute animæ, & corporis integritate Angelis æquales sunt, &c. Nusquam Dominus virginitatem inter Veteris vel Noui Testamenti mandata cônstituit. Voluit quippe eximia virtutis meritum non iussionis necessitati obnoxium fieri, sed egregij ac singularis animi specimen, atque indicium esse, dum sponte sua nulla imperij necessitate cogente, quod mandata omnia excellit, & supra humana naturæ modum est, desiderio affectuque virtutis efficeret. Coniugium quippe naturale est, etiam lex conuenientia naturæ disponit. Virginitas verò supergressa naturam, legis vinculis non tenetur astricta, quæ interruptionis excellentem virtutem Creatori & auctori legis iure pretiosi muneris offert. Quocirca quoniam integerrima hæc castitas pretiosissima omnium est, maximaque possessio; his qui eam fuerint adepti, reposita sunt gloriosissima præmia.* Hæc ille appositè ad nostrum institutum, de merito castitatis.

Eò etiam virginitatem euehit Chrysostomus, vt cùm nihil in terra nactus sit adæquandum, è cœlo petierit typos congruos, vt hinc beatum illum statum dignè commendaret. Ita fatur ille Deo afflatus: *Virginitas tantò nuptiis præstat, quantò cælum terra, quantò hominibus Angeli antecellunt, ac si quid præterea audendum est, etiā magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque vxorem ducunt, non etiam carne & sanguine coagmentati sunt, in terris præterea non commorantur, non cupiditatum aut libidinum perturbationibus sunt obnoxij.* Ille decurrens eamdem aleam alibi sic pergit: *Humanum genus cùm natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi studioque contendit, vt, quò ad eius fieri potest, illas assequatur. Quomodo? Non nubunt Angeli, neque vxorem ducunt: at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inseruiunt; & istud ipsum virgo. Quamobrem Paulus ab omnibus curis eas auocat, vt attentè & assiduè Deo seruire, neque vlla inde re distrahi possint, &c. Videsne virginitatis præstantiam? Quomodo terrarum incolas sic afficiat, vt iisdem illis quibus celites muneribus perfungantur, & qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet, & homines ipsos æmulos studij efficiat Angelorum.* Ita Chrysostomus, quo pluribus annis superior Cyprianus multus est in virginitate laudibus efferenda.

Audiendus ille sic fatus: *Virginitas æquat se Angelis: si verò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud est, quàm futuræ vitæ gloriosa meditatio. Virginitas neutrius sexus est: virginitas est perseuerans infantia: virginitas est voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, sed quod plus est, filiorum contemptum habet: non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem: felix quod est extra partus dolorem: felicior autem, quòd est extra funerum filiorum calamitatem. Virginitas quid aliud est, quàm soluta libertas? maritum non habet dominum: virginitas affectionibus omnibus soluta est. Non matrimoniis est dicata, non seculo, non liberis.* Coæuus Cypriani Zeno Veronensis, paucis mirificè ornat hanc virtutem. Ecce eius breuiloquium. *Elige quod velis, remedium, an sanitatem. Denique si videtur, conferamus, quæ sit inter virginem nuptamque discretio. Nupta cogitat quemadmodum placeat marito: virgo quomodo placeat Deo. Hæc ex contrariis ornamentis ornatur: longè illa ornatior, aliunde quia nescit ornari.*

Profectò si in naturæ foro esset dirimenda lis virginitatis contra sortem coniugij, indubiè coniugium causâ caderet: quia natura facit homines primò virgines, quorum status dicitur integritas. Libido verò sollicitat ad nuptias, vnde corruptela. Fauet Ambrosius hoc discursu. *Prius est, quòd nati sumus, quàm quòd effecti, multoque præstantius diuini operis mysterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona vxor, sed melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo: Qui iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit. Hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi. Illa coniugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas successionis humanæ: sed melior virginitas, per quam regni cælestis hæreditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit.* Rursus ille lepidè texuit istas antitheses vtriusque status, mulierum scilicet & virginum. Sic bellè. *Iactet licèt fœcundo se mulier nobilis partu: quò plures generauerit, plus laborat. Numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit & plorat. Qualia sunt vota quæ flentur? Audistis parentes, quibus erudire virtutibus, quibus instruere disciplinis filias debeatis, vt habere possitis, quarum meritis vestra delicta redimantur. Virgo, Dei donum est, munus parentum, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis diuina placatur.*

Congruè nuncupat virgines hostias, vt & Hieronymus holocausta, quia virginitas corpus & animam Deo consecrat. Ita Hieronymus. *Mihi illi*

Marginalia (left): *Basil. lib. de vera virg. paulò post principium.* — Quare non potuit nubere virgo. — Continentia facit animas Dei sponsas. — *Basil. vbi suprà.* — Virginitas homines facit Angelorum consortes. — Virginitas, quare à Deo non præcepta. — Virginitatis dignitas est cœlestis. — *Chrys. l. de virg. cap. 11.* — *Idem Eodem lib. cap. 12.* — Virginitas animas cœlestes facit.

Marginalia (right): *Cypr. ser. de discipl. & bono pudicitiæ.* — Virginitas homines Angelis anteponit. — Virginitas longè præstantior est coniugio. — *Ambrosius epist. 81.* — Virgines non natura facit. — *Idem l. 1. de virginibus.* — Virginitatis & coniugij antitheses. — Virgines sunt holocausta. — *Hieronym. lib. 1. contra Iouin. cap. 7.*

illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas: libenter illos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, & ob Dei cultum noluerunt esse quod nati sunt. Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & iuxta Apostolum, esse sanctum corpore, & spiritu. Non est prætereundus Augustinus in eo puritatis negotio. Sic ille: *Virginalis integritas, & per piam continentiam, ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate: fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium: pudicitiam coniugalem non habet cœlum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in communi illa immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne.* Hunc suauem Patrum chorum claudet Sanctus Ephræm antiquior Augustino, qui luculentum castitatis encomium texit, quod quia locuples est, & opera Sancti huius non teruntur manibus omnium, arbitror esse è re mea recensere textum illum & si fusiorem in gratiam castitatis, vt inde resilant hæretici, castitatem, quam impensè colit vita monastica, non esse somnium Monachorum, quibus impastis libido nequit facessere negotium: sed inde agnoscant, nos hodie eisdem insistere vestigiis, quibus Sancti priscæ Ecclesiæ æterna stipendia meruerunt. Itaque accipe quanti fecerit castitatem Sanctus Ephræmus, vir magni nominis illo æuo.

Aug. lib. de sancta virginitate c. 13.

Virginitas est status Angelicus.

Ephræmi serm. de castitate.

Sic ille: *O castitas, cui abominationi sunt deliciæ, venustas corporis, & ornatus vestium! ô castitas, dapibus & epulis inimica! ô castitas, oculorum frænum, quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfers! ô castitas, quæ carnem castigas, & in structuram redigis, ac cœlestia velocissimè penetras! ô castitas, mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio! ô castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilarique aspectu! ô castitas, quæ homines Angelis similes reddis! ô castitas, quæ Dei amicum ita exaltasti in patria æterna, vt & eos, qui emerant ipsum, redimeret! ô castitas, donum Dei benignitatis, disciplinæ, cognitionis, atque scientiæ plena! ô castitas, portus tranquillus, in summa pace ac securitate constitutus! ô castitas, cœlestis prædicatio, & sancta prudentia! ô castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animæ ad cœlestia alas adiungis! ô castitas, quæ spiritale gaudium paris, & mærorem aufers! ô castitas, quæ malum odio habes, & bono adhæres! ô castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas! ô castitas, quæ iustos illuminas, & diabolo tenebras offundis, celerique cursu ad brauium supernæ vocationis in Christo contendis! ô castitas, quæ pigritiam depellis, & patientiam adfers! ô castitas, onus leue, quod in aquis non submergitur, æternaque diuitiæ in anima hominis Christum amantis recondita, quas qui possederit in tempore necessitatis inueniet! ô castitas, pulchra possessio, quæ à feris non vastatur, & ab igne non comburitur! ô castitas, quæ in manibus haud pœnitendas contines diuitias, desidiamque fugas! ô castitas, currus spiritualis, possessorem suum in sublime euehens! ô castitas, quæ in mansuetorum & humilium animis habitas, hominesque diuites efficis! ô castitas, quæ rosæ instar in medio animæ & corporis flores vniuersamque domum odoris fragrantia reples! ô castitas, præcursor atque cohabitator Spiritus sancti! ô castitas, quæ Deum placas, eiusque promissa perfers, & apud quoscumque homines gratiam inuenis! Hanc Sancti cuncti amarunt. Hanc Sanctus Ioannes Euangelista amplexus est, amplectendoque super pectus Domini gloria recumbere meruit, &c.*

Castitas quid sit.

Varij & luculenti effectus castitatis.

Castitatis ingenium quale.

His celeberrimis elogiis accedunt historiæ Ecclesiæ primitiuæ, vbi frequens erat emissio voti castitatis, vt testatur Tertullianus ita fatus: *Sorores nostræ, quarum nomina penes Dominum, nulla forma vel ætatis occasione pressa maritis sanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere. Deo speciosæ, Deo sunt puellæ, cum illo viuunt, cum illo sermocinantur, illum diebus & noctibus tractant, orationes suas velut dotes Domino assignant: ab eodem velut dignationem munera maritalia quotiescumque desiderant consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur. Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentiæ exercens, spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis, temporalia & volatica desideria formæ vel ætatis inimicantium bonorum compensans delenda.* Sic rigidus ille assertor continentiæ, vxorem suam inducit ad propositum tenax cælibatus, adiectis etiam exemplis eorum, qui statim à Baptismo se voto continentiæ fortiter obstrinxerunt, vt ille enarrat hoc contextu: *Quot sunt, qui statim à lauacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? Voluntariis spadonibus pro cupiditate cœlesti saluo matrimonio abstinentia toleratur, quantò magis adempto?* Virginis Cæciliæ votum etiam steterit cum coniugio, multosque sequaces habuit hoc facinus egregium præstitum à virgine desponsata. In his Socrates commemorat Ammonem adolescentem ingenuum, qui accepta virgine speciosa in coniugem importunitate amicorum, prima nocte nuptiarum, oratione benè suada suæ sponsæ ingessit amorem continentiæ, quam vt ambo profiterentur arctius, se contulerunt in Nitriæ montem, simul agentes vitam monasticam. Sed ne discretio sexus iniuriosa foret proposito castitatis, ambo diuisi sunt, reliquum æuum in eo proposito transigentes.

Ex variis historiis

Votum castitatis frequens in Ecclesia primitiua.

Tertull. lib. 1. ad vxorem cap. 4.

Eodem libro cap. 6.

Ammonis adolescentis quantus amor virginitatis.

Socrates l. 4. histor. c. 10.

Celeberrimo etiam exemplo omnibus testatum fecit votum suæ virginitatis Pulcheria soror Theodosij Imperatoris. Illa nempe donarium gemmis & auro locuples & rutilans obtulit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vt virginitatis suæ votum & Imperium fratris sui Christo Domino commendaret. Et vt sibi spem omnem præcideret resiliendi ab illo proposito, votum suum voluit maiusculo charactere inscribi in fronte altaris Ecclesiæ, vt Sozomenus est auctor. Ea ferè ætate Pelagius ille, qui postea fuit Episcopus Laodicensis, dum adolescens desponsasset virginem egregiam, percitus amore castitatis, eam voti sui participem fecit: ideoque vt sororem suam habuit illam virginem illibatam, vt Theodoretus commemorat. Augustini æuo viguit Monialium institutum, & Hieronymus meminit, Paulam & Eustochium vixisse in Monialium choro. Meritò igitur Ecclesia fulmina sua vibrat in eos hæreticos, qui continentiæ vota damnant velutinugas ab Ecclesia Romana pessimè cogitatas.

Pulcheriæ votum solenne castitatis virginalis.

Sozomenus lib. 9. cap. 1.

Pelagij historia.

Theodoret. lib. 4. c. 12.

Hieronym. in epitaphio Paulæ.

SENSVS

SENSVS ORTHODOXVS.

Multis titulis status continentiæ commendatur.

In hæc verba:

Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.

Ex Vtroqve Ivre.

Hæretici vt scarabæi turpibus assueti.

VT scarabæis animantibus fimo assuetis est inuisa florum fragrantia; ita & secus apes stipant hortos peramœnos, qui floribus vernant: natura namque duce callent, rore aspergi flores idoneo ad mella componenda. Florida continentia nacta est scarabæos, scilicet hæreticos luxuriæ cœno immersos, qui sortis huius Angelicæ exosi suaueolentiam, tentauere suis conuiciis eam penitus extirpare. In fœtidos illos scarabæos, qui voluere suis stercoribus inficere florentem illum statum, Patres Sancti velut apes suos stimulos acuerunt: quot enim sententiæ Patrum prostant in gratiam continentiæ, tot ferè in aduersarios aculei, & spicula diriguntur. Concilia sunt velut examina sanctarũ apũ Ecclesiæ. Eò enim coëunt Patres, vt decernant de fide & moribus. Et quia floridus est ille præfatus continentiæ status? Patres Sancti, quos vt apes mirè afficiunt suaues omnium virtutum flores, magni fecerunt continentiam, vt floretum vnde emergunt omnigeni ferè flores. Diceres Concilia habita orbe toto, conspirasse vt edita vota continentiæ clauo velut trabali fortiter obfirmarent. Ecce decretum Ecclesiæ Orientalis, in Synodo Chalcedonensi generali. *Virginem quæ se Domino consecrauit, similiter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere, quòd si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Vt huic censuræ occurreret Ecclesia Africana, Concilium Carthaginense hunc Canonem edidit. *Sacræ virgines in monasteriis diligentissimè custodiantur.* Vnde patet, quàm fuerit etiam olim cordi clausura Monialium.

Continentia ab Ecclesia vbique fuit commendata.

Ex Ivre Canonico.

Concilium Chalcedonense Generale can. 16.

Concilium III. Carth. in canone 31. Monialium clausura.

Eodem etiam Spiritu Dei afflata Ecclesia Gallicana cauit, ne iniuria fieret voto illi continentiæ. Ecce sanctionem Concilij Turonensis. *Si qui in monasterio conuersi sunt, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi; nec, quod absit, vllus eorum coniugem ducere, & si vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè sociata consortio etiam Iudicis auxilio separetur. Quòd si Iudex ad hoc solatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix Monachus tali coniunctione fœdatus, si per cuiuscumque patrocinium se conatus fuerit defensare, & is qui in hac pertinacitate perdurat, & illi qui eum exceperint defensandum, ab Ecclesia segregentur, donec reuertatur ad septa monasterij, & indictam ab Abbate, quamdiu præceptum ei fuerit, agat pœnitentiam: & post satisfactionem redeat in gratiam.* Ecclesia Hispanica subscripsit nostræ, in Concilio Toletano, vbi tutata est constanter iura continentiæ hoc Canone. *Duo sunt genera viduarum, sæculares, & sanctimoniales, &c. Eæ si ad nuptias transierint iuxta Apostolum, non sine damnatione erunt, quia se primùm Deo vouentes, postea castitatis propositum abiecerunt.* Non desunt Concilia Ecclesiæ Germanicæ, quæ consuluere voto castitatis. En decretum Concilij Moguntini tempore Arnulphi Imperatoris. *Quæ propositum castitatis assumpserint, aut monasterij claustris regulariter obstringantur, aut domi manentes castitatem suæ professionis integerrimè custodiant.*

Concilium II. Turonense ante mille annos habitum cap. 16.

Concilium IV. Toletanum can. 55.

Concilium Moguntinum can. vltimo.

Consultò prætereo Concilium Romanum habitum sub Syluestro tempore Constantini Magni, quia præfatæ omnes Ecclesiæ pertinent ad Romanam, extra quam nulla stat Ecclesia. In ea Synodo Romana cautum est, ne Episcopus benediceret virginem, quæ aliàs ad nuptias anhelasset, ni suam castitatem multo virtutum specimine postea comprobasset. Huius generis est illa Apostolorum constitutio, quam meminit Clemens eorum discipulus. Sic decernunt Apostoli. *De virginitate mandatum non accepimus. Quare hanc rem potestati cuiusque voluntatis permittimus, vt votum. Illud modo monemus, ne quid facilè vel leuiter promittatur. Siquidem Salomon ait: Melius esse non fecisse votum, quàm factum non reddere. Sit igitur hæc virgo sancta corpore & anima, & templum Dei, & domus Christi, vt Spiritus sancti domicilium.* O eminentem continentiæ statum, qui deposcit animas instructas omni gratiarum supellectile, vt fiant templum Dei, ædes Christi, & speciale Spiritus Sancti sacrarium. Profectò luculentæ sunt illæ dotes hominum, qui se Christo Domino deuouerunt.

Concilium I. Romanum canone 10.

Eo etiam Spiritus Sancti flamine perciti Imperatores, magnifecere statum illum continentiæ, cauentes sub capitis pœna, ne quis esset ei iniurius. Ecce in eo genere edictum Iustiniani Imperatoris. *Raptores virginum, vel diaconissarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos esse decernimus.* Ducentis ferè annis ante Iustinianum tulerat hanc legem Iouinianus Imperator, qui capessens Imperium conspurcatum sordibus apostatæ Iuliani, qui bellum indixerat continentiæ, præfatam illam tulit legem in raptores virginum, ne Veneris asseclæ, freti licentia Iuliani Imperatoris, ea vterentur Iouiniano rerum potiente. Huius constitutionis meminit Sozomenus. Iouiniano superior quinquaginta annis Constantinus Imperator abrogauit leges, quas in contumeliam virginum ediderant olim Principes infideles, qui nolebant cælibes homines aut steriles adire hæreditatem eorum, qui multa prole fœti è medio tollebantur. Constantinus ille Magnus iniquam illam legem in gratiam virginum antiquauit. Vbi namque fidei lumen illuxit ei, & aduertit agmina fidelium vouentium castitatem, credidit esse è re sua, damnare leges iniurias statui hominum continentium, quem suspiciebat vt diuinum, vt testatur Eusebius; qui ei sæpius assidebat. Sic ille: *Virgineum chorum tantùm non adorabas, isthic habitare Deum, cui se puellæ deuouerant, arbitrabatur.*

Magni fecere statum continentiæ Imperatores Christiani.

Ex Ivre civili.

Lege Raptores Codice De Episcopis & clericis.

Sozomenus lib. 6. historiæ Eccles. cap. 3. Raptores virginum ab imperatoribus mortæ castigati.

Virgines honoratæ ab Imp. Constantino.

Eusebius lib. 4. de vita Constantini. Constantinus antiquauit leges iniquas continentiæ.

Et quia tempore Valentiniani & Martiani Imperatorum, erant ferè irritæ leges editæ in gratiam eorum qui vouerant, quia Constantius & Valens Imperatores Ariani, Ecclesiasticæ disciplinæ hostes acerbi, omnia susque deque verterant; præfati Imperatores Valentinianus & Martianus æquum censuere, refricare memoriam legis editæ à Constantino illo Magno, faciente copiam virginibus testandi, & adeundi nomina de-

functo

functorum. Ecce constitutionem principum præfatorum, videlicet Valentiniani, & Martini. *Generali lege sancimus, siue vidua, siue diaconissa, vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocumque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento, vel codicillo suo, quod tamen alia omni Iuris ratione munitum sit, Ecclesiæ, vel martyrio, vel clero, vel monachio, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacumque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque consistat.* Arbitrati sunt Imperatores, homines continentes eos esse, quos describit Cyprianus, illos nuncupans florem Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, lætam indolem, laudis & honoris opus integrum, & illustriorem portionem gregis Christi. Ideoque Principes hi prudentes credidere sui se consulere Imperio, si continentiæ statum edicto propitio propagarent.

Lege Generali Codice De sacrosanctis Ecclesiis.

Virginibus copia facta adeundi hæreditatem.

Eximij tituli virginum.

Cyprian. de disciplina & habitu virginum.

Ex præfatis traducitur vesania aduersariorum continentiæ, qui professionem illam damnant vt iniuriam Reipublicæ; cum tamen hi, penes quos est summa rerum, suo cauentes Imperio affecerint illum statum gratia singulari, æmulantes Ecclesiæ curam circa continentiam, cuius obsequio fines Ecclesiæ propagantur. Ita Cyprianus: *Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesia matris gloriosa fœcunditas: quantóque plus copiosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit.*

Ibidem.

Virginitate propagatur Ecclesia.

SENSVS ORTHODOXVS.

IMPETVS QVINTVS

In votum obedientiæ.

Congruum exordium ad concionem de obedientia.

HOmo editus ad imaginem Dei, nactus dominium omnium rerum infra cœlos, habuit sanè vnde alta de se conciperet, arbitratus se rebus omnibus eminere. Sed ne hoc turgeret fastu Regulus ille, nobilior aliis rebus sensibilibus, Deus illi obedientiæ iugum imposuit, indicta lege de abstinentia arboris scientiæ boni & mali, vt videre est hoc contextu. *Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Eo edicto Deus hominem præmonuit, ius vitæ æternæ esse penes obedientiam præstitam vti par est; mortem verò esse mulctam animæ delinquentis. Nihilo tamen cautior effectus homo ille imprudens, vtpote nimis alta sapiens, subduxit se iugo obedientiæ, volens esse sui iuris, carpens pomum hoc ferale, quod mortis semina concludebat. Factumque est ita, vt qui noluit esse immortalis obediendo, fieret morti obnoxius detrectando debita Deo obsequia. Vt huic discrimini extremo occurreret Deus homini consulturus, hominem induit, vt habitu inuentus vt homo, morem gereret ipse Deus homini, quia noluit homo Deo iugiter obedire. Itaque salus hominum fuit obedientiæ negotium: nam Christus dicitur factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Quòquis ergo propiùs accesserit ad obedientiam Christi, is etiam eò securior erit de salute sua, quæ alioquin deploranda est, dum cunctatur anima suam reddere Deo pensum, quod situm est in obsequio mandatorum Dei & Ecclesiæ, cui nos etiam voluit Christus Dominus obedire. Cùm ergo obedientia vitæ monasticæ præstantior longè sit ea, quæ à vulgo Dei & Ecclesiæ legibus exhibetur; proculdubio status ille beatior erit, vtique hominem dignans ea immortalitate, qua Adam excidit imprudenter: altioris namque obedientiæ est obedire homini propter Deum, quàm suopte ingenio viuere obsequendo mandatis Dei.

Genes. 2.

Obedientia ius habuit vitæ æternæ.

Obedientia est antidotũ criminis Adæ.

Obedientiæ religiosæ quanta dignitas.

Quia hoc schema obedientiæ pertinet ad facinus arduum; non est de præcepto, sed de consilio. Consilium autem est perfectorum, iuxta illud Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vnde omnia, &c. veni, & sequere me.* Quid est, sequi Christum? ipse liquido explicat ita fatus: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Ergo sequi Christum perinde est, ac abnegare semetipsum. Et hæc abnegatio obedientiam dicit, qua non amplius sumus iuris nostri, & quasi negamus voluntatem nostram, vt eam faciamus iuris alieni. In hoc præcipuè sitam esse rationem vitæ monasticæ ait Cassianus, ita describens professorem vitæ religiosæ: *Verus ac perfectus Monachus similis crucifixo esse debet.* Congrua sanè descriptio: siquidem homo Cruci affixus non mouetur nisi ab alio moueatur. Hanc obedientiam commendat Scriptura sacra hoc tenore: *Ne innitaris prudentia tua.* Rursus. *Mens iusti meditabitur obedientiam.* Itẽ. *Melior est obedientia quam victima.* Alibi. *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum: & natio illorum, obedientia, & dilectio.* Vt iustos Scriptura discernit ab obedientia; ita & nefarios homines notat ab inobedientia, quam etiam plectit sententiâ capitis, vt videre est sacro hoc edicto. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille.* Cùm ergo adeò grata sit obedientia Domino; res erit idonea, circa quam votum versari poterit. Nimirum votum est promissio facta Deo de meliori bono libera voluntate ab homine sui iuris. Et hæc est perfecta obedientia, quæ actum & facultatem Deo consecrat irreuocabili proposito. De hac est controuersia, quam decurro, cui magnum lumen prætendit Ecclesia primitiua, vbi maximè viguit institutum Monachorum, cuius præcipuam partem Sancti Patres refundebant penes obedientiam, eamque cæcam, cuius periculum faciebant in rebus superantibus omne dictamen rationis, vt videre est in subiectis exemplis, quibus fidem faciunt probati auctores.

Matth. 19.

Obedientia est abnegatio sui.

Matth. 16.

Monachus esse debet similis crucifixo.

Cassianus lib. 4. de instit. cœnobiorum c. 35.

Prouer. 3.

Prouer. 15.

1. Reg. 15.

Ecclesiast. 3.

Deuter. 17.

Obedientia neglecta olim morte punita.

Ne comptioris eloquij lepos Rhetorica venustate fidem detrahat veritati, referam Palladium eo humili stylo, quo teritur ab omnibus. Sic ille describit conuersionem Pauli simplicis. *Dicit ei Antonius: Potes esse saluus, si habeas obedientiam & quod à me audieris hoc feceris. Paulus dixit: Faciam quæcumque iusseris. Eius ergo mentẽ probauit Antonius, ei dixit: sta & ora in hoc loco, donec ingrediar, & adferã tibi quod opereris. Ingressus autem speluncam, per fenestram animaduertit eum in eo loco totam hebdomadam manere immobilem, cùm ab æstu torreretur. Egressus autem post hebdomadam, cùm ex palmis ramos madefecisset, ei dicit: Accipe, & contexe catenam vt me vides. Texit senex ad horam vsque nonam quindecim vlnas magno labore. Cum autem vidisset Antonius id quod texuerat, id minimè ei placuit, & ipsi dixit: Malè contexuisti, retexe, & denuo texe.*

Palladius in historia SS. Patrum cap. 28.

Antonius Abbas obedientiæ virtute probabat nouicios.

Cum

Pauli simplicis mira obedientia.

Cum iam septimo die ieiunus ageret, idque cùm esset grandis ætate. Is autem eosdem ramos & retexuit cum magno labore, quod ex contextura prima fuissent corrugati. Cùm ergo vidisset magnus Antonius eum nec murmurasse, neque animum abiecisse, neque vultum suum omnino auertisse, & neque vel tantillum succensuisse, propterea est compunctus, & Sole occidente ei dixit: Patercule vis comedamus fragmentum panis. Dixit ei Paulus: Vt tibi videtur Abba. O examen rigidum & austerum, cui impar esset hodie fortassis obedientia hominum sanctiorum; & tamen ab eo magisterio tyrocinium suum Paulus ille auspicatus est.

Esto obedientis animi specimen operosum ediderit Paulus, sub dio septem dies agens impastus, & æquo animo ferens temporis iniurias; eum tamen superauere duo nouitij, quos recenset Sulpitius, cuius etiam contextui nihil omnino detraham, neque de meo penu interseram. Sic ille: *Duo vobis referam incredibilis obedientia admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti, sed ad excitandum virtutum æmulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt. Ergo cùm quidam, sæculi actibus abdicatis, monasterium magna dispositionis ingressurus, cœpisset rogare, Abbas ei cœpit multa proponere, graues esse istius disciplina labores, sua verò dura imperia, quæ nullius facilè implere valeret patientia: aliud potius monasteriū, vbi facilioribus legib. viueretur, expeteret: non temtaret aggredi, quod implere nō posset. Ille verò nihil illis terroribus permoueri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas ire in ignem præciperet, non recusaret intrare. Quam illius professionem vbi magister accepit, non cunctatur probare profitentem: Casu clibanus propè ardebat, qui multo igne succensus coquendis panibus parabatur: exundabat abrupta flamma fornacibus, & intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium, quod aduenam illum iubet magister intrare nec distulit parere præcepto; medias flammas nihil cunctatus ingreditur, qua mox tam audaci fide victa, velut illis quondam Hebræis pueris cessera venienti, superata natura est, fugit incendium, & qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusus seipsum miratus est. Sed quid mirum, si tuum Christe tyronem ignis ille non attigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse? qui eo die quo aduenerat dum tentaretur infirmus, perfectus inuentus est, meritò felix, meritò gloriosus, probatus obedientia, glorificatus est passione.* Hactenus ille.

Sulpitius dialogo 1. de virtutibus S. Martini.

Rara obedientia nouitij cuiusdam.

Obedientia fortior est flammis.

Simile propè facinus editum est ab alio, qui alibi quærens initiari disciplina monastica, secum duxit vnicum filium suum puerulum ad Abbatem, qui facturus periculum obedientiæ eius, iussit vt puerulum iaceret in fornacem, futurum Deo holocaustum. Naturâ perperam nectente moras, ille tyro vitæ monasticæ puerulum apprehendit, & in medias egit flammas, quæ veneratæ illam immaculatam hostiam, reddiderunt illam patri suo penitus illibatam. Fuitque Deo reuelante scitum, hominem illum ea pueruli sui oblatione adeò sibi conciliasse Deum, vt Abrahæ facinus adæquarit. Ego equidem reor, eum superasse obsequium Abrahæ: nam illi Patriarchæ præceptum incumbebat, quod præterire nefas, & præcipuè Deo ipso indicente legem illam de filio immolando. At viduus iste nullo mandato obstrictus patuit homini, Dei gratiâ, filium suum ardenti clibano deuouēdo. Profectò valet hîc argumentum Hieronymi affirmantis, maioris esse gratiæ offerre quod nō debeas, quā reddere quod exigaris.

Singularis obedientiæ exemplum.

Ex vitis Patrum.

Obedientia venerabilis flammis.

Lubet affingere obedientiæ symbolum illud factum in gratiam Æneæ, qui dicitur illæsus medias præteriisse flammas baiulans patrem suum. Tabulæ referenti hoc gratum obsequium filij in parentem titulus iste adiectus est. PIETATI CEDITE FLAMMÆ. Suspicor cōmentum in ea Æneæ historia, ideoque magis consentaneum rationi duco, affingere promptæ obedientiæ symbolum illud, lemmate commutato; ita vt depicto homini in fornace emineant istæ voces: OBEDIENTIÆ CEDITE FLAMMÆ. Tantùm abest vt obedientiæ sectator impiger habeat quod timeat æterna gehennæ incendia; quinimò nihil illi, & Purgatorio.

Ex symbolis. Ambros. lib. symbolorum.

Obedientiæ symbolum egregium.

Singularis etiam obedientiæ argumenta recenset Climachus, eorum testis oculatus, & omni exceptione maior. Ait ille, famosum latronem innumeris penè vitiis infamem postulasse ab Abbate gratiam hanc, vt conscriberetur inter nouitios. Annuit Abbas, ea lege, vt aliquod experimentum daret animi sui in posterum obsequentis. Assentitur latro, quem sic compellat Abbas: Volo vt in celebri frequentia fratrum edita voce texas seriem omnium criminum, quæ hactenus impiè perpetrasti. Pœnitens ille morem gerit, & proximò die festo Ecclesiam adit, vbi circumstante magna corona fratrum, confessus est enormia piacula, quæ Climachus ait recensere nefas. Eo obsequio insigni Deum demeruit homo ille pertæsus sua facinora: nam eo confitente, quidam cultioris vitæ Monachus vidit Angelum calamo expungentem singula quæque peccata ab hoc homine recitata. Idem Sanctus ait, eumdem Abbatem sic probasse animum viri aspirantis ad vitam monasticam. Suspicatus Abbas in homine illo typhum residuum ex sæculi commercio, sic depressit latentem superbiam. Eum hominem, Isidorum nomine, ita affatus ait: Sta ad fores monasterij, & aduoluere pedibus omnium introëuntium, petens vt meminerint tui in suis orationibus, quia tu tibi malè conscius es multo crimine perpetrato. Superioris hæc mandata capessit Isidorus alacriter, conuolat ad ianuam, vbi septennium egit æquo animo ferens longum illud specimen obedientiæ, suæ, cuius beneficio, expleto septennio, ad cœlos meritis auctus euolauit.

Ioan. Clim. gradu 4. scala sua.

Obedientiæ meritū probatur singulari exemplo.

Confessio peccatorum illa diluit, vt probatur historiâ.

Isidori nouitij singularis obedientia.

Hanc obedientiæ dignitatem pluribus adhuc miraculis Deus aperuit, quorum vnum & alterum satis erit meminisse. Primum emendicabo à Sulpitio consorte B. Martini, qui floruit quarto sæculo. Ita Sulpitius. *Quidam ad Abbatem recipiendus aduenerat, cùm prima ei lex obedientia poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, casu Abbas storacinam virgam iampridem aridam manu tenebat, hanc solo fixit, atque illi aduenæ id operis imponit, vt tamdiu virgula aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viresceret. Subiectus aduena dura legis imperio aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè millia petebatur: iamque emenso anni spatio labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat: tamen obedientia virtus in labore perdurabat. Sequens quoque annus vanum laborem tam affecti fratris eludit: tertio demū succedentium tēporum labente curriculo, cùm neque*

Sulpitius dialogo primo de virtutibus Sancti Martini.

Deus miraculo probat sibi placere obedientiam.

neque noctu, neque interdiu aquarium ille cessaret operari, virga floruit. Ego ipsam ex illa virgula arbusculam, quæ hodie intra atrium monasterij est ramis virentibus, vidi, quæ quasi testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostendit. Hæc ille. Ad hoc argumentum pertinet Mauri Monachi prompta ad obediendum indoles: nimirum ad Abbatis sui imperium ambulauit super aquas, eo elemento liquido præstante pedibus eius solidum obsequium, auctore Gregorio illo Magno.

Obedientia prolicit frondes ex arido baculo irrigato. *Gregor. lib. 2. dialogor. c. 7.* Obedientia Mauri Monachi.

Ex SS. Patribus.

Ephræmus l. de virtut. & vitiis c. de obedientia. Obedientia præcipuos sanctos veteris testamenti commendauit.

Operæpretium duxi præmittere illa prodigia facta ad astruendum meritum obedientiæ, vt elogia Sanctorum fidem reperirent apud eos, qui decurrent eorum sententias in hoc opere recensitas. Prior occurrit Ephræmus ille celebris in prisca Ecclesia. Ecce quid sentiat de virtute hac, quam expendo *Beatus, qui vera & minimè simulata præditus est obedientia: quoniam hic imitator est optimi nostri præceptoris, qui obediens fuit vsque ad mortem. Verè igitur, qui obedientiæ fruitur possessione, beatus est, quia cùm Domini sit imitator, etiam cohæres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus coniungitur, &c. In ea Sanctorum vita illustris est, & magnifica. Moyses enim seruus Domini, etsi doctrina Iethrò non erat imbutus, verumtamen illi se subiecit atque seruiuit: quamuis in Ægypto satis esset eruditus. Iesus quoque Naue filius perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, vt Moysis successor fieret. Et Samuel per obedientiam, quam Heli sacerdoti præstitit, dignus habitus est, qui vocem Dei audiret. Elisæus verò huius adminiculo pallium & gratiam sui accepit magistri.* Penes hanc virtutem Sancti suum reposuere salutis portum, refugæ dignitatum; arbitrati, tutius esse præstare aliis obsequium obediendo, quàm ab eis exigere præsidendo. In his Gregorius Nazianzenus vltro seipsum exauctorauit, cedens alteri sedem suam Episcopalem, ingemens statui monachali, quem fuerat antea professus. Vnde vtramque expertus sortem, monet non esse ambiendas dignitates, vt obedientiæ asylum cum salutis discrimine deseratur. Sic ille: *Ne quis caput sit, qui vix aut manus, aut pes, aut vllius quoddã corporis membrum est: verùm, quò vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiamsi alioqui præstantiori dignus sit, plus vtique laudis habiturus ex eo quòd præsenti acquiescit, quàm si eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cùm sine periculo alium sequi liceat, præire cũ periculo expetat: nec obedientiæ lex, quæ tam terrena quàm cœlestia tuetur atque conseruat, infringatur.*

Obedire satius est, quàm aliis imperare.

Greg. Naz. oratione 19. quæ est de suis sermonibus ad Iulianum. Omnia sibi constant beneficio obedientiæ.

Bellè ait, omnia conseruati præstitã suis superioribus obedientiã: si namque cœlum intelligentiæ suæ, à qua agitur, obstaret, hac sua inobedientia toti naturæ perniciem adferret. Hinc Philosophi monstra nuncupant hos effectus, qui deuiant à regula omnibus instituta. Fauet Hieronymus hoc discursu. *Nulla ars absque magistro discitur: etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt: grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ. Roma, vt condita est, duos fratres simul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca vtero Esau atque Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus dominus: in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam; per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te silentium, ille doceat mansuetudinẽ: non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis: operis tui pensum persoluas, subiiciaris cui nõ vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris.* Constare omnia obedientiã, Prosper Augustino suppar ait, cùm totam generis humani perniciem refundit in obedientiæ despicatum. Sic ille: *Perfectè Deus euidenterque monstrauit, quantum bonum sit obedientia, cùm hominem in Paradiso positum ab ea re prohibuit, quæ non erat mala: sola ibi obedientia potuit tenere palmam: sola inobedientia incidit in pœnam.*

Hieronym. epistola 4. ad Rusticum cap. 6.

Obedientia vbique viget. Malorum omnium parens est inobedientia.

Prosper in sententiis cap. 238.

In encomiis obedientiæ illud est maximum, videlicet hominem obedientem ita Deum demerere, vt Deus ipse non cunctetur annuere votis eius quasi ei obediret. Locuples exemplum Scriptura sacra commemorat dum recenset facinus audax Iosue Ducis Deo perquàm grati, ad cuius imperium stetere gyri Solis & Lunæ. Ecce seriem historiæ illius sacræ. *Iosue Domino locutus est in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallẽ Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur Gens de inimicis suis, &c. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël.* Si dixissem sine teste, Deum obedire voci hominis obsequentis, suspicatus esses in ea sententia blasphemiam: sed ne scrupulum moueat ille textus quasi vnicus esset, audi ex Dauide Deum paratum vt veluti morem gerat voluntati eorum qui se totos composuerunt ad arbitrium Dei. Cantor ille sacer edidit hoc suaue melos: *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Nihil ergo ditius hac virtute, quæ arctè Deum deuincit, & omnium bonorum agmen secum vehit vtpote cœlo dignans homines obsequentes.

Obediens homo maximè Deo charus.

Iosue 10.

Psal. 144.

Eò spectat insignis sententia Fausti Regiensis, qui eodem sæculo floruit, quo & & Augustinus. Sic ille: *Sciendum est, quòd quantò humiliores & obedientiores fuerimus Præpositis & patribus nostris, in tantùm obediet Dominus orationibus nostris. Videamus quàm acceptabilia sunt Domino vel opera vel ieiunia illorum, qui suis potius quàm seniorum voluntatibus obsequuntur. Clamant illi: Quia ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nesciisti, & ille respondens: Ideo quia in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Videmus ergo, per inobedientiam animorum opera non respici, ieiunia nõ audiri, vota non suscipi. Vnde nos amplius illius mandata sectemur: quia ad nos è cœlo descendit, non solùm vt nos redimeret mortis pretio, sed etiã vt vita ædificaret exemplo, & cum illo dicamus: Ego non veni facere voluntatẽ meam, sed voluntatem illius, qui misit me Patris. Ire autem post voluntates proprias tam perniciosum est, vt hoc Deus iam postmodum iratus pro damnatione peccati inobedientibus irroget dicens: Et dimisi illos*

Faustus Regiensis serm. ad Monach.

Obedientia læsa facit Deo ingratas alias actiones.

Obedientiæ specimen egregium fuit tota vita Christi. *Ioan. 4.*

secun

Obedientia præferenda plerisque bonis operibus. Encomia obedientiæ.

secundum desideria cordis illorum. Quamobrem qui vult opera sua esse recta in conspectu Dei; nihil obediëtiæ, nihil præceptis præponat: siue ille iunior, siue senior est, tanto plus debet studere ædificationi, & perfectioni. Nullũ sibi finẽ faciat proficiendi, nullum terminum constituat acquirendi.

Quia ex Philosopho cuique in sua arte credendum est, operæpretium est in eo themate obediëtiæ audire hominem adeò virtutis huius amantem, vt omnem moueat lapidem in gratiam eius, reluctando electioni suæ in Summum Pontificem, ne obediendi caderet facultate. Is est Gregorius ille Magnus ita fatus: *Sola virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. Unde & primus homo præceptũ, quod seruaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinẽ sine labore perueniret. Hinc Samuel ait: Melior est obedientia quàm victima: & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Obedientia quippe victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Tantò igitur quisque citiùs Deum placat, quantò ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex aduerso igitur melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur: Vir obediens loquetur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.*

Greg. lib. 35. Moralium cap. 10.

Obedientia alias virtutes inserit menti.

Quale vitiũ sit inobedientia.

Obedientis ladere perinde, ac ariolari. *Prouer. 21.*

Ita sanè, referre quamplurimas victorias, obedientium est, qui dum se obediendo superant, tamen etiam vincunt, & prosternunt dæmones insurgentes. Verumenimuerò nulla omnino victoria reportatur citra huiusce virtutis opẽ, cuius proprium est decernere coronas, & inobedientiæ pœnas infligere. Fauet Gregorius hac compendiosa sententia. *Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus; per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt: quia dum voluntatem suam aliis perfectè subiiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.* Ad commendationem virtutis huius quàm maximè conducit istud elogium, scilicet omne bonum opus reduci ad classem virtutis eius: Nemo namque quidpiam edit laude dignum nisi Deo suggerente: Sed Deo præmonenti gerere morem, facinus est obedientiæ: Ergo omne facinus emeritum est obedientiæ negotium. Accedit ad meam sententiam hic Gregorij dissensus. *Per alias virtutes nostra Deo impendimus; per obedientiam nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subiungens ait: Numquid vult Deus holocausta, & victimas? nõ potiùs vt obediatur voci Domini? Quid enim sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ, & holocausta? Cùm ergo holocausta & victimas per legem offerri Dominus præcepisset, quid est, quod Dominus holocausta & victimas nolle dicitur, velle autem vt ei obediatur, nisi quia quæ præter obedientiam fiunt, holocausta, & victimæ non sunt? Quasi dicat: Tunc bona sunt opera,*

Greg. in 1. Regum c. 10.

Idem cap. 15. in l. 1. Regum.

Obedientia in quibus præstantior sit aliis virtutibus.

quando à Præpositorum conscientia non discordant. Si verò hoc dicitur ideo vt virtus obedientiæ commendetur, liquet quàm sublime bonum sit, quod victimis & sacrificiis excellit, &c. Longè altioris meriti est, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Qui perfectè voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cœlesti regno, & abstinentibus & flentibus excellit.

Ex præfatis seipsam prodit illa procacitas hæreticorum, qui abiectæ mentis opus credunt hanc virtutem, quæ Christo maximè cordi fuit, & tot præcones habet, quot Sanctos cœlum concludit, obedientium gloria perfruentes.

SENSVS ORTHODOXVS.

Diluuntur obiectiones iniuriæ voto obedientiæ.

Ex Historia, Ex SS. Patribus, Et ex Vtroque Iure.

Quò vehementiùs pila ventosa deorsum impellitur, eò etiam altiùs concussa resilit; ita & apostatæ hæretici, voti sui pœnitẽtes, superbiæ vento afflati, quò maiora specimina humilitatis ediderant profitendo obedientiam, eò etiã retractantes votum illud, maximo scandalo in hoc postea declamarunt. Hoc sibi penitum præcipuè assumpsit transfugatum princeps Lutherus, qui vt specioso aliquo titulo illuderet hominibus detestantibus hominis perfidiam, causatus est obediẽtiæ votum esse contra Scripturam sacram, quæ monet esse obediendum omnibus hominibus, cũ tamen votum monasticum illam obedientiam determinet ad vnum duntaxat hominem, scilicet superiorem, quod profectò pugnat huic præcepto Petri: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Bellarminus ait, Petrum hic tantùm facere mentionem obedientiæ quæ debetur iis qui eminent, ideoque, in præfato textu, *Omni humanæ creaturæ*, perinde esse, ac eis qui sunt imperandi potestate præditi. Sed incongrua hæc est solutio, vtpote contra mentem Apostoli, qui vbi indixit obedientiæ leges, quæ omni creaturæ honorem decernunt, hæc subiicit de illa obedientia: *Siue Regi quasi præcellenti: siue ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei, omnes honorate.* Bellarminus ergo non est assecutus mentem Apostoli, qui reuera vult omnes homines Christianos esse subiectos omni creaturæ propter Deum, nec obedientiæ votum obstat, quin morem geramus Apostolo.

Superbia est inobedientiæ comes.

Insulsa obiectio hæreticorum contra obedientiam. *Lutherus lib. de votis monasticis.*

Bellarmin. Tom. 3. Controuersia 5. generali l. 3. cap. 21.

1. Petr. 2.

Itaque refutato Bellarmino, mea hæc esto solutio. Duplex est subiectio hominis in hoc æuo: vna præcepti: altera consilij. Prima infligit pœnam refugæ: altera non obligat, neque mulctæ obnoxium facit eum, qui non subiicitur. Prima subiectio debetur, Regibus à subditis, Patribus à filiis, dominis à seruis. Secunda verò alterius planè rationis est; nam prima subiectio externa argumenta petit, vt sunt tributa Regibus præstita, & multa obsequia corporalia dominis exhibita à seruis. At secunda subiectio præcipuè sita est in præparatione animi, ita vt nemo, quantumuis

Obedientia duplex, Vna præcepti, altera consilij.

emeritæ sit virtutis, neminem inferiorem credat, sed in alio semper suspicetur gratiam ampliorem. Quò quis sanctitate eminet, eò etiam magis omnibus subiectus est, alios reputans, seipso meliores, vt patet in B. Francisco. de se adeò humiliter sentiente, vt diceret se esse maximum peccatorem, quia si Deus homines nequissimos simili gratia affecisset, proculdubio illi in maiores cumulos gratiæ surrexissent. Prima subiectio est humilitatis necessariæ ad iustitiam: nemo nàque potest esse iustus, nisi debitum alteri pensum soluat, iuxta illud Apostoli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, &c. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiã. Ideo enim & tributa præstatis; ministri enim sunt, in hoc ipsũ seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis.* Detrectando debitum, homo fit proteruus, & irritam facit ordinationem Dei, quam qui præterit, iniustitiæ notam incurrit, ac proinde est pœnâ congruâ castigandus.

Duplex in homine est subiectio.

Rom. 13.

Obediendum omnibus, quid significet.

Altera subiectio est humilitatis necessariæ ad perfectionem, quam profitebantur Apostoli, quos suo exemplo Christus initiarat illâ disciplinâ, quæ deponit omnem animæ fastum, eam subiiciens omnibus vt æmulam Christi, qui cùm Deus esset, se subdidit hominibus. Eò spectat ista parænesis Pauli. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis eamdem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores inuicem arbitrantes: non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Votum obedientiæ, obstringens Monachum superiori suo, non obstat, quin sit subiectus omnibus hominibus eo sensu, quo subiectionem illam prædicat Apostolus, suadens vt in humilitate superiores nobis omnes homines arbitremur. Ideoque labat illa Lutheri instantia, iniquè petens votum obedientiæ, quasi iniurium huic præcepto de subiectione omnibus exhibẽda.

Philip. 2.

Denuo insurgit ille apostata, dicens superiorem monasterij esse solutum ab obedientia, & sic falsum esse, votum illud homines deuincire morte tenus. Respondeo, superiorem iugiter esse obstrictum obedientiæ voto, licet nemini morem gerat, quatenus est superior. Verumenimverò superior ille exauctoratus obedit successori suo, nullo iterum voto obedientiæ emisso, vnde patet in eo viguisse semper obligationem voti obedientiæ, quam aliàs exhibebat. Tertia instantia est hominis nihilo Luthero melioris, scilicet Petri Martyris, affirmantis, non licere profiteri votum obedientiæ, ipso etiam assertore hoc textu: *Nolite fieri serui hominum.* Cùm igitur obedire homini ex voto sit ei seruire, nonne hoc erit præceptum Apostoli præterire? Illa instantia arguit ignorantiã aduersarij nostri, qui dum profitetur se expendere Pauli epistolas cæcutit in textu: quippe ex professo Paulus ait, non esse seruiendum hominibus propter homines, sed Dei duntaxat intuitu, quasi illi rerum omnium Domino seruiremus. Sic ille: *Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Tantùm abest, vt votum obedientiæ deroget huic præcepto, quinimò adimplet illud vtique eminenter. Nimirum quotidie religiosi & non pauci nobiles obediunt præposito suo, fortè infimæ sortis patre sato, nullo argumento ducti quàm præsentia Dei, cuius imaginem in Præsule venerantur. Vnde patet quàm sit inepta procacitas apostatæ insurgentis in votum obedientiæ, cui se imparem factus transfuga demonstrauit.

Prælati non eximuntur obedientiæ voto.

Pet. Mart. in cap 7. epist. 1. Cor.

1. Cor. 7.

Seruire hominibus quando sit malum.

Coloss. 3.

Obedientia exhibetur superiori propter Deum.

Præter has solutiones, duo maximè commendant obedientiam homini redditã propter Deum: miracula videlicet edita in gratiam obedientiæ, vt sunt illa quæ memini, de igne venerante homines obsequentes, & de natura suscitante virgam aridam, cui Monachus obediens quotidianos aquæ latices infuderat. His adde prodigium insigne editum post mortem Acacij. Fuit is Monachus ætate quidem iuuenis, sed virtute canus, qui se instituendum tradiderat seni rigido plusquàm par fuisset: ab eo namque plagis quotidie afficiebatur, neque tamen Acacij obedientia sic tentata vllius vnquam fastidij suspicionem fecit. Demum præpositi illius imprudentis rigor Acacium præcoci morte tulit è medio, quem cum alius Monachus audiisset esse mandatum terræ, inuisit tumulum eius, & clamauit edita quantum potuit voce: O Acaci, dic amabò mortuus sis nec ne. Illico respondente Acacio vox hæc distinctè insonuit è sepulchro: Verus obediens haud quaquam moritur: quippe sancta obedientia facit homines immortales. Verè dignus Acacius, qui mortuus pangeret oracula, quia in gratiam obedientiæ in viuis agens tacitus omnes exceperat iniurias, tametsi crebro vulnere sauciatus. Præter miracula, quibus adstruitur illa virtus obedientiæ; magnum adhuc pondus auctoritatis sibi vendicat à praxi solita priscis Ecclesiæ temporibus: viguit enim tunc maximè Monachorum institutũ, cuius pars præcipua fuit obedientia ad vnguem exhibita præpositis, vt colligere est ex Basilio illo Magno propagatore instituti monastici.

Ex historia.

Climachus gradu 4. suæ scala.

Acacij Monachi obedientia.

Obedientia facit homines immortales.

Audi quibus elogiis dignetur hanc virtutem. Sic ille: *Oportet, vt qui se ad vitæ huius rationem contulerit, is stabili, firma, immobilique voluntatis constantia sit, iudicioque eiusmodi quod à maleuolis spiritibus neque tentari possit, neque loco depelli: animi præterea firmitate tanta, vt ad mortem vsque Martyrum constantiam præ se ferat, cùm diuinis præceptis retinendis, tum obedientia aduersum magistros suos conseruanda. Siquidem hoc totius vitæ huius instituti caput est. Vt enim Deus qui omnium Pater est, & appellari sua solùm vult dignatione, summam à quibus colitur obedientiam requirit: sic qui spiritualis in hominibus pater est, cùm præscripta sua ad diuinarum legum exemplum accommodet, perfectissimam ipse quoque obedientiam requirit. Etenim si quis se alicui istarum artium illiberalium, ac mechanicarum dediderit, artifici suo quacumque ratione parendum putat, neque vlla in re præceptis eius aduersatur: multò certè credibilius est, qui se ad pietatis religionisque percipiendam doctrinam contulerunt, eos Antistiti suo libentissimè obsequi, diligentissimè obtemperare.* Nullo sanè nobiliore titulo potuit prædicare dignitatem obedien

Ex Patribus.

Basilius in constitutionibus monasticis cap. 20.

Obedientia est summa vitæ monasticæ.

Obedientia fuit in Apostolis Euangelij rudimentum.

obedientiæ Basilius, quàm dicendo, eam esse caput monastici instituti, cuius principale intentum est, eosdem obire calles, quos Christi discipuli aliàs inierunt. At constat hac virtute obedientiæ, eos fuisse initiatos à Christo, qui ab hoc rudiméto voluit Apostolos auspicari genus illud vitæ sanctissimæ, quam statuit apud se Monachus imitari.

Basil. cap. 23. l. de constit. monasticis.

Ita Basilius, pergens in eodem argumento, quod sic versat. *Cùm discipuli Iesu rudes adhuc in eius disciplina essent, ac tantùm non cum regnaturum tam putarent. Quid hæc expectantibus illis, & sperantibus dixit? Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Porrò illi re audita spei sua summè contraria, nequaquam dixerunt: Alia adducti spe ad te accesseramus, & tu contraria nobis atque sperauimus imperas? Horum nihil omnino dixerunt; sed his omnibus auditis, submissa mentis ceruice obedientiæ iugum subierunt, alacrique animo, in pericula, in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processere, tantaque hæc alacritate sustinebant, vt lætitiâ efferrentur, cùm digni habiti sunt, qui pro Christi nomine illa paterentur. Hanc obedientiam is, qui secundùm Deum est verè Monachus, Antistiti suo præstet oportet. Siquidem discipulos Christus in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eamdem secutura posteritati. Nihil enim est aliud Antistes quàm is qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & homines, eorum, qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo. Vt igitur pastori suo oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult ingrediuntur, sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato: contra verò ea summa animi alacritate summoque studio conficere.* Hæc dictabat Basilius æuo Iuliani apostatæ, vt eo vexante Monachos, ille eos idoneis regulis obfirmaret.

Obedientia Apostolorũ non fuit tentata Passione Christi.

Quanta fuerit aliàs obedientia Monachorum.

Feruor ille Monachorum ebulliens, Basilio dirigente cœnobia, non tepuit eo extincto: nam sæculum, quod excepit tempora Basilij Magni, Monachos habuit sequaces impigræ illius obedientiæ, penes quam Basilius ait esse summam vitæ monasticæ. Viguisse illam disciplinam tunc temporis, auctor est Cassianus, testis oculatus agonum, quos Monachi iugiter exantlabant. Sic ille. *Tantâ obseruantiâ obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia vel permissu, non solum non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumãt. Sicque vniuersa complere, quæcumque fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cœlitus edita, sine vlla discussione festinant, vt nonnumquam etiam impossibilia sibimet imperata, ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea aut consummare nitantur, & ne impossibilitatem quidem præcepti pro seniorum sui reuerentia metiantur.* Quàm sit secura hæc obedientiæ via ille idem paucis explicat ita fatus: *Hoc igitur modo ad scientiam discretionis veræ peruenire facillimè poterimus, vt seniorum vestigia subsequentes, neque agere quicquam noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus: sed vt nos vel traditio illorum, vel vitæ probitas informauit, in omnibus gradiamur. Qua institutione firmatus, non modo ad perfectam discretionis rationem quisque perueniet; verùm etiam à cunctis*

Cass. lib. 4. de institutis cœnobiorum cap. 10.

obedientiã nesciã nihil olim Monachi factitabant. Idem collat. 2. cap. 11.

insidiis inimici tutissimus permanebit. Nullo namque alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis consiliis seniorum in suo iudicio persuaserit ac definitione doctrinæ confidere.

Pessimè ergo hæretici declamant in hoc votum, quasi restringat subiectionem illam, quam suadet Apostolus omnibus exhibere: feruẽte enim Christiana disciplina in incunabulis Ecclesiæ, Sancti qui illo floruerunt æuo, suâ censurâ castigassent agmina Monachorum, quibus adeò cordi fuit obedientia, vt ea sola probarint virtutem Simeonis, vt refert Euagrius. Nempe Simeon sectatus inaspectum vitæ genus, fecerat sibi nomen grande orbe toto; stabat enim in columna præalta sub dio, obnoxius iniuriis omnium tempestatum, diu impastus, & insomnis, ita orationi assuetus, vt ferè ei perinde esset viuere, & orare. Patres eremi coëuntes in concilium, suspectam habuere vitam sine exemplo; omnia namque noua dubiam sortem habent. Vt ergo facerent periculum sanctitatis huius hominis tantopere celebrati, Monachum destinant, qui nomine procerum vitæ monasticæ, ei dicat, displicere patribus hoc illius institutum hactenus à nemine comprobatum, proindeque sciat sibi esse illico descendendum. Nuntius aggreditur hanc sibi demandatam prouinciam, & Simeoni mandata refert, quibus auditis, nihil cunctatus protulit è columna pedem, vt confestim inde resiliret. Quo specimine obedientiæ confestim edito, nuntius agnouit, vitam Simeonis esse cœlitus institutam; ideoque eũ sic affatus est: Beate pater, satis superque testatus es, quoniam sis spiritu afflatus, sectare tuũ viuendi morem: sic enim mihi iniunxere patres, vt si incunctante mora obedires, ego obstarẽ quominus è columna referres vtrumque pedem.

Historia obedientiæ Simeonis Stylitæ.

Euagrius l. 1. cap. 13.

obedientia est lapis Lydius aliarum virtutum.

Eodem argumento omnium fidem sibi obstrinxit Carolus Magnus. Siquidem ille Cæsareæ maiestatis apicem nactus, videns Ecclesiam propagari in dies, & augeri numerum fidelium, sanxit, vt singuli quique ordines suos haberent præpositos, quibus humile obsequium penderent. Quid inde emolumenti collegerit, nosces ex tenore legis eius, cuius est hic contextus. *Volumus atque præcipimus, vt omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis, quàm inferioris, à minimo vsque ad maximum, vt summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possint, qui Deo infideles, & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint: aut qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis & Ecclesiarum vtilitatibus non obtemperant.* Prudenter equidem sanxit Imperator, suoque opportunè cauit Imperio, dum legibus obedientiæ obstrinxit omnes, arbitratus eos qui excolunt hãc virtutem, fideles obsequium suo Principi præstituros. Alius item Imperator, & is superior ætate Carolo Magno, scilicet Iustinianus, Codicis institutor, tantũm obedientiæ attribuit, vt ab ea sola probarit professionem vitæ monasticæ, vt à tessera Monachorum, quam qui abiurat, ille etiã excidit monachatu. Ecce Cæsaris edictum. *Præterea iubemus, vt omnes clerici, atque Monachi, qui de suis ciuitatibus ad hanc almam vrbem Ecclesiastici negotij vel religionis causâ proficiscuntur, litteris Episcopi, cui vnusquisque iter faciens obsequitur, muniti adueniant; scituri, quòd, si citra hanc*

EX IVRE CÆSAREO. Qua industria Carolus Magnus fidem sibi obstrinxit suorum subditorum. Lib. 7. legum cap. 163.

Obedientia indicta clericis à Iustiniano Imperatore.

Lege 22. §. Præterea Codice De Episcopis & clericis l. 1. tit. 3.

hanc fiduciam accesserint, sibimet imputabunt, quòd non clerici, vel Monachi esse putabuntur.

EX IVRE CANONICO. *Clem. Rom. epist. 1.* Obedientia commendata.

Optimè Imperator concludit, eos non esse Monachos, qui professionis suæ periculum non faciunt congruis indiciis, quorum potissimum est virtus obedientiæ, tot etiam Conciliis inculcata, vt & Apostolicis monitis illustrata. Sic Clemens Apostolorum discipulus. *Petrus docebat seniores venerari, iuniores diligere. Episcopos, sacerdotes suos, ac cunctos reliquos Ecclesiæ ministros, atque omnem plebem sibi commissam verbo diuino & mandato instruere, ac dirigere: hosque omnes, & eorum Episcopos tota animi virtute diligere, vt oculos suos, quia oculi sunt illorum. Eorum præceptis in omnibus obedire, &c. Obedientia enim & humiliatio, quæ magistris agitur, Domino exhibetur.* Concilio Anglicano de ea fit mentio luculenta apud Bedam hoc canone.

Beda lib. 2 historiæ Anglicæ cap. 5.

Monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis: sed in ea maneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt. Nec fuit hoc tantùm Monachis obedientiæ iugum impositum, sed & clericis, vt virtutis huius obsequio aliqualem ideam assequerentur vitæ monasticæ, facti hoc schemate sanctiores. En Canonem Concilij Moguntini.

Concilium Moguntinum cap. 9. Clericis obedientia indicta in omnibus actionibus.

In omnibus quantum humana permittit fragilitas, decreuimus, vt Canonici clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum positi agere præsumant in vnoquoque Episcopatu: & vt simul manducent, & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit; vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè primò ad lectionem veniant; & audiant quid eis imperetur. Ad mensam similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm Canones suis magistris exhibeant.

Vitæ monasticæ obtrectatores malè afficiunt textus illi hactenus recensiti, & præcipuè hæreticos damnant, qui subsannant obedientiam illam, quam vita monastica profitetur. Sed series illa auctoritatum non obstat, quin Catholici quidam maledici & adulterini fœtus insurgant in votum obedientiæ, dicentes bonum quidem esse viuere ex præscripto consiliorum Christi suadentis castitatem, obedientiam, & paupertatem; sed satius esse hoc præstare sine voto, quàm vouere, ne fiat necessitatis pensum, illud quod est tessera charitatis. Hunc fregi impetum factum in vota generaliter sumpta, vt supra videre est titulo de impetu facto in vota, vbi solui instantias, & subdidi rationes in gratiam voti. Ideoque satis erit Catholicos hypocritas refellere ex praxi inolita priscis Ecclesiæ temporibus, à Sanctis maximè commendata, eo nomine quòd votum sit religionis actus, vtpote promissio Deo facta de meliori bono.

Virgo Deipara vouit virginitatem.

Hanc praxim Deipara virgo prior inuexit, edito speciali voto virginitatis suæ Domino consecratæ. Nam vt operari sequitur modum essendi; Maria dignata plenitudine gratiarum omnium, quæ conducunt ad perfectissimum statum, suas omnes exeruit actiones eminentiore modo, quo potuit. Ergo cùm proposuisset seruare decus illibatum pudoris sui, adiecit votum: parum enim est propositum virginitatis, nisi hæc Domino consecretur. Itaque Deipara, nacta perfectionis apicem, non defuit illi parti, sed propositum suum voto firmiter obsignauit. Huic sententiæ militant omnes Sancti, quidquid hodie reclament homines imperiti. Ita Gregorius Nyssenus:

EX SS. PATRIBVS. *Greg. Nyss. oratione de nat. vtt. Domini.*

Si nuptiarum causa assumpta erat à Iosepho, quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua atque insolita obstupefacta aduersata esset, cùm prorsus speraret se quoque ipsam aliquando iuxta legem naturæ matrem esse futuram? sed quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam seruari oportebat; propterea etiamsi Angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod appáret; attamen vt virum cognoscam, fieri non potest: quomodo mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum quidem noui, virum autem non cognosco.

Voti emissione anima consecratur.

Vouere hic & consecrare Deo, sunt verba synonyma. Et ne scrupulum moueat dictio voti, consecrationis nomine designata, accipe Augustinum, meæ conclusioni liquidò suffragantem, facta mentione voti. Sic ille:

August lib de sancta virginitate cap 4.

Ipsa quoque virginitas eius gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse præripuit; sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam de qua nasceretur elegit, hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Hactenus Augustinus, insinuans votum fuisse virginitatem Mariæ Domino consecratam.

Rupert. lib. 5. in Cantica.

Hac etiam nomenclatura voti vtitur Rupertus, Mariam sic affatus: *Votum egregium prima Deo vouisti, votum virginitatis.* In ea etiam commemoratione voti totus est Bernardus, vtpote probè callens, quantùm gratiæ accedit operi bono, si ex voto fiat. Idcirco audacter affirmat, Beatam hanc virginum omnium Primiceriam, virginitatem suam voto æterno vt clauo trabali fortiter obfirmasse. Ecce venerandi Patris oraculum.

Bernard. ser. 4. super Missus est.

Non dubitat de facto sed modum requirit, & ordinem: nec enim quærit, an fiet istud, sed quomodo: quasi dicat; cùm sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum: qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum vt pariam filium, & gaudeo de filio, & doleo de voto. Ille idem alibi versans eamdem materiam semper sibi constat, assertor voti editi à Maria. Ita fatur:

Idem serm. Signum magnum.

In libertate spiritus legis Mosaica decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vouit: probat enim propositi inuiolabile fundamentum, quòd tam constanter promittenti filium Angelo respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Ad virginis votum pertinet illa Bedæ sententia.

Beda, in c. 1. Lucæ.

Propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ quia prima fœminarum tanta se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere. Nonne & voti rationem dicit Anselmus ita fatus?

Anselm. lib. de excellentia virginis c. 4.

Virgo & tenera, & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum

ad

ad hoc intendit, vt corpus & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret.

obedientia olim obsignata voto. *August. in Psal 75.*

Huius generis fuisse obedientiam Monachorum, id est, eam fuisse obsignatam voto perpetuo, probant hæc verba Augustini: *Nemo positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio; neque enim soli, qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei; sed illi non vouerunt, tu vouisti.* Alibi rursus. *Dum non perseuerauerit implere, quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi.* Hanc etiam praxim notat Gregorius ille magnus hoc discursu. *Cum quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est: cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Vide igitur quàm caligent illi, quos nuper Sacra facultas Parisiensis damnauit, temerariè affirmantes, præstare actionem sine voto, ei quæ editur præeunte voto. Habet Christiana religio quòd lætetur, hæc monstra suum virus effudisse regnante Ludouico Iusto, & clauum regni moderante Emmentissimo Cardinali Richelæo. Fortè aliàs in Gallia impunè peccatum esset; sed hæc monstra inciderunt in tempora hæc eo nomine beata, quòd Christiana disciplina nacta est in Ludouico, & pro Rege Cardinali duos incorruptos fidei protectores, qui non tulerunt insaniam tenebrionum, qui delirij sui notas voluerunt offundere vitæ monasticæ. Nam toto applaudente regno conclusi sunt inglorio carcere nouatores, quorum error præfocatus in incunabulis, religiosos omnes obstringit Regi & Principi Cardinali, quorum zelus occurrit malo illi ex inferis emergenti.

Idem in Psal. 59.

Greg. hom. 20. in Ezech.

SENSVS ORTHODOXVS.

IMPETVS SEXTVS

In votum paupertatis.

Phocionis paupertas gloriosa. *Plutarch. in Phocione.*

PHocion, vir olim magni nominis in Græcia, in ea rerum omnium penuria vitam egit, vt licèt Reipublicæ præfecturas gereret eminentes, tamen in aperto professus inopiam nudipes incederet. Spontanea hæc paupertas egenum hominem ipsis etiam Regibus venerandum fecit: siquidem Alexander ille Magnus, acceptâ viri famâ, ei vim magnam auri inisit, quâ inspectâ Phocion Legatis ait: Quare Alexander me hominem inopem dignatur his opibus? Quia inquiunt illi voluntaria hæc paupertas suspicionem fecit ei abditæ probitatis. Ad hæc subridens Phocion, ita eos affatus est: Ergo ne mihi Alexander inuidet opinionem virtutis emeritæ, quam mihi conciliant diuitiæ tenaci proposito iugiter abdicatæ. Habeat ille sibi suas opes, nihil enim mihi & illis; quippe inglorium credo homini seruire diuitiis, quarum contemptus me etiam fecit Alexandro Principi gloriosum. Equidem optimè vir ille maior opibus, quas constanter aspernatus est. Eo ferè titulo paupertatis, Ecclesia Constantini Magni animum inflexit ad pietatis argumenta, quæ edidit. Nempe rerum penuria, quæ summa fuit tunc in clero, Imperatorem illum adeò perculit, vt reseratis Imperij gazis, ærarium suum exhauserit in gratiam Ecclesiæ, cui hæc opum affluentia fuit iniuria, pietate suffocante matrem suam. Nimirum paupertas inolita clero fuit alma parens pietatis. Et hæc opibus afficiens Ecclesiam, paupertatem illam extinxit, quâ veluti matre sata fuit pietas illa maxima, quam in clerum testati sunt Principes, animum suum Christianum sic magno auri pondere comprobantes.

Paupertas socia virtutum est.

Opes noxiæ fuerunt Ecclesiæ.

Paupertas olim Ecclesiam commendauit.

Ante Euangelij propagationem, plerique Philosophi aucupati sunt auram popularem nomine paupertatis. Imò & famosi Duces inde fecere sibi nomen, vt Curius, Fabricius, Scipio, Cato, nullius omnino fuere census, suas arbitrati diuitias carere diuitiis. Sed quia mercati sunt eo facinore gloriam humanam, finis ille adulterinus paupertatem eorum ingloriam fecit. Ne in has inanis gloriæ cautes impingerent discipuli Christi, sectatores Euangelicæ paupertatis, hoc habuere in mandatis, scilicet vt missis opibus Christum sequerentur, æmuli virtutum eius, præcipuè humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, & obedientiæ. Quæ virtutes omnes apud Hebræos vnica dictione efferuntur, ea videlicèt, quæ pauperem sonat: nam à radice ענה *nghana* deducitur עני *nghani* humilis, pauper, mansuetus, afflictus: ad has enim virtutes maximè conducit hæc paupertas spontanea, quia repudiatis opibus, quæ sunt veluti semina superbiæ, homo sic magis ad sequelam Christi redditur expeditus. Verum enimuerò nemini Catholico insedit paupertatem seorsim sumptam hominem absoluere ab aliarum virtutum praxi, cui singuli quique debent homines attendere.

Paupertas Philosophorum quare fuerit ingloria.

Pulchra obseruatio de voce Hebræa, quæ paupertatē significat.

Non est incongrua in hoc argumento lex Iuris Cæsarei. *Quibus bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne iudicati trahantur in carcerem.* Ita qui voto emisso paupertatis cessit bonis suis, non liber est ab obligatione, quæ omnibus incumbit Christi Domini calles ineundi. Sed hoc singulare bonum nactus est, quòd scilicet, se subduxit rerum omnium nexibus importunis. Quod vbi diabolus aduertit, omnem mouit lapidem, vt professores altissimæ paupertatis distraheret ab hoc proposito, certior factus multo experimento, eum propè interitum esse, quem pœniteт colere paupertatem.

EX IVRE CIVILI. *leg. 1. Cod. qui bonis cedere possunt l. 7. tit. 71.*

Quibus argumentis dæmon instruxerit hostes in Ecclesiam debacchantes, dicam infra proximo titulo, vbi diluam obiectiones æmulorum vitæ monasticæ, quæ adiri nequit sine voto paupertatis, adeò sanctis omnibus adamatæ, & cuius professionem ipse Sanctus Sanctorum Dominus consuluit hoc contextu: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Non quòd perfectio sita sit in abdicatione rerum; sed quia sic homo aptior est ad sequelam Christi, & studium virtutis omnigenæ, vt præfatus sum. Fauet Clemens Alexandrinus ita fatus: *Aurum, & argentum, & priuatim, & publicè possessio est inuidiosa, si vsum excesserit: rara ad acquirendum, difficilis ad custodiendum, &c. Quocirca dicit Dominus: Vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus à pompa momentanea, quod tuum est quod bonum est, quod auferri non potest, in Deum fidem, in passum confessionem, beneficentiam in homines possidens.* Paupertas illa Euangelica adumbrata est olim in Leuitis sacerdoribus

Paupertas facit facilem praxim omnium virtutum.

EX SS. PATRIBVS.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 3.

Opum est possessio inuidiosa.

Paupertas est initium vitæ Euangelicæ.

Paupertatis species quædam indicta Leuitis.

dotibus legis antiquatæ, quibus in diuisione terræ Chananæorum, nihil omnino cessit in sortem, Deo nolente suos sacerdotes pollui contagio rerum terrenarum, sed sanctificari illo præludio Euangelicæ paupertatis. Eò spectat hic discursus Origenis. *Vis scire quid intersit inter sacerdotes Dei, & sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit sacerdotibus suis: Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis: Ego sum pars vestra. Obseruate ergo, qui hæc legitis, omnes Domini sacerdotes, & videte quæ sit differentia sacerdotum, ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis cultibus ac studiis vacant, non tam Domini, quàm Pharaonis sacerdotes esse videantur. Ille enim est, qui vult sacerdotes suos possessiones habere terrarum, & exercere agri non animæ culturam, ruri, & non legi operam dare. Christus autem Dominus noster sacerdotibus suis quid præcepit audiamus: Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hactenus Origenes.

Origenes ho. 16. in Genesim.

Paupertas quare à Deo commēdata suis sequacibus.

Paupertas Euangelica quàm deceat sacerdotes Christi.

Quidam etiam Philosophi aspernati diuitias, earum fastidium ingessere suis discipulis, nullo alio argumento ducti, quàm commodorum, quæ secum vehit arctior omnium rerum vsus, pauperi cuique vernaculus. Quòd si commodis illis adiiceris prouentus, quos Dei intuitus secum vehit, & adfert eis, qui dant paupertati Euangelicæ nomen suum, nosces quàm conferat pauperi Christo iugiter adhærere. Ita Minutius Felix. *Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus enim vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur: & tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues est? Magis pauper ille est, qui cùm multa habeat, plura desiderat. Nemo tam pauper potest esse quàm natus est. Aues sine patrimonio viuunt: & hæc nobis tamen nata sunt, quæ omnia si non concupiscimus, possidemus. Igitur vt qui viam terit, eò felicior, quò leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate se subleuat, non sub diuitiarum onere suspirat: & tamen facultates si vtiles putaremus, à Deo posceremus vtique. Indulgere posset aliquantum, cuius est totum: sed nos contemnere malumus opes, quàm continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse quàm prodigos: & quod corporis humana vitia sentimus, & patimur, non est pœna, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas sæpius disciplina virtutis est: vires denique & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt.*

Minutius Felix in Octauio.

Paupertas voluntariæ quàm sit commoda.

Paupertatis encomia.

Vt pretiosa suppellex aliaque multa impedimenta bellica perdidere numerosas acies, hoc onere importuno graues; ita & diuitiæ remoratæ sunt multos, quos perculerat antè cupido vitæ tersioris, quam non sunt assecuti multiplici diuitiarum vinculo præpediti. Vnde placet eis affingere emblema Alciati, vbi puer alatis manibus assurgens nequit eniti in aëra, eum remorante saxo pedibus alligato. Spiritu Sancto afflati homines ascripti in militiam Christi, missas fecerunt opes, imitati facinus Alexandri, qui vbi aduertit milites suos impediri spoliis quæ collegerant, victoriis antea reportatis; iussit omnes adesse commilitones, & in vnum aceruum congerere suam quamque ditiorem supellectilem. Præstò adfuere omnes, idque incunctanter dicto Principis obsequentes. Miratus Alexander hanc diuitem rerum congeriem, eam adhuc ditiorem fecit adiectis opibus, quæ cesserant eius arbitrio, & toto circumstante exercitu magna strue lignorum texit illas gazas, quæ igne supposito conflagrarunt. Omnes æquo animo tulere iacturam illam, recreati exemplo Alexandri, qui plura perdiderat illo incendio, quàm cæteri omnes: & in patientiæ argumentum reuoluebant animo, se fieri aptiores bello, cui nomen dederant, & hoc dispendio parare viam sibi ad maiora lucra. Eadem ferè ratione ducti Professores vitæ monasticæ, abdicârunt opes, vt esset anima vegetior, & expedita magis ad vitia depellenda. Alij verò commorantes in sæculo, suis incubantes gazis, iniquam sortem experti sunt Caroli Ducis Burgundiæ, qui suas circumducens opes ad bella procedens, aspernatus pauperes Heluetios, ab eis in fugam versus est, qui subinde potiti sunt castris Principis opulenti. Paupertas religiosa hodie ludibrio est dyscolis hominibus, anhelis in opes; sed morte aliquando alternante vices hominum, diuites malè excipientur, & suspicient serò pauperes exaltatos. Disparis huius sortis locupletes fuere testes, Lazarus, & epulo sepultus in inferis.

Diuitiæ remorantur studium perfectionis.

Emblema opum quæ Iniuriæ sunt virtutum praxi.

Q. Curtius lib. de gestis Alexand.

Alexander opes in ignē iacit, vt impedimenta belli.

Paradinus l. hist. in Carolo.

Carolo Burgundo malè cessit circūducere opes immensas.

Cyprian. l. de lapsis.

Eò collimant ista Cypriani eloquia. *Decepit multos patrimonij sui amor cæcus: nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illa catena: quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima preclusa: vt serpenti terram secundùm Dei sententiam deuoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent. Idcirco Dominus bonorum magister, & præmonens, & consulens in futurum: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni, sequere me. Si hoc diuites facerent, per diuitias suas non perirent: thesaurum in cœlo reponentes, hostem nunc & expugnatorem domesticum non haberent: esset in cœlo cor, & animus, & sensus, si thesaurus esset in cœlo. Nec vinci à sæculo posset, qui vnde vinceretur in sæculo non haberet. Sequeretur Dominum liber & solutus, vt Apostoli, & sub Apostolis multi, & nonnulli sæpè fecerunt, qui & rebus suis, & parentibus derelictis, indiuiduis Christo nexibus adhæserunt. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonij vinculo detinentur? Aut quomodo cœlum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Possidere se credunt, qui potiùs possidentur: census sui serui, nec ad pecuniam suam Domini, sed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apostolus denotat, dicens: Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. Dominus autem quibus nos præmiis ad contemptum rei familiaris inuitat? Parua hæc & exigua huius temporis damna, quibus mercedibus pensat? Nemo est, inquit, qui relinquat domum, aut agrum, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat centies tantùm in isto tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam. Quibus cognitis, & de Domini pollicentis veritate compertis, non tantùm timenda non est eiusmodi, sed est optanda iactura, ipso denuo Domino prædicante, & monente: Beati eritis, cùm vos persecuti fuerint homines.*

Diuitiarum amor noxius.

Paupertas est via compendiaria in cœlum.

Quàm sit vtilis opum contemptus.

Opes homine possident, & non possidentur.

Non

Opes ex se non sunt malæ. Pauperes quã sint expediti.

Non hîc animus est damnare diuitias, eo solo nomine, quòd diuitiæ sunt, quasi necessario quodam fato suam nequitiam affingant diuitibus: hoc namque asserere nefas est, cùm plerique opulenti homines hoc æuum egerint illibati. Sed mihi istud pensum indixi, scilicet probare, eos qui dedere libellum repudij Mammonæ, esse aptiores ad sequelam Christi. In typum huiusce veritatis, Hebræi onusti opibus Ægypti, non calcarunt aquas maris rubri, sed cesserunt aquæ, & mare apertum est, vt hinc & inde tumentibus aquis sicco itinere populus ambularet. Petrus verò, qui omnia reliquerat, ambulauit super aquas, venerantes in eo paupertatem spontaneam, quæ homines Christi sequaces efficit. Ambulare super aquas & Christum sequi, est calcare diuitias, quæ aquarum more præterfluunt, & Christum Dominum imitari. Eò spectat Cyprianus ita fatus. *Dominus perfectum & consummatum docet fieri, qui omnibus suis venditis, atque in vsum pauperum distributis, thesaurum sibi condat in cælo. Eum dicit posse se sequi, & gloriam Dominicæ passionis imitari, qui expeditus, & succinctus, nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Deum antè præmissas ipse quoque comitatur.* Hæc ille. Sed nota, Petrum non ad fastum ambulasse super aquas: nihil enim illi Apostolo & pompæ, quam totam cum sæculo & sacculo deposuit, vt Christo pauperi iugiter adhæreret. Nempe parum est facere missas opes, si paupertas hæc non conducat ad sequelam Christi, vt suggerit Hieronymus, hoc contextu. *Quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias fecit, & Saphyra; sed totum vendere, & cùm vendiderit, dare omne pauperibus, &c. Et hoc non sufficit ad perfectionem, nisi post contemptas diuitias Saluatorem sequatur, id est, relictis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur, quam voluptas. Multi diuitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator eius est, & per vestigia illius graditur.* Rursùs ille. *Apostolici vestigij est, perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem atque expeditum cum Christo ad cælestia subuolare.*

Hebræi quare non ambulauere super aquas maris rubri, vt Petrus super alias aquas.

Parum est pauperẽ esse, si deseratur sequela Christi.

Hier. in c. 19. Matthæi. Christum sequi quid sit.

Idem ep. 8. ad Demetriadem de virgin. seruanda.

Paupertas est beatitudinũ prima.

Paupertatem illam, quam commendo, esse veluti præambulam virtutum omnium, Christus liquidò ostendit, quando beatitudinum seriem texens auspicatus est à paupertate spiritus, affirmans beatos esse pauperes spiritu, id est, eos qui non actu tantùm laborant inopiâ, sed affectu etiam huiusce sæculi reculas aspernantur. Fauet Ambrosius ita versans illum textum. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Primam hanc benedictionem vterque Euangelista posuit. Ordine enim prima est, & parens quædam generatioque virtutum: quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna. Nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.* Eò spectauit Ecclesia primitiua, cui vt maximè cordi fuit conuersio Gentilium, ad eos pelliciendos, in eam sese composuit sanctitatem, quam Christus edocuit; & quia clerici Ecclesiæ ministri Deo arctiùs deuincti sunt, voluit omnium fidelium alma parens Ecclesia, peculiaria signa sanctitatis in clericis elucere, vt eo odore Christi afflati Gentiles, sectarentur illam fidem, cuius professores aliis eminebant. Ad hanc ergo propagandam speciem sanctitatis multi Canones editi sunt, quibus paupertatis amor clericis inculcatur, vt inde fiant illorum animæ tersiores. Imò aliàs æmulati sunt institutum vitæ monasticæ, sua habentes claustra communem agentes vitam, vt hoc Canone liquet, edito à Gregorio illo Magno, sic decernente dum affatur Augustinum Anglorum Episcopum. *Quia tua fraternitas monasterij regulis erudita seorsum non debet fieri à clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est: hanc debet instituere conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex iis quæ possidebat aliquid dicebat suum esse, sed erant illis omnia communia.*

Ambr. in c. 6. Lucæ.

Ex Iure Canonico. Clerici olim æmuli vitæ monasticæ.

Canon. Quia 12 qu. 1. Paupertas olim clericis commẽdata.

Proceres Ecclesiæ fuisse arbitratos, pauperem vitam clericorum multùm valere ad ingerendum aliquem pietatis sensum aliis hominibus, liquet hac sententia Augustini, quam Gratianus Canonem fecit. Sic ille: *Nolo vt aliquis de vobis inueniat malè viuendi occasionem. Prouidemus enim bona, vt ait Apostolus, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Propter nos, conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt, conscientia, & fama. Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est, &c. Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium: sed si fortè aliqui habent, nulli licet; & qui habuerint, faciũt quod non licet, &c. Qui habere voluerit proprium, & de proprio viuere, & contra ista præcepta facere; parum est vt ita dicam, non mecum manebit, sed nec clericus erit.* Hæc Augustinus. Non inde tamen inferre volo, clericos vbique vouisse paupertatẽ, cùm hoc ferè singulare fuerit clericis Augustini voto obstrictis. Aliis verò inhibita fuit cura diuitiarum, vt iniuria statui clericali, vt monent Patres, quorum sensa Iuri Canonico inserta sunt.

Aug. serm. de communi vita cleric. *Can. Nolo 12. qu. 1.* Conscientia & fama, sunt duo bona necessaria viris probis.

Cura diuitiarum iniuria statui clericali.

Ecce in eo themate Hieronymi sententiam hoc Canone expressam. *Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulũ suum: & nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominũ, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. Verbi gratiâ, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus: sed quasi Leuita & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus sequar.* Hactenus ille textus Canonicus, cui affinis est iste alter Canon. *Duo sunt genera Christianorum. Est autem vnum genus, quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi,*

Hier. ep. ad Nepotianum *Can. Clericus 12. q. 1.* Clericus ex nomine suo suadetur ad amorẽ paupertatis.

Can. Duo sunt 12. q. 1.

ab

ab omni strepitu temporalium cessare conuenit: tu sunt clerici, & Deo deuoti: κλῆρος enim Græcè, Latinè sors. Inde huiusmodi homines vocantur clerici, id est sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, id est, se & alios virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur. Rasio verò capitis, est temporalium omnium depositio. Illi enim victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Aliud verò genus est Christianorum, vt sunt laici: λαὸς enim Græcè, est populus Latinè. His licet temporalia possidere, sed non nisi ad vsum. Nihil enim miserius est, quàm propter nummum Deum contemnere. Ita facit Canon.

Clerici quare coronam in capite gestent.

Clericis quare coma sit abrasa.

Profectò non opus est consulere illa Canonum oracula, ad probandum, paupertatem conciliare animos hominum, si viderint eam spontè adamari, vt experti sunt duo discipuli Patris Seraphici Francisci, quos ille Sanctus in exteras oras emiserat, vt verbo & opere reuocarent homines ad meliorem frugem. Hi Capucinorum habitu amicti (is enim erat habitus, quo vtebatur ille Pater Sanctus) primo aspectu habiti sunt ludibrio ab his, quibus erat nouum illud schema vestis inaspectæ. Cùm autem subiissent vrbem quamdam inclinante die, nemo voluit eos apud se diuertere: quippè omnibus erat suspectus ille habitus, singulis quibusque timentibus, ne lateret hoc tegmine nequitia singularis. Itaque pauperes illi æmuli sui Sancti Patris repulsam passi ab omnibus, æquo animo tulere ludibrium hoc, sub dio pernoctantes. Vbi autem patuere fores Ecclesiæ, sese illò receperunt audituri sacrum, matutinum tempus illic Domino consecrantes. Quos pij quidam homines, adstantes etiam rei sacræ, videntes orationi instantes, eos voluere dignari stipe, nummulos offerentes. Sed beati illi pauperes spiritu oblatum æs aspernati, dixere nihil sibi & nummis esse, quia dederant nomen suum vitæ, quæ abhorret à diuitiis. Vt adstantibus innotuit hoc eorum propositum voluntariæ paupertatis, magno honore excepti sunt ab iisdem, quos iniquos pridie experti fuerant. Absit inuidia dicto, ipsi etiam hæretici venerantur in Capucinis indolem Christi pauperis, causantes, illum affluxum opum, quæ nitent apud alios Cœnobitas, multum detrahere imitationi Christi, quam debet vita monastica profiteri. Hæc scribo expertus: nam emensus aliquos terrarum tractus, diuerti sæpè apud nobiles hæreticos opiparè exceptus sum in gratiam duntaxat habitus Capucini spirantis paupertatem Christi, quam fatentur hæretici præcipuè in Capucinis graphicè lineari.

Ex Chron. Min. in vita S. Francisc.

Quare Capucini sint hæreticis venerationi.

Errant tamen hæretici, dum carpunt acriter alios professores vitæ monasticæ, quia in commune possident reditus annuos in subsidium vitæ huius indigæ plurium rerum. Ideoque ne videar altissimæ tantum paupertatis Capucinorum texere encomium, speciali titulo patronum ago eorum, qui congruis vtuntur opibus, ex præscripto suæ regulæ ab Ecclesia approbatæ.

* * *

SENSVS ORTHODOXVS.

Ecclesia licitè bona possidet, nec violatur votum paupertatis à religiosis illis, qui ex præscripto regulæ suæ in communi affluunt bonis.

Ex Sanctis Patribvs, et Vtroqve Ivre et ex Historia.

Pompeio extincto, æmulus eius Cæsar rerum potiens iacentes eius statuas erexit, eaque arte mi moderatione in apice bonorum conciliauit sibi gratiam omnium Romanorum, in quibus Cicero lepidè iocatus ait, Cæsarem consuluisse suis statuis, quando restituit eas, quæ Pompeij erant. Non eo intento hic ago patronum cleri, vnde prodierunt nuper obtrectatores, & irrisores vitæ monasticæ, quos damnauit semel & iterum sacra facultas Parisiensis, prouidens vt è specula, ne qua labes se offundat nitori fidei illibatæ. Nullius capto gratiam in hac Apologia pro facultatibus Ecclesiæ: vni nàque Deo & veritati lito, dum inuehor in hæreses, quæ eo nomine carpunt clerum, quòd scilicet bona possideat. Priscis Ecclesiæ temporibus hæresis illa emersit: quippe Audeani contendebant peccare Antistites, si diuites essent, vt meminere Epiphanius, & Damascenus. In ea hæresi Vadiani seu Anthropomorphitæ erant tempore Augustini, negantes licere Episcopis opibus affluere. Imperante Friderico reuixit hæresis hæc damnata: nam Alnoldus Brixiensis hoc lethale virus sparsit; scilicet omnem spem salutis adimi clericis, & Monachis, qui aliquid in communi possidebant: & eamobrem esse è re Imperatoris vendicare sibi eorum bona vt nequiter vsurpata. Delirum hunc hominem carpunt Otto Frisingensis, & Guntherus. Eodem diabolo patre sati fuere Ioannes VViclefus, & Ioannes Hussus, quorum prior interminatus est damnationem Principibus, si non quantociùs Ecclesias expilarent, vt sic castigarent clerum, cui nefas dixerunt opibus abundare. Eiusdem farinæ sententiam edidit alter, scilicet Ioannes Hussus. Illis præierat Gerardus Sagarellus, prædicans non debere dari decimas sacerdotibus, quia deuiant à paupertate Apostolica, vt commemorant Guido & Eymericus.

Cæsaris industria vt conciliaret gratiam Romanorum.

Quinam hæretici in clerum insurrexerunt.

Epiphan. Damascen. de Audeanis. August. hæres. 40.

Otto Fris. de gestis Frid. lib. 1. c. 20.

Gunth. l. 3. Vuiclef. 4. Trial. c. 10. Ioan. Huss. art. 3. per Alanum ex libris eius excepta. Guido de hæres. Nicol. Eymer. p. 12. qu. 11.

Duo itaque capita habebit ista controuersia. Primò ostendam, licitè bona possideri ab Ecclesiasticis. Secundò probabo, citra dispendium paupertatis Euangelicæ possideri facultates in communi à Religiosis, per quorum institutum non stat quin his opum subsidiis occurrant inopiæ extremæ, quæ vitam adducit in discrimen. Igitur in gratiam cleri, in confesso est apud omnes, Leuitas olim nostros clericos adumbrasse: Sed Deus sanxit vt in eorum ius cederent oblationes fidelium, quæ tunc adeò opimæ erant, vt Leuitarum sors esset minimè pœnitenda: Igitur hodie Ecclesiastici licitè possident opulenta beneficia, quia sunt oblationes fidelium. Ecce decretum Dei. *Locutus est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel tradidi tibi, & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna. Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium,*

Ecclesiastici licitè possident opulenta beneficia.

Num. 18.

cium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta Sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. Habuisse Leuitas vrbes & prædia discreta à possessione aliarum tribuum, liquet hoc contextu. *Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysem in campestribus Moab suprà Iordanem contra Iericho: Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis.* Bona hæc cessere Leuitis in gratiam ministerij sui, Deo exhibiti in templo.

Num. 35.

Eò allusit Paulus, probans Ecclesiasticos homines posse sibi vendicare aliquid facultatum, ratione sui officij. Sic ille: *Quis militat suis stipendiis vnquam? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti, &c. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Imo & Christus suam instituens Ecclesiam, loculos habuit, ad recipiendas oblationes fidelium, vt inde suis caueret discipulis, & egenis, suo exemplo decernens posse Ecclesiam bona aliqua possidere, ad subueniendum suis ministris, & his qui summa premuntur inopia. Ita Augustinus: *Exemplum Domini accipe conuersantis in terra. Quare habuit loculos, cui Angeli ministrauerunt: nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit: nisi vt eius Ecclesia fures patienter toleret?* Ille rursus alibi. *Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma instituta est: vti intelligeremus quod præcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruaretur à Sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur.* Feruente pietate fidelium, multi suas omnes facultates Ecclesiæ consecrarunt, vt ait Basilius ille magnus ita fatus: *Multi totas domos, quas possidebant, ad Ecclesiarum vsum destinari passi sunt: alij verò vltro quoque omnem suam attulere substantiam, atque optimam exercuere negotiationem, dum propter cœlestes diuitias pauperes facti sunt.*

1. Cor. 9.

Christus quare loculos habuerit.

EX SS. PATRIBVS.

Aug. tract. 50. in Ioan. Idem tract. 62. in Ioan.

Basil. epist. 140.

Ecclesia diues oblationibus fidelium.

Ecclesia in incunabulis, fidelium oblationibus vt innoxio lacte pasta est, & Apostoli sanxerunt, vt penes Episcopos esset dispensatio bonorum Ecclesiæ. Non ergo peccat Ecclesia fruens opibus sibi concessis, vt expedita curis huius sæculi alacrius Domino iugiter obsequatur. Ecce Canon Apostolorum. *Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, & eas dispensato, quasi inspectante Deo. Non licitum autem ei esto quidpiam ex iis sibi tamquam proprium assumere, aut cognatis suis elargiri, quæ Deo dicata sunt. Quòd si pauperes illi sint, vt pauperibus subministrato: non tamen horum prætextu res Ecclesiæ venundato.* Habuit ergo Ecclesia constans dominium earum rerum, quas noluerunt Apostoli distrahi. Huius Canonis Apostolorum luculentam mentionem facit Concilium II. generale Nicænum, hoc Canone. *Si quis Episcopus, vel Monasterij præfectus inuentus fuerit ex Episcopatu vel Monasterij agris, in Principis alicuius, aut Magistratus manus alienare, vel alteri personæ tradere, nullius momenti sit traditio, vt sanctorum Apostolorum vult Canon, qui dicit: Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus, &c.*

EX IVRE CANONICO.

Can. Apost. 37.

Penes Episcopos olim fuit cura bonorum Ecclesiæ.

Sinod. II. Nicæn. Can. 12.

Huic sanctioni Apostolicæ morem gessit Ecclesia prioribus sæculis: nam clerici agentes vitam communem, ab Episcopo annonam accipiebant, vt suo tempore factum ait Vrbanus I. Papa, qui floruit tempore Tertulliani, anno scilicet CCXX. Huius Pontificis Epistolam Gratianus in duos Canones sectam transtulit in decretum. En Canonem primum. *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, clericos.* Vnde autem, & à quo subueniretur clericis, alio Canone legere est. Sic ille. *Videntes autem Summi sacerdotes, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum, tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipsorum: cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsa verò res in ditione singularum parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus.*

Vrban. I. ep. vnica omnibus Cath.

Can. Scimus 12. q. 1.

Ecclesiæ bona non alienanda.

Can. Videntes 12. qu. 1.

Ecclesiæ opes vnde sint exortæ.

Ecclesiam vendicare sibi bona quædam, & equidem iustè, iure Romano liquet, quo Christiani Imperatores cauent Ecclesiis, & earum prædiis, & annonæ; vnde patet insania hæreticorum, qui (vt præfatus sum) dixere esse è re Imperatoris, expilare Ecclesiam, quia nequit opibus abundare. Sanctiore spiritu afflatus Constantinus ille Magnus, vt audiit Magnates quosdam vsurpasse bona Ecclesiæ, istam tulit legem, *Instituimus, vt ea quæ Ecclesiæ ante possederunt, ad ipsarum ius denuo reuertantur.* Huius legis meminit Eusebius, vt & alterius eiusdem generis alibi. Vide etiam Imperatores Valentinianum, & Marcianum, patronos fuisse bonorum Ecclesiæ; vt probat hæc eorum Constitutio. *Quia humanitatis nostræ est egenis prospicere, & dare operam, vt pauperibus alimenta non desint: salaria etiam, quæ sacrosanctis Ecclesiis in diuersis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, iubemus nunc inconcussa quoque, & nullo prorsus imminuta præstari, liberalitatique huic perpetuam tribuimus firmitatem.* Leo item & Anthemius Imperatores consuluere bonis Ecclesiæ, iuxta Canones antea recensitos, quibus Ecclesiæ facultates vænire nefas est. Ecce legem. *Iubemus nulli posthac Archiepiscopo, in hac regia vrbe sacrosanctæ Ecclesiæ præsidenti, nulli œconomo, cui res Ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem, fundos, vel prædia, siue vrbana, siue rustica, res postremò immobiles, &c. ad quamcumque transferre personam, &c. Ea quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac fortè peruenerint, tamquam ipsam sacrosanctam & Religiosam Ecclesiam intactam conuenit venerabiliter custodiri: vt sicut ipsa Religionis & fidei mater est perpetua; ita eius patrimonium iugiter seruetur illæsum.* Iustinianus Imperator etiam magni facit eos,

Imperatores Christiani facere patronos bonorum Ecclesiæ.

EX IVRE CIVILI.

Euseb. l. 10. cap. 5. Idem l. 2. vita Const. c. 39.

Leg. Prim. Cod. de sanctis Eccl.

Leg. 14. Cod. de sanctis Eccles.

Iust. in Auth. de non alien.

rebus Eccles. Inuestig.

eos, qui è re sua familiari ampliant Ecclesiæ facultates.

Non est in eo argumento prætereunda liberalitas Caroli Magni Regis Francorum, qui & ipse Imperator innumeras penè Ecclesias ditauit, & leges tulit castigantes eos, qui vsurpant bona Ecclesiæ. In his legibus ista solennis est.

Carol. Magn. Reginoni c. 31. & 321. Hæc lex est in lib. 7. legum c. 104.

Ecclesiæ bona spoliata perniciem attulere prædonibus. Vbi consulatur bonis Ecclesiæ.

Nouimus, multa regna, & Reges eorum cecidisse, quia Ecclesias spoliauerunt, resque earum vastauerunt, alienauerunt, vel diripuerunt Episcopisque, & sacerdotibus, atque, quod maius est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & dederunt pugnantibus. Quapropter nec fortes in bello, nec stabiles in fide fuerunt, nec victores extiterunt, &c. Iubemus, vt nullus tam nostris, quam futuris temporibus a nobis, vel successoribus nostris vllo vnquam tempore, absque consensu & voluntate Episcoporum, in quorum parochiis noscuntur esse res Ecclesiarum, petere, aut inuadere, vel vastare, aut quocumque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quàm successorum nostrorum temporibus pœnis sacrilegij subiaceat, & à nobis, atque successoribus nostris, nostrisque Iudicibus sicut sacrilegus, & homicida, vel fur sacrilegus legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur. Hactenus Imperator.

Conc. I. Nicæn. an. 325. Can. Arabic. 63. Concil. Chalced. an. 451. Can. 26. Concil. Rom. III. an. 502. cap. 6. Conc. Rom. VI. an. 506 c. de non alienā. rerū Eccl. Conc. Agath. an. 506. c. 22. Conc. Aurel. I. an. 506. cap. 16. c. 17. & 23. Conc. Aurel. III. an. 537. cap. 25. Con. Aur. IV. an. 547. c. 9. Conc. Aur. V. an. 549. c. 13. Conc. Turon. II. an. 570. c. 25. Conc. Matisc. 2. an. 588 c. 5. Conc. Brac. I. an. 572. c. 39.

Constitutiones illæ Imperatorum idem omnino sancientes quod Canones Apostolorum, magnum eis adiecere pòdus, vt & decretis Conciliorum, quæ variis habita sæculis, speciales de bonis Ecclesiæ Canones ediderunt. Vidi ego varios Canones editos in gratiam facultatum Ecclesiæ. Sed ne eorum series lectorem grauet, satis erit prænotare Concilia, annosque, quibus fuere conuocata, adiecto numero capitis, seu Canonis, vt sic ablato fastidio, lectori tamen cupido consulatur. Itaque consule Concilium Nicænum I. Concilium Chalcedonense, Concilium Romanum III. sub Symmacho & Concil. VI. Conc. Agathense, Conc. Aurelianense I. & IV. & V. Conc. Turonense II. Conc. Bracarense I. Aliis retrò sæculis multa Concilia habuere rata decreta hæc, quæ tibi insinuo paginæ istius margine fimbriata.

Instabunt hæretici editos quidem fuisse Canones in gratiam facultatum Ecclesiæ; sed aliam fuisse omnino praxim sanctiorum Antistitum, qui pauperem egere vitam, gestantes Pastorale pedum ligneum, nullo planè auro graues nisi cœlesti, quo erat eorum anima deaurata. Non inficior, plerosque Episcoporum affluente etiam rerum omnium copia, sibi temperasse ab opibus, vt nostra ferè ætate Beatus Carolus Borromæus, locupletis Ecclesiæ Præsul, ieiunus & impastus, pauperum corpora sustentabat Ecclesiæ annonâ, imò & grassante lue, suam omnem supellectilem in pauperes erogauit. Illa tamen indoles Sanctorum parcè viuentium non obstitit, quin inuigilarint Ecclesiæ bonis, cauendo ne quid eorum incuriâ deperiret. Et hunc vsum fuisse insolitum Ecclesiæ eo tempore, quo Caluinus ait eam floruisse, accipe exemplo Paulini Episcopi, qui floruit initio quinti sæculi: huic adiice alium Episcopum, scilicet Hilarium, vno etiam ferè sæculo seniorem.

EX HISTORIA.

Horum meminit Prosper, qui & ipse famosus fuit scriptor quinti sæculi. Sic ille. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis, aut venditis, fit rei suæ contemptor, cùm præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia efficitur dispensator. Denique Sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendidit, & pauperibus erogauit: sed cùm postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensauit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia possideri. Quid Sanctus Hilarius? nonne & ipse omnia bona sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cùm merito perfectionis suæ fieret Arelatensis Episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia non solùm possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliauit. Isti ergo tam sancti, tam perfecti Pontifices factis euidentibus clamant, posse, & debere fieri quod fecerunt. Qui vtique homines tam sæcularium quàm diuinarum literarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, nunquam eas debuerant, qui omnia sua reliquerant, retinere.* Hæc ille.

Prosper l. 2. de vita contempl. c. 9.

Sancti Episcopi possederunt amplas facultates.

Episcopi sæpe facultates superfluas pauperibus erogarunt.

Frigescente pietate cleri, noluere clerici vitam communem agere, nec adeò paruis stipendiis militare Ecclesiæ, ad arbitrium Episcopi sui. Eam obrem creata sunt alia auctoramenta, & singulis quibusque beneficiis assignatæ dotes, vt Antistite inconsulto, quisque congruam annonam acciperet ex prædio assignato illi titulo, quo inauguratus erat; ea tamen cautione, vt memores essent omnes Ecclesiastici, facultates sibi concessas ad vsum rationi consentaneum non debere litare luxui, sed velificari pauperibus, qui ius habent in superfluas opes Ecclesiæ, vt ait Prosper, commemorans sanctos Hilariū & Paulinum Episcopos, qui reditus Ecclesiæ communicabant cum egenis. Ita is auctor. *Datur intelligi quod tales ac tanti viri, qui volentes esse Christi discipuli, renuntiauerunt omnibus quæ habebant, non vt possessores, sed vt procuratores, facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcircò scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicauerunt in vsus suos vt proprias, sed vt commendatas pauperibus diuiserunt.* O dignam homine Sancto sententiam! Ita planè diuites illæ gazæ sunt vota fidelium, & pretia peccatorum, non semina luxuriæ, gulæ illecebra, & vitiorum fomes, vt sunt apud plerosque homines iniurios statui suo, quem polluunt sacris opibus abutentes, quos ad restitutionem obstringi Canonistæ probant, quia pauperes fraudant bonis eo nomine collatis Ecclesiæ, vt si quid superesset congruis vsibus clericorum, illud cederet in ius pauperum. Vtinam Ecclesiastici malè sibi conscij consulerent Nauarrum, Alexandrum Alensem, Richardum, Henricum, Gabrielem, Paludanum, Thomam Valdensem, Petrum à Soto, & Turrianum, qui omnes affirmant esse obnoxios restitutioni eos, qui dilapidant bona Ecclesiæ, genio suo indulgentes, pauperi quod suum est impiè denegantes. Huic ego subscribo sententiæ, & contrariam arbitror esse plenam periculi in praxi, ac proinde reditus opimos Ecclesiæ esse aurum Tholosanum iis qui eo vtuntur ad luxum, aut ad ditandum parentes, aut cognatos, vt hac censura cauet sacra Synodus Tridentina, quam vtinam animo recolerent proceres Ecclesiæ, sacris opibus abutentes. Ecce oraculum. *Optandum est vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant,*

Prosper vbi suprà.

Ecclesiastici malè dispensantes bona Ecclesiæ obligantur ad restitutionem.

Nauarr. l. de redit. Eccl. Alex. Alens. 3. p. q. 36. m. 5. art. 2. Rich. in 4. dist. 45. q. 1. circa 3. principale. Henric. quodlib. 8. qu. 27. Gabriel in 4. dist. 15. qu. 8. art. 2. Palud. d. 24. qu. 3. Tho. Vald to. 1. l. 4. c. 42. Soto de instit. sacerd. p. 2. Turr. ep. ad Epis. Land.

EX IVRE CANONICO.

Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de reformat.

Quales debeant esse Prælati in moribus & in supellectile.

Prælati ne in cognatos erogẽt opes Ecclesiæ.

agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Hæc cùm ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animaduertat, admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti quoddam perpetuum prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant. In primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantoperè Deo commendat, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solùm iubet, vt Episcopi modesta supellectile, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omninò verò eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent. Ita sancta Synodus hæc decreuit.

Ne autem alij Ecclesiastici causentur, hoc decretum pertinere ad solos Episcopos; hoc recolant, scilicet facultates Ecclesiæ, quibusuis titulis assignatæ sint clericis, esse, vt præmonui, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, quæ aliò diuertere nefas est, vt hac decretali liquet. *Ratio nulla permittit, vt quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur, propriis cuiusquam vsibus applicetur.* Est hoc decretum Summi Pontificis Gregorij Magni, cui affinis est ille Canon, negans clericis bona Ecclesiæ, si aliunde queant sibi prouidere. Ecce textum. *Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò committunt; & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt.* Hic Canon effluxit ex epistola Hieronymi, super ea re interrogati à Summo Pontifice Damaso. Eodem etiam flamine percitus Augustinus, suam in eo themate sententiam edidit congruam Hieronymo, quam Gratianus etiam Canonem fecit. Sic ille. *Si priuatum possidemus, quod nobis sufficiat; non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.* Profectò non hyperbolen sapit ille textus, vocans vsurpationem damnabilem, abusum illum Ecclesiæ facultatum. Verumenimverò Dionysius Carthusianus ait, Deo reuelante compertum esse, grauiores inferi pœnas esse inflictas Prælatis in luxum compositis; & hoc quadrat illi oraculo Salomonis: *Potentes potenter tormenta patientur.* Heu, heu, ò tempora! ò scelus! Peccatur equidem scienter & impunè, potestque iocus Spartanorum lepidè reuocari. Athenienses sciunt quæ recta sunt, sed facere nolunt.

Cap. Ratio de præb. l. 3. decret. tit. 5. c. 3. Greg. epist. Ambrosio subd.

Can. Quoniã §. clericos 16. qu. 1.

Hier. epist. ad Damasum.

Can. Si priuatum 1. q. 1. Aug. ep. 50. ad Bonifaciũ.

Pœna Prælatorum qui abutuntur opibus Ecclesiæ.

Dion. Carth. l. de 4. nouiss.

Sap. 9.

* * *

PARS ALTERA TITVLI DE BONIS ECCLESIÆ.

Citra vllum dispendium voti paupertatis possidentur in communi bona à Religiosis.

Ex Vtroqve Ivre, et ex Historia.

Possunt religiosi bona possidere in communi.

Ex Ivre canonico.

NOn in Physicis tantùm, sed & in moralibus valet istud axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter sese.* Verbi gratiâ, domibus religiosis collatæ sunt opes à fidelibus, vt degentes illic cœnobitæ discreti à sæculo vacarent iugi obsequio Dei, vt eum conciliarent eis, qui liberali manu suas sic opes illis domibus erogabant. Cùm ergo Ecclesia eodem titulo suas opes possideat; Ecclesiæ, & domus Religiosæ, quoad opes erunt eædem inter sese, ita vt æquè liceat religiosis in communi bona possidere, ac quibusuis Ecclesiasticis, dummodo regula non reclamet. Ita definitum est in Conc. Trid. cuius en decretum. *Concedit sancta Synodus omnibus Monasteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de obseruantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit.* Legitimam hanc bonorum possessionem adstruit etiam hoc effatum vetus, scilicet: *Monachum quicquid acquirit, non sibi acquirere, sed monasterio.* Quod falsum esset, si monasterium in communi non haberet aliquod dominium. Fuisse & hanc Ecclesiæ praxim liquet hac decretali Papæ Celestini III. *Sanè nostris auribus est relatum, quod cùm B. miles secum filio suo discretionis annos nullatenus attingente, ad quoddam Monasterium cum bonis suis etiam contulisset, dictum filium suum fecit habitum suscipere monachalem.* Hanc bonorum possessionem ita voluit esse singularem cœnobitis Gregorius Magnus, vt monuerit Antistites, qui aliquod tunc ius habebant visitandi cœnobia, caueant ab vsurpatione bonorum Monasterij. Inde emersit ista decretalis. *Alicui Monasterio, nec tu, nec presbyteri tui, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiæ inferatis. Aut si quid illic pro diuersorũ deuotione accesserit, vobis vendicare astinetis: cùm Monachis ibi seruientibus debeat proficere, quicquid à fidelibus taliter offerri cõtingit.*

Conc. Trid. sess. 25. c. 3. De Regul.

cap. Cùm simus §. Sanè nostris l. 3. decret. tit. 31. cap. 14.

Cap. Theod. paragr. Alicui de statu Monach. l. 3. decret. tit. 35. c. 1.

Si bonorum possessio in communi esset iniuria statui monachali, Imperatores Christiani, quibus maximè fuit cordi propagatio vitæ monasticæ, irrita fecissent testamẽta, quibus opes maximè adiudicabantur cœnobiis, quæ eodem iure voluerunt gaudere, quo & gaudet Ecclesia, quæ adire potest hæreditatem benefici testatoris. Ecce Constitutionem Imperatorum Valentiniani, & Martiani, qui quinto sæculo rerum poti sunt. *Generali lege sancimus, siue vidua, siue diaconissa, vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocumque alio nomine Religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento, vel codicillo suo, quod tamen aliâ omni Iuris ratione munitum sit, Ecclesiæ, vel martyrio, vel clero, vel*

Ex Ivre civili.

Leg. Generali Cod. de sacrosanct. Ecclesiis.

monachis, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacumque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque consistat. Hac Constitutione Cæsarea, Ecclesia & domus religiosæ sunt eiusdem iuris, & possunt vendicare sibi dominium rerum oblatarum. Vtque constantior esset illa proprietas, Iustinianus Imperator sanxit, vt eiusdem omnino rationis essent bona Ecclesiæ, & Monasterij, quoad alienationem, quam hac nouella Constitutione prohibuit. *Vnam existimamus oportere legislationem imponere omnibus sanctissimarum Ecclesiarum, Xenodochiorum, & Nosocomiorum, & Monasteriorum, & totius sacrati Collegij rebus, &c. Nos igitur sancimus, neque Patriarcham, neque Episcopum, neque cuiusque generis piorum locorum œconomum, aut Monasterij virorum vel mulierum Abbatem, vel Abbatissam, aut quemlibet omnino præsidentem venerabilibus Collegiis licentiam habere alienare rem immobilem, aut in domibus, aut in agris, &c. Nec per specialis pignoris occasionem tradere creditoribus. Alienationis autem nomen generaliùs posuimus, vt prohibeamus & venditionem, & donationem, & commutationem, & in perpetuum extensam emphyteusim, quæ non procul ab alienatione consistit.* Hactenus Imperator.

Nequeunt alienari bona Monasterij.

Paragr. Vnā in auth. de non alienandis aut permutandis rebus Eccl.

Sed ne possessio illa bonorum videatur licita cœnobiis sola auctoritate, accipe validum argumentum contra nostrates pseudocatholicos, æmulos Professorum vitæ Monasticæ, quos carpunt eo nomine, quòd in communi possideant prædia & alia, quæ conducunt ad vitam hanc sartam tectamque propagandam. Sic arguo: Quicquid iniquum est, tale est ex natura rei, aut quia prohibitum est: Sed possessio bonorum, qua gaudent cœnobitæ, neutro modo iniqua est: Ergo nullo, quia duobus hisce modis res aliqua malitiam suam affricat hominibus. Ex natura rei illa possessio bona est: nam eo intento facultates oblatæ sunt cœnobiis, vt cœnobitæ diutiùs & expeditiùs Deo inseruiant, incurij congregare vnde viuant, & tegantur, cùm certi sint esse Religioni in communi, vnde singulis quibusque Religiosis congruè succurratur. Eamobrem illa possessio ab illo fine, qui est amoris Dei & proximi, bonitatem emendicat vtique singularem. Rursus si esset prohibita illa possessio, id esset legibus, aut voto. Non legibus: nam Iure Canonico & Ciuili præfatus sum, esse licitam illam possessionem laudatam à Pontificibus, & Imperatoribus. Neque ex voto: siquidem illi, qui profitentur regulam alteram, quàm B. Seraphici Francisci, vouent tantùm se nihil proprium habituros in singulari, ac proinde licet eis in communi oblata fidelium vota possidere.

Quibus rationibus cōuincatur licita bonorū possessio, communis monasteriis.

Quia Sanctorum praxis in re dubia magni momenti est, etiam hoc argumento stabilire est legitimam possessioné illam, quam refellūt homines iniurij vitæ monasticæ. Itaque in confesso est, Congregationem clericorum regularium, quam instituit S. Augustinus, fuisse cœtum hominū, qui dederant nomen suum vitæ monasticæ: Sed hæc Congregatio habuit facultates in communi, quas Beatus Augustinus oblatas minimè recusabat: Cùm ergo Sanctus ille doctissimus hoc factitarit, nemine reclamante, imò ipse magni fecerit illud institutum; nescio qua fronte aduersarij declament in eos Religiosos, qui sibi concessis opibus inuigilant. Et tantùm abest vt damnarit Ecclesia cœnobitas, vtentes opibus legitimis; vt contra causas egerit eorum, siquando bona eorum aliquod sint passa dispēdium, vt videre est hac Gregorij Magni epistola. *Indicante mihi Romano defensore cognoui, quia Monasterium ancillarum Dei, quod est in fundo Monotheo ab Ecclesia nostra de Villanoua, de fundo iuris sui violentiam pertulit, qui eidem Monasterio dicitur dimissus. Quod si ita est, experientia tua eis & fundum restituat, & eiusdem fundi de duabus indictionibus, quas exegisti, pensiones restituat.* Æuo Caroli Magni ampla fuere bona assignata Religiosis domibus, & ipse Imperator acriter inuectus est in eos, qui facultates vendicabant sibi, Religiosis domibus assignatas: Ecce in eo argumento legem latam à Carolo Magno. *Omnibus nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, qualiter interdicimus, vt nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis Praefectorum, vel Comitum, sæculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere, vel quocumque modo inuadere præsumat monasterium, aut prædia, vel quæscumque res de potestate Episcopi, vel Abbatis, aut Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui Patres nominabant raptorem, & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem in ouile Christi.*

Augustinus suos Religiosos voluit habere opes in communi.

Ex Historia.

Possid. c. 24. vitæ Aug.

Greg. lib. 12. epist. 30.

Carolus Magnus l. 6. legū cap. 321.

Ecclesiæ opes sunt Christi sanguine comparatæ.

Esto tot titulis adstruatur Religiosa possessio bonorum in communi; illa tamen nonobstat, quin pauperes sint singuli quique Religiosi emisso voto paupertatis: Ille etenim pauper est, qui nihil omnino suum habet: At Religiosi sunt huiusmodi; quia nemo eorum potest dicere, aliquid esse suum: siquidem dominium est commune, & non singularium personarum, quæ proinde nullum ius habent in res etiam eis concessas, vt sunt vestes: quippe Religiosus nullius omnino rei plenam dispositionem habet, ideoque nequit inuito superiore distrahere aliquid è rebus Monasterij. Idcircò Canones sancti dum inculcant Religiosis illam paupertatem, eos monitos volunt, nihil planè eis proprium esse. En Canonem. *Non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia.* Iniquè igitur in cœnobitas declamant aduersarij nostri vt in violatores paupertatis, cùm singuli eorum sponte sua proprium abdicarint, atque ita precariò viuant.

In quo sit sita paupertas religiosa.

Ex Ivre Canonico.

Can. Non dicatis 12. q. 1.

SENSVS ORTHODOXVS.

Diluuntur obiectiones iniuriæ voto paupertatis.

Ex Vtroqve Ivre, ex Historia Ecclesiæ Primitivæ, et ex SS. Patribvs.

Nabuchodonosor Rex impius inducere volens homines ad cultum suæ statuæ aureæ, conduxit musicos, vt ad eorum suaue melos homines dementati prociderent ante molem illam auri, aut scirent sibi vindices esse ignes accensos. Ecce tenorem historiæ. *Præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: In hora qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & cytharæ, & sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & vniuersi generis musicorum; cadentes adorate statuam auream, quam constituit*

Dan. 3.

constituit Nabuchodonosor Rex. Si quis autem non prostratus adorauerit, eàdem horà mittetur in fornacem ignis ardentis. Ecce typum industriæ, qua vsus est dæmon ad infatuandos hæreticos apostatas, quibus illusit occinens eis nænias, & suggerens, innoxias esse delicias huiusce sæculi, aut si aliquale virus subest, eis superesse tempus pœnitendi. Huic susurro apostatæ auscultantes, statim prociderunt ante aurum sibi propositum: nam abiurato voto paupertatis, in diuitias congregatas iniquis artibus anhelarunt. Et quia Religiosi tenaces propositi sui occluserunt aures suas sibilo diaboli, & noluere litare auro, vendicantes sibi aliquid proprium sigillatim, desertores vitæ monasticæ, bilem suam omnem accendentes, in viros illos sanctos & constantes acriter exarserunt. Sed vt flamma fornacis Babyloniæ sæuiit in tortores, qui tres pueros iniecerant in medias flammas, quæ veneratæ sunt tres illos puerulos illibatos; ita noxia fuit hæreticis ira, qua exasperati, sese præstitere iniurios vitæ monasticæ, quæ nullum patitur dispendium, licet quotidie è claustro dilabantur apostatæ, & declament in eos, qui in statione sua constanti animo perseuerant.

Quare hæretici declament in votum paupertatis.

Ecce argumentum Achillæum, quod Brentius vt validam machinam aptat & dirigit in votum paupertatis. Quisquis, inquit ille, vouet se nihil in posterum proprium habiturum, vel diues est, vel pauper. Si pauper, profectò Deo imponit, quia nihil omnino relinquit, nec habet vnde Deo dicat, se omnia reliquisse, cùm rerum omnium penuriam pateretur: atque ita votum illud est simile illi, quod emitteret æger, si voueret se ægrotaturum. Si verò diues est, ille vouet vt omnes in commune bonum referat suas facultates, monasterio adscriptas, aut eas erogat pauperibus, vt & ipse mendicus vitam suam eleemosynis sustentet. Si primum, id est, si emittat votum paupertatis, vt nihil sibi in singulari vendicet, sed communibus vtatur stipendiis religiosæ domus: is proculdubio cautè & prudenter consulit sibi, ita se subducens egestati, quam fingit tamen ille hypocrita profiteri. Nempe in domibus opulentis cœnobitarum, omnia vbertim affluunt viris illic degentibus. Si secundum, id est, si omnes suas facultates effundit liberali manu in pauperes, vt ita Deum demereatur, bifariàm peccat. Primò, quia suis actibus arbitratur inesse meritum. Secundò, quia se importunum præstat fidelibus, vtique contra charitatem, nimirum adeò pauperes molesti sunt fidelibus exigêdo stipem, vt magnâ eis ingerant molestiam.

Quomodo hæretici impugnent votum paupertatis.

Ioan. Brent. in confess. Vuitemberg. c. de votis.

Discursus ille fucos fecit incautis hominibus, qui suas accommodarant aures symphoniæ Angeli nequam, cuius oratione malè suada ceciderunt ante statuam auream, immemores voti sui, & opibus inhiantes. Itaque è re mea est soluere nodos, qui laqueos illos côficiunt. Dico ergo, pauperes nihil incongruum committere si voueant Deo paupertatem, qui licet inopia tunc premantur; ea tamen est rerum omnium sors alternans, vt Deo versante vices mortalium ditior aliquando fiat is, qui nunc eget. Vnde aliquid ille magnum præstat, qui suos omnes colligit affectus, vt obsequij diuini ergò abdicet suas spes de sæculo conceptas, & proponat dare libellum repudij gazis omnibus, quas æquior fortuna potest omnibus elargiri. Eò spectat Augustinus ita fatus: *Neque mihi minus imputabitur, quia diues non fui: nam nec Apostoli, qui primi hoc fecerunt diuites fuerunt: sed totũ mundum dimittit, qui & quod habet, & quod optat habere dimittit.* Rursus inepta prorsus est similitudo ægritudinis, & paupertatis: vna namque procurari potest, scilicet paupertas; alia declinari debet pharmacis, eo fine cœlitus institutis. Penes paupertatem spontaneam animo conceptã Deus reposuit beatitudinem. At non consuluit alicui, vt ægritudinem conciliaret. Prest ergo votum emitti de paupertate spontanea, & non de ægritudine, cui debemus occurrere remediis idoneis.

Pauperes ritè voueнt Deo paupertatem.

Ad alteram partem argumenti, quæ carpit diuitem hominem, suas abdicantem facultates, vt domus religiosa, vbi degit, eas possideat in communi, & ibi queat inde referre subsidium vitæ. Respondeo, huiusmodi hominem reuera pauperẽ esse, vbi voto emisso paupertatis, professus est, se deponere omne dominium, seu ius in suas illas opes: nam reuera pauper ille est, qui nihil omnino suum habet, quod vendere, dare, aut permutare possit. Et hæc paupertas commendatur in primis Christianis, qui sua supellectile, & prædiis diuenditis, ad pedes Apostolorum pretia reponebant, vnde postea communem agentes vitam, habebant vnde pascerentur, & veste congrua tegerentur. Quod autem Brêtius adiicit, eos, qui voueant paupertatem, vt mendicent, facere contra charitatem, quia sunt molesti aliis, & præterea assurgere in typhum iniurium Christo, cuius merito sanati sumus, & non merito bonorum operum. Respondeo, meritum è spontanea paupertate fluens nullam facere iniuriam Christo: non enim dicimus, bona opera nostra esse meritoria independenter à Christo; sed prædicamus, id omne, quod valemus eniti, habere à merito Christi, vt meritorium sit: quippè Christus non meruit tantùm nobis, sed insuper hoc præstitit, vt opera nostra sint meritoria, si ea qua par est cautela fiant. Denique non violatur charitas proximi à mendicis Religiosis: namque illi nemini facessunt negotium mendicando, nec vim vllam inferunt, cùm sit penes vnumquemque erogare stipem, aut efficere vota pauperum irrita. Quòd si aliquando diuites pudore suffusi annuunt votis pauperum; non ideo tamen deperit illis omnis eleemosynæ fructus, etiamsi primariò Dei intuitu non communicent suas cum paupere facultates. Nempe fit plerumque, vt pauper acceptâ eleemosynâ preces fundat pro eo, qui inuitus dedit, & Deum illi conciliet, vt duabus famosis liquet historiis, quarum vna est de S. Ioanne Eleemosynario, qui fusis precibus pro auaro, à quo pauper panem extorserat, Deum fecit illi propitium.

Non est contra votum paupertatis recipere stipendia ex bonis monasterij.

Paupertas meritoria.

Meritum nostrum est effectus meritorum Christi.

Ex HISTORIA. *Ex vita S. Ioan. Eleemosynarij.*

Altera est Seraphici Patris nostri Francisci, apud quem frater ille, cuius erant partes ostiatim emendicare panem quotidiano penso, cum carperet cuiusdam auari hominis indolem, adeò austeram, vt ab eo nec frustulum panis vnquam referre potuisset; Beatus ille Pater ait huic querulo fratri: Vade, & qua poteris industria hoc satage, vt à præfato homine referas vnum panem. Incunctante mora Religiosus dicto audiens, hominem illum pauperum incurium conuenit, eique se importunum præbens, hoc præstitit, vt auarus pertæsus vim, quam faciebat mendicus ille frater, panem integrum erogarit. Eo accepto redux ille frater panem illum offert Beato Patri suo, qui conuocatis suis fratribus, vnicuique frustulum elargitus est, ea lege, vt singuli quique recitarent orationem Dominicam in gratiam noui illius benefactoris. Extemplò obediunt omnes, & peragunt impositum sibi pensum præeun-

Ex Chron. Minor. in vita S. Francisci.

Eleemosynæ effectus declaratur duabus historiis.

Eleemosynæ non deperit merces.

te Patre Francisco, cuius oratione cicur effectus est homo ferox, adeò propitius, vt neminem deinde Minores experti sint magis propensum in pauperes: Vnde liquet, etiam diuitibus à Deo pauperum obsequio prouideri.

Tertull. Opes à Deo concessæ quomodo sint nostræ.

Alio rursus ariete petitur votum paupertatis, & ostenditur incongruùm: Nimirum vt votum sit Deo gratum, debet aliquid offerri à vouente: Sed is, qui vouet paupertatem, & dicat Deo suas omnes facultates, nihil suum dat Deo, quia Dei sunt omnia. Ideoque blasphemia est dicere, se suas opes Christo Domino consecrasse, cùm nihil omnino habeamus quod Dei non sit, iuxta illud Tertulliani effatum: *Nihil est nostrum, sed Dei sunt omnia, cuius nos quoque sumus.* Vnde vt ridiculus esset filius, qui iuraret Patri suo obsequium; ita & ineptus est ille, qui Deo offert illud quod eius est. Respondeo, omnia quidem esse Dei, sed eum nobis multa concessisse, quibus ad arbitrium nostrum possumus vti, & tunc ea esse Dei vt creatoris, & etiam esse nostra, quia facta iuris nostri: ideoque benè offerri Deo vt nostra, licet eius sint omnia. Ita licet filius teneatur obedire patri suo; quædam tamen sunt, in quibus est sui iuris, vt nemo à patre suo cogi potest, dare nomen suum vitæ monasticæ; si tamen voto se obstrinxisset, in ea re etiam obedire patri, tunc standum esset pollicitis. Eo etiam pacto nemo tenetur abdicare suas facultates, & eas Deo dare in persona pauperum, etsi sciat eas esse Dei: siquidem Deus hoc reliquit proprio cuiusque arbitrio. Si tamen quis hoc vouerit, rem præstat ille Deo perquàm gratam: quippè Deus ait, dare sua omnia pauperibus, esse compendiosam viam ad sanctius institutum. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Ergo cùm Deus non consuluerit rem ineptam, sed quæ conducit ad salutem animæ capessendam; paupertatis Euangelicæ votum laudabile est, & magnum meritorum prouentum adfert.

Paupertatis votum Deo gratissimum.

Matth. 19. Paupertas conducit ad perfectioné.

Votũ emissum multum adiicit merito boni operis.

Nouator ille, qui nuper exarsit in vota monastica negat votum adiicerè merito, imò satiùs esse, præstare bonum sine voto. Sed vt erroris, ita & ignorantiæ conuincitur pluribus argumentis. Primò Iure Canonico, vbi votum paupertatis dicitur esse magni præmij, si seruetur; vt secus obnoxium pœnæ est, si à fœdifrago fiat. En Canon editus ab Vrbano I. Papa, qui floruit æuo Tertulliani, vigente primo feruore fidelium. Sic ille: *Quicumque vestrûm communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere: videat, ne pollicitationem suam irritam faciat: sed hoc quod Domino pollicitus est, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat: quoniam satius est non vouere, quàm votum, prout melius est, non perficere.* Cui amabo credendum est, homini temerario, & ignaro, an Summo Pontifici, cuius epistola Canonem illum fecit. Ait ille, votum paupertatis dignari præmio, cui opponit damnationem. Ergo pessimè arguit aduersarius, votum nihil adiicere ad meritum, cùm præmij magnitudo excellentiam meriti præsupponat.

EX IVRE CANONICO.

Can. Scimus Quicumque 12. q. 1. Vrbanus I epist. vnica ad omnes Christianos.

Rursus praxis insolita Ecclesiæ primitiuæ clamat excellentiam voti paupertatis: nam tunc fideles non abdicabant tantùm facultates suas; sed & voto se obstringebant spontaneæ paupertati, vt probatur historiâ Ananiæ & Sapphiræ, qui ob violatum votum paupertatis subitò perierunt.

Ecclesia primitiua votũ paupertatis frequens habuit.

Non enim morte repentina & præcoci Deus in eos animaduertisset, si grauiter non peccassent, vt aduertêre Patres Sancti, versantes illam historiam. Ita Chrysostomus, qui inducit Petrum carpentem Ananiam hac censura: *Quare hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem postquam consecrasti, maius sacrilegium commisisti: qui enim aliena rapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit; tibi autem licebat tua retinere: cur igitur sacra fecisti ea, & postea accepisti?* Vide obiter, qua impudentia blasphemus ille nuper condemnatus irrideat Religiosos, qui vota sua consecrationem vocant, cùm nostra non sit illa nuncupatio, sed sanctorum Ecclesiæ Procerum, vt videre est in illa Chrysostomi sententia: illud quippe sacrum est, quod profanis vsibus subducitur, & Deo rerum omnium Domino dedicatur. Voti ab Anania emissi assertores sunt principes Ecclesiæ doctores, in quibus accipe præcipuum dignitate, Gregorium scilicet illum Magnum, ita decernentem. *Ananias Deo pecunias vouerat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit.* In ea sententia præiérat illi Hieronymus hoc tenore. *Ananias & Sapphira dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea vouerant, partemque sibi iam alienæ substantiæ reseruarant.* Concinit Augustinus hoc congruo accentu. *Dum ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegij simul condemnatur & fraudis, &c. Si Deo displicuit detrahere de pecunia quam vouerant Deo; quomodo irascitur quando vouetur castitas, & non exhibetur?* Eò spectant hæc monita Fulgentij. *Quàm sit malum, quámque sollicitè fugiendum, si quis de hoc, quod Deo vouerat, aut retinere, aut rapere aliquid mortifera præuaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias & Sapphira.*

EX HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ.

Act. 5. Chrysost. hom. 12. in Act. Apost.

Paupertatis votum emissum ab Anania & Saphira.

Quid sit res Deo sacra.

Greger. l. 1. epist. 33.

Hier. epist. 8. ad Demetriadem tom. 1.

Aug. ser. 27. de verbis Apostoli.

Fulg. epist. de debito coniugali c. 8.

Adeò strictè fuit obseruatũ illud votum paupertatis tempore Hieronymi, vt cœnobitæ necessariam sibi supellectilem non auderent expetere. Ita Hieronymus. *Non licet dicere cuiquam: tunicam, & sagum, textaque iuncis strata non habeo.* Hieronymo suppar in eo argumento Cassianus ait, illo æuo viguisse quàm maximè votum paupertatis. Sic ille: *Illam virtutem inter cæteras eorum institutiones, vel commemorare superfluum puto, quòd scilicet nulli peculiarem sportulam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens suo debeat communire signaculo.* Hanc rerum omnium abdicationem fuisse obfirmatam voto, ille satis innuit hoc discursu. *Sicut immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundùm regulæ institutionem ei adhærentibus repromittitur in futurum; ita pœna grauissima præparantur his, qui tepidè eam negligenterque fuerint exequuti, & secundùm hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint: meliùs est enim secundum Scripturæ sententiam non vouere quemquam, quàm vouere, & non reddere.*

Hier. epist. 22. ad Eustochiũ.

Cass. l. 4. de institutis renuntiantiũ cap. 13.

Idem c. 33. eiusdem operis.

Esse rem arduam & magni momenti, emittere votum paupertatis, Augustinus insinuat hoc contextu: *Alius vouet relinquere omnia, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum, magnum votum vouit.* Rursus ille. *Dixerũt potẽtes illi: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant; sed*

EX PATRIBVS.

Aug. in Psal. 75.

Idem l. 17. de ciuit. Dei c. 4.

vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hîc continuò dictum est, dans votum voventi. Ait ille, Apostolos afflatos Spiritu Sancto vouisse paupertatem. Vnde sic arguo: Si, vt delirat ille nouus tenebrio, quem damnauit sacra facultas Parisiensis; Si, inquam, perfectiùs esset agere vitam inopem sine voto, quàm vouere tale genus vitæ. Apostoli à Christo edocti, non se voto obstrinxissent ad ærumnas, quas secum vehit hæc paupertas. Ergo cùm illi vouerint paupertatem, vt ait Augustinus; res est indubia, voti professionem adiicere aliquid merito boni operis: alioquin Apostoli degeneres vouendo deuiassent à recto perfectionis tramite, quod nemo nisi delirus homo ausus fuerit affirmare.

Votum non fac nisi Deo inspirante.

Apostoli vouerunt paupertatem.

Hunc morem vouendi paupertatem esse sanctum, Augustinus ait hoc contextu. *Qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit.* Duo hîc ait. Primò fideles illos, qui suas in commune referebant opes, voto se obstrinxisse illi formulæ viuendi. Secundò eos, qui detrectant illud genus vitæ inceptum cadere à professione sancta. Quid ergò susurro sibilat in hoc votum: quasi verò votis bonorum operum merita decurtentur. Spontaneam illam paupertatem voto obsignatam ipsi etiam Imperatores venerati sunt, & speciali etiam lege cauerunt, ne quis resiliret à sancto illo proposito. Ita Iustinianus consulit paupertati, hac nouella constitutione. *Ingressi monasteria, ipso ingressu se suaque dicant Deo: nec ergo de his testentur, vtpote nec Domini rerum.* Hoc edicto notat Imperator solennem morem vouendi paupertatem, cùm dicit, à Monachis sua Deo dedicari, ac proinde facultate testandi excidere, quia nullum omnino ius habent in res, rerum omnium Domino consecratas. Eò etiam spectat alia lex, hæc decernens. *Nullus omnino quicquam habeat proprij, sed diu noctuque in commune viuant, & noctu eamdem inter ipsos cum diebus habeant obseruationem.* Facessant itaque obtrectatores, & blasphemi iniurij voto paupertatis, cui omnia oracula suffragantur.

Aug. ser. 49. de diuersis cap. 4.

Votum est sanctitatis negotium. EX IVRE CIVILI.

§. Illud quoque In Authent. ut De Monachis collat. 1.

Ibidem Collatione 10.

SENSVS ORTHODOXVS.

[illegible]

Filiis maturæ ætatis liceat nec ne, inuitis parentibus, dare nomen suum vitæ monasticæ.

In hæc verba:

IESVS *ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

VLTIMVS IMPETVS

IN INGRESSVM RELIGIONIS.

DVm Iudæi reduces à captiuitate ruinas Ierusalem instaurarent, insurrexere in eos Gentes, vrbis huius viciniam incolentes, vtque remorarentur opus cœptum, querulas scripsere literas Regi Artaxerxi, quem circumuentum in suas traxere partes. Simili ferè modo afflicta est res monastica hoc sæculo: bellis namque ciuilibus grassante furore hæreticorum, professio religiosa in magnam iacturam incurrit: quidam

Quare multi insurgant in vitam monasticam.

enim propositi sui desertores apostatæ, fuere valde iniurij sancto illi instituto, alij verò superstites in religione, laxioris vitæ amantissimi, Religiosi tantùm veste tenus, vitiis suis fecere exosum omnibus beatum illum statum, ita vt ipsum Religiosi seu Monachi nomen auribus ingratum esset. Sed pacato orbe Christiano, & rebus vtrimque compositis, plerique Religiosi anhelantes in cultioris vitæ genus, cogitarunt de reformandis regularibus institutis. Resque illa adeò benè cessit, vt vita monastica, mystica sanè Ierusalem, fuerit optimè restituta. Nimirum hodie variæ congregationes pertæsæ suum dyscolum vitæ schema, consuluere sibi, redeuntes ad meliorem frugem. Iniquo animo tulerunt hanc fabricam dæmones dispersi orbe toto, easque suo principi Lucifero querelas fecere, quas Gentiles Regi suo Artaxerxi, cui hanc scripserunt epistolam. *Notum sit Regi, quia Iudæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem & pessimam, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes. Nunc igitur notum sit Regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & vsque ad Reges hæc noxa peruenient, &c. Idcirco misimus, & nuntiauimus Regi, vt recenseat in libris historiarum patrum tuorum, & inuenies scriptum in commentariis: & scies quoniam vrbs illa, vrbs rebellis est, & nocens Regibus, & prouinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quamobrem ciuitas illa destructa est. Nuntiamus nos Regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans fluuium non habebis.* Hactenus illa series epistolæ, cuius tenorem assumpsere diaboli, compellantes Angelum illum nequam, cui subditi obsequuntur.

Quare vita religiosa diabolo displiceat.

1 Esd. 4.

Religiosi hoc præstant vt diaboli ditio minuatur.

Sic illum affati sunt spiritus hi refugæ, acerbi hostes vitæ monasticæ: Hoc compertum habe, ô Princeps noster; habuisse te Monachos in ditione tua, quando diffluebant vitiis, & genio indulgebant; sed eos cito defecisse à te, vt in suam sese reciperent Ierusalem, vitam scilicet monasticam, arcem munitissimam, quam impigrè reficiunt, validisque muris instruunt, dum regulas & statuta sua ad vnguem obseruant. Hoc itaque ratum habe, vigente vitâ monasticâ, fore vt eo iure excidas, quo tibi reprobi mancipantur. Etenim Religiosi suis exemplis obstant, ne homines peccent; & peccata sunt præcipua tributa, quæ rependunt tibi homines nequam, qui dum suasione Monachorum abiurant iniquum inolitæ vitæ tropum, fit industriâ vitæ monasticæ vt tua ditio minuatur. Et nisi quàm citò occurras obstando ne propagetur illa professio monastica, multi à te deficient, vt transeant ad hæc castra, sicut nosse potes decurrendo præterita sæcula; quibus Basilius, Antonius, Pachomius, Augustinus, Benedictus, Dominicus, & Franciscus, multos induxere ad rebellandum contra te, eos inscribendo suis institutis. Ea oratio dæmoni facta, eum perculit eo ferè modo, quo percitus Artaxerxes se iniquum præstitit Hebræis, prohibendo ne pergerent in structura suæ inclytæ ciuitatis, vt videre est hoc rescripto Regis huius, suspectam habentis indolem Hebræorum, in quos animaduertit ad arbitrium eorum, qui in eos Principem excitarant. Sic ille. *Accusatio, quam misistis ad me, manifestè lecta est coram me, & à me præceptum est: & recensuerunt, inueneruntque quoniam*

Religiosi suis exemplis prælucent aliis hominibus.

1. Esd. 4.

ciuitas illa à diebus antiquis aduersum Reges rebellat, & seditiones & prælia concitantur in ea. Nam & Reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui & dominati sunt omni regioni, quæ trans fluuium est. Tributum quoque, & vectigal, & reditus accipiebant. Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur, &c. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum contra Reges.

Religiosi pugiles strenui.

Ita etiam desæuiit ira Luciferi in vitam monasticam; quippe repetens numerum Sanctorum, quos recolit Ecclesia initiatos disciplina vitæ monasticæ, querulus ait, in toto terrarum tractu, vbi floret Ecclesia, nullum esse statum, qui acriùs pugnet in dæmones, quàm statum monachalem, ad quem confugiunt omnes, qui rebellant in mundum & sequaces eius. Idcirco ait esse pro viribus enitendum, ne professio religiosa in posterum longius, latiusque capiat incrementum. Præstò adfuere omnes luciferi asseclæ, vt impedirent hanc structuram mysticæ Ierusalem; id est, vt impedirent, ne quis in posterum daret nomen suum vlli instituto monachatus: homines namque sunt lapides viui, quorum compage exurgit illa Ierusalem. Eo fine diaboli conduxere ministros idoneos, vt homines auerterent ab illo sanctissimo religionis ineundæ proposito. Primò à partibus diaboli steterunt apostatæ omnes, qui vt defectioni suæ aliquam causam prætexerent, scripsere irrita esse vota monastica, quia tollebant libertatem Euangelicam, & sic secum abduxere plures Monachos, & Moniales, quibus erat grauis incolatus mysticæ Ierusalem, quæ passa ruinam in eorum desertorum defectione, aliquali parte sui collapsa est. Hi dæmonum ministri fuere, qui in Monachos scriptis & vt potuere debacchati sunt. In his Socrates recenset Lucium Arianum Episcopū, qui monasteria deuastauit, & traduxit Monachos degentes in eremo. Eodem cacodæmone afflatus Imperator Valens speciali lege vetuit homines fieri Monachos, & eos, qui iam initiati erant, fustibus adegit, vt eum statum penitus abiurarent, & arma capesserent, sicut luget Hieronymus. In illud etiam sanctum propositum scripsit Eunapius, vir Ethnicus, querens templa Deorum fuisse concessa Monachis, quos aiebat illudere hominibus ementita specie virtutis, cùm tamen pecorum ritu vitam rationis expertem agerent.

Socr. lib. 4. c. 22. Idem ait Ruffinus l. 2. c. 3.

Hieron. in chronicis. Eunapius l. de vitis Philosoph. in Ædisio.

Donatistæ Monachos compellebant, vt voto abiecto redirent in sæculum, teste Optato. Eodem flamine percitus Vigilantius Monachos à proposito deterrebat, frustra etiam Hieronymo renitente. Nonne & Augustinus conqueritur, se esse expertum grauem inimicum Petilianum, hostem acerbum omnium Monachorum; Alij, qui calamo non potuere lacessere Monachos, in eos igne & gladio sæuierunt, vt videre est in Constantino Copronymo, adeo infenso vitæ religiosæ, vt apud se proposuerit, ferro & igne delere illud institutum, vt scribit Theosteristus. Eadem laborauit insania Theophilus Imperator, qui speciali edicto fecit extorres omnes vitæ monasticæ professores. Liska Hussitarum Dux monasteria incendit, vt & Monachos inibi degentes, vt auctor est Cochlæus. Longum esset texere catalogum hominum impiorum, quos Angelus lucifuga armauit in Monachos, quos etsi extinxerunt quidam igne & ferro; non tamen tanta clade affecerunt vitam monasticam, sicut hi qui calamum aptarunt in hoc genus vitæ defæcatæ: quippe gladius martyres facit, sed penna suam multis affricat leuitatem, dum tingitur odio Monachorum. Locupletes huius nequitiæ testes sunt homines isti nequissimi osores Monachorum, quos acriter suo calamo diuexarunt Arnoldus Brixiānus notātus à Gunthero, Valdenses, & Guillelmus à Sancto Amore, auctore Alphonso. Gerardus Sagarellus, & Dulcinus Nouariensis, quos carpit Nicolaus Eymericus. Quàm impiè declamarit in vota monastica VVicleius, patet ex eius scriptis Constantiæ damnatis. Nihilo cautior Lutherus apostata alios omnes infami nequitia superauit, ita fatus: *Cupio eradicata & extincta & abolita esse vniuersa monasteria. Quæ vtinam Dominus igne & sulphure cælesti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat, adeò vt ne memoria quidem illorum supersit. Neque satis fuerit illis anathema imprecari, &c. Vota monastica sunt impia, Gentilia, Iudaica, sacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, hypocritica.*

Optatus l. 2. contra Donatistas.

Hier. contra Vigilantium. August. l. 3. cap. 4. contra Petilianum. Theosterist. oratione funebri in sanctum. Nicetā. Theophil. Imp. in suis constitut. Cochl. lib. 5. histor.

Guntherus lib. 3.

Alphons. contra hæreses. Nicol. Eym. par 2. q. 11. Ioan. VVicleus ar. 21. Constantiæ damnato. Luth. l. de votis monasticis.

Et hoc lethale virus ebibit Caluinus, qui vocat monasteria lupanaria, & vota retia Satanæ: ei subscribūt Centuriatores Magdeburgenses, quorum est ista blasphemia in professores vitæ monasticæ. *Quis hæc hominum monstra non exsecretur vt inimicos humanæ societatis, & contra secundam tabulam delinquentes?* Præfati Mochorum hostes conuiciis tantùm armati pulsarunt beatum illum statum. Sed quidam Catholici, conducti à dæmone, leoninæ hæreticorum pelli hypocritarum pellem vulpinam nequiter assuerunt: siquidem aiunt, Religiosos, tota spectante Republica, & ea reclamante, contra omnia iura diuina & humana pellicere filios ad sua cœnobia, inuitis parentibus, quorum spes omnes sic Monachi demetunt exhaurientes familias. Hoc eorū facinus dicunt isti susurrones damnari Iure diuino, quo præcipimur honorare patrem & matrē. Adiiciunt è Iure Canonico decretū Concilij Gangrensis, vbi damnatur illa praxis hoc Canone. *Quicumque filij à parentibus prætextu diuini cultus abscedunt, nec debitam reuerentiam dependunt illis, anathema sint.* Præterea prouocant ad tribunalia Principum, qui Dei intento suffragantes, condidere leges in gratiam parentum, quibus etiam voluēre licere multa, extremâ vrgente necessitate. In his est Constantinus, qui voluit patrem tantùm posse in filium, vt fas fuerit ei vendere filium in summa rerum inopia, vt inde sibi consuleret. Ecce legem. *Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victus causa filium filiamve sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi eius seruitij habeat facultatem.* Iustinianus Imperator tanti fecit reuerentiam illam paternam, vt voluerit parentes spoliatos sententiā Iudicis animaduertentis in aliquale eorum delictum, non cadere tamen iure, quo tenentur filij alere parentes. Hanc rationem legi suæ adiecit. *Nam licet legum contemptor, & impius sit; tamen pater est.* Ergo non licere aiunt admittere ad cœnobia filios inuitis parentibus, quia tunc violantur leges omnes antea recensitæ, quibus filij obsequium debent parentibus.

Caluin l. 4. Instit. c. 13.

Magdeburgenses Centuria 10. c. 4.

Obiectiones hæreticorum.

Ex Iure canonico.

Concil. Gangrense c. 16.

Ex Iure ciuili.

Lege 2. Cod. De patribus l. 4 tit. 43. Nouella 12. cap. 2. In authenticis De Incestis & nefariis nuptiis collat. 2 tit. 7

Respondeo, illas leges intelligi de parente in extrema necessitate constituto, cui reuera subsidium debet filius iure diuino, nec fas est Religiosis vendicare sibi filium, cuius pater necessariam requirit opem, citra quam peribit inediâ.

Aliàs

Ex Scriptura sacra licet filiis adire cœnobia inuitis parentibus.
Genes. 12.

Aliàs licet filio decurrenti pubertatis annos, patre inuito dare nomen suum vitæ monasticæ. Pro ea sententia militant, Scriptura sacra, Canones, & leges Cæsareæ, imò Sancti Patres agmine facto tutantur illam meam conclusionem. Ecce Scripturæ oracula. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Accedit alter textus, qui reuera pertinet ad eos, qui dedere suum nomen speciali obsequio Dei, patribus inconsultis. Ita Moyses. *Qui dixit patri suo, & matri sua: Nescio vos, & fratribus suis: Ignoro vos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Præscius etiam Psaltes Euangelici instituti, monet esse Deo seruiendum, nullo patris intuitu remorante propositum illud. Sic ille: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Sed in eo argumento præcipuè Christo credendum est, cuius en decretum. *Qui amat patrem, vel matrem plusquàm me, non est me dignus.* Ille idem omnium parens noluit adolescentem ire ad patrem suum, cui volebat adhærere seni, vt eum extinctum sepeliret, oppignerata fide sua se reuersurum patre suo tumulato. Christus eum patre inconsulto retinuit, eo exemplo probans facinus eorum, qui profitentur Euangelium reclamante patre.

Deuter. 33.
Psal. 44.
Matth. 10. Luc. 9.

Bellarmin. Tom. 1. controuersia 5. Generali l. 2. cap. 36.
Quando nō liceat filiis adire religiosam vitā inuitis parentibus.

Ad obiectionem Concilij Gangrensis Bellarminus in vado hæsit, nec diluit instantiam, dum dixit, Concilium castigasse eos, qui non parentes tantùm, sed & liberos & parentes relinquebant. Nulla profectò est illa solutio: præfatus enim Canon mentionem tantùm facit filiorum, qui prætextu diuini obsequij, relictis parentibus aliò diuertebant. Missâ igitur responsione Bellarmini incongruâ, quia non soluit argumentum, dico Canonem hunc editum esse contra filios, qui parentes in extrema necessitate positos derelinquebant. Hoc etenim nefas est, & iuri diuino contrarium. Hac autem causa ablata potest filius sui compos per ætatem, adire cœnobium, & profiteri statum perfectionis Euangelicæ, quæ in eo sita est, vt quis derelinquat patrem & matrem, vt Christo iugiter adhærescat.

EX IVRE CANONICO.
Can. Puella 20. qu. 2.

Filios pubescente ætate esse sui iuris, vt contra nitente patre fiant Religiosi, liquet Iure Canonico, vnde est iste Canon. *Puella si ante duodecimum ætatis annum sponte sua velamen sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes vel tutores id factum irritum facere si voluerint. Si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Nihil sanè in eo themate liquidiùs recenseri potest. Huius etiam generis est hoc decretum Concilij Toletani. *Parentibus filios religioni tradere non ampliùs quàm vsque ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit esse: postea verò an cum voluntate parentum, an sua deuotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.* Ad hanc etiā quæstionem pertinet illa Decretalis Clementis III. qui rogatus an filia teneatur voto de se facto à parente, respondit, eam si sit maturæ ætatis non teneri sequi arbitrium patris. Sic ille. *Tunc quia liberum habet arbitrium in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.*

Concilium Toletan. X. cap. vltimo.
Cap. Cum virum §. Nec obloquitur, de regularibus lib. 3. Decretal. titulo 31. c. 12.

EX IVRE CIVILI.
Lege 1. Cod. De patribus li 4. tit. 43.

Ad obiectionem Iuris Cæsarei respondeo, parentes habuisse aliquando ius summum in filios, quos ad arbitrium suum vendebant; sed eo iure cecidisse, expressa constitutione Imperatorum Diocletiani, & Maximiani, quæ hæc est: *Liberos à parentibus neque venditionis neque donationis titulo, neque pignoris iure, aut aliquo quolibet modo, nec sub prætextu ignorantiæ accipientis, in alium transferri posse manifestissimi iuris est.* Quòd si Constantinus nondum Christianus patribus indulsit vendere filios suos, ille duas cautelas apposuit. Primò vt eâ vrgeatur inediâ pater, cui occurrere non possit, nisi vendendo filium suum. Secundò vt liceat patri suum filium repetere, reddendo pretium, aut aliud ei substituendo mancipium, item vt fas sit ipsi filio ad suam redire ingenuitatem, reddito auctoramento suæ seruitutis. Ecce legem integram. *Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victus causâ, filium filiamque sanguinolentos vendiderit, venditione in hac tantùm casu valente, emptor obtinendi eius seruitij habeat facultatem: liceat autem ipsi qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alij ad ingenuitatem eum proprium repetere: modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro eiusmodi præstet.* Cùm igitur hæc lex edita sit in gratiam patris constituti in summo discrimine, illa non militat contra morem inolitum cœnobitis, qui nullum omnino filium initiant suâ disciplinâ, si per extremam parentum inopiam stet.

Lege 2. Cod. De patribus eodem l. & titulo.

Religiosi nullam debent agnoscere carnalem cognationem.

Itaque Monachi non vim faciunt Iuri Cæsareo, quando parentibus aliunde valentibus, admittunt filios ad perfectius obsequium Dei, à quo omnium patre fluit omnis paternitas, & cui statim atque aliquis se deuouit, nullo parentum affectu debet distrahi, aut diuelli. Quippe verus professor instituti monastici debet esse nescius omnis parentelæ carnalis, vtpote sortitus Angelos in affines, & Christum Dominum in parentem, vt monet Imperator Iustinianus, vetans ne Monachi & Moniales se insinuent titulo parentelæ; quia, inquit, Religiosi cognatio debet esse alia quàm terrestris. Sic ille in sua hac nouella constitutione. *Non ingredientur autem neque mulieres in virile monasterium, neque viri in fœmineum, occasione mortui, & ibi sepulti memoriam, vel per aliam causam, & maximè si quis fratrem fortè vel sororem, aut aliquem ex genere habere in monasterio dicat. Cognatio enim Monachis in terra non est, cæleste zelantibus vitam.* O vocem sanctiore etiam oraculo dignam, & quam vellem omnium Monachorum auribus insonare, vt superfluum parentum affectum expungerent, qui plerumque animo offundit sæculi species importunas!

Iustinianus Nouella 133. cap. 3.

Parentes damnantur qui distrahunt Religiosos.

EX SS. PATRIBVS.
Chrysost. l. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ.

Ne seuerioris ingenij arguar, conuocans filios ad classicum in parentes, audire Sanctos animus gestit, vt eorum calculis exceptis liquidò constet, quid sit in eo themate decernendum. Ita Chrysostomus increpat enitentes auertere filios à suo sancto proposito. *Sin vos contenderitis, filij quidem si fuerint egregia virtute præditi, etiamsi nolueritis, ad hanc peruenient Philosophiam monasticam, sempiternisque gaudiis fruentur; vos autem infinitos vobis ipsis cruciatus congeretis.* Ille idem monet deferri obsequium parentibus, dum modo non obstent sancto filiorum intento. Ecce sententiam Deo afflante latam. *Cum spiritualia impediunt parentes, nec agnoscendi quidem sunt.* Hanc conclusionem à Paulo accepit, qui ea cautione morem geri parentibus sanxit, dummodo præcipiant congrua pietati. Sic ille Apostolus: *Filij obedite parentibus in Domino.*

Idem hom. 84. in Ioann.
Ephes. 6.

Ita ſanè parentibus auſcultandum in Domino, ſed non contra Dominum, quando ſcilicet filios abſtrahunt à propoſito monachatus. In eo argumento multus eſt Hieronymus in eleganti illa epiſtola ad Heliodorum nectentem moras ob parentes. Ecce conſilium ſancti Patris. *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, vbera, quibus te nutrierat mater, oſtendat; licet in limine pater iaceat; percalcatum perge patrem, ſiccisque oculis ad vexillum crucis euola, ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Idem ſibi conſtans ita virginem adhortatur. *Siquis te corripit, quòd ſis Christiana, quod ſis virgo; non cures quod deſerueris matrem, vt in monaſterio inter virgines viueres: talis detractio laus tua eſt. Item crudelitas iſta pietas eſt, illum enim praefers matri, quem praeferre iubes & animae tuae.*

Hieronym. epiſt. 1. ad Heliod.

Idem epiſt. 47. de ſuſpecto contub.

Ambroſius recolens Romanos præmiis inuitaſſe puellas, vt dicarent ſuam virginitatem Veſtæ, etiam inuitis parentibus, qui iure ſuo excidebant, deteſtatur indolem illorum, qui reuocant filios à cultu Dei, licet Chriſtiano nomine cenſeantur. Ecce cenſuram Ambroſij. *Illic praemiis reuocantur à nuptiis: hic ad nuptias coarctabuntur iniuriis? Illic violentia fit, vt capiantur? hic fiet violentia, ne profiteantur? poteſt eſſe patientia ſacerdotum, vt non vel morte oblata, ſi tamen neceſſe eſt, integritatis ſacrificium vendicet?* Hieronymo & Ambroſio concinit Auguſtinus, animos addens adoleſcenti, cui meditanti ſeceſſum à ſæculo mater erat iugiter importuna. Sic ille. *Sed quid dicit, aut quid allegat? fortè decem illos menſes, quibus viſcera eius onerasti, & dolores parturitionis, ac labores educationis? hoc interfice verbo ſalutari, hoc perde matrem, vt in vitam aeternam inuenias eam. Hoc memento, vt oderis in ea, ſi diligis eam, ſi tyro Chriſti es, ſi turris fundamenta poſuiſti.* Gregorius è Sede Petri profert oraculum, totam iſtam dirimens controuerſiam, ita fatus. *Quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo neſciamus.* Quaſi diceret: præceptum equidem eſt, honorare parentes; ſed cùm filios enituntur abſtrahere à cultu Dei, non parentes agunt, ſed peremptores, & hoſtes acerbos ſalutis noſtræ, atque ita deponunt perſonam patris & matris, vt induant ingenium hoſtium impiorum, ac proinde cauendi ſunt hi parentes, vt nectentes inſidias ſaluti noſtræ, quæ debet eſſe potior omni affectu huius ſæculi, aut parentum.

Amb. l. 3. de virginibus. Parentes deteſtandi qui filios impediunt à ſtatu Religioſo.

Auguſt. ep. 38. ad Laetũ. Religioſo filio mater non reſiſtat.

Gregorius homil. 37. in Euangel.

Non audiendi parentes ſuadentes auerſionem vitæ monaſticæ.

Huic meæ explicationi Bernardus aſſentitur, in crudeles hos parentes ſic declamans ex perſona filij, quem parentes eo nomine laceſſebant. *Sola (inquit ille) cauſa, qua non licet obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit: Qui amat patrem & matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Si me, verè vt boni, vt pij parentes diligitis, ſi veram ſi fidelem erga filium pietatem habetis, quid me patri omnium Deo placere ſatagentem inquietatis, & ab eius ſeruitio, cui ſeruire regnare eſt, retrahere attentatis? Verè nunc cognoſco, quia inimici hominis domeſtici eius. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnoſco parentes, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad meum atque veſtrum imò vniuerſorum patrem. Alioquin quid mihi, & vobis? Quid à vobis habeo niſi peccatum, & miſeriam? Hoc ſolum quod geſto corruptibile corpus de veſtro me habere fateor & agnoſco. Non ſufficit vobis quòd me in hanc ſæculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis: quòd in peccato veſtro & peccatores peccatorem genuiſtis: quod in peccatum natum de peccato nutriſtis: niſi etiam inuidendo mihi miſericordiam, quam conſecutus ſum ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis? O durum patrem! ô ſæuam matrem! ô parentes crudeles & impios! imò non parentes, ſed peremptores, quorum dolor, ſalus pignoris; quorum conſolatio, mors filij eſt. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare ſine eis. Qui me rurſus ad naufragium, vnde tandem nudus euaſi: rurſus ad ignem, vnde vix ſemiuſtus exiui: rurſus ad latrones, à quibus ſemiuiuus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano iam aliquantulum conualui, reuocare conantur, & militem Chriſti propè iam rapto cælo triumphantem, ab ipſo iam introitu gloriae, tamquam canem ad vomitum, tamquam ſuem ad lutum, ad ſæculum reducere moliuntur. Mira abuſio. Domus ardet, ignis inſtat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, euadenti ſuadetur regredi. Et hoc ab his qui in incendio poſiti ſunt; & obſtinatiſſima dementia, ac dementiſſima obſtinatione fugere periculum nolunt.* Hæc Bernardus.

Bernard. epiſt. 111.

Quæ debeat eſſe parentũ pietas in filios.

Crudeles ſunt parentes qui abſtrahunt filios à cœnobiis.

Parentes qui filios abſtrahunt à cultu Dei duriùs obiurgat Bernardus.

Profectò hæc argumenta valida ſunt, & idonea ad arietandum in affectum filiorum in parentes: nam ſi magnes eſt amoris amor; vbi non erit amor, ibi ſanè nulla prorſus erit amoris illecebra: cùm ergo parentes, qui diſtrahunt filios à clauſtris, non eos vt decent ament, vtpote nolentes eorum bonum, quod ſitum eſt in obſequio Dei, cui bonum eſt in clauſtro iugiter adhærere; Proculdubio indigni ſunt qui à filiis audiantur in eo ſuſurro iniurio vitæ monaſticæ. Eamobrem quia parentes illi neſcij pietatis abeunt in furorem, filij inde cautiores facti, debent affectum ſuum vertere in feruorem, iuxta conſilium Bernardi ita declamantis. *Proh furor! Si vos contemnitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? Si, inquam, negligitis ſalutem veſtram, quid iuuat etiam perſequi meam? Quare vos non potiùs ſequimini me fugientem, vt non ardeatis? An hoc eſt cruciatus veſtri leuamen, ſi me etiam perimatis? & hoc ſolùm timetis, ne ſoli pereatis? Ardens ardentibus quod ſolatium præſtare poterit? Quæ, inquam, conſolatio damnatis, ſocios habere ſuæ damnationis? Quodue remedium morientibus, alios videre morientes? Non hoc mihi perſuadet diues ille, qui in tormentis deſperatus de ſui liberatione, rogabat nuntiari fratribus ſuis, ne & ipſi venirent in locum eumdem tormentorum, timens proculdubio ex ſuorum cruciatu augeri ſuum. Quid ergo? Ibo & conſolabor lugentem matrem meam mei ad tempus viſitatione, vt in æternum lugeam, & me & ipſam ſine conſolatione? Ibo, inquam, & ſatisfaciam patri meo iraſcenti pro mei ad tempus abſentia, conſolandus & ipſe ad tempus de eius præſentia, vt poſtmodum & quiſque pro ſe & vterque pro alterutro inconſolabili deſolemur triſtitia? En potius exemplo Apoſtoli, non acquieſcens carni & ſanguini, vocem audiam Domini iubentis: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Hactenus ille Sanctus.

Quare non obediendum parentibus ſi à clauſtro auertant nos.

Bernard. ibidem.

Parentes deponunt parẽtum indolem ſi filios à Dei cultu diſtrahant.

Nequeo præterire in eo argumento reſponſum Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi, apud quem Senator famoſus agens, ne Ieſuitæ reduces poſtliminio repeterent primas ſedes, aiebat eos demetere florem iuuentutis, & pellicere in ſuam

Egregium reſponſum Henrici IV. Du Pleix. in hiſt. Gall. ſub an. 1603.

Societa

Iesuitæ laudandi ob delectum sociorum.

Societatem adolescentes tersioris ingenij, magno parentum dispendio, & insigni clade Reipublicæ, quæ sic exhauritur, & patitur inopiam patronorum, qui causas agant pupillorum. Explosit hanc instantiam Henricus ille Magnus, dicens, tantùm abesse vt Iesuitæ noxij essent, quinimò beneficos esse suo regno, adsciscendo adolescentes bonæ indolis & magnæ spei, quia Reipublicæ interest, vt nacta milites strenuos ad custodiam temporalem, habeat & doctissimos & probatos religiosos, quibus ei ad salutem animæ optime consulatur. Ita ego assumo, filios consulere parentibus, quando reluctantibus illis conuolant in claustra, vbi Deum sibi & parentibus conciliant, vt ait Bernardus hoc contextu. *Desinite, parentes mei, desinite & vos frustra plorando affligere, pro meis atque vestris peccatis iugiter orabo: precibus assiduis impetrabo si potero, vt qui eius amore, modico tempore hoc, ab inuicem separamur, in alio sæculo simul felici & inseparabili societate in eius amore viuamus.* Facessant igitur in vitam monasticam impij susurrones.

Reipublicæ interest habere religiosos.

Bernard. vbi supra.

PARS SECVNDA.

CONTROVERSIÆ.

Encomia Vitæ Monasticæ.

EX THEOLOGIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Erasmus. Chiliade.

OLeo cedrino ea dicitur esse virtus insita, vt incorruptas seruet diu res eo inunctas, imò & theca e cedro compacta concludens aliquod corpus, ei integrum conciliat longum æuum. Inde effluxit prouerbialis illa phrasis, qua dicimus cedro digna, ea quæ æterna esse peroptamus. Inter disciplinas omnes Theologia assurgit, veluti cedrus Libani præ arbustis: vt igitur posteræ ætati commendem vitam monasticam, operæpretium duxi ei componere encomium Theologicum, vt professio religiosa conclusa illa veluti theca cedri, perennet æternùm, quidquid secus sibilent obtrectantes. Vt ergo bonis auibus auspicemur istud encomium, operæpretium est recolere, omnes homines editos esse à Deo vt perfectionem congruam suæ indoli sortiantur: nihil enim Deus hiulcum, aut mutilum patitur in natura; ideo res omnes inanimes edidit perfectas, qualitatibus idoneis instructas, vt non excidant eo statu, quem nactæ sunt. Sed quia perfectio creaturæ intellectualis eius arbitrium petit, Deus homines & Angelos edidit sui iuris, instructos gratia, cuius beneficio possent suo fini optimo sociari, & id media charitate: siquidem vnumquodque perfectum esse dicitur in quantùm attingit proprium finem, qui est vltima rei perfectio: Sed charitas est quæ nos vnit Deo, qui est vltimus hominum finis, in quo solo quiescit anima, alioquin iugiter inquies. Eò spectat illud Ioannis effatum. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Cùm ergo status Religionis maximè conducat ad charitatem perfectam acquirendam, appositè dicitur status perfectionis acquirendæ.

Cedrus incorruptionis est tessera.

In quo sita sit perfectio hominum.

EX THEOLOGIA. *Thomas 2.2. q.184. art.1.*

1. Ioan. 4.

Religionis professio quare dicitur status perfectionis acquirendæ. *Thom. 2.2. q.184. art.2.*

Sed ne hallucinandi occasio irrepat in mentione charitatis perfectæ, è re mea est cum S. Thoma præludere, aduertendo in charitate trifariàm attendi posse perfectionem. Etenim esse potest charitas perfecta ex parte obiecti, vel subiecti. Perfecta est ex parte obiecti, quando Deus pro sua dignitate diligitur. Eò nemo hominum neque Angelorum assurrexit vnquam, nec etiam potest; quippe hoc vni Deo tantùm conceditur, se scilicet amare, vt par est. Secúdò ex parte subiecti charitas est perfecta absolutè, quando anima tota in Deum effunditur actu nescio feriatum, ita vt nullas inducias patiatur ille amor actualis. Ista perfectio non cadit in animam tectam corporis exuuiis, sed est sors beatarum mentium. Alia rursus est perfectio charitatis hominem afficiens, quando à se abegit omne id quod iniurium est charitati. Et hæc perfectio duplex est; vna videlicet, qua præditus homo nihil omnino æquè ac Deum diligit, mortemque mallet oppetere, quàm Deo ingratum aliquid committere. Hæc perfectio est necessaria ad salutem, vtpote citra quam nemo adultus cœlis adscriptus est. De ea Ioannes agit hoc contextu. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Alia verò perfectio est, quando quis Deum amat eo modo, vt omnes omnino obices amouerit à se, vt faciliore nisu in Deum totus & totaliter efferatur. In eo statu sunt vitæ religiosæ professores. Et hinc maximum petitur encomium professionis nostræ monasticæ, quod scilicet hominem totum mundo eripiat, vt sine vlla exceptione sui Domino consecretur. Et inde effluxit nomenclatura beatæ huius vitæ. Nimirum Religiosus ille dicitur, qui Deum quidem in Dominum elegerat, & ei se ligarat in sæculo factus Christianus: sed quia illa Dei electio comitem habebat & delectum rerum sæcularium, quibus vt validis nexibus homo implexus alligatur: ille de sua salute sollicitus dat libellum repudij mundo, quo abdicato, Deum reeligit, & diruptis omnibus huiusce sæculi vinculis, Deo rursus adhibito ligamine voti arctiùs alligatur. Eamobrem congruè nominatur Religiosus, homo ille, qui missam fecit omnem mundi supellectilem, vt Deum reeligat solum, sine comite alio delectu, & diruptis diaboli, carnis, & mundi laqueis, Christo religetur.

Triplex est perfectio charitatis.

1. Ioan. 2.

Charitatis perfectio quænam sit necessaria.

Charitas Religiosorum quæ sit.

Vnde deriuetur nomenclatura Religiosi.

Rursus ex Beato Thoma, quando multa aliquid participant, illud præcipuè ei attribuitur, cui per excellentiam conuenit, sicut nomen fortitudinis vendicat sibi illa virtus, quæ circa difficillima prodit animi firmitatem, licet in singulis quibusque virtutibus aliquod specimen fortitudinis edat anima superans obices, qui occurrunt. Ita quamuis anima sibi temperet ab aliqua temper illecebra, quando exerit aliquem virtutis actum; tamen titulus ille temperantiæ ei virtuti affingitur, quæ refrænat maximas carnis illecebras, gulæ scilicet, & Veneris. Eo etiam pacto, religio quidem est virtus illa, quæ aliquid ad Dei cultum exhibet; Christiani tamen diuites & coniugati, licèt in sæculo viuant innoxiè, non ideo dicuntur Religiosi, sed illi tantùm, qui seipsos velut holocausta totaliter offerentes Domino mancipantur. Ad hos pertinet istud Gregorij effatum. *Sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reseruant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant.* Non tali obsequio mundus sibi Deum conciliat, etsi aliqua videatur offerre Deo. Mundi nomine, noto sæculares; qui ita mundo affixi sunt, vt perfunctoriè tantùm obsequia sua Deo pendant. Hunc mundum totum in maligno positum Ioannes ait, cui Saluianus sic concinit. *Mundus in*

Thomas 2.2. q.186. art.1. Denominatio rei cuiusque vnde petatur.

Gregor. hom. 20. in Ezec.

Saluian. l. de prouidentia Dei.

malò

malo positus, quia bona ibi locum habere non possunt.

Vtriusque, mundi scilicet & Religionis, accipe differentiam, in Cain & Abel graphicè lineatam. Hi duo fratres erant, vni eidemque Deo deuincti, dispari tamen cultu, vt liquet hoc contextu. *Factum est post multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* In Cain cogita mundum, vt secus in Abel Religionem. קין vox Hebræa perinde est ac *possessus*, à radice קנה *Kana, possidere.* Mundus equidem diues est affluentiâ rerum terrenarum: sed profectò gazas non possidet has opimas, imò magis possidetur, vtpote præpeditus opum vinculis infinitis. Post multos dies obtulit Cain de fructibus terræ munera Domino. Benè à Moyse adiecta est illa particula, *Post multos dies*, quia vt pietas mundi tepet, ita & est eius tarda deuotio: namque serò redux est mundus ad Deum, & si quid offert, illud totum est de fructibus terræ vtique maledictæ, quæ nihil nisi spinas & tribulos profert. Verbi gratiâ, de malè partis mundus erogat stipem, & si se Deo offert, sacrificium illud terreum est immundum, ideoque Deus exosus hypocritas, flocci facit mundi sacra, nullisque gratiæ dotibus afficit homines, qui frequentant sacra animo lutulento, vt videre est in serie huius historiæ, quæ sic pergit. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* Dùm itaque Dei aura propitia non aspirat illis diuitibus, nulla propè commoda percipiunt ex thesauris suis, sed quotidianis cruciantur ærumnis, vt Cain, qui etsi rerum omnium vbertate stipatus, erat grauis sibi ipsi, vt videre est isto versiculo: *Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.*

Genes. 4.

Mundus serò de Deo cogitat.

Mundus in Cain graphicè lineatur.

Mundus Deo ingratus.

Mundus inquies, est & quare.

Vide ex præfatis, conueniat nec ne vitæ huic profanæ nomen religionis, esto quandoque Deo quidpiam offerat, vt inde suum testetur obsequiũ. Nemo sanus hoc dixerit, cùm homo aliunde possessus non sit sui iuris, vt se Deo offerat, & possideatur ab eo. Mundum autem possideri ab opibus, & angi perpetuis angustiis ad instar Cain, vide congruâ sententiâ Cypriani ita declamantis. *Quos diuites opinaris continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis infinita ac sine termino rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossa strues, hos etiam inter diuitias suas trepidos cogitationis incerta solicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris inuidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securus somnusque contingit. Suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemmas, & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma. Nec intelligit miser speciosa esse sibi supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis quàm possidere diuitias. Atque, ô detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insana profunda caligo! cùm exonerare se possit, & releuare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus fit nulla partitio, & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt. Ex qua non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique ipsis impertiunt. Possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat. Et, ô nominum diuersitas quanta! bona appellant, ex quibus nullus illis nisi ad res malas vsus est. An putas vel illos tutos saltem inter honorum infulas & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Maior illis quàm cæteris metus est: tam ille timere cogitur, quam timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas. Sit licet satellitum manu septus, & clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur, quam securos non sinit esse subiectos, tam necesse est vt non sit ipse securus. Ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet, vt sæuiat: blanditur, vt fallat: illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat. Fœnore quodam nocendi, quò fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam maior exigitur & vsura pœnarum.* Hactenus Cyprianus, & equidem appositè ad historiam Cain, qui inquies expertus est, quàm durum sit & asperum ab hoc sæculo possideri.

Ex SS. PATRIBVS. Cyprian. l. 2. epist. 2. ad Donatum.

Elegans descriptio diuitis, cui diuitiæ ingens facessunt negotium.

Opes huius sæculi non benè vocantur bona temporalia.

Opes quàm sint ærumnosæ.

Æquior sanè sors est Religiosi, cuius Abel typum gessit. Nempe Abel הבל vox Hebræa, anhelitum significat à verbo הבל *habal* quod perinde est ac *anhelare.* Ita & Religiosus in Deum semper anhelus, sic eius flamine percellitur, vt diceres nihil nisi anhelitum esse, quia Deo semper intentus, ad eum tantùm aspirat. Quibus autem sacris Deum demereat, audi ex sacrificio Abel. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Vide amabò Scripturam distinguere sacra Cain & Abel; & notare, Cain obtulisse res inanimas, scilicet fruges terræ; Abel verò fecisse sacra primogenita gregis sui, res viuas, & præcipuas. Ea animaduersione reor Deum attendisse ad allegoriam illam, quam expendo de statu Monachorum, & sæcularium, quos Ecclesia mater viuentium parturit: nam sæculares vitiis obnoxij, dum se per transennam Deo offerunt, reuera res inanimas illi dicant, quia gratiæ expertes, nullam prorsus auræ vitalis particulam habent; at Religiosi primogenita de gregibus Deo dicant, cùm cor suum consecrant: est enim cor primum viuens, & vltimum moriens. Quicquid professores vitæ monasticæ faciunt Deo sacrum, illud est viuidum, vtpote gratiâ Dei animatum. Ideo vt respexit Deus ad Abel, & ad munera eius; ita & beneuolo intuitu dignatur animas omnes religiosas, quia nullum omnino commercium habere volunt cum sæculo, æmulantes ingenium Abrahæ, qui noluit annuere votis Regis Sodomorum, vt habes hoc contextu. *Dixit Rex Sodomorum ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abraham.*

Abel est figura Religiosi.

Abel quid significat.

Gen. 4.

Religiosus in Deum anhelus est semper.

Religiosi cor suum Deo consecrant.

Gen. 14.

Mundus susurro importuno lacessit homines cœnobitas, ab eis animas exigendo, rependens pro eis illecebras omnes, quibus caro deliniri solet. Sed constantes illi professores, tenaces propositi sui, respuunt illicita fœdera, prudenter oblata sibi pignora detestantes. Quippe nolunt ditari in hoc sæculo, ne mundus in eorum morte illudat eis; dicens, ipsos debere censeri cum diuite epulone, qui locuples in hoc æuo, æternùm indigus sitiet, & dura inedia consumetur. Demum beati illi consortes Abel pacatam vitam agunt,

Religiosi quare mundo renuntiant.

nesciam

nesciam ærumnarum, quæ lacerant homines in sæculo, suis opibus incubantes. Ad hos cœnobitas pertinet hic discursus Cypriani. *Vna placida, & fida tranquillitas. Vna solida, & firma, & perpetua securitas. Si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tulit à terris, & Domini munus admissus, ac Deo suo iam mente proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam conscientiam iacere gloriatur. Nihil appetere, iam nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est. Quam stabilis, quàm inconcussa tutela est, quàm perennibus bonis cœleste præsidium, implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari, viderit quæ in nos prius infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit, plus amare compellimur quod futuri sumus, dum & scire cõceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis aut ambitu, aut manu opus est, vt hominis sũma vel dignitas vel potestas elaborata mole pariatur: sed gratuitum de Deo munus religiosa mente concipitur, & facile est: & vt spõte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat; ita se spiritus cœlestis infundit, postquam authorem suum cœlum intuens diuina cognouit: Sole altior est, ac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit. Tu tantum quem iam spiritalibus castris cœlestis militia signauit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla iam poterit, cùm semel pectus cœlestis sagina saturauerit. Iam tibi auro distincta laquearia, & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt. Cùm scieris te esse excolendum magis, te potiùs ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus Sanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum, pingamus colore innocentiæ, luminemus luce iustitiæ. Non hæc vnquam procumbet in lapsum senio vetustatis, nec pigmento parietis aut auro exolescente fœdabitur. Caduca sunt quæcumque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem. Hoc manet cultu ingiter viuido, honore integro, splendore diuturno; aboleri non potest nec extingui; potest tantùm in melius corpore redeunte formari.* Hæc ille, referens ingenuam speciem animæ, Christo suo Domino mancipatæ, cuius appositè typum gerit Abel.

Cyprian. l. 2. epist. 2.

Religiosi status encomia

Religiosi status eminens perfectio.

Terrena hæc omnia sordent illi animæ, quæ se Christo consecrauit.

Mundus illudit fucis, nihil solidũ habens.

Audacter dicam, infra animam religiosam fuit Abel, offerens quidem primogenita de gregibus suis, sed non greges. Anima autem obstricta votis vitæ monasticæ, omnia vincula abrupit, quæ remorantur accessum eius ad Deum, ideoque sanctior: nam, ex Beato Thoma, sanctitas duo dicit; firmitatem scilicet, & munditiam, vnde & sanctus dicitur, quasi sancitus, seu ratus & fixus: non enim eum dicimus sanctum, qui vnum aut alterum actum sanctitatis exerit; sed ei, qui sibi constat in impigra virtutum praxi, affingimus titulum sanctitatis. Cùm ergo Religiosi voto emisso profiteantur irreuocabilem praxim virtutum; firmitas illa est indubia tessera sanctitatis. Rursus munditia, comes indiuidua sãctitatis, summa nitet in vita religiosa: quippe ex doctore Angelico, mundum aliquid est, si deterioris alicuius rei mistione caret; vt argentum illud est mundum, cui nulla plumbi mistura accessit: Ergo cùm vita monastica hominem totum abstrahat à commercio rerum infimarum, quæ ineptum hominem reddunt ad vnionem Dei, in qua vertitur cardo sanctitatis; profectò Religiosus, sancti sui propositi tenax, erit maiore sanctitate conspicuus, quàm fuerit Abel, implicitus adhuc curis gregis sui, & sui etiam iuris, vt ad arbitrium suum viuere posset, vxorem ducere, vel non. Vnde suas ille remoras habuit, quibus anima distrahitur ab apice sanctitatis.

Abel est infra animam religiosam.

EX THEOLOGIA.

Thomas 2. 2. q. 81. art. 8.

Sanctitas quid sit.

Religiosus quare dicatur esse Sanctus.

Munditia quid sit.

Ne gratis videar asserere, abesse à vita monastica obices omnes sanctitati iniurios; accipe inductionem, qua liquebit illa conclusio. Quidquid homini anhelanti in Deum facessit negotium, illud est internum, vel externum. Si internum, est anima, quæ dum proprio arbitrio relinquitur, in multa deliquia incurrit, quia insano amore sui illecta cæcutit in his quæ Dei sunt, ideoque malè sibi consulit. Huic impedimento occurrit anima, voto obedientiæ obstricta: quippe superiorum ductum sequens, errare nequit, Deo moderante vitam eius. Si verò obex est externus, ille erit coniunctus homini, vel non. Si coniunctus, nullus planè alius esse potest, præter corpus, quod reuera importunum est animæ cœlestia meditanti. At corporis impetiginem & pruritum frangit votum castitatis: illa namque virtus extinguit omnia libidinis incendia, quibus lasciuiente sæculo, solent corpora conflagrare. Demum si discreta sunt ab homine externa impedimenta, illa sunt bona fortunæ, opes videlicet & honores, quibus maximè impeditur anima, cui in votis est, Christo iugiter adhærere. Cùm itaque rerum omnium indoles hæc sit, vt remotis impedimentis, ferantur fortiter in finem suum; proculdubio Religiosi habent quòd lætentur, quia eorum professio longè ab eis facit obices perfectioni iniurios, & eos aptat ad illam perfectionem citiùs acquirendam. Etenim quamuis plerique degentes in sæculo perfecti sint; eorum tamen status est infra sortem vitæ monasticæ, & id ratione Theologica. Nempe Religio cæteris virtutibus moralibus præstat: Ergo cùm Religiosi suas omnes actiones edant ab eo fluentes principio, scilicet à Religione; & sæculares, qui virtute eminent, alio principio perciti sint, quod est inferius Religione vt religio perinde est ac vita monastica; profectò status ille beatior erit vitâ sæculari.

Quomodò Religiosus remoueat omnia, quæ perfectionẽ impediunt.

Vota Religionis hominem totum aptant ad sanctitatem.

Quare professio religiosa perfectior sit vitâ sæcularium.

Instabis, Christianos omnes, tametsi coniugatos, esse affectos hac virtute Religionis, quia Christiana disciplina religio est, vtpote hominem erudiens ad cultum Deo exhibendum sicuti par est, sacrificiis, orationibus, fide, spe, & charitate, ac proinde sæcularium sortem non esse deteriorem statu Monachorum. Respondeo, neminem inficiari, Christianos omnes orthodoxos esse initiatos virtute religionis, qua dictante sua Deo reddunt obsequia sanctiore ritu, quàm Iudæi quondam, sed non ideo Christianos irretitos coniugali nexu, & diffluentes opibus, dici Religiosos, quantauis sanctitate præpolleant; quia, vt præfatus sum, cùm multa aliquid vnum participant, illud præcipuè de eo dicitur, cui nobiliori modo quadrat. Vnde quia nomenclatura Religionis concludit Monachos, & sæculares, qui Deum vt par est colunt; titulus ille tamen Religionis

Thomas 2. 2. q. 81. art. 4. art. 6.

Religiosus non dicitur homo sæcularis etiam sanctitate conspicuus.

gionis affingitur tantùm huic statui, qui nobiliore modo in Deum fertur. Hunc autem statum esse professionem vitæ monasticæ, nemo nisi insanus ambigit: quippe ille præstantiore modo in Deum agitur, qui amouit à se remoras: at Religiosus est huiusmodi; siquidem cælibem agens vitam nescit impedimenta coniugij, quæ hominem etiam inuitum abstrahunt quandoque à Dei obsequio, iuxta hanc Pauli sententiam. *Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.*

1. Cor. 7.

Religiosis præclara sanctitatis nomina iusta sunt.

Rursus ea quæ cælibi etiam enitenti in Deum facessunt negotium, omnia procul sunt à vita monastica, vt opum acquisitio, custodia, & iactura inuita. Ergo multis titulis anteit hæc vita sortem sæcularium, quantalibet etiam praxi præfulgeant, vt liquidò probat Dionysius Areopagita hoc contextu. *Initiandorum omnium excellentia, ac sublimior ordo Monachorum est sancta distinctio, expiatione omni tota virtute atque exactissima suarum operationum castitate mundata: omnis item sacra operationis spiritualiter speculatrix, & particeps facta, Pontificumque consummantibus virtutibus tradita: quorum diuinis fulgoribus, & Pontificalibus traditionibus conspecta pro ordine suo sanctorum mysteriorum sacrificia edifcens, à sacra eorum scientia ad exactissimam perfectionē diuina ratione subuehitur. Vnde sancti præceptores nostri diuinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim Therapeutas, id est, cultores à sincero Dei famulatu, atque cultu: partim Monachos, ab indiuidua & singulari vita appellantes, vt quæ illos sanctis diuisibilium complicationibus in diuinam & Deo gratam monadem perfectionemque promoueat.*

Ex SS. PATRIBVS.
Dionysius l. Ecclesiastica hierarchia. cap. 6.

Vita religiosa Deo afflata, & stipata omnium virtutum choro, eum gratiarum omnium afflatum spirat, vt in terris referat ideam paradisi: etenim vtrobique Deus est vnus tantùm scopus, ad quē vndique collimatur. Eò spectat hic discursus Athanasij. *Erant in monte monasteria tamquam tabernacula, plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium: tantumque ieiunandi & vigilarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, vt futura spei auiditate ad charitatem mutuam, & misericordias indigentibus exhibendas, ingi studio laborarent: qui infinitam regionem quamdam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum, plenum pietatis, & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum Monachorum agmen aspiciens, qui virilem illum concordiæ cœtum aspiciens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem: Quàm bona domus tua Iacob! Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Hæc Athanasius, testis sine exceptione maior, quia Episcopus, ac proinde fides eius non est suspecta, quando encomiasten agit vitæ huius Angelicæ, quæ ex hoc sæculo homines vocat in partem beatitudinis, vt alter etiam Præsul affirmat, is est Basilius ille Magnus, ita fatus. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Dei ista sunt verba, quæ siue vita huius, in qua*

Athanasius in vita B. Antonij.

Religiosi nihil nisi sanctum spirant.

Num. 24.
Religiosorū elegans descriptio.
Religiosi verè beati.

Basilius ser. commonito-

nunc sumus, siue consequentis refectionem significant; illud certè planum est, ea hortari nos, vt quæ quidem depositâ superuacanearum diuitiarum sarcinâ, eaque in egentes distributâ, quæ verò, vt innumerabili penè, quæ ex studio opes congerendi cumulatim accreuit, peccatorum multitudine per largitionem & confessionem reiectâ, crucem gestatur, ad Monachorum accedamus vitam. Quocirca qui sibi proposuit Christo obedire, & ad vitæ genus rerum omnium possessione nudum, neque vllis distractum sæculi huius curis festinat, verè admirabilis ille est beatusque dicendus. Hactenus ille Antistes, subodoratus in vita monastica aliqua beatitudinis præambula.

rio ad amplexum vitæ monasticæ.
Religiosum statū Christus beatificat.
Religiosi quare beati.
Ex THEOLOGIA.
Thom. 1. 2. q. 5. art. 3.

Theologia non reclamat, esto audiat beatos Monachos appellari, non quidem perfectè, sed participatiuè; nimirum perfecta beatitudo duo dicit, quæ nemo potest sortiri in hac vita. Primò secernit à beato omnem rationem mali corporis, & animæ: ast in hoc æuo multis angustiis homo patet. Rursus beatitudo statum dicit constantem sibi, vtpote sempiternum. Sed hîc omnia vergunt ad occasum, atque adeò longè sunt à sorte beatorum, nescia deliquij. Vita tamen monastica potest dici beata participatiuè, quia quantùm homini viatori fas est, assequitur præmia beatorum, quorum summum est vniri Deo, eum contemplando iugiter, & amando. Aliqualem huius status ideam refert Religiosus Deo intentus in oratione, & affectu habituali, ei iugiter adhærendo; Vnde liquet, non incongruè Religiosos nuncupari beatos, cùm Deo vniantur pro modulo suo, & quantùm ferre potest conditio vitæ huius ærumnosæ.

Beatitudo perfecta quare non competat homini in hac vita.

Ne mihi inuidiam conciliet locuples illud encomium vitæ monasticæ, lineantis speciem Paradisi; accipe huius elogij duos sanctissimos Præsules assertores; Chrysostomum scilicet, & Gregorium Nazianzenum. Ita Chrysostomus. *Monachi conuersationem planè cœlestem elegerunt, nihilque deterius Angelis affecti sunt. Vt enim illis nulla inest inæqualitas, nec aliis successibus, secundisque rebus gloriantur elati, alij extremis malis, & incommodis oppressi gemunt, sed omnes pariter in gaudio, & quiete, summaque illa & cœlesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicias monasteriis; nullus ibi paupertatem exprobrat, nullus diuitiis honestior est. Inde id, quod omnia peruertit & perturbat, Meum, & tuum penitus eliminatum est: cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum; & quod sanè mirabilius est, vnus etiam idemque omnibus animus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liberi: vna omnibus diuitiæ illic sunt, quæ veræ diuitiæ sunt: vna gloria, quæ verè gloria est. Non enim in appellationibus, sed in ipsis rebus bona eorum consistunt.* In eodem argumento alibi etiam spatiatus idem Sanctus, componit vitam monasticam & professores eius cum vita cœlesti, & Angelis; sic ille. *Siquis nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso quouis omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœlestium conuersationem in terris micantem.* Item ille conferens sæcularem vitam cum monastica, probat illam

Ex SS. PATRIBVS.
Chrys. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ.

Religiosorum claustra referunt Paradisum.

Chrys. hom. 8. in Matthæum.

illam beatam esse, vt secus ærumnosam illam, quam ducunt in sæculo homines vitiis obsequentes. *Ferte (inquit) obsecro, vt facilè videatis, Monachorum & crucifixorum vitam, quæ onerosior vobis ac molestior solet videri, multò hac tenera, molli, & flexibili iucundiorem esse, ac magis expetendam. Cuius rei vosipsos audeo testes citare, qui in periculis nonnunquam estis, ne in calamitates & ærumnas incidatis, mortem optatis: & illos qui in montibus & speluncis degunt, qui cælibem vitam & minimè negotiosam viuunt, beatos verè & ex animo appellatis. Forum, & vrbes, & tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum sæcularibus rebus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat; non mæstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non insidiæ, non liuor, non turpis amor, non aliud huiusmodi; sed quæ sunt futuri regni iã meditantur.* Hæc ille.

Idem Hom. 69. in Matthæum.

Religiosus tantum cœlo intentus.

Chrysostomo antiquior alter Antistes, Gregorius Nazianzenus, nihil prorsus humile & abiectum sensit de vita monastica, sed petiit è cœlo vnde in terris ostenderet hanc sortem aliis eminere. Sic ille. *Nihil mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quàm vt occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, & in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse & cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, diuinasque species puras semper, nec terrenis vllis & errantibus formis admistas, in seipso circumfert, Deique rerum ac diuinarum purum speculum omnino, est, indiesque efficitur, ac lucem per lucem assumit, clariorem videlicet per obscuriorem, iamque futuri æui bonum spe percepit, & cum Angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque spiritu sursum collocatur.* Idem compendiosè describit beatam Monachi vitam isto breuiloquio. *Quid Monachus? Est qui viuit Legi, & Deo.* Contra verò, reprobus ille est, qui exlex mortuus est legi & Deo. Itaque, ô sancti cœnobitæ, audite sequaces sæculi huius ingementes sorti suæ iniquæ, & vobis hisce vocibus applaudentes.

Greg. Naz. oratione prima in Apologetico.

Idem in definitionibus Iambicis.

Breuis & elegans definitio Monachi.

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua; nos alia ex aliis ad fata vocamur.

Virgil. 3. Æneid.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

EX PHILOSOPHIA ET EX SANCTIS PATRIBVS.

INter singulares gratias à Deo acceptas, Plato hanc præcipuam recensebat, quòd scilicet esset Philosophus: eâ namque disciplinâ ille arbitrabatur hominem dispesci à bestiis, quarum alioquin indolem sequebatur homo nescius Philosophiæ: quippe homo eamdem planè cum brutis participans rationem genericam animalis, ab hac animantium classe tantùm secernitur beneficio animæ rationalis, cui si quando caro suam offundit caliginem, anima corpori immersa vacat, ac proinde homo viuit ad carnis arbitrium instar animalis. Huic dispendio occurrit Philosophia, quam proinde Plato dixit esse contemplationem mortis: quia vt mors animam eripit corpori; ita Philosophia animã abstrahit ab impura sensuum colluie, quæ sua aspergine hominem fœdat, & vel suem in obscœno versat illecebræ volutabro. Vnde Mercurius in Trismegistus, eum, qui anhelat ad Philosophiam, hortatur, vt quantum homini fas est corpus hoc deponat, velut vestem obsoletam, exuat hoc inscitiæ tegmẽ, interitus nexum, mortem viuacem, sentiens cadauer, ductile sepulchrum, domesticum furem, qui dum blanditur, acerbum se hostem præstat, & mentem deorsum inflectit, eam mundi huius fæcibus inquinando, ita vt ea sit impos assurgere ad cœlestia meditanda. Cùm itaque Philosophia hoc sibi pensum indixerit, vt animam subducat corporis illecebris, & aptet indagini rerum cœlestium; ab ea præclaro obsequio homini exhibito, dicitur nunc mortis contemplatio, aliquando solutio mentis à corpore, aliàs mortis affectus, seu consuetudo moriendi, vt meminere Xenophon, Proclus, Alcinous, & Apuleius, qui etsi eam Platoni definitionem attribuant, quia hanc recenset; illa tamen est Platone antiquior, vtpote fluens ex schola Pythagoræ, vt ait Hieronymus.

Quàm proficua sit hominibus Philosophia.

Plato in dialogo de sapientia.

Mercurius Trismegist. in Asclepio.

Quid sit Philosophia.

Ex Platone Xenophon. l. 4. de dictis Socratis. Proclus l. de anima & dæmone. Alcinous l. de doctrina Platon. Apul. l. de Philosophia. Hieron. in apologia in Rufinum. Plato in Gorgia & Theæteto.

Rursus Philosophia maximè commendatur illo effato Platonis, qui affirmat, nullam homini esse aliam causam philosophandi, quàm vt beatus sit, quod etiam aduertit Augustinus. Ast humana felicitas in eo sita est, vt homo perfectus sit ea potissimum parte, qua homo est, id est, quoad animam, quæ quia nequit perfici secundùm substãtiam, quæ non intendi potest; hoc vnum superest, vt perficiatur, secundum suas potentias, quæ sunt intellectus, & voluntas. Et hoc copiosè præstat Philosophia, cuius partes ideo institutæ sunt, vt voluntatem & intellectum perficiant. Nempe ex Aristotele, Philosophia diuiditur in tres partes, scilicet naturalem, moralem, & dialecticam. Naturalis Philosophia illucens animæ, ei affingit notitiam rerum omnium, quæ natura suo penitiore recessu concludit, & ita perficit mentem, quia vnaquæque potentia suum nacta obiectum perficitur: At veritas, est obiectum intellectus: Ergo tot veritates influentes in animam, beneficio Philosophiæ naturalis, menti eius adiicient perfectionis maximum incrementum. Sed quia anima cõparare nequit habitum scientiæ huius naturalis, sine præuia indagine, in discursu sita; ne hallucinaretur intellectus, Philosophia prouidit ea parte, quã dialecticam nuncupamus, cuius præcipuũ munus est dirigere operationes intellectus. Intellectu probè aptato, voluntas esse nequit deuia: in hoc namque discrimen haud incurrit, nisi decepta, ideoque tota in bonum effunditur, & præsertim edocta à morali Philosophia, cuius hæ sunt partes, videlicet hominum mores componere, ingerendo amorem probitatis.

Perfectio hominis penes quid attendatur.

Quomodo Philosophia homines beatos efficiat.

Anima instructa tribus hisce partibus Philosophiæ, aliqualem ideam refert beatarum mentium, quæ in beatitudine purgantur, illuminantur, & perficiuntur à superioribus Angelis, vt ait Dionysius. Intellectum illuminat dialectica, prætendendo faces, ne hallucinetur inuestigando rerum definitiones, & discurrendo ineptè: naturalis Philosophia intellectum perficit, reserando ei arcana inuia aliis hominibus. Demum, si quid contagij contraxit anima corpori immersa, vbi multifariàm sollicitatur à sensibus, vt eorum annuat illecebris; moralis Philosophia detergit illas fæces, suadendo affectum virtutum, quas describit illa pars Philosophiæ. Alij, vt Cicero, & Seneca, dixere Philosophiam esse rerum diuinarum & humanarũ notitiam: ea compendiosa definitione

Dionys. cap. 8. cælest. hierarch.

Philosophiæ variæ definitiones.

Cic. l. 2. offic. Seneca ep. 89.

Arist. l. 10. Metaph. c. 3.

Philosophiam maximè commendantes, vtpotè facientes iuris eius, quicquid aliquam rationem entis participat. Ab hac descriptione, non abhorruit Aristoteles, quando ait, Philosophiam esse cognitionem rerum vt sunt: illo namque breuiloquio conclusit omnia diuina & humana. Enimuerò nihil est in hoc rerum vniuerso, quod non referatur ad Deum vt causam, & ad hominem vt finem aliqualem: quia, ex Augustino, Deus omnia fecit esse hominis; hominem verò sui. Denique in laudem Philosophiæ, quicquid infra cœlos est, bifariàm ad hominem pertinet, scilicet ad notitiam, & ad vsum. Philosophia naturalis notitiam præstat, & moralis dictat, qua cautela sit vtendum rebus. Eamobrem Philosophi olim σοφοὶ dicebantur, id est, sapientes: sapere autem, vtramque facultatem animæ concludit, intellectum, & voluntatem; siquidem eos desipere dicimus, qui contra dictamen rectæ rationis aliquid enituntur. Sed quia sapientis nomen conciliabat inuidiam, Pythagoras sapientis titulum abdicauit: cùm enim apud Leontium Phliasiorum Regem luculentam habuisset orationem, interrogatus ab eo Rege, in quanam arte sapiens esset, ait se non esse σοφὸν, sed φιλόσοφον, id est, amatorē sapientiæ. Inde antiquatum est nomen σοφός, & increbuit Philosophorum nomenclatura, vtpotè sapiens moderationem animi, quæ Philosophum decet. Huius nuncupationis meminere Cicero, Plutarchus, Iamblicus, & ex nostris, Lactantius, Clemens Alexandrinus, & Augustinus.

Philosophi Sapientes.

Sapere, quid sit.

Vnde ortum Philosophi nomen.

Cic. l. 1. & 5. q. Tusc. Plut. 1. de placitis c. 3. Iamblic. 1. de secta Pyth. Lact. l. 4. c. 3. Clem. Alex. l. 1. strom. Aug. lib. 14. de Trin. c. 1. Plato de Republ. dial. 5

Illa Philosophiæ nuncupatio effecit, vt quidam dixerint, illam disciplinam esse amorem sapientiæ, quia iuxta vetus effatum, amor intelligentem comitatur: quippè amor vacare nequit in anima speculante bona & speciosa quæ condidit Deus. Tanti fecit illam disciplinam Plato, vt solos Philosophos dixerit beatos, quia transcendunt omnes naturæ fines, nequicquam eos mortali corpore remorante. Subiicit ille, tum demum fore beatas Respublicas, si Philosophi clauum tenent, quia proprium est sapientis ordinare. Non inficior, Philosophiam esse dignam magno cumulo laudum, cùm tot stipata bonis hominem perficit; sed hoc etiam velim esse in confesso apud omnes, statum vitæ Religiosæ possidere rem, cuius Philosophia nomine gloriatur: vita namque Monastica est amor sapientiæ, non illius creatæ, ad quam dialectica viam sternit; sed eius increatæ, quæ illuxit mundo, Christi scilicet, in quo sunt thesauri scientiæ & sapientiæ Dei: sed enim amare, est idem velle, & idem nolle; Religiosus, qui vitam perfectam agit, quam suis sequacibus consuluit increata sapientia, profectò amat illam sapientiam, ac proinde verus est Philosophus, vt passim dicitur à Sanctis Patribus, qui sæpe professores vitæ Monasticæ Philosophos vocant, arbitrati se illos congruo nomine nuncupare.

Vita Religiosa est Philosophia. Religiosus est verus Philosophus.

Ex SS. PATRIBVS.

Chrys. lib. 1. contra vitup. vitæ monast.

Mundi iniquitas facit, vt multi fiāt Religiosi.

In his frequens est Chrysostomus, crebrò Philosophiæ titulo dignans vitam monasticam, vt hoc contextu. *Frequenter optaui, & deprecatus sum, tantùm leges ac iura optima in ciuitatibus valere, vt nihil iam opus esset monasteriis, neque ad eremum confugere, quamquam necessitas instaret. Quoniam verò quæ suprà fuerunt, infrà iam facta sunt, ipsæque ciuitates, in quibus iudicia & leges erant, omni iniquitate & scelere repleta sunt; solitudo verò Philosophiæ fructus vberrimos germinat: profectò non illi in culpa sunt, qui hac procella & turbine se eximere atque seruare cupientes educunt, eisque ad quietis, & tranquillitatis portum duces fiunt: non, inquam, isti meritò à vobis culpari debent; verùm hi, qui ciuitates singulas adeò virtuti inuias & inaccessas fecerunt, atque ad Philosophiam penitus inutiles, vt qui salui esse cupiunt, non aliter id possint assequi, quàm si solitudines & deserta persequantur.* Eiusdem sæculi auctor nequaquam ignobilis, id est Nilus, in libro suo de Christiana Philosophia nihil aliud omnino versat, quàm encomia vitæ monasticæ, affirmans Religiosos apud nos eum tenere locum, quem vendicabant sibi olim Philosophi apud Gentiles.

Nilus l. de Christiana Philosophia.

Ex Platone præfatus sum, Philosophandi causam homini esse, vt beatus sit, & secretus à corporis contagio, & sensuum illecebris. Eò etiam spectat institutum vitæ monasticæ. Nihil nisi Deum rerum omnium finem spectat, cùm homines aptat ad salutem animæ nanciscendam. Ita Basilius. *Monachorum vitæ ratio vnum sibi tantummodo propositum habet, animæ salutem, & quicquid prodesse ad eum finem potest, id vt tamquam Dei mandatum cum timore obseruet. Neque enim Dei mandata quicquam aliud spectant, nisi vt salutem adipiscatur is, qui ipsis auscultauerit. Conuenit igitur, vt quemadmodum, qui in balneum ingrediuntur, vestimentis omnibus se denudant; ita & qui colendæ pietatis causâ ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materià exuti, genus vitæ, quod est secundùm Philosophiam, ingrediantur.* Ad hanc etiam nomenclaturam Philosophiæ allusit Hieronymus, carpens Vigilantium hac censura. *Nec à suo studio Monachi deterrēdi sunt à te linguâ vipereâ, & morsu sæuissimo, de quibus argumentaris, & dicis: Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? quis sæculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo, si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit?* Quasi diceret: Tu delirus homo, mundi huius amore flagrans, tuam hanc insaniam tentas omnibus affingere, suadendo moras in sæculo, cui toto pectore adhærentes instar tui, fatui sunt: vt secus Monachi sapiētes sunt, qui declinarunt cautè mundi illecebras, quibus anima dementatur, nesciens ipsa rudimenta Philosophiæ, quibus regitur intellectus.

Philosophia conducit ad perfectionē.

Basil. ser. 1. de instit. monachorum.

Religiosi status intentum præcipuum.

Religiosi verè sapientes.

In Philosophiæ vestibulo præluditur à magistris, vt quibusdam præambulis tingatur anima leuiter, vt initiari queat arcanis huius abditæ disciplinæ, pro foribus cuius crebra fit mentio abstractionum, citra quarum notitiam, inuij sunt calles, qui conducunt ad scientiarum omniū chorum. Est autem mentalis abstractio, præcisio rei alicuius facta à prima operatione intellectus speculantis rem aliquā, vt est seorsim ab altera. Verbi gratiâ; qui cogitat, hominem esse animal rationale, non spectatâ ridendi facultate, ille abstrahit hominis essentiam à sua proprietate. Huius operationis ea est indoles, vt nemini illudat; & hinc fluxit axioma: *Abstrahentium, non est mendacium.* Huius abstractionis nescij sunt omnes mundi asseclæ, qui decepti eius illecebris, suspicātur beari posse sequaces voluptatū in hoc sæculo. In hos animaduertit Psaltes sic increpans: *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Benefi-

Ex PHILOSOPHIA. Abstractio quid sit.

Aristo. lib. 2. Physic. text. 18.

Psal. 4.

Mundus neminem beare potest.

cio abstractionis consulunt sibi Professores vitæ Monasticæ: quippè non attendunt illecebras mundi, sed cogitant quàm sit hoc sæculum fugax, & quibus hominem laqueis irretiat, & demum quibus amatores mundi pœnis in altero sæculo mancipentur. Cœnobitæ in ea meditatione defixi, tædium mundi concipiunt, omnem eius cupidinem penitus abdicantes: omnis enim cupido fluit ab aliquo appetitu: duplex autem est appetitus; vnus concupiscibilis, alter irascibilis.

Quotuplex sit hominis appetitus.

Rursus concupiscibilis duplex est, & diuiditur in appetitum naturalem, & in animalem. Naturalis appetit bona illa, quorum obsequio natura occurrit tam indiuidui quàm speciei deliquio. Vt cibo & potu prouidet indiuiduo, speciei verò cauet actu generationis. Appetitus ille naturalis, dum diffluit errabundus, dicitur à Ioanne concupiscentia carnis. Ab hac tyrannide se eximit homo, emisso voto continentiæ: nimirum illa ponit modum effræni animæ cupidini.

1. Ioan. 2.

Vota Religiosa excindunt omnes noxios appetitus.

Animalis appetitus in ea fertur, quibus æstimatio humana affingit rationem aliquam bonitatis. Huiusmodi sunt pecuniæ, vestes, gemmæ, aliaque id genus, quorum bestiæ incuriæ sunt, quia ea tantùm curant, quæ ad victum & generationem pertinent, in quibus totus est naturalis appetitus, quo solo gaudent bruta. Appetitus autem ille animalis, cùm deuiat, dicitur à Ioanne concupiscẽtia oculorum, & ab aliis, auaritia malorum omnium radix, quæ etsi multas mali propagines edat; Religiosi tamen professi paupertatem, noxiæ huius radicis omnes surculos exciderunt. Denique appetitus irascibilis enititur & assurgit ad omne quod eminet, & cùm inordinatus est, dicitur à Ioanne, superbia vitæ, quam proculdubio deprimit anima, voto obedientiæ obstricta. Itaque professio vitæ Monasticæ hominẽ totum à mundo secernit, quia nouit abstrahere pericula mundi ab illecebris, quod præstare nequeunt homines nexibus huiusce sæculi præpediti.

Quare mundi afsectæ sint inepti ad cœlestia meditanda.

Enimuerò genius ille sensuum est, & rationis, vt appetitu sensitiuo præualente, ratio ferietur: quoniam igitur alumni huius mundi litant illecebris sensuum; illæ opacam offundunt caliginem menti, quæ proinde nequit aduertere insidias, quas prætendit Angelus nequam, mundo vtens vt stipendiario milite, conducto ad distrahendas animas ab obsequio Dei. In lethales illas cautes non impingunt cœnobitæ: quippe qui ratione integra vtentes, hoc vnum satagunt, vt se sæculo subducant, dato libello repudij omnibus sensuum illecebris. Et illa abstractio hominis ab huius mundi cupediis, est veluti rudimentum Philosophiæ Christianæ, quam frustra quis auspicatur citra præludium illud.

Mundi illecebræ hominem excæcant.

Religiosi cautè declinant illecebras mundi.

Esto fuga sæculi videatur detrahere emeritæ virtuti, cuius proprium est ire obuiam hosti, & non detrectare pericula: tamen declinare insidias, prudentiæ est, non timoris; & temeritatis arguitur fortitudo imprudens: atque ita non est quòd obtrectatores sugillent Monachos, insimulantes eos ignauiæ, quòd declinare malint, quam pugnare: siquidem illi tenebriones, æmuli vitæ Monasticæ, turpiter errant si arbitrentur, illam fugam non habere sua certamina, quæ fortiter exercent pugiles Christi, qui etiam hoc secessu ea reportant commoda, quæ Hieronymus enumerat hac apologia, vbi in Vigilantium hæreticum acriter inuehitur. *Monachus* (inquit) *non Doctoris sed plangentis habet officium, qui vel se vel*

Mundi fuga prudentiam magnam notat.

Quare Religiosi seculũ fugiant.

Ex SS. Patribus.

Hier. in Vigil. cap.6.

Religiosi est cautè in omnibus se gerere.

Religiosus quàm prudenter declinet mundi laqueos.

mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat atque frangatur. Vnde & mulierum, maximéque adolescentularum vitat aspectum, & in tantùm castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat. Cur, inquies, pergis ad eremum? videlicet vt te non audiam, non videam: vt tuo furore non mouear: vt tua bella non patiar: ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere: sta in acie, aduersariis armatus obsiste, vt postquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero gladium deuitaui: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu, qui pugnas, & superari potes, & vincere. Ego cum fugero, non in eo vinco, quòd fugio; sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire: potest fieri, vt me non mordeat; tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & ad omnia vitia, quæ vitantur solitudine. Et idcircò vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quam voluntas. Hæc ille.

Mundi pernicies quanta.

Dixi, illam abstractionem esse rudimentum Philosophiæ Christianæ, quia tota corporalis est, vtpotè corpora transferens in loca secreta à communi hominum frequentia. Alia est Philosophica magis abstractio, quæ animã distrahit ab omni supellectile mundi huius, ita vt planè nihil sit illi & mundo. Illa propriè abstractio decet Philosophum Christi, vt ait Hieronymus ita fatus: *Militum Christi perfectio est, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotiis; & tumultu sæculi, iuxta illud Apostoli: Nemo militans Deo, implicat negotiis sæcularibus animam; quantùm humana imbecillitas sinit, festinat vnire cum Christo. Quam quidem speciem conuersationis boni eremitæ & Monachi, qui voto Monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt.* Hactenus Hieronymus appositè ad effatum Aristotelis, qui dixit Philosophiam esse rem diuinam, quia se attollit suprà rerum omnium naturas, Deum etiam attingens, vt causam omnium entium. Huic Philosophiæ encomio adiecit Ammonius, Philosophiam dicens imitari Deum, in quo præcipuè duo speculamur, contemplationem scilicet, & actionem. Ad contemplationem Dei pertinent vniuersa. Actio verò eius porrigitur ad regimen orbis vniuersi. Ita, inquit Ammonius, nihil omnino latere potest eximium Philosophum: nimirum eius notitia per omnia entia diuagatur; ideoque aptus est quàm maximè ad alios gubernandos.

Idem lib.2. in cap.3. lamentat. Ieremiæ

2. Tim. 2.

Religiosi perfectio in quo sita sit.

Arist. c.1. L. De mundo

Philosophia res diuina.

Ammonius in Porphyr.

Philosophiæ laudes.

Huius etiam eminentiæ meminit Suidas isto elogio *Sacrum Monachorum institutum ordo est altior iis omnibus, qui initiantur, omnibus purgatus modis, totis viribus, & perfecta suarum actionum castitate: eique fas est contemplari omnè sacrificium, in contemplatione intelligenti, & communione constituta, & Hierarcharum initiatoriis facultatibus traditæ, &c. Vnde diuini proceres nostri cognomenta eis sacra indiderunt, ac alij eos θεραπευτάς, cultores; alij*

Quàm sublimis Monachorũ status.

aly μοναχὰς solitarios appellarunt, à Dei puro ministerio, & cultu, & impartibili, & vnica vita, tamquam viuente eos in rerum diuisibilium sacris implicationibus in Deiformem monadem, & Dei amantem perfectionem. Hæc ille, probans luculenter eos, qui abdicant opes omnes in gratiam Philosophiæ Christianæ, nullam omnino iacturam facere, sed lucrari perennes opes, & bonorum omnium summam repositam penes Deum, cui anima Religiosa iugiter adhærescit. Vnde huic instituto monastico quadrat istud effatum Aristotelis: *Meliùs est philosophari, quam ditari.* Quasi diceret, hominem non ditari facultatibus illis, quas imperitum vulgus opes vocat: veræ enim diuitiæ sunt illæ, quæ egestatem pellunt: Ergo cum virtutum penuria sit extrema inopia, cui opes non occurrunt; aliæ sunt conquirendæ diuitiæ magis idoneæ ad tergendam animæ paupertatem. Has locupletes homo gazas comparat beneficio Philosophiæ, ad quam contemptus opum viam sternit: quippè ex Augustino, *Philosophiæ magistra nobis est inopia.* Quod de Philosophia Gentili debere intelligi, suo exemplo fecere palàm plerique Philosophi, relinquentes auri pondera, quibus anima prægrauatur. Hi namque arbitrati, non coire diuitias & sapientiæ indaginem, opes omnes vt ignobilia puerorum crepundia fortiter abdicarunt.

Suidas in voce, μόναχοι. Religiosi status dignitas quibus titulis explicatur

Arist. 2. Topicorum. Philosophia hominem ditat.

Aug. in Ps. 76. Opes vt noxiæ contemptæ à Philosophis.

Esto Philosophi priscæ ætatis Ethnicæ sua spontanea egestate conciliarint aliqualem sapientiæ notitiam; illa tamen opaca fuit & rudis, & destituta virtutum praxi, ad quam sollicitat suos Professores vita monastica, trahens homines ad sequelam Christi, vt ait Hieronymus ita fatus: *Non est satis perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proiicere, quod in momento & perdi & inueniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris, Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, & virtutum comes est.* In beatum illum statum assurgunt cœnobitæ omnes, veri sectatores Philosophiæ Christianæ: nimirum illi suum intellectum perficiunt iugi meditatione rerum cœlestium, ad quas excitatus eorum affectus omnem deponit appetitum huiusce sæculi voluptatum, & ita Philosophia hæc Christiana hominem vtrimque perficit, menti illucendo, & voluntatem à labe cuiusque vitij repurgando.

Hier. ad Pammachium ep. 26. cap. 4. Crates & Antisthenes opes spreuerunt. Philosophus gloriæ animal.

Vità monastica hominem perficit.

Quamuis ea sit dignitas vitæ monasticæ, & sequaces suos ad virtutum omnium culmen euehat; illa tamen præcipuæ sanctitatis ardua professio fastidiuit omnes titulos indices animæ defæcatæ. Nempè Religiosi dicunt, speciale suum viuendi schema esse statum perfectionis acquirendæ, sed non acquisitæ; in eo æmulati modestiam illam Pythagoræ, quam suprà recensui, qui se amatorem sapientiæ dixit, & non sapientem. Itaque luculentas Deo grates rependant illi Philosophi Christiani, quia professione sua compendiosè concludunt omnes Philosophiæ partes, dialecticam, moralem, & naturalem. Ad dialecticam pertinet votum obedientiæ: qui nimirum viuit ad arbitrium superioris, minimè hallucinatur, sed quàm eruditè eius regitur intellectus. Votum castitatis, moralis Philosophiæ summam concludit. Enimuerò castitatis est, respuere omnes sensuum illecebras, quæ sua immunda aspergine mores inquinant. Denique constans propositum spontaneæ paupertatis hominem aptat ad naturalem Philosophiam, quam præfatus sum transcendere omnia entia, & ad eorum causam Deum, suâ industriâ deuenire. Hanc etiam partem assequitur paupertas illa monastica, quia dum aspernatur omnem mundi supellectilem, illa non capitur concupiscentiâ oculorum, sed assurgit suprà omne, quod illudit oculis imperitis, hominemque velut alis instruit, vt ad Deum citiùs efferatur.

Quomodo vita monastica concludat omnes partes Philosophiæ.

Vota Religiosa referunt tres partes Philosophiæ.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

EX IVRE CANONICO, ET EX SS. PATRIBVS.

FAmosus ille Alexander Macedo beatum dicebat Achillem, eò quòd nactus esset Homerum præconem suorum facinorum. Credidit nempe Alexander, egregium encomiasten adiicere aliquid ad cumulum laudis virtutis emeritæ. Et equidem præclarè sensit homo ille laudis heluo. Sed is pro arbitrio suo inuideat Achilli præconem suum, reuera aureo diffluentem eloquio, vita Religiosa eò assurrexit, vt ad laudem suam nihil omnino desiderare queat: namque Deum habuit laudatorem, & quicquid in humanis eminet, illud sua elogia impendit in gratiam vitæ monasticæ, vt videre est ex encomiis Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, quibus præcipuè professionis Religiosæ merita commendantur. In Pontificũ serie prior occurrit Gregorius ille Magnus, qui paucis multa concludit isto breuiloquio: *Quid est habitus Monachi, nisi contemptus mundi.* Quasi diceret, pixidem commendari ex superscriptione. Eodem compendioso stylo Innocentius Papa III. vocat vitam Religiosam summum bonum. Sic ille compellat professores vitæ monasticæ: *Propter hoc summum bonum adipiscendum & obtinendum, deseruistis sæculum.* Non cunctabor omnibus institutis vitæ Religiosæ affingere encomia, quibus dignatus est religionem, quam professus sum, Clemens Papa V. in Concilio Generali, vbi ait, Minorum ordinem esse velut hortum deliciarum Christi & loquacem imaginem eius. Ita Summus ille Pontifex: *Verbum Dei in vtero Virginis caro factum, exiuit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum: exemplar se dando cœlestis vitæ, prabens hominibus semetipsum. Verùm quia plerumque mortalis vitæ sollicitudinibus pressus homo, mentis aspectum ab exemplaris huiusmodi intuitu diuertebat: verus noster Salomon in solo militantis Ecclesiæ hortum voluptatis inter cæteros quemdam fecit à procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs ac securiùs vacaretur contemplandis seruandisque huiusmodi operibus exemplaris, in hunc mundum introiuit ipse, vt rigaret fœcundis aquis spiritualis gratiæ, & doctrinæ. Hic hortus siquidem est fratrum Minorum sancta Religio, quæ muris regularis obseruantiæ firmiter vndique circumclusa, intra se solo contenta Deo adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius* morti

Alexander laudis maximè cupidus. Religiosi status laudes eximiæ. Omnia conspirant ad laudandum vitam monasticam. EX SS. PONTIFICIBVS.

Greg. l. 10. epist. 22.

Innoc. serm. 2. de festo omnium Sanctorum.

Clementina exiui de verborum significat. lib. 5. Clementin. tit. 11. cap. 1.

Egregia encomia Religionis FF. Minorum.

mortificantis myrrham pœnitentia metit, cum aromatibus, quæ suauitate mira vniuersis odorem attrahentis sanctimonia circumfundunt. Hæc est illa cælestis vitæ forma, & regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius S. Franciscus, ac seruandam à suis filiis verbo docuit pariter & exemplo.

Esto illi tituli singulares pertineant ad meæ professionis institutum, penes quod est Deo mitescante strictissima obseruantia Regulæ, quam commendat hic Pontifex; nolo tamen illud locuples encomium ita proprium meo ordini vendicare, vt ipsius instituti Canones lædam, quibus interdicitur omne proprium in communi & in singulari, ita vt proprium professionis Seraphicæ sit, nihil omnino habere proprium. Itaque confluant omnes vitæ monasticæ Professores, & attentè legant præfatum hunc contextum Papæ Clementis, editum in gratiam fratrum Minorum, qui sui memores instituti abdicant proprietatem huius insignis elogij, vt illius participes efficiant omnes vitæ Religiosæ professores. Enimuerò quæuis sacra Religio est hortus deliciarum Christi, quia quot Religiosi ad hæc loca amœna conuolant, tot sunt stipites viuidi, myrrha pœnitentiæ probatissima desudantes, ac proinde decet omnes Religiosos laus illa, qua affecit Minoritas Pontifex ille Clemens.

Encomia vitæ Religiosæ ex Conciliis.

EX IVRE CANONICO.

Singularem etiam egere curam huius venerandi status sacra Concilia, vnde in gratiam vitæ monasticæ gloriosi Canones emerserunt. In his recensuit Gratianus Concilium celeberrimum Chalcedonense, vbi laudabilis Monachorum fit mentio hoc Canone. *Qui verè purèque solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore.* Vt autem meritos conciliarent sibi honores Monachi, sanctissima Synodus Nicæna eos monuit, multum interesse inter statum eorum, & aliorum hominum sortem. Illic editus est iste Canon. *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, vt Monachorum conuersatio & vita secundùm Etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Græcè, Latinè singularis dicitur. Vnde Monachum per omnia singulariter agerere oportet.* De ea etiam professione benè merita est Synodus Constantinopolitana, sub Photio, hoc Canone. *Res adeò veneranda, & honorabilis, & à beatis & Sanctis Patribus nostris iam olim pulchrè excogitata monasteriorum ædificatio.* In Concilio Foroiuliensi edito anno 790. hoc decretum conditum est. *Monasteria puellarum, quæ sub disciplina regulæ degunt, obstructiùs munitis claustris, nullo pateant, nisi fortè summa compellente necessitate, aditu virorum, &c. Ne propter incautam præsumptionem, sancta Ecclesia infametur Angelicus ordo.* Ita planè Angelicus ordo ille est, qui Angelica puritate nitens, nihil nisi cælestia meditatur. Concilium Meldense sequenti sæculo conuocatum, magnis honorum titulis illum ordinem dignatur, vt legere est hoc contextu. *Sacrum quoque monasticum ordinem, à Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis Patribus exaltatum, atque per istud imperium, à vestris pia memoria prædecessoribus propagatum, laicorum curæ & potestati vos commisisse dolemus.* Verè sacer ordo, qui se suaque omnia Deo sacra fecit, & cuius ideo detractores haudquaquam effugient censuram Canonis istius. *Nulli*

Can. Qui verè 16. q. 1.

Can. Placuit 16. q. 1.

Conc. Constant. Can. 1.

Conc. Foroiuliense c. 12. Religiosus status dictus Angelicus ordo.

Conc. Meldense cap. 9.

Can. Nulli liceat 12. q. 2.

liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino erit, & Ecclesiæ, cui competunt, aufert, vastat, & inuadit vel eripit, & vsque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem, vt sacrilegus iudicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.

Religiosis non detrahendum.

Si carpitur ausus inuadentis sacram Ecclesiæ supellectilem, putas fore indemnes homines illos nostrates, qui in Religiosos impiè debacchantur. Minimè verò; sed eos congrua manet vltio, scelus hoc ipso Domino vindicante, vt suo extremo dispendio sensit Guillelmus à Sancto Amore, qui malè periit post edita scripta iniuria vitæ Religiosæ. Denique præcipuæ laudis est decisio illa Concilij Toletani, vbi Episcopi contendebant, clericos non posse fieri Monachos, quia iam erant diuino cultui mancipati, ac proinde eiusdem sanctitatis ac Monachi. Litem hanc diremit Concilium hoc decreto demum inserto Iuri Canonico. *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.*

Vita monastica sanctior est clericatu. Conc. IV. Toletanum cap. 49. Can. Clerici 19. q. 1. Religiosum statum potest clericus profiteri.

Sed quid Pontifices & Concilia commemoro, vt adstruam meritum vitæ Monasticæ, cùm Christus Dominus fuerit huius sacri ordinis encomiastes, cùm iuueni probo dixit, ei ad perfectionem hoc deesse, quod hodie factitant Religiosi, abdicantes opes suas, vt Christo irreuocabili proposito iugiter adhærescant. Vnde liquet quàm cæteris emineat illa professio, quæ suos sectatores euehit ad apicem sanctitatis, sicut asserit Augustinus hoc tenore. *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam ex quò, Deo seruire cœpi; quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasteriis ceciderunt: ita vt hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc.*

Religiosi sanctiores aliis hominibus.

EX SS. PATRIBVS.

Aug. ep. 137. clero & populo Hipponensi.

Chrysostomus multus est in laude illius instituti. Sic ille: *Eamus ambo ad prælia Monachorum, & cernemus instructas eorum acies. In prælio enim quotidie sunt, cùm quotidie aduersarios suos, insidiantes nobis cupiditates, mirabili victoria fundant, fugent, humique prosternant; Ita illud Apostoli opere demonstrant: Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Non est ibi ebrietas, non est ibi superfluitas, quod mensa illa facilè ostendit. Iacet enim ibi aquâ potu perempta temulentia, multiformis hac multiceps bestia. Omnia ibi iacent, quæ temulentia gignere solet, verba stolida, mens furiosa, superbiæ status, cæteraque huiusmodi. Videamus delitias mundi in cibis, &c. Nihil tale est apud Angelos illos; sed huiusmodi etiam voluptates mortua ibi, atque sepulta sunt. Non enim vt repleantur, nec voluptatis sed viuendi causâ sumunt alimenta.*

Chrys. hom. 71. in Matth. Religiosi certamen est assiduum.

Sobrietatis effectus.

Quantùm à sæculi vita discreti sint, Monachi, & quid suo secessu proficiant, idem Præsul est locuples testis, hanc Synopsim texens vitæ Monasticæ. Sic ille: *Forum & vrbes, & tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt*

Chrys. hom. 69. in Matth.

Religiosi status elegans descriptio.

rum Monachi, obi in portu sedentes, nihil sibi cum his sacularibus rebus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat: non mœstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non liuor, non turpis amor, non aliud huiusmodi; sed qua sunt futuri regni iam meditantur. Valles & montes in solitudine, ac tranquillitates habitantes, & cum Deo ipso colloquentes, anima passione & a- ritudine libera, leuis, subtilis, & ipso tenuissimo aere purior, quorum corpus id quod Adam etiam ille ante peccatum exercitus, tùm gloriam indutus, & Deum liberè alloquebatur, & Paradisi regionem magnà beatitudine plenam habitabat. Cur enim isti peiùs se habeant, quàm ille, quando ante inobedientiam in operando Paradiso fuit constitutus? Nulla ibi sacularis erat cura, nullâ certè etiam isti vexantur. Integrâ ille conscientiâ cum Deo colloquebatur; non aliter isti, imò verò tantò liberiùs id faciunt, quantò maiore fruuntur gratia dono Spiritus elargita. Multi ante diem è lectulo surgentes, integri, sobrij, vigilantes; nam nec rerum cura, nec grauedo capitis, nec aliud huiusmodi eos tamquam Angelos in cælo versatos perturbat. Illico igitur postquam lati surrexerint, choro constituto, integra conscientia, omnes quasi ab vno consonanter ore diligenter Deum hymnis laudant, gratias pro vniuersis, tam propriis, quàm communibus beneficiis ei agentes. Amictus autem ipsis fortitudini sua conueniens circumiacet: etenim aliis caprarum, aliis camelorum pilis vestes confecta sunt, multis coria solùm, & ea vetustate consumpta satisfaciunt. Hymnis iam decantatis genibus flexis; Deum vnanimes orant, nihil prasentium petunt rerum; quippè quarum nulla omnino sibi cura est, sed vt intrepidi, cùm Filius Dei ad iudicandum venerit, ante tribunal illud terribile assistant, vt nullus iam vocem audiat, nescio vos, & laboriosam hanc vitam rectâ peragant conscientiâ, vt difficillimum hoc mare secundo nauigent vento. Hactenus ille Sanctus, compendiosè probans, innoxiam planè esse vitam Monasticam.

Vita Religiosa refert statum innocentiæ Adami.

Exercitia Religiosi hominis.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

EX VTROQVE IVRE ET EX SS. PATRIBVS.

ADeò elegans est forma virtutis; vt Philosophi Ethnici dixerint, eam videre, & amare, perinde propè esse, quia species eius ea venustate præstat, vt eius intuitu concilietur amor hominum etiam impiorum. Cùm ergo apud cœnobitas virtus degat vt apud suos indigenas, & claustra sint veluti virtutum omnium castra; vltro omnes disciplinæ conspirant, vt aliquo singulari dignentur encomio vitam monasticam, quæ concludit omnium virtutum agmen. In his Iurisprudentia Christiana suas partes agit, quia ad eam spectat congruis edictis consulere Reipublicæ, quæ innumera propè commoda percipit ex statu illo Monachorum, quorum exemplis impij reuocantur ad meliorem frugem, & pij altiùs in suo proposito confirmantur. Idcircò Iustinianus Imperator magnis hunc statum laudibus accumulat. Sic ille: *Solitaria vita, atque in ea contemplatio res planè sacra, & qua suapte naturâ animas ad Deum adducat, neque iis tantum, qui eam incolunt, commodet; sed etiam omnibus aliis pluralitate sua, & apud Deum interpellatione, competentem de se vtilitatem prabeat. Vnde & olim ea res Imperatoribus studio fuit habita, & nos non pauca de dignitate & honestate eorum legibus complexi sumus. Sequimur enim in hoc sacros Canones, & Sanctos Patres, qui hac comprehenderunt legibus.* Rursus ille amore captus illius beati status, præcipit vt ad normam Canonum viuant Monachi, ne fiat iniuria professioni illi sanctæ. Sic itaque pergit Imperator: *Descripsimus quidem iam constitutionem, qua vult, vt Monachi, etsi magno contineantur numero, secundùm formam cœnobiorum in communi vitam degant, neque proprias habeant possessiones, neque opes accumulent, neque clam testibus viuant: sed & communiter cibum capiant, & in communi loco cubent, & vndique benè compositam persequantur vitam, testesque sint inuicem mutua honestatis.* Nota, Imperatorem non condere nouas leges Religiosis, sed se præbere assertorem Canonum, qui sic cauerunt, quia Reipublicæ interest, vt vita monastica suum tenorem seruet & nitorem, vt reliquis hominibus optimè consulatur. Vnde Imperator ille laturus leges, quæ pertinent ad vitam Monachorum, ita præfatus est, vt mox prænotaui, & ita conclusit, vt castigare delinquentes Monachos, voluerit esse singulare munus Abbatum, aut Præsulum.

Quare vita Religiosa laudetur ab Imperatoribus.

Ex IVRE CIVILI.

Egregia laus vitæ monasticæ.

Iustin. Nouella 133.

Quomodo oporteat Monachos viuere.

Vide præfationē huius Nouellæ.

Decernere nouas leges vitæ monasticæ non est iuris Cæsarei.

Eà Cautelà Princeps ille Christianus ostendit, esse Iuris Pontificij, & non Cæsarei, decernere aliquid in re sacra, vt est professio vitæ Religiosæ. Sic ille: *Illud quoque omnibus seruari volumus modis. Si visus fuerit aliquis reuerendissimorum Monachorum in aliqua tabernarum conuersari, &c. nuntiari hoc Abbati, quatenus eum expellat monasterio, qui talia deliquit, vtpotè in confusionem vita Angelicam hanc conuersationem mutantem. Oportet enim duplex hoc opus esse Monachis, aut diuinis vacare Scripturis, aut qua Monachos decent meditari & operari. Mens enim frustra vacans, nihil bonorum parit. Pro his hanc ponimus legem, & in hac Regia ciuitate valentem, & in Gentibus omnibus. Vtique ad singulos Patriarcharum dirigimus eam ad cautelam obseruationemque competentem: illi verò sub se constitutis metropolitis mittent. Illi quoque aliis omnibus innotescant Episcopis, & per Episcopos omnia hac Reuerendissimis Monachis & Abbatibus eorum fient manifesta. In Prouinciis autem earum Iudicibus, primitus à Deo amabilibus Episcopis quod agitur agnoscentibus, vt sint per omnia & personis sacratis, & Magistratibus innoxia ea qua apud Deum, & pra cunctis Imperio, tamquam nihil sit sanctius custodire Rempublicam magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi clementia frui, per Reuerendissimorum virorum puritatem, quam custodient quoque clerici, & Monachi, & Episcopi maiores, & minores, sacrorum memores Canonum, sacrarumque legum, & Constitutionum de hoc scriptarum, quas & valere, & gratas esse etiam per prasentem sancimus legem.* Hæc Iustinianus, arbitratus vitam monasticam esse fulcrum validissimum, cui incumbit Respublica Christiana, futura beata si vigeat illa sancta professio, cuius

Nouella 133. cap 6.

Pœna Monachi scandalosi.

Quale debeat esse officium Monachorum.

Reipublicæ interest vt vita Monastica vigeat.

Religiosi vtiles Reipublicæ.

partes

partes sunt, doctrina & exemplo conciliare Deum populo delinquenti.

Itaque postquam Episcopis & Clericis refricuit memoriam eorum, quæ Canones sanciunt, voluit & eâdem curâ prouidere statui monachali nouella Constitutione, quam inscripsit, de Monachis, vbi sic præfatur. *Conuersationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, & plurima secundùm mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem. Si quis igitur futurus est Monachus perfectus, indiget & diuinorum eloquiorum eruditione, & conuersationis integritate, vt tanta dignus factus sit mutatione. Credimus igitur & nos explanare quod agendum est ab eis, & decertatores eos veros ad sacram viam constituere: & ita nobis intentio præsentis est legis, vt post illa, quæ de sanctissimis Episcopis sanciuimus, & quæ Reuerendissimis clericis disposuimus, neque quod monachicum, extra quod competit, relinquamus.* Hæc ille.

Iust. Nouella 5. de Monachis in præfatione.
Elegans encomium vitæ monasticæ.
Religio quare dicatur status.

Ad titulum hunc de encomiis vitæ Religiosæ ex Iure Ciuili pertinet explicare quid significet vox illa, *status*, posita in definitione religionis, vt significat professionem vitæ monasticæ, quæ sic definitur: *Religio est status hominum tendentium ad perfectionem beneficio voti paupertatis, obedientiæ, & castitatis.* Nomine status, apud Iurisperitos intelligitur conditio personæ, secundùm quam aliquis dicitur liber vel seruus. Vnde sub titulo Pandectarum, De statu hominum, prostat hæc lex. *Summa itaque de iure personarũ diuisio hæc est, quòd omnes homines aut liberi sũt, aut serui.* In ea vsurpatione, vita Monastica est status integræ libertatis: nam eo solo quòd quis professus est hoc genus vitæ illibatæ, eò ipso liberatur patria potestate, vt docent Bartolus, Dynus, Felinus, Angelus, Guido, & Boërius. Hoc priuilegio non gaudent clerici, vt probat Iason. Secundò ingenuitatem illius status maximè commendat illud edictum Imperatoris Iustiniani, quo decernit, liberos esse seruos, qui ad cœnobia confluxerint, eo solo argumento ducti, vt scilicet Deo suum æuum consecrent, qua libertate voluit eos cadere, si tædio vitæ monasticæ redeant in sæculum. Ecce legem in gratiam serui cupidi vitæ Religiosæ. *Maneat in monasterio venerabili, trahentium asperitate liberatus. Trienny verò semel expleto tempore, iudicatus quia monastica dignus est honestate, maneat in monasterio. Nequaquam enim damus licentiam vlli penitus perscrutari quæ eius sunt: sed siue liber, siue seruus sit, manere eum in conuersatione volumus: nam etsi vitium in priori ab eo fortè gestum est vita, humana enim natura quodammodo labitur ad delicta; attamen sufficit ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum triennalis temporis testimonium, &c. Si verò seruity necessitatem effugiens, tentauerit monasterium quidem derelinquere, aliam autem vitæ sectari figuram: licentiam damus Domino retrahere eum, & probanti fortunam, inter seruos habere. Non enim iniuriam patietur tantùm ad verum seruitium tractus, quantùm ipse iniuriatus est, Dei culturam refugiens. Et hæc quidem de fortuna horum, qui inter Monachos profiteri volunt.* Ita pius ille Imperator sanxit, propagare volens statum monachalem, quem credidit conducere ad perennitatem Imperij sui.

Status est conditio personæ.
Quid sit Religio, vt notat vitam monasticam.
Leg. Sum. ff. de statu hominum, l. 1. tit. 5. leg. 3.
Bart. in leg. Patre furioso ff. de iis qui sunt sui vel alieni iuris. Dynus in leg. Ergo ff. de acquirendo rerũ dominio. Felin. in capitulũ Paroch. Angelus in leg. Sic enemnet. Guid. Pap. in fin. suo 26 Boërius decis. 127 n. 11. Iason in leg. Patre furioso ff. de iis qui sunt sui vel alieni iuris. Iust Nouella 5 De Monachis c. 2. §. Si verò.
Religio facit seruos liberos.

Esto sint locupletes illi tituli libertatis status Religiosi, quem Cæsar vindicat ab omni nota ingloriæ seruitutis; aliunde tamen adstruitur libertas eius conditionis, eo potissimum nomine ingenuæ & nobilis, quòd libera est ab omni vitiorum tyrannide: quippe incunctante nisu illa professio suos sectatores perficit, nulla alia sollicitudine distractos. Vnde licet Episcopatus sit status perfectionis acquisitæ; tamen Petrus Moronus, qui fuit Papa Cælestinus V. & plerique Episcopi, se Pontificatu abdicarunt, vt propriæ perfectioni tutius intenderent, professi vitam monasticam. Sed quia hoc incongruum videtur, hominem abdicare Episcopatum, vt perfectioni vacet in conditione minus perfecta, qualis est monachatus; audiendus est S. Thomas, qui ipse noluit Episcopari. Ait ille spiritualem hominis libertatem posse attendi dupliciter. Primò secundùm id quod interiùs agitur, & eo modo conditio status spiritualis in homine accipitur per comparationem ad iudicium Diuinum: namque penes Dei intuitum est vera libertas interior. Secundò status hominis considerari potest secundùm ea quæ exteriùs aguntur in ordine ad Ecclesiam, pro vt scilicet Ecclesia ex diuersitate statuum compacta est. In ea acceptione vsurpatur vox illa, *status*, quando Doctores agunt de perfectione status Episcopalis, comparati ad statum Monachorum: nimirum vtrumque statum considerant secundùm illud quod quisque illorum statuum confert ad propagationem & moderamen Ecclesiæ, in quo sensu Episcopatus est perfectior, quia Episcopus se obligat ad alios perficiendos. At ex Augustino semper agens est perfectius patiente. In genere autem perfectionis, secundùm Dionysium, Episcopi se habent vt perfectores; Religiosi verò vt perfecti, quorum illud pertinet ad actionem, istud autem ad passionem. Rursus Monachus fieri potest Episcopus; sed Episcopus non potest fieri Monachus sine explicita facultate Pontificis, ei relaxantis obligationem procurandi bonum sui gregis. Vnde cùm bonum commune, quod procurat Episcopus ex obligatione, præferatur bono singulari, cui ex voto studet Monachus sibi soli intentus; status Præsulum perfectior est statu Monachorum, vtroque statu considerato in ordine ad Ecclesiam.

Religiosus status desideratus à Prælatis.
In quo sensu Episcopatus sit status perfectionis acquisitæ.
Th. 2. 2. q. 184. art. 4.
Aug. l. 12. in Gen. cap. 16. Dion. c. 6. Eccles. Hierarch.

Si verò status vterque consideratur in ordine ad indiuidua illius status, secundùm illud quo afficiunt personas; ille status erit perfectior, qui erit liberior: cùm enim status dicat conditionem libertatis, nobilitas status est petenda ex ratione libertatis. Ergo cùm professio Religiosa maiore libertate hominem afficiat, quàm status Episcopalis; magis etiam conducit ad perfectionem cuiusque hominis: nam vita Religiosa omnes remouet obices, qui remorantur hominem anhelantem ad Deum; at secus Episcopatus hominem nouo debito aggrauat, imponens ei curam diœcesis, cum extremo etiam discrimine animæ illius, si segniorem se præstet in procurando bono gregis. Accedit obligatio erogandi pauperibus bona Ecclesiæ, quæ vtplurimum aliò distrahuntur. Vnde si vix homo potest sufficere ad procurandam salutem suam; profectò res erit plena periculi, humeros supponere dignitati, quæ obstringit hominem ad aliorum salutem promouendam. In eo argumento celebratur nobile effatum Marcelli

Quomodo Episcopatus perfectior sit monachatu.
Episcopatus est status plenus periculi.

Marcelli II. Papæ insigne apophtegma.

celli II. qui vt audiuit se electum in Summum Pontificem, sibi ipsi ingemuit querulis his vocibus: Heu, heu, quàm ægrè saluabitur homo, qui animam suam fideiubendo oppignerat pro salute aliorum. In eo sensu Gregorius Magnus statum suum monachalem præferebat Summo Pontificatui, ad quem vbi euectus est, sibi ipsi ingemuit, querulasque diù scripsit Epistolas, sui indices amatoris. Etenim vir ille Magnus inuitus ad Apostolicum culmen euectus, ibi oppressus infinita propè rerum congerie, pristinæ suæ quietis memor abibat in lacrymas, quia Summo Pontifici non licebat vti gratia Monachorum. Sic ille conqueritur: *Omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior: & post illa quietis otia, tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor; ita vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Vittorellus in Marcel. 10. 11.

Ex SS. PATRIBUS. *Greg. epist. Anastasio Patriarchæ Antioch.*

Rursus ille recolens pacatum animum, quem versat homo deditus statui Monachali, sibi temperare nequit à gemitu, vt videre est hoc rescripto eius. *Dum contemplationis dulcedinem altè describitis, ruinæ meæ mihi gemitum renouastis, quia audiui quod intus perdidi, dum foras ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me perculsum mœrore cognoscite, vt vix loqui sufficiam. Oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident: triste est quicquid aspicitur: quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quàm decretum exterioris prouectus culmen ascendi: & pro culpis meis in exilium occupationis à facie dominantis missus, quasi destructæ Iudææ vocibus, cum Propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me.* Item alibi. *Quod me ad Episcopatus ordinem cognoscitis peruenisse; si me diligitis, plangite; quia tanta hîc huius mundi occupationes sunt, vti per Episcopatus ordinem penè ab amore Dei me videam esse separatum, quod incessanter defleo.* Profectò qui alienæ saluti inuigilat, de suo ipsius profectu minùs curat, quia animus in varia distractus, ad omnia non sufficit. Et quomodo placidam Episcopus mentem circumferre potest, dum negotiorum fluctus iugiter intumescunt, vt idem Gregorius facto periculo commemorat hoc contextu. *Tantis in hoc loco fluctibus mundi quatior, vt vetustam ac putrescentem nauim, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex aduerso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt: nunc à tergo tempestas insequitur: interque hæc omnia turbatus, cogor modò in ipsam clauum aduersitatem dirigere, modò curuato nauis latere, minas fluctuum ex obsequio declinare. Ingemisco, quia sentio quòd negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obuiante, iam iamque putrida naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quòd perdidi meo placidum littus quietis, & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis aduersantibus tenere non possum.* Hactenus ille Pontifex.

Idem epist. Narsi Patricio. Religiosus status placidior est Pontificatu.

Idem ep. Andreæ illustri.

Idem ep. Leandro Episcop. Hispal. Quàm periculosus Episcoporum status. Pontificatus magnis æstibus agitatur.

Quis nunc audeat asserere, Episcopatum maximè conducere ad perfectionem eius, qui baiulauit illud onus reformidabile etiam Angelorum humeris, vt loquitur Concilium Tridentinum: cùm Gregorius in Episcopatus apice constitutus, lugeat se distractum à suo statu monachali, magis idoneo ad perficiendam animam suam, quàm sit ille apex omnium dignitatum, vbi anima multis rerum flabris agitata nutat vel inuita. Et quia habet euecta vnde timeat; fortè ante Deum deiecta habet vt inde timeat exemplo Gregorij, qui largo lacrymarum imbre, quo solium suum aspergebat, gloriæ externæ compescebat flatus, quibus vndique & iugiter afflabatur. Ratione periculi imminentis tutior est vita monastica, & citiùs animam Deo conciliat, vtpote ab omnibus remoris expedita. Et in eo tantùm sensu sunt intelligendi Patres Sancti, quando statum Religiosum præferunt aliis omnibus. Eò spectant verba hæc Bernardi. *Heu me miserum qualemcumque Monachum! cur adhuc viuo, videre ad id deuenisse ordinem nostrum, ordinem scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in cœlis est Ierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem, cuius Apostoli institutores, cuius hi, quos Paulus tam sæpè Sanctos appellat, inchoatores extiterunt.* Hæc ille, cui concinunt viri illustres, & lumina eiusdem sæculi, quo floruit hic Bernardus. Hi encomiastæ vitæ Religiosæ sunt, Petrus Blesensis, Hildegardis, Ioannes Salesberius, & Helmoldus; quorum accipe breues sententias in gratiam monachatus.

Quo sensu vita Religiosa præfertur statui Episcopali. Religiosi status elogia luculenta.

Bern. in apologia ad Guilel. Abbat. Religiosi status relaxatio deploratur. Religiosi est Angelis cõparati.

Ita Petrus Blesensis. *Disciplina monastica vnica est clauis innocentiæ, Religionis anchora, custos ordinis, & per quam spiritualiter motus animi reuocantur à malo, & stabiliuntur in bono.* Affinia sunt quæ scripsit Hildegardis hoc tenore. *Monachi, qui propter Christum sæculo renuntiauerunt, sine societate sæcularis pompæ viuere debent, sicut virgo post votum sine memoria viri: quia virgines & Monachi inter Angelicos ordines idem sunt: Quoniam sicut Angeli nihil aliud quàm faciem Dei inspicere desiderant, sic & ipsi omnibus sæcularibus pompis abiectis, Agnum Dei, Christum scilicet, crucem eius baiulantes sequuntur.* Vides quomodo comparentur Angelis sectatores huius vitæ reuera Angelicæ, secretæ ab impura carnis colluuie, & abstractæ ab omni commercio mundi huius, vt describit Salesberius suppar his Patribus, mox laudatis. Sic ille. *Claustrales, qui verè Religiosi sunt, dum professionibus seruiunt, ab hac malitia immunes sunt. Nulla vita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior quàm eorum, qui in claustris fideliter degunt, & humiliter abiectione sua gaudentes, obedientes Prælatis suis, in omni subiectione, & reuerentia, nec appetentes sub obedientiæ nomine dominatum, aut fraudandi, aut vagandi, aut otiandi licentiam; vasa sua possidentes in sanctificatione & honore, præstolantes in silentio & patientia salutare Dei, à detractione & murmure alieni, excipientes ab ore Domini in quiete verbum, quod potest saluare animas suas, grata miscentes cum Deo colloquia, & quasi terrestres Angeli sunt totius perturbationis mundanæ ignari.* Nemo sanè in gratiam vitæ monasticæ disserit, quia eam euexerit ad choros Angelorum, quo etiam

Petrus Blesensis ep. 40.

Hildeg. qu. solutionum.

Religiosi verè Angeli.

Ioan. Salesberius l. 7. Polycratic. cap. 21.

Religiosi status præclari tituli.

Helmoldus in Chron. Sclauorū l.1. c.9.

etiam stylo Helmoldus ita fatur. *Quid olim erat vita Monachorum, nisi puritas innocentia, semita iustitia, viuendi forma, via paradisi? Hac enim est Angelorum socia, Apostolorum assecla, Martyrum lætitia, Confessorum gloria, Virginum corona.* Hactenus ille.

EX IVRE CANONICO.

In quibus religiosi subditi sint Episcopis.

Sed ne tituli insignes malè Religiosos afficiant erga Episcopos; hoc hoc recolant, distinctionem statuum in Ecclesia peti ab officio & non à moribus, & ita Episcopum etiam vitiis obnoxium, ratione sui ordinis & officij, Religiosis omnibus eminere. Et ad Episcopos pertinere etiam curam sectatorum vitæ monasticæ, nec tanta esse priuilegia indulta Religiosis, quin Episcopi castigare queant Religiosos dyscolos, vt videre est hoc decreto Conc. Trident.

Conc. Trid. sess. 25. c.4. de regular.

Nec liceat regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato inscriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Rursus in his, quæ pertinent ad curam animarum, Religiosi indigent auctoritate Præsulis annuentis. Imò etiam Curati, seu presbyteri Pastores animarum præstant Religiosis, si vtriusque status officium spectes: nam Curati officium propriùs accedit ad statum Episcopalem, ad quem pertinet inuigilare gregi. Et si quandoque Religiosi audiant confessiones, & prædicationi insistant; in eo tamen officio sunt infra Curatos, quia pastoribus illis animarum primò conuenit, Episcopis adesse in eo officio: Religiosis verò tantùm per accidens, quia omnino extranea est cura animarum statui monachali: atque ita in eo sensu presbyteri Curati præstantiores sunt Monachis, vt etiam Canones sancti clamant, in quibus iste est insignis.

Can. Ecclesia 16. q.1.

Ecclesia habet Senatum cætum presbyterorum; sine quorum Concilio nihil Monachus agere licet. Rursus. *Sic viue in Monasterio, vt clericus esse merearis.* Ergo clericatus est quid dignius monachatu, cùm ibi proponatur in auctoramentum, seu stipendium optimi Monachatus.

In quo Curati Monachis digniores.

Ratio eminentiæ illius officij obligat pastores animarum ad maiorem scientiæ supellectilem, quæ etiam pastores animarum venerabiles efficit, vt hoc Canone liquet.

Can. Si clericatus 16. qu. 1.

Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere: & rationabilem Christo hostiam offeras: ne miles antequam tyro, ne prius magister sis, quàm discipulus. Non est humilitatis meæ, neque mensuræ iudicare de clericis, & de ministris Ecclesiarum sinistrum quidpiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum. Canon ille auctorem habet Hieronymum, à quo Gratianus eum mutuò accepit. Vtinam Religiosi omnes recolerent hunc contextum; profectò non adeò incautè indulgerent zelo illi, quo declamant in pastores animarum, quos traducunt, & è pulpito lacerant, suâ imprudentiâ facientes inglorium officium Curatorum, cùm tamen præstet officio Monachorum. Imò in solamen Curatorum dicam, eos si castè vixerint, & flocci fecerint opes, & sacra mente illibata tractent, eos esse maioris virtutis, quàm sint Religiosi, quia ex S. Thoma, virtus illustrior est tentata multis periculis, in quibus sunt Curati, ratione officij sui conuersantes cum fœminis, aliaque multa discrimina iugiter obeuntes, quæ si inoffenso pede decurrunt, mascula eorum virtus est, & fortior ea, qua Religiosi nitent, quibus in claustro omnia fauent, & conducunt ad virtutum omnium praxim.

Hier. ad Rustic. epist. 4. Curatorum virtus fortior virtute Religiosorū.

Tho. 2. 2. qu. 184. art. 8. Curatorum virtus quàm admiranda.

Ad hanc conclusionem pertinet ista Chrysostomi sententia.

Chrysost. l. 6. de sacerdotio.

Si talem mihi adducas Monachum, qualis vt secundum exaggerationem dicam Elias fuit: non tamen illi comparandus est, qui traditus populis, & multorum peccata ferre compulsus, immobilis perseuerat & fortis, &c. Si quis mihi daret optionem, vbi mallem pascere; in officio sacerdotali, an in solitudine Monachorum? sine comparatione eligerem illud quod prius dixi. Si quis benè administrato sacerdotio illius propositi, scilicet Monachalis, sudores conferat; tantum eos distare reperiet, quantùm inter priuatum distat & Regem. Hæc ille.

Consonat Augustinus in eodem spatiatus argumento. *Cogites* (inquit) *Religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut presbyteri aut diaconi officio. Sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.*

Aug. ep. 148. ad Valerium tom. 2. Curatorum officium valde periculosum.

Crediderit fortè aliquis me immemorem esse meæ professionis, quam sacri Canones affirmant esse meliorem clericatu, vt isto Canone liquet.

Can. Clerici 19. qu. 1. Tho. 2. 2. qu. 184. art. 8.

Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopis in Monasteriis largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Quo decreto præfertur status Monachorum clericatui. Eruditè nodum istum soluit B. Thomas, dicens Presbyteri Curati officium esse dignius officiò Religiosi, quia bonum vniuersale procurat gerendo curam animarum sub Episcopo, cùm Religiosi officium sit vacare sibi. At vniuersale præstantius est singulari. Si verò res sit de statu, & non de officio, tunc status Monachalis melior est statu Curatorum. Primò quia status Monachalis est perpetuus, & irreuocabili proposito confirmatus, ita vt inde non resilire queat Monachus professus; at penes est presbyterum Curatum, pro arbitrio suo deponere curam animarum, & ad claustrum conuolare, vt plerique hodie factitant, experti quàm sit onerosum consulere saluti alienæ simul & propriæ. Rursus status Curatorum non eos totos Deo consecrat, sed liberam sui ipsius facultatem vnicuique Curato permittit, vt & patrimonij curam; status verò Monachalis hominem totum Deo dicat in holocaustum: quippe professor emeritus vitæ monasticæ omnia bona abdicat, vt expeditè summo bono, Christo scilicet Domino, consecretur.

Curati possunt fieri Religiosi. Quare Religiosus sit holocaustū.

Omnia namque bona reducuntur ad tres classes: nimirum bona sunt externa, vt facultates, & dignitates, quibus paupertas Religiosa æternum vale dixit. Alia sunt bona corporis, vt licitæ voluptates coniugij, & epularum. His etiam bonis renuntiat castitas Religiosa. Demum alia bona animæ sunt sita in libero vsu suæ voluntatis, & aliarum animæ facultatum. Et hoc etiam boni genus obedientia Domino mancipauit.

Religiosus nihil excipit, sed omnia abdicat.

Ex præfatis, vt Curati officium dignius est, ita status monachalis melior, atque adeò beatior, quia gloria æterna non datur dignitati, sed bonitati. Eamobrem non Curati tantùm, sed & Cardinales, & Episcopi multi, depositis infulis, suam exuerunt dignitatem, vt induerent Monachi bonitatem. Si verò comparetur conditio sæcularis cum professione Religiosa, dicam vtramque

Religiosus status beatior est professione Curatorum.

statum

statum fraternizare quidem in eo quòd eodem parente Deo satus sit, quo institutore coniugium licitum est, vt meritoria facultatum dispensatio iusta. Tamen eadem ferè sors est illorum statuum, quæ fuit olim duorum fratrum, Esaü, & Iacob, quos Scriptura sacra commemorat hoc contextu. *Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Præcipua sæcularium cura est penes culturam terræ, quasi nihil esset eis in cœlo. At Religiosi habitabant in tabernaculis, id est, in locis minimè fixis, cùm & ipsi mobiles sint de loco in locum ad superiorum arbitrium. Nihil nempè diuturnum habere volunt in sæculo homines qui anhelant ad aliud sæculum, vbi omnia sunt æterna. Quo verò fine defungantur illi fratres, accipe. *Cum venisset Esau de agro lassus, ait: En morior, quid mihi proderunt primogenita.* Sæcularis status est primogenitus; sed morte instante lugent sæculares plerique, & querulas edunt voces, nihil sibi profuisse præcipuas mundi dotes, honores scilicet & opimas auri gazas. Iacob secus placidè mortuus est, stipatus omnibus Patriarchis. *Collegit pedes suos super lectulum, & obiit: appositusque est ad populum suum.* Ita Religiosus fato imminente, suos omnes affectus colligit, eos in Deum eiaculans, quia nullis omnino rebus afficitur, quibus aliorum hominum animi demulcentur; & in præmium vitæ suæ innoxiæ, Angelorum choris inseritur, quia sæculum hoc decurrens vixit moribus Angelorum.

Differentia Religiosi & sæcularis explicata egregiâ figurâ.

Gen. 25.

Mundi sequaces toti sunt terræ addicti, & moriuntur inquieti.

Gen. 49.

Religiosi moriuntur placidè.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

Ex Medicorum Disciplina, et ex SS. Patribus.

QVia rerum sensibus obuiarum idea nobis ingerit notionem rerum abditarum, & omnino spiritualium, Scriptura sacra consulens infirmæ hominum indoli, terminis vtitur homini notis, vt eum faciat conscium arcanorum Dei. Verbi gratiâ, salutem animarum explicat nomine Medicinæ, vt videre est hoc contextu. *Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me: Numquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Ibi Iudæorum iniquitas carpitur vocabulo ægritudinis, & sacerdotes Medici titulo denotantur, quo seipsum designauit Christus ita fatus: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quotquot igitur sunt homines, qui medentur animæ morbis, tot sunt Medici, tantò aliis præstantiores, quantò anima corpore nobilior est; & professio illa, quæ conducit ad medendos animæ morbos, iure potest dici mystica disciplina. In eo sensu vita monastica principem sibi locum vendicat inter illas disciplinas, quæ propriæ cuiusque hominis saluti inuigilant.

Medicina in Codice sacro allegoricè significat salutem animarum.

Ierem. 8.

Matth. 9.

Religiosus status est professio Medica.

De ea itaque professione Religiosa erit hic discursus, petitus partim è fontibus Medicinæ, quam sic definit Fernelius: *Medicina est ars ad humani corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos comparata.* Vnde & Medicus dici potest, artis perinde atque naturæ minister, cuius est officium curare appositè ad sanandum. Finis autem cuius gratiâ sanitas procuratur, est vitæ functionum integritas. Itaque Medicus in eo totus est, vt nimirum morbos eliminet, & corpora sarta tectaque tueatur, quorum neutrum præstare potest ille penitus artifex, nisi eorum quot differentiæ sunt & genera, quæ causæ, & quibus signis noscuntur, iam antè perspectum habeat & cognitum. Quocirca totius Medicinæ anatome quinque partibus perficitur, quarum prior est φυσιολογικὴ, quæ hominis validi naturam, vires, & functiones accuratè persequitur. Altera pars παθολογικὴ rimatur morbos, & affectus, qui præter naturam lacessunt hominem. Tertia σημειωτικὴ signa enucleat, quibus Medici futura præsentiunt, & quis morborum decursus, quis exitus sit futurus. Quarta ὑγιεινὴ, quæ firmam corporis constitutionem congrua viuendi lege conseruat, & ingruentia mala arcet, simul ægris propriam & accommodatam morbo victus rationem decernit. Denique pars vltima θεραπευτικὴ ægram corporis affectionem, salutarium vsu & admonitione propulsat, sanitatemque restituit.

Ex re medica.

Fernel. in præfatione physiologia.

Quæ sint Medicinæ partes.

Profectò pars illa ordine postrema, est totius Medicinæ summa: quippe hanc disciplinam experientia & ratione condit, variaque præsidia suggerit, quibus & toti corpori, & cuique etiam laboranti particulæ opportunè succurrit. Ego compendiosiùs dixerim, totam Medicinam in duas dissecari partes, videlicet in speculatiuam, & in practicam. Ad primam pertinet inspicere morbos, & prædicere eorum catastrophen, periodos, symptomata, & paroxysmos. Ad practicam spectat curandi modus, qui totus perficitur diætâ, pharmaciâ, & Chirurgiâ; id est, speciali quadam lege viuendi, aut pharmacorum vsu congruo, & demum adhibitâ manus operâ, quæ inungit, secat, incidit, vritque ferramentis. Medicinæ speculatiuæ caput est prognosis, cuius est præuidere veraciter, adhibitâ maturâ inspectione morbi, de qua pronuntiare debet Medicus eruditus, iuxta hoc præceptum Hippocratis. Προσενθυμέεσθαι δὲ καὶ τοὺς πυρετοὺς, ἤν τε ἐπιτείνωσιν, ἤν τε ἀνιῶσι καὶ οὕτως ἀποφαίνεσθαι. Id est. *Contemplari oportet febres, num ingrauescant, an verò mitescant, atque ita pronuntiare.* Practicæ verò Medicinæ præcipua ratio sita est in discreta cautione pharmaca propinandi; & decernendi opportunam manum Chirurgi industrij.

Medicina diuisa in speculatiuam & practicam.

Hippoc. l. 1. επιδημ. præ notionum c. 4. textu 10.

Ex præfatis ferè liquet notio monachatus, seu Religiosi instituti: quippe illa possessio est status, qui hoc sibi pensum indixit, vt ab anima eliminet omne genus vitiorum, & eam innoxiam perfectamque Deo exhibeat. Totius vitæ huius summa, ad duo capita reuocatur; ad speculationem scilicet, & ad praxim. Speculatio concludit ea quæ ad orationem pertinent, vt sunt meditationes altæ rerum cœlestium, psalmodia, & sacrosanctum Missæ sacrificium. Praxis verò porrigitur ad omnium virtutum vsum, qui multus est apud cœnobitas. Verbi gratiâ, diæta, seu tenuis victus viget apud eos, ob continuata ieiunia: pharmacia notat familiares eis mortificationes, quæ instar calicis epotantur. Demum chirurgia, cuius est secare, vrere, & sanguinem detrahere, concluditur trium votorum professione: castitas namque hominem sollicitat, vt luxuriantis sanguinis copiam flagellis alleuiet. Paupertas abscindit opes, quarum affluxus pacis animæ eteriam

Vitæ monasticæ professio diuisa in speculationem, & in praxim.

Tria vota quomodo reducantur ad Medicinæ practicam.

id

id est, malum habitum. Denique obedientiæ ligamine, effrænis animæ voluntas stringitur errabunda. Medicinæ obsequio, Hippocrates & Galenus vegeti & morborum nescij diuturna tempora decurrerunt. Ita & in claustro plerique Religiosi sine noxa lethali totum suum æuum egere beneficio vitæ monasticæ, Deo desuper aspirante.

Luculentum encomium Medicinæ ex Fernelio in præfatione physiologiæ.

Vt ergo dignitas vitæ monasticæ liqueat, hanc collige ex hac luculenta Fernelij oratione in gratiam Medicinæ, cuius encomium texuit hoc tenore. *Si omnes omnium artium commoditates, facultates copiasque despicis, nihil est Medicinâ melius, nihil optabilius, nihil hominum generi datum præstabilius. Nam si est vita cunctis mortalibus charissima, si lux ea in primis expetenda, in qua viuimus, spiramus, & iucunda consuetudine inter nos coniungimur: si ea primum est & præstantissimum munus animantibus attributum: ars quæ illam seruat, continet, ac tuetur, quo pacto non sit omnium præstantissima? quid ea potest homini magis in votis esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos inquam, & aduersam valetudinem propulsat? quæ vitam incolumem ab omni ærumna & languore liberam quàm diutissimè tutatur? Vt corporis firma constitutione nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores: sic imbecilla & labante illa nihil laboriosius, nihil calamitosius.*

Quàm magnâ rerú notitiâ polleat Medicina.

Qui ergo in hoc periculum discrimenque adductis subuenire & opitulari queat, tantùm abest vt in illorum offensionem incurrat, vt etiam illos summa consuetudine & amicitiâ sibi coniungat, atque quasi pro numine, inquit Hippocrates, colatur, qui tantas opes restituerit, per quas externæ quoque fortunæ obtineri possint, illarumque vsus iucundus, atque dulcis habeatur: Cæterùm ad ea quæ Medicina ratione perlustrat conuersus, quàm præclara & nobili contemplatione rerum plurimarum naturas persequatur atque peruestiget, intelliges. Vt enim admirabilem hominis fabricam naturamque explicat, & euoluit; ita rerum cunctarum ortus, & occasus, ipsamque omnium ex elementis compositionem, animalium, stirpiumque proprias vires, tametsi non absolutè, quatenus tamen homini salutares sunt aut pestiferæ, inquirit atque parat. Quin & altius subiens, quæcumque ex patefactis terræ faucibus eruuntur, scrutatur; indeque sublata, cœlorum, & siderum conuersiones, & quæ inde fluunt dimanantque virtutes orbis inferioris moderatrices obseruat. Tanta igitur rerum cognitione præcellit Medicina, vt omnium quæ mundus complexu suo coërcet, naturam atque vires solerter consequatur, quas demum ad vnius hominis, cuius illi præcipua cura est, commoda salutemque referat, vt illorum & appulsu integram corporis valetudinem conseruet, aduersam depellat. Hactenus ille Medicorum eloquentissimus.

Vitæ Monasticæ præstãtia supra Medicinam.

Si ob aliqualem rerum infecatum notitiam, quam Medicina suo sectatori conciliat, dignam censet Fernelius illam artem, quæ ab omnibus suspiciatur, quia totam suam peritiam confert, vt morbos eliminet, & hominum sanitas obfirmetur. Quonam cumulo laudum afficiemus Medicinam nostram spiritalem, nimirum vitam monasticam, quæ pertæsa omnem mundi supellectilem, assurgit in cœlos, vbi soluto curis animo lustrat Angelorum choros, agmina Sanctorum, & demum solio diuinitatis aduoluitur, vt inde referat gratias idoneas ad morbos animæ castigandos, & confirmandam eiusdem animæ sanctitatem. Enimuerò quicquid speculatur illa professio salutaris, illud omne aptat ad suæ & aliorum perfectionis incrementum: ita vt præcipua huius disciplinæ cura fit in conciliandis virtutibus, & vitiis extirpandis, in quo studio occupata vita hæc cœlestis, & studium est, & stadium perfectionis, vt per singula discurrens Chrysostomus ait.

Ex SS. PATRIBVS. *Chrysost. hom. 70 in Matth.* Religiosi mens qualis sit, ex Chrysostomo.

Ne ergo meam suspectam habeas fidem in laude status, quem ego Deo miserante profiteor, accipe sententiam sanctissimi illius Antistitis. *Si* (inquit) *posses mentis eorum atque animi ianuas reserare, & nudas cogitationes eorum, & omnem interiorem ornatum conspicere; fulgore perculsus in terram concideres. Nihil in tabernaculis suis triste inuenies, sed tanquam in cœlo tuguria fabricati, sic longè a sæculi perturbationibus habitant, aduersus diabolum militantes, & cum lætitia eum expugnantes. Idcirco enim in solitudine domicilium constituerunt, ciuitatibus, & celebri habitatione hominum omnino relicta, quoniam qui bellum gerit, non potest domi sedere. Tuguria sibi constituunt, quæ si relinquere oportebit, ita facilè id faciunt, sicut milites castra, vt absque vllo dolore relinquant.*

Quæ sint exercitia vitæ monasticæ.

Nam si in solitudinem abierimus, & illorum militum tuguria considerabimus; non tentoria, non mucronem, non indumenta aurea, quibus Imperatori tegmen contexitur, spectabimus. Verùm vt si quis super terram hoc multo feliciorem, immensæque magnitudinis complures cœlos extenderet, is nouum, inauditumque, & mirabile spectaculum monstraret, non aliter illuc intueri licet.

Religiosi quare gaudet sæpe Angelorú consortio.

Non enim cœlo diuerticula eorum minora æstimanda sunt: Angeli enim, imò ipse Angelorum Dominus ad eos sæpenumero diuertunt. Nam si Angeli Abraham illum virum mulieri coniunctum, & filios nutrientem, liberalitate hominis allecti petierunt; multò magis, cùm virtutem maiorem inuenerint, & homines carnis contemptores, ac penè extra corpus, cum illis morabuntur, & consentaneam eis choream constituent. Mensa enim eorum omnis luxus immunis, supremâ Philosophia referta est: non sunt sanguinis riuuli apud eos, ex arietũ occisione, non incisiones carnium, non fumus pinguedinem redolens, sed panis & aqua; altera ex fonte, alter ex iustis laboribus.

Quæ sint colloquia Monachorum.

Nullus hinc motus animos quatit, nemo Principum interpellat, non irritauit vxor, non tristitiam intulit infans, non nimius risus emolliuit, non multitudo adulatorum inflauit, sed omnium huiusmodi remotâ turbâ, Angelorum quasi mensa fruuntur. De futuris semper philosophantur, & quasi alium quàm nos orbem incolentes, quasi in cœlum translati, ac ibi viuentes, sic de cœlestibus semper, de coronis Sanctorum, de societate Christi disputant: præsentium autem nulla ibi memoria est, sed sicut nos nunquam quid formicæ in cauernis suis faciant dicimus, eodem illi modo, quid nos faciamus, nolunt cogitare: sed de summo Rege, de bello aduersus diabolum, de fugiendis insidiis eius, de virtutibus, & vita Sanctorum diligenter meditantur.

Quàm Monachi cæteris hominibus emineant.

Quod igitur inter nos & formicas interest, hoc idem si collati ad illos fuerimus. Sed Monachi Angelis æquales, longè à nobis omnibus absunt; omnibus enim alio quodammodo quàm nos vtuntur, omniaque sibi à nostris aliena sunt. Si quis verò colloquentes illos audiret,

cognosceret

cognosceret continuò dignos cœlorum illos, non vero etiam indignos terrarum ciues esse. Cur igitur non quasi transfuga ab hac miseria ad illam sponte beatitudinem conuolabimus? non gradiemur ad Angelos? Hæc Chrysostomus.

Reipublicæ interest habere Medicos.

Ex Ivre civili.

Lege Si duo §.2. ff. De excusationib. l. 27. lege 6. titulo 1.

Dio Cassius lib. 53.

Zonaras tom. 2 annalium.

Artem Medicinæ Reipublicæ interesse veteri Iure patet, vbi immunitas decernitur Medicis, vt eo quasi stipendio deliniti vrbes inhabitent. Ecce legem. *Minores quidem ciuitates possunt quinque Medicos immunes habere; maiores ciuitates septem qui curent, maxima ciuitates decem Medicos.* Ea gratia vsus est Antonius Musa ob sanatum Augustum, qui etiam alios omnes Medicos voluit esse immunes, expertus quàm sit Medicina Reipublicæ salutaris, vt meminere Dio, & Zonaras. Hanc Imperatorum curam circa corpora humana æmulati sunt Summi Pontifices in his quæ animam spectant: quippe illi Monachos eduxere è cœnobiis suis, vt saluti incumberent animarum, hoc ducti argumento, scilicet Monachos ex suo statu debere esse sanctiores presbyteris sæcularibus, ac proinde ratione suæ vitæ tersioris, esse magis idoneos ad salutem animarum procurandam. En Canonem. *Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio omnimodo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque est celsior, tantò est & in his potentior.* Sic decreuit Papa Bonifacius, qui nomine sacerdotalis potentiæ intelligit curam animarum, vt videre est initio Canonis huius. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem: sed omnino labuntur.*

Ex Ivre canonico.

Canon. Sunt nonnulli §. Decertantes 16 qu. 1.

Rursus alter Pontifex, Gregorius scilicet Magnus, ad curam animarum traxit hos Medicos spiritales hoc decreto. *Ex auctoritate huius decreti quod Apostolico moderamine, & pietatis officio a nobis est constitutum, sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.* Syricius Papa etiam speciali edicto voluit hoc curæ animarum iugum imponi Monachis, vt valde idoneis ad hanc Medicam artem exercendam. Ecce Canon. *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, & vita ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggrauari & optamus & volumus.* Et quia dignus est operarius mercede sua, Gregorius Magnus sanxit, Monachos suam impendentes solertiam ad procurandam salutem animarum, debere eisdem gaudere stipendiis, quibus Ecclesia dignatur Curatos, seu pastores animarum. En decretum. *Moderamine Apostolicæ auctoritatis decernimus, vt Monachi, si presbyterij honore dedicati sunt cum ligandi soluendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiant pro viuis & pro defunctis, portionem iuxta canonem ad suam proximorumque vtilitatem meritò perfectioris iustitiæ non minùs quàm cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vendicent.* Nota quæso dignum Papæ elogium, egregiè commendans dignitatem vitæ monasticæ. Ait ille Præsul, Monachos esse dignos annona concessa aliis sacerdotibus; quia in eis elucet meritum perfectioris iustitiæ.

Canone Ex auctoritate 16. qu. 1.

Monachi vocati ad curam animarum.

Syricius Papa epist. 1. ad Himerium.

Canone Monachos 16. qu. 1.

Canone Moderamine 16. qu 1.

Religiosi curá animarum gerẽtes dignati stipendiis Ecclesiæ.

Et licet hodie Ecclesia stipata sit doctissimis sacerdotibus, ad quos pertinet cura animarum; fideles tamen de sua salute solliciti Religiosos presbyteros conueniunt, subodorantes in statu Religioso illam perfectiorem iustitiam, quam Gregorius Papa commemorat. Non defuere Monachi centum annis ante Gregorium, qui detrectauere, munus hoc, vtpote alienum ab instituto vitæ monasticæ, cuius præcipuus scopus est animam Monachi perpolire. Hos hortatur Augustinus, vt suum obsequium non denegent Ecclesiæ deposcenti. Sic ille: *Vos autem fratres exhortamur in Domino, vt propositum vestrũ custodiatis, & vsque in finem perseueretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit; nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas: nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent; quomodo nasceremini, non inueniretis.*

Monachi sanctiores presbyteris sæcularibus.

Rursus Iure Pontificio cautum est, vt Medici corporales cedant his Medicis spiritalibus, monentes ægros, vt confugiant ad Medicos animarum, quorum obsequio Deus pharmacis corporalibus vim salutarem impertit. Imò silentibus plerumque Medicis, ægroti suopte ingenio Religiosos viros vocant, arbitrati se eorum præsentiâ meliùs habituros. Ea populorum pietas maximè illuxit Lugduni anno M. DC. XXVIII. vbi grassante lue tot millia hominum extincta sunt. Ille ego tunc agebam partes concionatoris, in platea prædicans verbum Dei, quia in sacris ædibus non licebat, ne loci angustia anhelitu coëuntis populi accensa, pestis incendium adaugeret. Instante lue vidi vrbem consternatam animos resumere, vbi audiit Capucinos vt holocausta se ad preces Antistitis populi obsequio deuouisse. Ecclesiæ Lugdunensis clauum tunc regebat R. in Christo Pater Carolus Mironius, qui spectata populi pietate in Capucinos, conuocauit duos RR. patres Capucinos, illos vtique, qui erant suprema capita illius prouinciæ meæ, scilicet Lugdunensis. Tunc Prouincialem agebat R. P. Hierotheus Diuionensis, vt & cœnobio Lugdunensi præerat R. P. Melchior Viennensis, qui & ipse bis triennium egit in munere Prouincialatus. Vbi duo illi virtutis emeritæ viri conuenerunt Antistitem, is eos sic affatus est: Fratres mei dilectissimi, video pestem scintillantem, sua sparsuram incendia, quæ iam ciuitatis huius suburbia depascuntur. Profectò non illic desinet flamma deuorans; sed Deo irritato & sæuiente, flagellum hoc inundans feriet nos omnes. Ego suspicatus in Capucinis aliquod pietatis incrementum, quod alibi desideratur, operæpretium duxi vos rogare, vt mecum diuidatis curam animarum, quas multas concludit vrbs ista amplissima. Oro rem plenam periculi, cuius consilium cum nullis aliis cœnobitis communicaui, arbitratus me non passurum repulsam voti mei, & me benè ominatum esse, quando in conciliandis animæ præsidiis duxi esse à sanctioribus auspicandum, & Capucinos præ aliis esse ad ardua prouocandos.

Medici corporales debent monere ægros vt cõuocent Medicos spiritales.

Vix meritissimus ille Præsul mentem suam aperuit, cùm duo præfati proceres Capucinorum

Capucinorũ pietas erga

ad

ægrotos peſte laborantes.

ad pedes illius procumbentes, ſe ſuoſque ſaluti publicæ conſecrarunt. Quod vt à noſtris reſcitum eſt, certatim omnes ſe importunos præſtitere, rogantes vt ad hanc vitæ ſuæ cataſtrophen quantociùs offerrentur. Itaque Capucinis ægrorum cura demandata eſt, qui ſoli ex omnibus Religioſis electi ſunt, vt noſocomij ſeu hoſpitalis infirmorum peſte laborantium curam agerent, vbi aliquot annos conuerſati ſuauem pietatis odorem iugiter afflauerunt. Vt autem increbuit illa Capucinorum peritiâ in Medicina ſpiritali, quam exercebant Lugduni magno animarum beneficio, aliæ omnes ciuitates eadem lue laborantes, nulla tutiora quæſiere præſidia, quàm Capucinorum ſuffragia, quorum exemplo alij etiam cœnobitæ audacter hanc aleam ingreſſi ſunt. Cum enim omnibus competat ratio eadem generica vitæ religioſæ, omnes etiam idonei ſunt ad animas congruè ſoſpitandas. Eamobrem Eccleſia, cuius eſt inuigilare ſaluti ægrotantium animarum, vult ipſos Medicos corporales ſuadere decumbentibus, vt depoſcant opem aliorum, ſcilicet animæ Medicorum, quia quicquid vtiliter corpori præſtat ars Medica, illud cum fortiore animo impertit myſtica Medicina.

Decretum obſtringens ægrotos vt Medicos ſpiritales aduocent potiuſquam corporales. *Capite Cùm infirmitas De pœnitentiis & remiſſionibus l. 5. Decret. tit. 38. c. 13.*

En decretum Concilij Generalis Lateranenſis. *Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Dominó languido, quem ſanauerat: Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Præſenti decretó ſtatuimus, & ſtrictè præcipimus Medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, vt Medicos aduocent animarum: vt poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis Medicinæ remedium ſalubriùs procedatur; cùm cauſa ceſſante, ceſſet effectus. Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lectó iacentes, cùm eis à Medicis ſuadetur, vt de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, vnde faciliùs mortis periculum incurrunt. Si quis autem Medicorum huius noſtræ conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro tranſgreſſione huiuſmodi ſatisfecerit competenter. Cæterùm cùm anima ſit multo pretioſior corpore; ſub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum, pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur.*

Reges quare in Scriptura nuncupentur Medici.

Non eſt hoc prætereundum ſingulare in laudibus Medicinæ, ſcilicet Reges in Codice ſacro dici Medicos, quia è re eorum eſt mederi Reipublicæ ruinis, quibus ſi nequeunt occurrere, & obire munus Medici, ſubinde debent refugere principatum, exemplo illius quem meminit Iſaias hoc contextu. *Apprehendet vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui: Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebit in die illa dicens: Non ſum Medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum; nolite me conſtituere Regem.* Profectò homo neſcius reparare ruinas animæ ſuæ, ineptus eſt vt conſulat Reipublicæ collabenti. Eo ſanè reſpexit clerus Romanæ Eccleſiæ, inauguraturus aliquem in Summum Pontificem priſcis Eccleſiæ temporibus, vbi plerumque Monachos ad ſupremas infulas aſſumebat. Vt videre eſt ex ſerie Pontificum, vbi ex ſolo ordine S. Benedicti quadraginta ſex Summi Pontifices numerantur: quemadmodum enim nemini ſapit ille, qui non ſibi ſapit; ita qui ſuæ ſalutis curam gerit induſtriam, valde aptus erit, vt aliorum etiam hominum ſtudeat & ſaluti. Idcirco euocati ſæpius Monachi ad regimen Eccleſiæ, vt mederentur populo afflicto, & vitiorum ægritudine peſſima laboranti. Nec ille mos cœpit poſt tempora S. Benedicti, ſed viguit in ipſis Eccleſiæ incunabulis, vbi Teleſphorus & Dionyſius ex monachatu aſſumpti ſunt ad Apoſtolicum culmen, vt Medici idonei ad inſtaurandas ruinas, quas patiebatur Eccleſia ex perſecutione rabida tyrannorum.

Isai. 3.

Quare Monachi facti Pōtifices.

Damaſus in vita Teleſphori & Dionyſij.

Religioſi olim vocati Medici.

Quid ſignificet θεραπευτὴς.

In eo themate Medicinæ, cuius encomia Monachis affingimus, eſt opportunè refricanda memoria nomenclaturæ priſcæ, qua fuere olim Monachi recenſiti. Nimirum ipſo Apoſtolorum æuo beatæ illius vitæ profeſſores fuere nuncupati θεραπευταὶ; vox autem illa deducitur à θεραπεύειν, quod perinde eſt ac *medeor*, vel *colo*: vnde θεραπευτὴς duo ſignificat, medicum ſcilicet, & cultorem, & vtroque modo Religioſis congruè affingitur hic titulus, quia præ aliis Chriſtianis ſanctiore ritu Deum colunt, & ſpeciali cautela declinant animæ morbos, imò & alios curant homines ægrotantes. Huius nuncupationis luculentam mentionem facit Dionyſius Areopagita, illo textu quem laudaui alibi, & quem non pigebit reuocare. Sic ille: *Initiandorum omnium excellentior, ac ſublimior ordo Monachorum eſt ſancta diſtinctio, expiatione omni tota virtute atque exactiſſima ſuarum operationum caſtitate mundata: omnis item ſacra operationis ſpiritualiter ſpeculatrix, & particeps facta, &c. Vnde ſancti præceptores noſtri diuinis eos appellationibus ſunt proſecuti, partim Therapeutas, id eſt, cultores, à ſincero Dei famulatu, atque cultu, partim Monachos, ab indiuidua & ſingulari vita appellātes.* Hæc ille, aduertēs præceptores ſuos, ſcilicet Apoſtolos, Therapeutarū nomen Monachis indidiſſe.

EX SS. PATRIBVS. *Dionyſ. c. 6. Eccleſ. hierarchia.*

Religioſis Apoſtoli nomen Medici inuſſerunt.

Hoc autem nomen fuiſſe Monachis inuſtum, intuitu Medicinæ illius ſpiritalis, quam profitentur eximiè, Philo ſubindicat, qui & ipſe coæuus fuit Apoſtolis. Ille in venerationem compoſitus, honorificè orditur orationem hiſtoricam profeſſionis monaſticæ: *Dicamus* (inquit) *quæ dicenda ſunt de contemplationi deditis, nihil affingendo rei ornandæ gratia, ſicut poëtæ ſcriptoreſque ſolent, deſtituti vera honeſtaque materia; ſed ſimpliciſſimè veritatem ſectando, quam vix vlla eloquentia poteſt aſſequi: conabimur tamen, & operam ei nauabimus pro viribus. Inſtitutum autem huius Philoſophiæ mox apparet ex ipſis appellationibus: vocantur enim Therapeutæ, Therapeutrideſque, hoc eſt curatores, & curatrices, ſiue cultores, & cultrices vero nomine, vel quia profitentur Medicinam præſtantiorem iſtâ vulgatâ, per oppida omnia. Hæc enim medetur ſolis corporibus; illa & animas liberat morbis grauibus, & aduerſus medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates.* Hactenus Philo, appoſitè equidem ad titulum iſtum de Medicina, quam vita monaſtica profitetur, longè vtilior ſuis ſequacibus, quàm ſit ſuis ſectatoribus ars Medica corporalis: quippe hæc nequit Medicum grandæuum reuocare ad pubeſcentis ætatis florem, nec corpus eius ab origine malè affectum facere eucraticon, id eſt, benè compoſitum; quod tamen noſtra myſtica Medicina poteſt: nam congrua profeſſio vitæ religioſæ, facta vt decet, hominē puerili innocētiæ reſtituit,

Philo. l. de vita contemplatiua ſiue de ſupplicum virtutibus.

Religioſi quam medicinalem artem profiteantur.

Quare status religiosus cum Baptismo confertur.

restituit, licet antea effœtum senio vitiorum. Vnde & hic status à Patribus Baptismati comparatur.

Bernard. l. de præcepto, & dispensatione cap. 23.

Quare autem status ille conferatur cum salutari hoc lauacro, disce ex Bernardo: *audire (inquit) & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum Baptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, & singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio, professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit: imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi. Et quasi denique secundò baptizamur, dum per id, quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius. Sed & quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi de tenebris æquè non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Hæc Bernardus, cui suppar Honorius Augustodunensis, eodem sæculo vir famosus pietate & doctrina, scribit quàm conducat ad animæ sanitatem religiosi conditio.

Religiosus status diuinā in homine reformat imaginem.

Claustralis (inquit) *disciplinæ obseruatio est quasi cuiusdam camini examinatio, in qua rubigo peccatorum nostrorum debet purgari, & imago Dei in animabus nostris reformari. Postquam verò in igne tribulationis, vt aurum probabimur, tunc de fornace sumpti, in palatio cælestis Regis Angelis coæquabimur. Qui enim Monachi nuncupamur, intus Martyres computamur, si pro confessione factis exæquamur. Martyres namque quamuis grauia, tamen breuia sunt perpessi supplicia. Claustralis enim inclusio, regularis districtio, vestium abiectio, peccatorum inuectio, iuge silentium, alienum imperium, crebra ieiunia, assidua flagella, inges vigiliæ, quotidianarum horarum excubiæ, insuper confessionis confusio, pœnitentiæ amaritudo, publica coram fratribus obiurgatio, vel corporis castigatio, orationum instantia, lectionum vigilantia, hæc omnia sunt magna carnis cruciamenta. Et ideò quantum ab argento auri pretium, tantùm differt ab aliis iustis nostris remunerationis præmium.* Hactenus Honorius, & equidem honorificè locutus de suspicienda sorte Monachorū, quorum professio adeò opportunè consulit saluti suorum sectatorū, quos facit Indigetes seu beatos, & indigenas Paradisi.

Professio religiosa est martyrium diuturnum.

Claustri & Paradisi cōparatio.

Petrus Damianus ser. 5. de S. Nicolao Episcop.

Enimuerò viuifica illa & beata conditio Paradisus est, idque assertore Petro Damiano: *Verè* (inquit) *claustrum est Paradisus. Hic prata virentia Scripturarum, & præterfluens lacrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ chori Sanctorum, nullaque est, quæ non multa fructus gaudeat vbertate. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est & cibans & cibus, munerans & munus, offerens & oblatum, conuiua & conuiuium. Hic aggesta sunt omnipotentis diuitiæ: hîc refusa est gloria Angelorum. Putasne nullas hic esse nundinas, & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lacrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem, hunc ieiunantem, & officia pietatis sibi adinuicem inuidere.* Vt in Paradiso nemo ægrotat, nec etiam quispiam in Paradiso terrestri decubuisset æger; ita & in claustro, si viuitur vti par est, nullus est omnino locus animæ morbis: quia vt Hebræis exeuntibus ex Ægypto, non erat in tribubus eorum infirmus; ita & in cœtu claustralium, qui secedunt ex sæculo, nulla prorsus anima iacet ægra, quia viget illic mystica Medicina longè alia ab hac, quæ corpori adblanditur, & quam carpit Bernardus, si Monachus sequitur arbitrium Medicorum: quippe claustralis disciplina canones habet Medicos, qui animæ curam spectant, dissonos à regulis Hippocratis, vt Bernardus eruditè monet: *Hippocrates* (inquit) *& sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli perdere. Quemnam vos è duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Epicurus, atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam valetudinem præfert. Meus magister vtriusque rei contemptum prædicat: quod vera sapientia in voluptates non effluat: audisti profectò à sapiente, ne inueniri quidem hanc in terra viuentium suauiter. Qui autem inuenit dicit: Super salutem, & pulchritudinem; quantò magis super voluptatem, & turpitudinem? Quid vero prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum grauat, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Puta te, quæso, Monachum esse, non Medicum; nec de complexione iudicandum, sed de professione.* Hæc ille.

Caueat religiosus à nimia obseruatione Medicinæ corporalis.

Bern. ser. 30. in Cantica.

Iob. 28. Sap. 7.

Religiosus non viuit ex præscripto Hippocratis.

Tantùm abest vt claustrales viuendi ritus obsint saluti corporeæ, quinimò parcior escarum vsus ad vtramque, corporis scilicet & animæ, sanitatem confert: ego namque vidi plerosque infirma valetudine vtentes in sæculo, qui vbi dedere nomen suum vitæ illi monasticæ, corpore vt & animo vegetiores extiterunt. Sed quia præcipua cœnobitarum cura collimat in salutem animæ, quam indubiè conciliat illa professio salutaris; ideo similis cœtui Prophetarum, ad quos quisquis accedebat, statim eodem Dei œstro percitus prophetabat, vt & Saüli contigit, cuius Scriptura sacra meminit, hoc contextu. *Abiit etiam ipse Saül in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, & factus est etiam super eum Spiritus Domini. Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & cecinit nudus tota die illa, & nocte. Vnde & exiit prouerbium: Num & Saül inter Prophetas.* In historia synopsim habes, quæ concludit seriem totam vitæ monasticæ. Vox, Saül, Hebræa est, שאול *Saul* perinde sonans ac *postulatus*, à radice שאל *schaal, postulare*. Religiosus non tam postulat, quàm postulatur, iuxta illud Christi effatum: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Itaque Religiosus est à Deo postulatus, seu vocatus, ideoque propositum Religionis appellatur vocatio, id est, postulatio: nemo namque Religionis votum concipit, quin à Deo postuletur. *Abiit Saül in Ramatha.* Vox & hæc Hebræa est רמתה *Ramatha*, & idem significat ac *excelsa*, à radice רום *Rum*, id est, *exaltare*. Profectò excelsa petit is, qui anhelat ad sublimem illum statum,

Vita religiosa confert ad salutem animæ & corporis.

1. Reg. 19.

Religiosus à Deo electus. Religiosus bene figuratus in Saul. Vita monastica est sublimis.

statum, quem vita monastica profitetur. Venit Saül ad cisternam magnam, quæ erat in excelsis. Reuera claustris, vbi viget disciplina monastica, est cisterna insignis: quæ autem sit illa, collige ex differentia fontis, & cisternæ.

Quæ aquæ in claustra influunt.

Fontis aquæ sunt terrestres, ex cæcis alueolis scaturientes; sed aquæ quibus cisterna madet & desudat, sunt cœlestes, vtpote pluuiales. Quoniam igitur gratiarum omnium latices desuper influunt in claustra, illic meritò dicimus esse cisternam, quæ instar piscinæ probaticæ, curat omnes morbos, non corporis sed animæ, quòd longè potiùs est. Vbi ad hanc cisternam Saül accessit, factus est Spiritus Domini super eum. Ita & Spiritu Sancto aguntur omnes, quos cœnobij alicuius sacra cisterna tingit. Expoliauit se Saül vestimentis suis. Eodem effectu gaudent illi; quos Spiritus Sancti ardor accendit in fornace amoris, id est, in claustro: siquidem illi non veste tenus exuuntur, sed deponunt omnes iniquos habitus, quos anima conceperat in sæculo vitiis assueta. Emissione votorum anima renuntiat; non sæculari tantùm indumento, sed & omnibus, quibus incauti hominum animi dementantur. Saül exutus cecinit nudus tota die, & tota nocte. Sed breuiuscula fuit hæc cantio, si conferas illam cum psalmodia Monachorum, qui diu noctuque sacris cantibus occupantur. Demum Saül Prophetarum breui consortio adeò mutatus est in alium virum; vt sua hac indole noua locum fecerit isti adagio: *Num & Saül inter Prophetas.* Momentanea fuit illa mutatio Saülis! quippe homo ille malo postea spiritu percitus, Dauidi multas lethales struxit insidias. Sors sanè æquior est hominum; qui in cœtum Monachorum cœlitus adsciscuntur: nimirum eos sic afficit vita monastica, vt renoceat à vitiis insolitis, & eos initiet diuturnæ sanctitatis mystica disciplina, qua sanitas animæ redux æternùm sospitat homines antea decumbentes.

Quales in homine sortiatur effectus vita religiosa.

Elegans encomium vitæ religiosæ.

Eò collimant illa luculenta Bernardi elogia in gratiam vitæ religiosæ, quam sic commendat homo ille, eo nomine beatus, quòd professoribus huius instituti Religionis illibatæ integrum specimen ediderit. Ecce religiosi ritus breuem panegyrim eo Sancto auctore. *Quæ est tam pretiosa margarita, pro qua vniuersa dare debemus; id est, nosmetipsos, quia totum Deo dedit, qui seipsũ obtulit; vt possimus eam habere? Nonne hæc Religio sancta, pura & immaculata, in quâ homo viuit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs? O religio gloriosa & mirabilis! Quæ mens cogitare, quis intellectus plenè cognoscere; quæ lingua humana te poterit sufficienter & dignè extollere? Hæc enim, fratres mei, quâ miserante Deo peccata remittit, & reserat Paradisum. Quæ contritum sanat hominem, & tristem exhilarat, vitam de interitu reuocat, statum restaurat, hominem reuocat, fiduciam reformat, viresque & abundantiorem gratiam refundit. O religio virtutibus ornata! O margarita præfulgida! quid noui de te referam? Omnia enim ligata tu soluis, omnia soluta tu reseras, omnia aduersa tu mitigas; omnia desperata tu animas. O religio rutilantior auro, Sole splendidior! Si verè seruatur, non vincit peccatum, nec detractio superat, nec desperatiò delet: vsque in finem Deo dante, vt brauium apprehendas, perseuerat. Hæc est quæ respuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam, cogitque hominem Dei amore omnia libenter sufferre. O religio gratissima, & toto corde perquirenda! Nonne per te cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur? O religio pacifica, strepitu maligni sæculi elongata, & pro Christo sæculo mortua, vbi Spiritus Sanctus super humilem venit & quietum, super deuotum Christi ascendit! O religio habitaculum Dei & Angelorum eius! O religio vita beata, vita Angelorum, &c. Verè claustrum, verè religio est Paradisus. O religio! vallo disciplinæ munita, in qua est pretiosarum virtutum fœcunda fertilitas, &c. O porta præclarissima per quam in sanctam ciuitatem intratur, per quam regnum cælorum rapitur & possidetur, &c. O religio mirabilis officina! in te fidelis anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, ac ad sua redit imaginis puritatem. Tu fornax vbi vasa superni Regis formantur, vbi peccata soluuntur, & cum Angelis in diuinis laudibus eliquantur. Possessio quæ terra viuentium comparatur. O sancta vita! balneum animarum, mors peccatorum, & animarum purgatorium sordidarum. Tu mentium secreta purificas: tu conscientiarum squalorem diluis, vsque ad Angelicæ munditiæ puritatem peruenire facis animas.* Hæc ille.

Bernard. homil. in hæc verba: Simile est regnum cælorum.

Religiosus status quàm sit animæ salutaris.

Vita religiosa omnia peccata eliminat.

Religiosus status intemeratus praxi omnium virtutum

In quo maximè vita religiosa præstet Medicinæ.

Compendiosa hæc oratio, texta in gratiam vitæ religiosæ, luculenter adstruit meam sententiam, scilicet professioni monasticæ eminenter competere in ordine ad animas omnia encomia, quæ sibi vendicat ars Medica corporalis, de qua hoc vulgo iactatur adagium.

Non est in Medico semper, releuetur vt æger. Nempe licet homo decumbens se totum componat ad arbitrium eruditi Medici; non semper refert præmium obsequij sui sanitatem. At secus anima sauciata deliquiis propè infinitis, si vixerit appositè ad ritus religiosi instituti, illico sospitatur.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

EX PRISCIS HISTORIIS, ET EX SS. PATRIBVS.

QVasi in cothurnos assurrexere quondam Ægyptij, & flocci fecere alias omnes orbis Gentes, quia sacrorum multiplex vsus vigebat in Ægypto. Hunc ægrè tulere typhum Æthiopes, arbitrati esse è re sua demittere superbiam populi huius, aliis Gentibus insultantis. Hoc præstitere vno argumento; dicentes, sacrorum omnium ritus defluxisse ab Æthiopia in Ægyptum, suoque dicto fecere fidem multis titulis obsoletis. Huius controuersiæ meminit Diodorus ille Siculus, inclinans in partes Æthiopum, à quibus arbitratur omnes nationes effluxisse, vt ab his qui primam lucis vsuram acceperunt. Argumentum illud Achillæum est, vtpote ab antiquitate petitum: nimirum in his, quæ ad nobilitatem pertinent asserendam, antiquitas præcipuum locum tenet. Vnde Romanis in more positum fuit, exesas maiorum imagines religiosè asseruare, vt his

Diodorus Siculus l. 1. bibliothecæ historiarum.

Æthiopes initiarunt Ægyptios sacris ritibus.

collabentibus vetustate tabulis, suam nobilitatem adstruerent. Inde Hieronymus Paulam commendauit, dicens, eam Scipionum & Gracchorum stemmate prisco satam. *Hieronym. in epitaphio Paulæ.* Si quidpiam laudis ab antiquitate potest accedere statui religioso, suppetunt in gratiam eius tituli peruetusti. Nempe superstite Adamo, Enos filius Seth primus dicitur inuocasse nomen Domini, id est, Enos peculiarem quemdam ritum instituit, cuius sectatores dicti sunt magis ad Deum pertinere, quàm reliquum vulgus. *Quàm antiquum sit Religiosorum institutum.* Vt Deus dictus est Deus Abraham, Isaac, & Iacob; quia tres illi Patriarchæ Deum cæteris hominibus æui illius sanctiùs adorarunt. Ita Enos vitam agens discretam & seorsim ab aliis hominibus, orationi vacans, primatum meruit obtinere inter eos, qui in incunabulis mundi sua Deo obsequia reddiderunt. *Gen. 4.* Hoc sanctiore instituto suos filios imbuit, qui tenaces in paterno proposito, dicti sunt Enossæi, quorum institutum sanctum ita perculit homines, vt aliqui se eis adiunxerint desiderio vitæ cultioris, cuius professores dicti sunt Enossæi, à primo institutore Enos.

Enossæi Essæi, Esseni Asidæi & Cedmonæi vnde deducti.

Vt nomina vetustate deliquium literæ alicuius patiuntur, illi Enossæi postea dicti sunt Essæi, & metathesi factâ literæ, n, Esseni. Item ratione sanctitatis appellati sunt Asidæi, id est, probi, benefici, misericordes; hæc nempe omnia significat vox Hebræa חסיד *chasid*, à radice חסד *chesed*, quæ significat, misericordiam, pietatem, beneficium, & probitatem. A tempore suæ institutionis dicti sunt Cedmonæi, id est, prisci seu veteres; hoc enim sonat dictio Hebræa קדמונים *Kidmonim*, à radice קדם *Kadam*, incipere, vnde nomen sex punctorum קדם *Kedem*, id est, Oriens, principium, antiquitas. Horum institutum perseuerauit vsque ad Christum moribus illibatis, vnde cum crebro carperet Scribas & Pharisæos, nusquam tamen rigidus ille vitiorum censor inuectus est in Essæos, *Mores Essenorum.* qui licet à prima sua institutione non cælibes fuerint, quia recens erat homo satus, ac proinde propagandum erat genus humanum; tamen vigente lege Mosaica, & multiplicatâ Adami prosapiâ, nescij vxorum cœlibes extiterunt, vt meminere etiam ethnici scriptores, in quibus Plinius hæc recenset. *Plinius l. 5. cap. 17.* *Ab Occidentali Asphaltitæ littore Esseni, quos fugiant vsquequaque nocentes. Gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira; sine vlla fœmina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum per sæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur.* De illis etiam mentionem haudquaquam ingloriam facit Solinus, Plinio suppar, & ipse Gentilis. *Solinus lib. Antiquit. c.* *Interiora* (inquit) *Iudæa, quæ Occidentem contuentur Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina recesserunt à vita Gentium vniuersarum; maiestatis, vt reor, prouidentia ad hoc destinati.* *Esseni cælibes.* *Nulla ibi fœmina, Venere se penitus abdicant, palmis victitant, nemo ibi nascitur: nec tamen deſuit hominum multitudo. Locus ipse addictus est pudicitiæ, ad quem plurimi licet vndique Gentium properant: nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est vel leuis culpæ, quamuis summa ope adipisci ingressum velit, diuinitus submouetur. Itaque per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est.* *Esseni viri Religiosi.* Hactenus ille, religiosi nostri instituti synopsim lineans in Essenis, à quibus profectò fluxerunt diuersæ professiones sanctæ, quæ religiosè viuebant ante Christum, ex omni natione congregatæ, vt testatur Lucas hoc contextu: *Erant in Ierusalem habitantes Iudæi, viri Religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est.* *Act. 2.*

Esseni facti Christiani. Viri Religiosi ex omni terrarum tractu conuenerant Ierosolymam ad diem Paschæ; & vt suæ pietati longiùs indulgerent, longiores inibi moras traxerant, acturi diem Pentecostes, quem præstolantes habitabant illic, suas postea singuli quique petituri varias orbis oras. Deo miserante, Iudæi illi externi pietate conspicui confluxerant illuc, vt opportunè audirent Apostolos, variis linguis prædicantes Dominum Iesum, cui facili negotio dedere manus, aduertentes quàm affine esset Euangelium instituto Essenorum. *Christiani quare dicti sunt Esseni.* Vnde quia plerique Essenorum facti Christiani, composuere mores suos ad normam Euangelij, Apostolico more abiurantes omnia, quæ sæculi sunt; Christiani, qui religiosè viuebant emisso religionis voto, dicebantur Esseni à Iudæis, quia hæc professio religiosa non abhorrebat à moribus Essenorum. *Philo l. de vita contemplatiua.* *Hieron. l. de scriptoribus Eccles.* Itaque delusus est Philo Iudæus ille notus Apostolis, qui admiratus Alexandriæ Beati Marci discipulos communem agere vitam discretam à populo, & vacare pietatis operibus ritu singulari, dixit omne hoc specimen virtutis arduæ congruum esse ritibus Essenorum, in quorum præconium librum texuit, vbi commemorat Christianorum morem, sub nomine Essenorum, vt benè aduerterunt Hieronymus, Eusebius, Epiphanius, Cassianus, Chrysostomus, Beda, Sozomenus, & Nicephorus. *Euseb. 2. hist. c. 16. 17.* *Epiphanius hæresi 29.* *Cassian. Institutionum c. 5.* *Chrys. hom. 4. Acta.* *Beda præfatione in Marcum.* *Sozom. l. 1. hist. c. 12.* *Niceph. l. 2. hist. c. 55.* Qui autem fuerint Esseni apud Iudæos, Iosephus palàm facit.

Ioseph. l. 2. de bello Iudaico c. 7. Hoc Enossæorum seu Essenorum institutum, secessu gaudens longè à turmis, aliud habuit genus vitæ affine sibi, cui dedit initium Cainam filius Enos. Vir ille sanctissimo patre satus, eadem qua & ille disciplina tinctus, nimirum Deo addictus speciali quodam obsequio discipulos instituit, quibus hoc pensum indixit, scilicet vt prædicarent hominibus imminentem Dei iustitiam vindicem criminum, quibus sese Cain nequissima soboles obstringebat, dubiam faciens iustitiam Dei vltricem peccatorum, vt meminit Psaltes: *Psal. 52.* *Psal. 35.* *Psal. 52.* *Ioseph. l. 1. antiq. c. 2.* *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Dixit iniustus vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.* Nefandi homines iniquo sanguine concreti, patris sui Cain lethale virus ebiberant, negantes vllum fore iudicium, vt sic impunè peccarent. Hos pungit Psaltes eodem Psalmo, vbi postquam induxit insipientem dicentem: Non esse Deum vltorem, statim hæc addit. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.* Quæ verba pertinere ad Caini prosapiam, liquet hoc contextu Iosephi Iudæi historici. *Cæterum superstite etiam Adamo, Caini soboles sceleratissima euasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solum imitatur priorum vitia, sed ea superat, interim nec à bellis, nec à latrociniis temperando. Et qui à cædibus abstinebant, alioqui auarè & superbè apud eos viuebant.* Hæc Iosephus.

Qui fuerunt Cinæi, & quare instituti. Lasciuiente petulcâ Caini prosapiâ, Deus edidit Cainam velut antidotum Caini: vt istius vitia corrigerent virtutes alterius: quippe à Cainam orti sunt Cinæi, qui verbo & opere reprobotum crimina condemnarunt. *Caini prosapia iniqua.* Vt enim Esseni semoti à vulgo, suo hoc solitario viuendi modo condemnabant homines errabundos; ita & Cinæi profitentes omnium virtutum praxim,

praxim, nefarios impiorum mores suo hoc sancto viuendi schemate castigabant: vt prophetando Balaam disertè significat ita fatus: *Certe robustum est habitaculum tuum, & pone in petra nidum tuum. Quinimò, erit ad depascendum Cain.* Arbitror ego, Vatem illum sermone illo præsciò dixisse Cinæos fore diuturnos, vtpote à Deo editos ad medelam vitiorum, quæ Caini soboles reproba seminauit. Fidem fecit præsagio perpetua Cinæorum successio, vsque ad Iosephi historici tempora perseuerans: nimirum illos eos ζηλωτὰς nuncupat, à feruido zelo, quo in vitia declamabant. Eorum institutor Cainan, sic à patre suo Enos appellatus est, quia spiritu præsago, sciebat hunc filium suum à Deo electum, vt damnaret iniquos hominum ritus, quos à Caino per manus acceperant. Vnde sicut Scipio dictus est Africanus, à deuicta Africa; ita & Cainam nomen accepit ab extincta secta Cain. Itaque Enosæi, seu Esseni, & Cinæi professi sunt vitæ tropum æmulum instituto vitæ monasticæ diuitæ in duo capita; quorum vnum sectans vitam eremiticam pertinet ad Essenos, qui seorsim ab aliis habitabant. Alterum verò carpens hominum piacula, propiùs accedit ad Cinæos. Enosæi dicti sunt serui Dei, quia eorum Patriarcha Enos prior instituit singularem normam Deo seruiendi: nimirum in solitudine suos cogebant choros, celebrantes Deum in hymnis & canticis. Cinæi verò dicti sunt Angeli, seu nuntij, quia ad hoc fuere instituti, vt censorum vices agerent, in hominum vitia declamando. Quandoque simul conueniebant Enosæi & Cinæi; & licet penes Cinæos esset cura præcipua status Ecclesiæ illius sæculi adhuc rudis; aliquando tamen Cinæi deponebantur, & vocabantur Esseni ad regimen animarum. Quod subobscurè insinuat Eliphaz, ita compellans Iob: *Qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi qui habitant domos luteas.* Textus Hebræus religiosè redditus à Pagnino hic est. *Ecce in seruis suis non credet, & in Angelis suis ponet gloriationem. Etiam habitantes domos luti, quorum in puluere fundamentum eorum: conterent eos ad facies tineæ.* Nota, extrema illa verba Pagnini ex Hebræo posse ita reddi *Contererent eos ante congregationē stellarum.* ידכאום לפני עש *iedaccum liphne ngbasch.* Vox עש *ngbasc* duo significat, tineam, & congregationem stellarum: quippe deriuatur hæc vox à radice עוש *nghusch*, id est, *congregare.*

Zelotæ quale genus Religiosorum.

Cainā quare sic appellatus.

Quæ fuerit differentia inter Essenos & Cinæos.

Enosæi quare dicti serui Dei.

Cinæi quare dicti Angeli.

Cinæi erant proceres Ecclesiæ.

Iob. 4.

Eliphaz itaque volens ostendere exemplo vernaculo, nullas esse hic status rerum vices, ait, Essenos seu Enosæos seruos Dei non ita esse confirmatos in gratia, vt eis Deus credat velut semper innoxiis; nec Cinæos, qui vocabantur Angeli, penes quos erat tota gloria, & eminentia status Ecclesiæ, ita vendicare sibi hunc decorem, quin possent eo honore cadere in Comitiis generalibus, quæ coacta ab Essenis habitantibus tuguriola lutea crebrò deponebant Cinæos, sui plerumque impotes ob gloriæ radios affulgentes. Post diluuium, duæ congregationes sanctæ exortæ sunt veluti surculi Essenorum, & Cinæorum. Hæ fuerunt Cenezæorum, & Hebræorum. A Moyse ad Christum, tres aliæ floruerunt, videlicet Nazaræorum, filiorum Prophetarum, & Rechabitarum. Et quia omnes illæ sodalitates aliquali modo æmulabantur Essenos, omnium congregationum professores appellati sunt communi nomine Gedmæoni, id est, antiqui & veteres, quo etiam stylo Plinius & Solinus vocant Religiosos Gentem æternam, id est, ferè à sæculo condito nominatam. Non est prætereunda alia nomenclatura filiorum Enos, quos Scriptura sacra vocat filios Dei isto versiculo: *Videntes filij Dei filias hominum.* Quasi diceret Moyses, eos pro modulo humano Deum imitari, qui vitam agunt sanctam, qualis est religiosa professio.

Cenezæi, Hebræi, Filij Prophetarū, Rechabitæ.

Gen. 6.

Qui plura volet in eo argumento, consulat R. Patrem Iacobum Bolducium Capucinum, quem non ego diffiteor mihi in hoc themate praeluxisse; quippe iubar est pellucidum illis omnibus, qui in opaca antiquitatis notitia cæcutiunt; nec in Scriptoribus vllum credo emersisse coniectorem peritiorem in eruderandis peruetustis historiæ monumentis. Dixi, priscos illos sectatores cultioris instituti fuisse vocatos filios Dei; sed illa nuncupatio potiore titulo defluxit ad Christi Domini sectatores. Nempe ille Filius Altissimi suos sequaces instituens, nullam aliam eis normam præscripsit ab ea, quam vita monastica profitetur: vnde Religiosi effecti fratres Christi, proinde sunt filij Dei. Non ergo professio nostra delirium est, & nouum hominum inuentum, vt mentiuntur hæretici; sed patronos habet Christū & Prophetas, vt meminit Hieronymus: *Habet (inquit) vnumquodque propositum duces suos & Principes. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones. Philosophi proponāt sibi Pythagoram, Socratem, Platonē, Aristotelem. Poetæ æmulentur Homerū, Virgilium, Menandrū, Terentium. Historici Salustium, Liuiū, Herodotum. Oratores, Demosthenem, Lysiam, Tullium. Et vt ad nostra veniamus; Episcopi & presbyteri habeant in exemplū Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri Principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios: Et vt ad Scripturarum auctoritatē redeam, noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebāt sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his sunt & filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei voce laudantur per Ieremiam, & promittitur eis, quod non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino. Sit vilis & vespertinus cibus olera & legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. Semper in manu tua sit sacra lectio. Frequenter orando flexo corpore, mens erigenda ad Dominum. Crebræ vigiliæ, & ventre vacuo sæpius dormiendum. Quid tibi necesse est videre ea, quorū contemptu Monachus esse cœpisti.* Hæc ille.

R. P. Iacob. Bolducius l. 1. de Ecclesia ante legē c. 13. 14. 15.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron epist. 13. ad Paulinum.

Qui sint duces Monachorum.

Quæ exercitia Monastica.

Quia autem parum est esse filium Abrahæ, nisi & contingat facere opera Abrahæ, idem Sanctus ait vitam monasticam, non temerè gloriari in Prophetis, & sanctis institutoribus suis, quorum assecuta mores sanctūm etiam retulit institutum, cuius ideam describit ipse Hieronymus: *Referā (inquit) vobis quædā de aliquibus sanctissimis viris, vt bonorum exempla, & crebra memoria sanctorum gestorum, vitæ religionem instruant, & virtutem. Dum igitur per eremum antea septem annis sanctos Patres degentes, ibidem in terris velut in cœlis Angelos assistentes assiduo labore itineris, arduisque viuendi incommodis, cæterisque innumeris calamitatibus peragrando visitarem, de cuiusque vita, moribusque mirificis, quæ luculenter perspexi libellum compegi, qui vobis sit vt*

Hieronym. in regul. monac. ad Paulam, & Eustochiū c. 10. tom. 9.

lucerna in candelabro ad meditationem religiosæ vitæ.

Quanta fuerit Monachorum veterum sanctitas.

Nihil ita charum, ita studiosum appetebatur à Monachis, quàm quid in eis, qui suberet, posset inueniri. Tantam charitatem, tantamque humilitatem, quam sanctæ illæ mentes habebant vidi, vt eremos humanæ naturæ tam detestabiles, & ingratas, in Paradisos putarem penè conuersas. Mirum auditu, sed felix obtentu, sic sanctorum hominũ corda charitas transformauerat increatæ Deificas, vt caro penè esset nescia carnis.

Qualis sit Monachorũ obedientia.

Nam sic simplicia & humilia corda obedientiæ & humilitatis innitebantur vestigiis, vt quasi quorumdam Philosophorum videretur in eis verificari opinio, qui vnam ponunt in vniuersis hominibus animam solam. Nam Abbates, & Patres nihil omnino velle sciebant, nisi illud, quod subditi antea conabantur iussa implere, quàm forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis, conabantur prophetare de voluntate mandantis. Hactenus Hieronymus.

Chrysost. hom. 58. ad populũ.

Eiusdem vitæ monasticæ sanctitatem commendat Chrysostomus multis, vnde licet aliqua prælibaui idonea ad adstruendam dignitatem professionis huius arduæ; illis adhuc velim adiicias subiectum istud encomium, eodem Sancto auctore textum hoc tenore. *Ad virtutis ciuitatem eamus, sanctorum tabernacula, dico montes, & saltus. Veste, domo, ministeriis, & tamquam literis per omnia Monachi scribunt humilitatem, & quæ sunt superbiæ fomenta benè vestiri, & splendidè ædificare, & multos habere ministros, hæc illis omnia sublata sunt.*

Vita monastica est eximium specimen humilitatis.

Non potest illic quisdam audiri contumeliam inferens, vel patiens, nec imperans, nec cui imperetur; sed omnes sunt ex ministrantium numero, & hospitum quisque pedes abluit, & multa de hoc contentio, & hoc facit, non examinans quis ille sit, liberne sit, an seruus, sed vnicuique ministerium hoc exhibet: nullus ibi magnus, nullus ibi paruus. Quid igitur? Confusio? Absit, sed perfectissimus ordo. Iacet enim quis, paruus sit, magnus hoc non respicit, sed & ille se rursum inferiorem existimat esse, & ita maior efficitur magnus illic, vilius opus arripiens. Non est ibi meum, & tuum, sed hoc verbum eliminatum est infinitorum causa bellorum.

Magna concordia inter Religiosos.

Et quid miraris, quod vna sit omnibus mensa, & vestis; quippe cum omnibus sit vna anima? Qualiter igitur hæc vnquam contra seipsam insurget? Non est ibi paupertas, & diuitiæ, & gloria, & ignobilitas: qualiter igitur aditum inueniet arrogantia, vel superbia? Nam sunt quidam parui, & magni secundùm virtutis rationem, sed nullus hoc intuetur. Paruus non dolet, quasi contemnatur, nec vllus est qui contemnat: quòd si quis tamen aspernetur, hoc maximè docetur contemni, respui, & vilipendi.

Studium humilitatis quantum vigeat apud Monachos.

Et quanta penes nos est pugna primas partes assequendi, tantùm apud illos certamen ne consequantur, sed repellant. Et multum est studium, qui magis præcellat, contemptum patris non honorem admittens. Et sicut hic est difficile modestè se gerere propter plaudentium multitudinem, & admirantium; illic perquàm facile. Etenim ille tantùm solitudini vacat, & aues videt volantes, & arbores concuti, & flantem zephyrum, & riuos per valles deferri. Igitur vnde talis viuens in solitudine extollatur? Hactenus Chrysostomus.

Basilius quare captus amore vitæ monasticæ.

In Philosophiæ commendationem referunt Gentiles historici iuuenem quendam petulcum salacem ingressum scholam Xenocratis adeò captum virtutis amore, de qua panegyrim texebat Xenocrates, vt illico mores suos composuerit, factus deinceps virtutis sectator impiger. Eum effectum sortita est apud Basilium illum Magnum sola lectio instituti monastici, in sacro Euangelij codice lineati. Tantò enim benè affectus est erga statum illum, quantò ei magis innotuit, vt ipse suæ conuersionis assertor palàm facit: *Ego* (inquit)

Basil. ep. 99. ad Eust. Episc.

posteaquam multum tempus vanitati impendissem, & omnem penè iuuentutem inani studio attriuissem, quo tenebar tandem aliquando vbi velut ex graui somno expergefactus, ad Euangelicæ veritatis admirabile lumen respexi, deploratâ plurimum miserabili meâ vitâ ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogmata introduceret. Et cum primis hæc mihi cura erat, morum correctionem aliquam instituerem, quos per diutinam consuetudinem cum improbis contractam peruerteram. Lecto itaque Euangelio,

Paupertas ad perfectioné conducit.

animaduersoque illic, quòd plurimum occasionis & momenti afferat ad perfectionis studiũ, siquis bona sua vendat, deque illis egenis fratribus communicet; & prorsus nulla teneatur vitæ istius cura, neque patiatur mentem suam aliqua rerum præsentium affectione turbari; optabam dari ex fratribus aliquem, cui istud vitæ genus arrideret, cum quo vna profundum vitæ huius pelagus superare liceret. Inueni sanè multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquam Ægyptum, deinde & alios in Palæstina, & in Cœle-Syria, & Mesopotamia, quorum admiratus sum, cùm in seruanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam, ad quorum obstupui precandi vigorem, & constantiam, cùm obseruarem, quo pacto nec somno victi, nec aliqua alia

Quàm dura Monachorũ austeritas.

naturæ necessitate deflexi, sublimem semper & inuictum animæ sensum in fame & siti, in frigore ac nuditate seruarent, nec corporis rationem habentes ipsi, nec ab aliis aliquid illi curæ impendi sustinentes, sed quasi in aliena carne degerent ipso opere ostendentes, quid sit in rebus huius vitæ peregrinum esse & conuersationem in cælo habere. Hæc ille.

Religiosi à Deo instituti velut antidotum vitiorum.

Prouidus rerum Dominus mundo pubescente Cinæos homines Religiosos instituit, vt eorum probitate nequitiam corrigeret hominum impiorum, vt antea prælibaui. Ne lex gratiæ deterioris esset conditionis quàm fuerit olim sors naturæ, idem Deus omnium rerum sator, mundo senescente, Religiosos quasi è cœlo in terras transmisit, velut antidotum vitiorum: nulla namque piacula terras inficiunt, quorum remedia non prostent apud apothecas monachorum, quibus hoc præcipuè pensum à Deo indictum est, vt suo exemplo restaurent hominum ruinas. Eò spectant illa Chrysostomi elogia.

Chrysost.

Domus (inquit) *luctus monasteria sunt, vbi cinis, atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus sæcularium negotiorum strepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, vbi munda sunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus. Tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria sunt sublimi de loco nauigantibus, fulgore suo iter aperientes. In littore placido sedent, omnes ad quietem suam inuitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos qui intuentur, non permittunt in tenebris degere eos qui suas aspiciunt sedes.* Ita Chrysostomus, quasi dicens ad hoc ferè institutos Religiosos,

vt aliis præluceant, quod vtique luculenter præstant, scriptis, ore, & opere. Scriptis quidem; quia Sancti, quorum monumenta habemus in Scripturam sacram, omnes (paucis exceptis) ex aliquo cœnobio prodierunt. Nonne & Religiosi fuere principes Theologiæ scholasticæ, Albertus Magnus, Alexander Alensis, Thomas Aquinas, Bonauentura, Scotus, Okam, & alij sexcenti, quorum scripta ditant bibliothecas, illa Monachorum supellectile prædiuites. Ore etiam orbi prosunt Religiosi, vtpote missi in varias mundi plagas, vbi disseminant verbum Dei, sanctæ Ecclesiæ sic pomeria dilatantes. Demum opere prosunt multis, quia vita monastica est veluti censura tacita vitiorum.

Religiosi vtiles scriptis, ore, & exemplo.

Magdeb. Centuria 10. cap. 4.

Vna superest diluenda instantia Magdeburgensium hæreticorum, qui execrandam aiunt vitam Monachorum longè ab Apostolorum æuo à Basilio & aliis institutam. Eorum ineptia est traducenda testimonio Philonis Iudæi noti Apostolis, qui vitæ monasticæ speciem quasi oculis ingerit, talem quam videmus adhuc hoc sæculo constare sibi. Eo itaque auctore discant hæretici, ritus insolitos cœnobiis ad nos fuisse transmissos ab Apostolis, quorum sic tempore viuebatur. Ita Philo. *Relictis facultatibus fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deserunt numerosas cognationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias, in quibus geniti educatique sunt, quandoquidem consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos. Demigrant autem non in aliam ciuitatem, sicut serui; qui se vendi aliis heris impetrant, miseri, vt qui seruitutē mutant, nō effugiunt. Quæuis enim ciuitas, vel optimè ornata legibus, plena est tumultu plurimo, quem nemo sapientiæ sectator sustineat: sed extra mœnia degūt in hortis solitariis, aut villis solitariis, amantes solitudinē, non hominū odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt bonis moribus officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, meritò vt absoluta probitatis receptum à Græcis atque Barbaris, maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circa Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum, tamquam in huius generis patriam colonus mittitur in locum quemdam aptissimum, situm ad stagnum Mariam. Singuli habent sacras ædiculas, quas semnea vocant, siue monasteria, vbi solitarij, sancta vita mysteriis dant operam, nec cibi potusque quicquam eò inferunt, aliudue in vsum corporis; sed Legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita; hymnosque, & quædam alia pietati scientiæque promouendæ vtilia. Itaque perpetuam habent Dei memoriam; vt ne in somnis quidē aliud eis obuersetur, quàm imagines diuinarum pulchritudinū. Quotidie bis precari solent; manè, ac sub vespera: oriente Sole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cælesti repleantur lumine: occidente verò, vt anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico: medium verò matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra volumina dant operam Philosophiæ per manus acceptæ à maioribus; scrutando eius allegorias, quoniā sub apertis verbis latere credunt secreta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. Itaque non solùm contemplantur, sed etiam cantica, hymnosque in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumque genere, rithmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem. Per sex dies seorsum quisque in suis illis modo dictis monasteriis philosophantur, non progredientes foras, imò ne prospicientes quidem. Septima verò conueniunt in cœtum communem, & iuxta ætatis ordinem considunt, decenti habitu manus continentes sub pallio.* Hactenus Philo, silentium indicens hæreticis, cùm declamant in professionem monasticam, quasi nouiter emersisset.

Philo lib. de vita contemplatiua.

Qui fuerint ritus Monachorum tēpore Apostolorum.

Quàm alta fuerit meditatio Monachorum enascentis Ecclesiæ.

Antiquus est monasticæ vitæ ritus.

Aduersarij huius vitæ innoxiæ, quam lacessunt vt inuentum recens, suam ineptiam produnt, nescij se suam explicare ignorantiam, dum liuori indulgent. Nimirum, vt præfatus sum, Esseni superstite Adamo instituti, professi sunt eosdem ferè ritus, quibus Monachorum vita præcipuè commendatur. Audiendus in eo themate homo Iudæus suæ Gentis hominum lineans institutum. Ille est Iosephus ita fatus: *Miranda est etiam Essenorum instituta, quæ omnes Græcos & Barbaros longè superant, multis iam sæculis tritis in eius continuus studiis. Facultates omnes in communi possident, nec aliquis diues magis vtitur suis bonis, quàm quiuis nihil possidens. Atque hoc instituto viuunt virorum supra quatuor millia, nec vxores habentium, nec seruos: quòd alterum ad iniuriam communis naturæ pertinere censeant: alterum tranquillitati vitæ parùm commodum. Quare per se ipsi viuentes, inuicem sibi ministrant. Quæstores creant viros probos, ex sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus & frugum prouentu cibos eis conficiant.* Rursus ille alibi testificat memoriam prædictorum hominum; quos enucleatiùs sic describit. *Tria sunt apud Iudæos genera Philosophiæ. Horum vnum Pharisæi profitentur: alterum Saducæi: tertium verò, quod etiam probabilius habetur; Esseni colunt, gente quidem Iudæi, verùm inter se mutuo amore coniunctissimi, & qui præter cæteros voluptates quidem quasi maleficia vitarent: continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habent, suis moribus diligenter institutos: non quia coniugia, vel humani generis successionem censeant perimendam: sed quia cauendam putent intemperantiam fœminarum, nullam earum vni viro fidem seruare credentes. Quin & diuitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur; neque inuenias alteri alterum opulentia præstare: legemque sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent bona contubernio publicarent, vt permistis facultatibus, velut inter fratres, vnū esset omnium patrimonium.* Hæc ille, quasi describens mores Monachorum, quorum normā vt recentem sugillant hæretici, cauillantes omnia noua in his quæ ad religionem spectant, esse eliminanda procul. Quàm verò incongruè reponant inter nouitates vitæ religiosæ arduum institutum, liquet ex præfatis, vbi videtur Iosephus, recensere Canones vitæ monasticæ.

Quale fuerit Essenorum institutum.

Iosephus l. 18. cap. 2. antiquitat. Iudaicarum.

Idem l. 2. c. 7. de bello Iudaico.

Peculiares Essenorum ritus.

Quale fuerit Essenorum tyrocinium.

Rursus ille enarrat quàm cautè suos probarent nouitios, ne temerè eos ad suum cœtum aggregarent. Ecce quali tyrocinio tentarent animos hominum, qui volebant initiari Essenorum disciplinâ: *Secta (inquit ille) sua studiosis, non statim cum eis vna collectio, sed per integrum annum*

Iosephus vbi supra.

Differentia Religiosi & sæcularis explicata egregiâ figurâ.

statum fraternizare quidem in eo quòd eodem patente Deo satus sit, quo institutore coniugium licitum est, vt meritoria facultatum dispensatio iusta. Tamen eadem ferè sors est illorum statuum, quæ fuit olim duorum fratrum, Esaü, & Iacob, quos Scriptura sacra commemorat hoc contextu. *Factus est Esaü vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Præcipua sæcularium cura est penes culturam terræ, quasi nihil esset eis in cœlo. At Religiosi habitabant in tabernaculis, id est, in locis minimè fixis, cùm & ipsi mobiles sint de loco in locum ad superiorum arbitrium. Nihil nempè diuturnum habere volunt in sæculo homines qui anhelant ad aliud sæculum, vbi omnia sunt æterna. Quo verò fine defungantur illi fratres, accipe. *Cum venisset Esaü de agro lassus, ait: En morior, quid mihi proderunt primogenita.* Sæcularis status est primogenitus; sed morte instante lugent sæculares plerique, & querulas edunt voces, nihil sibi profuisse præcipuas mundi dotes, honores scilicet & opimas auri gazas. Iacob secus placidè mortuus est, stipatus omnibus Patriarchis. *Collegit pedes suos super lectulum, & obiit: appositusque est ad populum suum.* Ita Religiosus fato imminente, suos omnes affectus colligit, eos in Deum eiaculans, quia nullis omnino rebus afficitur, quibus aliorum hominum animi demulcentur; & in præmium vitæ suæ innoxiæ, Angelorum choris inseritur, quia sæculum hoc decurrens vixit moribus Angelorum.

Gen. 25. Mundi sequaces toti sunt terræ addicti, & moriuntur inquieti.

Gen. 49. Religiosi moriuntur placidè.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

Ex Medicorvm Disciplina, et ex SS. Patribvs.

Medicina in Codice sacro allegoricè significat salutem animarum.

Quia rerum sensibus obuiarum idea nobis ingerit notionem rerum abditarum, & omnino spiritualium, Scriptura sacra consulens infirmæ hominum indoli, terminis vtitur homini notis, vt eum faciat conscium arcanorum Dei. Verbi gratiâ, salutem animarum explicat nomine Medicinæ, vt videre est hoc contextu. *Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me: Numquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Ibi Iudæorum iniquitas carpitur vocabulo ægritudinis, & sacerdotes Medici titulo denotantur, quo seipsum designauit Christus ita fatus: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quotquot igitur sunt homines, qui medentur animæ morbis, tot sunt Medici, tantò aliis præstantiores, quantò anima corpore nobilior est; & professio illa, quæ conducit ad medendos animæ morbos, iure potest dici mystica disciplina. In eo sensu vita monastica principem sibi locum vendicat inter illas disciplinas, quæ propriæ cuiusque hominis saluti inuigilant.

Ierem. 8.

Matth. 9. Religiosus status est professio Medica.

Ex re medica. Fernel. in præfatione physiologia.

De ea itaque professione Religiosa erit hic discursus, petitus partim è fontibus Medicinæ, quam sic definit Fernelius: *Medicina est ars ad humani corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos comparata.* Vnde & Medicus dici potest, artis perinde atque naturæ minister, cuius est officium curare appositè ad sanandum. Finis autem cuius gratiâ sanitas procuratur, est vitæ functionum integritas. Itaque Medicus in eo totus est, vt nimirum morbos eliminet, & corpora sarta tectaque tueatur, quorum neutrum præstare potest ille peritus artifex, nisi eorum quot differentiæ sunt & genera, quæ causæ, & quibus signis noscuntur, iam antè perspectum habeat & cognitum. Quocirca totius Medicinæ anatome quinque partibus perficitur, quarum prior est φυσιολογικὴ, quæ hominis validi naturam, vires, & functiones accuratè persequitur. Altera pars παθολογικὴ rimatur morbos, & affectus, qui præter naturam lacessunt hominem. Tertia προγνωστικὴ signa enucleat, quibus Medici futura præsentiunt, & quis morborum decursus, quis exitus sit futurus. Quarta ὑγιεινὴ, quæ firmam corporis constitutionem congrua viuendi lege conseruat, & ingruentia mala arcet, simul ægris propriam & accommodatam morbo victus rationem decernit. Denique pars vltima θεραπευτικὴ ægram corporis affectionem, salutarium vsu & admonitione propulsat, sanitatemque restituit.

Quæ sint Medicinæ partes.

Profectò pars illa ordine postrema, est totius Medicinæ summa: quippe hanc disciplinam experientia & ratione condit, variaque præsidia suggerit, quibus & toti corpori, & cuique etiam laboranti particulæ opportunè succurrit. Ego compendiosiùs dixerim, totam Medicinam in duas dissecari partes, videlicet in speculatiuam, & in practicam. Ad primam pertinet inspicere morbos, & prædicere eorum catastrophen, periodos, symptomata, & paroxysmos. Ad practicam spectat curandi modus, qui totus perficitur diætâ, pharmarciâ, & Chirurgiâ; id est, speciali quadam lege viuendi, aut pharmacorum vsu congruo, & demum adhibitâ manus operâ, quæ inungit, secat, incidit, vritque ferramentis. Medicinæ speculatiuæ caput est prognosis, cuius est præuidere veraciter, adhibitâ maturâ inspectione morbi, de qua pronuntiare debet Medicus eruditus, iuxta hoc præceptum Hippocratis. Προσενθυμέεσθαι δὲ καὶ τοὺς πυρετοὺς, ἤν τε ἐπιτείνωσιν, ἤν τε ἀνιῶσι καὶ οὕτως ἀποφαίνεσθαι. Id est. *Contemplari oportet febres, num ingrauescant, an verò mitescant, atque ita pronuntiare.* Practicæ verò Medicinæ præcipua ratio sita est in discreta cautione pharmaca propinandi; & decernendi opportunam manum Chirurgi industrij.

Medicina diuisa in speculatiuam & practicam.

Hippoc. l. 2. contrariū prænotionum c. 40. comm. 10.

Ex præfatis ferè liquet notio monachatus, seu Religiosi instituti: quippe illa possessio est status, qui hoc sibi pensum indixit, vt ab anima eliminet omne genus vitiorum, & eam innoxiam perfectamque Deo exhibeat. Totius vitæ huius summa, ad duo capita reuocatur; ad speculationem scilicet, & ad praxim. Speculatio concludit ea quæ ad orationem pertinent, vt sunt meditationes altæ rerum cœlestium, psalmodia, & sacrosanctum Missæ sacrificium. Praxis verò porrigitur ad omnium virtutum vsum, qui multus est apud cœnobitas. Verbi gratiâ, diæta, seu tenuis victus viget apud eos, ob continuata ieiunia: pharmacia notat familiares eis mortificationes, quæ instar calicis epotantur. Demum chirurgia, cuius est secare, vrere, & sanguinem detrahere, concluditur triuio votorum professione: castitas namque hominem sollicitat, vt luxuriantis sanguinis copiam flagellis alleuiet. Paupertas abscindit opes, quarum affluxus pacis animæ excæciam,

Vitæ monasticæ professio diuisa in speculationem, & in praxim.

Tria vota quomodo reducantur ad Medicinā practicam.

id

id est, malum habitum. Denique obedientiæ ligamine, effrænis animæ voluntas stringitur errabunda. Medicinæ obsequio, Hippocrates & Galenus vegeti & morborum nescij diuturna tempora decurrerunt. Ita & in claustro plerique Religiosi sine noxa lethali totum suum æuum egere beneficio vitæ monasticæ, Deo desuper aspirante.

Luculentum encomium Medicinæ ex Fernelio in præfatione physiologiæ.

Vt ergo dignitas vitæ monasticæ liqueat, hanc collige ex hac luculenta Fernelij oratione in gratiam Medicinæ, cuius encomium texuit hoc tenore. *Si omnes omnium artium commoditates, facultates copiasque despicis, nihil est Medicinâ melius, nihil optabilius, nihil hominum generi datum præstabilius. Nam si est vita cunctis mortalibus charissima, si lux ea in primis expetenda, in qua viuimus, spiramus, & iucunda consuetudine inter nos coniungimur: si ea primum est & præstantissimum munus animantibus attributum: ars quæ illam seruat, continet, ac tuetur, quo pacto non sit omnium præstantissima? quid eâ potest homini magis in votis esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos inquam, & aduersam valetudinem propulsat? quæ vitam incolumem ab omni ærumna & languore liberam quàm diutissimè tutatur? Vt corporis firma constitutione nullæ opes, nulla fortuna ampliores: sic imbecilla & labante illa nihil laboriosius, nihil calamitosius.*

Quàm magnâ rerū notitiâ polleat Medicina.

Qui ergo in hoc periculum discrimenque adductis subuenire & opitulari queat, tantùm abest vt in illorum offensionem incurrat, vt etiam illos summa consuetudine & amicitiâ sibi coniungat, atque quasi pro numine, inquit Hippocrates, colatur, qui tantas opes restituerit, per quas externæ quoque fortunæ obtineri possint, illarumque vsus iucundus, atque dulcis habeatur: Cæterùm ad ea quæ Medicina ratione perlustrat conuersus, quàm præclara & nobili contemplatione rerum plurimarum naturas persequatur atque peruestiget, intelliges. Vt enim admirabilem hominis fabricam naturamque explicat, & euoluit, ita rerum cunctarum ortus, & occasus, ipsamque omnium ex elementis compositionem, animalium, stirpiumque proprias vires, tametsi non absolutè, quatenus tamen homini salutares sunt aut pestiferæ, inquirit atque parat. Quin & altius subiens, quæcumque ex patefactis terræ faucibus eruuntur, scrutatur; indeque sublata, cœlorum, & siderum conuersiones, & quæ inde fluunt dimanantque virtutes orbis inferioris moderatrices obseruat. Tanta igitur rerum cognitione præcellit Medicina, vt omnium quæ mundus complexu suo coërcet, naturam atque vires solerter consequatur, quas demum ad vnius hominis, cuius illi præcipua cura est, commoda salutemque referat, vt illorum & appulsu integram corporis valetudinem conseruet, aduersam depellat. Hactenus ille Medicorum eloquentissimus.

Vitæ Monasticæ præstātia supra Medicinam.

Si ob aliqualem rerum inferarum notitiam, quam Medicina suo sectatori conciliat, dignam censet Fernelius illam artem, quæ ab omnibus suspiciatur, quia totam suam peritiam confert, vt morbos eliminet, & hominum sanitas obfirmetur. Quonam cumulo laudum afficiemus Medicinam nostram spiritalem, nimirum vitam monasticam, quæ pertæsa omnem mundi supellectilem, assurgit in cœlos, vbi soluto curis animo lustrat Angelorum choros, agmina Sanctorum, & demum solio diuinitatis aduoluitur, vt inde referat gratias idoneas ad morbos animæ castigandos, & confirmandam eiusdem animæ sanctitatem. Enimuerò quicquid speculatur illa professio salutaris, illud omne aptat ad suæ & aliorum perfectionis incrementum: ita vt præcipua huius disciplinæ cura sit in conciliandis virtutibus, & vitiis extirpandis, in quo studio occupata vita hæc cœlestis, & studium est, & stadium perfectionis, vt per singula discurrens Chrysostomus ait.

Ex SS. PATRIBVS. Chrysost. hom. 70 in Matth. Religiosi mens qualis sit, ex Chrysostomo.

Ne ergo meam suspectam habeas fidem in laude status, quem ego Deo miserante profiteor, accipe sententiam sanctissimi illius Antistitis. *Si* (inquit) *posses mentes eorum atque animi ianuas reserare, & nudas cogitationes eorum, & omnem interiorem ornatum conspicere, fulgore perculsus in terram concideres. Nihil in tabernaculis suis triste inuenies, sed tanquam in cœlo tuguria fabricati, sic longè a sæculi perturbationibus habitant, aduersus diabolum militantes, & cum lætitia eum expugnantes. Idcirco enim in solitudine domicilium constituerunt, ciuitatibus, & celebri habitatione hominum omnino relicta, quoniam qui bellum gerit, non potest domi sedere. Tuguria sibi constituunt, quæ si relinquere oportebit, ita facilè id faciunt, sicut milites castra, vt absque vllo dolore relinquant.*

Quæ sint exercitia vitæ monasticæ.

Nam si in solitudinem abierimus, & illorum militum tuguria considerabimus; non tentoria, non mucronem, non indumenta aurea, quibus Imperatori tegmen contexitur, spectabimus. Verùm vt si quis super terram hoc multò feliciorem, immensaque magnitudinis complures cœlos extenderet, is nouum, inauditumque, & mirabile spectaculum monstraret, non aliter illuc intueri licet.

Religiosi quare gaudet sæpe Angelorū consortio.

Non enim cœlo diuerticula eorum minora æstimanda sunt: Angeli enim, imò ipse Angelorum Dominus ad eos sæpenumero diuertunt. Nam si Angeli Abraham illum virum mulieri coniunctum, & filios nutrientem, liberalitate hominis allecti petierunt; multò magis, cùm virtutem maiorem inuenerint, & homines carnis contemptores, ac penè extra corpus, cum illis morabuntur, & consentaneam eis choream constituent. Mensa enim eorum omnis luxus immunis, supremâ Philosophia referta est: non sunt sanguinis riuuli apud eos, ex arietū occisione, non incisiones carnium, non fumus pinguedinem redolens, sed panis & aqua; altera ex fonte, alter ex iustis laboribus.

Quæ sint colloquia Monachorum.

Nullus hinc metus animos quatit, nemo Principum interpellat, non irritauit vxor, non tristitiam intulit infans, non nimius risus emolliuit, non multitudo adulatorum inflauit, sed omnium huiusmodi remotâ turbâ, Angelorum quasi mensa fruuntur. De futuris semper philosophantur, & quasi alium quàm nos orbem incolentes, quasi in cœlum translati, ac ibi viuentes, sic de cœlestibus semper, de coronis Sanctorum, de societate Christi disputant: præsentium autem nulla ibi memoria est. sed sicut nos nunquam quid formicæ in cauernis suis faciant dicimus, eodem illi modo, quid nos faciamus, nolunt cogitare: sed de summo Rege, de bello aduersus diabolum, de fugiendis insidiis eius, de virtutibus, & vita Sanctorum diligenter meditantur.

Quàm Monachi cæteris hominibus emineant.

Quod igitur inter nos & formicas interest, hoc idem si collati ad illos fuerimus. Sed Monachi Angelis æquales, longè à nobis omnibus absunt; omnibus enim alio quodammodo quàm nos vtuntur, omniaque sibi à nostris aliena sunt. Si quis verò colloquentes illos audiret, cognosceret

cognosceret continuò dignos cœlorum illos, non vero etiam indignos terrarum ciues esse. Cur igitur non quasi transfuga ab hac miseria ad illam sponte beatitudinem conuolabimus? non gradiemur ad Angelos? Hæc Chrysostomus.

Reipublicæ interest habere Medicos.

Artem Medicinæ Reipublicæ interesse veteri Iure patet, vbi immunitas decernitur Medicis, vt eo quasi stipendio deliniti vrbes inhabitent. Ecce legem. *Minores quidem ciuitates possunt quinque Medicos immunes habere; maiores ciuitates septem qui curent, maximæ ciuitates decem Medicos.* Ea gratia vsus est Antonius Musa ob sanatum Augustum, qui etiam alios omnes Medicos voluit esse immunes, expertus quàm sit Medicina Reipublicæ salutaris, vt meminere Dio, & Zonaras. Hanc Imperatorum curam circa corpora humana æmulati sunt Summi Pontifices in his quæ animam spectant: quippe illi Monachos eduxere è cœnobiis suis, vt saluti incumberent animarum, hoc ducti argumento, scilicet Monachos ex suo statu debere esse sanctiores presbyteris sæcularibus, ac proinde ratione suæ vitæ tersioris, esse magis idoneos ad salutem animarum procurandam. En Canonem. *Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio omnimodo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quantò quisque est celsior, tantò est & in his potentior.* Sic decreuit Papa Bonifacius, qui nomine sacerdotalis potentiæ intelligit curam animarum, vt videre est initio Canonis huius. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem: sed omnino labuntur.*

Ex Iure civili. *Lege Si duas §. 1. ff. De excusationib. l. 27. lege 6. titulo 1.* *Dio Cassius lib. 53.* *Zonaras tom. 2 annalium.*

Ex Iure canonico. *Canon. Sunt nonnulli §. Decertantes 16 qu. 1.*

Rursus alter Pontifex, Gregorius scilicet Magnus, ad curam animarum traxit hos Medicos spiritales hoc decreto. *Ex auctoritate huius decreti quod Apostolico moderamine, & pietatis officio à nobis est constitutum, sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.* Syricius Papa etiam speciali edicto voluit hoc curæ animarum iugum imponi Monachis, vt valde idoneis ad hanc Medicam artem exercendam. Ecce Canon. *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, & vita ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggrauari & optamus & volumus.* Et quia dignus est operarius mercede sua, Gregorius Magnus sanxit, Monachos suam impendentes solertiam ad procurandam salutem animarum, debere eisdem gaudere stipendiis, quibus Ecclesia dignatur Curatos, seu pastores animarum. En decretum. *Moderamine Apostolicæ auctoritatis decernimus, vt Monachi, si presbyterij honore dedicati sunt cum ligandi soluendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiant pro viuis & pro defunctis, portionem iuxta canonem ad suam proximorumque vtilitatem meritò perfectioris iustitiæ non minùs quàm cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vendicent.* Nota quæso dignum Papæ elogium, egregiè commendans dignitatem vitæ monasticæ. Ait ille Præsul, Monachos esse dignos annona concessa aliis sacerdotibus; quia in eis elucet meritum perfectioris iustitiæ.

Canone Ex auctoritate 16. qu. 1. Monachi vocati ad curam animarum. *Syricius Papa epist. 1. ad Himerium.*

Canone Monachos 16. qu. 1.

Canone Moderamine 16. qu. 1.

Religiosi curã animarum gerẽtes dignati stipendiis Ecclesiæ.

Et licet hodie Ecclesia stipata sit doctissimis sacerdotibus, ad quos pertinet cura animarum; fideles tamen de sua salute solliciti Religiosos presbyteros conueniunt, subodorantes in statu Religioso illam perfectiorem iustitiam, quam Gregorius Papa commemorat. Non defuere Monachi centum annis ante Gregorium, qui detrectauere, munus hoc, vtpote alienum ab instituto vitæ monasticæ, cuius præcipuus scopus est animam Monachi perpolire. Hos hortatur Augustinus, vt suum obsequium non denegent Ecclesiæ deposcenti. Sic ille: *Vos autem fratres exhortamur in Domino, vt propositum vestrũ custodiatis, & vsque in finem perseueretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit; nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas: nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent; quomodo nasceremini, non inueniretis.*

Monachi sanctiores presbyteris sæcularibus.

Rursus Iure Pontificio cautum est, vt Medici corporales cedant his Medicis spiritalibus, monentes ægros, vt confugiant ad Medicos animarum, quorum obsequio Deus pharmacis corporalibus vim salutarem impertit. Imò silentibus plerumque Medicis, ægroti suopte ingenio Religiosos viros vocant, arbitrati se eorum præsentiâ meliùs habituros. Ea populorum pietas maximè illuxit Lugduni anno M. DC. XXVIII. vbi grassante lue tot millia hominum extincta sunt. Ille ego tunc agebam partes concionatoris, in platea prædicans verbum Dei, quia in sacris ædibus non licebat, ne loci angustia anhelitu coëuntis populi accensa, pestis incendium adaugeret. Instante lue vidi vrbem consternatam animos resumere, vbi audiit Capucinos vt holocausta se ad preces Antistitis populi obsequio deuouisse. Ecclesiæ Lugdunensis clauum tunc regebat R. in Christo Pater Carolus Mironius, qui spectata populi pietate in Capucinos, conuocauit duos RR. patres Capucinos, illos vtique, qui erant suprema capita illius prouinciæ meæ, scilicet Lugdunensis. Tunc Prouincialem agebat R. P. Hierotheus Diuionensis, vt & cœnobio Lugdunensi præerat R. P. Melchior Viennensis, qui & ipse bis triennium egit in munere Prouincialatus. Vbi duo illi virtutis emeritæ viri conuenerunt Antistitem, is eos sic affatus est: Fratres mei dilectissimi, video pestem scintillantem, sua sparsuram incendia, quæ iam ciuitatis huius suburbia depascuntur. Profectò non illic desinet flamma deuorans; sed Deo subirato & sæuiente, flagellum hoc inundans feriet nos omnes. Ego suspicatus in Capucinis aliquod pietatis incrementum, quod alibi desideratur, operæpretium duxi vos rogare, vt mecum diuidatis curam animarum, quas multas concludit vrbs ista amplissima. Oro rem plenam periculi, cuius consilium cum nullis aliis cœnobitis communicaui, arbitratus me non passurum repulsam voci mei, & me benè ominatum esse, quando in conciliandis animæ præsidiis duxi esse à sanctioribus auspicandum, & Capucinos præ aliis esse ad ardua prouocandos.

Medici corporales debent monere ægros vt cõuocent Medicos spiritales.

Vix meritissimus ille Præsul mentem suam aperuit, cùm duo præfati proceres Capucinorum Capucinorũ pietas erga

ad

ægrotos peste laborantes.

ad pedes illius procumbentes, se suosque saluti publicæ consecrarunt. Quod vt à nostris rescitum est, certatim omnes se importunos præstitere, rogantes vt ad hanc vitæ suæ catastrophen quantociùs offerrentur. Itaque Capucinis ægrorum cura demandata est, qui soli ex omnibus Religiosis electi sunt, vt nosocomij seu hospitalis infirmorum peste laborantium curam agerent, vbi aliquot annos conuersati suauem pietatis odorem iugiter afflauerunt. Vt autem increbuit illa Capucinorum peritia in Medicina spiritali, quam exercebant Lugduni magno animarum beneficio, aliæ omnes ciuitates eadem lue laborantes, nulla tutiora quæsiere præsidia, quàm Capucinorum suffragia; quorum exemplo alij etiam cœnobitæ audacter hanc aleam ingressi sunt. Cum enim omnibus competat ratio eadem generica vitæ religiosæ, omnes etiam idonei sunt ad animas congruè sospitandas. Eamobrem Ecclesia, cuius est inuigilare saluti ægrotantium animarum, vult ipsos Medicos corporales suadere decumbentibus, vt deposcant opem aliorum, scilicet animæ Medicorum, quia quicquid valuet corpori præstat ars Medica, illud cum fortiore animo impertit mystica Medicina.

Decretum obstringens ægrotos vt Medicos spiritales aduocent potiusquam corporales. *Capite Cùm infirmitas De pœnitentiis & remissionibus l. 5. Decret. tit. 38. c. 13.*

En decretum Concilij Generalis Lateranensis. *Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Dominô languido, quem sanauerat: Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Præsenti decretô statuimus, & strictè præcipimus Medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt Medicos aduocent animarum: vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis Medicinæ remedium salubriùs procedatur; cùm causa cessante, cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lectô iacentes, cùm eis a Medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde faciliùs mortis periculum incurrunt. Si quis autem Medicorum huius nostræ constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Cæterùm cùm anima sit multo pretiosior corpore; sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum, pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.*

Reges quare in Scriptura nuncupentur Medici.

Non est hoc prætereundum singulare in laudibus Medicinæ, scilicet Reges in Codice sacro dici Medicos, quia è re eorum est mederi Reipublicæ ruinis, quibus si nequeunt occurrere, & obire munus Medici, subinde debent refugere principatum, exemplo illius quem meminit Isaias hoc contextu. *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit in die illa dicens: Non sum Medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum; nolite me constituere Regem.* Profectò homo nescius reparare ruinas animæ suæ, ineptus est vt consulat Reipublicæ collabenti. Eo sanè respexit clerus Romanæ Ecclesiæ, inauguraturus aliquem in Summum Pontificem priscis Ecclesiæ temporibus, vbi plerumque Monachos ad supremas infulas assumebat. Vt videre est ex serie Pontificum, vbi ex solo ordine S. Benedicti quadraginta sex Summi Pontifices numerantur: quemadmodum enim nemini sapit ille, qui non sibi sapit; ita qui suæ salutis curam gerit industriam, valde aptus erit, vt aliorum etiam hominum studeat & saluti. Idcirco euocati sæpius Monachi ad regimen Ecclesiæ, vt mederentur populo afflicto, & vitiorum ægritudine pessima laboranti. Nec ille mos cœpit post tempora S. Benedicti, sed viguit in ipsis Ecclesiæ incunabulis, vbi Telesphorus & Dionysius ex monachatu assumpti sunt ad Apostolicum culmen, vt Medici idonei ad instaurandas ruinas, quas patiebatur Ecclesia ex persecutione rabida tyrannorum.

Isai. 3.

Quare Monachi facti Pontifices.

Damasus in vita Telesphori & Dionysij.

Religiosi olim vocati Medici. Quid significet θεραπευτὴς. Ex SS. Patribus. *Dionys. c. 6. Eccles. hierarchia.* Religiosis Apostoli nomen Medici indiderunt.

In eo themate Medicinæ, cuius encomia Monachis affingimus, est opportunè refricanda memoria nomenclaturæ priscæ, qua fuere olim Monachi recensiti. Nimirum ipso Apostolorum æuo beatæ illius vitæ professores fuere nuncupati θεραπευταί; vox autem illa deducitur à θεραπεύειν, quod perinde est ac *medeor*, vel *colo*: vnde θεραπευτὴς duo significat, medicum scilicet, & cultorem, & vtroque modo Religiosis congruè affingitur hic titulus, quia præ aliis Christianis sanctiore ritu Deum colunt, & speciali cautela declinant animæ morbos, imò & alios curant homines ægrotantes. Huius nuncupationis luculentam mentionem facit Dionysius Areopagita, illo textu quem laudaui alibi, & quem non pigebit reuocare. Sic ille: *Initiandorum omnium excellentior, ac sublimior ordo Monachorum est sancta distinctio, expiatione omni tota virtute atque exactissima suarum operationum castitate mundata: omnis item sacra operationis spiritualiter speculatrix, & particeps facta, &c. Vnde sancti præceptores nostri diuinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim Therapeutas, id est, cultores, à sincero Dei famulatu, atque cultu, partim Monachos, ab indiuidua & singulari vita appellãtes.* Hæc ille, aduertẽs præceptores suos, scilicet Apostolos, Therapeutarũ nomen Monachis indidisse.

Hoc autem nomen fuisse Monachis inustum, intuitu Medicinæ illius spiritalis, quam profitentur eximiè, Philo subindicat, qui & ipse coæuus fuit Apostolis. Ille in venerationem compositus, honorificè orditur orationem historicam professionis monasticæ: *Dicamus* (inquit) *quæ dicenda sunt de contemplationi deditis, nihil affingendo rei ornandæ gratiâ, sicut poëtæ scriptoresque solent, destituti vera honestaque materia; sed simplicissimè veritatem sectando, quam vix vlla eloquentia potest assequi: cõnabimur tamen, & operam ei nauabimus pro viribus. Institutum autem huius Philosophiæ mox apparet ex ipsis appellationibus: vocantur enim Therapeutæ, Therapeutridesque, hoc est curatores, & curatrices, siue cultores, & cultrices vero nomine, vel quia profitentur Medicinam præstantiorem istâ vulgatâ, per oppida omnia. Hæc enim medetur solis corporibus; illa & animas liberat morbis grauibus, & aduersus medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates.* Hactenus Philo, appositè equidem ad titulum istum de Medicina, quam vita monastica profitetur, longè vtilior suis sequacibus, quàm sit suis sectatoribus ars Medica corporalis: quippe hæc nequit Medicum grandæuum reuocare ad pubescentis ætatis florem, nec corpus eius ab origine malè affectum facere eucraticon, id est, benè compositum; quod tamen nostra mystica Medicina potest: nam congrua professio vitæ religiosæ, facta vt decet, hominẽ puerili innocẽtiæ

Philo. l. de vita contemplatiua siue de supplicum virtutibus.

Religiosi quam medicinalem artem profitentur.

Quare status religiosus cum Baptismo confertur.

restituit, licet antea effœtum senio vitiorum. Vnde & hic status à Patribus Baptismati comparatur.

Bernard. l. de præcepto, & dispensatione cap. 23.

Quare autem status ille conferatur cum salutari hoc lauacro, disce ex Bernardo: *audire* (inquit) *& hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum Baptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, & singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio, professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit: imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi. Et quasi denique secundò baptizamur, dùm per id, quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius. Sed & quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi de tenebris æquè non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Hæc Bernardus, cui suppar Honorius Augustodunensis, eodem sæculo vir famosus pietate & doctrina, scribit quàm conducat ad animæ sanitatem religiosi conditio.

Religiosus status diuinã in homine reformat imaginem.

Claustralis (inquit) *disciplinæ obseruatio est quasi cuiusdam camini examinatio, in qua rubigo peccatorum nostrorum debet purgari, & imago Dei in animabus nostris reformari. Postquam verò in igne tribulationis, vt aurum probabimur, tunc de fornace sumpti, in palatio cælestis Regis Angelis coæquabimur. Qui enim Monachi nuncupamur, inter Martyres computamur, si pro confessione factis exæquamur. Martyres namque quamuis grauia, tamen breuia sunt perpessi supplicia. Claustralis enim inclusio, regularis districtio, vestium abiectio, peccatorum inuectio, iuge silentium, alienum imperium, crebra ieiunia, assidua flagella, inges vigiliæ, quotidianarum horarum excubiæ, insuper confessionis confusio, pœnitentiæ amaritudo, publica coram fratribus obiurgatio, vel corporis castigatio, orationum instantia, lectionum vigilantia, hæc omnia sunt magna carnis cruciamenta. Et ideò quantum ab argento auri pretium, tantùm differt ab aliis iustis nostris remunerationis premium.* Hactenus Honorius, & equidem honorificè locutus de suspicienda sorte Monachorũ, quorum professio adeò opportunè consulit saluti suorum sectatorũ, quos facit Indigetes seu beatos, & indigenas Paradisi.

Professio religiosa est martyrium diuturnum.

Claustri & Paradisi cõparatio.

Petrus Damianus ser. 5. de S. Nicolao Episcop.

Enimuerò viuifica illa & beata conditio Paradisus est, idque assertore Petro Damiano: *Verè* (inquit) *claustrum est Paradisus. Hic prata virentia Scripturarum, & præterfluens lacrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ chori Sanctorum, nullaque est, quæ non multa fructus gaudeat vbertate. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est & cibans & cibus, munerans & munus, offerens & oblatum, conuiua & conuiuium. Hic aggesta sunt omnipotentis diuitiæ: hîc refusa est gloria Angelorum. Putasne nullas hîc esse nundinas, & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lacrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem, hunc ieiunantem, & officia pietatis sibi adinuicem inuidere.* Vt in Paradiso nemo ægrotat, nec etiam quispiam in Paradiso terrestri decubuisset æger; ita & in claustro, si viuitur vti par est, nullus est omnino locus animæ morbis: quia vt Hebræis exeuntibus ex Ægypto, non erat in tribubus eorum infirmus; ita & in cœtu claustralium, qui secedunt ex sæculo, nulla prorsus anima iacet ægra, quia viget illic mystica Medicina longè alia ab hac, quæ corpori adblanditur, & quam carpit Bernardus, si Monachus sequitur arbitrium Medicorum: quippe claustralis disciplina canones habet Medicos, qui animæ curam spectant, dissonos à regulis Hippocratis, vt Bernardus eruditè monet: *Hippocrates* (inquit) *& sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo; Christus & eius discipuli perdere. Quemnam vos è duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Epicurus, atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam valetudinem præfert. Meus magister vtriusque rei contemptum prædicat: quod vera sapientia in voluptatibus non effluat: audisti profectò à sapiente, ne inueniri quidem hanc in terra viuentium suauiter. Qui autem inuenit dicit: Super salutem, & pulchritudinem; quantò magis super voluptatem, & turpitudinem? Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum grauat, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Puta te, quæso, Monachum esse, non Medicum; nec de complexione iudicandum, sed de professione.* Hæc ille.

Caueat religiosus à nimia obseruatione Medicinæ corporalis.

Bern. ser. 30. in Cantica.

Iob. 28. Sap. 7.

Religiosus non viuit ex præscripto Hippocratis.

Tantùm abest vt claustrales viuendi ritus obsint saluti corporeæ, quinimò parcior escarum vsus ad vtramque, corporis scilicet & animæ, sanitatem confert: ego namque vidi plerosque infirma valetudine vtentes in sæculo, qui vbi dedere nomen suum vitæ illi monasticæ, corpore vt & animo vegetiores extiterunt. Sed quia præcipua cœnobitarum cura collimat in salutem animæ, quam indubiè conciliat illa professio salutaris; ideo similis cœtui Prophetarum, ad quos quisquis accedebat, statim eodem Dei œstro percitus prophetabat, vt & Saüli contigit, cuius Scriptura sacra meminit, hoc contextu. *Abiit etiam ipse Saül in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, & factus est etiam super eum Spiritus Domini. Et expolians etiam ipse se vestimentis suis, & cecinit nudus tota die illa, & nocte. Vnde & exiit prouerbium: Num & Saül inter Prophetas.* In historia synopsim habes, quæ concludit seriem totam vitæ monasticæ. Vox, Saül, Hebræa est, שאול *Saul* perinde sonans ac *postulatus*, à radice שאל *schaal, postulare*. Religiosus non tam postulat, quàm postulatur, iuxta illud Christi effatum: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Itaque Religiosus est à Deo postulatus, seu vocatus, ideoque propositum Religionis appellatur vocatio, id est, postulatio: nemo namque Religionis votum concipit, quin à Deo postuletur. *Abiit Saül in Ramatha.* Vox & hæc Hebræa est רמתה *Ramatha*, & idem significat ac *excelsa*, à radice רום *Rum*, id est, *exaltare*. Profectò excelsa petit is, qui anhelat ad sublimem illum statum,

Vita religiosa confert ad salutem animæ & corporis.

1. Reg. 19.

Religiosus à Deo electus.

Religiosus bene figuratus in Saül.

Vita monastica est sublimis.

statum, quem vita monastica profitetur. Venit Saül ad cisternam magnam, quæ erat in excelsis. Reuera claustris, vbi viget disciplina monastica, est cisterna insignis: quæ autem sit illa, collige ex differentia fontis, & cisternæ.

Quæ aquæ in claustra influunt.

Fontis aquæ sunt terrestres, ex cæcis alueolis scaturientes; sed aquæ quibus cisterna madet & desudat, sunt cœlestes, vtpote pluuiales. Quoniam igitur gratiarum omnium latices desuper influunt in claustra, illic meritò dicimus esse cisternam, quæ instar piscinæ probaticæ, curat omnes morbos, non corporis sed animæ, quòd longè potiùs est. Vbi ad hanc cisternam Saül accessit, factus est Spiritus Domini super eum. Ita & Spiritu Sancto aguntur omnes, quos cœnobij alicuius sacra cisterna tingit. Expoliauit se Saül vestimentis suis. Eodem effectu gaudent illi; quos Spiritus Sancti ardor accendit in fornace amoris, id est, in claustro: siquidem illi non veste tenus exuuntur, sed deponunt omnes iniquos habitus, quos anima conceperat in sæculo vitiis assueta. Emissione votorum anima renuntiat, non sæculari tantùm indumento: sed & omnibus, quibus incauti hominum animi dementantur. Saül exutus cecinit nudus tota die, & tota nocte. Sed breuiuscula fuit hæc cantio, si conferas illam cum psalmodia Monachorum, qui diu noctuque sacris cantibus occupantur. Demum Saül Prophetarum breui consortio adeò mutatus est in alium virum; vt sua hac indole noua locum fecerit isti adagio: *Num & Saül inter Prophetas.* Momentanea fuit illa mutatio Saülis: quippe homo ille malo postea spiritu percitus, Dauidi multas lethales struxit insidias. Sors sanè æquior est hominum; qui in cœtum Monachorum cœlitus adsciscuntur: nimirum eos sic afficit vita monastica, vt reuocet à vitiis insolitis, & eos initiet diuturnæ sanctitatis mystica disciplina, qua sanitas animæ redux æternùm sospitat homines antea decumbentes.

Quales in homine sortiatur effectus vita religiosa.

Elegans encomium vitæ religiosæ.

Eò collimant illa luculenta Bernardi elogia in gratiam vitæ religiosæ, quam sic commendat homo ille, eo nomine beatus, quòd professoribus huius instituti Religionis illibatæ integrum specimen ediderit. Ecce religiosi ritus breuem panegyrim eo Sancto auctore. *Quæ est tam pretiosa margarita, pro qua vniuersa dare debemus; [illegible] est, nosmetipsos, quia totum Deo dedit, qui seipsũ obtulit; vt possimus eam habere? Nonne hæc Religio sancta, pura & immaculata, in qua homo viuit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs? O religio gloriosa & mirabilis! Quæ mens cogitare, quis intellectus plenè cognoscere, quæ lingua humana te poterit sufficienter & dignè extollere? Hæc enim, fratres mei, quæ miserante Deo peccata remittit, & reserat Paradisum. Quæ contritum sanat hominem, & tristem exhilarat, vitam de interitu reuocat, statum restaurat, hominem reuocat, fiduciam reformat, viresque & abundantiorem gratiam refundit. O religio virtutibus ornata! O margarita praefulgida! quid noui de te referam? Omnia enim ligata tu soluis, omnia soluta tu reseras, omnia aduersa tu mitigas; omnia desperata tu animas. O religio rutilantior auro, Sole splendidior! Si verè seruatur, non vincit peccatum, nec detractio superat, nec desperatio delet: vsque in finem Deo dante, vt brauium apprehendas, perseuerat. Hæc est quæ respuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam, cogitque hominem Deo amore omnia libenter sufferre. O religio gratissima, & toto corde perquirenda! Nonne per te cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur? O religio pacifica, strepitu maligni sæculi elongato, & pro Christo sæculo mortua, vbi Spiritus Sanctus super humilem venit & quietum, super deuotum Christi ascendit! O religio habitaculum Dei & Angelorum eius! O religio vita beata, vita Angelorum, &c. Verè claustrum, verè religio est Paradisus. O religio! vallo disciplinæ munita, in qua est pretiosarum virtutum fœcunda fertilitas, &c. O porta præclarissima per quam in sanctam ciuitatem intratur, per quam regnum cælorum rapitur & possidetur, &c. O religio mirabilis officina! in te fidelis anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, ac ad suæ redit imaginis puritatem. Tu fornax vbi vasa superni Regis formantur, vbi peccata soluuntur, & cum Angelis in diuinis laudibus eliquantur. Possessio quæ terræ viuentium comparatur. O sancta vita! balneum animarum, mors peccatorum, & animarum purgatorium sordidarum. Tu mentium secreta purificas: tu conscientiarum squalorem diluis, atque ad Angelicæ munditiæ puritatem peruenire facis animas.* Hæc ille.

Bernard. homil. in hæc verba: Simile est regnum cælorum.

Religiosus status quàm sit animæ salutaris.

Vita religiosa omnia peccata eliminat.

Religiosus status incentiuus praxi omnium virtutum.

In quo maximè vita religiosa præstet Medicinæ.

Compendiola hæc oratio, texta in gratiam vitæ religiosæ, luculenter adstruit meam sententiam, scilicet professioni monasticæ eminenter competere in ordine ad animas omnia encomia, quæ sibi vendicat ars Medica corporalis, de qua hoc vulgo iactatur adagium.

Non est in Medico semper, releuetur vt æger. Nempe licet homo decumbens se totum componat ad arbitrium eruditi Medici; non semper refert præmium obsequij sui sanitatem. At secus anima sauciata deliquiis propè infinitis, si vixerit appositè ad ritus religiosi instituti; illico sospitatur.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

Ex Priscis Historiis, et ex SS. Patribus.

Qvasi in cothurnos assurrexere quondam Ægyptij, & flocci fecere alias omnes orbis Gentes, quia sacrorum multiplex vsus vigebat in Ægypto. Hunc ægrè tulere typhum Æthiopes, arbitrati esse è re sua demittere superbiam populi huius, aliis Gentibus insultantis. Hoc præstitere vno argumento; dicentes, sacrorum omnium ritus defluxisse ab Æthiopia in Ægyptum, suoque dicto fecere fidem multis titulis obsoletis. Huius controuersiæ meminit Diodorus ille Siculus, inclinans in partes Æthiopum, à quibus arbitratur omnes nationes effluxisse, vt ab his qui primam lucis vsuram acceperunt. Argumentum illud Achillæum est, vtpote ab antiquitate petitum: nimirum in his, quæ ad nobilitatem pertinent asserendam, antiquitas præcipuum locum tenet. Vnde Romanis in more positum fuit, exesas maiorum imagines religiosè asseruare, vt his collaben

Diodorus Siculus l. 1. bibliotheca historiarum.

Æthiopes initiarunt Ægyptios sacris ritibus.

collabentibus vetustate tabulis, suam nobilitatem adstruerent. Inde Hieronymus Paulam commendauit, dicens, eam Scipionum & Græcchorum stemmate prisco satam. Si quidpiam laudis ab antiquitate potest accedere statui religioso, suppetunt in gratiam eius tituli peruetusti. Nempe superstite Adamo, Enos filius Seth primus dicitur inuocasse nomen Domini, id est, Enos peculiarem quemdam ritum instituit, cuius sectatores dicti sunt magis ad Deum pertinere, quàm reliquum vulgus. Vt Deus dictus est Deus Abraham, Isaac, & Iacob; quia tres illi Patriarchæ Deum cæteris hominibus æui illius sanctiùs adorarunt. Ita Enos vitam agens discretam & seorsim ab aliis hominibus, orationi vacans, primatum meruit obtinere inter eos, qui in incunabulis mundi sua Deo obsequia reddiderunt. Hoc sanctiore instituto suos filios imbuit, qui tenaces in paterno proposito, dicti sunt Enossæi, quorum institutum sanctum ita perculit homines, vt aliqui se eis adiunxerint desiderio vitæ cultioris, cuius professores dicti sunt Enossæi, à primo institutore Enos.

Hieronym. in epitaphio Paulæ.

Quàm antiquum sit Religiosorum institutum.

Gen. 4.

Vt nomina vetustate deliquium literæ alicuius patiuntur, illi Enossæi postea dicti sunt Essæi, & metathesi factâ literæ, n, Esseni. Item ratione sanctitatis appellati sunt Asidæi, id est, probi, benefici, misericordes; hæc nempe omnia significat vox Hebræa חסיד *chasid*, à radice חסד *chesed*, quæ significat, misericordiam, pietatem, beneficium, & probitatem. A tempore suæ institutionis dicti sunt Cedmonæi, id est, prisci seu veteres; hoc enim sonat dictio Hebræa קדמונים *Kidmonim*, à radice קדם *Kadam*, incipere, vnde nomen sex punctorum קדם *Kedem*, id est, Oriens, principium, antiquitas. Horum institutum perseuerauit vsque ad Christum moribus illibatis, vnde cum crebro carperet Scribas & Pharisæos, nusquam tamen rigidus ille vitiorum censor inuectus est in Essæos, qui licet à prima sua institutione non cælibes fuerint, quia recens erat homo satus, ac proinde propagandum erat genus humanum; tamen vigente lege Mosaica, & multiplicatâ Adami prosapiâ, nescij vxorum cœlibes extiterunt, vt meminere etiam ethnici scriptores, in quibus Plinius hæc recenset. *Ab Occidentali Asphaltitæ littore Esseni, quos fugiant vsquequaque nocentes. Gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira; sine vlla fœmina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum per sæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur.* De illis etiam mentionem haudquaquam ingloriam facit Solinus, Plinio suppar, & ipse Gentilis. *Interiora* (inquit) *Iudæa, quæ Occidentem contuentur Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina recesserunt à vita Gentium vniuersarum; maiestatis, vt reor, prouidentia ad hoc destinati. Nulla ibi fœmina, Venere se penitus abdicant, palmis victitant, nemo ibi nascitur: nec tamen desuit hominum multitudo. Locus ipse addictus est pudicitiæ, ad quem plurimi licet vndique Gentium properant: nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est vel leuis culpæ, quamuis summa ope adipisci ingressum velit, diuinitus submouetur. Itaque per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est.* Hactenus ille, religiosi nostri instituti synopsim lineans in Essenis, à quibus profectò fluxerunt diuersæ professiones sanctæ, quæ religiosè viuebant ante

Enossæi Essæi, Esseni Asidæi & Cedmonæi vnde deducti.

Mores Essenorum.

Plinius l. 5. cap. 17.

Solinus lib. Antiquit. c.

Esseni cælibes.

Esseni viri Religiosi.

Christum, ex omni natione congregatæ, vt testatur Lucas hoc contextu: *Erant in Ierusalem habitantes Iudæi, viri Religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est.*

Act. 2.

Viri Religiosi ex omni terrarum tractu conuenerant Ierosolymam ad diem Paschæ; & vt suæ pietati longiùs indulgerent, longiores inibi moras traxerant, acturi diem Pentecostes, quem præstolantes habitabant illic, suas postea singuli quique petituri varias orbis oras. Deo miserante, Iudæi illi externi pietate conspicui confluxerant illuc, vt opportunè audirent Apostolos, variis linguis prædicantes Dominum Iesum, cui facili negotio dedere manus, aduertentes quàm affine esset Euangelium instituto Essenorum. Vnde quia plerique Essenorum facti Christiani, composuere mores suos ad normam Euangelij, Apostolico more abiurantes omnia, quæ sæculi sunt; Christiani, qui religiosè viuebant emisso religionis voto, dicebantur Esseni à Iudæis, quia hæc professio religiosa non abhorrebat à moribus Essenorum. Itaque delusus est Philo Iudæus ille notus Apostolis, qui admiratus Alexandriæ Beati Marci discipulos communem agere vitam discretam à populo, & vacare pietatis operibus ritu singulari, dixit omne hoc specimen virtutis arduæ congruum esse ritibus Essenorum, in quorum præconium librum texuit, vbi commemorat Christianorum morem, sub nomine Essenorum, vt benè aduerterunt Hieronymus, Eusebius, Epiphanius, Cassianus, Chrysostomus, Beda, Sozomenus, & Nicephorus. Qui autem fuerint Esseni apud Iudæos, Iosephus palàm facit.

Esseni facti Christiani.

Christiani quare dicti sunt Esseni.

Philo l. de vita contemplatiua.
Hieron. l. de scriptoribus Eccles.
Euseb. l. 2. hist. c. 16. 17.
Epiphanius hæresi 29.
Cassian. Institutis monast. c. 5.
Chrys. hom. 4. Acta.
Beda præfatione in Marcum.
Sozom. l. 1. hist. c. 12.
Niceph. l. 2. hist. c. 55.

Hoc Enossæorum seu Essenorum institutum, secessu gaudens longè à turmis, aliud habuit genus vitæ affine sibi, cui dedit initium Cainam filius Enos. Vir ille sanctissimo patre satus, eadem qua & ille disciplina tinctus, nimirum Deo addictus speciali quodam obsequio discipulos instituit, quibus hoc pensum indixit, scilicet vt prædicarent hominibus imminentem Dei iustitiam vindicem criminum, quibus sese Cain nequissima soboles obstringebat, dubiam faciens iustitiam Dei vltricem peccatorum, vt meminit Psaltes; *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Dixit iniustus vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.* Nefandi homines iniquo sanguine concreti, patris sui Cain lethale virus ebiberant, negantes vllum fore iudicium, vt sic impunè peccarent. Hos pungit Psaltes eodem Psalmo, vbi postquam induxit insipientem dicentem: Non esse Deum vltorem, statim hæc addit. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.* Quæ verba pertinere ad Caini prosapiam, liquet hoc contextu Iosephi Iudæi historici. *Cæterum superstite etiam Adamo, Caini soboles sceleratissima euasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solum imitatur priorum vitia, sed ea superat, interim nec à bellis, nec à latrociniis temperando. Et qui à cædibus abstinebant, alioqui auarè & superbè apud eos viuebant.* Hæc Iosephus.

Ioseph. l. 2. de bello Iudaico c. 7.
Psal. 52.
Psal. 35.
Psal. 52.
Ioseph. l. 1. antiq. c. 2.

Lasciuiente petulcâ Caini prosapiâ, Deus edidit Cainam velut antidotum Caini: vt istius vitia corrigerent virtutes alterius: quippe à Cainam orti sunt Cinæi, qui verbo & opere reproborum crimina condemnarunt. Vt enim Esseni semoti à vulgo, suo hoc solitario viuendi modo condemnabant homines errabundos; ita & Cinæi profitentes omnium virtutum praxim,

Qui fuerunt Cinæi, & quare instituti.

Caini prosapia iniqua.

praxim, nefarios impiorum mores suo hoc sancto viuendi schemate castigabant: vt prophetando Balaam disertè significat ita fatus: *Cinæe robustum est habitaculum tuum, & pone in petra nidum tuum. Quinimò, erit ad depascendum Cain.* Arbitror ego, Vatem illum sermone illo præscio dixisse Cinæos fore diuturnos, vtpote à Deo editos ad medelam vitiorum, quæ Caini soboles reproba seminauit. Fidem fecit præsagio perpetua Cinæorum successio, vsque ad Iosephi historici tempora perseuerans: nimirum ille eos ζηλωτὰς nuncupat, à feruido zelo, quo in vitia declamabant. Eorum institutor Cainam, sic à patre suo Enos appellatus est, quia spiritu præsago, sciebat hunc filium suum à Deo electum, vt damnaret iniquos hominum ritus, quos à Caino per manus acceperant. Vnde sicut Scipio dictus est Africanus, à deuicta Africa; ita & Cainam nomen accepit ab extincta secta Cain. Itaque Enossæi, seu Esseni, & Cinæi professi subtiuiorem tropum æmulum instituto vitæ monasticæ, diuisæ in duo capita, quorum vnum sectans vitam eremiticam pertinet ad Essenos, qui seorsim ab aliis habitabant. Alterum verò carpens hominum piacula, propiùs accedit ad Cinæos. Enossæi dicti sunt serui Dei, quia eorum Patriarcha Enos prior instituit singularem normam Deo seruiendi: nimirum in solitudine suos cogebant choros, celebrantes Deum in hymnis & canticis. Cinæi verò dicti sunt Angeli, seu nuntij, quia ad hoc fuere instituti, vt censorum vices agerent, in hominum vitia declamando. Quandoque simul conueniebant Enossæi & Cinæi, & licet penes Cinæos esset cura præcipua status Ecclesiæ illius sæculi adhuc rudis; aliquando tamen Cinæi deponebantur, & vocabantur Esseni ad regimen animarum. Quod subobscurè insinuat Eliphaz, ita compellans Iob: *Qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi qui habitant domos luteas.* Textus Hebræus religiosè redditus à Pagnino hic est. *Ecce in seruis suis non credet, & in Angelis suis ponet gloriationem. Etiam habitantes domos luti, quorum in puluere fundamentum eorum: conterent eos ad facies tineæ.* Nota, extrema illa verba Pagnini ex Hebræo posse ita reddi *Contererent eos ante congregationẽ stellarum.* ידכאום לפני עש *iedaceum liphnè nghasch.* Vox עש *nghasc* duo significat, tineam, & congregationem stellarum: quippe deriuatur hæc vox à radice עוש *nghusch*, id est, *congregare*.

Zelotæ quale genus Religiosorum.

Cainã quare sic appellatus.

Quæ fuerit differentia inter Essenos & Cinæos.

Enossæi quare dicti serui Dei.

Cinæi quare dicti Angeli.

Cinæi erant proceres Ecclesiæ.

Iob. 4.

Eliphaz itaque volens ostendere exemplo vernaculo, nullas esse hic statas rerum vices, ait, Essenos seu Enossæos seruos Dei non ita esse confirmatos in gratia, vt eis Deus credat velut semper innoxiis; nec Cinæos, qui vocabantur Angeli, penes quos erat tota gloria, & eminentia status Ecclesiæ, ita vendicare sibi hunc decorem, quin possent eo honore, cadere in Comitiis generalibus, quæ coacta ab Essenis habitantibus tuguriola lutea crebrò deponebant Cinæos, sui plerumque impotes ob gloriæ radios affulgentes. Post diluuium, duæ congregationes sanctæ exortæ sunt veluti surculi Essenorum, & Cinæorum. Hæ fuerunt Cenezæorum, & Hebræorum. A Moyse ad Christum, tres aliæ floruerunt, videlicet Nazaræorum, filiorum Prophetarum, & Rechabitarum. Et quia omnes illæ sodalitates aliquali modo æmulabantur Essenos, omnium congregationum professores appellati sunt communi

Cenezæi, Hebræi, Filij Prophetarũ, Rechabitæ.

nomine Cedmæoni, id est, antiqui & veteres; quo etiam stylo Plinius & Solinus vocant Religiosos Gentem æternam, id est, ferè à sæculo condito nominatam. Non est prætereunda alia nomenclatura filiorum Enos, quos Scriptura sacra vocat filios Dei illo versiculo: *Videntes filij Dei filias hominum.* Quasi diceret Moyses, eos pro modulo humano Deum imitari, qui vitam agunt sanctam, qualis est religiosa professio.

Gen. 6.

Qui plura volet in eo argumento, consulat R. Patrem Iacobum Bolducium Capucinum, quem non ego diffiteor mihi in hoc themate præluxisse: quippe iubar est pellucidum illis omnibus, qui in opaca antiquitatis notitia cæcutiunt; nec in Scriptoribus vllum credo emersisse coniectorem peritiorem in erudeandis peruetustis historiæ monumentis. Dixi, priscos illos sectatores cultioris instituti fuisse vocatos filios Dei; sed illa nuncupatio potiore titulo defluxit ad Christi Domini sectatores. Nempe ille Filius Altissimi suos sequaces instituens, nullam aliam eis normam præscripsit ab ea, quam vita monastica profitetur: vnde Religiosi effecti fratres Christi, proinde sunt filij Dei. Non ergo professio nostra delirium est, & nouum hominum inuentum, vt mentiuntur hæretici; sed patronos habet Christũ & Prophetas, vt meminit Hieronymus: *Habent* (inquit) *vnumquodque propositum duces suos & Principes. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones. Philosophi proponãt sibi Pythagoram, Socratem, Platonẽ, Aristotelem. Poetæ æmulentur Homerũ, Virgilium, Menandrũ, Terentium. Historici Salustium, Liuiũ, Herodotum. Oratores, Demosthenem, Lysiam, Tullium. Et vt ad nostra veniamus; Episcopi & presbyteri habeant in exemplũ Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri Principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios: Et vt ad Scripturarum auctoritatẽ redeam, noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebãt sibi tabernacula propè fluenta Iordanis. De his sunt & filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei voce laudantur per Ieremiam, & promittitur eis, quod non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino. Sit vilis & vespertinus cibus olera & legumina, interdum que pisciculos pro summis ducas deliciis. Semper in manu tua sit sacra lectio. Frequenter orando flexo corpore, mens erigenda ad Dominum. Crebra vigilia, & ventre vacuo sæpius dormiendum. Quid tibi necesse est videre ea, quorũ contemptu Monachus esse cœpisti.* Hæc ille.

R. P. Iacob. Bolducius l. 1. de Ecclesia ante legẽ c. 13. 14. 15.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron. epist. 13. ad Paulinum.

Qui hîc duces Monachorum.

Quæ exercitia Monastica.

Quia autem parum est esse filium Abrahæ, nisi & contingat facere opera Abrahæ, idem Sanctus ait vitam monasticam, non temerè gloriari in Prophetis, & sanctis institutoribus suis, quorum assecuta mores sanctũm etiam retulit institutum, cuius ideam describit ipse Hieronymus: *Referã* (inquit) *vobis quadã de aliquibus sanctissimis viris, vt bonorum exempla, & crebra memoria sanctorum gestorum, vitã religionem instruant, & virtutem. Dum igitur per eremum antea septem annis sanctos Patres degentes, ibidem in terris velut in cœlis Angelos assistentes assiduo labore itineris, arduisque viuendi incommodis, cæterisque innumeris calamitatibus peragrando visitarem, de cuiusque vita, moribusque mirificis, quæ luculenter perspexi, libellum compegi, qui vobis sit vt*

Hieronym. in regul. monac. ad Paulam, & Eustochiũ c. 10. tom. 9.

Tt 3. lucernã

lucerna in candelabro ad meditationem religiosæ vitæ. Nihil ita charum, ita studiosum appetebatur à Monachis, quàm quid in eis, qui iuberet, posset inueniri. Tantam charitatem, tantamque humilitatem, quam sanctæ illæ mentes habebant vidi, vt eremos humanæ naturæ tam detestabiles, & ingratas, in Paradisos putarem penè conuersas. Morum auditu, sed felix obtentu, sic sanctorum hominũ corda charitas transformauerat in creaturas Deificas, vt caro penè esset nescia carnis. Nam sic simplicia & humilia corda obedientiæ & humilitatis innitebantur vestigiis, vt quasi quorumdam Philosophorum videretur in eis verificari opinio, qui vnam ponunt in vniuersis hominibus animam solam. Nam Abbates, & Patres nihil omnino velle sciebant, nisi illud, quod subditi antea conabantur iussa implere, quàm forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis, conabantur prophetare de voluntate mandantis. Hactenus Hieronymus.

Quanta fuerit Monachorum veterum sanctitas.

Qualis sit Monachorũ obedientia.

Eiusdem vitæ monasticæ sanctitatem commendat Chrysostomus multis, vnde licet aliqua prelibaui idonea ad adstruendam dignitatem professionis huius arduæ; illis adhuc velim adiicias subiectum istud encomium, eodem Sancto auctore textum hoc tenore. *Ad virtutis ciuitatem eamus, sanctorum tabernacula, dico montes, & saltus. Veste, domo, ministeriis, & tamquam literis per omnia Monachi scribunt humilitatem, & quæ sunt superbiæ fomenta benè vestiri, & splendidè ædificare, & multos habere ministros, hæc illis omnia sublata sunt. Non potest illic quisdam audiri contumeliam inferens, vel patiens, nec imperans, nec cui imperetur; sed omnes sunt ex ministrantium numero, & hospitum quisque pedes abluit, & multa de hoc contentio, & hoc facit, non examinans quis ille sit, liberne sit, an seruus, sed vnicuique ministerium hoc exhibet: nullus ibi magnus, nullus ibi paruus. Quid igitur? Confusio? Absit, sed perfectissimus ordo. Iacet enim quis, paruus sit, magnus hoc non respicit, sed & ille se rursum inferiorem existimat esse, & ita maior efficitur magnus illic, vilius opus arripiens. Non est ibi meum, & tuum, sed hoc verbum eliminatum est infinitorum causa bellorum. Et quid miraris, quòd vna sit omnibus mensa, & vestis, quippe cum omnibus sit vna anima? Qualiter igitur hæc vnquam contra seipsam insurget? Non est ibi paupertas, & diuitiæ, & gloria, & ignobilitas: qualiter igitur aditum inueniet arrogantia, vel superbia? Nam sunt quidam parui, & magni secundùm virtutis rationem, sed nullus hoc intuetur. Paruus non dolet, quasi contemnatur, nec vllus est qui contemnat: quòd si quis tamen aspernetur, hoc maximè docetur contemni, respui, & vilipendi. Et quanta penes nos est pugna primas partes assequendi, tantùm apud illos certamen ne consequantur, sed repellant. Et multum est studium, qui magis præcellat, contemptum patris non honorem admittens. Et sicut hic est difficile modestè se gerere propter plaudentium multitudinem, & admirantium; illic perquàm facile. Etenim ille tantùm solitudini vacat, & aues vides volantes, & arbores concuti, & flantem zephyrum, & riuos per valles deferri. Igitur vnde talis viuens in solitudine extollatur?* Hactenus Chrysostomus.

Chrysost. hom. 38. ad populũ.

Vita monastica est eximium specimen humilitatis.

Magna concordia inter Religiosos.

Studium humilitatis quantum vigeat apud Monachos.

In Philosophiæ commendationem referunt Gentiles historici iuuenem quendam petulcum salacem ingressum scholam Xenocratis adeò captum virtutis amore, de qua panegyrim texebat Xenocrates, vt illico mores suos composuerit, factus deinceps virtutis sectator impiger. Eum effectum sortita est apud Basilium illum Magnum sola lectio instituti monastici, in sacro Euangelij codice lineati. Tantò enim benè affectus est erga statum illum, quantò ei magis innotuit, vt ipse suæ conuersionis assertor palàm facit: *Ego* (inquit) *posteaquam multum tempus vanitati impendissem, & omnem penè iuuentutem inani studio attriuissem, quo tenebar tandem aliquando vbi velut ex graui somno expergefactus, ad Euangelicæ veritatis admirabile lumen respexi, deploratâ plurimum miserabili meâ vitâ ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogmata introduceret. Et cum primis hæc mihi curæ erat, morum correctionem aliquam instituerem, quos per diutinam consuetudinem cum improbis contractam peruerteram. Lecto itaque Euangelio, animaduersoque illic, quòd plurimum occasionis & momenti afferas ad perfectionis studiũ, si quis bona sua vendas, deque illis egenis fratribus communices; & prorsus nulla teneatur vitæ istius cura, neque patiatur mentem suam aliqua rerum præsentium affectione turbari; optabam dari ex fratribus aliquem, cui istud vitæ genus arrideret, cum quo vna profundum vitæ huius pelagus superare liceret. Inueni sanè multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquam Ægyptum, deinde & alios in Palæstina, & in Cœle-Syria, & Mesopotamia, quorum admiratus sum, cùm in seruanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam, ad quorum obstupui precandi vigorem, & constantiam, cùm obseruarem, quo pacto nec somno victi, nec aliqua alia naturæ necessitate deflexi, sublimem semper & inuictum animæ sensum in fame & siti, in frigore ac nuditate seruarent, nec corporis rationem habentes ipsi, nec ab aliis aliquid illi curæ impendi sustinentes, sed quasi in aliena carne degerent ipso opere ostendentes, quid sit in rebus huius vitæ peregrinum esse & conuersationem in cœlo habere* Hæc ille.

Basilius quare captus amore vitæ monasticæ.

Basil. ep. 99. ad Eust. Episc.

Paupertas ad perfectionẽ conducit.

Quàm dura Monachorũ austeritas.

Prouidus rerum Dominus mundo pubescente Cinæos homines Religiosos instituit, vt eorum probitate nequitiam corrigeret hominum impiorum, vt antea prælibaui. Ne lex gratiæ deterioris esset conditionis quàm fuerit olim sors naturæ, idem Deus omnium rerum sator, mundo senescente, Religiosos quasi è cœlo in terras transmisit, velut antidotum vitiorum: nulla namque piacula terras inficiunt, quorum remedia non prostent apud apothecas monachorum, quibus hoc præcipuè pensum à Deo indictum est, vt suo exemplo restaurent hominum ruinas. Eò spectant illa Chrysostomi elogia. *Domus* (inquit) *luctus monasteria sunt, vbi cinis, atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus sæcularium negotiorum strepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, vbi munda sunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus. Tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria sunt sublimi de loco nauigantibus, fulgore suo iter aperientes. In littore placido sedent, omnesq; ad quietem suam inuitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos qui intuentur, non permittunt in tenebris degere eos qui suas aspiciunt sedes.* Ita Chrysostomus, quasi dicens ad hoc ferè institutos Religiosos,

Religiosi à Deo instituti velut antidotum vitiorum.

Chrysost.

ve aliis præluceant, quod vtique luculenter præstant, scriptis, ore, & opere. Scriptis quidem; quia Sancti, quorum monumenta habemus in Scripturam sacram, omnes (paucis exceptis) ex aliquo cœnobio prodierunt. Nonne & Religiosi fuere principes Theologiæ scholasticæ, Albertus Magnus, Alexander Alensis, Thomas Aquinas, Bonauentura, Scotus, Okam, & alij sexcenti, quorum scripta ditant bibliothecas, illa Monachorum supellectile prædiuites. Ore etiam orbi prosunt Religiosi, vtpote missi in varias mundi plagas, vbi disseminant verbum Dei, sanctæ Ecclesiæ sic pomeria dilatantes. Demum opere prosunt multis, quia vita monastica est veluti censura tacita vitiorum.

Religiosi vtiles scriptis, ore, & exemplo.

Vna superest diluenda instantia Magdeburgensium hæreticorum, qui execrandam aiunt vitam Monachorum longè ab Apostolorum æuo à Basilio & aliis institutam. Eorum ineptia est traducenda testimonio Philonis Iudæi noti Apostolis, qui vitæ monasticæ speciem quasi oculis ingerit, talem quam videmus adhuc hoc sæculo constare sibi. Eo itaque auctore discant hæretici, ritus insolitos cœnobiis ad nos fuisse transmissos ab Apostolis, quorum sic tempore viuebatur. Ita Philo. *Relictis facultatibus fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deserunt numerosas cognationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias, in quibus geniti educatique sunt, quandoquidem consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos. Demigrant autem non in aliam ciuitatem, sicut serui, qui se vendi aliis heris impetrant, miseri, vt qui seruitutē mutant, nō effugiunt. Quauis enim ciuitas, vel optimè ornata legibus, plena est tumultu plurimo, quem nemo sapientiæ sectator sustineat: sed extra mœnia degūt in hortis solitariis, aut villis solitariis, amantes solitudinē, non hominū odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt bonis moribus officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, meritò vt absoluta probitatis receptum à Græcis atque Barbaris, maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circa Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum, tamquam in huius generis patriam colonus mittitur in locum quemdam aptissimum, situm ad stagnum Mariam. Singuli habent sacras ædiculas, quas semnea vocant, siue monasteria, vbi solitarij, sancta vita mysteriis dant operam, nec cibi potusque quicquam eò inferunt, aliudue in vsum corporis; sed Legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita; hymnosque, & quædam alia pietati scientiæque promouendæ vtilia. Itaque perpetuam habent Dei memoriam; vt ne in somnis quidē aliud eis obuersetur, quàm imagines diuinarum pulchritudinū. Quotidie bis precari solent; manè, ac sub vespera: oriente Sole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente verò, vt anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico: medium verò matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra volumina dant operam Philosophiæ per manus acceptæ à maioribus; scrutando eius allegorias, quoniã sub opertis verbis latere credunt secreta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. Itaque non solùm contemplantur, sed etiam cantica, hymnosque in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumque genere, rithmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem. Per sex dies seorsum quisque in suis illis modo dictis monasteriis philosophantur, non progredientes foras, imò ne prospicientes quidem. Septima verò conueniunt in cœtum communem, & iuxta ætatis ordinem considunt, decenti habitu manus continentes sub pallio.* Hactenus Philo, silentium indicens hæreticis, cùm declamant in professionem monasticam, quasi nouiter emersisset.

Magdeb. Centuria 10. cap. 4.

Philo lib. de vita contemplatiua.

Qui fuerint ritus Monachorum tēpore Apostolorum.

Quàm alta fuerit meditatio Monachorum enascentis Ecclesiæ.

Antiquus est monasticæ vitæ ritus.

Aduersarij huius vitæ innoxiæ, quam lacessunt vt inuentum recens, suam ineptiam produnt, nescij se suam explicare ignorantiam, dum liuori indulgent. Nimirum, vt præfatus sum, Esseni superstite Adamo instituti, professi sunt eosdem ferè ritus, quibus Monachorum vita præcipuè commendatur. Audiendus in eo themate homo Iudæus suæ Gentis hominum lineans institutum. Ille est Iosephus ita fatus: *Miranda est etiam Essenorum institua, quæ omnes Græcos & Barbaros longè superant, multis iam sæculis tritis in eius continuus studiis. Facultates omnes in communi possident, nec aliquis diues magis vtitur suis bonis, quàm quiuis nihil possidens. Atque hoc instituto viuunt virorum supra quatuor millia, nec vxores habentium, nec seruos: quod alterum ad iniuriam communis naturæ pertinere censeant: alterum tranquillitati vitæ parùm commodum. Quare per se ipsi viuentes, inuicem sibi ministrant. Quæstores creant viros probos, ex sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus & frugum prouentu cibos eis conficiant.* Rursus ille alibi refricat memoriam prædictorum hominum, quos enucleatiùs sic describit. *Tria sunt apud Iudæos genera Philosophiæ. Horum vnum Pharisæi profitentur: alterum Saducæi: tertium verò, quod etiam probabilius habetur, Esseni colunt, gente quidem Iudæi, verùm inter se mutuo amore coniunctissimi, & qui præter cæteros voluptates quidem quasi maleficia vitarent: continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habent, suis moribus diligenter institutos: non quia coniugia, vel humani generis successionem censeant perimendam: sed quia cauendam putent intemperantiam fœminarum, nullam earum vni viro fidem seruare credentes. Quin & diuitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur; neque inuenias alteri alterum opulentia præstare: legemque sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent bona contubernio publicarent, vt permistis facultatibus, velut inter fratres, vnū esset omnium patrimonium.* Hæc ille, quasi describens mores Monachorum, quorum normã vt recentem sugillant hæretici, cauillantes omnia noua in his quæ ad religionem spectant, esse eliminanda procul. Quàm verò incongruè reponant inter nouitates vitæ religiosæ arduum institutum, liquet ex præfatis, vbi videtur Iosephus recensere Canones vitæ monasticæ.

Quale fuerit Essenorum institutum.

Iosephus l. 18. cap. 2. antiquitat. Iudaicarum.

Idem l. 2. c. 7. de bello Iudaico.

Peculiares Essenorum ritus.

Quale fuerit Essenorum tyrocinium.

Rursus ille enarrat quàm cautè suos probarent nouitios, ne temerè eos ad suum cœtum aggregarent. Ecce quali tyrocinio tentarent animos hominum, qui volebant initiari Essenorum disciplinâ: *Sectæ* (inquit ille) *suæ studiosis, non statim cum eis vna collectio, sed per integrum an-*

Iosephus vbi suprà.

num extrinsecus commoranti, cuique eumdem victus ordinem tribuunt: dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cùm vero processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum, & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participat, neque tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippè continentiæ, duobus annis aliis eius mores probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur, &c. Viuunt autem quàm longissimè, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam perueniant ætatem, propter simplicitatem victus, vt equidem puto, & institutionem in omnibus benè ordinatam. Hactenus hic Iosephus, tota hac serie historica adstruens, peruetustum esse Monachorum institutum. Vnde in gratiam vitæ religiosæ sic arguo. In confesso est apud omnes Synagogam fuisse velut rudimentum Ecclesiæ, cuius prima tantùm lineamenta fuere præostensa Iudæis, in quos proinde minor gratia influxit. Cùm ergo Esseni affines sint instituto Monachorum, quod viget in Ecclesia ab incunabulis eius; liquidò est, nostros Cœnobitas præstare Essenis, quia Ecclesiam Dei copiosiores gratiæ latices alluerunt.

Nouitij Essenorum quomodo probabantur.

Sobrietas confert longam vitam.

Quare Religiosi sint sanctiores Essenis.

Ex prælibatis nemo inficiari potest, esse alta monachatus initia ducta ab Essenis, in lege naturæ, & à Christo & Apostolis in lege gratiæ. Quamobrem libet compellare professores huius vitæ eo modo, quo Raguel affatus est adolescenté ingenuum Tobiam, vbi audiit eum esse filiú Tobiæ senioris. Accipe ex Codice sacro tenorem rei gestæ. *Dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. Misit se Raguel, & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans super collum eius dixit: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* Hanc tibi lubens benedictionem impertior, ô homo Religiose, cuiusuis fueris instituti ab aliquo Sanctorum editi: *Benedictio sit tibi, quia boni & optimi viri filius es.* Nimirum omnes institutores ordinum, profitentium hoc beatum genus vitæ tersioris, adscripti sunt numero Beatorum. Præterea, quidquid obganniant hæretici, non imminet nobis sors iniqua, quæ affecit filios Berzellai, quos Athersata ingloriè iussit se abdicare sacerdotio, quia nullis congruis titulis probare potuerunt, se sacerdotali tribu satos, vt textus iste sacer enuntiat. *De filiis sacerdotum: Filij Hobia, filij Accor, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem, & vocatus est nomine eorum. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. Et dixit Athersata eis, vt non comederent de Sanctasanctorum.* Nos Religiosi habemus vnde probemus, institutum nostrum esse sanctissimum, quia viri sanctiores eo ferè ritu vixere, mundo adhuc impubere, vt videre est in Enossæis, qui primi cœperunt inuocare nomen Domini singulari ritu, & veluti Monachorum more, vt laudatus à me Bolducius eruditè probat. Item filij Prophetarum degentes in Carmelo communem agentes vitam, & doctore Elisæo Propheta clamant monachatum habuisse probos & optimos viros in parentes.

Tobiæ 7.

Vnde probetur origo Monachorum.

1. Esd. 2.

Gen. 4.

4. Reg. 4.

Præter Scripturam sacram indicem nostræ genealogiæ, habemus titulos humanæ historiæ assertores moris nostri. Hos ego recensui cùm eduxi in medium Philonem, Iosephum, Plinium, & Solinum, memores Essenorum. Cùm itaque nobilitati decor insignis accedat, si vetustis titulis innitatur; habet nostra professio quod lætetur, vpote cui vetusta mundi tempora suffragantur.

Religiosorum institutum est antiquissimum.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

EX VARIIS RELIGIONVM INSTITVTIS.

Æstuantis pelagi instar fluctuans mundus æstatas nescit seruare vices: sicut enim fluctus idem assurgens nubium tenus, altera sequente mora dehiscit ad abyssos; ita & homines aliquando de summa rerum decidunt ad extrema, teste Dauide Rege, qui rebellante filio suo Absalon, nudis pedibus & illacrymans fugit lethales filij sui perduellis insidias. Quia secessus huius Regis subolet mysterium pertinens ad varia Religionum instituta, placet huc reuocare textum, quo ex sacro Codice describitur illa historia, hoc tenore. *Venit nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam. Dixerunt serui Regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui. Egressus est ergo Rex & vniuersa domus eius pedibus suis, &c. Vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi, &c. Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens; & flens, nudis pedibus incedens.* Hactenus faces ille textus, quem allegoricè sic expendo.

Eximia figura describūtur varij Religiosorum ordines.

2. Reg. 15.

Dauidis luctuosus egressus de vrbe Ierosolyma.

In Dauide meditor ego Christum Regem Regum, in quem insurgit mundus vniuersus, esto fuerit ab eo conditus, iuxta illud Ioannis: *Mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit.* Mundo rebellante monet Christus, quantocyùs esse fugiendum, ne iusti etiam occupentur ruinis hominum impiorum. *Orate* (inquit) *vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato.* Tropicè vult Christus fugiendum esse mundum feruenter, & non frigidè quasi in hyeme; aut Sabbato, id est, tardè, quando nefas est operari. Illa fugæ necessitas semper homines iustos sollicitat: quippe vt toto corde Israël vniuersus sequebatur Absalonem iniurium patri suo Regi, ita mundus totus in maligno positus infinitos propè sequaces habet, qui conspirant in Christum iuxta Vatis præsciam hanc sententiam: *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Mundi partes adiuuant caro & Angeli nequam, Christi regnum scilicet Ecclesiam pro viribus impugnantes. Vnde quia molesta est mundi vexatio, Christus consuluit dari mundo libellum repudij, suo ipsius exemplo: nempe ait, regnum suum non esse de hoc mundo. Huic consilio Christi morem gessere præcipui Christiani, id est religiosi, qui specialis obsequij votum emittunt, ratione cuius Deo adstant vt expeditæ legiones Cerethi, Pheleti, & Gethæi. Dauid egressus Ierosolyma nudis pedibus fleuit: Christus etiam pulsus Ierosolyma, imò & mundo,

Ioan. 1.

Matth. 24. Quare & quomodo sit è mundo fugiendum.

Psal. 2.

Mundi pereuntis & Absalonis occisi sors est eadem.

do, fleuit hominum ruinam. Sed vt variant hominum sortes nesciæ constare sibi; Absalon luxurians in palatio, vbi se accinxit ad perdendum patrem suum Regem suspensus est in arbore, & ibi tribus lanceis confossus malè periit. Eadem propè sorte mundus extinguitur à Religiosis: siquidem cruci affigitur, vbi tria vota veluti totidem spicula illum confodiunt.

Mundo extincto profligantur eius auxiliares turbæ, scilicet carnis illecebræ, & dæmones importuni. Etenim quisquis professione religiosâ valedixit mundo, ille præcipuos carnis impetus fregit, vtpotè procul ab obiectis, quæ peccandi suggerunt argumenta, & proinde fortius occurrit dæmoni lacessenti. Etsi Dauidis præsentia multum contulerit ad prosternendas acies Absalonis; tamen Cerethi, Phelethi, & Gethæi, viri omnes fortissimi, suas obiere partes ad hanc victoriam insignem suâ industriâ reportandam. Ita & Christus semetipso potuit omnes mundi nisus compescere, vt & carnis illecebras obtundere, ita vt in posterum nihil omnino facesseret negotium hominibus. Sed satius duxit varios Religionum ordines instituere, vt in partem tantæ victoriæ etiam homines aduocaret. Itaque in pertinaci

Quare instituti Religiosi.

animæ discrimine cum mundo, Religiosi hi sunt, qui fuere Celethi, Phelethi, & Gethæi pugnatores validi. Et hoc insigne est vitæ monasticæ encomium, quod eam Deus assumpserit ad supremam mundi ruinam, ad quam procurandam inepti sunt alij status, vtpotè coniugio implexi, & diuitiarum nexibus irretiti.

Quare varij sunt ordines religiosi.

Quare autem Deus in Ecclesiam varios ordines induxerit, in quos dispescitur vita religiosa, omnes hanc rationem proferunt in medium: scilicet Deum, qui disponit omnia suauiter, in ea institutione plurium ordinum consuluisse indoli humanæ, quæ multiplex est pro diuersa humorum temperie, quæ singulos quosque homines multifariàm afficit. Vnde qui ad solitudinem propendent, habent quò conuolent, scilicet Carthusianos: qui discendi & docendi cupidine pruriunt, peruia habent Collegia Iesuitarum: qui magno sæculi tædio capti anhelant ad arduum vitæ genus omninò discretum à sæculo, & æmulum vitæ Christi, illi voto suo indulgere queunt assurgendo ad Capucinorum institutum, cui ego pubescente ætate litaui, eo tantùm nomine ductus, quòd nulla professio propiùs accederet ad pauperem & nudipedem Christum. Sunt item & alij cœtus affines aliis ingeniis. Esto hæc ratio variorum ordinum, graues habeat auctores, qui hanc recensent vt congruam; ego tamen postremam hanc iudico, & demiror magni nominis auctores stetisse hic. Quasi verò Deus adspexerit tantùm ad discolores hominum animos, quando dispescuit varia ordinum instituta. Alia igitur est inuestiganda ratio digna Deo: & ego reor hanc esse verissimam; scilicet Christum instituendo varios ordines, seipsum primò attendisse vt causam exemplarem & finalem omnium ordinum.

Singularis ratio in Deo instituendi varios ordines.

Quatenus est causa exemplaris, operæ pretium duxit professionem religiosam dispescere in multiplex institutum. Enimuerò non est vnius instituti reddere virtutes, quæ in Christo Domino coruscarunt. Vnde quia intentum Christi fuit, imaginem suam in Ecclesia graphicè lineare, ad hoc Religiosos è sæculo assumpsit, & ex eorum animo expunxit quidquid eis mundus suum offuderat, vt eos faceret veluti tabulas rasas; ac proinde idoneos ad excipiendos sacri penicilli ductus congruos ad germanam Christi speciem oculis ingerendam. Res successit ad arbitrium Christi: quippè collegit Apostolos, quos suis ritibus initiauit, & ita sibi aptauit, vt Christi æmuli extiterint quantùm fas est homini Christum Dominum imitari. Quamobrem Apostolus prouocans homines ad imitationem Christi, suadebat vt non ad Christum attenderent, quia scopus ille erat extra iactum; sed collimarent ad Apostolos, vt ad typos propiùs accedentes ad imbecillum hominum ingenium.

Apostolos fuisse à Christo aptatos, vt ex eorum imitatione homines assurgerent ad sequelam Christi Paulus ait hoc contextu: *Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, &c. Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc, &c. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Series illa passionum, quas commemorat Paulus experiri Apostolos, est synopsis ærumnarum, quas obiit Christus hominum ergò. Ne autem Christiani detrectarent subire angustias illas, Paulus ait Apostolos esse à Deo missos in specimen, ad quos homines attendentes, se tandem componerent in Apostolorum modum, qui æquo animo molestiis omnibus occurrebant, ita facti spectaculum mundo, Angelis, & hominibus. Mundo quidem castigantes eius vitia, virtutum omnium professione, vt censurâ tacitâ vitiorum. Angelis, eos afficientes ineffabili gaudio: nam si lætantur aspectu reprobi pertæsi suam nequitiam; profectò iubilabunt, si viderint ad virtutum omnium apicem homines anhelantes. Hominibus demum facti sunt spectaculum illi proceres Ecclesiæ, dum illos ad sequelam Christi, & professionem Euangelicæ perfectionis pellexere suis moribus illibatis, penes quos fuere ritus omnes inoliti variis ordinũ institutis: quippe in Apostolorum collegiũ confluxere virtutes omnes illæ singulares, quæ singulos quosque ordines discernunt ab inuicem. Ideoque vita religiosa suum est nacta decus & nitorem viuentibus Apostolis, quos Spiritus Sancti illapsus ad virtutum omnium culmen euexerat.

Apostoli, quomodo imitatores Christi. 1.Cor.4.

Apostoli quomodo sint spectaculum, & quibus.

Plerosque sequaces habuerunt Apostoli, licet non passibus æquis: tandem feruore tepescente hominum, & prisca pietate suum relaxante rigorem, Deus in Ecclesia præstitit illud idem, quod aliàs in Synagoga perfecerat, vbi sic Moysem affatus est: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Ita adolescente Ecclesia, & fatiscente hominum ingenio, nullum planè fuit institutum, quod sibi voluerit hoc pensum indicere, vt scilicet profiteretur omnimodam Apostolorum vitam: omnes namque homines ingenuè confessi sunt, se impares esse illi sanctissimæ disciplinæ. Eamobrem

Numer. 11.

Quomodò & quare Apostolorũ vita in varios ordines Religiosorũ influxit.

obrem ne collaberetur Apostolica illa professio æmula Christi; prouidus ille Dominus moderator Ecclesiæ, conuocauit Basilium, Antonium, Pachomium, Augustinum, Benedictum, Brunonem, Franciscum illum Seraphicum, & alterum de Paula, Dominicum, Ignatium, & alteros sub Benedicti regula recensitos, vt sunt omnes Bernardi alumni. Spectatissimis illis omnibus viris Deus diuisit Apostolorum spiritum, aliis sic, aliis autem sic, iuxta mensuram donationis Christi, vt singuli quique singularem aliquam virtutem seligerent, quam proponerent suis sequacibus vt medium opportunum ad Christum Dominum imitandum. Inde vt è pixide Pandoræ variæ virtutes euolarunt in omnes orbis oras, quia nulla viget professio religiosa, quæ non discreta sit ab aliis, aliqua saltem constitutione, quæ suadet praxim virtutis alicuius Apostolis inolitæ. Et meo animo insedit hanc esse præcipuam causam, quæ discreuit vitam monasticam in tam multiplex institutum; scilicet Christum, indulgendo infirmitati hominum, noluisse hoc eis imponere iugum, vt referrent vsquequaque ritus omnes Apostolorum: ideoque eorum virtutes diuisisse variis institutis, quibus ex speciali voto competit aliqua perfectio, cui non adeò incumbunt alij vitæ monasticæ sectatores. Vnde fit vt Religiosi omnes collectiuè sumpti imitentur Apostolos, & proinde citra periculum inuidiæ fas est dicere, vitam religiosam esse æmulam perfectionum Christi.

In quibus SS. Benedictus & Bruno imitati sint Christum.

1. Cor. 4.

Verbi gratiâ, si requiras Christum in deserto, & frequenter à turbis segregatum vt seorsum oraret: adi cœnobia Sanctorum Benedicti & Brunonis, ad quos pertinet illud Apostoli! *Deus nos ostendit tamquam morti destinatos.* Namque perfecti alumni Benedicti, & Carthusienses adeò semoti sunt à sæculo, vt si dixeris eos mundo mortuos, à vero non aberres. Et vt mortui Deo sistuntur iudicandi, & beandi, aut plectendi; ita præfati Monachi in suo tumulo claustrali, Deo semper adstant, ei iuges fundendo preces vt mitiùs agatur cum eis in die iudicij, & congruas sibi sedes sortiantur in gloria. Si desideras austera Christi ieiunia, consule Minimos, speciali voto omnia pinguia detrectantes, vt solo oleo inuncti vt fortissimi athletæ decertent contra carnis asseclas importunos. Vt ignis oleo aspersus sua longè lateque spargit incendia; ita & Minimi oleo tantùm pasti probant apud se ardere diuini amoris incendia, quæ opimis epulis extinguntur. Eamobrem placet Symbolum quod hic ordo vsurpat: nimirum vox hæc CHARITAS est tessera Minimorum.

In quibus Minimi Christum imitentur.

Rursus quia perfectio non proprium tantùm afficit suppositum, sed etiam vrget vt & salus aliorum hominum impigrè procuretur; Christus causa exemplaris studuit saluti animarum, prædicando, & docendo homines ingratos, conuiciis impetentes præceptorem illum suum beneficum, qui non etiam dedignatus est obtrectatorum suorum pueros paruulos erudire, vt hæc illius verba sonant: *Sinite paruulos venire ad me.* Hunc zelum animatum in Christo feruidum imitantur præcipuè illi Religiosi, quibus ipse Iesus suum nomen indulsit. Hi sunt Iesuitæ, quibus hoc est propositum constans non prædicare modò, sed etiam puerulos sacro tingere catechismo, licet plerumque parentes eorum patiantur hostes acerbos. Ideoque quadrat eis ille Apostoli versus: *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Nulla namque religio emersit, in quam plura spicula dæmones intorserint, quàm in Iesuitas. Sed aquæ illæ inundantes non potuerunt extinguere zelum illum, quo ab incunabulis Societas inclyta conflagrauit. Qui plura volet in eo argumento, ille me consulat secundo Tomo meæ Moralis Encyclopediæ, & decurrat homiliam quam ego Parisiis declamaui in Collegio eiusdem Societatis die sacro Patriarchæ illius. Si doctrinæ huius, quam in Christo Iudæi mirabantur, arcana petis, pete gemellos ordines Dominici & Francisci, vbi sacra reperies oracula, quæ Ecclesiam Dei libris ferè innumeris illustrarunt, vnde alij posteriores Theologi scientiæ suæ omnes latices exhauserunt.

Marci 10.

In quibus Iesuitæ imitentur Iesum.

1. Cor. 4.

In quibus SS Dominici & Francisci professores imitentur Christum.

O arduum Capucinorum institutum! te ne præteribo tacitum? Minimè verò: adhæreat lingua faucibus meis si non meminero tui, cuius obsequio Deus ab æterno ineffabili sua pietate & misericordia me libro vitæ inscripsit. Tu illa es professio sãcta, quæ labante obseruantiâ Regulæ Patris Seraphici mundo cœlitus illuxisti, vt reuocares homines ad sequelam Christi, vnde turpiter aberrarant. In argumentum meæ gratitudinis audi, ô vita excelsa, quantis te gratiarum dotibus Christus Dominus illustrarit. Inde fies fortasse cautior, ne ea dignitate cadas, quam singularem tuum tibi vendicat institutum. Tu, ô sanctissima congregatio, sola gaudes germano habitu Patris tui, quem tibi Summi Pontifices adiudicarunt vt hæredi virtutum Sanctissimi Patriarchæ, cuius vitam defæcatam hoc sæculo graphicè depinxisti. Ad te pertinet ille Apostoli versus: *Nos stulti propter Christum, &c. Vsque ad hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* Nimirum illo habitu Beatus Pater Franciscus amictus initiò suæ conuersionis fuit ludibrio & despicatui suis conciuibus. Item esurire & sitire tui sunt prouentus, ô vita paupertima, cuius epulæ quotidianæ sunt crebra ieiunia, & dapes quas ministrat extrema rerum inopia, qua vnica gloriaris. De nuditate nemo planè contendit tecum, ô professio denudata bonis, & nudipes, ad cuius instar alij Religiosi præter suum institutum nudauerunt pedes, sed non se tamen opibus abdicarunt, quas flocci pendere & vt impedimenta despicere Capucinorum est facinus operosum. Instabilem esse, vitio datur aliis hominibus; sed tibi, ô vita æmula Christi, instabilem esse, est argumentum similitudinis Christi, qui non habuit vbi caput suum reclinaret. Nimirum nullas habes fixas in hoc mundo sedes: tuis namque alumnis inolitum est, quotannis ferè solum vertere, in cœnobia alia diuertendo, ne diuturna mora suspectum faciat incolatum. Etenim nulla professio suos ita ventilat sectatores ac tu, ne altas radices agant in hoc sæculo. Demum laborare manibus suis, nullius planè est instituti ac tui; siquidem Regulæ tuæ consilium est, vt Minoritæ caueant ab otio, & congruo labori aliquam impendant operam, vt factitant Capucini, quibus cultura hortorum est laboris locuples argumentum.

In quibus Capucini Christum imitentur.

1. Cor. 4.

Capucinorũ encomium.

Præterea quasi parum esset tibi, viuere ad amussim Regulæ tuæ Seraphicæ, quicquid alibi eminet, ô Religio sancta, hoc æmulata fortiter assequeris. Nonne zelo animarum percita tentasti extremas orbis oras, vt vbique Crucis labarum erigeret?

Capucinorum zelus in animarum conuersione.

geres? Etenim, quasi tuæ charitati haudquaquam sufficeret orbis Christianus, traiecisti mare, vt Floridæ & Brasiliæ feras Gentes Christo subiiceres, vitæ tuæ discrimine mansuetas. Te etiam minimè remorante austero schemate viuendi, numquid eam es assecuta peritiam omnium literarum, vt vbique terrarum Capucini prædicent in præcipuis Ecclesiæ subselliis. In argumentum omnisciæ literaturæ, quæ viget in claustris tuis, ô professio Deo doctore erudita, hoc compertum esse volo, multa volumina quæ molior stylo omniscio esse composita ex eo penu quod confeci Capucinus: nimirum per ætatem immaturam non licuit mihi vllam literarum supellectilem traiicere mecum quando nomen dedi isti disciplinæ. Itaque velim quosdam obtrectatores temperare sibi à calumnia, quam offundunt Capucinis, eos insimulantes insciriæ, cùm luce meridianâ clariùs illa liqueat impostura.

Notitia literarum viget apud Capucinos.

Ad Capucinos pertinet illa sponsio sacra Dei: *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Fuit hæc Dei benedictio præscia bonorum, quæ manebát Hebræos derelicta Ægypto, & Ierosolymam versus toto pectore contendentes: quippe eis calcare Palæstinam, & eam possidere, perinde fuit. Duo sunt præcipuè, quæ Capucini calcant initiati arcanis suæ rigidæ disciplinæ. Nimirum aspernantur gloriam omnem, solo saturati Crucis opprobrio, cui Præfecti nouitiorum eos sic adaptant, vt prioribus annis nouella illa germina nihil aliud discant nisi Iesum Christum & hunc Crucifixum: adeò namque flocci faciunt alias scientias, quæ non collimant in scopum illum, & scientiarum omnium Dominum, vt inde fluxerit illa calumnia, Capucinos esse homines imperitos. Sed esto prima argumẽta pietatis Capucinorum sint præstare se refugas gloriæ, & honoris, & quasi incurios scientiæ; illa duo tamen ita hanc Religionem afficiunt, vt nulla prorsus in Ecclesia Dei honoratior sit; quia ex Hieronymo, Gloria sicut vmbra sequentem fugit, & appetit contemptorem. De doctrina Capucinorum superfluum est dicere, cùm si tacuerim, lapides ipsi clament, scilicet totius orbis Ecclesiæ, vbi præcipua habent pulpita Capucinos. Nonne Roma caput mundi vidit è familia nostra duos celeberrimos præcones verbi Dei esse Summis Pontificibus à Concionibus? Nimirum Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. vnum elegere R. P. Hieronymum Narniensem, quem cum audiisset R. P. Arnulphus Iesuita Gallus, & ipse summus prædicator, ait se audiisse Paulum Apostolum. Eo mortuo, in locum eius suffectus est R. P. Franciscus Genuensis, quasi penes Capucinos esset scientiarum omnium sacrarium.

Deuter. 11.

Hier. in Epitaph. Paulæ.

Si verò res est de scriptoribus industriis & peritis; quis vnquam doctiùs scripsit Titelmanno, & Coriolano, Capucinis, quorum iste posterior doctissimam Conciliorum & historiæ Ecclesiasticæ synopsim contexuit? Cùm ab Ecclesia defecisset Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis, quis desertorem hunc confodit præter R. P. Zachariam Bouetium Capucinum, qui antea duobus Tomis ediderat demonstrationes Symbolorum fidei? Et ne extra Parisios cursitem errabundus, nonne ibi nuper excusi sunt libri R. P. Iacobi Bolducij in Iob, & de Ecclesia ante legem, quos quis attentè decurret, ille fatebitur se non tres tantùm Tomos sed Bibliothecam integram euoluisse? Nonne & stupendo

Scriptores aliqui Capucini.

propè miraculo R. P. Yuo Parisiensis Capucinus Theologiæ arcana hactenus inuia plerisque, ita peruia fecit omnibus, vt nescias quod mirere magis, aut omnisciam hominis eruditionem, aut eloquentiam, quæ à disertissimis etiam hominibus illud demeruit encomium, videlicet omnes Veneres Atticas, & lepores tersioris eloquij in præfati Patris opera confluxisse. Habet & eadem Prouincia Parisina Capucinos abundè tinctos omnimodâ scientiâ, qui fidem faciunt, Capucinorum esse honorem & doctrinam aliaque omnia quæ in cœnobij limine conculcarunt.

Denique eiusdem familiæ proprium esse arbitror illud constans propositum Ethæi Gethæi, qui Dauidi afflicto iugiter adhæsit, hoc specimine amoris edito: *In quocumque loco fueris, Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Nempè Capucini ita suos componunt mores, vt vitam inopem & humilem Christi pro suo modulo referant: imò mortuum Christum obuiis obiiciunt, quia sunt vita etiam superstite crucifixi. Ea gratiarum seges, quam vberrimam Capucini metunt ex sua familia, ansam dedit celeberrimo illi elogio, quod iactatur in gratiam sacri illius instituti: scilicet Capucinorum intuitu homines non reuocatos tantùm ad meliorem frugem, sed & Religiosos, qui supra homines sunt, composuisse mores suos adinstar Capucinorum, vt reduces eò repeterent, vnde antea deuiarant: namque aliqui capucium suum rotundum aptarunt in acumen. Doleo inter sectatores Seraphici Patris esse contentionem de capitis tegmine vero, quod solis Capucinis redditum est, & summam esse incuriam imitari Capucinorum pietatem, cùm sit illa professionis Seraphicæ caput, & sanctitatis apex, & non in apicem desinens capitis indumentum.

Egregia figura notans amorem in Deum, quo afficiuntur Capucini

2. Reg 15.

Capucium omnibus salutare.

Fortasse quispiam liuore perfusus obganniet, me compendiosè perstrinxisse encomia cuiusuis alterius instituti, & me fusiore stylo spatiatum esse in Capucinorum campo. Respondeo, longiusculum hunc sermonem esse veritatis obsequium, & meæ gratitudinis argumentum. De veritate encomij non est ambigendi locus; quia, vt præfatus sum, alij Religiosi aliquid à Capucinis mutuò accepere, vt virtutis aliquod inde caperent argumentum. Enimuerò præter eos, qui Capucium aptauere sibi, alij decurtatum pallium induerunt, vt & quidam sandalia, nostram æmulati nuditatem. Nemo tamen assuetexit ad æqualem obseruantiam ieiuniorum, & altissimæ paupertatis: eæ siquidem sunt tesseræ Capucini. Cæterùm monitos volo Professores omnes vitæ monasticæ, alta sapere de omnibus aliis institutis, vtpotè Deo auctore cœlitus editis, tamen ita suæ obstringi professioni, vt suos omnes colligant affectus in cultum suæ disciplinæ, quia Deus hunc assumpsit, vt medium aptissimum ad brauium æternæ gloriæ nanciscendum. Etenim Cathusianus solitudine sua cœlo aptatur, quo excideret si fieret Capucinus; vt & iste, deficeret si transiret ad castra & claustra alterius. Itaque sua cuique professio est toto pectore amplectenda, sine pœnitentia voti emissi in suo hoc tali instituto, in quod iniquo animo fert aliquos irrepere næuos; siquidem hoc compertum omnibus esse debet, nullum librum adeò correctè è prælo exire, quin variante typo mendi alicuius patiatur iniuriam, & nullam etiam Religiosam disciplinam vacare næuis, quos suos quolque videt

Nihil in hoc sæculo sine næuis.

det vnaquæque professio, errores alterius nesciens instituti. Vbi ergo quisque Deo miserante satus est, illic & satagat instar stipitis adolescere primùm, & postea fructus vberes afferre solo, cui commissus est.

Porrò operæpretium duco, tergere inuidiam, quam fortè conciliabunt elogia affixa Capucinis, protestando me secutum ingenium Bernardi Cisterciensis, suos ita laudibus efferentis, vt alias etiam omnes Religiones suspexerit; ea tamen cautione, vt suam religiosam vitam dixerit esse respectu suiipsius, vnam speciosam columbam & perfectam. Sic ille, dicens omnes ordines esse inconsutilem tunicam Christi. *Omnes* (inquit) *concurramus pariter in vnicam tunicam, & ex omnibus constet vna. Nam etsi ex pluribus, & diuersis, vna est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec ille sine vtroque, sed simul omnes simul illa vna, si tamen solliciti sumus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Non, inquam, tantum ordo noster, aut solus vester, ad illam pertinet vnam, sed noster simul & vester; nisi fortè (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus, & ab inuicem consumamur, & sic non possit nos Apostolus vni illi viro, cui despondit, virginem castam exhibere Christo. Veruntamen illa dicit in Canticis: Ordinauit in me charitatem, vt etsi vna in charitate, diuisa tamen sit in ordinatione. Quid ergo? Cisterciensis sum, damno igitur Cluniacenses? Absit. Sed diligo, sed prædico, sed magnifico. Cur ergo, inquis, ordinem illum non tenes, si sic laudas? Propter hoc quod Apostolus ait: Vnusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat. Quod & si quaras, cur & à principio non elegerim, si talem sciebam? Respondeo, propter id, quod rursus ait Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non quòd ordo sanctus, & iustus non sit; sed quia ego carnalis eram, venundatus sub peccato, & talem animæ meæ languorem sentiebam, cui fortior esset potio necessaria. Et diuersis morbis, diuersa conueniunt medicamenta, & fortioribus fortiora. Denique requiratur etiam à me, cur omnes ordines laudem, omnes non teneo? Laudo omnes & diligo, vbicumque piè & iustè viuitur in Ecclesia; vnum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas, vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Et quid mirum, si in hoc exilio, peregrinante adhuc Ecclesia, quadam huiusmodi sit pluraliter vnitas, vnaque pluralitas, cùm in illa quoque patria, quando iam ipsa regnabit, nihilominus fortè talis aliqua dispar quodammodo æqualitas futura sit? Inde enim scriptum est: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sicut itaque illic multæ mansiones in vna domo; ita hîc multi ordines sunt in Ecclesia vna. Et quomodo hîc diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; ita ibi distinctiones gloriarum quidem, sed vna domus. Vnitas hîc consistit in vna charitate: diuersitas autem in ordinum vel operationum multifaria diuisione. Intelligens denique Ecclesia hanc suam quodammodo discordem concordiam, concordemne discordiam. Deduxit me, inquit, super semitas iustitiæ propter nomen suum. Ponens quippe semitas pluraliter, & iustitiæ singulariter, nec diuersitatem prætermisit operationum, nec vnitatem operantium. Prouidens quoque & illam in cælestibus discretam vnitatem futuram, deuotissimè læta decantat: Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos* Alleluya *cantabitur. Audiens enim plateas, vicos, coronas, & glorias diuersas intellige. In auro, quo vno metallo illa ciuitas ornata describitur, & vno* Alleluya, *quod cantandum perhibetur, dissimilium specierum similem pulchritudinem, & multarum mentium vnam deuotionem attende. Non igitur vna tantum semita inceditur, quia nec vna est mansio in cælo, quò tenditur. Viderit autem quisque, quacumque incedat, ne pro diuersitate semitarum ab vna iustitia recedat, quoniam ad quamlibet mansionem sua quisque semita peruenerit, ab vna domo Patris exors non erit.* Hactenus Bernardus.

Bernard. in apologia ad Guillelmum Abbatem.

Omnes ordines in eandem vanitatem conspirant.

Quare quisque vnum sibi tantùm eligat ordinem.

Charitas vni homini affingit bona omnium ordinum.

Varij ordines pertinent ad diuersas in cœlo mansiones.

Fusior hic discursus sancti huius Patris ad meam spectat sententiam, qua præfatus sum, ideo institutos esse varios ordines, quia vnus ordo solus non poterat genuinè referre conuersationem Christi in terris, ideoque fuisse necesse dari varias in Ecclesia familias, vt Regina hæc adstaret mira varietate circumdata: Ecclesia namque vt præclaro Satellitio stipatur variis ordinibus, qui collectiuè sumpti vitam Christi Domini profitentur. Vnde sicut Seneca moriens, ait amicis suis, se illis in amoris æternum pignus relinquere imaginem vitæ suæ, vt ipsi suos assecuti mores euaderent in summos Philosophos, ita Christus Ecclesiæ suam relicturus imaginem, familias varias instituit sequaces suorum rituum; vt quisque in vita monastica cerneret ideam Christi Domini Crucifixi. Præterea vt Saladinus ille famosus Rex Orientis, extremum agens spiritum sanxit, vt Regia ipsius tunica appensa cuspidi hastæ, toto spectante exercitu, circumferretur præcone clamante: Hoc solùm restat ex victore Orientis. Vnde Paradinus Symbolum hoc pingit, vestem scilicet pendulam, hoc titulo: Hoc Solvm Restat. Quasi diceret, homine extincto nihil omninò illius superesse præter memoriam operum & virtutum, quæ sunt habitus animæ. Ita Christus in Ecclesia sublimem voluit esse vitam religiosam, quia illa est velut tunica polymita Ioseph, & specimen aliquale morum Domini Redemptoris, ad cuius normam sese componere, sunt omnium studia Monachorum.

Vita religiosa est imago Christi.

Senecæ morientis extrema verba.

Paradinus li. Symbolorum.

Saladini morientis verba extrema.

Saladini morientis qualis fuerit sanctio de seipso.

Hoc sacrum viuendi schema, id est, professionem monasticam esse veluti tunicam inconsutilem Christi aut Ioseph, audi ex Bernardo. *Non* (inquit) *sum tam hebes, vt non cognoscam tunicam Ioseph; non illius qui liberauit Ægyptum, sed qui saluauit mundum. Notissima quippe est, quia polymita, id est, pulcherrima varietate distincta; sed & sanguine apparet intincta, non quidem hœdi, qui peccatum significat, sed agni, qui designat innocentiam; hoc est, suo ipsius non alieno: quam tunicam hic pretioso sanguine suo tinctam reliquit Ecclesiæ suæ pignus hæreditatis polymitam, inconsutilem, & desuper contextam per totum. Sed polymitam ob multorum ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem: inconsutilem verò, propter indissolubilis charitatis indiuiduam vnitatem. Audi, quomodo polymitam: Diuisiones gratiarum sunt, ait; idem autem spiritus: & diuisiones operationum sunt; idem verò Dominus. Deinde diuersis enumeratis charismatibus, tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse*

Bernard. in apologia ad Guillelmum Abbatem.

Vita religiosa est tunica Christi.

polymitam, vt ostendat etiam inconsutilem, & desuper contextam per totum, adiungis: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult; Charitas quippe diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Non ergo diuiditur, sed totam & integram hereditario iure sortitur Ec-

Psal. 44.

clesia, quia & de illa scriptum est: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Itaque diuersi diuersa accipientes dona; alius quidem sic, alius verò sic: siue Cluniacenses, siue Cistercienses, siue Canonici regulares, siue etiam laici fideles: omnis denique ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine vsque ad nouissimum. Nam & propter hoc talaris dicta est, quòd ad finem vsque pertingat. Hæc Bernardus.

Neminem igitur tædeat professionis suæ religiosæ, cùm quodlibet institutum pertineat ad tunicam Christi, & omnes sectatores vitæ monasticæ participent eamdem rationem genericam status hominum, qui anhelant ad perfectionem; beneficio votorum paupertatis, obedientiæ, & castitatis. Ad omnes, inquam, Professores huius disciplinæ spectant encomia, quibus Sancti Patres affecere ritum illum singularem obsequendi Deo, & conciliandi gratiam eius mundo, in Dominum sæpe sæpius insurgenti: quippe singulis quibusque institutis sequacibus Christi potest af-

Religiosi quomodo saluatores mundi.
Isai. 19.

fingi illa Isaiæ prædictio de Christo Domino: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Ad literam explico vaticinium de Religiosis, qui Ecclesia emergente missi in Ægyptum, non prædicauere modò Saluatorem; sed ibi adeò statas fixere sedes, vt ibi floruerint multa millia Monachorum. Illic altaria erecta, ritusque sacri ab illo populo frequentati. Imò vita monastica vigente in Ægypto, multi Ægyptij professi sunt illud innoxium vitæ genus, emittendo vota Religionis. Sed ne intra fines Ægyptios concludere videar præscitum illud elogium in gratiam sortis illius innoxiæ; aliam accipe allegoriam lineantem statum Ecclesiæ.

Mundus est Ægyptus, infamis omnium vitiorum cultu. Vnde Deus vitiorum vltor æternus crebrò sæuit in homines tricuspide telo, famis, belli, & pestis. Sed vt Dei miseratio vacare nequit, benignitas eius prouidit antidotū idoneū repurgio criminum, quibus inficitur mundus: nimirum altare erexit, quando instituit vitam religiosam, cuius est præ aliis statibus orare, & adstare sacris altaribus. Quilibet status religiosus est saluator mūdi bifariàm. Primò precibus suis auertit iram Dei, internecionem orbi minitantem, vt liquet in Sanctis Dominico & Francisco, qui occurrerunt excidio extremo, quod mundo imminebat, Deo iam librante hastas vltrices criminum hominum impiorum. Rursus quiuis ordo religiosus est Saluator mundi, eo planè modo, quo Ioseph in Ægypto dictus est Saluator mundi. Nempe is Patriarcha nomenclaturam illam meruit ob annonam præstitam esurienti populo: ita & conditio quæque regularis, sui propositi tenax, mundum pascit egregio specimine editæ virtutis eius, cui incumbit vnaquæque professio. Verbi gratiâ Monachi arcto claustri sui ergastulo conclusi carpunt hominum vanitatem, suoque exemplo monent eos sæculi illecebras aspernari. Minimorum status castigat ingluuiem ventris, cui nullæ opimæ dapes sufficiunt: & reuera animas hominum pascunt, dum obstant ne adipe perfusa corpora distendantur. Ordines SS. Dominici, Francisci, & Ignatij, prædicando pascunt animas, vt & iugi sua virtutum praxi. Demum dum sicuti par est viuunt Religiosi, mundi saluti incumbunt, ad vota etiam emittenda plurimos inuitantes. Huic etiam statui religioso quadrat titulus ille propugnatoris: quis enim contra hæreses insurgentes decertauit acriùs Hieronymo, Basilio, & Augustino, sectatoribus vitæ monasticæ?

Religiosi pugnatores fidei.

Vt instante deliquio mundi, Angelus refuga suas omnes colliget vires in hominum perniciem; ita hæc ætas nostra imminens sæculo extremo, experta est procellas vtique acerbas, vndequaque insurgentes in Ecclesiam, coëuntibus hæreticis, vt impetu facto pessū iret illa nauis Petri, in qua Religiosi non inferiora secuti excepere conamina omnia hominum insanorum. Etenim si seriem recenseas scriptorum, qui suo stylo confixere perduelles hæreticos; Religiosi turmatim occurrent, quasi hoc eis esset pensum indictum, vt in exterminanda hæresi, & in Ecclesiæ repurgio præcipuas agerent partes, cui sanè operi omnes cœnobitæ fortiter insudarunt. Quippe, vt tacitos præteream agones aliorum agminum, nonne vna cohors Ecclesiæ, floridus scilicet ordo B. Dominici: Nunquid (inquam) illa hæc animosa phalanx terribilem se præstitit hæreticis, quos odit tanc peiùs & angue? Dum Sancta sedes Apostolica adsciuit illam Congregationem in partem dignitatis Inquisitionis sanctæ, nonne eam fecit propugnaculum fidei, munimen Ecclesiæ, arcem veritatis & speculam è qua denuntiantur hostes Catholicæ noxij disciplinæ? Illa nimirum Ecclesia, Deo afflata, probè callet, illis pugilibus industriis & impigris competere propugnare fidem, quibus ex instituto incumbit assidua virtutum omnium praxi, sinceræ fidei pangere sanctitatem.

Religiosi sā; suumque caput obiecerunt hæreticis.

Ordinis S. Dominici præclara elogia.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIÆ II.

An Quadragesima fuerit superstitiosè instituta.

In hæc verba:

Cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

CHristo Domino assertore, nihil in scriptura vacat; sed ipsi etiam apices vocales sunt, & aliquid significant. Cùm ergo frequens in scriptura mentio fiat ieiunij quadraginta dierū, vt in Moyse, Elia, & Christo patet; non est illa ferenda vesania hæreticorum, qui superstitionis insimulant Catholicos, quotannis Quadragesimæ ieiunia decurrentes. Quandoquidem illi infideles Ecclesiæ desertores suspicantur in numero delirium aliquod; profectò congruè dixerim, eos nullius esse numeri, ac proinde dignos non disputatione;

Hæretici insani dum sugillāt Quadragesimam.

ne, sed contemptu: siquidem omne quod est extra numerum, flocci habendum est vt nihili. Etenim, ens, bonum, verum, aliquid, res, & vnum, adeò conuertuntur, vt quod vnum non est, aliquid proinde non sit, neque verum, neque bonum. Hæretici ergo, qui odere numeros, vnum aliquod non sunt; vnitas namque ad Ecclesiam pertinet, à qua perduelles illi impiè defecerunt. Non est itaque quòd me torqueam in adstruendo numero dierum Quadragesimæ contra homines nullius numeri, cùm eorum instantiæ, numero iniuriæ, æquè impugnent veritatem, atque vanitatem, à qua fluit series reliqua numerorum.

Nullum cum victis certamen, & æthere cassis.

In eo Quadragesimæ discrimine abundè certatum est suprà, cùm expendi orthodoxè Euangelium Feriæ IV. cinerum, vbi discussi abundè omnia quæ pertinent ad hoc ieiunij locuples argumentum. Consule, Lector, Controuersias illic agitatas; & proculdubio occurret vnde queas te expedire à tricis, quas hæretici nectunt in Quadragesimæ iniuriam, arbitrati se impunè suo litare ventri ingestione carnium, quia in Quadragesimam impiè debacchantur. Esto ebrij homines sui impotes sint, atque adeò intempestiua sit disputatio cum his; nolui tamen meis deesse partibus in illo themate, magis consulens Catholicis, quàm hæreticis, vtpotè damnatis ad coquinam. Habent itaque Catholici in primo Euangelio huius Tomi vnde irritos faciant æmulorum impetus contra Quadragenarium illum numerum, Christi ieiunio consecratum. Ideo supersedeo, nequid nimis.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA TERTIA.

An licitus sit sanctarum imaginum cultus.

In hæc verba:

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

IN vitiis equorum & mulorum, hoc vnum recensetur insigne; scilicet si ad alicuius corporis vmbram ferociant. Nemo inficiatur, equos & mulos esse idoneos hæreticorum typos, ipso etiam Deo auctore, qui B. Antonio mulos ostendit, altare suis calcibus impetentes, hoc inglorio mulorum Symbolo figurando Arianos, in Ecclesiam nequiter insurgentes. Hanc indolem, scilicet equorum & mulorum, propè assecuti sunt nostrates hæretici, qui ad cuiusque Sancti vmbram seu imaginem statim insaniunt, & declamant in cultum imaginum. Miseranda sanè sors est hæc mulorum, qui spreta Catholicorum sorte, cùm in honore essent non intellexerunt, ideoque comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Textus Euangelij hodierni de adoratione debita vni Deo soli, latum aperit campum ad congressum cum illis Iconoclastis: sed quia alibi discutiam illam Controuersiam; ego me accingo ad alia Euangelia decurrenda.

Hæretici bellè figurati in mulis & equis. *S. Athan. in vita S. Antonij.*

FERIA SECVNDA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sint textus literaliter expensi iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. CVM venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. *Matth. 25*
II. Et congregabuntur ante eum omnes Gentes.
III. Et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.
IV. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.
V. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.
VI. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis.
VII. Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.
VIII. Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.
IX. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. I. *BIDVO ante Passionem suam Christus hunc sermonem texuit de gloria, qua rutilus apparebit in die iudicij, ne Apostoli videntes corpus eius inglorie acceptum, sputis & sanguine conspurcatum, exciderent ea fide, quam conceperant de ipso, eo intento recolente maiestatem corporis sui gloriosi, quam Passione sua mercatus est.*

§. II. *In argumentum gloriæ suæ Angelis vtetur vt ministris, ad congregandos cineres omnium hominum, vt iis compactis ad figuram humanam fiant omnes homines rediuiui, ab iisdem Angelis sistendi Christo Domino sedenti in nube pellucida.*

§. III. *A cuius dextris erunt Beati, realiter discreti à reprobis, ministerio Angelorum.*

§. IV. Vt autem constet, præcipuam causam prædestinationis Beatorum esse bonitatem Dei, & non eorum merita præuisa, vocat eos benedictos Patris sui: quasi diceret, eos vocari in partem regni, quia ab æterno benedicti sunt à Patre.

§. V. Cuius tamen benedictio seu prædestinatio æterna, suum non sortietur effectum in adultis, sine bonorum operum praxi, comite charitate.

§. VI. Illa tamen praxis non est iustis argumentum superbiæ, sed humilitatis, cuius est gloriam Dei pro suo modulo propagare.

§. VII. Nimirum in Dei decus & gloriam redundat omne quod fit eius intuitu.

§. VIII. Beatis ita benè acceptis à Deo, reprobi congruas accipient sortes vtique malas, quas ipsi mali æterno suo malo malè confecerunt. Vnde Iudex non eos vocat maledictos Patris sui, sed simpliciter maledictos, Vt pessimos artifices sui, maledicti.

§. IX. Quod æternum sortietur effectum in gehenna, quæ erit intermina, sicut ex aduerso gloria illa erit sempiterna, qua beatæ mentes in gloria dignabuntur.

PRÆFATIVNCVLA.

Prælegenda, vt constet de intento Auctoris.

ESto deinceps agam expositorem literalem Euangeliorum, & præcipua laus commentatoris sita sit in assequenda mente Auctoris operum quæ expendit; hoc tamen non obstat, quin interpres Euangelij, expeditâ literâ, non possit inserere aliqua moribus excolendis, ea saltem cautione, vt alij sensus non sua mole grauent paginas pertinentes ad sensus literalis anatomen. In hoc ego discrimen impegi discutiens quatuor prima Euangelia Quadragesimæ. Nempe aperto cortice literali ita spatiatus sum in sensu morali, & sic me effudi in controuersias emergentes, vt quatuor illa Euangelia maximam huius Tomi partem conficiant. Non idcircò tamen credo fore iniquos Lectores meos præmonitos, materias illic à me agitatas, esse præcipuas in argumento morũt nimirum fusè ago de floccipendio mundi, & de morte instante. Multus sum in detestanda seruitute peccati, & extollenda sorte seruorum Dei. Segetem vberrimam demeto ad insinuandam iniuriarum obliuionem. Pluribus argumentis commendo ieiunium, & in his quæ ad controuersiam pertinent, salebrosas dirimo difficultates, quas Bellarminus ipse implexas præteriit.

Parcior ero decurrens alia Euangelia, vbi præcipuum scopum præfigo mihi sensum literalem, ne alius videat ab eo quem propono edens accuratum Commentarium in Euangelia, quæ tamen ita literaliter absolutè rimabor, vt semper adiiciam exquisita quædam & non peruulgata in gratiam morum, ne quid hiulcum desideret Momus in hoc opere tessellato, id est, multa rerum varietate satis congruè dispertito.

***

SENSVS LITERALIS.

Non ea maiestate qua Deus est, Christus apparebit in die iudicij, sed ea quam meruit humilitate sua.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate suâ & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

§. I.

CONIECTVRA PRIMA.

EX RATIONE.

INdubium editurus argumentum infirmitatis humanæ Christus Dominus, sic suos affatus est discipulos: *Quis vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* *Luc. 12.* Quasi diceret, non esse hominis assurgere ad arbitrium suum, sed statas vnicuique vices esse à Deo rerum omnium Domino præstitutas, quas præterire nefas. Ab hac imbecilla hominum sorte seipsum hodie excepit Christus: is namque recolens extremum iudicij diem, cogitando apparatum illum, quo stipatus adueniet, adiecit plusquam cubitum ad staturam suam, commemorans maiestatem, quæ omnium hominum Iudicem decet. Ad coruscos maiestatis huiusce radios caligauit acies oculorum Remigij, arbitrati maiestatem illam Iudicis esse diuinitatem eius. Sic ille: *Maiestatem appellat diuinitatem, qua æqualis est Patri, & Spiritui Sancto.* *Remigius in Mat. c. 25.* Hanc ego sic tergo caliginem Remigij. Christus ea se maiestate prodet, qua videri possit ab omnibus, qui debent vtrâque Iudicis sententiâ recenseri. Sed maiestas increata seu diuinitas non erit omnibus iudicandis obuia, iuxta illud Isaiæ, animam reprobam perstringentis: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* *Isai. 26.* Cùm ergo reprobi visuri sint maiestatem Iudicis; profectò hæc maiestas non erit diuinitas, vt vult Remigius, sed præmium quod Christus humilitate sua promeruit: quippe licet ex Theologia Christus non meruerit sibi aliquod gratiæ augmentum, quia ipso momento conceptionis eius, tota in eum influxit gratiæ plenitudo; in confesso tamen est apud omnes etiam Theologiæ candidatos, Christum Passione sua meruisse corporis sui gloriam & decorem, cuius generis est maiestas illa, quam ipse meminit hoc contextu, quem expendo, concludens maiestatem illam esse dotem creatam, & affixam Christo pro dignitate, qua eum Deus affecit, illum constituendo Iudicem orbis vniuersi, vt ipsemet ait hoc contextu: *Neque Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium.* *Ioan. 5.*

Quare Christus Iudex non apparebit in maiestate sua increata.

EX THEOLOGIA. Thom. 3. p. qu. 19. a. 3.

Rursus diuinitas non potest videri ab homine, nisi obsequio luminis gloriæ: at hoc lumen invium est impiis, vtpote beatis tantùm mentibus affulgens: Ergo gratis Remigius ait maiestatem illam

illam Iudicis fore diuinitatem eius; cùm de maiestate Iudicis sit vt videatur ab omnibus, ad quos porrigitur eius auctoritas. Vnde cùm sit æquè Iudex impiorum, & iustorum, & ab vtrisque videri debeat; est assignanda maiestas peruia cunctis hominibus; illa vtique, quam meminit ipse Dominus assertor huius maiestatis, cuius summa erit omnium Angelorum præsentia circumcingens tribunal lucidum Iudicis incorrupti. Vt autem adstantes Angeli appareant, ille sese specie corporea in conspectû dabunt; hoc namque pertinet ad sensibilem Iudicis maiestatem, qui pellucidis nubibus insidebit. Nota, sessionem Beatorum non dicere grauedinem corporis fatigati; corpora nempe Beatorum nescia ponderis haudquaquam deorsum inclinant, sed pro reicuiusque dignitate situm variant. Verbi gratiâ, Christus adiuuans partes Stephani in supremo agone positi, visus est stans, quia status ille est hominis adiuuantis. Ast vbi decernenda erunt præmia & supplicia in die iudicij, tunc sedebit, quia sessio spectat ad Iudicem. Iudicis huius thronum fore nubem, & non quidpiam aliud, multis adstruitur. Primò ipsa sapientia sui tribunalis artifex, nullum aliud sibi effinxit eo libro, quo suppellex ipsius sapientiæ describitur. Ita Dominus ipse suum thronum instituit: *Thronus meus in columna nubis.* Secundò Christus in cœlum euectus die suæ Ascensionis, à nube susceptus est, & eomet temporis articulo Angeli adstantes dixere Apostolis, eumdem Dominum rediturum eodem habitu. Ecce textum. *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Cùm itaque ad gloriam Ascensionis adfuerit nubes eum suscipiens, & debeat idem Dominus eâdem esse gloriâ conspicuus in die iudicij; aderit & nubes futura thronus Iudicis illi solio insidentis.

Quare corpora Beatorum stent aliquando, & quandoque sedeant.

Sedes Iudicis in die iudicij erit nubes pellucida.

Eccl. 24.

Act. 1.

Illa tamen nubes lucida iustis, erit quasi opaca reprobis, quibus omnia nigricabunt vt cum Sol ad arbitrium Iosue stetit, in gratiam filiorum Israël persequentium Amorrhæos, Israëlitæ aspirante victoria gratam habuere lucem illam, egregij sui facinoris obstetricem. Sed Amorrhæi fugientes stupuere prodigium Solis immemoris insoliti sibi gyri, quo inclinat ad occasum. Nec obstupuere modò Amorrhæi ad diem hanc protractam; sed horruere lucem illam maleficam sibi, quia eius obsequio deseuiens mucro victoris ipsos Amorrhæos internecione demetebat. Ita Christo Domino in Iudicis habitum composito, & discutiente hominum facta, maiestas eius erit perquàm grata & corusca bonis, sumentibus inde partem suæ beatitudinis: at secus illa omnis pompa cruciabit impios, quibus attonitis & malè consciis omnia tenebrescent. Sic vna eademque gloria rutila iustis, erit velut opaca malis, ad quos pertinet ista descriptio tribunalis Christi: *Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius.* Dispares autē fore effectus gloriæ Iudicis, quæ neminem latebit, idem Psaltes enuntiat, dicens fore gloriam illam argumentum lætitiæ Beatis, & contra inde iniquorum capita confundenda. Sic ille: *Annuntiauerunt cœli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum omnes Angeli eius, audiuit & læta est Sion, & exultauerunt filiæ Iuda propter iudicia tua Domine.* Vide infrà in sensu Morali luculentam expositionem huius textus.

Quæ lucida erunt iustis, illa reprobis erunt subobscura.

Iosue 10.

In die iudicij Maiestas iudicis recreabit bonos, vt secum cruciabit impios.

Psal. 96.

Ibidem.

SENSVS LITERALIS.

Maiestatem, qua coruscus apparebit index, non esse diuinitatem, sed gloriam corporis Christi.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

CONIECTVRA SECVNDA EX LINGVIS.

Specie coruscante ignis pellucidi dispertitæ quondam linguæ insederunt Christi discipulis, antequam Scripturæ sanctioris pangerēt oracula, eo arcano Deo præmonente omnes interpretes Scripturæ sanctæ linguas dispertitas in varias orbis oras, Hebræam scilicet, Chaldæam, Syriacam, & Græcam, multum lucis adferre ad intelligentiam textus sacri, qui cùm vario & dispertito idiomate prostet, ille incongruus est interpres Scripturarum, qui non est abundè tinctus notitiâ linguarum, quas consuluere semper Patres Sancti, siquando vulgata editio Latina tenebras offunderet. Hunc fuisse morem sanctiorum Patrum vide in præfatione huius tertij Tomi, vbi ex professo probo quanti sit momenti callere linguas ad penetranda penitiora quæque arcana Dei, quandoque variis textibus inuoluta. Plerique alioquin docti, sed in hoc genere imperiti, vt suam solentur ignorantiam, fastidiunt indaginem illam sensus literalis petitam à dispertitis linguis, causantes illud scrutinium subolere delirium Rabbinorum, qui fidei suæ præcipuam partem refundunt in literas, & apices dictionum. O stolidum pecus! ô pectoris opaci nequitiam non ferendam! Quasi verò fas sit carpere quod ignoras, hocque vnum sit vitium linguis, quòd earum peritia fugiat imperitos.

Principes linguas consulere in his quæ pertinēt ad intelligētiam Scripturæ sacræ magnam lucem adferre.

Quàm stolidi sint hi qui carpunt linguarum notitiam.

Ne videar extra lineam discurrisse, ô lector, adstruendo fidem linguarum, vide quàm proficua sit docto hæc supellex, exemplo textus quem expendo contra Remigium aliàs nobilem interpretem octaui sæculi. Ait ille, iudicis maiestatem poni pro diuinitate: hanc ego sententiam expunxi proxima coniectura, superinducens sensum meum, qui adstruit, maiestatem eo loco significare gloriam illam, quæ Christi Domini corpus consequitur: ita vt maiestas in proposito versu perinde sit ac gloria. Huic meæ veridicæ sententiæ concinunt omnes linguæ, quarum dialecto concluditur sacer textus. Prior lingua Hebræa occurrit. יבא בן האדם בכבודו *iabo ben haadam bichodo. Veniet filius hominis in gloria.* Vox namque בכבודו *bichodo* perinde est ac gloria, nec tamen maiestatem significat. Etenim no-

Probatur conclusio Ex LINGVIS. HEBRÆA.

num extrinsecus commoranti, cuique eumdem victus ordinem tribuunt: dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cum vero processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum, & purioribus ob castificationem scilicet, aquis participat, neque tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippè continentiæ, duobus annis aliis eius mores probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur, &c. Viuunt autem quàm longissimè, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam perueniant ætatem, propter simplicitatem victus, vt equidem puto, & institutionem in omnibus benè ordinatam. Hactenus hic Iosephus, tota hac serie historica adstruens, peruetustum esse Monachorum institutum. Vnde in gratiam vitæ religiosæ sic arguo. In confesso est apud omnes Synagogam fuisse velut rudimentum Ecclesiæ, cuius prima tantùm lineamenta fuere præostensa Iudæis; in quos proinde minor gratia influxit. Cùm ergo Esseni affines sint instituto Monachorum, quod viget in Ecclesia ab incunabulis eius; liquidò est, nostros Cœnobitas præstare Essenis, quia Ecclesiam Dei copiosiores gratiæ latices alluerunt.

Nouitij Essenorum quomodo probabantur.

Sobrietas confert longam vitam.

Quare Religiosi sint sanctiores Essenis.

Ex prælibatis nemo inficiari potest, esse alta monachatus initia ducta ab Essenis, in lege naturæ, & à Christo & Apostolis in lege gratiæ. Quamobrem libet compellare professores huius vitæ eo modo, quo Raguel affatus est adolescenté ingenuum Tobiam, vbi audiit eum esse filiú Tobiæ senioris. Accipe ex Codice sacro tenorem rei gestæ. *Dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. Misit se Raguel, & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans super collum eius dixit: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* Hanc tibi lubens benedictionem impertior, ô homo Religiose, cuiusuis fueris instituti ab aliquo Sanctorum editi: *Benedictio sit tibi, quia boni & optimi viri filius es.* Nimirum omnes institutores ordinum, profitentium hoc beatum genus vitæ tersioris, adscripti sunt numero Beatorum. Præterea, quidquid obganniant hæretici, non imminet nobis sors iniqua, quæ affecit filios Berzellai, quos Athersata ingloriè iussit se abdicare sacerdotio, quia nullis congruis titulis probare potuerunt, se sacerdotali tribu satos, vt textus iste sacer enuntiat. *De filiis sacerdotum: Filij Hobia, filij Accor, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem, & vocatus est nomine eorum. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. Et dixit Athersata eis, vt non comederent de Sanctis sanctorum.* Nos Religiosi habemus vnde probemus, institutum nostrum esse sanctissimum, quia viri sanctiores eo ferè ritu vixere, mundo adhuc impubere, vt videre est in Enosiæis, qui primi cœperunt inuocare nomen Domini singulari ritu, & veluti Monachorum more, vt laudatus à me Bolducius eruditè probat. Item filij Prophetarum degentes in Carmelo communem agentes vitam, & doctore Elisæo Propheta clamant monachatum habuisse probos & optimos viros in parentes.

Tobiæ 9.

Vnde probetur origo Monachorum.

1. Esd. 2.

Gen. 4.

4. Reg. 4.

Præter Scripturam sacram indicem nostræ genealogiæ, habemus titulos humanæ historiæ assertores moris nostri. Hos ego recensui cùm eduxi in medium Philonem, Iosephum, Plinium, & Solinum, memores Essenorum. Cùm itaque nobilitati decor insignis accedat, si vetustis titulis innitatur; habet nostra professio quod lætetur, vtpote cui vetusta mundi tempora suffragantur.

Religiosorum institutum est antiquissimum.

ENCOMIA VITÆ RELIGIOSÆ.

Ex Variis Religionum Institutis.

Æstuantis pelagi instar fluctuans mundus æstatas nescit seruare vices: sicut enim fluctus idem assurgens nubium tenus, altera sequente mora dehiscit ad abyssos; ita & homines aliquando de summa rerum decidunt ad extrema, teste Dauide Rege, qui rebellante filio suo Absalon, nudis pedibus & illacrymans fugit lethales filij sui perduellis insidias. Quia secessus huius Regis subolet mysterium pertinens ad varia Religionum instituta, placet huc reuocare textum, quo ex sacro Codice describitur illa historia, hoc tenore. *Venit nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalon: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam. Dixerunt serui Regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui. Egressus est ergo Rex & vniuersa domus eius pedibus suis, &c. Vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi, &c. Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens; & flens, nudis pedibus incedens.* Hactenus sacer ille textus, quem allegoricè sic expendo.

Eximia figura describitur varij Religiosorum ordines.

2. Reg. 15.

Dauidis luctuosus egressus de vrbe Ierosolyma.

In Dauide meditor ego Christum Regem Regum, in quem insurgit mundus vniuersus, esto fuerit ab eo conditus, iuxta illud Ioannis: *Mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit.* Mundo rebellante monet Christus, quantocyùs esse fugiendum, ne iusti etiam occupentur ruinis hominum impiorum. *Orate* (inquit) *vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato.* Tropicè vult Christus fugiendum esse mundum feruenter, & non frigidè quasi in hyeme; aut Sabbato, id est, tardè, quando nefas est operari. Illa fugæ necessitas semper homines iustos sollicitat: quippe vt toto corde Israël vniuersus sequebatur Absalonem iniurium patri suo Regi, ita mundus totus in maligno positus infinitos propè sequaces habet, qui conspirant in Christum iuxta Vatis præsciam hanc sententiam: *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Mundi partes adiuuant caro & Angeli nequam, Christi regnum scilicet Ecclesiam pro viribus impugnantes. Vnde quia molesta est mundi vexatio, Christus consuluit dari mundo libellum repudij, suo ipsius exemplo: nempe ait, regnum suum non esse de hoc mundo. Huic consilio Christi morem gessere præcipui Christiani, id est religiosi, qui specialis obsequij votum emittunt, ratione cuius Deo adstant vt expeditæ legiones Cerethi, Pheleti, & Gethæi. Dauid egressus Ierosolyma nudis pedibus fleuit: Christus etiam pulsus Ierosolyma, imò & mundo,

Ioan. 1.

Matth. 24. Quare & quomodo sit è mundo fugiendum.

Psal. 2.

Mundi pereuntis & Absalonis occisi sors est eadem.

do, fleuit hominum ruinam. Sed vt variant hominum sortes nesciæ constare sibi; Absalon luxurians in palatio, vbi se accinxit ad perdendum patrem suum Regem suspensus est in arbore, & ibi tribus lanceis confossus malè periit. Eadem propè sorte mundus extinguitur à Religiosis: siquidem cruci affigitur, vbi tria vota veluti totidem spicula illum confodiunt.

Mundo extincto profligantur eius auxiliares turbæ, scilicet carnis illecebræ, & dæmones importuni. Etenim quisquis professione religiosâ valedixit mundo, ille præcipuos carnis impetus fregit, vtpotè procul ab obiectis, quæ peccandi suggerunt argumenta, & proinde fortiùs occurrit dæmoni lacessenti. Etsi Dauidis præsentia multum contulerit ad prosternendas acies Absalonis; tamen Cerethi, Phelethi, & Gethæi, viri omnes fortissimi, suas obiere partes ad hanc victoriam insignem suâ industriâ reportandam. Ita & Christus semetipso potuit omnes mundi nisus compescere, vt & carnis illecebras obtundere, ita vt in posterum nihil omnino facesseret negotium hominibus. Sed satius duxit varios Religionum ordines instituere, vt in partem tantæ victoriæ etiam homines aduocaret. Itaque in pertinaci animæ discrimine cum mundo, Religiosi hi sunt, qui fuere Celethi, Phelethi, & Gethæi pugnatores validi. Et hoc insigne est vitæ monasticæ encomium, quod eam Deus assumpserit ad supremam mundi ruinam, ad quam procurandam inepti sunt alij status, vtpotè coniugio implexi, & diuitiarum nexibus irretiti.

Quare instituti Religiosi.

Quare varij sunt ordines religiosi.

Quare autem Deus in Ecclesiam varios ordines induxerit, in quos dispescitur vita religiosa, omnes hanc rationem proferunt in medium: scilicet Deum, qui disponit omnia suauiter, in ea institutione plurium ordinum consuluisse indoli humanæ, quæ multiplex est pro diuersa humorum temperie, quæ singulos quosque homines multifariàm afficit. Vnde qui ad solitudinem propendent, habent quò conuolent, scilicet Carthusianos: qui discendi & docendi cupidine pruriunt, peruia habent Collegia Iesuitarum: qui magno sæculi tædio capti anhelant ad arduum vitæ genus omninò discretum à sæculo, & æmulum vitæ Christi, illi voto suo indulgere queunt assurgendo ad Capucinorum institutum, cui egò pubescente ætate litaui, eo tantùm nomine ductus, quòd nulla professio propiùs accederet ad pauperem & nudipedem Christum. Sunt item & alij cœtus affines aliis ingeniis. Esto hæc ratio variorum ordinum, graues habeat auctores, qui hanc recensent vt congruam; ego tamen postremam hanc iudico, & demitor magni nominis auctores stetisse hic. Quasi verò Deus adspexerit tantùm ad discolores hominum animos, quando dispescuit varia ordinum instituta. Alia igitur est inuestiganda ratio digna Deo: & ego reor hanc esse verissimam; scilicet Christum instituendo varios ordines, seipsum primò attendisse vt causam exemplarem & finalem omnium ordinum. Quatenus est causa exemplaris, operæ pretium duxit professionem religiosam dispescere in multiplex institutum. Enimuerò non est vnius instituti reddere virtutes, quæ in Christo Domino coruscarunt. Vnde quia intentum Christi fuit, imaginem suam in Ecclesia graphicè lineare, ad hoc Religiosos à sæculo assumpsit, & ex eorum animo expunxit quidquid eis mundus suum offuderat, vt eos faceret veluti tabulas rasas; ac

Singularis ratio in Deo instituendi varios ordines.

proinde idoneos ad excipiendos sacri penicilli ductus congruos ad germanam Christi speciem oculis ingerendam. Res successit ad arbitrium Christi: quippè collegit Apostolos, quos suis ritibus initiauit, & ita sibi aptauit, vt Christi æmuli extiterint quantùm fas est homini Christum Dominum imitari. Quamobrem Apostolus prouocans homines ad imitationem Christi, suadebat vt non ad Christum attenderent, quia scopus ille erat extra sactum; sed collimarent ad Apostolos, vt ad typos propiùs accedentes ad imbecillum hominum ingenium.

Apostolos fuisse à Christo aptatos, vt ex eorum imitatione homines assurgerent ad sequelam Christi Paulus ait hoc contextu: *Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, &c. Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc, &c. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Series illa passionum, quas commemorat Paulus experiri Apostolos, est synopsis ærumnarum, quas obiit Christus hominum ergò. Ne autem Christiani detrectarent subire angustias illas, Paulus ait Apostolos esse à Deo missos in specimen, ad quos homines attendentes, se tandem componerent in Apostolorum modum, qui æquo animo molestiis omnibus occurrebant, ita facti spectaculum mundo, Angelis, & hominibus. Mundo quidem castigantes eius vitia, virtutum omnium professione, vt censurâ tacitâ vitiorum. Angelis, eos afficientes ineffabili gaudio: nam si lætantur aspectu reprobi perræsi suam nequitiam; profectò iubilabunt, si viderint ad virtutum omnium apicem homines anhelantes. Hominibus demum facti sunt spectaculum illi proceres Ecclesiæ, dum illos ad sequelam Christi, & professionem Euangelicæ perfectionis pellexere suis moribus illibatis, penes quos fuere ritus omnes inoliti variis ordinū institutis: quippe in Apostolorum collegiū confluxere virtutes omnes illæ singulares, quæ singulos quosque ordines discernunt ab inuicem. Ideoque vita religiosa suum est nacta decus & nitorem viuentibus Apostolis, quos Spiritus Sancti illapsus ad virtutum omnium culmen euexerat.

Apostoli, quomodo imitatores Christi. 1. Cor. 4.

Apostoli quomodo sint spectaculum, & quibus.

Plerosque sequaces habuerunt Apostoli, licet non passibus æquis: tandem feruore tepescente hominum, & prisca pietate suum relaxante rigorem, Deus in Ecclesia præstitit illud idem, quod aliàs in Synagoga perfecerat, vbi sic Moysem affatus est: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Ita adolescente Ecclesia, & fatiscente hominum ingenio, nullum planè fuit institutum, quod sibi voluerit hoc pensum indicere, vt scilicet profiteretur omnimodam Apostolorum vitam: omnes namque homines ingenuè confessi sunt, se impares esse illi sanctissimæ disciplinæ. Eamobrem

Numer. 11.

Quomodo & quare Apostolorū vita in varios ordines Religiosorū induxit.

obrem ne collaberetur Apostolica illa professio æmula Christi; prouidus ille Dominus moderator Ecclesiæ, conuocauit Basilium, Antonium, Pachomium, Augustinum, Benedictum, Brunonem, Franciscum illum Seraphicum, & alterum de Paula, Dominicum, Ignatium, & alteros sub Benedicti regula recensitos, vt sunt omnes Bernardi alumni. Spectatissimis illis omnibus viris Deus diuisit Apostolorum spiritum, aliis sic, aliis autem sic, iuxta mensuram donationis Christi, vt singuli quique singularem aliquam virtutem seligerent, quam proponerent suis sequacibus vt medium opportunum ad Christum Dominum imitandum. Inde vt è pixide Pandoræ variæ virtutes euolarunt in omnes orbis oras, quia nulla viget professio religiosa, quæ non discreta sit ab aliis, aliqua saltem constitutione, quæ suadet praxim virtutis alicuius Apostolis insolitæ. Et meo animo insedit hanc esse præcipuam causam, quæ discreuit vitam monasticam in tam multiplex institutum; scilicet Christum, indulgendo infirmitati hominum, noluisse hoc eis imponere iugum, vt referrent vsquequaque ritus omnes Apostolorum: ideoque eorum virtutes diuisisse variis institutis, quibus ex speciali voto competit aliqua perfectio, cui non adeò incumbunt alij vitæ monasticæ sectatores. Vnde fit vt Religiosi omnes collectiuè sumpti imitentur Apostolos, & proinde citra periculum inuidiæ fas est dicere, vitam religiosam esse æmulam perfectionum Christi.

In quibus SS. Benedictus & Bruno imitati sint Christum.

Verbi gratiâ, si requiras Christum in deserto, & frequenter à turbis segregatum vt seorsum oraret: adi cœnobia Sanctorum Benedicti & Brunonis, ad quos pertinet illud Apostoli: *Deus nos ostendit tamquam morti destinatos.* (1. Cor. 4.) Namque perfecti alumni Benedicti, & Carthusienses adeò semoti sunt à sæculo, vt si dixeris eos mundo mortuos, à vero non aberres. Et vt mortui Deo sistuntur iudicandi, & beandi, aut plectendi; ita præfati Monachi in suo tumulo claustrali, Deo semper adstant, ei iuges fundendo preces vt mitiùs agatur cum eis in die iudicij, & congruas sibi sedes sortiantur in gloria.

In quibus Minimi Christum imitentur.

Si desideras austera Christi ieiunia, consule Minimos, speciali voto omnia pinguia detrectantes, vt solo oleo inuncti vt fortissimi athletæ decertent contra carnis asseclas importunos. Vt ignis oleo aspersus sua longè latéque spargit incendia; ita & Minimi oleo tantùm pasti probant apud se ardere diuini amoris incendia, quæ opimis epulis extinguntur. Eamobrem placet Symbolum quod hic ordo vsurpat: nimirum vox hæc CHARITAS est tessera Minimorum.

Rursus quia perfectio non proprium tantùm afficit suppositum, sed etiam vrget vt & salus aliorum hominum impigrè procuretur; Christus causa exemplaris studuit saluti animarum, prædicando, & docendo homines ingratos, conuiciis impetentes præceptorem illum suum beneficum, qui non etiam dedignatus est obtrectatorum suorum pueros paruulos erudire, vt hæc illius verba sonant: *Sinite paruulos venire ad me.* (Marci 10.)

In quibus Iesuitæ imitentur Iesum.

Hunc zelum animarum in Christo feruidum imitantur præcipuè illi Religiosi, quibus ipse Iesus suum nomen inussit. Hi sunt Iesuitæ, quibus hoc est propositum constans non prædicare modò, sed etiam puerulos sacro tingere catechismo, licet plerumque parentes eorum patiantur hostes acerbos. Ideoque quadrat eis ille Apostoli versus: (1. Cor. 4.) *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Nulla namque religio emersit, in quam plura spicula dæmones intorserint, quàm in Iesuitas. Sed aquæ illæ inundantes non potuerunt extinguere zelum illum, quo ab incunabulis Societas inclyta conflagrauit. Qui plura volet in eo argumento, ille sue consulat secundo Tomo meæ Moralis Encyclopediæ, & decurrat homiliam quam ego Parisiis declamaui in Collegio eiusdem Societatis die sacro Patriarchæ illius.

In quibus SS Dominici & Francisci professores imitentur Christum.

Si doctrinæ huius, quam in Christo Iudæi mirabantur, arcana petis, pete gemellos ordines Dominici & Francisci, vbi sacra reperies oracula, quæ Ecclesiam Dei libris ferè innumeris illustrarunt, vnde alij posteriores Theologi scientiæ suæ omnes latices exhauserunt.

In quibus Capucini Christum imitentur.

O arduum Capucinorum institutum! te ne præteribo tacitum? Minimè verò: adhæreat lingua faucibus meis si non meminero tui, cuius obsequio Deus ab æterno ineffabili sua pietate & misericordia me libro vitæ inscripsit. Tu illa es professio sacra, quæ labante obseruantiâ Regulæ Patris Seraphici mundo cœlitus illuxisti, vt reuocares homines ad sequelam Christi, vnde turpiter aberrarant. In argumentum meæ gratitudinis audi, ô vita excelsa, quantis te gratiarum dotibus Christus Dominus illustrarit. Inde fies fortasse cautior, ne ex dignitate cadas, quam singularem tuum tibi vendicat institutum. Tu, ô sanctissima congregatio, sola gaudes germano habitu Patris tui, quem tibi Summi Pontifices adiudicarunt vt hæredi virtutum Sanctissimi Patriarchæ, cuius vitam defæcatam hoc sæculo graphicè depinxisti. Ad te pertinet ille Apostoli versus: *Nos stulti propter Christum, &c. Vsque ad hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* (1. Cor. 4.) Nimirum illo habitu Beatus Pater Franciscus amictus initió suæ conuersionis fuit ludibrio & despicatui suis conciuibus.

Capucinorũ encomium.

Item esurire & sitire tui sunt prouentus, ô vita pauperrima, cuius epulæ quotidianæ sunt crebra ieiunia, & dapes quas ministrat extrema rerum inopia, qua vnica gloriaris. De nuditate nemo planè contendit tecum, ô professio denudata bonis, & nudipes, ad cuius instar alij Religiosi præter suum institutum nudauerunt pedes, sed non se tamen opibus abdicarunt, quas flocci pendere & vt impedimenta despicere Capucinorum est facinus operosum. Instabilem esse, vitio datur aliis hominibus; sed tibi, ô vita æmula Christi, instabilem esse, est argumentum similitudinis Christi, qui non habuit vbi caput suum reclinaret. Nimirum nullas habes fixas in hoc mundo sedes: tuis namque alumnis insolitum est, quotannis ferè solum vertere, in cœnobiis alia diuertendo, ne diuturna mora suspectum faciat incolatum. Etenim nulla professio suos ita ventilat sectatores ac tu, ne altas radices agant in hoc sæculo. Demum laborare manibus suis, nullius planè est instituti ac tui; siquidem Regulæ tuæ consilium est, vt Minoritæ caueant ab otio, & congruo labori aliquam impendant operam, vt factitant Capucini, quibus cultura hortorum est laboris locuples argumentum.

Capucinorum zelus in animarum conuersionẽ.

Præterea quasi parum esset tibi, viuere ad amussim Regulæ tuæ Seraphicæ, quicquid alibi eminet, ô Religio sancta, hoc æmulata fortiter assequeris. Nonne zelo animarum percita tenuisti extremas orbis oras, vt vbique Crucis labarum eri-

geres?

geres? Etenim, quasi tuæ charitati haudquaquam sufficeret orbis Christianus, traiecisti mare, vt Floridæ & Brasiliæ feras Gentes Christo subiiceres, vitæ tuæ discrimine mansuetas. Te etiam minimè remorante austero schemate viuendi, numquid eam es assecuta peritiam omnium literarum, vt vbique terrarum Capucini prædicent in præcipuis Ecclesiæ subselliis. In argumentum omnisciæ literaturæ, quæ viget in claustris tuis, ô professio Deo doctore erudita, hoc compertum esse volo, multa volumina quæ molior stylo omniscio esse composita ex eo penu quod confeci Capucinus: nimirum per ætatem immaturam non licuit mihi vllam literarum supellectilem traiicere mecum quando nomen dedi isti disciplinæ. Itaque velim quosdam obtrectatores temperare sibi à calumnia, quam offundunt Capucinis, eos insimulantes inscitiæ, cùm luce meridianâ clariùs illa liqueat impostura.

Notitia literarum viget apud Capucinos.

Ad Capucinos pertinet illa sponsio sacra Dei: *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit*. Fuit hæc Dei benedictio præscia bonorum, quæ manebát Hebræos derelictâ Ægypto, & Ierosolymam versus toto pectore contendentes: quippe eis calcare Palæstinam, & eam possidere, perinde fuit. Duo sunt præcipuè, quæ Capucini calcant initiati arcanis suæ rigidæ disciplinæ. Nimirum aspernantur gloriam omnem, solo saturati Crucis opprobrio, cui Præfecti nouitiorum eos sic adaptant, vt prioribus annis nouella illa germina nihil aliud discant nisi Iesum Christum & hunc Crucifixum: adeò namque flocci faciunt alias scientias, quæ non collimant in scopum illum, & scientiarum omnium Dominum, vt inde fluxerit illa calumnia, Capucinos esse homines imperitos. Sed esto prima argumẽta pietatis Capucinorum sint præstare se refugas gloriæ, & honoris, & quasi incurios scientiæ; illa duo tamen ita hanc Religionem afficiunt, vt nulla prorsus in Ecclesia Dei honoratior sit; quia ex Hieronymo, Gloria sicut vmbra sequentem fugit, & appetit contemptorem. De doctrina Capucinorum superfluum est dicere, cùm si tacuerim, lapides ipsi clament, scilicet totius orbis Ecclesiæ, vbi præcipua habent pulpita Capucinos. Nonne Roma caput mundi vidit è familia nostra duos celeberrimos præcones verbi Dei esse Summis Pontificibus à Concionibus? Nimirum Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. vnum elegere R. P. Hieronymum Narniensem, quem cum audiisset R. P. Arnulphus Iesuita Gallus, & ipse summus prædicator, ait se audiisse Paulum Apostolum. Eo mortuo, in locum eius suffectus est R. P. Franciscus Genuensis, quasi penes Capucinos esset scientiarum omnium sacrarium.

Deuter. 11.

Hier. in Epitaph. Paulæ.

Si verò res est de scriptoribus industriis & peritis; quis vnquam doctiùs scripsit Titelmanno, & Coriolano, Capucinis, quorum iste posterior doctissimam Conciliorum & historiæ Ecclesiasticæ synopsim contexuit? Cùm ab Ecclesia defecisset Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis, quis desertorem hunc confodit præter R. P. Zachariam Bouetium Capucinum, qui antea duobus Tomis ediderat demonstrationes Symbolorum fidei? Et ne extra Parisios cursitem errabundus, nonne ibi nuper excusi sunt libri R. P. Iacobi Bolducij in Iob, & de Ecclesia ante legem, quos quis attentè decurret, ille fatebitur se non tres tantùm Tomos sed Bibliothecam integram euoluisse? Nonne & stupendo propè miraculo R. P. Yuo Parisiensis Capucinus Theologiæ arcana hactenus inuia plerisque, ita peruia fecit omnibus, vt nescias quod mirere magis, aut omnisciam hominis eruditionem, aut eloquentiam, quæ à disertissimis etiam hominibus illud demeruit encomium, videlicet omnes Veneres Atticas, & lepores tersioris eloquij in præfati Patris opera confluxisse. Habet & eadem Prouincia Parisina Capucinos abundè tinctos omnimodâ scientiâ, qui fidem faciunt, Capucinorum esse honorem & doctrinam aliaque omnia quæ in cœnobij limine conculcarunt.

Scriptores aliqui Capucini.

Denique eiusdem familiæ proprium esse arbitror illud constans propositum Ethæi Gethæi, qui Dauidi afflicto iugiter adhæsit, hoc specimine amoris edito: *In quocumque loco fueris, Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Nempè Capucini ita suos componunt mores, vt vitam inopem & humilem Christi pro suo modulo referant: imò mortuum Christum obuiis obiiciunt, quia sunt vita etiam superstite crucifixi. Ea gratiarum seges, quam vberrimam Capucini metunt ex sua familia, ansam dedit celeberrimo illi elogio, quod iactatur in gratiam sacri illius instituti: scilicet Capucinorum intuitu homines non reuocatos tantùm ad meliorem frugem, sed & Religiosos, qui supra homines sunt, composuisse mores suos adinstar Capucinorum, vt reduces eò repeterent, vnde antea deuiarant: namque aliqui capucium suum rotundum aptarunt in acumen. Doleo inter sectatores Seraphici Patris esse contentionem de capitis tegmine vero, quod solis Capucinis redditum est, & summam esse incuriam imitari Capucinorum pietatem, cùm sit illa professionis Seraphicæ caput, & sanctitatis apex, & non in apicem desinens capitis indumentum.

Egregia figura notans amorem in Deũ, quo afficiuntur Capucini.

2. Reg. 15.

Capucini omnibus salutares.

Fortasse quispiam liuore perfusus obganniet, me compendiosè perstrinxisse encomia cuiusuis alterius instituti, & me fusiore stylo spatiatum esse in Capucinorum campo. Respondeo, longiusculum hunc sermonem esse veritatis obsequium, & meæ gratitudinis argumentum. De veritate encomij non est ambigendi locus; quia, vt præfatus sum, alij Religiosi aliquid à Capucinis mutuò accepere, vt virtutis aliquod inde caperent argumentum. Enimuerò præter eos, qui Capucium aptauere sibi, alij decurtatum pallium induerunt, vt & quidam sandalia, nostram æmulati nuditatem. Nemo tamen assurrexit ad æqualem obseruantiam ieiuniorum, & altissimæ paupertatis: eæ siquidem sunt tesseræ Capucini. Cæterùm monitos volo Professores omnes vitæ monasticæ, alta sapere de omnibus aliis institutis, vtpotè Deo auctore cœlitus editis, tamen ita suæ obstringi professioni, vt suos omnes colligant affectus in cultum suæ disciplinæ, quia Deus hunc assumpsit, vt medium aptissimum ad brauium æternæ gloriæ nanciscendum. Etenim Cathusianus solitudine sua cœlo aptatur, quo exciderет si fieret Capucinus; vt & iste, deficeret si transiret ad castra & claustra alterius. Itaque sua cuique professio est toto pectore amplectenda, sine pœnitentia voti emissi in suo hoc tali instituto, in quod iniquo animo fert aliquos irrepere næuos; siquidem hoc compertum omnibus esse debet, nullum librum adeò correctè è prælo exire, quin variante typo mendi alicuius patiatur iniuriam, & nullam etiam Religiosam disciplinam vacare næuis, quos suos quoque videt

Nihil in hoc sæculo sine næuis.

det vnaquæque professio, errores alterius nesciens instituti. Vbi ergo quisque Deo miserantè satus est, illic & satagat instar stipitis adolescere primùm, & postea fructus vberes afferre solo, cui commissus est.

Porrò operæpretium duco, tergere inuidiam, quam fortè conciliabunt elogia affixa Capucinis, protestando me securum ingenium Bernardi Cisterciensis, suos ita laudibus efferentis, vt alias etiam omnes Religiones suspexerit; ea tamen cautione, vt suam religiosam vitam dixerit esse respectu suiipsius, vnam speciosam columbam & perfectam. Sic ille, dicens omnes ordines esse inconsutilem tunicam Christi. *Omnes* (inquit) *concurramus pariter in vnicam tunicam, & ex omnibus constet vna. Nam etsi ex pluribus, & diuersis, vna est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec ille sine vtroque, sed simul omnes simul illa vna, si tamen solliciti sumus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Non, inquam, tantum ordo noster, aut solus vester, ad illam pertinet vnam, sed noster simul & vester; nisi fortè (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus, & ab inuicem consumamur, & sic non possit nos Apostolus vni illi viro, cui despondit, virginem castam exhibere Christo. Verumtamen illa dicit in Canticis: Ordinauit in me charitatem, vt etsi vna in charitate, diuisa tamen sit in ordinatione. Quid ergo? Cisterciensis sum, damno igitur Cluniacenses? Absit. Sed diligo, sed prædico, sed magnifico. Cur ergo, inquis, ordinem illum non tenes, si sic laudas? Propter hoc quod Apostolus ait: Vnusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat. Quod & si quæras, cur & à principio non elegerim, si talem sciebam? Respondeo, propter id, quod rursus ait Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non quòd ordo sanctus, & iustus non sit; sed quia ego carnalis eram, venundatus sub peccato, & talem animæ meæ languorem sentiebam, cui fortior esset potio necessaria. Et diuersis morbis, diuersa conueniunt medicamenta, & fortioribus fortiora. Denique requiratur etiam à me, cur omnes ordines laudem, omnes non teneo? Laudo omnes & diligo, vbicumque piè & iustè viuitur in Ecclesia; vnum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas, vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Et quid mirum, si in hoc exilio, peregrinante adhuc Ecclesia, quædam huiusmodi sit pluraliter vnitas, vnaque pluralitas; cùm in illa quoque patria, quando iam ipsa regnabit, nihilominus fortè talis aliqua dispar quodammodo æqualitas futura sit? Inde enim scriptum est: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sicut itaque illic multæ mansiones in vna domo; ita hîc multi ordines sunt in Ecclesia vna. Et quomodo hic diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; ita ibi distinctiones gloriarum quidem, sed vna domus. Vnitas hîc consistit in vna charitate: diuersitas autem in ordinum vel operationum multifaria diuisione. Intelligens denique Ecclesia hanc suam quodammodo discordem concordiam, concordemque discordiam. Deduxit me, inquit, super semitas iustitiæ propter nomen suum. Ponens quippe semitas pluraliter, & iustitiam singulariter, nec diuersitatem prætermisit operationum, nec vnitatem operantium. Præuidens quoque & illam in cælestibus discretam vnitatem futuram, deuotissimè læta decantat: Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos* Alleluya *cantabitur. Audiens enim plateas, vicos, coronas, & glorias diuersas intellige. In auro, quo vno metallo illa ciuitas ornata describitur, & vno* Alleluya, *quod cantandum perhibetur, dissimilium specierum similem pulchritudinem, & multarum mentium vnam deuotionem attende. Non igitur vna tantum semita inceditur, quia nec vna est mansio in cælo, quò tenditur. Viderit autem quisque, quacumque incedat, ne pro diuersitate semitarum ab vna iustitia recedat, quoniam ad quamlibet mansionem sua quisque semita peruenerit, ab vna domo Patris exors non erit.* Hactenus Bernardus.

Bernard. in apologia ad Guillelmum Abbatem.

Omnes ordines in eãdem vanitatem conspirant.

Quare quisque vnum sibi tantùm eligat ordinem.

Charitas vni homini affingit bona omnium ordinum.

Varij ordines pertinẽt ad diuersas in cœlo mãsiones.

Fusior hic discursus sancti huius Patris ad meam spectat sententiam, qua præfatus sum, ideo institutos esse varios ordines, quia vnus ordo solus non poterat genuinè referre conuersationem Christi in terris, ideoque fuisse necesse dari varias in Ecclesia familias, vt Regina hæc adstaret mira varietate circumdata: Ecclesia namque vt præclaro Satellitio stipatur variis ordinibus, qui collectiuè sumpti vitam Christi Domini profitentur. Vnde sicut Seneca moriens, ait amicis suis, se illis in amoris æternum pignus relinquere imaginem vitæ suæ, vt ipsi suos assecuti mores euaderent in summos Philosophos, ita Christus Ecclesiæ suam relicturus imaginem, familias varias instituit sequaces suorum rituum, vt quisque in vita monastica cerneret ideam Christi Domini Crucifixi. Præterea vt Saladinus ille famosus Rex Orientis, extremum agens spiritum sanxit, vt Regia ipsius tunica appensa cuspidi hastæ, toto spectante exercitu, circumferretur præcone clamante: Hoc solùm restat ex victore Orientis. Vnde Paradinus Symbolum hoc pingit, vestem scilicet pendulam, hoc titulo: HOC SOLVM RESTAT. Quasi diceret, homine extincto nihil omninò illius superesse præter memoriam operum & virtutum, quæ sunt habitus animæ. Ita Christus in Ecclesia sublimem voluit esse vitam religiosam, quia illa est velut tunica polymita Ioseph, & specimen aliquale morum Domini Redemptoris, ad cuius normam sese componere, sunt omnium studia Monachorum.

Vita religiosa est imago Christi.

Senecæ morientis extrema verba.

Paradinus li. Symbolorum.

Saladini morientis verba extrema.

Saladini morientis qualis fuerit sanctio de seipso.

Hoc sacrum viuendi schema, id est, professionem monasticam esse veluti tunicam inconsutilem Christi aut Ioseph, audi ex Bernardo. *Non* (inquit) *sum tam hebes, vt non cognoscam tunicam Ioseph; non illius qui liberauit Ægyptum, sed qui saluauit mundum. Notissima quippe est, quia polymita, id est, pulcherrima varietate distincta; sed & sanguine apparet intincta, non quidem hædi, qui peccatum significat, sed agni, qui designat innocentiam; hoc est, suo ipsius non alieno: quam tunicam hoc pretioso sanguine suo tinctam reliquit Ecclesiæ suæ pignus hæreditatis polymitam, inconsutilem, & desuper contextam per totum. Sed polymitam ob multorum ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem: inconsutilem verò, propter indissolubilis charitatis indiuiduam vnitatem. Audi, quomodo polymitam: Diuisiones gratiarum sunt, ait; idem autem spiritus: & diuisiones operationum sunt; idem verò Dominus. Deinde diuersis enumeratis charismatibus, tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse* polymi-

Bernard. in apologia ad Guillelmum Abbatem.

Vita religiosa est tunica Christi.

polymitam, vt ostendat etiam inconsutilem, & desuper contextam per totum, adiungis: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult; Charitas quippe diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Non ergo diuidatur, sed totam & integram hereditario iure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptum est: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Itaque diuersi diuersa accipientes dona; alius quidem sic, alius verò sic: siue Cluniacenses, siue Cistercienses, siue Canonici regulares, siue etiam laici fideles: omnis denique ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine vsque ad nouissimum. Nam & propter hoc talaris dicta est, quòd ad finem vsque pertingat. Hæc Bernardus.

Psal. 44.

Neminem igitur tædeat professionis suæ religiosæ, cùm quodlibet institutum pertineat ad tunicam Christi, & omnes sectatores vitæ monasticæ participent eamdem rationem genericam status hominum, qui anhelant ad perfectionem, beneficio votorum paupertatis, obedientiæ, & castitatis. Ad omnes, inquam, Professores huius disciplinæ spectant encomia, quibus Sancti Patres affecere ritum illum singularem obsequendi Deo, & conciliandi gratiam eius mundo, in Dominum sæpe sæpius insurgenti: quippe singulis quibusque institutis sequacibus Christi potest affingi illa Isaiæ prædictio de Christo Domino: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Ad literam explico vaticinium de Religiosis, qui Ecclesia emergente missi in Ægyptum, non prædicauere modò Saluatorem; sed ibi adeò statas fixere sedes, vt ibi floruerint multa millia Monachorum. Illic altaria erecta, ritusque sacri ab illo populo frequentati. Imò vita monastica vigente in Ægypto, multi Ægyptij professi sunt illud innoxium vitæ genus, emittendo vota Religionis. Sed ne intra fines Ægyptios concludere videar præscitum illud elogium in gratiam sortis illius innoxiæ; aliam accipe allegoriam lineantem statum Ecclesiæ.

Religiosi quomodo saluatores mundi. Isa. 19.

Mundus est Ægyptus, infamis omnium vitiorum cultu. Vnde Deus vitiorum vltor acerrimus crebrò sæuit in homines tricuspide telo, famis, belli, & pestis. Sed vt Dei miseratio vacare nequit, benignitas eius prouidit antidotū idoneū repurgio criminum, quibus inficitur mundus: nimirum altare erexit, quando instituit vitam religiosam, cuius est præ aliis statibus orare, & adstare sacris altaribus. Quilibet status religiosus est saluator mūdi bifariàm. Primò precibus suis auertit iram Dei, internecionem orbi minitantem, vt liquet in Sanctis Dominico & Francisco, qui occurrerunt excidio extremo, quod mundo imminebat, Deo iam librante hastas vltrices criminum hominum impiorum. Rursus quiuis ordo religiosus est Saluator mundi, eo planè modo, quo Ioseph in Ægypto dictus est Saluator mundi. Nempe is Patriarcha nomenclaturam illam meruit ob annonam præstitam esurienti populo: ita & conditio quæque regularis, sui propositi tenax, mundum pascit egregio specimine edito virtutis eius, cui incumbit vnaquæque professio. Verbi gratiâ Monachi arcto claustri sui ergastulo conclusi carpunt hominum vanitatem, suoque exemplo monent eos sæculi illecebras aspernari. Minimorum status castigat ingluuiem ventris, cui nullæ opimæ dapes sufficiunt: & reuera animas hominum pascunt, dum obstant ne adipe perfusa corpora distendantur. Ordines SS. Dominici, Francisci, & Ignatij, prædicando pascunt animas, vt & iugi sua virtutum praxi. Demum dum sicuti par est vniuni Religiosi, mundi saluti incumbunt, ad vota etiam emittenda plurimos inuitantes. Huic etiam statui religioso quadrat titulus ille propugnatoris: quis enim contra hæreses insurgentes decertauit acriùs Hieronymo, Basilio, & Augustino, sectatoribus vitæ monasticæ?

Religiosi pugnatores fidei.

Vt instante deliquio mundi, Angelus refuga suas omnes colliget vites in hominum perniciem; ita hæc ætas nostra imminens sæculo extremo, experta est procellas vtique acerbas, vndequaque insurgentes in Ecclesiam, coëuntibus hæreticis, vt impetu facto pessū iret illa nauis Petri, in qua Religiosi non inferiora secuti excepere conamina omnia hominum insanorum. Etenim si seriem recenseas scriptorum, qui suo stylo confixere perduelles hæreticos; Religiosi certatim occurrent, quasi hoc eis esset pensum indictum, vt in exterminanda hæresi, & in Ecclesiæ repurgio præcipuas agerent partes, cui sanè operi omnes cœnobitæ fortiter insudarunt. Quippe, vt tacitos prætercam agones aliorum agminum, nonne vna cohors Ecclesiæ, floridus scilicet ordo B. Dominici: Nunquid (inquam) illa hæc animosa phalanx terribilem se præstitit hæreticis, quos odit tanè peius & angue? Dum Sancta sedes Apostolica adsciuit illam Congregationem in partem dignitatis Inquisitionis sanctæ, nonne eam fecit propugnaculum fidei, munimen Ecclesiæ, arcem veritatis & speculam è qua denuntiantur hostes Catholicæ noxij disciplinæ? Illa nimirum Ecclesia, Deo afflata, probè callet, illis pugilibus industriis & impigris competere propugnare fidem, quibus ex instituto incumbit assidua virtutum omnium praxi, sinceræ fidei pangere sanctitatem.

Religiosi suumque caput obiectant hæreticis.

Ordinis S. Dominici præclara elogia.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIÆ II.

An Quadragesima fuerit superstitiosè instituta.

In hæc verba:

Cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

CHristo Domino assertore, nihil in scriptura vacat; sed ipsi etiam apices vocales sunt, & aliquid significant. Cùm ergo frequens in scriptura mentio fiat ieiunij quadraginta dierū, vt in Moyse, Elia, & Christo patet; non est illa ferenda vesania hæreticorum, qui superstitionis insimulant Catholicos, quotannis Quadragesimæ ieiunia decurrentes. Quandoquidem illi infideles Ecclesiæ desertores suspicantur in numero delirium aliquod; profectò congruè dixerim, eos nullius esse numeri, ac proinde dignos non disputatione;

Heretici insani dum sugillāt Quadragesimam.

ne, sed contemptu: siquidem omne quod est extra numerum, flocci habendum est vt nihili. Etenim, ens, bonum, verum, aliquid, res, & vnum, adeò conuertuntur, vt quod vnum non est, aliquid proinde non sit, neque verum, neque bonum. Hæretici ergo, qui odere numeros, vnum aliquod non sunt; vnitas namque ad Ecclesiam pertinet, à qua perduelles illi impiè defecerunt. Non est itaque quòd me torqueam in adstruendo numero dierum Quadragesimæ contra homines nullius numeri, cùm eorum instantiæ, numero iniuriæ, æquè impugnent veritatem, atque vanitatem, à qua fluit series reliqua numerorum.

Nullum cum victis certamen, & æthere cassis.

In eo Quadragesimæ discrimine abundè certatum est suprà, cùm expendi orthodoxè Euangelium Feriæ IV. cinerum, vbi discussi abundè omnia quæ pertinent ad hoc ieiunij locuples argumentum. Consule, Lector, Controuersias illic agitatas; & proculdubio occurret vnde queas te expedire à tricis, quas hæretici nectunt in Quadragesimæ iniuriam, arbitrati se impunè suo litare ventri ingestione carnium, quia in Quadragesimam impiè debacchantur. Esto ebrij homines sui impotes sint, atque adeò intempestiua sit disputatio cum his; nolui tamen meis deesse partibus in illo themate, magis consulens Catholicis, quàm hæreticis, vtpotè damnatis ad coquinam. Habent itaque Catholici in primo Euangelio huius Tomi vnde irritos faciant æmulorum impetus contra Quadragenarium illum numerum, Christi ieiunio consecratum. Ideo supersedeo, nequid nimis.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA TERTIA.

An licitus sit sanctarum imaginum cultus.

In hæc verba:

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

IN vitiis equorum & mulorum, hoc vnum recensetur insigne; scilicet si ad alicuius corporis vmbram ferociant. Nemo inficiatur, equos & mulos esse idoneos hæreticorum typos, ipso etiam Deo auctore, qui B. Antonio mulos ostendit, altare suis calcibus impetentes, hoc inglorio mulorum Symbolo figurando Arianos, in Ecclesiam nequiter insurgentes. Hanc indolem, scilicet equorum & mulorum, propè assecuti sunt nostrates hæretici, qui ad cuiusque Sancti vmbram seu imaginem statim insaniunt, & declamant in cultum imaginum. Miseranda sanè sors est hæc mulorum, qui spreta Catholicorum sorte, cùm in honore essent non intellexerunt, ideoque comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Textus Euangelij hodierni de adoratione debita vni Deo soli, latum aperit campum ad congressum cum illis Iconoclastis: sed quia alibi discutiam illam Controuersiam; ego me accingo ad alia Euangelia decurrenda.

Hæretici bellè figurati in mulis & equis.

S. Athan. in vita S. Antonij.

FERIA

FERIA SECVNDA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT ſunt textus literaliter expenſi iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. CVM venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Matth. 25.

II. Et congregabuntur ante eum omnes Gentes.

III. Et ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.

IV. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.

V. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.

VI. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens Rex, dicet illis.

VII. Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

VIII. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris eius erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiù non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

IX. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius paragraphi exquiſitè enucleant textus Euangelij recenſiti.

§. I. *BIDVO ante Paſſionem ſuam Chriſtus hunc ſermonem texuit de gloria, qua rutilus apparebit in die iudicij, ne Apoſtoli videntes corpus eius inglorie acceptum, ſputis & ſanguine conſpurcatum, exciderent ea fide, quam conceperant de ipſo, eo intento recolentes maieſtatem corporis ſui glorioſi, quam Paſſione ſua mercatus eſt.*

§. II. *In argumentum gloriæ ſuæ Angelis vtetur vt miniſtris, ad congregandos cineres omnium hominum, vt iis compactis ad figuram humanam fiant omnes homines rediuiui, ab iiſdem Angelis ſiſtendi Chriſto Domino ſedenti in nube pellucida.*

§. III. *A cuius dextris erunt Beati, realiter diſcreti à reprobis, miniſterio Angelorum.*

§. IV. Vt autem constet, præcipuam causam prædestinationis Beatorum esse bonitatem Dei, & non eorum merita præuisa, vocat eos benedictos Patris sui: quasi diceret, eos vocari in partem regni, quia ab æterno benedicti sunt à Patre.
§. V. Cuius tamen benedictio seu prædestinatio æterna, suum non sortietur effectum in adultis, sine bonorum operum praxi, comite charitate.
§. VI. Illa tamen praxis non est iustis argumentum superbiæ, sed humilitatis, cuius est gloriam Dei pro suo modulo propagare.
§. VII. Nimirum in Dei decus & gloriam redundat omne quod fit eius intuitu.
§. VIII. Beatis ita benè acceptis à Deo, reprobi congruas accipient sortes vtique malas, quas ipsi mali æterno suo malo malè confecerunt. Vnde Iudex non eos vocat maledictos Patris sui, sed simpliciter maledictos, Vt pessimos artifices sui, maledicti.
§. IX. Quod æternum sortietur effectum in gehenna, quæ erit intermina, sicut ex aduerso gloria illa erit sempiterna, qua beatæ mentes in gloria dignabuntur.

PRÆFATIVNCVLA.

Prælegenda, vt constet de intento Auctoris.

ESto deinceps agam expositorem literalem Euangeliorum, & præcipua laus commentatoris sita sit in assequenda mente Auctoris operum quæ expendit; hoc tamen non obstat, quin interpres Euangelij, expeditâ literâ, non possit interere aliqua moribus excolendis, ea saltem cautione, vt alij sensus non sua mole grauent paginas pertinentes ad sensus literalis anatomen. In hoc ego discrimen impegi discutiens quatuor prima Euangelia Quadragesimæ. Nempe aperto cortice literali ita spatiatus sum in sensu morali, & sic me effudi in controuersias emergentes, vt quatuor illa Euangelia maximam huius Tomi partem conficiant. Non idcircò tamen credo fore iniquos Lectores meos præmonitos, materias illic à me agitatas, esse præcipuas in argumento morũ: nimirum fusè ago de floccipendio mundi, & de morte instante. Multus sum in detestanda seruitute peccati, & extollenda sorte seruorum Dei. Segetem vberrimam demeto ad insinuandam iniuriarum obliuionem. Pluribus argumentis commendo ieiunium, & in his quæ ad controuersiam pertinent, salebrosas dirimo difficultates, quas Bellarminus ipse implexas præterijt.

Parcior ero decurrens alia Euangelia, vbi præcipuum scopum præfigo mihi sensum literalem, ne alius videar ab eo quem propono edens accuratum Commentarium in Euangelia, quæ tamen ita literaliter absolutè rimabor, vt semper adiiciam exquisita quædam & non peruulgata in gratiam morum, ne quid hiulcum desideret Momus in hoc opere tessellato, id est, multa rerum varietate satis congruè dispertito.

***

SENSVS LITERALIS.

Non ea maiestate qua Deus est, Christus apparebit in die iudicij, sed ea quam meruit humilitate sua.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate suâ & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

§. I.

CONIECTVRA PRIMA.

EX RATIONE.

INdubium editurus argumentum infirmitatis humanæ Christus Dominus, sic suos affatus est discipulos: *Quis vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Luc. 12. Quasi diceret, non esse hominis assurgere ad arbitrium suum, sed status vnicuique vices esse à Deo rerum omnium Domino præstitutas, quas præterire nefas. Ab hac imbecilla hominum sorte seipsum hodie excepit Christus: is namque recolens extremum iudicij diem, cogitando apparatum illum, quo stipatus aduenict, adiecit plusquam cubitum ad staturam suam, commemorans maiestatem, quæ omnium hominum Iudicem decet. Ad coruscos maiestatis huiusce radios caligauit acies oculorum Remigij, arbitrati maiestatem illam Iudicis esse diuinitatem eius. Sic ille: *Maiestatem appellat diuinitatem, qua æqualis est Patri, & Spiritui Sancto.* Remigius in Mat. c. 25. Hanc ego sic tergo caliginem Remigij. Christus ea se maiestate prodet, qua videri possit ab omnibus, qui debent vtrâque Iudicis sententiâ recenseri. Sed maiestas increata seu diuinitas non erit omnibus iudicandis obuia, iuxta illud Isaiæ, animam reprobam perstringentis: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Isai. 26. Cùm ergo reprobi visuri sint maiestatem Iudicis; profectò hæc maiestas non erit diuinitas, vt vult Remigius, sed præmium quod Christus humilitate sua promeruit: quippe licet ex Theologia Christus non meruerit sibi aliquod gratiæ augmentum, quia ipso momento conceptionis eius, tota in eum influxit gratiæ plenitudo; in confesso tamen est apud omnes etiam Theologiæ candidatos, Christum Passione sua meruisse corporis sui gloriam & decorem, cuius generis est maiestas illa, quam ipse meminit hoc contextu, quem expendo, concludens maiestatem illam esse dotem creatam, & affixam Christo pro dignitate, qua eum Deus affecit, illum constituendo Iudicem orbis vniuersi, vt ipsemet ait hoc contextu: *Neque Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium.* Ioan. 5.

Quare Christus Iudex non apparebit in maiestate sua increata.

Ex THEOLOGIA. Thom. 3. p. qu. 19. a. 3.

Rursus diuinitas non potest videri ab homine, nisi obsequio luminis gloriæ: at hoc lumen inuium est impiis, vtpote beatis tantùm mentibus affulgens: Ergo gratis Remigius ait maiestatem illam

illam Iudicis fore diuinitatem eius; cùm de maieſtate Iudicis ſit vt videatur ab omnibus, ad quos porrigitur eius auctoritas. Vnde cùm ſit æquè Iudex impiorum, & iuſtorum, & ab vtriſque videri debeat; eſt aſſignanda maieſtas peruia cunctis hominibus; illa vtique, quam meminit ipſe Dominus aſſertor huius maieſtatis, cuius ſumma erit omnium Angelorum præſentia circumcingens tribunal lucidum Iudicis incorrupti. Vt autem adſtantes Angeli appareant, ille ſeſe ſpecie corporea in conſpectû dabunt; hoc namque pertinet ad ſenſibilem Iudicis maieſtatem, qui pellucidis nubibus inſidebit. Nota, ſeſſionem Beatorum non dicere grauedinem corporis fatigati; corpora nempe Beatorum neſcia ponderis haudquaquam deorſum inclinant, ſed pro rei cuiuſque dignitate ſitum variant. Verbi gratiâ, Chriſtus adiuuans partes Stephani in ſupremo agone poſiti, viſus eſt ſtans, quia ſtatus ille eſt hominis adiuuantis. Aſt vbi decernenda erunt præmia & ſupplicia in die iudicij, tunc ſedebit, quia ſeſſio ſpectat ad Iudicem. Iudicis huius thronum fore nubem, & non quidpiam aliud, multis adſtruitur. Primò ipſa ſapientia ſui tribunalis artifex, nullum aliud ſibi effinxit eo libro, quo ſuppellex ipſius ſapientiæ deſcribitur. Ita Dominus ipſe ſuum thronum inſtituit: *Thronus meus in columna nubis.* Secundò Chriſtus in cœlum euectus die ſuæ Aſcenſionis, à nube ſuſceptus eſt, & eomet temporis articulo Angeli adſtantes dixere Apoſtolis, eumdem Dominum rediturum eodem habitu. Ecce textum. *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Cùm itaque ad gloriam Aſcenſionis adfuerit nubes eum ſuſcipiens, & debeat idem Dominus eadem eſſe gloriâ conſpicuus in die iudicij; aderit & nubes futura thronus Iudicis illi ſolio inſidentis.

Quare corpora Beatorum ſtent aliquando, & quandoque ſedeant.

Sedes Iudicis in die iudicij erit nubes pellucida.

Eccl. 24.

Act. 1.

Illa tamen nubes lucida iuſtis, erit quaſi opaca reprobis, quibus omnia nigricabunt vt cum Sol ad arbitrium Ioſue ſtetit, in gratiam filiorum Iſraël perſequentium Amorrhæos, Iſraelitæ aſpirante victoria gratam habuere lucem illam, egregij ſui facinoris obſtetricem. Sed Amorrhæi fugientes ſtupuere prodigium Solis immemoris moliti ſibi gyri, quo inclinat ad occaſum. Nec obſtupuere modò Amorrhæi ad diem hanc protractam; ſed horruere lucem illam maleficam ſibi, quia eius obſequio deſæuiens mucro victoris ipſos Amorrhæos internecione demetebat. Ita Chriſto Domino in Iudicis habitum compoſito, & diſcutiente hominum facta, maieſtas eius erit perquàm grata & coruſca bonis, ſumentibus inde partem ſuæ beatitudinis: at ſecus illa omnis pompa cruciabit impios, quibus attonitis & malè conſciis omnia tenebreſcent. Sic vna eademque gloria rutila iuſtis, erit velut opaca malis, ad quos pertinet iſta deſcriptio tribunalis Chriſti: *Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Diſpares autē fore effectus gloriæ Iudicis, quæ neminem latebit, idem Pſaltes enuntiat, dicens fore gloriam illam argumentum lætitiæ Beatis, & contra inde iniquorum capita confundenda. Sic ille: *Annuntiauerunt cœli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui glorianter in ſimulacris ſuis. Adorate eum omnes Angeli eius, audiuit & lætata eſt Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.* Vide infrà in ſenſu Morali luculentam expoſitionem huius textus.

Quæ lucida erunt iuſtis, illa reprobis erunt ſuboblcura.

Ioſue 10.

In die iudicij Maieſtas iudicis recreabit bonos, vt ſecus cruciabit impios.

Pſal. 96.

Ibidem.

SENSVS LITERALIS.

Maieſtatem, qua coruſcus apparebit index, non eſſe diuinitatem, ſed gloriam corporis Chriſti.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.

CONIECTVRA SECVNDA

EX LINGVIS.

Specie coruſcante ignis pellucidi diſpertitæ quondam linguæ inſederunt Chriſti diſcipulis, antequam Scripturæ ſanctioris pangerēt oracula, eo arcano Deo præmonente omnes interpretes Scripturæ ſanctæ linguas diſpertitas in varias orbis oras, Hebræam ſcilicet, Chaldæam, Syriacam, & Græcam, multum lucis adſerre ad intelligentiam textus ſacri, qui cùm vario & diſpertito idiomate proſtet, ille incongruus eſt interpres Scripturarum, qui non eſt abundè tinctus notitiâ linguarum, quas conſuluere ſemper Patres Sancti, ſiquando vulgata editio Latina tenebras offunderet. Hunc fuiſſe morem ſanctiorum Patrum vide in præfatione huius tertij Tomi, vbi ex profeſſo probo quanti ſit momenti callere linguas ad penetranda penitiora quæque arcana Dei, quandoque variis textibus inuoluta. Plerique alioquin docti, ſed in hoc genere imperiti, vt ſuam ſolentur ignorantiam, faſtidiunt indaginem illam ſenſus literalis petitam à diſpertitis linguis, cauſantes illud ſcrutinium ſubolere delirium Rabbinorum, qui fidei ſuæ præcipuam partem refundunt in literas, & apices dictionum. O ſtolidum pecus! ô pectoris opaci nequitiam non ferendam! Quaſi verò fas ſit carpere quod ignoras, hocque vnum ſit vitium linguis, quòd earum peritia fugiat imperitos.

Principes linguas conſulere in his quæ pertinēt ad intelligētiam Scripturæ ſacræ magnam lucem adſerre.

Quàm ſtolidi ſint hi qui carpunt linguarum notitiam.

Ne videar extra lineam diſcurriſſe, ô lector, adſtruendo fidem linguarum, vide quàm proficua ſit docta hæc ſupellex, exemplo textus quem expendo contra Remigium aliàs nobilem interpretem octaui ſæculi. Ait ille, iudicis maieſtatem poni pro diuinitate: hanc ego ſententiam expunxi proxima coniectura, ſuperinducens ſenſum meum, qui adſtruit, maieſtatem eo loco ſignificare gloriam illam, quæ Chriſti Domini corpus conſequitur: ita vt maieſtas in propoſito verſu perinde ſit ac gloria. Huic meæ veridicæ ſententiæ concinunt omnes linguæ, quarum dialecto concluditur ſacer textus. Prior lingua Hebræa occurrit. יבא בן האדם בכבודו *iabo ben haadam bicbodo. Veniet filius hominis in gloria.* Vox namque בכבודו *bicbodo* perinde eſt ac gloria, nec tamen maieſtatem ſignificat. Etenim no-

Probatur concluſio Ex LINGVIS. HEBRÆA.

men בכוד *cabod* gloriam sonat, à radice כבד *cabad*, id est, gloriari. Est autem hæc differentia inter maiestatem & gloriam, quæ inter absolutum, & relatiuum: nimirum maiestas regiam quamdam excellentiam dicit in subiecto, quod afficit, etiamsi nemini pateat hæc maiestas; gloria verò secus dicit respectum ad alios, quibus eminentis alicuius hominis dignitas innotescit: siquidem, gloria est clara notitia meritorum alicuius cum laude, ideoque potest tacita preteriti maiestas ea stante, sed non gloria, quia illa haud quaquam, elinguis est, vtpote affecta encomiis, quibus gloriosi hominis merita propalantur.

Quæ sit differentia inter maiestatem & gloriam.

Syriaca.

Huic descriptioni suum opportunè suffragium adiicit versio Syriaca, quam accipe בשרוהי מא דאתאדרין ברה דאנשא *mequatbe den berech denascho beschunecheh. Cùm venerit autem filius hominis in gloria sua.* Dictio Syriaca בשובחה *beschunecheh, in gloria sua*, deducitur à radicali, שבח *schabach*, quæ apud Chaldæos & Syros perinde est ac laudauit, glorificauit, encomiis celebrauit, hymnodiam dixit, vt refert Guido Fabricius recensens hæc omnia significata. Ab hac radice velut surculus emergit dictio Syriaca שובחא *schubecho*, quam vsurpauit textus Syrus præposita præpositione, & adiecto suffixo. Nomen autem illud significat, gloriam, laudem, & encomium. Vnde ex textu Syriaco, Christum venire in gloria sua perinde est, ac Christum venire stipatum Beatis, effusis in hymnos & encomia Domini iudicantis.

Chaldæa

Guido Fabricius in Lexico Syror. Chaldaico שבח *schabach.*

Non est itaque aspernandum linguarum suffragium, vnde lumen affulget propitium illis, qui cæcutiunt in densa caligine Scripturarum. Suum etiam calculum adfert lingua Græca resonans gloriam, hoc contextu Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ. *Cùm autem venerit filius hominis in gloria*; δόξα gloriam significat, vt Græcis suppetunt aliæ dictiones, quæ maiestatem significant, quales sunt, σεμνότης, μεγαλειότης, vt Hebræis maiestas est, הוד *hod*, & Syris æquè ac Chaldæis vox, הדרא *hadro*, maiestatem sonat. Concordi igitur omnium linguarum, suffragio, Iudicis maiestas non erit diuinitas eius, sed gloria consequens beatam humanitatem Christi, cui tunc à beatis mentibus applaudetur.

Græca.

SENSVS LITERALIS.

Christus Passione sua mercatus est gloriam illam, qua in die iudicij recreabuntur iusti, dum territi eo fulgore impij percellentur.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

CONIECTVRA TERTIA.

Ex SS. Patribvs.

SPeculatoribus in edito loco constitutis, nemo est qui non fidem adhibeat, siquando præmoneat instare quidpiam fausti aut sinistri. Quidni & nos creduli assentiemur Patribus Sanctis explicantibus seriem iudicij extremi? Hi nempe positi in culmine sanctitatis, inde assidua meditatione speculantes omnia, quæ pertinent ad gratiæ Dei incrementum, nihil reliquere illibatum ex mysteriis fidei nostræ, vt inde quidpiam adiicerent pristinæ sanctitati. Hinc frequens apud eos commemoratio diei huius, in quo fiet exquisita, discretio meritorum. Profectò illi emeriti Patres, crebrò recolentes hanc supremam mundi catastrophen, à Deo dignati sunt lumine singulari, cuius præsidio multa, illis patuere arcana, aliis omnino mentibus inaspecta. In his prior occurrit Hieronymus, cui adeò familiaris fuit meditatio iudicij, vt crediderit, tubam Archangeli conuocantis homines ad iudicium, suis semper auribus insonare. Doctissimus ille, interpres Scripturarum, sæpe meditatus gloriam Iudicis, non cunctatur affirmare, eam aliud omninò esse à diuinitate Christi, affirmans illam maiestatem esse veluti stipendium Passionis ingloriæ, quam saturatus opprobriis erat biduò post subiturus. Et reuera arbitror Christum se accingentem ad supremum agonem suum texuisse hunc sermonem de gloria sua vt rescirent discipuli, corpus suum fore rutilum aliquando, licet post biduum viderent illud sputis, luto, & plagis pluribus indecorum. Quasi diceret: Cauete, ô filioli sequaces mei, ne imbecilla fides vestra nutet, impetita probris quæ me manent pridie sabbathi instantis. Esto liuore Iudæorum facies mea futura sit liuida, hoc mementote, me fore coruscum in die iudicij, vt fides vestra nutrita radiis futuræ huius gloriæ non dehiscat. Audiendus in eo argumento Hieronymus ita fatus: *Post biduum pascha facturus, & tradendus cruci, & illudendus ab hominibus, & aceto ac felle potandus, rectè præmittit gloriam triumphantis, vt secutura scandala pollicitationis præmio compensaret. Et notandum, quod qui in maiestate cernendus est, filius hominis sit.* Hæc ille.

Quatenus credendum sit Patribus explicantibus seriem iudicij extremi.

Familiaris fuit, Hieronymo meditatio iudicij extremi.

Ex SS. Patribvs.

Hieron. in cap. 25. Matth.

Iudicij sermonẽ quatenus Christus texuit biduo ante Passionem.

Nonne præierat Apostolus, dicens Christum in gloria exaltatum, quia fuit obediens vsque ad mortem crucis. Ecce oraculum. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Spiritu Sancto recludente qualitatem gloriæ, quam Christus Passione sua sortitus est, nullus superest ambigendi locus. Non desunt aliorum Patrum sententiæ coëuntes in meum intentum, & confirmantes, gloriam illam esse veluti stipendium Passionis Christi. Accipe Chrysostomum mihi concolorem hoc tenore. *Crebro gloriæ meminit, quoniam crucis tempus iam aderat, quæ res maximo probro habebatur: quocirca extollit auditorem, ac erigit; & ante oculos ipsum iudicium ponit, & vniuersum orbem coram se sistit.* Concordat Hilarius, & quasi effictus ad arbitrium meum ita fatur: *Post sermonem, quo se venturum in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum se esse admonet, vt sacramentum crucis admistum esse gloria æternitatis agnoscerent. Sumitur inter hæc perimendi eius à Iudæis consiliũ, & congregatis principibus sacerdotum, occasio tanti facinoris expectatur.* Hæc ille appositè ad contextum sermonum Christi, qui post sermonem de pompa & maiestate iudicij, subiecit seriẽ Passionis suæ, cuius acerbitatem lenire voluit illo præambulo gloriæ suæ in die iudicij reuelandæ.

Chrysostom. homil. 80. in Matth.

Hilarius Canone. 28. in Matth.

Hanc

Hanc descriptionem Passionis excepisse sermonem de iudicio, liquet ex contextu Euangelij, vbi scriba sacer, expleta narratione districti hu-

Matth. 26.

ius iudicij, ita pergit: *Et factum est, cum consummasset* IESVS *sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; & consilium fecerunt vt* IESVM *dolo tenerent, & occiderent.* Ne igitur mentione iniuriarum, quæ instabant; fides discipulorum in discrimen incurreret, condiendus fuit ille amaror Passionis, commemoratione gloriæ, quam erat Christus illo agone aspero mercaturus. Eamobrem miror quomodo Euthymius & Glossa ordinaria errarint adhærentes Remigio explicanti maiestatem Iudicis de diuinitate. Sic enim

Euthymius in Matth. 25.

commentatur Euthymius: *Suam gloriam dicit, qua Deo propria.* Glossa verò ordinaria sic ex-

Glossa ordinar. ibidem.

pendit locum illum: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua; in diuinitate, qua iudicabit, qui priùs venit in humilitate.* Lyranus ab hac Glossa deuiante recessit, explicans maiestatem illam Iudicis de forma gloriosa corporis

Lyranus in Matth. 25.

Christi. Sic ille: *In maiestate sua; quia tunc apparebit in forma hominis gloriosa, qui in primo aduentu apparuit in forma passibili, & infirma.*

Vnde deriuetur vox illa, maiestas, Maiestas iudicis futura solatio bonis, & tormento reprobis.

Quare autem vulgata editio gloriam illam comparatam angustijs & ærumnis Passionis, explicet nomine maiestatis, arbitror esse petendum ex etymologia nominis. Nempe maiestas dicitur, quasi maior status: ideoque nemini infra Reges conceditur illa tessera maiestatis. Cùm ergo humanitas Christi in gloria sortiatur Dei vices, decernendo gloriam iustis, & supplicia æterna reprobis; maior ille status Christi iudicantis, congruè effertur nomine maiestatis, quæ reuera dispares omnino sortietur effectus, vtpote futura bonis solatio, & tormento reprobis; vt expendit Hiero-

Hieronym. in Psalm. 49.

nymus: *Ignis* (inquit) *in conspectu eius ardebit. Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem. Illuminat enim, & exurit. Gaudeant iusti, quia illuminantur ex eo. Timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo. Et in circuitu eius tempestas valida, quæ flagellat & corripit peccatores, triticumque secernit à paleis.* Dispar Beatorum & iniquorum sors, eos etiam diuersimodè afficiet, Christo suam explicante gloriam: sicut enim Dei prodigia edita in Ægypto, fuere grata Hebræis eodem temporis articulo, quo ingrata Ægyptiis totam illam plagam duriùs exceperunt; ita gloria illa Christi Iudicis recreabit iustos, & impios simul censura aspera castigabit.

Idem lib. 2 in c. 3. Habac.

Concinit Hieronymus: *Quomodo* (inquit) *in Exodo, quando percussa est Ægyptus, & percussit Deus vineas eorum, & ficulneas eorum, & occidit primitiua hominum, & iumentorum, & Ægyptiis fruges locusta bruchusque consumpsit; ficus in Ægypto non attulit fructum, nec erat germen in vineis, mentiebatur opus oliuæ, & arua non dabant cibum, non erant ob id armenta in præsepibus, populus autem Israël exultabat in*

Egregiis figuris ostenditur quomodo gloria Christi Iudicis erit solatio bonis, & tormento reprobis.

Domino, & gaudebat in Deo salutari suo. Sic in consummatione mundi, quando multiplicata iniquitate refrixerit charitas, & ficus non attulerit fructus, & vinea non habuerint vuas, tunc quicumque iustus & electione Dei dignus fuerit inuentus, loquetur exultans: Ego autem in Domino gaudebo, Dominus Deus fortitudo mea. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem, scribam canticum triumphantis, sumam citharam. Hæc ille, eximia figura dispescens discordes bonorum & impiorum hominum status. Hieronymo præluxerat Origenes, dum expendit disparia Hebræorum & Ægyptiorum fa-

Origen. hom. 3. in Psal. 36.

ta: *Sicut* (inquit) *ad mare rubrum venerunt Hebræi, venerunt & Ægyptij; sed Hebræi quidem transierunt mare rubrum; Ægyptij autem demersi sunt in ipso: hoc etiam modo nos, siquidem Ægyptij sumus, & sequimur Pharaonem diabolum, præceptis eius obedientes, demergemur in illum fluuium, siue lacum igneum, cùm inuenta fuerint in nobis peccata. Si autem sumus Hebræi, & sanguine agni immaculati sumus redempti, ingredimur quidem fluuium ignis: sed sicut Hebræis erat aqua dextrà læuâque; ita etiam ignis erit murus.*

Diuersos etiam hominum affectus decurrit

August. in Psal. 25.

Augustinus sic discurrens: *Quando illi confundentur, illi exultabunt in aduentu Domini Dei nostri, cùm venerit ferens in manibus retributiones, damnationem impiis, regnum iustis, societatem cum diabolo iniquis, societatem cum Christo fidelibus. Quando ergo hoc ostendit? quando stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Illi autem dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt ista omnia tamquam vmbra, & tamquam nuntius præcurrens, & tamquam nauis, qua pertransiit fluctuantem aquam. Et quid dicant de iustis? Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est! Tunc erit dedicatio domus, quæ modò in tribulationibus fabricatur. Tunc rectè dicet populus ille: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me; nec delectasti inimicos meos super me.*

Quare gloria Iudicis dispares sortietur effectus in iustis, & impiis.

Non est hic incongruum vulgare id effatum, quo dicimus, vnumquemque iudicare sicut affectus est: reprobi namque malè affecti erga Christum, vtpote fœdifragi, exosam habebunt gloriam Iudicis accincti ad eorum crimina castigãda; Iusti verò, qui olim sese totos composuerant ad arbitrium Dei, & præstituere sibi gloriam Dei in scopum, ea demũ illucente in die iudicij, impensè gestient eius intuitu, erga quam benè semper affecti sunt, pro suo modulo gloriam Christi Domini procurantes. Itaque bonis erit vberrima collætandi seges, Christo rutilanti aspectu; sed re-

Maiestas corporis Christi in die iudicij, erit præmium Passionis.

probis erit multiplex argumentum tristitiæ: nimium olim hoc vnum sibi indixere pensum, vt Christo iniuriam facerent, eius obsequia detrectantes, & quantùm per eos stetit, Passionis eius ludibria renouantes. Cùm ergo Christi Iudicis gloria redundans ex corpore rutilo sit velut auctoramentum, id est, stipendium Passionis, gloria illa irradians sugillabit impios, quasi ingerens opprobria ab eis perpessa, quibus mercatus est corporis sui immortale decus, & gloriæ claritatem, vt supra recensui auctoritate Patrum, qui censuere, Christum instante Passione sua sermonem habuisse de maiestate sua explicanda illo die extremo, vt vel sic innueret, hanc gloriam esse veluti præmium Passionum.

Patribus antea recensitis adiice & Hugonem Cardinalem, cuius ecce sententiam. *Eleganter postquam præmisit de aduentu suo in maiestate, subdit de Passione, quam sustinuit ex summa*

 humilitate,

humilitate, coniungens gloriam æternitatis merito Passionis, vt effectum causæ. Passionis enim effectus vel causa finalis, est gloria æternitatis. Hæc ille.

SENSVS LITERALIS.

Beneficio Angelorum omnia hominum capita sistentur Christo Domino iudicanti.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

§. II.

CONIECTVRA I.

EX RATIONE.

Origenis error familiaris in exponendis Scripturis.

EST deploranda sanè sors iniqua humani ingenij, quantumuis etiam perspicacis: nemini namque concessum est inoffenso pede decurrere, imò quandoque deterior deprehenditur lapsus, vbi prodiga naturæ manus se totam effudit. Huius miserandi status specimen infaustum edidit Origenes, qui alta nimis sapiens expendendo Scripturam sacram, fastidiit vtplurimum literalem sensum, affingens textui sancto commenta à Spiritus Sancti intento penitus aliena. Huius generis est illa sententia eiusdem interpretis, arbitrantis non fore localem hominum congregationem in die iudicij; sed esse illum locum mysticè recensendum. Sic ille: *Non localiter intelligamus, quòd congregabuntur ante eum omnes gentes; sed quia iam non erunt dispersa in dogmatibus falsis & multis de eo. Manifesta enim fiet diuinitas Christi, vt non solùm nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret. Non enim in aliquo loco apparebit Filius Dei, & in altero non apparebit, sicut ipse secundùm comparationem fulguris voluit demonstrare. Quamdiu ergo iniqui nec se cognoscunt, nec Christum, vel iusti per speculum in ænigmate vident, tamdiu non sunt segregati boni à malis. Cum autem propter manifestationem Filij Dei omnes ad intellectum venerint suum, tunc Saluator segregabit bonos à malis.* Hæc ille, proculdubio hallucinans in eo quòd non vult intelligi, localiter congregandos homines ante tribunal Christi: sic enim adimit fidem omnem dictis Christi, qui literaliter intelligi debet, quando citra parabolas aliquid enuntiat gestum aut gerendum. Stante delirio illo Origenis, Christus imponeret nobis, factâ illâ exquisitâ anatome partium & actuum huius tragœdiæ, cuius exitus est exitium omnium hominum impiorum. At dicere, Christum aliquid eloquendo, tale fecisse, blasphemum est. Ergo prout sonant verba textus, ita sunt excipienda fide indubiâ, ac proinde fides est adhibenda Christo asserenti Gentes omnes congregandas, vt sistantur Iudici, æterna hominibus supplicia aut præmia decernenti.

Origen. tract. 34. in Matth.

Quare literaliter sint intelligenda verba Christi de die iudicij.

Quare Deus vtetur ministerio Angelorum in die iudicij.

Sit itaque hæc prima conclusio pertinens ad sensum literalem. Angelorum ministerio congregabuntur omnes, qui aderunt illis comitiis toti humano generi indictis: Ille enim Deus, qui hoc vniuersum moderatur, conductis Angelis ad gyrum cœlorum, & ad custodiam hominum, non illis insciis concludet totam mundi historiam in supremo die iudicij consummandam: quippe ad ministerium Angelorum pertinet illud supremum officium congregandi homines ad iudicium; siquidem sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, in gratiam hominum, quos Deus edidit ad hæreditatem æternam adeundam. Præterea homines mortui non poterunt suos cineres dispersos orbe toto colligere, vt adunatis illis corporum exuuiis, iidem homines in pristinam formam postliminio inducti, denuo coalescant. Est itaque decernenda illa prouincia Angelis, quos Deus assumpsit vt ministros arbitrij sui.

Historiæ quibus adstruitur ministerium Angelorum in die iudicij.

Gen. 19.

In figuram præstandi huius obsequij ab Angelis, Deus exterminare volens Sodomitas, duos Angelos misit, qui congregarent familiam Lot, vt seorsim eam reponerent, antequam flamma vindex in illa obscœna corpora desæuiret. Angeli item obsequio primogenitos Ægypti gladius vltor abstulit, vt & vitio Dauidis populus occubuit Angelo castigante. Nonne & alter Angelus numerosas acies Regis Sennacherib multo sanguine cruentauit? Res igitur indubia est, Deum in iudicio vniuersali hominum, vsurum obsequio Angelorum, quos frequenter adhibuit castigare volens aliquas mundi plagas. Sed quid commemoro veteris historiæ monumenta, cùm Scriptura recentior illud enuntiet eo textu, quo rerum gerendarum in die iudicij series explicatur. Christus enim ita fatur, explicans quo contextu fiet illud iudicium: *Plangent* (inquit) *omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maiestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summo cœlorum vsque ad terminos eorum.* Audis à Christo mittendos Angelos; nullus est ergo locus ambigendi, quin illa missio decernatur ad congregandos homines sistendos tribunali Iudicis. Idipsum ingerit Paulus isto breuiloquio: *Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Illa iussio Angeli conuocantis mortuos perinde est, ac congregatio mortuorum facta ab Angelis, quorum erit trifariàm homines congregare. Primò congregabunt cineres dispersos. Secundò congregatos hos cineres aptabunt in hominum formam, in quam Deus inducet animam, qua reduce resurget homo, deferendus statim ab Angelo suo custode in locum à Christo Domino præstitutum.

Matth. 24.

1. Thess. 4.

Angelorum triplex officium circa corpora suscitanda in die iudicij.

Nota, alternante natura rerum omnium vices, multa corpora humana subiisse plures formas, stante tamen eadem numero materiâ. Verbi gratiâ, corpora concremata abiere in formam ignis, quo extincto forma aëris induit illam materiam, & ille demum aër ventilatus & rarior effectus, euectus ad sphæram ignis, accensus est: ideoque aliquorum corporum materia erit congreganda à summo cœlorum, quia ei adiecta est forma ignis, omnia infra cœlos corpora transcendentis. Aliorum vero corporum submersorum materia formam aquæ subiit, quæ densior effecta, ac proinde deorsum vergens subsidit in abyssis: sic erunt ab extremo terræ illa corpora reuocanda. Ad hoc vtetur Deus industria manu Angelorum, qui in Verbo vident omnia quæ pertinent ad obsequium quod ab ipsis exigitur. Nota, custodiam Angelorum dare eis ius in homines, donec sint in termino:

termino: At homines rediuiui non erunt in termino, donec nacti sint locum eis à Christo Iudice præfigendum: Ergo operæpretium est, Angelos exercere aliqua munia circa illa corpora rediuiua. Nec vllum video patere locum instantiis in re adeò pellucida.

Beati prius resurgent quàm reprobi.

Rursus aduerte, Angelos auspicaturos istud officium ab electis, vt à dignioribus; miserationes namque Dei præeunt operibus sonantibus vltionem. Idcirco laturus sententiam Iudex primò compellabit beatas illas mentes, & has brauio congruo dignabitur, antequam conterat impia capita reproborum. Fauet Apostolus prælibato versu. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Nemo sanus dixerit, damnatos esse mortuos in Christo. Et esto dos agilitatis competat corpori Beatorum ab ipsa motula resurrectionis, ac proinde queant ad arbitrium suum moueri; credo tamen illa corpora ab Angelis euehenda sursum obuiam Christo. Primò ad maiorem gloriam Beatorum, quorum triumphi species erit augustior, si ab Angelis efferantur. Secundò, vt prælibaui, ad curam Angeli custodis pertinebunt adhuc illa corpora suscitata, donec sint suum sortita locum: quod enim Theologi dicunt, custodiam Angelorum finiri in morte cuiusque hominis, hoc debet intelligi de anima, quæ reuera in morte suum sortitur iudicium, quo accepto custodia Angeli feriatur.

1. Thes. 4.

Angelorum custodia extâ porrigitur in corpora rediuiua.

Fore rediuiua corpora Beatorum ante corpora reproborum, Christus ipse liquidò enuntiat hoc sermone reserante seriem iudicij: *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius.* Electos ibi tantùm commemorat, vt primos, ad quos Angelorum obsequia porrigentur: hoc tamen nequaquam obstat, quin reprobi omnes etiam congregentur. Vox enim, gentes, concludit omne hominum genus, ita vt neque vnus tantùm homo desit illis comitiis: alioquin non esset iudicium generale, si non pertineret ad omne hominum genus. Accedit sacra auctoritas Scripturæ veridicæ, vbi Ioannes præscitus arcanorum Dei, ita enarrat: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* At si quis inde abesset, dubiam faceret fidem dicti huius; siquidem tunc non omnis oculus eum videret: Adiice hoc, Pauli effatum: *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Præterea eadem est ratio resurrectionis, & iudicij: At de fide est omnes surrecturos: Ergò & omnes sistentur Christo Domino iudicanti, ad cuius integram gloriam pertinet, vt flectatur ei omne genu, quod tamen non esset, si quispiam effugeret illud iudicium.

Matth. 24.

Nemo planè aberit ab illo iudicio.

Apoc. 1.

Rom. 14.

SENSVS LITERALIS.

Ministerio Angelorum sistentur omnes Iudici.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Angelis esse demandatâ prouinciam

LOcalis hominum congregatio negata ab Origene, arbitrante spiritualiter esse intelligendum textum illum, qui sonat congregandas ante iudicem omnes Gentes. Localis inquam illa congregatio in dubium reuocata, me obstringit ad congreganda argumenta, quibus conglomeratis rationibus adstruam genuinum sensum textus, quem literaliter explico de cura demandata Angelis, vt colligant omnes hominum reliquias, vt illis assequutis hominum formam, denuo coalescant corpora rediuiua. Potuisset quidem Deus seipso solo in instanti totam illam historiam concludere, sed satius esse duxit adhibere obsequium Angelorum, ideoque modus congregandi homines non effertur voce actiua, sed passiua. Non enim iste tenor est historiæ recensitæ: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, congregabit omnes Gentes; quod tamen fuisset explicandum, si Iudex ipse sua potestate tantùm, omnia hominum agmina conuocaret. Sed quia Angelos adsciuit ad illud ministerium, sacer ille textus adhibet passiuum verbum. Congregabuntur (inquit) ante eum omnes Gentes. Lingua Hebræa accuratiùs explicat. Angelis esse indictam illam prouinciam congregandi homines. Accipe sacrum idioma propitium conclusioni meæ, titulo recensitæ. ויקבה לו לפנור כל גוים *vesakeb lo lephanau colgoim. Et faciet congregare ante se omnes Gentes.* Alibi præmonui, Hebræos habere coniugationes, quibus effertur modus actionis significatæ verbo quod tunc inflectitur. Verbi gratiâ, si actio perfunctoriè fiat, exprimitur congruè adhibitâ coniugatione primâ, quam vocant *Kal*, id est, leuem. Si verò alius adhibeatur ad faciendum opus, quod notatur verbo, tunc adhibebit coniugationem *Hiphil*, vt in proposito textu vox, ויקבה *vesake*, idem sonat, ac congregare faciet: nimirum est futurum verbi *Hiphil* à radice, נקה *nakah*, quæ multa significat, vt mundare, vacuum esse, absoluere, & ex Rabi Salomone, congregare, cui נקה *nakah*, & קוה *Kauach* sunt verba synonyma.

Ex Lingvis. Hebræa.

Pulchra animaduersio Hebræa ad confirmandam auctoris sententiam.

Sensus itaque textus Hebræi vsurpantis coniugationem *Hiphil*, iste est: Iudex aliis demandabit curam congregandi eos, qui purgati sunt, & mundati, sicut & eos, qui vacui sunt meritorum; iustos scilicet, & impios. Itaque peregrina est illa sententia, quæ refellit, homines esse localiter congregandos. Versio Syriaca concolor est textui Hebræo, vt & Latino. Accipe idioma Syrum. ומתכנשת קדמוהי כלהון עממא *venethcanneschum Kadmauhi cullehum ngamme. Et congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Vox illa Syriaca, ונתכנשון *venethcanneschum*, *& congregabuntur*, deducitur à voce, כנש *canasch*, quæ Syris, Chaldæis perinde est, ac colligere, & congregare; ita vt sensus Syriaci textus adæquatè sumpti sit iste: colligentur, & congregabuntur ante eum omnes Gentes. Congrua equidem est, & veridica explicatio illa verbi כנש, quod Guidone Fabricio teste, duo significat, videlicet, colligere, & congregare. Vnde & absoluta erit traductio ex mente Christi, si sic Latinè reddas illum versum paraphrasticùs explicatum. Hæ erunt partes Angelorum in die iudicij, scilicet colligere cineres hominum mortuorum, vt illis adunatis, & compactis ad instar corporis humani, anima redux inducatur in illud ergastulum compositum industria Angelorum. Collectis hominum reliquiis, & corporibus excitatis, ministerio eorumdem Angelorum, congregabuntur homines

Syriaca. Eadem sententia adstruitur notabili obseruatione petita à Chaldæis, & Syris.

Chaldæa. *Guido Fabricius in lexico Chaldaico in voce* כנש *canasch.*

homines antea dispersi, vt sistantur omnes Iudici.

Eiusdem sententiæ confirmatio ex speciali notione linguæ Græcæ.

Græca.

In eamdem iit sententiam Græcus interpres, ita fatus: Συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη. *Congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Imò præ aliis linguis Græca fauet titulo paragraphi huius: nimirum futurum illud συναχθήσονται, *congregabuntur*, deducitur à verbo συνάγω, quod tria significat, videlicet colligo, congrego, & conduco, ita vt omnimoda explicatio textus Græci sit ista: colligentur, congregabuntur, & conducentur ante eum omnes Gentes, ita vt eo verbo triplex intelligatur officium Angelorum: primum erit colligere superstites corporum exuuias, vt sunt ossa, cineres: alterum erit, eâ industriâ congregare, & aptare, vt ad similitudinem humani corporis effingantur: tertium denique munus erit homines suscitatos conducere in condictum locum. Concordi itaque linguarum suffragio, inconcussa manet mea conclusio, nacta licet iniquiorem Origenem, in illam sententiam perperàm insurgentem.

SENSVS LITERALIS.

Angeli localiter congregabunt omnes, siue bonos, siue malos, in die iudicij.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

CONIECTVRA TERTIA.

Ex SS. Patribvs.

Sancti Patres prætermiserunt explicationem adæquatam huius versiculi.

IN re ancipiti, siquando vacet numerosa testium depositio, vni quandoque creditur testi si sit omni exceptione maior: virtus namque emerita alicuius hominis insignis, plurium testium sibi vendicat pondus & momentum. Cùm ergo Sancti Patres, Scripturæ sanctioris interpretes, tacitam præterierint suam sententiam, dum præsentem textum expenderunt; à quo congregabuntur omnes Gentes, haudquaquam expresserint: non cunctabor tamen confirmare meam sententiam auctoritate Patrum; quippe vnum habeo Augustinum vocalem in eo argumento, vbi alij omnes elingues sunt: etenim nemo sanctiorum Patrum, quos ego consului, affirmauit aut negauit sistendas Iudici Gentes omnes, beneficio Angelorum, quorum industriam in eo supremo mundi agone Christus Dominus adhibebit. Tacitis omnibus, vnus Augustinus audacter eloquitur, & præit mihi affirmanti, Angelorum ministerio homines congregandos, imò & bonos à malis separandos, & muneris Angelorum fore ea, quæ sacro Codice recensentur in eo argumento congregationis hominum, & separationis ab inuicem, suamque sententiam ille Sanctus adstruit auctoritate Psaltis ita occinentis: *Deus noster manifestè veniet, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius.*

Psal. 49.

Beatus ille interpres speculans illum Psalmum, ita commentatur: *Hoc nos de Domino nostro Iesu Christo intelligimus, quem de cælo speramus esse venturum ad viuos & mortuos iudicandum. Manifestus enim veniet, inter iustos & iniustos iudicaturus iustè, qui prius venit occultus ab iniustis iudicandus iniustè, &c. Aduocabit cælum sursum & terram, nihil melius intelligi existimo, quàm homines, qui rapientur obuiam Christo in aera, sed cælum dictum propter animas, terram propter corpora. Discernere porro populum, quid est, nisi per iudicium separare bonos à malis, tamquam oues ab hædis? Deinde conuersio sermonis ad Angelos facta est: Congregate illi Sanctos eius. Profectò enim per Angelicum ministerium tanta res peragenda est.* Non ergo deest locuples testis & assertor effati, quo decernitur Angelis munus homines sistendi Christo Domino iudicanti.

August. l. 20. de ciuit. Dei. c. 24.

Angelorum ministerio multa fient in die iudicij, ex sententia Augustini.

SENSVS LITERALIS.

In die iudicij realis erit bonorum & malorum discretio, & collocatio ad dextram & sinistram.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Duplex erit iudicium in die vltimo iudicij generalis.

Ex Theologia.

Thom. lib. 4. sentent. dist. 47.

Iudicium non pertinet ad Angelos bonos, aut malos.

OMnium doctorum est concors sententia, in vltimis mundi comitiis fore duplex iudicium. Vnum retributionis, aliud discussionis. Præmij aut supplicij assignatio, dicitur iudicium retributionis: nemini à iudice decernitur præmium aut supplicium iniustè. Eo iudicio iudicabuntur omnes homines: quippe nemo die illo indonatus abibit; sed iuxta Apostoli effatum, vnusquisque recipiet prout se gesserit, siue bonum, siue malum. Hoc iudicio concludetur omne hominum genus; at non ad Angelos aut dæmones pertinet directè illud iudicium, quia beatis & reprobis Angelis fuere congrua supplicia & præmia constituta, nam sunt nacti finem merendi & demerendi, postquam Angeli nequam abdicauere Dei obsequium, & beati secus illibato affectu ei iugiter adhæserunt. Vnde quia Deus non iudicat bis in id ipsum, iudicium ad Angelos minimè pertinebit. Et profectò de Angelo nequam extat illa Christi sententia: *Princeps huius mundi iam iudicatus est.* Ad quid ergo repetere iudicium antea consummatum.

Ioan. 16.

Ad quos spectet iudicium discussionis.

Iudicium discussionis dicitur illud, quo præuio examine merita appenduntur ad trutinam, pondere sanctuarij. Hoc iudicium ad eos tantùm spectat, qui habuerunt in se merendi principium, fidem scilicet & charitatem, vt sunt Christiani omnes. De aliis verò hominibus infidelibus nulla prorsus erit discussio, quia illi totum suum æuum egerunt nescij meritorum, ac proinde non erit vllum argumentum discutiendi vitam repetito diu crimine conspurcatam. Rursus eo iudicio non censebuntur illi, qui næui expertes, gratiam

tiam in Baptismo acceptam eodem tenore non illibatam tantùm asseruarunt vsque ad mortem; sed eam excoluere pluribus incrementis. Itaque iudicio discussionis subiicientur hi duntaxat, quorum discolor quandoque vita, dispares vitiorum, & virtutum tesseras induit. Huius classis erunt plerique & Beati, & damnati; hac cautione tamen, vt Beati non excidant certitudine suæ sortis, nec vllum inde metum concipiant, cùm illa discussio fiat ad comprobandam Dei iustitiam, quæ vt deprehendit in pœnitentibus congrua merita, expunxit eorum culpas, præmio afficiens animas facti pœnitentes. Ita & secus in reprobis, qui cessere fatis malè sibi conscij, illa discussio nullam salutis dubiæ spem conferet, cùm eos lancinans conscientia clamet indignos miseratione Iudicis, ideò discutiendis Christianorum impiorum vitam, vt omnibus peruium sit iustum illud iudicium, quo impia hæc capita castigantur.

Quare ad vtrumque iudicium, retributionis, & discussionis, pertineat realis separatio bonorum, & malorum.

Vtrumque illud iudicium, retributionis scilicet & discussionis, discretionem loci petit in Beatis & damnatis, quippe ex momento ipso resurrectionis, Beatorum corpora dignata dote agilitatis, & dedignata solum, rapientur in aëra obuiā Christo, sortita locum dexterum, vt consonum eorum dignitati. Impiorum verò corpora importūna vitiorum grauedine ponderosa, deorsum vergent, & quasi solo affixa eniti non poterunt, ideoque locali diuortio bonorum & malorum corpora dispescentur, nec promiscuè adinuicem mixti erunt, sed singulis quibusque locus assignabitur pro pondere meritorum. Quod verò boni nuncupentur oues, & mali nominentur hœdi, hoc graphicè delineat indolem vtriusque classis, beatæ scilicet & damnatæ. Nimirum in oue nihil omnino vacat, etiam ipsa superstite; siquidem eius vellere induitur homo, & eius lacte pascitur, & potatur: hœdus verò nihil occisus homini confert. Ita boni, dum in viuis essent sese omnibus præstitere beneficos, pro natura boni, cuius est hoc ingenium, vt fontis vberrimi instar in varios latices effundatur; ast iniqui similes hœdis, per inuia & petrosa incedentes, nihil nisi olidum afflarunt; vnde operæpretium est, vt mactentur gladio diuinæ iustitiæ, vt saltem morte æterna mulctati prosint iis, qui ante iudicium speculantur iniquam eorum sortem.

Quare oues & hœdi bonos & malos significent.

Illa accurata descriptio rerum gerendarum in illo iudicio, satis superque damnat delirium Origenis, arbitrati singula hæc quæque capita commemorata à Christo posse capi spirituali modo; quod reuera non negatim, dummodo fateatur Origenes, stare fidem literæ, & fore realia omnia prout sonant. Hoc namque posito, per me non stat, quin præuio sensu literali sospite, quisque possit ad mores instruendos mysticos adhuc sensus elicere, vt fortè voluit Origenes, cui ritus ille insolitus est, cuiusque literæ sacræ corticem præterire, vt mysteriorum nucleum edendum proliciat; nec tamen illud obstat, quin penes hunc hominem eruditum fortè steterit integra fides sensus literalis, sacro codice recensiti.

Quomodò possit Origenes excusari explicās mysticè ea quæ de iudicio recensentur.

SENSVS LITERALIS.

Realis erit discretio bonorum, & malorum, sicut & collatio ad dexteram, & sinistram Christi, in die iudicij.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Rerum omnium inclinatio in finem hæc est, vt quò propriùs ad centrum suum accedunt, eò etiam maiori œstro percitæ deferantur. Cùm ergo explicata die iudicij, Beati omnes nacti sint sua corpora rediuiua, & eorum finis sit adhærere & sociari Christo; insipiens est, aliqualem cogitare moram, qua Beati degant in nefando iniquorum cœtu. Namque Beatorum ille status, moratum impatiens, non concordat cum spurcissima illa damnatorum colluuie. Eamobrem displicet illa quorumdam sententia, qui bonos & malos gregatim sistunt Iudici, qui simul adunatos postea segregabit facta discussione meritorum. Sententia illa labat auctoritate Pauli, qui commemorando diem iudicij, ait iustos rapiendos in aëra obuiam Christo. Si eunt obuiam Christo discreti à reprobis, profectò anteuertent omnem discussionem meritorum: etenim ire obuiam alicui, est ei occurrere antequam eò peruenerit, quò pergit. Vnde ex hoc Pauli præscij eloquio conicio, seponendos ab Angelis seorsim cineres Beatorum, & ab eis incipiendam resurrectionem hominum, sicut prima Iudicis sententia feretur in gratiam illorum Christi Domini cohæredum.

Quare statim à resurrectione boni separabūtur à malis.

Quando boni à malis separabuntur.

Hanc separationem fore ante omne iudicium discussionis & retributionis, egregiè suggerit textus Hebræus, qui vt descripsit Iudicem venientem congruā stipatum gloriā, statim subiicit eum demandaturum hanc curam, scilicet vt separentur Gentes. Ecce idioma sanctum, אותם והפריד *veiaphrid othbam, & faciet eas separare.* Quod vulgata editio dixit, *separabit,* dialectus Hebræa reddit, *faciet eas separare,* hoc enim sonat series hæc verborum; והפריד אותם *veiaphrid othbam*: siquidem radix פרד *parad,* quæ diuisionem significat, coniugatur in *Hiphil,* & non in *Kal,* ac proinde notat illam separationem fore ministerio eorumdem, qui congregabunt Gentes: nimirum duo verba Hebræa נקה *nakah* פרד *parad,* congregare, separare, sunt futuri *Hiphil,* adiecta coniunctione *vau,* vt illa copulans particula significet eodem temporis articulo fore collectionem, & separationem reliquiarum hominum, qui sistentur Christo venienti ad censendā præmia meritorum. Itaque nescio qua ratione fieri arbitrentur quidam, fore simul & velut in eadem classe Beatos & reprobos discutiendos, antequam separentur, & accipiant congruas suæ sorti sententias.

Ex linguis. Hebræas.

Congregationem hominum, & separationē simul probat textus Hebræus.

Quàm accurata sit futura illa separatio bonorū à malis liquet ex textu Syro.

Versio Syriaca abhorret ab ea opinione, quæ pro

promiscuam facit illam societatem bonorum, & malorum: enimverò quasi non sufficeret dicere: *Congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eos ab inuicem.* Idioma Syrum elimatiùs expressit, quàm accurata sit futura illa diuisio. Ecce dialectum notam huius exquisiti diuortij. ונפרש אנון חד מן חד *venaphresch enun chad mē*

Chaldæa

chad, & facies eas separare vnam ab vna. Hoc nempe sonant illæ voces, חד מן חד *chad men chad, vnā ab vna.* Quasi diceret: Tantùm abest, vt futura sit promiscua bonorum & malorum societas, quin potiùs adeò singularis erit *vtrorumque* discretio, vt nequidem vnus cum altero residuus sit futurus.

Syriaca.

Nota obiter, vocem ונפרש *venaphresch*, deduci à radice, פרש *pherasch*, quæ apud Syros & Chaldæos significat specialem separationem, qualis fuit ea, quam profitebantur doctores illi Iudæorum, qui ita à populo secreti erant, vt ab ea discretione dicerentur Pharisæi, id est, singulariter à populo separati. Vt ergo Syrus interpres ostenderet fore bonos procul à malis in discussione illa meritorum, adhibuit vocem פרש *pherasch*, cuius proprium est denotare separationem insignem, qualis erit illa bonorum & malorum.

Græca.

Discretionem locorū belle probat textus Græcus.

Accedit & Græca dialectus sic concinens. *Ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων. Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis,* Nota futurum illud, ἀφοριεῖ, quod est Atticum, pro communi ἀφορίσει, id est, *separabit*, deduci ab ἀφορίζω, id est, *seorsum pono.* Vnde sententiæ præcipuæ Hippocratis collectæ ex diuersis eius operibus, & seorsim repositæ dicuntur Aphorismi. Vt ergo sacer textus exprimeret iustos esse procul à reprobis seponendos, vsus est verbo ἀφορίζω, cui ad lineandam illam exquisitam diuisionem inest gratia singularis. Fauet & similitudo pastoris segregantis oues ab hœdis: esto namque oues & hœdi simul in pascuis errent; est ratio tamen dispar in vtrisque, quando referre intendit pastor aliquod commodum ab hoc grege: quippe seponit oues ad mulgendum, & tondendum; hœdos verò destinat ad macellum. Mundus iste ager est vtique apertus bonis & malis indiscriminatim:

Quare in hoc sæculo promiscua fit societas bonorum, & malorum.

illic est promiscua societas impiorum & iustorum, vt communi consortio discordes illi hominum status consulant sibi: etenim malorum iniquitas plerumque bonis proficit ad examen virtutis inolitæ, & ad gratiarum multiplex incrementum; siquidem virtus irrigata probris impiorum hominum fortiùs adolescit. Ita ex aduerso, noxiorum hominum & proborum consuetudo vtplurimum sistit præcipitem vitiorum fluxum, quia etiam impudentes pudet non pudere, dum occurrunt homines virtutis impigræ professores; imò quandoque mali ex bonorum commercio resipiscunt. Et hæc sunt argumenta, quibus innititur illud bonorum & malorum commune in hoc sæculo commercium. Sed quia in die iudicij quisque suum finem nactus erit, illa communis hominum disparium frequentia dissoluetur.

* * *

SENSVS LITERALIS.

Non promiscuè congregabuntur homines in die iudicij, sed seorsim boni à malis dispescentur.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribus.

Societas impiorum semper displicuit bonis.

OMne hominum impiorum commercium adeò displicuit Sanctis, vt Ioannes Apostolus noluerit balneum ingredi, quo Ebion vtebatur. Ambrosius item audiens hominem prædiuitem se iactantem de secunda fortuna, sibi hactenus aspirante, suspicatus in eo homine nequitiam, continuò secessit ab eius ædibus, quæ concussæ subitò corruerunt.

Ex vitis Ioan. Apost. Ambrosij, & Antonij.

Antonius ille Magnus eo iniquo animo fuit contra Origenem, vt conscios homines errorum eius fuerit velut olidos aspernatus: affirmabat enim, hæreticos spirare odorem tetrum, & ingratum quibusque bonis hominibus. Qui ergo ægrè tulerunt in hoc sæculo consortium impiorum hominum, profectò iam beati suo corpore rediuiuo non ferent contactum corporum obscœnorum; sed statim iusti suo corpore suscitati ad ouium caulas euolabunt, derelictis hœdis ad lanienam & macellum: virga namque comburetur tunc, qua duriùs excepti sunt ab iniquis iusti homines, tunc à damnatis illico distinguendi, & reponendi ad dexteram Iudicis, singulorum merita recensentis.

August. in Psal. 124.

Audiendus in eo argumento Augustinus, ita fatus: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Modò quidem iusti aliquantum laborant, & modò aliquantum iniusti dominantur iustis, veniunt ad honores, fiunt Reges, quia hoc facit Deus super disciplinam plebis suæ, exhibendus est ille honor debitus potestati. Sed nunquid sic erit semper, vt iniqui imperent iustis? Non sic erit, & ideo Psalmus ait: Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum; sed non ibi relinquitur, non erit in æternum.*

Iniusti in hoc sæculo bonis præficiuntur vtplurimum.

Veniet tempus, quando vnus Christus in claritate sua apparens, congreget ante omnes Gentes, & diuidet eas, sicut diuidit pastor oues ab hœdis; oues ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram. Et videbitis ibi multos seruos inter oues, & multos dominos inter hœdos; & rursus multos dominos inter oues, & multos seruos inter hœdos. Sed ferant iusti ad tempus dominos, quia non erit hoc in sempiternum; sed præparent se ad possidendam hæreditatem, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Quidā mysticè intellexerunt collocationem Beatorū ad dexteram Christi.

Nam si videant, quia semper est virga peccatorum super sortem iustorum, cogitant apud se, & dicunt: Quid mihi prodest, quia iustus sum? Semper mihi dominabitur iniquus, & ego semper seruus ero? Ne autem hoc dicat, dicitur illi, quia ad tempus potest esse virga peccatorum super sor-

tem

rem iustorum, non tamen eam relinquet Dominus super sortem iustorum. Vnde subdit: Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Augustinus hoc contextu literaliter intelligit dexteram & sinistram, atque adeò ei non probatur sententia Hieronymi arbitrati dexteram & sinistram eo loco significare bonum & malum, vt antea censuerat Origenes, cui reponi ad dexteram perinde est, ac recipere præmia congrua meritorum. Sic ille: *Sancti, qui dextra opera operati sunt, acceperunt pro mercede suorum dexterorum dexteram Regis, in qua requies est & gloria. Mali verò propter opera sua pessima & sinistra ceciderunt in sinistram; id est, in tristitiam tormentorum.* Hieronymus multum deferens Origeni, eundem cum eo callem init decurrendo locum illum, in quo subodoratus allegoriam ita eum expendit. *Quod sequitur: statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris; iuxta illud intellige, quod alibi legis: Cor sapientis in dextra eius, & cor stulti in sinistra illius. Et supra in hoc eodē Euāgelio: Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua. Oues in parte iustorum stare iubentur ad dexteram: hœdi, hoc est peccatores, ad sinistram.* Non carpo Hieronymi allegoriam, dummodo stet illibata fides historiæ, quæ literaliter intelligi debet, vbi nihil obstat, sicut in eo textu, quem expendo, dicens reuera bonos separandos à malis, & reponendos ad dexteram Christi, sicut exposuit Augustinus, sequutus Hilarium, eo sæculo magni nominis interpretem, qui sic commentatur recolens seriem rerum gerendarum à Christo in die iudicij. *Fideles, inquit, ab infidelibus separabit, atque ab infructuosa discerneret, hœdos videlicet ab agnis, & in dextra ac sinistra collocans vnumquemque, digna aut bonitatis aut malitiæ suæ sede constituet.* Sunt & alij nobiles interpretes eiusdem mecum sententiæ, vtique literam prout sonat intelligentes, in eo præcipuè textu; vbi res est de separatione iustorum, & sessione eorum ad dexteram Christi. In his est celeberrimus interpres Chrysostomus.

Origenes tract. 34. in Matthæum.

Hieronym. in c. 25. Matth.

Hilarius Canone 28. in Matth.

Accipe eius concordem mihi sententiam. *Nunc* (inquit) *non segregati, sed misti sunt vniuersi; tunc verò exquisitissimè separatio fiet, & ab ipsa vtriusque partis statione ita distincti, vt pateant vniuersis: quamuis etiam hac appellatione mores vtriusque partis aperiantur; cùm alij hœdorum, alij arium nuncupatione nominentur, vt alterum sterilitas, quia nihil ab hœdis producitur, aliorum fertilitas ostendatur. Vberes enim & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, à lactis copia, ab elegantia lana, à fœtu, quibus omnium hœdorum genus omnino caret. Sed expertes rationis animantes natura duce fructificant, aut steriles sunt: homines vtrumque istorum faciunt; quapropter meritò alteri puniuntur, alteri coronis decorantur.* Ille idem sibi constans alibi affirmat, fore vt iusti omnes sursum euecti Christo Domino occurrant, malis interea derelictis in infimo loco, vt congruo meritis hominum, qui rerum superarum incurij, ad terrena tantùm iugiter anhelarunt. Ecce viri sancti sensa: *Nos* (inquit) *qui viuimus; simul rapiemur cum illis in aera obuiam Christo. Si descensurus est Christus, vt quid rapiemur? Honoris gratiâ. Nam Rege ciuitatem ingressuro, qui illustres quidem sunt, ad occursum eius egrediuntur, qui verò rei sunt & iudicio obnoxij, intus expectant iudicem. Et patri beneuolo, & pro aduentante filij quidem, & qui digni essent filiorum loco, per vehiculum educuntur, vt videant, & exosculentur, qui verò de seruis interea illum offenderunt, intus expectant eum. Ipse Pater in nubibus suscepit Christum. Et nos in nubibus rapiemur. Vides quantus est futurus honor? Et occursum descendenti faciemus, & quod omnium est felicissimum, ita semper cum Domino erimus. Qualis igitur tremor, qualis timor eos, qui tunc in terra erunt, qui iudicem expectabunt, obtinebit? Vnusquisque rapietur, & altera relinquetur: vnus accipietur, & vnus relinquetur. Quis erit tunc animus eorum, quando istos quidem sublatos videbunt, se verò ipsos relictos? An non quauis gehenna terribilius, eos ita deiectos ac consternatos.* Hæc ille, qui denuo recolens illos à se inuicem dissitos status bonorum & malorum, ita eos recenset vt discretos, commemorans malos vt abiectos procul à Beatorum cœtu.

Chrysostom. hom. 80. in Matth.

Quare boni & mali oues & hœdi nominentur.

Iusti Christo occurrēt sursum euecti.

Chrysostom. homil. 8. in Epist. ad Thessalon.

Ne desideres illum etiam textum, animus fert eum dictare tibi. *Quomodo* (inquit) *fieri potest, vt tunc non concutiatur qualibet potentia? Si enim fluuius ignem non volueret; neque Angeli assisterent adeò formidabiles; soli autem conuocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata in gloriâ, ne gloriam Dei videat, num istud per se pœna foret totâ gehenna longè acerbior? Quare obsecro ob oculos modo ponas, non dicò immanissimam illam pœnam; & suffusos graui pudore, necnon palam conspicuos, defixis in terram oculis ob conscientiam ignominiæ, sed illam viam teterrimam, qua ad ignem abripit, sed & ferentes tormenta, traditosque atrocibus punitoribus, idque eo tempore, quo coronis adornati celebresque excantantibus Angelis, regio throno assistunt, quicumque hîc bona facientes, digni habiti sunt vitâ æternâ.* Hactenus ille Sanctus, suo suffragio multum luminis adijciens conclusioni meæ, de discretione bonorum & malorum, quos credidete quidam promiscuè iudicandos.

Idem epistolâ ad Theodorū lapsum.

Quare timore horribili quatientur reprobi in die iudicij.

SENSVS LITERALIS.

Præcipuus effectus prædestinationis, est corporis & animæ glorificatio; refundenda in benedictionem Dei.

In hæc verba:

Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

§. IV.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

TAmetsi Christum regiæ deceabt infulæ, à primo temporis articulo, quo hominem induit, & in tesseram regni sui voluerit sibi vagienti in cunis aduolui Reges, suo testantes obsequio, puerulum illum esse Regem Regum; non vsquequaque tamen ille rerum Dominus degens

Quomodo sit Christus omnium hominum caput.

§. IV. Vt autem constet, precipuam causam prædestinationis Beatorum esse bonitatem Dei, & non eorum merita præuisa, vocat eos benedictos Patris sui: quasi diceret, eos vocari in partem regni, quia ab æterno benedicti sunt à Patre.
§. V. Cuius tamen benedictio seu prædestinatio æterna, suum non sortietur effectum in adultis, sine bonorum operum praxi, comite charitate.
§. VI. Illa tamen praxis non est iustis argumentum superbiæ, sed humilitatis, cuius est gloriam Dei pro suo modulo propagare.
§. VII. Nimirum in Dei decus & gloriam redundat omne quod fit eius intuitu.
§. VIII. Beatis ita benè acceptis à Deo, reprobi congruas accipient sortes vtique malas, quas ipsi mali æterno suo malo malè confecerunt. Vnde Iudex non eos vocat maledictos Patris sui, sed simpliciter maledictos, Vt pessimos artifices sui, maledicti.
§. IX. Quod æternum sortietur effectum in gehenna, quæ erit intermina, sicut ex aduerso gloria illa erit sempiterna, qua beatæ mentes in gloria dignabuntur.

PRÆFATIVNCVLA.

Prælegenda, vt constet de intento Auctoris.

ESto deinceps agam expositorem literalem Euangeliorum, & præcipua laus commentatoris sita sit in assequenda mente Auctoris operum quæ expendit; hoc tamen non obstat, quin interpres Euangelij, expeditâ literâ, non possit inserere aliqua moribus excolendis, ea saltem cautione, vt alij sensus non sua mole grauent paginas pertinentes ad sensus literalis anatomen. In hoc ego discrimen impegi discutiens quatuor prima Euangelia Quadragesimæ. Nempe aperto cortice literali ita spatiatus sum in sensu morali, & sic me effudi in controuersias emergentes, vt quatuor illa Euangelia maximam huius Tomi partem conficiant. Non idcircò tamen credo fore iniquos Lectores meos præmonitos, materias illic à me agitatas, esse præcipuas in argumento morũ: nimirum fusè ago de floccipendio mundi, & de morte instante. Multus sum in detestanda seruitute peccati, & extollenda sorte seruorum Dei. Segetem vberrimam demeto ad insinuandam iniuriarum obliuionem. Pluribus argumentis commendo ieiunium, & in his quæ ad controuersiam pertinent, salebrosas dirimo difficultates, quas Bellarminus ipse implexas præteriit.

Parcior ero decurrens alia Euangelia, vbi præcipuum scopum præfigo mihi sensum literalem, ne alius videar ab eo quem propono edens accuratum Commentarium in Euangelia, quæ tamen ita literaliter absolutè rimabor, vt semper adiiciam exquisita quædam & non peruulgata in gratiam morum, ne quid hiulcum desideret Momus in hoc opere tessellato, id est, multa rerum varietate satis congruè dispertito.

***

SENSVS LITERALIS.

Non ea maiestate qua Deus est, Christus apparebit in die iudicij, sed ea quam meruit humilitate sua.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate suâ & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

§. I.

CONIECTVRA PRIMA.

Ex Ratione.

INdubium editurus argumentum infirmitatis humanæ Christus Dominus, sic suos affatus est discipulos: *Quis vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Luc. 12. Quasi diceret, non esse hominis assurgere ad arbitrium suum, sed statas vnicuique vices esse à Deo rerum omnium Domino præstitutas, quas præterire nefas. Ab hac imbecilla hominum sorte seipsum hodie excepit Christus: is namque recolens extremum iudicij diem, cogitando apparatum illum, quo stipatus aduenict, adiecit plusquam cubitum ad staturam suam, commemorans maiestatem, quæ omnium hominum Iudicem decet. Ad coruscos maiestatis huiusce radios caligauit acies oculorum Remigij, arbitrati maiestatem illam Iudicis esse diuinitatem eius. Sic ille: *Maiestatem appellat diuinitatem, qua æqualis est Patri, & Spiritui Sancto.* Remigius in Mat. c. 25. Hanc ego sic tergo caliginem Remigij. Quare Christus Iudex non apparebit in maiestate sua increata. Christus ea se maiestate prodet, qua videri possit ab omnibus, qui debent vtrâque Iudicis sententiâ recenseri. Sed maiestas increata seu diuinitas non erit omnibus iudicandis obuia, iuxta illud Isaiæ, animam reprobam perstringentis: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Isai. 26. Cùm ergo reprobi visuri sint maiestatem Iudicis; profectò hæc maiestas non erit diuinitas, vt vult Remigius, sed præmium quod Christus humilitate sua promeruit: quippe licet ex Theologia Christus non meruerit sibi aliquod gratiæ augmentum, quia ipso momento conceptionis eius, tota in eum influxit gratiæ plenitudo; in confesso tamen est apud omnes etiam Theologiæ candidatos, Christum Passione sua meruisse corporis sui gloriam & decorem, cuius generis est maiestas illa, quam ipse meminit hoc contextu, quem expendo, concludens maiestatem illam esse dotem creatam, & affixam Christo pro dignitate, qua eum Deus affecit, illum constituendo Iudicem orbis vniuersi, vt ipsemet ait hoc contextu: *Neque Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium.* Ex Theologia. Thom. 3. p. qu. 19. a. 3. Ioan. 5.

Rursus diuinitas non potest videri ab homine, nisi obsequio luminis gloriæ: at hoc lumen inuium est impiis, vtpote beatis tantùm mentibus affulgens: Ergo gratis Remigius ait maiestatem illam

illam Iudicis fore diuinitatem eius; cùm de maiestate Iudicis sit vt videatur ab omnibus, ad quos porrigitur eius auctoritas. Vnde cùm sit æquè Iudex impiorum, & iustorum, & ab vtrisque videri debeat; est assignanda maiestas peruia cunctis hominibus; illa vtique, quam meminit ipse Dominus assertor huius maiestatis, cuius summa erit omnium Angelorum præsentia circumcingens tribunal lucidum Iudicis incorrupti. Vt autem adstantes Angeli appareant, ille sese specie corporea in conspectû dabunt; hoc namque pertinet ad sensibilem Iudicis maiestatem, qui pellucidis nubibus insidebit. Nota, sessionem Beatorum non dicere grauedinem corporis fatigati; corpora nempe Beatorum nescia ponderis haudquaquam deorsum inclinant, sed pro rei cuiusque dignitate situm variant. Verbi gratiâ, Christus adiuuans partes Stephani in supremo agone positi, visus est stans, quia status ille est hominis adiuuantis. Ast vbi decernenda erunt præmia & supplicia in die iudicij, tunc sedebit, quia sessio spectat ad Iudicem. Iudicis huius thronum fore nubem, & non quidpiam aliud, multis adstruitur. Primò ipsa sapientia sui tribunalis artifex, nullum aliud sibi effinxit eo libro, quo suppellex ipsius sapientiæ describitur. Ita Dominus ipse suum thronum instituit: *Thronus meus in columna nubis.* Secundò Christus in cœlum euectus die suæ Ascensionis, à nube susceptus est, & eomet temporis articulo Angeli adstantes dixere Apostolis, eumdem Dominum rediturum eodem habitu. Ecce textum. *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Cùm itaque ad gloriam Ascensionis adfuerit nubes eum suscipiens, & debeat idem Dominus eâdem esse gloriâ conspicuus in die iudicij; aderit & nubes futura thronus Iudicis illi solio insidentis.

Quare corpora Beatorum stent aliquando, & quandoque sedeant.

Sedes Iudicis in die iudicij erit nubes pellucida.

Eccl. 24.

Actor. 1.

Illa tamen nubes lucida iustis, erit quasi opaca reprobis, quibus omnia nigricabunt vt cum Sol ad arbitrium Iosue stetit, in gratiam filiorum Israël persequentium Amorrhæos, Israëlitæ aspirante victoria gratam habuere lucem illam, egregij sui facinoris obstetricem. Sed Amorrhæi fugientes stupuere prodigium Solis immemoris moliti sibi gyri, quo inclinat ad occasum. Nec obstupuere modò Amorrhæi ad diem hanc protractam; sed horruere lucem illam maleficam sibi, quia eius obsequio deseuiens mucro victoris ipsos Amorrhæos internecione demetebat. Ita Christo Domino in Iudicis habitum composito, & discutiente hominum facta, maiestas eius erit perquam grata & corusca bonis, sumentibus inde partem suæ beatitudinis: at secus illa omnis pompa cruciabit impios, quibus attonitis & malè consciis omnia tenebrescent. Sic vna eademque gloria rutila iustis, erit velut opaca malis, ad quos pertinet ista descriptio tribunalis Christi: *Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius.* Dispares autẽ fore effectus gloriæ Iudicis, quæ neminem latebit, idem Psaltes enuntiat, dicens fore gloriam illam argumentum lætitiæ Beatis, & contra inde iniquorum capita confundenda. Sic ille: *Annuntiauerunt cœli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum omnes Angeli eius, audiuit & læta est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.* Vide infrà in sensu Morali luculentam expositionem huius textus.

Quæ lucida erunt iustis, illa reprobis erunt subobscura.

Iosue 10.

In die iudicij Maiestas iudicis recreabit bonos, vt secus cruciabit impios.

Psal. 96.

Ibidem.

SENSVS LITERALIS.

Maiestatem, qua coruscus apparebit iudex, non esse diuinitatem, sed gloriam corporis Christi.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Linguis.

Specie coruscante ignis pellucidi dispertitæ quondam linguæ insederunt Christi discipulis, antequam Scripturæ sanctioris pangerẽt oracula, eo arcano Deo præmonente omnes interpretes Scripturæ sanctæ, linguas dispertitas in varias orbis oras, Hebræam scilicet, Chaldæam, Syriacam, & Græcam, multum lucis adferre ad intelligentiam textus sacri, qui cùm vario & dispertito idiomate prostet, ille incongruus est interpres Scripturarum, qui non est abundè tinctus notitiâ linguarum, quas consuluere semper Patres Sancti, siquando vulgata editio Latina tenebras offunderet. Hunc fuisse morem sanctiorum Patrum vide in præfatione huius tertij Tomi, vbi ex professo probo quanti sit momenti callere linguas ad penetranda penitiora quæque arcana Dei, quandoque variis textibus inuoluta. Plerique alioquin docti, sed in hoc genere imperiti, vt suam solentur ignorantiam, fastidiunt indaginem illam sensus literalis petitam à dispertitis linguis, causantes illud scrutinium subolere delitium Rabbinorum, qui fidei suæ præcipuam partem refundunt in literas, & apices dictionum. O stolidum pecus! ô pectoris opaci nequitiam non ferendam! Quasi verò fas sit carpere quod ignoras, hocque vnum sit vitium linguis, quòd earum peritia fugiat imperitos.

Principes linguas consulere in his quæ pertinẽt ad intelligentiam Scripturæ sacræ magnam lucem adferre.

Quàm stolidi sint hi qui carpunt linguarum notitiam.

Ne videar extra lineam discurrisse, ô lector, adstruendo fidem linguarum, vide quàm proficua sit docto hæc supellex, exemplo textus quem expendo contra Remigium aliàs nobilem interpretem octaui sæculi. Ait ille, iudicis maiestatem poni pro diuinitate: hanc ego sententiam expunxi proxima coniectura, superinducens sensum meum, qui adstruit, maiestatem eo loco significare gloriam illam, quæ Christi Domini corpus consequitur: ita vt maiestas in proposito versu perinde sit ac gloria. Huic meæ veridicæ sententiæ concinunt omnes linguæ, quarum dialecto concluditur sacer textus. Prior lingua Hebræa occurrit. יבא בן האדם בכבודו *iabo ben haadam bicbodo. Veniet filius hominis in gloria.* Vox namque בכבודו *bicbodo* perinde est ac gloria, nec tamen maiestatem significat. Etenim no-

Probatur conclusio Ex linguis. Hebræa.

men כבוד *cabod* gloriam sonat, à radice כבר *cabad*, id est, gloriari. Est autem hæc differentia inter maiestatem & gloriam, quæ inter absolutum, & relatiuum: nimirum maiestas regiam quamdam excellentiam dicit in subiecto, quod afficit, etiamsi nemini pateat hæc maiestas; gloria verò secus dicit respectum ad alios, quibus eminentis alicuius hominis dignitas innotescit: siquidem, gloria est clara notitia meritorum alicuius cum laude, ideoque potest tacita præteriri maiestas ea stante, sed non gloria, quia illa haud quaquam elinguis est, vtpote assueta encomiis, quibus gloriosi hominis merita propalantur.

Quæ sit differentia inter maiestatem & gloriam.

SYRIACA. Huic descriptioni suum opportunè suffragium adiicit versio Syriaca, quam accipe בשובחה מא דאתא דין ברה דאנשא *ma-dathe den berech denascho beschunecheh.* *Cùm venerit autem filius hominis in gloria sua.* Dictio Syriaca בשובחה *beschunecheh*, in gloria sua, deducitur à radicali

CHALDÆA שבח *schabach*, quæ apud Chaldæos & Syros perinde est ac laudauit, glorificauit, encomiis celebrauit, hymnodiam dixit, vt refert Guido Fabricius recensens hæc omnia significata. Ab hac radice velut surculus emergit dictio Syriaca שובחא *schubecho*, quam vsurpauit textus Syrus præposita præpositione, & adiecto suffixo. Nomen autem illud significat, gloriam, laudem, & encomium. Vnde ex textu Syriaco, Christum venire in gloria sua perinde est, ac Christum venire stipatum Beatis, effusis in hymnos & encomia Domini iudicantis.

Guido Fabricius in Lexico Syror. Chaldaico שבח schabach.

Non est itaque aspernandum linguarum suffragium, vnde lumen affulget propitium illis, qui cæcutiunt in densa caligine Scripturarum. Suum etiam calculum adfert lingua Græca resonans gloriam, hoc contextu Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ. *Cum autem venerit filius hominis in gloria*; δόξα gloriam significat, vt

GRÆCA. Græcis suppetunt aliæ dictiones, quæ maiestatem significant, quales sunt, σεμνότης, μεγαλειότης, vt Hebræis maiestas est, הוד *hod*, & Syris æquè ac Chaldæis vox, הדרא *hadro*, maiestatem sonat. Concordi igitur omnium linguarum suffragio, Iudicis maiestas non erit diuinitas eius, sed gloria consequens beatam humanitatem Christi, cui tunc à beatis mentibus applauditur.

SENSVS LITERALIS.

Christus Passione sua mercatus est gloriam illam, qua in die iudicij recreabuntur iusti, dum territi eo fulgore impij percellentur.

In hæc verba:

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

CONIECTVRA TERTIA.

Ex SS. Patribus.

Speculatoribus in edito loco constitutis, nemo est qui non fidem adhibeat, siquando præmoneat instare quidpiam fausti aut sinistri. Quidni & nos creduli assentiemur Patribus Sanctis explicantibus seriem iudicij extremi? Hi nempe positi in culmine sanctitatis, inde assidua meditatione speculantes omnia, quæ pertinent ad gratiæ Dei incrementum, nihil reliquere illibatum ex mysteriis fidei nostræ, vt inde quidpiam adiicerent pristinæ sanctitati. Hinc frequens apud eos commemoratio diei huius, in quo fiet exquisita discretio meritorum. Profectò illi emeriti Patres, crebrò recolentes hanc supremam mundi catastrophen, à Deo dignati sunt lumine singulari, cuius præsidio multa illis patuere arcana, aliis omnino mentibus inaspecta. In his prior occurrit Hieronymus, cui adeò familiaris fuit meditatio iudicij, vt crediderit, tubam Archangelico nouo canentis homines ad iudicium, suis semper auribus insonare. Doctissimus ille interpres Scripturarum, sæpe meditatus gloriam Iudicis, non cunctatur affirmare, eam aliud omninò esse à diuinitate Christi, affirmans illam maiestatem esse veluti stipendium Passionis ingloriæ, quam saturatus opprobriis erat biduò post subiturus. Et reuera arbitror Christum se accingentem ad supremum agonem suum texuisse hunc sermonem de gloria sua vt rescirent discipuli, corpus suum fore rutilum aliquando, licet post biduum viderent illud sputis, luto, & plagis pluribus indecorum. Quasi diceret: Cauete, ô filioli sequaces mei, ne imbecilla fides vestra nutet, impetita probris quæ me manent pridie sabbathi instantis. Esto liuore Iudæorum facies mea futura sit liuida, hoc mementote, me fore coruscum in die iudicij, vt fides vestra nutrita radiis futuræ huius gloriæ non dehiscat. Audiendus in eo argumento Hieronymus ita fatus: *Post biduum pascha facturus, & tradendus cruci, & illudendus ab hominibus, & aceto ac felle potandus, rectè præmittit gloriam triumphantis, vt secutura scandala pollicitationis præmio compensaret. Et notandum, quod qui in maiestate cernendus est, filius hominis sit.* Hæc ille.

Quæ credendum sit Patribus explicantibus seriem iudicij extremi.

Familiaris fuit Hieronymo meditatio iudicij extremi.

EX SS. PATRIBVS. *Hieron. in cap. 25. Matth.* *Iudicij sermonẽ quare Christus texuit biduo ante Passionem.*

Nonne præierat Apostolus, dicens Christum in gloria exaltatum, quia fuit obediens vsque ad mortem crucis. Ecce oraculum. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Spiritu Sancto recludente qualitatem gloriæ, quam Christus Passione sua sortitus est, nullus superest ambigendi locus. Non desunt aliorum Patrum sententiæ coëuntes in meum intentum, & confirmantes, gloriam illam esse veluti stipendium Passionis Christi. Accipe Chrysostomum mihi concolorem hoc tenore. *Crebro gloriæ meminit, quoniam crucis tempus iam aderat, quæ res maximo probro habebatur: quocirca extollit auditorem ac erigit, & ante oculos ipsum iudicium ponit, & vniuersum orbem coram se sistit.* Concordat Hilarius, & quasi effictus ad arbitrium meum ita fatur: *Post sermonem, quo se venturum in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum se esse admonet, vt sacramentum crucis admistum esse gloria æternitatis agnoscerent. Sumitur inter hæc perimendi eius à Iudæis consiliũ, & congregatis principibus sacerdotum, occasio tanti facinoris expectatur.* Hæc ille appositè ad contextum sermonum Christi, qui post sermonem de pompa & maiestate iudicij, subiecit seriẽ Passionis suæ, cuius acerbitatem lenire voluit illo præambulo gloriæ suæ in die iudicij reuelandæ.

Chrysostom. homil. 80. in Matth.

Hilarius Canone 28. in Matth.

Hanc

Matth. 26.

Hanc deſcriptionem Paſſionis excepiſſe ſermonem de iudicio, liquet ex contextu Euangelij, vbi ſcriba ſacer, expleta narratione diſtricti huius iudicij, ita pergit: *Et factum eſt, cùm conſummaſſet* IESVS *ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas; & conſilium fecerunt vt* IESVM *dolo tenerent, & occiderent.* Ne igitur mentione iniuriarum, quæ inſtabant; fides diſcipulorum in diſcrimen incurreret, condiendus fuit ille amaror Paſſionis, commemoratione gloriæ, quam erat Chriſtus illo agone aſpero mercaturus. Eamobrem miror quomodo Euthymius & Gloſſa ordinaria errarint adhærentes Remigio explicanti maieſtatem Iudicis de diuinitate. Sic enim commentatur Euthymius: *Suam gloriam dicit, quæ Deo propria.* Gloſſa verò ordinaria ſic expendit locum illum: *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua; in diuinitate, qua iudicabit, qui priùs venit in humilitate.* Lyranus ab hac Gloſſa deuiante receſſit, explicans maieſtatem illam Iudicis de forma glorioſa corporis Chriſti. Sic ille: *In maieſtate ſua; quia tunc apparebit in forma hominis glorioſa, qui in primo aduentu apparuit in forma paſſibili, & infirma.*

Euthymius in Matth. 25.

Gloſſa ordinaria ibidem.

Lyranus in Matth. 25.

Vnde deriuetur vox illa, maieſtas, Maieſtas iudicis futura ſolatio bonis, & tormento reprobis.

Quare autem vulgata editio gloriam illam comparatam anguſtiis & ærumnis Paſſionis, explicet nomine maieſtatis, arbitror eſſe petendum ex etymologia nominis. Nempe maieſtas dicitur, quaſi maior ſtatus: ideoque nemini infra Reges conceditur illa teſſera maieſtatis. Cùm ergo humanitas Chriſti in gloria ſortiatur Dei vices, decernendo gloriam iuſtis, & ſupplicia æterna reprobis; maior ille ſtatus Chriſti iudicantis, congruè effertur nomine maieſtatis, quæ reuera diſpares omnino ſortietur effectus, vtpote futura bonis ſolatio, & tormento reprobis, vt expendit Hieronymus: *Ignis* (inquit) *in conſpectu eius ardebit. Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem. Illuminat enim, & exurit. Gaudeant iuſti, quia illuminantur ex eo. Timeant peccatores, quia exurendi ſunt ab eo. Et in circuitu eius tempeſtas valida, quæ flagellat & corripit peccatores, triticumque ſecernit à paleis.* Diſpar Beatorum & iniquorum ſors, eos etiam diuerſimodè afficiet, Chriſto ſuam explicante gloriam: ſicut enim Dei prodigia edita in Ægypto, fuere grata Hebræis eodem temporis articulo, quo ingrata Ægyptiis totam illam plagam duriùs exceperunt; ita gloria illa Chriſti Iudicis recreabit iuſtos, & impios ſimul cenſurâ aſperâ caſtigabit.

Hieronym. in Pſalm. 49.

Idem lib. 2. in c. 3. Habac.

Concinit Hieronymus: *Quomodo* (inquit) *in Exodo, quando percuſſa eſt Ægyptus, & percuſſit Deus vineas eorum, & ficulneas eorum, & occidit primitiua hominum, & iumentorum, & Ægyptiis fruges locuſta bruchuſque conſumpſit; ficus in Ægypto non attulit fructum, nec erat germen in vineis, mentiebatur opus oliuæ, & arua non dabant cibum, non erant ob id armenta in præſepibus, populus autem Iſraël exultabat in Domino, & gaudebat in Deo ſalutari ſuo. Sic in conſummatione mundi, quando multiplicata iniquitate refrixerit charitas, & ficus non attulerit fructus, & vinea non habuerint vuas, tunc quicumque iuſtus & electione Dei dignus fuerit inuentus, loquetur exultans: Ego autem in Domino gaudebo, Dominus Deus fortitudo mea. Et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem, ſcribam canticum triumphantis, ſumam citharam.* Hæc ille, eximiâ figurâ diſpeſcens diſcordes bonorum & impiorum hominum ſtatus. Hieronymo præluxerat Origenes, dum expendit diſparia Hebræorum & Ægyptiorum fata: *Sicut* (inquit) *ad mare rubrum venerunt Hebræi, venerunt & Ægyptij; ſed Hebræi quidem tranſierunt mare rubrum; Ægyptij autem demerſi ſunt in ipſo: hoc etiam modo nos, ſiquidem Ægyptij ſumus, & ſequimur Pharaonem diabolum, præceptis eius obedientes, demergemur in illum fluuium, ſiue lacum igneum, cùm inuenta fuerint in nobis peccata. Si autem ſumus Hebræi, & ſanguine agni immaculati ſumus redempti, ingredimur quidem fluuium ignis: ſed ſicut Hebræis erat aqua dextrâ læuâque; ita etiam ignis erit murus.*

Egregiis figuris oſtenditur quomodo gloria Chriſti Iudicis erit ſolatio bonis, & tormento reprobis.

Origen. hom. 3. in Pſal. 36.

Diuerſos etiam hominum affectus decurrit Auguſtinus ſic diſcurrens: *Quando illi confundentur, illi exultabunt in aduentu Domini Dei noſtri, cùm venerit ferens in manibus retributiones, damnationem impiis, regnum iuſtis, ſocietatem cum diabolo iniquis, ſocietatem cum Chriſto fidelibus. Quando ergo hoc oſtendit? quando ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. Illi autem dicent intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt iſta omnia tamquam vmbra, & tamquam nuntius præcurrens, & tamquam nauis, quæ pertranſiit fluctuantem aquam. Et quid dicunt de iuſtis? Quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt? Tunc erit dedicatio domus, quæ modò in tribulationibus fabricatur. Tunc rectè dicet populus ille: Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me*

Auguſt. in Pſal. 29.

Quare gloria Iudicis diſpares ſortietur effectus in iuſtis, & impiis.

Non eſt hîc incongruum vulgare id effatum, quo dicimus, vnumquemque iudicare ſicut affectus eſt: reprobi namque malè affecti erga Chriſtum, vtpote fœdifragi, exoſam habebunt gloriam Iudicis accincti ad eorum crimina caſtigãda; Iuſti verò, qui olim ſeſe totos compoſuerunt ad arbitrium Dei, & præſtituere ſibi gloriam Dei in ſcopum, ea demũ illucente in die iudicij, impensè geſtient eius intuitu, erga quam benè ſemper affecti ſunt, pro ſuo modulo gloriam Chriſti Domini procurantes. Itaque bonis erit vberrima collætandi ſeges, Chriſto rutilanti aſpecto; ſed reprobis erit multiplex argumentum triſtitiæ: nimium olim hoc vnum ſibi indixere penſum, vt Chriſto iniuriam facerent, eius obſequia detrectantes, & quantùm per eos ſtetit, Paſſionis eius ludibria renouantes. Cùm ergo Chriſti Iudicis gloria redundans ex corpore rutilo ſit velut auctoramentum, id eſt, ſtipendium Paſſionis, gloria illa irradians ſugillabit impios, quaſi ingerens opprobria ab eis perpeſſa, quibus mercatus eſt corporis ſui immortale decus, & gloriæ claritatem, vt ſupra recenſui auctoritate Patrum, qui cenſuere, Chriſtum inſtante Paſſione ſua ſermonem habuiſſe de maieſtate ſua explicanda illo die extremo, vt vel ſic innueret, hanc gloriam eſſe veluti præmium Paſſionum.

Maieſtas corporis Chriſti in die iudicij, erit præmium Paſſionis.

Patribus antea recenſitis adiice & Hugonem Cardinalem, cuius ecce ſententiam. *Eleganter poſtquam præmiſit de aduentu ſuo in maieſtate, ſubdit de Paſſione, quam ſuſtinuit ex ſumma humilitate,*

humilitate, coniungens gloriam æternitatis merito Passionis, vt effectum causæ. Passionis enim effectus vel causa finalis, est gloria æternitatis. Hæc ille.

SENSVS LITERALIS.

Beneficio Angelorum omnia hominum capita sistentur Christo Domino iudicanti.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

§. II.

CONIECTVRA I.

EX RATIONE.

Origenis error familiaris in exponendis Scripturis.

EST deploranda sanè sors iniqua humani ingenij, quantumuis etiam perspicacis: nemini namque concessum est inoffenso pede decurrere, imò quandoque deterior deprehenditur lapsus, vbi prodiga naturæ manus se totam effudit. Huius miserandi status specimen infaustum edidit Origenes, qui alta nimis sapiens expendendo Scripturam sacram, fastidiit vtplurimum literalem sensum, affingens textui sancto commenta à Spiritus Sancti intento penitus aliena. Huius generis est illa sententia eiusdem interpretis, arbitrantis non fore localem hominum congregationem in die iudicij; sed esse illum locum mysticè recensendum. Sic ille: *Non localiter intelligamus, quòd congregabuntur ante eum omnes gentes; sed quia iam non erunt dispersæ in dogmatibus falsis & multis de eo. Manifesta enim fiet diuinitas Christi, vt non solùm nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret. Non enim in aliquo loco apparebit Filius Dei, & in altero non apparebit, sicut ipse secundùm comparationem fulguris voluit demonstrare. Quamdiu ergo iniqui nec se cognoscunt, nec Christum, vel iusti per speculum in ænigmate vident, tamdiu non sunt segregati boni à malis. Cum autem propter manifestationem Filij Dei omnes ad intellectum venerint suum, tunc Saluator segregabit bonos à malis.* Hæc ille, proculdubio hallucinans in eo quòd non vult intelligi, localiter congregandos homines ante tribunal Christi: sic enim adimit fidem omnem dictis Christi, qui literaliter intelligi debet, quando citra parabolas aliquid enuntiat gestum aut gerendum. Stante delirio illo Origenis, Christus imponeret nobis, factâ illâ exquisitâ anatome partium & actuum huius tragœdiæ, cuius exitus est exitium omnium hominum impiorum. At dicere, Christum aliquid eloquendo, tale fecisse, blasphemum est. Ergo prout sonant verba textus, ita sunt excipienda fide indubiâ, ac proinde fides est adhibenda Christo asserenti Gentes omnes congregandas, vt sistantur Iudici, æterna hominibus supplicia aut præmia decernenti.

Origen. tract. 34. in Matth.

Quare literaliter sint intelligenda verba Christi de die iudicij.

Quare Deus vtetur ministerio Angelorum in die Iudicij.

Sit itaque hæc prima conclusio pertinens ad sensum literalem. Angelorum ministerio congregabuntur omnes, qui aderunt illis comitiis toti humano generi indictis: Ille enim Deus, qui hoc vniuersum moderatur, conductis Angelis ad gyrum cœlorum, & ad custodiam hominum, non illis insciis concludet totam mundi historiam in supremo die iudicij consummandam: quippe ad ministerium Angelorum pertinet illud supremum officium congregandi homines ad iudicium; siquidem sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, in gratiam hominum, quos Deus edidit ad hæreditatem æternam adeundam. Præterea homines mortui non poterunt suos cineres dispersos orbe toto colligere, vt adunatis illis corporum exuuiis, iidem homines in pristinam formam postliminio inducti, denuo coalescant. Est itaque decernenda illa prouincia Angelis, quos Deus assumpsit vt ministros arbitrij sui.

Historiæ quibus adstruitur ministerium Angelorum in die iudicij.

In figuram præstandi huius obsequij ab Angelis, Deus exterminare volens Sodomitas, duos Angelos misit, qui congregarent familiam Lot, vt seorsim eam reponerent, antequam flamma vindex in illa obscœna corpora desæuiret. Angeli item obsequio primogenitos Ægypti gladius vltor abstulit, vt & vitio Dauidis populus occubuit Angelo castigante. Nonne & alter Angelus numerosas acies Regis Sennacherib multo sanguine cruentauit? Res igitur indubia est, Deum in iudicio vniuersali hominum, vsurum obsequio Angelorum, quos frequenter adhibuit castigare volens aliquas mundi plagas. Sed quid commemoro veteris historiæ monumenta, cùm Scriptura recentior illud enuntiet eo textu, quo rerum gerendarum in die iudicij series explicatur. Christus enim ita fatur, explicans quo contextu fiet illud iudicium: *Plangent* (inquit) *omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maiestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summo cœlorum vsque ad terminos eorum.* Audis à Christo mittendos Angelos; nullus est ergo locus ambigendi, quin illa missio decernatur ad congregandos homines sistendos tribunali Iudicis. Idipsum ingerit Paulus isto breuiloquio: *Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Illa iussio Angeli conuocantis mortuos perinde est, ac congregatio mortuorum facta ab Angelis, quorum erit trifariàm homines congregare. Primò congregabunt cineres dispersos. Secundò congregatos hos cineres aptabunt in hominum formam, in quam Deus inducet animam, qua reduce resurget homo, deferendus statim ab Angelo suo custode in locum à Christo Domino præstitutum.

Gen. 19.

Matth. 4.

1. Thessal. 4.

Angelorum triplex officium circa corpora suscitanda in die iudicij.

Nota, alternante natura rerum omnium vices, multa corpora humana subiisse plures formas, stante tamen eadem numero materiâ. Verbi gratiâ, corpora concremata abiere in formam ignis, quo extincto forma aëris induit illam materiam, & ille demum aër ventilatus & rarior effectus, euectus ad sphæram ignis, accensus est: ideoque aliquorum corporum materia erit congreganda à summo cœlorum, quia ei adiecta est forma ignis, omnia infra cœlos corpora transcendentis. Aliorum vero corporum submersorum materia formam aquæ subiit, quæ densior effecta, ac proinde deorsum vergens subsidit in abyssis: sic erunt ab extremo terræ illa corpora reuocanda. Ad hoc vtetur Deus industria manu Angelorum, qui in Verbo vident omnia quæ pertinent ad obsequium quod ab ipsis exigitur. Nota, custodiam Angelorum dare eis ius in homines, donec sint in

termino:

termino: At homines rediuiui non erunt in termino, donec nacti ſint locum eis à Chriſto Iudice præfigendum: Ergo operæpretium eſt, Angelos exercere aliqua munia circa illa corpora rediuiua. Nec vllum video patere locum inſtantiis in re adeò pellucida.

Beati prius reſurgent quàm reprobi.

Rurſus aduerte, Angelos auſpicaturos iſtud officium ab electis, vt à dignioribus; miſerationes namque Dei præeunt operibus ſonantibus vltionem. Idcirco laturus ſententiam Iudex primò compellabit beatas illas mentes, & has brauio congruo dignabitur, antequam conterat impia capita reproborum. Fauet Apoſtolus prælibatò verſu. *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Nemo ſanus dixerit, damnatos eſſe mortuos in Chriſto. Et eſto dos agilitatis competat corpori Beatorum ab ipſa motula reſurrectionis, ac proinde queant ad arbitrium ſuum moueri; credo tamen illa corpora ab Angelis euehenda ſurſum obuiam Chriſto. Primò ad maiorem gloriam Beatorum, quorum triumphi ſpecies erit auguſtior, ſi ab Angelis efferantur. Secundò, vt prælibaui, ad curam Angeli cuſtodis pertinebunt adhuc illa corpora ſuſcitata, donec ſint ſuum ſortita locum: quod enim Theologi dicunt, cuſtodiam Angelorum finiri in morte cuiuſque hominis, hoc debet intelligi de anima, quæ reuera in morte ſuum ſortitur iudicium, quo accepto cuſtodia Angeli feriatur.

1. Theſ. 4.

Angelorum cuſtodia etiã porrigitur in corpora rediuiua.

Fore rediuiua corpora Beatorum ante corpora reproborum, Chriſtus ipſe liquidò enuntiat hoc ſermone reſerante ſeriem iudicij: *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius.* Electos ibi tantùm commemorat, vt primos, ad quos Angelorum obſequia porrigentur: hoc tamen nequaquam obſtat, quin reprobi omnes etiam cogregentur. Vox enim; gentes, concludit omne hominum genus, ita vt neque vnus tantùm homo deſit illis comitiis: alioquin non eſſet Iudicium generale, ſi non pertineret ad omne hominum genus. Accedit ſacra auctoritas Scripturæ veridicæ, vbi Ioannes præſcius arcanorum Dei, ita enarrat: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* At ſi quis inde abeſſet, dubiam faceret fidem dicti huius; ſiquidem tunc non omnis oculus eum videret: Adiice hoc, Pauli effatum: *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Præterea eadem eſt ratio reſurrectionis, & iudicij: At de fide eſt omnes ſurrecturos: Ergò & omnes ſiſtentur Chriſto Domino iudicanti, ad cuius integram gloriam pertinet, vt flectatur ei omne genu, quod tamen non eſſet, ſi quiſpiam effugeret illud iudicium.

Matth. 24.

Nemo planè aberit ab illo iudicio.

Apoc. 1.

Rom. 14.

SENSVS LITERALIS.

Miniſterio Angelorum ſiſtentur omnes Iudici.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Angelis eſſe demandatã prouinciam

LOcalis hominum congregatio negata ab Origene, arbitrante ſpiritualiter eſſe intelligendum textum illum, qui ſonat congregandas ante iudicem omnes Gentes. Localis inquam illa congregatio in dubium reuocata, me obſtringit ad congreganda argumenta, quibus conglomeratis rationibus adſtruam genuinum ſenſum textus, quem literaliter explico de cura demandata Angelis, vt colligant omnes hominum reliquias, vt illis aſſequutis hominum formam, denuo coaleſcant corpora rediuiua. Potuiſſet quidem Deus ſeipſo ſolo in inſtanti totam illam hiſtoriam concludere, ſed ſatius eſſe duxit adhibere obſequium Angelorum, ideoque modus congregandi homines non effertur voce actiua, ſed paſſiua. Non enim iſte tenor eſt hiſtoriæ recenſitæ: Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, congregabit omnes Gentes; quod tamen fuiſſet explicandum, ſi Iudex ipſe ſua poteſtate tantùm, omnia hominum agmina conuocaret. Sed quia Angelos adſciuit ad illud miniſterium, ſacer ille textus adhibet paſſiuum verbum. Congregabuntur (inquit) ante eum omnes Gentes. Lingua Hebræa accuratiùs explicat, Angelis eſſe indictam illam prouinciam congregandi homines. Accipe ſacrum idioma propitium concluſioni meæ, titulo recenſitæ. ויקהו לו לפנו כל גוים *veſakeh lo lephanau colgoim. Et faciet congregare ante ſe omnes Gentes.* Alibi præmonui, Hebræos habere coniugationes, quibus effertur modus actionis ſignificatæ verbo quod tunc inflectitur. Verbi gratiâ, ſi actio perfunctoriè fiat, exprimitur congruè adhibitâ coniugatione primâ, quam vocant *Kal*, id eſt, leuem. Si verò alius adhibeatur ad faciendum opus, quod notatur verbo, tunc adhibent coniugationem *Hiphil*, vt in propoſito textu vox, ויקה *veſake*, idem ſonat, ac congregare faciet: nimirum eſt futurum verbi *Hiphil* à radice, נקה *nakah*, quæ multa ſignificat, vt mundare, vacuum eſſe, abſoluere, & ex Rabi Salomone, congregare, cui נקה *nakah*, & קוה *Kauach* ſunt verba ſynonyma.

Ex lingvis. Hebræà.

Pulchra animaduerſio Hebræa ad confirmandam auctoris ſententiam.

Senſus itaque textus Hebræi vſurpantis coniugationem *Hiphil*, iſte eſt: Iudex aliis demandabit curam congregandi eos, qui purgati ſunt, & mundati, ſicut & eos, qui vacui ſunt meritorum; iuſtos ſcilicet, & impios. Itaque peregrina eſt illa ſententia, quæ refellit, homines eſſe localiter congregandos. Verſiò Syriaca concolor eſt textui Hebræo, vt & Latino. Accipe idioma Syrum: ומתכנשון קדמוהי כלהון עממא *venethcanneſchum Kadmauhi cuellehum ngamme. Et congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Vox illa Syriaca, ומתכנשון *venethcanneſchum*, *& congregabuntur*, deducitur à voce, כנש *canaſch*, quæ Syris, Chaldæis perinde eſt, ac colligere, & congregare; ita vt ſenſus Syriaci textus adæquatè ſumpti ſit iſte: colligẽtur, & congregabuntur ante eum omnes Gentes. Congrua equidem eſt, & veridica explicatio illa verbi כנש, quod Guidone Fabricio teſte, duo ſignificat, videlicet, colligere, & congregare. Vnde & abſoluta erit traductio ex mente Chriſti, ſi ſic Latinè reddas illum verſum paraphraſticẽs explicatum. Hæ erunt partes Angelorum in die iudicij, ſcilicet colligere cineres hominum mortuorum, vt illis adunatis, & compactis ad inſtar corporis humani, anima redux inducatur in illud ergaſtulum compoſitum induſtria Angelorum. Collectis hominum reliquiis, & corporibus excitatis, miniſterio eorumdem Angelorum, congregabuntur homines

Syriacè. Eadem ſententia adſtruitur notabili obſeruatione petita à Chaldæis, & Syris.

Chaldæè. *Guido Fabricius in lexico Chaldaico in voce* כנש *canaſch.*

homines antea dipersi, vt sistantur omnes Iudici.

Eiusdem sententiæ confirmatio ex speciali notione linguæ Græcæ.

In eamdem sit sententiam Græcus interpres, ita fatus: *Συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη. Congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Imò præ aliis linguis Græca fauet titulo paragraphi huius: nimirum futurum illud *συναχθήσονται, congregabuntur*, deducitur à verbo *συνάγω*, quod tria significat, videlicet colligo, congrego, & conduco, ita vt omnimoda explicatio textus Græci sit ista: colligentur, congregabuntur, & conducentur ante eum omnes Gentes, ita vt eo verbo triplex intelligatur officium Angelorum: primum erit colligere superstites corporum exuuias, vt sunt ossa, cineres: alterum erit, eâ industriâ congregare, & aptare, vt ad similitudinem humani corporis effingantur: tertium denique munus erit homines suscitatos conducere in condictum locum. Concordi itaque linguarum suffragio, inconcussa manet mea conclusio, nacta licet iniquiorem Origenem, in illam sententiam perperàm insurgentem.

Græca.

SENSVS LITERALIS.

Angeli localiter congregabunt omnes, siue bonos, siue malos, in die iudicij.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

CONIECTVRA TERTIA.

Ex SS. Patribus.

Sancti Patres prætereunt explicationem adæquatam huius versiculi.

IN re ancipiti, siquando vacet numerosa testium depositio, vni quandoque creditur testi si sit omni exceptione maior: virtus namque emerita alicuius hominis insignis, plurium testium sibi vendicat pondus & momentum. Cùm ergo Sancti Patres, Scripturæ sanctioris interpretes, tacitam prætericrint suam sententiam, dum præsentem textum expenderunt; à quo congregabuntur omnes Gentes, haudquaquam expresserint: non cunctabor tamen confirmare meam sententiam auctoritate Patrum; quippe vnum habeo Augustinum vocalem in eo argumento, vbi alij omnes elingues sunt: etenim nemo sanctiorum Patrum, quos ego consului, affirmauit aut negauit sistendas Iudici Gentes omnes, beneficio Angelorum, quorum industriam in eo supremo mundi agone Christus Dominus adhibebit. Tacitis omnibus, vnus Augustinus audacter eloquitur, & præit mihi affirmanti, Angelorum ministerio homines congregandos, imò & bonos à malis separandos, & muneris Angelorum fore ea, quæ sacro Codice recensentur in eo argumento congregationis hominum, & separationis ab inuicem, suamque sententiam ille Sanctus adstruit auctoritate Psaltis ita occinentis: *Deus noster manifestè veniet, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius.*

Psal. 49.

Beatus ille interpres speculans illum Psalmum, ita commentatur: *Hoc nos de Domino nostro Iesu Christo intelligimus, quem de cælo speramus esse venturum ad viuos & mortuos iudicandum. Manifestus enim veniet, inter iustos & iniustos iudicaturus iustè, qui prius venit occultus ab iniustis iudicandus iniustè, &c. Aduocabit cælum sursum & terram, nihil melius intelligi existimo, quàm homines, qui rapientur obuiam Christo in aera, sed cælum dictum propter animas, terram propter corpora. Discernere porrò populum, quid est, nisi per iudicium separare bonos a malis, tamquam oues ab hædis? Deinde conuersio sermonis ad Angelos facta est: Congregate illi Sanctos eius. Profectò enim per Angelicum ministerium tanta res peragenda est.* Non ergo deest locuples testis & assertor effati, quo decernitur Angelis munus homines sistendi Christo Domino iudicanti.

August. l. 20. de ciuit. Dei. c. 24.

Angelorum ministerio multa fient in die iudicij, ex sententia Augustini.

SENSVS LITERALIS.

In die iudicij realis erit bonorum & malorum discretio, & collocatio ad dextram & sinistram.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem a sinistris.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Duplex erit iudicium in die vltimo iudicij generalis.

Ex Theologia. Thom. lib. 4. sent. dist. 47.

OMnium doctorum est concors sententia, in vltimis mundi comitiis fore duplex iudicium. Vnum retributionis, aliud discussionis. Præmij aut supplicij assignatio, dicitur iudicium retributionis: nemini à iudice decernitur præmium aut supplicium iniustè. Eo iudicio iudicabuntur omnes homines: quippe nemo die illo indonatus abibit; sed iuxta Apostoli effatum, vnusquisque recipiet prout se gesserit, siue bonum, siue malum. Hoc iudicio concludetur omne hominum genus; at non ad Angelos aut dæmones pertinet directè illud iudicium, quia beatis & reprobis Angelis fuere congrua supplicia & præmia constituta, nam sunt nacti finem merendi & demerendi, postquam Angeli nequam abdicauere Dei obsequium, & beati secus illibato affectu ei iugiter adhæserunt. Vnde quia Deus non iudicat bis in id ipsum; iudicium ad Angelos minimè pertinebit. Et profectò de Angelo nequam extat illa Christi sententia: *Princeps huius mundi iam iudicatus est.* Ad quid ergo repetere iudicium antea consummatum.

Iudicium non pertinet ad Angelos bonos, aut malos.

Ioan. 16.

Iudicium discussionis dicitur illud, quo præuio examine merita appenduntur ad trutinam, pondere sanctuarij. Hoc iudicium ad eos tantùm spectat, qui habuerunt in se merendi principium, fidem scilicet & charitatem, vt sunt Christiani omnes. De aliis verò hominibus infidelibus nulla prorsus erit discussio, quia illi totum suum æuum egerunt nescij meritorum, ac proinde non erit vllum argumentum discutiendi vitam repetito diu crimine conspurcatam. Rursus eo iudicio non censebuntur illi, qui næui expertes, gratiam

Ad quos spectet iudicium discussionis.

tiam in Baptiſmo acceptam eodem tenore non illibatam tantùm aſſeruarunt vſque ad mortem; ſed eam excoluere pluribus incrementis. Itaque iudicio diſcuſſionis ſubiicientur hi duntaxat, quorum diſcolor quandoque vita, diſpares vitiorum, & virtutum teſſeras induit. Huius claſſis erunt plerique & Beati, & damnati; hac cautione tamen, vt Beati non excidant certitudine ſuæ ſortis, nec vllum inde metum concipiant, cùm illa diſcuſſio fiat ad comprobandam Dei iuſtitiam, quæ vt deprehendit in pœnitentibus congrua merita, expunxit eorum culpas, præmio afficiens animas facti pœnitentes. Ita & ſecus in reprobis, qui ceſſere fatis malè ſibi conſcij, illa diſcuſſio nullam ſalutis dubiæ ſpem conferet, cùm eos lancinans conſcientia clamet indignos miſeratione Iudicis, ideò diſcutientis Chriſtianorum impiorum vitam, vt omnibus perſpicuum ſit iuſtum illud iudicium, quo impia hæc capita caſtigantur.

Quare vtrumque iudicium, retributionis, & diſcuſſionis, pertineat realis ſeparatio bonorum, & malorum.

Vtrumque illud iudicium, retributionis ſcilicet & diſcuſſionis, diſcretionem loci petit in Beatis & damnatis, quippe ex momento ipſo reſurrectionis, Beatorum corpora dignata dote agilitatis, & dedignata ſolum, rapientur in aëra obuiã Chriſto, ſortita locum dexterum, vt conſonum eorum dignitati. Impiorum verò corpora importuna vitiorum grauedine ponderoſa, deorſum vergent, & quaſi ſolo affixa eniti non poterunt; ideoque locali diuortio bonorum & malorum corpora diſpeſcentur, nec promiſcuè adinuicem miſti erunt, ſed ſingulis quibuſque locus aſſignabitur pro pondere meritorum. Quod verò boni nuncupentur oues, & mali nominentur hœdi, hoc graphicè delineat indolem vtriuſque claſſis, beatæ ſcilicet & damnatæ. Nimirum in oue nihil omnino vacat, etiam ipſa ſuperſtite; ſiquidem eius vellere induitur homo, & eius lacte paſcitur, & potatur: hœdus verò nihil occiſus homini confert. Ita boni, dum in viuis eſſent ſeſe omnibus præſtitere beneficos, pro natura boni, cuius eſt hoc ingenium, vt fontis vberrimi inſtar in varios latices effundatur: aſt iniqui ſimiles hœdis, per inuia & petroſa incedentes, nihil niſi olidum afflarunt; vnde operæpretium eſt, vt mactentur gladio diuinæ iuſtitiæ, vt ſaltem morte æterna mulctati proſint iis, qui ante iudicium ſpeculantur iniquam eorum ſortem.

Quare oues & hœdi bonos & malos ſignificent.

Illa accurata deſcriptio rerum gerendarum in illo iudicio, ſatis ſuperque damnat delirium Origenis, arbitrati ſingula hæc quæque capita commemorata à Chriſto poſſe capi ſpirituali modo; quod reuera non negarim, dummodò fateatur Origenes, ſtare fidem literæ, & fore realia omnia prout ſonant. Hoc namque poſito, per me non ſtat, quin præuio ſenſu literali ſoſpite, quiſque poſſit ad mores inſtruendos myſticos adhuc ſenſus elicere, vt fortè voluit Origenes, cui ritus ille inolitus eſt, cuiuſque literæ ſacræ corticem præterire, vt myſteriorum nucleum edendum proliciat; nec tamen illud obſtat, quin penes hunc hominem eruditum fortè ſteterit integra fides ſenſus literalis, ſacro codice recenſiti.

Quomodò poſſit Origenes excuſari explicãs myſticè ea quæ de iudicio recenſentur.

SENSVS LITERALIS.

Realis erit diſcretio bonorum, & malorum, ſicut & collatio ad dexteram, & ſiniſtram Chriſti, in die iudicij.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Quare ſtatim à reſurrectione boni ſeparabũtur à malis.

Rerum omnium inclinatio in finem hæc eſt, vt quò propriùs ad centrum ſuum accedunt, eò etiam maiori œſtro percitæ deferantur. Cùm ergo explicata die iudicij, Beati omnes nacti ſint ſua corpora rediuiua, & eorum finis ſit adhærere & ſociari Chriſto; inſipiens eſt, aliqualem cogitare moram, qua Beati degant in nefando iniquorum cœtu. Namque Beatorum ille ſtatus, moratum impatiens, non concordat cum ſpurciſſima illa damnatorum colluuie. Eamobrem diſplicet illa quorumdam ſententia, qui bonos & malos gregatim ſiſtunt Iudici, qui ſimul adunatos poſtea ſegregabit facta diſcuſſione meritorum. Sententia illa labat auctoritate Pauli, qui commemorando diem iudicij, ait iuſtos rapiendos in aëra obuiam Chriſto. Si eunt obuiam Chriſto diſcreti à reprobis, profectò anteuertent omnem diſcuſſionem meritorum: etenim ire obuiam alicui, eſt ei occurrere antequam eò perueneritt, quò pergit. Vnde ex hoc Pauli præſcij eloquio coniicio, ſeponendos ab Angelis ſeorſum cineres Beatorum, & ab eis incipiendam reſurrectionem hominum, ſicut prima Iudicis ſententia feretur in gratiam illorum Chriſti Domini cohæredum.

Quando boni à malis ſeparabuntur.

Ex lingvis.

Hanc ſeparationem fore antè omne iudicium diſcuſſionis & retributionis, egregiè ſuggerit textus Hebræus, qui vt deſcripſit Iudicem venientem congruâ ſtipatum gloriâ, ſtatim ſubiicit eum demandaturum hanc curam, ſcilicet vt ſeparentur Gentes. Ecce idioma ſanctum, אותם ויפריד *veiaphrid othem, & faciet eas ſeparare.* Quod vulgata editio dixit, *ſeparabit*, dialectus Hebræa reddit, *faciet eas ſeparare*, hoc enim ſonat ſeries hæc verborum; ויפריד אותם *veiaphrid otham*: ſiquidem radix פרד *parad*, quæ diuiſionem ſignificat, coniugatur in *Hiphil*, & non in *Kal*, ac proinde notat illam ſeparationem fore miniſterio eorumdem, qui congregabunt Gentes: nimirum duo verba Hebræa נקה *nakab* פרד *parad*; congregare, ſeparare, ſunt futuri *Hiphil*, adiecta coniunctione *vau*, vt illa copulans particula ſignificet eodem temporis articulo fore collectionem, & ſeparationem reliquiarum hominum, qui ſiſtentur Chriſto venienti ad cenſendá præmia meritorum. Itaque neſcio qua ratione fieri arbitrentur quidam, fore ſimul & velut in eadem claſſe Beatos & reprobos diſcutiendos, antequam ſeparentur, & accipiant congruas ſuæ ſorti ſententias.

Hebræus.

Congregationem hominum, & ſeparationẽ ſimul probat textus Hebræus.

Quàm accurata ſit futura illa ſeparatio bonorũ à malis liquet ex textu Syro.

Verſio Syriacà abhorret ab ea opinione, quæ pro

promiscuam facit illam societatem bonorum, & malorum: enimverò quasi non sufficeret dicere: *Congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eos ab inuicem.* Idioma Syrum elimatiùs expressit, quàm accurata sit futura illa diuisio. Ecce dialectum notam huius exquisiti diuortij. ונפרש אנון חד מן חד *venaphresch enun chad mē*

CHALDÆA. *chad, & faciet eas separare vnam ab vna.* Hoc nempe sonant illæ voces, חד מן חד *chad men chad, vnā ab vna.* Quasi diceret: Tantùm abest, vt futura sit promiscua bonorum & malorum societas, quin potiùs adeò singularis erit *vtrorumque* discretio, vt nequidem vnus cum altero residuus sit futurus.

SYRIACA. Nota obiter, vocem ונפרש *venaphresch*, deduci à radice, פרש *pherasch*, quæ apud Syros & Chaldæos significat specialem separationem, qualis fuit ea, quam profitebantur doctores illi Iudæorum, qui ita à populo secreti erant, vt ab ea discretione dicerentur Pharisæi, id est, singulariter à populo separati. Vt ergo Syrus interpres ostenderet fore bonos procul à malis in discussione illa meritorum, adhibuit vocem פרש *pherasch*, cuius proprium est denotare separationem insignem, qualis erit illa bonorum & malorum.

GRÆCA. Accedit & Græca dialectus sic concinens. Ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων. *Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.*

Discretionem locorū belle probat textus Græcus.

Nota futurum illud, ἀφοριεῖ, quod est Atticum, pro communi ἀφορίσει, id est, *separabit*, deduci ab ἀφορίζω, id est, *seorsum pono.* Vnde sententiæ præcipuæ Hippocratis collectæ ex diuersis eius operibus, & seorsim repositæ dicuntur Aphorismi. Vt ergo sacer textus exprimeret iustos esse procul à reprobis seponendos, visus est verbo ἀφορίζω, cui ad lineandam illam exquisitam diuisionem inest gratia singularis. Fauet & similitudo pastoris segregantis oues ab hœdis: esto namque oues & hœdi simul in pascuis errent; est ratio tamen dispar in vtrisque, quando referre intendit pastor aliquod commodum ab hoc grege: quippe seponit oues ad mulgendum, & tondendum; hœdos verò destinat ad macellum. Mundus iste ager est vtrique apertus bonis & malis indiscriminatim: illic est promiscua societas impiorum & iustorum, vt communi consortio discordes illi hominum status consulant sibi:

Quare in hoc sæculo promiscua sit societas bonorum, & malorum.

etenim malorum iniquitas plerumque bonis proficit ad examen virtutis insolitæ, & ad gratiarum multiplex incrementum; siquidem virtus irrigata probris impiorum hominum fortiùs adolescit. Ita ex aduerso, noxiorum hominum & proborum consuetudo vtplurimum sistit præcipitem vitiorum fluxum, quia etiam impudentes pudet non pudere, dum occurrunt homines virtutis impigræ professores; imò quandoque mali ex bonorum commercio resipiscunt. Et hæc sunt argumenta, quibus innititur illud bonorum & malorum commune in hoc sæculo commercium. Sed quia in die iudicij quisque suum finem nactus erit, illa communis hominum disparium frequentia dissoluetur.

* * *

SENSVS LITERALIS.

Non promiscuè congregabuntur homines in die iudicij, sed seorsim boni à malis dispescentur.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. PATRIBVS.

OMne hominum impiorum commercium adeò displicuit Sanctis, vt Ioannes Apostolus noluerit balneum ingredi, quo Ebion vtebatur.

Societas impiorum semper displicuit bonis.

Ambrosius item audiens hominem prædiuitem se iactantem de secunda fortuna, sibi hactenus aspirante, suspicatus in eo homine nequitiam, continuò secessit ab eius ædibus, quæ concussæ subitò corruerunt. Antonius ille Magnus eo iniquo animo fuit contra Origenem, vt conscios homines errorum eius fuerit velut olidos aspernatus: affirmabat enim, hæreticos spirare odorem teterrimum, & ingratum quibusque bonis hominibus.

Ex vitis Ioan. Apost. Ambrosij, & Antonij.

Qui ergo ægrè tulerunt in hoc sæculo consortium impiorum hominum, profectò iam beati suo corpore rediuiuo non ferent contactum corporum obscœnorum; sed statim iusti suo corpore suscitati ad ouium caulas euolabunt, derelictis hœdis ad lanienam & macellum: virga namque comburetur tunc, qua duriùs excepti sunt ab iniquis iusti homines, tunc à damnatis illico distinguendi, & reponendi ad dexteram Iudicis, singulorum merita recensentis.

Audiendus in eo argumento Augustinus, ita fatus: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Modò quidem iusti aliquantum laborant, & modò aliquantum iniusti dominantur iustis, veniunt ad honores, fiunt Reges, quia hoc facit Deus super disciplinam plebis suæ, exhibendus est ille honor debitus potestati. Sed nunquid sic erit semper, vt iniqui imperent iustis? Non sic erit, & ideo Psalmus ait: Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum; sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus, quando vnus Christus in claritate sua apparens, congreget ante omnes Gentes, & diuidet eas, sicut diuidit pastor oues ab hœdis, oues ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram. Et videbitis ibi multos seruos inter oues, & multos dominos inter hœdos; & rursus multos dominos inter oues, & multos seruos inter hœdos. Sed ferant iusti ad tempus dominos, quia non erit hoc in sempiternum; sed præparent se ad possidendam hæreditatem, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Nam si videant, quia semper est virga peccatorum super sortem iustorum, cogitant apud se, & dicunt: Quid mihi prodest, quia iustus sum? Semper mihi dominabitur iniquus, & ego semper seruus ero? Ne autem hoc dicat, dicitur illi, quia ad tempus potest esse virga peccatorum super sortem*

August. in Psal. 124.

Iniusti in hoc sæculo bonis præficiuntur vtplurimum.

Quinā mysticè intellexerunt collocationem Beatorū ad dexteram Christi.

rem iustorum, non tamen eam relinquet Dominus super sortem iustorum. Vnde subdit: Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Augustinus hoc contextu literaliter intelligit dexteram & sinistram, atque adeò ei non probatur sententia Hieronymi arbitrati dexteram & sinistram eo loco significare bonum & malum, vt antea censuerat Origenes, cui reponi ad dexteram perinde est, ac recipere præmia congrua meritorum. Sic ille: *Sancti, qui dextra opera operati sunt, acceperunt pro mercede suorum dexterorum dexteram Regis, in qua requies est & gloria. Mali verò propter opera sua pessima & sinistra ceciderunt in sinistram; id est, in tristitiam tormentorum.* Hieronymus multum deferens Origeni, eumdem cum eo callem iniit decurrendo locum illum, in quo subodoratus allegoriam ita eum expendit. *Quod sequitur: statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris; iuxta illud intellige, quod alibi legis: Cor sapientis in dextra eius, & cor stulti in sinistra illius. Et supra in hoc eodē Euāgelio: Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua. Oues in parte iustorum stare iubentur ad dexteram: hœdi, hoc est peccatores, ad sinistram.* Non carpo Hieronymi allegoriam, dummodo stet illibata fides historiæ, quæ literaliter intelligi debet, vbi nihil obstat, sicut in eo textu, quem expendo, dicens reuera bonos separandos à malis, & reponendos ad dexteram Christi, sicut exposuit Augustinus, sequutus Hilarium, eo sæculo magni nominis interpretem, qui sic commentatur recolens seriem rerum gerendarum à Christo in die iudicij. *Fideles, inquit, ab infidelibus separabit, atque ab infructuosa discerneret, hœdos videlicet ab agnis, & in dextra ac sinistra collocans vnumquemque, digna aut bonitatis aut malitiæ suæ sede constituet.* Sunt & alij nobiles interpretes eiusdem mecum sententiæ, vtique literam prout sonat intelligentes, in eo præcipuè textu; vbi res est de separatione iustorum, & sessione eorum ad dexteram Christi. In his est celeberrimus interpres Chrysostomus:

Origenes tract. 34. in Matthæum.

Hieronym. in c. 25. Matth.

Hilarius Canone 28. in Matth.

Accipe eius concordem mihi sententiam. *Nunc* (inquit) *non segregati, sed misti sunt vniuersi; tunc verò exquisitissimè separatio fiet, & ab ipsa vtriusque partis statione ita distincti, vt pateant vniuersis: quamuis etiam hac appellatione mores vtriusque partis aperiantur; cùm alij hœdorum, alij ouium nuncupatione nominentur, vt alterum sterilitas, quia nihil ab hœdis producitur, aliorum fertilitas ostendatur. Vberes enim & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, à lactis copia, ab elegantia lana, à fœtu, quibus omnium hœdorum genus omnino caret. Sed expertes rationis animantes natura duce fructificant, aut steriles sunt: homines vtrumque istorum faciunt; quapropter meritò alteri puniuntur, alteri coronis decorantur.* Ille idem sibi constans alibi affirmat, fore vt iusti omnes sursum euecti Christo Domino occurrant, malis interea derelictis in infimo loco, vt congruo meritis hominum, qui rerum superarum incurij, ad terrena tantùm iugiter anhelarunt. Ecce viri sancti sensa: *Nos* (inquit) *qui viuimus; simul rapiemur cum illis in aera obuiam Christo. Si descensurus est Christus, vt quid rapiemur? Honoris gratia. Nam Rege ciuitatem ingressuro, qui illustres quidem sunt, ad occursum eius egrediuntur, qui verò rei sunt & iudicio obnoxij, intus expectant iudicem. Et patri beneuolo, & pro aduentante filij quidem, & qui digni essent filiorum loco, per vehiculum educuntur, vt videant, & exosculentur, qui verò de seruis interea illum offenderunt, intus expectant eum. Ipse Pater in nubibus suscepit Christum. Et nos in nubibus rapiemur. Vides quantus est futurus honor? Et occursum descendenti faciemus, & quod omnium est felicissimum, ita semper cum Domino erimus. Qualis igitur tremor, qualis timor eos, qui tunc in terra erunt, qui iudicem expectabunt, obtinebit? Vna namque rapietur, & altera relinquetur: vnus accipietur, & vnus relinquetur. Quis erit tunc animus eorum, quando istos quidem sublatos videbunt, se verò ipsos relictos? An non quauis gehenna terribilius, eos ita deiectos ac consternatos.* Hæc ille, qui denuo recolens illos à se inuicem dissitos status bonorum & malorum, ita eos recenset vt discretos, commemorans malos vt abiectos procul à Beatorum cœtu.

Chrysostom. hom. 80. in Matth.

Quare boni & mali oues & hœdi nominentur.

Iusti Christo occurrēt sursum euecti.

Chrysostom. homil. 8. in Epist. ad Thessalon.

Ne desideres illum etiam textum, animus fert eum dictare tibi. *Quomodo* (inquit) *fieri potest, vt tunc non concutiatur qualibet potentia? Si enim fluuius ignem non volueret; neque Angeli assisterent adeò formidabiles; soli autem conuocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriè, ne gloriam Dei videat, num illud per se pœna foret tota gehenna longè acerbior? Quare obsecro ob oculos modo ponas, non dico immanissimam illam pœnam; & suffusos graui pudore; necnon palam conspicuos, defixis in terram oculis ob conscientiam ignominiæ, sed illam viam teterrimam, qua ad ignem abripit, sed & ferentes tormenta, traditosque atrocibus punitoribus, idque eo tempore, quo coronis adornati celebresque excantantibus Angelis, regio throno assistunt, quicumque hîc bona facientes, digni habiti sunt vita æterna.* Hactenus ille Sanctus, suo suffragio multum luminis adiiciens conclusioni meæ, de discretione bonorum & malorum, quos crediderte quidam promiscuè iudicandos.

Idem epistolâ ad Theodorū lapsum.

Quare timore horribili quatientur reprobi in die iudicij.

SENSVS LITERALIS:

Præcipuus effectus prædestinationis, est corporis & animæ glorificatio; refundenda in benedictionem Dei.

In hæc verba:

Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

§. IV.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Tametsi Christum regiæ decebant infulæ, à primo temporis articulo, quo hominem induit, & in tesseram regni sui voluerit sibi vagienti in cunis aduolui Reges, suo testantes obsequio, puerulum illum esse Regem Regum; non vsquequaque tamen ille rerum Dominus degens in

Quomodo sit Christus omnium hominum caput.

in humanis Regē egit: non enim venerat ministrari, sed ministrare, virtutū omnium & pręcipuè humilitatis specimen editurus. Se præstare Regem persona fuit demandanda in extremum dehiscentis mundi deliquium, quando scilicet idem Christus cinctus corona Beatorum, in partem regni adsciscet beandos homines. In argumentum eius veritatis, idem Iesvs rogatus à Latrone pendulo in cruce, & agnitus vt Rex, copiam fecit illi regni cœlestis, cum sic affatus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quasi diceret: Non est hæc cassa fides, qua concepisti in me regiam maiestatem: Equidem Rex sum ego, & mei iuris est ad arbitrium efficere homines consortes regni mei.

Luc.23.

EX THEOLOGIA. *Thom. 3. p. q. 8. art. 1.*

Christum esse Regem seu hominum caput, clamat versus expendendus, cui ex Theologia lumen adiicio sic discurrens. Omne hominum genus aliquali modo dici potest Ecclesia: nam esto plerique non sint fideles actu; sunt tamen potentia, nullius quippe est deploranda salus quamdiu degit in humanis. Sicut autem tota Ecclesia nominatur corpus mysticum, petita similitudine è naturali corpore humano, cui pro ratione membrorum dispares etiam actus conueniunt: eo etiam modo Christus censetur Ecclesiæ caput, iuxta ideam humani capitis, in quo tria coëunt, scilicet ordo, perfectio, & virtus. Ordo quidem, quia caput est prima pars hominis spectati à superiori parte. Ab eo schemate, seu modo loquendi, hoc omne dicimus esse caput, cui aliqua congruit ratio principij, vt Ezechielis 16. *Ad omne caput viæ, ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Rursus perfectio attendi potest, quia in capite vigent sensus omnes, cùm interni, tum externi, è quorum serie solus tactus in cætera membra diffunditur. In eo sensu hominem multiscium dicimus esse caput, vt Isaiæ 9. *Senex & longæuus ipse est caput.* Demum virtus considerari potest, quatenus omnia membra reguntur & mouentur à capite, vbi vis motiua & sensitiua maximè dominatur. Hinc Regem dicimus esse caput regni, vt de Saüle fatus est Vates: *Nonne* (inquit) *cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es.* Iuxta hæc tria, Christus est caput Ecclesiæ, videlicet ratione ordinis, perfectionis, & virtutis. Nempe vt propius ad Deum accedit, gratia eius altior est, & prior etsi non tempore; quia omnes alij receperunt gratiam per respectum ad gratiā Christi, vt Paulus enuntiat hoc tenore: *Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Si de perfectione res est, illa in Christo nitet tanta quanta potest esse maxima, Ioanne assertore: *Vidimus* (inquit) *eum plenum gratiæ, & veritatis.* Denique Christus ea virtute præpollet, vt eius muneris sit quod gratiæ latices alluunt omnia sana membra Ecclesiæ. Eò pertinet illa Ioannis sententia: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Caput multifariàm dicitur.

Ezech.16. *Isaia 9.* *1. Reg. 15.* *Rom.8.* *Ioan.1.* *Ibidem.*

Aduerte tamen, Regem, & caput, non esse voces adeò synonymas, quin plerumque separari queant; latius enim patet nomenclatura Regis, quàm capitis: quippe caput dicit vnionem cum membris saltem in potentia, vt in ea possit influere, & munia capitis exercere: vnde Christus non est caput damnatorum, quia præcisi sunt à capite illo, cuius gratia nusquam influet in putida illa membra seorsim reposita. Sed esto caput non sit, Rex tamen est, vtpote ius habens in omne hominum genus, imò & in omnes Angelorum choros, iis vtens ad arbitrium suum. Summæ illius potestatis Dominus ipse fuit assertor, suos ita præmonens discipulos: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Regiam hanc Christi maiestatem, qua eminet Angelis, & rationem capitis Ecclesiæ, eleganter Apostolus adstruit hoc contextu: *Credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius.*

Latiùs patet nomen Regis quàm capitis.

Matth.28. Quantum Christus eminet. *Ephes.1.*

Ex præfatis, in die iudicij non erit Christus omnium hominum caput, sed Beatorum tantùm, quia viuida illa membra gratiæ obsequio, illi Domino vt capiti suo iugiter adhærebunt. At reprobi procul ab hoc capite non censebuntur membra eius; subiicientur tamen regiæ potestati, quæ tunc maximè se prodet, cùm decernet vnicuique præmia, aut supplicia æterna: Ius namque vitæ & necis est pręcipua tessera regiæ maiestatis. Ideoque in titulo præfixo isti paragrapho, Christus non se Iudicem modò, sed Regem nuncupat: *Tunc* (inquit) *dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.* Et hic est germanus literæ sensus. Quare autem non dixerit: Venite benedicti mei; sed: *Venite benedicti Patris mei.* Illud est petendum ex Theologia, quæ in æternam prædestinationem refundit, vt in causam, omnia quæ pertinent ad glorificationem corporis & animæ Beatorum. Sic illa disciplina Deo afflata, sua pangit oracula. *Prædestinatio est præcognitio Dei de saluandis, & bonis gratia, quibus hic liberantur, & in futuro coronabuntur.* Ita Magister; vel ex S.Thoma: *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis ad vitam æternam in mente Dei.* Nota, prædestinationem vt in Deo est, actiuè sumi, & dicere actionem immanentem, quæ nihil aliud est quàm ipse Deus æternus, ab æterno prædestinans. Vnde planè alia ratio est prædestinationis passiuè sumptæ; illa nempe dicit actionem transeuntem in creaturam prædestinatam: connotat enim prædestinatio illa effectus æternæ prædestinationis, quæ perinde est ac diuina essentia, vt causa gratiæ & gloriæ secundùm ordinatam ab æterno distributionem vtriusque. Rursus aduerte, illam Dei præordinationem non tantùm pertinere ad intellectum Dei, sed & ad voluntatem & potentiam: nimirum illic est scientia vt disponens, voluntas vt efficiens, potentia vt exequens. Idcirco definitur prædestinatio ab Augustino in ordine ad potentiam, scientiam, & voluntatem.

Christus in die iudicij non erit omnium hominum caput, sed Rex.

EX THEOLOGIA. Variæ definitiones prędestinationis.

Magister sent. l. 1. sent. dist. 40. Tho. 1. p. q. 23. art. 1.

Prædestinatio in Deo dicit scientiam, voluntatem, & potentiam.

Verbi gratia illa definitio pertinet ad potentiam exequentem: *Prædestinatio est gratuitæ donationis præparatio.* Rursus idem Sanctus attendens ad scientiam Dei, ita fatur: *Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei.* Demum ne tacitam videretur prætermisisse voluntatem Dei, sic suam in eo argumento prodit sententiam: *Prædestinatio est propositum miserendi.* Quamuis prædestinatio importet hæc tria; tamen præcipuè & magis ad voluntatē pertinet quàm ad intellectum, quicquid resonet cōtrà omnis schola Thomistarum, refundens in intellectum formalitatem prædestinationis. Ex aduerso stant Scotistæ omnes, quibus antea præiuit Beatus Bonauentura Doctor Seraphicus, ita suum probans intentum:

Aug. l. de fide ad Petr. c. 35. *Idem l. de prædestinat. Sanct. c. 10.* *Scotus l. 1. sent. dist. 40. qu. 1.*

Prædesti

Bonau. lib. 1. sen. dist. 40.

Prædestinatio est causa gratiæ, & gloriæ: sed gratia, & gloria immediatè sunt à voluntate: Ergo in voluntatem Dei refundenda est prædestinatio, licet etiam connotet scientiam. Etenim quando illa duo coëunt, scilicet scientia & voluntas; voluntas se habet per modum consequentis, & addentis ad scientiam: sed quod consequitur, & addit, se habet per modum differentiæ, & complementi, & à tali est res denominanda: Ergò magis ad voluntatem pertinet prædestinatio, quàm ad intellectum: nimirum præcipuus prædestinationis cardo, non est in præscientia beneficiorum Dei, sed in proposito vocandi creaturas in partem benefactorum Dei.

An prædestinatio magis pertineat ad voluntatem, quàm ad intellectum.

Ex præfatis colligere est, ea omnia quæ conducunt per se directè ad gloriam æternam esse effectus prædestinationis: cùm enim æternum Dei propositum suo effectu cadere nequeat, & Deus ab æterno proposuerit dignari gloriâ æternâ eos, quos præordinauit; illa glorificatio, quæ est vltimus effectus, seu finis prædestinationis, est refundenda in voluntatem Dei, quæ est practica rerum, quas proponit. Hinc emersit illa Theologorum sententia, quæ concludit, prædestinationem causaliter & effectiuè sumptam omnia ponere in subiecto, quæ faciunt ad æternam gloriam aut expandam. Eamobrem sensu literalis huius sententiæ latæ in gratiam Beatorum, hic est; O beatæ mentes, illud omne, quod emicat in vobis & rutilat, effectus est propositi æterni, quo Deus vos discreuit ab iniqua colluuie damnatorum. Vobis nondum existentibus benedixit Deus: dicere autem Dei, perinde est ac facere; ita vt, quia benedicti, ideo etiam beati facti sitis, effecti consortes illius gloriæ æternæ, ad quam præordinati estis longè ante incunabula mundi.

Quot modis prædestinatio sit causa gratiæ.

Rex itaque Beatos vocat benedictos Patris, antequam decernat eis gloriam æternam, vt non videatur humanitati suæ assignare causam beatitudinis nostræ, sed prædestinationi æternæ, quæ ex Bonauentura ratione scientiæ, quam includit, est causa gratiæ in genere causæ formalis, seu exemplaris: ratione verò beneplaciti eadem prædestinatio causa est efficiens gratiæ: at considerata in ordine ad dispositionem seu bonitatem diuinam est causa gratiæ in genere causæ finalis. Prætetea prædestinatio plurium causarum proprietates participat, sine vllo imperfectionis earum commercio: quippe cum causa vniuersali porrigitur ad multos & varios effectus: cum causâ particulari non est indiga rerum, quas vendicat sibi productio singularium effectuum: cum causa necessaria habet immutabilitatem: denique cum causa contingente prædestinatio nihil officit libertati arbitrij, ita vt contingens sit hominem hunc saluari. Sed esto per varias causarum classes discurrat prædestinatio, gratiam impertiens passiuè sumpta, siue vt præordinationis æternæ executionem signat, attamen illa nescit næuos, quibus obnoxiæ sunt causæ illæ proximè recensitæ. Nempe prædestinatio expers est insufficientiæ illius, quæ comes est indiuidua causæ vniuersalis: procul enim est à limitatione causæ singularis: nec habet sociam inevitabilitatem, quæ sequitur causam necessariam: nec demum prædestinatio vertibilis est instar causæ contingentis. Quod ergo Iudex Beatos nuncupat benedictos Patris, est velut explicatio causæ primariæ beatitudinis æternæ, quæ est finis prædestinationis, à qua insti habent vt sint benedicti.

Prædestinatio est causa vniuersalis, singularis, necessaria, & contingens.

Cæterùm quandò audis, Beatos esse benedictos Patris, caue ne surrepat tibi, illam benedictionem esse à Patre æterno tantùm: illud nempè delirium est si spectat effectum, cuiusmodi est prædestinatio connotans in creatura rationali vocationem, iustificationem, & glorificationem. Idcircò Patris vox in eo loco debet sumi essentialiter, & non personaliter: vt cùm in oratione Dominica Deus dicitur Pater noster, qui est in cœlis; vox illa Pater, non designat primam personam, cui soli ad intra competit generare, sed Deo affingitur vt est rerum omnium auctor. Nec obstat, Christum Filium Dei vocare illum Patrem, ac proinde esse ansam dubitandi, an vox illa, Pater, cadat in essentiam, aut personam. Etenim illa diluitur instantia, si recolimus Christum vt hominem loqui, qui vt homo est, eodem Deo satus est, quo & nos, qui eum vocamus Patrem, non ratione personæ, à qua procedit Verbum, sed ratione essentiæ, quæ vna est tribus in personis. Vnde vocare Beatos benedictos Patris, perinde est, ac vocare benedictos eius, à quo prædestinati sunt: At prædestinati sunt à Deo trino in personis: Ergo sunt benedicti Dei, vt Deus est trinus in personis, & non benedicti tantùm primæ personæ sanctissimæ Trinitatis.

Pater in diuinis non semper excludit Filiũ, & Spiritum Sanctũ, quia essentialiter accipitur.

SENSVS LITERALIS.

Inauguratio Beatorum est vltimus effectus seu finis prædestinationis æternæ, cuius causa est bonitas Dei.

In hæc verba:

Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Psal. 148.

Quid sit benedicere alicui.

Ex concordi Theologorum assensu, dicere in Deo perinde est ac facere, iuxta illud Psaltis: *Dixit & facta sunt.* Hinc proximè intuli, Beatos fuisse bonos effectos, quia benedicti fuere à Deo. Illud idem liquidiùs patet, si ad trutinam Hebræorum expenditur verbum, dico. Etenim, אמר *amar*, non solùm significat dicere, sed & perinde est ac ordinare, suscitare voluntatem eius ad implendum illud, quod indicitur: item illud verbum idem sonat, quod condicere in aliquem locum, & exaltare. Habes in Mercero exempla cuiusque significati. Hebræis ergo, Deum benedicere alicui, est quasi eum ordinare ad bonum finem, & voluntatem eius percellere ad assequutionem finis, diuino eloquio præstituti, quo adepto ille fortitus est præmium, quo habet vnde iugiter exaltetur. Diceres, de industria esse inuentum illud verbum, vt exquisitam faceret anatomen effectuum prædestinationis, antea eodem verbo descriptæ: quippe illa radicalis, אמר *amar*, præter voces assignatas, significat adhuc cogitare in corde suo. Et hæc notio bellè delineat prædestinationem actiuè sumptam, vt est actio immanens ab æterno in Deo, qui quasi sinu suo fouit eos,

Ex Lingvis.

Hebræa.

Qui sint effectus prædestinationis.

eos, quibus ab æterno benedixit; vbi autem explicata sunt momenta & tempora congrua vocationi, Deus prædestinatos ad sui obsequium fortiter aduocauit; & ne irrita foret illa vocatio, voluntatem inolita sibi suauitate pellexit, vt citra libertatis dispendium, sese componeret ad vocantis æternum arbitrium, & sic iustificaretur anima dignata hocce Dei illapsu, bonis inde intenta operibus, quibus gratia excolitur, vt demum depositis huius corporis exuuiis, in gloria Dei iugiter exaltetur.

Quàm sit ampla significatio apud Hebræos vocis quæ benedictum significat.

Non incongruè dixi, Christum Beatos nuncupare benedictos, vt ostenderet prædestinationem esse scaturiginem, vnde in beandos homines omnium gratiarum latices effluxerunt. Præter obseruationes præfatas ex verbo, אמר *amar*, textus Hebræus Matthæi opportunus adest, אני לכו ברוכי *lecu beruche ani. Venite benedicti Patris mei.* Vox ברובי *beruche*, est nomen plurale participij passiui ברוך *baruc*, quod significat multa, quæ apprimè conueniunt homini prædestinato: nimirum vox illa Mercero perinde est, ac benedictus, laudabilis, celebrandus, faustus, fortunatus, augustus. Prædestinatus æterna Dei præordinatione est reuera benedictus; quia Deus ei bona dixit, id est, cogitauit. In vocatione fortunatus est, vtpote secunda percitus aura cœlitus aspirante. Vbi Deo vocanti annuit præstito assensu libero, facinus egit laude dignum. Demum laudabilis ille pugil, post edita specimina virtutis omnigenæ, meritis inauguratus infulis, & gloria imperrita rutilans augustus est: atque ita vides, quam opportunè adhibeam linguas, velut obstetrices meæ sententiæ, affirmantis, ideo Christum iustos præmiandos nuncupare benedictos Patris sui, vt refundat in prædestinationem æternam, gloriam illam quam hæ felices animæ sortientur.

Mercerus in lexico Hebræo in voce ברך *barac.*

CHALDÆA. SYRIACA. Vox quæ benedictum significat multisona est apud Chaldæos, & Syros. *Guido Fabricius in Lexico Syro-Chaldæo in voce* ברך

Syrus interpres eadem radicali Hebræorum vsus, sic reddidit verba Christi תו בריכוהי דאבי *theau berichauchi dani. Venite benedicti Patris mei.* Illa vox ברובהי *berichauhi, benedicti*, deducitur à verbo ברך *berac*, quod apud Chaldæos & Syros quatuor significat, quæ recenset Guido Fabricius, scilicet, fodere, arare, propagare, & nidificare, ita vt vox, benedictus, possit ex idiomate Syro & Chaldæo sonare idem ac, fossus, aratus, propagatus, & nidificatus. Et hæc omnia significata meo intento apprimè quadrant: siquidem graphice delineant exordium & seriem prædestinationis, cuius incunabula sunt æterna & adeò altè defossa, vt ea tentare nefas sit, quia impenetrabilis est illa abyssus iudiciorum Dei, ab æterno sancta, & noxia capita secernentis. Itaque prædestinatio illa in Deo dicit prædiuitem auri fodinam, inuiam Angelorum & hominum indagini. Anima ita altè defossa aratur, id est excolitur, quando vocatur ab illo cœlesti agricola, sua vocatione reddens animam idoneam cœlo, vnde gratia illapsa propagat animam iustificatam eo influxu, cuius obsequio tandem aliquando nidum suum efferent Beati in præaltas cœlorum sedes. Hoc igitur constans esto, scilicet omnes qui regno Dei censendi sunt, debere hunc gratiæ suæ colophonem illi actioni æternæ Dei, à qua benedicti Patris congruè nuncupantur.

Prædestinatio non fit ex præuisis meritis, sed ex mera bonitate Dei.

Illa Christi locutio assignans benedictioni Dei gloriam illam singularem, qua dignabitur animas innoxias, egregiè dirimit litem illam, quæ discindit totam Theologorum scholam in duas classes ex aduerso, dum inquirunt causam prædestinationis: quippè omniscius ille Iudex liquidò ostendit, eam non fieri ex præuisione meritorum, sed ex mera Dei bonitate, qua qui affecti sunt illi reuera benedicti æterna præmia sortientur. In argumentum meæ conclusionis Christus gloriam illam æternam explicat nomine regni, & non mercedis, licet alibi vtramque nomenclaturam regni & mercedis illa eadem gloria sortiatur. Si enim stipendium & mercedem nominasset summum illud bonum, dedisset ansam dubitandi an gloria æterna esset assignanda bonitati Dei, vel meritis tantùm. Huic dubio occurrit Christus, vsurpato titulo regni, quod datur iure hæreditatis, & non stipendij: ad filios autem & non mercenarios pertinet hæreditas. Quòd autem simus Filij Dei, non est ex aliquo præuio merito ante influxum primæ gratiæ, à qua fidelibus ille titulus inuitur, sed est merum donum Dei, iuxta illud Ioannis oraculum: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Nota, datam esse potestatem illam fieri Filios Dei, & non fuisse promeritam, quia non est carnis aut sanguinis opus, assurgere ad illam maiestatem Filiorum Dei, ad quam euehimur beneficio gratiæ Dei, quæ amoris est donum, & non præmium meritorum: prima namque gratia Dei non cadit in merita, ideoque charitatis diuinæ munus dicitur à Ioanne: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.*

Quod Filij Dei simus est merum donum Dei. *Ioan 1.*

1. Ioan. 3.

GRÆCA. Prædestinatio in executione vult merita hominũ adultorum.

Concordat & Matthæi textus Græcus insinuans non dari Beatis regnum nomine mercedis, sed hæreditatis; non quòd inutilia sint merita, quæ alibi necessaria diximus in adultis hominibus ad gloriam consequendam; sed quia ita se habet prædestinatio in Deo, vt ex mera eius bonitate fiat, à qua habemus hoc donum, vt simus Filij Dei & nominemur. Si verò prædestinatio spectetur vt passiua, id est in executione, illa nusquam in adultis hominibus est suum sortita finem absque suffragio meritorum. Sed quia prædestinatio actiua in Deo prior est passiuâ, quæ concludit obsequium meritorum; Christus in die iudicij gloriam Beatorum recensebit nomine hæreditatis in ordine ad prędestinationem in executione, ob quam sæpe in sacris scripturis gloria æterna mercedis nomine connotatur. Idcircò ait, regnum esse eis paratum à constitutione mundi, quo momento fuere benedicti, nullis meritis antea conquisitis Et hunc credo esse sensum literalem, quicquid contra sentiat Maldonatus, non timatus intentum Christi, quia cursim nimis & quasi raptim decurrit verba Christi, cuius intentum nemo potest assequi, nisi alto scrutinio, quantùque satis est singulis quibusq; textibus immoretur. Christum autem decernendo gloriam priùs attendisse ad prædestinationem æternam quàm ad executionem eius, quæ in tempore suos effectus nacta est, liquidò probat ille tenor sententiæ, quæ antequam commemoret merita Beatorum, qui se præstitere beneficos in pauperes, vocat eos benedictos Patris, quasi diceret eos ideo vacasse bonis operibus, quia præuenit eos Deus in benedictionibus dulcedinis.

Maldonati sententia displicet.

Accedit illa nuncupatio regni, quæ prius in Beato deposcit qualitatem filij quàm meriti: prior namque est gratia merito, quod gratiam præsupponit. Habemus autem à gratia quòd simus

Gloria æterna in die iudicij recensetur titulo hæreditatis.

ſimus Filij Dei, cuius donum eſt & benedictio gratia illa prima inaugurans homines infulis Filiorum Dei: idcircò textus Græcus poſſeſſionem regni vocat hæreditatem. *Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Venite benedicti Patris mei, hereditate accipite preparatum vobis regnum à constitutione mundi.* Vbi vulgata editio ait, *poſſidete*, Græcus interpres ait, *κληρονομήσατε*, id eſt, *hereditario iure accipite*: hoc namque ſonat verbum, *κληρονομέω*. Rurſus, vbi Latinum idioma dicit, *paratum vobis regnum*, Græca dialectus ſic enuntiat, *ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν*, id eſt, *factum vobis expeditum regnum*: quippe participium illud, *ἡτοιμασμένη*, deducitur à verbo, *ἑτοιμάζω* quòd perinde eſt ac præparo & expeditum facio. Vnde ſenſus Græci textus eſt hic. O Beati, habetis à prædeſtinatione æterna quòd ſitis Filij Dei, ad quos ſpectat hæreditario iure poſſeſſio regni Dei, cuius adeptio fuit vobis facilis & expedita, quæ prædeſtinatio vt approbationem & beneplacitum Dei dicit, eſt cauſa efficiens gratiæ, cuius obſequio fit facilis acquiſitio regni, ad quod nemo poteſt efficaciter propriis viribus anhelare.

Quare bona opera recenſeantur in die iudicij.

Ne tamen vlla daretur hæreticis anſa cauillandi & expungendi merita bonorum operum, Chriſtus in eadem ſententia commemorat eleemoſynas Beatorum, vt oſtendat, non fuiſſe inanem & inertem illum æternum prædeſtinationis actum, quo Deus Beatos omnes adultos ad æterna præmia deſtinauit.

SENSVS LITERALIS.

A mera Dei bonitate eſt prædeſtinatio, cuius finis eſt glorificatio Beatorum.

In hæc verba:

Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.

CONIECTVRA TERTIA
Ex SS. Patribvs.

Nilus vnde oriatur.

Ex Theologia.

EXundantis Nili fluminis illuuies adeò benefica eſt Ægypto irrigatæ viuacibus aquis almi huius fluuij, vt ſpeciali cultu dignatus ſit Nilus ab illa Gente, demetente vberes fructus fluminis alluentis oras ſibi conterminas. In argumentum gratitudinis ſuæ Gens illa aduerſo enitens flumine, eius conquiſiuit exordia, vt illis faceret Sacra, velut ſcaturigini bonorum omnium, quibus locuples hæc Regio fœcundatur. Sed eſto plures anxiè ſcrutati ſint incunabula Nili, decurrentes alueum eius; ſua tamen exciderunt ſpe deuenientes in abrupta montium, è quorum ſcopulis & cautibus præcipites aquæ effuſæ ſuas fecere cunas non inſpectas tantùm, ſed & inuias ſedulo ſcrutatori. Ne autem viderentur oleum & operam perdidiſſe omnes, qui illi ſtuduerant indagini, hoc vnum ſui laboris retulere penſum, vt dicerent huiuſce fluuij caput eſſe in montibus Lunæ. Similem ferè aleam ingreſſi ſunt omnes, quibus animus fuit inquirere prædeſtinationis initia ſeu cauſas. Conuenere quidem omnes, illa quæ conducunt ad gloriam æternam infallibiliter aliquando ſortiendam, eſſe effectus prædeſtinationis, quæ licet vt prædeſtinatio eſt formaliter nihil adiiciat prædeſtinato, nullam inducenti formam, à qua denominetur talis; tamen in confeſſo eſt apud omnes, illam prædeſtinationem vt paſſiuè ſumptam in homine, dicere actionem tranſeuntem in ipſum prædeſtinatum, cui adeò benefica eſt, vt ab ea Beati omnes habeant primariò, quòd rutili in æternum gaudeant illa gloria coruſcante.

An prædeſtinatio ponat aliquid in prædeſtinato.

Omnia itaque bona Beatorum fluunt ab æterno illo propoſito beandi hos & illos homines: ſed quæ ſint initia, aut cauſæ, ſeu potius rationes motiuæ huius æterni propoſiti, hoc eſt quod faceſſit negotium pleriſque ſummis Theologis; quia dum in eo deſudant ſcrutinio, incurrunt in præaltas montium rupes, quas ſuperare labor eſt adeò improbus, vt his omnibus ferè ſufficiat dicere, bonorum omnium effluxum ortum habere à montibus æternis, ab illo ſcilicet æterno Dei propoſito, quo decreuit beatis mentibus gratiam & gloriam erogare. Sed quia variant Doctores dum decurrunt illos montes, non incongruè dixeris, eos permeare montes Lunæ, quia non ſibi conſtant in eo argumento, varias circa illud referendo ſententias, quas referre non eſt mei inſtituti, ſed agere expoſitorem ſenſus literalis, vt memet obſtrinxi. Meæ igitur ſunt partes adſtruere meam ſententiam, affirmantem rationem prædeſtinationis non peti à præuiſione meritorum, ſed à mera bonitate ſeu voluntate Dei; ita vt illa benedictio Patris ab æterno, in benedicente ſuam rationem omnem habeat, & non in præuiſione meritorum.

An prædeſtinatio fiat ex meritorum præuiſione.

Ex SS. Patribvs.

Aug. lib. 15. de ciu. Dei c. 1.

Opera noſtra habent à gratia Dei quòd ſint meritoria.

Meas tutatur partes Auguſtinus refundens in gratiam, prædeſtinationem. Sic ille: *Gratiâ prædeſtinatus, gratiâ electus, gratiâ peregrinus deorſum, gratiâ ciuis ſurſum.* Ergo non ex præuiſione meritorum: implicat enim dari in prædeſtinato meritum vllum ante illapſum gratiæ, quæ ex Theologia, eſt participatio diuinæ bonitatis. Vnde ſi ex meritis Beatorum aliqua poteſt colligi ratio prædeſtinationis, argumentum longè validius militat pro bonitate Dei; ab ea namque eſt gratiæ influxus, ſine qua vacant merito opera humana, quantumuis ardua. Ergo à bonitate Dei erunt illa merita, quorum ſic præuiſio nequit eſſe ratio prædeſtinationis, cùm totum illud quod eſt in merito attendatur ex gratia, quæ ipſa eſt donum Dei, gratiæ obſequio facientis conſortes diuinæ ſuæ naturæ eos, quos dignatur illa ſua bonitate.

Et profectò illa concluſio, aſſignans bonitati Dei rationem prædeſtinationis noſtræ, & non præuiſioni meritorum, vt eſt veridica, eſt etiam Catholica, & longè à typho, quem redolet illa præuiſio meritorum: nimirum magis humilitatem ſapit ingenuè fateri, nihil eſſe in prædeſtinato dignum gloriâ æternâ, quod non à Deo acceperit; quàm mordicus hoc tueri, ſcilicet merita præuiſa à Deo fuiſſe motiuum, quo Deus Beatos ad gloriam deſtinauit. Audi Auguſtinum, Deo tribuentem omnia, quæ conducunt ad meritum. Sic ille: *A Deo dictum eſt: Miſerebor, cui miſertus ero; & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero: quia cui miſertus erit Deus, vt eum vocet, miſericors miſerebitur eius vt credat: & cui miſericors fuerit vt credat, miſericordiam præſtabit, hoc eſt, faciet eum miſericordem, vt etiam*

Aug. lib. 1. ad Simplicianū.

Quomodo Dei miſericordia nos præueniat antequam bonum operemur.

benè operetur? Unde admonemur nec ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari, & extolli, quod eis quasi suis Deum promeruerit: quandoquidem vt haberet ipsam misericordiam ille præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit. Quòd si eam credendo se meruisse quis iactitat, nouerit eum sibi præstitisse vt crederet, qui miseretur inspirando fidem cuius misertus est, vt adhuc infideli vocationem impertiret. Iam enim discernitur fidelis ab impio: Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Homo ex se impos assurgere ad diuina.

Toto hoc contextu adstruitur mea conclusio, clamans gratiam & gloriam esse in Beatis, quia à Deo benedicti sunt, id est, prædestinati mera eius bonitate, quippe nihil in homine est, quo Deum demerere queat antequam ipse Deus hominum mentibus illabatur, gratiæ suæ latices infundendo. Etenim siquid in homine Deum inclinare posset ad amorem, illud maximè esset bona voluntas: sed hæc tantùm Deo miserante bona est; nam naturâ humanâ in Adamo passâ deliquium, deorsum vergunt omnes animæ facultates, nec ad cœlestia assurgunt, nisi eas Domino suscitante. Denuò audiendus in eo themate Augustinus ita spatiatus.

Aug. vbi suprà.

A Deo voluntas humana habet vt bona sit

Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: non hoc Apostolus propterea tantùm dixisse videbitur, quod adiutorio Dei ad id quod volumus perueniamus; sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit: Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini, Deus enim est, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Vbi satis ostendit, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam si propterea solùm dictum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia voluntas hominis sola non sufficit, vt rectè iustèque viuamus, nisi adiuuemur misericordiâ Dei; potest & hoc modo dici: Igitur non est miserentis Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eamdem quippe misericordiam pertinet vt velimus. Deus enim est qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nam si quæramus, vtrum Dei donum sit bona voluntas: mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quòd benè volumus, nobis verò tribui non potest, quòd vocamur. Non igitur ideò dictum est putandum, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potiùs, quia nisi eius vocatione non volumus. Hæc ille opportunè ad conclusionem, Dei bonitati assignantem gloriam Beatorum; quia si ex se homo nequeat ad gratiam pertingere, sine speciali influxu bonitatis Dei; Ergo neque ad gloriam, cùm illa sit gratia consummata.

Quanta sit hominis inopia in his quæ pertinent ad gratiam comparandam.

Ille idem Augustinus nostram miseratus inopiam in his quæ pertinent ad gratiam assequendam, probat nullum posse bonum opus edi, nisi fuerit antea meditatum; Sed ipsa etiam cogitatione se accingere ad actus virtutis emeritæ, hoc (inquit) est Dei donum: Ergo solus homo impos est ad merendum, ac proinde prædestinatio non potest fieri ex præuisione meritorum hominis, cùm merita potissimum à Deo habeant quòd merita sunt: ideoque ratio motiua omnium effectuum prædestinationis, est ipsa bonitas Dei, cuius proprium est sese effundere ad arbitrium suum. Sic ille:

Aug. lib. de gratia, & lib. arb. c. 7.

Idem lib. de prædest. sanctorum c. 2.

Prosper Aquit. libro responsionum ad capitula Gallorum.

Fulgent. l. de incarn. & gratia c. 13.

Opera bona, si non præcessissent ea cogitationes bonæ, nulla essent: de cogitationibus autem ipsis Paulus ad Corinthios scribens dicit: Non sumus idonei cogitare aliquid de nobis, tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Alibi rursus eam versans materiam sic discurrit: *Si non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum; vnde in omni opere bono, & incipiendo vel perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficiat ad incipiendam vel perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est; quoniam fides, si non cogitetur, nulla est, & non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Ad eamdem pertinent sententiam ea quæ scripsere Sancti Prosper & Fulgentius, acriter perstringentes Massilienses Theologos, nimium tribuentes humanæ facultati ad conciliandam sibi primam gratiam.

Cùm Doctores Theologi singularem etiam sibi locum vendicent inter Patres, non ego extra aleam discurram, si recolo rationes, quibus meam stabiliunt sententiam, quæ concludit, Christum vocare Beatos, benedictos Patris sui, antequam commemoret regnum, cuius insulis hos dignatur, vt resciant omnes, esse à bonitate Dei inaugurationem illam, & nullam esse in prædestinatis rationem meritorum, qua præuisa Deus eos ad beata illa præmia destinarit. Non est discutienda illa materia sine præambulis; ea namque salebrosa est, ideoque cautè illa quæstio dirimenda. Itaque primò nota, nos non quærere causam prædestinationis, vt dicit actum Dei internum; nam eo modo sumpta prædestinatio perinde realiter est, ac essentia Dei, cuius inuestigare causam, nefas est. Prædestinatio igitur hîc sumitur obiectiuè, pro iis omnibus, circa quæ versatur, vt sunt auxilia gratiæ, quorum obsequio prædestinatus indubiè euehitur ad gloriam.

Multa sunt prænotanda ad hoc vt intelligatur quæstio de ratione motiua prædestinationis ex parte prædestinati.

Rursus aduerte, in prædestinatione obiectiuè sumpta non in vniuersum quæri, an detur aliqua causa; in confesso namque est apud omnes, Deum esse veram causam physicam efficientem talis prædestinationis: quippe realiter vocat, iustificat, & glorificat homines, quos ad has omnes dotes antea destinauit. Nemo præterea diffitetur, Christum esse causam meritoriam prædestinationis nostræ. Est ergo intelligenda quæstio in hoc sensu: scilicet an ex parte prædestinati detur aliqua causa eius prædestinationis, aut ratio aliqua motiua, cuius intuitu Deus ab æterno ei talia auxilia præpararit, & voluerit. Licet enim actus diuini intellectus & voluntatis, spectatus secundùm se & absolutè non habeat causam sui ipsius, quia quicquid in Deo est, Deus est: si tamé

attendatur

attendatur actus intellectus & voluntatis vt ordinatur & terminatur ad hoc vel illud obiectum, eo modo potest esse ratio motiua in Deo, quare potiùs ille actus terminetur ad hoc obiectum, & non ad illud. Etenim sicut in diuinis attributis, nullius attributi potest dari causa, tamen vnum attributum potest esse ratio alterius: ita quòd voluntas Dei terminetur ad hoc obiectum, scilicet ad gloriam huius hominis, & non alterius, aliqua ratio congruentiæ potest assignari ex S. Bonauentura.

Bonau. in lib. 1 Sent. d. 40. & 41. ar. 10.

Quomodo possit esse in Deo ratio motiua quare actus eius voluntatis terminetur potiùs ad vnum obiectum quam ad aliud.

Esto in Deo non multiplicentur actus, nec alius sit præter vnum actum voluntatis, quo vult omnia quæcumque vult, & ab æterno voluit; tamen sicut in his quæ vult, vnum est causa alterius; ita nempe Deus vult, vt vnum sit causa alterius, & quòd diuina voluntas sic terminetur ad vnum illorum, vt sit illi tamquam ratio, quòd terminetur ad aliud. Exempli gratiâ, Deus vnico actu vult hominem esse rationalem, & esse risibilem: sed quoniam à parte rei rationale est causa risibilis, idcircò Deus non solùm vult vt rationale in homine sit causa risibilitatis, imò etiam volitio huius, quòd homo sit rationalis, est Deo tamquam ratio vt velit eum esse risibilem: est namque congruum, vt quia Deus voluit hominem esse rationalem, voluerit consequenter eum esse risibilem. Hinc sequitur, quòd si obiecta, ad quæ terminatur diuina voluntas, ita se habeant, quòd vnum illorum sit causa alterius, tunc voluntas vnius erit ratio voluntatis alterius: etenim nostro concipiendi modo, eum ordinem quem habent inter sese obiecta, seruant etiam actus diuinæ voluntatis: quippè rerum ordo seu tenor haudquaquam variat in intellectione Dei, sed hæc earum contextum & habitudinem seruat, licet eiusdem actus diuini sint variæ, & diuersæ terminationes.

Quid sit ratio motiua in Deo.

Ex præfatis; quærere vtrum detur ratio quare Deus velit hoc, perinde est, ac quærere, vtrum huius voliti à Deo detur aliqua causa à parte rei: nam si volitum habet causam à parte rei, tunc voluntas illius causæ erit in Deo ratio volendi effectum, id est, terminandi voluntatem suam ad talem effectum. At secus, si à parte rei volitum non habeat causam, tunc nec diuina volitio habebit rationem. Itaque cùm quærimus, vtrum detur ex parte nostra in Deo ratio diuinæ prædestinationis, idem est, ac si quæramus, vtrum eius rei, quam Deus voluit & statuit in æterna prædestinatione facere in tempore, à parte rei detur aliqua causa: si nimirum datur, illud profectò est ratio quare Deus ab æterno id prædestinauit fieri. Indubia namque regula inuestigandi quid & quomodo Deus aliquid voluerit & ordinauerit ab æterno facere, est scrutari quid & quomodo in tempore fecerit; siquidem in hoc etiam argumento valet commune effatum Philosophiæ: Sicut se res habet ad esse, ita & se habet ad cognosci: nam res in intellectione diuina nullo cadunt ordine, sed iuxta cuiusque rei indolem adæquatè à Deo omnia cognoscuntur.

Res à Deo intelliguntur vt sunt.

Strictè sumendo rationem causa homo non est causa suæ prædestinationis.

Præterea aduerte, nostram in hac quæstione indaginem non versari circa omnes causas, ita vt sensus sit, an ex parte prædestinati possit assignari aliquid vnde queat dici causa efficiens, aut materialis, vel finalis suæ prædestinationis. Patet enim prædestinatum aliquid habere de tribus hisce causis: quia vt elicit actum charitatis amando Deum, & physicè præbet consensum suum Deo iustificanti, non est omnino iners, & actionis expers in his quæ pertinēt ad iustificationé, ideoque aliquali modo participat rationé causæ efficientis, quamuis omnino & adæquatè nequeat homo dici causa efficiens prædestinationis. Rursus quia effectus prædestinationis transeunt in hominem vt in subiectum, & quia gratia educitur de potentia obedientiali animæ; homo se habet per modum causæ materialis, gerendo vices eius. Denium licet manifestatio gloriæ Dei sit præcipua causa finalis prædestinationis; hoc non obstat, quin etiam aliquali modo suas etiam partes obeat homo in illo etiam genere causæ, quia prædestinatio est præparatio & volitio mediorum, quæ conducunt ad beandos homines electos. Præcipuus igitur cardo, in quo vertitur hæc quæstio, est causa meritoria, seu impetratoria; ita vt sit sensus quæstionis: An ex parte prædestinati aliquid sit, cuius intuitu & occasione Deus ab æterno decreuerit in tempore tribuere, & de facto impertiat ea omnia charismata, & dotes, quibus prædestinatio concluditur.

In quo sensu possit dici prædestinatus causa efficiens, materialis, & finalis prædestinationis.

Quid sit propriè dari ex parte prædestinati causam meritoriam suæ prædestinationis.

Denique obserua, vt ex parte prædestinati detur aliqua causa meritoria seu impetratoria prædestinationis, non sufficere vt prædestinatus mereatur sibi, aut impetret aliquod bonum pertinens ad prædestinationem: nam in confesso est apud omnes, hominem præuiâ gratiâ iustificante posse mereri gloriam æternam, quæ est finis & præcipuus effectus prædestinationis. Vt ergo detur ex parte prædestinati causa meritoria prædestinationis, operæpretium est aliquid in eo dari, cuius intuitu & occasione Deus decreuerit erogare, & de facto eroget omnia illa dona gratiæ, quibus prædestinatio tota coalescit, in quibus ipsa vocatio gratiarum seriem auspicatur. Vnde si nulla potest assignari causa meritoria seu impetratoria ex parte prædestinati, quare eum Deus vocatione illa dignetur; profectò nulla etiam prædestinationis integræ causa meritoria in prædestinato poterit assignari: si enim esset aliqua causa totius prædestinationis, eadem esset & vocationis, quandoquidem illa est primus effectus prædestinationis. Hæc necessariò fuere præmittenda, vt his veluti facibus magna fieret luminis accessio.

Non datur ex parte prædestinati causa meritoria prædestinationis.

His prælibatis, liquet sensus literalis verborum Christi, quæ expendo: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum.* Quasi diceret: ô beati, tales estis, quia benedicti à Patre; benedicti autem estis, non ex causa aliqua meritoria præexistente aut præuisa in vobis, sed quia Pater meus est benedictus, atque beneficus, in quem ideo est tota prædestinatio refundenda, licet vltimus effectus eius, qui est glorificatio requirat in adultis opera, quoad executionem prædestinationis. Hoc bellè innuit Apostolus, hoc effato: *O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c. Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Si daretur aliqua in homine prædestinato causa meritoria prædestinationis, nullum Paulo esset argumentum stuporis in indagine iudiciorum Dei, quia constaret causa meritoria illius præscientiæ, & propositi æterni. Rursus illæ voces, *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei.* Satis superque significant hominum inopiam in his, quæ pertinent ad prædestinationem.

Rom. 11.

Et sanè miror quomodo hi, qui affirmant prædestinationem fieri ex præuisione meritorum, citent

Augustinus confitetur se lapsum in his quæ pertinent ad gratiã promerendam. *Aug. lib. de prædestinat. Sanct. c. 3.*

citent Augustinum in gratiam suæ sententiæ, cum idem Augustinus ingenuè fateatur se aliquando lapsum esse in his, quæ pertinent ad causam meritoriam gratiæ, quam prædestinatio respicit obiectiuè. Itaque palinodiam cecinit Augustinus refellens ea, quæ scripserat incongruè. Sic ille: *Cyprianus dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem: Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quo præcipuè testimonio etiam ipse conuictus sum, cùm similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri, vt per illam nobis daretur quod posceremus vtiliter: nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta. In quibus est illud quod commemorastis in literis vestris, vbi est expositio quarumdam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos. Denique cùm mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractationem stylo prosequerer, sic inde loquutus sum: Disputans (inquam) quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit seruiturum esse maiorem: & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauerit: de quibus propter hoc commemoratur, quamuis longè postea prolatum propheticum testimonium: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui: ad hoc perduxi ratiocinationem meam, vt dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia quæ daturus est ipse: sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, vt bona operando, etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentiùs quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita præcedunt: ne iam quod datur non secundùm gratiam, sed secundùm debitũ reddatur potiùs meritis quàm donetur. Proinde quòd continuò dixi: Dicit Apostolus: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus: nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subiunxi: Quod ergo credimus nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum Sanctum, profectò non dicerem, si iam scirem ipsam etiam fidem inter munera Dei reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Vtrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei, & charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est: Charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo.*

Fides non est ex nobis in nobis, sed est donum Dei.

Opera nostra bona à Deo sunt, quòd bona sunt.

Ex Conciliis.

Vide igitur quàm delirent illi, qui auctoritate Augustini suam adstruunt sententiam, de prædestinatione facta ex præuisione meritorum. Ad titulum hunc de sententiis Patrum spectat auctoritas Concilij Tridentini damnantis eos, qui decernunt, exordia iustificationis esse à nobis. Sic illa Synodus œcumenica. *Declarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Quod perinde est, ac si Concilium declarasset, rationem iustificationis hominum peti à benedictione Dei, id est, ideo iustificari homines in tempore, quia ab æterno benedicti sunt à Deo, qui sola bonitate sua ductus, & nullo intuitu meritorum, benedixit eis. Illud antea decreuerat Concilium Arausicanum hoc canone. *Hoc etiam profitemur, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per misericordiam Dei adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis, fidem, & amorem sui inspirat, vt & Baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post Baptismum cum eius adiutorio ea quæ sunt sibi placita implere possimus.* Accedit & Cœlestinus Papa, qui Augustinum, Prosperum, & Hilarium assertores eiusdem sententiæ, de iustificationis initio sine merito præuio, miris effert encomiis, eos nuncupans. *Piissimos disputatores, & magistros nostros.* Alios verò affirmantes, quædam merita præire iustificationi, Pontifex ille perstringit acriter, & decernit vt Episcopi in eos animaduertant, dicens eos, ratione huius doctrinæ erroneæ, *In damnatis hæreticorum Pelagij, & Cœlestij sensibus, seu prauitate, seu imperitia demorari.*

Conc. Trid. sess. 6 cap. 5.

Initium iustificationis nostræ non est à nobis.

Conc. Arausican. I. Can. 25.

Cœlestinus Papa, Epistola ad Episcopos Galliæ.

Si quis ab auctoritate prouocat ad rationes, ille me consulat titulo consequenti.

SENSVS LITERALIS.

Quòd Beati fuerint benedicti à Deo ab æterno, illud est ratio prædestinationis eorum, ideo refundenda in solam Dei voluntatem.

In hæc verba:

Venite benedicti Patris mei, possidete regnum.

CONIECTVRA QVARTA

EX THEOLOGIA SCHOLASTICA.

STante veteri Romanorum disciplina, bello indicto multi excipiebantur à præscripto munere militari. Sed si res esset cum Gallis imminentibus Vrbi, erat vnicuique vacare nefas; omnes namque Roma suos commilitones ad classicũ conuocabat. Ita ego in astruendo sensu literali, satis superque credo factum esse meis lectoribus, si mea sensa probem tribus capitibus, videlicet ratione, consultis item linguis, & demum conductis Patribus. Sed iam cogor neminem excipere, quia cum priscis Gallis res est vtrique acerba in argumento, circa quod versatur ille versiculus pertinens ad prædestinationem, quam affirmo ex parte prædestinati nullam habere in Deo rationem, sed eam totam esse assignandam benedictioni, seu bonæ voluntati Dei: nam alioquin essent admittenda in homine aliqua merita ante vllum gratiæ iustificantis influxum. In meam hanc

Galli olim terribiles Romano Imperio.

Gallorum olim error circa gratiæ Dei illapsum in animam.

hanc conclusionem insurrexere quidam Galli Catholici, scilicet Massilienses, in quibus numeratur Cassianus ille cæteroquin vir magni nominis, & orbe toto celebris ob collationes suas. Hi Galli Doctores magnam secum abduxere hominum partem in suam sententiam, quæ decernebat esse in homine aliqua merita, veluti præambula primæ gratiæ. Hos (vt proximè prælibaui) Gallos compescuit Papa Cœlestinus transmissâ Epistolâ, esse monens è re cuiusque Episcopi obstare ne glisceret hæc hæresis iniuria gratiæ, quæ reuera excideret naturâ suâ gratuitâ, si prima gratia peteret aliquod præuium meritum: sortiretur enim tunc rationem debiti, & non gratiæ, quæ eo maximè titulo gaudet, quòd gratis detur, & non vt auctoramentum, seu stipendium aut merces meriti præeuntis.

Thomistæ & Scotistæ concordant in sententia de prædestinatione ex mera volun tate Dei.

De hoc fermento veterum Gallorum aliquid est reconditum in ea sententia, quæ decernit prædestinationem fieri ex præuisione meritorum. Licet enim illa conclusio graues habeat assertores, & citra suspicionem erroris hodie doceatur; ego tamen ei non subscribo: sed quia in ea subodoror priscum Gallorum Massiliensium ingenium, ideo conduxi in has Gallorum quasi reliquias expeditam manum strenuorum militum, quos veteranos diù exercuit sacra palæstra Theologiæ. Hi sunt Scotistæ & Thomistæ omnes coeuntes in meam sententiam, quæ negat prædestinationem fieri ex præuisione meritorum; quod tamen vt indubium illa vetus disciplina Gallica prædicabat. Nota, Thomistas, & Scotistas vtplurimum digladiari inter se, & in contrarias abire partes, quando aliqua quæstio discutitur, & esse vice adagij in scholis, illam sententiam esse velut ex fide, in qua Thomistæ & Scotistæ sunt concordes. Hos ego principes Theologiæ pugiles & veluti Triarios milites conduco ad bellum contra Gallos illos, qui dederunt ansam sententiæ, quæ hodie defenditur innoxiè, quæ est de prædestinatione ex præuisione meritorum; quam eius assertores ita stabiliunt, vt secernant omne virus ei quondam aspersum à Semipelagianis. Ab hac ego recedens sententia, illam sequor, cui militant Thomistæ omnes, & Scotistæ sacræ disciplinæ optimi veterani, qui ita se accingunt vt probent, nullam esse ex parte prædestinati rationem quare Deus ab æterno ei benedixerit; sed hoc omne bonum esse ei ex mera voluntate Dei, qui est benedictus, & pater totius consolationis.

EX THEOLOGIA.
Th. 1. p. q. 23. art. 5. Scot. in 1. Sent. d. 41. q. 1. Magist. sent. l. 1. Sentent. dist. 41.

Argumenta, quæ probant prædestinationem non fieri ex præuisione meritorum.

Diceres præcipua Theologorum capita conuenisse vt eam adstruerent conclusionem meam, quæ etiam fuit Magistri sententiarum: Ecce argumenta propitio huic intento. Voluntas prius in finem fertur, quàm in media aptata ad consecutionem finis: Sed gratia, & bona opera nostra, & omnia alia omnia, quæ se tenent ex parte nostra, sunt media ad finem supernaturalem: Ergo Deus dare priùs voluit gloriam homini prædestinato, quam voluerit & ordinarit media, quæ se tenent ex parte nostra: Ergo ista media non sunt causa volitionis finis, cùm Deus nostro concipiendi modo finem antè voluerit quàm media. Secundò magis pertinet ad gloriam & beneficentiam Dei, prædestinare homines ex mera liberalitate sua, sine præuisione meritorum: alioquin homo diceretur esse causa & radix suæ saluationis; quod tamen blasphemum est, & damnatum ab Ecclesia. Ne igitur impingamus in has cautes, in quas incautè Pelagius incurrit, satiùs est refundere prædestinationem in meram Dei voluntatem: aliàs enim frustra Paulus in hoc themate homines ita compellasset: *Quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Ex quo Pauli effato Augustinus infert, vnum hominem non discerni ab alio per propriam fidem, aut iustitiam, aut diligentiam, neque per sola bona communia gratiæ, & auxilij sufficientis, quæ omnibus Deus dat; sed per specialissimam gratiam Dei præparantis voluntatem, ita vt efficaciter operetur secundùm exigentiam gratiæ ipsius. Ille idem Sanctus sibi constans, alibi ait, discretionem illam prouenire ex sola Dei voluntate, & non ex parte nostra. Item multi, vt Paulus, aliique Apostoli sunt prædestinati ad maxima Ecclesiæ munia obeunda, sine præuisione meritorum, sed ex mera Dei voluntate, quæ ipsum Paulum assumpsit comet temporis articulo, quo maximè procul erat à Christo, anhelans in cædes famulorum Christi. Ergo cùm par sit ratio omnium prædestinatorum, necesse est confiteri omnes esse prædestinatos ex mera Dei voluntate, cùm de multis hoc constet, vt de Paulo liquet, & latrone, qui pendulus è cruce in supremo vitæ agone, suæ salutis sponsionem à Christo accepit.

1. Cor. 4.
Aug. l. de prædest. Sanctorum c. 5. & 6. Idem in Enchir. cap. 32.

Omnia bona quæ prædestinatus agit, & facit, sunt effectus prædestinationis.

Rursus si præuisa merita essent causa prædestinationis, eadem res esset causa suæ causæ: nimirum in confesso est, prædestinationem esse in prædestinato causam omnium bonorum, quæ conducunt ad gloriam: non possunt ergo illa merita esse causa suæ causæ, scilicet prædestinationis æternæ, quæ non elegit bonos, quasi eos bonos inuenerit, sed quia eos eligendo, bonos fecit. Et hoc vellem seriò aduerterent aduersarij assertores præuisionis meritorum: sic enim merita in prædestinato attendunt vt obiectum aliquod discretum à prædestinatione; cum tamen merita ipsa suaptè natura sequantur prædestinationem, & hanc non præcedant: sunt namque effectus prædestinationis. Vnde cùm effectus non sit causa suæ causæ; implicat prædestinatum habere quidpiam, cuius intuitu & occasione Deus eum prædestinarit, cùm illud omne, quod in prædestinato rutilat & eminet, sit posterius prædestinatione, quæ est omnium bonorum ferax, vtpote fœta bonis gratiæ & gloriæ, quibus concluditur series illa tota, qua colescit prædestinatio.

Christus est exemplar prædestinationis nostræ.

Præterea Christus est exemplar illustre nostræ prædestinationis. At fuit illi ab æterno decreta vnio hypostatica, ac proinde secundùm humanitatem prædestinatus est sine illa præuisione meritorum, cum vnio illa hypostatica non cadat in meritum. De infantibus è medio sublatis post Baptismum nulla dari potest ratio ex eorum parte, cur fuerint prædestinati. Non ergo statuenda est alia prædestinationis ratio pro adultis hominibus, cum ad instar Christi, sola Dei voluntas nos ab æterno elegerit. Adiice, ex contraria sententia hoc emergere absurdum: Videlicèt, gratiam non fore gratiam, & simul tamen fore gratiam, si daretur in prædestinato quidpiam, ratione cuius esset prædestinatus: esset gratia ex suppositione: deinde non esset gratia, quia illud non est prima gratia (de hac enim est hic quæstio) quod non gratis datur, sed habet præuium aliquod meritum, iuxta illud Pauli: *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Et vt Augustinus ait, dicere illam primam gratiam retri

Rom. 11. Aug. l. de bono perseuerant. c. 20. & 10.

Fulgentius lib. de gratia cap. 18.

retribui meritis nostris, illud est gratiam impiè denegare, & præstare se Deo ingratum. Accedit & Fulgentius ita fatus: *Si nostrum est velle credere, priusquam nos Dei gratia incipiat adiuuare: iniustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati: hanc enim sicut illi volunt gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit: imò si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus. Verumtamen quis prior dedit illi, & retribuetur ei? nemo vtique.* Non ergo est aliquid in prædestinato, ratione cuius detur illa gratia prima, quæ est primus effectus prædestinationis: etenim si daretur illa prima gratia intuitu alicuius meriti præuisi, non daretur illa gratis: gratis enim dari ex Augustino perinde est, ac pro nihilo dari: at illud non datur pro nihilo, quod erogatur ratione alicuius meriti præuisi; sicque patet fore gratiam illam primam, & non fore gratiam, si prædestinatio fieret ex præuisione meritorum; quod quia absurdum est, non placet illa sententia obstetrix illius incommodi.

August. lib. de prædest. Sanct. cap. 6.

Quàm sit impos homo ex se ad benè operandum. *Aug. lib. de bono perseuerantia. c. 13.*

Postremò, vt se res habet ad esse, ita & ad cognosci: Sed homo ex se spectatus nihil omninò potest, vnde Deum demerere queat, cùm nec sit in eius potestate vllum cogitare bonum sine speciali Dei præsidio, vt Augustinus doctè & piè meditatur: *Cogitantes* (inquit) *credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus. Quod autem attinet ad pietatis viam; non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra est Deo est: non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostra cogitationes.* Si ergo Deus ab æterno deprehendisset in prædestinato quidpiam, ratione cuius illum dignaretur tanto bono; profectò videret hominem alio longè modo, quàm sit à parte rei, cùm sit adeò imbecillus ad ea, quæ pertinent ad gratiam & gloriam, vt nequeat ea sibi Marte proprio comparare. Cùm itaque Dei notitia non hallucinetur, aut caliget, ac proinde viderit hominem impotem, nescium meritorum; nihil sanè aduertit in prædestinato vnde eum elegerit, ideoque soli voluntati Dei est assignanda ratio prædestinationis, & fatendum, omnium bonorum summam esse petendam à benedictione Dei, vt fert textus, quem expendo commemorans benedictionem Patris, antequam beatos afficiat possessione regni: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum.*

Dei cognitio æterna hominem videt imbecillum ex se, ac proinde expertem meriti quod sit ratio prædestinationis.

Chrysostomus quid senserit de prima gratia, & quomodo excusetur. *Chrysost. in Ioan. ho. 17. & ho. 12. in epist. ad Hebræos. Idem ho. 71. in Ioan. ho. 12 in ep. 1. ad Corinth. in has verba: Quis te discernit.*

Sunt aliquæ expungendæ sententiæ Patrum; Chrysostomi scilicet & Cassiani, apud quos aliqui extant textus, adstruentes aliquale meritum ante primæ gratiæ illapsum. In his est hic discursus Chrysostomi. *Admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nõ nostras preuenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse: sed cùm nos prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Idem rursus. *Oportet nos quippe eligere primò quæ bona sunt, & tunc ipse, quæ sua sunt introducit; non antecedit nostras voluntates, ne lædatur arbitrium: cùm autem nos elegerimus, tunc multam adfert auxiliationem.* Audiit Chrysostomum Cassianus, & hanc ab eo disciplinam hausit, qua suos aspersit libros. Sed nota, hoc discrimen interesse inter Chrysostomum, & Cassianum, quòd tempore Chrysostomi ita sentire de gratia non censebatur error; nimirum mortuo tantùm Chrysostomo Ecclesia in Pelagium aduertit: ideoque non potuit Chrysostomus suam retractare sententiam explicitè, licet implicitè illam alibi reuocarit, refundens in meram Dei gratiam omnia nostra merita, vt his locis vbi Christum, & Apostolum inducit sic loquentes: *Non vestris meritis debitum persolui, sed ego incepi.* Ita Christus ore Chrysostomi, benè iam de gratia sapientis. Iam Paulum sic laudat: *Quod accepisti habes, non hoc tantùm, aut illud, sed quicquid habes; non enim merita tua sunt, sed Dei gratia.*

Dispar est ratio de Cassiano, quia eo superstite damnata est illa sententia inuehens aliquale meritum ante illapsum primæ gratiæ, & vt erat Cassianus vir magnæ eruditionis & pietatis, cecinit palinodiam, deditque manus Ecclesiæ decernenti contrariam sententiam. Grauior est instantia ex parte Hieronymi, cuius ecce effatum: *Scito, Baptismum præterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam, quæ labore, & industria, ac super omnia Dei clementia custoditur, vt nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.* Eiusdem generis est hoc Ambrosij eloquium. *Talem te ergo præbè bonis studiis & prompta fide, vt Deus tui misereatur, & vocet te.* Non facessunt negotium illi textus, quia non spectant ad primam gratiam, sed ad gratiæ augmentum: nemo autem nescit, hominem gratia habituali affectum posse bonis operibus mereri eiusdem gratiæ aliquod incrementum.

Hieron. lib. 3. contra Pelagianos.

Ambr. lib. 2. de Abraham cap 10.

Sed ne multus sim in recensendis & soluendis instantiis, quæ petuntur ex sententiis Sanctorum Patrum; accipe regulas atque cautiones, quarum obsequio itur obuiam illis angustiis. Primò siquando dixere Sancti; aliquos prædestinari ob bonum vsum gratiæ; dic illum bonum vsum gratiæ à Deo præuisum; non esse causam prædestinationis efficientem, sed habere rationem causæ finalis, quia Deus eo fine prædestinat, vt quis benè vtatur gratia sibi cœlitus eroganda. Secundò aduerte, nomen prædestinationis aliquando sumi apud Patres, pro vltimo effectu prædestinationis, scilicet pro consecutione gloriæ, & vltimi finis. Vnde quandò Sancti clamant, merita nostra esse causam prædestinationis nostræ, perinde est ac si dicerent, merita nostra esse causam consecutionis gloriæ, quod nemo Catholicus vnquam dubium fecit: nimirum principalis effectus seu finis prædestinationis correspondet meritis. Sed si sumatur prædestinatio pro tota serie & contextu meritorum quibus concluditur, nihil omnino est ex parte prædestinati, cuius intuitu fiat ab æterno illa prædestinatio in Deo.

Eleganter modi, & industriæ cautiones, quibus itur obuiam omnibus argumentis petitis ab auctoritate Patrum vt adstruatur prædestinatio ex præuisione meritorum.

Præscire, & prædestinare aliquando sonant idem.

Aug. l. 2. de bono perseuerantia c. 18.

Tertiò obserua ex Augustino, quandoque voces istas, præscire, & prædestinare esse eiusdem significati apud Patres: ideoque apud eos Deum præscivisse bona opera prædestinatorum, esse perinde, ac Deum prædestinasse & prædiffiniisse eos habituros esse talia bona opera, quæ essent media ad consecutionem gloriæ. Quartò nota, posse explicari Patres dicendo Deum præuidisse bona opera prædestinatorum per concomitantiam. In eo sensu quando Sancti affirmant, Deum prædestinasse aliquos, quia præuidit eos benè vsuros gratiâ suâ; illa particula, quia, non supponit pro causa, sed importat concomitantiam infallibilem bonorum operum ad prædestinationem:

Prædestinatio alio se modo habet spectata vià intentionis, & vià executionis.

nem: facit enim hunc sensum; quòd si Deus non præuidesset bona opera in prædestinatis, non prædestinasset eos: sed hæc opera bona non præuidentur vt antecedentia prædestinationem, sed vt infallibiliter consequentia. Demum est recolenda illa distinctio, scilicet prædestinationem via intentionis non præsupponere merita, sed via tantùm executionis, quia nemo adultorum gloriâ æternâ dignabitur sine obsequio meritorum.

Argumenta quibus petitur conclusio de prædestinatione sine præuisione meritorum.

Vt facta tectaque sit mea conclusio, diluenda sunt argumenta illa Achillæa, quibus aduersarij arietant in meam sententiam. Primò obiiciunt, Deum esse acceptorem personarum, si nulla habita ratione præeuntis meriti, aliquos prædestinet ad gloriam seclusis aliis. Respondeo, non ideo fore Deum acceptorem personarum; harum namque acceptio nunquam est, nisi vbi intercedit debitum ex iustitia, quale nullum est in Deo, quo obstringatur ad influxum suarum gratiarum.

Quare Deus non sit acceptor personarum.

Vnde si totâ hominum prosapiâ Adamo perduelli patre satâ, ac proinde obnoxiâ piaculo, aliquibus tantùm singulares gratiarum dotes impertit, quibus tergitur ille næuus diffluens è lumbis Adami, hoc solum arguit in Beatis animum Dei beneficum in ipsos, quos absoluit à nexibus, quibus reprobi homines implicantur. Non inde tamen infertur cuiquam iniuria, quia Deus nemini debitor est, ideoque eius beneficentiæ dandum, cùm gratiarum eius latices influunt in aliquos, cæteris arentibus.

An prædestinatus possit damnari.

Rursus obiiciunt, prædestinationem sine præuisione meritorum esse iniuriam libertati, quæ arbitrium hominum decet: etenim necessariò suos sortitur effectus, quos nemo declinare potest, quia fieri nequit, vt prædestinatus non moriatur in gratia. Respondeo, infallibilem fore gratiam illam prædestinati, sed non necessariam absolutè, quia prædestinatus in sensu diuiso potest damnari, id est, spectatus vt homo est sui iuris, habetque facultatem respuendi gratiam, aut illam amplectendi, vt est Concilio Tridentino cautum. Vnde liberè annuit gratiæ illi finali desuper illabenti. Et esto prædestinatus vt sic & in sensu composito nequeat damnari, & excidere fine æterni illius in Deo propositi; omnia tamen homini constant, quæ sunt libertatis.

Conc. Trid. sess. 6. c. 5 & can. 4.

Tertiò sic insurgunt: Data hac prædestinatione ex mera voluntate Dei, homines nascerentur iudicati, & non iudicandi, id est, independentes à futuris eorum bonis operibus, sed intuitu gratiæ, quam Deus ab æterno dare vel negare decreuit, iudicati essent ad pœnam, aut gloriam. Respondeo, falsam esse illam consequentiam; nemo enim iudicatur ad gloriam aut pœnam sine prauis aut bonis operibus: siquidem consecutio gloriæ, quæ est finis prædestinationis, præsupponit merita. Sed, vt prænotaui, licet vnus effectus prædestinationis præsupponat merita; tota tamen prædestinatio fit sine aliquo ex parte prædestinati, cuius intuitu Deus ab æterno illum ad gloriam ordinarit: cùm ipsa etiam merita, quibus gloria æterna decernitur, non sint merita nisi præuio influxu primæ gratiæ, quæ sine vllis meritis datur. Huius instantiæ artifex fuit Faustus, cuius meminit Augustinus.

Aug. lib. 1. de gratia c. 6.

Orationes & conciones quomodo conducant ad effectus prædestinationis.

Quartò æmuli insurgunt instantes, frustra fieri orationes pro gratia Dei impetranda, & cassas esse conciones & paræneses ad populum, si in æternam Dei voluntatem bona sunt omnia refundenda. Respondeo non esse irritas preces, & conciones: licet enim oratione nequeat impetrari primæ gratiæ illapsus, quia ante orationem necessaria est gratia præueniens, qua excitamur ad orandum; tamen gratiâ Dei præuiâ, orationum suffragio posteriora dona nobis à Deo cœlitus erogantur: imò Deus ab æterno decreuit talia dona dare mediante oratione; ita etiam Deus voluit adhiberi conciones, vt earum obsequio reseraret hominum corda.

Vnde petatur discrimen, quod Deus ab æterno vidit esse inter prædestinatos, & reprobos.

Quintò instant: Deus ab æterno vidit, magnum interesse discrimen inter prædestinatos & reprobos, & hoc ratione meritorum: Ergo illa disparitas meritorum ex prædestinati parte fuit ratio prædestinationis. Respondeo, Deum ab æterno vidisse res prout sunt, atque adeò vidisse merita prædestinatorum esse dona sua, & non conamina hominum in puris naturalibus, ideoque illa merita sequi prædestinationem, & non illam antecedere ratione vt causam: fieri namque nequit, vt meriti initium habeat aliquod meritum antecedens. Vnde si aliquod discrimen intercedit inter prædestinatos & reprobos, quòd isti expertes sint gratiæ, quæ in illis rutila commendatur; illa gratia non fuit ratio prædestinationis, sed effectus eius.

Datur ex parte Dei aliqua ratio prædestinationis, scilicet manifestatio gloriæ eius.

Demum obiiciunt, nihil prorsus irrationabile fieri à Deo: Ergo dandam esse aliquam rationem, quare Deus hunc & non illum ab æterno prædestinant. Respondeo, prædestinationis in communi dari rationem, scilicet manifestationem gloriæ Dei, quæ patet in Beatis viâ misericordiæ, & in reprobis viâ iustitiæ; sed ex parte hominum nihil dari, ratione cuius eos Deus prædestinet; & hoc totum esse dandum eius voluntati, quæ est ipsa rectitudo, in quam nihil omnino irrationabile potest irrepere: nota tamen nos non negare Christum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis: sed hoc non obstat, quin sit prædestinatio refundenda in bonitatem Dei, cuius hoc fuit maximum argumentum, scilicet vnio hypostatica facta sine vlla præuisione meritorum humanitatis Christi: nimirum gratia vnionis, nõ potuit attingi ab humanitate Christi præcisè sumpta.

Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis.

Stat ergo nostra inconcussa thesis: nihil omnino dari ex parte prædestinati, ratione cuius ei Deus ab æterno benedixerit; sed contrà illa omnia bona afficere prædestinatos, quia à Deo benedicti sunt; nihil enim homo habet ex se, vnde Deus inflectatur ad primam ei gratiam erogandam; sed quidquid ab homine emergit meritorium, illud est omne ex singulari dono Dei: Ad hoc faciunt istæ Augustini sententiæ. *Non habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione præmittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque. Addamus etiamsi placet, honestas & vtiles doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus, nam nullis quis potest? & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus eligendus videtur ad gratiam. Sed hoc cùm statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, vt eum intuens pudore correptus irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.* Quasi diceret, virtutes morales, & omnium scientiarum penu non obstitisse, quin multi sint reprobi addicti flammis: cùm tamen alij indocti, & multa illuuie peccatorum infecti vocati sint ad gratiam, & demum ad gloriam.

Aug. lib. 1. ad Simplicianum q. 2, propè finem

Quàm alta Dei iudicia vocantis indoctos & scelestos ad gratiam, & gloriam.

Nec

An aliqua saltem dispositio detur ad gratiam in puris naturalibus.
1. Tim. 1.

Nec dicas, esse aliquas saltem dispositiones merè naturales ad gratiam, vt fuit illa Pauli, quam meminit hoc contextu. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea.* Respondeo, Paulum hîc loqui de dispositione negatiua, quæ obicem tollit, sed non de vlla positiua, cuius intuitu possit Deus dici dare primam gratiam. Vnde commune illud effatum: Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam; non debet intelligi de prima gratia, sed de augmento gratiæ, ita vt sit iste Catholicus sensus: Quisquis Dei gratia præueniente affectus, pro modulo suo ad arbitrium Dei se componit, proculdubio Deo miserante maiorem gratiæ influxum recipiet. Si quando igitur audieris, hominem viuẽdo ex præscripto rationis, ita disponi ad gratiam Dei, hoc bifariàm intellige. Primò de homine præuento à gratia Dei, quæ etiam necessaria est, vt quis viuere possit ex præscripto rationis: natura quippe humana deorsum vergit, vtique in vitium prona. Secundò intellige, in homine infideli vitam compositam ex rationis instituto esse dispositionem tantùm remotam, & negatiuam ad gratiam, & non positiuam. Illud autem discrimen interest inter dispositionem positiuam, & negatiuam, quòd positiua dispositio dicat aliqualem rationem meriti saltem de congruo ad gratiæ primæ illapsum, & hoc Semipelagianum sapit; ideoque fugiendum, quia quicquid ab homine procedit non affecto gratiâ iustificante, illud profectò fluit ab inimico Dei: at inimicum posse Deum demerere in eo statu, delirium sapit: Ergo nec de congruo talis mereri potest gratiam primam, nec ad eam habere dispositionem positiuam in puris naturalibus: habere enim proximam dispositionem positiuam ad aliquam formam, perinde est ac habere physicè aliquid reale prouocans illam formam. Cùm igitur in homine experte gratiæ nihil possit esse, quo conciliare queat gratiam Dei; nulla proinde dari potest in eo dispositio positiua: licet de dispositione negatiua dispar sit ratio; illa namque duntaxat tollit obices, & nihil adiicit animæ, cuius intuitu debeat Deus illi gratiam erogare: nec ea dispositio negatiua facit, vt gratiæ initium sit ex nobis: nempe initium dicit aliquid reale & positiuum; at vita hominis infidelis, composita ex rationis norma, nihil reale dicit habens ordinem ad gratiam; sed tantùm negat aliquot obices, qui quandoque remorari solent gratiæ Dei influxum. In eo sensu cùm Paulus ait se misericordiam cõsecutum, quia ignoranter Deo iniurius fuit, in Christianos sæuiendo, perinde est ac si diceret, suam ignorantiam detraxisse ponderi peccatorum, & peccatorum diminutionem esse veluti quandam dispositionem remotam & negatiuam ad gratiam, quam Deus impertit ex sua mera voluntate, & non aliquo merito positiuo; quia si non peccare diceret aliquid reale, illud etiam esset gratiæ assignandum, iuxta effatum illud Augustini, ita Deum compellantis: *Gratiæ tua deputo, quæ non feci mala.*

Quomodò quis possit habere dispositionem ad gratiam viuendo ex præscripto rationis.

Dispositio ad gratiam alia positiua, alia negatiua.

Differentia dispositionis negatiuæ & positiuæ ad primam gratiam.

Aug. lib. 2. conf. c. 7.

Idem l. 50. hom. in 23. Nemo sibi arrogare debet quòd nõ in peccata dilabatur.

Ita planè ad singulare Dei donum spectat, quòd non præpediatur homo multis nexibus peccatorum, vt explicat Augustinus hoc tenore. *O tu qui dicis, te non multa commisisse, quare? quo regente? Deo gratias. Hic multa commisit, & multorum debitor factus est: ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, & huic iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non committeres: suasor defuit; & vt deesset ego feci: locus & tempus defuit; & vt hæc deessent ego feci: affuit suasor; non defuit locus, non defuit tempus; vt non consentires ego terrui. Agnosce igitur gratiam eius, cui debes, quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti; mihi debes & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* Hæc ille, probans à Deo esse in nobis omne quod gloriandi subiicit argumentum.

SENSVS LITERALIS.

Ad prædestinationem in exequutione ita pertinet bonorum operum praxis, vt nemo planè adultorum euehatur ad gloriam sine bonis operibus.

In hæc verba:

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

§. V.

CONIECTVRA PRIMA
Ex Ratione.

Qua ratione Cato Censor dabat extraneis ius ciuitatis.

Congruò examine Cato Censor explorauit quondam indolem hominum, qui petebant ius ciuitatis. Vir ille virtutis emeritæ apud suos, & arduorum patrator operum, id maximè habuit cordi, scilicet ne quis in inertiam fractus censeretur ciuis Romanus, ea potissimum ratione ductus, quòd agere & pati fortia Romanum erat. Cùm igitur quispiam extraneus accederet ad Catonem supplex in gratiam adeundæ ciuitatis, vir ille austerus inspecto oris habitu hominis supplicis, ambas etiam attrectabat manus, vt videret callum obduxissent hec ne, eaque præuia indagine annuebat hominum votis; si manus inuenisset bonis actibus assuetas: secus verò habebat inglorios omnes, quorum muliebres erant manus otio dissolutæ. Sicque Cato ius illud insigne Romanæ ciuitatis non linguæ tantùm sed laboriosis manibus erogabat, ne fieret iniuria nomini Romano, si homines flocci & inertes hoc glorioso nomine censerentur. Ad simile etiam examen Christus omnes homines prouocabit in die iudicij, vbi omnes anhelabunt ad ius ciuitatis supernæ Ierusalem: non tunc ille æquus omnium hominum Censor rationem linguæ habebit, sed manuum. Frustra Christiani petent suo nomini Christiano decerni gloriam: totum namque negotium illud erit penes manuum indaginem; ita vt manus desudantes myrrham, id est, redolentes pœnitentiam, cœlo tunc dignentur, vt & illæ tornatiles plenæ hyacintis, quæ liberales in egenos homines extiterunt. Quamuis enim præde

Ignaui non donabantur olim ciuitate Romana.

Gloria æterna decernetur bonis operibus.

prædestinatio, vt dicit totam congeriem effectuum prædestinationis, non habeat ex parte prædestinati rationem, cuius intuitu talis sit illa in Deo; tamen alia longè ratio est prædestinationis in via intentionis, & in via exequutionis: quippe priori modo nulla à Deo fit commemoratio bonorum operum, quæ nulla prorsus esse possunt ante illapsum primæ gratiæ, quæ est effectus prædestinationis in prædestinato; sed altero modo, scilicet via exequutionis, nemo planè adultorum sortietur effectum vltimum prædestinationis, id est gloriam, quin manus habeat tornatiles, & plenas hyacintis, id est mobiles ad bonorum operum praxim, & rutilas actibus cœlo dignis, quales sunt omnes actiones, quæ emergunt à gratia iustificante, & conducunt ad æterna præmia sortienda.

Quid sit habere manus tornatiles & plenas hyacintis.

Quibus vocabulis æterna gloria designetur.

In gratiam huius conclusionis, gloria æterna lineatur variis nominibus, quæ ordinem habent ad bona opera vt præambula gloriæ illius. Ad id genus pertinent ista vocabula merces, brauium, corona, quibus vtitur Scriptura sacra, vbi Christus ita suos affatur discipulos: *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Eadem nomenclatura Paulus affecit hanc gloriam isto eloquio: *Vnusquisque accipiet propriam mercedem.* At merces condignam operam præsupponit, vt egregiè explicat Christus ea parabola patrisfamilias, qui conduxit operarios condicta mercede affectos post laborem impigrum exantlatum, vt liquet hoc contextu: *Tolle quod tuum est; numquid ex denario conuenisti mecum?* Suspicor ego in illo denario obseruationem Decalogi, qui legum denario numero coalescit; ita vt dicamus cum Deo conuenisse, vt completo illo denario legum, qui omnia mandata significat, æterna præmia nanciscamur. Fauet illud monitum Christi: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Nimirum statim vt de labore, id est, de bono opere Christiano constiterit; dicetur homini: *Tolle quod tuum est.* Nam gloria æterna sub meritum cadit vtique condignum, præuiâ gratiâ iustificante.

Matth. 5.

1. Cor. 4.

Matth. 20.

Matth. 19.

Gloria æterna nemini adultorum conceditur sine præuiis bonis operibus.

Eumdem etiam vsum bonorum operum significat hæc dictio, brauium: nimirum est præmium, quod dabatur olim in circo, tota circumstante Roma, & ea applaudente ei qui præcucurrerat. Vnde Apostolus argumentum capit ad bona opera homines adhortandi, ratione præmij instantis, quod nunquam deficiet, suumque adiicit exemplum, dicens, se seriò vacare bonis actibus, qui conducunt ad brauium. Sic ille: *Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Nota, brauij adeptionem non prærequirere modò cursum, sed & alia adsciscere sibi, vt abstinentiam à Venere, & victum moderatum, ne distento abdomine nimia pinguedine fieret homo ineptus ad aleam, in quod etiam discrimen potuit incurrere, Veneris vsu corpore colliquato. Iisdem etiam prælùdiis itur ad gloriam, cui idcirco brauij nomen effingitur, vt ad eam se homo accingat mediis congruis, vt sunt ea proximè recensita.

1. Cor. 9.

Quare gloria æterna dicatur brauium.

Quibus preambulis olim cursores se aptabant ad brauium.

Eò etiam collimat regia illa vox, corona, quæ egregia & ardua facinora præsupponit, vt Paulus insinuat recolens quomodo se aptarit ad coronam illam gloriæ demerendam: *Bonum* (inquit) *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.* Quando in alea concurritur, nihil omnino vacat, sed membra omnia collaborant, sicut & in certamine, milés non ignauè se gerit, si tamen est anhelus ad coronam. Hinc collige, quàm impigram operam conferre debet homo, qui adspirat ad gloriam. Alius item Apostolus non ignauis ait dandam hanc coronam, sed hominibus tantùm strenuis, & expeditis: *Accipiet* (inquit) *coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Dum dicit dari coronam diligentibus, compendiosè multa concludit; siquidem amanti nihil difficile. Præ aliis textibus fauet ille quem versamus, vbi Christus Beatos vocans in partem regni, subiicit ideo dari hanc eis eminentem sortem, ratione bonorum operum: *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Particula, *enim* est causalis. Vnde licet in prædestinato non sit ratio, cuius intuitu à Deo prædestinetur secundùm omnes effectus prædestinationis, vt proximo capite disserui; tamen effectus vltimus prædestinationis, id est gloria æterna, prærequirit in adultis meritum de condigno: nimirum gloriæ æternæ pondus appenditur ad trutinam meritorum, iuxta illud Pauli: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

2. Tim. 4.

Quomodo se debeat homo aptare ad coronam gloriæ.

Iacobi 1.

Gloriæ pondus appenditur ad trutinam meritorum.

2. Cor 4.

Sed ne rationis expers videatur ista conclusio, decernens gloriam bonis tantùm actibus adultorum, quos mediante gratia iustificante fortiter exandarunt; accipe argumentum. Vt Christus via intentionis, ita etiam via exequutionis est causa exemplaris nostræ prædestinationis, ipso etiam Paulo assertore: *Quos* (inquit) *præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ergo cùm Christus glorificationem corporis sui meruerit multis angustiis, oportuit enim eum pati, & ita intrare in gloriam suam: profectò esset indecorum, homines gratis assequi gloriam nobis propositam iisdem stipendiis, quibus eam Christus mercatus est, vt ipse Dominus asseruit hoc discursu: *Vos estis qui permansistis mecum in meis tentationibus. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Id est, vt ego ærumnis nundinatus sum gloriam illam, qua corpus meum breui dignabitur; ita & vos easdem debetis inire vias, vt efficiamini compotes eiusdem gloriæ. Eodem argumento vsus est Petrus, vt simili oratione suada homines induceret in praxim actionum Christi, & præsertim earum, quæ ad Passionem eius spectant. Sic ille Apostolorum Princeps: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Itaque Iudex dum decernet præmia, recolet bona opera, ne damnati liuore perciti querulas edant voces, esse in Iudice acceptionem personarum, si Beatos adscisceret in partem regni sine vlla commemoratione meritorum.

Rom. 8.

Christus causa exemplaris nostræ prædestinationis.

Luc. 22.

Christi imitatio est certum prædestinationis argumentum.

1. Petri. 2.

Rursus nota quoad sensum literalem, illam recensionem bonorum operum dirigi ad Beatos Christianos, & non ad Beatos è lege veteri. Quamuis enim par sit ratio Beatorum omnium hominum

Singularis animaduersio conducens ad sensum litteralem verborum quæ profert Christus in die iudicij.

num adultorum, tamen in hoc Euangelio hodierno suos Christus discipulos instituens, vt eorum fides altas radices ageret, præmonuit hoc discursu, quanta eos manerent bona, si sibi constarent in obsequio hactenus præstito Domino Redemptori. Eamobrem ad eos ait pertinere regnum, quia omnia sua bona erogarant in pauperes, & seduli vacabant operibus misericordiæ. Aduerte, Christum applaudendo Beatis, dignaturum omnes laude sua, vt ipsemet ait idem argumentum versans: *Vnusquisque accipiet propriam mercedem suam.* Cùm ergo ad singulos quosque Beatos pertineat vocari in partem laudum, quibus efferentur iusti; nemo planè secernetur ab encomiis Christi, sed quisque pro dignitate sua eorum particeps erit, Iudice recolente merita singulorum. Vt enim eadem dictione Apostolorum, dispares omnino Gentes audiebant illos loquentes sua lingua magnalia Dei: ita sententia vna eademque Iudicis efferet merita omnia Beatorum, quæ quia in charitate facta sunt, Christus hodie succinctè perstringens ea, quæ diffusè agentur in die iudicij, satis esse credidit proponere exemplum vnum pertinens ad charitatem, eam præsertim, cui studebant tunc discipuli eius, quibus mutuam dilectionem præfixerat vt tesseram indubiam fidei Christianæ. Vnde vt discipuli maiora fidei suæ in Christum caperent incrementa, & eorum amor in proximos augeretur, ait homines esse de misericordia præstita iudicandos. Et profectò hic est sensus literalis huius versus, quem nemo adhuc recensuit adæquatè.

Matth. 25.

Quare Christus dixerit suis discipulis homines in die iudicij esse de misericordia iudicandos.

Siquis Prophetarum in Iudaismo recensuisset seriem rerum gerendarum in die iudicij; profectò induxisset Iudicem recolentem opera, quæ discernebant Iudæos à Gentibus, & sententiam tunc ferendam hanc dixisset: Venite benedicti, possidete hæreditatem Abrahæ, Isaac, & Iacob: circumcisi enim fuistis, & mihi vni litastis victimis & incenso. Ita Moyses benedicturus Leuitis in supremo agone suo, non meminit opera bona, quæ communia habebant cum cæteris tribubus: sed his tacitis, ea tantùm extulit, quæ erant propria Leuitarum, qui gladio vltore sæuierant in parentes suos ob cultũ vituli aurei. Sic Moyses. *Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quē probasti in tentatione & iudicasti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ò Iacob, & legem tuam ô Israel: ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe.* Ita Christus suos alloquens discipulos, & describens contextum sententiæ ferendæ in gratiam Beatorum, ita aptauit illam sententiam, vt ea tantùm opera recenseret, quæ tunc Christus suis sequacibus maximè commendabat, præfigens eis dilectionem mutuam tanquam peculiarem notam suæ sanctæ disciplinæ.

Leuitarum qualis fuerit benedictio distincta à cæteris.

Deuter. 33.

Nota, eos interpretes à Christi scopo seu intento aberrasse, qui credidere, adeò literaliter esse accipiendam illam sententiam, quæ sola commemorat opera misericordiæ, vt nulla prorsus aliorum operum sit futura memoria. Illa namque aliquorum Patrum eleemosynæ commendatio nimis iniuria est aliis bonis operibus, quæ vult tunc à Christo Domino præteriri, cùm de ratione iudicij generalis sit, vt nullum opus bonum abeat indonatum. Hoc igitur esto ratum, sua scilicet fore præconia singulis quibusque bonis operibus, iuxta hoc Psaltis effatum è persona Dei: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Iudicare autem iustitias, est eis decernere congrua stipendia, in quibus non erit hoc postremum, videlicet meritis encomiis à Iudice celebrari. Itaque demiror, graues auctores in hoc veluti vado hæsisse, nescientes quare Christus in sua hac sententia solam mentionem faciat operum misericordiæ, quod vt exponerent, literà prætermissà sensus mysticos inuenerunt.

Omnia bona opera iustorum recolentur in die iudicij & dignis encomiis efferentur.

Psal. 74.

Aduerte item vice coronidis, Christum meminisse tantùm opera misericordiæ, vt rescirent omnes, Beatorum tesseram esse charitatem, cuius perfectio non hominem tantùm Deo obligat, sed & proximo obstringit. Vnde vt discipulorum suorum animos Christus inflecteret ad studium charitatis, ait, penes eam esse rationem sententiæ ferendæ in die iudicij in gratiam Beatorum. Et quia eo tempore rudes adhuc erant discipuli, nec poterant capere quænam esset illa charitatis indoles; Christus illam eis proposuit in effectu operum misericordiæ: siquidem per effectum facili negotio deuenitur ad causam. Quare autem proposuerit opera corporalia potiùs quàm spiritualia, quæ Deo sunt gratiora spiritualibus, hoc fecit duobus ductus argumentis. Primò quia in persona discipulorum posteros instruebat omnes, quorum plerique non capiunt alta specimina charitatis, ideoque animis cadunt quando proponitur eis aliquid supra captum. Ne ergo Christiani rudes causarentur importunam esse charitatem, Christus proposuit opera vernacula, quibus etiam homo redditur humanior, vt sunt illa opera corporalia exhibita egenis & infirmis; quæ adeò humana sunt, vt eorum hodie praxis insolita sit Persis, & Turcis, Gentibus inhumanis. Secundò licet opera misericordiæ spiritualia maioris longè sint momenti, quàm opera corporalia; illa tamen non pertinent ad omnes, sed plerumque requirunt in homine dotes, quibus multi carent. Vt erudire indoctos, corrigere delinquentes; opera sunt quæ requirunt ab homine disciplinam, atque potestatem seu ius aliquod in animam delinquentem. Itaque occurrens Christus omnibus instantiis, stetit in operibus misericordiæ, quæ ad corpora diriguntur. Ad ea namque omnes pro modulo suo sunt idonei, suamque sic produnt charitatem, quæ est summa rerum seu meritorum, quæ tunc à Christo Iudice recolentur.

Quare solius misericordiæ meminerit Christus in sua sententia.

Quare in die iudicij Christus recēlebit opera misericordiæ corporalia potiùs quàm spiritualia.

Latiùs patent opera misericordiæ corporalia quàm spiritualia.

Ex prælibatis collige, eos deuiare à sensu literali, qui arbitrantur, non vocalem fore Iudicis sententiam, sed totam iudicij historiam esse intelligendam mentaliter, vt Abulensis arbitratur, licet probabilem putet aliam sententiam. Pace viri tanti dixerim, non solùm probabilis est mea sententia, affirmans fore vocalē sententiam Christi; sed ita aliam Abulensis opinionem refellit, vt ea stare nequeat. Vt liquidior sit mea sententia, hoc est prænotandum, scilicet ea quæ sacro Codice prostant de die iudicij, esse relata à Christo aut à Sanctis: & hoc discrimen interesse inter Christum & Sanctos, quòd Christus ea quæ facturus est dixit: Sancti verò retulerunt ea, quæ ipsis in visu obiecta sunt, ideoque visiones illæ typis assuetæ sapiunt metaphorā; ac proinde non ad literam est earū recensio accipienda, sed ex intento Spiritus Sancti varios loquendi tropos vt plu-

Tota iudicij historia est intelligenda literaliter.

Prophetarū visiones de die iudicij intelligendæ sunt metaphoricè & non literaliter.

timum

Daniel. 7. rimum vſurpantis. Ecce Danielis viſum. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda: thronus eius flamma ignis: rota eius ignis accenſus: Fluuius igneus rapiduſque egrediebatur à facie eius, millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Eorumdem etiam librorum mentionem facit Ioannes Apoſtolus commemorans diem iudicij. Sic ille: *Vidi thronum magnum, & candidum, & ſedentem ſuper eum, & vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta ſunt in libris.* (Apoc. 20)

Quid ſignificent libri aperti in die iudicij.

Nemini ſano infidebit eas Sanctorum viſiones eſſe ad literam exponendas, quaſi Chriſtus in die iudicij habitu ſenioris hominis appareat, & ignea fluenta prodeant de vultu Iudicis ſic deſcripti à Propheta, cui eo contextu Dominus obiectus eſt. Quaſi verò volumina ſint tunc explicanda, quæ ſeriem actuum referant humanorum. Ad quid illa volumina? fortè vt conſulant memoriæ Chriſti? minimè verò: ſiquidem omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. An rurſus illi libri maiorem facient fidem, cùm viderint homines illic ſua omnia opera recenſeri: nequaquam. Nempe Deo moderante rerum omnium pondera & momenta, vnicuique adeò fixa tenaxque erit memoria delictorum; vt nullo prorſus libro quiſque indigeat, conſcientiâ ipsâ gerente vices magni voluminis iuxta hoc Pauli effatum: *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam deffendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Ita liber ille apertus eſt metaphoricè accipiendus pro conſcientia: alioquin liber ille literaliter intellectus magnam in noſtra mente molem & ſtruem librorum erigeret, quod tamen male ſapit Auguſtino, eique videtur incongruum: *Si* (inquit) *liber, ex cuius ſcriptura omnes iudicabuntur, carnaliter cogitetur; quis eius magnitudinem, aut longitudinem valeat æſtimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo ſcripta ſunt vniuerſæ vitæ vniuerſorum.* Hæc ille.

Conſcientia erit liber apertus in die iudicij. — Rom. 2. — Aug. l. 20. de ciuit. Dei.

Corporalis erit & vocalis ſententia iudicis.

De iudicio recenſito à Chriſto alia prorſus eſt ratio; ille namque principem ibi perſonam acturus, ſcilicet Iudicis, ſimplici contextu ea enarrauit, quæ conſcio ipſo iudicante fient. Vnde cùm corporaliter ſe venturum enuntiet Chriſtus, procul dubio corporaliter etiam faciet alia, quæ ibidem enuntierat: eritque vocalis illa ſententia quam deſcripſit, non tamen ita lata in gratiã bonorum operum miſericordiæ, vt alia bona ſileat indonata. Si namque ſolùm mentaliter eſſent iudicandi homines, ex ſententia mentaliter tantùm lata, ad quid ille corporalis apparatus præcedens iudicium? ad quid ſigna in Sole, & Luna, & apparitio ſenſibilis crucis in nubibus, ſi hæc omnia præludia terminare debet iudicium hoc mente tenus? Irrita ſanè foret illa pompa Iudicis venientis in maieſtate ſua corporaliter exhibita, ſi tacitus ille Iudex inde recederet; Fruſtra Paulus hoc ſcripſiſſet: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.* Verſu præcedente has præmiſerat voces: *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Cùm ergo omnis lingua confiteri debeat Chriſtum, & vocare rerum Dominum; valde abſurdum eſt fore tacitum & elinguem Iudicem, quando erit omnis lingua loquax. (Rom. 14.)

SENSVS LITERALIS.

Prædeſtinatio in ordine ad exequutionem petit ſuffragium bonorum operum.

In hæc verba:

Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Quomodo vna eademque Chriſti ſententia recolet omnia bona opera Beatorum.

ESto naturæ humanæ ingenium non ſit interminum, ſed ſuos cancellos habeat vtique anguſtos, quibus concluditur; Deo tamen propagante fines indolis hominum, nihil obſtat, quin homo queat aſſurgere ad notitiam digniorem eâ, cui fuerat hactenus aſſuetus. Hanc beneficam Dei manum experientur Beati omnes, vnà eademque Chriſti ſententiâ exceptâ auribus corporeis: quippe vox illa vegeta & efficax innumera propè ſignificata mentibus ingeret cõgrua intento Chriſti, debitis encomiis Beatorum ſingula quæque merita propalantis. Nempe ſi manna hoc habuit ſingulare, vt ad arbitrium comedentis palatum afficeret ſapore cibi, cuius cupidinem fecerat appetitus: quare eadem Chriſti ſententia non diſtinctè concludet præconium omnium actionum, quæ conduxere ad æterna præmia ſortienda? Itaque arbitror, Chriſtum Hebraicâ linguâ dicturum ſententiam, quæ Dei virtute ab omnibus excepta inſinuabit animis merita ſingulorum. Linguâ Hebrææâ loquetur, quia eſt omnium linguarum princeps, qua ipſe Deus eſt vſus in Paradiſo Adamum affatus. Vt concolor ergo dialectus ſit verborum, quæ Deus initio protulit, & proferet in hoc mundi deliquio; Chriſtus illud idioma etiam vſurpabit, faciens omnibus palàm, decerni regnum adultis hominibus obſequio meritorum, gloriamque æternam & bona opera non eſſe modò res concordes, ſed comites indiuiduas.

Chriſtus lingua Hebræa dicet ſententiam.

Ex Lingvis Hebrææ.

Gloriæ æternæ, & laborum ſocietas eſt indiuidua.

Elegans eſt in eo argumento Hebræa lingua, quæ eadem dictione honorem & laborem effert. Hebræis enim verbum, כבד *canad*, ſignificat aggrauare, & honorare, ea tamen cautione; vt hoc verbum in coniugatione *Kal*, quam leuem vocãt, ſignificet aggrauare, affligere. At in coniugatione *piel*, quam fortem vocant, dictio illa ſonat gloriã & honorem. Suam hanc eſſe obſeruationem Mercerus ait. Vndè ad meum inſtitutum videtur alludere lingua illa ſancta; quaſi diceret, afflictiones leues hominem quidem laceſſere, ſed eum non honorare niſi fortes ſint & veluti duplicatæ. Etenim coniugationis *piel* proprium eſt duplicare ſecundam radicalem adiecto puncto *daghesch*, cuius eſt fortiore ſono literam afficere: ita vt in *Piel* vox כבד *canad* amittat ſuũ *beth* lene quod ſonabat vt v conſonans, & in *piel* efferatur veluti coaleſcens ex duplici *beth* כבד *chibbed.* Hinc clariatè liquet, gloriam illam æternam, quæ ſumma eſt, non conciliari niſi fortibus anguſtiis,

Pulchra obſeruatio Hebræa valde moralis de gloria iuncta anguſtiis.

ſtiis, aut impigra virtutum praxi, quæ vt carnem grauat eſt ideo corpori importuna. Ab hac voce כבד cauad deducitur nomen כבוד caued, quod ſignificat gloriam, & animam ſuperiorem. Nota, Hebræos duas in homine facultates animæ diſtinguere, ſuperiorem vnam, qua homo aſſurgit ad cœleſtia meditanda; inferiorem alteram, qua vtitur homo corpori conſulturus: non quòd reuera duæ ſint animæ, ſed quia ratione diuerſorum actuum eadem numero anima ſortitur diuerſa nomina. Cùm ergo à verbo, quod afflictionem ſonat, Hebræi deducant vocem, quæ ſignificat gloriam, & animam ſuperiorem, perinde eſt ac ſi dicerent, hominem non fore ſeipſo ſuperiorem, niſi ad ardua aptetur bonis operibus, quæ faceſſunt corpori negotium. Sicque liquet ex Hebræorum penu, non eſſe res diſſitas, gloriam, & virtutum frequentiam.

In homine anima vna ſuperior, altera inferior.

Caro afflicta bonorũ operum praxi, animam facit idoneã ad cœleſtia meditanda.

SYRIACA.

Conſonat & verſio Syriaca textus noſtri, vbi vox enim cauſalis gloriæ exprimitur, כפנחגיר *chephneth geir: Eſuriui enim.* Vox illa, גיר *geir, enim*, eſt dictio peregrina petita à Græcis, quibus γὰρ eſt idem ac nobis, enim. Adhibita hæc dictio Syriaca facit concordes textus noſtros, vbi dictio hæc cauſalis liquidò notat, Chriſtum aſſignare bonis operibus vltimum effectum prædeſtinationis; ita vt nemo planè adultorum hominum ad gloriam ſine bonis operibus euehatur, iuxta concluſionem titulo præfixam, quæ affirmat, prædeſtinationem in ordine ad exequutionem petere ſuffragium bonorum operum. Græcus interpres non receſſit ab hoc ſchemate loquendi. Vbi enim expreſſit ſententiam Chriſti vocantis Beatos ad regnum; ſtatim inducit Chriſtum, ſic loquentem: Ἐπείνασα γὰρ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν. *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Cauendum igitur ſedulò, ne qua ignauia diſſoluat gloriæ æternæ & bonorum operum nexum.

Bonorum operum & gloriæ æternæ nexus exprimitur particulâ vnâ recenſitâ in ſententia Chriſti.

GRÆCA.

SENSVS LITERALIS.

Nemo adultorum dignabitur gloriâ æternâ, quin eam mercatus ſit obſequio bonorum operum.

In hæc verba:

Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.

CONIECTVRA TERTIA.

Ex SS. Patribvs.

IN recenſione filiorum Iſraël, Scriptura ſacra filios Aſer afficit præcipuis encomiis: eorum nempe hiſtoriam ſic concludit: *Omnes hi filij Aſer, principes cognationum, electi atque fortiſſimi, Duces Ducum.* Vox Hebræa, *Aſer* אשר, perinde eſt ac beatitudo: & reuera filij hominum dignandi hoc ſtatu, id eſt filij beatitudinis, ſunt Principes, vtpote Deo Rege ſati, qui eos etiã vocat in partẽ regni eis parati à conſtitutione mundi. Sunt electi, quia à Deo benedicti, & prædeſtinati. Sunt item fortiſſimi: ſiquidem aſſidua bonorum praxis arguit in eis impigrum animum, inuictúque robur pectoris ænei, & neſcij formidinis huius ingloriæ, quam ignaui concipiunt, ſtatim atque virtutis nomen inſonuit. Heroës hi beandi, ſunt Duces, quia reuera ſuo exemplo ducunt alios ad beatitudinem, edentes ardua virtutum ſpecimina, quæ maximè conducunt ad æterna præmia ſortienda. Sicque eâ figurâ liquet, Beatos non duntaxat eſſe electos, ſed etiam eſſe fortiſſimos, quod planè coincidit cum titulo prælibato: videlicet neminem adultorum dignari gloriâ æternâ, quin eam mercatus ſit obſequio bonorum operum. Etenim eſto Deus via intentionis, ſua mera bonitate nos prædeſtinet; via tamen exequutionis ad gloriam opera prærequirit.

1. Paral. 7.

Gloria æterna decernitur tantùm viris magnanimis aſſuetis arduis operibus.

Ad concluſionem illam adſtruendam adſciſco Patres. In his prior occurrit Hieronymus, qui expendens illum locum. Iſaiæ: *Si volueritis, & mandata mea ſeruaueritis, bona terræ comedetis*, ita cõmentatur: *Liberum ſeruat arbitrium, vt in vtramque partẽ non ex præiudicio Dei, ſed ex meritis ſingulorum, vel pœna ſit, vel premiũ.* Rurſus ille probat neceſſitatẽ bonorum operum, quæ Deus voluit eſſe præambula ad gloriam, vt inde liqueret hominibus, quàm iuſtè Deus decernat præmia, & infligat pœnas. Accipe Hieronymum. *Vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, non irrationabiliter ſaluat, ſed cauſis præcedentibus: quia alij non ſuſceperunt filium Dei, alij ſua ſponte recipere voluerunt: ex quo oſtenditur, non eligi Gentes, ſed voluntates.* Liquidiùs adhuc Ambroſius iſtud expendit argumentum. *Deus* (inquit) *non ſolet petitionibus deferre, ſed meritis, quia perſonarum acceptor non eſt; vnde & Apoſtolus ait: Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, quia non ante prædeſtinauit, quam præſciret: ſed quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit.* Accedit & Proſper, compendiosè diffiniens hoc quæſitum: *Fruſtra* (inquit) *dicitur ratio operandi non eſſe in electis, cùm nempe ad hoc etiam operantur, vt eligantur.*

Ex SS. Patribvs.

Hieronym. in cap. 1. Iſaiæ.

Idem epiſt. 150. q. 10.

Ambr. lib. 5. de fide cap. 3.

Proſper l. 2. de vocatione Gentium.

Præfati textus ita neceſſitatem bonorum operum inuehunt ad gloriam comparandam, vt eorum auctoritate ducti magni nominis homines credant prædeſtinationem fieri ex præuiſione meritorum: ſed pace eorum dixerim, hallucinantur non capientes intentum Patrum, qui hîc prædeſtinationem capiunt pro vltimo eius effectu, id eſt, pro gloria æterna: alioquin Proſper non conſtaret ſibi dicens electos ad hoc operari, vt eligantur, ſi hîc intelligeret æternam Dei electionẽ ſecundùm omnes effectus, quos connotat in prædeſtinato. Etenim inde ſequeretur, homines operando Marte ſuo proprio, mereri vt eligerentur ad gratiam primam, quod tamen Proſper impium eſſe probat ſcripto edito contra Collatorem, id eſt Caſſianum huius hæreſis aſſertorem. Illæ igitur Patrum ſententiæ hoc concludunt; ſcilicet idem quod Petrus monens eſſe ſatagendum vt per bona opera certam faciamus vocationem noſtram: gloriam nempe Deus, quam ab æterno ſtatuit dare nobis ex mera bonitate, non ſine præuiis bonis actibus erogabit. Et eſto fidei confeſſio ore facta bonum ſit opus; caſſa tamen eſt ſi charitas illa deſit, quæ bonorum operum teſſerâ comprobatur. Eamobrem Chriſtus recenſendo rationem præmij, quo Beatos afficiet in die iudicij, ſic ſuam protuliſſet ſententiam: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi; credidiſtis enim in me. Vt ergo cauillandi anſa omnis tolleretur; præſcius ille Iudex, *gloriæ æternæ* ſtipendium refudit in bona opera ſacra beneficio charitatis.

Quomodo ſint intelligendi Patres dum dicunt prædeſtinationem fieri ſine præuiſione meritorum.

Fides ſola nõ ſufficit adultis ſine bonis operibus.

Ambr. lib. 2. officior. c. 2.

In eo argumento concordant Patres, in quibus accipe Ambrosium ita fatum: *Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique vtriusque assertionis testimonium suppetit Euangelicum: nam & de scientia ita dicit Dominus Iesus: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, & de operibus ita respondit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit, &c. Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum: habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur.* Idem rursus in hac spatiatus alea, sic decurrit, commemorans Christi Domini disciplinam: *Ne fides nos studiosos, faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri breui sermone concludit: vt & fide, & operibus approbetur, dicens: Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* Adiice & hoc Hieronymi effatum: *Frustra nobis in eo plaudimus, cuius mandata non facimus: scienti bonum, & non facienti illud, peccatum est: quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est.* Hæc ille.

Fidei & bonorum operum societas indiuidua.

Ambr. in cap. 2. Luc.

Hieron. l. 2. contr. Iouin. cap. 1.

SENSVS LITERALIS.

Iusti de se humiliter sapiunt, vtique deponentes omne quod conducit ad fastum.

In hæc verba:

Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

§. VI.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Stellæ in meridie videntur ex ima puteorum sede.

QVotidiano experimento liquet, homines qui dehiscunt in imas puteorum sedes, inde rutilas videre stellas etiam in meridie, nihil obstante Sole, quin sidera suum offundant lumen illis, qui refugæ diurnæ lucis sectantur abdita latibula. Mirúmque est, homines in edito loco sitos, alto Sole non videre stellas, quæ tamen peruiæ sunt hominibus in profunda specu degentibus. Huiusce rei indubiæ ratio est penes Philosophos naturæ interpretes. Habet Theologia quòd miretur simile ferè arcanum: videlicet homines altè sapientes cæcutire in his quæ Dei sunt: cùm tamen homines humiles, & sui nihili conscij, gratiæ Dei indolem optimè speculentur. In eo humili habitu iustorum, qui seipsos deprimunt, gratiæ indoles totam se eis prodit; beneficio illius norunt, omne illud, quod in gratia rutilum est, & coruscum, desuper esse, vtpote à Deo, & non humanæ facinus industriæ. Eamobrem siquando meritis dignantur encomiis ab aliquo præcone, statim abeunt in stuporem, nihil planè deprehendentes in se dignum elogio: quippe sciunt illud omne quod est argumentum laudis egregiæ, à Deo peti, non ab homine, qui est scaturigo vitiorum, & impos assurgere ad ardua, quibus conciliatur honos. Cùm ergo Beati audient se laudari à Christo, recensente, se ab eis dignatum plerisque pietatis officiis, memores adhuc insitæ sibi humilitatis, quæ in Deum omnia ipsorum opera refundebat, in has prorumpent voces, quas præfixi titulo. Etenim Christo texente seriem operum misericordiæ, quibus sibi deuinxere Deum, *Respondebunt ei dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?*

Humilibus multa patēt quæ aliis sunt inuia.

Quare illo die iudicij iusti stupebunt audientes se pauisse aliquando Christum & dedisse ei potum.

Ratio autem huius effati Beatorum hæc est, quæ genuinum huius loci sensum literalem explicat. Nusquam animo iustorum insedit, ea quæ faciunt esse Deo digna, sed semper suspicati sunt in suis operibus næuos, & hiulcum aliquid: idcirco memores consilij Christi, quotiescunque bonum opus aliquod enixi sunt, toties sese seruos inutiles arbitrantur, adeóque altas radices agit apud eos illa sui imbecillis status cogitatio, vt ægrè admodum ferant se laudari, quasi illæ laudes essent iniuriæ Deo, à quo in eos influxit illud thema laudis, qua præfatis laudibus efferuntur. Cùm ergo præcipua laus sit, laudari à laudato viro; & Christus sit omni laude maior; profectò rapiet in stuporem iustos, quando in illa celebri hominum corona dicet, se ab eis deuinctum fuisse pluribus obsequiis. Illi assueti Deo rependere quod eius est, scilicet gloriam, quæ surculus est stipitis operum, illa gloriosa encomia in Deum refundent, illo textu proximè recensito; quasi diceret: Tuæ pietatis est, Christe Deus, hanc gloriam affingere nostris operibus, vt hæc fuerint tibi grata, & velut in vsus tuos exhibita: nihil omnino tale suspicati sumus in actibus à te prælibatis. Fuit debiti obsequij omne quod fecimus, est gratiæ meræ quod gratanter habeas illa seruitutis nostræ modica argumenta; ideoque meritò petimus quandonam te pauimus, aliisque officiis excepimus, quos palàm insigni præconio memorasti.

Iusti in suis bonis operibus nihil omnino laude dignum suspicantur.

Hunc reuera esse sensum illo textu reconditum probat ille sensus, quem de se concipiunt iusti omnes, quos si compellas gratulabundus ob egregia facinora, quibus iugiter assuescunt; confestim ab eis querulas voces accipies, elata in eorum gratiam encomia detrectantes. Sed quia in die iudicij nefas esset refellere Christi præconia; iusti quidem annuent illis encomiis; sed stupentes, opera etiam sua præter condignum à liberali Iudice recenseri. Quisquis itaque suspicatur in se reconditam Dei gratiam, ille inuestiget, ad quam meritorum trutinam appendat suos actus. Si sua facta credit digna cedro, est sanè miseranda sors eius: nam sunt illa opera afflante diabolo patrata, quia superbia distenta tumescit. At si secus anima demissior est assiduâ virtutum praxi, nullisque flabris gloriolæ percutitur; habet profectò, quo gestiat & lætetur, quia eam manet sors interminа Beatorum.

Quomodò discernant se iusti ab iniustis.

SENSVS LITERALIS.

Iusti sui nihili conscij stupent ad recensionem suarum laudum, si quando insonuerint.

In hæc verba:

Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te, &c.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Gallorum laus edita à Ioanne Barclaio cap. 3. lib. de icone animorum.

EAm ab exteris etiam retulere laudem Galli, videlicet esse penes eos, vario & multiplici vestium genere integram seruare venustatem, quam specialem illi Genti natura affinxit,& quam æmulari volentes vicinæ prouinciæ Gallicè indutæ, suspicantes aliquam recondi gratiam in vestibus, diceres esse simias in purpura. Hoc Gallorum elogium est ab homine Scoto Gallici lepôris amantissimo. Ecce peregrini viri sententiam nostrates graphicè lineantem. *Sic venustè compositi qualemcumque vestium de sua mutationis infinita serie, tamquam de inexhausta penu deprompserint, quocumque salutationis artificio corpus inflectant, putes nihil magis illa institutione conuenire. Vicina autem Gentes ridiculo errore decepta, ad illorum quoque mores, per earumdem vestium, ac motuum variam imitationem putant accedere, ignara lepôris & gratiæ virtute in nonnullis hominibus vno genio cuncta placere: in aliis autem, in quibus natura ad hos mutabiles habitus propitia non est, eiusdem venustatis imitationem, & curam ingratam ac ludicram esse.* Hæc effutiit homo natione à Gallis discretus multa intercapedine cœlique, solique, salique.

Propositio veridica Scripturæ sacræ, semper sibi constat variis traducta linguis ab auctoribus orthodoxis.

Si encomiastes ille ad assentationem compositus, eloquij sui flores liberali manu sparsit in decus & gloriam nostræ Gentis, non cunctabor citra suspicionem erroris, adscribere veritati eosdem titulos laudis, quibus Gens Gallica commendatur. Etenim propositâ aliquâ veridicâ sententiâ, quacunque dialecto eam referre sit animus, veritas constabit semper. Et id præcipuè liquet in re sacra, petita è fontibus Scripturæ sanctioris, quæ licet induerit varias plurium idiomatum vestes, nihil omnino deperit ei sensus veri à Deo intenti cortice literali. Ne laboremus in indagine exemplorum, sistamus in textu, quem impræsentiarum multiplicis linguæ suffragio commentamur.

Quæritur à plerisque, quare dictâ à Christo sententiâ illâ beneficâ iustis, hi beati responsuri sint: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te, &c.* Variant hîc interpretes, & ad arbitrium suum rationes fingunt, quas refellere animus non fert: quippe sat est meo commentario sua sensa promere, & ea congruè pro modulo confirmare. Cûm igitur enucleans versum

Ex linguis.

propositum dixerim, germanum eius sensum literalem esse petendum ab indole gratiæ, quæ vt afficit animam, dignatur illam singulari luce, cuius obsequio talis anima sui nihil conscia non sibi adscribit opera sua laude digna, sed gloriæ Dei tantùm velificatur: ideòque fore vt iusti memores suæ humilitatis abeant in stuporem, cùm audient sua præconia; ita vt dicere, *Domine quando pauimus te*, perinde sit ac dicere: Christe Deus, nusquam animo nostro insedit, opera nostra esse talis momenti, vt ea accepta velut in vsus tuos conscriberes in rationibus tuis: etenim hoc vnum nobis maximè cordi fuit; scilicet placere tibi. Itaque ex mea sententia, illæ voces, *Tunc respondebunt ei iusti*, idem sonant ac, *Tunc humiliabunt se iusti.*

Pulchra obseruatio petita ab Hebræis in gratiam humilitatis iustorum.

Diceres, ad nutum meum & de industria esse compositum Euangelium Hebræũ Matthæi, cuius hic est cõtextus או יענו הצדקים *aziangbanu hatsedakim.* Id est. *Tunc humiliabunt se iusti.* Nimirum vox, יענו *ianghanu*, significat illa duo, respondebunt, humiliabunt: quia radix, ענה *nghanah*, idem sonat ac humiliare se, & respondere: quæ duo significata bellè coëunt in eo iustorum colloquio cum Christo, cui se humiliant respondentes, & respondent sese humiliantes.

Hebræa.

Rursus nota, illos de misericordia laudari, & apud Hebræos dictionem illam, עני *nghani*, significare hominem misericordem, & humilem, & obedientem, & mitem: quasi penes humiles esset locuples omnium virtutum penu. Et reuera, vt prælibaui, non saluabuntur iusti propter solam misericordiam, sed etiam propter aliarum virtutum praxim, quæ humilitatem stipat, & velut vmbra consequitur. Proinde patet, illud colloquium Beatorum cum Christo fore negotium humilitatis, quæ ad instar vigintiquatuor seniorum suas omnes coronas deponit ad imam crepidinem tribunalis Christi: etenim licet aliquarum virtutum actus repugnent statui Beatorum, vt verbi gratiâ, patientiæ actio nequit cadere in Beatos, vtpote nescios ærumnarum; ille tamen humilitatis actus, qui proprij cuiusque meriti diadema reponit ad pedes Christi, non detrahit gloriæ Beatorum.

Humilitatis & omnium virtutum nexus.

Aliquæ virtutes repugnant statui Beatorum, sed non illæ quæ gloriam suam refundit in Deum.

Hanc humilitatis societatem cum aliis virtutibus agnouit Syrus interpres: siquidem ab eodem verbo Hebræo, ענה *nghanah*, quod Matthæus vsurpauit, Syri & Chaldæi nomina deducunt, quæ pertinent ad multas virtutes. Vt in Psalmis vox Syriacâ & Caldæa, עניא *nghaniio*, significat hominem patientem, inopem, afflictum. Chaldaica versio Sophoniæ hominem mansuetum, & mitem vocat ענותן *nghanuthan*. Et dictio ענותא *nghuneto* promiscuè mansuetudinem significat, & humiliationem. Ita Tharghum Ierosolymitanum Exod. 16. & Thargum Onkelos Exodi 21. Vnde si adæquatè foret vertenda vox illa Matthæi, יענו *ianghanu*: si inquam esset illa dictio enucleanda ex latitudine, quam sibi vendicat apud Hebræos, Syros, & Chaldæos; hunc profectò sensum inureret textui, cuius scapello linguarum anatomen facimus exquisitam: Tunc iusti omnium virtutum insulis spectabiles & decori, haudquaquam in cothurnos assurgent, illâ suâ recensione laudum factâ à Christo, sed memores vnde tot in ipsos gratiarum latices influxerint, ingenua confessione suæ imbecillæ sortis, gloriæ Dei tantùm litabunt, & non suæ.

Syriaca. Psal. 10. & 34. Chaldæa. Sophon 3.

Fauet & versio Græca. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι. *Tunc respondebunt ei iusti.* Nota, futurum illud, ἀποκριθήσονται, idem prorsus significare, ac respondebunt, secernent, abstrahent, seligent: verbum enim ἀποκρίνω perinde sonat,

Græca.

ac

ac respondeo, secerno, abstraho, seligo. Eamobrem textus noster ad Græcorum scrutinium expensus, ita reddi potest: Statim atque panegyrica Christi sententia, lata in gratiam iustorum, auribus eorum insonuerit, beatæ illæ mentes animo recolentes egregia sua facinora, illico secernent & abstrahent quod suum est, quod Dei verò seligent, & Deum sic affabûtur: Æquissime omnium hominum Iudex, quidquid à nobis effluxit virtutis emeritæ, qua parte fuit sincerum illud, tuum omne fuit: atque ita tuus ille influxus in nos sepositus & abstractus, laude indignos prodit: Ne illa tamen præconia tua, bonorum operum nostrorum ergò, pessum eant, illa damus gratiæ tuæ, cuius sunt omnia præcipua bonorum actuum argumenta: dum namque dotes tuas à nobis seponimus, opera sanè nostra vacant laude. Non sit ergo importuna tibi hæc quæstio petens, quo fato, & mutuo accepto sis in nominibus nostris. Ita enucleatus textus noster humilitatem sapit, quam afflat sensus literalis, quem affingo verbis illis. *Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te?* Benè nec ne commentatus sim, iudicium esto penes peritos.

Humilitas quæ sua sunt ita abstrahit & seponit, vt in Deum refundat illud omne quod est laude dignum.

SENSVS LITERALIS.

Iusti nihil omnino sibi arrogant eorum, quæ sunt laude digna in suis bonis operibus.

In hæc verba:

Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te?

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribvs.

In his quæ ad virtutum praxim pertinent credendum est Sanctis.

IN his quæ pertinent ad varias mundi plagas describendas, multi ludunt Geographi, qui nusquam retulere pedem de paternis laribus. Hi profectò dubios semper lectores habent, quia quod describunt, illud oculis minimè perlustrarunt. Idcirco in eo argumento creditur his, qui longè latéque spatiati sunt in emenso hoc terrarum tractu. Eadem propè ratio est scriptorum, qui longas texunt panegyres in gratiam virtutum omnium. Plerique oratores suum acuendo stylum satis superque credunt virtuti factum esse, si eam Rhetoricæ pigmentis & flosculis adornarint, quamuis nec primoribus quidem labris suauitatem eius aliquando prælibarint. Huiusce farinæ fuerunt Philosophi omnes, qui gloriolæ inanis perquàm cupidi, ore tenus tantùm virtutis encomia decantarunt. Non sunt consulendi illi encomiastæ, quibus in argumento virtutis verba duntaxat prostant viduata factis. Ab his inanibus virtutum simulacris prouocandum est ad Sanctos, quibus insolita praxis egregiorum facinorum, virtutem familiarem fecit. Eorum est captanda sententia, vt adstruam conclusionem meam, quæ affirmat, Sanctos eò magis sese deprimere, quò plus laudibus extolluntur.

Sancti non de suis laudibus extolluntur.

In meam coëunt sententiam Origenes, & Rabanus ille Maurus, egregius Scripturæ commentator. Ita Origenes mecum sentit, inuestigans rationem, quare Beati Christum compellant dicentes: *Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te?* Sic inquam ille *Humilitatis causâ, laude beneficiorum suorum indignos se proclamant, non obliti eorum quæ fecerunt.* Concinit & Rabanus hocce commentario. *Hoc quidem dicunt non diffidentes de verbis Domini; sed stupent de tanta sublimatione, & de maiestatis suæ magnitudine: vel quia videbitur eis paruum esse bonum quod egerant, secundùm illud Apostoli: Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Illa interpretatio loci huius, petitur ab indole Sanctorum, quam Gregorius sic describit: *Sancti viri aliena opera, etiam parua, mirantur: sua verò, etiam magna, despiciunt.* Adeò veridicum est hoc Gregorij effatum, vt probari possit inductione facta per omnes omnium Sanctorum classes. Aliquot exempla iubet proferre, conducto in eum finem Chrysostomo. *Audi* (inquit) *Paulum dicentem: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus. Vides quàm se non extulerit, sed modis omnibus deiecerit, atque humilior euaserit, idque cùm ad supremum virtutis culmen peruenisset. Tres etiam pueri ignibus iniecti, quid in media fornace dicebant? Peccauimus cum patribus nostris, iniquitatem fecimus, sed in corde contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Ita & cùm in fornacem incidissent, humiliores, quàm ante fuerant, claruerunt. Nam postquam miraculum illud circa se patratum viderunt, seipsos salute indignos arbitrantes, ad humilitatem protinus conuersi sunt.* Vides hoc contextu, esse Sanctorum ingenium, vt quò eis maior gratiarum radius affulserit: eò etiam magis vtantur, vt dehiscant in abyssum sui nihili, sortis suæ memores imbecillæ.

Origenes tract. 34. in Matth. Rabanus Maur. in Matth. 25.

Ex SS. Patribvs.

Greg. l. 26. Moral. c. 26.

Quò maior est Sanctorũ virtus, eò etiã magis se depriment.

Chrysost. hom. 2. in epist. Pauli ad Philemonem.

Ille idem Sanctus alia subiicit exempla propitia meæ sententiæ, quæ etiam conducunt ad similia edenda specimina humilitatis. *Si* (inquit) *magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum; & propterea dignus factus est, & admirationi super omnes Iudæos habitus. Sic & Paulus dicens: Non sum dignus vocari Apostolus, & propter hoc omnium primus factus est. Itidem & Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius; & ideo amicus quoque fuit sponsi, & manum, quam calceamento esse indignam dixit, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine; idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus semetipsum connumerare.*

Idem hom. 38. ad populũ Antiochen.

Humilitatis merita magnum capiũt incrementũ.

Alio item exemplo liquet ille Sanctorum genius, humilitatis cultor eximius. Præstat audire Gregorium illum Magnum, singularem historiam huius generis è sacro codice recensentem. Sic ille: *Quia origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat. Unde Eliu dixit: Non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes. In quibus verbis occulta cordis elatio reprobatur. Intueri libet, quanta virtutum munera Dauid perceperat, atque in his omnibus, quàm forti se humilitate fulciebat. Quem enim non extolleret, gra debuit*

Greg. l. 27. Moral. c. 27.

Dauidis humilitas valde commendatur.

 frangere,

frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato Rege ad regni gubernacula iungi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, promissum tandem regnum percipere? Et tamen cum arcam Dei in Ierusalem reuocat, quasi oblitus se prælatum omnibus, admistus populis ante arcam saltat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo, contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subiectorum oculis saltando vilescere metuit: ante eius arcam qui dederat honorem recognoscit. Coram Deo egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quem Michol filia Saül adiuit, ex tumore regij generis insana, cùm humilitatem despiceret dicens: Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. protinus audiuit: Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me, potiùs quàm patrem tuum. Ac paulo post ait: Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis. Ita Gregorius.

Gratiarum incremētum est humilitatis maximū incrementū.

Aliâ demum historiâ constans est mea sententia de humilitate Sanctorum, quæ ex gloria eis concessa capit maximum incrementum. Vadem se præbet Ezechiel, qui conscius arcanorum Dei, non inde superbus intumuit, sed se ad ima depressit. *Hæc* (inquit) *visio similitudinis gloriæ Domini, & vidi, & cecidi in faciem meam.* Si quis Pharisæo similis, diducto supercilio, dignatus esset hac gratia, proculdubio non cecidisset ad pedes Domini, sed in tumorem assurgens stetisset ante tribunal diuinæ illius gloriæ coruscantis. Ab hac insania longè fuit hic Propheta: quò namque Dei sacrario præsentior est, eò etiam propior humilitas. Vnde Hieronymus ita versat illum locum: *Non est elatus visionum magnitudine, sed conscientia fragilitatis humanæ, procidit in faciem suam. Vnde & Apostolus Paulus post ascensionem cæli, & Paradisi, & auditionem verborum ineffabilium, datum sibi dicit Angelum Satanæ, qui se colaphizet ne extolleretur. Et Abraham cecidit in faciem suam postquam audiuit sermones Dei.* Cùm ergo Beati nullam suæ sanctitatis iacturam fecerint euecti ad apicem gloriæ, eò magis se deprimeut in die iudicij, quò magis à Domino laudibus extollentur.

Ezech. 1.
Quantò fuere Sancti à Deo honorati, tantò etiam humiliores sese præstiterūt.
Gratia Dei & humilitas sunt comites indiuiduæ.
Hieron. in c. 1. Ezech.

SENSVS LITERALIS.

Omnia opera Iustorum, solo Dei intuitu facta, cedunt in ipsius Dei gloriam.

In hæc verba:

Respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex fratribus meis his minimis, mihi fecistis.

§. VII.

CONIECTVRA PRIMA
Ex Ratione.

Gloria Principum omni-

DYnastæ omnes & Magnates præcipuam gloriæ suæ partem reposuere penes magna agmina famulorum: imò & codice sacro nobis describitur aliqua species gloriæ Dei ab infinito propè numero ministrorum. Nempe Daniel aliqualem volens ingerere nobis ideam diuinæ maiestatis, ita penicillum suum aptat. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Vt autem constaret omnibus, ad quem pertinent serui, hoc fuit priscis sæculis insolitum, vt seruis inurerentur nomina dominorum, vt liquidò sonat illud Senecæ effatum: *Non me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero.* Id est, nulli seruio. Ignobili mancipio plerumque character inglorius fronti inscriptus, inquam eius sortem omnibus explicabat. Sed quia militia, gloriæ & honoris professio est, integra cuique militi sua frons erat, dummodo impressa suis manibus militiæ nomina circumferret, vt Lipsius ille antiquarius commemorat. Tessera illa militum olim fuit nomen Imperatoris manibus insculptum, vt videre est hoc contextu Ambrosij. *Charitate Domini inscribuntur & serui, & nomine Imperatoris signantur milites.* Ad hunc morem alludit Paulus, isto loquendi tropo: *Ego stigmata Domini* IESV *in corpore meo porto.* Est namque singularis Christi militia, cui dedere suum nomen Christiani omnes, qui sacræ huius militiæ signum manibus inustum se habere probant, quando bonis operibus vacant: nimirum sedulà virtutum praxi, edoctâ à Christo, maximè illius antesignani gloria propagatur.

rum in multitudine ministrorum.
Daniel 7.
Seruis olim inusta nomina dominorum.
Senec. ep. 35.
Lipsius l. 1. de militia Romana dial. 9.
Ambr. lib. de obitu Valentiniani.
Galat. 6.

Hinc est, quòd Christus hodie sua accepta refert opera charitatis exhibita egenis, eo nomine, quòd talia opera sint ab ipso Domino commendata. Cùm enim in moralibus actiones speciem sortiantur à fine; omnia iustorum opera eo intento facta vt Deo debitus rependatur honos, cedunt in gloriam Dei: siquidem gloria est clara notitia excellentiæ alicuius cum laude. Quia igitur opera iustorum sunt argumenta obsequij quod Deo præstant, illius ita dominium non ore modò, sed & opere comprobantes; profectò illæ actiones emeritæ eo fine editæ congruè Deum magnificant: tacente equidem linguâ, suam facundiam habent bona opera, sicque in ore hominum gloria Dei bonis actibus ampliatur. Etenim is, qui illum prædicat esse summum rerum Dominum, ei maximam defert gloriam. At iusti in singulis quibusque suis operibus Deo vt suo soli Domino litant, detrectantes omne aliud dominium Deo contrarium. Ergo cùm iustorum actus sint indices Supremæ Maiestatis, profectò bonis operibus laudatur Dominus eloquenter. Ideoque Deus se quasi debitorem Beatorum dicit, dum accepta refert in rationes suas opera misericordiæ exhibita egenis solo Dei intuitu. Vnde & hos fratres suos vocat, in quos Dei gratiâ collata sunt aliqua beneficia, nam frater perinde est, ac ferè alter: quisquis igitur in egeno meditatur inopiam Christi, & meminit pauperes à Domino cōmendatos, magnam concipit opinionem de homine illo afflicto, ac proinde timatur in eo diuinum quidpiam, ratione cuius se ei beneficum præstat: sicque ita vt egenus induat habitum Christi; primò, quia in eo attenditur imago pauperis Christi; secundò, quia in stipe erogata huic mendico, Christianus sibi præstituit obsequium Christi vt scopum. Cùm ergo in paupere coëant tot lineamenta Christi appositè dicitur à Christo frater, quasi ferè alter Christus.

Quare Christus accepta sibi referat opera misericordiæ egenis exhibita.
Quare in gloriam Dei cedunt bona opera.
Quare egenos Christus vocat fratres suos.

Quia itaque plura concurrent in paupere, quæ referant

Pauperes spiritu Religiosi, sunt præcipui fratres Christi.

referant similitudinem Christi; eò etiam magis participabit titulum fratris Christi. Idcirco Hieronymus pauperes hîc non quosque intelligit, sed solos pauperes spiritu, vt sunt Religiosi, quia hi perfectiori modo referunt inopiam Christi, quæ spontanea fuit, & non coacta, sicut illa quam iniquè ferunt homines, qui inuiti sustinent egestatem. Ita Hieronymus: *Libera nobis erat intelligentia, quòd in omni paupere Christus esuriens pasceretur: sitiens potaretur: hospes induceretur in tectum: nudus vestiretur: infirmus visitaretur: clausus carcere haberet solatium colloquentis. Sed ex hoc quod sequitur: Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: non mihi videtur dixisse generaliter de pauperibus; sed de his, qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum dixerat: Fratres mei, & mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.* Esto bona sit explicatio Hieronymi; est tamen accipienda sine dispendio pauperum cæterorum: ita vt sensus sit, maioris meriti esse erogare stipem homini Religioso egeno, quàm alteri mendico moribus iniquis, iuxta hanc Christi sententiam: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui accipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet, & qui dederit vni ex minimis potum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Non sunt ideo frustrandi pauperes alij, quorum etiam Dei intuitu leuanda est inopia licet eis ingrata. Paulus etiam hoc suasit, vt neminem etiam infidelem exciperemus à beneficentia nostra, eo tamen ordine seruato, vt fideles primas obtinerent, quando in bonorum partem pauperes aduocamus. Sic ille: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* Ratio maioris meriti petitur ex eo, quòd plura argumenta charitatis coëunt in eleemosyna data Religioso: illi siquidem ad Deum propiùs accedunt professione sua, quàm alij huius sæculi pauperes errabundi.

Eleemosyna data Religioso maioris est meriti quàm data alteri egeno.

Matth. 10. Meritoria est eleemosyna in charitate facta etiam malis hominibus.

Galat. 6.

Ex præfatis collige, sensum literalem textus nostri, vbi Christus sibi adscribit bona erogata egenis, non hunc esse, vt eleemosynæ omnes conducant ad gloriam; sed ea opus esse cautione, vt illæ eleemosynæ fiant in gratia: iustos enim Christus alloquitur illic, vbi eorum stipem egenis memorat erogatam. Præterea aduerte, sensum adæquatum illius sententiæ esse: Gloriam æternam rependi iustis, quia suis operibus non conciliauere sibi gloriam hominum, vtpote incurij popularis auræ; sed ad maiorem Dei gloriam sua omnia opera direxerunt. Ita vt sensus verborum Christi sit iste germanus: O Beati, quotiescunque bonis operibus vestris præfixistis gloriam meam in scopum, & vltimum finem, ego opera vestra sic edita feci mihi sacra, vtpote æterno dignanda sacrario; quidquid enim mihi affingitur ab anima gratiæ dotibus illustri, diuinum est, ac proinde suo præmio compensandum. Cùm ergo placituri tantum mihi, præstitistis vos beneficos in pauperes, ego tunc in nominibus vestris memet inscripsi, congruum gratiæ vestræ fœnus vobis hoc tempore repensurus, sicut & alia omnia opera bona suis dignor stipendiis, quasi debitor auctoribus: quia illa testantur obsequium, quo sese iusti omnes mihi vt rerum Domino deuouerunt.

Quis sit sensus literalis verborum Christi, sibi adscribentis bona erogata pauperibus.

Deus suo recondit sacrario illud omne quod fit ad maiorem Dei gloriam.

SENSVS LITERALIS.

Deus in suas refert rationes opera illa bona, quæ eduntur à iustis ad maiorem Dei gloriam.

In hæc verba:

Respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex fratribus meis his minimis, mihi fecistis.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Linguis.

Lata & spatiosa est apud Theologos sacrificij vsurpatio: illa nimirum vox non affingitur tantùm victimis, & holocaustis; sed iis omnibus rebus, quæ conducunt ad gloriam Dei propalandam. Etenim ex concordi Theologorum suffragio, sacrificium est oblatio facta Deo in argumentum supremi eius dominij in nos: quocunque autem modo fiat illa oblatio, profectò participat rationem sacrificij, siue signo interiori fiat, aut externo. Vnde Theologorum apex Thomas ait, illud omne quod Deo exhibetur ad hoc vt spiritus hominis feratur in Deum, posse dici sacrificium. In eo sensu contritio, qua pœnitentis animus sistitur Deo sollicitus de meliori fruge, vendicat sibi rationem sacrificij, ipso etiam Dauide assertore, cuius occinentis ecce suaue melos: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ad idem etiam sacrificium pertinet psalmodia, eodem Psalte auctore, vbi Deum sic inducit loquentem: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Illa sacrificij notio apposité quadrat meo intento, cuius est probare, Deum in suis conscribere rationibus omnia bona opera edita ad maiorem Dei gloriam. Sic enim adstruitur illa conclusio: Deus accuratè recenset numerum sacrificiorum, & pro eis fœnus exoluet: At bonum opus Deo exhibitum ad gloriam eius, est species sacrificij: Ergo Deus recondet illud opus, & in numero sacrorum illud suo tempore recensebit, vt hoc textu patet de eleemosyna, quam Christus à se acceptam ait in persona hominum egenorum.

Quid sit sacrificium.

Th. 3. p. q. 22. art. 2.

Contritio est species sacrificij.

Psal. 50. Psalmodia est sacrificium. Psal. 49.

Bona opera edita ad gloriam Dei sunt sacrificia.

Matthæi idioma Hebræum bellè obstetricatur, & quasi de industria compactus esset ille textus. Vbi enim legimus: *Quamdiu fecistis vni ex his.* Hebræi sic efferunt: *Amen dico vobis, quod sicut sacrificastis.* לכם נשעשיתם אמן אני אומר *amen ani lecem schesching hasschitem.* Etenim verbum, עשה *nghascha*, quod ex radix huius dictionis, נשעשיתם *scesching hacitem*, duo significat; videlicet, facere, & sacrificare. Primi significati multiplex est vsus, de quo non ambigitur. Altioris indaginis est recensere exempla, vbi verbum hoc perinde sonat ac sacrificare. Ecce vnum vtique insigne. Cùm Moyses, sibi constans in proposito educendi populum de Ægypto, petiit copiam exeundi à Pharaone, eum sic affatus est: *Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.* Hebræa dictio pro, *offeramus*, habet, ועשינו *nghasinu*, adiecta litera *Vau*, quæ est conuersiua temporis præteriti in futurum. Sicque liquet vocem עשה *nghasa* sonare idem ac facere,

Ex Linguis. Hebræa. Facere & sacrificare apud Hebræos verba sunt synonyma, vt & apud Latinos.

Exod. 10.

LATINA. facere, & sacrificare, vt & apud Latinos, quibus aliquando, facere perinde est ac sacrificare, teste Virgilio, cuius est hic versus. *Virg. Eglog. 3.*

Cum faciam vitula, pro frugibus, ipse venito.

Id est, cùm sacrificabo. Itaque ex sensu Hebræo ita reddi potest Christi effatum meo titulo prænotatum: Petitis à me, ô Beati, quando me pauistis, & potastis? Huic facio quæsito satis, & respondeo, mearum partium esse omnia sacrificia, ideoque cessisse mihi vestras eleemosynas, aliaque omnia bona opera edita ad maiorem meam gloriam; quia quicquid mihi offertur ad testandum meum dominium, illud est species sacrificij. Nota, apud Chaldæos & Syros esse illud etiam verbum vsitatum, עשׂה, licet versio Syriaca adhibuerit aliud verbum, scilicet דעבדתון *dangbanadthun*, id est, fecistis, seu coluistis. Etenim vox illa Syriaca deducitur à radicali, עבד *ngbanad*, quæ idem significat ac seruire, colere; ita vt Christi verba ad trutinam Syriacam possint sic referri: Quamdiu, ô Beati, potastis & pauistis pauperes, tamdiu mihimet seruiistis, & specialem cultum detulistis. Quid ergo mirum si digna cedro sint opera iustorum, cùm Deus annuendo votis hominum, per quàm gratum habeat, sibi præclara quæque opera consecrari.

CHALDÆA. SYRIACA.

Bonorum operum praxis, est singularis Dei cultus.

SENSVS LITERALIS.

Deus præclaris quibusque bonis operibus excolitur, in quibus eleemosyna ab eo maximè prædicatur.

In hæc verba:

Respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiù fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

CONIECTVRA TERTIA

EX SS. PATRIBVS.

NEfas olim erat aliis quàm Leuitis versare supellectilem templi, quæ ad sacrificia pertinebat, quia penes illos tantùm erant sacra. Dixi bona opera esse speciem sacrificij, quia edita sunt in obsequium Christi, cuius ita dominium crebro & præclaro opere profitemur. Non omnium est tractare sacra ista, & texere sermonem de bonis operibus. Argumentum hoc ad Sanctos tantùm spectat, vtpote assuetos sacris illis, quibus ritè Deus excolitur. Cõsulamus itaque sacerdotes sanctos, vt illis velut oraculis rationem bonorum operum citiùs addiscamus. Prior occurrit Basilius, quasi ad meum arbitrium compositus: ille nimirum ait, nos bonis operibus litare Deo, & gloriæ illius; & ita nos morem gerere Psalti prouocanti: *Afferte Domino gloriam & honorem.* Sic ille commentatur. *Quomodo nos, qui terra & cinis existimus, magno Domino gloriam afferimus? Quomodo & honorem? Gloriam quidem per bona opera, cùm opera nostra splendore probitatis irradiarint hominum oculis: sic vt perspectis operibus nostris homines glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est. Sanè per sobrietatem; perque sanctimoniam nos peculiariter contingentem, qui se ex professo obstrinxerunt tuendæ religioni, potest quis afferre Deo, iuxta Pauli admonitionem dicentis: Glorificate Deum in corpore vestro. Hanc ille gloriam Dominus requirit ab his qui in se credunt, & adoptionis gratiâ sunt digni.* Hæc ille, suam sententiam stabiliens plerisque locis sacris, vbi opera bona recensentur vt idonea ad gloriam Dei in hoc sæculo propagandam. Huius generis sunt hi versus: *Ego te glorificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

Leuitis tantùm fas fuit attrectare vasa sacra.

Opera bona Deum laudant. *Psal. 28.*

EX SS. PATRIBVS. *Basil. ho. l. 5. in Psal. 28.*

Ioan. 17. Matth. 5.

Paulus vt præco Christi, afflatus eodem spiritu, Philippenses adortatur ad virtutum praxim, quia inde Deus maximè honoratur: *Oro* (inquit) *vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu: vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in die Christi, repleti fructu iustitiæ per* IESVM *Christum, in gloriam, & laudem Dei.* Quasi diceret, in die iudicij fore vt recenseantur iustitiæ nostræ, id est opera bona, vt quid pertinens ad gloriam, & laudem Dei, iuxta meam sententiam, quæ hoc Pauli textu maximè comprobatur. Præterea aliundè liquet, præclara opera nos adscribere militiæ Christi, & ea quantùm fas est homini gloriam Christi Domin. procurare. Eò alludit Cyprianus ita monens. *Tu tantum, quem iam spiritalibus castris cælestis militia signauit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam.* Ad id etiam mi tale genus pertinet illud Dei effatum: *Neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis, ego Dominus.* Quasi Deus hoc notaret, scilicet non esse manibus nostris insculpenda nomina dominorum terrestrium; id est, non esse opera nostra facienda in gratiam alicuius præmij temporalis: quippe, vt suprà recensui, milites in manibus inusta præferebant nomina suorum Imperatorum. Radulphus apprimè hoc discutit argumentum. *Stigmata* (inquit ille) *dicebantur quædam signa, quæ in manibus militum fiebant: vt de militia Imperatoris esse cognoscerentur. Prohibet ergo ne huiusmodi characteres faciant sibi, quibus humanam videantur professi potiùs seruitutem. Nam etsi hominibus seruiunt electi; ibi tamen Deum attendunt, iuxta illud Apostoli: In hoc ipso Domino seruientes. Vnde & idem nos admonet, dicens: Pretio empti estis, nolite serui fieri hominum. Cur autem non debeant humanæ seruitutis testimonium ferre, reddit causam, dicens: Ego Dominus. Ipse namque verus Dominus est, de quo per Psalmistam dicitur: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ipse enim nobis subtractis, minor non est: nobis verò sine ipso benè esse non potest.*

Philipp. 1.

Bona opera nos adscribunt militiæ Christi.

Cyprian. ad Donatum.

Leuit. 19.

Radulphus in c. 19. Leu.

Quid essent olim stigmata in manibus.

Vt præclara militum facinora redundabant ad gloriam Imperatorum, qui sua nomina manibus illorum pugilum inscripserant; ita etiam ad gloriam Dei pertinent egregia quæque facta hominum sanctorum, qui Dei tantùm intuitu suos exerunt actus, ideoque procuratores illi gloriæ Dei, æternâ gloriâ dignabuntur. Nempe manet eos eadem sors, quæ olim homines conductos ad opus publicæ fabricæ ex decreto Imperatorum. His ne quando forent transfugæ inurebantur stigmata, quibus dispuncta brachia notabantur, sicque indices erant illæ notæ, huiusmodi hominum

Stigmata olim inusta brachiis fabricensium ne transfugæ forent.

EX IVRE CIVILI.

Lege Stigmata Cod. de fabricens. l. 11. tit. 9. leg. 3.

minum brachia Regiæ fabricæ deuoueri. Vnde nefas erat hospitio recipere desertores illos fabricarum, qui fugâ arreptâ inuiti suo stigmate prodebantur. Ecce legem, quam tulere Imperatores Arcadius, & Honorius. *Stigmata, hoc est nota publica fabricensium brachiis, ad imitationem tyronum infligantur, vt hoc saltem modo possint latitantes agnosci: his qui eos susceperint, vel eorum liberis sine dubio fabricæ vindicandis, & qui subreptione quadam declinandi operis, ad publica cuiuslibet sacramenta militiæ transierint.* Beati omnes ab æterno inscripti sunt libro vitæ, qui eos duntaxat recenset, quos exercere debet fabrica templi gloriæ æternæ. Horum artificum stigmata manibus inscripta, sunt bona opera, quæ Beatos etiam inuitos produnt: bona nimirum arbor nescit malas parturire fruges. Hos itaque fabros Templi gloriæ, gloriosa manent stipendia, scilicet illa æterna, quæ eis propitiâ sententiâ Iudicis explicantur.

Quare eleemosyna præ aliis operibus à Christo commendatur.

Tametsi singula quæque bona opera Deo accepta sint, suis afficienda præconiis in die iudicij; eleemosyna tamen à Christo maximè commendatur. Fortè quia maior tessera charitatis in ea rutilat & coruscat: aut quia in stipe erogata magis æmulamur indolem Dei, cuius est misereri, & in omnes influere, bonis iugiter impertitis. Denique suspicor, à Christo eleemosynam magni pendi, vt à cordibus infidelium omnes auaritiæ surculos auerruncet, insinuando quibus thesauris debeant occupari. Ea arbitror esse argumenta, quibus explicari potest sensus literalis à Christo intentus, dum ait, homines beneficos in pauperes sibi ipsi rerum omnium Domino fœnerari.

Eleemosynas vt sibi ipsi factas Christus compensat.

Ex SS. Patribus.

Chrysol. serm. 41.

Eleemosynæ elegans commendatio petita à præmio regni æterni.

Hunc autem Dominum præcipuè affici eleemosynâ, clamant paginæ omnes sacræ, & earum interpretes Sancti Patres. In hoc themate de auro expenso in gratiam Christi, audiendus ille Pater, qui ab aureo eloquio Chrysologus appellatur. Aureum illud eloquentiæ flumen in aurato eleemosynâ aluco sic decurrit. *Clamat Deus, misericordiam volo. Homo, da Deo quod vult, si vis tibi dari a Deo quod vis. Misericordiam volo, Dei vox est, Deus à nobis misericordiam petit, & si dederimus, quid dicturus est? illud quod hodie lectum est: Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui & dedistis mihi potum. Et quid? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Qui dederit esurienti panem, dabit sibi regnum: negabit sibi fontem vitæ, sitienti aquæ calicem qui negarit. Amore pauperis Deus suum regnum vendit: & vt emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium, quia vult habere omnes, qui tantùm petit pretij, quantum scit hominem habere. Deus regnum suum fragmento panis vendit: quis excusare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accusat? Fratres, prandium nostrum sit pauperis cœna, vt mensa Christi nostrum paretur in prandium; promittente ipso, cùm dixit: Manducabitis in mensa mea in regno meo. Fratres, sint deliciæ pauperum nostra ieiunia, vt temporale ieiunium nostrum in æternas possit nobis delicias immutari. Homo, dando pauperi, das tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solùm quod pauperi dederis, hoc habebis.* Hæc eruditè Chrysologus.

Eleemosyna Christo fœneratur acceptura regnum pro fragmento panis.

Rursus esse Deo gratam eleemosynam, quis industrio veluti penicillo lineas ducit, referentes speciem misericordiæ Dei, cuius est totum quod stamus, & quo constamus, idem Sanctus sic recenset. *Misericordia implet cœlum; replet terram: Domine, inquit, in cœlo misericordia tua. Et idem ipse: Misericordia Domini plena est terra. Et reuera periisset totum quod Deus fecerat, nisi misericordia subuenisset: culpa & vltio quicquid in hunc mundum venerat, auferebant: quia & fragilitas semper tendebat ad lapsum, & cogebatur ad vindictam semper censura iudicantis. Sic Angelus deiicitur è cœlo: sic de paradiso exulat homo, sic mundus diluuio deletur, sic Gentes confunduntur linguis, dantur gladio, sic exuruntur vrbes incendio diuino, &c. Hæc est Christi magna misericordia, larga, & sola, quæ iudicium omne in diem seruauit vnum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputauit inducias; vt quod de vitiis infantia suscipit, rapit adolescentia, inuadit iuuentus; corrigat vel senectus: & de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit iam se non posse peccare, & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus: faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. Hinc est quòd Propheta ad misericordiam currit totus, quia fiduciam de sua iustitia non habebat. Miserere, inquit, mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Et quare magnam? quia misericordia tua, inquit, magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Et si Deus reddit per misericordiam, quod per iudicium deperierat; homo, tibi quid stare, quid constare sine misericordia tu putabas? Probatum est ergo tibi, non ieiunium solùm sed omnes sine misericordia virtutes nutare. Abraham cœlestis conuiuij principem humanitas ardens Deo impensa perficit: nam quia duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, Orientis & Occidentis populos mensam suscepit ad cœlestem. Venient, inquit, ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Loth, quia hospitio suscepit Angelos, iudicium præuenit. Hinc gehennam vicit in carne: misericordiam nescit diuinus ignis exurere. Facit ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere. Denique veniens Christus, ante de misericordia disputat, quàm iudicet de reatu. Cùm sederit, inquit, super thronum gloriæ suæ, dicet: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. De crimine non prœstabis causas, cui de misericordia causa constabit. Quare? quia date eleemosynam, & ecce sunt vobis omnia munda. Non iudicabitur de culpa, cui de largitate laus defertur à iudice: vindictam non exiget, humanitatis debitum qui fatetur. Esuriui, inquit, & non dedistis mihi manducare. Manducat Deus in cœlo panem, quem perceperit in terra. Quamdiu fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis. Da ergo panem, da potum, da vestimentum, da tectum, si Deum debitorem, non iudicem vis habere, nihil nobis nocebit in terra, si nobis in cœlo misericordia sit patrona.* Ita Chrysologus, cuius hoc fusius eloquium præterire non potui, quia textum quem expendo egregiè commentatur.

Chrysol. serm. 42.

Egregia misericordiæ Dei descriptio petita ab effectibus eius.

Misericordiam Dei, misericordia in pauperes conciliat.

Eleemosyna extinguit ignem infernalem.

Dixi suprà, Christum hunc sermonem de commendatione operum misericordiæ ideo texuisse coram discipulis, quibus misericordiæ studium voluit ingerere: sed hoc non obstare, quin Iudicis sententia speciali modo nobis iam inuio commemoret aliorum facta, quibus non

Opera bona Sanctorum omnia suis extollebuntur encomiis in die iudicij.

licuit

lcuit se præstare beneficos in pauperes: alioquin Paulus ille Eremitarum Princeps, meritis grauis vt grandæuus, nullius esset encomij; siquidem longo annorum tractu discretus ab omni hominum commercio, non potuit misericordem se aliis exhibere. Cùm ergo in die iudicij mentionem Christus faciet operum misericordiæ, Christianos tunc affabitur solùm, quibus maxime fuerunt illa opera prædicata. Ne suspiceris in hac mea sententia delirium, accipe testem Euthymium, non ignobilem sacri codicis interpretem peruetustum. Sic ille. *Manifestum est, quod ad solos Christianos verba facit, ad quos Euangelij sui præcepta facta sunt: nam ad infideles nullus tunc erit sermo: omnes enim simul per se condemnati erunt. Ideo enim dicit: Non resurgent impij in iudicio, hoc est, non resurgent vt iudicentur, sed vt puniantur. Siquidem manifestum est, quod quando apparebit signum filij hominis in cœlo, tunc plangent omnes tribus terræ, solam habentes condemnantem conscientiam. Nunc ergo ad Christianos vt diximus sermo est. Vide autem quomodo de sola humanitate siue amore erga proximos disserat, & hac sola iustos honore dignos iudicet, peccatores verò supplicio. Non quòd cætera vel iustorum bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione, vel discussione relinquenda sint: omnium siquidem cuncta inquiret, & opera, & verba, & cogitationes, vt ipsemet frequenter suâ doctrinâ manifestauit, & à multis diuinæ Scripturæ locis discimus, & bonis quidem operibus præmia rependet, delictis autem pœnas. Sed nunc de sola hac, vt dictum est, virtute disserit, confirmare volens quod hanc maximè requirit, & hanc præ omnibus expetit, vtpotè Christianis maximè necessariam. Cuiusque enim Christiani insigne, quo dignosci potest, est dilectio. In hoc, inquit, cognoscent omnes quòd mei discipuli sitis, si dilectionem habueritis inter vos mutuam. Huius autem optima pars est pauperum amor, & erga proximum misericordia ac compassio, iuxta Gregorium Theologum: Nulla enim alia re, inquit, inter omnes ita colitur Deus vt misericordiâ: neque alij cuiquam magis rependitur humanitas, quàm humanitati. Præcipuè ergo disserit de præcipuo Christianorum opere, hoc modo nos exterrens, & attrahens, vt qui homines sumus, humani efficiamur, vtentes ea, qua ipse tunc vtetur, humanitate. Iustissima est autem merces, vt inhumanis inhumanitas, & misericordibus misericordia rependatur. Etenim ipse, qui misericors est paruis operibus magnum præmium retribuit: quid enim regno illi æquale esse poterit? Manifestum est autem quòd ex his quæ possumus humanitatem requirit: his enim qui non possunt sufficit quòd velint. Varias enim humanitatis partes recenset, vt siquidem possumus, omnes impleamus: sin autem, at saltem eas quas possumus.* Hactenus Euthymius, hoc contextu latè meam adstruens sententiam.

Euthym. in c. 25. Matth. Ad solos Christianos pertinet ista sententia quæ ab argumento eleemosynæ homines iudicabit.

Dilectio est tessera Christianæ.

Misericordiâ impensâ maximè colitur Deus.

Misericordia misericordi iustè rependitur.

SENSVS LITERALIS

Reprobi nullo defectu ex parte Dei, sed suo duntaxat vitio consciuere sibi maledictionem.

In hæc verba:

Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum, &c.

§. VIII.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione Theologica.

Alto iam Sole, & cubiculi ei obiecti fenestrâ apertâ, in his profectò ædibus illucescit; non absolutè quia fenestra aperta est, sed quia Sol influit. Si verò eodem Sole gyrante præcludatur aditus radiis eius in penetralia domus, proculdubio illic omnia nigricabunt: neque tamen illa tenebrarum occasio refundenda est in Solem, cùm nulla acceptione ædium in omnes influat; vnde caligo omnis est occlusis ædibus assignanda. Itaquòd Beatis illuxerit Sol iustitiæ, non est absolutè adscribendum eorum meritis & consensui; sed totum illud negotium est præcipuè dandum diuinæ gratiæ, & prædestinationi, quæ ab æterno Beatos præuenit in benedictionibus dulcedinis. Quòd verò reprobis omnia tenebrescant, non est aliquod gratiæ Dei deliquium, sed culpa hominum impiorum, qui se refugas præstitere Deo, & illius gratiæ coruscanti. Hinc est illa malorum disparitas recensita textu proposito, qui reprobos non nuncupat maledictos Patris, sicuti bonos dixit esse benedictos Patris. Sed simpliciter ait: *Discedite à me maledicti.* Ità liquidò significans, Dei quidem esse quòd Beati cuehuntur ad gloriam; & malorum esse, quòd damnantur: nimirum homines illi nequam Deo inconsulto sibi æternum hoc maledictum suo vitio consciuerunt. Hoc quippe discrimen intercedit inter prædestinationem, & reprobationem, quòd ex parte nostra nulla datur ratio seu causa, quare Deus ab æterno nos prædestinarit: at secus ex parte nostra datur ratio seu causa reprobationis. Vnde singulari Dei beneficio prædestinantur iusti, idcirco benedicti Patris appellati, quia eorum sors beata refundenda est in Dei æternam & gratuitam voluntatem: mali verò ansam præbuere Deo cur ab eo reprobentur; nempè ex præuisione finalis eorum impœnitentiæ Deus eos abiecit, suo sic vitio maledictos.

Gratiæ & peccati diuersa sunt principia.

Ex theologia.

Prædestinationis & reprobationis differentia quænam sit ex parte rationis seu causæ vtriusque.

Vt sit hæc doctrina liquidior, auspicandum est à nomine reprobationis. Reprobatio obiectiuè malum aut falsum respicit, sicut approbatio bonum aut verum spectat: at probare enim & reprobare pertinet ad vtramque potentiam, scilicet ad intellectum & voluntatem; siquidem voluntas dicitur approbare quod vult, & reprobare quod fastidit. Ita dicitur intellectus approbare cùm iudicat rem esse veram, aut bonam: contra

Quid sit reprobatio.

verò censetur reprobare, si iudicat obiectum esse malum & falsum. Hac reprobationis nomenclatura Theologi vtuntur ad significandum actum diuinæ prouidentiæ, vel voluntatis circa eos homines, qui ob scelera sua sunt damnandi. Quia autem respectu damnandorum, non duntaxat est in Deo diuina præscientia & prouidentia punitionis illorum; sed etiam est voluntas permittendi vt deuient in peccatum, vtique morte tenus, & inde sortiantur æterna supplicia: idcirco talis actus diuinus nomen accepit, non quidem à permissione Dei, quæ bona est, vtpote ordinata in bonum finem, sed ab vltimo effectu huius prouidentiæ, qui est damnatio, propter culpam, ob quam propriè mali reprobantur, odio habentur, & damnantur. Vnde etiam reprobi nominantur præsciti, quia Deus præsciuit eorum piacula, ratione quorum futuri sunt obnoxij pœnis æternis.

Vnde reprobatio suam denominationem accipiat à præscientia Dei nec ne.

Rursus operæpretium est aduertere, in eo, qui non est acceptatus ad gloriam, quatuor concurrere post hanc reprobationem. Primum est permissio peccati. Alterum est ipsum peccatum. Tertium est Dei derelictio, negans gratiæ efficacis influxum. Quartum est pœna æterna indicta reprobis. Sicut à pari quatuor etiam deprehendimus in prædestinato. Primum est dispositio ad gratiam. Secundum est ipsa gratia. Tertium est opus meritorium. Quartum vitæ æternæ consecutio. Differentia tamen multiplex intercedit inter effectus reprobationis, & prædestinationis: quia nimirum effectus prædestinationis omnes sunt prædestinationis, & ad eam spectant, vt ad causam efficientem. At secus est de effectibus reprobationis: non enim omnes sunt effectus ipsius reprobationis; ideoque potius dicendi sunt effectus, qui sunt in reprobo, quàm effectus reprobationis. Verbi gratiâ, peccatum non est effectus Dei reprobantis, sed animæ reprobatæ, iuxta illud Oseæ: *Perditio tua ex te Israel.* Secundò differunt effectus, qui sunt in prædestinato & reprobo, quia effectus prædestinationis subordinata serie nectuntur ad inuicem: alij namque sunt aliorum causa. Verbi gratiâ, priores effectus respectu posteriorum sunt causæ dispositiuæ, aut meritoriæ, vel efficientes: quippe vltima dispositio ad gratiam, est causa dispositiua gratiæ; & gratia est causa meriti, & meritum est causa gloriæ. Posteriores autem effectus eiusdem prædestinationis, sunt causæ priorum in genere causæ finalis: nam finis meriti est gloria: & finis gratiæ, est meritum: & finis dispositionis est gratia.

Quatuor attendenda in reprobis & prædestinatis.

Quomodo differant inter se effectus prædestinationis, & reprobationis.

Osiæ 13.

Effectus prędestinationis sunt sibi inuicē causę, in genere causæ efficientis & finalis.

Ille tenor seu contextus causarum non seruatur in effectibus, qui reperiuntur in reprobo. Vt permissio peccati non est causa peccati, licet peccatum sit suo modo causa derelictionis à Deo; & peccatum & derelictio sint causæ pœnæ æternæ: neque etiam peccatum est causa finalis permissionis, quia non ideo permittit Deus reprobum peccare, vt peccet; sed vt seruetur ordo naturæ, qui postulat vt singula quæque suam sequantur indolem. Vnde cùm homo naturâ suâ peccare queat, ideo Deus permittit hunc peccare, ne hominis arbitrio vim aliquam facere videatur. Tertiò differunt effectus prædestinationis, quia sunt voliti à Deo, & intenti per se, & primaria intentione: Dei enim proprium est misereri, & parcere. At effectus, qui in reprobo sunt, nequeunt dici absolutè & per se à Deo voliti: nempe Deus non vult peccatum, nisi permissiuè. Præter hæc prælibata, Scotus inuexit quatuor instantia aduertenda in hoc themate reprobationis. In primo instanti oblati sunt boni & mali voluntati diuinæ æquales. In eo momento bonis vult beatitudinem, malis verò nihil vult. Circa bonos habet se positiuè, & respectu malorum negatiuè. In secundo instanti Deus media vult bonis necessaria ad consecutionem gloriæ, & per consequens gratiam: at in malos nullum exerit actum positiuum. In tertio instanti Deus vult permittere, bonos & malos esse peccato obnoxios, quia eorum arbitrij est posse peccare. Et hic est actus primus positiuus & vniformis circa bonos & malos, ex quo sequitur malos malè morituros, non quòd Deus operetur aliquid positiuum influens in reprobos; sed quia habet se negatiuè respectu eorum, non infundens gratiam, nec gloriam impertiens. In quarto instanti mali obiiciuntur diuinæ voluntati vt decedentes in peccato; & tunc Deus vult illos castigare, & reprobare: obiiciuntur item boni stipati meritis & finali gratia, & hos vult dignari gloria æterna.

Effectus reprobationis non sunt à Deo voliti per se, & intenti.

Quatuor instantia bene aduertenda in argumento reprobationis.

Ex prælibatis instantibus ita recensitis, reprobatio potest attendi bifariàm. Vno modo negatiuè, altero positiuè. Reprobatio negatiua potiùs est dicenda prouidentia supernaturalis, quàm reprobatio: quia sicut illa volitio, qua Deus generaliter vult aliquos homines saluos esse, non est dicenda prædestinatio, sed illa, qua vult efficaciter istos fieri saluos, per talia media; ita illa volitio generalis, seu illa negatio volitionis, qua Deus vult aliquos homines non admittere ad regnum æternum, non est dicenda reprobatio, sed prouidentia quædam supernaturalis: illa namque volitio diuina, qua Deus vult efficaciter istum excludere à regno cœlesti, & relegare in gehennam, est dicenda absolutè & simpliciter reprobatio positiua. Quòd autem eadem volitio diuina, secundùm aliud & aliud instans sortiatur aliam denominationem, scilicet reprobationis negatiuæ, vel positiuæ; hoc fit ob discolorem terminationem voluntatis diuinæ ad aliud & aliud obiectum: vel illa disparitas sortitur suas denominationes à diuerso terminandi modo idem obiectum. Hinc sequitur, quòd cùm prouidentiæ supernaturalis nulla queat assignari ratio, seu causa præter voluntatem diuinam; ita neque reprobationis negatiuæ vlla dari potest ratio, præter eamdem voluntatem Dei. Quare enim Deus non elegerit eos, quos non elegit, hoc superat omnem indaginem; ideoque nefas est hoc anxiè perscrutari.

Reprobatio est duplex, negatiua, & positiua.

Reprobationis negatiuæ nulla potest assignari ratio ex parte hominum.

De reprobatione positiua non est periculum incurrendi in discrimen, si alto scrutinio causam inquiramus ex parte hominum: nempe in confesso est apud Theologos, peccatum à Deo præuisum, esse rationem ex parte hominum, propter quam Deus iniqua damnatorum capita reprobauit. Cùm enim reprobatio importet odium Dei, & odium non feratur nisi in malum: profectò debuit Deus obiectiuè malum culpæ attendere in damnatis, vt eos spectato hoc malo præuio reprobaret. Fauet Scriptura hoc contextu: *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Ergo sicut odium præsupponit peccatum præuisum; ita etiam reprobatio. Præterea ante peccatum, tantùm præintelligitur in Deo permissio peccati: sed illa permissio peccati non est reprobatio, alioquin prædestinati

Reprobationis positiuæ causa est peccatum præuisum à Deo.

Sapient. 14.

multi essent reprobi, quia Deus permisit eos grauia crimina perpetrare: ergo ante peccatum nullus est reprobatus, atque adeo si sint aliqui maledicti, illi non sunt maledicti Patris æterni vitio, sed culpâ suâ; nam peccatû est causa ex parte nostra, quare à Domino reprobemur. Rursus reprobatio est actus iustitiæ vindicatiuæ: Ergo præsupponit peccatum; nihil enim est in viris innoxiis, quod pœna æterna à Domino vindicetur. Item ex S. Thoma, sicut prædestinatio est præparatio gloriæ; ita reprobatio est præparatio æternæ pœnæ: Sed hominibus benè sibi consciis, vtique nesciis peccatorum, præparare æternam pœnam, hoc repugnat Dei bonitati: Ergo necesse est vt peccatum sit præuisum; veluti scopus, in quem iustitiæ sæuientis spicula Dominus intorquebit. Demum Deus voluntate antecedenti vult omnes homines saluos fieri: sed voluntas illa antecedens præcedit omne peccatum: ergo neminem condemnat ante præuisum peccatum, alioquin falsa esset illa propositio; scilicet Deum velle omnes homines saluos fieri.

Thom. in c. 9. epist. ad Rom. lect. 4.

Non omne peccatum à Deo præuisû est causa reprobationis.

Scot. in lib. 1. Sent. dist. 41. quæst. vnica.

Peccatum finale est causa reprobationis positiua.

Sententia lata in reprobos satis superque clamat causam reprobationis; siquidem sortis eorum iniquæ rationem subiicit hoc tenore: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Quasi diceret: Quia noluistis igne charitatis vri, patiemini æterna dæmonum incendia. Nota tamen, non qualecumque peccatum præuisum à Deo esse causam reprobationis: nam plerique Beati degentes in humanis grauia crimina perpetrarunt, vt Magdalena, & latro; nec illa præuisio scelerum beatas mentes expunxit de libro vitæ. Vt ergo certa & indubia assignetur ratio reprobationis, standum est conclusioni Scoti affirmantis, peccatum finale in quo quis moritur esse causam reprobationis positiuæ, ita vt nullius sit desperanda salus ante finale hoc peccatum; quippe ex Paulo: *Christus pro omnibus mortuus est.* Cùm ergo Passio Christi sit remedium sufficiens omnibus hominibus; nemo planè superstes in hoc æuo secernitur ab illo remedio, alioquin Christus non esset mortuus pro omnibus: nullus ergo excludendus est ab illo remedio ante finale peccatum, ac proinde nemo est positiuè reprobatus ante illud extremum piaculum, quod concludit seriem vitæ hominum impiorum: alioquin frustra Deus prædicaretur esse longanimis, & misericors, & patiens vsque in finem, si omnia vitæ nostræ momenta non pertinerent ad reducem gratiam. Ad quid enim illa Petri sententia: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ergo quamdiu spirat homo, tamdiu ei sperare licet, & Deo miserante potest eò vnde excidit velut postliminio repedare. Ergo finale solùm peccatum est causa reprobationis positiuæ.

2. Cor. 15.

Nullum vitæ hominis momentum excipitur à potestate pœnitendi.

2. Petr. 3.

Deus vsque ad mortem homines expectat ad pœnitentiã.

Rursus si reprobatio esset positiuè stata & fixa ante finale peccatum, nec vlla foret malis potentia Deum demerendi, resiliendo à peccatis; Deus non indiscriminatim omnes homines hortaretur ad pœnitentiæ tramites ineundum. Ergo cùm promiscuè Deus per Prophetas tenter inducere malos in meliorem frugem; nullius est deploranda salus ante suprema funera in finali peccato. Alioquin Scriptura sacra nobis illuderet, Deum explicando propitium, & anxium de salute omnium, vt testantur istæ Dei voces: *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Item. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Alibi. *Vocaui manè consurgens, & non audistis me.* Explicitè suam longanimitatem aperuit Christus Apostolo suo dilecto, vocibus hisce querulis in hominem nequam. *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere à fornicatione sua.* Ipsemet Christus nonne miseratus est Iudæorum indolem obstinatam, hac censura: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Nemo ergo reprobatur ante finale peccatum, cùm nullum sit passa sui deliquium misericordia Dei, quæ ad supremum vitæ tractum porrigitur, vt mortis æternæ discrimen effugiat impius, iuxta illud Sapientiæ: *Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum.* Imò diceres, quandoque obdormire Deum ne sæuiat in peccantes, & proinde tempus eroget pœnitendi, vt videre est hoc contextu: *Dissimulat Deus peccata hominum propter pœnitentiam.* Eò spectat vox hæc Domini miserantis: *Non est voluntatis meæ mors impij, dicit Dominus; sed magis vt conuertatur, & viuat.* Illa Dei sollicitudo de salute animarum hanc ab eo censuram extorsit in homines incurios sui. *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? an quòd expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruscas?* Huius misericordiæ Dei conscius Isaias sic perorat: *Propterea expectat vos Dominus vt misereatur vestri.*

Prou. 1.

Isa. 65.

Ieremiæ 7.

Apocal. 2.

Matth. 23. Magna est Dei sollicitudo de salute animarum.

Sapient. 1. *Sapient. 11.* *Ezech. 18.* *Isai. 5.* *Isa. 30.*

Itaque nefas est malè ominari de misericordia Dei, quamdiù sumus viatores: illa nimirum nemini præcluditur, nisi post finale peccatum, quo excidit spes omnis charitatis rediuiuæ, quæ extincta finaliter est ratio reprobationis positiuæ. Nec aliam Christus rationem affert quare sæuiat in reprobos, nisi quia fuere expertes illius viuidæ charitatis, vt liquet perpendenti sententiam illam vltricem, quæ castigat homines iniurios huic virtuti beneficæ in proximos. Etenim illa sententia: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Ita reddi potest paraphrasticè. O iniqui homines, non est quòd refundatis in me vestram nequitiam, cùm bonus sim, & præstiterim vobis omnia auxilia, quæ conducunt ad salutem: præueni namque vos multifariàm & vocaui diu, inspirans fomites idoneos ad concipienda charitatis incendia. Flocci fecistis omnia misericordiæ meæ argumenta, benedictionis incurij, ideoque facti estis maledicto æterno obnoxij, idque vestro vitio, & non defectu sufficientis auxilij. Vnde quòd maledicti sitis, & gratiæ expertes totum est hoc negotium vestrum, & non Patris mei, qui est benedictus, & Deus totius consolationis. Ite ergo maledicti in ignem æternum, quem vobis consciis vestra crimina succenderunt. Ego charitatis incendia suscitaram igne cœlitus allato: estis auersati salutarem ignem, ideoque manent vos vindices flammæ, quibus luetis æternùm pœnas perditæ charitatis.

Charitatis defectus in supremo vitæ articulo est causa reprobationis positiuæ.

Theologica paraphrasis sententiæ quæ feretur in reprobos.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Reprobatio non adigit malos in peccatum, sed suo sunt vitio maledicti & damnati.

In hæc verba:

Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Caluinus Deum auctorem peccati fecit. *Lib. de æterna prædest. & l. 3. instit.*

CAluinus sycophanta, blasphemiis assuetus, parum credidit polluisse sacra omnia, nisi & Deum aspergeret iniquum virus suum. Vt ergo colophonem imponeret suis ausibus nefariis, commentus est istam sententiam omnibus execrandam: scilicet Deum esse auctorem peccati, & eos homines efficaciter inducere in peccatum, quos reprobauit, sicut efficaciter inducit ad gratiam eos, quos prædestinauit. Illa blasphemia diluitur auctoritate Christi, qui Beatos quidem vocat benedictos Patris, à quo reuera influit omne quo beamur: sed malos non nuncupat maledictos Patris, quia illi Deo inconsulto, & sua sponte consciuere sibi illud æternum maledictum, facti vitio suo inuij charitati. Impios esse sui huius maledicti artifices bellè exprimit textus Hebræus Matthæi. סורו ממני ארורים *suru mimmeni arurim. Recedite a me maledicti.* Vox, ארורים *arurim*, deducitur à radice ארר *arar.* Verbum autem hoc tria significat, scilicet malefacere, detrahere, maledicere, ita vt participium passiuum, ארורים *arurim*, significet, maleficientes, detrahentes, & maledictos homines. Vnde ex mente Hebræorum sic reddi potest Latinè illa Hebraica sententia: O reprobi quando negastis pauperi stipem, profectò iniquè egistis, & ideo malè facientes, fuistis opifices actus inhumani, quo exosi charitatem, detraxistis vobis gratiam, quæ est indiuidua socia charitatis. Cùm itaque sitis exortes gratiæ, quæ sola benedictos facit: hoc vitio vestro effectum est, vt sitis maledicti, ac proinde incurratis in ingrata stipendia vestro congrua maledicto.

Ex lingvis. Hebræa. Reprobi sui artifices sui maledicti.

Quibus gradibus reprobi consciscant sibi æternũ maledictum.

Paraphrasis illa petita ex sensu adæquato Hebræi textus, palàm facit quibusnam gradibus anima præceps dehiscat in hoc maledictum. Primò malè facit. Secundò detrahit sibi gratiam. Tertiò tandem anima sublata è medio citra gratiæ signaculum, fit æterno obnoxia maledicto. Versio Syriaca maledictos illos nuncupat isto vocabulo, ליטא *lite.* Nomen hoc Syrum fluit à radice Syriaca, לוט *lut*, id est, execrari, deuouere diris. Ita vt sit sensus sententiæ Christi: Ite execrabiles, & diris deuoti. At Deus neminem execrabilem fecit, & diris deuotum. Ergo impiorum est facinus, quod sint execrandi, vt sonat radix, לוט *lut*, à qua Chaldæi deducunt nomen, לוטא *leuata*, quod execrationem sonat. Consonat & Græca versio. Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι. Id est. *Ite à me maledicti.* Vox, κατηραμένοι, alludit ad Syros & Chaldæos: propriè enim significat homines execrandos; & diris deuotos. Dictio illa composita est ex præpositione κατὰ, & nomine ἀρὰ, quod imprecationes, & diras significat. Hinc κατάρα perinde sonat, ac imprecatio, execratio. Cùm ergo bona sint, & valde bona quæcunque Deus fecit; non Dei facinus est, quòd iniqui homines sint execrabiles, & maledicti; sed hoc omne vitium est hominum nequam. Vt enim Deus exosus defectionem Adami, sic in eum inuectus est: *Maledicta terra in opere tuo.* Quasi diceret: Me Deo opifice terra fuit peramœnis floribus vernans; sed te defectore, & refugâ rebellante, fuit facta noxiis vepribus indecora. Me influente benedicta fuit; sed te peccante sortita est in tuo iniquo opere maledictum. Ita homo quà à Deo est, bonus est; à bono nempe malum culpæ nequit effluere: quòd ergo nequam & reprobi homines dicentur à Christo maledicti, id fiet appositè ad opera, quibus mercati sunt hunc titulum indecorum.

Syriaca. Chaldæa.

Deus nihil prorsus execrabile fecit.

Gen. 3. Quare reprobi [illegible] & in die iudicij.

Adiice, Deum nihil omnino fecisse eo intento, vt diris deuoueret; sed omnia congruè ordinasse ad meliorem finem, à quo qui deuiant, in lethales maledicti cautes incurrunt. Deo habente se negatiuè, cùm sit à semetipsa anima maledicta. Ita quondam occinit Psaltes, velut agens Dei causam, & refundens rationem maledicti in homines immisericordes. Sic ille: *Dispereat de terra memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem & elongabitur ab eo: & induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut in aqua in interiora eius.* Itaque non influente Deo reprobi fiunt maledicti; sed quia maledictionem volunt, & benedictionem Dei nequiter aspernantur.

Psal. 108.

SENSVS LITERALIS.

Maledictio reproborum est in eorum tantùm pessima opera refundenda, & non in Deum.

In hæc verba:

Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribvs.

MAlè sibi conscius Caïn fratricida, præscia mente sibi ominatus est mortem, vtique violentam, vltricem necis, quam intulit fratri suo Iusto Abel: habet enim hoc omne nefas, vt suum auctorem torqueat incunctanter. Credidit Cain, omnibus obuiis patere suum scelus, ac proinde peti vltionem actus impij perpetrati. Non defuit stata fides præsagio: ille nimirum luit pœnas simili fato, cui Abel innoxium subiecerat: nam occisus est à Lamech, qui nescius spiculum intorsit in Caïn, hoc telo transfixum morte tenus. Ecce ideam hominum, quos finalis impœnitentiæ sors iniqua gehennæ interminæ manci

Vitio elta manet operà impiè perpetrata.

Cain quarè sibi ominatus sit mortem.

mancipabit. Reprobi omnes, qui egere suum supremum agonem incutij conciliare Deum, sunt veluti fratricidæ, & conscij mortis Christi; eatenus enim eum occiderunt, quatenus in eorum potestate situm fuit: quippe sicut bonis operibus glorificatur Deus; ita malis operibus iniquorum hominum ab eis ille Dominus gloriæ redditur indecorus.

Reprobi Deum inhonorant.

Ex SS. Patribus.

Audiendus in eo themate Basilius. *Non affert Domino gloriam, & honorem, qui humanam gloriam attonitus miratur. Non item qui argentum in pretio habet, non qui corporis voluptates magni æstimat, non quisquis abhorrentia à pietate, & Dei cultu demiratur dogmata. Quemadmodum enim per bona opera Domino offerimus gloriam: itidem ex contrario eam ipsam auferimus per malignitatis & nequitia opera. Quid enim dicit peccantibus? Nomen meum per vos blasphematur inter gentes. Et rursus Apostolus: Per prauaricationem legis Deum inhonoras. Legislatori siquidem contumelia est despectio legum, atque contemptus. Domus nisi rite gubernetur: nimirum in qua indignatio, & clamor sint, contumelia, item risus, voluptas, prodigus ac profusior luxus, immunditia, & ex consuetudine flagitiosa scortatio, eorum qua fiunt ignominia, atque turpido, in eum referuntur, ac resiliunt, qui domui præsidet. Consentaneum igitur fuerit ipsi, vt intelligamus, quoniam Deus, quemadmodum per bonam operationem glorificatur; sic & per malignam & flagitiosam inimicus. Quando enim sumens membra Christi, facio membra meretricis, tunc gloriam ab eo, qui me seruat, ad eum transfero, qui me perdit. Nam quicumque Christo non credit, gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & serpentium, & quadrupedum, qua sunt in terra, commutat; vt ait Apostolus. Qui colit creaturam, aut veneratur præter creatorem, creaturæ & non Deo affert gloriam. Cum timore igitur prouideamus, ne si gloriam & exaltationem diabolo afferamus per peccatum, ipsi cum eodem æterna confusioni addicamur.*

Basil. hom. 5. in Psal. 28.

Reprobi opere iniquo diabolum glorificant.

Reprobi quibus stipēdiis mercari soleant pœnas dæmonum.

Basilius hoc contextu docet, opera iniqua, & non reprobationem Dei negatiuam, homines facere participes pœnarum diaboli, cui multifariàm delinquendo reprobi militarunt, & litarunt. Crimina namque perpetrata ab hominibus nequam, sunt congrua stipendia, quibus mercari solent æterna supplicia, ideircò solis hominum vitiis assignanda, quicquid latrent & blasphement Caluinus, & deliri sequaces eius, contra quos non conducerem Patrum sententias ad faciendum Deum innoxium, si meo more non probarem sensum literalem Patrum oraculis. Adeò namque putet Caluini blasphemia, faciens Deum auctorem peccati, vt non indigeat Antidoto sanctiorum Patrum, quorum chorus damnationem hominum refert in eorum piacula: etenim inde iudicabuntur & plectentur impij, vnde fiet disquisitio iudicij: at illa fiet ex operibus, & non ex æterna præuisione Dei: nempè Iudex non feret sententiam in reprobos, quia Deus præsciuit eos fore malos, sed quia reuera malos se suo vitio præstiterunt.

Reprobi ex operibus iudicandi, & non ex præscientia Dei.

Hoc esse Catholicum dogma, liquet ex illa catechesi, qua Augustinus olim initiauit neophytos seu catechumenos, quos induxit ad bonorum operum praxim eo argumento; scilicet singulos quosque homines esse de suo opere iudicandos. Sic ille: *Stabunt anima omnes, vt referat vnaquaque secundùm ea qua per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Præstò enim erit aduersarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostra. Et si talis inuentus fuerit quisque, vt debitor ex hac vita migret, exultabit ille aduersarius in conspectu serenissimi iudicis, superiorem se esse declamans, agensque talem causam apud talem iudicem. Æquissime, inquit, iudex, iudicia, iustitia, & iudicium, præparatio sedis tua. Iudica meum esse qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiauerat? Quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid catera mea? Postremo æquissimè fugientem à me, confugientem ad te, postea cum meis, quibus renuntiauerat, apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione à me apprehensus est. Quid in theatro faciebat renuntiator turpium voluptatum? Thesaurizauit iram in die ira. Hæc omnia mea post renuntiationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit iudicia æquissimè, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poteris ne os aperire, is qui post suam professionem talis inuenitur, vt iustè diabolo addicatur? Videte quid agatis, filij mei, fratres mei, videte quid agatis, quomodo hanc professionem custodiatis. Contestamur vobis iudicem ipsum, omnesque potestates cœlestes, qua & nos audiunt admonentes, & nos excipiunt profitentes, ne in vacuum gratiam recipiatis, sed corde integro, tota virtute renuntiate tam damnosam diaboli hæreditatem.* Hactenus Augustinus.

Aug. serm. ad Catech. tom. 6.

Elegans descriptio dæmonis accusantis reprobos in die iudicij.

Diceres ex Patrum sententia, diem iudicij esse nundinas, atque mercaturam operum. Vt nempè Deus opera selecta & sancta suo recondet sacrario dignanda cœlo; ita & diabolus tanquam sua hominum nequam opera recensebit, vt iisdem cum ipso suasore vitiorum ignibus addicantur. Itaque perperam hæretici refundunt in antecedentem Dei voluntatem æternam hominum ruinam, cùm Scriptura sacra petat iniqua animarum fata à malis actibus, & non ab æterno Dei arbitrio, quod fuit omnibus propitium hominibus, ipso etiam Deo assertore, cuius ista vox est: *Numquid voluntatis mea est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? Si autem auerteris se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid viuet?* Quasi diceret, neminem eo fine feci vt aliquando deficeret à me: imò omnes homines condidi vitæ, & non morti, dummodo non stet per eorum opera deuia; quibus & non mihi est adscribenda iactura animarum. Hieronymus illum eumdem textum enucleans ita commentatur: *Ergo Domini voluntas est, omnes saluos fieri, & ad notitiam veritatis venire. Vbicunque autem Dei videtur seuera & truculenta sententia, non homines sed peccata condemnat. Sicut iustum, antea peccatorem, non prægrauant antiqua delicta; sic peccatorem, qui priùs iustus fuerit, non iuuant veteres iustitia. Vnusquisque enim in quo inuenietur, in eo iudicabitur.* Ita Hieronymus.

Iudicij dies aperiet nundinas atque mercaturam operum hominum.

Ezech. 18.

Hier. in c. 18 Ezech.

Instant hæretici, Pharaonem à Deo induratum, & hoc fuisse argumentum ruinæ eius, quam

Deus non est auctor pec-

cati reproborum, sed eorũ pœnis vtitur ad correctionẽ aliorum.

quam declinare haudquaquam potuit, Domino illum in præceps desuper impellente. Diluet instantiam Origenes hoc discursu. *Volens Deus interitum Pharaonis ad emendationem proficere cæterorum, mittens eum ad illos, quos morte eius corrigi cupit, dicit ei: Quia ad hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annunciem nomen meum in vniuersa terra. Vide enim quia non dixit: Quia ad hoc ipsum te feci: alioquin ad conditorem referri videretur culpa; sed ait: Ad hoc ipsum te suscitaui; hoc est vt per animi tui malitiam, quam tibi infrunitè, & sine Dei timore viuendo quæsisti, & in alios irrogetur vtilis & fructuosa correctio, & in teipsum ad posteritatis exemplum famosissimus conferatur interitus. Indurabatur cor Pharaonis hoc modo: noluit Deus subitam & plenam dare in eum vindictam. Quamuis enim esset consummata malitia; tamen per patientiam suam, nec ipsi facultatem conuersionis excluserat: & ideo primò lenioribus, tum etiam paulatim ingrauescentibus in eum verberibus vtebatur. Sed quod Deus gerebat per patientiam, ex hoc ille indurabatur ad contemptum, maiorem sibi iram recondens, ita vt ad ipsum dici conueniat illud quod scribit Apostolus: An diuitias bonitatis & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ. Non ergo quem vult Deus indurat, sed qui patienter obtemperare noluerit, induratur, &c. Vt boni aut mali simus, nostræ voluntatis est: malus autem ad cuiusmodi verbera, & bonus ad cuiusmodi gloriam destinetur, voluntatis est Dei.* Hæc ille procul ab ineptiis & blasphemiis, quas nostrates hæretici infames Caluini reliquiæ Deo turpiter irrogarunt.

Origenes in c. 9. epist. ad Romanos.

Quomodo reprobus induretur.

Ne cauillentur hæretici, distinctiones nostras de voluntate antecedente & consequente esse fucos Theologiæ nouæ, placet consulere vetustum Theologum, Ioannem scilicet Damascenum, qui octauo sæculo floruit, id est trecentis annis ante Magistrum sententiarum Theologiæ Scolasticæ antesignanum. Quid ergo censuerit ille de toto contextu actuum humanorum, videre est hoc discursu. *Illud nosse operæpretium est, rerum quæ sub actionem cadunt, electionem quidem in nobis sitam esse: cæterùm probarum actionum finem, Dei auxilio adscribendum esse, iustè videlicet iis, qui rectâ conscientiâ bonum amplexi sunt, secundùm præscientiam suam non immeritò deserentis. Desertionis porrò duplex est genus. Est enim quædam desertio, quæ certo consilio ac dispensatione, atque ad eruditionem nostram contingit. Est rursus quædam desertio ab omnimoda desperatione proficiscens. Quæ certo consilio contingit, ea est, quæ ad eius qui patitur emendationem, & salutem, & gloriam, aut etiam ad alios æmulationis studio inflammandos, aut denique ad Dei gloriam existit. Omnimoda autem desertio, tum demum locum habet, cùm nullo salutiferi remedij genere à Deo prætermisso, stupidus tamen & incuratus, vel vt rectiùs loquar, incurabilis, propria animi destinatione homo remanet: ac tum in extremum exitium traditur, vt Iudas. Illud nos ne fugiat, Deum vt bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines seruari, ac regni sui compotes esse velle. Neque enim supplicij ac cruciatus causâ, verùm ad hoc vt bonitatis ipsius participes simus nos effinxit; vt iustum autem, iis quoque, qui peccant, pœnam inferri nihilominus velle. Ac prius illud antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans: secundum autem, insequens voluntas, atque permissio, à nostro vitio ortum ducens. Atque huius quoque permissionis duplex est genus; alterum dispensatorium, & erudiendi vim habens, quod ad nostram salutem spectat: alterum à desperatione proficiscens, quod ad extremam certamque pœnam ducit. Ex iis quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quidem, quæ bona sunt, primariè vult, grataque habet Deus: mala contrà nec primariè, nec secundariè, verùm libero arbitrio permittit. Nam quod per vim efficitur nec rationi conuenit, nec virtutis nomen obtinere potest.* Ita Damascenus Antesignanum agit huius Theologiæ, quam carpunt hæretici, quia non subscribit eorum erroribus, sed eos damnat, velut iniurios diuinæ bonitati.

Catholica doctrina Damasceni probans Deum non esse auctorem malorum operum.

Damasc. l. 2. de fide Orth. cap. 29.

Duplex genus desertionis animarum.

Voluntas in Deo alia est antecedens, & alia consequens.

Præfatæ illæ omnes sententiæ liquidò probant, impios homines non ideo reprobos esse, quòd Deus tales eo fore præscierit: sed eos esse suo vitio maledictos, & iuxta suam nequitiam igne æterno vindice castigandos.

SENSVS LITERALIS.

Status Beatorum, omnium bonorum aggregatione perfectus, nomine vitæ congruè describitur.

In hæc verba:

Ibunt iusti in vitam æternam.

§. IX.

CONIECTVRA PRIMA
Ex Ratione.

Scriptura sacra assueta tropis, species rerum communium sæpe assumit, vt inducat nos in notitiam rerum, quæ fuere nobis hactenus inaspectæ. Huius generis est illa Christi phrasis, vbi status Beatorum vsurpato vitæ nomine lineatur. Vt namque rerum omnium beatitudo sita est in optimo rerum esse; appositè beata sors iustorum describitur nomine vitæ æternæ, cùm hoc vitæ hominum desit in hoc æuo, vbi non beatè viuitur, etsi aura secunda aspiret, quia vitæ hominum momenta sunt minimè diuturna. Ne quid ergo supersit animæ desiderandum in superna felicitate, vita Beatorum erit intermina, vtpotè nescia defectuum, quorum conscia vita nostra mors est potiùs dicenda, quàm vitæ nomine recensenda. Cùm ergo ad beatitudinem omnium entium spectet, vt esse suum sartum tectumque habeant semper; & viuentium esse sit viuere, vt Alensis ait, & in numero viuentium homo medius sit inter Angelos, & pecudes; beatitudo ei fixa erit & stata, cùm vitæ æternæ compos erit.

Beatitudo quare appelletur vita æterna.

Christus beatitudinem dixit vitam æternam, nullo tamen discrimine vitæ interiecto, vt vel hinc insinuaret, vitam in tota sua latitudine sumptam pertinere ad Beatos. Primò si vita sumitur

Alex. Alensis in l. 11. Metaphys. text. 39.

Vita multifariàm vsurpatur.
Deus est vita.

pro causa exemplari & efficiente omnis vitæ, talis vita Deus est, & hæc vita ad Beatos attinet obiectiuè: quippe Deus est obiectum Beatorum, cuius fruitione beatitudo eis tota constat. Si verò res est de vita creata; illa sumitur vel in actu primo, aut secundo. Priori modo vita perinde est ac natura viuentis. Altero verò modo, id est, vita in actu secundo, est operatio cuius anima per se est intrinsecum principium. Vtroque modo Beati viuent. Primò naturam habebunt viuacem, & procul ab omni metu mortis, vtpote expertem omnis deliquij. Secundo cùm nobilissima viuentis operatio sit intelligere, vt quæ propiùs ad Deum accedit, qui est ens intellectuale, cuius indefessa actio est intelligere; profectò Beati erunt illa vita conspicui, siquidem perspicaci mentis intuitu Deum intelligent; quantùm homini fas est. Vnde cùm illa intellectio sit diuina obiectiuè, & subiectiuè sit in anima; proculdubio Beatis inerit vita diuina. Demum vita sumitur pro operatione, qua viuens maximè delectatur. In eo sensu dicimus, epulas esse vitam beluonum, & bellum vitam militum. Eo etiam schemate loquendi vita Beatorum erit æterna, quia nusquam cessabunt à visione Dei, qua sic capientur, vt ab ea nullà vnquam morulà distrahantur. Quòd si is, qui Deo adhæret per gratiam, vnus cum eo spiritus efficitur; in confesso est, eum, qui Deo adhærebit in gloria, fore consortem diuinæ huius naturæ, cuius esse est vita æterna, ac proinde Christus apprimè lineauit præclarum Beatorum statum, dum hunc vitæ æternæ nomine nuncupauit.

Omnes rationes vitæ pertinent ad statum Beatorum.

Nota, vitæ vocabulum pertinere etiam ad corpora viuentia, & sic concludere beatam sortem corporum hominum, quos vita æterna manet: Beati nimirum Dei visio sic animam afficiet, vt gestiat etiam inde caro, iuxta illud Psaltis: *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Sensus itaque omnes, qui etiam suo modo viuunt, ineffabili voluptate illecti participes erunt vitæ æternæ.

Psal. 62.

SENSVS LITERALIS.

Vndequaque perfectus Beatorum status apprimè exprimitur nomine vitæ æternæ.

In hæc verba:

Ibunt iusti in vitam æternam.

CONIECTVRA SECVNDA
Ex Lingvis.

Diues vnde dictus diues.

HOmines speculati in auro facultatem conciliandi hominibus quicquid conducit ad benè beatéque propagandam vitam animalem, eos qui præpollent opibus dixere diuites, quasi diuos: nempe parum distant illæ voces, diues, diuus. Et reuera mundi asseclæ beatum dixere populum cui hæc sunt, quia concludunt opes multas, ad quæ homo anxius anhelat: his nimirum opiparè corpori consulitur epulis instructis, & vestibus idoneis. Opibus item euocantur homines eruditi, qui animam excolunt salutari disciplina, qua etiam via sternitur ad honores, quibus maximè homines anxij percelluntur. Iuxta hunc loquendi modum Christus hodie Beatorum statum lineare volens, vsurpauit nomen idoneum, & maximè faciens ad intentum: Etenim peritus ille rerum omnium nomenclator stipendia Beatorum dixit esse vitam æternam.

Qualis sit vita Beatorum.
Ex Lingvis.
Hebræa.

Quàm congruè Christus expresserit beatitudinem illo vocabulo, magis liquet ex Hebræo textu Matthæi, vbi verba Christi plures vitas commemorant. ילכו הצדיקימ לחיי עולמ *ielecu hatsedikim uanghalam ibunt iusti in vitas æternam.* Vox, לחיי *lechaie*, vitas in plurali significat. Nec sunt audiendi imperiti linguæ Hebrææ, arbitrati nullum suppetere nomen singulare, quo Hebræi vitam significent. Vox enim, חיות *chaiuth*, vitam significat numero singulari. Illà tamen non est vsus Christus, sed aliam adhibuit, quæ pluralitatem vitæ mentibus ingerit, vt vel sic innueret, illud omne quod coïre debet ad contextum vitæ felicis, conspirare ad Beatorum statum firmiter adstruendum. Cùm enim vita multifariàm vsurpetur, & habeat vnaquæque vita suas dotes, & sua tripudia; ne quid hiulcum suspicarentur homines in beatitudine, Christus eam omnium vitarum nomine designauit, vt sic erudiret nos, beatitudini æternæ nihil deesse eorum, quæ faciunt ad vitæ integræ complementum.

Dictio Hebræa significans vitam, concludit omnium vitarum dotes.

Quadrat & intento radicalis illa, vnde fluit dictio prælibata, לחיי *lechaie*, deducta à verbo, חיה *chaiah*, quod non significat tantùm viuere, sed & commodis vitæ vti: esset namque parùm viuere æternùm, si vitæ huius æternæ læta fruitio & commoda negarentur, iuxta tritum hoc effatum.

Quid mihi diuitiæ si non conceditur vti?

Eadem radix, חיה *chaiah*, significat etiam securum & incolumem esse, ita vt beatitudo appensa ad trutinam Hebræorum perinde sit ac status securus, incolumis, in quem coëunt omnia commoda, quibus homo beari potest; ita vt ab hoc statu nullæ prorsus corporis & animæ dotes beatitudini congruæ secernantur.

Syriaca.
Chaldæa.
Syri & Chaldæi conueniunt cum Hebræis in notione vitæ.

Versio Syriaca accessit ad Hebræum textum, vtpote vsurpans dictionem Hebræam, quam more Syriaco inflexit, sic referens vitam æternam: לחיא דלעלמ *lechaie dalenghalam.* Hoc tantùm discrimen interest, quòd radicalis huius vocis est apud Hebræos, de quiescentibus *lamed he*, & apud Syros & Chaldæos est de quiescentibus *lamed aleph*, sic nempe describitur, חיא *chaia.* Cùm itaque Syris, Chaldæis, & Hebræis eadem sit notio vocis huius, liquidò est quàm concordent omnes illæ linguæ ad Beatorum sortem graphicè lineandam, tanquam statum propositum cunctis Gentibus inuidendum: quandoquidem omnibus hominibus id maximè in votis est, beatè diuque viuere.

Græca.
Dictio Græca vitam significans, porrigitur etiam ad omnem beatitudinis supellectilem.
Homer. Odys.

Græcus contextus concinit aliis linguis. *Ἀπελεύσονται δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον*, id est, *Ibunt iusti in vitam æternam.* Vox Græca, ζωή, non vitam solùm significat, sed & reditum annuum, siue censum, & omnia quæ conspirant ad tuendam vitam. In eo sensu accepit Homerus, amplos census & opima subsidia vitæ humanæ vocans, *ζωὴν ἄσπετον*, id est, *censum ineffabilem.* Vnde Christus hodie dicens, iustos ituros in vitam æternam, *εἰς ζωὴν αἰώνιον*, idem prope refert ac si diceret, iustos accepturos à Deo prædiuitem supellectilem, quæ nusquam deficiet. Benè ergo assumptum est nomen vitæ, vt inde liquerent

rent illa bona, quibus in æternum iusti homines accingentur.

SENSVS LITERALIS.

Vita, nomen idoneum est ad exprimenda ea, quæ conducunt ad æternam beatitudinem.

In hæc verba:

Ibunt iusti in vitam æternam.

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. PATRIBVS.

Amor vitæ huius homines ad ingloria sæpè cogit.

TAntus amor vitæ omnibus insedit, vt ingloria quæque appetant homines, vt instanti vitæ discrimini occurrant. Nonne ideo Romani rerum domini concurrentes cum hoste iniquo Marte sub iugum missi sunt, vt dubiæ suæ vitæ consulerent? Mitti autem sub iugum fuit olim res cunctis Gentibus indecora, quam subiere tamen Romani illecti cupidine vitæ. Nonne & Regina Esther audita sententia lata in populum suum iugulandum, optauit mutari illam necis legem in statum iniuriæ seruitutis, satiùs iudicans esse suæ Genti malè esse, quàm non esse. Sic illa Regem affata est: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. Traditi sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in seruos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem.* Hæc Heroina vocat tolerabile malum, seruitutem illam, quam quisque subit, ne occumbat. Si ergo mancipiorum vita multis angustiis obnoxia, aliqualem sui cupidinem facit, eò solo quòd vita sit; qualia putas fore tripudia Beatorum, qui vitâ æterna gestient, securi non posse vitam deficere, qua æternùm viuent.

Esther. 7. Beatitudini quare sit affixum nomen vitæ.

Ex SS. PATRIBVS. *August. l. de spiritu & anima.*

Ab eo argumento amoris vitæ Augustinus beatitudinem vocat vitam, vt vel sic homines excitet ad affectum beatitudinis Sic ille: *Si delectat longa & salubris vita; ibi est sana æternitas, æterna sanitas, quia in perpetuum viuent, & salus iustorum a Domino. Si satietas; satiabuntur, cum apparuerit gloria Domini. Si ebrietas; inebriabuntur ab vbertate domus Dei.* Recensere commoda beatæ huius vitæ, Augustinus ait esse rem quæ facessit ingens negotium. *Facilius* (inquit) *dicere possumus in illa vita æterna, quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia. Ecce diximus quid ibi non sit, quid autem ibi sit, vultis nosse? hoc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat.* Ne tamen ille tacitam præterire videretur beatitudinis supellectilem, hanc animis nostris ingessit petito themate à bonis, quibus stipatur vita hæc ærumnosa: quasi diceret, multa Deum nobis erogasse, vt hæc vita sibi diu constans esset; sed multò plura manere vitam illam, quæ nescia occasus in æterna sæcula porrigetur.

Idem l. 3. de symbolo ad Catechum.

Vitæ æternæ dotes intelliguntur ex subsidiis vitæ huius ærumnosæ.

Audiendus ipse Augustinus in hoc spatiatus argumento, vbi Deum sic: *Corpori nostro corruptibili, & ignobili, vt videret, dedisti cæli claritatem: vt spiraret, largitus es aëris puritatem: vt audiret, sonorum varietates: vt odoraret, odorum suauitates: vt gustaret, saporum qualitates. Adiumenta suis necessitatibus dedisti iumenta, volucres quoque cæli, & pisces maris, & fructus terræ ad reficiendam impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti, singula solatia singulis malis obuiantia præparasti; quoniam es misericors, & nouisti figmentum nostrum figulus noster. Si ergo pro hoc corpore corruptibili tam magna & innumera beneficia præstas, à cælo & aëre, à terra & à mari, à luce & tenebris, à calore & vmbra, rore & imbre, ventis & pluuia, volatribus & piscibus, bestiis & arboribus, & multiplicitate herbarum, & germinum terræ, vt alleues fastidium nostrum: qualia quæso, & quàm magna erunt, & innumerabilia illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cælesti patria, vbi te videbimus de facie ad faciem? Si tanta nobis facis in carcere, quid ages in palatio? cùm enim sint hæc valde bona & delectabilia, quæ bonis & malis pariter communia tradidisti; qualia sunt futura illa, quæ solis tuis es largiturus amicis? si tanta solatia in hac die lacrymarum; quanta conferes in die nuptiarum? si tanta delectabilia continet carcer; quanta, quæso, continet patria? Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te: magnus enim tu es, Domine Deus, & immensus, nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ: nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ: sed sicut magnus es tu, ita magna sunt dona tua.* Hactenus Augustinus.

Aug. lib. Soliloq.

Vitæ nostræ infirmæ Deus multimodè consulit ne statim deficeret.

Vitæ æternæ quanta felicitas est futura.

Fuit & aliis Patribus familiaris illa vitæ nomenclatura, vt apprimè explicarent beatum illum statum, cui lineando impares sunt ductus eruditi cuiusque penicilli. Eo vocabulo vsus est Chrysostomus, Beatorum sortem describens sub titulo vitæ expertis omnium ærumnarum, ad quas damnata est vita nostra plerumque fatiscens nimiis pressa molestiis. Ita Chrysostomus. *Concipe animo statum vitæ illius, quantum homini concipere datur: ex iis enim quæ audimus, ceu per ænigmata coniecturam qualemcumque faciemus: abiuit, inquit, dolor, & tristitia, & gemitus: quid igitur eâ vita beatius erit? Non est cur illic pauperiem metuas, & morbum: nemo videbit contumeliosum, nec iniquè oppressum; nemo irascentem exasperatum, aut inuidentem; nemo ardentem absurdâ concupiscentiâ: omnis enim affectuum turba, quæ hîc sedata est, perimetur: omnia erunt pax, lætitia, gaudium: omnia serenitas, & tranquillitas: omnia dies, & splendor, & lux; lux non quæ nunc est, sed alia, quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea, lumen lychni: nec enim occulitur ibi, aut nocte aut congressu nubium, nec vrit neque inflammat corpora; nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec æstus, nec alia huius generis immutatio. Non est illic senium, nec senecta mala; quæque obnoxia sunt corruptioni, è medio tollentur; omnia occupabit vbique incorruptibilis gloria* Hæc ille.

Chrysost. epist. ad Theodorum lapsum.

Vita æterna expers ærumnarú quibus subditur hæc vita.

Ea etiam phrasis vernacula est Scripturæ sacræ, quæ passim beatitudinem vocat terram

Isa. 38.

viuentium, vt videre est in Isaia. *Non videbo Dominum in terra viuentium.* Nomine huius terræ, vbi omnia viuida sunt, & vegeta, Beatorum statum intelligi, disce ex Hieronymo, ita commentante. *Paradisus est terra viuentium, terra diuitiarum, & bonorum Dei. De hac terra dicit Malachias: Beatos vos dicent omnes, dicit Dominus, quoniam eritis vos in terra voluptuaria.* Elimatiùs adhuc Augustinus, & apposité ad textum, quem expedio eius hoc discursu. *Quando se demonstraturus est dilectoribus suis? Post resurrectionem corporis, quando tolletur impius, ne videat claritatem Dei. Tunc enim cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa est vita æterna. Nam totum quidquid dicebamus, nihil est ad illam vitam quæ viuimus quidem qui salui sumus. Quid est, quia videbimus eum? Magnum. Ipsa est vita æterna. Ipse hoc dicit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, videant, capiant, norint quod crediderant, percipiant quod nondum capere poterant. Iam videat mens quod oculus non viderat.* Hæc ille, disertè nos erudiens quid sit vita æterna.

Hieron. epist. ad Dardan. Tom. 3.

Aug. ser. 64. de verbis Domini in Ioan.

SENSVS LITERALIS.

Reproborum sors iniqua nomine supplicij congruè designatur.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

CONIECTVRA PRIMA

EX RATIONE.

Quid significet a fabis abstinere.

VVlgare fuit symbolum Pythagoræ, esse à fabis abstinendum. Quid autem ingerere nostris mentibus voluerit ille Philosophus, res est alti scrutinij, quæ discolores habent interpretes. Meam ego non cunctabor promere sententiam, explicando fabas esse symbola voluptatum: quippe ex stipite virente flores qui emergunt albicant simul & nigricant, imò & ipsæ fabæ alioquin candidæ nigrorem porrigunt in extremis. Est hæc pictura loquax in odium voluptatis: illa nempe ridet, & omnia læta primo intuitu pollicetur suis sequacibus; sed extrema gaudij luctus occupat: nimirum vnaquæque voluptas improba luit pœnas congruas suo deliquio, quas si euasit in hoc sæculo, non tamen fugiet in futuro, vt hodiernâ liquet sententiâ, latâ in impios voluptatis asseclas, qui suæ salutis incurij, genio suo nequiter indulserunt. Quas autem pœnas dabunt, vox supplicij palàm facit: ea quippe est summa pœna decreta deliquiis rei, in quem iudex dixit capitis sententiam. Cùm ergo dixi in titulo, reproborum sortem iniquam congruè designari nomine supplicij, hoc confirmatum esse volui ratione petita à Iure Romano, vbi Celsus ita fatur: *Vltimum supplicium, esse mortem solam, interpretamur.*

Voluptatis initia læta, sed infaustus est exitus.

Supplicium quid sit.

EX IVRE CIVILI.

Lege Vltimum ff De pœnis l. 48 tit. 16. lege 21. Celsus l. digestorum.

Quia igitur mors decernitur impiis, illa apposité sortita est nomen supplicij potiùs quàm pœnæ, licet supplicium omne dicat pœnam; at non secus omnis pœna supplicium est: quippe de ratione supplicij est, vt indictum sit reo, præuiâ iudicis indagine, vt disquisitione factâ iuridicè, plectatur homo reus pro pondere deliquij. Etenim non omnia iniqua facinora, vna manet ratio supplicij, sed diuersa, vt disparia sunt merita reproborum. Habet quidem hoc commune supplicium extremum, vt eo affecti vitâ cadant; sed differunt supplicia pro numero & formula tormentorum. Ita concolor erit status impiorum in hoc, quòd omnes vna manet mors æterna; tota verò disparitas attenditur penes varia genera tormentorum. Cùm ergo Christus omnes iudicis partes obeat in die iudicij, & præuio examine districtò traducat impios, in eos ferens sententiam mortis; pœna indicta reis optimè supplicij nomine recensetur. Nimirum hoc nomine spes omnis veniæ reprobis adimitur, in gratiam noxiorum hominum nemine perorante.

Supplicium & pœna quomodo differant.

SENSVS LITERALIS.

Pœna reprobis indicta à iudice, in die iudicij apposité nominatur supplicium.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

CONIECTVRA SECVNDA

EX LINGVIS.

SAnctos fore assessores Christi in die iudicij, & dicturos sententiam in reprobos, Christi Domini vox est præscia futurorum. Sic ille suos sequaces alloquitur: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* In eo consessu, vbi omnis terrarum orbis pugnabit contra insensatos, principes etiam linguæ suas obire volunt partes, impia capita nigro calculo ferientes. Sic in eos Hebræa dialectus fæuit: ילכו אל עונש העולם *ielecu al nghonesch hanghuolam. Ibunt in mulctam corporalem in æternum.* Latinus interpres satis esse arbitratus est dicere, reprobos ituros in supplicium, nulla mentione facta qualitatis supplicij, vt sic fortè innueret, ineffabilem esse grauitatem pœnæ, quæ malè sibi consciis hominibus à Iudice ferebatur. Et in hoc, vt & semper, vulgata placet editio, abdita recondens mysteria suo breuiloquio, nec ad eam carpendam consulo priores linguas, sed vt inde solùm aliquod lumen adiiciam meis sententiis, more Patrum, quos æmulor hisce commentariis in Euangelia.

Matth. 19.

EX LINGVIS HEBRÆA. Supplicium reproborum erit corporale, vt notio Hebræa sonat.

Itaque opportunè Matthæi textus Hebræus vocem supplicij retulit illa dictione, ענש *nghonesch*, quæ significat mulctam corporalem. Nomine mulctæ dicit pœnam dictam à iudice condemnante reum. Et quia non defuere deliri homines, qui negarunt fore corporalia supplicia, sed totam iudicij historiam fore mentalem inscio corpore; vox illa Hebræa tempestiuè inserta est, vt idonea ad dirimendam illam controuersiam. Licet enim radicalis huius vocis sit verbum, ענש *nghanasch*, quod significat tria hæc scilicet, condemnare, mulctare, interficere: nomen tamen inde

Vulgatæ editionis commendatio.

Tria consideranda in supplicio reproborum.

inde deriuatum porrigitur ad pœnam corporalem, quæ refertur ad illa tria significata. Illa nimirum pœna corporalis afficit tantùm condemnatos. Secundò non erit indicta loco pœnitentiæ, vt diluat noxas; sed in supplicium inglorium, quo inflicto rei homines omni spe excident reducis vitæ, quia pœna hæc morte æterna animas & corpora castigabit.

SYRIACA.

Syrus interpres aliam dictionem adhibuit, quæ apprimè refertur illa malorum ilias, quæ reprobos excipiet ונאזלון הלין לתשניקא דלעלם *venizelu halen lethaschnika dalenghalam. Abibunt isti in cruciatum æternum.* Vox Syra, לתשניקא *lethaschnika*, non qualecunque supplicium significat; sed illud præcipuè, quo diris angustiis animæ & corpora lancinantur. In hoc vocabulum Syriacum omne suum virus infudit radix illa, à qua deducitur, scilicet שנק *schanak*, verbum commune Syris & Chaldæis, apud quos innumera ferè mala sonat hæc dictio, cuius hæc sunt significata, insanire, coarctare, cruciare, submergere, suffocare, repudiare. Ita vt fas sit dicere, reprobos insaniæ suæ multiplices luere pœnas, & subire cruciatus omnes, qui à Deo repudiata manent capita in stagnum ignis demergenda. Benè & Chaldæi cruciatus impiorum deducunt à verbo, שנק *schanak*, insanire: tota namque vita hominum nequam, insania est, vt & ipsi serò fatebuntur: teste hoc contextu. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Ecce in quas cruciatuum angustias, ob suam insaniam reprobi deuenerunt.

Supplicium reproborum omnia mala concludit vt vox Syriaca insinuat.

CHALDÆA. *Vita impiorū est iugis insania.*

Sapient. 5.

GRÆCA.

Græcus interpres paucis conclusit totam tragœdiam. ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον. id est. *Ibunt hi in vindictam æternam.* Nimirum κόλασις perinde est ac vindicta, & supplicium: vindicta tamen superaddit supplicio aliquid acerbum: pœna namque omnis, cuius est vindicta comes, magis exasperat eum cui infertur. Vox illa, κόλασις, non quamcunque vltionem refert, sed illam, quæ magnos cruciatus infert: etenim nomen hoc verbale est deductum ἀπὸ τοῦ κολάζειν, quod significat, vlcisci, & pœnis afficere. Heu quàm miseranda malorum insania, quam debent excipere supplicia hæc præfata, quibus omnes angustiæ concluduntur!

Supplicium reproborū acerbitatem omnimodā dicit ex notione Græca.

SENSVS LITERALIS.

Supplicium reproborum omnes concludet angustias.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribvs.

Quomodo dignosci

NEmo miser nisi comparatus: tritum est effatum istud, vtique tempestiuum ad ingerendas aliquas species huius supplicij æterni, cui sese vitio suo reprobi manciparunt. In confesso est apud omnes, esse ineffabiles angustias, quæ coëunt ad torquendos impios, nec earum posse deprehendi pondus, nisi ad miseriarum huius sæculi trutinam appendantur. In his combustio summum locum tenet, neque decernitur nisi nefandis hominibus, quibus congruè plectendis, non suppetunt grauiora supplicia. Eamobrem Tertullianus, peritus rerum nomenclator, ignium pœnam summam vocat, quia nihil omnino reperire est corpori molestius, quàm sit dolor emergens ex vindice incendio, reorum corpora depascente. Inde potest aliquali modo recenseri grauitas eius supplicij, quo luent impij pœnas, acceptâ sententiâ, in eorum crimina sæuiente: ea namque meminit flammas æternas communes iniquis hominibus, & diabolo. Fore autem ignem illum corporalem, liquidò est ex natura sententiæ Iudicis, qui vt corporaliter assidebit suo solio; adstantibus hinc & inde bonis & reprobis; corporalia etiam supplicia congrua vitiis assignabit. Ideoque erronea est illa sententia, quæ negat in inferno fore corporalem ignem: illa nimirum detrahit omnem fidem, quam adhibere deberemus verbis Christi, qui passim commemorat ignem dum incidit mentio tartarorum. Ter namque dixit ignem, cùm monuit esse à scandalis abstinendum. Sic ille: *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Iterum adhuc & tertio ignem illic nominat, vbi dicit esse extirpandos oculos, & pedes, si inducunt ad peccandum, ne eorum vitio æternis ignibus addicamur.

quear grauitas supplicij damnatorū.

Ignis infernalis est: calis & non metaphoricus.

Matth. 18. *Quomodo damnati torquantur igne & verme.*

Ex SS. Patribvs.

Augustinus benè aduertit, Christum sociasse ignem & vermem, vt corporis & animæ supplicia connecteret: quippe ignis corporalis sæuiet in corpora, & vermis conscientiæ lancinabit animas morsibus indefessis. Sic ille: *Absurdum est, ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum; ego tamen facilius existimo, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere, quàm neutrum, & ideo tacitum in illis diuina Scriptura verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, vt corpore sic dolente, animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in veteribus Scripturis: Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Potuit & breuius dici, vindicta impij. Cur ergo dictum est, carnis impij, nisi quia vtrumque, id est, & ignis & vermis, pœna erit carnis?* Rursus ille dirimit sic istam controuersiam. *Gehenna illa dicta etiam stagnum ignis & sulphuris, corporeus erit ignis & cruciabit corpora damnatorum.* Quare autem interminæ sint illæ reproborum pœnæ, id petendum est ab æterno bono, quod nequiter offenderunt. Etenim par est vt in malum æternum incurrat is, qui boni æterni incurius pessimè deuiauit.

Aug. lib. 9. de ciuitate Dei c. 9. & 10.

Concinit Augustinus hoc discursu *Pœna æterna ideo dura, & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ puræque sapientiæ, quo sentiri possit quantum nefas in illa prima præuaricatione commissum sit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, tantò maiore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui in se peremit bonum, quod esse posset æternum.* Esse literaliter accipienda verba Christi, relegantiã

Idem eodem lib. cap. 12. Ignis inferni quare æternus erit.

legantis impios in ignem æternum, concolor est sententia Sanctorum Patrum, qui vt rem indubiam illum ignem corporalem credunt. Ita Chrysostomus. *Non ignoro, multos etiam nunc in Pharaonis impietate viuere, qui non in rubro mari demergentur, sed in ignis fluuiũ atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo igneì fluctus montium instar eriguntur: ignei dico, non huius ignis, sed certè multò quàm hic horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyssum, ita vt vndique ignis, immanissima similis fera transcurrere videatur. Quòd si sensibilis iste, atque materialis, eos qui extra fornacem erant absorpsit? quid iste ignis faciet peccatoribus? En audi quid Propheta de illo die præcantarum: Dies Domini incurabilis, furore ac ira plenus.* Hæc ille, commemorans sæuos ignium globos, quibus hominum nequam animæ & corpora torquebuntur. Calculum etiam suum adiecit Hieronymus, vt adstruat esse corporalem ignem, qui in inferis corpora cruciabit. Sic ille: *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Cuius testimonij sensus est, quòd ignis Dei atque vindicta semper ardeat peccatoribus, & eos vsque ad inferos persequatur. Qualis erat diues ille purpuratus, qui requiescente Lazaro in sinu Abraha, aternis torquebatur ardoribus. De quo igne & in Deuteronomio subditur: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet, & sagitta mea consument eos. Terram, id est, carnem nostram, eadem flamma comburet, & fundamenta montium, qua eleuant contra scientiam Dei. Ipsos quoque montes Dei iacula disperdent, & humiliati in pœnis, montes esse desistent.*

Chrysost. homil. 44. in Matth.

Descriptio ignis infernalis.

Hieronym. in cap. 65. Isai.

Ignis infernalis præcipuè desæuiet in carnales homines.

Quòd si è cathedra Petri requiris testimonium faciens ad intentum meum, quod est probare, sensum literalem supplicij æterni esse ignem corporalem, qui corpora depascatur: præstò est Gregorius ille Summus Pontifex, qui vsurpat nomen ignis, insinuans quales erunt plagæ, quæ carnalia pectora cruciabunt. Ille versans locum illum Iob: *Affligetur relictus in tabernaculo suo.* Textum hunc aptat igni infernali, quo carnales homines luent pœnas congruas obscœnæ voluptati, qua degentes in hoc sæculo conflagrarunt. Ecce Summi Præsulis oraculum. *Iniqui tabernaculum caro est, quia ipsam latus inhabitat, & si sit possibile optat, vt eam nunquam relinquat. Quam videlicet carnem cùm in resurrectione receperit, cum ea gehenna igni traditus ardébit, tunc ab ea educi appetit, tunc eius tormenta euadere si valeat quærit, tunc incipit velle vitare quod amauit. Sed quia eamdem carnem Deo praposuit, indicante Deo agitur, vt ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, & tamen ab ea abstrahitur; illic eam relinquere appetit, & tamen ea propter supplicia seruatur. Ad augmentum itaque tormenti, & hic de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus: & propterea de talibus dicitur: Affligetur relictus in tabernaculo suo.* Hactenus ille Antistes.

Iob 20.

Gregor. l. 15. Mor. cap. 8.

Quia ignis ille erit instrumentum diuinæ vltionis, omnia concludit mala, quæ iniquos malè habere possunt, Deo ita dispensante supplicia, vt pœnæ congruæ cuiusque vitiis irrogentur. Has ærumnas Bonauentura sic describit. *Damnati sub tributo pœnarum semper seruient, & tamen nunquam persoluent. Erit ibi calor ignis, stridor rigoris, tenebra, fumus, lacryma, mœrores, aspectus dæmonum, clamor improperij, ariditas, sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientia, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, inuidia, rancor, carentia visionis diuina, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse, quod omnis creatura appetit, erit eis pœna; quia quærent mortem naturalem, & non inuenient. Ibi erit, sicut ait Dionysius, proterua phantasia, demens concupiscentia, & furor irascibilis.* Ilias hæc malorum à Christo Iudice supplicij nomine designatur.

Enumeratio malorũ quibus reprobi in inferis torquebuntur.

Bonau. lib. 8. Compendij Theologica veritatis cap. 22.

MORALIS

MORALIS
EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.
EVANGELIVM
SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt sectiones discussæ moraliter.

Matth. 25. I. CVM venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

II. Et congregabuntur ante eum omnes Gentes.

III. IV. Et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.

V. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

VI. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem; & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

VII. Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiù non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.

VIII. IX. X. XI. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

SENSVS MORALIS. IN QVO EXPENDENDO collaborant omnes scientiæ.

I. *MEDITATIO Christi venturi in maiestate sua, suggerit homini industriam, qua se aptare debet ad occursum Iudicis, generalia mundi comitia celebrantis.*

II. *Summa huius industriæ in eo sita est, vt quisque suos omnes recolat actus, ita congregando indigenas omnes animæ suæ.*

III. *Ea recensione actionum, iusti vitia eliminant.*

IV. *Imò & abiurant mala consortia, ne impiorum contagio polluantur.*

V. *Fitque ea solertia, vt iusti recolentes diem iudicij, se accingant ad dextram Christi Iudicis aucupandam.*

VI. *Et præcipuè obsequio bonorum operum, citra quorum praxim nemo adultorum fiet conscius gloriæ æternæ.*

VII. *Vt suo extremo dispendio rescient improbi, quos penuriâ bonorum operum, æterna mala manent.*

VIII. *Vnde & deploranda est eorum sors iniqua,*

quæ, licet ad morulas aliquales huius præterenntis æui genio indulgeant, & captent impunè sensuum illecebras. Namque fiet, vt eos serò pœniteat: cum nemini fas sit inulta crimina perpetrare.

IX. Quippe à sæculo inauditum est, aliquem non luisse pœnas sceleris.

X. Nempe voluptatis hoc est ingenium, vt dulcorem suum condiat amarore.

XI. Quod vt omnibus ferè Gentibus innotuit, ita & Christianos minimè fugit; ideo maiori culpæ obnoxios, si delinquant: cùm lux veritatis liquidior eis affulgens, debeat ipsis ingerere ampliores animos ad virtutis obsequium, & ad vitia detestanda, cùm infideles etiam populi acerbis suppliciis vitia castigarint.

SENSVS MORALIS.

Meditatio Christi venturi in maiestate sua suggerit homini quomodo se aptare debeat, vt Iudici occurrat.

In hæc verba:

Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

SECTIO PRIMA.

Ex SS. Patribvs.

Echini mira industria ad cauendam tempestatem.

EA dicitur inesse prudentia echino animalculo spinis hirsuto, vt instantis procellæ turbinem præsagiat: quodque magis eius solertiam prodit, vbi præludentis auræ leuiuscula flabra excepit, illico suam specum admota gleba occludit ea regione, qua reflat ventus, ne ipso inuito antrum eius infestet ingruens hæc tempestas. Non erit inglorium homini ad salutem imitari bestiarum sagacem indolem, quandoquidem sæpe suam ad perniciem salax ingenium pecudum æmulatur. Verbi gratiâ, hodie ex Euangelio Ecclesia præmonet homines, magnam cunctis Gentibus ingruere procellam instante mundi deliquio, cùm scilicet Christus veniet in maiestate sua, stipatus toto Angelorum choro, vt exquisita indagine facta omnium rerum humanarum, dicat sententiam mortis æternæ in capita reproborum. Quisquis illo Euangelij eruditus oraculo audit imminere mundo turbinem hunc magnum, profectò suis si vult cauere rebus, omnem mouebit lapidem, ne præfata hæc tempestas animam eius obruat imparatam. Vtque fiat voti compos, occludet omnes aditus, quibus se ita Dei insinuare solet in animam malè sibi consciam.

Qua solertia debeat homo meditari diem iudicij.

Primus effectus meditationis iudicij est nos arcere à peccatis.

Illi aditus sunt externi sensus, qui dum incautè custodiuntur ab homine, patent obuiis quibusque obiectis, quorum illecebræ illudunt animæ imprudenti. Has obserare fores satagèt anima de sua salute sollicita, ne sententia procellosa desæuiens in reprobos, ad ipsam etiam porrigatur. Et hoc sanè præcipuum est commodum, quod percipitur ex meditatione Christi venturi in maiestate sua, quòd scilicet anima fit cautior, nec adeò facilè sequitur dæmonis arbitrium noxia suggerentis. Eò alludit illud Bernardi consilium, suadentis vt altas radices agat in mentibus nostris illa iugis extremi iudicij recensio. Sic ille: *Attende quàm citò venit dies vltima. Præsentaberis ante tremendum iudicem, accusaberis multis & magnis offensis, non vno, non paucis, sed innumeris criminibus, non dubiis, sed certis, non breui accusatione, sed tam longa quam est vita tua, non vno accusatore, sed tot, quot sunt delicti aqua. Ipse iudex erit districtus accusator tuus. Omnes enim spiritus boni & mali coram Deo te accusabunt: boni, quia Deo debent æquitatem; mali, quia tuam seruant iniquitatem. Tot iudicibus & populis adstabis, quot præcesserunt te in opere bono. Tot arguentibus te confunderis, quot tibi præbuerunt benè viuendi exemplum. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera tua. Multa verò peccata tunc prouent ex improuiso, quasi ex insidiis, quæ modò non vides, & forsitan plura & terribiliora, quam sint quæ nunc vides. Vndique tibi erunt angustiæ, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Si iustus vix saluabitur; peccator sic deprehensus in quam partem se premet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. In tanto discrimine torquebit te tua conscientia malè sibi conscia, cruciabunt cordis arcana. Cogente etiam conscientia, tu ipse eris accusator, & index tuus. Conuictus teste propriâ conscientiâ, & testibus oculis ipsius iudicis fugere non poteris, sed tremens & anxius stabis suspensus ad grauissimam sententiam, in periculosa angustia, tamquam illico recepturus quod in perpetuum amittere non poteris.*

Ex SS. Patribvs. Elegans descriptio diei iudicij. Bernard. tractatu de interiori domo c. 38.

Meditatio diei iudicij ex Bernardo est antidotũ malarum cogitationum.

Totus hic discursus à Bernardo est contextus, in capitulo cuius titulus hic est: *Remedium ad fugiendum prauas cogitationes.* Quasi subscriberet ille Sanctus industriæ, quam proposui ex echino, qui occludendo fores suæ cellulæ ex aduerso venti instantis, sibi cauet à procellis: quippe ille consulit, meditatione diei iudicij refellere iniquas rerum species, quas ingerunt diaboli susurrantes. Huic meæ morali conclusioni assentitur Augustinus, affirmans Christum ideo recensuisse diem iudicij, vt illum homines mente recolerent, & inde magis idonei fierent ad repellendos dæmonum insultus. Sic ille: *Ab auditu malo nos liberare dignetur Deus, vt in nobis impleatur id quod scriptum est: In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Hoc est auditum malum quod audituri sunt impij: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Irreuocabilis sententia erit, quæ à piissimo Deo ideo multò ante prædicitur, vt à nobis totis visceribus caueatur. Si enim nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret. Inuitus quodammodo vindicat, qui quomodo euadere possimus multò antè demonstrat. Non enim te vult percutere, qui tibi clamat; obserua te. Ergo qui ad sinistram stabunt audient: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Et qui ad dexteram sunt, non accipient regnum, quia nunquam peccauerunt, sed quia benefecerunt, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum; putas vbi mittendus es, qui rapuit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit; vbi mittendus est, qui vestitum expoliauit? Rogo vos, fratres charissimi,*

Quare Christus sermonem de die iudicij contexuit.

Augustin. serm. 38. de Sanctis.

Non facere mala parum est, nisi bona benè fiat.

charissimi, hinc attendite, quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt. Sanè potens est illa meditatio, non ad arcenda mala tantùm ab affectu, sed valde conducit ad virtutum omnium praxim conciliandam.

Psalm. 103. Altera industria herinacij. Quàm sit salutaris timor diei iudicij.

Profectò cogitatus ille validæ tempestatis excitandæ in die iudicij nos prouocat ad sectandam industriá echini seu herinacij, cuius meminit etiá Psaltes ita occinens: *Petra refugium herinaciis.* Scit quippe hoc animal eruditum, esse rupes inconcussas turbine sæuiente. Ego moraliter intelligo petras esse virtutes altè radicatas, quarum tegmine munitus homo sistetur impauidè Iudici in iniqua capita declamanti. Meam hanc tropologiam esse ingenuam clamat Isaias, explicando quales effectus sortietur illa meditatio iudicij. Isai. 2. Sic ille: *In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret talpas, & vespertiliones. Et ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.* Quasi diceret: Esto nimius amor rerum inferiorum sit quædam species idololatriæ, & præcipuè homines aurum colant; attamen ille omnis cultus desinet, siquando recolant homines diem iudicij: namque cogitantes de meliori fruge, consulent sibi, asperum & petrosum virtutis tramitem ineundo. Etenim meditantes Christum venturum in maiestate sua circumstante choro Angelorum, satagent ipsi etiam occurrere Christo stipati ea maiestate, quam impertit rutilus virtutum amor. Et quia egregiis actibus æmulantur homines Angelorum sortem; quisquis intuitu diei iudicij sanctior efficitur, & magnum gratiarum cumulum cogit, ille vti par est aptatur ad occurrendum Iudici: quippe anima, in quam gratia Dei influxit, maiestate singulari afficitur, & virtutes eius vicem Angelorum gerunt; fitque iugi meditatione diei huius, vt homo se accingat ad occurrendum cum maiestate & Angelicis virtutibus Christo venienti cùm maiestate sua & Angelis.

Effectus meditationis iudicij.

Cùm itaque salutaris adeò sit ille cogitatus iudicij, ô Dei præco, tuis hunc ingere auditoribus, vsurpando voces Isaiæ alludentis ad herinacij solertiam, sic hominem adhortando: Isa 2. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.* Vtque luculenta sit illa parænesis, suasura reprobis cultoris vitæ ritum; discurre per singula vitia, appositis ex aduerso virtutibus. Exempli gratiâ, ita poteris impium adoriri: Quid trepidas, homo nequam, ad classicum iudicij? fortè ob Veneris monumenta nefandæ? profectò est quod horreas; sed si mihi consultori credis, abscondere in fossa humo, id est, redde te tibi, & accurato examine defode præteritæ vitæ tuæ gesta, & humiliare sub potenti manu Dei, & memor esto, castitatem esse petram munitissimam contra lethalem Iudicis sententiam, in reprobos intorquendam. Si tibi malè conscius es, ob malè partas opes, confuge ad eleemosynæ petram, ibi tutus eris.

Exemplum moralis discursus ad hortandos homines, vt consulant sibi contra mala in die iudicij reprobis irroganda.

Facilè est inuentis addere; ac proinde hæc indicasse satis est.

***

SENSVS MORALIS.

Iudicium extremum meditatum sollicitat hominem, vt omnes suos actus recolat, & repurget.

In hæc verba:

Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

SECTIO SECVNDA.

Ex Symbolis Et Sanctis Patribvs.

VT est omnis natura refuga malorum, quæ ingruunt; nullum non lapidem mouet homo, vt sese morti eripiat, & præsertim si deforis immineat ab aliquo vim faciente. Ipsa etiam animalia de sua salute sollicita, nihil inexpertum linquunt vt se subducant neci quam præuident imminere. Elephanti siquando venatores instant, dentes allisos in rabiem deponunt, probè docti à natura, peti eorum ebur ab homine mortem minitante si immanis illa fera non dimittat has prædiuites exuuias. Ea etiam industriâ sibi consulit Castor, animal eruditum à natura, qui benè suada se execat vt venatori tradat eam partem corporis sui, ratione cuius totum animal homines insequuntur. Huius industriæ non inscius homo, omnia missa facit, quæ obstant ad vitam hanc diuturno tempore propagandam. Huiusce veritatis locuples exemplum prostat in eo facinore industrio, quod Carolus IX. Rex Galliarum Christianissimus superiore sæculo perpetrauit. Audiit ille ærarium suum expilatum à præpositis fisci, atque adeò graue rei bellicæ discrimen imminere penuriâ facultatum, quas callidè distraxerant quæstores ipsi. Vt ingruenti periculo Rex callidus occurreret, diem dixit omnibus ærarij præfectis, iudice assignato, cui protinus homines hi malè sibi conscij sisterentur. Vtque necis infligendæ timor eos percelleret ad sana consilia, numisma cudit Rex, in quo erat liber apertus, & incumbens throno, ad cuius crepidinem erat ignis accensus. In ora iconis erant circumductæ voces istæ. Svbdvcendis Rationibvs. Ad Regis arbitrium illa fuere diuulgata numismata, vt rei & iniqui expilatores inde rescirent, se vocari ad examen opum, quas malè congesserant, nec esse locum refellendi obiecta argumenta, quia liber rationum Regis eos liquidò condemnabat ad subeundam summam ignium pœnam, quam penes eos erat adhuc effugere, si vellent refundere in ærarium regium sublatas antea facultates.

Elephanti industria, vt mortē euadat.

Castoris astus vt neci se subducat.

Caroli Regis industria ad suadendam restitutionē regiarum facultatum, quas plerique expilarant.

Ex Symbolis. Lukius lib. numismatū. Pœna ignis in Gallia decreta crimini peculatus.

Regi ex voto successit tempestiuum illud consilium: etenim plerique facti pœnitentes fecere satis fisco, seque ita subduxere pœnis, quæ hominibus his auri nimium cupidis imminebant. Nempe liber apertus in solio regio, & flammæ accensæ adeò perculerunt iniquos homines, vt illico dederint manus, vt fierent aptiores Svbdvcendis Rationibvs. Sic autem consuluere sibi quæstores rei peculatus. Congregatis opibus suis, discreuere malè partas ab eis quas innoxiè collegerant, peculioque iusto sibi adscito, reddidere pondus auri, quod in suos cumulos

Meditatio iudicij homines sollicitat vt se seriò examinent.

cumulos nequiter adsportarant. Euangelio hodierno proponitur similis historia. Christus in maiestate sua solio insidens, est liber apertus incubans throno: omnia namque aperta sunt oculis eius, nihilque latere potest hunc peracutum animæ scrutatorem. Sub throno eius vindices flammæ assurgunt, reprobis æterna supplicia minitantes. Huius autem tragœdiæ summa hæc est: SVBDVCENDIS RATIONIBVS. Id est. Horribilis ille iudicij contextus describitur, vt quisque se conueniat, quomodo suarum omnium actionum rationem reddat. Eo intento Christus proposuit seriem rerum gerendarum in die iudicij, vt quisque suos omnes actus congregaret, & alto scrutinio perpenderet essent boni nec ne, vt malè facta dilueret pœnitendo, & bona reponeret augenda bonis actibus in posterum. Sic moraliter omnes Gentes congregandas interpretor, scilicet vt homo, cui familiaris est meditatio diei iudicij, se ita totum sibi explicet, vt quidquid vile & reprobum est secernat & mactet, quod verò laude dignum est seruet, imò adiiciat, ne gratia Dei aliquale patiatur deliquium, sed nouis semper turgeat incrementis.

EX SS. PATRIBVS.

Cogitationis iudicij mira vis ad conciliandam virtutum praxim.

Chrysost. homil. 35. in Ioann.

Dies iudicij indicta SVBDVCENDIS RATIONIBVS præfatos sortitur effectus in anima de sua salute sollicita: statim enim atque auribus insonat ratio reddenda Deo, illico anima se ad meliora accingit. Eo argumento Chrysostomus olim vsus est ad componendos dyscolos hominum mores. Sic ille: *Instat iam tempus reddendæ rationis. Ideo Paulus ait: Dominus propè est, nihil solliciti sitis. Dominus propè est, non longè à fine absumus, sed iam mundus properat; hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræ motus, hoc extincta charitas significat. Vt enim corpus, iam aduentante morte, innumeris malis afficitur, & domus prope casum in rimas fatiscit: ita orbis terrarum ad finem properans, tantis vndique malis conteritur. Quid nunc dicendum? cohibeamus igitur affectus nostros, exerceamur in Dei timore: etenim nobis licentiâ perditis, nihil tale expectantibus, ex improuiso Dei aduentus aderit.* Si libri aperti, & ignis accensi species nostris obuersaretur animis quotidie, profectò non essemus rationibus Dei luituri pœnas congruas nostris excessibus: sed seriò studeremus SVBDVCENDIS RATIONIBVS, vt egregiè enarrat Chrysostomus, reddendæ illius rationis faciens mentionem singularem. *Summâ* (inquit) *nobis in omnibus vtendum est diligentiâ, fratres: quia reddēda ratio est, & verborum, & operum, & pœna subeunda. Non enim in præsenti vita finis nobis est, formidoloso iudicio aderimus. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum. Hoc iudicium præ oculis habeamus semper: ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliuiscitur, tamquam fræno obiecto, in præcipitium defertur: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore; & caussam affert: auferuntur iudicia tua à facie eius: ita quem continuus percellit timor, modestè viam viuendi ingreditur. Recordare, inquit, nouissima tua, & in æternum non peccabis. Qui enim dimittit nunc nobis peccata miserendo, is tunc iudicando pandet.* Faxit Deus vt experimento comperta sint commoda, quæ parturit illa iugis meditatio rationis reddendæ in illo districto iudicio.

Idem homil. 38. in Ioann.

Obliuio diei iudicij funesta hominibus.

SENSVS MORALIS.

Metus iudicij extremi confert ad secretionem vitiorum iis qui sunt prædestinati, reprobi verò hinc desperant.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis.

SECTIO TERTIA.

EX MEDICINA, ET EX SANCTIS PATRIBVS.

Rigor in morbis quid sit.

EX RE MEDICA.

Duret. in primam præn. lib. 1. coac.

QVamuis dubiæ sint aliquando tesseræ, quibus Medici malè aut benè ominantur ægris; hoc non obstat quin summus rei medicæ moderator de hoc argumento libros ediderit, quos prænotiones inscripsit, vnde petuntur oracula, propitia, vel iniqua decumbentibus. In his illa singularis est prænotio, quæ pertinet ad rigorem, qui sic describitur à Dureto Medico insigni. Sic ille: *Rigor est concussio totius compaginis, maximè autem partium posticarum, quæ adiacent lumbis, metaphreno, ceruici ad caput, dum scilicet prorritantur appulsu cacochymiæ illuc è vasis expressa, & viam ad exitum affectantis: quem quia tam cito non habet; partes exactis sensus, vbi subsistit, vellicando lacessit, cum incredibili afflictione caloris viuifici, qui est in corde: tum enim viuificus ille calor intro recurrit, dum, cacochymia foras excurrens, ac primo appulsu passa repulsam, concussionem mouet, cum frigore partium calore viuifico defraudatarum. Non enim caloris afflictio concussionem infert, sed ipsa concussio afflictionem.* Hæc ille, sua descriptione suppeditãs ansam disserendi de timore, quo vt horrido frigore concutitur anima quæ recolit diem iudicij. Profectò ille metus, animæ rigor est, exordium ducens ab aliqua vitiorum cacochymia expressa ex valuulis memoriæ, referentis ideas illicitæ voluptatis. Et hic metus vellicat animam memorem criminum, quæ calorem charitatis viuidum extinxerunt. Vt enim nullus est corporum rigor, si noxius humor absit; ita & cùm recolitur historia iudicij extremi, animæ sanctæ non metuunt, imò magis habent quòd gestiant & lætentur, quia nullo prorsus morbi seu vitij semine fatigantur.

Vnde habeat ortum ille metus qui lacessit homines dum recolitur historia iudicij.

A rigore res medica petit argumenta salutis, & fati extremi, iuxta hanc Dureti sententiam: *Nullus feracior locus est in Medicina ad ineundam διάγνωσιν febrium, quàm de rigore.* Ita & ego peto validas coniecturas ruinæ aut salutis animarum, ab illo metu, quo quisque afficitur in recensione iudicij: eodemque modo omninò ex hoc metu, quo medici ex rigore. Nempe rigor, quando salutis est prænuntius, præit quidem febri, sed humores noxios foras trudit, sudore, alui profluuio, vomitione, hæmorragia. Huc pertinet illa Coaca prænotio Hippocratis. Ἧσιν ἐκ ῥίγεος πυρετὸς κοπιώδης, αἱμοῤῥαγικόν. Id est. *Quibus ex rigore febris est laboriosa, hæmorragiam prouocat.* Ita quando quis meditato die iudicij, metu concutitur horrido rigente coma,

Duret. vbi supra.

Quando rigores in morbis boni sint.

Hippocrat. lib. 3 coac. tract. 3. de morbis mulier. prænot. 46.

ſi inde calet contritione concepta, & peccata in confeſſione vomit, animâ deſudante lacrymis: ſi malè partas opes, quæ ſunt ſanguis egenorum, vltro abundè fundit in manus eorum, ad quos opes antea pertinebant; proculdubio ille rigor omnia fauſta clamat: nam ſecernit omne vitus illud, quo hactenus ſanitas animæ fatiſcebat. Collige hinc, Chriſtiane, quæ te fata manent, & perpende seriò, quem finem apud te ſortiatur horror ille, qui emergit ex die iudicij animo refricata.

Hippocr. lib. 1 coac. præn. 56.

Obliuio ſancti propoſiti lethalis eſt animæ ſuæ ſalutis incuria.

Hippocrat. lib 1 coac. præn. 6.

Vt contrariorum diſcolores etiam ſunt effectus; ita & rigoris funeſti alia ſunt argumenta, quibus ægris malè Medicus ominatur. Audiendus Hippocrates. Οἷσι κατὰ ψῦξιν ἱδρῶτες, καὶ ταχὺ ἀναθερμαινόμενοι, κακόν. Id eſt. *Si quis à frigore cùm ſudaris, citò rurſum ardeat, grauiſſimum habet malum.* Ita in moralibus quiſquis horrore iudicij extremi perculſus timore concutitur, & deſudat lacrymas, & poſtea ſalutaris propoſiti immemor libidine exardeſcit, profectò malè ſe habet æger ille, & hunc eadem fata manent quæ meminit Hippocrates hoc effato. Μετὰ ῥῖγος ἄγνοια, κακόν, κακὸν δὲ καὶ λήθη. Id eſt. *Quæ à rigore incidit ignoratio, mala eſt: obliuio item mala.* Arbitror ego, Hippocratem malè decumbenti ominari ex hac obliuione poſt rigorem, quia aliquod vitium in cerebro ſuſpicatur. Hæc eadem ratio militat in perniciem eorum, qui à metu concepto iudicij extremi, conſilij melioris immemores, iiſdem ſe obſtringunt piaculis, quibus fuerant antea conſpurcati. In his fuit Præſes ille Gentilis, qui tremefactus eſt Paulo Apoſtolo recenſente diem iudicij, & de fide Chriſtiana benè ſenſit; poſtea tamen memor auaritiæ ſibi insolitæ, oblitus eſt conceptos de ſalute ſuæ animæ cogitatus, vt Lucas commemorat hoc tenore. *Felix cum Druſilla vxore ſua, quæ erat Iudæa vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſtum Ieſum. Diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accerſam te: ſimul & ſperans, quòd ei pecunia daretur à Paulo, propter quod & frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo.* Cupido pecuniarum, qua exarſit Præſes ille, effecit vt è memoria eius exciderit oratio ſalutaris Pauli, de die iudicij diſputantis. Vnde ruinæ æternæ obnoxius fuit homo hic, nomine tantùm felix.

Felix Præſes præpeditus auaritia oblitus eſt diem iudicij. *Actor. 24.*

Eadem veheris naue, ô lector, ſi à concepto metu diei extremi, refricas priora crimina perpetrata. Nempe viget illud Hippocratis oraculum, quo damnatur obliuio emergens poſt rigorem. Vt ergo ſalutaris ſit rigor obortus, quando inſonuit recenſio iudicij extremi, colligendi ſunt ſedula indagine omnes noſtri actus, vt ſincera confeſſione trudantur noxij animæ humores, & ſic fiat anima hac ſecretione vegetior, iuxta conſilium Sanctorum Patrum, qui eo fine commemorant diem iudicij vt anima horrore percita corrigatur. Eò alludit Chryſoſtomus ita fatus: *Vnuſquiſque in ſuam ipſe conſcientiam deſcendens, peccatis ſuis diligenter expenſis, exactam vitæ rationem anteactæ ſibi repoſcat, vt ne tunc damnemur, cum orbis vniuerſi iudicium fiet. Nam illud quidem iudicium terrificum, horrendum tribunal, timoris plena eiuſdem quæſtiones, & inquiſitiones. Illud perpende: ſi noſtrum cuiuſquam occultum crimen aliquod, hoc ipſo die in medium delatum, huic modò conſeſſui innoteſceret, nonne fieret vt ille interire, ac terram ſibi potiùs dehiſcere, quàm tam multos peccati ſui teſtes habere mallet? Quid igitur tunc nobis fiet miſeris, cùm omnia orbi vniuerſo palàm facta, in tam aperto támque illuſtri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum partim incognitorum oculis ſubiicientur?* Rurſus ille ſubindicans debere eſſe practicam illam recenſionem iudicij extremi, ſic ſuadet. *Cogitemus illud tribunal, & putemus ipſum nunc adeſſe, & pœnas exigere, & vnuſquiſque ſuam conſcientiam diiudicet, & iam cogitet adeſſe iudicem, omniaque reuelari & in medium adduci.* Ex mente Patrum, conſcientiam ſuam diiudicare, eſt ſtudere repurgio illius, obſequio ſcoparum pœnitentiæ, qua verrente & verſante animas, vitia deterguntur.

Quomodo fiat ſalutaris metus obortus ex recenſione iudicij extremi.

Ex SS. PATRIBVS.

Chryſoſt. homil. 5. in ep. ad Rom.

Meditatio iudicij extremi debet eſſe practica.

In eo ſenſu Hieronymus iudicium caſtigationem dixit, ita vt iudicare ſe, perinde ſit ac commiſſa crimina caſtigare. Sic ille: *Vtinam nos in hoc ſæculo poneremus ante nos peccata noſtra, & non Deus ea in iudicio ſtatueret ante faciem noſtram, vbi iam non caſtigatio ſed iudicium mortis accedit. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum, & ſua mandata: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat. Nequando rapiat ad mortem, vel ad diem iudicij. Vnde dixit: Et non eſt qui de manu tua poſſit eruere. Vel rapit ille, hoc eſt, in mortem præcipitat obliuiſcentes ſe, & nemo eripi poteſt.* Qui hac caſtigatione præuia recolit iudicium, is profectò in rigorem vltra non incidit, quia eum non laceſſit timor, ſed eius animus omnium virtutum ſupellectile ornatus ſe accingit, vt iubilans Chriſto occurrat venienti ad iudicium, vt Hieronymus optimè meditatur. *Poſtquã dixerat Paulus: Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo; ſubdit: Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hæc pietas expectat beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Sicut enim impietas magni Dei reformidat aduentum; ita pietas illum præſtolatur.* Hactenus Hieronymus, benè arguens, fore metus expertes eos, quos teſſera virtutis emeritæ ſecuros efficiet.

Diiudicare ſe perinde eſt ſeipſum caſtigare.

Hieronym. in Pſal. 49.

Hier. l. 3. in c. 2. ep. ad Timoth.

Illa fuit etiam mens Bernardi, affirmantis animam Chriſti ſponſam cogitare ſuum Sponſum miſericordem in die iudicij, licet in reprobos deſæuiat dictâ in eos capitis ſententiâ. Audiẽdus ille, ſic ſacra Cantica commentatus: *Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum. Poſtulat Sponſa ſecundum Sponſi aduentum, vt ille non ſolùm ſit cũ velocitate, ſed fragilitatem etiã exprimit, & ſexus in caprea, & ætatis in hinnulo. Vult itaque eum (vt mihi videtur) etſi cum poteſtate venire, non tamen in forma Dei in iudicio apparere: ſed ſanè in ea, qua non modò natus, ſed & paruulus natus eſt nobis. Nempè vt ex vtroque admoneatur, in infirmo miteſcere in die iræ, memineritque miſericordiam ſuperexaltare iudicio: Etenim ſi iniquitates obſeruauerit etiam electorum, quis ſuſtinebit? Aſtra non ſunt munda in conſpectu eius, & in Angelis ſuis reperit prauitatẽ. Vt ergo cùm iratus fuerit, miſericordiæ recordetur, rogatur ab iſta apparere in miſericordiæ habitu illo, de quo Apoſtolus: Et habitu, inquit, inuentus vt homo. Neceſſario quidẽ. Si enim cum hoc quoque temperamento tanta erit in iudicio æquitas, in iudice veritas, in maieſtate ſublimitas, vt ſecundùm Prophetam, non poſſit cogitari dies aduentus eius; quid putas foret, ſi ignis ille conſumens (Deum loquor omnipotentem) in illa ſua*

Bernard. ſer. 27. in Cant.

Quare Deus in die iudicij nõ apparebit in maieſtate ſuæ diuinitatis.

Quare Deus apparebit in die iudicij in ſpecie hominis.

diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate venisset contra folium, quod vento rapitur, ostendere potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus? Et homo est, inquit, & quis videbit eum? Et quis stabit ad videndum eum? Quantò magis Deum nobis absque homine exhibentem nemo hominum ferret, vtpote claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilem, incomprehensibilem maiestate? Nunc verò cùm exarserit in breui ira eius, quàm grata propter filios gratiæ apparebit quædam blanda visio hominis, spei robur, fiduciæ augmentum, quod scilicet gratia & misericordia sit in Sanctos eius, & respectus in electos illius. Denique Pater ipse Deus dedit Filio iudicij potestatem, non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè patrem misericordiarum! vult per homines iudicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Liquet ex his omnibus, Sponsam in se diuinum habere consilium, & mysterium supernæ voluntatis minimè ignorare, quæ sub vmbra imbecillium animantium naturam inferiorem in iudicio exhibendam enuntiat, quatenus qui cœlum terramque mouebit in virtute sua, accinctus potentia contra insensatos, & suauis nihilominus & mitis, & quasi omnino inermis appareat propter electos. Hæc Bernardus appositè ad præfata.

Quare Sponsa Christum recenseat nomine capreæ & hinnuli ceruorum.

SENSVS MORALIS.

Fugienda sunt mala consortia ei qui non vult recenseri inter hædos in die iudicij.

In hæc verba:

Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis.

SECTIO QVARTA.

EX PHILOSOPHIA, ET SANCTIS PATRIBVS.

Talis est homo quales ij sunt quos frequentat.

NEminem derepente fieri summum, aut, imum, est commune effatum, quo apprimè liquet, omnia statis fixisque momentis agi, quæ suam bonitatem aut malitiam inurunt rebus, quæ librantur hisce ponderibus & momentis. Verbi gratiâ, talis erit homo sensim sine sensu, quales erunt illi, quibus coutetur; eorum namque mores ebibendo quos frequentat, ad eorum sese arbitrium vel inuitus aptat & componit, fitque eiusdem classis, cuius sunt & socij, quibus iugiter adhærescit. Si ergo animo tuo insedit, Christiane, non censeri inter hædos in die iudicij, caue ab eis degens in humanis: siquidem illi suam nequitiam tibi certo certiùs affricabunt: quippe ex Philosopho, *Similes actus similes generant habitus.* Ea nimirum indoles est cuiusque actus sæpe repetiti, vt habitum altè inurat animæ illis actibus assuetæ. Est autem habitus ex Aristotele qualitas subiecto firmiter inhærés, qua vel bene vel malè ad effectus nos habemus; se sic autẽ illa qualitas insinuat in animã præuiis actibus qui præludunt. Ex Boëtio: *Habitus est dispositionis forma, & non facilè permutabilis accessio.* Dicitur autem habitus ab habendo, quia ab aliquo immutabiliter vel ægrè mutabiliter habetur. Illa tenax inhærentia præstat vt habitus ex diuturnitate habendi naturæ similitudinem induat, nec ad habentis arbitrium deponi queat. Ex Alexandro Alensi: *Habitus est regula regulans potentiam respectu illius actus, qui educitur è potentia.* Habitus autem Thomas ille Angelicus Doctor vult definiri per actus, & actus per obiecta.

Ex philosophia.

Aristot. lib. 2. Ethic. c. 1. & 2.

Quid sit habitus.

Vnde habitus acceperit suam denominationem.

Alex. Alens. Metaph. Thom. 2. Ethic. 7.

Operæpretium fuit illa prælibare, vt probem esse fugienda mala consortia, quorum vitio multi homines censebuntur inter hœdos, quando Gentes in duo capita dispescentur. Sic adstruo intentum: Actus ex S. Thoma describuntur per obiecta: Ergo qualia obiecta frequentiùs homini occurrent, tales etiam actus ab eo prolicient, etsi obiecta hæc valida habeant illecebras ad mouendum, eò etiam erit actio vegetior quam exeret homo illectus ab obiecto, ac proinde tenacior inde exurget habitus, quo homo accinctus ad repetendos actus sibi insolitos validè percelletur. Cùm ergo reprobis omnia de voluptate constent, & nihil suis sodalibus obiiciant præter sensuum illecebras, quibus ad conciliandos appetitus magna virtus inest; indubiè eorum consortia suam nequitiam illorum sociis affricabunt. Verbi gratiâ: Veneris asseclæ, dum nihil nisi obscœnum effutiunt sociorum animis ingerunt species indecoras. Vnde quia facilè inhonesta cupido flagrat, vltro manus luxuriæ dant socij reproborum. Dumque vacant rei impudicæ, creatur habitus adeò pertinax, vt cùm res est de eo deponendo, facessat ingens negotium animæ pœnitenti. Rursus vt pro ordine membrorum est ratio vitiorum; obscœni homines quæsituri fomitem suæ libidini, suo etiam student abdomini saburrando cibis, quos dum mero alluunt, caro tota calet Venere depascenda. Homines incauti, qui frequentant has nundinas vitiorum, rei operosæ vacant, si inde resiliunt citra certissimum animæ suæ dispendium: nihil enim potentius arietat in animam Venere & Baccho, quibus nefarij quique litant, & sodales suos ad hæc sua sacra nefanda trahunt.

Mala consortia poss. ter inducunt homines ad peccandum.

Voluptatis illecebra potens ad proliciendos actus ex anima incauta.

Præterea quamuis actiones humanæ ab interno rationis principio debeant emanare; natura humana, passa deliquium in Adamo, plerumque immemor huius principij, de foris agitur ab sensuum illecebris, aut à suasore iniquo. Cumque sit hominum indoles imbecilla, cauere debet homo à malè suada societate hominum impiorum, ne eorum susurro deceptus agat ratione nequiter inconsulta. Cauebit autem si declinet mala consortia veluti cautes, in quas qui incurrit, lethali naufragio addicitur: vtque fuit in hoc sæculo consors impij negotij, vitam hircorum agens, nutritus ad saginam; cum hœdis mactabitur, suo æternum adipe decoquendus. Imò quando certissima pœnitendi spes inesset quibusque dyscolis hominibus, & de gratia Dei reduce daretur indubia certitudo; tamen essent vitanda consortia hæc iniqua, vt itetur obuiam habitibus prauis, quibus quandoque redux anima vsque ad mortem & senium anxiè vellicatur. Noui ego hominem iam grandæuum, quadraginta propè annos ingementem propensioni iniquæ, quam suggerebat habitus contractus actibus editis ante rationis vsum. Ne ergo, Christiane, patiaris angustias vtique graues, eripe te consortio hominum obscœnorum, memor obiecta prolicere actus, & ex actibus coalescere habitus importunos.

Duo principia actionum humanarum.

Mala consortia insinuant in animas prauos habitus.

Habitus iniquus plerumque inuitos homines lacessit vsque ad mortem.

Multis

Reprobi vt leprosi fugiendi.

Multis olim figuris fuere damnata commercia hominum nequam, quibus animarum ruina pro lucro maximo reputatur. Huius generis est lex pertinens ad leprosos, quos adeò exosos voluit esse Deus, vt extra castra sanxerit habitare. En decretum Dei. *Omni tempore quo leprosus est immundus, solus habitabit extra castra.* (Leuit. 13.) Lepræ pernicies atque fœtor, aliaque symptomata morbi huius inglorij, bellè referunt speciem ingenij hominum nebulonum, qui nihil nisi putidum exhalant, suosque prauos habitus affricant eis, quorũ consuetudine vtuntur. Hanc hominum pestem vult Deus arceri à bonorum cœtu, qui est velut castrorum acies ordinata. Etenim siquando bonos videris adunatos, audacter pronuntia: Castra Dei sunt hæc, equidem conscripta in exterminium vitiorum. Profectò nihil est reprobis, & castris illis, ideoque solertia singularis est adhibéda bonis, vt ab illa lethali lue malorum hominum, eorum commercia repurgentur. Tale nimirum est vitij contagium, vt præsentissimum virus offundat eis, qui dyscolos homines impensè colunt, eaque mali clades tanta est, vt animam eisdem pœnis faciat obnoxiam, quæ reprobos manent in die iudicij. Eamobrem appositè consului, fugiendos esse reproborum cœtus ei qui non vult reponi inter hœdos, igne æterno vindice puniendos.

Bonorum hominum cœtus sunt Dei castra.

Reprobi lethale virus offundunt bonis si eos frequentant.

Moyses hac olim cautela cauit Hebræis innoxiis; vt namque vidit Dathan, Core, & consortes conciliare sibi iram Dei, Hebræos præmonuit (Num. 16.) vt ab his reprobis abstinerent, si nollent esse participes vindictæ horrendæ, quæ his omnibus imminebat. Ecce Moysis oraculum. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum, &c. Confestimque vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens, os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne fortè & nos terra degluti at. Sed & ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.* Hoc & ego consilium testico, quantaque voce queo maxima diuerbero vestras aures, ò Christiani minimè mali. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Tabernacula impiorum sunt cauponæ, choreæ, ludi, lenonum ædes, aliæque vitiorum & dæmonis officinæ. Nolite tangere quæ ad eos pertinent: etenim multa fluunt a tactu deliquia. Verbi gratiâ, opes malè partæ, malè manibus attrectantur, vt per summum nefas ereptæ pauperi, inhumanâ arculâ recondantur. Ille iniquus etiam tactus est, qui ad carnes porrigitur, indicto ieiunio. Eiusdem piaculi est attrectatio corporum obscœnorum. In ea classe sunt oscula, quibus vt fomite faces Veneris accenduntur. Itaque rescindite hos tactus, vnde tanta pernicies contrahitur, alioquin vltio talis instat, quam subeunt quotidie reprobi omnes, qui decedunt vitiis irretiti. Fugite ad clamorem pereuntium, ne fortè & vos terra degluti at.

Exhortatio ad fugienda mala cõsortia.

In hæc impia consortia Deus inuehitur, hac querula voce: *Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, &* (Ierem. 5.) *pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo.* Ita sanè apud impios omnia insidiis patent: nulla planè alia est supellex, quàm compedum & pedicarum. Animarum ruina negotium est & mercatura virorum, qui Deo abdicato dedere nomen suum vitiis, & proinde sese diabolo deuouerunt. Quoties igitur, ô Christiane, tibi adblandientur illi voluptatum amasij, teque pellicient ad suas epulas, & choreas, suspicare nexus & pedicas, & memor esto, illos hœdos velle te facere consortem pœnarum, quibus addicentur in die iudicij, Christo Domino eorum scelera castigante. Quid miraris mensas opipatè instructas, & nidore ferculorum conciliantes gulæ tuæ assensum? Illæ sunt pedicæ, quibus diues ille captus olim, collectum hinc adipem igne æterno vindice colliquabit. Quid stupes obuiam factus mulieri eleganti, & sororiante sinu in Venerem fractæ; hæc venustas, & gratiæ omnes illudunt oculis, dum quidpiam referunt amabile: nempe insidiæ sunt & laquei, quibus & aliàs fuit obnoxius prodigus adolescens, ideo damnatus ad sortem ingloriam custodiæ porcorum, vbi in eum fames sæuiit importuna.

Mala consortia quantis pateant insidiis.

Voluptates sunt pedicæ & nexus.

Ex 55. PATRIBVS, Basil. ho. l. 9. ex variis Tom. 1.

Itaque sedulò cauendum est ab omni iniquorum cœtu, & fugiendæ eorum amicitiæ, quamcumque boni speciem mentibus ingerant, vt consultor est Basilius, ita fatus, *Reuera noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ huius lex & vis, vt per similitudinem malitiam coniunctis indat. Ideo rectè in Prouerbiis dicit: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vt enim in pestilentibus locis sensim attractus aer, latentem corporibus morbum iniicit; sic itidem in praua consuetudine, & conuersatione, maxima nobis mala hauriuntur, etsi statim incommoda non sentiantur.* Ille idem alibi damnans omnem consuetudinem cum homine nequam, ita fatur: *Ne oculis auribusue instigationes ad peccatum admittamus, eique imprudenter assuescamus, neue earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus, impressa pestilentes capitalesque in animis nostris forma ac veluti nota quadam insideant, contraque vt animum in officio suo attentum tenere possimus, principio quod ad habitationem attinet, separata est à cæteris nobis quærenda est.* Ne quis autem suæ pristinæ sanctitati confisus, impunè credat, se posse reprobis immisceri; Isaias non se innoxium arbitratus est, quia vel inuitus erat mistus populo vitiis obnoxio. Sic ille: *Vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* (Isa. 6.) Vbi Hieronymus ita commentatur. *Prouidendum est, sub hoc exemplo, non solùm vt ipsi simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur, quia hoc in peccati & miseria parte ducit Propheta, habitans in medio populi polluta labia habentis.*

Pestilens est reproborum amicitia.

Basil. lib. regul. in responsione ad 6. interrog.

Hier. in c. 6. Isai.

Ex aduerso Isaiæ, Ieremias credidit esse partem innocentiæ suæ, quòd procul ab impiis extiterit: *Non* (inquit) *sedi in concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me.* (Ierem. 15.) Quem locum benè suo more versans Hieronymus ait: *Hæc verba ex persona Prophetæ accipienda sunt de sermonibus sancti viri, qui non sederit in concilio siue secreto ludentium, quòd timuerit impendentem sibi manum Dei, siue magis gloriatus sit se malorum non habere consortium. Solus,* inquit,

Hier. in c. 15. Ierem.

Reprobotũ cœtos sunt concilia ludentium.

inquit, sedebam, secundum illud quod scriptum est: Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. A facie, inquit, manus tuæ solus sedebam, dum te timeo, dum impendentem mihi manum tuam semper expecto. In concilio ludentium sedere nolui, sed meam amaritudinem deuorabam, vt in futuro mihi gaudium præpararem. Vtinam Dominus præstet & nobis non sedere in concilio ludentium, & eorum qui futura non cogitant, sed semper Dei sententiam formidare, & dicere cum Propheta: Solus sedebam, quia amaritudine repletus sum. Ita Hieronymus.

Psal. 1. Reprobi vnius aurâ virtus corrumpitur.

Aduerte obiter, omnes reproborum cœtus esse concilia ludentium: quidquid enim reprobis ingeritur pertinens ad eorum salutem, illud omne deridetur ab eis, credentibus esse ludibria omnia quæ conducunt ad æternam Dei gloriam aucupandam. Vnde in Psalmis Cathedra pestilentiæ seu iniquitatis, dicitur Hebraicè, cathedra seu consessus derisorum מושב לצים *moschau letsim*. Ne hunc ergo pestilentem ebibamus aërem, & ludicra sint nobis ea quæ faciunt ad meliorem frugem; magnâ solertiâ sunt omnes cœtus impij declinandi. Maximè ea ratione, quam suggerit Hieronymus, affirmans vnius nebulonis aurâ vitiari bonos mores. Sic ille: *Per vnum stultum multa bona subuertuntur, quòd sic malus mistus bonis contaminet plurimos, quomodo si muscæ moriantur in vnguento, perdant odorem illius, & saporem.*

Hier. in c. 10. Eccl.

Non consortia tantùm, sed & consilia hominum malè audientium esse fugienda monet Ambrosius hoc discursu: *Aduertimus quòd in acquirendis consiliis plurimum adiungat vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio: quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluuionem? Quis vtilem causæ alienæ iudicet eum, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? Quis non eum omni studio declinet? Pulchrè autem & de illo conuenit, qui habens prudentiam, commaculat eam vitiorum sordibus, eò quòd aquæ exitum contaminet. Quomodo enim eum potes iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus. Supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi, cuius animum voluptates occupent, libido deuincat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilij locus, vbi nullus quieti? Admirandus mihi & suspiciendus consiliarius, quem propitius Dominus Patribus dedit, offensus abstulit.* Moysem intelligit, cuius probitatem, aut saltem aliqualem eius partem, Ambrosius desiderat in his, quos lubet consulere, siquando sumus ancipites & dubij de mediis pertinentibus ad salutem.

Amb. l. 2. officior. c. 12.

Reproborũ consilia sunt cauenda.

Quarè sint suspecta reproborum consilia.

Non demiror esse Patres adeò sollicitos, vt distrahant probos ab iniquo consortio, cum quotidiano experimento liqueat, adolescentes indolem sortitos ingenuam, fieri degeneres familiari consuetudine sodalium, quos iniquior natura in vitia pronos fecit. Hanc se contraxisse labem conqueritur Augustinus, commemorans furtum quod iuuenis fecerat, suasione & consortio sociorum illectus. Sic meminit huiusce piaculi. *Et illud ego solus non facerem omnino solus. Ecce est coram te Deus meus viua recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo non libebat quod furabar: sed quia furabar, quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis iniqua amicitia, seductio mentis inuestigabilis! ex ludo, & ioco, nocendi auiditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla vlciscendi libidine: sed cùm dicitur; eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* Hæc ille, qui suo discrimine cautior effectus, & factus consultor optimus, hoc maximè in votis habuit, scilicet vt homines induceret ad frequentandos viros innoxios, & subeunda illorum consilia, vtpotè Deum spirantia, & ea quæ pertinent ad salutem.

Aug. lib. 2. conf. cap. 9. Augustinus luget furtũ factum ob malum consortium.

Audiendus ille: *Perfectorum* (inquit) *virorum consortio fruere, & à verbis eorum ne auertas aurem tuam, & eorum consilio delectetur anima tua: verba enim vitæ sunt, verba hominum Deum timentium; & incolumitas animæ iis, qui ea libenter audiunt, & attendunt. Sicut enim Sol oriens effugat caliginem; ita Sanctorum doctrina à sensibus nostris pellit tenebras. Deuita quæso viros superbos, inuidos, detractores, mordaces, periuros, seipsos & salutem suam negligentes, qui mortui sunt virtutibus, & lætantur in propriis voluptatibus, vt gaudiis careant diuinis. Non dico, vt vel vnum talem habeas in domo tua, sed etiam vbicunque tales audieris esse, hos deuita. Cum huiusmodi hominibus nulla sit tibi connexio, vel familiaritas, nec velis cum eis sermocinari, si non vales, Domino miserante, eos ab errore suo reuocare. Nam sæpè per vnam ouem morbidam polluitur totus grex, & modica pars fellis magnum dulcorem vertit in amaritudinem. Nam talis, si in habitu videatur clarus ac nobilis, ac dulcia verba proferat, operibus tamen si agat tecum contrariis, magis nocet illius talis factura, quàm placeat ex verbis figura: non enim ex verbis sed ex virtutibus homo probatur.* Rursus ille in eo argumento decurrens, elimatè docet, quanti momenti sit resilire à malo consortio, ratione periculi inde emergentis. *Si* (inquit) *sanctus tetigerit immundum, non sanctificabitur. Si immundus tetigerit sanctum, inquinabitur, id est, faciliùs sanctus, qui iunctus fuerit genti huic pessimæ pessimabitur, quàm gens ista in melius commutetur, quia procliuiùs ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorum, animus excitatur. Sicut melli plurimo parum absinthij iniectum, velocem amaritudinem trahit; mellis verò etiamsi duplum iniiciatur, non poterit eius dulcedo trahi. Exeundum ergo nobis est è medio malorum.*

Aug. lib. de salutaribus documentis Tom. 4. Quàm vtile sit adhibere viros probos ad suu consortium.

Præsens imminet periculum ei, qui temerè se malo immiscet consortio.

Aug. l. contra Fulgentium Donatistam Tom. 7.

Ne quis suspicetur, Augustinum morosè nimis istam versare materiam, & trepidare vbi deest trepidationis argumentum, adiicio Gregorium illum Magnum, vt eius oraculo liquidior res ista tota fiat. Sic ille: *Vnum est, pro quo vitari debet societas malorum, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant. Et cùm ipsi à sua malitia non mutantur; eos, qui sibi coniuncti fuerint, peruertant; vnde Paulus ait: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et sicut per Salomonem dicitur. Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro*

Greg. hom. 9. in Ezech.

furioso,

furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Sicut ergo perfecti viri, peruersos proximos non debent fugere, quia & eos sæpè ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquam trahuntur: ita infirmi quoque societatem declinare debent prauorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie, sumimus in mente, sicut flando atque respirando aërem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus: ita peruersa locutio assiduè audita infirmantium inficit animum, vt tabescat delectatione praui operis, assiduus iniquitate sermonis. Hæc Gregorius concolor Augustino. Si itaque mihi detrahis fidem, eam adhibe Sanctis, quos Ecclesia suspicit velut Antistites suæ sacræ disciplinæ.

Mali consortij, & pestis similitudo ad inficiendum.

SENSVS MORALIS.

Meditatio iudicij extremi potens est, vt obsequio eius homines fiant idonei ad occupandam Dei dexteram.

In hæc verba:

Statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

SECTIO QVINTA.

EX VARIIS HISTORIIS, ET EX SS. PATRIBVS.

Regis Assueri, sedentis in solio maiestatis suæ, habitus adeò terribilis extitit, vt Esther Regina socia regni Principis huius, posita ex aduerso throni, cui Rex ille gemmis rutilus insidebat, corruerit passa deliquium, vtpotè percita metu, quem ingessit species illa Regis è solio coruscantis. Præstat ex codice sacro accipere seriem historiæ huius, meo intento propitiæ. Sic ibi describitur ille rei euentus. *Esther stetit contra Regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Cúmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit.* Deus bone, si homuncionis iudicis partes agentis idea fuit adeò terribilis, vt ipsa etiam regni eius consors innoxia defecerit gloriæ huius obiectu, vt pergit enarrare sacer is contextus, Reginam Esther sic inducens alloquentem Regem, postquam animæquior effecta est: *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarum. Cúmque loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est.* Si, inquam, mortalis iudicis obtutus austerior Reginam perculit morte tenus; in quos quæso horroris anfractus deuenient homines malè sibi conscij, alta meditatione recolentes Iudicem accinctum ad plectendum reprobos ignibus exquisitis; imò cogentem omnia supplicia horrenda, vt ea congerat in caput hominum impiorum? Nihil sanè ea recensione aptius ad reuocandos homines ad meliorem frugem, siquidem indulgentes genio, à recto virtutum tramite deuiarint.

Esther 15. Quàm formidabilis fuerit aspectus Regis Assueri de solio coruscantis.

Ibidem

Rei huius locuples est testis Bogoris Dux Bulgarorum, homo ferox, vtpote feris assuetus, quarum tantùm ferè consuetudine vtebatur, venationi impensè deditus. Is vt fero erat ingenio, nihil nisi ferale & horridum habeat gratum, ideoque in votis ei fuit habere picturas rerum, quæ sua specie horrorem concutiunt, vt sic suam ferocem indolem congruo pasceret alimento. Methodium Monachum pictorem egregium conduxit Princeps hic idololatra, nescius Christianæ disciplinæ. Præstò est Methodius, facturus satis intento Bogoris: sciscitatur pictor ille industrius, qualium rerum Princeps horrida lineamenta velit. Respondit Bogoris, se relinquere ad arbitrium pictoris delectum imaginum dummodo fierent horribiles. Non diù hæsit pictor in quam se picturam componeret; nempe diem iudicij commemorans, totam illam historiam apud se proposuit oculis subiicere, aptato eo fine suo optimo penicillo. Itaque Iudicem pinxit, facie spirante necem, & tormenta decernendo reis. Circum sæuientem hunc rerum Dominum pinxit innumera propè fulmina, detorquenda in homines malè sibi conscios, qui à sinistra solij horrido vultu præ timore anteuertebant supplicia. Adiecit pictor egregius diabolos, vt tortores truculentos, armatos vncis & fuscinis, ad lanienam compositos. Illic hians terra tetra spirabat incendia mista fumo. Demum depicta hæc tabula adeò terrifica Ducem Bulgarorum sic perculit, vt eo argumento initiatus fidei nostræ mysteriis, Christo dederit manus, inanibus Gentilium ritibus abdicatis. Vt autem Bulgari accepere, Ducem suum Bogorim abiurasse Deos, & auitæ Bulgarorum Religionis omnia simulacra; numerosum conscripsere militem, vt Bogori capto, alium Ducem præficerent, priscorum rituum impigrum assertorem. Ex aduerso Bogoris parua quidem manu militum, sed brachio Dei armatus occurrit, Cruce accepta pro labaro, & ita perduelles fregit, vt eos adegerit ad Christi fidem quantocyus amplectendam. Non ominosa fuit victis illa victoria, sed maximè salutaris; quippe diaboli nexu vincti, statim vt fuere victi à Bogori, dedere manus Deo liberas ab idolorum pristina seruitute.

Ex HISTORIA. Mira conuersio Bogoris Regis Bulgarorum visa imagine iudicij.

Georg. Cedren. in compendio hist.

Methodi industria in iudicij historia depingenda.

Iudicij horrenda descriptio.

Bogoris cōstantia in fide Christi.

Si tanta fuit virtus picturæ referentis horrorem iudicij, vt feras alioquin Gentes adegerit ad sectandam Christi fidem, & mores componendos; quanta putas emersura bonorum compendia in gratiam animæ, diem iudicij seriò recolentis. Vna tabella potuit Deo miserante Gentem vnam totam à stabulo hœdorum adducere ad ouium caulas: quidni & meditatio sagax eiusdem iudicij extremi poterit animam pœnitentem reponere inter oues. Dux Bulgarorum, vna iudicij pictura perterritus, maluit dubiam armorum sortem experiri, quàm negare fidem professam intuitu diei huius extremi; profectò is suæ fidei consortes habebit omnes, quos iudicij extremi recensione socios adhibebit.

Meditatio iudicij quātum sit proficua.

In eo argumento locuples etiam est historia Beati Hieronymi, qui in visu ductus ad tribunal Iudicis, ob nimium affectum librorum gentilium, illic acerbè flagello vindice vapulauit: adeoque tenax memoria iudicij ei postea infixa fuit, vt obiectum crimen sedulus emendarit. Audiendus ille in propria causa, suam ipsius ita recolens historiam. *Miser ego, lecturus Tullium,*

Historia Hieronymi.

Flagellati ante tribunal Christi ob nimiam lectionem Ciceronis. Hier. ep. 22. ad Eustoch. de custodia virginitatis.

ieiunabam, post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus: siquando in memetipsum reuersus, Prophetas legere cœpissem; sermo horrebat incultus: & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis. Cùm itaque me antiquus serpens illuderet, in media fermè Quadragesima medullis infusa febris corpus inuasit exhaustum & sine vlla requie, quod dictu quoque incredibile sit, sic infelicia membra depasta est, vt ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto frigescente iam corpore, in solo tantùm tepente pectusculo palpitabat: cùm subitò raptus in spiritu, ad tribunal iudicis pertrahor: vbi tantùm luminis, & tantùm erat ex circumstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille, qui præsidebat: Mentiris, ait: Ciceronianus es, non Christianus: Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me iusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem cœpi, & eiulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua prouoluti qui adstabant, precabantur vt veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ accommodaret, extractum deinde cruciandum, si gentilium literarum libros aliquando legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, deierare cœpi, & nomen eius obtestans dicere: Domine, si vnquam habuero codices sæculares, si legero, te negaui. In hæc sacramenti verba dimissus, reuertor ad superos, & mirantibus cunctis oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfusos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur: testis est tribunal illud, ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui, ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem. Liuentes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto non antè mortalia legeram.

Deus offenditur lectione librorum gentilium.

Iudicij extremi memoria potens ad morum emendationem.

Hactenus ille, qui assuetus erat hœdis, quando decurrebat libros hominum Ethnicorum. Sed vbi specie iudicij extremi fuit perterritus, dedit libellum repudij aliis his libellis, totumque se adiecit lectioni sacræ, missos ita faciens hœdos, vt assuesceret ouibus, ad dexteram Iudicis sic transiens, antea positus ad sinistram.

Ex SS. Patribus.

Iusti non reformidant diem iudicij, & peccatores eius meditatione resipiscunt.

Plura in vitis Patrum exempla prostant, quibus illa meditatio iudicij, quàm maximè commendatur. Ibi enim fit mentio singularis aliquorum, qui priùs in cœnobio segnes, & incuriam suæ salutis vitam agentes, recogitato iudicio extremo sanctiores postmodum euaserunt, pertæsi sinistram illam Iudicis, in quam ipsos sua crimina relegarant. Illam meditationem animos etiam obduratos inflectere ad pœnitentiam, vnanimes aiunt Patres, in quibus Augustinus egregie probat, hominem, qui animo suo versat diem iudicij, timorem inde emergentem dirigere ad reparandas animæ suæ ruinas, virtutis obsequio, vt cultior sic anima effecta, diem iudicij nequaquam postea reformidet. Sic ille: *Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est fiduciam habere in die iudicij? non timere ne veniat dies iudicij. Sunt homines, qui non credunt diem iudicij, isti non possunt fiduciam habere in die, quem non credunt esse venturum: cœpit aliquis credere diem iudicij; si cœpit credere, cœpit & timere: sed quia timet, nondum habet adhuc fiduciam in die iudicij, nondum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Initium timor est, quia initium sapientiæ timor Domini. Cœpit ergo timere diem iudicij, timendo corrigit se, vigilat aduersus hostes suos, incipit viuere interiùs, & mortificat membra sua, quæ sunt super terram: incipit desiderare quod timebat: timebat enim, ne veniret Christus, & inueniret impium, quem damnaret; desiderat vt veniat, quia inuenturus est pium, quem coronet. Iam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero, habet iam fiduciam in die iudicij, & clamat: Et tu Domine vsquequo? Conuertere Domine, & eripe animam meam. Gemebat se differri. Sunt enim homines, qui cum patientia moriuntur; sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia viuunt, sicut qui cupit dissolui, & esse cum Christo. Ergo, fratres, date operam intus agere vobiscum, vt desideretis diem iudicij; aliter non probatur perfecta charitas. Ille autem desiderat, qui fiduciam habet in eo; ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera.*

Timor diei iudicij est quasi aurora virtutum, ad quarum praxim nos ille timor adhortatur.

Vides hoc discursu, timorem esse salutarem, quem iudicij dies ingerit, & eum esse velut auroram diei instantis prænuntiam: quippe timor ille, obortus ex alta meditatione iudicij, animam sollicitat, vt caueat à sinistra Dei, sectando ea, quæ ad dexteram Dei faciunt occupandam. Alioquin infœcunda foret illa iudicij extremi recensio, si hac meditatione non fieret anima tersior; quod tamen est contra quotidianum experimentum, quo videre est, homines, qui seriò attendunt ad diem iudicij, hinc protinus emendari. Vnde eâ industriâ vsus est Beatus Ignatius à Loyola, vt homines induceret ad pœnitentiam. Ille nimirum omnes suos sermones eo sale condiebat: siquidem omnes homines sæculo addictos, ea comitate, qua præditus erat, excipiebat humaniter, non degener, aut immemor sanguinis, quo nobili satus erat. Sed vbi sæcularium sermo productior diffluebat in argumenta inania, vir Sanctus alta trahens suspiria, thema iudicij proponebat, & diei huius horrorem ingerens, auditores suos illo metu perculsos ad sanctioris vitæ ritum seriò prouocabat. Sæpius ei ex voto successit illa salutaris intentio: namque plures animo reuoluentes hos Ignatij sermones de iudicio extremo se aptabant ad castigandum vitæ suæ iniquæ seriem & contextum, moribus emendatis. Illa nimirum est vis iudicij meditati, vt eius obsequio statim anima resipiscat.

Ex historia. S. Ignatij à Loyola industria ad prouocādos homines ad emendationem morū. *Ribadeneira in vita Ignatij.*

Ex SS. Patribus. *Greg. lib. 8. Moral. c. 9.*

In illam abiit sententiam Gregorius ita fatus: *In iudicio peccator cùm respicitur, non subsistit, quia cùm districtè iudex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Quamuis etiam hoc voci iustorum congruit, quorum mens semper sollicita venturo examini intendit: omne enim quod agunt, metiuntur, dum cautè considerant, ante quem iudicem stabunt. Enumerans*

mala

mala proprij operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ conditoris. Considerant praua quàm districtè iudicet, bona opera quàm subtiliter penset, & perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate iudicentur, quia hoc ipsum quoque quòd iustè videmur viuere, culpa est, si culpam nostram dum iudicat, hanc apud se diuina misericordia non excusat. Hinc scriptum est: Astra non sunt munda in conspectu eius, quia apud eum districtè iudicati, ipsi quoque maculas habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Benè ergo iusti voce dicitur: Oculi tui in me, & non subsistam: hoc est, si subtili examinatione discutior, ad perferendum iudicium non assurgo. Non est ergo incongrua mea moralis assertio, quæ suadet, meditationem iudicij extremi esse medium idoneum, vt eius ope Iudicis dexteram aucupemur.

Iudicij dies cogitata ieiu facit vt ipsi etiam Sancti in se minutiores maculas deprehendant.

SENSVS MORALIS.

Absque bonorum operum suffragio gloria æterna in die iudicij adultorum nemini concedetur.

In hæc verba:

Venite benedicti Patris mei possidete regnum, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.

SECTIO SEXTA.

EX THEOLOGIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Ex THEOLOGIA.

VT segnior equus sessorem prouocat ad repetendos calcarium ictus, ne pigrior incessus ignaui animalis, longiores trahendo moras, iniurius sit equiti vrgentis alicuius negotij causâ aliò properanti; ita indoles hominum, pigra & tarda ad bonorum operum praxim, me sollicitat, vt denuo vellicem aures hominum ignauorum, ne illis acedia affricante suum torporem, precluditur eis aditus ad regnum, quò vocantur iusti in die Iudicij. Habeo igitur hoc probandum, scilicet, beatitudinem in adultis deposcere bona opera edita, Deo cœlitus influente. Primò reuocandæ sunt huc rationes, & auctoritates Patrum ex professo recensitæ in expositione literali huius Euangelij suprà. §. V. Tu consule paragraphum illum eo intento contextum, vt bonorum operum necessitas adstruatur. Rationibus illic recensitis adiice & hæc argumenta. Talis est collatio gloriæ æternæ, qualis est prædestinatio hominis ad illam gloriam: Sed hæc facta est ex præuisis meritis in homine adulto: Ergo neque collatio fiet sine meritis, quæ talia bona opera consequuntur. Sed hoc cautè memento, quòd suprà præmonui, scilicet prædestinationem, vt dicit omnes effectus prædestinationis, videlicet vocationem, iustificationem, perseuerantiam in gratia finali, & gloriam æternam, non fieri ex præuisis meritis, quia nulla præuideri potuerunt merita ante primam gratiam, quæ influxit in homines; aliàs enim illa prima gratia non esset prima, quia meritum illam anteà præcessisset. Vnde nostra hæc conclusio non est de prædestinatione eo modo accepta, sed de prædestinatione hominum adultorum ad gloriam, seu de prædestinatione in ordine ad executionem, vt etiam semel & denuo prælibaui, neque iterum refricarem istam materiam suprà discussam, nisi ea directè ad praxim virtutis, & ad mores pertineret, ac proinde locum singularem sibi vendicaret in expositione morali huius Euangelij.

Prædestinatio ad gloriã æternam facta est ex præuisione meritorum.

Theologi affirmantes prædestinationem etiã ordine intẽtionis fieri ex præuisis meritis sunt isti.

Alex. Alens. 1 p qu. 28. memb. 3. art. 3. Albert. Magn. Gabriel. Ioan. Maior. Argentinas in l. 1. sent. dist. 40. & 41. Bonau. ibid. Marsil. in 1. lib. sent. dist. 18.

Itaque omissis Summis Theologis, qui censuere, etiam prædestinationem in ordine intentionis fieri ex præuisis meritis. In his numerantur Alensis, Bonauentura, Albertus Magnus, Argentina, Marsilius, Gabriel, Maior, & alij. Præteritis, inquam, hisce auctoribus, qui sine controuersia à partibus nostris sunt, quandoquidem etiam ordine intentionis inuehunt necessitatem meritorum. Hoc esto potens argumentum. Si prædestinatio efficax ad gloriam, est in mera voluntate Dei, non ex propriis etiam operibus à gratia Dei fluentibus, profectò erit ante præuisa Christi merita: si namque absque vllis mediis & causis externis est facta talis prædestinatio, illa præiuit præuisioni meritorum Christi, quæ sunt media externa ad salutem adeò necessaria, vt citra eorum suffragium nemo participet hanc gloriam æternam, iuxta illud Apostoli: *Non est in aliquo alio salus.* Et rursus. *Non est aliud nomen, in quo oporteat nos saluos fieri.* Sed hoc dicere est absurdum. Nam Christus est primus prædestinatorum, vt Paulus ait, à quo proinde dicitur *Primogenitus in multis fratribus.* In ea prædestinatione Christi ad gloriam, Deus ab æterno præuidit corpus Christi non fruiturum gloria æterna, nisi præuiis angustiis & ærumnis, quas ipse lubens Dominus fortiter exantlauit, nec Deus ab æterno vidit Christum meriturum corporis sui gloriam, sed & vltra præuidit eumdem Christum meriturum nobis eamdem gloriam æternam, & fore vt eam mereremur operibus bonis, habentibus à merito Christi quòd stipendia ad gloriam congrua censeantur. Cuncta nimirum quæ bona sunt, illud habent à Christo, à quo etiam habent vt sint ea quæ bona sunt, iuxta illud Pauli. *In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, & ipse est ante omnes, & in ipso omnia constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis.* Cùm ergo ordine rationis prædestinatio Christi nostram præcesserit, & præuiderit Deus, Passionem Christi fore causam meritoriam gloriæ nostræ, & homines adultos fore participes huius Passionis, eam applicando sibi bonorum operum praxi; sequitur, homines non esse prædestinatos ad gloriam, sine præuisis meritis eorum, quorum radix fuit in Christi meritis præuisis ordine rationis ante prædestinationem Beatorum omnium, qui sunt infra Christum.

Actor. 4. In prædestinatione Christi ad gloriam, præuisa sunt eius merita, vt causa meritoria glorificationis hominum.

Coloss. 1.

Hinc argue, delirare eos, qui otiando putant se saluandos, sine adminiculo bonorum operum. Rursus ad adstruendam meam conclusionem, nota fore vt Deus esset acceptor personarum, si suo solo arbitrio, & non attentis meritis, aliquos tantùm homines efficaciter eligeret ad gloriam, aliis prætermissis, eis auxilia duntaxat communia & inefficacia tribuendo: Sed Deus non est acceptor personarum, vt ait Petrus: Ergo non ex arbitrio tantùm suo, sed ex ratione bonorum operum gloriam beatis mentibus impertitur.

Actor. 10.

Dices, eum esse tantùm acceptorem personarum, qui ex debito tenetur eis: Sed Deum nemini teneri,

Suppositis meritis Chri-

fti, & pacto Dei, Deus esset acceptor personarum si daret gloriam non attendendo merita.

teneri, atque ita posse ad arbitrium suum dare gloriam sine nota acceptionis personarum, Illa responsio vera est de primo effectu prædestinationis, seu de prima gratia hominis prædestinati comparatiuè sumpti; sed non de gloria æterna: supposito hoc rerum statu, in quo responsio illa labat. Verum quidem est, absolutè loquendo, Deum nihil omnino debere cuiquam, iuxta illud Iob: *Quis ei dicere potest: Cur ita facis?*

Iob. 9.
Rom. 9.

Hinc aduice hoc Pauli effatum: *Numquid figmentum dicet figulo: Quid me sic fecisti?*

Quare Deus obligetur ad bona opera præmianda.

Si tamen Deus spectetur post merita Christi, & pactum, quo se obligauit daturum gloriam his, qui se ad eam accinxerint sicuti par est. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Tunc rerum ille Dominus omnibus sufficienter adesset; quippe neminem prorsus ille hominum sator & Redemptor excepit à beneficio Passionis suæ, vt liquidò probant isti textus:

1. Ioan. 2.

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Item Paulus beneuolum Deum esse omnibus ait, intuitu meritorum Christi, qui factus est Dei & omnium hominum mediator. Sic ille:

1. Tim. 2.

Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus IESVS, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Cùm ergo Deus his titulis vltro se omnibus hominibus obstrinxerit; profectò acceptor personarum esset, si non attenderet bona opera, quorum suffragio homines participes Passionis Christi fiunt, ac proinde ad gloriam æternam meritò diriguntur

Imò non aliunde Petrus probauit olim Deum non esse acceptorem personarum, nisi quia quisquis benè agit, is certissimè sibi conciliat Dei gratiam. Sic ille:

Actor. 10.
Quomodo verum sit Deum non esse acceptorem personarum.

In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni Gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Quasi diceret: Esto Cornelius Centurio sit Romanus, & haudquaquam initiatus ritibus Iudæorum; Deus nulla habita ratione Gentis alienæ, habuit perquàm grata bona opera, quibus ille fuit assuetus, non inanem prætetiens gratiam præuenientem, qua benè suada annuit Domino suggerenti bonorum operum praxim: ea quippe virtus est boni operis, vt vbicunque satum fuerit opus emeritum, illic etiam gratia statim cœlitus illuceat. Et reuera hoc esse intentum Petri probat hic contextus, qui pertinet ad historiam Cornelij, quæ est recensenda vt eliciatur mens Petri, quem sic affatus est Cornelius:

Act. 10.
Cornelius præuiis bonis operibus se accinxit ad gratiam Baptismi.

A nudius quarta die vsque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confestim ergo misi ad te, & tu benè fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino. Aperiens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni Gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Exemplo Cornelij probat ille Apostolorum apex, Deum non esse acceptorem personarum, nec suam tantùm gratiam erogare in Iudæos, sed in omnes, vt in Cornelium, qui præuiis orationibus & eleemosynis ita Deum demeruit, à quo fuerat excitatus, & adiutus, vt Baptismi gratiâ dignatus sit, & illapsu Spiritus Sancti: vnde Iudæi ad Christum conuersi, arbitrantes sibi solis aduenisse Christum, & Spiritum Sanctum influxisse, stupuerunt aduertentes Deum non esse acceptorem personarum, sed in omnes influere pro dignitate actionum, quibus singuli quique homines occupantur. Ita Lucas rem enarrat. Actor. 10.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Vt ergo Petrus ostenderet, Deum esse debitorem omnibus, ex suo ipsius pacto, & ratione meritorum Christi, ait vnumquemque conciliare sibi Deum vacandò bonis operibus.

Huic conclusioni concinit omnis Sanctorum chorus, qui vitam æternam decernit operibus editis à gratia. Ita Clemens Alexandrinus compendiosè. Ex SS. PATRIBVS. Clemens Alex. l. 5 stromat. Idem l. 7. stromat.

χάριτι γὰρ σωζόμεθα οὐκ ἄνευ μέντοι τῶν καλῶν ἔργων. Id est. *Gratia enim saluamur, sed non absque bonis operibus.* Rursus ille alibi. Ὡς δὲ ὁ ἰατρὸς ὑγείαν παρέχεται τοῖς συνεργοῦσι πρὸς ὑγείαν, οὕτως καὶ ὁ θεὸς τὴν ἀΐδιον σωτηρίαν τοῖς συνεργοῦσι πρὸς γνῶσίν τε καὶ εὐπραγίαν. Id est. *Vt Medicus sanitatem confert iis, qui cum eo cooperantur ad cogitationem, & ad bonas actiones.*

Pulchra sanitatis corporeæ & salutis æternæ comparatio

Congrua sanè allusio est salutis æternæ ad sanitatem corpoream capessendam, si quando decumbit homo. Illa nimirum non influit nisi æger pro modulo suo adiuuet Medici solertiam, abstinendo à noxiis, & subeundo vitæ ritum à Medicis institutum: alioquin frustra Medicus insudaret reduci sospitati. Eo etiam pacto perperam essent indicta media illa, quæ conducunt ad gloriam, nisi & ea homo adhibeat. Cùm ergo bona opera sint eo fine à Deo præstituta, vt eorum suffragio saluetur homo; profectò ineptiunt illi, qui anhelant ad gloriam illam æternam, bonis actibus abdicatis.

Paucis Cyrillus suam in hoc themate prodit sententiam. Cyrill. Ierosol. catech. 15.

Ταῦτα ἐὰν ποιήσῃς, συμβασιλεύσεις: εἰ δὲ μὴ ποιήσῃς, κατακριθήσῃ. ἤδη τοίνυν ἄρξαι τοῦ ἐργάζεσθαι ταῦτα, καὶ διάμενε ἐν πίστει. Id est. *Si hæc nunc facis, conregnabis ei: si verò non feceris, condemnaberis. Itaque nunc auspicare & hæc facito, & persevera in fide.*

Quare sit compatiendum Christo eis, qui volũt conregnare.

Christi prædestinatio ad gloriam est causa exemplaris nostræ prædestinationis: At Dominus ille glorificatiõnem corporis non est assecutus nisi præuiis ærumnis acerbæ Passionis: Vt conregnemus, operæpretium est vt compatiamur, deponentes errorem illum, qui bona omnia & mala nobis imminentia refundit in præscientiam Dei, quæ tamen neminem facit obnoxium pœnis, vt eruditè docet Theodoretus ita fatus:

Theodoretus q. 24. in Genesim.
Egregio exẽplo liquet, præscientiã Dei non esse causam nostræ ruinæ.

Dominus Deus non solet condemnare ex præscientia. Quapropter transgressionem Adæ prævidens, bona illi concessit: deinde voluit illum cognoscere beneficia diuina, vt sic priuatus, odio graui prosequeretur peccatum, per quod tantis bonis careret. Præterea conueniebat, iustum agonothetam athletis virtutis proponere præmia victoriæ; quamobrem & de regno inquit: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi.

Iob. 22.

Bellè Iob discutit istam controuersiam hoc breuiloquio: *Saluabitur innocens, saluabitur autem munditiâ manuum suarum.* Quem locum dum expendit Gregorius, concolor est Theologis, qui omne meritum boni operis reponunt penes gratiam Dei, vt & gloriam penes bonorum operum praxim, ita vt ad assequutionem vltimi effectus prædestinationis tria coëant, scilicet gratia Dei, liberum arbitrium, & meritum. Ecce summi Pontificis oraculum. *Deus reddit vnicuique secundum opera eius: illum in extremo examine iustitia æterni iudicis saluat, quem hîc eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin verò saluari ad hoc quisque hîc munditiâ manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat; proculdubio erratur, quia si superna gratia nocentem non præueniat, nunquam profectò inueniet quem remuneret innocentem. Vnde Moysi voce dicitur: Nullus apud te per se innocens est. Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit; Paulus ait: Gratia Dei sum id quod sum. Et quia eamdem gratiam, nostrum liberum arbitrium sequitur; adiungit: Et gratia eius vacua in me non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: Non autem ego. Et tamen quia se esse aliquid cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, si cum præueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: Non ego; vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Munditiâ itaque manuum suarum innocens saluabitur, quia qui hîc præuenitur dono, vt innocens fiat, cùm ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur.* Hactenus ille Præsul.

Greg. l. 16. Moral. c. 10.

Exod. 34.

Gratia Dei, & liberum arbitrium concurrunt ad bonum opus.

1. Cor. 15.

Cauendum igitur ne irrepat aliqualis sensus inanis gloriolæ, cùm bonorum operum nomen auribus insonat. Quasi verò à nobis haberent tantùm opera bona, vt essent illa bonitate conspicua, & non à Deo, cuius est omne bonum. Deus in his præcipuas agit partes; nos verò adsciscit veluti coadiutores gratiæ efficacis, quæ non in nobis sortitur effectum suum, libero arbitrio inconsulto, vt elimatè Bernardus explicat hoc tenore. *Deus Rex noster ante sæcula, cùm operatus est salutem in mediò terræ, merita sua quæ dedit hominibus, in merita diuisit & præmia, vt & præsentia per liberam possessionem nostram interim fierent merita, & futura per gratuitam sponsionem expectaremus, imò expectaremus vt debita. Itaque non liberi arbitrij, sed Domini est salus. Imò ipse salus, ipse est & via ad salutem, quia ait: Salus populi ego sum. Qui item perhibet: Ego sum via. Se facit viam, qui salus erat, & vita, vt non glorietur omnis caro. Si ergo bona vita sunt merita; sicut & patria, salus & vita; & nemo bonus nisi vnus Deus; Dei sunt proculdubio munera, tam nostra opera, quàm eius præmia. Et qui fecit se debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his. Ad quæ tamen condenda merita, dignatur sibi adhibere creaturarum ministeria, non quibus egeat; sed quibus per hoc, vel de quibus prosit, &c. Paulus de se pronuntiat: Dei adiutores sumus. Ibi itaque Deus homini benignè merita constituit, vbi per ipsum, & cum ipso, boni quippiam operari dignanter instituit. Hinc coadiutores Dei, & cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum voluntarium diuinæ voluntati coniungimur.* Hæc Bernardus. Est itaque bonis operibus ita insistendum, vt dum gloriam omnem in Deum refundimus, ab eo etiam æternam gloriam expectemus.

Bernard. in tract. de gratia & libero arbitr.

Ad Deum pertinet omnis gloria resiliens ex bonis operibus nostris.

Vnde sit petenda ratio meritorum boni cuiusque operis.

SENSVS MORALIS.

Christus in die iudicij reprobos durè excipiet, idcoque cauendum est omnibus à sinistra.

In hæc verba:

Tunc dicet & his, qui à sinistris erant: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

SECTIO PRIMA.

Ex Symbolis, Ex Mathematica, et Ex SS. Patribvs.

DVo nomina valde dissona sortitur Christus, variè nuncupatus à Ioanne, referente discolores rerum ideas, quas habuit positus in ecstasi. Nempe is Christum nunc nominat agnum, aliàs verò leonem victorem de tribu Iuda. Vtriusque nomenclaturæ multiplex est ratio, & hæc vna meo maximè intento quadrat: scilicet Christum esse bonis agnum mitem & mansuetum; reprobis verò leonem, vnguibus exertis & ore patulo sæuientem. Eò allusit olim Philibertus Dux Sabaudiæ, qui vt benignus erat optimis quibusque; ita & censorem asperum se præstabat hominum iniquorum. Vtque omnes suam ipsius indolem agnoscerent, ille numisma cudit, vbi elaphas proboscide sua adblandiebatur ouibus, alioquin ferox obuius vrsis atque leonibus. In ora iconis hæc duo erant insculpta vocabula: INFESTVS INFESTIS. Quasi diceret: Ego me in illum habitum compono, quem postulat ingenium meorum subditorum; quippe bonos humaniter excipio, noxios verò secus pessimè habeo. Christus ipse hodie se inducit duas veluti personas agentem, dum se beneficum fore ait bonis, & acerbum malis. Oues quidem eo vtentur propitio vtpotè regno editæ; hædi verò experientur eum vt leonem sæuum & anhelum in cædes, ita vt Christus futurus sit valde INFESTVS INFESTIS. Etenim velut immemor insitæ sibi miserationis, deponet agnum vt leonem induat, ad disperdendos hœdos ad læuam suam pessimè collocatos.

Quare Christus nominetur agnus & leo.

Ex Symbolis.

Iukius lib. numismat.

Christus bonus bonis, & acerbus impiis.

Astronomia pars Mathematicæ obseruat in cœlis quidpiam, quod conducit ad hunc terribilem habitum Christi. Namque Columella aduertit, quarta die Augusti Leonem exoriri, & prima die Octobris hœdos apparere in cœlis exortos, & vtrumque sidus seu constellationem magnas secum vehere tempestates, ita vt turbines & procellæ ingentes malè afficiant homines degentes

Ex Mathematica.

Colum. l. 11.

tes in plagis, in quas maximè influunt hæc sidera suis radiis importuna, Christus in die iudicij exorietur vt leo hominibus impiis, & hi hœdorum nomine censebuntur, quia olidi, & obscœni, hircorum egere vitam. Leo ille furens, & hœdorum grex numerosus nihil nisi procellas & tempestates arguunt horribiles vltra omnes quæ fuerunt historiis antea recensitæ.

Ex SS. Patribus.

Præstat audire in eo argumento Patres dum recolunt has procellas, & mala quæ quatient iniqua capita, in quæ sua spicula Iudex Christus Dominus intorquebit. Hanc tragœdiam sic describit Hieronymus memor tempestatis, quæ eam consequetur. *In die iudicij Deus manifestè veniet; quia vt in Apocalypsi legitur: Videbit eum omnis oculus. Ignis in conspectu eius exardescet. Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem. Illuminat enim, & exurit. Gaudeant iusti, quòd illuminentur ex eo: Timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo. Et in circuitu eius tempestas valida, quæ flagellat & corripit peccatores, triticumque secernit a paleis. Et quos ignis exurit, tempestas inuoluit. Purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum: paleas autem comburet igne inextinguibili: discernereque nunc dicitur populum suum: discernit terrenos, vt cum cœlestes ponuntur ad dexteram, hi ad sinistram collocentur; vel discernit populum suum in iudicio, quando dicturus erit: Ite maledicti in ignem æternum; & ad Sanctos: Venite benedicti.* Hæc Hieronymus.

Hier. in Psal. 49.

Horrida tempestas in die iudicij disperdet hœdos.

Caligo densa inuoluet reprobos in die iudicij.

Excandescente leone hoc de tribu Iuda, erit in circuitu eius tempestas validè hœdos dispersura malè sibi conscios. Et quia tempestas quæque suos habet nimbos, & nebulas, quibus densior aër inuius est lumini, vnde & nigricant omnia, caligine offusa; ita & in die iudicij tenebræ inuoluent reprobos positos ad sinistram. Has tenebras Scriptura commemorat, vt homines inde fiant cautiores, & transeant ad dexteram Iudicis haudquaquam obnoxiam his procellis. Ita Ioël præmonet: *Vlulate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis, quasi manè expansum super montes, populus multus ac fortis, similis ei non fuit a principio, & post eum non erit.* Hæc verba Vatis præscij pertinere ad diem iudicij nemo iuit adhuc inficias. Hieronymus ea sic expendit, vt velit inde sollicitari homines, ad hæc mala instantia præcauenda: *Præcipitur*, inquit, *sacerdotibus, vt exaltent vocem suam, vt confundantur omnes habitatores terræ, & confusio eos pertrahat ad pœnitentiam. Diem autem Domini, diem intellige iudicij. Dies tenebrarum est, & angustiæ, dies nubis, & turbinis: quia cuncta pœnarum sunt plena, atque cruciatuum. Veniet Angelorum populus, multus & fortis, vt reddat vnicuique secundum opera sua. Et sicut manè aurora consurgens, primum occupat montes, sic iudicium ab excelsis & potentibus incipiet, vt potentes potenter tormenta patiantur, &c. Tantus erit timor omnium, & tanta conscientia peccatorum, vt nullus luceat, nec splendorem habeat gaudij, sed instar adustæ ollæ, facies eius vertatur in tenebras.*

Ioël 2.

Hier. in c. 2. Ioëlis.

Iudicij dies erit dies tenebrarum.

Huius turbinis & procellæ horrorem benè insinuat Iob, ita fatus: *Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Quasi diceret: Si

Iob. 26.

Christus degens in humanis, se diabolis terribilem præstitit, imò & hominibus quibusdam, vt Herodi Regi, qui turbatus est & tota Ierosolyma cum ipso statim à Natiuitate Christi; quis sæuientem in iudicio extremo feret, vbi tonabit è nubibus, & vibrato fulmine impiorum capita conquassabit. Fauet Gregorius ita commentatus. *Qui mira fecit in humilitate veniens, considerari non potest cum quo terrore venturus sit in maiestatis suæ fortitudine apparens. Ordo primi illius aduentus pensari & conspici in tantum potuit, in quantum ad redimendos carnales veniens, diuinitatis suæ magnitudinem carnalibus oculis temperauit. Quis vero eius celsitudinis terrorem ferat, cum secundi aduentus potentia, per ignem iudicium exercens, in potestatis suæ maiestate canduerit? De primo aduentu loquens, illum paruam stillam sermonem eius appellat, quia quidquid altum, quidquid terribile in hac luce positi de eius consideratione cognoscemus, ex immensitate cœlestium secretorum velut tenuis ad nos gutta superni liquoris emanat, & quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Ac si dicat: si humilitatis eius admiranda vix ferimus; horrendum atque terribilem maiestatis eius aduentum, qua virtute tolerabimus? Hoc tonitruum aduentus eius etiam Psalmista insinuat, dicens: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Hunc Sophonias Propheta denuntiat, dicens: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Terrorem ergo districti examinis, quem Sophonias tubam, beatus Iob tonitruum appellat; Ioel quoque considerans ait: Conturbentur omnes habitatores terræ, quia propè est dies Domini, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Sed quàm incomprehensibilis sit atque inconsiderabilis illa magnitudo, qua in secunda ostensione venturus est, benè vtcumque perpendimus, si primi aduentus pondera sollicita consideratione pensamus. Cum enim moriturus diceret: Quem quæritis? & vocem solummodo mitissimæ responsionis ederet, dicens: Ego sum; armatos persecutores suos protinus in terram prostrauit. Quid ergo facturus est, cùm iudicaturus venerit, qui vna voce suos hostes perculit etiam cùm iudicandus venit? Quod est illud iudicium, quod immortalis egerit, qui in vna voce non potuit ferri moriturus? Quis eius iam toleret iram, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari?* Hactenus ille Antistes summus.

Christus terribilis erit reprobis in die iudicij.

Greg. l. 7. Moral. c. 11.

Rationes quæ probant fore valde terribilem illam diem iudicij extremi.

Psal. 49.

Sophon. 1.

Christi vox olim in humanis fuit valde terribilis hostibus eius.

Me charta deficeret, si recolere vellem Patrum sententias, quæ horrorem inducunt diei huius, ideo recensiti vt homines caueant à sinistra Iudicis, quæ sola spiculis eius erit obnoxia. Cùm igitur Deus ore Prophetarum, & Sanctorum Patrum crebrò præmoneat, instare diem illam vindicem actionum omnium iniquarum: nonne est facinus extremæ dementiæ, non fugere arcum iustitiæ Dei, qui nobis spectantibus intenditur, eo fine vt eius lethalia iacula declinemus? Ita Augustinus. *Arcus est extentus, adhuc in commenicatione est, nondum in præsentatione. Et videte*

Deus diem iudicij vult recoli vt declinemus iram eius.

quid

quid sit in arca. Nonne sagitta in priora mittenda est? Neruus tamen retro extenditur in contrarium, quà illa mittenda est; & quantò plus eius erit extensio retrorsum, tantò maiore impetu illa currit in priora. Quantò magis differtur iudicium, tanto maiore impetu venturum est. Horreamus itaque, & sedulò caueamus.

SENSVS MORALIS.

Imprudenter agunt impij genio indulgentes, cùm omne peccatum suum auctorem efficiat pœnis obnoxium.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

SECTIO OCTAVA.

Ex Ivre Civili, et SS. Patribvs.

Apes sunt egregia symbola voluptatis

Ex Ivre civili.

Leg. si qua pœna ff. De verbor. signif. l. 50 tit. 16. l. 244.

Iacob. Tusanus in lexico.

Quid sit pœna, & vnde vox illa deducta sit.

Varro l. 4. de lingua Latina.

NOn ille aberrauit, qui finxit, apes esse peccati typos idoneos: quia mellito quidem ore dulcorem præferunt; sed dulcia carpentibus infigunt aculeos importunos. Ea etiam indoles est peccati: nempe suauitatis aliquadem ideam sensibus ingerit; sed vbi homo imprudens genio indulsit, statim punctione acerbâ inquies animæ vellicatur. Nullumque peccatum impunè committitur, iuxta illud iuris effatum: *Pœna certa singulorum peccatorum sunt.* Illa autem pœna est vltio, siue mulcta, vt Labeo eodem lege fatur. *Si qua pœna est, mulcta est.* Annuit & Tusanus in definitione pœnæ. ποινὴ ἐπὶ ἁμαρτήματος ἐκδίκησις. Id est. *Pœna est peccati vltio.* Vocabulum hoc Græcum est, nec longè à voce πόνος, quæ laborem sonat: omnis enim pœna laboriosa est. Pœnæ notionem Varro deducit à puniendo, vel ponendo: quasi veniat ponè, id est retrò, siquidem statim adest post peccatum. Eamobrem Eustathius in Homerum, ποινὴν interpretatur ἀντιτίμησιν, id est, compensationem. Et equidem pœna est digna peccati compensatio, vt plectatur amarore is qui illicitâ dulcia delibauit. Quòd si minimè salutaris amaror ille fuerit reo vitiis assueto; proderit tamen aliis, qui formidine pœnæ à noxiis actibus abstinebunt. Hinc effluxit illa Platonis sententia: *Conuenit omnem, qui ab aliquo rectè punitur, vel ipsum fieri meliorem, vtilitatemque percipere; vel cæteris exempla dare, vt illi pœnas aspicientes, meliores efficiantur. Quidam vero apud Deos & homines ita donat pœnas, vt vtilitatem aliquam referant, si sunt qui peccata sanabilia commiserant, quibus dolor cruciatusque prodest, & apud homines, & apud inferos. Non enim potest aliter quis ab iniustitia liberari. Qui autem extremâ iniustitiâ detinentur, ac propter huiusmodi delicta sunt insanabiles, non pro eorum vtilitate dant pœnas, sed in exemplum aliorum.* Sic iure Romano cautum est, ne quis impunè peccet, quia Reipublicæ interest crimina castigari.

Plato l. 34. in Gorgia.

Pœnæ indictæ ad aliorum exemplum, & ad correctionem peccantium.

In eo argumento leges editæ sunt quamplures, quas consule ex margine: quippe veteres hoc maximè in votis habuere, vt compesceretur illa libido effrænis crimina perpetrandi. Vtque voti fierent compotes, indixere supplicia, profutura etiam hominibus innoxiis, qui metu censuræ grauis à scelere deterrentur. Et hoc textus ipse sonat legis latæ. *Vt quos maiorum exempla à malis non reuocant, pœna castiget.* Nimirum eodem Iure, pœnarum acerbitas sæpe cogit eos, qui leuitate peiores fiunt. Rursus ad conseruandam legum dignitatem, pœnæ sunt indictæ: fit enim iniuria legi, quando quis exlex efficitur, ideoque leges suam iniuriam propulsantes coërcent delicta contra ius impiè perpetrata. Eamobrem Papinianus legem ita definiuit vt legitur in Digestis: *Lex est commune præceptum, virorum prudentiũ consultum: delictorum quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur coercitio: communis Reipublicæ spõsio.* Hanc rationem legis, quæ sita est in coërcitione delictorum, maximè sibi vendicauit illa Draconis lex, quæ peccatis omnibus mortem indixit, ne repetita crimina Reipublicæ virus suum turpiter affricarent. Ecce rigidæ legis textum. Ἅπασι τοῖς ἁμαρτάνουσι μία ζημία θάνατος. Id est. *Omnium flagitiorum vna pœna, mors est.* Ex Plutarcho Solon modum fecit illi legi. Sed hoc non obstat, quin peccato fuerit mors indicta legibus, iustitiâ iudicante satiùs esse hominem deficere, quàm malè facere.

Leg. Ita vulneratus ff. Ad leg. Aquil.

Leg. si longius §. 1. ff. De iudiciis.

Leg. In delictis ff. De nox. actiõ.

Leg. 1 Cod. De emend. propinq.

Leg. 1 ff De iustitia & iure.

Papinian. l. 1 definitionum.

Leg. Lex est. ff De legibus l. 1 tit. 3 leg. 1.

Draconis lex valde austera.

Plutarch. in Solone.

Peccati, & pœnæ nexum adeò indiuiduum esse sanxerunt leges, vt siquando esset pœna reo infligenda longo tempore post editũ scelus, status eius attẽdatur pro tempore, quo peccauit. Etenim ab illo temporis articulo, quo peccauit, reus extitit, ac proinde pœnæ obnoxius iam est, quam tunc temporis incurrit, nec vllum debet à meliori sorte referre suffragium. Ecce legem, cuius meminit Vlpianus. *Quoties de delicto quæritur, placuit non eam pœnam subire quem debere, quam conditio eius admittit eo tempore, quo sententia de eo fertur: sed eam quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus. quo deliquisset.* Noluit legislator delinquentes aliquo vti patrocinio adblandientis fortunæ, ne cui liceret impunè peccare, sub spe status melioris. Eamobrem paragrapho primo eiusdem legis hæc subdit Vlpianus. *Proinde si seruus crimen commiserit, deinde libertatem consecutus dicetur, eam pœnam sustinere debet, quam sustineret, si tunc sententiam passus fuisset cùm deliquisset.*

Peccatum & pœna res sũt indiuiduæ.

Vlpianus l. 8. disputationũ. Lege Quoties ff De pœnis l. 48. titul. 19. leg. 1.

Ne quid autem mali inultum esset magno Reipublicæ dispendio, indictæ sunt variæ pœnæ, pro dignitate piaculi, vt fert iste iuris textus. *Sunt pœnæ, quæ aut vitam adimant, aut seruitutem iniungant, aut ciuitatem auferant, aut exilium: aut coercitionem corporis contineant: veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio.* Demum ita cautum est contra nefarios homines, vt dum sistentur iudici, nusquam abeant indonati. Si ergo zelus ille iudices etiam Gentiles adussit, vt nequirent vllum ferre crimen inultum; qualem fore putas vltionem, quam Deus expetet à noxiis hominibus in die iudicij, vbi actiones cuiusque hominis expendentur? Ex ingenti serie & contextu legum, quas Pandectæ commemorant, hæc vna stabit in illa die extrema. *Hostes autem transfugæ ea pœna afficiantur, vt viui exurantur.* Cuiacius transfugas reuera putat singulariter dici hostes Reipublicæ, à qua non defecere tantùm, sed & in perniciem eius, pro suo modulo conspirarunt. In supremis mundi comitiis, vbi crimina appẽdentur ad trutinam distincti examinis, reprobi omnes censebuntur hostes Christi, cuius imperium non detrectauere modò, sed pro viribus illi quascunque potuere iniurias intulerunt. In hos profectò dicet capitis senten-

Lege Si quid §. 3 ff. De pœnis.

Ignis pœna indicta trãsfugis.

Lege Aut damnum §. 2. Hostes ff. De pœnis.

Cuiac. l. 6. obseruationũ 26.

tiam, non qualemcunque, sed incendij æterni, in animas simul, & corpora sæuientis. Eò spectauit ipse Christus in illa parabola, quam sic conclusit: *Luc. 19.* *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.*

Matth. 13. Idem Dominus in alia parabola, dicens fore vt colligantur zizania, & alligentur in fasciculos ad comburendū, liquidò ostendit, reprobos omnes esse ignibus addicendos, ita tamen vt pares paribus aggregentur. Ita Augustinus. *Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, derisores cum derisoribus, similes cum similibus.* Hoc igne depasci corpora simul & animas, egregiè probat Antistes summus Gregorius, ita fatus: *Natura ignis est, vt ex seipso lucem exhibeat, & concremationem. Sed vltrix illa flamma vitiorum cōcremationem habet, & lumen non habet. Vnde Psalmista ait: supercecidit ignis, & non viderunt Solem. Ignis enim super impios cadit: sed Sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehenna flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat, vt & foris eos dolor cōbustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret, vt simul corde & corpore puniantur, & vtrobique pœnas sentiant, qui dum hîc viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant. Vnde benè per prophetam dicitur: Descenderunt in infernum cum armis suis. Arma quippe peccatorum sunt membra corporis, quibus diuersa desideria quæ concipiunt, exequuntur. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleuerunt, æterni iudicij tormenta tolerare.*

Ex SS. PATRIBVS. *August. serm. 59. de Sāctis.*

Gregor. l. 9. Moral. c. 38.

Ignis inferni animas simul & corpora cruciabit.

Ezech. 32.

Ne suspicare tamen, vnam fore omnium pœnam, quia vnus & idem erit ignis omnibus accēsus: singulos enim quosque reos sua manebunt supplicia congrua piaculis, quæ homines impij perpetrarunt. Vt sicut in Beatis eodem Deo fruentibus est discretio coronarum; ita & in fornace illa vindice criminum, etiam tormina dispēsētur. Nihil namque Deus inordinatè facit; sed sicuti par est omnia suis librata ponderibus ordinat, vt benè Gregorius explicat hoc contextu. *Gregor. l. 9. Mor. c. 47.* *Deus qui mala benè punit, inordinata esse vllo modo vel tormenta permittit: quia ipsa quoque supplicia, quæ ex lance iustitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis, retributio sequitur vltionis? Hinc quippe scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur: Quantum se exaltauit, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormētum, & luctum. Si igitur iuxta modum culpa, pœna distinguitur; constat nimirum quòd in suppliciis ordo seruatur. Et nisi tormentorum summam, meritorum acta dirimerent, nequaquam index veniens dicturū se messoribus esse perhiberet: Colligite primū zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo seruabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendū ligare, est hos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat; & qui nequaquā dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur: quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublenat: quosque non dissimiliter dilatauit ambitio, non dissimilis angustet afflictio, & par cruciet flamma supplicij, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo Patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutis, sic dānatos diuerso supplicio, gehennæ ignibus subiicit disparilitas criminis. Quæ videlicet gehenna quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna eademque qualitate succendit. Nam sicut vno Sole omnes tangimur; nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus: quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris. Sic damnatis & vna est gehenna quæ afficit; & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hîc agit dispar valetudo corporum, hoc illi exhibet dispar causa meritorum.* Hactenus ille, probans eruditè, reprobos diuerso tormentorum schemate cruciari.

Sapient. 6.

Apoc. 18. Quare diuersimodè eadem flamma inferni reprobos afficiat.

Egregia cōparatio ostēdens quomodo damnati diuersè tormenta patiuntur.

Illa prælibata recensio supplicij æterni, non adeò frequenter obiicitur nobis, vt sciamus tantùm quo tenore luant reprobi pœnas, sed vt eas sedulò caueamus. Itur autem obuiam illis pœnis, quando sagax animus eas meditatione practica speculatur, vt Bernardus ait. *A cella in cœlum sæpè ascenditur, vix autem vnquam à cella in infernū descenditur, nisi sicut dicit Psalmista: Descendāt in infernum viuentes, videlicet, ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpè cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assiduè contemplando, reuisere amant gaudia cœlestia, vt ardentius ea appetant; sic & dolores inferni, vt horreant & fugiant.* Faxit Deus, vt in hoc sæculo frequentes adsimus in inferno, ne in futuro cogamur adesse illic perperam & inuiti.

Bernard. l. de vita solitaria ad fratres de monte Dei.

SENSVS MORALIS.

Ea est peccati nequitia, vt indubiam pœnam affricet eis, qui aliquale nefas perpetrant.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

SECTIO NONA.

Ex Ivre Canonico, et Ex SS. Patribvs.

ORbem vniuersum pugnaturū contra insensatos, non est prophetia, sed enarratio rei gerendæ, vt gesta est, & geritur hocce temporis articulo: inquies namque fuit, est, & erit semper animus hominum improborum; nihilque adeò pacatum est, quod non se accingat ad vindictam criminum, quibus nefarij quique homines Deum exasperant. Quid mitius atque suauius Ecclesiâ, quæ est omnium fidelium alma parens, nescia sanguinis, vtpote de vita tantùm sollicita, & exosa necem? illa tamen durè animaduertit in peccantes suis censuris, quas etiam adhibet contra res inanimes, quæ relationem habent aliquam cum homine delinquente. Hinc effluxit apud Canonistas illa distinctio interdicti, in reale, & personale. Reale interdictum est id, quo cauetur, ne in aliquo loco indicto sacramenta administrentur, celebrentur diuina officia, & exerceantur

Ecclesia etiā, licet alma parens, durè animaduertit in noxios.

Ex Ivre canonico. *Cap. In artibus De verborum signif. in 6.*

exerceantur quidam alij actus spirituales à Iure recensiti, & id omne in horrorem peccati illic commissi, vt in pollutione Ecclesiarũ, vel quia talia loca sunt hominum qui se nefandis actibus obstrinxerunt. Ne autem quis præsumat violare interdictum, cui subiicitur ille locus, aliæ decretæ sunt pœnæ in huius criminis obnoxios.

Cap. Cum sententia. De sententia excom. in 6

Excommunicati sollicitè sunt vitandi.

Sæuientis Ecclesiæ verbera potiora sunt hæc, quibus arcentur à valuis Ecclesiæ malè sibi conscij homines, in sententiam excommunicationis incurrentes. Hos resecat Ecclesia vt putida membra, vetans ne his homines alij coutantur. Inde isti Canones emerserunt. *Excommunicatos quoscunque à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis iustam examinationem: nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec aue eis dicat: quia quicunque in his, vel aliis prohibitis, scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subiacebit.* Ita sanxit Calixtus Papa, cui subscripsit Concilium Carthaginense quartum, hoc decreto *Qui communicauerit vel orauerit cum excommunicato; si laicus est, excommunicetur; si clericus, deponatur.* Ecclesia suo gregi inuigilans, non est anxia tantùm de meliori fruge peccantium; sed & hoc intendit, vt qui sani sunt, procul fiant à crimine reproborum. Scit quippe hæc erudita parens, serpere contagium hominum nequam, ac proinde operæpretium esse compescere delinquentes. Inde effluxit Extrauagantis huius textus iste *Dietim crescente malitia videmus mundum in deteriora iugiter prolabi, sic hominum mentes assueta deprauante nequitia, malis passim cumulum superaddi, vt & boni, qui aliàs odirent virtutis amore delinquere, interdum cum peruersis admisti, concurrere cum illis in illicitis habeãt, & in apertam malitiam prosilire. Est enim compescenda malorum audacia, vt saltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis, sicque boni sectando virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis perire.* Ita Ioannes Papa XXII.

Can. Excommunicatos 11. qu. 3.

Conc. Carth. 4 can. 73.

Quanta sit pernicies peccati lethalis.

Excommunicatione traditur homo Sathanæ in interitum carnis, & id ab Ecclesia. Hunc quoque effectum patitur omne peccatum mortale. Quisquis enim præpeditus est lethali noxa, is statim abigitur à Christo, & ita cedit in ius diaboli, vt si cederet fatis in eo statu, in æternum cum diabolo miserè disperiret. Hoc clamat iste Canon. *Audi Apostolum, dicentem de eo qui peccauerat: Tradidi huiusmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Vides ergo, quia non solùm per Apostolos suo tradidit Deus delinquentes in manus inimicorum; sed & per eos, qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent non solum soluendi, sed etiam ligandi: traduntur peccatores in interitum carnis, cùm pro delictis suis à Christi corpore separantur. Et vt mihi videtur, dupliciter etiam nunc traduntur homines de Ecclesia in potestatem zabuli. Vno modo, quo superius diximus, cùm delictum eius manifestum fit Ecclesiæ, & per sacerdotes de Ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat: & conuerso conueniat illi illud quod sequitur: Vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri IESV Christi. Alio autem modo quis traditur Zabulo, cùm peccatum eius non manifestum fit omnibus: Deus autem, qui videt in occulto, perspiciens eius mentem & animam, vitiis ac passionibus seruientem, & in corpore eius non se diligi, sed aut auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, vel alia huiusmodi, istum talem ipse Dominus tradit Satanæ. Quomodo eum tradit Satanæ? Discedit à mente eius, & auertit se, & refugit à cogitationibus eius malis, & desideriis indignus, & relinquit domum eius cordis vacuam.* Ex scriptis Origenis, hunc textum fecit esse iuris Canonici Gratianus.

Can. Audi 11. qu. 3.

Peccatum mortale nos tradit diabolo.

Origenes hom. 2. in cap. Iudicum.

O vtinam altas radices ageret in hominum mente aureum hoc effatum, scilicet Christum diabolo tradere singulos quosque homines, qui se lethalibus vitiis obstrinxerunt. Fortè attenta rei huius recensio nefarios homines abstraheret à petulca indole, qua effrenes feruntur in nefas, arbitrati reatum nihil secum noxij postmodum importare. Diabolo mancipari, & æterno incendio deuoueri, res sunt synonymæ; ac proinde peccare & damnari, res sunt concolores. Quisquis igitur voluerit cauere à peccato, is seriò recolat pœnas iudicij extremi, quæ manent eos, qui se peccando diabolis addixerunt. Etenim recensionis iudicij extremi fructus omnis est in emendatione vitæ retroactæ, vt Chrysostomus aliàs ingerebat. *Oro vt quando de gehenna quidquam audimus, compungamur. Nihil enim certè hoc sermone iucundius est, nihil his rebus amarius. Et quomodo, inquies, de gehenna audire quicquam ac dicere iucundum asseris esse? Quippe quoniam res tristis est, idcirco qui ab ea te procul se amouent, sermones suauissimi sunt. Præterea hac audiendo, anima ad se conuertitur, & cautior facta effertur altius, & volat sublimius, malignæ cupiditatis expulsat tyrannidem. Ita hæc de gehenna verba, ne in gehennam venias, efficiunt:* Si pœnæ à legibus institutæ & vitiis indictæ potuere modum ponere libidini delinquendi; quidni & pœnæ infernales animo attento reuolutæ, homines distrahent à peccato?

Emendatio morum est fructus iudicij meditati.

EX SS. PATRIBVS.

Chrysostom. hom. 44. in Matth.

Si verba sufficerent idonea ad insinuandas animæ pœnas illas, lubens ego effunderem me totum ad hæc supplicia graphicè lineanda, vt vel sic impij à suo insolito crimine resilirent. Itaque in mea dictionum inopia, quæ nunc impotem facit, ego consulo Gregorium, qui paucis expediet illud negotium de tartaro describendo. Sic ille: *Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinitè patens inferni barathrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat, atque qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleuerunt: tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perueniunt.* Hanc totam tragœdiam homines prouocare vt sese recipiant in meliorem frugem, ille idem consultor optimus monet sic perorans: *Ecce quæ maneat damnatos pœna cognouimus, & instruente nos sacro eloquio, quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantusque in obscuritate pauor sit, nullatenus ambigimus. Sed quid prodest ista prænosse, si non contingat euadere? Tota ergo intentione curandum est, vt cùm vacationis tempus accipimus, benè viuendi studio, malorum vltricia tormenta fugiamus. Hinc quippe per Salomonem dicitur: Quodcunque manus tua potest facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quò tu properas. Hinc Isaias ait: Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est. Hinc Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies salutis. Dum tempus habemus, operemur bonum.*

Breuis inferni descriptio.

Gregor. l. 9. Mor. c. 49.

Ibidem.

Eccles. 9.

Isai 55.

2. Cor. 6.

SENSVS MORALIS.

Inconsultè peccat homo illectus amore voluptatis, cùm singula quæque peccata, sua maneant supplicia.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

SECTIO DECIMA.

Ex Antiqvitate Ivdæorvm, Et SS. Patribvs.

Ab Hebræis vt à fonte ortum habent omnes scientiæ.

EO limpidior atque suauior est aqua, quò propior est scaturigini fontis, vnde illa saliens ebullit aqua; ita & moralis Philosophia eò sincerior erit, quò magis accedit ad eam disciplinam, qua Deus Hebræos tinxit, vt Gentem cui præ aliis singulariter innotuit. Vnde ab Hebræis, eos erudiente Deo, scientiarum omnium latices effluxerunt. Hinc Pythagoras, Plato, aliique magni nominis Philosophi, suas illas hausere sententias, quibus apud suos benè postmodum audierunt. Itaque Hebræi consulendi sunt, vt inde capiamus oracula, à Deo edita & dictata Moysi, qui ea populo palàm fecit, & posteris etiam sacro Codice cōmendauit. Si ergo libet inuestigare qualis fuerit sensus Hebræorū de impiis siue nefariis hominibus, rescies ex Scriptura sacra nefas omne traductum à iudice, ita vt negatus sit omnis latebrarum locus homini nebuloni. Ecce legem Deo legislatore satam. *Iudices impium condemnabunt impietatis.* Primò inglorij facti sunt homines illi nequam, vtpote pessimè notati à iudice. Secundò ne inolita peccandi illecebra redux, impiorum animos rursus inflecteret ad peccandum, Deus voluit infligi plagas ad trutinam grauitatis vitiorum, quibus fuit impius irretitus. En decretum. *Si eum qui peccauit viderint dignum plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Eò spectauit pœna talionis, refundens in capita noxiorum hominum mala eadem specie, quæ aliis irrogarunt. Hic est tenor legis. *Qui irrogauerit maculam cuilibet suorum ciuium: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam, pro fractura: oculum pro oculo: dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.*

Impij apud Iudæos notati.

Ex antiqvitate Ivdæorvm.

Deut. 25.

Pœna appendēda ad trutinam grauitatis criminum.

Deut. 25.

Pœna talionis indicta à Deo Hebræis.

Leuit. 24.

Posteriores Hebræi, vt suum zelum probarent in legem, testato odio criminum, hoc ex suo penu adiecerunt, scilicet esse capite punienda ea facinora, quæ præuidentur esse ab homine reprobo perpetranda: nempe fore sic vt pereat homo nequam, non adeò facinorosus. Ea lege Thalmudica censetur affectus pro effectu, & peccatum plectitur in radice. Accipe Thalmud. *Filius immoriger & rebellis iudicatur propter id ad quod tandem deueniet. Dicit enim lex: Moriatur potiùs immunis à tanto flagitio, quàm postquam se eo obstrinxerit. Nam mors improborum & ipsis & mundo prodest: iustorum autem & ipsis & mundo mala est. Vinum & somnus improborum, iuuant ipsos & cæteros: piorum, ipsis & reliquis malum important. Dissipatio improborum, ipsis & aliis vtilis est: proborum, cum ipsorum & aliorum damno coniuncta est. Congregatio improborum, ipsis & mundo toti damnosa est: proborum, & ipsis & toti mundo adfert emolumentum. Quies improborum, ipsis reliquisque detrimento: proborum & ipsis & reliquis commodo est. Similiter, qui cum perfossorio ingreditur alienam domum, iudicatur, ob id, in quod prolapsurus erat.* Glossa Thalmudica, quam Gemaram vocant, vult vtrumque necari, filium scilicet rebellem, & eum qui alienas inuadit ędes. Itur enim obuiam latrociniis & cædibus, inquit, quibus vacabit dyscolus ille adolescens absorpto patrimonio. Latronis etiam morte consulitur neci, quam ille paratus erat inferre domino domus, si is fortiter obstitisset.

Thalmud. lib. Sanhedrin c. 8. §. 5. & 6.

Gemara in lib. Sābedrin. cap. 8.

Exterminare sua manu maleficos homines Hebræi non credidere negotium indecorum, imò in stipendium testium, quorum obsequio capitis erat lata sententia, ipsi testes primi mactabant hominem lethali lapide castigandum. Sic eam refert historiam Thalmud. *Quando à loco lapidationis abest quatuor cubita, vestes ei detrahuntur. Maris anteriora velantur: mulieris & posteriora. Locus lapidationis altus erat geminam hominis longitudinem. Testium alter inde reum detrudebat, vt in lumbos caderet. Si conuersus in pectus esset, in lumbos conuertebatur. Hoc casu mortuus si esset, satisfactum legi: alioquin, alter lapidem sublatum in pectus immittebat. Si hoc ictu moreretur, satisfactum: sin, a toto Israële cadebatur.* Viguit ille ritus in supplicio Stephani protomartyris, in quem testes iniqui animaduerterunt primi, vt ex Codice sacro liquet. *Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus: & lapidabant Stephanum.* Ritus ille non adeò Thalmudicus est, quin etiam Deo fluxerit assertore. Namque Dei sanctio ista fuit: *Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, vt auferas malū de medio tui.* Vnde cùm auferre malum sit facinus emeritum, occidere reprobos stante Iudæorum Republica, res non fuit indecora. Quodque demirere magis, leges illæ Thalmudicæ neque Regem neque summum sacerdotem excipiunt à flagellatione, si quidpiam admiserit dignum verberibus. Et esto Codex legum Hebræis indictarum, quas recenset Thalmud, non assurgat in molem Codicis Iustiniani; ego qui vtrumque codicem legi, & collegi, censeo Hebræos maiorem nauasse operam plectendis reis quàm Romanos. Nam præter duos libros Thalmudicos, Sanhedrin, & Maccoth, vbi multa recensentur piacula multifariàm detergenda congruis suppliciis; alter editus codex de legibus forensibus minima quæque perstringit crimina, quæ esse Gens Hebræa noluit impunita.

Quo ritu olim apud Hebræos lapidabantur rei.

Thalmud. lib. Sanhedrin. c. 6. §. 3. 4.

Testes primi lapidabant reos damnatos.

Actor. 7.

Deut. 17.

Codex legum forensium Hebræorum traductus à Cōstantino.

Hoc præcipuè aduerti in libro Maccoth, id est pœnarum, hominem flagris adductum non eo modo cædi, quo nostrates rei, sed singulari modo, quem meminit Thalmud, vnde accipe totam flagellationis historiam. *Adstringit quis ambas manus ad columnam. Tum minister publicus vestem eius arreptam detrahit, siue rumpatur siue dissuatur, vsque dum denudet pectus. Lapis pone illum collocatus est, in quo stat lictor, manu tenens lorum bubulum complicatum primò vt ex simplici sit duplex; iterum vt ex duplici fiat quadruplex. In illo duo lora sunt, quæ ascendant, & descendant. Manubrium, palmi longitudinem habet: latum est palmum: extremitas eius ad os ventris pertingit. Hoc eum ferit trifariàm, ita vt trientem ictuum aduerso, bessem verso infligat. Non ferit stantem, neque sedentem sed inclinatum. Qui ferit, vna manu cadit, quantum*

Thalmud lib. Maccoth c. 3. §. 12. 13. 14.

Flagellandi apud He-

tium

Verbos eo habitu componebantur, quo reuera peccatum constituit homines noxios.

tum potest. Et præco clamat. Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, &c. augebit Dominus plagas tuas & plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerantes. Si moriatur sub manu eius, liber est. Ecce tragædiam, in quam peccati illecebra incautos homines inducebat, vigente Hebræorum statu.

Quatuor notanda in flagellatione Hebræorum quæ genuinā ideam referunt animæ peccatricis.

Ille ritus Hebræorum valde moralis est, vtpote institutus ad castigandos mores hominum improborum. Quatuor præcipuè obseruo in eo flagellandi modo. Primò manus vincta liberiorem sui vsum adimebat reo ad columnam turpiter alligato. Secundò lictor à tergo rei hominis instabat flagro armatus. Tertiò non stans, aut sedens, sed pronus cædebatur. Quartò in pectus apertum tortor verbera fortiter intorquebat præcone clamante, pœnas infligi illi viro nequam, quia legum incurius, ipsi Deo assertori legum fuit iniurius. Profectò ille damnati habitus ingenuam speciem refert animæ peccatricis: ea quippe lethali peccato obnoxia vacat à bonis actibus, quasi manca, aut trunca manibus esset, namque crimen capitale manus afficit eo torpore, vt stante peccato nequeat anima specimen aliquod edere virtutis integræ, & cœlo dignæ. Rursus à tergo est lictor; statim enim atque deliquit anima, tortor adest. Illa nimirum anima quæ deliquit, eodem temporis articulo, quo peccauit, vltricem synderesim patitur importunam. Benè retrò describitur hæc nemesis seu furia vindex: siquidem extrema gaudij luctus, occupat, omnisque vitiorum dulcor plectitur amarore. Reus pronus & incuruus vapulat, quia ille habitus est, in quem se componit homo deuius: etenim gratiâ conspicuus, stantis agebat partes; sed superimpositâ graui mole peccati, pronus ille homo reprobus incuruatur.

Peccatum lethale bonum & gratum Deo manuū vsum adimit.

Anima aliàs Dei grata stabat, sed postea vitiis obnoxia deorsum inclinatur.

Vinctas animæ manus, & criminum pondus insuaue meminit Isaias, ita monens hominem vitiis irretitum. *Dissolue* (inquit) *colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Fasciculus equidem est deprimens ille quem componit sibi impius, noua quotidie piacula adiiciens cumulo peccatorum. Ne ergo demirere, reprobos esse cœli incurios; totam rerum superarum abiecere curam, & spem, suæ autem felicitatis summam reposuere penès ea quæ deorsum. Adiice, grauem peccatorum molem non eis facere copiam attollendi rectos ad sidera vultus. Demum pectore aperto plagis vapulabat homo nefarius; qui si lapidandus erat, pectore nudato excipiebat primos lapidum ictus. Inde liquet animus inquies, seu vermis ille, qui corrodit pectora vitio mancipata: pectus enim, quod suo recessu fouit peccatum admissum, congruo Dei iudicio luit pœnas criminis exantlati. Hunc etiam credo fore habitum damnatorum. Erunt vincti, diabolo tortore luent pœnas, & vermis conscientiæ eorum semper pectora cruciabit.

Isa. 58.

Synderesis animam lancinat aculeis importunis.

Ex SS. PATRIBVS.

Chrysost. epist. l. 5. ad Theod. lapsum.

Peccata cuiusque hominis in die iudicij omnibus innotescent.

Ad hoc fortè allusit Chrysostomus; ita commemorans diem iudicij. *Quid tunc erit, quando cognoscetur de vniuerso terrarum orbe, sub iudice non requirente testes, nec indicia; sed quando absque illis facta simul & verba ipse rem in medium exactè prodet, ostendetque scelera ipsorum, istorum auctoribus, pariterque illis, qui ea ignorant? Quomodo fieri potest, vt tunc non concutiatur qualibet potentia? Si enim fluuius ignem non volueret, neque Angeli assisterent adeò formidabiles, soli autem connecati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriè, ne gloriam Dei videat; num istud per se pœna foret tota gehennâ longè acerbior? Quare obsecro ob oculos modò ponas, non dico immanissimam illam pœnam, & suffusos graui pudore, nec non palam conspicuos, defixis in terram oculis, ob conscientiam ignominia; sed illam viam terribilem, quæ ad ignem abripit, sed & ferentes tormenta, tradisosque atrocibus punitoribus, idque eo tempore, quo coronis adornati, calebresque excantantibus Angelis, regio throno assistunt, quicunque hic bona facientes, digni habiti sunt vita æterna.*

Descriptio malæ conscientiæ, & cruciatuum quibus animam lancinat.

Chrysost. hom. 17. in Genes.

Cùm iudicio extremo deessent vincula ignita, & tortores Angeli nequam; ipsa reproborum conscientia malè sibi conscia suam gehennam facit, vtique feracem tormentorum, & multorum. Nullas namque moras impunes impio concedit illa Nemesis, sæua criminum vltrix, vt eleganter ait idem Chrysostomus hoc contextu. *Mox vt intrauit peccatum, & præuaricatio, erubescentia, & tumultuatio inuadit. Quippe index incorruptus, conscientiam puto, cùm aduersus hominem exurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum multitudinem. Eamque ob rem misericors Deus principio cùm formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, quæ decipi nunquam posset. Et licet quis admisso peccato omnes homines celet; ab illa tamen accusatrice non poterit delitescere; nam hanc intrinsecus habentes, vbicumque sumus circumferimus. Ipsa nos circumit, obturbat, lancat, flagellat, nunquam quiescit, sed domi, in foro, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos proponit, & delictorum grauitatem, & subsequuturam pœnam. Et quasi Medicus optimus, non cessat sua medicamenta apponere, etsi semel depellatur, neque sic desistit, sed continuam curam gerit.*

Impossibile est deponere synderesim post admissum peccatū.

Diceres, hoc fusiore eloquio Chrysostomum recensere aliquid affine ritui inolito Hebræis, cùm apud eos homines noxij vapulabant, pectore exerto, & manibus arctiore ad columnam vinculo colligatis. Has etiam angustias conscientiæ iniquæ acutè Hieronymus enuntiat, & præclara animaduersione notans versum illum Ezechielis, *Porta confusionem tuam*, ita reddi à Septuaginta: *Sustine tormentum tuum.* Quem locum ille intelligit de conscientia vitiorum punctioni obnoxia, quam alibi sic describit. *Iniquorum corda fluctuabunt quasi mare feruens, & quiescere nunquam poterunt. Sicut igitur mare feruens quiescere nunquam potest, sed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt, quod pedibus conculcatur: sic impij habentes cor vt mare, æterna conculcationi subiacebunt, quorum nullum est gaudium, & nulla pace requiescunt.* Diceres, semper intonare reprobis extremam illam sententiam, qua ad tartara protruduntur. Et quasi flagris eorum pectora tunderentur, cor eis palpitat sēper, licet in obuias quasque illecebras se effundant. Has ærumnas Iob præsensit, ita carpēs homines hac lue tabida marcescentes. *Sonitus terroris sēper in auribus illius, & cùm pax sit, ille insidias suspicatur.* Ita planè quidquid auribus infonat reproborum, illud omne ad horrorem tinnit.

Hieron. l. 4. in c. 16. Ezech.

Idem l. 16. in c. 56. Isaiæ.

Cor impij quare assimiletur mari inquieto.

Iob. 15.

Gregor. l. 23. Mor. c. 12.

Accipe in eo argumento Gregorium. *Mens praua semper est in laboribus, quia aut molitur mala, quæ inferat, aut metuit, ne hæc ab aliis inferantur. Cui ergo tranquillitatis securitas deest, huic proculdubio terroris sonitus semper in auribus est, &c. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem qui praparatur ad prælium. Qui apud semetipsum in labore timoris deficit, qui securitatis sociam, viam veritatis relinquit. Qui benè Regi præparato ad prælium comparatur, quia in eo ipso malo quod agit, & terretur, & festinat, & ex conscientia trepidat, & ex desiderio anhelat, metuit, & pauescit.*

Nihil nisi horridum insonat auribus impiorũ.

Si reprobi adhuc in humanis degentes, vbi affulget aliqua spes misericordiæ Dei, ad quam in hoc sæculo nemini via præcluditur. Si, inquam, dum est aliqualis aura spei dulciter aspirans, vermis conscientiæ adeò est reprobis importunus: qualem putas fore cladem damnatorum in die iudicij, vbi diabolo tortore vinctis post terga manibus, flagris acerbis fortiter impetentur? Hoc tu mecum alta mente repone, ô lector, & nos ambo bonis actibus eamus obuiam Christo, supplicia & præmia decernenti.

SENSVS MORALIS.

Christiani maximè plectendi quando peccant, cùm Gentes etiam infideles semper asperè crimina castigarint.

In hæc verba:

Ibunt hi in supplicium æternum.

SECTIO VNDECIMA.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm.

Omnes Gẽtes acriter crimina castigarũt.

Philosophiæ effatum est indubium, rationem genericam concludi speciebus cunctis, quæ participant tale genus, vt omnibus animalibus competit habere corpus sensibile. Cùm ergo de ratione hominis sit, vt rationis sit compos, nulla plane mundi plaga homines edet rationis impotes, cùm rationis vsus ad omnes homines pertineat si sani sint. Inde effluxit omnium nationum concors animus vitia castigandi: possem enim si luberet præcipuarum orbis terræ Gentium recensere leges editas in crimina perpetrata. Cur autem vnanimes populi omnes pessimè habuerint reprobos, id petendum est ab indole vitij: omne nimirum vitium est contra rationem, & degenerem hominem facit. Vnde quia nemo suam ruinam optat, sed quisque sibi consulit, vt non deficiat; id maximè fuit cordi Gentibus, vt vitium pœnis acerbis funditus extirparent. In his primi occurrunt Græci Athenienses, quibus à Dracone, vt supra memini, mors indicta est pro singulis quibusque criminibus, ita vt Athenis peccare & incurrere in vitæ discrimen aliquando fuerint res concolores, vt meminit Plutarchus. Satiùs Draco credidit esse homini in mortem incurrere, quàm in vitia. Et hoc sæpe Blanca Regina Galliarum inculcabat filio suo Ludouico duodenni, eum sic affata: Fili, tanta est peccati capitalis noxa, vt satiùs sit occumbere, quàm peccato incumbere: maloque mortem oppetas innoxius, quàm vt peccato graui noxius impetraris. Tantùm valuit illa sanctissimæ parentis oratio, vt multùm contulerit ad efficiendum Sanctum Ludouicum, qui cùm audiisset nobilem quemdam dicentem se potiùs peccaturum lethaliter, quàm incurrere in discrimen vitæ, grauiter in eum animaduertit, dicens se malle infici & incrustari lepra, quàm peccati mortalis macula conspurcari. Hoc peccati odio, virtutis amor incanduit in pectore Regis huius Christianissimi, & ea pietatis incrementa accepit, quæ desiderat Ecclesia, vt quis Sanctorum titulo gaudeat, & numero censeatur.

Draconis leges morte quæuis crimina castigabant. Plutarchus in Solone. Blanca Regina mortẽ optat filio suo potiùs, quàm peccatum. Ioinuillæus in vita S. Ludouici.

Fortè eò respexit Draco, rigidus ille legislator, cùm singulis quibusque peccatis mortem indixit. Id est Austerus ille vitiorum censor animaduertit, hominem eatenus tantùm esse hominem, quatenus benè ratione vtitur, & tunc desinere esse hominem, quando rationalis non est. Vnde sic arguit: Homo peccans rationis vsu cadit, ac proinde desinit esse, necando illud quo homo est, scilicet rationem: Ergo reus ille mortuus est, ideoque tumulandus, ne olidum hoc cadauer cæteros homines inficiat. In ea ferè fuere sententia Messenij, quibus ex Plutarcho & Liuio carcer erat subterraneus, vbi noxij necabantur. Quasi dicerent Messenij, eum qui peccauit esse iam mortuum, ac proinde carcerem ei esse pro tumulo, vt apud eos expertus est Philopœmen extinctus in illo carcere recondito, quem etiam Thesaurum nuncupabant, arbitrati magno Reipublicæ commodo esse carceres institutos. Nempe ditescit Respublica malorum exterminio, quod fit carceris obsequio; illo quidem, quo allata nece reprobi tolluntur è medio. Ille ritus Messeniorum placuit Dionysio tyranno, qui Syracusis carceres è petra excidit vt tumulos, quos Latomias seu lapidicinas dixit. Vnde Syracusis peccare, erat mortale; nam coniici in carcerem, erat perinde ac carcere tumulari. Hunc morem æmulatus est Verres, simili ergastulo sæuiens in Romanos, vt in eum ita Tullius inuehitur: *Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus, Syracusisque Latomiæ vocantur, in istius imperio domicilium Romanorum fit.* Meminere huius carceris, seu latomiarum, Plautus, Varro, Salustius, Liuius, Suetonius, Seneca, Festus Pompeius, & Asconius Pedianus.

Quare Draco morte punierit omne nefas. Messeniis carcer erat subterraneus vbi noxij necabantur. Plutarch. in Philopœmene. Liuius 4. Decad. l. 9. Quare Messenij carcerẽ suum vocauere thesaurum Latomiæ. Apud Syracusanos celeberrimi carceres. Cic. act. 7. in Ver. Plaut. in captiuis. Varro l. 1 de ling. Lat. Salust. in Catil. Liu. 3. Dec. l. 6. Suet. in Tib. Sen. l. 9. Decl. Fest. Pomp. l. 10. Plut. in Nicia. Ascon. in 3. Verrinam.

Lacedæmones, quibus virtutis ampliandæ summa cura fuit, vt & vitiis procul à suis finibus amandandis: hi inquam Græciæ proceres, vt suum testarentur horrorem, quem de vitio conceperant, siquando reus esset sistendus iudicio, damnabant eum nocte. Quasi dicerent, nullum ei lumen affulgere, qui excidit omni rationis vsu, qualis est omnis homo peccans, eo ipso cæcus, quo factus est vitiis obnoxius: ideoque noctu damnari eum, qui spreto lumine rationis, vitiorum sibi tenebras offudit. Pudeat Christianos, nunc adeò cæcutire, vt nec peccando suæ sint ipsi conscij cæcitatis. Eos profectò manet simile iudicium: illi nimirum noctu damnabuntur in noctem sempiternam. Noctu dicetur eis capitis sententia, quia in die illo extremo iudicij peccatorum caligine offusa reprobis omnia nigricabunt, eosque inuoluent tenebræ exteriores vindices tenebrarum, quas peccando sibi sæpiùs offuderunt. Lacedæmoniorum in plectendo morem recolunt Herodotus Valerius, & Polyænus.

Quare Lacedæmonij noctu reos damnent. Noctu peccantes reprobi, noctu ideo puniendi. Herod. l. 4. Valer. Max. l. 4. c. 6. Polyænus l. 7. stratagematum.

Mortem

Thessalorũ mos in plectendis reis. Peccatum animam in præceps agit. *Zenodotus in collectaneis. Menander apud Zenodotum. Erasmus Adagior. chiliad. 2. cent. 1. adagio 96.*

Mortem esse congruum peccati stipendium, Thessali dixere, nuncupantes coruum locum illum supplicij, ex quo nefarij, homines agebantur in præceps: vnde effluxit vulgare adagium, ἐς κόρακας, id est, ad coruos. A Thessalis est adhibita mulcta crimini concolor: nempe scelus omne hominem præcipitem per abrupta trahit, lacerat, & discerpit, cumque ad coruos damnat, id est, deuouet ditis, atque dæmonibus, qui coruorum instar, peccatori meditanti meliorem frugem, Cras, Cras, iugiter insusurrant. Dies iudicij reprobos illis addicet coruis, & præcipites aget in abyssum, quia sese subducentes albo columbarum agmini, dare nomen suum coruistrepiter elegerunt. Hunc Thessalorum ritum recensent Zenodotus, Menander, & Erasmus. Ad hunc etiam noxios præcipitandi morem respexere Athenienses, qui carcerem suum dixere barathrum, fortè quia carcer ille altè defossus erat, vnde repedare nemini fas erat: vt qui vltro delinquendo ruerant in præceps seu barathrum vitiorum, inuiti in aliud barathrum meritò truderentur. Hoc nomine barathri vtimur etiam ad notandas inferi pœnas, vnde resilire copia negabitur impiis. Ea nomenclatura barathri Romanos fuisse vsos, Plutarchus ait, dicens Iugurtham fuisse trusum in barathrum, & illic fame interemptum, vt & recolit Salustius. Græcis verò fuisse pro carcere familiarem nomenclaturam barathri, testes sunt Plutarchus, Herodotus, & Xenophon.

Carcer apud Romanos & Græcos barathrum appellatus est. *Plutarch. in Mario. Salustius in Iugurt. Plutarch. in Aristid. Herodot. lib. 7. Xenophon lib. de rebus Græcanicis.*

Quare Cõsuli præferebãt fasces & secures. *Plut. probl. cap. 82.* Metij Suffetij supplicium graue. *Dionys. Halicar. l. 3. Liuius 1. Dec. lib. 1. Alexarch lib. 3. rerum Italic. Plutarch. paral. lib. 1. cap. 14. Plin. de viris illustrib. cap. 4. Gellius l. 20. cap. 1. Paul. Oros. lib. 2. cap. 3. Virgil. lib. 8.*

Romani Græcorum æmuli suum etiam animum testati sunt esse à vitiis alienum, idque multifariàm. Primò prodeunte in publicum summo magistratu, præibant ei fasces & secures: Consule sic monente, grauia scelera securi id est morte lui; leuiora verò fascibus expiari. Vnde ne quid impunè foret actum, fasces & secures præstò semper erant, vt vindices criminum, & vt tesseræ Consulatus, vt videre est in Plutarcho. Nec securi tantùm aut fascibus Romani rerum domini in nefarios homines aduerterunt: sed pro dignitate facinoris adiecere pœnis congruam sceleri grauitatem, sicut expertus est Metius Suffetius, qui malè meritus de patria, cujus libertati inuiderat, quatuor pernicibus equis actis in varia distractus est, vt meminere Dionysius Halicarnasseus, Liuius, Alexarchus, Plutarchus, Plinius secundus, Gellius, Paulus Orosius, & Virgilius his versibus.

Non procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant:

Meminit & Claudianus huius supplicij ex persona demortui, quem inducit sic loquentem:

Et si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandaque duris
Impia diuersis aptarem membra quadrigis.

Fuit equidem hoc immane creditum supplicium, & rarò vsurpatum; sed huic successere alia duriora, vt cùm nefandos homines palo alligatos induerunt tunica sulphure illita & pice, vt igne admoto reus lenta morte decederet. Seneca sic recolit hoc tormentum ita suum affatus Lucilium: *Cogita hoc loco illam tunicam alimentis ignium & illitam & contextam, & quicquid aliud præter hæc commenta sæuitum est.* Eò spectauit illi Iuuenalis versus.

Pone Tigillinum, tæda lucebis in illa.
Ausi, quod liceat tunica punire molesta.

Ad hoc etiam tormenti genus pertinent hæc Martialis carmina.

Nec scombris tunicas dabis molestas.

Idem alio epigrammate refricans memoriam illius supplicij, ita fatur.

Nam cum dicatur tunica præsente molesta
Vre manum, plus est dicere, non faciam,

Rursus Seneca commemorat stipitem per obscœna adactum, vt per omnes viscerum sinus emergeret. Vulcatius Gallicanus Auidij Cassij referens feritatem, eam sic recenset. *Primus id genus supplicij inuenit, vt stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & à summo vsque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponerent, incensis aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios enecaret.* Præ omnibus Sylla ferox, suam tabiem effudit in Marium, iuniorem fratrem famosi illius Marij maioris, in quem animaduertit eo modo quem meminit Iulius Firmicus ita fatus: *Prætorio viro, minori scilicet Mario, Syllana iussione elisa sunt prius crura, deinde detecta de statu corporis brachia, humerorum tenus dissoluta reciderunt, tertio amputata lingua necem reliquit in faucibus: ad postremum omni parte corporis mutilata, oculi qui fuerant spectatores, & superstites eruuntur, & vix anima tantis vulneribus erogata est, cùm hinc inde membris fluentibus minutatim spiritus carperetur.* Hanc & tragœdiam explicat Valerius ille Maximus, eam detestatus ita carpens Syllam: *Quin porrò crudeliter se in M. Mario gessit, quem per ora vulgi ad sepulchrum Luctatiæ Gentis pertractum, non prius vita priuauit, quàm oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes confringeret.* Hanc Syllæ sæuitiam horruere Florus, Seneca, & Lucanus, quorum postremus Mario hoc carmine parentauit.

Vulcatius Gallic. in vita Auidij. Syllæ crudelitas in supplicio Marij iunioris.

Iulius Firmic. lib. 1. cap. 1.

Val. Max. lib. 9. c. 2. Florus l. 3. cap. 2. Seneca l. 3. de ira.

Egregia descriptio hominis deformati diris suppliciis.

—— Quid sanguine Manes
Placatos Catuli referam? cùm victima tristis
Inferias Marius, forsan nolentibus vmbris,
Pendit inexpleto non fanda piacula busto?
Cùm laceros artus, æquataque vulnera membris
Vidimus, & toto quamuis in corpore cæso,
Nil animæ lethale datum, moremque nefandæ
Dirum sæuitiæ, pereuntis parcere morti:
Auulsæ cecidere manus, exectaque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat, ille cauis euoluit sedibus orbes,
Vltimaque effodit spectatis lumina membris.

Ne quis autem dignitate sua fretus crederet omnia licere sibi, Romani quandoque Reges vltimo supplicio turpiter affecerunt. In his primas tenet Iugurtha Rex Numidarum, quem reum fratricidij Marius tulit è medio, vt legere est in Salustio & Plutarcho. Antigonus etiam Rex Iudæorum, quia apud Antonium malè audiit, securi percussus est, eius imperio, vt auctor est Plutarchus: Bogud Maurusiorum Rex extremo supplicio affectus est ab Agrippa, quia steterat à partibus Antonij, vt recensent Strabo, Liuius, Priscianus, Asinius Pollio, Cicero, & Appianus. Tantumque valuit Romæ zelus iustitiæ, vt nemini delinquenti spes affulserit criminis impuniti. Vnde apud Cumæos fuit Magistratus nomine Phylactus, cuius partes erant adducere in Senatum Reges, quorum causa anceps discutiebatur. Et ad hunc Phylactum pertinebat Reges illos

De Regibus etiam maleficis Romani sumpsere supplicia. *Plutarch. in Mario. Salustius in Iugur.* Iugurtha, Antigonus, Bogud, Reges supplicio affecti à Romanis. *Strabo l. 8. Liuius l. 1. Plutarc. in Anton. Priscian. l. 6. Asinius Pollio in epist.*

familiar.

Cicero l. 10. epist. 31. Appianus l. 5. bellorum ciuil. Plut. problem. cap. 115.

Frænum ori impositũ noxiis hominibus.

Plutarchus in Cleomene. Diodor. Sic. l. 2. cap. 1. Strabo l. 16. Seneca l. 3. de ira.

illos noxios sedulò custodire, donec eorum causâ discussâ Senatus tulisset sententiam in gratiam vel in eorum caput pro dignitate piaculi, cuius indagini iudices insudabant. Ita Plutarchus.

Ex præfatis collige aliqualem ideam iudicij extremi, & memor esto, Deum haudquaquam cedere Romanis in his quæ pertinent ad criminum vltionem: nulla namque Regibus illic erit copia fugiendi; quippe rei omnes diabolos habebunt in Phylactos. Ibi tormenta desæuient duriora eis, quæ Roma vetus adhibuit ad vitiorum surculos extirpandos. Non in Græcia & ditione tantùm Romanorum vitia malè audierunt; sed & apud alias Gentes incultas, & deditas luxui, vt fuere Ægyptij, Æthiopes, & Persæ. Ægyptij noxiis hominibus iniiciebant frænum velut equis & eos illa equorum specie ducebant ad supplicium capitis, vt Plutarchus ait. Artisanes Æthiopum Rex noxiorum hominum ora deformabat truncando nasum, vt vel sic à vitiis abhorrerent. De ea pœna constat apud Diodorum Siculum, Strabonem, & Senecam. In Elephantina Æthiopia, nefarij homines ophiusam herbam bibere cogebantur, qua epota ita terroribus angebantur, vt sibi morte consulerent. Persæ suis maleficis ipsi etiam adeò erant malefici, vt eorum capita saxis allidetent, vt testis est Plutarchus, sicut & Plinius, auctor est ritus Elephãtinæ Æthiopiæ. Iidem Persæ, quos Derbices vocant, adeò exosi fuere scelus omne, vt Strabo referat eos sic quæque crimina castigasse, vt proceris curuatis arboribus, & reo in deflexis culminibus alligato, illis subitò laxatis, lacerum corpus in diuersa distraherent. Plutarchus item memorat, viguisse apud eosdem Persas hanc censuram; videlicet vt duabus scaphis fabrefactis, ibique homine occluso, ita vt manus & caput extarent, tetro odore, & immunda tabe, atque vermium scaturigine crimina vindicarent.

Noti homines terroribus importunis agitari.

Plin. l. 24. cap. 17. Plutarch. in Artaxerxe.

Horrenda suppliciorũ genera Persis vsitata.

Strabo l. 11. Plutarch. in Artaxerxe.

Indorum Gens, morte quempiam afficere, rem credidit inhumanam: non defuere tamen mulctæ, quibus abstrahebantur Indi à noxiis quibusque actibus. In pœnis ea fuit maximè ingloria, qua more seruorum homines noxij tondebantur. Exui nempe coma, populo huic res fuit indecora. Morem illum meminere Isidorus, Nicolaus, & Stobæus. Non est prætereundus teter ille Persarum carcer nomine Lethes, id est, obliuio. Illud ergastulum erat refertum cineribus, nemoque nisi laniandus illo carcere condebatur, vt auctor est Alexander. Illa omnis prælibata recensio pœnarum, quas à nefandis hominibus experiuere dissitæ nationes, probat primò, indolem esse vitij detestandam, & maximè Christianis, quibus præter rationis vsum communem cum cæteris hominibus, fidei lumen illuxit, quo affulgente magis suam nequitiam vitia manifestant. Adiice,

Isidorus l. 1. Etymologiarum. Nicolaus περὶ ἐθῶν. Stobæus collectaneorum serm. 42.

Alex. ab Alex. l. 3. dierum genial. c. 3.

Pœnæ vsurpatæ à plerisque Gentibus in noxios homines peccati indolem egregiè produnt.

fidelium noxam esse grauioribus pœnis obnoxiam, quia eis constat de præcepto Dei inhibente piacula, seu omnia iniqua facinora. Rursus eorum inde liquet insania extrema: scilicet peccare post audita tormenta horrenda, quæ reprobis post hæc suprema funera decernentur. Quodque facit ad criminis incrementum, Christiani experti, quàm durum sit peccare, non faciunt peccandi modum. Diceres eos coniectos in illum Persarum carcerem cineribus plenum, cui nomen est Lethes, id est, obliuio. Sui nempe & cœli. & inferni immemores, voluptuosi vacant illecebris, tandem aliquando in cineres redigendi. More Æthiopum herbam ophiusam potant; quippe bibunt sicut aquam iniquitatem, & inde eis terroribus omnia plena, vt Deus aliàs est suo populo minitatus, hoc tenore. *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, &c. augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & perseuerantes, infirmitates pessimas, & perpetuas, & conuertet in te afflictiones omnes Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper vniuersos languores, & plagas quæ non sunt scriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat. Disperget te Dominus in omnes populos, &c. In Gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.*

Quis sit habitus hominis post peccatum.

Deuter. 28.

Anima peccatis obnoxia [illegible] angitur curis & inquieta est semper.

Nonne diceres, eos qui voluptati indulgent bibisse ophiusam, cùm iis terroribus afficiantur, quos meminit ille sacer textus. Esto iaceant in cubili molliter stratò viri vacantes obscœnis actibus, profectò lectulus ille non est floribus consitus, sed spinis; & duas illas refert scaphas, quas memini fabrefactas à Persis, vbi corpora conclusa manibus extra pendulis & capite, tabida consumuntur à vermibus. Ille nimirum Veneris amasius, cui pro voto aspirant fœminæ impudicæ, diris agitur spiculis in pectore, quibus citra vllas temporis inducias anima lancinatur. Demum omnes artifices operum nequam excipiet tandem illa pœna etiam insolita Persis, qui corpora distrahunt arboribus inflexis: vrgente namque fato, vt sistantur homines tribunali Iudicis incorrupti, corpus effœtum deliciis vermibus addicetur. Anima verò vitiis propè innumeris scatens exuta suo corpore ad tartara protrudetur. Præco Dei, hoc erit negotij tui, ex hoc prædiuite antiquitatum penu decerpere argumenta eo intento, quo seriem hanc collegi: scilicet vt recolendo pœnas vitiis debitas, homines efficaci virtutum praxi à noxiis actibus abstrahantur.

Pœna hominis qui impune vacat voluptati.

Peccati pœna diffunditur in corpus, & animam.

CONTRO

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT controuersiæ agitantur,

Matth. 25.

I. II. III. CVM venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius, &c Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me, &c.

IV. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

ORTHODOXA ET catholica expositio Euangelij, distributa in tot titulos, quot argumenta controuersiarum suppeditauit textus literalis.

I. CHRISTVS infirmitatis hominum compos, & probè callens, quàm deorsum inclinet homo, vt compesceret effrænam peccandi libidinem, & excitaret dolorem de piaculis antea perpetratis, opportunè commemorat diem iudicij, & pœnas reprobis inflictas, vt homo sibi consulat adhibito Pœnitentiæ sacramento.

II. Ea quippe virtus est insita sacramento Pœnitentiæ, vt sanctificet animas, quas perculit ille timor supplicij æterni, suggerens tædium vitæ retroactæ, cum proposito redeundi ad meliorem frugem: quæ pœnitentia supellex sufficit ad hoc vt sacerdos sacramenti obsequio realiter influat in animam, eam iustificando per modum causæ instrumentalis.

III. Anima redux beneficio pœnitentiæ, sedulò satagit bonis operibus suas reparare ruinas, & æterna gaudia demereri.

IV. In his celebrantur eleemosynæ, vt maximè congruæ ad mercandam illam gloriam æternam. Namque illæ sunt velut traiectitium fœnus, quo terrenæ opes, pauperum salutifera manu, in gazas superas efferuntur.

ELENCHVS ET RATIO controuersiarum, quæ discutiuntur captata occasione materiarum huius Euangelij.

I. Quia commemoratio iudicij extremi & gehennæ terrorem incutit, & validè sollicitat homines ad pœnitentiam, vt eo pacto sibi consulant, capto ansam disputandi:

An attritio congrua sit dispositio ad iustificationem, accedente sacramento Pœnitentiæ.

II. Rursus quia anima beneficio absolutionis redux efficitur, alia quæstio exurgit:

An sacerdos absoluendo animam attritam, veraciter eam sanctificet, aut duntaxat indicet deforis, eam esse cælitus absolutam.

III. Gratia Dei influens in animas, non est otiosa, neque vacare potest, idcircò hominem vrget ad egregia audenda facinora, quibus nundinari queat gloriam æternam eo nomine datam adultis in die iudicij, quòd

Christum

Christum egentem in paupere refecerint. Et hinc tertiæ controuersiæ petitur argumentum:

An bona opera adultis necessaria sint ad salutem.

IV. Dato, & concesso, bona opera suam manere mercedem; Christus, cui maximè cordi fuit charitas, præcipuè hanc virtutem suis consuluit sequacibus, eam assignando velut tesseram animæ Christianæ. Cùm autem charitas animam Deo & proximo deuinciat, Christus specialem mentionem eleemosynæ fecit, vt operis congrui ad æterna stipendia conquirenda. Inde emersit vltima controuersia:

An eleemosynam erogare sit opus meritorium vitæ æternæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

Attritio congrua est dispositio ad gratiam, accedente sacramento Confessionis, ac proinde salutare est non peccare timore pœnæ.

In hæc verba:

Discedite à me maledicti in ignem æternum.

CONTROVERSIA I.

ARGVMENTVM PRIMVM.

Ex Ratione, Et Scriptura Sacra.

Congruum exordium ad texendam concionem de timore iudicij extremi.

ALternante sua fortunâ vices, & dispari armorum sorte; sanctiùs dixerim, librante Deo rerum omnium seriem & contextum, & moderante omnium fata; Hebræi Gentium victores haud quaquam semper constitere sibi sed sæpè iniquo Marte conseruere manus cum hoste acerbo. Vtque homo plagis crebrò sauciatus bello non sufficit, factus ineptus ad prælium; ita Hebræi sæpiùs fracti à Philistæis, tandem sub iugum missi, & herbam porrigentes prorsus eis impares extiterunt. Itaque Philistæi rerum potiti, hoc maximè habuere in votis, scilicet, ne Hebræi sæpè sæpiùs antea prostrati, denuò rebellarent. Idcircò futuri compotes huius voti, omnem mouerunt lapidem vt defectioni eorum occurrerent: huius autem negotij summam seu caput crediderunt, adimere Hebræis omnem armorum vsum, imò nec eis concedere ferrum ad vomeres, & ligones, aliamque supellectilem, quæ spectat ad culturam terræ, cui committenda sunt semina propaganda. Deploratum hunc statum populi subacti sacer textus ita commemorat. *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. Cumque venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle & Ionatha.* Hactenus ille codex sanctus,

Industriæ Philistæorũ ne Hebræi prostrati resurgerent à misera seruitute.

1. Reg. 13.

Homo immemor iudicij extremi faciliùs ruit in peccata.

Eo astu dæmon perpetuam fecit captiuitatem hominum, quos suo iniquo adegit imperio. Ille nimirum callidus hostis, & multo experimento vafer, vt deprehendit memoriam iudicij extremi esse salutare remedium contra vitus omnium peccatorum, ratione timoris, quem ingerit animis in ea meditatione defixis; duo præstitit. Primo, vt memoria iudicij prorsus excideret, suggerens impiis, illam historiam esse anilem fabulam, effictam ad terrorem credulis nimium mentibus impingendum. Sic obliterata recensione iudicij extremi, sublata fuere repagula, quæ obstabant, ne effrænes homines vltro se in vitiorum præceps darent. Huius industriæ diabolis inolitæ meminit Psaltes. *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Quasi diceret, homines inde Deum prouocare repetitis flagitiis, vnde diem iudicij dubium esse putant. Huiusmodi hominum res pessimè se habere Augustinus ait, hoc commentario: *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitij & cupiditatis frena laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum.* Concinit Cæsarius Arelatensis isto breuiloquio. *Quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio.* Plerique incauti vitio indulgentes, hoc iudicij extremi obliuionem inducente toxico perierunt.

Psal. 9.

Aug. in Ps. 9.

Cæsar. Arelat. ho. 19.

Dæmon insusurrat, timorem pœnarum & diei iudicij non esse salutarem.

Sed vbi Euangelij veritas illuxit, rari fuerunt impij, qui fecerint ancipitem fidem illius historiæ, quæ quotidie in subselliis Ecclesiæ recolitur, vbi instare diem iudicij præcones sacri quotidie populis insusurrant. Itaque secunda fuit adhibenda nequitia ab Angelo nequam, vt suo consuleret imperio, & ne perditi homines defectionem cogitarent, pertæsi suos ritus iniquos, ob diem iudicij ex improuisò omnibus imminentem. Secundò igitur arietauit in homines perculsos horrore diei huius formidandæ reprobis. Persuasit, timorem illum, quo concutitur anima reuoluens animo pœnas indictas impiis non esse salutarem, sed potius inferre Deo iniuriam, cuius obsequium sincerum sua non de timore sed amore potiùs expetit argumenta. Vt autem magis adhuc suspectum faceret hunc timorem, acerbus ille hominum osor suscitauit hæreticos, qui damnarunt contritionem illam imperfectam, quam vocamus attritionem, eo solo nomine quòd dolor de peccatis emergit intuitu diuini iudicij, & pœnarum, quæ tunc in crimina decernentur. Huius farinæ fuit Lutherus sic blasphemans: *Contritio duplici via comparatur. Primò per discussionem, collectionem, ac detestationem peccatorum, qua quis (vt dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt dolorem ac tristitiam excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem: quia solùm timore præcepti & dolore damni id facit, & tales* omnes

Luther. ser. de pœnit. habito an. 1517.

Lutherus genio indulgens damnauit meditationem pœnarum inferni quia molesta erat homini dedito deliciis.

omnes indignè absoluuntur, & communicantur.

Ita suum virus euomuit homo perduellis, eo solo damnans timorem iudicij extremi, & pœnarum inferni, quia porcus ille Epicuri de grege, nihil nisi sensuum illecebras, & placentia corpori, obscœno suo animo reuoluebat. Eamobrem vt audiit, illam suam sententiam fuisse à Leone Papa damnatam, libellum edidit Summo Pontifici iniurium, vbi suum illud dogma de timore pœnarum rursus adstruit hoc superbo effato: *Meus certè est iste articulus, & Christianissimus, quem mihi ab innumerabilibus Papis & Papistis non patiar extorqueri.* O belluam ita suo carnis volutabro assuetam, vt timeat hinc duelli stimulis, quos ingerit alta meditatio iudicij extremi! Vt Lutherus habuit asseclas & sequaces vitæ suæ obscœnæ; iidem etiam conscij voluptatum eius, disciplinam illam, vt deliciarum volutabrum, acriter, & pro suo modulo propugnasunt. Et ne conuiciis, quibus maximè valent in Sanctam Romanam Ecclesiam, viderentur tantùm suam adstruere sententiam, hanc commenti sunt rationem; videlicet hoc interesse discrimen inter Ecclesiam, & Synagogam, quòd Synagoga minis & terroribus inducenda fuit ad obsequium Dei: Ecclesia verò secus, amore illecta est ad subeundum Christi iugum, gratuita fide illi rerum Domino mancipata. Tanti faciunt illam rationem Lutherani, vt nullam prorsus velint fieri mentionem pœnarum inferni, cum de peccatis agitur, ne fiat iniuria amori diuino, quo solo duci debet anima sibi Deum conciliare volens. Huius delirij propugnator acerrimus extitit Ioannes VVigandus, vt videre est in colloquio Altemburgensi, vbi discutitur illa Lutheri insana sententia.

Luth. lib. contra bullã Anti-Christi. Qua ratione Lutherani dicunt damnandum esse dolorẽ peccatorum quem ingerit timor iudicij & pœnarum

Ecce sycophantæ sententiam. *Tam lex, quàm Euangelium, ad conuersionis doctrinam pertinent, quæ tamen confundenda non sunt. Lex quidem ad contritionem pertinet; sed Euangelium ad secundam partem conuersionis, nempe ad fidem referendum est, &c. Contritio non est opus nostrum, est potiùs passio nostra, qua conterimur, & concutimur, &c. Nos passiuè tantùm sumus, nos nihil agimus, sed patimur: ipse Deus nos conterit, non ipsi nos, &c. Proprietates contritionis sunt, hominem vel pertinacem, vel hypocritam, exuere, & expoliare ab omnibus suis bonis operibus, eumque replere innumerabilibus peccatis, hoc est, cognitione peccatorum, concutere eum timore, tremore, horrore, &c. Manifestum est igitur, legem ad contritionem pertinere; contritionem autem nos priuare omnibus operibus bonis coram Deo in negotio salutis, & peccatis atque maledictione nos replere.* Sic insaniunt homines qui à sana defecerunt Ecclesiæ disciplina. Hoc lethale virus ebibit Kemnitius, suam etiam faciens sententiam illam, quæ eo præfato colloquio prostat, eamque iisdem rationibus firmat, quas recenset textus ille proximè delibatus. Infrà diluam has rationes, & alia argumenta obiecta Catholicis assertoribus attritionis. Consule titulum de solutione argumentorum, quibus aduersum nos in hoc themate procacitas hæretica gloriatur.

Ioan. VVigand. colloq. Altemb. collat. 4. Quomodo delirent hæretici impugnando contritionem natam ex timore pœnarum.

Kemn. 2. p. examinis.

Non demitor hæreticos malè sentire de attritione, cùm proprium sit hæreseos insectari præcipua quæque dogmata Christiana; sed stupeo inter Catholicos doctrinam hæreticam hanc præfatam suos habere patronos, huic erroritamen alio titulo militantes. Nempe quidam non ausi damnare palàm dolorem de peccatis, & propositum vitæ cultioris intuitu iudicij extremi & pœnarum, dixere attritionem accedente sacramento pœnitentiæ non sufficere ad gratiæ illapsum, & sic iniurij Concilio Tridentino carpunt dolorem à sacra illa Synodo commendatum. Itaque disputatio hæc bicornis erit, æmulata explicatas acies in modum lunæ duo cornua prætendentis. Vna parte feriam hæreticos; altera concludam Catholicos malè sentientes de attritione, quam insufficientem dicunt, etiam accedente confessione integra peccatorum facta cum detestatione peccati, & proposito emendandi totum illud quod fuit impiè perpetratum, absolutione congrui sacerdotis adiecta.

Alia doctrina falsorum Catholicorum erronea, attritionem accedente sacramento pœnitentiæ non iustificare.

Conc. Trid. c. 3. de pœnit. & cap. 4.

Auspicor hunc conflictum ab hæreticis absolutè damnantibus hunc dolorem, qui emergit ex recensione iudicij & pœnarum, & quem dicunt facere magis hominem peccatorem. Sic arguo: Illud absolutè bonum est & sanctum, quod per se conducit ad bonitatem, seu sanctitatem aucupandam: Ergo cùm dolor de peccatis, cui obstetricatur intuitus iudicij extremi, hominem sollicitet ad sanctiorem vitam, ille dolor sanè bonus est censendus, & quantum fieri potest ab anima refricandus. Rursus, illud quod à Deo cœlitus inseritur animæ, vt inde fiat melior resiliendo à peccatis, profectò bonum est, & toto pectore amplectendum, vtpotè faciens ad salutem: Sed attritio est huiusmodi: nam ipso hæreticorum testimonio Deus nos conterit, ac proinde Dei est negotium, qui obstetricat animam concipientem propositum vitæ cultioris: & Dei intentum est, vt anima perculsa timore pœnarum, consulat sibi pharmaco pœnitentiæ; cùm itaque dolere de peccatis, intuitu iudiciorum Dei, non sit res merè naturalis, sed superioris ordinis, vtpotè pertinens ad gratiam Dei excitantem, & præuenientem; carpere dolorem illum, est damnare Dei gratiam, qua ad meliora cœlitus excitamur.

Ratio probans attritionem esse bonam, & sanctam.

Obsequium Deo impensum formidine pœnæ placet ei, quia habet reuerentiam implicitam.

Prætererea obsequium Deo impensum formidine pœnæ haudquaquam ei ingratum est, imò ei arridet, vtpote vehens reuerentiam qua seruus suo Domino obstringitur, vt ipse Deus ait Iudæos increpans, quòd hoc timore salutari penitus excidissent. Sic in eos inuehitur: *Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Et tantùm abest, vt Deo seruire formidine pœnæ sit peccatum, quinimò stimulus est valdè salutaris, quo Deus ipse vsus est ad deuinciendum sibi Adamum: quippe prouidus ille rerum moderator deuincire volens sibi hominem illum editum recens, præceptum ei indixit de abstinentia pomi; vtque tenacior esset homo propositi Deo iugiter obsequendi, ipse Legislator non eum induxit ad obediendum aliquo argumento amoris, sed pœnâ crimen illico sequuturâ. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Nonne & ille timor in Scriptura passim maximè commendatur? Accipe Salomonem. *Initium sapientiæ timor Domini.* Non ibi loquitur de timore filiali, qui est indiuiduus comes gratiæ, & charitatis: ille nimirum timor non est initium sapientiæ, sed est ipsamet sapientia consummata; siquidem sic timere, est perfectè sapere. Perperam igitur hæretici damnane

Malach. 1. Deus ipse obsequium ab homine petiit.

Genes. 2.

Prou. 1. Timor Dei, intuitu pœnarũ, maximè commẽdatur ex Scriptura.

nant hunc timorem iudiciorum Dei, cùm Scriptura sacra dicat penes illum esse incunabula sapientiæ Dei, vt videre est alio textu Iesu Syracidæ. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Rursus ille idem. *Timor Domini initium dilectionis eius.*

Ecclesiast. 1. & 25.

Timorem illum vicarias obstetricis partes agere, cùm anima se accingit ad partum aliquem salutarem, bellè ait Isaias ex versione Septuaginta interpretum. *Timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.* Hoc timore Deus ad meliorem frugem semper homines excitauit. Audi Dominum desuper intonantem. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Eadem calcaria Psaltes intorquet in latera peccatorum. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Eisdem aculeis Isaias vellicat impios immemores iudiciorum Dei. *Quis poterit habitare de vobis cum ardoribus sempiternis?* Nonne & ea punctione excitati Niniuitæ redierunt in gratiam cum Deo, quem audierunt instare sæuientem? Sic nempe eos adorsus est Ionas: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Et ne vllus cauillandi locus supersit hæreticis; Christus ipse in Euangelio nonne sollicitauit homines ad debitum sibi pensum reddendum, eodem etiam argumento pœnæ æternæ, vt hoc eius effato liquet? *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Est ergo inepta distinctio illa, quam confinxere hæretici, confitentes equidem viguisse timorem illum pœnarum stante Synagoga, flagris & ictibus assueta, sed Christum eliminasse timorem illum à sua Ecclesia initiata amore, non timore. Est inquam futilis & insulsa illa distinctio Synagogæ & Ecclesiæ in his quæ pertinent ad dolorem de peccato, cùm Christus ipse Legislator suadendo Dei timorem, pœnas æternas sæpe sæpius inculcarit. Res nunc est nobis cum quibusdam Catholicis malè sentientibus de attritione.

Isai. 26. Deuter. 32. Psal. 7. Isai. 33. Ionæ 3. Matth. 10.

SENSVS ORTHODOXVS.

Eadem Controuersia disputitur contra quosdam Catholicos temere affirmantes attritionem non sufficere ad iustificationem etiam accidente pœnitentiæ sacramento.

In hæc verba:

Discedite à me maledicti in ignem æternum.

ARGVMENTVM II.

Ex Ivre Canonico, Et Ex Sententiis SS. Patrvm.

IS fuit olim Sybaritarum luxus, vt in eum meritò declament Ælianus, Plutarchus, Athenæus, Rhodiginus, Maximus Tyrius, & Leonicus. Apud eos viguerunt omnium voluptatum illecebræ: nihil namque demulcere potest carnem, quod non fuerit vernaculum illi Genti, cui nulla prorsus alia cura fuit, quàm corporis. Vt autem Sybaritæ pleniùs genio indulgerent, voluerunt esse extorres omnes fabros, imò & gallos gallinaceos, quia suo antelucano cantu erant molesti Sybaritis crapulæ suæ indormientibus. Sybaritæ vilia voluptatum mancipia, hac lege edita in fabros, & gallos gallinaceos iniurios somno longiori hominum ebriorum, imposuere colophonem viriis, quibus vsque ad notam ignominiæ singularis antea diffluebant. Eo nempe modo noluere excitari à veterno. Vigiles Sybaritæ vacabant epulis omnigenis, quibus adhibebant musicorum suaue melos, & somno instante arcebant illud omne, quod poterat aliqualem strepitum excitare.

Sybaritarum luxus immodicus. Ælian. de varia hist. l. 1. c. 19. l. 14. c. 20. Plut. in Pelopida. Athen. l. 12. Dipnosoph. c. 6. Max. Tyrius ser. 1. 31. 33. Cælius Rhod. l. 7. cap. 9. Leon. varia hist. l. 3. c. 97.

Ad hanc ferè indolem accessère quidam nostrates Catholici, nuper afflati aura pestilenti libelli nefarij, quem damnauit sacra facultas Parisiensis orbe toto celeberrima, quæ velut è specula cauet, ne qua exotica seu à fide peregrina sententia labem affricet Galliæ Christianæ. In erroribus notatis à sacra facultate iste fuit: scilicet attritionem etiam accedente sacramento Confessionis non sufficere ad iustificationem animæ, sed operæpretium esse, vt perfectè anima conteratur, nullo intuitu pœnæ, & tota amore Dei flagret, vt gratiam sibi conciliet. Esto rigida sit hæc doctrina; habuit tamen suos asseclas & patronos, vt nihil adeò est peregrinum, quod non hospitem inueniat, cuius subeat tectum. Diceres prima fronte nouos Euangelistas extinguere ignem æternum sæuientem in peccatum, vt spargant & accendant suauia sacri amoris incendia. Sed reuera hoc impio susurro dæmon bifariàm petiit Ecclesiam. Primò in votis id fuit ei, scilicet exosam facere memoriam iudicij extremi, & inferni, qua scit maximè compesci homines à peccatis. Cui namque bono esset recolere pœnas illas, si earum timor non conducit ad salutem, quamuis dolorem excitet de peccatis, & ingerat propositum vitæ sanctioris. Aliud diaboli intentum fuit facere homines incurios Confessionis, quandoquidem anima pœnitens perfectè contrita, iam eo solo argumento quòd Deum amet, sit in gratia, & sic in ea opinione, absolutio non absoluat, sed duntaxat indicet absolutum.

Sacra facultas Parisiensis an 1638. damnauit illam sententiam quæ adstruit attritionem etiam accedente sacramento pœnitentiæ nō sufficere ad iustificationem.

Duo ex hac impia doctrina diabolus intendit scilicet expungere memoriam salutarem pœnæ æternæ & facere homines incurios Confessionis.

Accepi, plerisque comatulis atque delicatis Sybaritis placere sententiam illam, vt quæ expungendo omnem sensum iudicij & pœnarum, copiam eis facit liberè genio indulgendi, sine vlla cura confitendi suas nequitias, quandoquidem tota salus animæ petenda sit ab amore filiali & sincero, quo adblandiuntur sibi delicata hæc pectora conflagrare. Quasi verò ad cuiusque peccatoris arbitrium charitas influeret in animas, & hoc negotium gratiæ reducis, non esset suprà hominum vires, & gratia mera Christi Domini miserantis, cùm initium salutis nostræ non sit à nobis, sed à Deo cœlitus influente. Duo itaque habeo hîc probanda, Primum, dolorem qui nascitur ex peccatis intuitu pœnæ æternæ accedente proposito melioris instituti, valere ad iustificationem, accedente sacramento integro pœnitentiæ. Alterum est, sacerdotem absoluendo non indicare solùm esse absolutum, sed reuera absoluere à peccatis, Deo vtente Sacramento velut instrumento iustificationis animæ pœnitentis. Hoc vnum prænotandum, attritionem nomine etiam contritionis aliquando connotari, ita vt contritio perfecta sit illa quæ solius amoris argumento cor vellicat; contritio verò seu attritio intuitu

Contritio duplex, vna perfecta, alia imperfecta.

intuitu pœnæ alicuius hominem abstrahit à peccatis.

Quia cum Catholicis res est, armis vtendum est communibus, ideoque standum Conciliis atque sententiis Sanctorum Patrum. Accipe Concilij Tridentini decretum. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, &c. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: Declarat sancta Synodus, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Hoc Concilij Tridentini decretum facit quasi articulum fidei, hoc commune Theologorum effatum: *Homo de attrito fit contritus in Sacramento pœnitentiæ.*

Ex Ivre canonico. Conc. Trid. Sess. 14. c. 4.

Ex attrito fit contritus homo in sacramento.

Ne autem aduersariis detur ansa cauillandi, nota eam fuisse mentem Concilij, quæ eo effato proditur, scilicet attritionem accedente sacramento pœnitentiæ ad iustificationem sufficere. Ait Synodus hæc sacrosancta, attritionem disponere ad Dei gratiam impetrandam in sacramento pœnitentiæ. Vnde sic arguo: Dispositio omnis tollit obices, qui remorantur introitum formæ: Sed ex Concilio illo œcumenico, attritio in sacramento pœnitentiæ disponit animam ad gratiam impetrandam: Ergo tollit obices, qui impediebant gratiæ influxum, & sic attritio sufficit ad iustificationem accedente sacramento pœnitentiæ: nam gratia influit ex opere operato in eum qui remoto obice percipit sacramentum. In eo namque dispescuntur sacramenta nouæ legis ab illis Iudæorum, quòd scilicet Iudæis sua prodessent tantùm ex opere operantis, id est, iuxta fidem & deuotionem accipientium sacramenta Iudaica: nostra verò gratiam communicant ex opere operato, id est, remoto obice, gratia influit ex ipsa virtute sacramenti, quo Deus vtitur vt instrumento ad gratiam illico producendam. Nullus est ergo hallucinandi locus in captanda mente Concilij.

Sacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam causant remoto obice.

Quomodo homo in sacramento pœnitentiæ de attrito fiat contritus.

Itaque attritio accedente absolutione, quasi sigillata merito Christi eleuatur in genere moris, vt fit sufficiens gratiæ dispositio. Vt gratia habitualis finita in genere entis in humanitate Christi, fit ex vnione Verbi cuiusdam dignitatis infinitæ, & vile cuprum ex Regio sigillo impressо fit numisma valens ad mercandum. Huiusmodi attritionem Sanctus Thomas vocat rem sacramenti, & sacramentum. Rem quidem sacramenti, quia confert ad gratiam talis attritio, facta contritio virtute sacramenti. Est etiam sacramentum seu pars sacramenti pœnitentiæ, quod contritione, confessione, & satisfactione coalescit. Accipe textum Doctoris Angelici. *In pœnitentia est aliquid, quod est Sacramentum tantùm, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per sacerdotem absoluentem. Res autem & sacramentum est pœnitentia interior peccatoris: res autem tantùm, & non sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum, est causa secundi: primum autem & secundum, sunt quodammodo causa tertij.* Ait illic, confessionem & absolutionem, id est, sacramentum pœnitentiæ, esse causam pœnitentiæ interioris, seu contritionis, quam ideo rem sacramenti vocat, quòd ante sacramentum erat attritio, sed est facta contritio virtute sacramenti, cuius est res. Eò spectat Scotus quando probat, claues sua potestate hominem facere contritum de attrito, id est, absolutionem supplere defectum, qui est in dolore imperfecto pœnitentis. Rem hanc velut indubiam tractant Paludanus, Caietanus, Soto, & Henriquez, aliique permulti.

S. Th. 3. p. q. 84. ar. 1. in responsione ad 3.

Scot. in l. 4. Sent. d. 18. q. vnica. Palud. in 4. Sent. d. 14. q. 1. a. 3. d. 17. q. 2. Caietan. opusc. de contrit. Henriq. l. 4. c. 17 Soto l. 2. de natura & grat. c. 14. idem d. 14. in l. 1. Sententiarum q. 1. ar. 1. ad 4.

Non est ergo quòd nouatores clament, illam Ecclesiæ sententiam esse nouam, & contra sensum Sanctorum Patrum, qui contritionem voluere semper præire sacramento pœnitentiæ. Non eo inficias, contritionem fuisse semper creditam esse partem pœnitentiæ: sed vt alia est contritio perfecta, alia imperfecta, quæ dicitur attritio; Concilium Tridentinum opportunè definiuit, attritionem sufficere ad iustificationem, accedente sacramento pœnitentiæ. Alioquin si necessaria esset contritio perfecta, rari omnino essent, qui fruerentur beneficio sacramenti, cùm pauci sint, qui dignentur eo dono contritionis exquisitæ, quæ pertinet ad gratiam efficacem, ad quam Deus erogandam omnibus non se obstrinxit, sicut reuera se ex pacto obligauit ad gratiam sufficientem, siue excitantem, & præuenientem ex merito Passionis Christi, qui pro omnibus mortuus est. Cùm ergo latiùs pateat gratia sufficiens, quàm efficax, ac proinde plures atterantur, quàm conterantur; meliùs consulitur animæ, dicendo attritionem sufficere ad iustificationem accedente sacramento pœnitentiæ, quàm procaciter affirmando, cassum esse & irritum sacramentum pœnitentiæ, si quis non contritus perfectè eo initietur. Illa nimirum rigida sententia distraheret homines à confessione, cùm timerent incurrere in sacrilegium frequentando sacramentum absque præuia supellectile, quam postulat illud antidotum vitiorum.

Rursus, Baptismus & Pœnitentia dicuntur sacramenta mortuorum, vt secus Eucharistia est sacramentum viuorum. Vnde alia est dispositio requisita ad Eucharistiam, quàm ad illa duo prælibata. Nempe cibus datur viuis, ac proinde panis ille sacer nemini conceditur conscio sibi alicuius peccati mortalis: at secus est de Baptismo, & de Pœnitentia, quorum obsequio anima mortua suscitatur. Etenim in adultis requiritur attritio tantum vt Baptismi gratiam suscipiant, si nequeant perfectè conteri; nec alia de rigore petitur dispositio ad Sacramentum pœnitentiæ, quàm ea præfata ad Baptismum, qui namque nequit perfectè conteri, ille atteratur, & ex attrito contritus fiet, accedente sacramento, quo vt sigillo inusto attritioni, illa induit efficaciam contritionis, fitque homo compos gratiæ, quam sacramenta causant ex opere operato. Accipe ex Augustino paritatem Baptismi & Pœnitentiæ, & ab eodem disce, solam attritionem sufficere ad percipiendam Baptismi gratiam: & sic liquidior erit

Baptismus, & pœnitentia sunt sacramenta mortuorum & de rigore nō aliam petunt dispositionem præter attritionem in adultis.

Ex SS. Patribus.

erit mea conclusio, seu potius Ecclesiæ definitio. Augustinus interrogatus ab Honorato Episcopo, an Præsul grassante persecutione queat sibi consulere fugâ; respondit, illam Antistitis fugam esse noxiam & lethalem gregi suo, quia eo refugâ, multi nequeuntes baptizari, & absolui, morientes in eo statu damnantur. Profectò damnantur, quia sola attritio non iustificat sine sacramento; nec damnarentur si ad attritionem accederet sacramentum. Accipe textum Augustini. *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum extrema peruenitur, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem, & erogationem? Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quàntus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt?* Vides hoc contextu paritatem Baptismi & Pœnitentiæ, & homines attritos tantùm perire licèt in voto habuerint Baptismum & Pœnitentiam, quia ministro caruerunt, qui si opportunus adfuisset, ex attritis contritos effecisset accedente Sacramento.

Aug. ep. 180. ad Honorat. Thomo II.

Baptismi & Pœnitentiæ paritas in his quæ spectant dispositionem.

Iam Baptismum susceptum ab attrito tantùm, sufficere ad iustificationem, audi ab eodem Sancto, disserente de catechizandis rudibus. Sic ille: *Qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, vt non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est: cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, ne frangatur aduersis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus, & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens.* Nota eo loco, velle fieri Christianum, & baptizari, perinde esse, quia illic est sermo de catechumenis, quibus Augustinus ait sufficere attritionem ad Baptismum, vt eo sacramento accedente ad attritionem, participes fiant gratiæ, quæ influit in animas ritè dispositas. Adiicit ille Sanctus, animas factas Christianas præuia attritione innexa sacramento, postea mutare suam attritionem in contritionem. Hæc enim verba immediatè subiicit textui prælibato: *Qui etiam proficiendo perueniet ad talem animum, vt plus amet Dominum, quàm timeat gehennam, vt etiamsi dicat illi Deus: Vtere deliciis carnalibus sempiternis, & quantū potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris; exhorrescat, & omnino non peccet, non iam vt in illud quod timebat non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat.* Hactenus Augustinus, & equidem elimatè notans solam attritionem in sacramento Baptismi sufficere; sed eam accepto sacramento in ea incrementa pietatis assurgere vt perfecta fiat charitas. Vnde cum ex eodem Sancto sit paritas inter Baptismum & pœnitentiam sacramenta mortuorum, vtrobique sufficiet attritio, vt accedente sacramento fiat homo Deo gratus.

Aug. l. de catechiz. rudibus c. 17. to. 4.

Efficaciâ sacramenti anima attrita conteritur, noua pietatis incrementa accipiens.

Ne autem contritionis vocabulum aliquale facessat negotium, dum audis sacramentum pœnitentiæ constare tribus, scilicet, contritione, confessione, satisfactione; recole duplicem esse contritionem, vt præfatus sum, imperfectam videlicet, & perfectam: & imperfectam, quæ dicitur attritio, sufficere in sacramento pœnitentiæ, ad hoc vt anima percipiat beneficium sacramenti. Ita liquere & esse hanc orthodoxam sententiam patet auctoritate Innocentij III. Pontificis, cuius ista est disciplina. *Pœnitentia debet habere tres partes: Contritionem in corde: Confessionem in ore: satisfactionem in opere: In contritione debet habere pœnitens timorem de pœna, dolorem de culpa.* Magister sententiarum contritionem appellat compunctionem, quia vt Guillelmus Aluernus ait, irradiante Spiritu Sancto, pœnitentis cor pungitur aculeis peccatorum. Attritionem autem & compunctionem perinde esse, accipe ex Smaragdo viro vtique docto, qui floruit decimo sæculo. Sic ille: *Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis, exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij.* Non est itaque noua hæc doctrina Concilij Tridentini in gratiam attritionis, seu compunctionis ortæ ex metu iudicij, & pœnarum.

Contritio alia imperfecta, alia perfecta.

Innoc. III. in Psal. 2. pœnit.

Magist. sententiar. l. 4. di. 16.

Guill. Alu. de sacramento pœnit. c. 5.

Smaragdus ad cap. 49. Regula S. Benedicti.

Accipe item præclaram in eo themate sententiam, editam ante quadringentos annos, ac proinde multò antiquiorem Concilio Tridentino. Ea est Iacobi Vitriaci Cardinalis doctissimi, & Episcopi Tusculani. Sic ille: *Compunctio dicitur cordis humiliati cum deuotione seu lacrymis punctio, siue ex recordatione delicti, siue ex beneficiorum recordatione, siue ex timore gehennæ. Compunctio cor hominis purgat, mentem illuminat, spiritum confortat, & corroborat. Oportet quòd pœnitens cum amaritudine doleat. Ieremias ait: Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et Ioel: Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. Quoniam igitur Dominus sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum; recogitemus annos nostros in amaritudine animæ nostræ, dicentes cum sapiente muliere: Nolite me vocare Noemi, id est, pulchram: vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine me repleuit omnipotens. Talis enim amaritudo vermes malæ conscientiæ, & carnalium desideriorum interimit.* Hactenus ille Cardinalis peritissimus rei cuiusque sacræ.

Quid sit compunctio, & vnde ortum ducat, & quā sit salutaris.

Iaco. Vitriaco ser. in ca. ieiunij.

Ierem. 6.

Ioël. 2.

Rursus, attritionem sufficere ad salutem in Sacramento pœnitentiæ, probant multi alij textus Sanctorum Patrum, qui dum homines hortantur ad pœnitentiam, dolorem præcipuè meminerunt, qui emergit ex intuitu pœnarum, & iudicij extremi. Ita Gregorius: *Tantò arctiori manu pœnitentia mens a pollutione tergenda est, quantò se per consensum conspicit sordidiùs inquinatam. Cùm vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudij perturbat, vt nihil ei iam nisi flere libeat, nihil nisi quod se terrere possit attendat. Ponit namque ante oculos illinc districtionem iustitiæ, hinc meritum culpæ: conspicit quo supplicio digna sit, si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia, ab æterna eruere pœna consueuit.* Si dolor ille de peccatis, emergens intuitu pœnarum & iudicij extremi, esset insufficiens cum Sacramento pœnitentiæ ad tergendas animæ maculas, Gregorius non dixisset eum procedere ex vehementi pœnitentiæ spiritu, mentem occupante. Sed vt liquidior extet Gregorij sententia, audi eum explicitè affirmantem, illum dolorem natum intuitu supplicij æterni

Sancti Patres maximè suadent dolorem de peccatis intuitu pœnarum & iudicij extremi.

Greg. lib. 4. Moralis. 17.

æterni tergere vitia, saltem accedente sacramento; sic enim intelligo Gregorium ita fatum: *Quid est hoc, quòd foris concremantur carnes, intus aromata? nisi hoc, quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera. Quia alij adhuc per timorem plangunt: alij verò iam se per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt. Plangunt mala quæ fecerunt, & incenduntur vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur.*

Idem ho. 22. in Ezech.

Attritionis efficacia ad compescendos omnes vitiorum æstus.

Audis incendi vitia igne compunctionis huius, quam recolit ortam dum quis æterna supplicia pertimescit: Ergo satis est ille dolor ad salutem in pœnitentiæ Sacramento. Timorem hunc ideo nuncupauit Basilius sanctitatis operatorium, quia reuera sufficit cum Sacramento pœnitentiæ, vt fiat anima sanctior. Sic ille Antistes magni nominis, vtpote Magnus appellatus. *Timor salutaris, & qui sanctitatis operatorius est.* Et Sanctus Ephræm coæuus Basilio, nullo alio intuitu quàm pœnarum & iudicij compunctionem excitat hoc contextu. *Compungere, o anima mea! compungere super vniuersis bonis, quæ à Deo accepisti, & non custodisti. Compungere de omnibus, quæ fecisti malis: compungere in cunctis, in quibus te diù patienter Deus expectauit: compungere, & pœnitentiam age, ne tenebris tradaris exterioribus. Resipisce misera & afflicta anima, ne coram horrendo Christi tribunali confundaris.* Noluere Patres perfectam contritionem prædicare esse necessariam: cùm enim illa pertineat ad gratiam efficacem, quæ paucorum est; homines profectò in desperationem induxissent, si eos addixissent huic dolori, qui non potest æquè facilè concipi ac attritio, quæ pertinet ad gratiam sufficientem nemini denegatam. Et hanc solam attritionem dixere Patres necessariam, non quòd exclusserint contritionem perfectam, quam secus miris encomiis celebrarunt, vtpote conducentem ad gratiæ maximum incrementum: sed quia dum fuere initiandi peccatores ad pœnitentiam, operæpretium fuit explicare necessaria tyronibus, & non ea, quæ prouectos in gratia decent. Eò spectant illa Chrysostomi eloquia: *Hoc solum est, quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & Angelos, qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui tradendi sunt in gehennam, ac suppliciis tradendi.* Hæc ille.

Basil. in Ps. 33.

Ephræmus ser. 2 de compunct.

Quare Sancti Patres non prædicarint perfectam contritionem esse necessariam ad dignè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ.

Chrys. l. de compunct. cordis in fine.

Aduerte amabò, Chrysostomum dicere, hoc solum esse, quod exposcitur à fidelibus: scilicet vt intuitu iudicij & gehennæ Deum conciliemus nobis. Non est in eo argumento prætereundum singulare effatum Tertulliani, suadentis vt quisquis de Confessione ineunda cogitat, is se aptet commemorando gehennam, quod perinde est ac dicere, hominem vt par est accingi ad Sacramentum pœnitentiæ, si sit attritus. Ecce viri magni parænesim. *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet: & pœnæ prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites.* Ambrosius consultor idoneus in his quæ animarum curam spectant, nulla alia præludia petiit ad

Tertull. lib. de pœnit. c. 12.

Sacramentum pœnitentiæ, quàm dolorem de peccatis emergentem ex intuitu iudicij aut supplicij æterni. Sic ille quondam affatus est virginem, quæ suo malè pudori consuluit: *Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas tenebras positam exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Profectò imposuisset nobis Ambrosius, & equidem summo animæ dispendio, si pœnitentiæ Sacramentum irritum esset illis, quos angit dolor de peccatis excussus à timore gehennæ. Sed vt is erat Deo afflatus, sua etiam sententia Concilij Tridentini decretum multis sæculis anteuerrit, illud idem enuntians, quod placuit Ecclesiæ in gratiam attritionis.

Ambr. ad Virginem lapsam c. 8.

Nec valet instantia, dolorem illum, quem suggerit intuitus iudicij extremi, esse rudimentum animæ recens initiatæ, nec esse illic immorandum cùm sint æmulanda charismata meliora: & esse indecorum homini Christiano pœnis vrgeri, & non amore, quo præcipuè omnia constare debent Christi sequacibus, quorum amor est tessera singularis. Hanc diluo instantiam, confitendo quidem, contritionem perfectam esse præstantiorem attritione, sed dico, quæ sunt perfectionis amplioris non esse de necessitate Sacramenti, & sufficere ideo contritionem imperfectam, vt beneficio Sacramenti pœnitentiæ attrita anima perfruatur. Imò satiùs est certam sibi procurare attritionem meditando iudicium & supplicia æterna, quàm frustra sibi adblandiri de dubia contritione, sola recensione amoris Dei parta. Plerumque nimirum anima, rata se amore Dei percitam, fallitur effecta pigrior, dum se amore decoctam credit: sicque sibi eatenus est iniuria, quatenus est incuria meditari ea, quæ conducunt ad impigram virtutum praxim, vt sunt iudicia Dei. In ea fuit sententia Rabanus Maurus, ille famosus Abbas sæculo nono, à quo Strabo Fuldensis eius discipulus excepit Glossam ordinariam. Sic ille opportunè consulit. *In peccatoris vtique pectore incessanter debent spes & formido coniungi: quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat: incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.*

Cõtritio attritione præstantior, non est de necessitate sacramenti pœnitentiæ.

Iustitia Dei & misericordia vt comites indiuiduæ debent recoli ab anima pœnitente.

Rabanus Maur. in Eccles. l. 1. c. 19.

Vellem rescire à nouatoribus nostris, qui damnant timorem iudicij, nec aliud volunt animis ingeri, præter amoris & misericordiæ Dei speciem & tinnitum, an sint sanctiores Bernardo, qui voluit indiuiduum esse nexum iudicij extremi & misericordiæ Dei in meditatione nostra, ne anima amori & misericordiæ assueta fiat remissior, vtpote in inertiam fracta. Accipe consilium viri Sancti. *Pedes Christi sunt misericordia, & iudicium: quorũ alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat vniuersitatis Dominum formam serui pro seruis suscipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram, &c. statim deceptoria spe sibi blanditur, & illudit: gaudet obseruari in misericordia, & miserationibus, iudicium nescit, ignorat iustitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatus misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat, qui totum de misericordia pede præsumit, hoc solùm ad salutem sufficere credens, quod credit.*

Bern. ser. in festo B. Mariæ Magd.

Hæc Bernardus, illo penicillo delineans discipulos eorum, qui carpunt attritionem, vt facessentem animæ negotium, in eo quòd iudicij extremi & pœnarum species horribiles ingerit menti. Qui autem sint illi nouatores, disce ex eorum moribus. Hi nempe sunt delicatuli homines, toti in corporis sui cura, vtpote acerbi hostes cuiusque rigidæ disciplinæ: quia, inquiunt, hoc est seruire Deo more seruorum, qui duntaxat increpitante scutica diriguntur. O nouos Euangelistas, nouo etiam paradiso dignos, eo videlicèt, quem suis porcis finxerat Epicurus!

Qui nolunt recolere diē iudicij, illi sunt pigri.

In attritione commendanda suadent Sancti esse recolendam misericordiam simul cum memoria iudicij extremi, ne anima formidine concussa deficiat. Sic Bernardus: *Rursus cùm adducit os, & iudicij pedem crebrioribus osculis intertangit, subcutitur carnis animæque substantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis, offendere creatorem, nescire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam ponere in gehennam. Terribilis certè quædam expectatio iudicij, quando ignis in conspectu eius exardescet, & virtutes cælorum mouebuntur, & vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius, quam videre latronis officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis vndantem. Quis hæc diutius cogitans, non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis excludat. Vtrumque igitur inungat pedem anima pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum.* Tota hæc Bernardi doctrina fauet attritioni, ad quam excitandam laborauere Patres Sancti, vtpote certissimi eam sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ.

Bern. vbi supra.

Holocaustū contribulati spiritus quomodo fiat.

Vide an non etiam Augustinus ad attritionem attenderit, cum ita affatus est hominem male sibi conscium: *Ascendat* (inquit) *homo aduersum se tribunal mentis suæ, existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illic recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum, siue malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur Deus hoc peccatori, dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas fluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini: vt qui separari à regno cælorum timet per vltimam sententiam summi iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cælestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam.* Profectò totus hic discursus pertinet ad attritionem, quam satis superque Augustinus hoc tenore ostendit esse congruam supellectilem, qua pœnitens anima gaudere potest salutari obsequio Sacramenti pœnitentiæ, quidquid secus nouatores nostri impiè & procaciter insusurrent.

Aug. l. de pœnit. qui est ho. 50. variar. cap. 4.

Consilium Augustini de modo quo anima se debet aptare ad attritionem antequam accedat ad Sacramentum pœnitentiæ.

Esto sonet quidpiam indecorum atque ignobile timor hic seruilis, vtpote positus infra contritionem perfectam; hoc tamen non obstat, quin anima redux, & sui compos effecta, bellum indicat vitiis intestinum. Dum namque reuoluit animo se delinquendo effectam obnoxiam pœnis æternis, ea qua cura potest satagit emendare quod iniquè fuit antea perpetratum. Exemplo tibi sit Hieronymus, recolens delicta iuuentutis suæ. Is nullum aliud argumentum austeræ suæ pœnitentiæ commemorat, præter metum gehennæ, quod nequaquam faceret, si dolor de peccatis conceptus ex metu gehennæ non sufficeret ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ. Sic ille: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpè choris intereram puellarum.* Hæc ille.

Attritione perculsus homo castigat pœnis congruis omne quod iniquè antea perpetrarat vt patet exemplo Hieronymi.

Hier. ep. 22. ad Eustoch. cap. 3.

Quanta fuerit austeritas veterū Monachorum.

Hinc arguo sic: Hieronymus vir sanctitate conspicuus, editurus egregia pœnitentiæ specimina, ad diluendos noxios pubertatis actus, dolori suo de peccatis obiectum gehennam fecit, & eius intuitu, obiit calles salebrosos pœnitentiæ aliis inuios: Ergo salutaris erit ille dolor de peccatis, cuius incunabula gehenna facit, & penes eum sita tota dispositio necessaria ad iustificationem, quæ consequitur Sacramentum pœnitentiæ adiectum huic dolori, de quo indubiè loquitur idem Hieronymus, insinuans liquidò, illum esse satis ad beneficium Sacramenti pœnitentiæ. Sic ille: *Necesse est, vt prius peccatorem mœror pœnitentiæ salubriter humiliet, & ita postmodum per iudicium sacerdotis sermo data reconciliationis lætificet.* Profectò non alium à pœnitente mœrorem quæsiit Hieronymus ab eo, cui erat tunc temporis assuetus, animo suo versans semper diem iudicij, & angustias supplicij sempiterni. Hunc mœrorem ait peti, ad hoc vt sortiatur effectum suum absolutio sacerdotis. Cùm ergo nihil aliud præterea exigat; non est ambigendi locus, dolorem illum accedente Sacramento pœnitentiæ reducem facere gratiam, tota nouatorum classe perperàm & temerè reluctante.

Hier. in c. 12. Prou.

SENSVS ORTHODOXVS.

Soluuntur instantiæ, quæ carpunt vt malum, dolorem de peccatis, ortum intuitu pœnæ æternæ.

Ex Sententia Sanctorvm Patrvm.

OMne infirmum naturâ querulum est, vt videre est in senibus & paruulis, in quos si vel leuiter

Delicatis hominibus non placet attritio seu dolor de peccatis ortus intuitu pœnæ æternæ.

Instantia contra dolorem de peccatis ex metu iudiciorum Dei. Quænam arrideat pœnitentia vilibus carnis & mundi mancipiis.

leuiter impingas, eo solo suppeditas argumentum & liuoris, & querelæ. Ita hoc sæculo secta quædam exorta est, cui vita delicata cunas fecit. Professores huius instituti nihil nisi amorem clamant, cunctaque volunt opera fidelium esse illo amoris Dei saccharo condienda. Suauitate nominis illecti plerique dedere manus illi sectæ enitenti in perniciem Ecclesiæ: siquidem sequaces huius disciplinæ nouæ, hoc lethale virus ebibunt; scilicet dolorem de peccatis, ortum intuitu pœnarum & iudicij extremi, esse dolorem inordinatum, ac proinde malum, ideoque animam non esse pascendam ideis, quæ recolunt diem iudicij & supplicia æterna, quia sacer & illibatus amor Dei refugit hæc horrida simulacra. Expunctâ memoriâ iudiciorum Dei, iidem sectarij arcent à corpore quidquid ei ingratum est, cilicia, ieiunia, vigilias, prolixas preces, aliamque omnem pœnitentiæ supellectilem, quæ bellum indicit corporis illecebris, sicque viâ lacteâ & nullis stratâ spinis cœlos obambulant, Beatorum etiam hinc gaudia delibantes. Grassatur ista lues, eoque contagio plerique infecti genio indulgent, specie amoris Dei retundentes aculeos pœnitentiæ, dum affirmant, veram pœnitentiam esse amoris negotium, & non ingratas corporis angustias. Sic hodie erratur impunè, & in sæculo tatus est, qui salutares adhibere velit scopas pœnitentiæ, ad næuos suæ animæ detergendos. In hos intorquere libet hoc Tertulliani effatum: *Num ergo in coccino & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? cedo acum crinibus distinguendis & puluerem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri, vel æris, vnguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas vrgeat: præterea exquirito balneas lætiores, hortulani maritimive recessus adijcito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini. Cùm quis interrogarit, cur anima largiaris? Deliqui (dicito) in Deum, & periclitor in æternum perire.*

Tertull. l. de pœnitentia.

Hoc industrio Tertulliani penicillo lineatur indoles iners eorum hominum, qui referentes ore tenus amorem Dei, reuera altum odium in pœnitentiam circumferunt pectore delicato. Sed ne dicteriis & spiculis istam eorum instantiam videar elusisse; nego quod intendunt, obiicientes timorem supplicij æterni esse inordinatum, quia plus est timenda culpa, quàm gehenna. Consequenter inficior, eum dolorem esse inordinatum, qui animam malè consciam angit, memorem se factam fuisse obnoxiam pœnis æternis cùm peccauit. Illud namque non est inordinatum, quod ordinem seruat à Deo rerum omnium Domino præstitutum: At Deus ipse recolit in Scripturis diem iudicij, vt timeatur gehenna, eo tempore in animas & corpora sæuitura. Sic Christus: *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Ergo nihil omnino inordinatum est in illo timore, nec in dolore de peccatis inde enato; Ita enim à natura comparatum est, vt quisque doleat ex apprehensione rei molestæ. Et esto contritionis perfectæ dolor sit nobilior; hoc tamen non obstat, quin alius ille timor sit bonus & vtilis, vt adstruit Augustinus ita fatus. *Ille timor nondum castus, præsentiam Domini &*

Timor iudiciorum Dei est bonus atque salutaris.

Matth. 10.

Ex SS. Patribus. *Aug. in Psal. 127.*

pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est. Vtilis sanè, quia conducit ad charitatem, dum homines metu gehennæ bonis actibus assuescunt. Sic ille: *Alius gehennam timet, vnde terruit & Dominus. Audiunt hac homines: & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se a peccato. Timent quidam, sed non amant iustitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitia, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & iam incipit homo iustè viuere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* Hactenus Augustinus.

Quare timor supplicij æterni sit salutaris. *Aug. ibidem.*

Eo timore Gregorius Magnus vt valido argumento compescebat effrænem peccandi licentiam. Ille nimirum eo fine diem iudicij menti fidelium sæpiùs inculcabat. Quod profectò non fecisset, si suspicatus esset in eo dolore de peccatis, ex metu iudicij quidpiam indecorum. Sic ille: *Vitam vestram, fratres, moresque componite. Is qui mitis resurrexit ex morte; quàm districtus in iudicio veniat, prauidete. Certè in die tremendi examinis sui, cum Angelis apparebit: cœlis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequij terrore commotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite. Hunc venturum timete: vt hunc cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad vsum bonæ operationis exerceat: metus illius vitam nostram à prauitate compescat. Mihi, fratres, credite suspecti de culpa.* Reuera diaboli industria est, pellere hunc timorem, vt charitatem prorsus eliminet; quippe rudimentum charitatis est timor ille iudiciorum Dei: hinc etenim anima redux auspicatur meliorem inire frugem. Quod vt probè callet Angelus ille nequam, charitati bellum indicit acerbum, vtique specie charitatis: dum namque suggerit hominibus, omnia esse ex charitate agenda, & timorem supplicij eliminat; hominem ferè facit impotem ad charitatem congruè capessendam. Nempe pubescente timore iudiciorum Dei, charitas etiam adolescit, quæ nacta suam perfectam indolem postea timorem pellit, ita componens animam ad arbitrium Dei, vt tota Deo iugiter adhærescat. Eò tamen non assurgit anima nisi præambulo hoc timore, vt erudite probat Augustinus hoc contextu: *Si nullus est timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi seta exeat non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor; quia ideo intrauit, vt introduceretur charitas.*

Meditatio iudicij extremi timorem excitat, qui refrænat peccandi libidinem.

Timor iudiciorum Dei, est rudimentum charitatis.

Aug. tr. 9. in epist. Ioan.

Secundò instant delicatuli homines, Euangelium dispesci a lege antiquata, quòd hæc minis atque terroribus ageret cum Hebræis, vt videre est hoc discursu Dei apud Ieremiam. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras.* Item ille idem Dominus ex Ioële. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, scindite corda vestra.* Adiiciunt, omne Hebræorum onus esse remotum procul ab humeris fidelium, iuxta illud Petri Apostoli, carpentis eos, qui in Ecclesiâ volo

Alia instantia contra dolorem de peccatis ex metu iudiciorum Dei. *Ieremia 23. Ioël. 2.*

familiar. Cicero l. 10. epist. 32. Appianus l. 5. bellorum ciuil. Plut. problem. cap. 115.

illos noxios sedulò custodire, donec eorum causâ discussâ Senatus tulisset sententiam in gratiam vel in eorum caput pro dignitate piaculi, cuius indagini iudices insudabant. Ita Plutarchus.

Frænum ori impositū noxiis hominibus. Plutarchus in Cleomene. Diodor. Sic. l. 2. cap. 1. Strabo l. 16. Seneca l. 3. de ira.

Ex præfatis collige aliqualem ideam iudicij extremi, & memor esto, Deum haudquaquam cedere Romanis in his quæ pertinent ad criminum vltionem: nulla namque Regibus illic erit copia fugiendi; quippe rei omnes diabolos habebunt in Phylactos. Ibi tormenta desæuient duriora eis, quæ Roma vetus adhibuit ad vitiorum surculos extirpandos. Non in Græcia & ditione tantùm Romanorum vitia malè audierunt; sed & apud alias Gentes incultas, & deditas luxui, vt fuere Ægyptij, Æthiopes, & Persæ. Ægyptij noxiis hominibus iniiciebant frænum velut equis & eos illa equorum specie ducebant ad supplicium capitis, vt Plutarchus ait. Artisanes Æthiopum Rex noxiorum hominum ora deformabat truncando nasum, vt vel sic à vitiis abhorrerent. De ea pœna constat apud Diodorum Siculum, Strabonem, & Senecam. In Elephantina Æthiopia, nefarij homines ophiusam herbam bibere cogebantur, qua epota ita terroribus angebantur, vt sibi morte consulerent. Persæ suis maleficis ipsi etiam adeò erant malefici, vt eorum capita saxis allidetent, vt testis est Plutarchus, sicut & Plinius, auctor est ritus Elephātinæ Æthiopiæ. Iidem Persæ, quos Derbices vocant, adeò exosi fuere scelus omne, vt Strabo referat eos sic quæque crimina castigasse, vt proceris curuatis arboribus, & reo in deflexis culminibus alligato, illis subitò laxatis, lacerum corpus in diuersa distraherent. Plutarchus item memorat, viguisse apud eosdem Persas hanc censuram; videlicet vt duabus scaphis fabrefactis, ibique homine occluso, ita vt manus & caput extarent, tetro odore, & immunda tabe, atque vermium scaturigine crimina vindicarent.

Noxij homines terroribus importunis agitati. Plin. l. 24. cap. 17. Plutarch. in Artaxerxe. Horrenda suppliciorū genera Persis vsitata. Strabo l. 11. Plutarch. in Artaxerxe.

Indorum Gens, morte quempiam afficere, rem credidit inhumanam: non defuere tamen mulctæ, quibus abstrahebantur Indi à noxiis quibusque actibus. In pœnis ea fuit maximè ingloria, qua more seruorum homines noxij tondebantur. Exui nempe coma, populo huic res fuit indecora. Morem illum meminere Isidorus, Nicolaus, & Stobæus. Non est prætereundus teter ille Persarum carcer nomine Lethes, id est, obliuio. Illud ergastulum erat refertum cineribus, nemoque nisi laniandus illo carcere condebatur, vt auctor est Alexander. Illa omnis prælibata recensio pœnarum, quas à nefandis hominibus experiuere dissitæ nationes, probat primò, indolem esse vitij detestandam, & maximè Christianis, quibus præter rationis vsum communem cum cæteris hominibus, fidei lumen illuxit, quo affulgente magis suam nequitiam vitia manifestant. Adijce,

Isidorus l. 5. Etymologiarum. Nicolaus περὶ ἐθῶν. Stobæus collectaneorum serm. 42.

Alex. ab Alex. l. 3. dierum genial. c. 5. Pœnæ vsurpatæ à plerisque Gentibus in noxios homines peccati indolem egregiè produnt.

fidelium noxam esse grauioribus pœnis obnoxiam, quia eis constat de præcepto Dei inhibente piacula, seu omnia iniqua facinora. Rursus eorum inde liquet insania extrema: scilicet peccare post audita tormenta horrenda, quæ reprobis post hæc suprema funera decernentur. Quodque facit ad criminis incrementum, Christiani experti, quàm durum sit peccare, non faciunt peccandi modum. Diceres eos coniectos in illum Persarum carcerem cineribus plenum, cui nomen est Lethes, id est, obliuio. Sui nempe & cœli, & inferni immemores, voluptuosi vacant illecebris, tandem aliquando in cineres redigendi. More Æthiopum herbam ophiusam potant; quippe bibunt sicut aquam iniquitatem, & inde eis terroribus omnia plena, vt Deus aliàs est suo populo minitatus, hoc tenore. *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, &c. augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & perseuerantes, infirmitates pessimas, & perpetuas, & conuertet in te afflictiones omnes Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper vniuersos languores, & plagas quæ non sunt scripta in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat. Disperget te Dominus in omnes populos, &c. In Gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mærore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.*

Quis sit habitus hominis post peccatum. Deuter. 28.

Anima peccatis obnoxia maximè angitur curis & inquieta est semper.

Nonne diceres, eos qui voluptati indulgent bibisse ophiusam, cùm iis terroribus afficiantur, quos meminit ille sacer textus. Esto iaceant in cubili molliter strato viri vacantes obscœnis actibus; profectò lectulus ille non est floribus consitus, sed spinis; & duas illas refert scaphas, quas memini fabrefactas à Persis, vbi corpora conclusa manibus extra pendulis & capite, tabida consumuntur à vermibus. Ille nimirum Veneris amasius, cui pro voto aspirant fœminæ impudicæ, diris agitur spiculis in pectore, quibus citra vllas temporis inducias anima lancinatur. Demum omnes artifices operum nequam excipiet tandem illa pœna etiam molita Persis, qui corpora distrahunt arboribus inflexis: vrgente namque fato, vt sistantur homines tribunali Iudicis incorrupti, corpus effœtum deliciis vermibus addicetur. Anima verò vitiis propè innumeris scatens exuta suo corpore ad tartara protrudetur. Præco Dei, hoc erit negotij tui, ex hoc prædiuite antiquitatum penu decerpere argumenta eo intento, quo seriem hanc collegi: scilicet vt recolendo pœnas vitiis debitas, homines efficaci virtutum praxi à noxiis actibus abstrahantur.

Pœna hominis qui impune vacat voluptati.

Peccati pœna diffunditur in corpus, & animam.

CONTRO-

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT controuersiæ agitantur,

Matth. 25.

I. II. III. CVM venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius, &c Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me, &c.

IV. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

ORTHODOXA ET catholica expositio Euangelij, distributa in tot titulos, quot argumenta controuersiarum suppeditauit textus literalis.

I. CHRISTVS infirmitatis hominum compos, & probè callens, quàm deorsum inclinet homo, vt compesceret effranam peccandi libidinem, & excitaret dolorem de piaculis antea perpetratis, opportunè commemorat diem iudicij, & pœnas reprobis inflictas, vt homo sibi consulat adhibito Pœnitentiæ sacramento.

II. Ea quippe virtus est insita sacramento Pœnitentiæ, vt sanctificet animas, quas perculit ille timor supplicij æterni, suggerens tædium vitæ retroactæ, cum proposito redeundi ad meliorem frugem: quæ pœnitentiæ supellex sufficit ad hoc vt sacerdos sacramenti obsequio realiter influat in animam, eam iustificando per modum causæ instrumentalis.

III. Anima redux beneficio pœnitentiæ, sedulò satagit bonis operibus suas reparare ruinas, & æterna gaudia demereri.

IV. In his celebrantur eleemosynæ, vt maximè congruæ ad mercandam illam gloriam æternam. Namque illæ sunt veluti traiectitium fœnus, quo terrenæ opes, pauperum salutifera manu, in gazas superas efferuntur.

ELENCHVS ET RATIO controuersiarum, quæ discutiuntur captata occasione materiarum huius Euangelij.

I. Quia commemoratio iudicij extremi & gehennæ terrorem incutit, & validè sollicitat homines ad pœnitentiam, vt eo pacto sibi consulant, capto ansam disputandi:

An attritio congrua sit dispositio ad iustificationem, accedente sacramento Pœnitentiæ.

II. Rursus quia anima beneficio absolutionis redux efficitur, alia quæstio exurgit:

An sacerdos absoluendo animam attritam, veraciter eam sanctificet, aut duntaxat indicet deforis, eam esse cælitus absolutam.

III. Gratia Dei influens in animas, non est otiosa, neque vacare potest, idcircò hominem vrget ad egregia audenda facinora, quibus nundinari queat gloriam æternam eo nomine datam adultis in die iudicij, quòd

Christum

Christum egentem in paupere refecerint. Et hinc tertiæ controuersiæ petitur argumentum:

An bona opera adultis necessaria sint ad salutem.

IV. Dato, & concesso, bona opera suam manere mercedem; Christus, cui maximè cordi fuit charitas, præcipuè hanc virtutem suis consuluit sequacibus, eam assignando velut tesseram animæ Christianæ. Cùm autem charitas animam Deo & proximo deuinciat, Christus specialem mentionem eleemosynæ fecit, vt operis congrui ad æterna stipendia conquirenda. Inde emersit vltima controuersia:

An eleemosynam erogare sit opus meritorium vitæ æternæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

Attritio congrua est dispositio ad gratiam, accedente sacramento Confessionis, ac proinde salutare est non peccare timore pœnæ.

In hæc verba:

Discedite à me maledicti in ignem æternum.

CONTROVERSIA I.

ARGVMENTVM PRIMVM.

EX RATIONE, ET SCRIPTVRA SACRA.

Congruum exordium ad texendam concionem de timore iudicij extremi.

ALternante sua fortunâ vices, & dispari armorum sorte; sanctiùs dixerim, librante Deo rerum omnium seriem & contextum, & moderante omnium fata; Hebræi Gentium victores haud quaquam semper constitere sibi sed sæpè iniquo Marte conseruere manus cum hoste acerbo. Vtque homo plagis crebrò sauciatus bello non sufficit, factus ineptus ad prælium; ita Hebræi sæpiùs fracti à Philistæis, tandem sub iugum missi, & herbam porrigentes prorsus eis impares extiterunt. Itaque Philistæi rerum potiti, hoc maximè habuere in votis, scilicet, ne Hebræi sæpè sæpiùs antea prostrati, denuò rebellarent. Idcircò futuri compotes huius voti, omnem mouerunt lapidem vt defectioni eorum occurrerent: huius autem negotij summam seu caput crediderunt, adimere Hebræis omnem armorum vsum, imò nec eis concedere ferrum ad vomeres, & ligones, aliamque supellectilem, quæ spectat ad culturam terræ, cui committenda sunt semina propaganda. Deploratum hunc statum populi subacti sacer textus ita commemorat. *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philistiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. Cumque venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle & Ionatha.* Hactenus ille codex sanctus,

Industriæ Philistæorũ ne Hebræi prostrati resurgerent à misera seruitute.

1. Reg. 13.

Eo astu dæmon perpetuam fecit captiuitatem hominum, quos suo iniquo adegit imperio. Ille nimirum callidus hostis, & multo experimento vafer, vt deprehendit memoriam iudicij extremi esse salutare remedium contra virus omnium peccatorum, ratione timoris, quem ingerit animis in ea meditatione defixis; duo præstitit. Primo, vt memoria iudicij prorsus excideret, suggerens impiis, illam historiam esse anilem fabulam, effictam ad terrorem credulis nimium mentibus impingendum. Sic obliterata recensione iudicij extremi, sublata fuere repagula, quæ obstabant, ne effrænes homines vltro se in vitiorum præceps darent. Huius industriæ diabolis inolitæ meminit Psaltes. *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Quasi diceret, homines inde Deum prouocare repetitis flagitiis, vnde diem iudicij dubium esse putant. Huiusmodi hominum res pessimè se habere Augustinus ait, hoc commentario: *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitij & cupiditatis frena laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum.* Concinit Cæsarius Arelatensis isto breuiloquio. *Quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio.* Plerique incauti vitio indulgentes, hoc iudicij extremi obliuionem inducente toxico perierunt.

Homo immemor iudicij extremi faciliùs ruit in peccata.

Psal. 9.

Aug. in Ps. 9.

Cæsar. Arelat. hom. 19.

Sed vbi Euangelij veritas illuxit, rari fuerunt impij, qui fecerint ancipitem fidem illius historiæ, quæ quotidie in subselliis Ecclesiæ recolitur, vbi instare diem iudicij præcones sacri quotidie populis insusurrant. Itaque secunda fuit adhibenda nequitia ab Angelo nequam, vt suo consuleret imperio, & ne perditi homines defectionem cogitarent, pertæsi suos ritus iniquos, ob diem iudicij ex improuisò omnibus imminentem. Secundò igitur arietauit in homines perculsos horrore diei huius formidandæ reprobis. Persuasit, timorem illum, quo concutitur anima reuoluens animo pœnas indictas impiis non esse salutarem, sed potius inferre Deo iniuriam, cuius obsequium sincerum sua non de timore sed amore potiùs expetit argumenta. Vt autem magis adhuc suspectum faceret hunc timorem, acerbus ille hominum osor suscitauit hæreticos, qui damnarunt contritionem illam imperfectam, quam vocamus attritionem, eo solo nomine quòd dolor de peccatis emergit intuitu diuini iudicij, & pœnarum, quæ tunc in crimina decernentur. Huius farinæ fuit Lutherus sic blasphemans: *Contritio duplici via comparatur. Primò per discussionem, collectionem, ac detestationem peccatorum, qua quis (vt dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt dolorem ac tristitiam excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem: quia solùm timore præcepti & dolore damni id facit, & tales omnes*

Dæmon insusurrat, timorem pœnarum & diei iudicij non esse salutarem.

Luther. ser. de pœnit. habito an. 1537.

Lutherus genio indulgens damnauit meditationem pœnarum inferni quia molesta erat homini dedito deliciis.

omnes indignè absoluuntur, & communicantur.

Ita suum virus euomuit homo perduellis, eo solo damnans timorem iudicij extremi, & pœnarum inferni, quia porcus ille Epicuri de grege, nihil nisi sensuum illecebras, & placentia corpori, obscœno suo animo reuoluebat. Eamobrem vt audiit, illam suam sententiam fuisse à Leone Papa damnatam, libellum edidit Summo Pontifici iniurium, vbi suum illud dogma de timore pœnarum rursus adstruit hoc superbo effato: *Meus certè est iste articulus, & Christianissimus, quem mihi ab innumerabilibus Papis & Papistis non patiar extorqueri.* O belluam ita suo carnis volutabro assuetam, vt timeat hinc diuelli stimulis, quos ingerit alta meditatio iudicij extremi! Vt Lutherus habuit asseclas & sequaces vitæ suæ obscœnæ; iidem etiam conscij voluptatum eius, disciplinam illam, vt deliciarum volutabrum, acriter, & pro suo modulo propugnarunt. Et ne conuiciis, quibus maximè valent in Sanctam Romanam Ecclesiam, viderentur tantùm suam adstruere sententiam, hanc commenti sunt rationem; videlicet hoc interesse discrimen inter Ecclesiam, & Synagogam, quòd Synagoga minis & terroribus inducenda fuit ad obsequium Dei: Ecclesia verò secus, amore illecta est ad subeundum Christi iugum, gratuita fide illi rerum Domino mancipata. Tanti faciunt illam rationem Lutherani, vt nullam prorsus velint fieri mentionem pœnarum inferni, cum de peccatis agitur, ne fiat iniuria amori diuino, quo solo duci debet anima sibi Deum conciliare volens. Huius delirij propugnator acerrimus extitit Ioannes VVigandus, vt videre est in colloquio Altemburgensi, vbi discutitur illa Lutheri insana sententia.

Luth. lib. contra bullã Anti-Christi.

Qua ratione Lutherani dicunt damnandum esse dolorẽ peccatorum quem ingerit timor iudicij & pœnarum.

Ecce sycophantæ sententiam. *Tam lex, quàm Euangelium, ad conuersionis doctrinam pertinent, quæ tamen confundenda non sunt. Lex quidem ad contritionem pertinet; sed Euangelium ad secundam partem conuersionis, nempe ad fidem referendum est, &c. Contritio non est opus nostrum, est potius passio nostra, qua conterimur, & concutimur, &c. Nos passiui tantùm sumus, nos nihil agimus, sed patimur: ipse Deus nos conterit, non ipsi nos, &c. Proprietates contritionis sunt, hominem vel pertinacem, vel hypocritam, exuere, & expoliare ab omnibus suis bonis operibus, eumque replere innumerabilibus peccatis, hoc est, cognitione peccatorum, concutere eum timore, tremore, horrore, &c. Manifestum est igitur, legem ad contritionem pertinere; contritionem autem nos priuare omnibus operibus bonis coram Deo in negotio salutis, & peccatis atque maledictione nos replere.* Sic insaniunt homines qui à sana defecerunt Ecclesiæ disciplina. Hoc lethale virus ebibit Kemnitius, suam etiam faciens sententiam illam, quæ eo præfato colloquio prostat, eamque iisdem rationibus firmat, quas recenset textus ille proximè delibatus. Infrà diluam has rationes, & alia argumenta obiecta Catholicis assertoribus attritionis. Consule titulum de solutione argumentorum, quibus aduersum nos in hoc themate procacitas hæretica gloriatur.

Ioan. VVigand. colloq. Altemb. collat. 4.

Quomodo delirent hæretici impugnando cõtritionem natam ex timore pœnarum.

Chemn. 2. p. examinis.

Alia doctrina falsorum Catholicorum erronea, attritionem accedente sacramento pœnitentiæ non sufficere.

Non demiror hæreticos malè sentire de attritione, cùm proprium sit hæreseos insectari præcipua quæque dogmata Christiana; sed stupeo inter Catholicos doctrinam hæreticam hanc præfatam suos habere patronos, huic errori tamen alio titulo militantes. Nempe quidam non ausi damnare palàm dolorem de peccatis, & propositum vitæ cultioris intuitu iudicij extremi & pœnarum, dixere attritionem accedente sacramento pœnitentiæ non sufficere ad gratiæ illapsum, & sic iniurij Concilio Tridentino carpunt dolorem à sacra illa Synodo commendatum. Itaque disputatio hæc bicornis erit, æmulata explicatas acies in modum lunæ duo cornua prætendentis. Vna parte feriam hæreticos; altera concludam Catholicos malè sentientes de attritione, quam insufficientem dicunt, etiam accedente confessione integra peccatorum facta cum detestatione peccati, & proposito emendandi totum illud quod fuit impiè perpetratum, absolutione congrui sacerdotis adiecta.

Conc. Trid. c. 3. de pænit. & cap. 4.

Auspicor hunc conflictum ab hæreticis absolutè damnantibus hunc dolorem, qui emergit ex recensione iudicij & pœnarum, & quem dicunt facere magis hominem peccatorem. Sic arguo: Illud absolutè bonum est & sanctum, quod per se conducit ad bonitatem, seu sanctitatem aucupandam: Ergo cùm dolor de peccatis, cui obstetricatur intuitus iudicij extremi, hominem sollicitet ad sanctiorem vitam, ille dolor sanè bonus est censendus, & quantum fieri potest ab anima refricandus. Rursus, illud quod à Deo cœlitus inseritur animæ, vt inde fiat melior resiliendo à peccatis, profectò bonum est, & toto pectore amplectendum, vtpotè faciens ad salutem: Sed attritio est huiusmodi: nam ipso hæreticorum testimonio Deus nos conterit, ac proinde Dei est negotium, qui obstetricat animam concipientem propositum vitæ cultioris: & Dei intentum est, vt anima perculsa timore pœnarum, consulat sibi pharmaco pœnitentiæ; cùm itaque dolere de peccatis, intuitu iudiciorum Dei, non sit res merè naturalis, sed superioris ordinis, vtpotè pertinens ad gratiam Dei excitantem, & præuenientem; carpere dolorem illum, est damnare Dei gratiam, qua ad meliora cœlitus excitamur.

Ratio probans attritionem esse bonam, & sanctam.

Obsequium Deo impensum formidine pœnæ placet ei, quia habet reuerentiam implicitam.

Prætereà obsequium Deo impensum formidine pœnæ haudquaquam ei ingratum est, imò ei arridet, vtpote vehens reuerentiam qua seruus suo Domino obstringitur, vt ipse Deus ait Iudæos increpans, quòd hoc timore salutari penitus excidissent. Sic in eos inuehitur: *Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Et tantùm abest, vt Deo seruire formidine pœnæ sit peccatum, quinimò stimulus est valdè salutaris, quo Deus ipse vsus est ad deuinciendum sibi Adamum: quippe prouidus ille rerum moderator deuincire volens sibi hominem illum editum recens, præceptum ei indixit de abstinentia pomi; vtque tenacior esset homo propositi Deo iugiter obsequendi, ipse Legislator non eum induxit ad obediendum aliquo argumento amoris, sed pœnâ crimen illico sequuturâ. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Nonne & ille timor in Scriptura passim maximè commendatur? Accipe Salomonem. *Initium sapientiæ timor Domini.* Non ibi loquitur de timore filiali, qui est indiuiduus comes gratiæ, & charitatis: ille nimirum timor non est initium sapientiæ, sed est ipsamet sapientia consummata; siquidem sic timere, est perfectè sapere. Perperam igitur hæretici damnant

Malach. 1. Deus ipse obsequium ab homine petit.

Genes. 2.

Prou. 1. Timor Dei, intuitu pœnarũ, maximè commẽdatur ex Scriptura.

nant hunc timorem iudiciorum Dei, cùm Scriptura ſacra dicat penes illum eſſe incunabula ſapientiæ Dei, vt videre eſt alio textu Ieſu Syracidæ. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Ruſus ille idem. *Timor Domini initium dilectionis eius.*

Eccleſiaſt. 1. & 25.

Timorem illum vicarias obſtetricis partes agere, cùm anima ſe accingit ad partum aliquem ſalutarem, bellè ait Iſaias ex verſione Septuaginta interpretum. *Timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.* Hoc timore Deus ad meliorem frugem ſemper homines excitauit. Audi Dominum deſuper intonantem. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Eadem calcaria Pſaltes intorquet in latera peccatorum. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum. & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Eiſdem aculeis Iſaias vellicat impios immemores iudiciorum Dei. *Quis poterit habitare de vobis cum ardoribus ſempiternis?* Nonne & ea punctione excitati Niniuitæ redierunt in gratiam cum Deo, quem audierunt inſtare ſæuientem? Sic nempe eos adorſus eſt Ionas: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Et ne vllus cauillandi locus ſuperſit hæreticis; Chriſtus ipſe in Euangelio nonne ſollicitauit homines ad debitum ſibi penſum reddendum, eodem etiam argumento pœnæ æternæ, vt hoc eius effato liquet? *Timete eum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* Eſt ergo inepta diſtinctio illa, quam confinxere hæretici, confitentes equidem viguiſſe timorem illum pœnarum ſtante Synagoga, flagris & ictibus aſſueta, ſed Chriſtum eliminaſſe timorem illum à ſua Eccleſia initiata amore, non timore. Eſt inquam futilis & inſulſa illa diſtinctio Synagogæ & Eccleſiæ in his quæ pertinent ad dolorem de peccato, cùm Chriſtus ipſe Legiſlator ſuadendo Dei timorem, pœnas æternas ſæpe ſæpius inculcarit. Res nunc eſt nobis cum quibuſdam Catholicis malè ſentientibus de attritione.

Iſai. 26. — Deuter. 32. — Pſal. 7. — Iſai. 33. — Ionæ 3. — Matth. 10.

SENSVS ORTHODOXVS.

Eadem Controuerſia diſcutitur contra quoſdam Catholicos temerè affirmantes attritionem non ſufficere ad iuſtificationem etiam accidente Pœnitentiæ ſacramento.

In hæc verba:

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.

ARGVMENTVM II.

Ex Ivre Canonico, Et Ex Sententiis SS. Patrvm.

Sybaritarum luxus immodicus. *Ælian. de varia hiſt. l. 1. c. 19. l. 14. c. 20. Plut. in Præcep.*

IS fuit olim Sybaritarum luxus, vt in eum meritò declament Ælianus, Plutarchus, Athenæus, Rhodiginus, Maximus Tyrius, & Leonicus. Apud eos viguerunt omnium voluptatum illecebræ: nihil namque demulcere poteſt carnem, quod non fuerit vernaculum illi Genti, cui nulla prorſus alia cura fuit, quam corporis. Vt autem Sybaritæ pleniùs genio indulgerent, voluerunt eſſe extorres omnes fabros, imò & gallos gallinaceos, quia ſuo antelucano cantu erant moleſti Sybaritis crapulæ ſuæ indormientibus. Sybaritæ vilia voluptatum mancipia, hac lege edita in fabros, & gallos gallinaceos iniurios ſomno longiori hominum ebriorum, impoſuere colophonem vitiis, quibus vſque ad notam ignominiæ ſingularis antea diffluebant. Eo nempe modo noluere excitari à veterno. Vigiles Sybaritæ vacabant epulis omnigenis, quibus adhibebant muſicorum ſuaue melos, & ſomno inſtante arcebant illud omne, quod poterat aliqualem ſtrepitum excitare.

Athen. l. 12. Dipnoſoph. c. 6. Max. Tyrius ſer. 1. 31. 33. Calius Rhod. l. 7. cap. 9. Leon. varia hiſt. l. 3. c. 97.

Sacra facultas Pariſienſis an. 1638. damnauit illam ſententiam quæ adſtruit attritionem etiam accedente ſacramento pœnitentiæ ad ſufficere ad iuſtificationem.

Ad hanc ferè indolem acceſſere quidam noſtrates Catholici, nuper afflati aura peſtilenti libelli nefarij, quem damnauit ſacra facultas Pariſienſis orbe toto celeberrima, quæ velut è ſpecula cauet, ne qua exotica ſeu à fide peregrina ſententia labem affricet Galliæ Chriſtianæ. In erroribus notatis à ſacra facultate iſte fuit: ſcilicet attritionem etiam accedente ſacramento Confeſſionis non ſufficere ad iuſtificationem animæ, ſed operæpretium eſſe, vt perfectè anima conteratur, nullo intuitu pœnæ, & tota amore Dei flagret, vt gratiam ſibi conciliet. Eſto rigida ſit hæc doctrina; habuit tamen ſuos aſſeclas & patronos, vt nihil adeò eſt peregrinum, quod non hoſpitem inueniat, cuius ſubeat tectum. Diceres prima fronte nouos Euangeliſtas extinguere ignem æternum ſæuientem in peccatum, vt ſpargant & accendant ſuauia ſacri amoris incendia. Sed reuera hoc impio ſuſurro dæmon bifariàm petiit Eccleſiam. Primò in votis id fuit ei, ſcilicet exoſam facere memoriam iudicij extremi, & inferni, qua ſcit maximè compeſci homines à peccatis. Cui namque bono eſſet recolere pœnas illas, ſi earum timor non conducit ad ſalutem, quamuis dolorem excitet de peccatis, & ingerat propoſitum vitæ ſanctioris. Aliud diaboli intentum fuit facere homines incurios Confeſſionis, quandoquidem anima pœnitens perfectè contrita, iam eo ſolo argumento quòd Deum amet, ſit in gratia, & ſic in ea opinione, abſolutio non abſoluat, ſed duntaxat indicet abſolutum.

Duo ex hac impia doctrina diabolus intendit ſcilicet expungere memoriam ſalutarem pœnæ æternæ & facere homines incurios Confeſſionis.

Accepi, pleriſque comatulis atque delicatis Sybaritis placere ſententiam illam, vt quæ expungendo omnem ſenſum iudicij & pœnarum, copiam eis facit liberè genio indulgendi, ſine vlla cura confitendi ſuas nequitias, quandoquidem tota ſalus animæ petenda ſit ab amore filiali & ſincero, quo adblandiuntur ſibi delicata hæc pectora conflagrare. Quaſi verò ad cuiuſque peccatoris arbitrium charitas influeret in animas, & hoc negotium gratiæ reducis, non eſſet ſuprà hominum vires, & gratia mera Chriſti Domini miſerantis, cùm initium ſalutis noſtræ non ſit à nobis, ſed à Deo cœlitus influente. Duo itaque habeo hîc probanda. Primum, dolorem qui naſcitur ex peccatis intuitu pœnæ æternæ accedente propoſito melioris inſtituti, valere ad iuſtificationem, accedente ſacramento integro pœnitentiæ. Alterum eſt, ſacerdotem abſoluendo non indicare ſolùm eſſe abſolutum, ſed reuera abſoluere à peccatis, Deo vtente Sacramento velut inſtrumento iuſtificationis animæ pœnitentis. Hoc vnum prænotandum, attritionem nomine etiam contritionis aliquando connotari, ita vt contritio perfecta ſit illa quæ ſolius amoris argumento cor vellicat; contritio verò ſeu attritio intuitu

Contritio duplex, vna perfecta, alia imperfecta.

intuitu pœnæ alicuius hominem abstrahit à peccatis.

Quia cum Catholicis res est, armis vtendum est communibus, ideoque standum Conciliis atque sententiis Sanctorum Patrum. Accipe Concilij Tridentini decretum. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, &c. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: Declarat sancta Synodus, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento pœnitentia per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Hoc Concilij Tridentini decretum facit quasi articulum fidei, hoc commune Theologorum effatum: *Homo de attrito fit contritus in Sacramento pœnitentiæ.*

Ex Ivre canonico. Conc. Trid. Sess. 14. c. 4.

Ex attrito fit contritus homo in sacramento.

Ne autem aduersariis detur ansa cauillandi, nota eam fuisse mentem Concilij, quæ eo effato proditur, scilicet attritionem accedente sacramento pœnitentiæ ad iustificationem sufficere. Ait Synodus hæc sacrosancta, attritionem disponere ad Dei gratiam impetrandam in sacramento pœnitentiæ. Vnde sic arguo: Dispositio omnis tollit obices, qui remorantur introitum formæ: Sed ex Concilio illo œcumenico, attritio in sacramento pœnitentiæ disponit animam ad gratiam impetrandam: Ergo tollit obices, qui impediebant gratiæ influxum, & sic attritio sufficit ad iustificationem accedente sacramento pœnitentiæ: nam gratia influit ex opere operato in eum qui remoto obice percipit sacramentum. In eo namque dispescuntur sacramenta nouæ legis ab illis Iudæorum, quòd scilicet Iudæis sua prodessent tantùm ex opere operantis, id est, iuxta fidem & deuotionem accipientium sacramenta Iudaica: nostra verò gratiam communicant ex opere operato, id est, remoto obice, gratia influit ex ipsa virtute sacramenti, quo Deus vtitur vt instrumento ad gratiam illico producendam. Nullus est ergo hallucinandi locus in captanda mente Concilij.

Sacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam causant remoto obice.

Quomodo homo in sacramento pœnitentiæ de attrito fiat contritus.

Itaque attritio accedente absolutione, quasi sigillata merito Christi eleuatur in genere moris, vt sit sufficiens gratiæ dispositio. Vt gratia habitualis finita in genere entis in humanitate Christi, fit ex vnione Verbi cuiusdam dignitatis infinitæ, & vile cuprum ex Regio sigillo impresso fit numisma valens ad mercandum. Huiusmodi attritionem Sanctus Thomas vocat rem sacramenti, & sacramentum. Rem quidem sacramenti, quia confert ad gratiam talis attritio, facta contritio virtute sacramenti. Est etiam sacramentum seu pars sacramenti pœnitentiæ, quod contritione, confessione, & satisfactione coalescit. Accipe textum Doctoris Angelici. *In pœnitentia est aliquid, quod est Sacramentum tantùm, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per sacerdotem absoluentem. Res autem & sacramentum est pœnitentia interior peccatoris: res autem tantum, & non sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum, est causa secundi: primum autem & secundum, sunt quodammodo causa tertij.* Ait illic, confessionem & absolutionem, id est, sacramentum pœnitentiæ, esse causam pœnitentiæ interioris, seu contritionis, quam ideo rem sacramenti vocat, quòd ante sacramentum erat attritio, sed est facta contritio virtute sacramenti, cuius est res. Eò spectat Scotus quando probat, claues sua potestate hominem facere contritum de attrito, id est, absolutionem supplere defectum, qui est in dolore imperfecto pœnitentis. Rem hanc velut indubiam tractant Paludanus, Caietanus, Soto, & Henriquez, aliique permulti.

S. Th. 3. p. q. 84. ar. 1. in responsione ad 3.

Scot. in 4. Sent. d. 18. q. vnica. Palud. in 4. Sent. d. 14. q. 1. a. 3. d. 17. q. 2. Caietan. opusc. de contrit. Henriq. l. 4. c. 17. Soto l. 2. de natura & grat. c. 24. idem d. 24. in l. 1. Sent. q. 2. ar. 1. ad 3.

Non est ergo quòd nouatores clament, illam Ecclesiæ sententiam esse nouam, & contra sensum Sanctorum Patrum, qui contritionem voluere semper præire sacramento pœnitentiæ. Non eo inficias, contritionem fuisse semper creditam esse partem pœnitentiæ: sed vt alia est contritio perfecta, alia imperfecta, quæ dicitur attritio; Concilium Tridentinum opportunè definiuit, attritionem sufficere ad iustificationem, accedente sacramento pœnitentiæ. Alioquin si necessaria esset contritio perfecta, rari omnino essent, qui fruerentur beneficio sacramenti, cùm pauci sint, qui dignentur eo dono contritionis exquisitæ, quæ pertinet ad gratiam efficacem, ad quam Deus erogandam omnibus non se obstrinxit, sicut reuera se ex pacto obligauit ad gratiam sufficientem, siue excitantem, & præuenientem ex merito Passionis Christi, qui pro omnibus mortuus est. Cùm ergo latiùs pateat gratia sufficiens, quàm efficax, ac proinde plures atterantur, quàm conterantur; meliùs consulitur animæ, dicendo attritionem sufficere ad iustificationem accedente sacramento pœnitentiæ, quàm procaciter affirmando, cassum esse & irritum sacramentum pœnitentiæ, si quis non contritus perfectè eo initietur. Illa nimirum rigida sententia distraheret homines à confessione, cùm timerent incurrere in sacrilegium frequentando sacramentum absque præuia supellectile, quam postulat illud antidotum vitiorum.

Rursus, Baptismus & Pœnitentia dicuntur sacramenta mortuorum, vt secus Eucharistia est sacramentum viuorum. Vnde alia est dispositio requisita ad Eucharistiam, quàm ad illa duo prælibata. Nempe cibus datur viuis, ac proinde panis ille sacer nemini conceditur conscio sibi alicuius peccati mortalis: at secus est de Baptismo, & de Pœnitentia, quorum obsequio anima mortua suscitatur. Etenim in adultis requiritur attritio tantum vt Baptismi gratiam suscipiant, si nequeant perfectè conteri; nec alia de rigore petitur dispositio ad Sacramentum pœnitentiæ, quàm ea præfata ad Baptismum, qui namque nequit perfectè conteri, ille atteratur, & ex attrito contritus fiet, accedente sacramento, quo vt sigillo inusto attritioni, illa induit efficaciam contritionis, fitque homo compos gratiæ, quam sacramenta causant ex opere operato. Accipe ex Augustino paritatem Baptismi & Pœnitentiæ, & ab eodem disce, solam attritionem sufficere ad percipiendam Baptismi gratiam: & sic liquidior erit

Baptismus, & pœnitentia sunt sacramenta mortuorum & de rigore nô aliam petunt dispositionem præter attritionem in adultis.

Ex SS. Patribus.

erit mea conclusio, seu potius Ecclesiæ definitio. Augustinus interrogatus ab Honorato Episcopo, an Præsul grassante persecutione queat sibi consulere fugâ; respondit, illam Antistitis fugam esse noxiam & lethalem gregi suo, quia eo refugâ, multi nequeuntes baptizari, & absolui, morientes in eo statu damnantur. Profectò damnantur, quia sola attritio non iustificat sine sacramento; nec damnarentur si ad attritionem accederet sacramentum. Accipe textum Augustini. *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum extrema peruenitur, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem, & erogationem? Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quàntus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt?* Vides hoc contextu paritatem Baptismi & Pœnitentiæ, & homines attritos tantùm perire licèt in voto habuerint Baptismum & Pœnitentiam, quia ministro caruerunt, qui si opportunus adfuisset, ex attritis contritos effecisset accedente Sacramento.

Aug. ep. 180. ad Honorat. Thomo II.

Baptismi & Pœnitentiæ paritas in his quæ spectant dispositionem.

Iam Baptismum susceptum ab attrito tantùm, sufficere ad iustificationem, audi ab eodem Sancto, disserente de catechizandis rudibus. Sic ille: *Qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, vt non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est: cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, ne frangatur aduersis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus, & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens.* Nota eo loco, velle fieri Christianum, & baptizari, perinde esse, quia illic est sermo de catechumenis, quibus Augustinus ait sufficere attritionem ad Baptismum, vt eo sacramento accedente ad attritionem, participes fiant gratiæ, quæ influit in animas ritè dispositas. Adiicit ille Sanctus, animas factas Christianas præuia attritione iuncta sacramento, postea mutare suam attritionem in contritionem. Hæc enim verba immediatè subiicit textui prælibato: *Qui etiam proficiendo perueniet ad talem animum, vt plus amet Dominum, quàm timeat gehennam, vt etiamsi dicat illi Deus: Vtere deliciis carnalibus sempiternis, & quantū potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris; exhorrescat, & omnino non peccet, non iam vt in illud quod timebat non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat.* Hactenus Augustinus, & equidem elimatè notans solam attritionem in sacramento Baptismi sufficere; sed eam accepto sacramento in ea incrementa pietatis assurgere vt perfecta fiat charitas. Vnde cum ex eodem Sancto sit paritas inter Baptismum & pœnitentiam sacramenta mortuorum, vtrobique sufficiet attritio, vt accedente sacramento fiat homo Deo gratus.

Aug. l. de catechiz. rudibus c. 17. to. 4.

Efficaciâ sacramenti anima attrita contecitur, noua pietatis incrementa accipiens.

Ne autem contritionis vocabulum aliquale facessat negotium, dum audis sacramentum pœnitentiæ constare tribus; scilicet, contritione, confessione, satisfactione; recole duplicem esse contritionem, vt præfatus sum, imperfectam videlicet, & perfectam: & imperfectam, quæ dicitur attritio, sufficere in sacramento pœnitentiæ, ad hoc vt anima percipiat beneficium sacramenti. Ita liquere & esse hanc orthodoxam sententiam patet auctoritate Innocentij III. Pontificis, cuius ista est disciplina. *Pœnitentia debet habere tres partes: Contritionem in corde: Confessionem in ore: satisfactionem in opere: In contritione debet habere pœnitens timorem de pœna, dolorem de culpa.* Magister sententiarum contritionem appellat compunctionem, quia vt Guilelmus Aluernus ait, irradiante Spiritu Sancto, pœnitentis cor pungitur aculeis peccatorum. Attritionem autem & compunctionem perinde esse, accipe ex Smaragdo viro vtique docto, qui floruit decimo sæculo. Sic ille: *Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis, exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij.* Non est itaque noua hæc doctrina Concilij Tridentini in gratiam attritionis, seu compunctionis ortæ ex metu iudicij, & pœnarum.

Contritio alia imperfecta, alia perfecta.

Innoc. III. in Psal. 1. pœnit.

Magist. sententi. l. 4. di. 16.

Guill. Aluer. de sacramento pœnit. c. 5.

Smaragdus ad cap. 49. Regula S. Benedicti.

Accipe item præclaram in eo themate sententiam, editam ante quadringentos annos, ac proinde multò antiquiorem Concilio Tridentino. Ea est Iacobi Vitriaci Cardinalis doctissimi, & Episcopi Tusculani. Sic ille: *Compunctio dicitur cordis humiliati cum deuotione seu lacrymis punctio, siue ex recordatione delicti, siue ex beneficiorum recordatione, siue ex timore gehennæ. Compunctio cor hominis purgat, mentem illuminat, spiritum confortat, & corroborat. Oportet quòd pœnitens cum amaritudine doleat. Ieremias ait: Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et Ioel: Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. Quoniam igitur Dominus sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum; recogitemus annos nostros in amaritudine animæ nostræ, dicentes cum sapiente muliere: Nolite me vocare Noemi, id est, pulchram: vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudinibus me repleuit omnipotens. Talis enim amaritudo vermes malæ conscientiæ, & carnalium desideriorum interimit.* Hactenus ille Cardinalis peritissimus rei cuiusque sacræ.

Quid sit compunctio, & vnde ortum ducat, & quâ sit salutaris.

Iaco. Vitriac. ser. in ca. ieiunij.

Ierem. 6.

Ioël. 2.

Rursus, attritionem sufficere ad salutem in Sacramento pœnitentiæ, probant multi alij textus Sanctorum Patrum, qui dum homines hortantur ad pœnitentiam, dolorem præcipuè meminerunt, qui emergit ex intuitu pœnarum, & iudicij extremi. Ita Gregorius: *Tantò arctiori manu pœnitentiæ mens a pollutione tergenda est, quantò se per consensum conspicit sordidiùs inquinatam. Cùm vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudij perturbat, vt nihil ei iam nisi flere libeat, nihil nisi quod se terrere possit attendat. Ponit namque ante oculos illinc districtionem iustitiæ, hinc meritum culpæ: conspicit quo supplicio digna sit, si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia, ab æterna eruere pœna consueuit.* Si dolor ille de peccatis, emergens intuitu pœnarum & iudicij extremi, esset insufficiens cum Sacramento pœnitentiæ ad tergendas animæ maculas, Gregorius non dixisset eum procedere ex vehementi pœnitentiæ spiritu, mentem occupante. Sed vt liquidior extet Gregorij sententia, audi eum explicitè affirmantem, illum dolorem natum intuitu supplicij

Sancti Patres maximè suadent dolorem de peccatis intuitu pœnarum & iudicij extremi.

Greg. lib. 4. Moral. c. 17.

æterni

æterni tergere vitia, saltem accedente sacramento; sic enim intelligo Gregorium ita fatum: *Quid est hoc, quòd foris concremantur carnes, intus aromata? nisi hoc, quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera. Quia alij adhuc per timorem plangunt: alij verò iam se per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt. Plangunt mala quæ fecerunt, & incenduntur vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur.*

Idem ho. 22. in Ezech. Attritionis efficacia ad compescendos omnes vitiorum æstus.

Audis incendi vitia igne compunctionis huius, quam recolit ortam dum quis æterna supplicia pertimescit: Ergo satis est ille dolor ad salutem in pœnitentiæ Sacramento. Timorem hunc ideo nuncupauit Basilius sanctitatis operatorium, quia reuera sufficit cum Sacramento pœnitentiæ, vt fiat anima sanctior. Sic ille Antistes magni nominis, vtpote Magnus appellatus. *Timor salutaris, & qui sanctitatis operatorius est.* Et Sanctus Ephræm coæuus Basilio, nullo alio intuitu quàm pœnarum & iudicij compunctionem excitat hoc contextu. *Compungere, o anima mea! compungere super vniuersis bonis, quæ à Deo accepisti, & non custodisti. Compungere de omnibus, quæ fecisti malis: compungere in cunctis, in quibus te diù patienter Deus expectauit: compungere, & pœnitentiam age, ne tenebris tradaris exterioribus. Resipisce misera & afflicta anima, ne coram horrendo Christi tribunali confundaris.* Noluere Patres perfectam contritionem prædicare esse necessariam: cùm enim illa pertineat ad gratiam efficacem, quæ paucorum est; homines profectò in desperationem induxissent, si eos addixissent huic dolori, qui non potest æquè facilè concipi ac attritio, quæ pertinet ad gratiam sufficientem nemini denegatam. Et hanc solam attritionem dixere Patres necessariam, non quòd excluserint contritionem perfectam, quam secus miris encomiis celebrarunt, vtpote conducentem ad gratiæ maximum incrementum: sed quia dum fuere initiandi peccatores ad pœnitentiam, operæpretium fuit explicare necessaria tyronibus, & non ea, quæ prouectos in gratia decent. Eò spectant illa Chrysostomi eloquia: *Hoc solum est, quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & Angelos, qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui tradendi sunt in gehennam, ac suppliciis tradendi.* Hæc ille.

Basil. in Ps. 33.

Ephræmus ser. 2. de compunct.

Quare Sancti Patres non prædicarint perfectam contritionem esse necessariam ad dignè suscipiendum sacramentũ pœnitentiæ.

Chrys. l. de compunct. cordis in fine.

Aduerte amabò, Chrysostomum dicere, hoc solum esse, quod exposcitur à fidelibus: scilicet vt intuitu iudicij & gehennæ Deum conciliemus nobis. Non est in eo argumento prætereundum singulare effatum Tertulliani, suadentis vt quisquis de Confessione ineunda cogitat, is se aptet commemorando gehennam, quod perinde est ac dicere, hominem vt par est accingi ad Sacramentum pœnitentiæ, si sit attritus. Ecce viri magni parænesim. *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet: & pœne priùs magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites.* Ambrosius consultor idoneus in his quæ animarum curam spectant, nulla alia præludia petiit ad Sacramentum pœnitentiæ, quàm dolorem de peccatis emergentem ex intuitu iudicij aut supplicij æterni. Sic ille quondam affatus est virginem, quæ suo malè pudori consuluit: *Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas tenebras positam exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Profectò imposuisset nobis Ambrosius, & equidem summo animæ dispendio, si pœnitentiæ Sacramentum irritum esset illis, quos angit dolor de peccatis excussus à timore gehennæ. Sed vt is erat Deo afflatus, sua etiam sententia Concilij Tridentini decretum multis sæculis anteuertit, illud idem enuntians, quod placuit Ecclesiæ in gratiam attritionis.

Tertull. lib. de pœnit. c. 12.

Ambr. ad Virginem lapsam c. 8.

Nec valet instantia, dolorem illum, quem suggerit intuitus iudicij extremi, esse rudimentum animæ recens initiatæ, nec esse illic immorandum cùm sint æmulanda charismata meliora: & esse indecorum homini Christiano pœnis vrgeri, & non amore, quo præcipuè omnia constare debent Christi sequacibus, quorum amor est tessera singularis. Hanc diluo instantiam, confitendo quidem, contritionem perfectam esse præstantiorem attritione, sed dico, quæ sunt perfectionis amplioris non esse de necessitate Sacramenti, & sufficere ideo contritionem imperfectam, vt beneficio Sacramenti pœnitentiæ attrita anima perfruatur. Imò satiùs est certam sibi procurare attritionem meditando iudicium & supplicia æterna, quàm frustra sibi adblandiri de dubia contritione, sola recensione amoris Dei parta. Plerumque nimirum anima, rata se amore Dei percitam, fallitur effecta pigrior, dum se amore decoctam credit: sicque sibi eatenus est iniuria, quatenus est incuria meditari ea, quæ conducunt ad impigram virtutum praxim, vt sunt iudicia Dei. In ea fuit sententia Rabanus Maurus, ille famosus Abbas sæculo nono, à quo Strabo Fuldensis eius discipulus excepit Glossam ordinariam. Sic ille opportunè consulit. *In peccatoris vtique pectore incessanter debent spes & formido coniungi: quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat: incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.*

Côtritio attritione præstantior, non est de necessitate sacramenti pœnitentiæ.

Iustitia Dei, & misericordia vt comites indiuiduæ debent recoli ab anima pœnitente.

Rabanus Maur. in Eccles. l. 1. c. 19.

Vellem rescire à nouatoribus nostris, qui damnant timorem iudicij, nec aliud volunt animis ingeri, præter amoris & misericordiæ Dei speciem & tinnitum, an sint sanctiores Bernardo, qui voluit indiuiduum esse nexum iudicij extremi & misericordiæ Dei in meditatione nostra, ne anima amori & misericordiæ assueta fiat remissior, vtpote in inertiam fracta. Accipe consilium viri Sancti. *Pedes Christi sunt misericordia, & iudicium: quorũ alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat vniuersitatis Dominum formam serui pro seruis suscipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram, &c. statim deceptoria spe sibi blanditur, & illudit: gaudet obseruari in misericordia, & miserationibus, iudicium nescit, ignorat iustitiam, & puniendæ æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat, qui totum de misericordia pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit.* Hæc

Bern. ser. in festo B. Mariæ Magd.

Hæc Bernardus, illo penicillo delineans discipulos eorum, qui carpunt attritionem, vt facessentem animæ negotium, in eo quòd iudicij extremi & pœnarum species horribiles ingerit menti. Qui autem sint illi nouatores, disce ex eorum moribus. Hi nempe sunt delicatuli homines, toti in corporis sui cura, vtpote acerbi hostes cuiusque rigidæ disciplinæ: quia, inquiunt, hoc est seruire Deo more seruorum, qui duntaxat increpitante scutica diriguntur. O nouos Euangelistas, nouo etiam paradiso dignos, eo videlicèt, quem suis porcis finxerat Epicurus!

Qui nolunt recolere diē iudicij, illi sunt pigri.

In attritione commendanda suadent Sancti esse recolendam misericordiam simul cum memoria iudicij extremi, ne anima formidine concussa deficiat. Sic Bernardus: *Rursus cùm adducit os, & iudicij pedem crebrioribus osculis intertangit, subcutitur carnis animaque substantia, & vtriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis, offendere creatorem, nescire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam ponere in gehennam. Terribilis certè quadam expectatio iudicij, quando ignis in conspectu eius exardescet, & virtutes cælorum mouebuntur, & vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius, quam videre latronis officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis vndantem. Quis hac diutius cogitans, non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis excludat. Vtrumque igitur inungat pedem anima pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum.* Tota hæc Bernardi doctrina fauet attritioni, ad quam excitandam laborauere Patres Sancti, vtpote certissimi eam sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ.

Bern. vbi supra.

Holocaustū contribulati spiritus quomodo fiat.

Vide an non etiam Augustinus ad attritionem attenderit, cum ita affatus est hominem male sibi conscium: *Ascendat* (inquit) *homo aduersum se tribunal mentis sua, existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illic recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum, siue malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur Deus hoc peccatori, dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas fluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini: vt qui separari à regno cælorum timet per vltimam sententiam summi iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cælestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam.* Profectò totus hic discursus pertinet ad attritionem, quam satis superque Augustinus hoc tenore ostendit esse congruam supellectilem, qua pœnitens anima gaudere potest salutari obsequio Sacramenti pœnitentiæ, quidquid secus nouatores nostri impiè & procaciter insusurrent.

Aug. l. de pœnit. qui est ho. 50. variar. cap. 4.

Consilium Augustini de modo quo anima se debet aptare ad attritionem antequam accedat ad Sacramentum pœnitentiæ.

Esto sonet quidpiam indecorum atque ignobile timor hic seruilis, vtpote positus infra contritionem perfectam; hoc tamen non obstat, quin anima redux, & sui compos effecta, bellum indicat vitiis intestinum. Dum namque reuoluit animo se delinquendo effectam obnoxiam pœnis æternis, ea qua cura potest satagit emendare quod iniquè fuit antea perpetratum. Exemplo tibi sit Hieronymus, recolens delicta iuuentutis suæ. Is nullum aliud argumentum austeræ suæ pœnitentiæ commemorat, præter metum gehennæ, quod nequaquam faceret, si dolor de peccatis conceptus ex metu gehennæ non sufficeret ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ. Sic ille: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, qua exusta Solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopica carnis obduxerat: quotidie lacryma, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehenna metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpè choris intereram puellarum.* Hæc ille.

Attritione perculsus homo castigat pœnis congruis omne quod iniquè antea perpetrarat vt patet exemplo Hieronymi.

Hier. ep. 22. ad Eustoch. cap. 3.

Quanta fuerit austeritas veterū Monachorum.

Hinc arguo sic: Hieronymus vir sanctitate conspicuus, editurus egregia pœnitentiæ specimina, ad diluendos noxios pubertatis actus, dolori suo de peccatis obiectum gehennam fecit, & eius intuitu, obiit calles salebrosos pœnitentiæ aliis inuios: Ergo salutaris erit ille dolor de peccatis, cuius incunabula gehenna facit, & penes eum sita tota dispositio necessaria ad iustificationem, quæ consequitur Sacramentum pœnitentiæ adiectum huic dolori, de quo indubiè loquitur idem Hieronymus, insinuans liquidò, illum esse satis ad beneficium Sacramenti pœnitentiæ. Sic ille: *Necesse est, vt priùs peccatorem mæror pœnitentia salubriter humiliet, & ita postmodum per iudicium sacerdotis sermo data reconciliationis lætificet.* Profectò non alium à pœnitente mærorem quæsiit Hieronymus ab eo, cui erat tunc temporis assuetus, animo suo versans semper diem iudicij, & angustias supplicij sempiterni. Hunc mærorem ait peti, ad hoc vt sortiatur effectum suum absolutio sacerdotis. Cùm ergo nihil aliud præterea exigat; non est ambigendi locus, dolorem illum accedente Sacramento pœnitentiæ reducem facere gratiam, tota nouatorum classe perperàm & temerè reluctante.

Hier. in c. 1. Prou.

SENSVS ORTHODOXVS.

Soluuntur instantiæ, quæ carpunt vt malum, dolorem de peccatis, ortum intuitu pœnæ æternæ.

Ex Sententia Sanctorvm Patrvm.

Omne infirmum naturâ querulum est, vt videre est in senibus & paruulis, in quos si vel leuiter

Delicatis hominibus non placet attritio seu dolor de peccatis ortus intuitu pœnæ æternæ.

Instantia contra dolorem de peccatis ex metu iudiciorum Dei.

Quænam arrideat pœnitentia vilibus carnis & mundi mancipiis.

leuiter impingas, eo solo suppeditas argumentum & liuoris, & querelæ. Ita hoc sæculo secta quædam exorta est, cui vita delicata cunas fecit. Professores huius instituti nihil nisi amorem clamant, cunctaque volunt opera fidelium esse illo amoris Dei sacchara condienda. Suauitate nominis illecti plerique dedere manus illi sectæ enitenti in perniciem Ecclesiæ: siquidem sequaces huius disciplinæ nouæ, hoc lethale virus ebibunt; scilicet dolorem de peccatis, ortum intuitu pœnarum & iudicij extremi, esse dolorem inordinatum, ac proinde malum, ideoque animam non esse pascendam ideis, quæ recolunt diem iudicij & supplicia æterna, quia sacer & illibatus amor Dei refugit hæc horrida simulacra. Expunctâ memoriâ iudiciorum Dei, iidem sectarij arcent à corpore quidquid ei ingratum est, cilicia, ieiunia, vigilias, prolixas preces, aliamque omnem pœnitentiæ supellectilem, quæ bellum indicit corporis illecebris, sicque viâ lacteâ & nullis stratâ spinis cœlos obambulant, Beatorum etiam hinc gaudia delibantes. Grassatur ista lues, eoque contagio plerique infecti genio indulgent, specie amoris Dei retundentes aculeos pœnitentiæ, dum affirmant, veram pœnitentiam esse amoris negotium, & non ingratas corporis angustias. Sic hodie erratur impunè, & in sæculo rarus est, qui salutares adhibere velit scopas pœnitentiæ, ad næuos suæ animæ detergendos. In hos intorquere libet hoc Tertulliani effatum: *Num ergo in coccino & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? cedo acum crinibus, distinguendis & puluerem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri, vel æris, vnguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas vrgeat: præterea exquisito balneas lætiores, hortulani maritimive recessus adiicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini. Cùm quis interrogarit, cur anima largiaris? Deliqui (dicito) in Deum, & periclitor in æternum perire.*

Tertull. l. de pœnitentia.

Hoc industrio Tertulliani penicillo lineatur indoles iners eorum hominum, qui referentes ore tenus amorem Dei, reuera altum odium in pœnitentiam circumferunt pectore delicato. Sed ne dicteriis & spiculis istam eorum instantiam videar elusisse; nego quod intendunt, obiicientes timorem supplicij æterni esse inordinatum, quia plus est timenda culpa, quàm gehenna. Consequenter inficior, eum dolorem esse inordinatum, qui animam malè consciam angit, memorem se factam fuisse obnoxiam pœnis æternis cùm peccauit. Illud namque non est inordinatum, quod ordinem seruat à Deo rerum omnium Domino præstitutum: At Deus ipse recolit in Scripturis diem iudicij, vt timeatur gehenna, eo tempore in animas & corpora sæuitura. Sic Christus: *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Ergo nihil omnino inordinatum est in illo timore, nec in dolore de peccatis inde enato; Ita enim à natura comparatum est, vt quisque doleat ex apprehensione rei molestæ. Et esto contritionis perfectæ dolor sit nobilior; hoc tamen non obstat, quin alius ille timor sit bonus & vtilis, vt adstruit Augustinus ita fatus. *Ille timor nondum castus, præsentiam Domini & pœnas timet, timore facit quiquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est.* Vtilis sanè, quia conducit ad charitatem, dum homines metu gehennæ bonis actibus assuescunt. Sic ille: *Alius gehennam timet, vnde terruit & Dominus. Audiunt hæc homines: & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se a peccato. Timent quidam, sed non amant iustitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & iam incipit homo iustè viuere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* Hactenus Augustinus.

Timor iudiciorum Dei est bonus atque salutaris.

Matth. 10.

Ex SS. PATRIBVS. *Aug. in Psal. 127.*

Quare timor supplicij æterni sit salutaris. *Aug. ibidem.*

Eo timore Gregorius Magnus vt valido argumento compescebat effrænem peccandi licentiam. Ille nimirum eo fine diem iudicij menti fidelium sæpiùs inculcabat. Quod profectò non fecisset, si suspicatus esset in eo dolore de peccatis, ex metu iudicij quidpiam indecorum. Sic ille: *Vitam vestram, fratres, moresque componite. Is qui mitis resurrexit ex morte; quàm districtus in iudicio veniat, prauidete. Certè in die tremendi examinis sui, cum Angelis apparebit: cœlis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequij terrore commotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite. Hunc venturum timete: vt hunc cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad vsum bona operationis exerceat: metus illius vitam nostram à prauitate compescat. Mihi, fratres, credite suspecti de culpa.* Reuera diaboli industria est, pellere hunc timorem, vt charitatem prorsus eliminet; quippe rudimentum charitatis est timor ille iudiciorum Dei: hinc etenim anima redux auspicatur meliorem inire frugem. Quod vt probè callet Angelus ille nequam, charitati bellum indicit acerbum, vtique specie charitatis: dum namque suggerit hominibus, omnia esse ex charitate agenda, & timorem supplicij eliminat; hominem ferè facit impotem ad charitatem congruè capessendam. Nempe pubescente timore iudiciorum Dei, charitas etiam adolescit, quæ nacta suam perfectam indolem postea timorem pellit, ita componens animam ad arbitrium Dei, vt tota Deo iugiter adhærescat. Eò tamen non assurgit anima nisi præambulo hoc timore, vt erudite probat Augustinus hoc contextu: *Si nullus est timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi seta exeat non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor; quia ideo intrauit, vt introduceretur charitas.*

Meditatio iudicij extremi timorem excitat, qui refrænat peccandi libidinem.

Timor iudiciorum Dei, est rudimentum charitatis.

Aug. tr. 9. in epist. Ioan.

Secundò instant delicatuli homines, Euangelium dispesci a lege antiquata, quòd hæc minis atque terroribus ageret cum Hebræis, vt videre est hoc discursu Dei apud Ieremiam. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras.* Item ille idem Dominus ex Ioële. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, scindite corda vestra.* Adiiciunt, omne Hebræorum onus esse remotum procul ab humeris fidelium, iuxta illud Petri Apostoli, carpentis eos, qui in Ecclesiâ vole

Alia instantia contra dolorem de peccatis ex metu iudiciorum Dei. *Ieremiæ 23. Ioël. 2.*

Act. 15.

Quænam Dei præcepta fuerint communia Ecclesiæ, & Synagogæ.

volebant ritus inducere Iudæorum. *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus.* His textibus volunt sectarij, eliminari ab Ecclesia recensionem eorum quæ faciunt ad terrorem, vt sunt supplicia æterna, & nihil aliud fidelium mentibus ingeri, quàm amorem Dei, quo maximè ducuntur Christiani, vt hæredes Dei, cohæredes autem Christi, quia valde incongruum est filiis incutere timorem patris, potiusquàm amorem. Respondeo, Ecclesiam reuera nescire iugum Synagogæ, cuius mentionem fecit Petrus; sed hoc iugum non esse situm in timore supplicij æterni, aut dolere de peccatis intuitu iudiciorum Dei, aut minarum: quippe ibi Petrus agebat de circumcisione, & aliis Iudæorum ritibus antiquandis. Vnde labat instantia, nullamque arietandi vim habet, imò magis nostram conclusionem adstruit: nam etsi præcepta quædam ceræmonialia & iudicialia Ecclesiam non obligent; illa tamen, quæ ad mores spectant, non exciderunt virtute sua, vt sunt præcepta Decalogi, & timoris Dei, & pœnitentiæ à reprobis ineundæ. Vigere autem præcepta pœnitendi, & timendi Deum, qui potest mittere corpus & animam in gehennam, proximè ostendi ex Scriptura, & Patribus.

Præceptum pœnitendi, & timendi Deum vt vindicem malorũ viget in Ecclesia vt & olim in Synagoga.

Adiice rationem validissimam petitam ex Concilio Tridentino in gratiam doloris orti ex intuitu supplicij. Sacra nimirum Synodus definiens, attritionem in Sacramento pœnitentiæ disponere ad iustificationem, liquidò eam afflata desuper approbauit. Vnde nescio quo fato nouatores quidam insurgant in hoc Catholicum dogma, nisi fortè vt procul ab Ecclesia faciant vsum Confessionis, quam reuera parum prodesse insinuant, affirmantes sacerdotem absoluendo Christianum confitentem, non causare gratiam instrumentaliter cum Sacramento, sed indicare solùm eum esse absolutum in virtute contritionis perfectæ, qua accinctus antea resiliit à peccatis. Eâ doctrinâ effectum est, vt pleræque mulierculæ deceptæ ab hypocritis & susurronibus impiis, impunè accedant ad sacram synaxim, malè pastæ cibo, qui negatur malè sibi consciis hominibus, nisi Sacramento Confessionis suas sordes diluerint. Proximæ Controuersiæ partes erunt, adstruere sacerdotum efficaciam cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem animæ pœnitentis.

Confessionẽ odiosã reddit doctrina damnans dolorẽ de peccatis ex metu supplicij æterni.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA II.

An sacerdos absoluendo hominem ritè confessum, conferat aliquid ad iustificationem eius, aut tantùm significet, hominem hunc esse à Deo absolutum.

ARGVMENTVM EX RATIONE, CONCILIIS, ET SANCTIS PATRIBVS.

VT Ieroboam auerteret Samaritanos ab aditu templi Ierosolymitani, vbi soli Deo incenso & victima litabatur; homo perduellis & refuga vitulos aureos finxit, quos proposuit incautis populis adorandos. Vt est populus rei nouæ perquàm cupidus, vitulis auro rutilis & coruscis adeò captus est, vt Dei immemor coluerit illa inania simulacra. Accipe rem à codice sacro. *Ieroboam fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.* Lixas; calones, & fæcem populi initiauit Ieroboam sacerdotio vitulorum, & reuera fuit tali patella dignum operculum, vt scilicet Diis ingloriis sacrificulos daret populum indecorum. Vbi autem Samaritani desierunt adire sacras ædes, & se addixere totos vitulis aureis, captauere omnes sensuum illecebras, & quasi induissent indolem vitulorum, mentis impotes homines illi nullo non vitio diffluxerunt. Hac pessima industria dæmon callidus hominibus imposuit: ille nimirum vafer æmulus hominum, vt eos inflecteret ad vitiorum omnium obsequium, suggessit esse inutilem aditum templi, qui eo animo fit, vt sacerdoti fiat sincera & ingenua confessio peccatorum: à Deo esse petendam veniam, & non à sacerdote vicarias agente Dei vices, qui nihil in animas potest: hoc susurro diabolus innumeros penè homines superiore sæculo dementauit.

Industria Ieroboam vt auerteret populum à templo Dei.

3. Reg. 12.

Dæmon reddidit odiosã confessionẽ, vt homines impij genio indulgerent.

Huiusce delirij fuere Antesignani, Lutherus, Caluinus, & sequaces eorum. Inde vt ex equo Troiano emersit malorum ilias, quæ effusa Europam infecit pessimo contagio, quo laborant Angli, Germani, & Gallorum non pauci. Hinc præterea impunè peccatum est, nullo confessionis metu vitia remorante. Damnatus quidem est ille error à Leone X. & à Concilio Tridentino, ideoque nullos Catholicos habuit assertores. Sed ex hac radice virulenta, nuper alius surculus emersit iniurius sacramento pœnitentiæ. Nempe quidam ementita specie Catholici, nuper emersi sparsere libellos, quibus ita contritioni iustificationem animæ attribuunt, vt faciant omnino irritam opem sacerdotis ad gratiæ influxum, affirmantes sacerdotem non reuera absoluere à vinculis peccatorum, sed duntaxat declarare hominem absolutum antea virtute contritionis. Vnde iuxta illud delirium, absolutio sacramentalis nihil efficit; sed declarat tantùm illud quod antea effectum est.

Lutherus lib. 1. de captiuitate Babylon. Caluin. l. 3. instit. cap. 4. §. 7. Leo in Bulla contra errores Lutheri. Concil. Trid. sess. 14. can. 7. De sanctissimo pœnit. sacram.

SENSVS ORTHODOXVS.

DECISIO CONTROVERSIÆ.

Sacerdos vt minister Dei & instrumentum vnà cum sacramento pœnitentiæ concurrit effectiuè ad iustificationem animæ pœnitentis.

ARGVMENTVM PRIMVM.

EX RATIONE, ET SS. PATRIBVS.

PRophetante Ieremia, & salutaribus monitis imbuente populum Israël, viri quidam typho superbiæ inflati obstitere, ne populus attenderet ad Prophetam, Dei scita veraciter explicantem. Ecce ex Codice sacro historiam. *Cum complesset Ieremias loquens ad populum vniuersos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc: dixit Azarias filius Osaiæ, & Iohanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Ieremiam: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster.* Ita & nuper viri

Ierem. 43.

viri reuera superbi eò tumoris assurrexerunt, vt dixerint, mendacium loqui sacerdotes, cùm dicunt se reipsa absoluere pœnitentes, nec ad hoc esse à Deo missos, sed vt tantùm declarent pœnitentes iam fuisse à Deo absolutos, ita vt Absolutio sacramentalis sit tantùm index reconciliationis antea factæ, non efficax ad reconciliationem faciendam ex vi sacramenti. Iniuria sanè est hæc doctrina Sacramento pœnitentiæ, & damnata à Concilio Tridentino, cuius Canones vide infra proximo titulo, vbi arguo ex Conciliis. Ratione est hic erronea illa sententia confutanda.

Concil Trid. sess. 14. Can. 9. de sanctissimo pœnitentiæ sacram.

Nemo it inficias, Sacramenta nouæ legis in eo distingui à sacramentis Iudæorum, quòd nostra gratiam instrumentaliter efficiant, cùm alia Hebræorum gratiam significarint, sed non effecerint, aut si aliquam sanctificationem suscipientibus erogarint, in confesso est apud omnes eam fuisse legalem, cute tenus, & non internam, vt est ea Sacramentorum nouæ legis. Vnde Magister sententiarum, Albertus Magnus, Thomas, & Bonauentura affirmant, Sacramenta nouæ legis esse signa practica gratiæ, eam efficiendo instrumentaliter, & ita signum sensibile, quo vt generè definiuntur sacramenta Iudaica & Euangelica, non prædicatur (vt inquiunt hi doctores) vniuocè de sacramentis Iudaicis & de nostris: quippe vetera sacramenta erant signa gratiæ futuræ & elargiendæ à Deo fidelibus Baptismo initiatis, sed non erant practica illius gratiæ. Nostra verò sacramenta sunt signa, quæ reuera graphicè delineant gratiam, & modum operandi eius; sed significando gratiam illam, hoc præterea eis adiectum est incrementum, vt eam etiam gratiam efficiant. Verbi gratiâ, dum sacerdos idoneus audita confessione pœnitentis, has profert voces: *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis.* His vocibus non significat tantùm animam esse antea liberam à nexibus peccatorum, sed realiter his nexibus expedit, & sanctificat, vt minister Dei, & instrumentum ad illam sanctificationem congruum, vtpote cœlitus institutum. Modus verò sanctificationis innuitur egregiè illo Sacramento, vbi homo in habitum rei compositus, sua recenset piacula, & audit se absolui. Vnde liquet, gratiam hîc sanctificare animam per modum reconciliationis, & nouæ libertatis acceptæ solutione vinculorum.

Magister sent. Albertus Magnus. Thomas. & Bonauent. in lib. sentent. dist. 1.

Quomodo absolutio sacerdotalis sanctificet hominem pœnitētem.

Hinc arguo contra nouatores: Si sacerdos absoluendo pœnitentes indicat tantùm remissa esse peccata, & significat gratiam influxisse in animam contritam, aut si illæ voces, *Ego te absoluo*, sunt à Deo institutæ, vt indices gratiæ habitualis; pœnitentia non est Sacramentum: illa nimirum munia non exercet præter ea, ad quæ assumpta est columba illapsa in Christum hiante cœlo, dum eum fluenta Iordanis alluerent. Namque columba illa fuit index gratiæ incolentis animam Christi; & nemo tamen dixerit hanc columbam fuisse Sacramentum. Rursus linguæ igneæ, quæ in die Pentecostes insederunt capiti fidelium, erant symbola feruidæ charitatis, qua illi Ecclesiæ proceres æstuabant: præterea notabant dona linguarum illis omnibus impertita. Nec inde potest quisquam inferre, fuisse Sacramenta linguas illas, quia non fuere practicæ rerum, quas graphicè lineabant. Illa nimirum flamma referens speciem linguæ congruè expressit charitatem, & donum linguarum. Sed quia signum hoc non efficit res, quas significando ingerebat menti, idcirco non competit ei ratio Sacramenti, in eo sita vt signum efficiat ex opere operato illud quod significat. Defectu illius efficaciæ, sacramenta legis antiquatæ, quæ fuere signa sensibilia gratiæ, non prædicantur vniuocè nostris sacramentorum symbolis adæquatè. Eo nempe titulo nostra sacramenta præstant aliis, quòd scilicet sanctificent animas ea sanctitate, quæ duntaxat fuit priscis Iudæorum ritibus indicata. Bellè Augustinus: *Sacramenta* (inquit) *non sunt eadem, promissa non eadem: quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui testamenti dant salutem: sacramenta veteris testamenti promiserunt Saluatorem.* Hactenus ille, probans quantùm nostra præpolleant sacramenta.

Quare colūba quę Christo baptizato apparuit, & linguæ igneę in die Pentecostes insidentes Apostolis non fuerint sacramenta.

Ex SS. PATRIBVS. *August. in Psalm. 73.*

Nullus ergo relinquitur ambigendi locus, an sacerdotalis absolutio sanctificet, cùm vt ait Augustinus sacramenta nostra dent salutem: vetera verò secus eam solummodo promittebant. Hinc prisca Iudæorum sacra vocantur vmbræ, nostra verò veritatis rem & titulum meritò sortiuntur. Ita Ambrosius: *Signum circumcisio corporalis, veritas circumcisio spiritalis: illa membrum amputat, ista peccatum.* Cùm ergo veritas sit velut indiuidua comes sacramentorum Ecclesiæ, reuera sacerdos sanctificat animam pœnitentem, cùm ei Sacramentum pœnitentiæ impertit: alioquin pœnitentia non esset Sacramentum, si nihil aliud præstaret sacerdos quàm indicare suo suffragio hominem absolutum. Imò nostra sacramenta deterioris essent conditionis, quàm sacramenta Iudæorum in modo significandi. Nam nobilius est certò præsagire rem futuram, quàm præsentem oculis subiicere: sed vetera sacramenta præscia fide Iudæis gratiam illam ingerebant menti, quam Christus Dominus erat suo sanguine meriturus. Præterea sanctitatem legalem hæc sacra ritè suscepta fidelibus populis erogabant: & hinc sanè præstarent nostris, si tota ratio sacramentorum Ecclesiæ in hoc sita esset, vt inhabitantem gratiam defotis indicarent.

Sacramenta Iudæorum fuere velut vmbra, nostra verò veritatem habent.

Ambr. ep. 70. ad Irenæum.

Dicunt aduersarij, non omnino otiosam esse illam absolutionem sacerdotis; sed esse necessariam, vt Ecclesia acceptet vt iustum hominem iam contritum, qui ideo est sistendus Ecclesiæ tribunali, vt ea declaratione liber fidelibus aliis innotescat. Sic hoc esset, profectò forent inutiles omnes illæ confessiones, quæ fiunt inter priuatos parietes, aliis omnibus insciis, quod tamen nemo sanus dixerit, & hoc tantùm quia pœnitentia est Sacramentum nouum à Christo Domino institutum, ac proinde conuenit cum aliis sacramentis in ratione generica signi practici gratiæ, quam sensibili symbolo præfigurat, vt ex sacramenti definitione liquet, quæ multiplex est, vt à multis recensetur. Tres tamen præcipuæ prostant. Prima est Hugonis Victorini, viri doctrina & pietate conspicui. Altera Magistri sententiarum; & tertia Catechismi Concilij Tridentini. Ita Hugo. *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex significatione continens aliquam inuisibilem & spiritalem gratiam.* Qui ergo accipit sine obice Sacramentum, is etiam participat gratiam Sacramenti, atque ita sacerdos absoluendo pœnitentem, eum verè sanctificat.

Diluitur insipida ratio eorum qui volunt absolutionem sacerdotis indicare solùm esse hominem absolutum.

Hugo lib. 1. par. 9. c. 2. Quid sit sacramentum.

Rursus ita Sacramentum definitur à Magistro sententiarum: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ*

Magist. sent. l. 4. dist. 1.

visibilis forma, eiusdem gratia imaginem gerens, & causa existens. Si causa est gratiæ; inepta sanè est sententia, & hæretica proteruia hallucinans, quæ denegat Sacramento pœnitentiæ hanc virtutem causandi gratiam, quæ illi communis est cum singulis quibusque sacramentis. Adiice & definitionem Catechismi Concilij Tridentini, quæ hoc tenore circumfertur: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Illa Sacramenti definitio compendiosè dirimit litem istam: namque duo dicit inesse Sacramento, rationem scilicet significandi, & vim efficiendi sanctitatem & iustitiam, quam suo signo res sensibus subiecta significat. Perperam itaque nouatores insurgunt in efficaciam Sacramenti pœnitentiæ, dum ineptiunt & affirmant, sacerdotem duntaxat absolutione sua declarare sed non facere hominem Deo gratum.

Catechism. Concil. Trid.

Aduerte obiter, nullum omnino facessere negotium instantias, quæ petuntur à Patribus, dum affirmant, Dei solius esse peccata remittere. Verbi gratiâ Ambrosij textus iste obiicitur: *Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis nostris mortuus est.* Ad hunc & similes textus vltro confitemur, Deum per se & primariò solum remittere peccata, nec eo modo cuipiam remissionem competere peccatorum: sed hoc non obstare, quin ex instituto Dei sacerdotes vt ministri vnà cum sacramento vices obeant causæ instrumentalis, sanctificando animam pœnitentem. Vnde ad argumentum respondeo, solius esse Dei remittere peccata per se & primariò; sed ex Dei instituto esse sacerdotis & Sacramenti pœnitentiæ remittere peccata per modum causæ instrumentalis. Nota, ad hanc causam instrumentalem esse reuocandas omnes Patrum sententias, quæ sanctificationem animæ, aut remissionem peccatorum attribuunt sacerdoti. Huius generis est iste locus Augustini: *Sacerdotes possunt confitentibus parcere; quibus enim remittunt, remittit Deus.* Quasi diceret: Sicut causa efficiens adhibens instrumentum, simul cum eo operatur, ita vt quod instrumentum perficit, sit etiam opus causæ, quæ perculit instrumentum: eo etiam pacto sacerdos à Deo adhibitus vnà cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem animæ pœnitentis, est minister & instrumentum sanctitatis & gratiæ quam Deus vt principalis causa pœnitenti desuper impertitur.

Ambr. l. 1. de pœnit. c. 11. Quomodo sacerdos sanctificet animas & in quo genere causæ.

August. l. de vera & falsa pœnit. c. 10.

Denique Catholici incautè sustinentes illam erroneam sententiam, quæ gliscit hodie, non aduertunt se impingere in hæresim Caluini, & aliorum, qui procaciter adstruunt, Sacramenta esse signa & symbola nuda gratiæ, quam denotant, sed sine vlla virtute efficaci ad gratiam illam animis erogandam, quæ nudo symbolo designatur. Vnde iuxta delirium illud, Ecclesia cum Synagoga coit in eodem genere sacramenti, cùm vtrobique sit concolor ille modus significandi gratiam, sine reali vllo influxu gratiæ eiusdem. Quod quàm fatuum sit, & peregrinum à Theologia, satis superque ostendit apex Theologorum Thomas, hoc discursu: *Sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena & infirma elementa, quia gratiam non continebant, nec causabant: nostra autem sacramenta continent, & causant.* Quomodo autem causent gratiam instrumentaliter illa hæc Ecclesiæ Sacramenta, idem Angelicus doctor eruditè enarrat loco margine prænotato. Vnde demiror audaciam, ne dicam temeritatem, auctoris libelli quem refello post sacram facultatem Parisiensem. Is nec leuiter tinctus vlla notitia Theologiæ doctorem agit, inuehens hæreses, quas vt sincera dogmata profitetur. Nempe spoliat Ecclesiam efficacibus Sacramentis, quibus ille explicator Thesauri Ecclesiæ substituit signa merè theorica, id est, sacramentorum inania simulacra.

Quid sentiāt hæretici de sacramentis Ecclesiæ. *Caluin. l. 4. Institut. cap. 14. § 1.*

Thom. 3 p. q. 62. art. 1.

SENSVS ORTHODOXVS.

Sacerdos absoluens hominem attritum, non solùm declarat eum esse Deo gratum, sed reuera vt minister & causa instrumentalis sanctificat animam attritione dispositam.

ARGVMENTVM II.

EX CONCILIIS, ET SS. PATRIBVS.

Themistocles coactis Græciæ comitiis, suos contribules atque municipes interrogauit de aliquo medio salutari, quo iretur obuiam malis, quæ Græcis oratione sua dixerat imminere. Vnus adstantium occurrere volens discrimini vrgenti, se præstitit consultorem optimum, rem proponens industriam ad fulcrum Reipublicæ quæ nutabat. Sed quia opportunus hic consultor malè audiit apud Themistoclem, qui suspectam eius fidem habuit, Præfectus ille comitiorum iussit eamdem sententiam præfati hominis proponi ab aliquo Areopagita virtutis emeritæ, sicque effectum est, vt Græcia annuente consilio proposito ab homine virtutis indubiæ, caueret sibi Themistocles, & Athenis. Hanc ego velo æmulari Themistoclis industriam, consulendo sectariis viri damnati, quibus adhuc animo insedit, attritionem non sufficere vnà cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem pœnitentis; quia, inquiunt, ante Sacramentum pœnitentiæ anima debet esse in gratia, vt gaudeat beneficio absolutionis, quod est declarare aliis hominem cœlitus absolutum, & non reconciliare Deo, eum sanctificando aliqua virtute practica Sacramenti. Scio sequaces impij dogmatis ebibisse virus antesignani sui, qui se libello suo osorem profitetur vitæ religiosæ, vbi etiam desipit in vota, in quæ velut in rem ingloriam ille rabula debacchatur. Eius argumenta elusi superiori Euangelio, in eo tractatu quem subieci de Encomiis vitæ religiosæ. Eamobrem professio mea religiosa, meam suspectam faciet fidem, si meo tantùm Marte probo errare nouatores illos, qui carpunt attritionem, & detrahunt virtuti Sacramenti pœnitentiæ. In mea adstruenda sententia orthodoxa contra flagitiosissimos homines expeditæ iam paginæ collaborant.

Plutarchus in Themistocle.

Industria Themistoclis, vt consilium opportunum hominis ingrati adstantibus placeret.

Iidem qui negant efficaciam pœnitentiæ, in vota Religiosa etiam impiè debacchantur.

Ne mei tamen instituti religiosi species, exosam æmulis nostris faciat illam meam sententiam de attritione & efficacia pœnitentiæ, volo inducere viros fidei indubiæ, testes omni exceptione maiores; scilicet Sanctos Patres, quibus præibunt Cócilia, vt omnis demantur sectariis occasio cauillandi. In eos primò arieto hoc valido argumento: Agens validum & efficax informare volens aliquod subiectum, si in illud agit tota virtute sibi insita,

Argumentū potens ad probandum sufficiētiam attritionis, & efficaciam absolutionis.

insita, profectò inducit formam propositam in subiectum, à quo absunt obices, qui remorari queunt formæ aditum in illam materiam: Ergo cùm attritio remoueat omnes obices, qui arcere solent gratiam ab anima, si accedat pœnitentiæ Sacramentum, indubiè sacerdos, cui à Deo virtus est indita sanctificandi animas ritè dispositas, absoluens hominem attritum, inducet in animam eius formam, scilicet gratiam, cuius valde indiga erat anima illa vitio mancipata.

Dispositio ad formam arcet obices qui subiectū efficiunt inuium formę.

Instabunt æmuli, attritionem non sufficienter obices ad gratiam expungere, quia cum attritione culpa viget. Respondeo, hoc equidem verum extra Sacramentum pœnitentiæ, sed vnà cum Sacramento pœnitentiæ remoras omnes gratiæ refugas penitus amandari. Nempe dispositio ad formam secernit obices, qui subiectum efficiunt inuium formæ. At ex Concilio Tridentino, attritio disponit gratiam impetrandam in Sacramento pœnitentiæ: Ergo sacerdos, qui est agens instrumentale sufficiens ad sanctificandas animas, ex vi Sacramenti attritum hominem emundabit. Reuoco textum Cõcilij, vt denuo opportunum; sic enim de attritione loquitur: *Declarat sancta Synodus, etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi parat ad iustitiam. Et quamuis sine Sacramento pœnitentia per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentia impetrandum disponit.*

Ex Conciliis. *Concil. Trid. sess. 14. c. 4.*

Rursus quia probè sciebat hæc Synodus sacrosancta, non deesse obtrectatores, nec etiam defuturos, qui malè sentirent de dolore illo de peccatis concepto, ex metu supplicij æterni; hunc Canonem edidit. *Siquis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, multitudinem, fœditatem: amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, &c. anathema sit.* Itaque liquet auctoritate Concilij, attritionem vt par est disponere animam ad gratiam: iam videre est an ex mente Concilij Sacramentum pœnitentiæ gratiam inducat in animas ita accinctas. Ecce Canones illic editos in eo argumento. *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sine accepta per fidem gratia vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Qui dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit. Si quis dixerit, per ipsa noua legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Eadem sess. 14.

Eodem titulo can. 6. 7. 8. Doctrina Concilij Tridentini de efficacia Sacramentorum.

Canones hi præfati dicunt anathema his, qui dubiam effecerint efficaciam Sacramentorum, nec vllum video Catholicis locum cauendi fulmina Ecclesiæ, si negarint sacerdotem reuera sanctificare animas, dum eis administrat Sacramentum pœnitentiæ. Rursus Baptismus, & Pœnitentia in hoc conueniunt, quòd sunt Sacramenta mortuorum, id est, hominum quos peccati contagium expertes gratiæ Dei fecit: At Baptismus efficaciter viuificat animam, & non solùm ostendit esse rediuiuam: Ergo & Pœnitentia non erit tantùm index peccati remissi, sed & erit caussa effectiua per modum instrumenti. Eò spectant Canones editi in gratiam efficaciæ Baptismi. En decretum Concilij Nicæni. *Baptisma nostrum, non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis: aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam, &c. Descendit quidem is, qui baptizatur, peccatis obnoxius, & seruitutis corruptione detentus: ascendit autem ab ea seruitute & peccatis liber, filius Dei, & heres, & cohares Christi.* Non est ergo noua decisio Concilij Tridentini de efficacia Sacramentorum, cùm eo decreto Concilij Nicæni vetustissimi constet de virtute præstantissima Baptismi, quam etiam asserit Concilium Constantinopolitanum, dicens Baptisma esse in remissionem peccatorum; non verò in ostensionem remissionis peccatorum. Liquidò demonstratur illa vis Sacramenti hoc textu Concilij Mileuitani. *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Quare Baptismus, & Pœnitentia dicantur Sacramenta mortuorum.

Concil. Nicænum cap. inscripto: διατύπωσις, doctrina de Baptismo ante octauum Canon.

Concil. Constantin. in symbolo illic edito.

Concil. Mil. cap. 2.

Vt tergiuersandi in nomine titulus omnis excideret, illa Synodus ait, paruulos veraciter baptizari in remissionem peccatorum. Non ergo cute tenus, & inane symbolum ablutionis à Deo factæ, sine obsequio instrumentali sacerdotis. Rem hanc ancipitem apud nouatores indubiam fecit iste Canon Concilij Arausicani II. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo adiuuante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debent, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Vides quàm copiosa sit supellex bonorum, quam secum vehit gratia per Baptismum fidelibus impertita. Hanc Sacramentorum efficaciam fuisse agnitam Ecclesiæ ab ipsis incunabulis, audi ex Iustino Martyre. *Remissionem ante commissorum peccatorum consequimur in aqua.* Quòd si causæ nomenclaturam petis, accipe Gregorium Nyssenum *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis & regenerationis causa.* Non ergo hallucinamur affirmantes Sacramenta esse causas gratiæ instrumentales. Accipe & singularem Tertulliani sententiam. *Prius liquor, quo viueret, dedit, id est, aqua produxit animantia; vt in Baptismo mirum non sit, si aqua animare nouerunt.* Rursus ille probaturus fore vt aliquando caro diuina resurgat, ait Sacramenta corpori adhiberi, sed eorum vim transmitti in animas. Vnde à similitudine Baptismi licet de aliis agere Sacramentis. Namque decreta Conciliorum, & Sanctorum Patrum sententiæ de efficacia Baptismi, non pertinent ad Baptismum, vt simpliciter est corporis ablutio, sed vt est Sacramentum nouæ legis. Cùm ergo Pœnitentia sit etiam Sacramentum nouæ legis, illi etiam quadrabit virtus effectiua gratiæ, quam Concilia & Patres Sancti recolunt in Baptismo.

Conc. Arausi. secd. I. can. 25.

Ex SS. Patribus. *Iustinus in Apologia ad Antoninum.*

Greg. Nyss. lib. de Baptismo.

Tertull. lib. de Baptismo.

Eamobrem Tertullianus non vni tantùm Baptismo assignat virtutem sanctificandi animas, sed

Lib. de resurrectione carnis. sed & aliis Sacramentis. Sic ille: *Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur.* Ecce Baptismi efficaciam, post quam subiicit virtutem Confirmationis quæ carnem signat, & vim manuum impositionis in ordinatione sacerdotum: *Caro signatur, vt anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Demum adiicit Sacramentum Eucharistiæ, ita fatus: *Caro corpore Christi & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Tertullianus sic discurrit per varia Sacramenta, vt faciat palàm eorum vim præsentissimam ad animas sanctificandas, sic damnans errorem qui gliscit in confessionis iniuriam, quandoquidem sectarij, quos impugno, procaciter aiunt sacerdotem in eo Sacramento non reconciliare Deo animas, sed declarare tantùm esse à Deo absolutas, qui etiam error censorem acerbum habet Chrysostomum, qui fusè libro de sacerdotio ostendit, quantùm sacerdotes legis nouæ emineant sacerdotibus priscæ legis, & in dotibus eminentiæ sacerdotum Euangelici ritus ait sacerdotes generis Leuitici non curasse lepram, sed declarasse solùm quando curata fuit: at sacerdotes Ecclesiæ non declarare peccatores mundatos, sed reuera mundare. Quid elimatiùs desiderare queas in ista controuersia.

Chrysost. l. 3. de sacerdotio. Sacerdotes Ecclesiæ reuera sanctificant animas pœnitentes.

Illa Chrysostomi sententia sæpè refricatur ab eo in gratiam efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ. Sic ille alibi: *Confessio præteritorum, est abolitio delictorum.* Si antiquiora petis testimonia, quæ adstruat, sacerdotem non indicare solùm absolutum, sed efficaciter absoluere, accipe Apostolorũ discipulum, & successorem Petri, Clementem. Sic ille: *Si fortè alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hac huic, qui præest: vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quo possit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.* Non ergo solùm iudex est sacerdos peccati remissi, vt volunt deliri homines; sed ex ore summi Pontificis Clementis, sacerdos salubriter curat, id est, iustificat, vt ait Dionysius Areopagita, sic increpans hominem, qui duriùs exceperat sacerdotem, qui homini nefario administrarat Sacramentum pœnitentiæ. Sic Dionysius inuehitur: *Tu vt tuæ indicant literæ, procidentem sacerdoti impium atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans calce abiecisti, ac repulisti. Cum ille quidem verecundè quod oportuit fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse: neque exhorruisti insuper & sacerdotem optimum lacerare conuitiis, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.* Audis à Dionysio Pauli discipulo, fuisse penes sacerdotem vim seu virtutem iustificandi.

Chrysostom. hom. 10. in Genesim.

Clemens Rom. epist. 1. Dionysius Areopagita epist. 8. quæ est, ad Demophilum Monachum. Sacerdos absoluendo iustificat ex Dionysio.

Lactantius lib. 4 diuin. Instit. c. 17. Accipe & Lactantium vetustissimum testem, vtique luculentum in controuersia de efficacia Sacramenti confessionis. Sic ille: *Quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant; sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat.* Rursus: *Deus volens vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor mundauerimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur.* Nulla planè mentio de Sacramento, vt index est remissionis, sed vt salubriter curat. Si ad principes Ecclesię Latinę Patres est prouocandũ, proculdubio causa cadent sectarij; habebunt enim hos iudices aduersos, vtpote stantes à partibus nostris. Prior occurrit Ambrosius ita fatus: *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* *Ambr. l. 2. de pænit. c. 6.*

Nota, soluere criminum nexus, esse aliud planè quàm indicare hominem absolutum: ac proinde dicere realem influxum ad iustificationem, quam loquitur Ambrosius, in cuius sententiam abiit Hieronymus hoc contextu. *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri: magister qui habet linguam ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat, medicina non curat.* Si ergo sacerdoti peruia sunt peccata, curantur, reali influxu gratiæ, ad quam effectiuè concurrit sacerdos hominem absoluendo. Accipe Augustinum liquidò affirmantem, sacerdotem vicarias agere Dei vices, sanando pœnitentes. Sic ille: *Cicatricum tuarum arbiter Dei vice, dominus adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Nota, ibi reconciliationem dici antidotum, vt intelligas gratiam, quæ sola virus peccatorum pellit. Rursus ille recolens virtutem confessionis, hæc eruditè eloquitur. *Quomodo nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit, sed quia Diabolus hoc desiderat, vt inueniat, quod nobis antè tribunal iudicis æterni obiiciat. Ideo vult, vt magis defendere, quàm accusare peccata velimus. E contrario autem Deus noster, quia pius est, & misericors, vult vt ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit: si nos agnoscimus, ille ignoscit.* Hactenus Augustinus.

Hieron. in c. 10. Ecclesiast.

Aug. l. 2. de visitatione infirmorum cap. 4.

August. l. 50. homiliar. hom. 12.

Ex præfatis satis superque liquet, quàm deuij sint à doctrina Patrum illi qui dubiam faciunt efficaciam Sacramenti pœnitentiæ. Et ne quid desiderandum supersit in argumento attritionis, accipe quatuor magni nominis Sanctos, & Doctores vno sæculo antiquiores Gregorio magno, qui suo calculo probant, solam attritionem sufficere ad Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ. Memini Chrysostomum, & Augustinum suprà, vt locupletes vades: non eos fortè pigebit nec vadimonium deserent, si eos huc denuo reuocare est animus. Ita Augustinus. *Qui vult fieri Christianus, vt non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est.* Nota, hîc Augustinum agere de modo, quo initiandi sunt catechumeni: ideoque maturè explicasse ea, quæ erant absolutè necessaria ad gaudendum beneficio Baptismi, ad quem vtiliter percipiendum solam dixit sufficere attritionem, id est, dolorem de peccatis ex metu supplicij æterni. Concolor est ratio Sacramenti pœnitentiæ, cum quo attritio sola iustificat, vt ipse Augustinus ait, hoc contextu. *Aliis Baptismum flagitantibus, aliis* *August. l. de catechizandis rudibus c. 17. Tomo IV.* *Idem ep. 180. Tomo II.*

reconciliationem, aliis etiam pœnitentia ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem, & erogationem. Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt? Aduerte, Augustinum dicere hos pœnitentes, qui concurrunt ad petendum Sacramenta Baptismi & confessionis, perire quia ministri desunt, qui illa salutaria administrent Sacramenta. Vnde liquet eum loqui de attritione, quæ reuera vna cum Sacramento eos sanctificasset, quapropter Augustinus definit, Episcopum ingruente imo grassante persecutione non debere esse suæ Ecclesiæ desertorem, vt attritis subueniat obsequio Sacramenti.

Sola attritio non sufficit ad salutem si desit sacramentum.

Recole esse sententiam Chrysostomi, qui ex professo commemorat solam attritionem, dum ad compunctionem homines adhortatur. Sic ille: *Hoc solum est, quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & Angelos, qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi sunt in gehennam, ac suppliciis tradendi.* Nota quæso has voces. *Hoc solum est, quod exposcitur à nobis.* Si alius dolor de peccatis fuisset necessarius ad compunctionem excitandam, illam scilicet, quæ cum Sacramento sufficit ad iustificationem; proculdubio Chrysostomus ad excitandum hunc dolorem non subiecisset diem iudicij, & supplicia æterna, vt congrua doloris agumenta: sed potiùs perfectam contritionem, quæ ab amore Dei petitur vt obiecto, mentibus ingessisset.

Chrysost. l. 1. de compunctione cordis in fine tom. 5.
Compunctionis vnà cum Sacramento necessariæ descriptio.

Absolutio olim data dolentibus de peccatis solo metu supplicij.
Ambr. l. 2. de pœnit. c. 9.

Vide iam ex Ambrosio, pœnitentibus fuisse datam olim absolutionem sacramentalem, etiamsi constiterit sacerdoti, homines hos esse attritos tantùm, id est, dolere duntaxat de peccatis metu supplicij. Sic ille: *Plerique futuri supplicij metu, peccatorum suorum conscij, pœnitentiam petunt, & cùm acceperint, publicæ supplicationis reuocantur pudore.* Non hos carpit Ambrosius, quòd sola attritione, id est, metu supplicij ad Sacramentum pœnitentiæ se accinxerint: sed in eos inuehitur quòd post confessionem factam sacerdoti, noluerint publicas fundere Deo preces indictas, velut in mulctam criminis exantlati. Pergit Ambrosius: *An quisquam ferat, vt erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? & pudeat te Deo supplicare, quem non latet; cùm non pudeat peccata tua homini, quem lateat, confiteri?*

Idem l. 2. de pœnit. c. 10.

Absolutionis sacerdotalis necessitas & effectus.
Leo Papa epist. 91. ad Theodorum, & recensetur in Canone Multiplex De pœnit. dist. 1.

Demum Leo Papa solus dirimere potest istam controuersiam, vtpote loquens de cathedra Petri, & non vt doctor singularis; quippe à Theodoro Episcopo Foroiuliensi interrogatus de hoc argumento, sic respondit: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ repararetur æternæ, vt qui regenerationis domum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* Vides hoc decretali responso, absolutionem sacerdotalem esse de necessitate medij ad indulgentiam Dei obtinendam, quam ipse Deus reuera per se impertit vt præsens & influens, & adhibens sacerdotem vt ministrum & congruum instrumentum vnà cum Sacramento ad animas iustificandas. Sic Leo Magnus: *Cui vtique operi incessabiliter ipse Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: vt si quid per seruitutem nostram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum Sanctum fuisse donatum.*

Ibidem.
Spiritus Sanctus per se animam sanctificat, sed sacerdos vnà cum Sacramento instrumentaliter.

Rursus quod maximè probat, sacerdotalem absolutionem iustificare hominem attritum, ait multos damnari, quia eo beneficio caruerunt. *Si* (inquit) *aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit: cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, iustitiæ reseruauerit, in potestatem suam timeri volens, vt hic terror omnibus prosit.* Hæc ille, probans esse absolutionem sacerdotalem necessariam ad salutem, ex eorum ruina, qui periere frustrati illo beneficio. Eamobrem beneuolus hic Pontifex, vrgente aliqua necessitate, vt mortis instantis, aut periculi insignis, decreuit, nemini denegari absolutionem, si eam postulet. Quod & adhuc in Ecclesia viget, vbi homini quantumuis nefario Ecclesia se propitiã atque beneficam præstat, ne pereat homo attritus, si decedat pœnitentiæ Sacramento destitutus: positis namque in articulo mortis reseruata omnia crimina relaxantur, si aliquale specimen ediderint animæ pœnitentis.

Leo vbi supra.
Nemini quantumuis nefario deneganda absolutio in articulo mortis si eam petat.

En decretum Papæ. *Multùm vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. His autem, qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio. Quòd si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* Hactenus ille Antistes summus, cuius sanctione liquet, attritionem sufficere ad iustificationem vnà cum Sacramento, quo denegato perit anima dolens de peccatis metu supplicij æterni. Vnde & patet, sacerdotem dum absoluit non indicare solùm gratiam, sed practicè influere in animam per modum causæ instrumentalis, & non primariæ agentis per se, quod Dei solius est.

Decretum concedens beneficium absolutionis omnibus in articulo necessitatis positis, si eam petierint.
Leo epist. 91. suprà citata.

Reclamabunt nouatores, fieri iniuriam humanitati Christi, quam tota Theologia admittit esse instrumentum Dei in productione gratiæ, ac proinde non esse alia adsciscenda instrumenta, vt sunt Sacramenta, quibus satis superque esse potest, vt significent gratiam, & non eam

Humanitas Christi & Sacramenta sunt instrumenta gratiæ Dei, sed diuersimodè.

Ex theologia. Thom. 3. p. q. 62. art. 5.

eam attingant instrumentaliter. Instantia est hominis nescij Theologiæ, vt est auctor libelli blasphemi, quem insector. Itaque Respondeo cum Sancto Thoma, esse duplex instrumentum, vnum separatum, vt est securis, aliud coniunctum, vt est manus, principalem autem causam efficientem gratiæ esse Deum, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum; sacramentum autem velut instrumentum separatum. Eamobrem necesse est, virtutem salutiferam à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta deriuari. Passione sua quidem nos liberos fecit à peccatis, non solùm efficienter, & meritoriè, sed etiam satisfactoriè: & prætereà Passione sua initiauit ritum Christianæ religionis, offerens semetipsum hostiam Deo. Vnde palàm est sacramenta Ecclesiæ specialiter habere virtutem ex Passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramenti.

Tertull. l. de pœnitentia.

Porrò vnum est aduertendum, scilicet plerosque nouatorum hallucinari, dum decurrunt & explorant sententias Sanctorum Patrum: quippe apud Tertullianum & alios aduertunt, sacerdotes reconciliasse in foribus Ecclesiæ pœnitentes, & fecisse eis ius ad aditum templi, quo suis ante reatibus exciderât, & eo ritu sacerdotes indicasse, eos esse realiter absolutos. Inde ab hac specie reconciliationis arguunt, sacerdotem nihil aliud efficere absoluendo, quàm declarare hominem absolutum. Sed hi pessimè errant, nescientes esse duplicem reconciliationem, vnam quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, qua verè à sacerdote sanctificatur anima; alteram, qua homo extra Sacramentum publicè admittitur ad participationem sacrorum, qua exciderat aliquâ censurâ in ipsum latâ. Si itaque proponitur aliquis textus Patrum, qui referat, sacerdotem declarare hominem absolutum cùm eum absoluit; hoc concede de publica reconciliatione peccatoris cum Ecclesia, cui præiuit alia priuata reconciliatio cum Deo virtute absolutionis sacramentalis, qua veraciter & citra suspicionem fuci iustificatur homo iuxta prælibatam hanc Ambrosij sententiam: *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.*

Duplex est in Ecclesia reconciliatio pœnitentis, vna in sacramento quæ sanctificat, alia extra sacramẽtum, quæ indicat absolutum.

Ambr. l. 2. de pœnit. c. 6.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA III.

An bona opera adultis necessaria sint ad salutem.

In hæc verba:

Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.

Sententia Iudicis in die extremo lata in reprobos, vtique nescio bonorum operum, sola potest dirimere litem ab hæreticis intentatam bonis operibus: sed ne argumenta desint, consule Euangelium feriæ quintæ cinerum; in sensu orthodoxo reperies agitatam fusè & pro votis istam controuersiam. Itaque supersedeo: ingrata namque forent denuo repetita.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA IV.

An eleemosynam erogare, sit opus meritorium vitæ æternæ.

In hæc verba:

Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Consule quartum Tomum istius Moralis Encyclopædiæ, & lustra Euangelium diuitis epulonis, & Lazari; videbis in sensu orthodoxo, pro votis hanc controuersiam agitatam iis quæ ad eam pertinent omnibus argumentis.

FERIA

FERIA TERTIA
DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.
EVANGELIVM
SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

Matth. 21. I. CVM intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?

II. Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.

III. Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo; & sanauit eos. Videntes autem Principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

IV. Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

I. VT corpora omnia infra cælos mobilia mouētur influxu accepto à primo mobili; ita homo assurgens in motus supra naturam, ab eo percellitur, infra quem est natura. Itaque omnis motio, animam inducens ad quærendum Deum, arguit Christi accessum ad hanc animam.

§. II. Huius autem accessus, seu illapsus Christi in animam, præcipuè participes sunt humiles: Namque Deus potissimum humilibus assuescit, quorum idcirco partes sunt, Dei magnalia aliis explicare.

§. III. Deo ipso prodigiis, dictis annuente encomiis; quæ humiles in gratiam Christi Domini decantarunt.

§. IV Quodque magis Dei & humilium consuetudinem probat: Deus optimus maximus, etsi vltro occurrat hominibus incuriis salutis suæ; illos tamen auersatur impiōs; quibus nihil nisi de superbia typho cōstat: Nempe eos diu frustrà admonitos, & illectos ad meliorem frugem, tandem euomit, & deserit, diuertens ad alios, quorum obsequio Dei gloria propagatur.

SENSVS LITERALIS.

Omnis motio, animam inducens ad quærendum Christum, arguit Christi accessum ad hanc animam.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.

§. I.

CONIECTVRA PRIMA
EX RATIONE.

AQuilegi, id est, homines qui fontium ortus & capita sagaciter inuestigant, vt rem indubiam asserunt, aquarum latices, qui defluunt ex edito loco collecti tubis atque canalibus, posse resilire vsque ad culmen quod adæquet ipsius fontis exordium. Huic asserto experimentum fidem fecit: nempe hi, qui fontanam aquam à capite arcessunt, repetunt, & scrutantur, salientis aquæ siphunculos deducunt, vt ferre Quomodo colligatur altitudo capitis fontis.

potest

potest altitudo fontis, ita vt enitentis aquæ diabetes seu tubos arguat eminentiam loci vbi est scaturigo. Simili ferè modo Theologi inuestigant in homine motiones discolores, quæ sunt veluti variæ salientes aquæ, quibus tota alluitur hæc vita fugax: quippe bifariàm mouetur homo dum ad aliquod se accingit opus, idque iuxta duos dissimiles operandi modos. Si merè naturalis fuerit actio, quam exerit homo, vt sunt bibere, ambulare, ridere, impetus à quo percellitur animus ad hos actus, erit eiusdem ordinis, ac proinde solius naturæ cancellis optimè concludetur: generalis nimirum Dei concursus, indiuiduus naturæ comes, sufficit ad exerendas illas actiones. Si verò homo assurgit ad ea, quæ Dei sunt, & laborat in indagine rerum, quæ pertinent ad salutem suam; tunc dicitur homo sanctiore aura afflatus, & actionis eminentia, motionem arguet esse superioris ordinis: id est, natura impote ad supernaturales actus, homo indiget alio concursu Dei, vtpote impar actioni superioris ordinis. Concursus autem ille, suum tenorem seruans, & concomitans actionem, dicitur gratia adiuuans. Motio verò, quæ præcessit hunc concursum, excitans gratia nuncupatur, quæ tota Dei est, & ad quam anima se habet merè passiuè: at ad gratiam adiuuantem seu cooperantem se habet promiscuè, passiuè scilicet, & actiuè. Passiuè quidem, quia Deus in hominem influit vt in subiectum idoneum suis gratiarum dotibus informandum: actiuè, quia suam adhibet operam, ne gratia defluat incassum, sed illud quod est intentum à Christo Domino sortiatur.

Actus humani in duplici sunt genere scilicet naturales, & supernaturales.

Sẽsus literalis commotionis, quæ totam Ierosolymã concussit Christo introeũte.

His prælibatis, accipe genuinum sensum literalem versus quem enucleo. Commota est vniuersa ciuitas motione supernaturali ad introitum Christi. In illo nimirum Ierosolyma suspicata est quid diuinum, cuius indagini occupata identidem reperiit illas voces: *Quis est hic.* Namque ciuitas illa assueta Christo sæpe sæpius hunc videtat in plateis, & in templo, nec vlla tamen fit mentio percitæ ciuitatis. Etenim Gens illa incredula lippis duntaxat oculis Christum inspexerat, de eo nihil diuinum sapiens, sed terrenum hominem arbitrata, inglorios ei næuos affinxerat, dicens eum fabro patre satum, & esse potatorem vini, publicanorum epulis assistentem. Vnde liuore perculsi homines, non supernè commoti sunt, sed tunc temporis suæ indolis nequissimæ congruum facinus ediderunt. Hodie verò secus, vndique concurritur, vt videatur idem Christus ingressus Ierosolymam specie triumphantis, & dignatus à turbis non regali tantùm titulo, sed diuino. Nempe Christo insidenti asinæ occurrerunt turbæ accinctæ palmarum ramis, & decantantes versus Psalmi editi in gratiam Messiæ: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* His velut infulis diuinitatis Christus insignis Ierusalem ingreditur. Vt autem suspicio diuinitatis increbruit Vrbe tota ciuitas eò effusa est, quà erat eo temporis articulo transiturus. Scribæ, & Pharisæi, aliique proceres Iudæorum attoniti, & subodorantes in Christo homine quidpiam eterogeneum, id est, alterius naturæ quàm humanæ, non potuerunt temperare sibi, quin sæpius inquirerent: *Quis est hic.* Christo Domino ita suas moderante vices, vt instante Passione se Messiam esse proderet, ne esset suspecta fides Apostolorum, cùm post Pentecosten annuntiantes Christum, illi hunc Messiæ titulum affricarent. Potuere nimirum Apostoli refricare memoriam triumphi huius Iudæis incredulis, & eis ingerere, Christum mox passurum, fuisse Ierosolymis habitum vt Messiam, ac proinde eorum animos inflectere ad fidem Christi.

Motio illa ciuitatis fuit supernaturalis vtpote facta ad salutem Iudæorum.

Psal. 117.

Quare Christus voluit ante suam Passionem excipi Ierosolymis vt Messias.

Illa ciuitatis vniuersæ commotio, singulare fuit beneficium Christi illucentis populo infideli, vt præuia fide eum aptaret ad colligendos fructus Passionis suæ, quæ instabat. Fuisse hanc motionem superioris ordinis, & non æstum populi pesquàm cupidi rei nouæ, liquet ex serie & contextu historiæ, quæ vt recensuit honores fuisse exhibitos Christo vt Messiæ, statim subiicit eo introëunte Ierosolymam, fuisse commotam vniuersam ciuitatem, eo solo argumento percitam quòd audiret Iesum Saluatoris nomine nuncupari. Audiit quidem ciuitas hunc titulum à populo prædicante Christum, sed eius motio non fuit à populo, qui habuit se per modum proponentis, vt hodie præcones verbi Dei easdem vices agunt; sed diuini est impetus, quòd pectora commouentur. Ibidem Christus infinita propè prodigia priùs ediderat: nec vlla tamen est facta recensio motæ ciuitatis in gratiam alicuius obsequij Christo exhibendi. Itaque sapit diuinum aliquid illa commotio: etenim præter rerum ordinem, Scribæ & Pharisæi passi hactenus Christum censorem acerrimum suorum vitiorum, vrgente Deo consulunt populum, vt eo erudiente sciant: *Quis est hic.* Nec vana fuit hæc quæstio: nimirum audiere à populo, Christum esse supra hominum vulgus, & penes eum esse stipendium salutis omnium nostrûm. Vnde, quia hæc inquisitio pertinens ad salutem superat omnes naturæ vires, proculdubio fuit singulare beneficium Christi, cuius ista vox est apud Isaiam: *Quæsierunt me qui ante non interrogabant.* Est enim Theologiæ effatum, Christum esse Ecclesiæ caput, ac proinde ab eo in omnia membra defluere gratias omnes, quæ hominem sollicitant ad salutem. Non enim gloriæ nostræ tantùm est causa meritoria Christus, sed & auctor gratiæ omnis, quæ conducit ad salutem, iuxta Ioannis sententiam: *Lex per Moysem data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

Quare cõmotio ciuitatis fuerit diuina.

Isai 65.

Christus est caput Ecclesiæ.

Ioan. 1.

Eò spectat & illud Pauli elogium in gratiam Christi: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Id est, quidquid in animas cœlitus influit pertinens ad assecutionem gloriæ æternæ, illud est benedictio Dei, mediante Christo fidelibus impertita. Eiusdem generis est & hic versus. *Aspicientes in auctorem, & consummatorem Iesum.* Non enim tantùm à Christo habemus gratiæ incrementum, sed etiam eiusdem exordium. Itaque citra dubium est, illam commotionem, qua percita fuit Ierosolyma, de Christo sollicita, quisnam esset ille, fuisse donum seu gratiam singularem eiusdem Domini Redemptoris, qui gratiarum aspergine rigaturus orbem vniuersum in Passione sua quæ imminebat, illud generale profluuium hodie excitatis ad fidem Iudæorum mentibus anteuertit. Et profectò arbitror, eo intento à Spiritu Sancto recenseri illam commotionem, quæ totam ciuitatem sollicitam fecit de Christo, quisnam esset, vt insinuaret quàm beneficus esset ille Dominus, hominum corda polliciens ad obsequium suum, tametsi præscius ærumnarum, quas

Ephes. 1.

Hebr. 12.

Quare Spiritus Sanctus voluerit recenseri commotionem Ierosolymæ ad introitũ Christi.

quinto

quinto post die passurus erat ab eodem populo reprobandus.

Maldonati sentētia carpitur faciens diaboli cōmotionem, illam quæ profectò fuit Dei.

Maldon in v. 21. Matth. versu 10.

*Eamobrem longè à sensu literali aberrat Maldonatus, cùm carpit illam commotionem ciuitatis, vt diabolo auctore satam: diabolo namque est adscribere motionem illam, affirmare fuisse motum illum inuidiæ & liuoris. Sic ille: *Commota autem ciuitas non gaudio, non admiratione, non metu; sed inuidia, & maligna quadam indignatione, quod videret Christo tantùm honoris tribui, vt ex verbis sequentibus intelligitur, sicut monuit Euthymius: Quis est hic. Non ignorabant, quis esset Christus, cùm eum per tres iam annos cognouissent: sed sensus est; quantus est hic, vt tantùm honoris mereatur.* Nota, Euthymium malè assignari in testem à Maldonato, vt suam adstruat sententiam, cùm vt infrà dicam Chrysostomus totum hoc negotium attribuat motioni Spiritus Sancti. Quod & reuera quadrabat pompæ & triumpho Christi. Ille nimirum adeò lautè exceptus à ciuitate effusa obuiam ipsi, pro sua humanitate & beneficentia, prodiga manu ingressus illam vrbem non missiles nummos fudit, aut pecuniariam largitionem fecit, vt Regem decebat; sed ex suo ærario spirituali deprompsit gratias idoneas ad conuersionem ciuitatis hactenus infidelis. Et hæc largitio gratiarum maximè prodit liberalem indolem Christi, cuius vt regnum non erat de hoc mundo; ita nec eius dona fuere signata numismata, sed gratiæ congruæ ad æterna gaudia comparanda.

Christus vt Rex gloriæ, ingressus Ierosolymam largitiones fecit gratiarum quæ cōducunt ad gloriam.

Itaque Maldonatus malè diabolo attribuit illam motionem, vno Euthymio fretus, qui auctoritate & multis sæculis est infrà Chrysostomum, qui Spiritus Sancti illapsum singularem agnoscit in hac historia Christi, pompaticè introeuntis Ierosolymam. Adiice, incongruam esse Maldonati glossam, qua vult voces illas: *Quis est hic?* Perinde sonare ac: *Quantus est hic, vt tantùm honoris mereatur?* Si enim ironica fuisset petitio: *Quis est hic?* profectò fuisset iniuria Christo, & turbæ benè affectæ erga Christum, malè habuissent eos, qui sic Christo Domino detraxissent, nec adeò benignè quærentibus, quisnam esset Christus, respondissent eum esse Prophetam à Nazareth. Quòd si Maldonatus instet, Euangelistam dicere, Christo prædicante in Templo, & repurgante sacras ædes, vbi exercebantur nundinæ, seu commercia rerum, quæ spectabant ad sacrificia, aliquos Pharisæos fuisse indignatos; hoc tamen non est sufficiens argumentum, vt ideo dicatur vniuersa ciuitas commota. Quasi verò aliqui Pharisæi notentur titulo totius ciuitatis, vbi reuera erant multi à Deo electi, qui dedere Christo manus, illa perciti motione. Igitur esto ratum, co-...uio-nem illam fuiss- ... Christo, de ...uto, & propter Christum.

Cur turbæ responderūt Christū esse Prophetam.

***

SENSVS LITERALIS.

Salutaris fuit commotio ciuitatis Ierosolymæ introëunte Christo, vtpote ab eo facta ad eius salutem.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic?*

CONIECTVRA SECVNDA

EX LINGVIS.

IN confesso est apud omnes, corpora quæ infrà cœlos sunt, cœlitus agi dum mouentur, quia omnia mobilia reduci debent ad vnum primum mobile, quo indefesso motu reliqua debent corpora commoueri. Quòd in Physicis certum & indubium est, illud in moralibus superioris ordinis est de fide: namque anima nequit eniti ad opera supernaturalia, nisi perculsa desuper, & Christo Domino cœlitus influente, qui eò spectans, ita suos discipulos affatus est: *Sine me nihil potestis facere.* Eo præambulo liquet, Ierosolymam Christo eam subeunte motam, vt inquireret quisnam esset Christus, fuisse à Christo commotam, & non à diabolo, vt vult Maldonatus, affirmans illam motionem fuisse argumentum inuidiæ & liuoris. Quam sententiam sic explodo: Nulla diaboli motio animam sollicitat ad ea quæ conducunt ad salutem: Ergò illa motio Ierosolymæ non fuit æstus dæmonis impellentis: siquidem illa homines induxit, vt sagaciore ritu quàm antea Christum attenderent, in quo antea nihil præter humanum suspicati, iam audientes eum à turbis dici Saluatorem, altiùs inquirunt: *Quis est hic?*

Anima immota cœlitus nequit assurgere ad opera supernaturalia.

Ioan. 15.

Quare refellatur Maldonati sententia assignans diabolo commotionem ciuitatis Ierusalem introëunte Christo.

EX LINGVIS. HEBRÆA.

Profectò quæstio illa fuit de Christo vt homine, cuius consuetudine edocta ciuitas didicerat eum esse Maria matre satum: Ergo subodorata ciuitas quid diuinum in Christo triumphante, se accinxit pro viribus ad scrutinium abditæ veritatis. Vnde quia veritas illa, cuius indagini se aptauit hæc ciuitas, ad salutem spectat; citra omne dubium, fuit hæc motio salutaris, ac proinde effecta Christo Domino moderante. Fauet textus Hebræus Matthæi ex Tilio, vbi Christus ipse dicitur commouisse ciuitatem. Sic enim fe... Hebræa dialectus ורעשה כל העיר *v..gnascha col hanghir*, id est, *comm... totam ciuitatem.* Mercerus ait radi... רעש *rangbasch*, significare ..., conterere, sicut & commouere, & ...inde esse eiusdem significati ac verbum רעץ *rangaths*, quod contritionem significat. Eamobrem ad trutinam linguæ Hebrææ, Christo introëunte Ierosolymam, ciuitas illa eodem Domino percellente excitata est ad contritionem suæ infidelitatis, quam vt detergeret; sedulò inquirit de Christo quisnam sit, vt erudita, sibi consulat exhibitis obsequiis Domino Redemptori. Hebræa loquutio deferens Christo commotionem illam consonat Theologiæ effato, decernentiesse à Christo gratias omnes, quæ faciunt ad momenta salutis nostræ.

Commotio ex Hebræa notione perinde est ac contritio.

Rursus fuisse quid diuinum illa motione reconditum, Syrus interpres bellè subindicat hoc tenore: אתחזיעת כלה מר'נחת *ethzeza'gbath*

CHALDÆA. SYRIACA.

cullaah medinetho. Id est. *Expauit omnis ciuitas magna.* Nempe vox אתזעזעת *ethzhesinghat*, deducitur à verbo quadrato זעזע *zangh zagh*, quod perinde est ac זוע *zuangh*, quod apud Chaldæos & Syros significat pauere & tremere. Itaque cōmotio illa ciuitatis non fuit, vt vult Maldonatus, acerba indignatio exasperās animos Hebræorum, sed pauor ille salutaris, qui præire solet Deo in animas cœlitus influenti. Quem & experta est Maria turbata Angeli affatu, quando fuit desuper impræguata. Proculdubio Christo subeunte ciuitatem, in gratiam illius introitus quidam radius emicuit index abditæ deitatis, cuius euidens argumentum fuit illa mercatorum expulsio de Templo, vbi nundinatores impunè antea mercabantur. Etenim, nisi aliquid diuinum in Christo suspicata esset Gens illa, non adeò facilè cessisset loco facto, vbi suas agebat nundinas: quippe non est vnius hominis negotium, agere in fugam multos simul homines adunatos. Vnde liquet, illam commotionem fuisse à Deo, salutem populi huius infidelis validè procurante.

Commotio ciuitatis ex motione Chaldæa & Syriaca fuit pauor ille qui præire solet diuino influxui.

Consonat & Græcus textus opportunè, qui illam commotionem explicat notione passiua, quasi insinuans aliquo deforis œstro fuisse percitam vrbem, & non suo Marte ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, id est, *commota est vniuersa ciuitas.* Quòd si, stante sententia Maldonati, illa commotio fuisset index animi iniquioris Christo, ciuitas seipsam commouisset potiùs quàm commota esset: illa nimirum à principio intrinseco, scilicet à liuore, quo ardebat in Christum, seipsam pro arbitrio commouisset.

GRÆCA. Commotio ciuitatis passiua fuit magis quàm actiua.

SENSVS LITERALIS.

Commotio ciuitatis diuina fuit, non liuoris aut animi inquioris Christo argumentum.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?*

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribvs.

EX pulsu te... conijcere sanitatem decumbentis ægri, argu... Medico magnam peritiam; namque motus arteriæ ...oni plerisque imponunt, etsi à corde ...momenta a... suum capiant exordium. Esto quandoque variet, & discolor sit in homine pulsus; altioris tamen indaginis est inuestigare motus animæ: illa nimirum variis acta modis plerumque imponit: dum namque creditur impulsa diuinitus, aliunde percellitur; vt & secus multi suspicantur, aliquos homines agi à dæmonis æstu, qui tamen cœlitus excitantur. In his hallucinatus est Maldonatus, diabolo attribuens illam commotionem ciuitatis introëunte Iesu ciuitatem Ierosolymorum. Profectò Maldonatus oblitus est consilium Apostoli suadentis, vt probemus spiritus, an ex Deo sint: quippè is nullo præuio examine tulit sententiam iniquam in homines haudquaquam malè affectos in Christum, affirmans illam ciuitatis motionem fuisse argumentum inuidiæ, qua populus ille conflagrabat. Itaque consulendi sunt doctiores homines in hac arte, motus animæ dignoscendi. Et quia nemo dubiam facit peritiam Sanctorum Patrum, hos ego adhibeo consultores, vt his ducibus benè liceat ominari.

Ardua res est. ferre iudicium de motibus animæ, Dei sint, necne.

Prior occurrit Chrysostomus, de ea commotione nihil omnino sinistrum suspicatus, vtpote dicens Deum influxisse in turbas, quæ laudabant, & ciuitatem totam fuisse admiratione commotam. Sic ille: *Meritò commouebantur videntes rem mirabilem: homo laudabatur quasi Deus: sed Deus laudabatur in homine. Puto autem, quòd nec ipsi qui laudabant, sciebant quid laudabant: sed spiritus subitò ingressus in eos, veritatis verba fundebat.* Admirationi etiam dedit istam motionem Origenes, alludens ad Christi introitum in cœlos mirantibus Angelis. Ita fatur Origenes: *Quando intrauit Iesus Ierosolymam veram, admirantes virtutes cœlestes, dicebant: Quis est hic?* Subscribit Hilarius, motum illum fuisse stuporis asseuerans hoc contextu: *Commouetur Ierosolyma: rerum enim nouitas motum attonitis afferebat.* Concors Hieronymus, adstruit illud de hac commotione iudicium in gratiam illorum, qui dederant admirationi totam illam motionem. Sic ille: *Introeunte Iesu cum turba, tota Ierosolymorum ciuitas commouetur, mirans frequentiam, nesciens veritatem.* Cùm igitur admiratio sit soboles rei magnæ occurrentis animo; proculdubio ciuitas illa tota, subodorans in Christo quædam argumenta deitatis, abiit in stuporem, qui fuit ab eodem Christo Domino desuper excitatus: vtpote inducens homines ad inuestigandum, quisnam Christus esset. Quamuis illa præceps inquisitio videatur fieri ab inuitis, hoc tamen non obstat, quin illa motio fuerit cœlitus excitata, vt hîc benè obseruat Hilarius, ita commentatus: *Quamuis mox diuersa essent consecutura; rerum tamen cœlestium fidem, etiam inuitorum meditatur operatio.*

Ex SS. Patribvs. Commotio ciuitatis fuit admirationis.
Chrysost. in Matth. c. 21.
Origenes in Matth. tract. 15.
Hilarius Can. 21. in Matth.
Hieron. in Matth. c. 21.
Deo auctore fuit facta commotio.
Hilarius vbi supra.

Meæ etiam suffragatur sententiæ Abulensis, auctor minimè pœnitendus, quem vbique refellere animo meo non insedit, vt neque Maldonatum, aut alios, quibus passim ego fidem detraho, siquando deuiant à sensu literali, quem adstruo. Nempe illis omnibus assentior, quos suspicor ad intentum Spiritus Sancti propiùs accessisse. Vt in proposito themate de commotione ciuitatis Ierusalem introëunte Christo placet Tostatus ille Abulensis Præsul, affirmans Deo impellente motam fuisse ciuitatem. Sic ille commentatur, illam populi motionem versans: *Fuit hoc, quia Deus impulit corda hominum Ierosolymitarum, vt irent ad videndum istud spectaculum; erat ... valde conueniens ad Christi manifestationem, & ad ...dendum peccatum Gentis Iudæorum. Nam tunc pu... vocabatur à turbis Christus Messias, & Rex Israel: ... cùm tota ciuitas ad hoc spectaculum conueniret, non po... rant negare se audisse illum esse Messiam, vt saltem circa hoc cogitandi locus esset an verum esset.* Hoc igitur constans esto iudicium de commotione ciuitatis: hanc nempe Deo auctore factam, vt hac sibi consuleret populus ille ad Christi obsequium desuper excitatus.

Auctor nel minem sibi in scopum præfixit vt cum vbique refellat. Abulin c. 21. Matth. q. 45.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Christus se communicans humilibus tantùm, turbis innotuit vt Messias.

In hæc verba:

Populi autem dicebant: Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galilaæ.*

§. II.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Humilibus amplior Dei notitia assolet affulgere, & ad alios postea deriuari.

CVm radij Solis incurrunt in speculum concauum, non imaginem Solis inibi tantùm delineant, sed præterea accendunt materiam ex aduerso positam, si concipere possit ignem. Ita Dei notitia nacta humiles animas vt subiectum idoneum, est corusca & liquidior quàm dum influit in homines intumentes typho, imò ab humilibus illa diuina lux spargitur, nouosque amoris ignes ingerit cordibus aptis ad hæc incendia, vt videre est Euangelio hodierno, vbi superbi Scribæ, & Pharisæi cæcutiunt in his quæ pertinent ad Messiam; turbæ verò deposito omni fastu ei occurrunt, & prædicant eum vt Messiam, omnesque volunt pellicere ad obsequium eius, quando introëunte Christo Ierosolymam, audacter de Christo sciscitantibus respondent: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilaæ.* Profectò eâ Confessione potenter sollicitant hominum corda in gratiam Christi: nempe nihil adeò gratum fuit Iudæis ac mentio Messiæ, penes quem reposuere suorum bonorum omnium summam. Vnde prædicare Iesum esse Messiam, perinde est ac ei omnium corda validè deuincire. Hoc sibi hodie pensum indixere populi, conclamantes Iesum esse Prophetam: hîc enim vox Prophetæ, supponit pro Messia.

Dei notitia non est ad splendorem tantùm, sed etiam ad amorem.

Sensus literalis verborum quæ populi prædicabant de Christo.

Itaque sensus literalis versiculi quem decurro iste est. Concurrente Ierosolyma ad spectaculum Christi Domini triumphantis, & ea stupente deferri honorem nemini hactenus exhibitum, turbæ consciæ meritorum & dignitatis Christi, tersere stuporem ciuium, quos ingens admiratio perculerat, eos sic affantes: Quid miramini, ô Ierosolymitæ, populum effusum obuiam Iesu Nazareno, & deferentem ei palmas? Ille est desideratus cunctis Gentibus, & enixè à priscis Patribus exoptatus. Propheta est alterius omnino notæ à cæteris; is scilicet, de quo Moyses ita præfatus est: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Quid ergo cunctamini in reddendo obsequio, longiores vestræ moræ iniquæ sunt, & vestros animos arguunt infideles. In ea profectò fuere sententia turbæ illæ conclamantes, Christum Dominum esse Prophetam. Illic enim non intellexere Prophetam eo sensu, quo vulgo vox illa habita est in Iudæa, vbi quisquis edebat aliqua prodigia, aut specimina virtutis emeritæ, is Prophetæ nomine censebatur, vt cùm Matthæus recolens Ioannem Baptistam ita fatur: *Omnes habebant Ioannem sicut Prophetam.* Aliàs Propheta excellentiori modo accipitur, pro homine Prophetis etiam cæteris eminente. Et ita vox hæc vsurpata est à turbis, quando Christus rediuiuum Naimitam reddidit matri. Sic Lucas: *Accepit omnes timor; & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.*

Deuter. 18. Propheta quot modis dicatur aliquis in Scriptura Sacra. Matth. 21.

Luc. 7.

Demum Propheta accipitur pro Messia, iuxta nomenclaturam vsurpatam à Deo ipso sic affante Moysem: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Ex præfatis, trifariàm vsurpatur titulus hic Prophetæ, & Christo inditus est tribus hisce modis, provt fides populorum facta fuit liquidior. Vnde quia instante Passione Christi, turbæ satis superque fuerant eruditæ à Christo, turbæ illæ sequaces Domini audacter, eum esse Messiam prædicarunt. Et miror hîc esse hallucinatum Abulensem, dùm tenaciter affirmat, turbas conclamantes Iesum esse Prophetam, noluisse dicere eum esse Messiam. Sic ego impugno hominem alioquin doctum: Turbæ illæ hodie recensitæ effusæ in laudes Christi, erant ex discipulis eius, & proinde sequaces illius præceptoris, cui ita auscultabant, vt & immemores annonæ essent. Fuisse hos encomiastas Christi discipulos, Lucas ait hoc contextu. *Cœperunt omnes turba discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Cùm ergo præcones illi fuerint discipuli Christi, profectò fuere fideles; nempe fides est quæ Christi discipulos initiat: at fidei summa erat credere in Christum vt Messiam, & Saluatorem mundi. Huiusce fidei populus hodie edidit locuples argumentum: quippe in gratiam eius, gratulabundo percitus œstro cecinit Psalmum Messiæ consecratum. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Deut. 18.

Fallitur Abulensis negãs Christum à turbis fuisse prædicatum Messiam. Abulensis in c. 21. Matth. q. 54.

Rationes quæ suadent Christũ prædicatũ Messiã a turbis. Luc. 19.

Psal. 117.

Illud insigne præconium, decernens Christum esse Messiam, conciliauit ei inuidiam Procerum, quos indignantes Christus egregiè compescuit. Sic Matthæus: *Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique numquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Ecce validum argumentum contra Abulensem. Laus illa Christo exhibita hodie fuit præscita à Dauide, præfante fore vt perfecta laus ederetur à paruulis prædicantibus Christum: Ergo illa encomia hodie edita in honorem Christi, non prætериere titulum præcipuum à Iudæis hactenus expectatum. Id est, in contextu laudum, quas gestientes turbæ decantarunt ad honorem Christi, non defuit confessio asseuerans eum esse Messiam: alioquin non fuisset perfecta laus, quæ dignitatem illam Messiæ Christo Domino detraxisset. Præcipua argumenta petenda sunt ex linguis.

Matth. 21.

Validum argumentum contra Abulensem, quo Christus ostenditur prædicatus à turbis vt Messias.

visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens. Si causa est gratiæ; inepta sanè est sententia, & hæretica proteruia hallucinans, quæ denegat Sacramento pœnitentiæ hanc virtutem causandi gratiam, quæ illi communis est cum singulis quibusque sacramentis. Adiice & definitionem Catechismi Concilij Tridentini, quæ hoc tenore circumfertur: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Illa Sacramenti definitio compendiosè dirimit litem istam: namque duo dicit inesse Sacramento, rationem scilicet significandi, & vim efficiendi sanctitatem & iustitiam, quam suo signo res sensibus subiecta significat. Perperam itaque nouatores insurgunt in efficaciam Sacramenti pœnitentiæ, dum ineptiunt & affirmant, sacerdotem duntaxat absolutione sua declarare sed non facere hominem Deo gratum.

Catechism. Concil. Trid.

Aduerte obiter, nullum omnino facessere negotium instantias, quæ petuntur à Patribus, dum affirmant, Dei solius esse peccata remittere. Verbi gratiâ Ambrosij textus iste obiicitur: *Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis nostris mortuus est.* Ad hunc & similes textus vltro confitemur, Deum per se & primariò solum remittere peccata, nec eo modo cuipiam remissionem competere peccatorum: sed hoc non obstare, quin ex instituto Dei sacerdotes vt ministri vnà cum sacramento vices obeant causæ instrumentalis, sanctificando animam pœnitentem. Vnde ad argumentum respondeo, solius esse Dei remittere peccata per se & primariò; sed ex Dei instituto esse sacerdotis & Sacramenti pœnitentiæ remittere peccata per modum causæ instrumentalis. Nota, ad hanc causam instrumentalem esse reuocandas omnes Patrum sententias, quæ sanctificationem animæ, aut remissionem peccatorum attribuunt sacerdoti. Huius generis est iste locus Augustini: *Sacerdotes possunt confitentibus parcere; quibus enim remittunt, remittit Deus.* Quasi diceret: Sicut causa efficiens adhibens instrumentum, simul cum eo operatur, ita vt quod instrumentum perficit, sit etiam opus causæ, quæ perculit instrumentum: eo etiam pacto sacerdos à Deo adhibitus vnà cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem animæ pœnitentis, est minister & instrumentum sanctitatis & gratiæ quam Deus vt principalis causa pœnitenti desuper impertitur.

Ambr. l. 2. de pœnit. c. 11. Quomodo sacerdos sanctificet animas & in quo genere causæ.

August. l. de vera & falsa pœnit. c. 10.

Denique Catholici incautè sustinentes illam erroneam sententiam, quæ gliscit hodie, non aduertunt se impingere in hæresim Caluini, & aliorum, qui procaciter adstruunt, Sacramenta esse signa & symbola nuda gratiæ, quam denotant, sed sine vlla virtute efficaci ad gratiam illam animis erogandam, quæ nudo symbolo designatur. Vnde iuxta delirium illud, Ecclesia cum Synagoga coit in eodem genere sacramenti, cùm vtrobique sit concolor ille modus significandi gratiam, sine reali vllo influxu gratiæ eiusdem. Quod quàm fatuum sit, & peregrinum à Theologia, satis superque ostendit apex Theologorum Thomas, hoc discursu: *Sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena & infirma elementa, quia gratiam non continebant, nec causabant: nostra autem sacramenta continent, & causant.* Quomodo autem causent gratiam instrumentaliter illa hæc Ecclesiæ Sacramenta, idem Angelicus doctor eruditè enarrat loco margine prænotato. Vnde demiror audaciam, ne dicam temeritatem, auctoris libelli quem refello post sacram facultatem Parisiensem. Is nec leuiter tinctus vlla notitia Theologiæ doctorem agit, inuehens hæreses, quas vt sincera dogmata profitetur. Nempe spoliat Ecclesiam efficacibus Sacramentis, quibus ille explicator Thesauri Ecclesiæ substituit signa merè theorica, id est, sacramentorum inania simulacra.

Quid sentiãt hæretici de sacramentis Ecclesiæ. *Caluin. l. 4. Institut. cap. 14 § 1.*

Thom. 3 p. q. 62. art. 1.

SENSVS ORTHODOXVS.

Sacerdos absoluens hominem attritum, non solùm declarat eum esse Deo gratum, sed reuera vt minister & causa instrumentalis sanctificat animam attritione dispositam.

ARGVMENTVM II.

Ex Conciliis, Et SS. Patribvs.

Themistocles coactis Græciæ comitiis, suos contribules atque municipes interrogauit de aliquo medio salutari, quo iretur obuiam malis, quæ Græcis oratione sua dixerat imminere. Vnus adstantium occurrere volens discrimini vrgenti, se præstitit consultorem optimum, rem proponens industriam ad fulcrum Reipublicæ quæ nutabat. Sed quia opportunus hic consultor malè audiit apud Themistoclem, qui suspectam eius fidem habuit, Præfectus ille comitiorum iussit eamdem sententiam præfati hominis proponi ab aliquo Areopagita virtutis emeritæ, sicque effectum est, vt Græcia annuente consilio proposito ab homine virtutis indubiæ, caueret sibi Themistocles, & Athenis. Hanc ego volo æmulari Themistoclis industriam, consulendo sectariis viri damnati, quibus adhuc animo insedit, attritionem non sufficere vnà cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem pœnitentis; quia, inquiunt, ante Sacramentum pœnitentiæ anima debet esse in gratia, vt gaudeat beneficio absolutionis, quod est declarare aliis hominem cœlitus absolutum, & non reconciliare Deo, cum sanctificando aliqua virtute practica Sacramenti. Scio sequaces impij dogmatis ebibisse virus antesignani sui, qui se libello suo osorem profitetur vitæ religiosæ, vbi etiam desipit in vota, in quæ velut in rem ingloriam ille rabula debacchatur. Eius argumenta elusi superiori Euangelio, in eo tractatu quem subieci de Encomiis vitæ religiosæ. Eamobrem professio mea religiosa, meam suspectam faciet fidem, si meo tantùm Marte probo errare nouatores illos, qui carpunt attritionem, & detrahunt virtuti Sacramenti pœnitentiæ. In mea adstruenda sententia orthodoxa contra flagitiosissimos homines expeditæ iam paginæ collaborant.

Plutarchus in Themistocle.

Industria Themistoclis, vt consilium opportunum hominis ingrati adstantibus placeret.

Iidem qui negant efficaciam pœnitentiæ, in vota Religiosa etiam impiè debacchantur.

Ne mei tamen instituti religiosi species, exosam æmulis nostris faciat illam meam sententiam de attritione & efficacia pœnitentiæ, volo inducere viros fidei indubiæ, testes omni exceptione maiores; scilicet Sanctos Patres, quibus præibunt Cõcilia, vt omnis dematur sectariis occasio cauillandi. In eos primò arieto hoc valido argumento: Agens validum & efficax informare volens aliquod subiectum, si in illud agit tota virtute sibi insita,

Argumenti potens ad probandum sufficiẽtiam attritionis, & efficaciam absolutionis.

insita, profectò inducit formam propositam in subiectum, à quo absunt obices, qui remorari queunt formæ aditum in illam materiam: Ergo cùm attritio remoueat omnes obices, qui arcere solent gratiam ab anima, si accedat pœnitentiæ Sacramentum, indubiè sacerdos, cui à Deo virtus est indita sanctificandi animas ritè dispositas, absoluens hominem attritum, inducet in animam eius formam, scilicet gratiam, cuius valde indiga erat anima illa vitio mancipata.

Dispositio ad formam arcet obices qui subiectū efficiunt inuium formę.

Instabunt æmuli, attritionem non sufficienter obices ad gratiam expungere, quia cum attritione culpa viget. Respondeo, hoc equidem verum extra Sacramentum pœnitentiæ, sed vnà cum Sacramento pœnitentiæ remoras omnes gratiæ refugas penitus amandari. Nempe dispositio ad formam secernit obices, qui subiectum efficiunt inuium formæ. At ex Concilio Tridentino, attritio disponit gratiam impetrandam in Sacramento pœnitentiæ: Ergo sacerdos, qui est agens instrumentale sufficiens ad sanctificandas animas, ex vi Sacramenti attritum hominem emundabit. Reuoco textum Cōcilij, vt denuo opportunum; sic enim de attritione loquitur: *Declarat sancta Synodus, etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi parat ad iustitiam. Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit.*

Ex Conciliis. *Concil. Trid. sess. 14. c. 4.*

Rursus quia probè sciebat hæc Synodus sacrosancta, non deesse obtrectatores, nec etiam defuturos, qui malè sentirent de dolore illo de peccatis concepto, ex metu supplicij æterni; hunc Canonem edidit. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, multitudinem, fœditatem: amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, &c. anathema sit.* Itaque liquet auctoritate Concilij, attritionem vt par est disponere animam ad gratiam: iam videre est an ex mente Concilij Sacramentum pœnitentiæ gratiam inducat in animas ita accinctas. Ecce Canones illic editos in eo argumento. *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint accepta per fidem gratiæ vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Qui dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit. Si quis dixerit, per ipsa nouæ legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Eadem sess. 14.

Eodem titulo can 6. 7. 8. Doctrina Concilij Tridentini de efficacia Sacramentorum.

Canones hi præfati dicunt anathema his, qui dubiam effecerint efficaciam Sacramentorum, nec vllum video Catholicis locum cauendi fulmina Ecclesiæ, si negarint sacerdotem reuera sanctificare animas, dum eis administrat Sacramentum pœnitentiæ. Rursus Baptismus, & Pœnitentia in hoc conueniunt, quòd sunt Sacramenta mortuorum, id est, hominum quos peccati contagium expertes gratiæ Dei fecit: At Baptismus efficaciter viuificat animam, & non solùm ostendit esse rediuiuam: Ergo & Pœnitentia non erit tantùm index peccati remissi, sed & erit causa effectiua per modum instrumenti. Eò spectant Canones editi in gratiam efficaciæ Baptismi. En decretum Concilij Nicæni. *Baptisma nostrum, non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis: aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam, &c. Descendit quidem is, qui baptizatur, peccatis obnoxius, & seruitutis corruptionis detentus: ascendit autem ab ea seruitute & peccatis liber, filius Dei, & hæres, & cohæres Christi.* Non est ergo noua decisio Concilij Tridentini de efficacia Sacramentorum, cùm eo decreto Concilij Nicæni vetustissimi constet de virtute præsentissima Baptismi, quam etiam asserunt Concilium Constantinopolitanum, dicens Baptisma esse in remissionem peccatorum; non verò in ostensionem remissionis peccatorum. Liquidò demonstratur illa vis Sacramenti hoc textu Concilij Mileuitani. *Paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Quare Baptismus, & Pœnitentia dicantur Sacramenta mortuorum.

Concil. Nicænum cap. inscripto: διατύπωσις, doctrina de Baptismo ante octauum Canon.

Concil. Constantin. in symbolo illic edito.

Concil. Mil. cap. 2.

Vt tergiuersandi in nomine titulus omnis excideret, illa Synodus ait, paruulos veraciter baptizari in remissionem peccatorum. Non ergo cute tenus, & inane symbolum ablutionis à Deo factæ, sine obsequio instrumentali sacerdotis. Rem hanc ancipitem apud nouatores indubiam fecit iste Canon Concilij Arausicani II. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo adiuuante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debent, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Vides quàm copiosa sit supellex bonorum, quam secum vehit gratia per Baptismum fidelibus impertita. Hanc Sacramentorum efficaciam fuisse agnitam Ecclesiæ ab ipsis incunabulis, audi ex Iustino Martyre. *Remissionem ante commissorum peccatorum consequimur in aqua.* Quòd si causæ nomenclaturam petis, accipe Gregorium Nyssenum *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis & regenerationis causa.* Non ergo hallucinamur affirmantes Sacramenta esse causas gratiæ instrumentales. Accipe & singularem Tertulliani sententiam. *Prius liquor, quo viueret, dedit, id est, aqua produxit animantia; vt in Baptismo mirum non sit, si aqua animare nouerunt.* Rursus ille probaturus fore vt aliquando caro diuina resurgat, ait Sacramenta corpori adhiberi, sed eorum vim transmitti in animas. Vnde à similitudine Baptismi licet de aliis agere Sacramentis. Namque decreta Conciliorum, & Sanctorum Patrum sententiæ de efficacia Baptismi, non pertinent ad Baptismum, vt simpliciter est corporis ablutio, sed vt est Sacramentum nouæ legis. Cùm ergo Pœnitentia sit etiam Sacramentum nouæ legis, illi etiam quadrabit virtus effectiua gratiæ, quam Concilia & Patres Sancti recolunt in Baptismo.

Conc. Arausic. II. can. 25.

Ex SS. Patribus. *Iustinus in Apologia ad Antoninum.*

Greg. Nyss. lib. de Baptismo.

Tertull. lib. de Baptismo.

Eamobrem Tertullianus non vni tantùm Baptismo assignat virtutem sanctificandi animas, sed

Lib. de resurrectione carnis.

sed & aliis Sacramentis. Sic ille: *Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur.* Ecce Baptismi efficaciam, post quam subiicit virtutem Confirmationis quæ carnem signat, & vim manuum impositionis in ordinatione sacerdotum: *Caro signatur, vt anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Demum adiicit Sacramentum Eucharistiæ, ita fatus: *Caro corpore Christi & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Tertullianus sic discurrit per varia Sacramenta, vt faciat palàm eorum vim præsentissimam ad animas sanctificandas, sic damnans errorem qui gliscit in confessionis iniuriam, quandoquidem sectarij, quos impugno, procaciter aiunt sacerdotem in eo Sacramento non reconciliare Deo animas, sed declarare tantùm esse à Deo absolutas, qui etiam error censorem acerbum habet Chrysostomum, qui fusè libro de sacerdotio ostendit, quantùm sacerdotes legis nouæ emineant sacerdotibus priscæ legis, & in dotibus eminentiæ sacerdotum Euangelicæ ritus ait sacerdotes generis Leuitici non curasse lepram, sed declarasse solùm quando curata fuit: at sacerdotes Ecclesiæ non declarare peccatores mundatos, sed reuera mundare. Quid elimatiùs desiderare queas in ista controuersia.

Chrysost. l. 3. de sacerdotio. Sacerdotes Ecclesiæ reuera sanctificant animas pœnitentes.

Illa Chrysostomi sententia sæpè refricatur ab eo in gratiam efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ. Sic ille alibi: *Confessio præteritorum, est abolitio delictorum.* Si antiquiora petis testimonia, quæ adstruãt, sacerdotem non indicare solùm absolutum, sed efficaciter absoluere, accipe Apostolorũ discipulum, & successorem Petri, Clementem. Sic ille: *Si fortè alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest: vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quò possit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.* Non ergo solùm iudex est sacerdos peccati remissi, vt volunt deliri homines; sed ex ore summi Pontificis Clementis, sacerdos salubriter curat, id est, iustificat, vt ait Dionysius Areopagita, sic increpans hominem, qui duriùs exceperat sacerdotem, qui homini nefario administrarat Sacramentum pœnitentiæ. Sic Dionysius inuehitur: *Tu vt tuæ indicant literæ, procidentem sacerdoti impium atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans calce abiecisti, ac repulisti. Cum ille quidem verecundè quod oportuit fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse: neque exhorruisti insuper & sacerdotem optimum lacerare conuitiis, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.* Audis à Dionysio Pauli discipulo, fuisse penes sacerdotem vim seu virtutem iustificandi.

Chrysostom. hom. 10. in Genesim.

Clemens Rom. epist 1.

Dionysius Areopagita epist. 8. quæ est, ad Demophilum Monachum. Sacerdos absoluendo iustificat ex Dionysio.

Accipe & Lactantium vetustissimum testem, vtique luculentum in controuersia de efficacia Sacramenti confessionis. Sic ille: *Quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant; sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat.* Rursus. *Deus volens vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor mundauerimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur.* Nulla planè mentio de Sacramento, vt index est remissionis, sed vt salubriter curat. Si ad principes Ecclesię Latinę Patres est prouocandũ, proculdubio causa cadent sectarij; habebunt enim hos iudices aduersos, vtpote stantes à partibus nostris. Prior occurrit Ambrosius ita fatus: *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.*

Lactantius lib. 4 diuin. Institut. c. 17.

Ambr. l. 2. de pœnit. c. 6.

Nota, soluere criminum nexus, esse aliud planè quàm indicare hominem absolutum: ac proinde dicere realem influxum ad iustificationem, quam loquitur Ambrosius, in cuius sententiam abiit Hieronymus hoc contextu. *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri: magister qui habet linguam ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat, medicina non curat.* Si ergo sacerdoti patefacta sunt peccata, curantur, reali influxu gratiæ, ad quam effectiuè concurrit sacerdos hominem absoluendo. Accipe Augustinum liquidò affirmantem, sacerdotem vicarias agere Dei vices, sanando pœnitentes. Sic ille: *Cicatricum tuarum arbiter Dei vice, dominus adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Nota, ibi reconciliationem dici antidotum, vt intelligas gratiam, quæ sola virus peccatorum pellit. Rursus ille recolens virtutem confessionis, hæc eruditè eloquitur. *Quomodo nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit, sed quia Diabolus hoc desiderat, vt inueniat, quod nobis antè tribunal iudicis æterni obiiciat. Ideo vult, vt magis defendere, quàm accusare peccata velimus. E contrario autem Deus noster, quia pius est, & misericors, vult vt ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit: si nos agnoscimus, ille ignoscit.* Hactenus Augustinus.

Hieron. in c. 10. Ecclesiast.

Aug. l. 2. de visitatione infirmorum cap. 4.

August. l. 50. homiliar. hom. 12.

Ex præfatis satis superque liquet, quàm deuij sint à doctrina Patrum illi qui dubiam faciunt efficaciam Sacramenti pœnitentiæ. Et ne quid desiderandum supersit in argumento attritionis, accipe quatuor magni nominis Sanctos, & Doctores vno sæculo antiquiores Gregorio magno, qui suo calculo probant, solam attritionem sufficere ad Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ. Memini Chrysostomum, & Augustinum suprà, vt locupletes vades: non eos fortè pigebit nec vadimonium deserent, si eos huc denuo reuocare est animus. Ita Augustinus. *Qui vult fieri Christianus, vt non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est.* Nota, hîc Augustinum agere de modo, quo initiandi sunt catechumeni: ideoque maturè explicasse ea, quæ erant absolutè necessaria ad gaudendum beneficio Baptismi, ad quem vtiliter percipiendum solam dixit sufficere attritionem, id est, dolorem de peccatis ex metu supplicij æterni. Concolor est ratio Sacramenti pœnitentiæ, cum quo attritio sola iustificat, vt ipse Augustinus ait, hoc contextu. *Aliis Baptismum flagitantibus, aliis*

August. l. de catechizandis rudibus. c. 17. Tomo II°.

Idem ep. 180. Tomo II.

reconcilia

reconciliationem, aliis etiam pœnitentia ipſius actionem, omnibus conſolationem, & ſacramentorum confectionem, & erogationem. Vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de isto ſeculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vita æterna requie non habebunt? Aduerte, Auguſtinum dicere hos pœnitentes, qui concurrunt ad petendum Sacramenta Baptiſmi & confeſſionis, perire quia miniſtri deſunt, qui illa ſalutaria adminiſtrent Sacramenta. Vnde liquet eum loqui de attritione, quæ reuera vna cum Sacramento eos ſanctificaſſet, quapropter Auguſtinus definit, Epiſcopum ingruente imo graſſante perſecutione non debere eſſe ſuæ Eccleſiæ deſertorem, vt attritis ſubueniat obſequio Sacramenti.

Sola attritio non ſufficit ad ſalutem ſi deſit Sacramentum.

Recole eſſe ſententiam Chryſoſtomi, qui ex profeſſo commemorat ſolam attritionem, dum ad compunctionem homines adhortatur. Sic ille: *Hoc ſolum eſt, quod expoſcitur à nobis, vt ſemper recordemur & ad animum reuocemus mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, vt pro his ſupplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & Angelos, qui in die iudicij vbique diſcurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi ſunt in gehennam, ac ſuppliciis tradendi.* Nota quæſo has voces. *Hoc ſolum eſt, quod expoſcitur à nobis.* Si alius dolor de peccatis fuiſſet neceſſarius ad compunctionem excitandam, illam ſcilicet, quæ cum Sacramento ſufficit ad iuſtificationem; proculdubio Chryſoſtomus ad excitandum hunc dolorem non ſubiecisſet diem iudicij, & ſupplicia æterna, vt congrua doloris argumenta: ſed potiùs perfectam contritionem, quæ ab amore Dei petitur vt obiecto, mentibus ingeſſiſſet.

Chryſoſt. l. 1. de compunct. cordis in fine tom. 5.

Compunctionis vnà cum Sacramento neceſſariæ deſcriptio.

Vide iam ex Ambroſio, pœnitentibus fuiſſe datam olim abſolutionem ſacramentalem, etiamſi conſtiterit ſacerdoti, homines hos eſſe attritos tantùm, id eſt, dolere duntaxat de peccatis metu ſupplicij. Sic ille: *Plerique futuri ſupplicij metu, peccatorum ſuorum conſcij, pœnitentiam petunt, & cùm acceperint, publicæ ſupplicationis reuocantur pudore.* Non hos carpit Ambroſius, quòd ſola attritione, id eſt, metu ſupplicij ad Sacramentum pœnitentiæ ſe accinxerint; ſed in eos inuehitur quòd poſt confeſſionem factam ſacerdoti, noluerint publicas fundere Deo preces indictas, velut in mulctam criminis exantlati. Pergit Ambroſius: *An quiſquam ferat, vt erubeſcat Deum rogare, qui non erubeſcit rogare hominem? & pudeat te Deo ſupplicare, quem non lates; cum non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?*

Abſolutio olim data dolentibus de peccatis ſolo metu ſupplicij.

Ambr. l. 2. de pœnit. c. 9.

Idem l. 2. de pœnit. c. 10.

Demum Leo Papa ſolus dirimere poteſt iſtam controuerſiam, vtpote loquens de cathedra Petri, & non vt doctor ſingularis; quippe à Theodoro Epiſcopo Foroiulienſi interrogatus de hoc argumento, ſic reſpondit: *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ repararetur æternæ, vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri.* Vides hoc decretali reſponſo, abſolutionem ſacerdotalem eſſe de neceſſitate medij ad indulgentiam Dei obtinendam, quam ipſe Deus reuera per ſe impertit vt præſens & influens, & adhibens ſacerdotem vt miniſtrum & congruum inſtrumentum vnà cum Sacramento ad animas iuſtificandas. Sic Leo Magnus: *Cui vtique operi inceſſabiliter ipſe Saluator interuenit, nec vnquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi: vt ſi quid per ſeruitutem noſtram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum Sanctum fuiſſe donatum.*

Abſolutionis ſacerdotalis neceſſitas & effectus.

Leo Papa epiſt. 91. ad Theodorum, & recenſetur in Canone Multiplex De pœnit. diſt. 1.

Ibidem.

Spiritus Sanctus per ſe animam ſanctificat ſed ſacerdos vnà cum Sacramento inſtrumentaliter.

Ruſus quod maximè probat, ſacerdotalem abſolutionem iuſtificare hominem attritum, ait multos damnari, quia eo beneficio caruerunt. *Si* (inquit) *aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit: cum Dominus Deus noſter, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod ſacerdotale miniſterium implere non potuit, iuſtitiæ reſeruauerit, in poteſtatem ſuam timeri volens, vt hic error omnibus proſit.* Hæc ille, probans eſſe abſolutionem ſacerdotalem neceſſariam ad ſalutem, ex eorum ruina, qui periere fruſtrati illo beneficio. Eamobrem beneuolus hic Pontifex, vrgente aliqua neceſſitate, vt mortis inſtantis, aut periculi inſignis, decreuit, nemini denegari abſolutionem, ſi eam poſtulet. Quod & adhuc in Eccleſia viget, vbi homini quantumuis nefario Eccleſia ſe propitiā atque beneficam præſtat, ne pereat homo attritus, ſi decedat pœnitentiæ Sacramento deſtitutus: poſitis namque in articulo mortis reſeruata omnia crimina relaxantur, ſi aliquale ſpecimen ediderint animæ pœnitentis.

Leo vbi ſupra.

Nemini quantumuis nefario deneganda abſolutio in articulo mortis ſi eam petat.

En decretum Papæ. *Multùm vtile ac neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur. His autem, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuerſio. Quòd ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur.* Hactenus ille Antiſtes ſummus, cuius ſanctione liquet, attritionem ſufficere ad iuſtificationem vnà cum Sacramento, quo denegato perit anima dolens de peccatis metu ſupplicij æterni. Vnde & patet, ſacerdotem dum abſoluit non indicare ſolùm gratiam, ſed practicè influere in animam per modum cauſæ inſtrumentalis, & non primariæ agentis per ſe, quod Dei ſolius eſt.

Decretum concedens beneficium abſolutionis omnibus in articulo neceſſitatis poſitis, ſi eam petierint.

Leo epiſt. 91. ſuprà citato.

Reclamabunt nouatores, fieri iniuriam humanitati Chriſti, quam tota Theologia admittit eſſe inſtrumentum Dei in productione gratiæ, ac proinde non eſſe alia adſciſcenda inſtrumenta, vt ſunt Sacramenta, quibus ſatis ſuperque eſſe poteſt, vt ſignificent gratiam, & non

Humanitas Chriſti & Sacramenta ſunt inſtrumenta gratiæ Dei, ſed diuerſimodè

Ex theologia. Thom. 3 p. q. 62. art. 5.

eam attingant instrumentaliter. Instantia est hominis nescij Theologiæ, vt est auctor libelli blasphemi, quem insector. Itaque Respondeo cum Sancto Thoma, esse duplex instrumentum, vnum separatum, vt est securis, aliud coniunctum, vt est manus, principalem autem causam efficientem gratiæ esse Deum, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum; sacramentum autem velut instrumentum separatum. Eamobrem necesse est, virtutem salutiferam à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta deriuari. Passione sua quidem nos liberos fecit à peccatis, non solùm efficienter, & meritoriè, sed etiam satisfactoriè: & præterea Passione sua initiauit ritum Christianæ religionis, offerens semetipsum hostiam Deo. Vnde palàm est sacramenta Ecclesiæ specialiter habere virtutem ex Passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramenti.

Tertull. l. de pœnitentia.

Porrò vnum est aduertendum, scilicet plerosque nouatorum hallucinari, dum decurrunt & explorant sententias Sanctorum Patrum: quippe apud Tertullianum & alios aduertunt, sacerdotes reconciliasse in foribus Ecclesiæ pœnitentes, & fecisse eis ius ad aditum templi, quo suis ante reatibus exciderat, & eo ritu sacerdotes indicasse, eos esse realiter absolutos. Inde ab hac specie reconciliationis arguunt, sacerdotem nihil aliud efficere absoluendo, quàm declarare hominem absolutum. Sed hi pessimè errant, nescientes esse duplicem reconciliationem, vnam quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, qua verè à sacerdote sanctificatur anima; alteram, qua homo extra Sacramentum publicè admittitur ad participationem sacrorum, qua exciderat aliquâ censurâ in ipsum latâ. Si itaque proponitur aliquis textus Patrum, qui referat, sacerdotem declarare hominem absolutum cùm eum absoluit; hoc concede de publica reconciliatione peccatoris cum Ecclesia, cui præiuit alia priuata reconciliatio cum Deo virtute absolutionis sacramentalis, qua veraciter & citra suspicionem fuci iustificatur homo iuxta prælibatam hanc Ambrosij sententiam: *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.*

Duplex est in Ecclesia reconciliatio pœnitentis, vna in sacramento quæ sanctificat, alia extra sacramentum, quæ indicat absolutum.

Ambr. l. 2. de pœnit. c. 6.

SENSVS ORTHODOXVS.

Controversia III.

An bona opera adultis necessaria sint ad salutem.

In hæc verba:

Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.

Sententia Iudicis in die extremo lata in reprobos, vtique nescio bonorum operum, sola potest dirimere litem ab hæreticis intentatam bonis operibus: sed ne argumenta desint, consule Euangelium feriæ quintæ cinerum; in sensu orthodoxo reperies agitatam fusè & pro votis istam controuersiam. Itaque supersedeo: ingrata namque forent denuo repetita.

SENSVS ORTHODOXVS.

Controversia IV.

An eleemosynam erogare, sit opus meritorium vitæ æternæ.

In hæc verba:

Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Consule quartum Tomum istius Moralis Encyclopædiæ, & lustra Euangelium diuitis epulonis, & Lazari; videbis in sensu orthodoxo, pro votis hanc controuersiam agitatam iis quæ ad eam pertinent omnibus argumentis.

FERIA

FERIA TERTIA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

Matth. 21. I. CVM intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa
ciuitas, dicens: Quis est hic?
II. Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Na-
zareth Galilææ.
III. Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes
vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras ven-
dentium columbas euertit: & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus ora-
tionis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt
ad eum cæci, & claudi in templo; & sanauit eos. Videntes autem Principes sa-
cerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & di-
centes: Hosanna filio Dauid; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti di-
cunt? IESVS autem dixit eis: Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium
& lactentium perfecisti laudem?
IV. Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

I. *VT corpora omnia infra cœlos mobilia mouētur influxu accepto à primo mobili; ita homo assurgens in motus supra naturam, ab eo percellitur, infra quem est natura. Itaque omnis motio, animam inducens ad quærendum Deum, arguit Christi accessum ad hanc animam.*

§. II. *Huius autem accessus, seu illapsus Christi in animam, præcipuè participes sunt humiles: Namque Deus potissimum humilibus assuescit, quorum idcirco partes sunt, Dei magnalia aliis explicare.*

§. III. *Deo ipso prodigiis, dictis annuente encomiis; quæ humiles in gratiam Christi Domini decantarunt.*

§. IV. *Quodque magis Dei & humilium consuetudinem probat: Deus optimus maximus, etsi vltro occurrat hominibus incuriis salutis suæ; illos tamen auersatur impiōs: quibus nihil nisi de superbia typho cōstat: Nempe eos diu frustra admonitos, & illectos ad meliorem frugem, tandem euomit, & deserit, diuertens ad alios, quorum obsequio Dei gloria propagatur.*

SENSVS LITERALIS.

Omnis motio, animam inducens ad quærendum Christum, arguit Christi accessum ad hanc animam.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.*

§. I.

CONIECTVRA PRIMA

EX RATIONE.

AQuilegi, id est, homines qui fontium ortus & capita sagaciter inuestigant, vt rem indubiam asserunt, aquarum latices, qui defluunt ex edito loco collecti tubis atque canalibus, posse resilire vsque ad culmen quod adæquet ipsius fontis exordium. Huic asserto experimentum fidem fecit: nempe hi, qui fontanam aquam à capite arcessunt, repetunt, & scrutantur, salientis aquæ siphunculos deducunt, vt ferre potest (Quomodo colligatur altitudo capitis fontis.)

poteſt altitudo fontis, ita vt enitentis aquæ diabetes ſeu tubus arguat eminentiam loci vbi eſt ſcaturigo. Simili ferè modo Theologi inueſtigant in homine motiones diſcolores, quæ ſunt veluti variæ ſalientes aquæ, quibus tota alluitur hæc vita fugax: quippe bifariàm mouetur homo dum ad aliquod ſe accingit opus, idque iuxta duos diſſimiles operandi modos. Si merè naturalis fuerit actio, quam exerit homo, vt ſunt bibere, ambulare, ridere, impetus à quo percellitur animus ad hos actus, erit eiuſdem ordinis, ac proinde ſolius naturæ cancellis optimè concluditur: generalis nimirum Dei concurſus, indiuiduus naturæ comes, ſufficit ad exerendas illas actiones. Si verò homo aſſurgit ad ea, quæ Dei ſunt, & laborat in indagine rerum, quæ pertinent ad ſalutem ſuam; tunc dicitur homo ſanctiore aura afflatus, & actionis eminentia, motionem arguet eſſe ſuperioris ordinis: id eſt, natura impote ad ſupernaturales actus, homo indiget alio concurſu Dei, vtpote impar actioni ſuperioris ordinis. Concurſus autem ille, ſuum tenorem ſeruans, & concomitans actionem, dicitur gratia adiuuans. Motio verò, quæ præceſſit hunc concurſum, excitans gratia nuncupatur, quæ tota Dei eſt, & ad quam anima ſe habet merè paſſiuè: at ad gratiam adiuuantem ſeu cooperantem ſe habet promiſcuè, paſſiuè ſcilicet, & actiuè. Paſſiuè quidem, quia Deus in hominem influit vt in ſubiectum idoneum ſuis gratiarum dotibus informandum: actiuè, quia ſuam adhibet operam, ne gratia defluat incaſſum, ſed illud quod eſt intentum à Christo Domino ſortiatur.

Actus humani in duplici ſunt genere ſcilicet naturales, & ſupernaturales.

His prælibatis, accipe genuinum ſenſum literalem verſus quem enucleo. Commota eſt vniuerſa ciuitas motione supernaturali ad introitum Christi. In illo nimirum Ieroſolyma ſuſpicata eſt quid diuinum, cuius indagini occupata identidem repetiit illas voces: *Quis eſt hic.* Namque ciuitas illa aſſueta Christo ſæpe ſæpius hunc videbat in plateis, & in templo, nec vlla tamen fit mentio percitæ ciuitatis. Etenim Gens illa incredula lippis duntaxat oculis Christum inſpexerat, de eo nihil diuinum ſapiens, ſed terrenum hominem arbitrata, inglorios ei næuos affinxerat, dicens eum fabro patre ſatum, & eſſe potatorem vini, publicanorum epulis aſſiſtentem. Vnde liuore perculſi homines, non supernè commoti ſunt, ſed tunc temporis ſuæ indolis nequiſſimæ congruum facinus ediderunt. Hodie verò ſecus, vndique concurritur, vt videatur idem Christus ingreſſus Ieroſolymam ſpecie triumphantis, & dignatus à turbis non regali tantùm titulo, ſed diuino. Nempe Christo inſidenti aſinæ occurrerunt turbæ accinctæ palmarum ramis, & decantantes verſus Pſalmi editi in gratiam Meſſiæ: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* His velut infulis diuinitatis Christus inſignis Ieruſalem ingreditur. Vt autem ſuſpicio diuinitatis increbruit Vrbe tota ciuitas eò effuſa eſt, quà erat eo temporis articulo tranſiturus. Scribæ, & Phariſæi, aliique proceres Iudæorum attoniti, & ſubodorantes in Christo homine quidpiam eterogeneum, id eſt, alterius naturæ quàm humanæ, non potuerunt temperare ſibi, quin ſæpius inquirerent: *Quis eſt hic.* Christo Domino ita ſuas moderante vices, vt inſtante Paſſione ſe Meſſiam eſſe proderet, ne eſſet ſuſpecta fides Apoſtolorum, cùm poſt Pentecoſten annunciantes Christum, illi hunc Meſſiæ titulum affricarent. Poterunt nimirum Apoſtoli refricare memoriam triumphi huius Iudæis incredulis, & eis ingerere, Christum mox paſſurum, fuiſſe Ieroſolymis habitum vt Meſſiam, ac proinde eorum animos inflectere ad fidem Christi.

Sēſus literalis commotionis, quæ totam Ieroſolymā concuſſit Christo introeūte.

Motio illa ciuitatis fuit ſupernaturalis vtpote facta ad ſalutem Iudæorum.

Pſal. 117.

Quare Christus voluit ante ſuam Paſſionem excipi Ieroſolymis vt Meſſias.

Illa ciuitatis vniuerſæ commotio, ſingulare fuit beneficium Christi illucentis populo infideli, vt præuia fide eum aptaret ad colligendos fructus Paſſionis ſuæ, quæ inſtabat. Fuiſſe hanc motionem ſuperioris ordinis, & non æſtum populi perquàm cupidi rei nouæ, liquet ex ſerie & contextu hiſtoriæ, quæ vt recenſuit honores fuiſſe exhibitos Christo vt Meſſiæ, ſtatim ſubiicit eo introeunte Ieroſolymam, fuiſſe commotam vniuerſam ciuitatem, eo ſolo argumento percitam quòd audiret Ieſum Saluatoris nomine nuncupari. Audiit quidem ciuitas hunc titulum à populo prædicante Christum, ſed eius motio non fuit à populo, qui habuit ſe per modum proponentis, vt hodie præcones verbi Dei eaſdem vices agunt; ſed diuini eſt impetus, quòd pectora commouentur. Ibidem Christus infinita propè prodigia priùs ediderat: nec vlla tamen eſt facta recenſio motæ ciuitatis in gratiam alicuius obſequij Christo exhibendi. Itaque ſapit diuinum aliquid illa commotio: etenim præter rerum ordinem, Scribæ & Phariſæi paſſi hactenus Christum cenſorem acerrimum ſuorum vitiorum, vrgente Deo conſulunt populum, vt eo erudiente ſciant: *Quis eſt hic.* Nec vana fuit hæc quæſtio: nimirum audiere à populo, Christum eſſe ſupra hominum vulgus, & penes eum eſſe ſtipendium ſalutis omnium noſtrûm. Vnde, quia hæc inquiſitio pertinens ad ſalutem ſuperat omnes naturæ vires, proculdubio fuit ſingulare beneficium Christi, cuius iſta vox eſt apud Iſaiam: *Quæſierunt me qui ante non interrogabant.* Eſt enim Theologiæ effatum, Christum eſſe Eccleſiæ caput, ac proinde ab eo in omnia membra defluere gratias omnes, quæ hominem ſollicitant ad ſalutem. Non enim gloriæ noſtræ tantùm eſt cauſa meritoria Christus, ſed & auctor gratiæ omnis, quæ conducit ad ſalutem, iuxta Ioannis ſententiam: *Lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per Ieſum Christum facta eſt.*

Quare commotio ciuitatis fuerit diuina.

Iſai 65.

Christus eſt caput Eccleſiæ.

Ioan. 1.

Eò ſpectat & illud Pauli elogium in gratiam Christi: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Christo.* Id eſt, quidquid in animas cœlitus influit pertinens ad aſſecutionem gloriæ æternæ, illud eſt benedictio Dei, mediante Christo fidelibus impertita. Eiuſdem generis eſt & hic verſus. *Aſpicientes in auctorem, & conſummatorem Ieſum.* Non enim tantùm à Christo habemus gratiæ incrementum, ſed etiam eiuſdem exordium. Itaque citra dubium eſt, illam commotionem, qua percita fuit Ieroſolyma, de Christo ſollicita, quiſnam eſſet ille, fuiſſe donum ſeu gratiam ſingularem eiuſdem Domini Redemptoris, qui gratiarum aſpergine rigaturus orbem vniuerſum in Paſſione ſua quæ imminebat, illud generale profluuium hodie excitatis ad fidem Iudæorum mentibus anteuertit. Et profectò arbitror, eo intento à Spiritu Sancto recenſeri illam commotionem, quæ totam ciuitatem ſollicitam fecit de Christo, quiſnam eſſet, vt inſinuaret quàm beneficus eſſet ille Dominus, hominum corda pelliciens ad obſequium ſuum, tametſi præſcius ærumnarum, quas quinto

Epheſ. 1.

Hebr. 12.

Quare Spiritus Sanctus voluerit recenſeri commotionem Ieroſolymæ ad introitū Christi.

quinto post die passurus erat ab eodem populo reprobandus.

Maldonati sententia carpitur faciens diaboli commotionem, illam quæ profectò fuit Dei.
Maldon. in c. 21. Matth. versu 10.

Eamobrem longè à sensu literali aberrat Maldonatus, cùm carpit illam commotionem ciuitatis, vt diabolo auctore satam: diabolo namque est adscribere motionem illam, affirmare fuisse motum illum inuidiæ & liuoris. Sic ille: *Commota autem ciuitas non gaudio, non admiratione, non metu; sed inuidia, & maligna quadam indignatione, quod videret Christo tantùm honoris tribui, vt ex verbis sequentibus intelligitur, sicut monuit Euthymius: Quis est hic. Nonignorabant, quis esset Christus, cùm eum per tres iam annos cognouissent: sed sensus est; quantus est hic, vt tantum honoris mereatur.* Nota, Euthymium malè assignari in testem à Maldonato, vt suam adstruat sententiam, cùm vt infrà dicam Chrysostomus totum hoc negotium attribuat motioni Spiritus Sancti. Quod & reuera quadrabat pompæ & triumpho Christi. Ille nimirum adeò lautè exceptus à ciuitate effusa obuiam ipsi, pro sua humanitate & beneficentia, prodiga manu ingressus illam vrbem non missiles nummos fudit, aut pecuniariam largitionem fecit, vt Regem decebat; sed ex suo ærario spirituali deprompsit gratias idoneas ad conuersionem ciuitatis hactenus infidelis. Et hæc largitio gratiarum maximè prodit liberalem indolem Christi, cuius vt regnum non erat de hoc mundo; ita nec eius dona fuere signata numismata, sed gratiæ congruæ ad æterna gaudia comparanda.

Christus vt Rex gloriæ, ingressus Ierosolymam largitiones fecit gratiarum quæ conducunt ad gloriam.

Itaque Maldonatus malè diabolo attribuit illam motionem, vno Euthymio fretus, qui auctoritate & multis sæculis est infrà Chrysostomum, qui Spiritus Sancti illapsum singularem agnoscit in hac historia Christi, pompaticè introëuntis Ierosolymam. Adiice, incongruam esse Maldonati glossam, qua vult voces illas: *Quis est hic?* Perinde sonare ac: *Quantus est hic, vt tantùm honoris mereatur?* Si enim ironica fuisset petitio: *Quis est hic?* profectò fuisset iniuria Christo, & turbæ benè affectæ erga Christum, malè habuissent eos, qui sic Christo Domino detraxissent, nec adeò benignè quærentibus, quisnam esset Christus, respondissent eum esse Prophetam à Nazareth. Quòd si Maldonatus instet, Euangelistam dicere, Christo prædicante in Templo, & repurgante sacras ædes, vbi exercebantur nundinæ, seu commercia rerum, quæ spectabant ad sacrificia, aliquos Pharisæos fuisse indignatos; hoc tamen non est sufficiens argumentum, vt ideo dicatur vniuersa ciuitas commota. Quasi verò aliqui Pharisæi notentur titulo totius ciuitatis, vbi reuera erant multi à Deo electi, qui dedere Christo manus, illa perciti motione. Igitur esto ratum, com[...]otionem illam fuiss[...] Christo, de [...]isto, & propter Christum.

Cur turbæ responderũt Christũ esse Prophetam.

***

SENSVS LITERALIS.

Salutaris fuit commotio ciuitatis Ierosolymæ introëunte Christo, vtpote ab eo facta ad eius salutem.

In hæc verba:

Cùm intrasset Iesvs *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic?*

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex Lingvis.

Anima immota cœlitus nequit assurgere ad opera supernaturalia.

IN confesso est apud omnes, corpora quæ infrà cœlos sunt, cœlitus agi dum mouentur, quia omnia mobilia reduci debent ad vnum primum mobile, quo indefesso motu reliqua debent corpora commoueri. Quod in Physicis certum & indubium est, illud in moralibus superioris ordinis est de fide: namque anima nequit niti ad opera supernaturalia, nisi perculsa desuper, & Christo Domino cœlitus influente, qui eò spectans, ita suos discipulos affatus est: *Sine me nihil potestis facere.* En præambulo liquet, Ierosolymam Christo eam subeunte motam, vt inquireret quisnam esset Christus, fuisse à Christo commotam, & non à diabolo, vt vult Maldonatus, affirmans illam motionem fuisse argumentum inuidiæ & liuoris. Quam sententiam sic explodo: Nulla diaboli motio animam sollicitat ad ea quæ conducunt ad salutem: Ergo illa motio Ierosolymæ non fuit æstus dæmonis impellentis: siquidem illa homines induxit, vt sagaciore ritu quàm antea Christum attenderent, in quo antea nihil præter humanum suspicati, iam audientes eum à turbis dici Saluatorem, altiùs inquirunt: *Quis est hic?*

Ioan. 15.

Quare refellatur Maldonati sententia assignans diabolo commotionem ciuitatis Ierusalem introëunte Christo.

Ex Lingvis.
Hebræa.

Profectò quæstio illa fuit de Christo vt homine, cuius consuetudine edocta ciuitas didicerat eum esse Maria matre satum: Ergo subodorata ciuitas quid diuinum in Christo triumphante, se accinxit pro viribus ad scrutinium abditæ veritatis. Vnde quia veritas illa, cuius indagini se aptauit hæc ciuitas, ad salutem spectat; citra omne dubium, fuit hæc motio salutaris, ac proinde effecta Christo Domino moderante. Fauet textus Hebræus Matthæi ex Tilio, vbi Christus ipse dicitur commouisse ciuitatem. Sic enim fe[...]ete Hebræa dialectus רעשה כל העיר [...]gnaschu col hangbir, id est, *comm[...] totam ciuitatem.* Mercerus ait radi[...] רעש *rangbasch*, significare e[...] conterere, sicut & commouere, & [p]roinde esse eiusdem significati ac verbum רעץ *rangatbs*, quod contritionem significat. Eamobrem ad trutinam linguæ Hebrææ, Christo introëunte Ierosolymam, ciuitas illa eodem Domino percellente excitata est ad contritionem suæ infidelitatis, quam vt detergeret; sedulò inquirit de Christo quisnam sit, vt erudita, sibi consulat exhibitis obsequiis Domino Redemptori. Hebræa loquutio deferens Christo commotionem illam consonat Theologiæ effato, decernentiesse à Christo gratias omnes, quæ faciunt ad momenta salutis nostræ.

Commotio ex Hebræa notione perinde est ac contritio.

Rursus fuisse quid diuinum illa motione reconditum, Syrus interpres bellè subinsinuat hoc tenore: [...] *ethbhezingbath* [...]

Chaldæa. Syriaca.

Commotio ciuitatis ex notione Chaldæa & Syriaca fuit pauor ille qui præire solet diuino influxui.

cullaah medinetho. Id est. *Expauit omnis ciuitas magna*. Nempe vox אתזעזעת *ethzhesinghat*, deducitur à verbo quadrato זעזע *zanghzāgh*, quod perinde est ac זוע *zuangh*, quod apud Chaldæos & Syros significat pauere & tremere. Itaque cōmotio illa ciuitatis non fuit, vt vult Maldonatus, acerba indignatio exasperás animos Hebræorum, sed pauor ille salutaris, qui præire solet Deo in animas cœlitus influenti. Quem & experta est Maria turbata Angeli affatu, quando fuit desuper imprægnata. Proculdubio Christo subeunte ciuitatem, in gratiam illius introitus quidam radius emicuit index abditæ deitatis, cuius euidens argumentum fuit illa mercatorum expulsio de Templo, vbi nundinatores impunè antea mercabantur. Etenim, nisi aliquid diuinum in Christo suspicata esset Gens illa, non adeò facilè cessisset loco tacto, vbi suas agebat nundinas: quippe non est vnius hominis negotium, agere in fugam multos simul homines adunatos. Vnde liquet, illam commotionem fuisse à Deo, salutem populi huius infidelis validè procurante.

Græca. Commotio ciuitatis passiua fuit magis quàm actiua.

Consonat & Græcus textus opportunè, qui illam commotionem explicat notione passiua, quasi insinuans aliquo deforis œstro fuisse percitam vrbem, & non suo Marte ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, id est, *commota est vniuersa ciuitas*. Quòd si, stante sententia Maldonati, illa commotio fuisset index animi iniquioris Christo, ciuitas seipsam commouisset potiùs quàm commota esset: illa nimirum à principio intrinseco, scilicet à liuore, quo ardebat in Christum, seipsam pro arbitrio commouisset.

SENSVS LITERALIS.

Commotio ciuitatis diuina fuit, non liuoris aut animi iniquioris Christo argumentum.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?*

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribvs.

Ardua res est, ferre iudicium de motibus animæ, Dei sint, necne.

EX pulsu te[illegible]o coniicere sanitatem decumbentis ægri, argu[illegible] Medico magnam peritiam; namque motus arteriæ [illegible]ioni plerisque imponunt, etsi à corde momenta a[illegible]m suum capiant exordium. Esto quandoque variet, & discolor sit in homine pulsus; altioris tamen indaginis est inuestigare motus animæ: illa nimirum variis acta modis plerumque imponit: dum namque creditur impulsa diuinitus, aliunde percellitur; vt & secus multi suspicantur, aliquos homines agi à dæmonis æstu, qui tamen cœlitus excitantur. In his hallucinatus est Maldonatus, diabolo attribuens illam commotionem ciuitatis introëunte Iesu ciuitatem Ierosolymorum. Profectò Maldonatus oblitus est consilium Apostoli suadentis, vt probemus spiritus, an ex Deo sint: quippè is nullo præuio examine tulit sententiam iniquam in homines haudquaquam malè affectos in Christum, affirmans illam ciuitatis motionem fuisse argumentum inuidiæ, qua populus ille conflagrabat. Itaque consulendi sunt doctiores homines in hac arte, motus animæ dignoscendi. Et quia nemo dubiam facit peritiam Sanctorum Patrum, hos ego adhibeo consultores, vt his ducibus benè liceat ominari.

Ex SS. Patribvs. Commotio ciuitatis fuit admirationis. Chrysost. in Matth. c. 21.

Prior occurrit Chrysostomus, de ea commotione nihil omnino sinistrum suspicatus, vtpote dicens Deum influxisse in turbas, quæ laudabant, & ciuitatem totam fuisse admiratione commotam. Sic ille: *Meritò commouebantur videntes rem mirabilem: homo laudabatur quasi Deus: sed Deus laudabatur in homine. Puto autem, quòd nec ipsi qui laudabant, sciebant quid laudabant: sed spiritus subitò ingressus in eos, veritatis verba fundebat.* Admirationi etiam dedit istam motionem Origenes, alludens ad Christi introitum in cœlos mirantibus Angelis. Ita fatur Origenes: *Quando intrauit Iesus Ierosolymam veram, admirantes virtutes cœlestes, dicebant: Quis est hic?* Subscribit Hilarius, motum illum fuisse stuporis asseuerans hoc contextu: *Commouetur Ierosolyma: rerum enim nouitas motum attonitis afferebat.* Concors Hieronymus, adstruit illud de hac commotione iudicium in gratiam illorum, qui dederant admirationi totam illam motionem. Sic ille: *Introeunte Iesu cum turba, tota Ierosolymorum ciuitas commouetur, mirans frequentiam, nesciens veritatem.* Cùm igitur admiratio sit soboles rei magnæ occurrentis animo; proculdubio ciuitas illa tota, subodorans in Christo quædam argumenta deitatis, abiit in stuporem, qui fuit ab eodem Christo Domino desuper excitatus: vtpote inducens homines ad inuestigandum, quisnam Christus esset. Quamuis illa præceps inquisitio videatur fieri ab inuitis, hoc tamen non obstat, quin illa motio fuerit cœlitus excitata, vt hîc benè obseruat Hilarius, ita commentatus: *Quamuis mox diuersa essent consecutura, rerum tamen cœlestium fidem, etiam inuitorum meditatur operatio.*

Origenes in Matth. tract. 15.

Hilarius Can. 21. in Matth.

Hieron. in Matth. c. 21.

Deo auctore fuit facta commotio.

Hilarius vbi supra.

Auctor neminem sibi in scopum præfixit vt eum vbique refellat. Abul. in c. 21. Matth. q. 4.

Meæ etiam suffragatur sententiæ Abulensis, auctor minimè pœnitendus, quem vbique refellere animo meo non insedit, vt neque Maldonatum, aut alios, quibus passim ego fidem detraho, siquando deuiant à sensu literali, quem adstruo. Nempe illis omnibus assentior, quos suspicor ad intentum Spiritus Sancti propiùs accessisse. Vt in proposito themate de commotione ciuitatis Ierusalem introëunte Christo placet Tostatus ille Abulensis Præsul, affirmans Deo impellente motam fuisse ciuitatem. Sic ille commentatur, illam populi motionem versans: *Fuit hoc, quia Deus impulit corda hominum Ierosolymitarum, vt irent ad videndum illud spectaculum; erat [illegible] valde conueniens ad Christi manifestationem, & ad [illegible]dendum peccatum Gentis Iudæorum. Nam tunc publi[illegible] vocabatur à turbis Christus Messias, & Rex Israël: [illegible] cùm tota ciuitas ad hoc spectaculum conueniret, non poterant negare se audisse illum esse Messiam, vt saltem circa hoc cogitandi locus esset an verum esset.* Hoc igitur constans esto iudicium de commotione ciuitatis: hanc nempe Deo auctore factam, vt hac sibi consuleret populus ille ad Christi obsequium desuper excitatus.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Christus se communicans humilibus tantùm, turbis innotuit vt Messias.

In hæc verba:

Populi autem dicebant : Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galilææ.*

§. II.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Humilibus amplior Dei notitia affolet affulgere, & ad alios postea deriuari.

CVm radij Solis incurrunt in speculum concauum, non imaginem Solis inibi tantùm delineant, sed præterea accendunt materiam ex aduerso positam, si concipere possit ignem. Ita Dei notitia nacta humiles animas vt subiectum idoneum, est corusca & liquidior quàm dum influit in homines intumentes typho, imò ab humilibus illa diuina lux spargitur, nouosque amoris ignes ingerit cordibus aptis ad hæc incendia, vt videre est Euangelio hodierno, vbi superbi Scribæ, & Pharisæi cæcutiunt in his quæ pertinent ad Messiam; turbæ verò deposito omni fastu ei occurrunt, & prædicant eum vt Messiam, omnesque volunt pellicere ad obsequium eius, quando introëunte Christo Ierosolymam, audacter de Christo sciscitantibus respondent : *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Profectò eâ Confessione potenter sollicitant hominum corda in gratiam Christi : nempe nihil adeò gratum fuit Iudæis ac mentio Messiæ, penes quem repposuere suorum bonorum omnium summam. Vnde prædicare Iesum esse Messiam, perinde est ac ei omnium corda validè deuincire. Hoc sibi hodie pensum indixere populi, conclamantes Iesum esse Prophetam : hîc enim vox Prophetæ, supponit pro Messia.

Dei notitia non est ad splendorem tantùm, sed etiam ad amorem.

Sensus literalis verborum quæ populi prædicabant de Christo.

Itaque sensus literalis versiculi quem decurro iste est. Concurrente Ierosolyma ad spectaculum Christi Domini triumphantis, & ea stupente deferri honorem nemini hactenus exhibitum, turbæ consciæ meritorum & dignitatis Christi, tersere stuporem ciuium, quos ingens admiratio perculerat, eos sic affantes : Quid miramini, ô Ierosolymitæ, populum effusum obuiam Iesu Nazareno, & deferentem ei palmas ? Ille est desideratus cunctis Gentibus, & enixè à priscis Patribus exoptatus. Propheta est alterius omnino notæ à cæteris ; is scilicet, de quo Moyses ita præfatus est : *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Quid ergo cunctamini in reddendo obsequio, longiores vestræ moræ iniquæ sunt, & vestros animos arguunt infideles. In ea profectò fuere sententia turbæ illæ conclamantes, Christum Dominum esse Prophetam. Illic enim non intellexere Prophetam eo sensu, quo vulgo vox illa habita est in Iudæa, vbi quisquis edebat aliqua prodigia, aut specimina virtutis emeritæ, is Prophetæ nomine censebatur, vt cùm Matthæus recolens Ioannem Baptistam ita fatur : *Omnes habebant Ioannem sicut Prophetam.* Aliàs Propheta excellentiori modo accipitur, pro homine Prophetis etiam cæteris eminente. Et ita vox hæc vsurpata est à turbis, quando Christus rediuiuum Naimitam reddidit matri. Sic Lucas : *Accepit omnes timor ; & magnificabant Deum dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis : & quia Deus visitauit plebem suam.*

Deuter. 18. Propheta quot modis dicatur aliquis in Scriptura Sacra. Matth. 21. Luc. 7.

Deut. 18.

Demum Propheta accipitur pro Messia, iuxta nomenclaturam vsurpatam à Deo ipso sic affante Moysem : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui : & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi : qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Ex præfatis, trifariàm vsurpatur titulus hic Prophetæ, & Christo inditus est tribus hisce modis, provt fides populorum facta fuit liquidior. Vnde quia instante Passione Christi, turbæ satis superque fuerant eruditæ à Christo, turbæ illæ sequaces Domini audacter, eum esse Messiam prædicarunt. Et miror hîc esse hallucinatum Abulensem, dùm tenaciter affirmat, turbas conclamantes Iesum esse Prophetam, noluisse dicere eum esse Messiam. Sic ego impugno hominem alioquin doctum : Turbæ illæ hodie recensitæ effusæ in laudes Christi, erant ex discipulis eius, & proinde sequaces illius præceptoris, cui ita auscultabant, vt & immemores annonæ essent. Fuisse hos encomiastas Christi discipulos, Lucas ait hoc contextu. *Cœperunt omnes turba discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Cùm ergo præcones illi fuerint discipuli Christi, profectò fuere fideles ; nempe fides est quæ Christi discipulos initiat : at fidei summa erat credere in Christum vt Messiam, & Saluatorem mundi. Huiusce fidei populus hodie edidit locuples argumentum : quippe in gratiam eius, gratulabundo percitus œstro cecinit Psalmum Messiæ consecratum. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Fallitur Abulensis negãs Christum à turbis fuisse prædicatum Messiam. *Abulensis in c. 21. Matth. q. 54.* Rationes quæ suadent Christũ prædicatũ Messiã à turbis. *Luc. 19.* *Psal. 117.*

Illud insigne præconium, decernens Christum esse Messiam, conciliauit ei inuidiam Procerum, quos indignantes Christus egregiè compescuit. Sic Matthæus : *Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes : Hosanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei : Audis, quid isti dicunt ? Iesus autem dixit eis : Vtique numquam legistis : Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Ecce validum argumentum contra Abulensem. Laus illa Christo exhibita hodie fuit præscita à Dauide, præfante fore vt perfecta laus ederetur à paruulis prædicantibus Christum : Ergo illa encomia hodie edita in honorem Christi, non prætériere titulum præcipuum à Iudæis hactenus expectatum. Id est, in contextu laudum, quas gestientes turbæ decantarunt ad honorem Christi, non defuit confessio asseuerans eum esse Messiam : alioquin non fuisset perfecta laus, quæ dignitatem illam Messiæ Christo Domino detraxisset. Præcipua argumenta petenda sunt ex linguis.

Matth. 21. Validum argumentum contra Abulensem, quo Christus ostenditur prædicatus à turbis vt Messias.

SENSVS LITERALIS.

Turba conclamantes in triumpho Christi, eum prædicauere Ierosolymitis vt Messiam & Deum.

In hæc verba:

Populi autem dicebant: Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galilææ.*

CONIETVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

TVrbæ concrepantibus buccis effusæ in laudes Christi, multa edidere encomia ingrata auribus Pharisæorum, qui velut impotes sui, ita Christum adorsi sunt: *Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Vulgata editio satis superque clamat, Christum fuisse à populis habitum vt Messiam: Abulensis acriter hoc impugnat, sed ineptè: namque tacente vulgata editione nostra Latina, aliæ linguæ clamabunt, turbas agnouisse Christum, & eum prædicasse vt Messiam. Lingua Hebræa prior expediet illam veritatem, petito argumento à nomine Christi, quod apud Hebræos est יהושע *iehoschuangh.* Sic enim lineantur in Codice sacro nomina Iesu Naue, & Iesu Iosedech, quos nemo inficiatur fuisse typos Domini nostri Iesu Christi, qui proculdubio Hebraicè debet sic efferri, cùm nomen eius Græcè redditum exprimatur iisdem notulis, quibus Septuaginta interpretes reddidere nomina Iesu Naue, & Iesu Iosedech, quorum vbi mentio occurrit, ita nomen Iesu Græca nomenclatura donant, Ἰησοῦς. Vnde quia eadem dictio Græca vsurpata à priscis auctoribus consciis linguæ Hebrææ, repetitur à Græcis in gratiam Christi, proculdubio vox Hebræa Christum denominans eadem est, quæ communis fuit Iesu Naue, & Iesu Iosedech, sed significatio eiusdem nominis est Christo Domino singularis: quippe יהושע *iehoschuangh* perinde est ac Saluator, à radice ישע *iaschangh*, id est, saluauit.

Vulgo tamen Christus appellatus est ישוע *ieschuangh* vt Syrus interpres probat suo exemplo, semper hoc nomine Dominum Iesum indigitans. Fuit autem lingua Syriaca vernacula turbis, quæ Christo Iesu tunc temporis applaudebant, ac proinde suo idiomate Syro, ita Christum Dominum appellarunt. Vox illa surculus est radicis Syriacæ & Chaldaicæ ישע *iaschangh.* Id est, saluum fecit, seruauit. Adiicit Guido Fabricius, eamdem vocem, quæ significat Iesum, vsurpari etiam pro redemptione, ita vt ישוע *ieschuangh*, perinde sit ac Iesus, & redemptio. Cùm ergo turbæ clamabant: *Hic est Iesus Propheta*; hoc profectò referre voluerunt: Iesus iste salus est, & redemptio nostra promissa à Moyse, nomine Prophetæ suscitandi ex semine Abrahæ. Concinit Apostolus, Christum nuncupans redemptionem nostram. Sic ille: *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.*

Rursus, turbæ identidem repetentes osanna, liquidò professæ sunt, se credere Dominum hunc esse Messiam. Illa nimirum vox aliud planè significat, quàm id quod intellexerunt Hilarius, Augustinus, & Euthymius, qui non callentes idioma Hebræum decepti sunt. Vox illa Hebræa est הושיעה נא *hoschiangh anna*, *salua obsecro*, seu mauis: *Redime quæso.* Est enim vox illa Imperatiui modi coniugationis *hiphil*, id est, coniugationis tertiæ Hebræorum à radice præfata ישע *iaschangh*, id est, saluauit, seu redemit. Vnde etiam hallucinatus est Maldonatus, voces illas sæpè repetitas affirmans nil aliud insinuare, quàm faustam precationem Christo. Si enim, inquit ille, voces illæ significarent, *salua nos*; turbæ Christum agnouissent vt Redemptorem; quod tamen non concedit ille, negans illis turbis tantam de Christo notitiam fuisse à Deo concessam. Proximo titulo agam contra Maldonatum, & conducam Patres Ecclesiæ proceres in gratiam meæ sententiæ. Nunc ratione arietandum est contra Maldonatum. Turbæ illæ gestientes, & concinétes hosanna, fuere ex discipulis Christi, vt probaui ex Luca sic recolente triumphum Christi: *Cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna, &c. dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Si erant hi populi discipuli Christi, profectò ille se eis aperuit: omnes enim catecheses Christus à sua diuinitate auspicatus est, ita vt prima fidei rudimenta fuerint credere Iesum esse Filium Dei, & Messiam. Ne multus sim in exemplis, tria tantùm promam. Primum erit mulieris Samaritanæ libidini assuetæ, quam beneficus ille Dominus conciliare volens sibi, ait illi se Messiam esse. Ita Ioannes recenset historiam. *Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cùm ergo venerit ille, nobis annũtiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Nec illam duntaxat mulierem Christus tanta dignatus est gratia, vt se proderet esse Saluatorem mundi, sed toti Samariæ se beneficum præstitit, fidem illi populo impertiens, vt pergit Ioannes explicare. *Cùm venissent ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est Saluator mundi.*

Si ergo biduo totam ciuitatem Christianam fecit, se vt Saluatorem prodens populo illi nequam schismatico, & dissito à Iudæis; profectò incongruum est negare, eumdem Dominum suis illis discipulis, qui turmatim sequebantur eum, aperuisse suam deitatem. Nec sibi constat Maldonatus immemor eorum quæ dixit. Nempe in calce eiusdem versus, vbi negat turbas credidisse Dominum Iesum esse Deum, & Redemptorem, vel inuitus meæ subscribit sententiæ, expendens has populi voces: *Benedictus qui venit in nomini Domini.* Sic ille commentatur. *In nomine Domini venire dicitur non solùm vt plerisque interpretibus visum est, quia à Deo missus veniebat: sed etiam quia personam gerebat Dei, qui per eum populum suum visitabat.* Profectò ista & præcedentia non cohærent, vbi impugnat opinionem eorum, qui sentiunt turbas clamando hosanna voluisse idem resonare ac, Salua nos quæso. En censuram Maldonati. *Huic sententiæ multa repugnant. Primum quod non videatur turba tunc tantam de Christo opinionem habuisse, vt verum Deum, ac Redemptorem esse crederet.*

Luc. 19.

Ex Linguis. Hebræa.

Nomen Iesu quid significet apud Hebræos.

Syriaca. Chaldæa.

Nomé Iesus quid significet apud Syros.

1. Cor. 1.

Quid significet osanna.

Maldon. in c. 21. Matth. versu 9.

Ratio valida suadens turbas concinentes Christo, eum agnouisse vt Redemptorem & Messiam.

Ioan. 4.

Ibidem.

Samaritanis Christus prædicat se esse Saluatorem mundi.

Matth. 21. Maldon. in c. 21. Matth. versu 9.

deret. Miror in eodem versiculo enucleando hominem eruditum esse discolorem. Sed quare turbæ illæ assuetæ Christo, vtpote sequaces eius, non de eo altè sentirent; cùm, vt præfatus sum, Samaritani viri nebulones statim prædicarint Dominum Iesum esse Saluatorem mundi.

Cæco illuminato Christus, ait se esse Filiũ Dei.

Nonne & cæcus ille oculorum compos effectus à Christo, adscitus in numerum discipulorum eius, fidei suæ incunabula fecit professionem diuinitatis eius, qui nouos oculos ingesserat lumini peruios? Prima namque thesis proposita cæco, lumini restituto, fuit de diuinitate sui Medici salutaris, qui eum sic affatus est, vt Ioannes testis oculatus commemorat, illam recolens historiam, hoc tenore. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit. Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adorauit eum.* Nec tantùm discipulis suis Christus palàm fecit suam diuinitatem, sed Scribis & Pharisæis æmulis suis affirmauit se esse vnigenitum Dei, vt liquidò est hoc contextu Ioannis. *Ego, & Pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Si ergo suis osoribus acerrimis Christus non abdidit infulas suæ diuinitatis, vt eos ad suum pelliceret obsequium, inepta sanè est illa sententia, quæ affirmat sequaces Christi ignorasse eum; quippe absurdum est, esse discipulum Christi, & nescire Christum, qui suos semper inaugurabat discipulos, ingerendo eis notitiam suæ diuinitatis.

Ioan. 9.

Ioan. 10.
Christus Scribis & Pharisæis prædicat se esse Deum.

Propheta quid significet apud Hebræos.
HEBRÆA.
GRÆCA.
Propheta quid significet apud Græcos.
Plato in Timæo.
de def. orac.

Non erit abs re aduertere, turbas, dum tripudiantes acclamabant Iesum esse Prophetam, potuisse præter prophetiam illud intelligere, quod vox Hebræa sonat: nempè הנביא *hannabi* perinde est ac Propheta, & vir Dei. Ita vt acclamationes turbarum sonent, Iesum Nazarenũ esse virum Deo Patre satum. Habet & Græcus interpres vocem, cui suus quoque lepos inest. οἱ δὲ ὄχλοι ἔλεγον, οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ προφήτης. Id est, *Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta.* Nota, dictionem Græcam, quæ Prophetam significat, vsurpari à Platone & Plutarcho pro Antistite, ita vt προφήτης sit perinde ac Antistes. In eo sensu turbæ exauctorabant Pontificem Hebræorum, vt vmbram istius Antistitis, qui verè Magnus est Pontifex, quo præsente Pontifex Hebræorum scidit vestimenta sua, vel inuitus ominans Synagogam suo excidere Pontificatu, vt cederet isti Summo Pontifici, quem Paulus meminit hoc contextu: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Hebræor. 4.

Ex præfatis liquet, omnia conspirare in gratiam fidei populorum, qui vt discipuli Christi stipabant Dominum illum suum hodie triumphantem, cuius gloriæ vt litarent hi populi, recensuere titulos omnes, maiestati Christi Domini suffragantes: in quibus nomina Messiæ, & Filij Dei principatum tenent, & ambo congruè designantur illa voce, *hosanna in excelsis*, quam Maldonatus ait facessere sibi negotium. Vnde & se torquet discutiendo particulas grammaticales dicens; in excelsis, perinde esse ac de excelsis, ita vt sensus turbarum sit: Domine Deus de excelsis serua Iesum Regem nostrum. Non miror Maldonatum si desudat: nempè mouet frustra lapidem omnem, vt probet vocem, *Hosanna*, non exprimere affectum turbæ desiderantis pectore anhelo saluari à Messia, cùm tamen Sole ipso clariora sint vota illius populi iubilantis, & cuius ecce suaue melos. *Hosanna Filio Dauidi Benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.* Dicere, *hosanna Filio Dauid*, est omnia fausta precari Christo, vt Messiæ oriundo ex Dauide. Quia autem Messias ille Deus erat; turbæ non immemores sui, orauere Deum in humanis, vt non salutem temporalem, sed illam quæ erat desuper impertiret. Ita vt, *Hosanna Filio Dauid*, sit votum pro Christo homine & Messia: & *hosanna in altissimis*, sit votum ad Christum Deum, vt sequaces suos compotes efficiat regni cœlestis; ac proinde patet, hos populos, quos Lucas nuncupat turbas discipulorum Christi, eum agnouisse & Messiam & Deum verum, quidquid contra resonent Abulensis, & Maldonatus, quibus oppono Patres Ecclesiæ proximo titulo recolendos.

Quare turbæ hosanna applicuere Christo, illi applaudẽtes & postea illud idem hosanna applicuere sibi, *Matth. 21.*

SENSVS LITERALIS.

Quamuis populi conclamarint Iesum esse à Nazareth Galilææ, hoc non obstat, quin crediderint eum esse Messiam, atque Deum verum.

In hæc verba:

Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.

CONIECTVRA TERTIA.

ET SS. PATRIBVS.

Conclamantibus turbis in insigne decus & gloriam Christi triumphantis, echo suas vices egit editis vocibus annuendo: quippe populo resonante in radice collis, cui Ierosolyma ciuitas incubat, vox refracta sonos edebat multiplices. Sancti Patres, qui pietate & doctrina eminent aliis, habentur vt montes Ecclesiæ. Vbi ad hos montes pertigit vox illa populorum, professa Iesum esse Messiam, & vnigenitum Dei; montes illi consoni turbis, in gratiam Domini Iesu simili etiam tono illico resonarunt. Nempe locupletes illi Scripturæ sacræ interpretes vt rem indubiam credunt, diuinitatem Christi illis populis affulsisse, & eos Spiritu Sancto afflatos, illa Christi encomia protulisse. De Spiritus Sancti aura luculentum est testimonium Chrysostomi, antea recensitum. Sic ille: *Spiritus subitò ingressum*

Ex SS. PATRIBVS.
Chrys. in c. 21. Matth.

sus in eos, veritatis verba fundebat. Itaque constans est, populum illum cœlitus eruditum, fudisse laudes, quæ ad diuinitatem Christi Domini pertinebant.

Christus habitus & prædicatus à populis vt Messias.

Vtrumque autem populus ingessit de Christo, videlicet eum esse Messiam, Deumque, penes quem erat omnis hominum salus. Messiam dixit, cùm sciscitantibus de Domino triumphante, sic respondit: *Hic est Iesus, Propheta à Nazareth.* Ibi enim, Propheta perinde est ac Messias, vt aduertit Hieronymus, ita commentatus: *Propheta, quem & Moyses similem sui dixerat esse venturum.* Dicebat quidem turba discipulorum, Christum esse Prophetam illum diù expectatum, vt à nomine communi aliis etiam viris sanctitate conspicuis auditores ad eius diuinitatem assurgerent. Ita Hieronymus: *Aliis autem vel ambigentibus, vel interrogantibus, vilis plebecula confitetur, à minoribus incipiens, vt ad maiora perueniat.* Quasi diceret, plebem prædicasse Dominum Iesum esse suprà hominem, vt inde liqueret eius diuinitas eis, qui altioris tyrocinij obsequio se præstarent dignos illo arcano. Tripudiantis verò populi mentem fuisse, annuntiare Christum vt Messiam, & Deum Redemptorem, pergit Hieronymus ostendere, dicens, illos versus, qui in ore populi resonabant, petitos esse à Psalmo composito in Messiæ argumentum. Audiendus ille. *Dico de centesimo decimo septimo Psalmo, qui manifestè de Christo prophetat, & in Synagogis Iudæorum creberrimè legebatur, vnde & populis notior erat, hos versus esse assumptos; quod ille, qui repromittebatur de genere Dauid, venerit saluaturus Israel, dicente Dauid. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli. Vnde & Euangelistarum Scriptura commemorat, Pharisæos & Scribas super hoc indignatione commotos, quod viderent populum, Psalmi Prophetiam super Christo intelligere completam, & clamantes pueros, hosanna Filio Dauid, dixisse ei: Audis, quid isti loquuntur? Et Iesum respondisse: Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, &c. Vbi nos legimus in Latino: O Domine saluum me fac, ô Domine benè complace: Benedictus qui venis in nomine Domini, iuxta Hebræum sensum legere possumus? Obsecro Domine, saluum fac, obsecro Domine prosperare: Saluum autem fac, dicitur, vt subaudiamus, populum tuum Israel, siue generaliter mundum. Denique Matthæus, qui Euangelium Hebræo sermone conscripsit, ita posuit* הושיענא ברמה *hoschiangh na berama, id est, hosanna in excelsis: quod Saluatore nascente, salus in cœlum vsque, id est, etiam ad excelsa peruenerit, pace facta non solum in terra, sed & in cœlo: vt iam dici aliquando cessaret: Inebriatus est gladius meus in cœlo.*

Hier. in c. 21. Matth.

Ibidem.

Hier. epist. 145. ad Damasum to. 3.

Luculenta expositio huius vocis hosanna.

Christus à turbis agnitus vt Deus.

Non ergo benè affirmat Maldonatus, voces illas, *hosanna in excelsis*, esse vota populi deprecantis Deum vt saluum faceret Regem illum triumphantem: cùm Hieronymus probè callens idioma Hebræum, illas voces explicet de salute, quam populus ille à Christo Domino deposcebat. Vnde patet, Christum habitum fuisse à populis vt Deum. Nempe Dei tantùm erat reserare cœlos, quos Adami labes occluserat. Hanc turbarum fidem subindicat Gregorius ille Magnus, decurrens obiter illum locum, vbi licet allegoriam sapiat eius explicatio, non erit abs re eam recensere in subsidium meæ sententiæ, quæ affirmat, voces illas, *hosanna*, perinde esse ac salua nos, & subodorari in Christo infulas altè reconditæ deitatis. Sic ille: *Qui praibant, & qui sequebantur, clamabant hosanna. Præcessit quippe Iudaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi: siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui in Ecclesia nunc existunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt, qui præeunt, & qui sequuntur, hosanna clamant. Hosanna autem Latina lingua, salua nos, dicitur. Ab ipso enim salutem, & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur; quoniam vna spes, vna fides est præcedentium, atque sequentium populorum.* Hæc ille, quasi significans populos illos Christi encomiastas, illud idem de eo sensisse, quod & nos confitemur, Ecclesia desuper edocente.

Quare turbæ dixerint, hosanna in altissimis.

Gregor. hom. 18. in Ezec.

Nota ex Luca, præter turbas aduenas, quæ Christum stipabant, exiisse obuiam illi alias turbas de ciuitate, quæ ab aliis eruditæ, Christum vt Deum exceperunt, licet eædem turbæ, huiusce professionis immemores, fidem postmodum abiurarint. Vt enim Saül inter Prophetas agebatur spiritu prophetico; ita & turbæ Ierosolymitæ, sociatæ turbis discipulorum, statim illibatæ fidei spiritum ebiberunt. Fauet Ambrosius hoc contextu. *Pulchrè secundum Lucam turbas laudantes Deum ad descensum montis occurrisse legimus, vt operatorem mysterij spiritalis significarent sibi venisse de cælo. Turba igitur agnoscit Deum, Regem appellat, prophetiam repetit: Hosanna Filio Dauid, hoc est, Redemptorem domus Dauid, expectatum quoque secundum carnem Dauid Filium venisse declarat: & hoc turba illa post exiguum crucifixura momentum. Verè memorabile diuinæ operationis insigne, vt aduersum se testimonium extorqueatur inuitis, cùm Deum negant affectibus, quem vocibus confitentur.* Vides quàm meritò impugnem Maldonatum, & Abulensem, negantes Christum fuisse agnitum à turbis vt Deum: cùm id tamen ex Patribus liquidò comprobetur.

Luc. 19.

Ambr. in c. 19. Luc.

SENSVS LITERALIS.

Christus annuendo professioni fidei editæ à turbis, templum ingreditur, vbi suæ diuinitatis exhibet argumenta.

In hæc verba:

Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit; & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eū cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Christus imminente Passione suæ maiora misericordiæ edidit argumenta.

Philosophia rimans cuiusque rei naturam, obseruat motum omnem violentum in fine fa- *sciscere,*

uiscere, naturalem verò qui ad centrum fertur, in progressu nouos colligere impetus. Huic Philosophico effato fidem fecit hodie Dominus Iesus, cui vt misericordia naturalis erat, instante Passione, ad quam vt ad centrum properabat, miserationis suæ maxima edidit argumenta. In his illud singulare fuit, quòd se Messiam & Deum omnibus palam fecit, conductis etiam turbis, illud ipsum concrepantibus buccis apertè fatentibus. Namque penes illam Christi Dei notitiam erat cardo fidei Christianæ, necnon & vita æterna, vt Christus ipse ait, sic affatus Patrem suum: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Christus antea multifariàm adstruxerat illam suæ diuinitatis fidem; sed quia iniquos patiebatur æmulos, Scribas scilicet, Pharisæos, & principes sacerdotum, ingruente morte specie triumphantis ingressus est Ierosolymam, inuitis æmulis ipsum esse Deum populo personante. Vtque liquidior esset illa professio diuinitatis eius, ad templum illico se contulit magnificus ille triumphator, vt in ædes suas, quas vt sibi sacras ostenderet, inde flagello amandauit omnes illic vendentes & ementes, quasi suam propulsans iniuriam. Etenim vt Dominus templi, suas partes egit, cùm eiecit omnes homines iniurios domui suæ: fiebat autem iniuria templo ab ementibus & vendentibus, quia sic templum habebatur vt platea profanis vsibus assueta. Et reuera Deum se præstitit, ineffabili virtute sua repurgando templum, & protrudendo foras nundinatores, & eorum merces nemine reluctante. Quamuis enim Gens illa lucro dedita supra modum, magnam faceret iacturam ex euersione tabularum, quibus prostabat pecunia populo commodanda; nemo tamen prætexens iniuriam sibi factam, in Christum Dominum insurrexit.

Ioan. 17.

Quare Christus ingressus est Templum pollutum à nundinantibus.

Rursus, quando domum suam dixit templum, nonne se apertè Deum confessus est? Boues, oues, columbas, & omnem sacrificiorum supellectilem eiecit de templo, vbi se Deum exhibuit, vt ostenderet imminere deliquium Synagogæ, & eam fore sine Sacris, & instare tempus, quo Ecclesia suffecta in locum Synagogæ gauderet templo, vbi Christus ipse hostia esset & sacerdos. Et hoc ille satis innuit, sic increpans sacrilegos homines: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur.* Nota, hoc scriptum esse ab Isaia lineante typum Ecclesiæ conuocatæ de populis aduenis. Ecce præsagium Vatis desuper afflati, & Dei personam induentis. *Filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos, &c. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Christus figuratus hostis Iudæorum, pecudes omnes hodie è templo pellit, futurus ipse post quinque dies victima, pro omnibus immolanda. Vt autem liquidior esset demonstratio diuinitatis, quam Dominus ille mentibus ingerebat; ibidem cæcorum oculos aperuit, & curauit claudos, sic probans se esse suprà naturam, quia membra reformabat, vbi nouercans natura defecerat.

Quare Christus eiecerit, oues, boues, & columbas de Templo.

Matth. 21.

Isai. 56.

Aduerte obiter placere sententiam, quæ negat ementes & vendentes fuisse in templo, sed adstruit eos fuisse in atrio, seu porticu Salomonis;

Maldon. in 21. Matth. versu 12.

quia, inquit, in atria fas erat profanis hominibus adstare, at in reliquis templi partibus aditus erat tantùm liber sacerdotibus. De bobus & ouibus veridica est sententia; siquidem incongrua res illa fuisset pecudes fimo conspurcare sacras ædes: nec dicitur Christus eiecisse boues & oues de templo, sed ementes & vendentes, qui profectò fuere sacerdotes ipsi diuendentes ea, quæ ad sacra pertinebant, vnde stat sententia innixa ritibus Hebræorum, quibus interiorem partem templi adire nefas erat, nisi sacerdotes essent. Cùm ergo sacerdotes ipsi perquàm cupidi essent lucri, ipsi diuendebant ea, quæ spectabant ad sacrificia, vt columbas; quippe egressi de sanctuario suo occurrebant populo meditanti sacra facere, & fidelibus dispensabant ea, quæ spectabant ad cultum Dei, coëmpta tamen ære præsentissimo, quod si non suppetebat, mutuò accipiebant à numulariis, qui eas excogitauere technas, quas infrà recensebo ex Hieronymo, cùm referam sententias Patrum.

Ementes & vendentes non erant in interiori parte Templi, vbi sacerdotes soli sacris intendebant: sed in atrio seu porticu Salomonis.

Itaque sacerdotum fuit omne piaculum, in quod hodie Christus inuehitur: namque sacrificuli anheli in sordida compendia ditescendi, inducebant in atrium pecudes idoneas sacris, vt facta copia victimarum, populus vel inuitus sæpius hostias aris imponeret, & sic auaritiæ sacerdotum fomitem adhiberet. Vnde beatus Bonauentura eruditè coniicit, nequitiam sacerdotum fuisse præcipuam causam excidij templi huius. Sic ille: *Attendendum quòd Dominus statim post annuntiationem excidij Ierusalem, intrauit ad Templum purgandum, vt ostendat quòd maxima causa destructionis eius fuit peccatum sacerdotum.* Hanc ciuitatis ruinam Propheta veridicus etiam refudit in auaritiam sacerdotum & Doctorum, ita vaticinans. *Audite hæc, principes domus Iacob, & iudices domus Israël, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & Propheta eius in pecunia diuinabant, propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & Mons Templi in excelsa syluarum.*

Bonau. in c. 19. Luc.

Michæ.

Nec duntaxat hodie Christus abstinuit ingressu partis interioris templi; sed nusquam tentauit illuc introire, vtpote oriundus de Tribu Iuda, ad quam non pertinebat liber aditus in penetralia Templi. Vt ergo constet vnicuique de veritate historiæ Euangelicæ, quæ sæpè recolit Christum in Templo docentem, & prodigia perpetrantem, operæpretium est scire, templum Salomonis editum fuisse ferè adinstar tabernaculi Moysis, quod erat veluti domus Deo sacta, vt habetur in Exodo. Erat præfata domus illa bipartita. Pars ad occasum vergens erat longitudinis decem cubitorum, & totidem latitudinis, ac proinde hæc ædium sacrarum portio quadra fuit. Pars altera Orientem spectans, & qua peruius erat aditus, porrigebatur ad viginti cubitos longitudinis, latitudine verò & altitudine decem tantùm cubitos adæquabat. Prior pars quadrangula sita ad occasum dicta fuit Sancta Sanctorum. Altera verò longior, & proximè recensita nuncupata est, Sanctum, seu Sanctuarium. Vtrãque partem diuidebat velamen pendulum è postibus, & columnis quatuor. Aditus ad Sanctorum, vbi tantùm Summo sacerdoti liber erat, idque

Quomodo verum sit Christum introisse in Templum cum non fuerit sacerdos generis Leuitici.

Exodi 26. Exquisita descriptio tabernaculi Moysis, ad cuius ideam effictum est Templum Salomonis.

idque ſemel in anno in die expiationis, & hoc ritu ſingulari ſanguinis aſperſi. In alteram partem, quam diximus vocari Sanctuarium, & quam Paulus priorem vocat, quia eius obſequio Pontifex introibat in Sancta, ibi tantùm intrabant ſacerdotes, quibus ex officio aut ſorte competebat miniſtrare. Vnde Leuitis erat aditus interdictus in Sanctum. Vtriuſque huius partis meminit Paulus hoc contextu. *Tabernaculum factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta. Poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti, &c. In priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes. In ſecundo autem, ſemel in anno ſolus Pontifex.* Hactenus Apoſtolus, apprunè eruditus in ſchola Iudæorum.

Hebr. 9.

Vtriuſque olim tabernaculi Moyſis aditus interdictus eſt Leuitis.

Vt maiorem Deus reuerentiam conciliaret hiſce tabernaculis, interdixit eorum aditu Leuitis, quibus nec fas erat videre nuda vaſa tabernaculi, pœnâ mortis indictâ ei, qui ſecus faxit, vt habes libro Numerorum. Vtrumque hoc tabernaculum vallabat murus, ſeu potiùs ſpecies quædam muri facta ex tentoriis byſſinis. Vallum hoc velaminum erat quadrilaterum. Boreale latus longitudine ſua cubitos centum explebat, habens columnas viginti, quibus vela pendula incumbebant. Auſtrale latus eiuſdem erat ſchematis, atque ſupellectilis. Latus Occidentale longitudine ſua diſcurrebat ad quinquaginta cubitos & fulciebatur columnis decem. Latus Orientale eiuſdem fabricæ fuit, & numeri columnarum. In medio huius lateris ad ortum poſiti, erat porta, qua ibatur ad ſpatium illud concluſum tentoriis, quod dicebatur atrium tabernaculi, de quo fusè in Exodo. In illo atrio, id eſt, extra tabernaculum, erat altare holocauſtorum, quod quotidie victimarum ſanguine deſudabat. Leuitæ ad arbitrium ſuum illuc introibant. Laïci vero homines, liberam introëundi facultatem habebant tantùm cùm accincti erant ad hoſtias offerendas, eiſque fas erat ibi comedere partem ſacrificij. Ita ſe habuere ſacerdotes, Leuitæ, & laici ad tabernaculum Moyſis, ad cuius ideam effictum eſt templum Salomonis, ſaltem quoad diſtinctionem partium; nam de menſuris diſcolor eſt ratio. Nempe fuit domus illa Deo ſacra longitudinis ſexaginta cubitorum, latitudinis verò viginti, altitudinis autem centum viginti cubitorum, vt videre eſt in libro Paralipomenon.

Num. 4.

Exod. 27.

Deſcriptio Templi Salomonis.

2. Paral. 3.

Secundum longitudinem domus illa erat diſtincta in duas partes, quarum anterior erat cubitorum quadraginta in longitudine, & viginti in latitudine, & hæc portio templi nuncupata fuit Sanctuarium. Pars altera ſeſe porrigens ad occaſum, erat cubitorum viginti in longitudine, & totidem latitudinis. Iſta fuit dicta Sancta Sanctorum. Omnis hæc præfata domus erat operta tecto, & in modum turris eminebat, quia altitudo dupla erat ad longitudinem, & ſextupla ad latitudinem. In partem anteriorem non intrabant laïci nec Leuitæ, imò neque ſacerdotes indiſcriminatim; ſed illi duntaxat, quibus ſorte vel Pontificis inſtituto competebat facere ſacra. At in Sancta Sanctorum vnus Pontifex & is Summus ſemel in anno ſupplex introibat. Tota itaque domus illa Deo ſacra fuit inuia laicis & Leuitis, ac proinde Chriſtus nunquam illuc introiuit, etſi dicatur in templum ſæpius introiſſe. Eſt ergo Templum latè accipiendum pro ea parte, quam mox recolam. Nempe extra Templum Salomonis modo recenſitum erat ad partem Orientalem ſpatium quoddam viginti cubitorum in longitudine, & in latitudine cubitorum decem, quod vocabatur porticus, iuxta quam viſebatur platea quadra cincta muro ſed non tecta, quæ dicebatur atrium ſacerdotum. In hoc atrio ſub dio poſito patebat omnibus altare holocauſtorum, cum ſua tota ſupellectile. In illo atrio fiebant omnia ſacrificia. Peruium erat hoc atrium Leuitis, quorum erat miniſtrare ſacerdotibus. Laicis verò volentibus offerre hoſtias licitum erat tantùm portam attingere, & illuc victimam adducere.

3. Reg. 6.

Partes Templi Salomonis, interdictæ laicis.

Rurſus præter porticum & atrium erat ingens murus cingens præfata loca, & eius muri ambitu concludebantur ſpatia quædam ad orandum, & audiendam legis expoſitionem. Illuc introire fas erat laïcis omnibus, fœminis ſeorſim poſitis, ne quid fieret indecorum. Quia autem circuitus ille magnus concludens ſpatia deſignata ad orandum dicebatur circuitus templi, partes etiam illic concluſæ nomenclaturam templi ſibi vendicarunt, licèt propriè templum Salomonis fuerint illæ ædes ſacræ, quæ compoſuere Sanctuarium, & Sancta Sanctorum. Cùm igitur audis Chriſtum eiecisse è templo vendentes & ementes, ne animum tuum ſubeat ideâ Sanctuarij, aut porticus, aut atrij ſacerdotum, ſed cogita ſpatia illa diſcreta à præfatis locis, quæ permiſſa fuere laïcis hominibus in ſacros vſus, vt ſunt oratio, & expoſitio legis Dei. Vnde Chriſtus locuples habuit argumentum ſuccenſendi in profanos homines nundinas agentes, vbi debuere litare Deo feruidis precibus inſiſtentes.

Quare Chriſtus meminerit cathedras vendentium columbas potius, quam nummulariorũ.

Laborant quidam interpretes in indagine cauſæ, quæ Matthæum impulit ad recolendum Chriſtum euertiſſe cathedras vendentium columbas, cùm tamen cathedræ potius pertineant ad nummularios, qui menſis aſſidere ſolent æri ſuo iugiter incubantes. Maldonatus & alij ſuſpicantur abditum myſterium, hos non carpo de ſuſpicione myſterij, quod reuera latet. Sed in his deſidero rationem mentionis cathedrarum, quam quia taciti præteriere, accipe genuinam, & veracem. Ad Sacra Iudæorum ſpectabant res animatæ, aut res inanimæ. Si ſacra fiebant de carnibus animalium, dicebantur illa propriè ſacrificia. Animalia congrua erant quadrupedia, & volatilia; nulla verò ſerpentia. Quadrupedia triplicis tantùm erant ſpeciei, ſcilicèt oues, boues, & hirci; vt & volatilia tres etiam ſpecies faciebant: mactabantur enim paſſeres, turtures, & columbæ. Quadrupedia erant ditiorum hominum ſacra, vt & volatilia pauperum, Deo ſic ſanciente: *Si non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Imò vrgente inopia in gratiam pauperis fiebant libamina. Erant autem hæc de rebus inanimis, vt ſunt ſimila, vinum, oleum, ſal, & thus. Ecce legem. *Si non quiuerit manus eius offerre duos turtures, aut duos pullos columbæ, offeret de ſimila decimam partem Ephi.* Cùm ergo multò plures eſſent pauperes quàm diuites, plura etiam fiebant ſacrificia pauperum quàm diuitum, ac proinde plures erant venditores columbarum quàm ouium, atque ita fuit opus multis cathedris, vt ſederent illic Domini columbarum.

Animalia congrua ad ſacrificium Iudæorum quænã fuerint.

Leuit. 5.

Toſtatus hic ait, nomen cathedræ ſumi latè pro

Toſtatus in Matth. c. 21. quæſt. 43.

pro sedili, quia cathedra propriè pertinet ad sacerdotes; sed pace dixerim Præsulis huius Abulensis, ibi cathedra strictè accipitur; nã ipsi venditores columbarum erant sacerdotes, qui specie pietatis, & quasi egenis suffragantes, has in templo nundinas excercebant. Vnde ne mercatorum habitu viderentur iniurij suo sacerdotio, suas in templo cathedras præclaro ordine & contextu locauerant, vbi assidebant positis iuxta caueis columbarum. Ideo Christus in hos potissimum animaduertit, Ioanne assertore. *His qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Facilè adducor vt credam, sacerdotes lucri amantes de illis suis cathedris texuisse sermones, quasi catechisticos, & inducentes homines ad demerendum Deum sacris, quod quia eo intento fiebat, vt velificarentur auaritiæ, in eos Christus succensuit, vt cathedra indignos, quam sic sordida lucri cupidine polluebant. Cùm ergo rari fuerint illic numularij, & multa astiterit turba sacerdotum, meritò Matthæus cathedras meminit vendentium columbas, ad quos etiam directa est hæc censura. *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quasi diceret: ô sacerdotes, vestrarum præcipuè partium est prælucere populo, insistendo orationi, cui vacando domus mea suis gaudet obsequiis, ad quæ fuit cœlitus instituta: vos autem curæ sacerdotalis immemores, nihil nisi lucra sordida cogitatis. Specie quidem pietatis vestras cathedras intulistis in templum, velut populos edocturi; sed illa venalis columbarum exhibitio arguit animum infidelem Deo, & perquàm cupidum auri, cuius gratiâ pauperum loculos emungitis, columbas eis cariùs erogantes. Vnde fit, vt prædam agentes, sacerdotio excidatis, vt latronum induatis mores inglorios.

Venditores columbarũ erant sacerdotes.

Ioan. 2.

Quare venditores columbarum cathedris insidebant.

Matth. 21.

Quomodo sacerdotes fecere Templum speluncam latronum.

Sunt qui putent, sacerdotes iniisse societatem etiam cum numulariis, & aliis vendentibus oues, & boues, vt participes essent lucri emergentis ex illo commercio. Ego meliùs (vt opinor) subodoror, sacerdotes vt nihil suæ auaritiæ intactum relinquerent, etiam egisse prædam de iis qui vendebant oues & boues titulo templi locati in vsus illos hactenus inconcessos: ideoque reprehensos à Christo, & insimulatos furti, quia iniquis artibus opes in sua compendia referebant.

SENSVS LITERALIS.

Christus triumphantis habitu Templum adit, vbi sua diuinitatis edidit argumenta, damnans sacerdotum auaritiam.

In hæc verba:

Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: &c.

CONIECTVRA SECVNDA
Ex SS. Patribus.

Vt Christus gratiæ suæ obsequio effecit Christianos omnes diuinæ consortes naturæ, ita & quosdam virtutis emeritæ ex eis assumpsit in iudices hominum impiorum, quasi cum eis diuidens iudicis dignitatem. Has iudicum partes agunt Sancti Patres, dum subscribunt sententiæ Christi inuehentis in auaritiam sacerdotum, qui litantes auro, nundinas inuexerant in ædes Deo sacras. Iudices hi æquiores mihi, etiam sunt contra Abulensem, & Maldonatum, negantes Christum fuisse prædicatum vt Deum. Habeo itaque duo probanda hîc ex sententia Sanctorum Patrum. Primum est, Christum subiisse templũ, vt illic suæ diuinitatis ederet argumenta, & prædicaretur vt Deus. Alterum est, ipsos sacerdotes vendidisse ea, quæ ad sacrificia conducebant. In gratiam primæ veritatis sisto auctorem operis imperfecti, quem Doctor Angelicus semper laudat nomine Chrysostomi, licèt reuera non sit opus Chrysostomi, qui alium iam librum edidit in Matthæum. Magni tamen est nominis auctor ille, vtpotè multiscius, licèt Arriani maculis respersferint eius opus. Ille sacer interpres ait, Christum rectà diuertendo in templum duo præstitisse, scilicet probasse se Filium Dei; & indicasse, malorum omnium labem Iudæos inficientem, habere sua incunabula penes sacerdotes. Et sic ille meas adstruit sententias, suo vno hoc contextu. *Intrauit Iesus in Templum. Hoc erat proprium boni Filij, vt & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum, vt tu imitator Christi factus, cùm in aliquam ingressus ciuitatem fueris, primum ante omnem actum ad Ecclesiam curras. Hoc erat boni Medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad originem Passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur; sic & de templo omne malum procedit. Quemadmodum Medicus quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est.* Hactenus ille.

Ex SS. Patribus.

Auctor operis imperfecti non est Chrysostomus.

Auctor operis imperfecti, in Matth. hom. 37.

Quare Christus triũphali specie rectà diuertit Templũ.

Nota, Christum aliàs simili modo repurgasse templum, initio scilicet prædicationis Euangelicæ, cùm non adhuc clareret miraculis, nec eius fama tantùm apud homines inualeret. Et eam interesse differentiam inter illud, & hoc repurgiũm, quòd tunc Scribæ & Pharisæi aliquod petierint signum, iam verò taciti prodigia non ab eo rursus extorserint: tota namque series vitæ Christi, prodigij vice fuit. Ego maximum puto miraculum, quòd infantes, pro ætate sua elingues, iam vocales extiterint, præcones facti diuinitatis Christi, sic suo præconio Christo Domino famulantes, qui eos naturâ suâ tacitos, virtute sua loquaces effecerat. Præstat in eo argumento audire Chrysostomum, probantem Christum bis templum à nundinis expurgasse. Sic ille. *Bis id, diuersisque temporibus factum credendum est, quod tam à tempore quam à responso colligi potest. Apud Ioannem enim in ipso Pascha; apud istum verò multò antè in templum dicitur Christus aduenisse: & tunc Iudæi dicebant: Quod signum nobis ostendis? nunc verò quamuis acriter reprehensi; tamen, quia iã mirabilis apud omnes videbatur, conticuerunt: quod certè maiorem culpã Iudæorum ostendit, qui semel & bis reprehensi, perseuerabant cauponantes, & Deo aduersarium* appellan

Infantes facti præcones diuinitatis Christi.

Chrys. in Matth. hom. 68.

Christus bis templum repurgauit à nundinis.

appellantes, cùm debuissent hinc & vires ipsius, & honorem quem Patri tribuebat, agnoscere. Nam & signa tam multa, & verba signis conuenire videbant; dedignabantur tamen inobedientes, neque Prophetam clamantem audiebant, nec infantium præter ætatem præconia percipere poterant. Illi enim tamquam Deo canebant. Quid igitur Iesus his, qui tam manifestis signis & rebus aduersabantur? Acriùs, vt corrigeret, carpsit, dicens: Numquid legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Quam rectissimè, ex ore dictum est: non enim ex mente illorum illa verba procedebant; sed virtute ipsius, tenera illorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur. Quæ res balbutientes tunc Gentes, quæ post ex fide maximè sonuerunt, figuratè significauit, Apostolos quoque nimirum confortauit. Nam ne ambigerent, quomodo rudes homines tantam rem poterant prædicare, hoc infantium exemplo, vniuersa huiusmodi mentis angustia sedari potuit, cùm dubitare nequissent, quin & ipsis facultatem dicendi daturus sit, qui paruulos fecerat eloquentes. Ad hæc natura Dominum, atque creatorem miraculum demonstrabat. Infantes igitur, quamuis natura ætatem non haberent, fausta tamen, & rebus supernis conuenientia decantabant. Ita Chrysostomus.

Quare Christus dicatur perfecisse laudem suã ex ore infantium.

Christus habitus & prædicatus vt Deus.

Non ergo liuoris gratiâ impugno negantes Christum hodie impiis hominibus suæ diuinitatis specimina maxima præstitisse, cùm Chrysostomus liquidò & citra ambages affirmet, ipsos infantes Christo vt Deo cecinisse. Eiusdem etiam sententiæ Ambrosius sic subscribit. *Turba Deum agnoscit, &c. Ergo compugnantibus licet affectibus suis, turba tamen Deum ad templum suum cum laude deducit. Sed templum suum non mercatoris vult esse diuersorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat.* Sistendus etiam est Hieronymus, vtique affirmans in illo repurgio templi Christum se præstitisse Deum, radiis ex eius facie micantibus, qui indices erant humanitati insitæ deitatis. Sic ille: *Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sænientibus, & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum quiddam & sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie. Cumque manum non audeant iniicere sacerdotes, tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum, qui clamabant: Hosanna filio Dauid, vertunt in calumniam, quod videlicet hoc non dicatur nisi Filio Dei* Hactenus ille, palàm faciens Christum se probasse Deum, quamuis ancipitem fecerint eius dignitatem Scribæ & Pharisæi.

Ambr in Luc. cap. 19.

Hieron. in Matth. 21.

Christo eiiciente mercatores è templo radius diuinitatis ex facie eius emicuit.

Cathedræ euersæ fuerunt sacerdotum.

Ad aliam partem tituli me accingo, licet iam aliquid in gratiam eius prælibarim, dicens Christum subiisse templum vt infirmorum ædes. Cõsule Hilarium, & rescies eum mihi præiuisse, & fuisse eiusdem mecum sententiæ; scilicet cathedras vendentium columbas fuisse sacerdotum. In eo nempe literali sensu ponit fundamina mysterij, quod ille in eo negotio meditatur, suspicans hîc notari simoniam sacerdotum, qui dona Spiritus Sancti faciunt venalia. Profectò nutaret illa allegoria, si literaliter illæ cathedræ euersæ, non fuissent sacerdotum. Audiendus ille. *Templum introiit, id est, Ecclesiam tradita à se prædicationis est ingressus: à qua primum omnia sacerdotalis ministerij vitia iure potestatis expellit. Reddenda enim ab omnibus gratuita tradiderat, quæ gratuita fuerant consecuti: quia neque emi aliquid per corruptelam sacerdotis, aut vendi, libertas doni debebat admittere. Cathedras autẽ, præcipuè vendentium columbas euertit. Quæ porrò dignitas est in nundinis columbarum? aut quod priuilegium, in auium istarum commerciis reseruatum est: vt vendentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum? Sed in omni loco admonemur, altius verborum virtutes in istiusmodi significationibus continendas. In columba, secundum prophetia exempla, Spiritum Sanctum intelligimus: in cathedris, sacerdotij sedes est.* Series hæc verborum est mystica, notans reuera fuisse sacerdotum sedes, quarum euersio malè impiorum Ecclesiæ sacerdotum cathedris ominatur.

Hilar. in Matth. canone 21.

Quid mysticè significet illa euersio cathedrarum eorum, qui vendebant columbas.

Simili modo commentatus Origenes, satis superque annuit, has cathedras euersas fuisse Sacerdotum, cùm inde capit argumentum diuertendi ad nostrates sacerdotes, vt consulat eorum cathedris, quas similis manet euersio, si conscij sint eiusdem piaculi, quo se sacerdotes obstrinxere, venales faciendo columbas, mercatores sic agentes, & non sacerdotes. Sic Origenes. *Episcopi & presbyteri, quibus credita sunt cathedræ, qui tradunt Ecclesias, quibus non oportet, & constituunt principes, quos constituere non expedit, ipsi sunt, qui vendunt columbas, quorum cathedras Christus euertit. Vnusquisque ergo sedentium super cathedram Ecclesiasticam, & amantium primas cathedras in Synagogis, videat ne fortè sic sedeat in eis, vt veniens Dominus eas euertat, quasi dignas euersione.* Totam hanc negotiationem in tẽplo fuisse sacerdotũ industriam, in lucrum compositam, concors est sententia Sanctorum Patrum, vnde non cunctor explicare, cathedras vendentium columbas fuisse sacerdotum, qui fortè indecorum credidere boues diuendere, at non columbas, quasi pietatis hoc esset facinus, parare egenis vnde litarent. Homines illos anhelos in auri congeriem bellè describit Hieronymus, commemorans technas, quas excogitauere illis in templum nundinis introductis.

Origenes tract. 13. in Matth.

Quare sacerdotes potiùs vendiderint colũbas quàm boues & oues.

Sisto Hieronymum ita fatum. *Hoc primum sciendum, quòd iuxta mandata legis, augustissimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ; maximè festis diebus: taurorum, arietum, hircorum: pauperibus ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus: accidebat plerũque, vt qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitauerunt igitur sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, & non solùm hostias non habebant, sed ne vnde emerent quidem aues, & vilia munuscula. Posuerunt itaque, & nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum, vt nemo vsuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet,*

Industria sacerdotum vt de sacris lucrũ aliquod impunè referrent.

Quid significet Collybista.

haberet, & interdum sortem perderet: excogitauerunt & aliam technam, vt numularios collybistas facerent, cuius verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula. Verbi gratia, frixi ciceris, vuarumque passarum, & poma diuersi generis. Igitur quia vsuras accipere non poterant collybistæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vsuris accipiebant varias species: vt quod in numo non licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coemuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vsuram, & superabundantiam non accipietis. Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem, seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, iuxta quod scriptum est: zelus domus tuæ comedit me; fecit sibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem eiecit de templo, dicens: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Latro enim est, & templum Dei in latronum conuertit specum, qui lucra de religione sectatur; cultusque eius, non tam cultus Dei, quàm negotiationis occasio est. Hactenus ille sacer interpres, eruditè locum istum enucleans.

Quare cathedræ sacerdotum euersæ non appellentur cathedræ sacerdotum

Itaque ex Hieronymo constat, sacerdotes vendidisse illam sacrificiorum supellectilem. Non ergo mea est incongrua sententia, fuisse sacerdotum cathedras euersas. Nec obstat instantia clamans, Matthæum dixisse fuisse euersas cathedras vendentium columbas, & non sacerdotum; quod tamen dicendum fuisset, si constaret has cathedras fuisse sacerdotum. Nempe respõdeo primò, Matthæum consuluisse sacerdotum dignitati, parcendo titulo profanato. Secundò dico, cathedras illas fuisse quidem sacerdotũ, sed quia sacerdotes non agebant partes sui ordinis cœlitus instituti, sed se gerebant vt mercatores, & venditores columbarũ arbitror, & non ineptè, Matthæum homines illos nuncupasse ab officio, cui tunc temporis intendebant: id est, quia sacerdotes velut immemores officij sui, personam agebant mercatorum, eorum cathedræ nominantur ab arte quam profitebantur inibi sacerdotes.

SENSVS LITERALIS.

Scribæ & Pharisæi audiere, diuinitatem Christi altè prædicari in templo, vt hinc inexcusabiles essent.

In hæc verba:

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

CONIECTVRA TERTIA

Ex Lingvis, Et SS. Patribvs.

Deus hominum superbiam frangit vilibus instrumentis.

MOyse incassum sollicitante Pharaonem ad obsequium Dei, Deus ipse suæ iniuriæ vindex acerrimus, Principis huius obdurati animum fregit conducto exercitu muscarum, quæ irruptione facta in palatium Pharaonis, eum induxere ad laxandas Hebræorum turmas in desertum, vt recolit Moyses hoc contextu. *Venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. Vocauitque Pharao Moysem, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro.* Nec musca illa grauis, sed minuti etiam ciniphes adegere magos ad confessionem fortitudinis Domini præpotentis. Ita Moyses. *Erant ciniphes tam in hominibus, quàm in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* Mirare obsecro industriam Dei prosternentis hominum proteruiam humili panoplia. Ille idem Dominus semper sibi constans hodie aggreditur infideles Scribarum & Pharisæorum animos, & quasi irruptione facta in eorum arcem, templum ingreditur editurus illic specimina suæ diuinitatis indubiæ. Vt fieret voti compos præpollens hic Dominus, non doctiores discipulos assumpsit in præcones, non Nicodemo & Gamalieli Magistris in Israël demandauit illam prouinciam: sed puerulis lactentibus illud omne negotium indixit, vt iis supra ætatem clamantibus Iesum esse Deum, stuperent æmuli eius, & agnoscerent illa esse veridica præconia, quæ pangebat diuinitus acta ætas illa tenellula loquax & garrula, effusa in Christi Domini laudes easdem, quas turba proximè decantarat. Infantiũ indoles tacita dũ pendula sugit vber, Christo subeunte templum, oblita matrem, vocalis effecta, vt se totam patri omniũ Christo Domino consecraret. Vnde displicet illa Strabi Fuldensis opinio, negãs pueros illos fuisse infantes, & affirmãs fuisse maiusculos pueros, repetentes encomia auribus excepta populo resonante. Illa nimirum detrahit gloriæ Christi, quæ lactentium laude liquidior, magnum inde capit apud homines incrementum.

Exod. 8.

Ibidem

Pueri Christum laudãtes in templo fuere reuera infantes, lactentes & nõ maiusculi.

Strabus in Glossa ordinaria Matth. 21.

Quare potiùs lactentes encomiastas Christus assumpsit, quã puerulos grandiores.

Adiice nihil fore mirabile, si pueri, quibus per ætatem licuit, voces populi repeterent: hoc enim Echo facit licet inanimis. Et nisi prodigium illic eluceret, Propheta non hoc reposuisset signum Dei in humanis, quòd scilicet cum lactentes laudibus afficerent. Sic Dauid. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Consonant Hebræa, vbi puerculi non lactentes sed sugentes esse perhibentur מפי עוללים ויונקים *mippi ngolelim veionekim.* Id est. *Ex ore paruulorum, & sugentium.* Quippe radicalis ינק *ianak*, sugere significat. Rursus vbi editio vulgata: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Sic habet textus Hebræus: *Ex ore paruulorum, & sugentium, fundasti fortitudinem.* Nimirum עז יסדת *issatha nghoz*, voces sunt, non significantes, *perfecisti laudem*: sed perinde sonant ac, *fundasti fortitudinem*, nec aliud planè significare potest vox יסדת *issadtha, fundasti*, contra tamen morem Hebræorum, quorum lingua ferax multa significata singulis quibusque verbis affricat. Istud vero verbum, nihil aliud planè significat, quàm fundare. Quodque notandum ponitur à Dauide in secunda coniugatione actiua, quàm vocat *Pinghel*, vbi verba vehementiam & singularem quandam energiam contrahunt. Quasi diceret Dauid: Domine illa sugentium laus tibi præcox exhibita, fuit sufficiens fundamentum ad ingerendam fidem tuæ diuinitatis osoribus tuis.

Psal. 8.

Ex Lingvis Hebræa.

Ex lingua Hebræa paruuli laudantes Christũ erant sugentes vbera.

Quid Christus intenderit laude puerorum lactentium.

Rursus est sistendus Hebræus Vatis textus, vtpote idoneus ad probandum intentum meum. Vulgata editio sic exprimit Dauidis præscium eloquium: *Perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & vltorem.* Hebræa dialectus sic effert. *Fundasti fortitudinem propter angustiatores tuos, ad cessare faciendum inimicum.* Nempe voces hæ sunt extremæ אויב להשבית *lehaschbith oieb*, id est, *ad cessare faciendum*

Psal. 8.

ciendum inimicum. Profectò eo intento Dominus lactentes adhibuit in præcones, vt modum imponeret blasphemiis Scribarum & Pharisæorum, qui despicatui habebant Christum, eum velut filium fabri multiplici scommate configentes. Vox Hebræa לְהַשְׁבִּית *lehaschbith*, id est, *ad cessare faciendum*, est infinitiui modi tertiæ coniugationis actiuorum, quæ dicit impulsionem seu actionem ab alio demandatam. Vnde Dauidis ea fuit mens vt diceret, pueros assumendos à Christo Domino, vt eorum encomiis damnati Pharisæi cessarent iactare conuicia, quibus patientissimum hunc Dominum impetebant.

Laudes infantium adhibuit Christus, vt illo obsequio præpararet animos hominum ad fidem suæ diuinitatis.

CHALDÆA.

SYRIACA.

Guido Fabricius in Lexico suo Syrochaldaico.

Syrus interpres, meo intento propitius est תַקֶּנְתְּ תֻשְׁבּוּחְתָא *thaknath theschbuchtho*, id est, *direxisti laudem.* Nempe, תַקֶּנְתְּ *thaknath*, deducitur à verbo תְקַן *thakan*, quod apud Chaldæos, & Syros, significat, aptare, confirmare, dirigere, vt videre est apud Guidonem Fabricium. Itaque ad trutinam Syri interpretis, Christus ad laudes lactentium, aptauit, confirmauit, & direxit animos auditorum, qui fuere dispersi in tres classes hoc triplici significato congruè lineatos. Omnes enim illic astantes, cùm lactentes laudauere Christum, erant fideles, vel dubij in fide, aut penitus infideles. Si infideles, potuere laudibus infantium aptari ad fidem potiori modo, quàm catechumeni, quos Ecclesia variis sermonibus initiat, vt in Christum Deum credant. Hîc namque præter distincta encomia, quibus erudiebantur indocti, accedebat prodigiû præcocis loquelæ in ætate elingui. Si homines confluentes in templum Christi causâ, fidei fuerunt ancipitis, & nutantis, potuerunt infantium præconiis dirigi in diuinitatem Christi, vt in scopum à quo hactenus aberrarant. Demum si in hac frequenti corona populorum plures adfuere fideles discipuli Christi, hi profectò confirmati sunt in ea fide, quam de Christo Deo conceperant, suam admirati fidem admirando lactentium calculo comprobari. Laudes item illas non dirigi tantùm ad applausum triumphantium, vt credidit Maldonatus, componens istam Christi Domini pompam cum triumphis Regum, quibus acclamatur Io Pæan, aut Viuat Rex: Sed præterea spectasse ad diuinitatem Christi omnibus explicandam, liquere potest ex nomine Syriaco, תֻשְׁבּוּחְתָא *theschbuchtho*, quod non laudem tantùm, sed gloriam significat; ita vt laudes illæ à puerulis Christo dictæ non fuerint in gratiam popularis auræ conciliandæ Christo, sed ad gloriam diuinitatis eius liquidò propalandam. Etenim vox illa Syriaca fluit à verbo Chaldæo & Syro שְׁבַח *schabach*, id est, *glorificauit.*

Tres hominum classes audiere Christum laudari ore lactentium.

Ad omnium fidem auditorum profecit laus ex ore infantiû exhibita Christo.

Laudes infantiû ideo exhibitæ vt inde haberetur Christus vt Deus.

GRÆCA.

Græcus interpres eò allusit, ita fatus: *Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον.* Idest, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Verbum *καταρτίζω*, integritatem rei significat. Vnde sic arguo: Laus illata Christo à puerulis sarta tectaque fuit: Ergo illa infantium encomia diuinitatem Christi omnibus explicarunt. Alioquin non perfecta sed hiulca fuisset illa laus, quæ tacitam præteriisset naturam diuinam cum humana coëuntem in Christo. Summa laudum editarum à puerulis fuit: *Hosanna filio Dauid: hosanna in excelsis. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Quia conceptus, educatus, & multos annos egit in Nazareth, ideo dictus est Christus Nazarenus, vt fidem faceret Isaiæ, qui præsciit Christum eâdem nomenclaturâ. Vbi enim vulgata editio fert: *Egredietur virga de radice, Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Textus Hebræus sic habet: *Egredietur virga de stirpe Isai, & Netser de radicibus eius.* Glossa Chaldaica, quam Thargum vocant, ita commentatur: *Egredietur Rex de filiis Isai, & Christus de filiis filiorum eius crescet.* Multi ludunt in radicali nominis huius, & se torquent vt benè coniiciant vnde dicatur Iesus Nazarenus. Quidam deducunt à radice, נזר *nazar*, id est, *separauit.* Separantur autem homines, ratione sanctitatis, vel dignitatis: inde fluit, נזר *nezer*, id est, *corona.* Ab hoc fonte, Nazarenus, perinde est ac homo dignior aliis, sanctificatus, & coronatus. Qui profectò tituli omnes Christum ita decent, vt solus sit illo Nazareni nomine nuncupandus.

Quare Christus est dictus Nazarenus.

Isai. 11.

HEBRÆA.

CHALDÆA.

Nazarenus à duplici fonte Hebræo deducitur.

Non est incongrua nominis deriuatio, vtpote freta auctoritate Hieronymi apprimè versati in lingua Hebræa. Sed quia ille peritus interpres aliam etiam radicem suspicatur, quam indigitat laudando Isaiam, qui Christum vocat, נֵצֶר *netser*, & liberum vnicuique relinquit eligendi, dico Christum appellatum esse Nazarenum, à ciuitate Nazareth. Ciuitas illa Hebraicè vocatur à Matthæo, נָצְרַת *natsrath*: Syriacè verò נָצְרַת *notsrath*. Et quotiescumque incidit mentio Christi vt Nazareni, apud Hebræos scribitur per צ *tsade*, & non per ז *Zain.* Namque Hebraicè Nazarenus est נָצְרִי *notsri*; Syriacè verò נָצְרָיָא *notsroio*. Vnde liquet radicalem esse נָצַר *natsar*, id est custodiuit, seu præseruauit à corruptione. Et hoc reuera quadrat Christo, qui solus est mediator redemptionis nostræ, licet Sancti queant dici mediatores participatiuè, vt patroni agentes causas hominum pœnitentum. Sed seipso præseruare à corruptione proprium est Iesu Nazareni, aliis omnibus hominibus sepositis, & discretis ab hac dignitate. Apud Syros נְצַר *natsar*, Perinde est ac auxiliatus est, ita vt Nazarenus, idem sit ac adiutor. Quàm benè hæc nomenclatura Christo conueniat, vnicuique patet: quippe rebus deploratis opportunus adiutor extitit, iuxta Vatis præsagium. *Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Nazarenus apud Hebræos quid significet.

SYRIACA.

Nazarenus apud Syros quid sonet.

Psal. 45.

Vulgata editio Christum recolens, vocat eum Iesum Nazarenum: sed vt inducit eum prædictum à Prophetis, vocat eum Nazaræum, vt legere est in Matthæo, sic commemorante Christum: *Veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Eadem editio canonica hoc discrimen ponit inter Nazaræum, & Nazarenum, quòd Nazaræus hominem significet Domino consecratum: Nazarenus verò hominem ortum à Nazareth. Græcus interpres vtramque vocem eodem modo effert. Nempe Ναζωραῖος significat & Nazaræum, & Nazarenum. Itaque turbæ & pueruli in templo clamantes Iesum esse Prophetam à Nazareth, multa elogia indubiè hoc nomine concluserunt. Vndeuis enim deducatur vox illa, Nazarenus; est fœta pluribus elogiis petitis à verbis נזר *nazar*, & נצר *natsar*: ita vt sensus literalis adæquatus iste sit elogij huius: Hic est Iesus propheta, non qualiscumque, sed is qui à Deo Moysi promissus est desideratus cunctis Gentibus, vt desiderium collium æternorum. Ille est Nazaræus ita Deo sacer, vt mundus in eo nihil omnino suum queat aduertere. Nescius nempe næui sanctus

Matth. 2.

Sensus literalis adæquatus laudum quas pueruli in templo detulere Christo.

sanctus est, & ea sanctitate, quæ influit in omnes homines sanctitate conspicuos, qui suas omnes coronas idcirco deponent in crepidine solij huius sancti sanctorum euehendi supra choros etiam Angelorum. Hic est Iesus vnus Dei & hominum mediator, solus adiutor opportunus homini, in quem fuerat antea conclamatum.

Quare à Deo edantur miracula.

Porro hoc ego indubium credo, voces infantiũ, vt fuere Deo auctore effictæ, nihil nisi ad diuinitatem Christi pertinens, hominum auribus insonuisse. Nempe miracula eduntur in signum diuinitatis & gloriæ summi Dei, vt ipse Dominus Iesus ait, curaturus cæcum à natiuitate. Sic ille beneficus procreator oculorum, quos natura nouercans illi homini denegarat: *Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Cùm ergo Christus apertè se dixerit esse Filium Dei, & in argumentum veritatis huius, pueruli lactentes, & penduli de sinu matris, oracula ætate fuderint immatura; & miracula non fiant ad adstruendum mendacium; bellè ait Propheta, Deum ex ore infantium & lactentium perfecisse laudem suam. Imò arbitror hoc infantium suaue melos fuisse mercatoribus vt tonitru, quo perculsi sacrilegi homines acti sunt in fugam, vtpote malè sibi conscij, ob sacras ædes suo iniquo commercio profanatas. Quippe loquelæ præcocis indicio audiere adesse Dominum templi, vltorem iniuriæ, suis sacris ædibus illatæ, nec tam cessere flagris, quam vi diuinæ, vitia castiganti.

Ioan. 9.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron. in Matth. c. 3.

Prælibata interpretatio, recludens quare Christus dicatur in Scripturis Nazaræus & Nazarenus, vadem habet Hieronymum, commentatum locum illum Matthæi: *Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt impleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Sic ille apprimè eruditus in dialecto Hebræa: *Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret: quod dictum est per Prophetas; sed simpliciter: Quod dictum est per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaræus sanctus interpretatur: Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. Possumus & aliter dicere, quod etiam iisdem verbis iuxta Hebræos in Isaia scriptum sit: Exiet virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius conscendet.* Hactenus ille, subindicans posse dici Christum esse Nazarenum à verbo, נצר *natsar*, vnde deducitur נצר, id est, *flos*, quo nomine etiam Dominus ille designatur in Canticis, appellatur flos campi, & lilium conuallium. Nazareth reuera locus floridus fuit Mariæ incolatu, cuius lectulus floridus Christum velut apem cœlitus aduocauit. Ita Bernardus. *Apis est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad suaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit, illi insedit, illi adhæsit.*

Christus apis floribus capitur.

Bernard. ser. 2. de Aduentu.

Rursus dicere Iesum esse Prophetam à Nazareth Galilææ, perinde esse ac edere diuinitatis eius validum argumentum, eruditè docet Bernardus, sic decurrens in alea quæ nos iam exercet. *Nazareth interpretatur flos. Videtur autem mihi quoddam semen fuisse diuinæ cogitationis tamquam è cœlo iactatum in terras, allocutiones, & promissiones factæ cœlitus ad patres, Abraham scilicet, Isaac, & Iacob, de quo semine scriptum est: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Floruit autem hoc semen in mirabilibus; quæ ostensa sunt in exitu Israel de Ægypto in figuris, & ænigmatibus per totum iter in deserto vsque in terram promissionis, & deinceps in visionibus, & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotij vsque ad Christum. Christus autem huius seminis & horum florum non immeritò fructus esse intelligitur; dicente Dauid: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. In Nazareth ergo nuntiatur Christus nasciturus: quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Vnde & Nazaret ciuitas Galilææ dicitur, id est, transmigrationis: quia nascente Christo, omnia illa transierunt, quæ superiùs enumeraui.*

Bernard. homil. 1. sup. Missus est.

Christus finem impõsuit figuris Hebræorũ.

Non erit ineptum eius opus, qui meditabitur hodie infantes identidem insonantes Iesum à Nazareth, vt apes in floreto circumstipantes florem afflantẽ insignẽ fragrantiam. Vt enim præfatus sum, pueruli diuino flamine perciti, Deum subodorantes in homine, præteriere leges tacitæ infantiæ, vt Christum esse Deum omnibus explicarent. Et huic intento fauet iste Bernardi contextus, editus in gratiam Iesu Nazareni. *Nazarenus florens interpretatur. Vitis ergo nostra Christus, id est, Nazarenus, id est, salutaris, vncta & florens, qui non attraheret omnes, qui salutem, gloriam, diuitias, vel delicias concupiscunt? Venient omnes ad vitem hanc. Dabit enim Iesus salutem, quia salutaris est: dabit Christus regnum, in quo gloria cum diuitiis habetur, quia vnctus est, quod propriè ad Reges pertinet: dabit Nazarenus delicias, quia florens est. Quid enim iucundius flore? Multi autem, imò omnes, id est, omnium virtutum flores in nostro Nazareno sunt, quarum delectabili odore totum mundum trahit post se. Nam qui veniunt ad ipsum propter humilitatem, violæ eius sequuntur odorem: qui propter castitatem, lilij: qui propter charitatem Passionis, rosæ: qui propter abstinentiam, croci sequuntur odorem. His ergo virtutibus optimi Iesu Christi vbique prædicatores, tanquam quodam pretioso vnguento effuso attraxerunt odorem eius, & adolescentulæ odore eius mirifico delectatæ cucurrerunt post vnctum Iesum. Et adhuc nimirum clamantes currunt in toto corde suo: Trahe nos post te, vt curramus in odorem vnguentorum tuorum: scientes quòd neque volentis, neque currentis, sed solius Dei miserentis est. Superat autem omnes odores omnium virtutum vncti Iesu, odor Crucifixi, vbi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit.* Hactenus ille, cui ego annuens, dico, puerulos sæpius ingeminasse Iesum esse à Nazareth, vt vel sic indicarent, quàm suaueoleret ille flos consitus in Nazareth, loco qui suo significato florilegium sapit, vnde emersit iste flos diuinitatem afflans.

Bernard. lib. de Passione Domini c. 41.

Egregius discursus in gratiam Iesu Nazareni.

Vox illa Nazarenus spirat quid suaue pelliciens omnes animas ad imitationem virtutum Christi.

Non est tacitus in isto argumento prætereundus Euthymius, de hoc infantium præconio opportunè, & veraciter elocutus. Sic ille: *Stupore plenissimum est hoc miraculum. Tunc enim chorus puerorum lactentium clarè loquutus est. Siquidem non simpliciter pueri erant, sed pueri infantes ac lactentes. Perfecisti verò, id est, perfectã ex imperfecto ore fecisti. Benè autẽ dixit: Ex ore*

Euthymius cap. 46. commentarij in Matth.

SENSVS LITERALIS.

Turba conclamantes in triumpho Christi, eum prædicauere Ierosolymitis vt Messiam & Deum.

In hæc verba:

Populi autem dicebant: Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galilææ.*

CONIETVRA SECVNDA

EX LINGVIS.

TVrbæ concrepantibus buccis effusæ in laudes Christi, multa edidere encomia ingrata auribus Pharisæorum, qui velut impotes sui, ita Christum adorsi sunt: *Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* (Luc. 19.) Vulgata editio satis superque clamat, Christum fuisse à populis habitum vt Messiam: Abulensis acriter hoc impugnat, sed ineptè: namque tacente vulgata editione nostra Latina, aliæ linguæ clamabunt, turbas agnouisse Christum, & eum prædicasse vt Messiam. Lingua Hebræa prior expediet illam veritatem, petito argumento à nomine Christi, quod apud Hebræos est יהושע *iehoschuangh.* (Ex Linguis. Hebræa.) Sic enim lineantur in Codice sacro nomina Iesu Naue, & Iesu Iosedech, quos nemo inficiatur fuisse typos Domini nostri Iesu Christi, qui proculdubio Hebraicè debet sic efferri, cùm nomen eius Græcè redditum exprimatur iisdem notulis, quibus Septuaginta interpretes reddidere nomina Iesu Naue, & Iesu Iosedech, quorum vbi mentio occurrit, ita nomen Iesu Græca nomenclatura donant, Ἰησοῦς. (Nomen Iesu quid significet apud Hebræos.) Vnde quia eadem dictio Græca vsurpata à priscis auctoribus consciis linguæ Hebrææ, repetitur à Græcis in gratiam Christi, proculdubio vox Hebræa Christum denominans eadem est, quæ communis fuit Iesu Naue, & Iesu Iosedech, sed significatio eiusdem nominis est Christo Domino singularis: quippe יהושע *iehoschuangh* perinde est ac Saluator, à radice ישע *iaschangh*, id est, saluauit.

Vulgo tamen Christus appellatus est ישוע *ieschuangh* vt Syrus interpres probat suo exemplo, semper hoc nomine Dominum Iesum indigitans. (Syriaca. Chaldæa. Nomē Iesus quid significet apud Syros.) Fuit autem lingua Syriaca vernacula turbis, quæ Christo Iesu tunc temporis applaudebant, ac proinde suo idiomate Syro, ita Christum Dominum appellarunt. Vox illa surculus est radicis Syriacæ & Chaldaicæ ישע *iaschangh.* Id est, saluum fecit, seruauit. Adiicit Guido Fabricius, eamdem vocem, quæ significat Iesum, vsurpari etiam pro redemptione, ita vt ישועה *ieschuangh*, perinde sic ac Iesus, & redemptio. Cùm ergo turbæ clamabant: *Hic est Iesus Propheta;* hoc profectò referre voluerunt: Iesus iste salus est, & redemptio nostra promissa à Moyse, nomine Prophetæ suscitandi ex semine Abrahæ. Concinit Apostolus, Christum nuncupans redemptionem nostram. (1. Cor. 1.) Sic ille: *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.*

Rursus, turbæ identidem repetentes osanna, (Quid significet osanna.) liquidò professæ sunt, se credere Dominum hunc esse Messiam. Illa nimirum vox aliud planè significat, quàm id quod intellexerunt Hilarius, Augustinus, & Euthymius, qui non callentes idioma Hebræum decepti sunt. Vox illa Hebræa est הושיע אנה *hoschiangh anna, salua obsecro* seu mauis: *Redime quæso.* (Maldon. in c. 21. Matth. versu 9.) Est enim vox illa Imperatiui modi coniugationis *hiphil*, id est, coniugationis tertiæ Hebræorum à radice præfata ישע *iaschangh*, id est, saluauit, seu redemit. Vnde etiam hallucinatus est Maldonatus, voces illas sæpè repetitas affirmans nil aliud insinuare, quàm faustam precationem Christo. Si enim, inquit ille, voces illæ significarent, *salua nos*; turbæ Christum agnouissent vt Redemptorem; quod tamen non concedit ille, negans illis turbis tantam de Christo notitiam fuisse à Deo concessam. Proximo titulo agam contra Maldonatum, & conducam Patres Ecclesiæ proceres in gratiam meæ sententiæ. (Ratio valida suadens turbas concinentes Christo, eum agnouisse vt Redemptorē & Messiam.) Nunc ratione arietandum est contra Maldonatum. Turbæ illæ gestientes, & concinētes hosanna, fuere ex discipulis Christi, vt probaui ex Luca sic recolente triumphum Christi: *Cœperunt omnes turba discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna, &c. dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Si erant hi populi discipuli Christi, profectò ille se eis aperuit: omnes enim catecheses Christus à sua diuinitate auspicatus est, ita vt prima fidei rudimenta fuerint credere Iesum esse Filium Dei, & Messiam. Ne multus sim in exemplis, tria tantùm promam. Primum erit mulieris Samaritanæ libidini assuetæ, quam beneficus ille Dominus conciliare volens sibi, ait illi se Messiam esse. Ita Ioannes recenset historiam. (Ioan. 4.) *Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cùm ergo venerit ille, nobis annũtiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Nec illam duntaxat mulierem Christus tanta dignatus est gratia, vt se proderet esse Saluatorem mundi, sed toti Samariæ se beneficum præstitit, fidem illi populo impertiens, vt pergit Ioannes explicare. (Ibidem. Samaritanis Christus prædicat se esse Saluatorem mundi.) *Cùm venissent ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est Saluator mundi.*

Si ergo biduo totam ciuitatem Christianam fecit, se vt Saluatorem prodens populo illi nequam schismatico, & disiito à Iudæis; profectò incongruum est negare, eumdem Dominum suis illis discipulis, qui turmatim sequebantur eum, aperuisse suam deitatem. Nec sibi constat Maldonatus immemor eorum quæ dixit. Nempe in calce eiusdem versus, vbi negat turbas credidisse Dominum Iesum esse Deum, & Redemptorem, vel inuitus meæ subscribit sententiæ, expendens has populi voces: *Benedictus qui venit in nomini Domini.* (Matth. 21. Maldon. in c. 21. Matth. versu 9.) Sic ille commentatur. *In nomine Domini venire dicitur non solùm vt plerisque interpretibus visum est, quia à Deo missus veniebat: sed etiam quia personam gerebat Dei, qui per eum populum suum visitabat.* Profectò ista & præcedentia non cohærent, vbi impugnat opinionem eorum, qui sentiunt turbas clamando hosanna voluisse idem resonare ac, Salua nos quæso. En censuram Maldonati. *Huic sententiæ multa repugnant. Primum quod non videatur turba tunc tantam de Christo opinionem habuisse, vt verum Deum, ac Redemptorem esse crederet.*

deret. Miror in eodem versiculo enucleando hominem eruditum esse discolorem. Sed quare turbæ illæ assiteæ Christo, vtpote sequaces eius, non de eo altè sentirent; cùm, vt præfatus sum, Samaritani viri nebulones statim prædicarint Dominum Iesum esse Saluatorem mundi.

Cæco illuminato Christus, ait se esse Filiū Dei.

Nonne & cæcus ille oculorum compos effectus à Christo, adscitus in numerum discipulorum eius, fidei suæ incunabula fecit professionem diuinitatis eius, qui nouos oculos ingesserat lumini peruios? Prima namque thesis proposita cæco, lumini restituto, fuit de diuinitate sui Medici salutaris, qui eum sic affatus est, vt Ioannes testis oculatus commemorat, illam recolens historiam, hoc tenore. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit. Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procedens adorauit eum.* Nec tantùm discipulis suis Christus palàm fecit suam diuinitatem, sed Scribis & Pharisæis æmulis suis affirmauit se esse vnigenitum Dei, vt liquidò est hoc contextu Ioannis. *Ego, & Pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi Filium Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Si ergo suis osoribus acerrimis Christus non abdidit infulas suæ diuinitatis, vt eos ad suum pelliceret obsequium, inepta sanè est illa sententia, quæ affirmat sequaces Christi ignorasse eum; quippe absurdum est, esse discipulum Christi, & nescire Christum, qui suos semper inaugurabat discipulos, ingerendo eis notitiam suæ diuinitatis.

Ioan. 9.

Ioan. 10. Christus Scribis & Pharisæis prædicat se esse Deum.

Propheta quid significet apud Hebræos. HEBRÆA. GRÆCA. *Propheta quid significet apud Græcos.* *Plato in Themas. de def. orac.*

Non erit abs re aduertere, turbas, dum tripudiantes acclamabant Iesum esse Prophetam, potuisse præter prophetiam illud intelligere, quod vox Hebræa sonat: nempè הנביא *hannabi* perinde est ac Propheta, & vir Dei. Ita vt acclamationes turbarum sonent, Iesum Nazarenū esse virum Deo Patre satum. Habet & Græcus interpres vocem, cui suus quoque lepos inest. οἱ δὲ ὄχλοι ἔλεγον, οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ προφήτης. Id est. *Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta.* Nota, dictionem Græcam, quæ Prophetam significat, vsurpari à Platone & Plutarcho pro Antistite, ita vt προφήτης sit perinde ac Antistes. In eo sensu turbæ exauctorabant Pontificem Hebræorum, vt vmbram istius Antistitis, qui verè Magnus est Pontifex, quo præsente Pontifex Hebræorum scidit vestimenta sua, vel inuitus ominans Synagogam suo excidere Pontificatu, vt cederet isti Summo Pontifici, quem Paulus meminit hoc contextu: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Hebræ. 4.

Ex præfatis liquet, omnia conspirare in gratiam fidei populorum, qui vt discipuli Christi stipabant Dominum illum suum hodie triumphantem, cuius gloriæ vt litarent hi populi, recensuere titulos omnes, maiestati Christi Domini suffragantes: in quibus nomina Messiæ, & Filij Dei principatum tenent, & ambo congruè designantur illa voce, *hosanna in excelsis*, quam Maldonatus ait facessere sibi negotium. Vnde & se torquet discutiendo particulas grammaticales dicens; in excelsis, perinde esse ac de excelsis, ita vt sensus turbarum sit: Domine Deus de excelsis serua Iesum Regem nostrum. Non miror Maldonatum si desudat: nempè mouet frustra lapidem omnem, vt probet vocem, *Hosanna*, non exprimere affectum turbæ desiderantis pectore anhelo saluari à Messia, cùm tamen Sole ipso clariora sint vota illius populi iubilantis, & cuius ecce suaue melos. *Hosanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.* Dicere, *hosanna Filio Dauid*, est omnia fausta precari Christo, vt Messiæ oriundo ex Dauide. Quia autem Messias ille Deus erat; turbæ non immemores sui, orauere Deum in humanis, vt non salutem temporalem, sed illam quæ erat desuper impertiret. Ita vt, *Hosanna Filio Dauid*, sit votum pro Christo homine & Messia: & *hosanna in altissimis*, sit votum ad Christum Deum, vt sequaces suos compotes efficiat regni cœlestis; ac proinde patet, hos populos, quos Lucas nuncupat turbas discipulorum Christi, eum agnouisse & Messiam & Deum verum, quidquid contra resonent Abulensis, & Maldonatus, quibus oppono Patres Ecclesiæ proximo titulo recolendos.

Quare turbæ hosanna applicuere Christo, illi applaudētes & postea illud idem hosanna applicuere sibi. Matth. 21.

SENSVS LITERALIS.

Quamuis populi conclamarint Iesum esse à Nazareth Galilææ, hoc non obstat, quin crediderint eum esse Messiam, atque Deum verum.

In hæc verba:

Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.

CONIECTVRA TERTIA.

EX SS. PATRIBVS.

Conclamantibus turbis in insigne decus & gloriam Christi triumphantis, echo suas vices egit editis vocibus annuendo: quippe populo resonante in radice collis, cui Ierosolyma ciuitas incubat, vox refracta sonos edebat multiplices. Sancti Patres, qui pietate & doctrina eminent aliis, habentur vt montes Ecclesiæ. Vbi ad hos montes pertigit vox illa populorum, professa Iesum esse Messiam, & vnigenitum Dei; montes illi consoni turbis, in gratiam Domini Iesu simili etiam tono illico resonarunt. Nempe locupletes illi Scripturæ sacræ interpretes vt rem indubiam credunt, diuinitatem Christi illis populis affulsisse, & eos Spiritu Sancto afflatos, illa Christi encomia protulisse. De Spiritus Sancti aura luculentum est testimonium Chrysostomi, antea recensitum. Sic ille: *Spiritus subitò ingressum*

Ex SS. PATRIBVS. Chrys. in c. 21. Matth.

sui in eos, veritatis verba fundebat. Itaque constans est, populum illum cœlitus eruditum, fudisse laudes, quæ ad diuinitatem Christi Domini pertinebant.

Christus habitus & prædicatus a populis vt Messias.

Vtrumque autem populus ingessit de Christo, videlicet eum esse Messiam, Deumque, penes quem erat omnis hominum salus. Messiam dixit, cùm sciscitantibus de Domino triumphante, sic respondit: *Hic est Iesus, Propheta a Nazareth.* Ibi enim Propheta perinde est ac Messias, vt aduertit Hieronymus, ita commentatus: *Propheta, quem & Moyses similem sui dixerat esse venturum.* Dicebat quidem turba discipulorum, Christum esse Prophetam illum diù expectatum, vt à nomine communi aliis etiam viris sanctitate conspicuis auditores ad eius diuinitatem assurgerent. Ita Hieronymus: *Aliis autem vel ambigentibus, vel interrogantibus, vilis plebecula confitetur, a minoribus incipiens, vt ad maiora perueniat.* Quasi diceret, plebem prædicasse Dominum Iesum esse suprà hominem, vt inde liqueret eius diuinitas eis, qui altioris scrutinij obsequio se præstarent dignos illo arcano. Tripudiantis verò populi mentem fuisse, annuntiare Christum vt Messiam, & Deum Redemptorem, pergit Hieronymus ostendere, dicens, illos versus, qui in ore populi resonabant, petitos esse à Psalmo composito in Messiæ argumentum. Audiendus ille. *Dico de centesimo decimo septimo Psalmo, qui manifestè de Christo prophetat, & in Synagogis Iudaeorum creberrimè legebatur, vnde & populis notior erat, hos versus esse assumptos; quod ille, qui repromittebatur de genere Dauid, venerit saluaturus Israel, dicente Dauid. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli. Vnde & Euangelistarum Scriptura commemorat, Pharisæos & Scribas super hoc indignatione commotos, quod viderent populum, Psalmi Prophetiam super Christo intelligere completam, & clamantes pueros, hosanna Filio Dauid, dixisse ei: Audis, quid isti loquuntur? Et Iesum respondisse: Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, &c. Vbi nos legimus in Latino: O Domine saluum me fac, ô Domine benè complace: Benedictus qui venit in nomine Domini, iuxta Hebræum sensum legere possumus? Obsecro Domine, saluum fac, obsecro Domine prosperare: Saluum autem fac, dicitur, vt subaudiamus, populum tuum Israel, siue generaliter mundum. Denique Matthæus, qui Euangelium Hebræo sermone conscripsit, ita posuit* הושיענא ברמה *hoschiangh na berama, id est, hosanna in excelsis: quod Saluatore nascente, salus in cælum vsque, id est, etiam ad excelsa peruenerit, pace facta non solum in terra, sed & in cælo: vt iam dici aliquando cessaret: Inebriatus est gladius meus in cælo.*

Hier. in c. 21. Matth.

Ibidem.

Hier. epist. 145. ad Damasum to. 3.

Luculenta expositio huius vocis hosanna.

Christus à turbis agnitus vt Deus.

Non ergo benè affirmat Maldonatus, voces illas, *hosanna in excelsis,* esse vota populi deprecantis Deum vt saluum faceret Regem illum triumphantem: cùm Hieronymus probè callens idioma Hebræum, illas voces explicet de salute, quam populus ille à Christo Domino deposcebat. Vnde patet, Christum habitum fuisse à populis vt Deum. Nempe Dei tantùm erat reserare cœlos, quos Adami labes occluserat. Hanc turbarum fidem subindicat Gregorius ille Magnus, decurrens obiter illum locum, vbi licet allegoriam sapiat eius explicatio, non erit abs re eam recensere in subsidium meæ sententiæ, quæ affirmat, voces illas, *hosanna,* perinde esse ac salua nos, & subodorari in Christo infulas altè reconditæ deitatis. Sic ille: *Qui præibant, & qui sequebantur, clamabant hosanna. Præcessit quippe Iudaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi: siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui in Ecclesia nunc existunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt, qui præeunt, & qui sequuntur, hosanna clamant. Hosanna autem Latina lingua, salua nos, dicitur. Ab ipso enim salutem, & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur; quoniam vna spes, vna fides est præcedentium, atque sequentium populorum.* Hæc ille, quasi significans populos illos Christi encomiastas, illud idem de eo sensisse, quod & nos confitemur, Ecclesia desuper edocente.

Quare turbæ dixerint hosanna in altissimis.

Gregor. ho. 18. in Ezec.

Nota ex Luca, præter turbas aduenas, quæ Christum stipabant, exiisse obuiam illi alias turbas de ciuitate, quæ ab aliis eruditæ, Christum vt Deum exceperunt, licet eædem turbæ, huiusce professionis immemores, fidem postmodum abiurarint. Vt enim Saül inter Prophetas agebatur spiritu prophetico; ita & turbæ Ierosolymitæ, sociatæ turbis discipulorum, statim illibatæ fidei spiritum ebiberunt. Fauet Ambrosius hoc contextu. *Pulchrè secundùm Lucam turbas laudantes Deum ad descensum montis occurrisse legimus, vt operatorem mysterij spiritalis significarent sibi venisse de cœlo. Turba igitur agnoscit Deum, Regem appellat, prophetiam repetit: Hosanna Filio Dauid, hoc est, Redemptorem domus Dauid, expectatum quoque secundùm carnem Dauid Filium venisse declarat: & hoc turba illa post exiguum crucifixura momentum. Verè memorabile diuinæ operationis insigne, vt aduersum se testimonium extorqueatur inuitis, cùm Deum negant affectibus, quem vocibus confitentur.* Vides quàm meritò impugnem Maldonatum, & Abulensem, negantes Christum fuisse agnitum à turbis vt Deum: cùm id tamen ex Patribus liquidò comprobetur.

Luc. 19.

Ambr. in c. 19. Luc.

SENSVS LITERALIS.

Christus annuendo professioni fidei editæ à turbis, templum ingreditur, vbi suæ diuinitatis exhibet argumenta.

In hæc verba:

Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit; & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eũ cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Christus instante Passione sua maiora misericordiæ edidit argumenta.

Philosophia rimans cuiusque rei naturam, obseruat motum omnem violentum in fine fa-

tiscere, naturalem verò qui ad centrum fertur, in progressu nouos colligere impetus. Huic Philosophico effato fidem fecit hodie Dominus Iesus, cui vt misericordia naturalis erat, instante Passione, ad quam vt ad centrum properabat, miserationis suæ maxima edidit argumenta. In his illud singulare fuit, quòd se Messiam & Deum omnibus palam fecit, conductis etiam turbis, illud ipsum concrepantibus buccis apertè fatentibus. Namque penes illam Christi Dei notitiam erat cardo fidei Christianæ, necnon & vita æterna, vt Christus ipse ait, sic affatus Patrem suum: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Christus antea multifariàm adstruxerat illam suæ diuinitatis fidem; sed quia iniquos patiebatur æmulos, Scribas scilicet, Pharisæos, & principes sacerdotum, ingruente morte specie triumphantis ingressus est Ierosolymam, inuitis æmulis ipsum esse Deum populo personante. Vtque liquidior esset illa professio diuinitatis eius, ad templum illico se contulit magnificus ille triumphator, vt in ædes suas, quas vt sibi sacras ostenderet, inde flagello amandauit omnes illic vendentes & ementes, quasi suam propulsans iniuriam. Etenim vt Dominus templi, suas partes egit, cùm eiecit omnes homines iniurios domui suæ: fiebat autem iniuria templo ab ementibus & vendentibus, quia sic templum habebatur vt platea profanis vsibus assueta. Et reuera Deum se præstitit, ineffabili virtute sua repurgando templum, & protrudendo foras nundinatores, & eorum merces nemine reluctante. Quamuis enim Gens illa lucro dedita supra modum, magnam faceret iacturam ex euersione tabularum, quibus prostabat pecunia populo commodanda; nemo tamen prætexens iniuriam sibi factam, in Christum Dominum insurrexit.

Ioan. 17.
Quare Christus ingressus est Templum pollutum à nundinantibus.

Rursus, quando domum suam dixit templum, nonne se apertè Deum confessus est? Boues, oues, columbas, & omnem sacrificiorum supellectilem eiecit de templo, vbi se Deum exhibuit, vt ostenderet imminere deliquium Synagogæ, & eam fore sine Sacris, & instare tempus, quo Ecclesia suffecta in locum Synagogæ gauderet templo, vbi Christus ipse hostia esset & sacerdos. Et hoc ille satis innuit, sic increpans sacrilegos homines: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur.* Nota, hoc scriptum esse ab Isaia lineante typum Ecclesiæ conuocatæ de populis aduenis. Ecce præsagium Vatis desuper afflati, & Dei personam induentis. *Filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos, &c. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Christus figuratus hostiis Iudæorum, pecudes omnes hodie è templo pellit, futurus ipse post quinque dies victima, pro omnibus immolanda. Vt autem liquidior esset demonstratio diuinitatis, quam Dominus ille mentibus ingerebat; ibidem cæcorum oculos aperuit, & curauit claudos, sic probans se esse suprà naturam, quia membra reformabat, vbi nouercans natura defecerat.

Quare Christus eiecerit, oues, boues, & columbas de Templo.

Matth. 21.

Isai. 56.

Aduerte obiter placere sententiam, quæ negat ementes & vendentes fuisse in templo, sed adstruit eos fuisse in atrio, seu porticu Salomonis; quia, inquit, in atria fas erat profanis hominibus adstare, at in reliquis templi partibus aditus erat tantùm liber sacerdotibus. De bobus & ouibus veridica est sententia; siquidem incongrua res illa fuisset pecudes fimo conspurcare sacras ædes: nec dicitur Christus eiecisse boues & oues de templo, sed ementes & vendentes, qui profectò fuere sacerdotes ipsi diuendentes ea, quæ ad sacra pertinebant, vnde stat sententia innixa ritibus Hebræorum, quibus interiorem partem templi adire nefas erat, nisi sacerdotes essent. Cùm ergo sacerdotes ipsi perquàm cupidi essent lucri, ipsi diuendebant ea, quæ spectabant ad sacrificia, vt columbas; quippe egressi de sanctuario suo occurrebant populo meditanti sacra facere, & fidelibus dispensabant ea, quæ spectabant ad cultum Dei, coëmpta tamen ære præsentissimo, quod si non suppetebat, mutuò accipiebant à numulariis, qui eas excogitauere technas, quas infrà recensebo ex Hieronymo, cùm referam sententias Patrum.

Maldon. in 21. Matth. versu 12.

Ementes & vendentes non erant in interiori parte Templi, vbi sacerdotes soli sacris intendebant: sed in atrio seu porticu Salomonis.

Itaque sacerdotum fuit omne piaculum, in quod hodie Christus inuehitur: namque sacrificuli anheli in sordida compendia ditescendi, inducebant in atrium pecudes idoneas sacris, vt facta copia victimarum, populus vel inuitus sæpius hostias aris imponeret, & sic auaritiæ sacerdotum fomitem adhiberet. Vnde beatus Bonauentura eruditè conijcit, nequitiam sacerdotum fuisse præcipuam causam excidij templi huius. Sic ille: *Attendendum quòd Dominus statim post annuntiationem excidij Ierusalem, intrauit ad Templum purgandum, vt ostendat quòd maxima causa destructionis eius fuit peccatum sacerdotum.* Hanc ciuitatis ruinam Propheta veridicus etiam refudit in auaritiam sacerdotum & Doctorum, ita vaticinans. *Audite hæc, principes domus Iacob, & iudices domus Israël, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & Propheta eius in pecunia diuinabant, propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & Mons Templi in excelsa syluarum.*

Bonau. in c. 19. Luc.

Mich. 3.

Nec duntaxat hodie Christus abstinuit ingressu partis interioris templi; sed nusquam tentauit illuc introire, vtpote oriundus de Tribu Iuda, ad quam non pertinebat liber aditus in penetralia Templi. Vt ergo constet vnicuique de veritate historiæ Euangelicæ, quæ sæpè recolit Christum in Templo docentem, & prodigia perpetrantem, operæpretium est scire, templum Salomonis editum fuisse ferè adinstar tabernaculi Moysis, quod erat veluti domus Deo sacra, vt habetur in Exodo. Erat præfata domus illa bipartita. Pars ad occasum vergens erat longitudinis decem cubitorum, & totidem latitudinis, ac proinde hæc ædium sacrarum portio quadra fuit. Pars altera Orientem spectans, & qua peruius erat aditus, porrigebatur ad viginti cubitos longitudinis, latitudine verò & altitudine decem tantùm cubitos adæquabat. Prior pars quadrangula sita ad occasum dicta fuit Sancta Sanctorum. Altera verò longior, & proximè recensita nuncupata est, Sanctum, seu Sanctuarium. Vtrãque partem diuidebat velamen pendulum è postibus, & columnis quatuor. Aditus ad Sanctorum, vel tantùm Summo sacerdoti liber erat, idque

Quomodo verum sit Christum ingressum in Templum cum non fuerit sacerdos generis Leuitici.

Exod. 26.
Exquisita descriptio tabernaculi Moysis, ad cuius ideam effictum est Templum Salomonis.

idque semel in anno in die expiationis, & hoc ritu singulari sanguinis aspersi. In alteram partem, quam diximus vocari Sanctuarium, & quam Paulus priorem vocat, quia eius obsequio Pontifex introibat in Sancta, hi tantùm intrabant sacerdotes, quibus ex officio aut forte competebat ministrare. Vnde Leuitis erat aditus interdictus in Sanctum. Vtriusque huius partis meminit Paulus hoc contextu. *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, &c. In priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem, semel in anno solus Pontifex.* Hactenus Apostolus, apprimè eruditus in schola Iudæorum.

Hebr. 9.

Vtriusque olim tabernaculi Moysis aditus interdictus est Leuitis.

Vt maiorem Deus reuerentiam conciliaret hisce tabernaculis, interdixit eorum aditu Leuitis, quibus nec fas erat videre nuda vasa tabernaculi, pœnâ mortis indictâ ei, qui secus faxit, vt habes libro Numerorum. Vtrumque hoc tabernaculum vallabat murus, seu potiùs species quædam muri facta ex tentoriis byssinis. Vallum hoc velaminum erat quadrilaterum. Boreale latus longitudine sua cubitos centum explebat, habens columnas viginti, quibus vela pendula incumbebant. Australe latus eiusdem erat schematis, atque supellectilis. Latus Occidentale longitudine sua discurrebat ad quinquaginta cubitos & fulciebatur columnis decem. Latus Orientale eiusdem fabricæ fuit, & numeri columnarum. In medio huius lateris ad ortum positi, erat porta, qua ibatur ad spatium illud conclusum tentoriis, quod dicebatur atrium tabernaculi, de quo fusè in Exodo. In illo atrio, id est, extra tabernaculum, erat altare holocaustorum, quod quotidie victimarum sanguine desudabat. Leuitæ ad arbitrium suum illuc introibant. Laici vero homines, liberam introeundi facultatem habebant tantùm cùm accincti erant ad hostias offerendas, eisque fas erat ibi comedere partem sacrificij. Ita se habuere sacerdotes, Leuitæ, & laici ad tabernaculum Moysis, ad cuius ideam effictum est templum Salomonis, saltem quoad distinctionem partium; nam de mensuris discolor est ratio. Nempe fuit domus illa Deo sacra longitudinis sexaginta cubitorum, latitudinis verò viginti, altitudinis autem centum viginti cubitorum, vt videre est in libro Paralipomenon.

Num. 4.

Exod. 27.

Descriptio Templi Salomonis.

2. Paral. 3.

Secundum longitudinem domus illa erat distincta in duas partes, quarum anterior erat cubitorum quadraginta in longitudine, & viginti in latitudine, & hæc portio templi nuncupata fuit Sanctuarium. Pars altera sese porrigens ad occasum, erat cubitorum viginti in longitudine, & totidem latitudinis. Ista fuit dicta Sancta Sanctorum. Omnis hæc præfata domus erat operta tecto, & in modum turris eminebat, quia altitudo dupla erat ad longitudinem, & sextupla ad latitudinem. In partem anteriorem non intrabant laici nec Leuitæ, imò neque sacerdotes indiscriminatim; sed illi duntaxat, quibus sorte vel Pontificis instituto competebat facere sacra. At in Sancta Sanctorum vnus Pontifex & is Summus semel in anno supplex introibat. Tota itaque domus illa Deo sacra fuit inuia laicis & Leuitis, ac proinde Christus nunquam illuc introiuit, etsi dicatur in templum sæpius introisse. Est ergo Templum latè accipiendum pro ea parte, quam mox recolam. Nempe extra Templum Salomonis modo recensitum erat ad partem Orientalem spatium quoddam viginti cubitorum in longitudine, & in latitudine cubitorum decem, quod vocabatur porticus, iuxta quam visebatur platea quadra cincta muro sed non tecta, quæ dicebatur atrium sacerdotum. In hoc atrio sub dio posito patebat omnibus altare holocaustorum, cum sua tota supellectile. In illo atrio fiebant omnia sacrificia. Peruium erat hoc atrium Leuitis, quorum erat ministrare sacerdotibus. Laicis verò volentibus offerre hostias licitum erat tantùm portam attingere, & illuc victimam adducere.

3. Reg. 6. Partes Templi Salomonis, interdictæ laicis.

Rursus præter porticum & atrium erat ingens murus cingens præfata loca, & eius muri ambitu concludebantur spatia quædam ad orandum, & audiendam legis expositionem. Illuc introire fas erat laicis omnibus, fœminis seorsim positis, ne quid fieret indecorum. Quia autem circuitus ille magnus concludens spatia designata ad orandum dicebatur circuitus templi, partes etiam illic conclusæ nomenclaturam templi sibi vendicarunt, licèt propriè templum Salomonis fuerint illæ ædes sacræ, quæ composuere Sanctuarium, & Sancta Sanctorum. Cùm igitur audis Christum eiecisse è templo vendentes & ementes, ne animum tuum subeat ideâ Sanctuarij, aut porticus, aut atrij sacerdotum, sed cogita spatia illa discreta à præfatis locis, quæ permissa fuere laicis hominibus in sacros vsus, vt sunt oratio, & expositio legis Dei. Vnde Christus locuples habuit argumentum succensendi in profanos homines nundinas agentes, vbi debuere litare Deo feruidis precibus insistentes.

Quare Christus meminerit cathedras vendentium columbas potius, quam numulariorum.

Laborant quidam interpretes in indagine caussæ, quæ Matthæum impulit ad recolendum Christum euertisse cathedras vendentium columbas, cùm tamen cathedræ potius pertineant ad numularios, qui mensis assidere solent æri suo iugiter incubantes. Maldonatus & alij suspicantur abditum mysterium, hos non carpo de suspicione mysterij, quod reuera latet. Sed in his desidero rationem mentionis cathedrarum, quam quia taciti prætererere, accipe genuinam, & veracem. Ad Sacra Iudæorum spectabant res animatæ, aut res inanimæ. Si sacra fiebant de carnibus animalium, dicebantur illa propriè sacrificia. Animalia congrua erant quadrupedia, & volatilia; nulla verò serpentia. Quadrupedia triplicis tantùm erant speciei, scilicèt oues, boues, & hirci; vt & volatilia tres etiam species faciebant: mactabantur enim passeres, turtures, & columbæ. Quadrupedia erant ditiorum hominum sacra, vt & volatilia pauperum, Deo sic sanciente: *Si non poterit offerre pecus, offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Imò vrgente inopia in gratiam pauperis fiebant libamina. Erant autem hæc de rebus inanimis, vt sunt simila, vinum, oleum, sal, & thus. Ecce legem. *Si non quiuerit manus eius offerre duos turtures, aut duos pullos columbæ, offeret de simila decimam partem Ephi.* Cùm ergo multò plures essent pauperes quàm diuites, plura etiam fiebant sacrificia pauperum quàm diuitum, ac proinde plures erant venditores columbarum quàm ouium, atque ita fuit opus multis cathedris, vt sederent illic Domini columbarum.

Animalia congrua ad sacrificium Iudæorum quænam fuerint.

Leuit. 5.

Tostatus hîc ait, nomen cathedræ sumi latè pro

Tostatus in Matth. c. 21. quæst. 25.

pro sedili, quia cathedra propriè pertinet ad sacerdotes; sed pace dixerim Præsulis huius Abulensis, ibi cathedra strictè accipitur; nā ipsi venditores columbarum erant sacerdotes, qui specie pietatis, & quasi egenis suffragantes, has in templo nundinas excercebant. Vnde ne mercatorum habitu viderentur iniurij suo sacerdotio, suas in templo cathedras præclaro ordine & contextu locauerant, vbi assidebant positis iuxta caueis columbarum. Ideo Christus in hos potissimum animaduertit, Ioanne assertore. *Hu qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Facilè adducor vt credam, sacerdotes lucri amantes de illis suis cathedris texuisse sermones, quasi catechisticos, & inducentes homines ad demerendum Deum sacris, quod quia eo intento fiebat, vt velificarentur auaritiæ, in eos Christus succensuit, vt cathedra indignos, quam sic sordida lucri cupidine polluebant. Cùm ergo rari fuerint illic numularij, & multa astiterit turba sacerdotum, meritò Matthæus cathedras meminit vendentium columbas, ad quos etiam directa est hæc censura. *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quasi diceret: ô sacerdotes, vestrarum præcipuè partium est prælucere populo, insistendo orationi, cui vacando domus mea suis gaudet obsequiis, ad quæ fuit cœlitus instituta: vos autem curæ sacerdotalis immemores, nihil nisi lucra sordida cogitatis. Specie quidem pietatis vestras cathedras intulistis in templum, velut populos edocturi; sed illa venalis columbarum exhibitio arguit animum infidelem Deo, & perquàm cupidum auri, cuius gratiâ pauperum loculos emungitis, columbas eis cariùs erogantes. Vnde fit, vt prædam agentes, sacerdotio excidatis, vt latronum induatis mores inglorios.

Venditores columbarū erant sacerdotes.

Ioan. 2.

Quare venditores columbarum cathedris insidebant.

Matth. 21.

Quomodo sacerdotes fecere Templum speluncam latronum.

Sunt qui putent, sacerdotes iniisse societatem etiam cum numulariis, & aliis vendentibus oues, & boues, vt participes essent lucri emergentis ex illo commercio. Ego meliùs (vt opinor) subodoror, sacerdotes vt nihil suæ auaritiæ intactum relinquerent, etiam egisse prædam de iis qui vendebant oues & boues titulo templi locati in vsus illos hactenus inconcessos: ideoque reprehensos à Christo, & insimulatos furti, quia iniquis artibus opes in sua compendia referebant.

SENSVS LITERALIS.

Christus triumphantis habitu Templum adit, vbi sua diuinitatis edidit argumenta, damnans sacerdotum auaritiam.

In hæc verba:

Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: &c.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex SS. Patribvs.

VT Christus gratiæ suæ obsequio effecit Christianos omnes diuinæ consortes naturæ, ita & quosdam virtutis emeritæ ex eis assumpsit in iudices hominum impiorum, quasi cum eis diuidens iudicis dignitatem. Has iudicum partes agunt Sancti Patres, dum subscribunt sententiæ Christi inuehentis in auaritiam sacerdotum, qui litantes auro, nundinas inuexerant in ædes Deo sacras. Iudices hi æquiores mihi, etiam sunt contra Abulensem, & Maldonatum, negantes Christum fuisse prædicatum vt Deum. Habeo itaque duo probanda hîc ex sententia Sanctorum Patrum. Primum est, Christum subiisse templū, vt illic suæ diuinitatis ederet argumenta, & prædicaretur vt Deus. Alterum est, ipsos sacerdotes vendidisse ea, quæ ad sacrificia conducebant. In gratiam primæ veritatis sisto auctorem operis imperfecti, quem Doctor Angelicus semper laudat nomine Chrysostomi, licèt reuera non sit opus Chrysostomi, qui alium iam librum edidit in Matthæum. Magni tamen est nominis auctor ille, vtpotè multisciuus, licèt Arriani maculis resperserint eius opus. Ille sacer interpres ait, Christum recta diuertendo in templum duo præstitisse, scilicet probasse se Filium Dei; & indicasse, malorum omnium labem Iudæos inficientem, habere sua incunabula penes sacerdotes. Et sic ille meas adstruit sententias, suo vno hoc contextu. *Intrauit Iesus in Templum. Hoc erat proprium boni Filij, vt & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum, vt tu imitator Christi factus, cùm in aliquam ingressus ciuitatem fueris, primum ante omnem actum ad Ecclesiam curras. Hoc erat boni Medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad originem Passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur; sic & de templo omne malum procedit. Quemadmodum Medicus quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est.* Hactenus ille.

Ex SS. Patribvs.

Auctor operis imperfecti non est Chrysostomus.

Auctor operis imperfecti, in Matth. hom. 37.

Quare Christus triūphali specie recta diuertit in Templū.

Nota, Christum aliàs simili modo repurgasse templum, initio scilicet prædicationis Euangelicæ, cùm non adhuc clareret miraculis, nec eius fama tantùm apud homines inualeret. Et eam interesse differentiam inter illud, & hoc repurgium, quòd tunc Scribæ & Pharisæi aliquod petierint signum, iam verò taciti prodigia non ab eo rursus extorserint: tota namque series vitæ Christi, prodigij vice fuit. Ego maximum puto miraculum, quòd infantes, pro ætate sua elingues, iam vocales extiterint, præcones facti diuinitatis Christi, sic suo præconio Christo Domino famulantes, qui eos naturâ suâ tacitos, virtute sua loquaces effecerat. Præstat in eo argumento audire Chrysostomum, probantem Christum bis templum à nundinis expurgasse. Sic ille. *Bis id, diuersisque temporibus factum credendum est, quod tam à tempore quàm à responso colligi potest. Apud Ioannem enim in ipso Pascha; apud istum vero multò antè in templum dicitur Christus aduenisse: & tunc Iudæi dicebant: Quod signum nobis ostendis? nunc verò quamuis acriter reprehensi, tamen, quia iā mirabilis apud omnes videbatur, conticuerunt: quod certè maiorem culpā Iudæorum ostendit, qui semel & bis reprehensi, perseuerabant cauponantes, & Deo aduersarium appellan-*

Infantes facti præcones diuinitatis Christi.

Chrys. in Matth. hom. 68.

Christus bis templum repurgauit à nundinis.

appellantes, cùm debuissent hinc & vires ipsius, & honorem quem Patri tribuebat, agnoscere. Nam & signa tam multa, & verba signis conuenire videbant; dedignabantur tamen inobedientes, neque Prophetam clamantem audiebant, nec infantium præter ætatem præconia percipere poterant. Illi enim tamquam Deo canebant. Quid igitur Iesus his, qui tam manifestis signis & rebus aduersabantur? Acriùs, vt corrigeret, carpsit, dicens: Numquid legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Quàm rectissimè, ex ore dictum est: non enim ex mente illorum illa verba procedebant; sed virtute ipsius, tenera illorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur. Quæ res balbutientes tunc Gentes, quæ post ex fide maximè sonuerunt, figuratè significauit, Apostolos quoque nimirum confortauit. Nam ne ambigerent, quomodo rudes homines tantam rem poterant prædicare, hoc infantium exemplo, vniuersa huiusmodi mentis angustia sedari potuit, cùm dubitare nequissent, quin & ipsis facultatem dicendi daturus sit, qui paruulos fecerat eloquentes. Ad hæc natura Dominum, atque creatorem miraculum demonstrabat. Infantes igitur, quamuis natura ætatem non haberent, fausta tamen, & rebus supernis conuenientia decantabant. Ita Chrysostomus.

Quare Christus dicatur perfecisse laudem suã ex ore infantium.

Christus habitus & prædicatus vt Deus.

Non ergo liuoris gratiâ impugno negantes Christum hodie impiis hominibus suæ diuinitatis specimina maxima præstitisse, cùm Chrysostomus liquidò & citra ambages affirmet, ipsos infantes Christo vt Deo cecinisse. Eiusdem etiam sententiæ Ambrosius sic subscribit. *Turba Deum agnoscit, &c. Ergo compugnantibus licet affectibus suis, turba tamen Deum ad templum suum cum laude deducit. Sed templum suum non mercatoris vult esse diuersorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat.* Sistendus etiam est Hieronymus, vtique affirmans in illo repurgio templi Christum se præstitisse Deum, radiis ex eius facie micantibus, qui indices erant humanitati insitæ deitatis. Sic ille: *Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum quiddam & sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie. Cumque manum non audeant iniicere sacerdotes, tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum, qui clamabant: Hosanna filio Dauid, vertunt in calumniam, quod videlicet hoc non dicatur nisi Filio Dei.* Hactenus ille, palàm faciens Christum se probasse Deum, quamuis ancipitem fecerint eius dignitatem Scribæ & Pharisæi.

Ambr. in Luc. cap. 19.

Hieron. in Matth. 21.

Christo eiiciente mercatores è templo radius diuinitatis ex facie eius emicuit.

Cathedræ euersæ fuerunt sacerdotum.

Ad aliam partem tituli me accingo, licet iam aliquid in gratiam eius prælibarim, dicens Christum subiisse templum vt infirmorum ædes. Consule Hilarium, & reperies eum mihi præiuisse, & fuisse eiusdem mecum sententiæ; scilicet cathedras vendentium columbas fuisse sacerdotum. In eo nempe literali sensu ponit fundamina mysterij, quod ille in eo negotio meditatur, suspicans hîc notari simoniam sacerdotum, qui dona Spiritus Sancti faciunt venalia. Profectò nutaret illa allegoria, si literaliter illæ cathedræ euersæ, non fuissent sacerdotum. Audiendus ille. *Templum introiit, id est, Ecclesiam tradita à se prædicationis est ingressus: à qua primum omnia sacerdotalis ministerij vitia iure potestatis expellit. Reddenda enim ab omnibus gratuita tradiderat, quæ gratuita fuerant consecuti: quia neque emi aliquid per corruptelam sacerdotis, aut vendi, libertas doni debebat admittere. Cathedras autē, præcipuè vendentium columbas euertit. Quæ porrò dignitas est in nundinis columbarum? aut quod priuilegium, in auium istarum commerciis reseruatum est: vt vendentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum? Sed in omni loco admonemur, altius verborum virtutes in istiusmodi significationibus contuendas. In columba, secundùm prophetiæ exempla, Spiritum Sanctum intelligimus: in cathedris, sacerdotij sedes est.* Series hæc verborum est mystica, notans reuera fuisse sacerdotum sedes, quarum euersio malè impiorum Ecclesiæ sacerdotum cathedris ominatur.

Hilar. in Matth. canone 21.

Quid mysticè significet illa euersio cathedrarum eorum, qui vendebant columbas.

Simili modo commentatus Origenes, satis superque annuit, has cathedras euersas fuisse Sacerdotum, cùm inde capit argumentum diuertendi ad nostrates sacerdotes, vt consulat eorum cathedris, quas similis manet euersio, si conscij sint eiusdem piaculi, quo se sacerdotes obstrinxere, venales faciendo columbas, mercatores sic agentes, & non sacerdotes. Sic Origenes. *Episcopi & presbyteri, quibus credita sunt cathedræ, qui tradunt Ecclesias, quibus non oportet, & constituunt principes, quos constituere non expedit, ipsi sunt, qui vendunt columbas, quorum cathedras Christus euertit. Vnusquisque ergo sedentium super cathedram Ecclesiasticam, & amantium primas cathedras in Synagogis, videat ne fortè sic sedeat in eis, vt veniens Dominus eas euertat, quasi dignas euersione.* Totam hanc negotiationem in templo fuisse sacerdotū industriam, in lucrum compositam, concors est sententia Sanctorum Patrum, vnde non cunctor explicare, cathedras vendentium columbas fuisse sacerdotum, qui fortè indecorum credidere boues diuendere, at non columbas, quasi pietatis hoc esset facinus, parare egenis vnde litarent. Homines illos anhelos in auri congeriem bellè describit Hieronymus, commemorans technas, quas excogitauere illis in templum nundinis introductis.

Origenes tract. 15. in Matth.

Quare sacerdotes potius vendiderint columbas quàm boues & oues.

Sisto Hieronymum ita fatum. *Hæc primum sciendum, quod iuxta mandata legis, augustissimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ; maximè festis diebus: taurorum, arietum, hircorum: pauperibus ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus: accidebat plerūque, vt qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitauerunt igitur sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, & non solùm hostias non habebant, sed nec vnde emerent quidem aues, & vilia munuscula. Posuerunt itaque, & nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum, vt nemo vsuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet,*

Industria sacerdotum vt de sacris lucrū aliquod impunè referrent.

Quid significet Collybista.

haberet, & interdum sortem perderet: excogitauerunt & aliam technam, vt numulariis collybistas facerent, cuius verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula. Verbi gratia, frixi ciceris, vuarumque passarum, & poma diuersi generis. Igitur quia vsuras accipere non poterant collybistæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vsuris accipiebant varias species: vt quod in numo non licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coemuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vsuram, & superabundantiam non accipietis. Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem, seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, iuxta quod scriptum est: zelus domus tuæ comedit me; fecit sibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem eiecit de templo, dicens: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Latro enim est, & templum Dei in latronum conuertit specum, qui lucra de religione sectatur; cultusque eius, non tam cultus Dei, quàm negotiationis occasio est. Hactenus ille sacer interpres, eruditè locum istum enucleans.

Quare cathedræ sacerdotum euersæ non appellentur cathedræ sacerdotum

Itaque ex Hieronymo constat, sacerdotes vendidisse illam sacrificiorum supellectilem. Non ergo mea est incongrua sententia, fuisse sacerdotum cathedras euersas. Nec obstat instantia clamans, Matthæum dixisse fuisse euersas cathedras vendentium columbas, & non sacerdotum; quod tamen dicendum fuisset, si constaret has cathedras fuisse sacerdotum. Nempe respôdeo primò, Matthæum consuluisse sacerdotum dignitati, parcendo titulo profanato. Secundò dico, cathedras illas fuisse quidem sacerdotũ, sed quia sacerdotes non agebant partes sui ordinis cœlitus instituti, sed se gerebant vt mercatores, & venditores columbarũ arbitror, & non ineptè, Matthæum homines illos nuncupasse ab officio, cui tunc temporis intendebant: id est, quia sacerdotes velut immemores officij sui, personam agebant mercatorum, eorum cathedræ nominantur ab arte quam profitebantur inibi sacerdotes.

SENSVS LITERALIS.

Scribæ & Pharisæi audiere, diuinitatem Christi aliè prædicari in templo, vt hinc inexcusabiles essent.

In hæc verba:

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

CONIECTVRA TERTIA

Ex Lingvis, Et SS. Patribvs.

Deus hominum superbiam frangit vilibus instrumentis.

MOyse incassum sollicitante Pharaonem ad obsequium Dei, Deus ipse suæ iniuriæ vindex acerrimus, Principis huius obdurati animum fregit conducto exercitu muscarum, quæ irruptione facta in palatium Pharaonis, cum induxere ad laxandas Hebræorum turmas in desertum, vt recolit Moyses hoc contextu. *Venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. Vocauitque Pharao Moysem, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro.* Nec musca illa grauis, sed minuti etiam ciniphes adegere magos ad confessionem fortitudinis Domini præpotentis. Ita Moyses. *Erant ciniphes tam in hominibus, quàm in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* Mirare obsecro industriam Dei prosternentis hominum proteruiam humili panoplia. Ille idem Dominus semper sibi constans hodie aggreditur infideles Scribarum & Pharisæorum animos, & quasi irruptione facta in eorum arcem, templum ingreditur edituus illic specimina suæ diuinitatis indubiæ. Vt fieret voti compos præpollens hic Dominus, non doctiores discipulos assumpsit in præcones, non Nicodemo & Gamalieli Magistris in Israël demandauit illam prouinciam: sed puerulis lactentibus illud omne negotium indixit, vt iis supra ætatem clamantibus Iesum esse Deum, stuperent æmuli eius, & agnoscerent illa esse veridica præconia, quæ pangebat diuinitus acta ætas illa tenellula loquax & garrula, effusa in Christi Domini laudes easdem, quas turba proximè decantarat. Infantiũ indoles tacita dũ pendula sugit vber, Christo subeunte templum, oblita matrem, vocalis effecta, vt se totam patri omniũ Christo Domino consecraret. Vnde displicet illa Strabi Fuldensis opinio, negás pueros illos fuisse infantes, & affirmás fuisse maiusculos pueros, repetentes encomia auribus excepta populo resonante. Illa nimirum detrahit gloriæ Christi, quæ lactentium laude liquidior, magnum inde capit apud homines incrementum.

Exod. 8.

Ibidem.

Pueri Christum laudãtes in templo fuere reuera infantes, lactentes & nõ maiusculi.

Strabus in Glossa ordinaria Matth. 21.

Quare potiùs lactentes encomiastas Christus assumpsit, quã puerulos grandiores.

Adiice nihil fore mirabile, si pueri, quibus per ætatem licuit, voces populi repeterent: hoc enim Echo facit licet inanimis. Et nisi prodigium illic eluceret, Propheta non hoc reposuisset signum Dei in humanis, quòd scilicet cum lactentes laudibus afficerent. Sic Dauid. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Consonant Hebræa, vbi puerulì non lactentes sed sugentes esse perlubentur מפי עוללים ויונקים *mippi ngolelim veionekim.* Id est. *Ex ore paruulorum, & sugentium.* Quippe radicalis ינק *ianak*, sugere significat. Rursus vbi editio vulgata: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Sic habet textus Hebræus: *Ex ore paruulorum, & sugentium, fundasti fortitudinem.* Nimirum עז יסדת *issatha nghoz*, voces sunt, non significantes, *perfecisti laudem*: sed perinde sonant ac, *fundasti fortitudinem*, nec aliud planè significare potest vox יסדת *issadtha, fundasti*, contra tamen morem Hebræorum, quorum lingua ferax multa significata singulis quibusque verbis affricat. Istud vero verbum, nihil aliud planè significat, quàm fundare. Quodque notandum ponitur à Dauide in secunda coniugatione actiua, quàm vocat *Pinghel*, vbi verba vehementiam & singularem quandam energiam contrahunt. Quasi diceret Dauid: Domine illa sugentium laus tibi præcox exhibita, fuit sufficiens fundamentum ad ingerendam fidem tuæ diuinitatis osoribus tuis.

Psal. 8.

Ex Lingvis. Hebræa.

Ex lingua Hebræa paruuli laudantes Christũ erant sugentes vbera.

Quid Christus intenderit laude puerorum lactentium.

Rursus est sistendus Hebræus Vatis textus, vtpote idoneus ad probandum intentum meum. Vulgata editio sic exprimit Dauidis præscium eloquium: *Perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & vltorem.* Hebræa dialectus sic effert. *Fundasti fortitudinem propter angustiatores tuos, ad cessare faciendum inimicum.* Nempe voces hæ sunt extremæ להשבית אויב *lehaschbith oieb*, id est, *ad cessare faciendum*

Psal. 8.

ciendum inimicum. Profectò eo intento Dominus lactentes adhibuit in præcones, vt modum imponeret blasphemiis Scribarum & Pharisæorum, qui despicatui habebant Christum, eum velut filium fabri multiplici scommate configentes. Vox Hebræa להשבית *lehaschbith*, id est, *ad cessare faciendum*, est infinitiui modi tertiæ coniugationis actiuorum, quæ dicit impulsionem seu actionem ab alio demandatam. Vnde Dauidis ea fuit mens vt diceret, pueros assumendos à Christo Domino, vt eorum encomiis damnati Pharisæi cessarent iactare conuicia, quibus patientissimum hunc Dominum impetebant.

Laudes infantium adhibuit Christus, vt illo obsequio præpararet animos hominum ad fidem suæ diuinitatis.

CHALDÆA.

SYRIACA.

Guido Fabricius in Lexico suo Syrochaldaico.

Syrus interpres, meo intento propitius est תקנת תשבוחתא *thaknath theschbuchtho*, id est, *direxisti laudem.* Nempe, תקנת *thaknath*, deducitur à verbo תקן *thakan*, quod apud Chaldæos, & Syros, significat, aptare, confirmare, dirigere, vt videre est apud Guidonem Fabricium. Itaque ad trutinam Syri interpretis, Christus ad laudes lactentium, aptauit, confirmauit, & direxit animos auditorum, qui fuere dispersi in tres classes hoc triplici significato congruè lineatos. Omnes enim illic astantes, cùm lactentes laudauere Christum, erant fideles, vel dubij in fide, aut penitus infideles. Si infideles, potuere laudibus infantium aptari ad fidem potiori modo, quàm catechumeni, quos Ecclesia variis sermonibus initiat, vt in Christum Deum credant. Hîc namque præter distincta encomia, quibus erudiebantur indocti, accedebat prodigiũ præcocis loquelæ in ætate elingui. Si homines confluentes in templum Christi causâ, fidei fuerunt ancipitis, & nutantis, potuerunt infantium præconiis dirigi in diuinitatem Christi, vt in scopum à quo hactenus aberrarant. Demum si in hac frequenti corona populorum plures adfuere fideles discipuli Christi, hi profectò confirmati sunt in ea fide, quam de Christo Deo conceperant, suam admirati fidem admirando lactentium calculo comprobari. Laudes item illas non dirigi tantùm ad applausum triumphantium, vt credidit Maldonatus, componens istam Christi Domini pompam cum triumphis Regum, quibus acclamatur Io Pæan, aut Viuat Rex: Sed præterea spectasse ad diuinitatem Christi omnibus explicandam, liquere potest ex nomine Syriaco, תשבוחתא *theschbuchtho*, quod non laudem tantùm, sed gloriam significat; ita vt laudes illæ à puerulis Christo dictæ non fuerint in gratiam popularis auræ conciliandæ Christo, sed ad gloriam diuinitatis eius liquidò propalandam. Etenim vox illa Syriaca fluit à verbo Chaldæo & Syro שבח *schabach*, id est, *glorificauit*.

Tres hominum classes audiere Christum laudari ore lactentium.

Ad omnium fidem auditorum profecit laus ex ore infantiũ exhibita Christo.

Laudes infantiũ ideo exhibitæ vt inde haberetur Christus vt Deus.

GRÆCA.

Græcus interpres eò allusit, ita fatus: Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον. Idest, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Verbum καταρτίζω, integritatem rei significat. Vnde sic arguo: Laus illata Christo à puerulis sarta tectaque fuit: Ergo illa infantium encomia diuinitatem Christi omnibus explicarunt. Alioquin non perfecta sed hiulca fuisset illa laus, quæ tacitam præteriisset naturam diuinam cum humana coëuntem in Christo. Summa laudum editarum à puerulis fuit: *Hosanna filio Dauid: hosanna in excelsis. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Quia conceptus, educatus, & multos annos egit in Nazareth, ideo dictus est Christus Nazarenus, vt fidem faceret Isaiæ, qui præsciit Christum eâdem nomenclaturâ. Vbi enim vulgata editio fert: *Egredietur virga de radice, Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Textus Hebræus sic habet: *Egredietur virga de stirpe Isai, & Netser de radicibus eius.* Glossa Chaldaica, quam Thargum vocant, ita commentatur: *Egredietur Rex de filiis Isai, & Christus de filiis filiorum eius crescet.* Multi ludunt in radicali nominis huius, & se torquent vt benè coniiciant vnde dicatur Iesus Nazarenus. Quidam deducunt à radice, נזר *nazar*, id est, *separauit.* Separantur autem homines, ratione sanctitatis, vel dignitatis: inde fluit, נזר *nezer*, id est, *corona.* Ab hoc fonte, Nazarenus, perinde est ac homo dignior aliis, sanctificatus, & coronatus. Qui profectò tituli omnes Christum ita decent, vt solus sit illo Nazareni nomine nuncupandus.

Quare Christus est dictus Nazarenus.

Isai. 11.

HEBRÆA.

CHALDÆA.

Nazarenus à duplici fonte Hebræo deducitur.

Non est incongrua nominis deriuatio, vtpote freta auctoritate Hieronymi apprimè versati in lingua Hebræa. Sed quia ille peritus interpres aliam etiam radicem suspicatur, quam indigitat laudando Isaiam, qui Christum vocat, נצר *netser*, & liberum vnicuique relinquit eligendi, dico Christum appellatum esse Nazarenum, à ciuitate Nazareth. Ciuitas illa Hebraicè vocatur à Matthæo, נצרת *natsrath*: Syriacè verò נצרת *notsrath.* Et quotiescumque incidit mentio Christi vt Nazareni, apud Hebræos scribitur per צ *tsade*, & non per ז *Zain* Namque Hebraicè Nazarenus est נוצרי *notseri*; Syriacè verò נצריא *notsroio.* Vnde liquet radicalem esse נצר *natsar*, id est custodiuit, seu præseruauit à corruptione. Et hoc reuera quadrat Christo, qui solus est mediator redemptionis nostræ, licet Sancti queant dici mediatores participatiuè, vt patroni agentes causas hominum pœnitentum. Sed seipso præseruare à corruptione proprium est Iesu Nazareni, aliis omnibus hominibus sepositis, & discretis ab hac dignitate. Apud Syros נצר *natsar*, Perinde est ac auxiliatus est, ita vt Nazarenus, idem sit ac adiutor. Quàm benè hæc nomenclatura Christo conueniat, vnicuique patet: quippe rebus deploratis opportunus adiutor extitit, iuxta Vatis præsagium. *Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Nazarenus apud Hebræos quid significet.

SYRIACA.

Nazarenus apud Syros quid sonet.

Psal. 45.

Vulgata editio Christum recolens, vocat eum Iesum Nazarenum: sed vt inducit eum prædictum à Prophetis, vocat eum Nazaræum, vt legere est in Matthæo, sic commemorante Christum: *Veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Eadem editio canonica hoc discrimen ponit inter Nazaræum, & Nazarenum, quòd Nazaræus hominem significet Domino consecratum: Nazarenus verò hominem ortum à Nazareth. Græcus interpres vtramque vocem eodem modo effert. Nempe Ναζωραῖος significat & Nazaræum, & Nazarenum. Itaque turbæ & puerulì in templo clamantes Iesum esse Prophetam à Nazareth, multa elogia indubiè hoc nomine concluserunt. Vndeuis enim deducatur vox illa, Nazarenus; est, fœta pluribus elogiis petitis à verbis נזר *nazar*, & נצר *natsar*: ita vt sensus literalis adæquatus iste sit elogij huius: Hic est Iesus propheta, non qualiscumque, sed is qui à Deo Moysi promissus est desideratus cunctis Gentibus, vt desiderium collium æternorum. Ille est Nazaræus ita Deo sacer, vt mundus in eo nihil omnino suum queat aduertere. Nescius nempe næui sanctus

Matth. 2.

Sensus literalis adæquatus laudum quas puerulì in templo detulere Christo.

ſanctus eſt, & ea ſanctitate, quæ influit in omnes homines ſanctitate conſpicuos, qui ſuas omnes coronas idcirco deponent in crepidine ſolij huius ſancti ſanctorum euehendi ſupra choros etiam Angelorum. Hic eſt Ieſus vnus Dei & hominum mediator, ſolus adiutor opportunus homini, in quem fuerat antea conclamatum.

Quare à Deo eduntur miracula.

Porro hoc ego indubium credo, voces infantiũ, vt fuere Deo auctore efficta, nihil niſi ad diuinitatem Chriſti pertinens, hominum auribus inſonuiſſe. Nempe miracula eduntur in ſignum diuinitatis & gloriæ ſummi Dei, vt ipſe Dominus Ieſus ait, curaturus cæcum à natiuitate. Sic ille beneficus procreator oculorum, quos natura nouercans illi homini denegarat: *Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Cùm ergo Chriſtus apertè ſe dixerit eſſe Filium Dei, & in argumentum veritatis huius, pueruli lactentes, & penduli de ſinu matris, oracula ætate fuderint immatura; & miracula non fiant ad adſtruendum mendacium; bellè ait Propheta, Deum ex ore infantium & lactentium perfeciſſe laudem ſuam. Imò arbitror hoc infantium ſuaue melos fuiſſe mercatoribus vt tonitru, quo perculſi ſacrilegi homines acti ſunt in fugam, vtpote malè ſibi conſcij, ob ſacras ædes ſuo iniquo commercio profanatas. Quippe loquelæ præcocis indicio audiere adeſſe Dominum templi, vltorem iniuriæ, ſuis ſacris ædibus illatæ, nec tam ceſſere flagris, quam vi diuinæ, vitia caſtiganti.

Ioan. 9.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron. in Matth. c. 3.

Prælibata interpretatio, recludens quare Chriſtus dicatur in Scripturis Nazaræus & Nazarenus, vadem habet Hieronymum, commentatum locum illum Matthæi: *Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Sic ille apprimè eruditus in dialecto Hebræa: *Si fixum de Scripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret: quod dictum eſt per Prophetas; ſed ſimpliciter: Quod dictum eſt per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas vocans, oſtendit ſe non verba de Scripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur: Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quod etiam eiſdem verbis iuxta Hebræos in Iſaia ſcriptum ſit: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet.* Hactenus ille, ſubindicans poſſe dici Chriſtum eſſe Nazarenum à verbo, נצר *natſar*, vnde deducitur נֵצֶר, id eſt, *flos*, quo nomine etiam Dominus ille deſignatur in Canticis, appellatur flos campi, & lilium conuallium. Nazareth reuera locus floridus fuit Mariæ incolatu, cuius lectulus floridus Chriſtum velut apem cœlitus deuocauit.

Chriſtus apis floribus capitur.

Bernard. ſer. 1. de Aduentu.

Ita Bernardus. *Apis eſt, quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad ſuaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit, illi inſedit, illi adhæſit.*

Rurſus dicere Ieſum eſſe Prophetam à Nazareth Galilææ, perinde eſſe ac edere diuinitatis eius validum argumentum, eruditè docet Bernardus, ſic decurrens in alea quæ nos iam exercet.

Bernard. homil. 1. ſup. Miſſus eſt.

Nazareth interpretatur flos. Videtur autem mihi quoddam ſemen fuiſſe diuinæ cogitationis tamquam è cœlo iactatum in terras, allocutiones, & promiſſiones factæ cœlitus ad patres, Abraham ſcilicet, Iſaac, & Iacob, de quo ſemine ſcriptum eſt: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus; & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Floruit autem hoc ſemen in mirabilibus; quæ oſtenſa ſunt in exitu Iſraël de Ægypto in figuris, & ænigmatibus per totum iter in deſerto vſque in terram promiſſionis, & deinceps in viſionibus, & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac ſacerdotij vſque ad Chriſtum. Chriſtus autem huius ſeminis & horum florum non immerito fructus eſſe intelligitur; dicente Dauid: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. In Nazareth ergo nuntiatur Chriſtus naſciturus: quia in flore ſperatur fructus proceſſurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertranſiit. Vnde & Nazaret ciuitas Galilææ dicitur, id eſt, tranſmigrationis: quia naſcente Chriſto, omnia illa tranſierunt, quæ ſuperiùs enumeraui.

Chriſtus finem impoſuit figuris Hebræorũ.

Non erit ineptum eius opus, qui meditabitur hodie infantes identidem inſonantes Ieſum à Nazareth, vt apes in floreto circumſtipantes florem afflantẽ inſignẽm fragrantiam. Vt enim præfatus ſum, pueruli diuino flamine perciti, Deum ſubodorantes in homine, prætериere leges tacitæ infantiæ, vt Chriſtum eſſe Deum omnibus explicarent. Et huic intento fauet iſte Bernardi contextus, editus in gratiam Ieſu Nazareni. *Nazarenus florens interpretatur. Vitis ergo noſtra Chriſtus, id eſt, Nazarenus, id eſt, ſalutaris, vncta & florens, qui non attraheret omnes, qui ſalutem, gloriam, diuitias, vel delicias concupiſcunt? Venient omnes ad vitem hanc. Dabit enim Ieſus ſalutem, quia ſalutaris eſt: dabit Chriſtus regnum, in quo gloria cum diuitiis habetur, quia vnctus eſt, quod propriè ad Reges pertinet: dabit Nazarenus delicias, quia florens eſt. Quid enim iucundius flore? Multi autem, imò omnes, id eſt, omnium virtutum flores in noſtro Nazareno ſunt, quarum delectabili odore totum mundum trahit poſt ſe. Nam qui veniunt ad ipſum propter humilitatem, violæ eius ſequuntur odorem: qui propter caſtitatem, lilij: qui propter charitatem Paſſionis, roſæ: qui propter abſtinentiam, croci ſequuntur odorem. His ergo virtutibus optimi Ieſu Chriſti vbique prædicatores, tanquam quodam pretioſo vnguento effuſo attraxerunt odorem eius, & adoleſcentulæ odore eius mirifico delectatæ cucurrerunt poſt vnctum Ieſum. Et adhuc nimirum clamantes currunt in toto corde ſuo: Trahe nos poſt te, vt curramus in odorem vnguentorum tuorum: ſcientes quòd neque volentis, neque currentis, ſed ſolius Dei miſerentis eſt. Superat autem omnes odores omnium virtutum vncti Ieſu, odor Crucifixi, vbi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum ſuorum ineſtimabilem odorem effudit.* Hactenus ille, cui ego annuens, dico, puerulos ſæpius ingeminaſſe Ieſum eſſe à Nazareth, vt vel ſic indicarent, quàm ſuaueoleret ille flos conſitus in Nazareth, loco qui ſuo ſignificato florilegium ſapit, vnde emerſit iſte flos diuinitatem afflans.

Bernard. lib. de Paſſione Domini c. 43.

Egregius diſcurſus in gratiam Ieſu Nazareni.

Vox illa Nazarenus ſpirat quid ſuaue pelliciens omnes animas ad imitationem virtutum Chriſti.

Non eſt tacitus in iſto argumento prætereundus Euthymius, de hoc infantium præconio opportunè, & veraciter elocutus. Sic ille: *Stupere pleniſſimum eſt hoc miraculum. Tunc enim chorus puerorum lactentium clarè loquutus eſt. Siquidem non ſimpliciter pueri erant, ſed pueri infantes ac lactentes. Perfeciſti verò, id eſt, perfectã ex imperfecto ore feciſti. Benè autẽ dixit: Ex ore infan*

Euthymius cap. 46. commentarij in Matth.

Quid mysticum præsagiere præconia Christi facta ore lactentium.

infantium. Nam os erat infantium: id autem quod dicebatur, potentia ipsius erat, quæ disertam reddebat immaturam lactentium linguam. Et hoc quoque miraculosè factum est ad discipulorum consolationem, vt de seipsis confiderent, quòd qui disertam fecerat balbutientem linguam, sapientem etiam facturus erat eorum ruditatem. Erat & hoc figura Gentium, quæ cùm ad Theologiam & diuina verba balbutirent, repentè ita perfectè resonarunt, vt ab omnibus exaudiri possent. Hactenus Euthymius, annuens ingenuè, prodigium inesse puerorum encomiis in gratiam Christi, qui inde Deus fuit liquidò promulgatus.

SENSVS LITERALIS.

Christus non cohabitat impiis, ideo exosus nequitiam Iudæorum, ab eis sese expedit & recedit.

In hæc verba:

Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

§. IV.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Christus imitatus Medicorum solertiam ad curandos ægros.

ÆGris omnibus opportunus adest Medicus, si ex præscripto velint suam vitam componere: deplorata nempe salus decumbentium, plerumque fuit arte medica reuocata. Sed vbi iacentes in lectulo inualescente morbo volunt ad arbitrium suum viuere, & pasci noxiis eduliis, Medicus hinc secedit, fastidiens hos deliros homines vt pabula mortis, & opprobria Medicinæ. Ecce typum rerum, quas hodie Ierosolymis gessit Iesus, cuius nomen Græcum ἰησοῦς affine est futuro ἰάσεται, id est, *medebor*, à themate ἰάομαι, *medeor*. Peritissimus ille Medicus animarum, Ierosolymam venit, & rectà perrexit in templum, vt in locum vbi erat pessima valetudo. Illic enim nundinis vigentibus, erant crebra periuria mercantium, fraudes multiplices, & furta animo meditata. Sacrilegis hisce commerciis, templum abiierat in speluncam hominum iniquorum. Eamobrem eos malè habentes ægros hodie inuisit Christus, eorum sanitati optimè consulturus. Materiam morbi foras pellit; facto quippe repurgio templi, eiectis mercibus fermentum aufert morbi delitentis. Vtque Medicus valida plerumque pharmaca adhibet, vt humoris noxij contumaciam frangat; sic ita Christus hodie flagello vtitur, vt insolitam mercatorum auaritiam coërceat: Et quia numismata vitiorum seminarium sunt, quando iniquè dispensantur; Christus hodie mensas numulariorum euertit, effundens illud æs, in cuius acquirendi gratiam homines toti sæpius effunduntur.

Nomen Iesu vnde deducatur apud Græcos.

Quare in têplo Christus edidit miracula & pueros præcones adhibuit.

Domitâ sic auaritiâ, Christus animum appulit ad curam grauioris longè morbi: ille nimirum Medicus omniscius probè callens, Scribas & Pharisæos negare Deum in humanis, ac proinde remorari fidem plurium hominum, qui alioquin dedissent manus Christo; hoc sibi beneficus ille Dominus pensum indixit, scilicet vt sanaret Scribas & Pharisæos infidelitate lethali pessimè laborantes. Potentissima & maximè congrua medicamina peritissimus ille Medicus adhibuit, vt leuaret morbi malitiam, & curaret animos infideles. Pueros ætatis immaturæ adhibuit encomiastas, & testes abditæ deitatis; cæcis lumen restituit, vt caliginem densam tergeret animarum. Non potuere magis idonea excogitari remedia, quàm hæc à Christo adhibita. Primò proposuit rem credendam omnibus obsequio lactentium, quorum loquela præcox pangens elogia Domini Iesu, congruum erat medium ad animos inflectendos, vt crederent in eum, qui soluerat ora tacita paruulorum. Secundò illi prodigio adiecit alia miracula, sanando cæcos & claudos, & probando ex Dauide, suam laudem debere perfici vocibus infantium. Illa tamen remedia nacta morbum altis animæ medullis insitum, non sortita sunt effectum illum salutarem, quem Medicus exoptabat. Nempe decumbentes & infidelitate sua oppressi Scribæ, & Pharisæi Christo iniurij, grauiùs quàm antea laborarunt. Namque voluerunt silentium imponere puerulis diuino flamine percitis, & ægros confluentes in templum duriùs exceperunt.

Scribarum & Pharisæorum quantus fuerit liuor in Christū.

Quare Christus sese receperit in Bethaniam.

Cùm itaque Christus nihil omninò proficeret apud illos homines incredulos, deteriores factos pharmaco salutari, detestatus illorum proteruiam, & desperatam indolem, inde abiit, repetens Bethaniam, & diuertit in domum Lazari rediuiui. Repudio namque dato iniquis hominibus salutis suæ incuriis, Dominus se contulit in ædes Dei obsequio mancipatas. Illic enim Lazarus, Maria, & Martha bonis vacabant operibus, quibus Christum in suam domum pellexerant. Rursus ad sensum literalem pertinet, scire Christum duabus aliis de causis secessisse foras, & non stetisse Ierosolymis. Primò quia adeò pauper erat, vt non haberet illic vbi quiesceret, & pernoctaret: suo siquidem exemplo voluit Euangelij pauperes efformare. Secundò foras abiit Christus, nè cuipiam esset offendiculo, & molestiarum ansam daret: namque liuor exasperans adeò perculerat Scribas & Pharisæos, vt dixerint anathema iis omnibus qui Iesum dicerent esse Christum. Ne ergo quispiam in ciuitate conciliaret sibi inuidiam sacerdotum æmulorum Christi, ille noluit inibi pernoctare, ita consulens hospiti apud quem diuertisset. Præterea noluit Christus anteuertere horam suæ Passionis ab æterno præfixam, idcirco dedit locum iræ, suam subducens præsentiam furori æmulorum, quos reliquit, occasionem sic adimens maioris deliquij. Reuera credo illas omnes causas coiuisse ad secessum Christi, sed in his arbitror eam primas obtinere, quæ petitur à nequitia inimicorum Christi, qui vt non cohabitet nefariis hominibus, pertæsus eorum iniquos animos, suo exemplo nos erudiit, quàm cautè oporteat impiorum hominum consortia declinare. Etenim si præcipua secessus Christi causa nō fuisset Scribarum & Pharisæorum perduellis iniquitas, satis fuisset Euangelistæ dicere, Christum Bethaniam rediisse. Sed quia adiecit voces illas: *Relictis illis, abiit foras*, liquidò causam intempestiui recessus subdidit oculis; insinuans, homines illos, quos linquebat, esse causam exitus sui ab illa perfida ciuitate.

Multæ causæ Christum adegerunt vt Ierosolymā relinqueret post triumphum exhibitum.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Quia Scribæ & Pharisæi erant fidei desertores, ideo Christus illos deseruit.

In hæc verba:

Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Linguis.

Perfidia Scribarum fuit Christo argumentum secedendi extra Ierusalem.

VT orbis vniuersus pugnat contra insensatos, Deo instruente in obsequium suum etiam res inanimes; ita & linguæ omnes acuuntur ad configendam Scribarum & Pharisæorum perfidiam, quæ Christo secedenti foras præstitit argumentum. Prior lingua Hebræa sua spicula intorquet ויעזב אתהם *veianghazob otham*, id est, *Et deseruit illos.* Nota, Hebræum textum adhibuisse in Scribas & Pharisæos idem verbum, quo Isaias carpit Iudæos aliàs infideles, sic succentius ואתהם עזבי יהוה *veothem nghozebe iehoua*, id est, *Et vos desertores Domini.* Ab eadem radicali עזב *nghazab*, id est, *deseruit*, illæ duæ voces fluunt יעזב *ianghazob*, id est, *deseruit*, & עזבי *neghozebe*, id est, *desertores.* Lingua Hebræa sic insinuante, Christum ideo deseruisse Ierosolymam, quia erant inibi desertores.

Ex linguis.

Chaldæa. Syriaca.

Syrus interpres aliud verbum adhibuit meæ sententiæ propitium ושבק אנון *vaschbak enum*, id est, *& repudiauit eos*. Verbum שבק *schebak*, Chaldæis & Syris, significat, *relinquere, & repudiare.* Ab eo nempe verbo fluit nomen hoc verbale שבוקנא *schubkono*, id est, *repudium*, vt videre est Marci cap. 10 vbi dictio illa vsurpatur. Vnde falluntur illi interpretes, qui arbitrantur, Christum eo solo Ierosolymam dereliquisse, quia nemo eum ausus est hospitio excipere. Non inficior, illam rationem fortè Christo occurrisse, sed nego eam fuisse adæquatam causam abeundi foras: & Syrus interpres nodum hunc diluit eruditè, monens, Dominum Iesum derelinquendo Scribas & Pharisæos, eis dedisse libellum repudij, vt & aliàs interminatus erat dicens: *In peccato vestro moriemini.*

Quid Christus voluit significare relinquendo Scribas, & Pharisæos.

Ioann. 8.

Rursus dixi, Dominum recessisse, vt vel sic daret locum iræ suorum æmulorum, quos liuor exasperans pessimè lancinabat. Græca versio eò collimat. Καταλιπὼν αὐτοὺς, ἐξῆλθεν ἔξω, id est, *cessit eis, & abiit foras*: siquidem, καταλιμπάνω significat, *relinquere, & cedere.* Ita Plato vsurpauit illam vocem, χώραν καταλιμπάνειν φαύλοις ἀνθρώποις, id est, *locum dare improbis hominibus.* Si quis ergo plenam atque luculentam velit explicationem textus, qui affirmat, Christum dereliquisse Scribas & Pharisæos, & in Bethaniam abiisse, ille poterit ita optimè commentari. Vbi aduertit Christus, Scribas & Pharisæos vt fidei desertores velle suis immori deliriis, ille se talem eis exhibuit, quales se erga ipsum antea præstiterunt. Namque desertores Christi, eumdem etiam experti sunt desertorem, vtique suo extremo dispendio: siquidem Dominus ille auersatus hominum nequam animos infideles, eos feriit æterno repudio, passurus ipse quinto post die repudium Synagogæ, clamantis se non habere Regem alium præter Cæsarem. Ne autem perduelles homines aliquid tentarent ante tempus definitum, præscius ille Dominus loco cessit, ne pernoctando Ierosolymis, æmuli eius struerent insidias, ante moras ab ipso temporum omnium Domino præstitutas.

Plato epist 9.

Christus abeundo foras dedit locum iræ Scribarum.

Itaque varia illa significata petita à linguis, subscribunt variis auctoribus, varia promentibus, dum expendunt causas, quibus vrgentibus Christus abiit foras. Lingua Hebræa causam refundit in Scribas, qui deseruere priùs Christum, à quo eadem mulcta excepti sunt, deserti à Christo. Chaldæi & Syri infidelitatis arguunt Scribas & Pharisæos, quibus ideo dedit libellum repudij. Græcus interpres secessum Christi refundit in mansuetudinem eius, quæ dedit locum iræ hominum, quos omniscius ille Dominus apprimè nouerat noxia machinari. Illa animaduersio facta consciis præcipuis linguis, me distrahit à sententia Maldonati, qui solam causam secessus Christi affirmat fuisse nequitiam Iudæorum, quorum Christus ideo commercia dedignatus aliò transmigrauit. Esto enim ille liuor æmulorum Christi suffecerit ad secessum illum; hoc tamen non alias eliminat causas, quæ ad exitum hunc Dominum induxerunt: & præcipuè cùm magni nominis auctores in illam eant sententiam, quæ etiam linguas possidet obstetrices. Aduerte obiter, lector, eum esse Canonem obseruandum ab eo qui sacras enucleat Scripturas, vt siquando contrarios habeat Patres Sanctos, non eos statim explodat, sed satagat explicare sententias eorum, adhibito etiam honoris elogio, vt decet Sanctos, quibus in hac alea corusca lumina cœlitus affulserunt.

Sensus adæquatus illius textus vbi Christus dicitur reliquisse Scribas.

Regula obseruanda ab eo qui Sacras Scripturas interpretatur.

SENSVS LITERALIS.

Christus impietatem hominum nequam exosus, eos tandem derelinquit.

In hæc verba:

Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam.

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribus.

INsigne scitum Platonis est, debere quempiam velociter cedere ciuitate si tres istæ causæ eum perurgeant. Prima est, dum Præfectus ciuitatis est homo nequissimus. Altera si ciuium improborum numerus potior est numero ciuium optimorum. Tertia demum, quando dispendia tanta sunt, vt commodis præponderent. Tres illæ coïerunt causæ ad accelerandum exitum Christi ex Synagoga. Nimirum Præfectus Synagogæ Caïphas Pontifex maximus erat homo nefarius, vtpote iniquis artibus euectus ad Pontificatum, quem alternis gerebat cum socero. Adeò præualuerat nequitia sacerdotum, vt rarus esset in illa nebulonum turba, qui non esset pessimus. Denique Christus illic oleum & operam perdiderat, nactus animos infideles. Vnde lon-

Quare quis debeat velociter aliqua cedere ciuitate.

Causæ quæ sollicitarunt

Christum, vt exiret foras extra Ierosolymam.

giores ibi moras facere non censuit opportunum: maiora namque dispendia illic passurus erat, quàm commoda collecturus, perfida quippe Synagoga anhela in cædes Prophetarum, nihil mortem Christi Domini cogitabat. Itaque desertores illos hodie Dominus equidem prudenter deseruit, vtique sui secessus habens multiplex argumentum, infidelitatem scilicet Iudæorum, & paupertatem suam, qua vrgente caruit diuersorio magnificus ille triumphator.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron. in cap. 21. Matthæi.

Ita Hieronymus. *Reliquit incredulos, & vrbem egressus contradicentium, iuit Bethaniam, quod interpretatur domus obedientiæ, iam tunc vocationem Gentium præfigurans: ibique mansit, quia in Israel permanere non potuit. Hoc quoque intelligendum est, quòd tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem: sed in agro paruulo apud Lazarum sororesque eius habitaret: eorum quippe vicus Bethania est.* Hactenus ille sacer interpres, Duas subiiciens causas exitus Christi, quas & ego mea conclusione recensui.

Auctor operis imperfecti, meæ etiam subscribit sententiæ commemorans & aliam causam à me prælibatam, cùm dixi Christum cessisse ciuitate, ne perfidi homines irarum atque odij caperent incrementum. Sic auctor anonymus, qui Chrysostomi nomine circumfertur.

Auctor operis imperfecti, in Matthæum homil. 38.

Relictis eis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, & mansit ibi. Vt recedendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem meliùs locum dando potes vincere, quàm respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare; & illum non placas, & teipsum subuertis. Et mansit ibi. Noluit manere in Ierusalem, de qua iam voluntate recesserat, quæ in mortem Domini sui iam manus armatas tenebat, seipsam magis occisura, quàm Dominum: sed mansit apud Lazarum, & sorores eius, vt illic requiesceret corporaliter, vbi & spiritualiter repausabat. Nam sanctorum virorum est, non ibi quærere mansionem, vbi clariores sunt viri, sed vbi fideliores: nec gaudent vbi epulæ largæ sunt, sed vbi sanctitas floret. Vide quàm concordes sint Patres, & linguæ, ex quibus palàm feci tres causas exitus Domini Redemptoris.

Auctoris sententia de exitu Christi extra Ierusalẽ probatur ex cõcordia linguarum, & Sanctorũ Patrum.

Adiice præfatis adhuc Hilarium, liquidò affirmantem Christum reprobatum à Synagoga eam deseruisse vt infidelem, & fecisse sibi præcones paruulos pendulos ab vbere. Sic ille: *Cessantibus prudentum iudiciis, hanc sibi à pueris & infantibus, quorum sit regnum cælorum, confessionis gloriam præparatam: quia prudentes & principes sæculi sapientiam Dei reprobauerunt, Christum autem regenerationis paruuli lactentesque sint prædicaturi. Et his dictis, ciuitatem egressus reliquit eos, atque in Bethania mansit: infidelem scilicet Synagogam deserens, in Ecclesia Gentium demoratur.*

Hilarius Canone 21. in Matth.

Proximo titulo ex indagine linguarum traduxi Hebræum textum, quo Iudæos ostendi desertos à Christo, quia erant ipsimet impij desertores. Subieci & sensum Syri interpretis, cuius idioma vocat repudium, illum secessum Christi, indicem repudij æterni, quod dabat Christus illi generationi nequam. Hæc duo significata concolores habent Patres antea recensitos, qui Christi recessum refuderunt in Iudæorum perfidiam, & in liuoris æstum, quo in Christum Gens illa percita iactabatur. Vna superest notio petita à Græcis: illa nempe qua ostendi Christum abeundo foras dedisse locum iræ æmulorum, ne quid tentarent ante momenta à Domino præstituta. Ita Chrysostomus. *Veriùm quoniam multa erant, quibus inflammabantur turbæ, videlicet facta simul & dicta, eiectio vendentium de templo, miracula, paruulorum laudes: ne tumor eorum omnino exardesceret, non incepit docere, sed relinquens eos, discessit.*

Chrysostom. homil. 68. in Matthæum.

In eam etiam sententiam veluti pedibus abiit Euthymius ita fatus: *Relictis illis exiuit è ciuitate in Bethaniam, & demoratus est illic. Exiuit, vt affectum tumorem in illis remitteret, & accensum inuidia eorum ignem extingueret.* Habet itaque mea conclusio quòd gestiat, vtpote cui sanctiora Patrum oracula suffragantur.

Euthymius cap. 46. commentary in Matth.

MORALIA

MORALIS
EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.
EVANGELIVM
SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt propositiones discussa moraliter.

I. CVM intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? *Matth. 21.*

II. Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.

III. Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo; & sanauit eos. Videntes autem Principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

IV. Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

SENSVS MORALIS distributus in tot titulos, quot prostant sectiones moraliter discutientes textus prælibatos.

I. *QVia superbia tinea est egregij cuiusque facinoris, hanc sedulo cauere debet anima bonis actibus assueta. In hoc discrimen non incurret homo, qui recolet, ipsa virtutis incunabula esse Dei & non animæ negotium. Primus namque boni cogitatus, hominem ad praxim inducens, diuina est motio, non humana, quod quisquis alto versabit animo, deponet ille typhum, indiuiduum ferè comitem boni operis: quippe gloriandi omne decidet argumentum.*

II. Hac meditatione cautior anima effecta, edito aliquo specimine virtutis arduæ, refundet gloriam eius in Deum, qui prauia motione subiit hominem, facturus eum mysticam Ierosolymam, si vt par est excipiatur ab anima, cui impertit affines omnino dotes illis, quibus olim Ierosolymam dignatus est.

III. Vt fiat homo compos harum gratiarum, humili Deum sibi conciliet obsequio. Nempe Deus refuga superborum, humilibus assuescit: qui hac consuetudine illustrati plura de Deo norunt, quàm elati homines, qui sæculi scientia tincti tument.

IV. Huiusmodi homines recreati hospitio Dei, fiunt templum eius, vbi ne quid offendat oculos hospitis inclytæ maiestatis, hoc sibi indicunt pensum; scilicet, vt foras trudant quicquid bestiam sapit, & irrepsit in cor, cuius penetralia Deo sacra brutis haudquaquam debent esse communia. Vnde quia procul est ab hoc sacrilegio anima facta Dei templum; sedula vacat illi repurgio, quo pelluntur omnia brutalia, id est, vitia deterguntur.

V. Anima verò, quæ secus faxit, tantùm abest vt Dei consuetudine gestiat, quinimò patitur eum auersum, & dantem libellum repudij: Qualem nempe Deo se exhibet homo, talem & ipse Deum pariter experitur. Vnde desertores Dei, iniquè suas texunt querelas, causantes se vitiis indulgere, quia Deus non influit. Querulum hoc lamentum gratis effictum est: quippe Deus omnibus est propitius, nec omnino deserit, nisi prius ab impio procul fuerit amandatus.

SENSVS MORALIS.

Anima suo Marte nequit assurgere ad actiones supernaturales.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commotá est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.*

SECTIO PRIMA.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX PHILOSOPHIA, ET THEOLOGIA, ET SS. PATRIBVS.

Animæ cum naui comparatio in his quæ ad motũ spectant.

NAuis alto commissa mari, instructa velis explicatis, atque rudentibus opportunè tensis, immota manet nullo reflante vento: quod namque naues varias orbis oras lustrent, & reduces portum subeant vnde soluerunt, illud non est virtutis alicuius nauibus insitæ negotium, sed beneficium auræ, quæ benefica velis afflans, naues vel inuitas quatit & euehit ad arbitrium æstus, quo procera hæc corpora lignea percelluntur. Nempe sua natura naues nulla valent facultate progrediendi, sed eam omnem si qua vigent deforis emendicant. Ecce typum animæ assurgentis ad ardua facinora. Illa nimirum ausa quidpiam in ordine ad gratiam & gloriam, suas naturales agendi metas præterit aliunde percita, æmulata motionem Ierosolymæ ad introitum Christi. Vrbs illa ingrata, assueta Christo, flocci fecerat consuetudinem eius, incuria salutis suæ. Sed hodie cœlitus acta, & de Christo impensè sollicita, ciuitas hæc confluit tota, quisnam sit Christus à populis auditura. Vt illa motio, Ierosolymitas inducens ad obsequium Christi, fuit à Deo suggerente meliora; ita & omnes animæ motus, dirigentes hominem in meliorem frugem vt suæ saluti consulat, sunt ab eodem Christo Domino cœlitus influente.

A Christo sunt omnes animæ motiones quæ conducunt ad gratiam.

In eo argumento potest opportunè adduci hoc Philosophi effatum: *Omne quod mouetur ab alio mouetur.* Vnde Philosophus probare intendit dari primum aliquod principium immobile, à quo omnia mobilia motum accipiant. Vt enim subiicit idem Aristoteles: *In mouentibus, & motis, non fit progressus in infinitum.* Verbi gratiâ, securis à fabro mouetur obsequio manus, & hæc in virtute brachij; brachium autem à corde capit & à neruis vnde moueatur: in cor verò iugiter influit anima nescia feriarum: Quòd autem anima motum impertiat cordi, arteriis, & musculis, habet à Deo, qui stabilis immotusque manens dat cuncta moueri. Sicque voti compos fit ille Philosophus, insinuare volens esse deueniendum ad aliquod ens immotum, cuius influxu omnia alia entia perculsa suo motu gaudent. Cùm ergo animæ motiones reduci possint ad naturam motus, etiamsi sint supernaturalis ordinis, vt & gratia ipsa habitualis participat naturam qualitatis, valebit axioma ad probandum titulum huius sectionis, cui incumbit adstruere, animam esse impotem ad cœlestia facinora nisi cœlitus agitetur. Sic enim arguo ex meris Philosophiæ fontibus: Omnis animæ nisus, eam dirigens ad gratiam & gloriam, motio est: Ergo habet illum motum ab alio, nisi velis Philosophum argui falsitatis, dum affirmat vt rem indubiam, illud omne quod mouetur, ab alio moueri. Si dicas, motionem illam internam esse ab anima; contrà insisto: Qui dat esse, ille & dat consequentia ad esse: Ergo Deus, qui dedit animæ totum illud esse quo constat & vegetat, dedit etiam omnem illam supellectilem, qua stipatur anima mouens se ipsam; ac proinde motus animæ refundendus est ad illud ens entium, à quo suum esse primitus emendicat.

EX PHILOSOPHIA. *Aristot. l. 7. Physic. initio. Idem lib. 8. Physic. c. 5.*

In motibus est deueniẽdum ad aliquod immobile principium.

Et reuera sensus Aristotelis ille est, vt omne quod mouetur, habeat ab aliquo agente extrinseco vt sit in actu primo ad motum, contineatque in seipso principium eliciriuum motus: nihil namque infra Deum suum esse sibi vendicare potest, cùm omnia precariò tantùm sint, & ad Dei nutum pessum ire queant. Sed quia conclusio illa est extra aleam Philosophiæ, ad Theologiam prouoco, cuius est versare materias Deo dignas, vt sunt illæ omnes animæ motiones, quibus ad Deum animæ deducuntur. Nota, motiones illas quibus allicitur anima ad meliorem frugem, vocari gratias Dei per Christum; non quòd formaliter animam Deo gratam efficiant, sed quia sunt auxilia, & dona Dei gratis data homini, cui Christus illa Passione sua meruit. Nempe beneficus hic Redemptor meruit hominibus ea omnia, quæ conducunt ad id propter quod carnem induit, & passus est: At redemptionis humanæ omne negotium confectum est, vt homo resurgeret à peccato redux ad gratiam, & demum fieret compos gloriæ æternæ. Quia igitur omnia bona opera edita ab homine, eum aliquali modo disponunt ad remissionem peccatorum, vt videre est ex Daniele suadente Regi nefario, vt redimeret eleemosynis peccata sua: profectò citra dubium est, hos omnes animæ impetus, quibus vrgetur ad virtutum praxim, aut assurgit ad supernam aliquam notitiam esse gratias Dei per Christum, illi animæ cœlitus erogatas.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2.*

Quid gratiæ nomine propriè intelligant Theologi.

Ne tamen gratiæ nomen imponat cuipiam imprudenti, illud est sedulò recolendum: scilicet gratiam distingui in habitualem, & in actualem, & vtrique gratiæ hoc esse commune, vt sit superioris ordinis, vtpote Dei donum superans omnes naturæ vires. Rursus hoc est alto animo commendandum, videlicet gratiam habitualem, qua formaliter homo Deo gratus efficitur, stare non posse cum peccato mortali: quod tamen secus est de gratia actuali, quam coire in homine obnoxio lethali noxæ, res est vernacula. Nempe nuncupamus gratiam actualem, omnem animæ motionem, qua vel illustratur intellectus enitens ad aliquam notitiam boni amplectendi, vel affectus accenditur ad amorem virtutis. Hi omnes æstus, quibus anima percita fertur in bonum, gratiæ actualis nomine recensentur. Huius generis fuit illa commotio Ierosolymæ, confluentis obuiam Christo, & quærentis quisnam esset: illa nimirum indagine cautior hæc ciuitas effici potuit, sospitatori suo quantocyus obsequendo. De huiusmodi motione graues olim controuersiæ doctores in varias distraxere partes, & ingrauescente discordia, Ecclesia compositura litigium plura coëgit Concilia, vbi nostra conclusio vt orthodoxa & de fide fuit definita.

Gratia, alia est habitualis, alia actualis.

Præcipuæ

Quid Pelagius senserit de gratia actuali.

Præcipuæ tragœdiæ in hac alea excitatæ sunt à Pelagio, cuius hoc fuit hæreticum dogma: videlicet hominem solius naturæ obsequio, se aptare posse ad gloriam æternam, & eam mereri ex condigno. Non ibat inficias homo sacrilegus, motiones diuinas esse vtiles ad assequendum finem illum faciliùs; sed negabat esse homini necessaria talia auxilia, cùm natura sufficeret ad præstanda ea, quæ necessaria sunt ad æterna præmia comparanda. Deo sanè fuit iniuria ac proinde blasphema illa Pelagij sententia, quam meminit Augustinus. Hoc Pelagij virus ebiberunt alij homines, hoc iniquo patre sati. Hi dicti fuere Semipelagiani, quia partim cum eo concordabant, & partim ab eo dissidebant. A Pelagio discordabant in eo, quòd necessariam gratiam actualem affirmabant ad promerendam de condigno vitam æternam: Pelagio tamen conueniebantur in hoc, quòd credebant talia auxilia à Deo concedi intuitu boni alicuius operis editi solius naturæ viribus. Hos hæreticos refellere non est mei moralis instituti, sed hic tantùm mihi incumbit probare, motiones, quæ conducunt ad gratiam & gloriam, esse à gratia Dei actuali, quæ est toto cœlo dissita à concursu illo generali, quem rebus etiam inanimis Deus exhibet, vt suas actiones exerant; qualis est cooperatio Dei cum igne comburente, & lapide deorsum inclinante.

Quid Semipelagiani senserint de auxiliis diuinæ gratiæ actualis.

Quare natura nequeat hominem sollicitare ad actiones supernaturales.

Esse motiones illas à speciali auxilio & concursu Dei, sic probo: Nemo ad bonum amplectendum fertur, quin aliqua boni cogitatio præluserit: Ergo cùm omnis notitia practica boni sit à Deo & non à natura tantùm, impetus ille voluntatis perculsæ ad amplexum boni erit ab eo qui menti desuper illuxit. Tota namque notitia naturalis petitur à sensibus, qui vt corporei sunt, plerumque animæ imponunt, capti suis illecebris, quarum dum species affricant animæ, illa hallucinans in delectu boni miserè dementatur. Et quia natura à Deo deuia prona est in malum; solo sensuum obsequio nequit homo assurgere ad audendum aliquod virtutis emeritæ facinus, atque ita homo est indigus alicuius auxilij, quo vt obstetrice queat bona opera parturire. Quippe nequit natura imbellis seipsa ruinas suas vt par est reparare: quotidiano namque experimento liquet, nihil omnino suggeri à sensibus præter corporea, in quæ incurrunt sensus. Vnde tantùm abest vt anima subsidium inde petat ad virtutum praxim, quinimò patet, eam obstringi multis dispendiis. Inde palàm est, animam siquando enititur ad opera ardua & sensibus inimica, aliunde moueri quàm a natura, cuius ingenium est sensuum obsequio mancipati.

Quare motiones animę enitentis ad egregia virtutis facinora, non sint naturales, sed à speciali Dei auxilio.

Tacitam prætereo rationem illam Theologicam toties decantatam: videlicet nullum omnino agens præterire suam sphæram actiuitatis, & modum agendi sequi rationem essendi, ideoque animam ex se non habere quo anhelet ad supernaturalia, si non aliunde, id est, à Deo percita moueatur: omnes namque animæ facultates sunt in ordine naturali, quo conclusæ vt cancellis nequeunt proprio Marte aliò transilire. Si ergo anima meditatur aliquod egregium facinus, & se accingit ad edendum specimen aliquod virtutis heroicæ, profectò diuino percellitur œstro. Imò Doctor Angelicus, Theologorum apex, ait bonum virtutis politicæ esse quidem commensuratum humanæ naturæ, ideoque posse voluntatem ferri in tale bonum sine gratia gratum faciente; indigere tamen auxilio gratiæ actualis. Idem Sanctus suspicatur, Aristotelem conscium infirmitatis hominum circa virtutum praxim, subodoratum fuisse hominem indigere aliquo auxilio deforis illato, vt opus aliquod optimum auspicetur. Sic Aristoteles: *Initium bonæ consultationis est à bona fortuna.* Id est, à Deo ingerente scilicet vel per se, vel per Angelos, vel per res externas prouidentia sua vt par est aptatas, bonas cogitationes in animam. Ita S. Thomas explicat illud effatum Philosophi.

Thom. 1. 2. q. 136. art. 3 ad 2.
Arist. l. 7. moral. ad Eudemum c. 18.
Thom. 1. 2. q. 109 art. 2. ad primum.

Concordant Patres: nec vllus eorum vnquam dubium fecit ortum illarum motionum, quibus anima se accingit ad bonum aliquod opus. Duo exempla traducit Augustinus, quæ licet sint in genere morum, nec directè ad beatitudinem explicitam spectent, tamen ait fuisse edita Deo percellente. Primum est Assueri, qui, Deo conuertente cor hominis iracundi, factus est propitius Reginæ Esther. Ita Augustinus: *Intelligendum atque fatendum, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Alterum exemplum est Polemonis discoli adolescentis, qui audito Xenocrate se recepit in meliorem frugem. Sic Augustinus: *Xenocrates Polemonem de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum, verùm etiam tunc ebrium ad mores alios conuertit. Quamquam ergo ille non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne idipsum quidem, quòd melius in eo factum est, humano operi tribuerim sed diuino.* Si ergo motio hæc fuit diuina, hominem tantùm sollicitans ad virtutes naturæ consonas, vnde putas fore motus, qui animam euehunt ad fidei & charitatis actus exerendos?

Ex SS. PATRIBVS.
August. l. de gratia Christi cap. 24. & epist. 130.

SENSVS MORALIS.

Non propriæ virtutis, sed gratiæ Dei est, quòd homo se accingat ad edenda ardua facinora, vnde & hinc operæpretium est humilitatis capiat argumentum.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex SS. Patribvs, et Ex Ivre Canonico.

Virtutes abortiunt obstetricante inani gloria.

Vt editio cuiusque facinoris egregij non vulgares animos petit, sed cordatos; ita etiam inanis gloriolæ præsentissimum periculum instat, insigni aliquo opere perpetrato. Idcirco operæpretium est, animam virtutibus fœtam cautè inuigilare sibi, ne imprudens abortiat. Incurrit autem in discrimen abortus anima, singulare facinus editura, si suis viribus assignat gloriosum illum partum, cuius in Deum vt auctorem est omnis gloria refundenda. Ne in hæc dispendia

impingat

Quomodo consulitur animæ enixæ bonas actiones.

impingat anima incauta, obstetricante inani gloria, articulus iste cauet, cum superiore articulo fraternizans; vtpote versans illud idem argumentum, cui incumbit probare, diuinas esse & non ab homine motiones illas, quibus vrgetur homo ad actiones superioris ordinis, vt fidei, charitatis, & virtutum, quas stipendia æterna manent. Probato nimirum hoc titulo, consuletur animæ enixæ probas actiones: dum namque recolet, se imparem esse supernis actibus, Dei feriante influxu; omne suarum virtutum pondus referet in præuiam Christi Domini motionem. Nempe anima, cui insedit se impotem esse ad obeundos cœli calles sine ducatu Dei, nusquam de editis aliquando bonis actibus insolescet, imò supplex eò semper vota diriget, scilicet vt supernè moueatur, veluti conscia suæ indolis imbecillæ. Quàm autem sit indignus homo superni auxilij, vt assurgat ad statum gratiæ & gloriæ æternæ, accipe hoc discursu.

Homo suo Marte nequit ferri ad virtutes naturales sed singulari indiget auxilio Dei.

Ex SS. Patribus.

Si homo suopte Marte nequit ferri ad virtutes naturales, qualis est temperantia; sed speciali auxilio Dei indiget: Ergo maius ei facesset negotium actio superans omnia naturæ conamina, vt est propositum conciliandi sibi gratiam Dei, cuius iacturam fecit impiè delinquendo: Sed ex superiore articulo patet, hominem esse moralibus virtutibus imparem, nisi cœlitus adiuuetur: Augustinus enim recensito exemplo Polemonis, qui ebrietate desudans, vt audiit Xenocratem Philosophum, sobrietatis amore captus composuit mores suos in posterum, ait illud propositum virtutis amplexandæ fuisse singulare Dei donum, quo si vt par erat vsus fuisset hic Polemo, Deus ei potiora charismata, quæ ad gratiam conducunt, cœlitus erogasset. Nullus ergo relinquitur ambigendi locus, motiones quæ ad Religionem spectant, esse à Deo, cùm eius sint etiam illi cogitatus, qui pertinent ad affectum virtutis alicuius inferioris ordinis. Habes in calce superioris articuli historiam Polemonis ex Augustino ibidem affirmante propositum illud temperantiæ in homine infideli, fuisse facinus gratiæ actualis, discolum animum excitantis. Accipe nunc eumdem Sanctum, vt insinuat, Polemonem beneficio motionis huius ad virtutem temperantiæ, potuisse se ad aliam motionem accingere, quia Deo miserante sanctior euasisset. Ita Augustinus: *Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus, ita sciret cuius esset hoc donum vt eum abiectis superstitionibus gentium piè coleret, non solum continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter Religiosus existeret, quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret.* Ita Augustinus.

Qui benè vtitur Dei auxilio, is se aptat ad alia maiora auxilia.

Aug. ep. 130.

Quare homo petat in oratione Dominica ne inducatur in tentationem.

Hos impetus, quorum obsequio anima sanctior fit, aut se expedit à laqueis diabolo insidiante prætensis, esse à Deo, Christus ipse liquidò subindicat, monens, iugi oratione petendum esse à Deo, ne nos inducat in tentationem, quod fit Deo denegante motiones congruas ad cauendas omnes technas Angeli desertoris. Si namque suis anima viribus posset declinare malum, oratio illa foret incongrua, quam Christus precum omnium typum fecit. Augustinum accipe denuò reuocatum. Sic ille: *An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donauit ipse nec fecit.* Rursus alibi decurrens eamdem hanc aleam, sibi constans hæc subiicit: *Prorsus non oramus Deum, sed orare fingimus, si nos ipsos non illum credimus facere quod oramus: prorsus non agimus gratias Deo, sed agere fingimus, si vnde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.*

Aug. in lib. de bono persev. cap. 2.

Idem epist. 107.

Quare fidelibus frequens sit vsus orationum.

Præterea si penes hominem esset, Deo inconsulto grandia audere, Christus instante Passione sua præscius defectionis Apostolorum, non eos præmonuisset, vt vigilarent, & orarent, ne intrarent in tentationem; quid namque precibus opus animæ, si ei totum, quo valere potest, de proprio penu constat. Eò spectant Prosperi Aquitanici verba hæc erudita: *Si de vigilando tantùm, non etiam de orando suos discipulos admoneret; solas liberi arbitrij vires videretur hortatus: sed cum addidit, & orate, satis docuit superni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.* Nec aliunde manat frequens orationum vsus in Ecclesia, quàm ex mente conscia suæ impotentiæ ad opus optimum exercendum: alioquin delira foret illa crebrò orandi consuetudo, si quisque suâ posset industriâ illud quod impensè à Christo Domino deprecatur. Ita Augustinus: *Quid stultius, quàm orare vt facias, quod in potestate habeas.*

Prosp. l. 2. de vocat. Gentium cap. 28.

Aug. l. de natura & gratia c. 18.

Anima etiã gratia habituali conspicua, indiget auxiliis aliis vt assurgat ad actiones supernaturales.

Adeò verax est illa sententia, quæ refundit bonas omnes motiones in gratiam Dei actualem, vt nemo planè excipiatur ab eo influxu, quantumuis emineat sanctitate. Licet enim gratia habituali præpotens sit anima Deo grata; illa tamen aliis indiget auxiliis, vt actiones expediat virtutis emeritæ & ordinis supernaturalis: siquidem esto vegetior sit anima instructa suppellectile gratiæ; est tamen indiga motionis, qua trahitur ad superna, vt in sanctissima patet Sponsa Canticorum, quæ vult trahi, vt currat in odorem Christi. Audiendus in eo themate Bernardus, vtpotè egregiè commentatus. Sic ille: *Sponsane ergo necesse habet trahi, & hoc post sponsum? Quasi verò inuita tum & non libens sequatur. Sed non omnis qui trahitur, inuitus trahitur. Nec enim infirmum, aut debilem, eum videlicet, qui per se ire non valet, trahi ad balneum, vel ad prandium piget. Denique trahi vult, qua & hoc rogat. Non autem rogaret, si sequi per se ipsum dilectum, prout vellet, valeret. Vt quid verò non valet? An infirmam fateamur & sponsam? Si vna quæuis ex adolescentulis infirmam se diceret, & peteret trahi, nequaquam miraremur. At verò de sponsa, quæ trahere & alias, vtpote fortis & perfecta, posse sufficere videbatur, cui non durum sonet, quod & ipsa trahi tamquam infirma vel debilis necesse habeat? De quanam anima iam confidimus, quòd valida sit & sana, si illam infirmam dici consenserimus, quæ pro sui singulari perfectione, & excellentiori virtute, sponsa Domini nominatur? Quantauis perfectionis, anima quamdiù quidem gemit sub corpore mortis huius, & huius sæculi nequam retinetur inclusa carcere, vincta necessitatibus, torta sceleribus, lentiùs segniùsque assurgat necesse est ad contemplanda sublimia, nec omnino liberum habeat, sequi sponsum quocumque ierit. Hinc lacrymosa vox illa gementis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hinc supplex illa precatio: Educ de corpore animam meam. Dicat proinde, dicat cum gemitu etiam sponsa: Trahe me post te: quia corpus quod corrumpitur aggrauat*

Bern ser. 21. in Cantica.

Roman. 7.

Sapient. 9.

Corporis sarcina importuna hominem indigum facit gratiæ actualis, vt se accingat ad virtutum praxim.

grauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Postulat ergo, vt conuersationis ipsius valeat vestigia sequi, vt possit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere disciplinam. In his quippè maximè opus est adiutorio, quo valeat abnegare semetipsam, & tollere crucem suam, & sic sequi Christum. Hîc prorsus trahi necesse habet sponsa, nec sanè trahi ab alio, quàm ab eo ipso, qui ait: sine me nihil potestis facere. Hæc Bernardus, equidem sæpe sæpius expertus, quàm opportunè mouebatur anima diuinitus.

Ex Ivre canonico.

Doctrina hæc concolor est sacris Canonibus, quibus ita cautum est in variis Conciliis, ne quis in posterum Pelagij virus ebiberet. Nempè Deo afflata Ecclesia sic decreuit in Concilio Tridentino. *Si quis dixerit, ad hoc solùm diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt faciliùs homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium, sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen, & difficulter possit, anathema sit.* Illud idem aliàs fuit prædefinitum in secundo Concilio Arausicano, cuius accipe Canones editos in eo argumento per quàm opportunos. *Nemo ab vlla miseria liberatur, quem misericordia Dei non præuenerit.* Quasi diceret, neminem sese expedire à noxa sine actuali gratia; quam diuinæ motionis nomine nuncupamus. Rursus ibidem sic decretum est: *Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur præcedit vt fiant.* In Concilio Mileuitano, & altero Africano sic fuit & sancitum, vt & in Concilio Carthaginensi, cuius decreta laudans Innocentius Papa, Patribus Concilij hæc rescripsit: *Deus quotidiana præstat beneficia, quibus nisi freti nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores, &c. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo non adiuuante vincamur.* Ea & fuit sententia Gregorij Magni Pontificis ita decernentis: *Superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis, vt subsequente nostro arbitrio, bonum quod appetimus agat nobiscum.*

Conc. Trid. sess. 6. Can. 2.

Concil. II. Arausic. can. 14. & 18.

Conc. Milen. can 5.

Conc. African. can. 80.

Innoc. Papa apud Aug. epist. 91.

Gregor. l. 16. Moral. c. 10.

Ex præfatis abundè liquet, an homini suppetat argumentum gloriolæ inanis postquam aliquod facinus operosum fortiter exantlauit. Namque homini moto desuper ad opus insigne, gloriari perinde est ac si spicula validè intorta glorientur de victoria reportata. Itaque Deo sunt rependendæ grates congruæ ab eo, qui animum suum ad aliquod virtutis specimen applicuit: quia boni cuiusque operis initia, progressus, & colophon, suum esse cœlitus emendicant. Ita Bernardus: *Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis. Primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immitendo bonam cogitationem, nos præuenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit: ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum, internus opifex innotescit. A Deo ergo sine dubio nostra fit salutis exordium, nec per nos vtique; nec nobiscum: Verùm consensus, & opus, etsi non ex nobis, nunquam tamen sine nobis. Cauendum ergo, ne cùm hæc inuisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati, quæ nulla est, sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; seruat, ne sentiat defectum.* Anima conscia huius doctrinæ, fiet virtutibus humilior, vtque fiat diuina motio vegetior, sedula crebris à Deo precibus impetrabit.

Omnis bonorum omnium operũ summa est à Deo

Bern in tract. de gratia. & libero arbitr.

Quomodo se habeat anima ad gratiam excitantem & cooperantẽ, an passiuè tantùm, aut actiuè.

SENSVS MORALIS.

Anima, quam Deus inhabitat, iisdem ferè priuilegiis gaudet, quibus olim Ierosolyma, & alibi omnes ciuitates dignata Regum incolatu.

In hæc verba:

Cùm intrasset Iesvs *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.*

SECTIO SECVNDA.

Articvlvs Primvs.

Ex Antiqvitate; Ex SS. Patribvs, et Ex Ivre Cæsareo.

Etsi Deus nullo singularis alicuius loci carcere concludatur; aliquo tamen locorum delectu gaudere dicitur in Scripturis, vt de Ierosolyma in confesso est apud omnes; quippè illic erat fas tantùm sacrificare, & Deum colere ritibus institutis. Ita esto Deus permeet omnium hominum mentes; non eas tamen omnes similiter afficit, neque dignatur influxu consimili. In has duntaxat propitius influit, quas incolit gratiâ decoratas. Cùm nempe sua stipatus gratiâ tales animas subit, easdem ferè dotes illis impertit, quibus olim Ierosolyma gestiit. Primò ciuitas illa fuit Iebusæorum arx munitissima, & spelunca hominum impiorum. Sed Dauide eam oppugnante repurgata est hæc ciuitas, & Deo rerum omnium Domino consecrata. Ciuitas illa prius vitiorum omnium colluuie infamis, nacta fuit nomen congruum suæ nequitiæ. Nimirum, יבוס *iebus*, perinde est ac pollutio, prædatio, conculcatio, & præsepium, à radicali, בוס *bus*, id est, polluit, prædatus est, conculcauit. Hoc nomen ei inditum est à Iebusæo filio Chanaan. Ast vbi facta fuit iuris Hebræorum, dicta est Ierusalem, quasi יראה שלם. *ireeh-schalem*, id est, videbit perfectionem: alij interpretantur visionem pacis. Ita anima prius diabolo mancipata fuit Iebus, [illegible] est, conculcata vitiis, & præda peccati; ac proinde polluta Dei expers; sed Deo miserante iniquam huius animæ sortem, vbi illa Dei hospitio dignata est, excidit nomine hoc profano, & sancto fuit Ierosolymæ titulo decorata. Nec nominis vmbra solùm gestit anima redux Deo sacra, verùm etiam dotes omnes participat, quæ vrbem Ierusalem præ aliis omnibus ætati posteræ commendarunt.

Deus non similI modo omnes animas inhabitat.

Ex antiqvitate Ivdæorvm.

Vnde dicta fuerit Iebus & quid hæc vox significet.

Gen. 10.

Animæ ad Deum reducis comparatio cum vrbe Ierosolyma.

Euangelio hodierno fit mentio gratiæ singularis, qua Ierusalem affecta est, Christo subeunte pomœria eius: illa nimirum commota est tota, & de Christo fuit maximè sollicita, quasi cœlitus illustrata. Hoc etiam beneficio fit anima ditior, statim atque Dominus Iesus in eam illabitur. Hæc siquidem sagaci scrutinio iniquirit: Quis est hic? Id est, se accuratè lustrat, & ipsis omnibus actibus inuigilat,

appellantes, cùm debuissent hinc & vires ipsius, & honorem quem Patri tribuebat, agnoscere. Nam & signa tam multa, & verba signis conuenire videbant; dedignabantur tamen inobedientes, neque Prophetam clamantem audiebant, nec infantium præter ætatem præconia percipere poterant. Illi enim tamquam Deo canebant. Quid igitur Iesus his, qui tam manifestis signis & rebus aduersabantur? Acriùs, vt corrigeret, carpsit, dicens: Numquid legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Quam rectissimè, ex ore dictum est: non enim ex mente illorum illa verba procedebant; sed virtute ipsius, tenera illorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur. Quæ res balbutientes tunc Gentes, quæ post ex fide maximè sonuerunt, figuratè significauit, Apostolos quoque nimirum confortauit. Nam ne ambigerent, quomodo rudes homines tantam rem poterant prædicare, hoc infantium exemplo, vniuersa huiusmodi mentis angustia sedari potuit, cùm dubitare nequissent, quin & ipsis facultatem dicendi daturus sit, qui paruulos fecerat eloquentes. Ad hæc natura Dominum, atque creatorem miraculum demonstrabat. Infantes igitur, quamuis natura ætatem non haberent, fausta tamen, & rebus supernis conuenientia decantabant. Ita Chrysostomus.

Quare Christus dicatur perfecisse laudem suã ex ore infantium.

Christus habitus & prædicatus vt Deus.

Non ergo liuoris gratiâ impugno negantes Christum hodie impiis hominibus suæ diuinitatis specimina maxima præstitisse, cùm Chrysostomus liquidò & citra ambages affirmet, ipsos infantes Christo vt Deo cecinisse. Eiusdem etiam sententiæ Ambrosius sic subscribit. *Turba Deum agnoscit, &c. Ergo compugnantibus licet affectibus suis, turba tamen Deum ad templum suum cum laude deducit. Sed templum suum non mercatoris vult esse diuersorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat.* Sistendus etiam est Hieronymus, vtique affirmans in illo repurgio templi Christum se præstitisse Deum, radiis ex eius facie micantibus, qui indices erant humanitati insitæ deitatis. Sic ille: *Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sauientibus, & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum quiddam & sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie. Cumque manum non audeant iniicere sacerdotes, tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum, qui clamabant: Hosanna filio Dauid, vertunt in calumniam, quod videlicet hoc non dicatur nisi Filio Dei* Hactenus ille, palàm faciens Christum se probasse Deum, quamuis ancipitem fecerint eius dignitatem Scribæ & Pharisæi.

Ambr. in Luc. cap. 19.

Hieron. in Matth. 21.

Christo eiiciente mercatores è tēplo radius diuinitatis ex facie eius emicuit.

Cathedræ euersæ fuerunt sacerdotum.

Ad aliam partem tituli me accingo, licet iam aliquid in gratiam eius prælibarim, dicens Christum subiisse templum vt infirmorum ædes. Cõsule Hilarium, & rescies eum mihi præiuisse, & fuisse eiusdem mecum sententiæ; scilicet cathedras vendentium columbas fuisse sacerdotum. In eo nempe literali sensu ponit fundamina mysterij, quod ille in eo negotio meditatur, suspicans hîc notari simoniam sacerdotum, qui dona Spiritus Sancti faciunt venalia. Profectò nutaret illa allegoria, si literaliter illæ cathedræ euersæ, non fuissent sacerdotum. Audiendus ille. *Templum introiit, id est, Ecclesiam tradita à se prædicationis est ingressus: à qua primum omnia sacerdotalis ministerij vitia iure potestatis expellit. Reddenda enim ab omnibus gratuita tradiderat, quæ gratuita fuerant consecuti: quia neque emi aliquid per corruptelam sacerdotis, aut vendi, libertas doni debebat admittere. Cathedras autē, præcipuè vendentium columbas euertit. Quæ porrò dignitas est in nundinis columbarum? aut quod priuilegium, in auium istarum commerciis reseruatum est: vt vendentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum? Sed in omni loco admonemur, altius verborum virtutes in istiusmodi significationibus contuendas. In columba, secundum prophetiæ exempla, Spiritum Sanctum intelligimus: in cathedris, sacerdotij sedes est.* Series hæc verborum est mystica, notans reuera fuisse sacerdotum sedes, quarum euersio malè impiorum Ecclesiæ sacerdotum cathedris ominatur.

Hilar. in Matth. canone 21.

Quid mysticè significet illa euersio cathedrarum eorum, qui vendebant columbas.

Simili modo commentatus Origenes, satis superque annuit, has cathedras euersas fuisse Sacerdotum, cùm inde capit argumentum diuertendi ad nostrates sacerdotes, vt consulat eorum cathedris, quas similis manet euersio, si conscij sint eiusdem piaculi, quo se sacerdotes obstrinxere, venales faciendo columbas, mercatores sic agentes, & non sacerdotes. Sic Origenes. *Episcopi & presbyteri, quibus credita sunt cathedræ, qui tradunt Ecclesias, quibus non oportet, & constituunt principes, quos constituere non expedit, ipsi sunt, qui vendunt columbas, quorum cathedras Christus euertit. Vnusquisque ergo sedentium super cathedram Ecclesiasticam, & amantium primas cathedras in Synagogis, videat ne fortè sic sedeat in eis, vt veniens Dominus eas euertat, quasi dignas euersione.* Totam hanc negotiationem in tēplo fuisse sacerdotū industriam, in lucrum compositam, concors est sententia Sanctorum Patrum, vnde non cunctor explicare, cathedras vendentium columbas fuisse sacerdotum, qui fortè indecorum credidere boues diuendere, at non columbas, quasi pietatis hoc esset facinus, parare egenis vnde litarent. Homines illos anhelos in auri congeriem bellè describit Hieronymus, commemorans technas, quas excogitauere illis in templum nundinis introductis.

Origenes tract. 15. in Matth.

Quare sacerdotes potiùs vendiderint colũbas quàm boues & oues.

Sisto Hieronymum ita fatum. *Hoc primum sciendum, quòd iuxta mandata legis, augustissimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè festis diebus: taurorum, arietum, hircorum: pauperibus ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus: accidebat plerũque, vt qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitauerunt igitur sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, & non solùm hostias non habebant, sed ne vnde emerent quidem aues, & vilia munuscula. Posuerunt itaque, & nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum, vt nemo vsuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet,*

Industria sacerdotum vt de sacris lucrũ aliquod impunè referrent.

Quid significet Collybista.

haberet, & interdum sortem perderet: excogitauerunt & aliam technam, vt numularios collybistas facerent, cuius verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula. Verbi gratia, frixi ciceris, vuarumque passarum, & poma diuersi generis. Igitur quia vsuras accipere non poterant collybistæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vsuris accipiebant varias species: vt quod in numo non licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coemuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vsuram, & superabundantiam non accipietis. Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem, seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, iuxta quod scriptum est: zelus domus tuæ comedit me; fecit sibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem eiecit de templo, dicens: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Latro enim est, & templum Dei in latronum conuertit specum, qui lucra de religione sectatur; cultusque eius, non tam cultus Dei, quàm negotiationis occasio est. Hactenus ille sacer interpres, eruditè locum istum enucleans.

Quare cathedræ sacerdotum euersæ non appellentur cathedræ sacerdotum

Itaque ex Hieronymo constat, sacerdotes vendidisse illam sacrificiorum supellectilem. Non ergo mea est incongrua sententia, fuisse sacerdotum cathedras euersas. Nec obstat instantia clamans, Matthæum dixisse fuisse euersas cathedras vendentium columbas, & non sacerdotum; quod tamen dicendum fuisset, si constaret has cathedras fuisse sacerdotum. Nempe respódeo primò, Matthæum consuluisse sacerdotum dignitati, parcendo titulo profanato. Secundò dico, cathedras illas fuisse quidem sacerdotũ, sed quia sacerdotes non agebant partes sui ordinis cœlitus instituti, sed se gerebant vt mercatores, & venditores columbarũ arbitror, & non ineptè, Matthæum homines illos nuncupasse ab officio, cui tunc temporis intendebant: id est, quia sacerdotes velut immemores officij sui, personam agebant mercatorum, eorum cathedræ nominantur ab arte quam profitebantur inibi sacerdotes.

SENSVS LITERALIS.

Scribæ & Pharisæi audiere, diuinitatem Christi altè prædicari in templo, vt hinc inexcusabiles essent.

In hæc verba:

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

CONIECTVRA TERTIA

Ex Lingvis, Et SS. Patribvs.

Deus hominum superbiam frangit vilibus instrumentis.

MOyse incassum sollicitante Pharaonem ad obsequium Dei, Deus ipse suæ iniuriæ vindex acerrimus, Principis huius obdurati animum fregit conducto exercitu muscarum, quæ irruptione facta in palatium Pharaonis, eum induxere ad laxandas Hebræorum turmas in desertum, vt recolit Moyses hoc contextu. *Venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. Vocauitque Pharao Moysem, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro.* Nec musca illa grauis, sed minuti etiam ciniphes adegere magos ad confessionem fortitudinis Domini præpotentis. Ita Moyses. *Erant ciniphes tam in hominibus, quàm in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* Mirare obsecro industriam Dei prosternentis hominum proteruiam humili panoplia. Ille idem Dominus semper sibi constans hodie aggreditur infideles Scribarum & Pharisæorum animos, & quasi irruptione facta in eorum arcem, templum ingreditur editurus illic specimina suæ diuinitatis indubiæ. Vt fieret voti compos præpollens hic Dominus, non doctiores discipulos assumpsit in præcones, non Nicodemo & Gamalieli Magistris in Israël demandauit illam prouinciam: sed puerulis lactentibus illud omne negotium indixit, vt iis supra ætatem clamantibus Iesum esse Deum, stuperent æmuli eius, & agnoscerent illa esse veridica præconia, quæ pangebat diuinitus acta ætas illa tenellula loquax & garrula, effusa in Christi Domini laudes easdem, quas turba proximè decantarat. Infantiũ indoles tacita dũ pendula sugit vber, Christo subeunte templum, oblita matrem, vocalis effecta, vt se totam patri omniũ Christo Domino consecraret. Vnde displicet illa Strabi Fuldensis opinio, negãs pueros illos fuisse infantes, & affirmãs fuisse maiusculos pueros, repetentes encomia auribus excepta populo resonante. Illa nimirum detrahit gloriæ Christi, quæ lactentium laude liquidior, magnum inde capit apud homines incrementum.

Exod. 8.

Ibidem.

Pueri Christum laudãtes in templo fuere reuera infantes, lactentes & nõ maiusculi.

Strabus in Glossa ordinaria Matth. 21.

Quare potius lactentes encomiastas Christus assumpsit, quã puerulos grandiores.

Adiice nihil fore mirabile, si pueri, quibus per ætatem licuit, voces populi repeterent: hoc enim Echo facit licet inanimis. Et nisi prodigium illic eluceret, Propheta non hoc reposuisset signum Dei in humanis, quòd scilicet eum lactentes laudibus afficerent. Sic Dauid. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Consonant Hebræa, vbi puerul non lactentes sed sugentes esse perlubentur מפי עוללים ויונקים *mippi ngolelim veionekim.* Id est. *Ex ore paruulorum, & sugentium.* Quippe radicalis ינק *ianak*, sugere significat. Rursus vbi editio vulgata: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Sic habet textus Hebræus: *Ex ore paruulorum, & sugentium, fundasti fortitudinem.* Nimirum עז יסדת *issatha nghoz*, voces sunt, non significantes, *perfecisti laudem*: sed perinde sonant ac, *fundasti fortitudinem*, nec aliud planè significare potest vox יסדה *issadtha, fundasti*, contra tamen morem Hebræorum, quorum lingua ferax multa significata singulis quibusque verbis affricat. Istud vero verbum, nihil aliud planè significat, quàm fundare. Quodque notandum ponitur à Dauide in secunda coniugatione actiua, quàm vocat *Pinghel*, vbi verba vehementiam & singularem quandam energiam contrahunt. Quasi diceret Dauid: Domine illa sugentium laus tibi præcox exhibita, fuit sufficiens fundamentum ad ingerendam fidem tuæ diuinitatis osoribus tuis.

Psal. 8.

Ex Lingvis. Hebræa.

Ex lingua Hebræa paruuli laudantes Christũ erant sugentes vbera.

Quid Christus intenderit laude puerorum lactentium.

Rursus est sistendus Hebræus Vatis textus, vtpote idoneus ad probandum intentum meum. Vulgata editio sic exprimit Dauidis præscium eloquium: *Perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & vltorem.* Hebræa dialectus sic effert. *Fundasti fortitudinem propter angustiatores tuos, ad cessare faciendum inimicum.* Nempe voces hæ sunt extremæ אויב להשבית *lehaschbith oieb*, id est, *ad cessare fa-*

Psal. 8.

ciendum inimicum. Profectò eo intento Dominus lactentes adhibuit in præcones, vt modum imponeret blasphemiis Scribarum & Pharisæorum, qui despicatui habebant Christum, eum velut filium fabri multiplici scommate configentes. Vox Hebræa לְהַשְׁבִּית *lehaschbbith*, id est, *ad cessare faciendum*, est infinitiui modi tertiæ coniugationis actiuorum, quæ dicit impulsionem seu actionem ab alio demandatam. Vnde Dauidis ea fuit mens vt diceret, pueros assumendos à Christo Domino, vt eorum encomiis damnati Pharisæi cessarent iactare conuicia, quibus patientissimum hunc Dominum impetebant.

Laudes infantium adhibuit Christus, vt illo obsequio prepararet animos hominum ad fidem suæ diuinitatis.

C HALDÆA.

SYRIACA.

Guido Fabricius in Lexico suo Syrochaldaico.

Syrus interpres, meo intento propitius est תקנת תשבוחתא *thaknath theschbuchtho*, id est, *direxisti laudem.* Nempe, תקנת *thaknath*, deducitur à verbo תקן *thaxan*, quod apud Chaldæos, & Syros, significat, aptare, confirmare, dirigere, vt videre est apud Guidonem Fabricium. Itaque ad trutinam Syri interpretis, Christus ad laudes lactentium, aptauit, confirmauit, & direxit animos auditorum, qui fuere dispersi in tres classes hoc triplici significato congruè lineatos. Omnes enim illic astantes, cùm lactentes laudauere Christum, erant fideles, vel dubij in fide, aut penitus infideles. Si infideles, potuere laudibus infantium aptari ad fidem potiori modo, quàm catechumeni, quos Ecclesia variis sermonibus initiat, vt in Christum Deum credant. Hîc namque præter distincta encomia, quibus erudiebantur indocti, accedebat prodigiū præcocis loquelæ in ætate elingui. Si homines confluentes in templum Christi causâ, fidei fuerunt ancipitis, & nutantis, potuerunt infantium præconiis dirigi in diuinitatem Christi, vt in scopum à quo hactenus aberrarant. Demum si in hac frequenti corona populorum plures adfuere fideles discipuli Christi, hi profectò confirmati sunt in ea fide, quam de Christo Deo conceperant, suam admirati fidem admirando lactentium calculo comprobari. Laudes item illas non dirigi tantùm ad applausum triumphantium, vt credidit Maldonatus, componens istam Christi Domini pompam cum triumphis Regum, quibus acclamatur Io Pæan, aut Viuat Rex: Sed præterea spectasse ad diuinitatem Christi omnibus explicandam, liquere potest ex nomine Syriaco, תשבוחתא *theschbuchtho*, quod non laudem tantùm, sed gloriam significat; ita vt laudes illæ à puerulis Christo dictæ non fuerint in gratiam popularis auræ conciliandæ Christo, sed ad gloriam diuinitatis eius liquidò propalandam. Etenim vox illa Syriaca fluit à verbo Chaldæo & Syro, שבח *schabach*, id est, *glorificauit*.

Tres hominum classes audiere Christum laudari ore lactentium.

Ad omnium fidem auditorum profecit laus ex ore infantiū exhibita Christo.

Laudes infantiū ideo exhibitæ vt inde haberetur Christus vt Deus.

GRÆCA.

Græcus interpres eò allusit, ita fatus: Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον. Idest, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Verbum καταρτίζω, integritatem rei significat. Vnde sic arguo: Laus illata Christo à puerulis sarta tectaque fuit: Ergo illa infantium encomia diuinitatem Christi omnibus explicarunt. Alioquin non perfecta sed hiulca fuisset illa laus, quæ tacitam præteriisset naturam diuinam cum humana coëuntem in Christo. Summa laudum editarum à puerulis fuit: *Hosanna filio Dauid: hosanna in excelsis. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilaæ.* Quia conceptus, educatus, & multos annos egit in Nazareth, ideo dictus est Christus Nazarenus, vt fidem faceret Isaiæ, qui præsciit Christum eâdem nomenclaturâ. Vbi

Quare Christus est dictus Nazarenus.

enim vulgata editio fert: *Egredietur virga de radice, Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Textus Hebræus sic habet: *Egredietur virga de stirpe Isai, & Netser de radicibus eius.* Glossa Chaldaica, quam Thargum vocant, ita commentatur: *Egredietur Rex de filiis Isai, & Christus de filiis filiorum eius crescet.* Multi ludunt in radicali nominis huius, & se torquent vt benè coniiciant vnde dicatur Iesus Nazarenus. Quidam deducunt à radice, נזר *nazar*, id est, *separauit*. Separantur autem homines, ratione sanctitatis, vel dignitatis: inde fluit, נזר *nezer*, id est, *corona*. Ab hoc fonte, Nazarenus, perinde est ac homo dignior aliis, sanctificatus, & coronatus. Qui profectò tituli omnes Christum ita decent, vt solus sit illo Nazareni nomine nuncupandus.

Isai. 11

HEBRÆA.

C HALDÆA.

Nazarenus à duplici fonte Hebræo deducitur.

Non est incongrua nominis deriuatio, vtpote freta auctoritate Hieronymi apprimè versati in lingua Hebræa. Sed quia ille peritus interpres aliam etiam radicem suspicatur, quam indigitat laudando Isaiam, qui Christum vocat, נצר *netser*, & liberum vnicuique relinquit eligendi, dico Christum appellatum esse Nazarenum, à ciuitate Nazareth. Ciuitas illa Hebraicè vocatur à Matthæo, נצרת *natsrath*: Syriacè verò נצרת *notsrath*. Et quotiescumque incidit mentio Christi vt Nazareni, apud Hebræos scribitur per צ *tsade*, & non per ז *Zain*. Namque Hebraicè Nazarenus est נוצרי *notseri*; Syriacè verò נצריא *notsroio*. Vnde liquet radicalem esse נצר *natsar*, id est custodiuit, seu præseruauit à corruptione. Et hoc reuera quadrat Christo, qui solus est mediator redemptionis nostræ, licet Sancti queant dici mediatores participatiuè, vt patroni agentes causas hominum pœnitentum. Sed seipso præseruare à corruptione proprium est Iesu Nazareni, aliis omnibus hominibus sepositis, & discretis ab hac dignitate. Apud Syros נצר *natsar*, Perinde est ac auxiliatus est, ita vt Nazarenus, idem sit ac adiutor. Quàm benè hæc nomenclatura Christo conueniat, vnicuique patet: quippe rebus deploratis opportunus adiutor extitit, iuxta Vatis præsagium. *Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Nazarenus apud Hebræos quid significet.

SYRIACA.

Nazarenus apud Syros quid sonet.

Psal. 45.

Vulgata editio Christum recolens, vocat eum Iesum Nazarenum: sed vt inducit eum prædictum à Prophetis, vocat eum Nazaræum, vt legere est in Matthæo, sic commemorante Christum: *Veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Eadem editio canonica hoc discrimen ponit inter Nazaræum, & Nazarenum, quòd Nazaræus hominem significet Domino consecratum: Nazarenus verò hominem ortum à Nazareth. Græcus interpres vtramque vocem eodem modo effert. Nempe Ναζωραῖος significat & Nazaræum, & Nazarenum. Itaque turbæ & pueruli in templo clamantes Iesum esse Prophetam à Nazareth, multa elogia indubiè hoc nomine concluserunt. Vndeuis enim deducatur vox illa, Nazarenus; est fœta pluribus elogiis petitis à verbis נזר *nazar*, & נצר *natsar*: ita vt sensus literalis adæquatus iste sit elogij huius: Hic est Iesus propheta, non qualiscumque, sed is qui à Deo Moysi promissus est desideratus cunctis Gentibus, vt desiderium collium æternorum. Ille est Nazaræus ita Deo sacer, vt mundus in eo nihil omnino suum queat aduertere. Nescius nempe næui

Matth. 2.

Sensus literalis adæquatus laudum quas pueruli in templo detulere Christo.

sanctus

ſanctus eſt, & ea ſanctitate, quæ influit in omnes homines ſanctitate conſpicuos, qui ſuas omnes coronas idcirco deponent in crepidine ſolij huius ſancti ſanctorum euehendi ſupra choros etiam Angelorum. Hic eſt Ieſus vnus Dei & hominum mediator, ſolus adiutor opportunus homini, in quem fuerat antea conclamatum.

Quare à Deo edantur miracula.

Porro hoc ego indubium credo, voces infantiũ, vt fuere Deo auctore effictæ, nihil niſi ad diuinitatem Chriſti pertinens, hominum auribus inſonuiſſe. Nempe miracula eduntur in ſignum diuinitatis & gloriæ ſummi Dei, vt ipſe Dominus Ieſus ait, curaturus cæcum à natiuitate Sic ille beneficus procreator oculorum, quos natura nouercans illi homini denegarat: *Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* (Ioan. 9.) Cùm ergo Chriſtus apertè ſe dixerit eſſe Filium Dei, & in argumentum veritatis huius, pueruli lactentes, & penduli de ſinu matris, oracula ætate fuderint immatura, & miracula non fiant ad adſtruendum mendacium; bellè ait Propheta, Deum ex ore infantium & lactentium perfeciſſe laudem ſuam. Imò arbitror hoc infantium ſuaue melos fuiſſe mercatoribus vt tonitru, quo perculſi ſacrilegi homines acti ſunt in fugam, vtpote malè ſibi conſcij, ob ſacras ædes ſuo iniquo commercio profanatas. Quippe loquelæ præcocis indicio audiere adeſſe Dominum templi, vltorem iniuriæ, ſuis ſacris ædibus illatæ, nec tam ceſſere flagris, quam vi diuinæ, vitia caſtiganti.

Ex SS. PATRIBVS. Hieron. in Matth. c. 3.

Prælibata interpretatio, recludens quare Chriſtus dicatur in Scripturis Nazaræus & Nazarenus, vadem habet Hieronymum, commentatum locum illum Matthæi: *Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Sic ille apprimè eruditus in dialecto Hebræa: *Si fixum de Scripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret: quod dictum eſt per Prophetas; ſed ſimpliciter: Quod dictum eſt per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas vocans, oſtendit ſe non verba de Scripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur: Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quod etiam iiſdem verbis iuxta Hebræos in Iſaia ſcriptum ſit: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet.* Hactenus ille, ſubindicans poſſe dici Chriſtum eſſe Nazarenum à verbo, נצר *natſar*, vnde deducitur נצר, id eſt, *flos*, quo nomine etiam Dominus ille deſignatur in Canticis, appellatur flos campi, & lilium conuallium. Nazareth reuera locus floridus fuit Mariæ incolatu, cuius lectulus floridus Chriſtum velut apem cœlitus aduocauit. Ita Bernardus. *Apis eſt, quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad ſuaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit, illi inſedit, illi adhæſit.*

Chriſtus apis floribus capitur.

Bernard. ſer. 1. de Aduentu.

Ruſus dicere Ieſum eſſe Prophetam à Nazareth Galilææ, perinde eſſe ac edere diuinitatis eius validum argumentum, eruditè docet Bernardus, ſic decurrens in alea quæ nos iam exercet. *Nazareth interpretatur flos. Videtur autem mihi quoddam ſemen fuiſſe diuinæ cogitationis tamquam è cœlo iactatum in terras, allocutiones, & promiſſiones factæ cœlitus ad patres, Abraham ſcilicet, Iſaac, & Iacob, de quo ſemine ſcriptum eſt: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus; & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Floruit autem hoc ſemen in mirabilibus; quæ oſtenſa ſunt in exitu Iſraël de Ægypto in figuris, & ænigmatibus per totum iter in deſerto vſque in terram promiſſionis, & deinceps in viſionibus, & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac ſacerdotij vſque ad Chriſtum. Chriſtus autem huius ſeminis & horum florum non immerito fructus eſſe intelligitur; dicente Dauid: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. In Nazareth ergo nuntiatur Chriſtus naſciturus: quia in flore ſperatur fructus proceſſurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertranſiit. Vnde & Nazaret ciuitas Galilææ dicitur, id eſt, tranſmigrationis: quia naſcente Chriſto, omnia illa tranſierunt, quæ ſuperiùs enumeraui.*

Bernard. homil. 1. ſup. Miſſus eſt.

Chriſtus finem impoſuit figuris Hebræorũ.

Non erit ineptum eius opus, qui meditabitur hodie infantes identidem inſonantes Ieſum à Nazareth, vt apes in floreto circumſtipantes florem afflantè inſignem fragrantiam. Vt enim præfatus ſum, pueruli diuino flamine perciti, Deum ſubodorantes in homine, præteriere leges tacitæ infantiæ, vt Chriſtum eſſe Deum omnibus explicarent. Et huic intento fauet iſte Bernardi contextus, editus in gratiam Ieſu Nazareni. *Nazarenus florens interpretatur. Veniat ergo noſtra Chriſtus, id eſt, Nazarenus, id eſt, ſalutaris, vncta & florens, qui non attraheret omnes, qui ſalutem, gloriam, diuitias, vel delicias concupiſcunt? Venient omnes ad virum hunc. Dabit enim Ieſus ſalutem, quia ſalutaris eſt: dabit Chriſtus regnum, in quo gloria cum diuitiis habetur, quia vnctus eſt, quod propriè ad Reges pertinet: dabit Nazarenus delicias, quia florens eſt. Quid enim iucundius flore? Multi autem, imò omnes, id eſt, omnium virtutum flores in noſtro Nazareno ſunt, quarum delectabili odore totum mundum trahit poſt ſe. Nam qui veniunt ad ipſum propter humilitatem, violæ eius ſequuntur odorem: qui propter caſtitatem, lilij: qui propter charitatem Paſſionis, roſæ: qui propter abſtinentiam, croci ſequuntur odorem. His ergo virtutibus optimi Ieſu Chriſti vbique prædicatores, tanquam quodam pretioſo vnguento effuſo attraxerunt odorem eius, & adoleſcentulæ odore eius mirifico delectatæ cucurrerunt poſt vnctum Ieſum. Et adhuc nimirum clamantes currunt in toto corde ſuo: Trahe nos poſt te, vt curramus in odorem vnguentorum tuorum: ſcientes quòd neque volentis, neque currentis, ſed ſolius Dei miſerentis eſt. Superat autem omnes odores omnium virtutum vncti Ieſu, odor Crucifixi, vbi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum ſuorum ineſtimabilem odorem effudit.* Hactenus ille, cui ego annuens, dico, puerulos ſæpius ingeminaſſe Ieſum eſſe à Nazareth, vt vel ſic indicarent, quàm ſuaueoleret ille flos conſitus in Nazareth, loco qui ſuo ſignificato florilegium ſapit, vnde emerſit iſte flos diuinitatem afflans.

Bernard. lib. de Paſſione Domini c. 41.

Egregius diſcurſus in gratiam Ieſu Nazareni.

Vox illa Nazarenus ſpirat quid ſuaue pelliciens omnes animas ad imitationem virtutum Chriſti.

Non eſt tacitus in iſto argumento prætereundus Euthymius, de hoc infantium præconio opportunè, & veraciter elocutus. Sic ille: *Stupore pleniſſimum eſt hoc miraculum. Tunc enim chorus puerorum lactentium clarè loquutus eſt. Siquidem non ſimpliciter pueri erant, ſed pueri infantes ac lactentes. Perfeciſti verò, id eſt, perfectã ex imperfecto ore feciſti. Benè autẽ dixit: Ex ore infan*

Euthymius cap. 46. commentarij in Matth.

SENSVS LITERALIS.

Quia Scribæ & Pharisæi erant fidei desertores, ideo Christus illos deseruit.

In hæc verba:

Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis.

Perfidia Scribarum fuit Christo argumentum secedendi extra Ierusalem.

VT orbis vniuersus pugnat contra insensatos, Deo instruente in obsequium suum etiam res inanimes; ita & linguæ omnes acuuntur ad configendam Scribarum & Pharisæorum perfidiam, quæ Christo secedenti foras præstitit argumentum. Prior lingua Hebræa sua spicula intorquet ויעזב אותם *veiangbazeb otham*, id est, *Et deseruit illos.* Nota, Hebræum textum adhibuisse in Scribas & Pharisæos idem verbum, quo Isaias carpit Iudæos aliàs infideles, sic succentius ואתם עזבי יהוה *veothem nghozebe iehoua*, id est, *Et vos desertores Domini.* Ab eadem radicali עזב *nghazab*, id est, *deseruit*, illæ duæ voces fluunt יעזב *ianghazeb*, id est, *deseruit*, & עזבי *nghozebe*, id est, *desertores.* Lingua Hebræa sic insinuante, Christum ideo deseruisse Ierosolymam, quia erant inibi desertores.

Ex lingvis.

Chaldæa. Siriaca.

Syrus interpres aliud verbum adhibuit meæ sententiæ propitium ושבק אנון *vaschbak enum*, id est, *& repudiauit eos.* Verbum שבק *schebak*, Chaldæis & Syris, significat, *relinquere, & repudiare.* Ab eo nempe verbo fluit nomen hoc verbale שבוקנא *schubkono*, id est, *repudium*, vt videre est Marci cap. 10 vbi dictio illa vsurpatur. Vnde falluntur illi interpretes, qui arbitrantur, Christum eo solo Ierosolymam dereliquisse, quia nemo eum ausus est hospitio excipere. Non inficior, illam rationem fortè Christo occurrisse, sed nego eam fuisse adæquatam causam abeundi foras: & Syrus interpres nodum hunc diluit eruditè, monens, Dominum Iesum derelinquendo Scribas & Pharisæos, eis dedisse libellum repudij, vt & aliàs interminatus erat dicens: *In peccato vestro moriemini.*

Quid Christus voluit significare relinquendo Scribas, & Pharisæos

Ioann. 8.

Rursus dixi, Dominum recessisse, vt vel sic daret locum iræ suorum æmulorum, quos liuor exasperans pessimè lancinabat. Græca versio eò collimat. Καταλειπὼν αὐτοὺς, ἐξῆλθεν ἔξω, id est, *cessit eis, & abiit foras*: siquidem, καταλιμπάνω significat, *relinquere, & cedere.* Ita Plato vsurpauit illam vocem, χώραν καταλιμπάνειν φαύλοις ἀνθρώποις, id est, *locum dare improbis hominibus.* Si quis ergo plenam atque luculentam velit explicationem textus, qui affirmat, Christum dereliquisse Scribas & Pharisæos, & in Bethaniam abiisse, ille poterit ita optimè commentari. Vbi aduertit Christus, Scribas & Pharisæos vt fidei desertores velle suis immori deliriis, ille se talem eis exhibuit, quales se erga ipsum antea præstiterunt. Namque desertores Christi, eumdem etiam experti sunt desertorem, vtrique suo extremo dispendio: siquidem Dominus ille auersatus hominum nequam animos infideles, eos feriit æterno repudio, passurus ipse quinto post die repudium Synagogæ, clamantis se non habere Regem alium præter Cæsarem. Ne autem perduelles homines aliquid tentarent ante tempus definitum, præscius ille Dominus loco cessit, ne pernoctando Ierosolymis, æmuli eius struerent insidias, ante moras ab ipso temporum omnium Domino præstitutas.

Plato epist. 9.

Christus abeundo foras dedit locum iræ Scribarum.

Itaque varia illa significata petita à linguis, subscribunt variis auctoribus, varia promentibus, dum expendunt causas, quibus vrgentibus Christus abiit foras. Lingua Hebræa causam refundit in Scribas, qui deseruere priùs Christum, à quo eadem mulcta excepti sunt, deserti à Christo. Chaldæi & Syri infidelitatis arguunt Scribas & Pharisæos, quibus ideo dedit libellum repudij. Græcus interpres secessum Christi refundit in mansuetudinem eius, quæ dedit locum iræ hominum, quos omniscius ille Dominus apprimè nouerat noxia machinari. Illa animaduersio facta consciis præcipuis linguis, me distrabit à sententia Maldonati, qui solam causam secessus Christi affirmat fuisse nequitiam Iudæorum, quorum Christus ideo commercia dedignatus aliò transmigrauit. Esto enim ille liuor æmulorum Christi suffecerit ad secessum illum; hoc tamen non alias eliminat causas, quæ ad exitum hunc Dominum induxerunt: & præcipuè cùm magni nominis auctores in illam eant sententiam, quæ etiam linguas possidet obstetrices. Aduerte obiter, lector, eum esse Canonem obseruandum ab eo qui sacras enucleat Scripturas, vt siquando contrarios habeat Patres Sanctos, non eos statim explodat, sed satagat explicare sententias eorum, adhibito etiam honoris elogio, vt decet Sanctos, quibus in hac alea corusca lumina cœlitus affulserunt.

Sensus adæquatus illius textus vbi Christus dicitur reliquisse Scribas.

Regula obseruanda ab eo qui Sacras Scripturas interpretatur.

SENSVS LITERALIS.

Christus impietatem hominum nequam exosus, eos tandem derelinquit.

In hæc verba:

Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam.

CONIECTVRA TERTIA

Ex SS. Patribvs.

INsigne scitum Platonis est, debere quempiam velociter cedere ciuitate si tres istæ causæ eum perurgeant. Prima est, dum Præfectus ciuitatis est homo nequissimus. Altera si ciuium improborum numerus potior est numero ciuium optimorum. Tertia demum, quando dispendia tanta sunt, vt commodis præponderent. Tres illæ coïerunt causæ ad accelerandum exitum Christi ex Synagoga. Nimirum Præfectus Synagogæ Caïphas Pontifex maximus erat homo nefarius, vtpote iniquis artibus euectus ad Pontificatum, quem alternis gerebat cum socero. Adeò præualuerat nequitia sacerdotum, vt rarus esset in illa nebulonum turba, qui non esset pessimus. Denique Christus illic oleum & operam perdiderat, nactus animos infideles. Vnde longiores

Quare quis debeat velociter aliqua cedere ciuitate.

Causæ quæ sollicitarunt

Christum, vt exiret foras extra Ierosolymam.

giores ibi moras facere non censuit opportunum: maiora namque dispendia illic passurus erat, quàm commoda collecturus, perfida quippe Synagoga anhela in cædes Prophetarum, nihil rgortem Christi Domini cogitabar. Itaque desertores illos hodie Dominus equidem prudenter deseruit, vtique sui secessus habens multiplex argumentum, infidelitatem scilicet Iudæorum, & paupertatem suam, qua vrgente caruit diuersorio magnificus ille triumphator.

Ex SS. Patribvs.

Hieron. in cap. 21. Matthæi.

Ita Hieronymus. *Reliquit incredulos, & vrbem egressus contradicentium, iuit Bethaniam, quod interpretatur domus obedientiæ, iam tunc vocationem Gentium præfigurans: ibique mansit, quia in Israel permanere non potuit. Hoc quoque intelligendum est, quòd tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem: sed in agro paruulo apud Lazarum sororesque eius habitaret: eorum quippe vicus Bethania est.* Hactenus ille sacer interpres, Duas subiiciens causas exitus Christi, quas & ego mea conclusione recensui.

Auctor operis imperfecti, in Matthæum hom. 38.

Auctor operis imperfecti, meæ etiam subscribit sententiæ commemorans & aliam causam à me prælibatam, cùm dixi Christum cessisse ciuitate, ne perfidi homines iratum atque odij caperent incrementum. Sic auctor anonymus, qui Chrysostomi nomine circumfertur. *Relictis eis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, & mansit ibi. Vt recedendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem meliùs locum dando potes vincere, quàm respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare; & illum non placas, & teipsum subuertis. Et mansit ibi. Noluit manere in Ierusalem, de qua iam voluntate recesserat, quæ in mortem Domini sui iam manus armatas tenebat, seipsam magis occisura, quàm Dominum: sed mansit apud Lazarum, & sorores eius, vt illic requiesceret corporaliter, vbi & spiritualiter repausabat. Nam sanctorum virorum est, non ibi quærere mansionem, vbi clariores sunt viri, sed vbi fideliores: nec gaudent vbi epulæ largæ sunt, sed vbi sanctitas floret.* Vide quàm concordes sint Patres, & linguæ, ex quibus palàm feci tres causas exitus Domini Redemptoris.

Auctoris sententia de exitu Christi extra Ierusalē probatur ex cōcordia linguarum, & Sanctorū Patrum.

Hilarius Canone 21. in Matth.

Adiice præfatis adhuc Hilarium, liquidò affirmantem Christum reprobatum à Synagoga eam deseruisse vt infidelem, & fecisse sibi præcones paruulos pendulos ab vbere. Sic ille: *Cessantibus prudentum iudiciis, hanc sibi à pueris & infantibus, quorum sit regnum cælorum, confessionis gloriam præparatam: quia prudentes & principes sæculi sapientiam Dei reprobauerunt, Christum autem regenerationis paruuli lactentesque sint prædicaturi. Et his dictis, ciuitatem egressus reliquit eos, atque in Bethania mansit: infidelem scilicet Synagogam deserens, in Ecclesia Gentium demoratur.* Proximo titulo ex indagine linguarum traduxi Hebræum textum, quo Iudæos ostendi desertos à Christo, quia erant ipsimet impij desertores. Subieci & sensum Syri interpretis, cuius idioma vocat repudium, illum secessum Christi, indicem repudij æterni, quod dabat Christus illi generationi nequam. Hæc duo significata concolores habent Patres antea recensitos, qui Christi recessum refuderunt in Iudæorum perfidiam, & in liuoris æstum, quo in Christum Gens illa percita iactabatur. Vna superest notio petita à Græcis: illa nempe qua ostendi Christum abeundo foras dedisse locum iræ æmulorum, ne quid tentarent ante momenta à Domino præstituta.

Chrysostom. homil. 68. in Matthæum.

Ita Chrysostomus. *Verùm quoniam multa erant, quibus inflammabantur turba, videlicet facta simul & dicta, eiectio vendentium de templo, miracula, paruulorum laudes: ne tumor eorum omnino exardesceret, non incepit docere, sed relinquens eos, discessit.*

Euthymius cap. 46. commentary in Matth.

In eam etiam sententiam veluti pedibus abiit Euthymius ita fatus: *Relictis illis exiuit è ciuitate in Bethaniam, & demoratus est illic. Exiuit, vt affectus tumorem in illis remitteret, & accensum inuidia eorum ignem extingueret.* Habet itaque mea conclusio quòd gestiat, vtpote cui sanctiora Patrum oracula suffragantur.

MORALIA

MORALIS EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt propositiones discussa moraliter.

I. Matth. 21. CVM intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?

II. Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.

III. Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo; & sanauit eos. Videntes autem Principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

IV. Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

SENSVS MORALIS distributus in tot titulos, quot prostant sectiones moraliter discutientes textus prælibatos.

I. QVia superbia tinea est egregij cuiusque facinoris, hanc sedulò cauere debet anima bonis actibus assueta. In hoc discrimen non incurret homo, qui recolet, ipsa virtutis incunabula esse Dei & non animæ negotium. Primus namque boni cogitatus, hominem ad praxim inducens, diuina est motio, non humana, quod quisquis alto versabit animo, deponet ille typhum, indiuiduum ferè comitem boni operis: quippe gloriandi omne decidet argumentum.

II. Hac meditatione cautior anima effecta, edito aliquo specimine virtutis arduæ, refundet gloriam eius in Deum, qui præuia motione subiit hominem, facturus eum mysticam Ierosolymam, si vt par est excipiatur ab anima, cui impertit affines omnino dotes illis, quibus olim Ierosolymam dignatus est.

III. Vt fiat homo compos harum gratiarum, humili Deum sibi conciliet obsequio. Nempe Deus refuga superborum, humilibus assuescit: qui hac consuetudine illustrati plura de Deo norunt, quàm elati homines, qui sæculi scientia tincti tument.

IV. Huiusmodi homines recreati hospitio Dei, fiunt templum eius, vbi ne quid offendat oculos hospitis inclytæ maiestatis, hoc sibi indicunt pensum; scilicet, vt foras trudant quicquid bestiam sapit, & irrepsit in cor, cuius penetralia Deo sacra brutis haudquaquam debent esse communia. Vnde quia procul est ab hoc sacrilegio anima facta Dei templum; sedula vacat illi repurgio, quo pelluntur omnia brutalia, id est, vitia deterguntur.

V. Anima verò, quæ secus faxit, tantùm abest vt Dei consuetudine gestiat, quinimò patitur eum auersum, & dantem libellum repudij: Qualem nempe Deo se exhibet homo, talem & ipse Deum pariter experitur: Vnde desertores Dei, iniquè suas texunt querelas, causantes se vitiis indulgere, quia Deus non influit. Querulum hoc lamentum gratis effictum est: quippe Deus omnibus est propitius, nec omnino deserit, nisi priùs ab impio procul fuerit amandatus.

SENSVS MORALIS.

Anima suo Marte nequit assurgere ad actiones supernaturales.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.*

SECTIO PRIMA.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX PHILOSOPHIA, ET THEOLOGIA, ET SS. PATRIBVS.

Animæ cum naui comparatio in his quæ ad motû spectant.

NAuis alto commissa mari, instructa velis explicatis, atque rudentibus opportunè tensis, immota manet nullo reflante vento: quod namque naues varias orbis oras lustrent, & reduces portum subeant vnde soluerunt, illud non est virtutis alicuius nauibus insitæ negotium, sed beneficium auræ, quæ benefica velis afflans, naues vel inuitas quatit & euehit ad arbitrium æstus, quo procera hæc corpora lignea percelluntur. Nempe sua natura naues nulla valent facultate progrediendi, sed eam omnem si qua vigent deforis emendicant. Ecce typum animæ assurgentis ad ardua facinora. Illa nimirum ausa quidpiam in ordine ad gratiam & gloriam, suas naturales agendi metas præterit aliunde percita, æmulata motionem Ierosolymæ ad introitum Christi. Vrbs illa ingrata, assueta Christo, flocci fecerat consuetudinem eius, incuria salutis suæ. Sed hodie cœlitus acta, & de Christo impensè sollicita, ciuitas hæc confluit tota, quisnam sit Christus à populis auditura. Vt illa motio, Ierosolymitas inducens ad obsequium Christi, fuit à Deo suggerente meliora; ita & omnes animæ motus, dirigentes hominem in meliorem frugem vt suæ saluti consulat, sunt ab eodem Christo Domino cœlitus influente.

A Christo sunt omnes animæ motiones quæ conducunt ad gratiam.

Ex PHILOSOPHIA. *Aristot. l. 7. Physic. initio. Idem lib. 8. Physic. c. 5.*

In eo argumento potest opportunè adduci hoc Philosophi effatum: *Omne quod mouetur ab alio mouetur.* Vnde Philosophus probare intendit dari primum aliquod principium immobile, à quo omnia mobilia motum accipiant. Vt enim subiicit idem Aristoteles: *In mouentibus, & motis, non fit progressus in infinitum.* Verbi gratiâ, securis à fabro mouetur obsequio manus, & hæc in virtute brachij; brachium autem à corde capit & à neruis vnde moueatur: in cor verò iugiter influit anima nescia feriarum: Quòd autem anima motum impertiat cordi, arteriis, & musculis, habet à Deo, qui stabilis immotusque manens dat cuncta moueri. Sicque voti compos fit ille Philosophus, insinuare volens esse deueniendum ad aliquod ens immotum, cuius influxu omnia alia entia perculsa suo motu gaudent. Cùm ergo animæ motiones reduci possint ad naturam motus, etiamsi sint supernaturalis ordinis, vt & gratia ipsa habitualis participat naturam qualitatis, valebit axioma ad probandum titulum huius sectionis, cui incumbit adstruere, animam esse impotem ad cœlestia facinora nisi cœlitus agitetur. Sic enim arguo ex meris Philosophiæ fontibus: Omnis animæ nisus, eam dirigens ad gratiam & gloriam, motio est: Ergo habet illum motum ab alio, nisi velis Philosophum argui falsitatis, dum affirmat vt rem indubiam, illud omne quod mouetur, ab alio moueri. Si dicas, motionem illam internam esse ab anima; contrà insisto: Qui dat esse, ille & dat consequentia ad esse: Ergo Deus, qui dedit animæ totum illud esse quo constat & vegetat, dedit etiam omnem illam supellectilem, qua stipatur animâ mouens se ipsam; ac proinde motus animæ refundendus est ad illud ens entium, à quo suum esse primitus emendicat.

In motibus est deueniédum ad aliquod immobile principium.

Et reuera sensus Aristotelis ille est, vt omne quod mouetur, habeat ab aliquo agente extrinseco vt sit in actu primo ad motum, contineatque in seipso principium elicitiuum motus: nihil namque infra Deum suum esse sibi vendicare potest, cùm omnia precariò tantùm sint, & ad Dei nutum pessum ire queant. Sed quia conclusio illa est extra aleam Philosophiæ, ad Theologiam prouoco, cuius est versare materias Deo dignas, vt sunt illæ omnes animæ motiones, quibus ad Deum animæ deducuntur. Nota, motiones illas quibus allicitur anima ad meliorem frugem, vocari gratias Dei per Christum; non quòd formaliter animam Deo gratam efficiant, sed quia sunt auxilia, & dona Dei gratis data homini, cui Christus illa Passione sua meruit. Nempe beneficus hic Redemptor meruit hominibus ea omnia, quæ conducunt ad id propter quod carnem induit, & passus est: At redemptionis humanæ omne negotium confectum est, vt homo resurgeret à peccato redux ad gratiam, & demum fieret compos gloriæ æternæ. Quia igitur omnia bona opera edita ab homine, eum aliquali modo disponunt ad remissionem peccatorum, vt videre est ex Daniele suadente Regi nefario, vt redimeret eleemosynis peccata sua: profectò citra dubium est, hos omnes animæ impetus, quibus vrgetur ad virtutum praxim, aut assurgit ad supernam aliquam notitiam esse gratias Dei per Christum, illi animæ cœlitus erogatas.

Ex THEOLOGIA. *S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 1.*

Quid gratias nomine propriè intelligant Theologi.

Ne tamen gratiæ nomen imponat cuipiam imprudenti, illud est sedulò recolendum: scilicet gratiam distingui in habitualem, & in actualem, & vtrique gratiæ hoc esse commune, vt sit superioris ordinis, vtpote Dei donum superans omnes naturæ vires. Rursus hoc est alto animo commendandum, videlicet gratiam habitualem, qua formaliter homo Deo gratus efficitur, stare non posse cum peccato mortali: quod tamen secus est de gratia actuali, quam coire in homine obnoxio lethali noxæ, res est vernacula. Nempe nuncupamus gratiam actualem, omnem animæ motionem, qua vel illustratur intellectus enitens ad aliquam notitiam boni amplectendi, vel affectus accenditur ad amorem virtutis. Hi omnes æstus, quibus anima percita fertur in bonum, gratiæ actualis nomine recensentur. Huius generis fuit illa commotio Ierosolymæ, confluentis obuiam Christo, & quærentis quisnam esset: illa nimirum indagine cautior hæc ciuitas effici potuit, sospitatori suo quantocyus obsequendo. De huiusmodi motione graues olim controuersiæ doctores in varias distraxere partes, & ingrauescente discordia, Ecclesia compositura litigium plura coëgit Concilia, vbi nostra conclusio vt orthodoxa & de fide fuit definita.

Gratia, alia est habitualis, alia actualis.

Præcipuæ

Quid Pelagius senserit de gratia actuali.

Præcipuæ tragœdiæ in hac alea excitatæ sunt à Pelagio, cuius hoc fuit hæreticum dogma: videlicet hominem solius naturæ obsequio, se aptare posse ad gloriam æternam, & eam mereri ex condigno. Non ibat inficias homo sacrilegus, motiones diuinas esse vtiles ad assequendum finem illum faciliùs; sed negabat esse homini necessaria talia auxilia, cùm natura sufficeret ad præstanda ea, quæ necessaria sunt ad æterna præmia comparanda. Deo sanè fuit iniuria ac proinde blasphema illa Pelagij sententia, quam meminit Augustinus. Hoc Pelagij virus ebiberunt alij homines, hoc iniquo patre sati. Hi dicti fuere

Quid Semipelagiani senserint de auxiliis diuinæ gratiæ actualis.

Semipelagiani, quia partim cum eo concordabant, & partim ab eo dissidebant. A Pelagio discordabant in eo, quòd necessariam gratiam actualem affirmabant ad promerendam de condigno vitam æternam: Pelagio tamen coutebantur in hoc, quòd credebant talia auxilia à Deo concedi intuitu boni alicuius operis editi solius naturæ viribus. Hos hæreticos refellere non est mei moralis instituti, sed hîc tantùm mihi incumbit probare, motiones, quæ conducunt ad gratiam & gloriam, esse à gratia Dei actuali, quæ est toto cœlo dissita à concursu illo generali, quem rebus etiam inanimis Deus exhibet, vt suas actiones exerant; qualis est cooperatio Dei cum igne comburente, & lapide deorsum inclinante.

Quare natura nequeat hominem sollicitare ad actiones supernaturales.

Esse motiones illas à speciali auxilio & concursu Dei, sic probo: Nemo ad bonum amplectendum fertur, quin aliqua boni cogitatio præluserit: Ergo cùm omnis notitia practica boni sit à Deo & non à natura tantùm, impetus ille voluntatis perecitæ ad amplexum boni erit ab eo qui menti desuper illuxit. Tota namque notitia naturalis petitur à sensibus, qui vt corporei sunt, plerumque animæ imponunt, capti suis illecebris, quarum dum species affricant animæ, illa hallucinans in delectu boni miserè dementatur. Et quia natura à Deo deuia prona est in malum; solo sensuum obsequio nequit homo assurgere ad audendum aliquod virtutis emeritæ facinus, atque ita homo est indigus alicuius auxilij, quo vt obstetrice queat bona opera parturire. Quippe nequit natura imbellis seipsa ruinas suas vt par est reparare: quotidiano namque experimento liquet, nihil omnino suggeri à sensibus præter corporea, in quæ incurrunt sensus. Vnde tantùm abest vt anima subsidium inde petat ad virtutum praxim, quinimò patet, eam obstringi multis dispendiis. Inde palàm est, animam siquando enititur ad opera ardua & sensibus inimica, aliunde moueri quàm à natura, cuius ingenium est sensuum obsequio mancipati.

Quare motiones animæ enitentis ad egregia virtutis facinora, non sint naturales, sed à speciali Dei auxilio.

Tacitam prætereo rationem illam Theologicam toties decantatam: videlicet nullum omnino agens præterire suam sphæram actiuitatis, & modum agendi sequi rationem essendi, ideoque animam ex se non habere quo anhelet ad supernaturalia, si non aliunde, id est, à Deo percita moueatur: omnes namque animæ facultates sunt in ordine naturali, quo conclusæ vt cancellis nequeunt proprio Marte aliò transilire. Si ergo anima meditatur aliquod egregium facinus, & se accingit ad edendum specimen aliquod virtutis heroïcæ, profectò diuino percellitur œstro. Imò Doctor Angelicus, Theologorum apex, ait bonum virtutis politicæ esse quidem commensuratum humanæ naturæ, ideoque posse voluntatem ferri in tale bonum sine gratia gratum faciente; indigere tamen auxilio gratiæ actualis. Idem Sanctus suspicatur, Aristotelem conscium infirmitatis hominum circa virtutum praxim, subodoratum fuisse hominem indigere aliquo auxilio deforis illato, vt opus aliquod optimum auspicetur. Sic Aristoteles: *Initium bonæ consultationis est à bona fortuna.* Id est, à Deo ingerente scilicet vel per se, vel per Angelos, vel per res externas prouidentia sua vt par est aptatas, bonas cogitationes in animam. Ita S. Thomas explicat illud effatum Philosophi.

Thom. 1. 2. q. 136. art. 3 ad 3. Arist. l. 7. moral. ad Eudemum c. 18. Thom. 1. 2. q. 109 art. 2. ad primum.

Concordant Patres: nec vllus eorum vnquam dubium fecit ortum illarum motionum, quibus anima se accingit ad bonum aliquod opus. Duo exempla traducit Augustinus, quæ licet sint in genere morum, nec directè ad beatitudinem explicitam spectent; tamen ait fuisse edita Deo percellente. Primum est Assueri, qui, Deo conuertente cor hominis iracundi, factus est propitius Reginæ Esther. Ita Augustinus: *Intelligendum atque fatendum, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Alterum exemplum est Polemonis discoli adolescentis, qui audito Xenocrate se recepit in meliorem frugem. Sic Augustinus: *Xenocrates Polemonem de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum, verùm etiam tunc ebrium ad mores alios conuertit. Quamquam ergo ille non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne idipsum quidem, quòd melius in eo factum est, humano operi tribuerim sed diuino.* Si ergo motio hæc fuit diuina, hominem tantùm sollicitans ad virtutes naturæ consonas, vnde putas fore motus, qui animam euehunt ad fidei & charitatis actus exerendos?

Ex SS. PATRIBVS. *August. l. de gratia Christi cap. 24. & epist. 130.*

SENSVS MORALIS.

Non propriæ virtutis, sed gratiæ Dei est, quòd homo se accingat ad edenda ardua facinora, vnde & hinc operæpretium est humilitatis capiat argumentum.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex SS. Patribvs, et Ex Ivre Canonico.

Virtutes abortiunt obstetricante inani gloria.

VT editio cuiusque facinoris egregij non vulgares animos petit, sed cordatos; ita etiam inanis gloriolæ præsentissimum periculum instat, insigni aliquo opere perpetrato. Idcirco operæpretium est, animam virtutibus fœtam cautè inuigilare sibi, ne imprudens abortiat. Incurrit autem in discrimen abortus anima, singulare facinus editura, si suis viribus assignat gloriosum illum partum, cuius in Deum vt auctorem est omnis gloria refundenda. Ne in hæc dispendia impingat

Quomodo consulitur animæ enixæ bonas actiones.

impingat anima incauta, obstetricante inani gloria, articulus iste cauet, cum superiore articulo fraternizans; vtpote versans illud idem argumentum, cui incumbit probare, diuinas esse & non ab homine motiones illas, quibus vrgetur homo ad actiones superioris ordinis, vt fidei, charitatis, & virtutum, quas stipendia æterna manent. Probato nimirum hoc titulo, consuletur animæ enixæ probas actiones: dum namque recolet, se imparem esse supernis actibus, Dei feriante influxu; omne suarum virtutum pondus referet in præuiam Christi Domini motionem. Nempe anima, cui insedit se impotem esse ad obeundos cœli calles sine ducatu Dei, nusquam de editis aliquando bonis actibus insolescet, imò supplex eò semper vota diriget, scilicet vt supernè moueatur, veluti conscia suæ indolis imbecillæ. Quàm autem sit indignus homo superni auxilij, vt assurgat ad statum gratiæ & gloriæ æternæ, accipe hoc discursu.

Homo suo Marte nequit ferri ad virtutes naturales sed singulari indiget auxilio Dei.

Ex SS. Patribus.

Si homo suoptè Marte nequit ferri ad virtutes naturales, qualis est temperantia; sed speciali auxilio Dei indiget: Ergo maius ei facesset negotium actio superans omnia naturæ conamina, vt est propositum conciliandi sibi gratiam Dei, cuius iacturam fecit impiè delinquendo: Sed ex superiore articulo patet, hominem esse moralibus virtutibus imparem, nisi cœlitus adiuuetur: Augustinus enim recensito exemplo Polemonis, qui ebrietate desudans, vt audiit Xenocratem Philosophum, sobrietatis amore captus composuit mores suos in posterum, ait illud propositum virtutis amplexandæ fuisse singulare Dei donum, quo si vt par erat vsus fuisset hic Polemo, Deus ei potiora charismata, quæ ad gratiam conducunt, cœlitus erogasset. Nullus ergo relinquitur ambigendi locus, motiones quæ ad Religionem spectant, esse à Deo, cùm eius sint etiam illi cogitatus, qui pertinent ad affectum virtutis alicuius inferioris ordinis. Habes in calce superioris articuli historiam Polemonis ex Augustino ibidem affirmante propositum illud temperantiæ in homine infideli, fuisse facinus gratiæ actualis, discolum animum excitantis. Accipe nunc eumdem Sanctum, vt insinuat, Polemonem beneficio motionis huius ad virtutem temperantiæ, potuisse se ad aliam motionem accingere, quia Deo miserante sanctior euasisset. Ita Augustinus: *Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus, ita sciret cuius esset hoc donum vt eum abiectis superstitionibus gentium piè coleret, non solum continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter Religiosus existeret, quod ei non tãtum ad præsentis vitæ honestatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret.* Ita Augustinus.

Qui benè vtitur Dei auxilio, is se aptat ad alia maiora auxilia.

Aug. ep. 130.

Quare homo petat in oratione Dominica ne inducatur in tentationem.

Hos impetus, quorum obsequio anima sanctior fit, aut se expedit à laqueis diabolo insidiante prætensis, esse à Deo, Christus ipse liquidò subindicat, monens, iugi oratione petendum esse à Deo, ne nos inducat in tentationem, quod fit Deo denegante motiones congruas ad cauendas omnes technas Angeli desertoris. Si namque suis anima viribus posset declinare malum, oratio illa foret incongrua, quam Christus precum omnium typum fecit. Augustinum accipe denuò reuocatum. Sic ille: *An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donauit ipse nec fecit.* Rursus alibi decurrens eamdem hanc aleam, sibi constans hæc subiicit: *Prorsus non oramus Deum, sed orare fingimus, si nos ipsos non illum credimus facere quod oramus: prorsus non agimus gratias Deo, sed agere fingimus, si vnde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.*

Aug. in lib. de bono persev. cap. 2.

Idem epist. 107.

Quare fidelibus frequens sit vsus orationum.

Præterea si penes hominem esset, Deo inconsulto grandia audere, Christus instante Passione sua præscius defectionis Apostolorum, non eos præmonuisset, vt vigilarent, & orarent, ne intrarent in tentationem; quid namque precibus opus animæ, si ei totum, quo valere potest, de proprio penu constat. Eò spectant Prosperi Aquitanici verba hæc erudita: *Si de vigilando tantùm, non etiam de orando suos discipulos admoneret; solas liberi arbitrij vires videretur hortatus: sed cum addidit, & orate, satis docuit superni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.* Nec aliunde manat frequens orationum vsus in Ecclesia, quàm ex mente conscia suæ impotentiæ ad opus optimum exerendum: alioquin delira foret illa crebrò orandi consuetudo, si quisque suâ posset industriâ illud quod impensè à Christo Domino deprecatur. Ita Augustinus: *Quid stultius, quàm orare vt facias, quod in potestate habeas.*

Pr. sp. l. 2. de vocat. Gentiũ cap. 28.

Aug. l. de natura & gratia c. 18.

Anima etiã gratia habituali conspicua, indiget auxiliis aliis vt assurgat ad actiones supernaturales.

Adeò verax est illa sententia, quæ refundit bonas omnes motiones in gratiam Dei actualem, vt nemo planè excipiatur ab eo influxu, quantumuis emineat sanctitate. Licet enim gratia habituali præpotens sit anima Deo grata; illa tamen aliis indiget auxiliis, vt actiones expediat virtutis emeritæ & ordinis supernaturalis: siquidem esto vegetior sit anima instructa suppellectile gratiæ; est tamen indiga motionis, qua trahitur ad superna, vt in sanctissima patet Sponsa Canticorum, quæ vult trahi, vt currat in odorem Christi. Audiendus in eo themate Bernardus, vtpotè egregiè commentatus. Sic ille: *Sponsane ergo necesse habet trahi, & hoc post sponsum? Quasi vero inuita tum & non libens sequatur. Sed non omnis qui trahitur, inuitus trahitur. Nec enim infirmum, aut debilem, eum videlicet, qui per se ire non valet, trahi ad balneum, vel ad prandium piget. Denique trahi vult, quæ & hoc rogat. Non autem rogaret, si sequi per se ipsam dilectum, pro vt vellet, valeret. Vt quid verò non valet? An infirmam fateamur & sponsam? Si vna quæuis ex adolescentulis infirmam se diceret, & peteret trahi, nequaquam miraremur. At verò de sponsa, quæ trahere & alios, vtpote fortis & perfecta, posse sufficere videbatur, cui non durum sonet, quod & ipsa trahi tamquam infirma vel debilis necesse habeat? De quanam anima iam confidimus, quòd valida sit & sana, si illam infirmam dici consenserimus, quæ pro sui singulari perfectione, & excellentiori virtute, sponsa Domini nominatur? Quantæuis perfectionis, anima quamdiu quidem gemit sub corpore mortis huius, & huius sæculi nequam retinetur inclusa carcere, vincta necessitatibus, torta sceleribus, lentius segniùsque assurgat necesse est ad contemplanda sublimia, nec omnino liberum habeat, sequi sponsum quocumque ierit. Hinc lacrymosa vox illa gementis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis? Hinc supplex illa precatio: Educ de corpore animam meam. Dicat proinde, dicat cum gemitu etiam sponsa: Trahe me post te: quia corpus quod corrumpitur aggrauat*

Bern. ser. 21. in Cantica.

Roman. 7.

grauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Postulas ergo, vt conuersationis ipsius valeat vestigia sequi, vt possit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere disciplinam. In his quippè maximè opus est adiutorio, quo valeat abnegare semetipsam, & tollere crucem suam, & sic sequi Christum. Hic prorsus trahi necesse habet sponsa, nec sanè trahi ab alio, quàm ab eo ipso, qui ait: sine me nihil potestis facere. Hæc Bernardus, equidem sæpe sæpius expertus, quàm opportunè mouebatur anima diuinitus.

Sapient. 9. Corporis sarcina importuna hominem indigum facit gratiæ actualis, vt se accingat ad virtutum praxim.

Ex Ivre canonico.

Doctrina hæc concolor est sacris Canonibus, quibus ita cautum est in variis Conciliis, ne quis in posterum Pelagij virus ebiberet. Nempè Deo afflata Ecclesia sic decreuit in Concilio Tridentino. *Si quis dixerit, ad hoc solùm diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt faciliùs homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium, sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen, & difficulter possit, anathema sit.* Illud idem aliàs fuit prædefinitum in secundo Concilio Arausicano, cuius accipe Canones editos in eo argumento per quàm opportunos. *Nemo ab vlla miseria liberatur, quem misericordia Dei non præuenerit.* Quasi diceret, neminem sese expedire à noxa sine actuali gratia; quam diuinæ motionis nomine nuncupamus. Rursus ibidem sic decretum est: *Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur præcedit vt fiant.* In Concilio Mileuitano, & altero Africano sic fuit & sancitum, vt & in Concilio Carthaginensi, cuius decreta laudans Innocentius Papa, Patribus Concilij hæc rescripsit: *Deus quotidiana præstat beneficia, quibus nisi freti nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores, &c. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo non adiuuante vincamur.* Ea & fuit sententia Gregorij Magni Pontificis ita decernentis: *Superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis, vt subsequente nostro arbitrio, bonum quod appetimus agat nobiscum.*

Conc. Trid. sess. 6. Can. 2.

Concil. II. Arausic. can. 14. & 18.

Conc. Milen. can. 5.
Conc. African. can. 80.

Innoc. Papa apud Aug. epist. 91.

Gregor. l. 16. Moral. c. 10.

Ex præfatis abundè liquet, an homini suppetat argumentum gloriolæ inanis postquam aliquod facinus operosum fortiter exantlauit. Namque homini moto desuper ad opus insigne, gloriari perinde est ac si spicula validè intorta glorientur de victoria reportata. Itaque Deo sunt rependendæ grates congruæ ab eo, qui animum suum ad aliquod virtutis specimen applicuit: quia boni cuiusque operis initia, progressus, & colophon, suum esse cœlitus emendicant. Ita Bernardus: *Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis. Primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit: ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum, internus opifex innotescit. A Deo ergo sine dubio nostra fit salutis exordium, nec per nos vtique; nec nobiscum: Verùm consensus, & opus, etsi non ex nobis, nunquam tamen sine nobis. Cauendum ergo, ne cùm hæc inuisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati, quæ nulla est, sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; seruat, ne sentiat defectum.* Anima conscia huius doctrinæ, fiet virtutibus humilior, vtque fiat diuina motio vegetior, sedula crebris à Deo precibus impetrabit.

Omnis bonorum omnium operũ summa est à Deo

Bern in tract. de gratia, & libero arbitr.

Quomodo se habeat anima ad gratiam excitantem & cooperantẽ, an passiuè tantùm, aut actiuè.

SENSVS MORALIS.

Anima, quam Deus inhabitat, iisdem ferè priuilegiis gaudet, quibus olim Ierosolyma, & alibi omnes ciuitates dignatæ Regum incolatu.

In hæc verba:

Cùm intrasset Iesvs *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.*

SECTIO SECVNDA.

Articvlvs Primvs.

Ex Antiqvitate; Ex SS. Patribvs, et Ex Ivre Cæsareo.

Etsi Deus nullo singularis alicuius loci carcere concludatur; aliquo tamen locorum delectu gaudere dicitur in Scripturis, vt de Ierosolyma in confesso est apud omnes; quippè illic erat fas tantùm sacrificare, & Deum colere ritibus institutis. Ita esto Deus permeet omnium hominum mentes; non eas tamen omnes similiter afficit, neque dignatur influxu consimili. In has duntaxat propitius influit, quas incolit gratiâ decoratas. Cùm nempe sua stipatus gratiâ tales animas subit, easdem ferè dotes illis impertit, quibus olim Ierosolyma gestiit. Primò ciuitas illa fuit Iebusæorum arx munitissima, & spelunca hominum impiorum. Sed Dauide eam oppugnante repurgata est hæc ciuitas, & Deo rerum omnium Domino consecrata. Ciuitas illa prius vitiorum omnium colluuie infamis, nacta fuit nomen congruum suæ nequitiæ. Nimirum, יבוס *iebus*, perinde est ac pollutio, prædatio, conculcatio, & præsæpium, à radicali, בוס *bus*, id est, polluit, prædatus est, conculcauit. Hoc nomen ei inditum est à Iebusæo filio Chanaan. Ast vbi facta fuit iuris Hebræorum, dicta est Ierusalem, quasi ירְאֶה.שָׁלֵם *ireeh-schalem*, id est, videbit perfectionem: alij interpretantur visionem pacis. Ita anima prius diabolo mancipata fuit Iebus, id est, conculcata vitiis, & præda peccati; ac proinde polluta Dei expers; sed Deo miserante iniquam huius animæ sortem, vbi illa Dei hospitio dignata est, excidit nomine hoc profano, & sancto fuit Ierosolymæ titulo decorata. Nec nominis vmbra solùm gestit anima redux Deo facta, verùm etiam dotes omnes participat, quæ vrbem Ierusalem præ aliis omnibus ætati posteræ commendarunt.

Deus non similimodo omnes animas inhabitat.

Ex antiqvitate Ivdæorvm.

Vnde dicta fuerit Iebus & quid hæc vox significet.

Gen. 10.

Animæ ad Deum reducis comparatio cum vrbe Ierosolyma.

Euangelio hodierno fit mentio gratiæ singularis, qua Ierusalem affecta est, Christo subeunte pomœria eius: illa nimirum commota est tota, & de Christo fuit maximè sollicita, quasi cœlitus illustrata. Hoc etiam beneficio fit anima ditior, statim atque Dominus Iesus in eam illabitur. Hæc siquidem sagaci scrutinio inquirit: Quis est hic? Id est te accuratè lustrat, & suis omnibus actibus inuigilat,

inuigilat, an quidpiam intimis animæ recessibus deliteat, quod offendere queat oculos Domini Redemptoris. Nempe illa sagax inuestigatio suarum actionum arguit Christum cordis intima subiisse.

Thalmudici decem alia commemorant priuilegia, quæ congruè possunt beatis mentibus adaptari. Primum est, Ierosolymis domum non diuendi lege mancipij: nihil enim ex Thalmude potest deperire Ierosolymis proprio Domino. Hæc reuera sors est animæ Deo gratæ: quicquid agit hoc refertur in eius compendia, nihilque omnino deperit animæ Christo Domino mancipatæ. Alterum priuilegium est, Ierosolymam non teneri lege, qua homine confosso in agro proximæ ciuitatis seniores vitulam deducebant mactandam, vt cædes sic expiata non esset malo omini proximæ ciuitati. Anima quæ Deo cessit, nullius omnino criminis est conscia, quicquid alij homines peccent: non enim inficiuntur iusti contagio hominum impiorum.

Gemara Cod. Baba Kam. edit Venet. fol. 82. pag 2.

Eximiæ dotes animæ, quam Deus inhabitat petitæ à priuilegiis vrbis Ierusalē.

Tertium priuilegium est, Ierosolymam non subiacere minis, quæ in alias ciuitates cœlitus intorquentur. Esto Dei flagella deseuiant in iniqua capita, & populentur orbem; iusti tamen impauidi semper sibi constant. Quartum priuilegium est, Ierosolymis nullas debere pergulas tendi, ne quid ex edito loco cadens in die festo noxium sit alicui ex populo confluente. Pij homines adeò sunt omnibus benefici, vt nemo planè querulas voces edat in illos. Sextum priuilegium est, nulla cogi Ierosolymis sterquilinia: fortè quia ciuitas illa bonis odoribus assueta, fœtorem exosa, ab omni fimo penitus abhorrebat. Probi quique Christi bonus odor sunt vbique, nullumque fœtorem vnquam exhalant: sed morte peius & angue oderunt omne subolidum. Septimum priuilegium est, Ierosolymam non habere fornaces calcarias, quia fumus inde exhalans officit plerumque locis, quos infestat. Luxuria fornax accensa septuplum non adurit mentes Deo addictas, nec vlla alia libido flagrans depascitur illa corda deuota Deo: nihil enim prorsus ibi calet præter charitatem. Octauum priuilegium est, nullos Ierosolymis hortos esse, præter rosetа; nam arbores frugiferæ, & herbæ satiuæ fimo indigent, vt pinguescant: vnde cum ciuitas illa sancta abhorreat à stercore, cautum est ne pomaria inibi componantur. Anima sancta veluti floribus consita vernat semper, humili suo habitu violas referens, non proceras arbores, quæ redolentes superbiam, vitij alicuius stercore turpiter adolescunt.

Nonum priuilegium est, fuisse nefas alere Ierosolymis gallos gallinaceos, quia illi scalpendo reptilia foras deducunt, quæ sunt immunda, suoque contagio mundos homines inficiunt. Galli gallinacei sunt symbola synderesis, quæ garrula noctu cantat, suoque importuno cantu hominum noctes insomnes facit: vbi enim quis peccauit, statim nocte opaca illius anima tenebrescit, & inquies animus vrgetur conscientiæ stimulis importunis. Præterea synderesis illa lancinans cor, inde trahit foras crimina quæ latebant: quippe nolens & inuitus sibi homo noxius innotescit. Anima innoxia graues illas nescit angustias, vtpote procul à piaculis, vnde synderesis oritur, ac proinde grato vtitur somno anima nequaquam sibi malè conscia, vitam pacatam agens, nullis inferni metibus inquietam. Decimum tandem

Synderesis cum gallo gallinaceo genuina cōparatio.

Quare synderesis non sit importuna mentibus innoxiis.

priuilegium vrbis fuit, non licere mortuis pernoctare: Ierosolyma namque nihil nisi viuidum suis vnquam voluit concludere pomœriis; hinc fiebat vt cùm cesserat homo fatis eomet die ciuitate corpora pellerentur. Nihil aptius dici potest in gratiam animæ iustæ, apud quam nulla pernoctat culpa: licèt enim septies in die cadat iustus; haudquaquam tamen vlla lethalis noxa perennare potest apud eum, imò neque leuiuscula ex affectu vitia pernoctare: quia vt oculus est pulueris impatiens; ita & anima Deo sacra est prorsus nescia peccatorum. Nimirum virtutes & vitia coire nequeunt.

Cur anima iusta sit vitiorum impatiens.

Ecce synopsim gratiarum, quibus afficitur anima, quam Deus incolit, vt suam cœlestem Ierusalem, de qua Psaltes ita fatur: *Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* Id est, anima facta mystica Ierusalem Deum participat, qui mutationis expers est semper idipsum, vt Augustinus optimè commentatur. Sic ille: *Quisquis erigit aciem mentis, quisquis deponit caliginem carnis, quisquis mundat oculum cordis, eleuet & videat, quid est idipsum. Idipsum quomodo dicam, nisi idipsum? Fratres si potestis, intelligite quid est idipsum. Nam & ego quicquid aliud dixero, non dico idipsum. Conemur tamen quibusdam vicinitatibus verborum, & significationum perducere infirmitatem mentis ad cogitandum idipsum. Quid est idipsum? Quod semper eodem modo est: quod non modo aliud, & modò aliud est. Quid est ergo idipsum, nisi quod est? Quid est quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est: quia non manet. Non omnino non est, sed non summè est. Et quid est, quod est, nisi ille qui quando mittebat Moysem, dixit illi: Ego sum, qui sum.*

Psal. 121.

Ex SS. PATRIBVS.

August. in Psal. 121.

Quid sit idipsum, & quare Deus ita nominetur.

Ecce quid participet anima, quæ euasit in mysticam Ierusalem, quam Dauid ita commemorat. *Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.* Quasi diceret: Illi omnes qui ad Deum pertinent hoc satagunt, vt assurgant ad beatum illum statum, videlicet vt fiant mystica Ierusalem. Anima namque euecta ad sortem illam votis omnibus optabilem est instar Israël, id est, Deum videt quantùm ei fas est, & participans idipsum, suo etiam modo fit idipsum, seu immobilis de bono in malum. Denuò est sistendus Augustinus ita fatus: *Audite testimonium Israël. Israël videns Deum interpretatur: imò diligentius excusso verbo, sic interpretatur: Israël est videns. Vtrumque est videns Deum, quia homo in se non est. Mutatur enim, & vertitur, si non participatio eius, qui est idipsum. Tunc est, quando videt Deum. Tunc enim est, quando videt eum qui est: & videndo eum qui est, fit & ipse pro modo suo vt sit. Ergo ipse est Israël, & videns Deum.* Hactenus ille.

Quid sit Israël, & quomodo fiat homo Israël.

August. vbi suprà.

Benè igitur Ierosolymitæ properant & confluunt ad videndum Iesum, inquirentes quisnam esset: tunc namque Deum visuri in humanis, erunt populus Israël, & eorum participatio erit idipsum. Ita & anima facta mystica Ierusalem ob inhabitantem Deum, Israël est, vtpote videns Deum, quem quia participat, participatio eius est in idipsum, ac proinde procul est ab indole illa inconstanti, quæ dubias & alternas facit rerum omnium vices: qui enim Deo adhæret, vnus spiritus efficitur, nec habet talis anima quòd

inuideat

invideat sortem vrbium, quæ capita quondam fuerunt Imperij, & quas in gratiam incolatus sui Imperatores plerisque gratiis affecerunt. Siquidem Deus hisce dotibus imò & longè potioribus participes facit animas, in quas illabitur. Profectò fuit singulare beneficium quo Romanos dignati sunt Imperatores Honorius, & Theodosius hac edita sanctione. *Nulli sit liberum, nulli permissum, vt nouum aliquid vrbis incolæ in vrbe sustineant: sed in honorem æternæ vrbis, corporatis indulta suffragia valere præcipimus. Cura autem rectorum Prouinciarum, corporati vrbis Romæ, qui in peregrina transgressi sunt, redire cogantur, vt seruire possint functionibus, quas imposuit antiqua solennitas.*

Ex Ivre civili.

Singulare priuilegium vrbis Romę.

Leg. Nulli sit Cod. de priuilegiis corporatorum vrbis Romæ l. 11. tit. 14. lege vnica.

Si indulto Imperatorum Roma suos ciues potuit efficere immunes ab omnibus angustiis, quæ vexare solent vrbes ignobiles; qualem putas sese præstare Deum erga animas, quas incolit? hæc sanè libertas facit ab innumeris ferè molestiis, quæ facessunt importunum negotium illis hominibus, qui Deo abdicato vitiis assuescunt. Angeli rectores talium animarum, illis inuigilant studio indefesso, & siquando deuiarint à recto pietatis tramite, hoc impensè curant, vt reduces animæ, nequaquam degeneres, insitæ virtutum praxi iugiter adhærescant. Iidem Cæsares degentes Constantinopoli, in gratiam sui incolatus, illam vrbem fecere participem gratiarum, quibus Roma caput Imperij gestiebat. Ecce constitutionem editam. *Vrbs Constantinopolitana non solum iuris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogatiua lætetur.* Non est abbreuiata manus benefica sospitatoris Dei: illa nimirum larga est in homines, qui sibi talem conciliant hospitem, accinctum omni agmine gratiarum. Easdem hodie dotes impertit Deus suis hospitibus, quas olim singulis quibusque probis propitius atque liberalis ille Dominus impertiuit. Vnde ex gratiis Sanctorum colligere est, quanta bonorum omnium seges maneat animas benefico illi Domino consecratas, cùm non sit deterioris conditionis ille locuples Deus, nec sit manus eius hoc sæculo decurtata.

Constantinopolis dignata priuilegiis eisdé quibus olim Roma.

Lege Vrbs Const. Cod. de priuilegiis vrbis Const. l. 1. tit. 20. lege vnica.

SENSVS MORALIS.

Locuples & beata est anima, quam Deus subit.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Mathematica, Ex Historia, Ex Symbolis, Et Ex SS. Patribvs.

Ex Mathematica.

Schon. l. de indiciis planet. c. de Ioue.

Quare Iupiter sit planeta beneficus.

EX multo rerum experimento, quo scientiarum omnium incunabula constant, scitum hoc apud homines inualuit: scilicet in planetis esse quosdam infaustos, alios verò propitios atque beneficos. Beneficos vocant eos, quibus creduntur inesse vitæ omnimodæ præcipua rudimenta, quæ duo sunt, humidum scilicet, & calidum. Vnde garrula Mathesis bonitatem affingit sideribus ad trutinam humidi & calidi. Hinc Iupiter est planeta viuificus, quia vt par est inferiora calent, & humescunt, cùm beneuolo aspectu dignantur huiusce sideris errabundi. Valeat pro dignitate sua illa Mathematica obseruatio in rebus Physicis, quæ cœlo moderatore gyrant, & vegetant; & ad arbitrium suum gestiant homines Iouis hoc sidere dominante sati: per me non stat, non equidem inficior, benè valere corpora æquiore cœlo edita, & compacta: ditiora tamen gestiendi argumenta prostant eis, quos Christus Dominus inhabitat; quippe via, veritas, & vita est, animas afficiens gratiis, quarum ille ferax est atque distributor. Duo vitæ principia abundè impertit homini, calorem scilicet, & humorem. Nempè infundendo charitatem, corda accendit; & impertiendo gratiam, sacer humor animam alluit, quæ sic illapsu Dei congruè vegetatur.

Non est profectò domus Dei inferioris momenti, quàm ædes Regum huiusce sæculi, quæ vice asyli miseros vitæ ancipitis fecere securos, morti indubiæ ereptos. In his Dio Cassius celebre exemplum commemorat, quod est Themistoclis, qui impunè versatus est in aula Regis Persarum, ibi lautè exceptus, licet nepotes eius Salaminæ aliàs occidisset. Et licet occisorum iuuenum querula parens, Regis Persarum soror, eum vrgeret ad vindictam; noluit Rex annuere votis huius læsæ matris anhelæ in cædem Themistoclis, ne fieret iniuria Regiis ædibus, hospite trucidato. Nostrates historiæ luculenta exempla suppeditant huius beneficij annexi palatio. Chilpericus enim quartus Rex Galliæ, regno pulsus à suis subditis opiparè habitus est in aula Ludouici Regis Lotharingi. Gallia huius humanitatis specimen edidit perquàm celebre, cùm Carolus VIII. Rex Christianissimus Zizimum Turcam fratrem Baiazethis exulem Regio dignatus est hospitio: Gallia sic testante populis exteris neminem prorsus excipi à benefico influxu Regum Galliæ præpotentis.

Ex Historia.

Regum palatia sũt asyla.

Dio Cassius l. 56. histor.

Themistocles lautè exceptus ab hoste suo Rege Persarum.

Chilpericus oppiparè habitus in aula Ludouici Regis Lothar.

Histor. Gall. in Chilp. I. sub ann. 461.

Hist. Gall. in Carolo VIII.

Eadem etiam humanitate conspicuos sese præstitere erga Christianos principes, Reges Mahumetici, quamuis sæpius inhumani. In eo argumento occurrit Tilleda Rex Granatensis, qui miseratus iniquam sortem Alphonsi Regis Luzitaniæ, quem Sanchez eius frater Rex Castiliæ nequiter expulerat, eum perhumanè excepit. Et licèt homines venefici, magicis artibus assueti, suggererent fore vt Alphonsi posteri regnum Granatense inuaderent; non destitit tamen à suo proposito Rex ille Alphonso propitius, quem propriis etiam sedibus restituit. Vide ex primo Tomo istius Moralis Encyclopædiæ, quàm beneficus & vtilis fuerit Genuensibus Regis Ludouici XII. introitus in eorum ciuitatem. Rex ille Christianissimus aliquales ibi moras faciens, eas omnes impendit in commodum vrbis huius, cui armis & consilio abundè consuluit, tantaque bonorum omnium copia affecit & ditauit, vt Genua grati sui animi specimen editura sanxerit in posterum fore festiuum & solennem diem illum, quo Rex ille beneficus subiit mœnia ciuitatis. Habes eodem Tomo historiam opportunam gratiarum, quas Cardinalis Ximenez impertiuit vrbi Alcalæ, quia inibi natus est Ferdinandus Germanus Caroli V. Imperatoris meritissimi. Cardinalis ille amplissimus

Tilledæ Regis Granatensis Mahumetici facinus perhumanum.

Sanchi Regis Castellæ crudelitas.

Hist. Luzitaniæ in Alphons.

Ludouic. XII. quàm vtilis Genuensibus.

Cardinalis Ximenis facinus egregium, in gratiam natalis Ferdinandi. *Roblez in vita Card. Ximenii.*

amplissimus siquis vnquam alius, regni Hispaniæ moderator sub Ferdinando & Isabella Regibus magni nominis, vt accepit ortum pueruli Ferdinandi, auctoritate Regia fecit immunem illam vrbem à tributis, quæ diuexant vrbes inglorias, indignum ratus tributariam esse ciuitatem illam, quam Deus natali tanti Principis illustrarat.

Ex prælibatis historiis liquidò colligere est, quàm locuples sit hæc supellex gratiarum, quibus afficitur anima facta palatium Christi. Primò in confesso est apud omnes, animam quam Deus inhabitat esse viuidam, & longè ab omni lethali piaculo. Nulla nempè luci conuentio est cum tenebris; neque Deus & vitia cohabitant. Rursus nemo sanus it inficias, animam illam immunem esse à tributis, quæ sensuum illecebræ extorquent ab incautis; nimirum homo factus hospitium Dei, sollicitè cauet ne quid alienum & Deo iniurium irrepat in cor Christo Domino consecratum. Esto fortè aliàs Deum offenderit hæc anima imprudens, iam Deo propitio facta redux, non eo vtitur vltore, sed hospite, suum incolatum maximo fœnore compensante.

EX MATHEMATICA.

Dictus olim est Iupiter quasi iuuans pater, & hoc nomen salutare ideo inditum est sideri maximè benefico, quo subeunte domum aliquam cœli, dicunt Astrologi, omnia quæ pertinent ad domum illam fore fausta, planeta hoc prosperè desuper influente. Sed apage aniles fabulas; tutiora nempe mihi suppetunt & sanctiora oracula in argumento quod decurro: quoties enim Christus suo ingressu dignatur animam, proculdubio bonis illam omnibus afficit, vt testis locuples est Zachæus ille princeps publicanorum, qui post Christum lautè exceptum, audiit ab eodem bonorum omnium fonte: *Hodie huic domui salus à Deo facta est.* Siquis ergo nondum Christi hospes effectus est: is se accingat quantocyùs ad Christi Domini occursum, vt beneficus ille Dominus corde parulo recondatur.

Deo subeũte animas copiosa gratiarum seges ab homine demetitur.

Luc. 19.

EX SYMBOLIS.

Egregio symbolo gratiæ commoda describuntur. *Ioann. Ferrus p. 2. Theatri.*

Commoda illa, quæ percipit anima ex Dei introitu, compendiosè possunt lineari egregio symbolo, cuius meminit Ferrus, pingens concham apertam, in cuius vniones Sol influit, hoc lemmate adiecto: HINC CORPVS, INDE DECVS. Reuera concha suppeditat corpus Margaritis; sed si Sol irradians non influeret, abesset ille decor omnis, quo ditescunt singulæ quæque Margaritæ. Ita & terra multùm conducit ad saginam corporis, & valetudinis incrementum; sed si gratiæ Sol rutilus haudquaquam illuceret, anima nullo prorsus esset decore conspicua, ac proinde Deo esset despicatui. Itaque quadrat ei pictura Symboli tantisper immutata. Nempe describatur homo terram calcans, & oris habitu ad Solem verso, epigraphe adscita. HINC CORPVS, INDE DECVS. Id est, à terra est omne quod in me carne & sanguine coalescit, nempe meum corpus vt est terra satum, inde suum capit carnis & sanguinis incrementum. Hinc à terra scilicet emergit quicquid in me vile & reprobum est. Si quid carnale, & sensuum illecebris litans me diuexat, illud omne corporeum hinc est, nec Deum habet criminis impulsorem: quod verò coruscum est & rutilum in me, illud omne desuper influit, à Deo scilicet, cuius est gratiarum omnium singulare decus; quippe HINC CORPVS, INDE DECVS.

Quidquid carnale lancinat hominem, illud omne est à carne, & non à Deo criminis impulsore.

Breuiùs dixerim, non duntaxat à Deo esse decus, sed in vniuersum omne bonum corporis & animæ nobis cœlitus erogari. Augustinus apprimè eruditus in ea mystica Theologia, hoc vnum satagebat, vt conciliaret Dei ingressum in animam suam, probè callens, illum introitum Christi in cor socium habere bonorum omnium agmen. Accipe Sanctum hunc anhelum in occursum Christi. *Ostende te mihi, consolator meus: videam te, lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei; videam te, lætitia cordis mei. Diligam te, vita animæ meæ. Appare mihi, delectatio mea magna, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ. Inueniam te, desiderium cordis mei: teneam te, amor animæ meæ. Amplectar te, sponse cœlestis, exultatio mea summa intus & extra. Possideam te, beatitudo sempiterna: possideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animæ meæ. Diligam te, Domine fortitudo mea, Domine firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Amem te, Deus meus, adiutor meus, turris fortitudinis mihi, & spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te bonum, sine quo nihil bonum: fruar te optimo, sine quo nihil est optimum. Aperi penetralia aurium mearum verbo penetrabiliori omni gladio ancipiti, vt audiam vocem tuam. Illustra oculos meos, lux incomprehensibilis: fulgura coruscationem, & dissipa eos, vt non videant vanitatem. Fulgura multiplica, & conturba eos, vt appareant fontes aquarum, & reuelentur fundamenta orbis terrarum. Tribue visum, lux inuisibilis, qui te videat. Crea nouum olfactum, odor vitæ, qui post te currat in odorem vnguentorum tuorum. Gustum sana, qui sapiat, & cognoscat, & discernat, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti his, qui pleni sunt charitatis tuæ. Da cor, quod te cogitet; animum, qui te diligat: mentem, quæ te recolat: intellectum, qui te intelligat: rationem, quæ tibi semper summè delectabili fortiter adhæreat. Te semper amor sapiens diligat. O vita, cui omnia viuunt! vita, quæ das mihi vitam; vita, quæ est mea vita, per quam viuo, sine qua morior, sine qua pereo; vita, per quam gaudeo, sine qua tribulor. Vita vitalis, dulcis & amabilis, semper memorialis, vbi quæso es? vbi te inueniam, vt in me deficiam, & in te subsistam propè esto in animo, propè in corde, propè in ore, propè in auribus, propè in auxilio: quia amore langueo: quia sine te morior: quia te recolens suscitor. Odor tuus me recreat, memoria tui me sanat: sed satiabor cùm apparuit gloria tua, & vita animæ meæ.* Hactenus Augustinus.

EX SS. PATRIBVS. *Aug. l. Soliloq. c. 1.*

Oratio affectuosa ad conciliandum Deum.

Quàm suauis sit Dei introitus in animam.

Miserandus est ille status animæ, à qua Deus abest.

Vtinam illa recensio bonorum, quæ secum vehit Deus inhabitans hominum corda, eum sortiatur effectum in nobis, quem in Dauide nacta est commemoratio gratiarum, quibus arca Dei affecit domum Obededom Gethæi, apud quem diuerterat. Nempe vt audiit Rex fuisse beneficam arcam hospiti suo, statim animo suo proposuit illam excipere apparatu congruo dignitati. Augustino auctore didicimus, Deum inhabitantem animas nostras, esse vitam cui omnia viuunt, & cuius expertes animæ mortuæ sunt: igitur operæpretium est, occurrere Deo, per quem non stat, quin corda hominum sint eius sacraria.

2. Reg. 6. Obededom vnde bonis omnibus affectus.

Quibus

Quibus autem præambulis anima demerere queat beneficium illud singulare introitus Dei in cor, illud inuestigare non est arduum negotium, cùm donum illud insigne sit in genere gratiarum, ad quas prima animæ accessio fit, eas feruidè peroptando.

August. vbi supra.

Optimum consilium Augustini de morte obeũda vt anima Dei compos fiat.

Quia versamur in moralibus, non pigebit subiicere vota quibus Augustinus se aptabat ad gratiam illam. Sic ille: *Concupiscit & deficit anima mea de memoria tua, quando veniam & apparebo tibi, lætitia mea? Quare faciem tuam auertis, gaudium meum, per quod gaudeo? vbi est absconditus pulcher, quem desidero? Odorem tuum haurio, viuo, & gaudeo; te autem non video. Vocem tuam audio, & reuiuisco. Sed cur faciem tuam abscondis? Fortè dicis: Non videbit me homo, & viuet. Eia Domine moriar vt te videam, Videam, vt hîc moriar. Nolo viuere, volo mori: dissolui cupio, & esse cum Christo. Mori desidero, vt videam Christum; viuere renuo, vt viuam cum Christo. O Domine Iesu, accipe spiritum meum: vita mea, suscipe animam meam: gaudium meum, attrahe cor meum: dulcis cibus meus, comedam te: caput meum, dirige me: lumen oculorum meorum, illumina me: melos meum, tempera me: odor meus, viuifica me: Verbum Dei, recrea me: laus mea, letifica animam serui tui. Intra in eam, gaudium meum, vt in te gaudeat. Intra in eam dulcedo summa, vt dulcia suscipiat. Lumen æternum, illustra super eam, vt te intelligat, cognoscat, & diligat.*

Dei expers est anima quæ sibi adhuc viuit

O singulare arcanum ad captandam beneuolentiam Dei! O viam compendiosam ad Deum attingendum! mori videlicet omnibus huiusce sæculi crepundiis, & soli Christo Domino respirare. Pie lector, teipsum consule, Deum receperis necne hospitio cordis tui: & si procul à te est Deus, hanc vnam esse causam recessus eius scias, quòd scilicet adhuc tibi viuas & non Deo. Immorere ergo tibi, macte, & macta omne tuum, vt nihil omnino vitale sit in te, nisi desuper illabatur. Eneca fortiter omnia carnalia, vt spiritus inde fiat vegetior. Teipsum conueni, & explora sagaciter an libido flagret, an gula vorax sit insatiabilis semper, an auara cupido sitiat iugiter opes, & has malè partas. Denique seriò teipsum lustra an aliquo iniquo affectu turpiter vrgearis. Tunc demum agnitâ causâ, quæ est mali labes, hanc incunctante animo satage resecare. Porrò hoc memento, Deum videlicet non incolere animas nostras, quia nos Deum non colimus, sed inculti rebus exteris occupamur.

Quomodo anima moriatur sibi.

Aug. ibidem.

Quare anima non plene afficiatur Dei amore.

Hoc delirium in se luget humilis Augustinus, nostram suo exemplo carpens vesaniam. Sic ille: *Expelle tenebras desuper faciem abyssi mentis meæ, vt videat te intelligendo: vt cognoscat te comprehendendo: vt diligat te cognoscendo. Quisquis enim te cognoscit, diligit te, se obliuiscitur, amat te plusquàm se, relinquit se, & venit ad te, vt gaudeat de te. Hinc est ergo Domine, quòd non tantùm diligo, quantum debeo, quia non plenè cognosco te. Sed à te vero gaudio interiori per exteriora recedens, dum te solo careo, adulterinas amicitias in his exterioribus quæro. Et sic miser ego, cor meum quod tibi soli debui toto amore totoque affectu impendere, vanis dedi, & ideo vanus effectus sum, dum vanitatem dilexi. Hinc etiam est, Domine, quòd in te non gaudeo, & tibi non adhæreo: quia ego in exterioribus: ego in temporalibus, tu in spiritualibus: ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor, locutione implicor: & tu Domine in æternis habitas, & æternitas es. Tu in cœlo, ego in terra: tu diligis alta, ego infima: tu cœlestia, ego terrestria. Et quando poterunt hæc contraria conuenire?*

Aug. lib. meditationu. c. 35.

Congrua oratio ad demerẽdam Dei gloriã.

Hæc ille, quem quis æmulatus fuerit, studens indagini causæ, quæ remoratur accessum Dei in animas nostras, is profectò ruinas animæ suæ illico reparabit, Deumque breuì habebit hospitem, & maximè si vsurpet hanc Augustini supplicationem: *Iesu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus de Deo, adesto mihi famulo tuo. Te inuoco, ad te clamo amore magno, in toto corde meo. Te inuoco in animam meam, intra in eam, & coapta eam tibi, vt possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namque Domino, munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum, quod fecisti: malitia euacua, imple de gratia, & plenam conserua: ita vt dignum habitationis tuæ efficiar Templum, hîc & in perpetuum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrimè, tu melle dulcior, lacte & niue candidior, nectare suauior, gemmis & auro pretiosior, cunctisque terrarum diuitiis & honoribus mihi charior.* O homo, si Augustini compos es deliquij, hunc sequere pœnitentem.

SENSVS MORALIS.

Anima debet humilitate sincera aptari, vt sese Deus in eam insinuet, velut in congruum suæ diuinitatis sacrarium.

In hæc verba:

Populi autem dicebant: Hic est IESVS *Propheta à Nazareth Galilææ.*

SECTIO TERTIA.

Ex Theologia, Et Ex SS. Patribvs.

Michol aspernatur humilitatem Regis Dauid. *2. Reg. 6.*

DAuid Regio diademate clarus, adducturus arcam Dei in ciuitatem suam, omnia deposuit insignia Regiæ maiestatis, & in humilem sese composuit habitum, vt dignaretur arcam Dei congruis honoribus. Humilem hunc Regis animum atque ritum aspernata Michol eius coniunx, eum hoc scommate confixit: *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël discooperiẽs se ante ancillas seruorum suorũ, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Dauid insanæ mulieris superbiam detestatus, ita depressit fastum eius, & suum animum benè affectum erga Deum prodidit: *Ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israel, & ludam, & vilior fiam plusquã factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Optimè sanè Rex cœlitus eruditus: quippe anima de se humiliter sapiens, & omnem

Humilitas animam dil[...]

Disponit ad gratiam.

exosa typhum, eo solo præambulo sortita est veræ gloriæ rudimentum. Cùm enim gratia sit gloria inchoata, & sincera humilitas animam disponat ad gratiam; proculdubio non deuiabit ille qui dixerit, animam humilem esse in confinio gratiæ.

Ex theologia.

Anima debet se aptare ad gratiã, quia requirit aliquas dispositiones.

Nota, me hîc agere de actibus humilitatis, quos exerit homo adiutus diuina gratia: hoc enim fixum ratumque tenet Theologia, actiones editas solo naturæ dictamine non attingere gratiam: alias verò, quæ auxiliante Deo fiunt, accipere à gratia præueniente dignitatem, cuius intuitu de congruo Deus inclinatur ad charismata potiora mentibus eroganda. Quare autem humilitas hominem aptet ad Dei beneficia, disce hoc discursu. Ad hoc vt anima Deum demerere queat, debet se vt fas est aptare ad gratiam adiuta supernis auxiliis. Hæc autem dispositio attenditur penes facultates rationales animæ, quæ duæ sunt, intellectus scilicet, & voluntas. Vtraque potentia mouetur bifariàm. Primò naturaliter, & sic assurgere nequit ad gratiæ indaginem. Secundò vtraque facultas à Deo percellitur mediante gratia actuali, cuius obsequio præparatur anima ad gratiam habitualem, ad quam à Deo tales impetus ordinantur: namque Dei intentio suum semper effectum consequitur: vnde siquis à Deo moueatur vt efficaciter aptetur ad gratiam, infallibili illapsu gratiam talis anima consequetur. Ad hanc autem sic se accingit homo: Deo illucente suam anima meditatur inopiam, altè considerat ruinas atque dispendia, in quæ incurrit vitio præualente: attentè recolit, se à Deo deuiam, esse diris deuotam, & in hoc elucere misericordiam Dei singularem, quòd non statim ad tartara protrudatur. Mens in ea meditatione defixa se sibi sistit, & quasi deprehensam in fragrãti facinore carpit censura vtique vehementi. Tundit pectus malè sibi conscium, aëra replet gemitibus, & lacrymis aspergit oculos olim libidinis igne turpiter æstuantes. Vtque Dei auxilia opportunè accepta capiunt incrementum, anima sibi patens beneficio superni luminis tantum peccati tædium concipit, quantum potest maximum, & se gratiæ Dei indigam aduertens, ac proinde ad nihilum lapsam, adeò vilem se reputat vt nihil omnino infrà se facti pœnitens arbitretur.

Tho. 1. 2. qu. 112. art. 3.

Quibus gradibus humilietur anima quondam vitiis obnoxia

Quænã sint pœnitenti argumenta humilitatis.

Non inde tamen spe diuina cadit, sed quò maiori premitur inopia, eò etiam maiori cura satagit suam leuare penuriam, consulendo Deum, qui solus gratiæ discutit egestatem. Et quia proprium Dei est misereri semper & parcere, vbi anima sui nihili conscia diuinis sistitur obtutibus, fit illico voti compos, vtpotè Deum inflectens ad gratiam erogandam. Huiusce effati locuples est testis ille publicanus, qui sibi ipsi apprimè notus vtique malis actibus assuetus, procul ab altari animo pudibundo sic orabat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Litarit necne, audi à Christo commemorante facinus egregium huius animæ reducis. Sic Dominus ille. *Dico vobis, descendit hic iustificatus.* Hinc maximè liquet, humilitatem sternere viam Domino meditanti ingressum in cor animæ pœnitentis. Eò etiam spectat illud luculentum Beatæ Virginis elogium: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Quasi diceret: Anima humilis, quæ se egenam agnoscit, suæ paupertati consultura Deum adit, vt is de suo prædiuite penu inopis animæ paupertatem tergat: Deus autem annuendo votis humilium, statim eorum precibus assentitur. Attenditur verò hic assensus penes largum imbrem gratiarum, quibus alluitur anima, quæ perfectæ humilitatis specimen explicauit.

Luc. 18.

Luc. 1.

Christus toto suæ vitæ contextu humilitatem coluit.

Quàm maximè cordi fuerit humilitas Christo Domino, ille toto vitæ suæ contextu liquidò comprobauit: primò namque pastoribus innotuit quàm Regibus & Pharisæis. Instructurus Collegium Apostolorum, non conscripsit Scribas & Doctores, qui ex pulpito Moysis scita populis enarrabant: sed rudium hominum delectum fecit, quos suis initiauit ritibus, & instituit præcones Euangelij sui; hocque Deus tenore voluit humilitatis Ecclesiæ pomœria propagari: siquidem Ecclesia in incunabulis pauperes fideles habuit plures quàm potentes: Spiritus namque Dei respuens elatos animos, assolet humilium mentibus insidere. Vnde Apostolus Græcos affatus, rationem reddit quare Deus spretis Philosophis & Dynastis Græciæ, populis innotuit. Ita Paulus: *Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ sunt stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

Quare Deus spretis Philosophis & Dynastis, populis innotuit.

1. Cor. 1.

Nonne & humilis Dominus infantium humili captus habitu, eos proposuit in exemplum? nunquid & reprehendit eos, qui obstabant ne pueruli sisterentur ipsi infantium conditori? Accipe historiam. *Afferebant ad illum infantes, vt eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli increpabant illos.* IESVS *autem conuocans illos dixit: Sinite paruulos venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis: Quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Et hodie ipso Domino introëunte Ierosolymam, diuinitas eius populis innotuit, quam tamen Scribæ & Pharisæi legis interpretes nequiter impugnabant. Turbis humilibus se credidit Deus, superbis Pharisæorum mentibus abdicatis. Non humilis autem plebecula, sed & infantuli ætatis immaturæ præcoci loquela confitebantur eum esse Deum, dum intumentes inanis gloriolæ typho perperam infremebant: Deo sic testante in infantium typo, humilitatem atque puritatem esse comites indiuiduas, & esse qualitates quas deposcit ab anima suo sacro obsequio mancipanda. Non itaque laborandum est in conquirendis aulæis strandis in occursum Christi: nimirum illa omnis pompa in duplici cardine vertitur; videlicet in humilitate, & puritate. Præit humilitas, cui proximè niueus animæ candor subiicitur.

Quare Christus infantiũ humili habitu captus fuit.

Luc. 18.

Quare Christus infantibus innotuit

Sistendi sunt in hac alea Patres, vt concurrant mecum in gratiam humilitatis, quæ eadem Christo pendit obsequia, quibus in aula Regis occupatur ostiarius contuberniorum adscriptor. Nempè vt cretaceus hospitiorum metator tes-

Ex SS. Patribus.

Quale officiũ sortiatur

humilitas in aula Dei. sera suæ cretæ designat singulis quibusque nobilibus hospitium, nec quispiam subire potest alicuius tectum, nisi ad arbitrium cretacei metatoris, ita nullæ omnino virtutes diuertunt apud homines inscia humilitate, quæ etiam ipsi Deo rerum Domino præit antequam mentibus illabatur. Eius enim partes sunt in aula Dei, animas componere, & aptare in sacrarium Dei, qui superbos exosus animos, duntaxat apud humiles hospitatur. Ita Augustinus *Aug. in Psal. 90.* *Quidam de turba cùm vellet sequi Dominum; vidit Dominus, superbum non quærere viam humilitatis, sed typhum potentiæ, & ait: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Vulpes dolus est; volucris cæli superbia est. Sicut enim volucres alta petunt; sic superbi: & vt vulpes cauernas dolosas; ita omnes insidiatores. Quid ergo respondit Dominus? Potest in te habitare superbia, & dolus: Christus non habet vbi in te habitet, vbi reclinet caput suum, quia reclinatio capitis, humilitas Christi est: nisi reclinet caput, non iustificaberis. Vnde discipulis duobus postulantibus sedes in regno Dei, dictum est: Nescitis quid petatis: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quid cogitatis altitudinem regni, & non imitamini humilitatem meam?*

Christus apud humiles tantùm reclinat caput suum.

Christus ideo homo factus, vt humilitatē suo exemplo cōmendaret.

Adeò Christus humilitate capitur, vt inde dicatur lilium conuallium: imò quia deliciæ eius sunt esse cum filiis hominum, ne suo frustraretur intento degens in humanis, humilitatem præcipuè coluit, vt sui exemplo ad affectum virtutis huius homines erudiret; sicque suum diuersorium, & cœleste tabernaculum in præcordiis humilis animæ designaret. Accipe Gregorium mihi in ea sententia suffragantem. *Greg. l. 34. Moral. c. 18.* *Ad hoc Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc visibilis imò & despectus apparuit, passionumque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad Passionem factus est paruus? Quia enim originem perditionis nostræ superbia præbuit diaboli; instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Hostis noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus: Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Mortis auctor ait: In cælum conscendam.* *Isai. 14.* *Iste autem per Prophetam ait: Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* *Psal. 87.* *Ille dicit: Supra astra cæli exaltabo solium meum. Iste humano generi à Paradisi sedibus expulso dicit: Ecce venio citò, & habitabo in medio tui.* *Isai. 14.* *Ille dicit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Iste dicit: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ille dicit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo.* *Philip. 2.* *Iste, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese & contra potentiam Conditoris erigere: sicut de eisdem per Psalmistam dicitur:* *Psal. 72.* *Transierunt in affectum cordis, cogitauerunt, & loquuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso loquuti sunt. Iste ad sputa, & ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens: Si quis mihi ministrat me sequatur.* *Ioan. 12.* *Quia ergo Redemptor noster corda regit humilium; & Leuiathan iste Rex dicitur superborum: apertè cognoscimus, quòd euidentissimum reproborum signum superbia est; at contra humilitas electorum. Cùm ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo Rege militet inuenitur.* Hactenus ille.

Antitheses Christi humilis, & diaboli superbi.

Humilitas nardo comparata & quare. *Cantic. 1.*

Et ego hisce humilitatis elogiis editis à Summo Pontifice Gregorio, illud encomium adiicio: scilicet hanc virtutem non esse solùm notam inhabitantis Christi, sed & insuper Deum prouocare reducem, siquando degener homo, genio indulgens, tantisper ab hoc hospite declinauit. Vt enim humili thymo suum odorem afflante confluunt apes, rorem quo tenus herba madet & desudat auidè delibantes; ita Christus quasi recreatus illâ fragrantiâ, quam spirant animæ de se nihil altum sapientes, vltrò adest eis propitius, & eò diuertens, illò mirificè capitur incolatu. Eâ ferè metaphorâ vsa est Sponsa Canticorum, dicens nardum suam afflasse suauem odorem dum esset Rex in accubitu suo. Quem textum Bernardus de humilitate optimè commentatur, Sic ille: *Bernard. serm. 42. in Cant.* *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendit, & perfusus circumquaque regionibus vicinis, ipsum quoque Regium accubitum grata suauitate respergat. Est nardus, humilis herba, quam & calida ferunt esse natura. Et ideo per hanc videor mihi virtutem humilitatis in hoc loco conuenienter accipere; sed quæ sancti amoris vaporibus flagret.* Quòd siquis instet lectulum Christi floridum esse; ac proinde animam debere stipari virtutum omnium choro, vt Christum hospitem excipiat; non inficiabor, neque tamen causâ cadet humilitas: quippe illa suæ subiectionis haudquaquam immemor, ita subiicitur aliis virtutibus; vt hac inconsulta nutet virtutum fabrica cæterarum. Ita Chrysostomus. *Chrysost. hom. 34. in Ioan.* *Nihil humilitati comparandum est. Hinc Christus beatitudini principium fecit; tamquam enim quoddam immensi ædificij fundamentum, humilitatem primùm iecit, sine qua nemo salutem consequitur. Sed siue quis ieiunauerit, siue orauerit, siue suas pauperibus erogauerit facultates; sine humilitate, hæc, & huiusmodi omnia nihil afferunt vtilitatis: contrà ipsius condimento gratiora omnia & iucundiora redduntur.*

Humilitas est fundamentum omnium virtutum.

Concinit & Bernardus, dicens Mariam Deiparam humilitate sua strauisse viam Deo, vt sacrarium suum faceret huius præcordia virginis illibatæ. *Bern. serm. 4. super Missus est.* *Semper* (inquit) *solet esse gratiæ diuinæ familiaris humilitas. Deus enim superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet, vt sedes gratiæ preparetur, Ecce, inquit, ancilla Domini.* Si quis ergo Dei illapsum in se anhelo pectore desiderat, is se eodem modo aptet, quo Maria, id est pro modulo suo humilitatem Beatæ huius Virginis æmuletur. Hoc namque recolat homo necesse est; Christum scilicet, & superbiam non coire, sed Dominum hunc gloriæ, maximè humilitate, vt virtute sibi congrua delectari. Vide quò diuertat Spiritus ille Domini ex Gregorio. *Greg. l. 35. moral. c. 7.* *Nisi quis priùs humilitatem habuerit, ad gradus septem donorum Spiritus Sancti, non ascendit. Sicut scriptum est: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? De quo per Psalmistam dicitur:*

Humilibus tantum Sanctus Spiritus assuescit.

Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Conuallis quippe, humilis locus est. Et peccator quisque dum se in lacrymis humiliter affligit, in corde per ascensum virtutum proficit. Qui rursus ait: Qui emittit fontes in conuallibus; quia omnipotens Deus dona spiritalis gratiæ humilibus præstat.

Hanc etiam humilitatis vim, ad conciliandum omnium virtutum agmen, luculenter probat Bernardus hoc contextu. *Vt charitas, seu castitas detur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam. Seruat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini nisi super quietum, & humilem. Seruatas consummat; nam virtus in infirmitate perficitur, hoc est in humilitate.* Dixi Christum hodie puerulis innotuisse, quia habitus infantium duo significat, quæ indiuiduo nexu coëunt semper. Duo hæc sunt puritas, & humilitas, quæ à se inuicem minimè dispescuntur. Vnde quisquis verè humilis est, is etiam puritate nitet, qua coalescit animæ decor. Et hinc fortè Sponsa Canticorum bis vocatur pulchra à dilecto, quia videlicet erat humilis, & decora nitore gratiæ. In eo argumento Bernardus opportunus adest ita commentatus. *Quæramus geminam animæ pulchritudinem; hoc enim mihi videtur innuere, quod Deus eam vocat pulchram. Decor animæ humilitas est, Propheta hoc dixit: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Humili herba, & pectoris purgatiua humilitatem significans; hac se post grauem lapsum Rex & Propheta lauari confidit, & sic niueum quemdam innocentiæ recuperare candorem. Verùm in eo qui peccauit grauiter, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit: & ideo concupiuit Rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ sociauit. Denique respexit (inquit) humilitatem ancillæ suæ. Ergo beati, qui custodiunt vestimenta sua munda innocentiæ, si tamen & decorem induere humilitatis adiiciant. Profectò audiet, quæ huiusmodi inuenitur: Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra. Vtinam vel semel dicat anima mea, Domine* IESV: *Ecce tu pulchra es.* Hæc Bernardus.

Bern. ser. sup. Missus.

Humilitas vera semper diuinæ gratiæ sociatur.

Bern. ser. 45. in Cantica.

Quisquis ergo anhelus ambit excipere hospitem Christum, satagat, & equidem impensè, sibi comparare dotes illorum infantium, quibus Dominus innotuit, licèt à primoribus populi reprobatus. Anima hac virtutum suppellectile, nimirum humilitate, & puritate accincta fidenter sociari potest illi innoxio puerorum choro, & occurrere Christo paruulis assueto. Nullum planè repulsæ periculum est vbi tot gratiarum coëunt argumenta: hoc namque ratum, & fixum est, eum cuius vota in Christum collimant, debere esse humilem, & gratiâ Dei desuper illustratum.

Humilitas & puritas sunt symbola paruulorum.

***

SENSVS MORALIS.

Christus facturus animam templum suum, eam repurgat ab omni vitiorum colluuie.

In hæc verba:

Et intrauit IESVS *in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo.*

SECTIO QVARTA.

EX HISTORIA, EX MEDICORVM DISCIPLINA, ET EX SS. PATRIBVS.

VVlgare est effatum, opera gratiæ in suo ordine superiori plerumque sequi ritum, quem Deus singulis quibusque rebus præstituit. Verbi gratiâ, in contextu rerum naturalium, nulla omnino forma subit materiam nisi congruè præparatam. Ita in serie supernaturali gratia non afficit animam nisi ea ad hanc formam cœlitus accingatur. Rursus sanitas ægro corpori haudquaquam restituitur, nisi præuio repurgio humorum, quorum colluuies iniqua fuit ægro. Et hunc etiam tenorem sequitur gratia, naturam imitata, licet emineat ordini naturali. Siquidem illa non influit in animam nisi ritè dispositam, id est, ab omni vitio defæcatam. In huiusce rei symbolum Christus hodie in templo non doctrinæ suæ sacros latices fudit, neque sanitatem ægris impertiuit, quin sacras illas ædes penitus emundarit. Ille nimirum bestias è templo eiecit, & effudit æs numulariorum, à quibus non citra suspicionem fœnoris, pecuniam accipiebant homines nundinas exercentes. Hac item cautione vtitur Christus subire volens animam vitiis obnoxiam: quia enim peccatum est veluti pecoris actum; peccata omnia vt bruta animalia stabulantia in corde foras pellit flagello facto ex tribus funiculis. Flagellum illud est pœnitentia, tribus coalescens partibus, contritione scilicet, confessione, satisfactione, quibus exquisitè homo pœnitens expurgatur.

Gratia quomodo imitetur naturã, licet emineat ordine naturali.

Christus subire volẽs animã, priùs hanc repurgat.

Vt primò commota est Ierosolyma antequam Dominus ædes suas euerteret; ita & animam purgaturus ille Medicus opportunus, à salutari motione auspicatur sanitatem animæ decumbentis. Diceres, excompositò Deum profiteri regulas artis Medicæ, cuius hoc est scitum, & solenne: *Ἀρχομένων τῶν νούσων ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνεε.* Id est. *Ineuntibus morbis, si quid mouendum est, moue.* Nempè tenax humor noxius nequit erumpere, nisi dilutus pharmaco congruo moueatur. Gratia excitans rationem sibi vendicat pharmaci illius præuij, quo percitus humor accingitur ad exitum, & totale repurgium, penes quod attenditur sanitas illa redux, cui ars Medica collaborat. Nempe obsequio gratiæ illius excitantis perculsus homo meditatur meliorem frugem, & Deo illucente recolit retroacta piacula, quæ vt confessus euomuit, statim anima sospitatur. Meminit huius status Hippocrates. *Διαχώρημα καθαρὸν ἐπιγινόμενον, λύει πυρετὸν ὀξὺν μεθ' ἱδρῶτος.* Id est. *Deiectio pura cum sudore febrem soluit.* Medici deiectionem puram appellant illam, quæ expers est mistionis, & quæ est optimè figurata.

Motio supernaturalis præcedit illapsum gratiæ habitualis.

Hippocrat. l. 2. Aph. 19.

Deiectiones puræ, & lacrymæ salutares sunt animæ purgationes.

Hippocr. l. 3. tract. 4. coac. 80. Duretus in hunc locum.

Et

Et in his, quæ ad confessionem spectant, ego illam moraliter explico deiectionem esse puram, quæ sincera est, nullas excusationum ambages prætexens, vt minuat vitij grauitatem, quòd si lacrymis homo desudat trudendo foras crimina inolita, profectò benefica erit illa deiectio, vtpote optimè figurata. Et ne ab allegoria templi videar recedere, cuius repurgio comparo Medicorum obsequio corpora repurgata. Ars illa hominibus propitia plerumque animaduertit, animalia stabulari in visceribus, & equidem summo vitæ dispendio, quod declinare nequit æger, nisi lethales illæ bestiæ foras idoneis pharmacis educantur.

Vermes in corpore humano progeniti ad perniciem ægrorum.

Quales angustias patiatur homo, cuius viscera lancinant illi vermes paucis enarrat Medicorum apex hoc effato: Τὰ καρδιαλγικὰ μετὰ στρόφου, κοιλίης θηρία καταῤῥήγνυται. Id est. *A cardialgia cum torminibus, ventris feræ prorumpunt.* Qua prænotione vides, cardialgiam, id est, ventriculi & cordis molestiam pati sæua tormina eos, qui viscere immundo feras enutriunt, θηρία, id est, feras vocauit Hippocrates, quia mirum in modum ferociunt illi vermes, hominis intima corrodentes. Galenus quædam argumenta prodit, quibus illa lues dignoscitur Τὸ θηριῶδες τῷ μετοπώρῳ, καὶ καρδιαλγίαι, καὶ τὸ φρικῶδες, καὶ τὸ μελαγχολικόν. Id est. *Ferinum autumno: eius index cardialgia, horror, tristitia.* Moralis Theologia iisdem præludiis erudita, malè impiis hominibus ominatur. Vbi namque videt hominum nequam mores deperditos, & aduertit malè sibi conscios homines esse inquieto animo, frigere ad virtutum praxim, horrere ad omnem inferi mentionem, & mœrore alto confici; concludit indubiè, nebulones illos agitari conscientiæ vermibus importunis. Vtque decernitur à Medicis amara potio laborantibus illa lue; ita & Theologi, peritissimi consultores animarum, vt occurrant discrimini mortis æternæ, quæ imminet obstinatis hominibus, eis medentur amarore pœnitentiæ, quæ confessionis obsequio educendo foras iniqua facinora, feras eliminat, quibus anxiè viscera mordebantur.

Hippocr. l. 1. coac. c. 11 praenot. 15.
Vermes in corpore humano quibus sese indiciis produnt.
Gal. lib. περὶ χυμῶν

Confessionis virtus explicata metaphorâ medicamenti.
Ex SS. PATRIBVS
Hieron. ad c. 10 Ecclesiastæ.

Vnde patet analogia templi & animæ, cui & ars Medica suum adiicit suffragium: quemadmodum enim expulsio bestiarum fuit præuia repurgio templi; ita deiectio noxij humoris, & vermium integram sanitatem corporis anteuertit. Vtque gratia naturam imitatur, sicuti præfatus sum; anima lethaliter ægra non resurget, nisi confitens euomat crimina quæ patrauit. Hac medicinæ metaphora vsi Patres Sancti, confessionis vim singularem fecere palàm. Ita Hieronymus. *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri ac magistro voluerit confiteri: magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri; quod ignorat medicina, non curat.* Ad hanc etiam artem medicam allusit Augustinus ita fatus. *Cicatricum tuarum arbiter Dei vice Dominus adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Item alibi. *Quomodò nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt; sic & confessionis medicamenta deesse non possunt.* Rursus adhuc ille liquidiùs. *Tristis esto antequam confitearis: confessus exulta, iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum. Tu agnosce Medici manum, confitere, exeat in confessione & defluat omnis sanies.*

Aug. l. 2. de visitatione infirmorum cap. 4

Ad hanc etiam figuram pertinet hic discursus Magni Gregorij. *In cutis vulnere virus à visceribus trahitur, & foras erumpit. Quid ergo peccatorum confessio, nisi quadam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Vulnera enim cutis, in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata quid aliud agimus, nisi malum, quod in nobis latebat, aperimus.* Concinit & Beda Patrum choro, ita fatus: *Peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.* Nonne & Pacianus eleganter texit suam paræinesim ad pœnitentiam, vsurpando figuram illam artis Medicorum? Sic ille: *Desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam remota etiam & verecunda membrorum non erubescentes, in ferro, & cauterio, & grauissima illa pulueris mordacitate durasse. Et quantum est illud, quod homines præstiterunt? Peccator timebit? peccator erubescet, perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? Et habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit? An sic illi meliùs est perire, ne tu pudore timidus, sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cui pro te meliùs est perire. Quod si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum timere nolite. Nunc ad eos sermo fit, qui benè ac sapienter vulnera sua pœnitentia nomine confitentes, nec quid sit pœnitentia, nec qua vulnerum medicina norunt: similesque sunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, Medicisque etiam assidentibus confitentur; sed admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt, & quæ bibenda fastidiunt.* Ita Pacianus.

Gregor. hom. 40. in Euang.
Beda in c. 10. Luca.
Pacianus paræn. ad pœnitentiam.
Quàm noxius & lethalis sit pudor eorum, qui sua peccata tacent in confessione.

Non est ergo inepta mea moralis expositio, depellendis affectibus, brutis etiam animantibus inolitis, si velimus hospitio Christum, vt par est, excipere. Nescit nempe Deus coiri pecudibus; rationale petit obsequium: hoc autem præstat homo, qui beneficio pœnitentiæ sese à cunctis fecit vitiis expeditum. Et ne excidat metaphora Medicorum, sedulò purganda est bilis, seu fellis illuuies, quæ redundat in anima vitiis assueta, vt Petrus ait Simoni Mago, cuius indicare volens iniquam indolem, ait: *Cor tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Fellis amaror ingratus est Christo sed multò magis displicet peccatum omne, fellis symbolo denotatum. Itaque repurgandus est humor ille, si Christum velimus excipere cordis ergastulo, alioquin periculum est, ne quis indignè accedens ad altare; felle suo Dominum aspersurus, congruas crimini suo luat pœnas, futurus consors hominis nefarij, qui morte instante malè sibi conscius Christum pectore impuro conclusit. Damianus

Anima impia multo felle desudat.
Actor 8.
Ex HISTORIA.
Qui communicat indignè, mala morte mulctantur.
Historia horrẽda hominis iniqui

accedentis ad communionem. *Petr. Dam. epist.* 1.

Cardinalis auritus rei testis hoc facinus ita enarrat: *Mox vt sacrosanctum mysterium de manu sacerdotis accepit, cum felle simul & animam exhalauit, quod videlicet fel vsque ad sepulturam ex ore eius effluere non cessauit, adeò vt donec in feretro corpus iaceret exanime, iugiter sanies illa pauimentum Ecclesiæ largiùs irrigaret. Hoc autem iuxta fidem rei idcirco refero, vt audiant, & pertimescant, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ vberibus confouentes, confiteri ad obitum præstolantur.*

Christus vt subiit felleum illud pectus, amaroris impatiens, illico repurgauit humorem hunc morbidum, & morte repentina castigauit immane nefas sacrilegi hominis. Christiane, fias hinc cautior, accessurus ad altare, fel euome confessionis obsequio, ne cogaris vltore Deo animam turpiter eructare. Obiter aduerte, plerosque post communionem habere os felle desudans, dum scilicet aliis detrahunt, & hoc arguere animam lethali peccato obnoxiam, ac proinde graui censura morte vindice puniendam.

SENSVS MORALIS.

Deus exosus iniquos hominum impiorum ritus, longè fit ab eis, vtpote dedignantibus gratiæ illapsum.

In hæc verba:

Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem.

SECTIO QVINTA.

Ex Theologia, Ex Antiqvitate, Et Ex Vtroqve Ivre.

Dei præsentiæ nemo potest se subducere.

QVia Deus immensus est, nihil omnino potest effugere præsentiam eius. Vnde nemo potest à Deo derelinqui eo modo, quo homines altis aquarũ diuortiis & longa intercapedine soli quotidie dispescuntur. Hinc fit palàm, quantùm hallucinatus sit Cain ille fratricida, Deum sic affatus: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra.* Quasi verò queat homo sese subducere diuinis obtutibus. Totum itaque Dei & animarum diuortium non est penes locorum distantiam, sed petitur ab affectu dissono. Nempe voluntas auersata Deum, & terræ velificans, ab hoc rerum omnium Domino dicitur aliena: nec Theologia peccatum alia notione nobis delineat, quàm recessus voluntatis à Deo, aut deuiationis à scopo, in quem perpetuò debent hominum vota omnia collimare. Namque Thomas genius scholæ sic definit: Peccatum est actus deuians ab ordine debiti finis contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. Scotus verò liquidiùs ait, peccatum esse auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam. Ioannes Gerson, Theologus magni nominis, ait, illam auersionem esse disconformitatem voluntatis creatæ à voluntate diuina. Ita secus animæ deniæ reditus ad Deum fit mente non pedibus, vt eleganter ait Chrysologus, dum describit reditum prodigi adolescentis. Sic ille: *Surgens venit ad patrem suum. Surrexit ille mentis*

Gen. 4. Quid sit peccatum. Ex Theologia. *Thom* 1.p.q. 63. art. 1. 2. 2. q. 162 art. 1. *Scot. in l.* 2. *sent. dist.* 43. *Gerson p.* 2. *in compend. Theol. tract. de vitiis naturæ, & voluntas.* Quomodo redux homo accedat ad Deum.

& corporis de ruina: surrexit de profundo inferni, cæli alta contingens: apud cælestem patrem filius surgit plus de venia, quàm corruit de reatu. Surgens venit ad patrem suum. Venit non gressu pedum, sed mentis incessu: longinquus terreni itineris duce non indiguit: quia compendia vitæ salutaris inuenit. Diuinum patrem nescit viarum cursu quærere, qui fide quærens, mox sibi illum inuenit esse præsentem.

Chrysolog. serm. 3. Duplex exilij mulcta sequens iniqua facinora.

Cùm ergo audis, Christum reliquisse in templo Scribas & Pharisæos, hoc recole, Deum videlicet fuisse derelictum ab eis, antequam ipse eos penitus abdicaret. Nempe potest impiis affricari duplex exilij mulcta sequens iniqua facinora. Vna est voluntaria; altera inuita, legibus inflicta. Voluntaria exilio se plectebant olim noxij quique homines, ne superstites grauiori pœnæ succumberent. Ita consuluere sibi Iudæi homicidæ, qui casu & non vltro rei sanguinis extiterunt. Hi nimirum suo exules arbitrio ad ciuitates refugij confluebant. Ecce legem: *Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ sunt, inuentus fuerit, & percussus ab eo, qui vltor est sanguinis; absque noxa erit, qui eum occiderit.* Vt ergo se instanti morti eriperent sontes, de industria fugam aliò capessebant. Fuit & hoc Memphitis inolitum, vt homicidæ sibi cauerent spontaneo exilio, & se conferrent ad Gymnosophistas, vt ad eorum arbitrium reduces fierent, aut pergerent errabundi. Ita Philostratus. Illud etiam Græcis in more fuit positum, vt ipsæ etiam fortuitæ cædes vltrò plecterentur voluntario exilio, vt auctor est Xenophon: quippe ex Demosthene fas erat vnicuique occidere homicidam, donec de eo cognitum fuisset. Hi exules proprio suo dictamine dicebantur αὐτόμολοι, quasi αὐτοὶ μολῶντες, id est, ipsi sua sponte proficiscentes.

Ex Antiqvitate plvrivm nationvm. Homicidæ nisi exularet ad vrbes refugij, poterant occidi. *Num* 35. Ritus Memphitarum circa homicidas. *Philostr. lib.* 6. *de vita Apollon. c.* 3. *Xenophon l.* 4. *de Cyri minoris expedit. Demosthenes aduersus Aristocrat.*

Ita Canon Atheniensium Dux inclytus, impatiens cladis acceptæ à Lysandro Lacedæmonio nauali pugna, hac sola suada clade fugit ad Artaxerxem Persarum Regem, cuius etiam obsequio fuit vindex & assertor patriæ libertatis, vt auctor est Liuius. Protagoras Abderites, Menandri filius, & auditor Democriti, accusatus Athenis, quòd Persarum magiam & disciplinam didicisset, supplicij timore percitus exulauit. Experta est, & hunc Roma ritum. Nempe L. Apuleius Saturninus, populo exosus ob legem Agrariam, Rhodum profectus est, lubenter exulans, vt sic furentis vulgi rabies intepesceret. Huiusce moris vltro fugiendi patrato aliquo, luculenter meminit Cicero hoc contextu: *Exilium non est supplicium, sed profugium, portusque supplicij. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eò solum vertunt, hoc est, locum, & sedem mutant. Itaque in nulla nostra lege reperietur, apud cæteras ciuitates maleficium vllum exilio esse mulctatum; sed cum omnes vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt quasi ad arma in exilium. Qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent.*

Illo voluntario exilio in seipsos animaduertunt omnes, qui iniquè peccant: etenim ne legibus Dei teneantur, & viuant ex præscripto mandatorum Ecclesiæ, genio indulgent, sicque fiunt Christi Domini desertores. Ideoque potest in eos detorqueri spiculum hoc Dauidis: *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem*

Psal. 93.

Quomodo reprobis adhæreat sedes iniquitatis.

laborem in præcepto? Quasi diceret; mutasti salutare solum, in quod te Baptismus induxerat, incolis alias sedes, equidem insalubres. Tuas nempe sedes & patriam fecisti, assuetum peccandi morem, arbitratus viuere ad arbitrium diuinæ legis perinde esse ac inducere compedes importunos. Itaque videre est, quàm delirent impij transfugæ, & incurij patriæ nostræ, quæ sursum est, vt errones vitam agant non inquietam tantùm, sed & vitiis omnibus indecoram. Etenim nemine vim inferente, nutu proprio, à Deo aberrant, duri exilij legem sibi imponentes, ne ad amussim mandatorum Dei suos mores componere cogantur inuiti, iniquam hanc sortem exulandi à Deo ducentes potiorem, quàm obsequi legi, & in paterno Dei sinu velut in propria patria demorari. Optimè Dauid ait adhærere sedem iniquitatis eis, qui fingunt laborem in præcepto: siquidem impij ita capiuntur illecebra voluptatis, vt inibi degant tenaciter velut in propria sede & patria, detrectantes subire iugum legis Dei, quasi graue supplicium esset, vitæ omnis seriem & contextum diuinis legibus adaptare.

Homo voluptatum illecebris captus voluntarium sibi indicit exilium.

Quid sit abire in reprobum sensu.

Esto miseranda sit sors illa hominis exulantis proprio suo arbitrio; Deo tamen infligente mulctam illam, reprobi conditio longè deterior est, quippe dictâ exilij sententiâ nefariis hominibus, illi abeunt in reprobum sensum. Ex Iure Romano: *Exilium triplex est; aut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, vt omnium locorum interdicatur, præter certum locum; aut insulæ vinculum, id est, relegatio in insulam.* Ea Iure Cæsareo fuit differentia inter relegatos & deportatos, vt relegati minimè suis opibus exciderent, deportati verò secus spoliati bonis omnibus exularent. Relegatis præstitit hanc gratiam Traianus hoc rescripto. *Scio relegatorum bona, auaritia superiorum temporum, fisco vendicata. Sed aliud clementiæ meæ conuenit, qui inter cætera, quibus innocentiam rationum meorum temporum hoc quoque remisi exemplum.* Huius indulti meminit Pomponius, à quo exceptus ille textus fecit legem primam tituli Digestorum, De interdictis, & relegatis & deportatis. Deportatos verò nudos abire liquet ista lege. *Cùm ciuitas amissa est, nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis, & ciuitate relicta nudus exulat.* Ita Paulus famosus ille legum interpres. Rursus deportato nefas erat hæredem conscribere: qui namque bonis exciderat, non habebat vnde tabulas conderet testamenti. Ecce legem. *Eum qui ciuitatem amitteret, nihil aliud iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso peruenturum esset ad eos, si intestatus in ciuitate moreretur, hoc est hæreditatem eius, aut libertos, & si quid aliud in hoc genere reperiri potest.* Iure antiquo decreti sunt gradus pœnarum exulibus pro dignitate nequitiæ. Legem illam commemorat Callistratus ita fatus: *In exulibus gradus pœnarum constituti edicto Diui Hadriani, vt qui ad tempus relegatus est, si redeat, in insulam relegetur: qui relegatus in insulam excesserit, in insulam deportetur: qui deportatus euaserit, capite puniatur.* Textus ille in Pandectas translatus peculiarem paragraphum fecit.

Ex Ivre civili.

Quotuplex exilium.

Pomp. l. 4. ad Sabinum Leg. 1. ff. De int.

Paul. l. 11. ad Edictum.

Leg. Tutelas §. 3. ff. De capite minutis l. 4. du. 5. lege 7.

Lege Eum ff. De interdictis. Callistr. l. 6. de cognitionibus.

Leg. Capitalium ff. De Pœnis § 13. l. 48. tit. 19. leg. 28.

In odium deportati quandoque fuerunt ædes solo adæquatæ, & dicta capitis sententia in homines, qui eos humaniter suis ædibus excepissent. Et hi dicebantur interdicti igne & aqua. Ita malè affectus est Cicero; pulsus enim Româ, domus eius euersa est susque dèque, & area templo Libertatis consecrata: iussus abesse Româ 468. millia passuum: prætereaque cautum, vt si intra eos fines redux occurreret, impunè necaretur. Tragœdiæ huius mentionem facit Dion Cassius. Austera sanè fuit & rigida hæc censura: sed grauior est sententia, qua Deus ferit homines impios, eos à se procul amandando. Nempe bonis omnibus gratiæ spoliantur, nec vnquam ad gloriam eis cedent bona opera edita, quia finalis impœnitentia illos deportatos in æternum ad tartara relegabit. Inde reuocare gradum nemini conceditur, & summa miseriarum est, illic esse infœlicem, sine spe sortis vllius æquioris.

Dion. Cass. l. 38. histor. Rom.

Ex Ivre Canonico.

Vt hoc infelix exilium declinare possint impij, Iure Canonico indictus est alius exulandi modus animæ pœnitenti, scilicet peregrinatio, vt hoc Gregorij Magni decreto ratum est. *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Ne quis autem detrahat illi modo salutariter exulandi à paternis laribus, Canones editi sunt in gratiam peregrinationis ad sanctiora loca. Ecce Concilij Gangrensis edictum opportunum. *Si quis per superbiam tamquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca, & basilicas sanctorum Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas; anathema sit.* Ecclesia non hanc pœnam instituit, vt peregrinando litaret homo libidini, quæ animum sollicitat ad indaginem rei nouæ; sed vt consuleret animæ suæ, molestiâ longioris viæ corpore fatigato. Hinc emersit admonitio salutaris Petri Apostoli, occurrentis impetigini, qua prurit animus anhelus in aspectum vrbium, & plagarum, in quas peregrinatio Canonica decernitur. Sic ille: *Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete.*

Can. Sacerdos de pœnitentia dist. 6.

Conc. Gangrens. c. 20. inde Can. Si quis per superbiam. Dist. 30.

1. Pet. 4.

Canones editi in gratiam peregrinorum.

Vt Ecclesia peregrinis illud onus imposuit; ita suarum etiam credidit esse partium, prouidere pœnitentibus illis exulibus, ne quis eis facesseret negotium errabundis. Ecce Canon. *Si quis Romipetas, & peregrinos, & Apostolorum limina, & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus quas ferunt spoliare, & mercatores nouis teloneorum & pedagiorum exactionibus molestare tentauerit; donec satisfecerit, communione careat Christiana.* Prostat & altera sanctio Nicolai Papæ, in gratiam huius voluntarij exilij. Siue enim decernatur ab Ecclesia peregrinatio, siue vltro & sponte vsurpetur ab homine sollicito de meliore fruge incunda; curam semper suscipit Ecclesia illorum, qui ad tempus sic gestiunt exulare. Ecce Iuris Canonici oraculum. *Illi, qui peregrinos depradati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obuiauerint, anathematis vinculo feriantur, nisi dignè emendauerint.*

Canone. Si quis Romipetas 24 q. 3.

Canone Illi qui peregrinos 24 q. 3.

Quare Ecclesia decernat peregrinationes pœnitentibus.

Ecclesia diuino afflata spiritu congruè peregrinationes instituit, vt consona pœna diluat facinora hominum impiorum. Cùm namque nebulones seipsos imò Deum deseruerint, vt ab illo summo bono deuij turpiter aberrarent: nonne par est, eos à propriis abesse laribus, vt volun-

taria

tario exilio plectant crimen, cui se diu fecere obnoxios, procul à Deo positi, vtpote errones, Veneri & Baccho sua omnia deuouentes? Priori exilio deportati in vitiorum omnium gurgitem & abyssum à Deo discreti erant malè sibi conscij homines, sed posteriori exulandi modo reduces sunt animæ pœnitentes. Esto salutaris sit ille ritus, suos ad tempus relinquendi Penates, vt asperi itineris angustiæ castigent illecebras vtique iniquas, quibus olim fuit animus assuetus: ego tamen rem iudico potiorem, vt homo sua retroacta pertræsus exeat à seipso iniquo, vt redeat ad contritum, & demum Deo sistatur habitu tersiore. Quemadmodum enim homo desipit, & quasi sibi subducitur, antequam Deo; id est, à seipso priùs exit homo, quàm à Deo procul absit: ita operæpretium est hominem à Deo derelictum, redire priùs ad se, vt sibi conciliare queat Deum, quem grauiter offendit, eius obsequium impiè detrectando. Sic prodigus adolescens in se reuersus cogitauit demùm reditum ad patrem, à quo defecerat hactenus imprudenter. Ille quippe reditus ad se facit incunabula veræ pœnitentiæ. Ita Chysologus: *In se reuersus est, in se antè redit, vt rediret ad patrem, qui a se ante recesserat, cùm recessit à patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.*

Quænam sint veræ pœnitentiæ incunabula.

Ex SS. PATRIBVS.

Anima effecta sui compos, meditata suam sortem iniquam, se accinget ad accessum ad Deum, & hoc votis anhelis, quæ satagет vsurpatis crebris precibus explicare. Erit profectò idonea hæc oratio Augustini. *Væ miseræ animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet, & misera. Perdit quod viuit, qui te Deum non diligit. Qui curat viuere non propter te Domine, nihil est, & pro nihilo est. Qui tibi viuere recusat, mortuus est. Qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime tibi me commendo, reddo, & concedo, per quem sum, viuo, & sapio. In te confido, spero, & totam spem meam pono: per quem resurgam, viuam, & requiescam. Te cupio, diligo, adoro, cum quo manebo, regnabo, & beatus ero. Anima quæ te non quærit, nec diligit, mundum diligit, peccatis seruit, & vitiis subiecta est: nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea piissime: suspiret tibi semper PEREGRINATIO mea, ardeat in amore cor meum. Requiescat in te Deus meus anima mea, contempletur te in mentis excessu: cantem laudes tuas in iubilatione: & hæc sit in hoc EXILIO meo consolatio mei. Confugiat mens mea sub vmbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum huius sæculi. Repauset in te cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus. O diues omnium bonarum dapum, supernæ satietatis opulentissime largitor Deus, da lasso cibum, collige dispersum, libera captiuum, & redintegra scissum. En stat ad ostium, & pulsat. Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, iube misero pulsanti aperiri, vt liberis gressibus ingrediatur ad te, & requiescat in te, & reficiatur de te pane cælesti. Tu enim es panis, & fons vitæ: tu lumen claritatis æternæ; tu omnia, ex quibus viuunt recti, qui diligunt te.* Hactenus Augustinus.

Aug. Manual. c. 4.

Congrua oratio ad conciliandum Deum.

Feruida vota animæ Deum sitientis.

Ex præfatis, duo sunt colligenda. Vnum pertinet ad intellectum: alterum ad effectum spectat. Primò eruditur homo, & addiscit causas secessus Dei ab anima, vt has caueat, aliorum lapsu factus sagacior. Secundò, animæ deuiæ consulitur, dum calles ei demonstrantur, quos obire debet futura redux ad Dominum, à quo delinquendo sæpe sæpius aberrauit. Fuisset profectò trunca & hiulca sectio indicans ostium quo secessit Deus, nisi adiecisset industriam, qua transfuga posset homo rectà ad Deum vt ad propria repedare.

Summa istius sectionis, Dei recessum, & reditum côcludit.

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

EVANGELIVM

Matth. 21.

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT controuersiæ agitantur.

I. II. III. CVM intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.

IV. Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, &c.

ORTHO

ORTHODOXA ET catholica expoſitio Euangelij, diſtributa in tot titulos, quot argumenta controuerſiarum ſuppeditauit textus literalis.

I. ANIMA edita à Deo beatitudinis æternæ capax, facta eſt diuinis motibus obnoxia, vt aſſurgat ad opera ſupernaturalia cœlitus excitata.

II. Sed eſto percita ſit diuinitus anima quando ad præclara virtutum enititur ſpecimina, nulla tamen vis infertur libero arbitrio, cuius eſt annuere Deo vocanti, vel ab eius gratia reſilire.

III. Quantumuis enim deuius Adam offenderit: non libero tamen excidit arbitrio, ſed ſui ſemper iuris extitit, nulla vi deforis impellente. Nempe de induſtria peccat homo, & ſponte ſua diuinis gratiæ motibus aſſentitur.

IV. Quòd autem anima repurgetur, cooperantis arbitrij & gratiæ adiuuantis facinus eſt: quo præclarè exantlato gratia inhærens animam afficit, tota peccatorum colluuie deterſa. Nempe Deus haudquaquam inhabitat animam, niſi priùs illa vitiorum facibus emundetur.

ELENCHVS ET RATIO controuerſiarum, quæ diſcutiuntur captata occaſione materiarum huius Euangelij.

I. Chriſto ſubeunte Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, ipſo etiam Chriſto Domino percellente populos ſibi obuios. Hinc capio anſam diſputandi:

An anima moueatur ad opera ſupernaturalia.

II. Poſito quòd anima moueatur, exurgit aliud dubium; ſcilicet:

An illa diuina motio tollat liberum arbitrium.

III. Rurſus alia dubitandi enaſcitur anſa; nimirum.

An in homine reſideat liberum arbitrium.

IV. Eo tandem conceſſo libero arbitrio, emergit alia difficultas enata ex textu Euangelij, vbi Chriſtus noluit adſtare templo, niſi præuio repurgio, quo eiecit vendentes & ementes oues & boues. Vnde iſta diſcutitur controuerſia:

An gratia Dei in iuſtificatione impij expellat peccata, vel ea tantùm tegat; & an ſit hominis propria iuſtitia, vel imputatiua Chriſti tantùm.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA PRIMA.

Quibuſnam ſit motibus obnoxia anima, cui Deus illabitur gratia cœleſtis obſequio.

In hæc verba:

Cùm intraſſet IESVS Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas dicens: Quis eſt hic?

ARGVMENTVM

EX SCRIPTVRA, RATIONE, ET SS. PATRIBVS.

Stulta industria quorundam mendicantium.

PLerique vecordes homines pauperes & mendici, corpus apertum plagis circumferunt, vt faciant inde quæſtum; quippe arbitrantur obuios quoſque flecti ad miſericordiam, intuitu corporis luridi, & fœtida ſanie diffluentis. Sed dum ſuæ ſic inertiæ iugiter indormiunt, eorum vlcera putreſcunt; & gliſcente malo conficiunt homines illos, inde incurrentes in diſcrimẽ vitæ, vnde vitam crediderant antea propagari. Ita ſanè fuit plectenda ſocordia nebulonum, qui ſuas nolunt curare plagas, ne qua manuum induſtriâ cogantur aliquando ſibi comparare victũ. Profectò deterior eſt illa veſania, quam Caluinus aſſeclis atque ſequacibus ſuis affricuit. Ille nimirum Adami vitio ſauciatam naturam ſic depingit, vt anima etiam iuſtificata ſuas circumferat plagas ſitque velut iners & impos ad egregia facinora fortiter exantlanda. Idcirco ridet Catholicos reponentes iuſtificationem penes illapſum gratiæ habitualis, & delirans hoc commentum adſtruit, ſcilicet vt iuſtificatio hominis nihil aliud planè ſit, quàm ipſa iuſtitia Chriſti nobis imputata, cùm nulla tamen qualitatis alicuius nouæ fiat acceſſio animæ. Audiendus eſt ille ſycophanta ſuas eructans blaſphemias, dum carpit decreta Concilij Tridentini. Sic ille rudit aſinus; *Falſum eſſe contendo, vllam iuſtitiæ partem, in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſideat, ſed gratuita acceptione nos eſſe iuſtos.* Hinc ſequitur, animam ſemper eſſe ſuis peccatis obnoxiam, quia nulla qualitate cœlitus inſita defæcatur.

Caluini & aſſeclarum eius delirium circa iuſtificationem.

Caluin. in Antidoto Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 7.

Vera ſententia de gratia iuſtificante.

Catechiſmus Concilij Trid. tract. de ſacram. Baptiſmi.

At fides orthodoxa ſecus affirmat, animam iuſtificatam affici gratia inhærente, qua mediante Deus animam ſubit, magnas in adultis excitans motiones. Ita Catechiſmus Concilij Tridentini. *Eſt gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis propoſita decreuit, non ſolùm per quam peccatorum ſit remiſſio, ſed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſquè animas pulchriores & ſplendidiores reddit.* Stante inepta Caluini ſententia, Deus nunquam ſubiret hominum corda: nimirum ille inſanus ait, peccata non deleri, ſed tegi tantùm, non imputari quidem nobis, ſed tamen abdita delitere. Vnde ſic arguo: Deus & peccata non coëunt: Ergo cùm in anima iuſtificata, ex Caluino, peccata ſuperſint; nefas eſt affirmare, Deum illic cum fœtida peccatorum colluuie commorati.

Quomodo impugnetur Caluini ſententia de iuſtificatione.

morari. Scriptura tamen locuples est testis Deum inhabitare animas, quæ sacro amore flagrant. Ergo operæpretium est Deo illabenti præiuisse repurgium animæ vitio conspurcatæ: alioquin inibi Deus sordido exciperetur volutabro, & non mundo vt par est sacrario. Quod quàm ineptum est, eodem codice sancto liquet, vbi Isaias ait, Deum non covti Hebræis, quia apud eos impunè multa vitia grassabantur. Sic vates ille inuehitur: *Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius: vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.* Ergo si peccata remorantur Dei introitum in nos, sequitur nulla inibi esse peccata residua, vbi Deus inhabitat, vt in anima conscia charitatis, de qua Christus ita pronuntiat: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.*

Deus & peccata non coeunt.

Isai. 59.

Ioan. 14.

Rursus ratione Theologica palàm fit, remissionem peccati supponere gratiæ influxum. Sic scholæ huius sacræ genius Thomas arguit: Peccatum est auersio à Deo; parturit autem auersio illa offensam, & reatum, sicque peccatum omne lethale hæc tria consequuntur, videlicet auersio, offensa, & reatus, quorum cura necessariò gratiæ obsequium petit. Auersio est a bono incommutabili, quod quis poterat adipisci, & cuius iactura hominem reddidit impotentem: Ergo nequit illa remoueri auersio, nisi anima redux incommutabili bono litet, à quo perpetrato crimine deuiauit. Hæc autem vnio summi boni & animæ haudquaquam perficitur, nisi beneficio gratiæ, qua mediante Deus animam inhabitat. Nec aliunde potest sanari illa animæ infirmitas, quàm hoc gratiæ pharmaco salutari, sicut vt cæcitas detergatur, requiritur restitutio potentiæ visiuæ.

Quare gratia sit necessaria ad remissionem peccatorum

Quid sit auersio concomitans peccatum. *Thom. q. disputat. 28. art. 2.*

Præterea offensa, quæ surculus est peccati, bifariàm attenditur. Primò ex parte hominis, inquantùm homo delinquendo Deum offendit. Secundò ex parte Dei, quatenus est peccatori offensus, iuxta illud Psalmi: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Quisquis enim rem indignam digniori præfert, tantò rei præstantissimæ iniurius est, quantò res illa eminet alteri. Quicumque autem in re temporali præstituit sibi finem, vt facit omnis lethaliter peccans, eò ipso creaturam conditori turpiter anteponit. Vnde cùm numeris infinitis Deus creaturis præualeat, delinquentis animæ offensa erit infinita ex parte dignitatis eius, cui peccatum iniuriam facit, dum flocci penditur Deus, & præceptum eius contemnitur. Ideoque ad tergendam hanc offensam omnes hominum vires impares sunt; non enim sufficiunt ad reparandam iniuriam infinitam. Hinc emergit diuinæ gratiæ necessitas: Deus enim peccatores odit odio quod opponitur amori, quo diligit Sanctos, bona æterna eis præparando. Huius autem amoris effectus est donum gratiæ gratum facientis: & idcirco offensa, quæ in odium Dei incurrit, haudquaquam diluitur sine tali dono, quod habitualis gratia nuncupatur.

Psal. 5.

Duobus modis intelligitur offensa Dei.

Quare offensa Dei requirat gratiæ illapsum.

Demum reatus, vltima peccati soboles, duo importat. Primò animam obstringit pœnæ sensibili. Secundò æterno anathemate ferit animam, à gloria immarcessibili eam penitus excludendo. Itaque superstes est reatus, donec fiat homini copia nanciscendi gloriam, qua excidit, hoc autem non sit, nisi obsequio gratiæ: ineptè igitur hæretici adstruunt iustificationem in commentitio & inani iustitiæ simulacro. Veriùs Catholici, ingenui alumni Ecclesiæ, refundunt in gratiam beatum illum animæ statum: & quia gratia non est iners; anima cœlitus adiuta assurgit ad opera supernaturalia. Mouetur intellectus ad indaginem omnium rerum, quæ conducunt ad salutem; & affectus pertæsus omnia, quæ sunt infra Deum, totus amore illius feruidus incandescit. Corporis etiam membra suas partes agunt in choreis, vbi virtutum chorus omnis agitur. Namque manus refundunt malè parta, in penu domini rerum: brachia se explicant ad amplexum hominum, cum quibus acerbas exercuerat anima simultates: pedes nescij pergere ad sacras ædes, iam properant eò, quò confluit plebs deuota, siue sint processiones, siue laboriosæ peregrinationes. Demum nihil omnino vacat in homine, quem gratia totum Domino mancipauit.

Quid sit reatus, & ad quid animã obliget.

Quomodo moueatur anima, Dei gratia instructa.

Hominem impotem hæresis finxit, vt suæ sic consuleret inertiæ. Nempe tenaciter affirmant hæretici, omnia hominum opera esse mala, naturâ scilicet vitio Adami deorsum iugiter inclinante. Nullos proinde motus bonos in homine agnoscunt hi æmuli nostri, quicquid ignorant impiè blasphemantes. Proprio experimento edocti, id est, illi nefarium quidpiam animo reuoluentes assiduè, suam hanc omnibus hominibus affricare volunt nequitiam, arbitrantes omne hominum genus eadem laborare socordia. Vt cuique in sua arte credendum est, satiùs est in eo argumento audire Patres Sanctos, vtpote diuinis hisce motibus assuetos. Ita Dionysius ille Areopagita: *Primus ad diuina motus, Dei dilectio est. Porrò sacra dilectionis ad diuina mandata facienda, principalis omnino progressus est, secretissima illa & ineffabilis operatio, qua diuinus in nobis status efficitur.* Vides non vno tantùm impetu ferri animam in Deum, sed pluribus aliis etiam motibus ad cœlestia perurgeri.

Quare hæretici negent diuinos in homine motiones.

Dionysius p. 1. l. de Ecclesiast.

Cyprianus etiam meminit œstrum, quo cœlitus agitur anima, sacris initiata mysteriis. Sic ille Donatum affatur expertum insultus hos diuinos: *Postquam vnda genitalis auxilio, superioris aui labe detersa inexpiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit. Scis ipse profectò, quid detraxerit nobis, quidue contulerit mors ista criminum, vita virtutum.* Gratiam nuncupat vitam virtutum; at vitæ animalis, motus est maximum argumentum. Cùm ergo virtutum quædam animam perficiant, aliæ verò etiam in corpus resiliant, si gratia virtutum est vita, debet & animas & corpora ad grandia commouere. Basilius illi etiam motioni militat hoc contextu: *Sicut cernendi vis est in oculo sano; sic & operatio Spiritus in anima purgata.* Nota, Spiritus Sancti operationem in anima duplicem esse, vnam videlicet quæ excitat, alteram quæ adiuuat. Ad primam operationem patitur anima; gratia namque excitans est in nobis. Ad secundam verò operationem, qua Deus opitulatur, anima cœlitus adiuta mouet se, credendo, amando, sperando, & ad bona æterna iugiter anhelando.

Cypr. l. 2. epist. 2.

Basilius l. de Spiritu Sancto cap. 26.

Spiritus Sancti duplex est operatio in anima.

SENSVS

SENSVS ORTHODOXVS.

Controversia Secvnda.

An motio diuina tollat humani libertatem arbitrij.

Cùm intrasset Iesvs *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?*

ARGVMENTVM.

Ex Scriptvra, Et SS. Patribvs.

Quare hæretici impugnent liberum arbitrium.

VT impunè peccare liceat hæreticis, & omnis bonorum operum praxis adimatur, illi impugnant liberum arbitrium, refundendo malum quod fit, in præscientiam Dei, & ita attribuendo bonum omne motioni diuinæ, vt nequeat arbitrium aliò resilire. Præscientiam Dei non irritum facere liberum arbitrium, dicam proximo Tomo, vbi expendam hanc Christi sententiam latam in Iudæos: *In peccato vestro moriemini.* Mearum hic partium est, adstruere concordiam motionis diuinæ, & libertatem arbitrij, quam Caluinus nequiter insectatur. Sic ille: *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum; vt nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo.*

Ioan. 8. Sententia Caluini de motione diuina tollēte libertatem arbitrij. Caluin. l. 2. Instit. c. 3. § 10.

In hac Caluini sententia duo occurrunt impugnanda. Primùm, gratiam non inferre vim homini libero, sed esse penes eum annuere Deo vocanti, aut irritam obstando facere gratiam cœlitus excitantem. Alterum refellendum est expunctio libertatis humani arbitrij. Primus error ita diluitur: Si gratia excitans, seu diuina motio, vim inferret libero arbitrio, nulla Deo prorsus esset querelæ occasio, quòd homines non dedissent manus gratiæ vrgenti eos ad meliorem frugem: Cùm igitur in Scriptura sacra prostent queruli textus, & carpentes obstinatos hominum animos, refugas gratiæ desuper affulgentis; nemo sui compos inficiari potest, hominem esse sui iuris, si gratia non est sortita suos effectus, ob defectum assensus. Accipe querimonias Dei in eo argumento. *Habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam, quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Profectò si Iudæi non se præstitissent impares gratiæ Dei, id est, si non restitissent Deo vocanti eos, gratis Deus in eos inueheretur: quod quia blasphemum est dicere, satius est Caluinum arguere erroris vtique pertinacis. Motionem Dei fuisse eius generis, cuius opus erat, vt Iudæi suæ saluti consulerent, satis superque liquet hisce verbis: *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Locuples etiam est hæc Christi animaduersio. *Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Si noluit Ierusalem annuere Christo volenti congregare filios eius, profectò sui iuris & arbitrij fuit, nec gratia excitans vllam omnino vim attulit.

Quomodo refellatur error Caluini de motione diuina vim inferente libero arbitrio.

Isai. 5.

Anima potest resistere gratiæ Dei oblatæ.

Matth. 23.

Rursus Leuita Stephanus in Iudæos inuehens, liquidò damnat hunc Caluini errorem. Sic Stephanus Deo plenus sugillat Iudæorū animos obstinatos: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Si resistere Deo vocanti, cassa fuit gratia, verumque fuit dogma Ecclesiæ, quod impugnat hæreticus hoc contextu: *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum; vt nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficiendo.* O hominis insaniam! non abnuit, nobiscum sensisse priscam Ecclesiam circa gratiam; & tamen delirus homo suam hæresim vult præferri sententiæ Catholicæ, ratæ & fixæ albo calculo sæculorum.

Actor. 7.

Caluin. vbi supra.

Accipe Augustinum: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate: propterea etsi quisquam sibi tribuit, quòd vocatus venit; non potest sibi tribuere, quòd vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* Non ergo sua libertate cadit homo, quem gratia diuina sollicitat: sed penes eū est, morem Deo gerere, aut sese vitio deuouere.

Ex SS. Patribvs. Aug l. 83. q. q. 68.

Ita Canones Concilij Tridentini. *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac preparet, neque posse dissentire, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passiuè se habere, anathema sit.* Caluinus, qui Dei & hominum iura tempsit, flocci etiam facit Canones, & placita Synodorum.

Ex Ivre Canonico. Concil. Trid. sessione 6. cap. 16. Canone 4.

SENSVS ORTHODOXVS.

Controvrsia Tertia.

An in homine resideat liberum arbitrium.

In hæc verba:

Cùm intrasset Iesvs *Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas.*

ARGVMENTVM PRIMVM.

Ex Scriptvra, Et Ratione.

OMnium Patrum concors auctoritas est in gratiam liberi arbitrij, quidquid reclament hæretici. Sed esto conueniant omnes orthodoxi, hominem affirmantes esse sui iuris; laborant tamen in nomenclatura: dum namque enucleant illud vocabulum, discolor est eorum descriptio. Bellarminum inopem copia fecit; siquidem ille discutiens aliorum sententias, ita fatur: *Alij, quorum videtur esse optima verissimaque sententia, per liberum arbitrium, solùm voluntatis actum significari docent.* Beatum Thomam laudat vt assertorem huiusce conclusionis; sed pace viri tanti dixerim, is inadæquatè de libero loquitur arbitrio,

Explicatio nominis liberi arbitrij.

Bellarmin. Tom. 3. controuersiarum contr. 3. l. 2. cap. 2.

& parum fideliter ait, à suis partibus stare Thomam. Quippe liberum arbitrium, ex vi nominis duo dicit. Vnum quod pertinet ad rationem, seu intellectum; & illud est iudicium. Alterum verò spectat ad voluntatem: & est electio. Itaque liberum arbitrium ex nuncupatione significat electionem cum iudicio, ac proinde non est actus solius voluntatis; sed intellectus suas etiam vices obit, quidquid Bellarminus obstet. Ita Magister sententiarum, imò & Doctor Angelicus in eam propendet sententiam ea ipsa quæstione, quâ Bellarminus indigitat, vt suam opinionē adstruat.

Liberum arbitrium dicit actum intellectus, & voluntatis.

Magist. Sentent. l. 2. dist. 24.

Thom. 1 p. q. 83. art. 1.

Sic beatus ille Thomas: *Homo agit iudicio; quia per vim cognoscitiuam iudicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia iudicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis; ideo agit libero iudicio, potens in diuersa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad opposita. Particularia autem operabilia sunt quædam contingentia. Et ideo circa ea iudicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum. Et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrij, ex hoc ipso quòd rationalis est.* Rursus ille: *Proprium liberi arbitrij est electio. Ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus vnum recipere, alio recusato: quod est eligere, & ideo naturam liberi arbitrij ex electione considerare oportet. Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognitiua virtutis, & aliquid ex parte appetitiua. Ex parte autem cognitiua requiritur consilium, per quod diiudicatur quid sit alteri præferendum. Ex parte autem appetitiua requiritur, quòd appetendo acceptetur quod per consilium diiudicatur.*

Eadem q. art. 3.

Arbitrium significat, iudicium, & voluntatem.

Liberum arbitrium connotare duas potentias, scilicet intellectum, & voluntatem, ex vocis notione liquet: nam arbitrium significat iudicium, atque voluntatem. Hinc Cicero, ita fatus est: *Iudicio arbitrioque nostro, quantùm quoque videbitur hauriemus.* Voluntatē signt apud Suetonium, *Arbitrij alieni esse.* Item apud Senecam. *Iuris, & arbitrij sui.* Demum arbitrium potestatem significat. Ita Ouidius.

Cic. in proœmio officiorū. Suet. in Claudio c. 2. Senec. c. 2 de consolat. ad Pol. Ouid. lib. 4. Fast. l. 3. Fast.

Statur, & arbitrium Romulus vrbis habet.
Idem & hanc vocem alibi pro potestate vsurpat.
—— *Arbitrium est in sua tecta Ioui.*

Apud Iurisperitos non adeò fusè patet hæc dictio: nempe est addicta soli iudicio. Sic enim Vlpianus hanc vsurpat, ita fatus: *Si quis litigatorum defuerit, quia per eum factum est, quò minus arbitretur, pœna committetur.* Ibi arbitrari perinde est ac iudicare. Triplex illa vsurpatio arbitrij bellè refert duos actus, quos memini pertinere ad intellectum & voluntatem, iudicium scilicet, & electionem; & præterea adiicit dignitatem liberi arbitrij, vt denotat potestatem in homine, quæ non est in brutis. Esto tria hæc coëant in libero arbitrio; præcipuè tamen est actus voluntatis, sed non solius, vt Bellarminus ait.

Vlp. de recept. arbit.

In eo sensu sunt intelligendi Patres, quando recolunt voluntatem mentione facta liberi arbitrij. Verbi gratiâ Augustinus ita fatus: *Reuelauit nobis Deus per Scripturas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Quasi diceret: tametsi suas obeat partes intellectus in libero arbitrio; primas tamen obtinet voluntatis actus. Prosper vtriusque potentiæ vices agnoscit, hoc contextu: *Iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum.* His prælibatis, vltro sequor Magistrum sententiarum, ita definientem liberum arbitrium: *Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratiâ assistente, vel malum ea desistente.* Nomine facultatis, intellige liberam potentiam: nempe facultas illa non est habitus vel actus, sed est potentia indeterminata. Facultas illa dicitur rationis atque voluntatis, quia soli naturæ intelligenti quadrat liberum arbitriū, vt Deo, Angelis, & homini; licet in Deo sit alio longè modo, quàm in nobis, nec illi quadret illa definitio proximè recensita. Cùm audis facultatē eligendi bonum: bonū illic non significat finem, sed media ad finem, quibus reuera competit ratio boni, scilicet vtilis. Liberum arbitrium propriè non versatur circa finem: quippe electionem dicit; at electio est quædam conclusio consultationis. Porrò consultatio de mediis ad finem est, & non de fine ipso. Hinc videre est, quale discrimen intersit inter voluntatem, & liberum arbitrium: quòd scilicet eadem appetendi potentia rationalis vt spectat finem, dicitur voluntas; vt verò collimat in media, dicitur liberum arbitrium. Vt & eadem potentia intelligendi, vt respicit prima principia, dicitur intellectus; vt respicit conclusionem, quæ per discursum ex principiis colligitur, ratio nuncupatur.

Aug. l. de gratia. & libero arbit. trio cap. 2.

Prosper. l. 1. de vocatione Gentium c. 3.

Quid sit liberum arbitrium. Magist. sentent. l. 2. dist. 24.

Quomodo distinguatur voluntas à libero arbitrio.

Facultatis huius germanus actus à Magistro assignatur, cùm subiicit istas voces: *Qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum ea desistente.* Ille nimirum actus proprius liberi arbitrij est electio. Et hæc bifariàm fit. Vno modo, seligendo vnum ex pluribus propositis, & hæc dicitur libertas contrarietatis. Altero modo fit electio, vno duntaxat proposito, illud acceptando, vel reiiciendo, & hæc dicitur libertas contradictionis. Vtraque libertate gaudet liberum arbitrium. Quia tollendæ sunt ambages vocibus implexæ, operæpretium est adnotare, triplicem libertatem recoli à Bernardo, & Magistro Sententiarum. Prima dicitur libertas naturæ, altera libertas gratiæ, tertia libertas gloriæ. Vel libertas à necessitate, libertas à peccato, libertas à miseria. Primæ libertatis mentionem facit Paulus hoc tenore: *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis.* Secundæ item meminit, ita fatus: *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Tertiam demum sic describit. *Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ne quis ergo cæcutiat in delectu, hoc ratum esto; scilicet libertatem, à qua dicitur liberum arbitrium, esse tantùm libertatem naturæ, seu libertatem à necessitate: licet enim impij non sint liberi à peccato, & à miseria; non tamen à libertate naturæ penitus exciderunt.

Triplex est libertas, & quænā spectet ad liberum arbitrium.

Bern. l. de gratia, & arb. 1. Magist. Sentent. l. 2. dist. 25.

1. Corint 7.

Rom. 6.

Rom. 8.

Rursus libertas naturæ bimembris est: vna nēpe opponitur coactioni: altera non duntaxat est coactionis impatiens, sed & coire nequit cum necessitate. Dicuntur esse libera à simplici coactione, illa quæ tametsi fiant necessariò, nec possint haudquaquam fieri; tamen spontè & de industria fiunt, nemine vim deforis inferente. Vt cùm volumus esse felices, illa volitio secundū specificationem necessaria est; sed vltro anima vult, & non coacta: & hæc est libertas à coactione. Illa verò dicuntur esse libera à necessitate, quæ pro arbitrio possumus velle, & nolle, siue etiam velle, & non velle, vt currere, orare, aliaque id genus. Totius controuersiæ cardo vertitur in assignanda libertate, penes quam sit ratio liberi arbitrij. Bucerus & Caluinus non eunt inficias, hominem

Libertas naturæ duplex, vna à coactione, altera à necessitate.

In quanam libertate situm sit liberum arbitrium.

Quid senserit hæretici de libero arbitrio.

Bucerus l. de concordia doctrina Caluin. & Institut. c. 2.

minem esse liberum à coactione; sed omnino negant libertatem à necessitate: vtque suo errori Caluinus inurat sigillum hæreseos, perfidiam, atque mendacium, traducit impudenter Lombardum, famosum illum Magistrum Sententiarum, vt vadem sui delirij. Sic ille sycophanta imponit viro illustri, & Theologo nominatissimo. *Pronuntiat tandem Lombardus, non liberi arbitrij ideo nos esse, quod ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peraquè polleamus, sed dumtaxat, quod coactione soluti simus.*

Fides orthodoxa secus adstruit, ad liberum arbitrium peti libertatem à coactione, & à necessitate, ita vt homo moueri queat ad hoc vel ad illud prout liberalis indoles ei dictauerit. Sisto à partibus Ecclesiæ Lombardum, cui maximè fuit iniurius Caluinus, ei suam affricans nequitiam. Non deseret vadimonium ille vir magnus, sic sua sensa prodens: *Potestas ipsa, quam supra diximus esse liberum arbitrium, libera est ad vtrumlibet, quia liberè potest moueri ad hoc, vel ad illud, &c. Vnde si diligenter inspiciatur, liberum arbitrium videtur dici, quia sine coactione & necessitate valeat appetere vel eligere quod ex ratione decreuerit.* Quid ad hæc Caluinus? quo clypeo nequissimus ille hominum occurrere poterit spiculis imposturæ?

Textus Scripturæ adstruentes liberum arbitrium.

Accipe & alia tela deprompta ex pharetra Scripturæ sacræ. *Deus dereliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem, & aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Nonne & Moyses liberi assertor arbitrij est hoc contextu? *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* Iosue eodem flamine percitus, Iudæos sic compellat: *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet.* Nunquid defectu liberi arbitrij illusorium fuisset hoc Prophetæ Gad colloquium cum Dauide: *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his.* Imò Deus ipse vindex est humani arbitrij liberi à necessitate. Nempe Regem Salomonem ita Deus affatus est: *Postula quod vis, vt dem tibi.* Huius optionis Salomon conscius, egregium specimen edidit eius quam adstruo libertatis. Spretis namque diuitiis, quas concupiscere potuit, aliam potiorem animæ supellectilem, scilicet sapientiam petiit cœlitus eruditus. Vnde maximè conciliauit sibi Deum testem humani arbitrij, vt hæc eius verba probant: *Quia postulasti verbum hoc, & non postulasti diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti sapientiam, &c.* Profectò Salomon non haberet hunc rerum Dominum encomiasten, si eius optio non libera fuisset à necessitate.

Eccles. 15. Numer. 30. Iosue 24. 1. Reg. 24. 3. Reg. 3. Ibidem.

Scriptura deprauata ab hæreticis, vbi adstruit liberum arbitrium. Genes. 4.

Sunt & alij textus, quorum vim hæresis pertimescens, falcem suam iniecit in vberrimam illam messem. Verbi gratiâ, Deus liberum definiens arbitrium, ancipitem & nutantem animum Cain sic firmauit: *Nonne si benè egeris, recipies? si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit: sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Caluinus hic vult dominium illud spectare Abel, & non appetitum; ita vt sensus sit: O Cain, cur liuore tabes & marcessis intuitu fratris tui Abel? ille tibi inferior natu est, ac proinde manet te dominium atque principatus, sicque frater tuus erit infra te. Quàm inepta sit industria cauillandi in homine proteruo, videre est ex ipso textu, & ex Paraphrasi Thargumistæ Ierosolymitani, quam accipe. *In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominare ei, siue ad bonum, siue ad malum.*

Tharg. Ierosol. in cap. 4. Genes.

Ex SS. PATRIBVS.

Principes Ecclesiæ Patres hunc locum referunt vt patronum & vindicem libertatis arbitrij humani. Ita Ambrosius: *Non frater ei addicitur, sed error adscribitur, cuius ipse sibi auctor est. In te, inquit, reuertetur crimen, quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis arguas quàm mentem tuam.* Diceres Ambrosium ex composito Caluinum configere, vt à scopo seu intento Dei deuium. Magistri sui Ambrosij sortitus ingenium Augustinus, ita fatur: *Quiesce ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius: Nunquid fratris? absit. Cuius igitur, nisi peccati?* Accipe & Summum Pontificem Gregorium illum Magnum. Sic ille: *Tunc peccatum cordis sub iuris nostri possessionem reducitur, si cùm incipit, reprimatur. Vnde & diuina voce, Cain praua cogitanti dicitur: In foribus peccatum tuum aderit: sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Vide an potior sit Caluini sententia, & præualere debeat sanctiorum Patrum textibus allegatis.

Amb. lib. 2. de Cain c. 7. Aug. lib. 15. de ciuit. Dei cap. 7. Greg. lib. 4. Moral. c. 22.

Subiice & hisce locis versum hunc Ioannis valde propitium libero arbitrio: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Beza Caluino litans, noluit subscribere vulgatæ editioni, sed ita reddidit textum illum: *Dedit eis hoc ius, vt Filij Dei sint facti.* Nomen potestatis nimium propendebat in partes liberi arbitrij, ideoque fuit infensum hæreticis, licet Græca editio, quam propugnant hæretici, eos damnet. Ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι. Id est. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri. Vox namque ἐξουσία potestatem significat.* Hoc præcipuè oraculo Chrysostomus probat liberum arbitrium sic arguens: *Cur non dixit: fecit eos Filios Dei fieri? Vt ostenderet multa nobis opus esse diligentia, vt adoptionis nobis per Baptisma impressam imaginem, puram seruemus, atque intactam. Præterea quòd nemo hanc nobis potest auferre potestatem, nisi primum nobis ipsis abstulerimus. Si enim qui ab hominibus auctoritatem aliquam accipiunt, tantùm ferè possunt, quantum qui dederint: longè magis nos, qui hunc à Deo honorem assecuti sumus, si nihil hac indignum potestate fecerimus, omnium erimus potentissimi; cùm qui nos in hoc honore dignatur, inter omnes maximus sit, & præstantissimus. Simul autem declarare voluit gratiam non temerè, neque sine labore nostro in nos infundi, sed cùm ipsi volumus, cùm eam inquirimus. In nostra enim potestate est Filios Dei fieri. Quippe nisi primum ad eum accipiendum promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Vbique igitur, non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus & liberum nobis ostendit arbitrium, quod in hoc loco significauit.* Garriant itaque, & malè suo vtantur arbitrio procaces hæretici in perniciem liberi arbitrij: non tamen

Ioan. 1. Bibilia à Beza traducta. Chrysost. in c. 1. Ioann.

tamen hoc virus aspergent nobis, quibus Ecclesia & Patres Sancti propinant antidotum salutare.

Quibus rationibus suaderi possit liberum arbitrium.

Accedit & ratio multiplex benè suada in gratiam liberi arbitrij. Primò incassum essent indictæ leges hominibus, & decreta malis supplicia, si penes hominē haudquaquam esset electio boni operis, aut iniqui. Siquidem ea, quæ necessaria sunt, eadem etiam necessitate suum sortiuntur effectum. Ad quid instituta sacramenta, à Christo, & quorsum præcones verbi Dei declamant in vitia? imò quare dæmones adeò se sedulos & sagaces præstant in seducendis hominibus, si non sit penes eos liberum arbitrium, cuius obsequio suum præbeant vel negent assensum dæmoni percellenti? Adiice, fore inutilia miracula eo fine edita à Deo, vt homines Deo obstringant arctiùs, & vt fidei pomœria latiùs & longiùs diffundantur. Omnia namque media cœlitus instituta, ad meliorem hominum frugem cassa sunt, si penes hominem non est, eligere, aut refellere ea quæ conducunt ad salutem.

Quid sit virtus.
Arist. l. 2. Ethic. c. 6.

Rursus stante illo delirio hæreticorum, nulla omnino viget virtus in humanis: quippe Aristoteles virtutem vocat ἕξιν προαιρετικήν. Id est, *habitum electiuum*. Et rursus ait, *Nullam actionem virtutis esse, nisi qua ex electione facta est.* Demum tollenda sunt præmia, quia non inclinare possunt homines in bonum, vrgente eos necessitate ad peccandum, si veridicus est Caluinus. Rursus illa necessitas homini indicta ad peccandum, est à Deo, vel ab astris, aut à carne facessente negotium spiritui. Non est à Deo: nempe vetat ille nefarios omnes actus, & acerba definiit supplicia vitio præualenti. Imò & ipse Deus carnem induit, vt suo exemplo nos pelliceret ad virtutem, & Passione sua mereretur gratiam illam, cuius obsequio vitia declinamus. Præterea ineptire est, refundere in sidera necessitatem illam, quam hominibus affricant hæretici: corpora namque sunt sidera, & animam sollicitare nequeunt ad peccandum, iuxta vulgare hoc effatum: *Sapiens dominabitur astris.* Demum caro potest quidem esse molesta spiritui: sed illa molestia nequit animam carnis legibus adstringere, ac proinde ruit illa peccandi necessitas, quam hæretici exosi liberum arbitrium turpiter inuexerunt.

Refelluntur tres causæ, quæ assignari possunt in gratiam necessitatis, quam hæretici affricant homini, vt destruant liberum arbitrium.

SENSVS ORTHODOXVS.

Denuò propugnatur humani libertas arbitrij.

In hæc verba:

Cùm intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas.

ARGVMENTVM II.

Ex Conciliis, et Ex SS. Patribus.

Quinam hæretici tētarint expūgere liberum arbitrium.
Clemens l. 3. recognit.

VBi veræ pietatis sensus omnis exoleuit, ibi etiam longè latéque vitiis indulgetur: nec patroni desunt, qui vitiorum agant partes, sicuti probant hæretici omnes, qui liberum arbitrium expungere tentauerunt. Illorum Antesignanus fuit Simon Magus, qui nihil humano fieri voluit arbitrio, sed fato omnia prorsus assignabat, vt meminit Clemens Papa coæuus hominis huius apostatæ. Hoc ebibere virus Manichæi, libertatem arbitrij fortiter impugnantes. Hos suis confixere telis Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus. Hunc eorum errorem notat Socrates historicus. Alphonsus à Castro hanc hæresim affingit Petro Abailardo, cum quo etiam Albigenses postea delirarunt, vt aduertit Antoninus.

Hier. in proœmio. dial. aduers. Pelagian.
Aug. contra Fortun. Manichæ.
Chrys. ho. 45. in Ioan.
Socrat. l. 1. cap. 17.
Alph. c. de libero arbitrio.
Anton. p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.

Vt superiore sæculo recrudescere mala omnia, quæ facessierant olim negotium Ecclesiæ; ita & hæresis illa de nullitate liberi arbitrij grassata est, multosque tulit de gremio Ecclesiæ, vt ad castra hostilia transmigrarent. Principes illi transfugæ atque desertores fuere Vviclefus, Laurentius Valla, Lutherus, Melanchthon, & Caluinus, quorum hîc recensere blasphemias piget. Sufficiat in margine prænotare libros, siue cloacas, quæ eorum sententias putidas exhalarunt. Satiùs erit pharmaco salutari consulere fidelibus, ne eis hæreticorum turma sua aspergine virus aliquod offundat. Hoc itaque statum nobis insideat, scilicet esse de fide, hominem non excidisse suo libero arbitrio. Ita sanxit Sacrosancta Synodus Tridentina; cuius est iste Canon. *Si quis dixerit hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.* Pluribus antea sæculis fuerat illud dogma prædicatum, in Concilio Toletano IV. celebrato anno sexcentesimo quadragesimo tertio. Hinc effluxit hoc decretum: *Præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se gratia Dei, propria mentis conuersione homo quisque credendo saluatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrij voluntate, vt conuertantur suadendi sunt, non penitus impellendi.* Rursus Concilium Valentinum coactum anno octingentesimo quinquagesimo quinto liquidiùs in eo argumento sanxit, sic decernens. *De libero arbitrio, per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fidelibus eius redintegrato, & sanato, idipsum constantissimè, & fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt.*

Vuicl. 2. Trial. c. 13.
Laur. Valla l. de libero arbitrio.
Luth. in assertion. ar. 36.
Ex Conciliis.
Conc. Valent. cap. 6.

Quid autem senserint in eo themate sancti proceres Ecclesiæ, mearum est hîc partium recolere, delibando Patrum sententias. Chorum ducet Clemens Papa, vtpotè fax lucida primi sæculi. Sic ille: *Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere, aut nolit, & amplexiones eius, id est, mandata vitæ, habet in sua potestate. Liberi enim arbitrij sumus.* Eiusdem sæculi phœbus Dionysius Areopagita, sic posteræ ætati illuxit. *Neque coactam habemus vitam, neque liberi arbitrij gratia diuinitus data mortalibus prouidentia diuina luce & splendore obtunditur.* Consonat Ignatius ille Martyr, & rutilum iubar Ecclesiæ enascentis. Nempe is palàm facit liberam indolem arbitrij, ita sua pangens eloquia. *Quandoquidem actiones ipsæ sua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ, & singuli, qui aut hoc, aut illud elegerunt, in eius quod elegerunt*

Ex SS. Patribus.
Clem. Rom. lib. 5. Recognit.
Dionys. Areop. lib. de cœlesti Hierarch. cap. 9.
Ignatius ep. ad Magnesian.

elegerunt locum abituri sunt: fugiamus mortem, & eligamus vitam. Si quis pietati studet, Dei homo est: si impiè agat, diaboli est: non id factus per naturam, sed per animi arbitrium. Iustinus Martyr egregiè probat liberam illam hominum sortem, ratione cuius supplicia & præmia decernuntur. Ecce viri sancti verax effatum. *Quia liberi arbitrij, & Angelorum, & hominum genus ab initio Deus creauit; iusto iudicio pro delictis suis supplicium igne sempiterno reportabunt. Nec quicquam eorum quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem alterum versus se conuertendi obtineret.* Eò etiam spectat argumentum, quo Irenæus propugnat illam animæ facultatem. Ecce discursum meo intento propitium. *Frumentum quidem, & palea, & animalia irrationabilia existentia, naturaliter talia facta sunt. Homo vero rationabilis, & secundum hoc Deo similis, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando, quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.*

Iustin. Mar. oratione ad Gentiles.

Irenæus l. 4. cap. 9.

Concordis est suffragij Clemens ille Alexandrinus, Magister Origenis, sic subscribens alijs Patribus. *Nec laudes, nec vituperationes, nec honores nec supplicia iusta sunt, si anima non habeat vim liberam, & appetendi, & aggrediendi, sed sit vitium inuoluntarium.* Esto ab hoc suo præceptore deuius Origenes defecerit, multas condens & meditans erroneas sententias; cum eo tamen conuenit, vbi res est de libero arbitrio. Sic ille: *Sui arbitrij est anima, & in quam voluerit partem est ei liberum declinare: ideoque iustum est Dei iudicium, quia sponte sua bonis seu pessimis monitoribus paret.* Rursus ille magni nominis, rem illam dixit esse definitam vt indubiam: *Est* (inquit) *& illud definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrij, & voluntatis.* Diceres, de industria concatenatos esse Patres, vt velut agmine facto tueantur partes illius hominum liberæ facultatis. Accipe Basilium. *Vnde anima mali capax est? Quoniam libero facta est arbitrio, quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat.*

Clemens Alexand. 1. strom.

Origenes ho. 20. in lib. Numer.

Idem in proœmio l. 1. de principijs.

Basil. Homilia quod Deus non est auctor malorum.

Illam sententiam de libertate arbitrij, fuisse in rudimentis fidei, apprimè docet Cyrillus ille Ierosolymitanus, famosus catechista priscæ Ecclesiæ. Huius est illa instructio: *Cognosce, animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ, opus Dei pulcherrimum, secundum factoris imaginem.* Hanc controuersiam luculenter diluit Gregorius Nazianzenus in Theologis summus. Ecce sensa hominis eruditi. *Ipsum summæ ac singularis Dei bonitatis argumentum est, animum facere vt virtus nostra quoque aliqua ex parte sit, nec naturà tantum nobis inseratur; sed etiam per voluntatem, liberique arbitrij in vtramque partem agitationes patiatur. Altera rursum, vt deteriorem quoque partem crassitie sua paulatim solutam ad se pertrahat, atque in sublimi collocet.*

Cyrill. Ierosol. catech. 4 de statu homin.

Greg. Naz. Apolog. 1.

Non est prætereundus eruditus discursus Gregorij Nysseni, graphicè lineantis ingenium liberi arbitrij. Accipe viri sancti sententiam maximè opportunam. *Dicunt, Deum posse si velit eos etiam qui resistunt, necessario compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem. Vbi est ergo in his liberum arbitrium? vbi autem est virtus, vbi est laus eorum, qui rectè se gerunt? Est enim solùm inanimorum, aut eorum quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id quod videtur adduci. Rationis autem particeps, & intelligens natura, si liberum deposuerit arbitrium, simul etiam perdit gratiam intelligentiæ. Ad quid enim sua vtetur mente, & cogitatione, si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio. Si manet autem inefficax, & nullius vsus liberum animi institutum, & electio, necessariò etiam abolita est virtus, impedita immobilitate liberi arbitrij. Si non sit autem virtus, honore priuata est vita, ablata est laus eorum, qui rectè se gerunt. Vitium est immobile, diiudicari non poterit vitæ agendæ discrimen. Quis enim, vt est rationi consentaneum, amplius vel intemperantem reprehenderit, vel temperantem laudauerit, cum quilibet in promptu hanc habeat responsionem, quòd nihil eorum, quæ nostro arbitratu statuimus, in nostra est potestate.*

Virtus nulla esset, si homo non esset liberi arbitrij.

Greg. Nyss. oratione catechet. c. 3.

Nonne Gregorius ille fortiter agit partes liberi arbitrij, probans indostriè veritatem dogmatis Ecclesiæ, contra hæreses insurgentes. Præcipua ferè Patrum ratio libero velificans arbitrio petitur à præmiis & suppliciis cœlitus institutis, vt boni coronentur, mali verò secus plectantur egregiè. Non præteriit hanc rationem Chrysostomus, causam agens liberi arbitrij. Sic ille: *Si velle, aut nolle vestrum non esset, hoc est, si viuendi rectè, an secus libertas adempta nobis fuisset, nec bonus vnquam cæleste munus dignè perciperet, nec malus supplicium competens inueniret: sed totum Deo deputaretur auctori, qui alios impingeret in contemptum, formaret alios in obsequium. Sed cùm diuinæ legis edicta in Ecclesia pendeant, quibus quid fieri Deus aut velit, aut nolit, eius familia instruatur, vt libera quis voluntatis arbitrio præcepta aut impleat, aut contemnat: Vnde sibi quisque quod meretur, instituat: nec posse aliud mereri, quam velit: quippe cui legis tenor sit propositus, ex quo quod velit, eligat, & quod nolit contemnat: vt iudicio hominis, Dei iudicium celebretur, vt qui libertatem concessam in obsequium dederit, muneretur: qui in contemptum duxerit, condemnetur.* Ille idem Præsul peritissimus in his quæ fidei sunt, sæpe sæpius refricat eamdem materiam, & potenter asserit libertatem arbitrij locis in margine recensitis.

Vitium non est castigandum, si homo non sit liberi arbitrij.

Chrys. ser. in illud Isaiæ: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.

Idem ho. 22 in Gen. ser. 2 de prodit. Iudæ. ser. 8. in epist. ad Philippenses.

Fortè instabunt hæretici, Græcos quidem Patres fuisse assertores liberi arbitrij, & plerumque nouatores Græciam diuexasse, quorum aspergine fuit sæpè illa Ecclesia conspurcata. Idcirco operæpretium esse sistere Patres Latinos, vt sic constet de re controuersa. Non cunctabor & hæc oracula consulere, ne qua declamandi supersit hæreticis occasio. Tertullianus occurrit prior ita fatus: *Liberum & sui arbitrij & suæ potestatis inuenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad vniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso traxit, id est, animæ, ad formam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate & potestate signatus est. Hunc statum eius confirmauit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni*

Tertull. lib. 2. contra Marcion cap. 5.

Lex à Deo homini imposita probat liberum arbitrium: frustra enim esset lex sine libero arbitrio.

adſcriberetur, ſi non & contemptus legis ob arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic & poſteris legibus creatoris inuenias proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem: ſed nec aliàs totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitum, auocante Deo, & minante, exhortanteve, niſi & ad obſequium & ad contemptum libero & voluntario homine.

Liberi arbitrij libertas eſt à neceſſitate.

Caluinus inſtabit, ineſſe quidem homini liberum arbitrium, ſed libertate tantùm à coactione, non à neceſſitate: quia non eſt penes eum in vtramque partem inclinare. Tertullianus illam diluet inſtantiam, ſua falce acuta dubiorum omnes ſurculos exſcindente. Sic ille: *Tota libertas arbitrij in vtramque partem conceſſa eſt illi, vt ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando: quoniam & aliàs poſitum hominem ſub iudicio Dei, oportebat iuſtum efficere de arbitrij ſui meritis, liberi ſcilicet. Cæterùm nec boni nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus, non voluntate. In hoc & lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem de obſequio ſponte præſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda, ita in vtrumque exitum libertas patuit arbitrij.* Hactenus ille acerrimus liberi arbitrij propugnator. Et quaſi Caluinum ſibi in ſcopum præfixiſſet, meminit huius neceſſitatis, cui Caluinus obnoxium facit liberum arbitrium, & eam procul arcet ab illa libera facultate. Alibi ruſus id inculcat.

Tert. l. 2. c. Marcion. cap. 6.

Cap. 8. item lib. de exhortat. ad caſtitatem c. 2.

Cyprianus apprimè verſatus in lectione Tertulliani, tutatus eſt & ipſe partes liberi arbitrij, ſic profeſſus illam veritatem. *Dominum magnalia & mirabilia ſumma facientem, & virtutes Dei Patris factorum ſuorum teſtimonio comprobantem, diſcipuli reliquerunt. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus eſt, ſed magis conuerſus ad Apoſtolos ſuos dixit: Nunquid & vos vultis ire? ſeruans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe, vel mortem appetit, vel ſalutem.* Denuò ſibi conſtans ille alibi commemorat illam animæ libertatem. Ecce ratam eius ſententiam. *Hæreſes & factæ ſunt frequenter, & fiunt, dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet veritatem. Fieri verò hæc Dominus permittit ac patitur, manente propria libertatis arbitrio, vt dum corda & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra manifeſtâ luce clareſcat.* Sæpius item recolit illam veritatem.

Cyp. ep. 55. libr. de vnitate.

Idem lib. 3. ad Quirinum cap. 52. Serm. de Nat. Chriſti.

Ab Africa in Europam tranſeamus, vbi maximè peſtis hæreſeos graſſatur hodie. Vtinam Gallia, quondam neſcia monſtrorum, ſemper ſibi conſtitiſſet: non euomuiſſet illa olim diſciplinarum alma parens monſtrum horrendum & immane, ſcilicet Caluinum liberi arbitrij deſtructorem. Accipe ab Hilario fidem Galliæ Chriſtianæ. Sic ille: *Vnicuique noſtrum libertatem vitæ ſenſuſque permiſit, non neceſſitate in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malumue eſſe lex cogeret: ſed qui nos per beneuolentiam viendæ beatitudinis ſuæ creaſſet; profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis honeſtæque conſtituit. Quid autem honoris ac præmij bonitatis neceſſitas mereretur, cùm malos nos eſſe vis quædam nobis conſerta non fineret? Voluntati ergo permiſſa bonitas eſt, vt præmium ſibi voluntas bonitatis acquireret, eſſetque nobis æterna huius beatitudinis profectus, & vſus ex merito, non neceſſitas indiſcreta per legem. Et quamquam nos ad voluntatem bonitatis, id eſt, ad bene honeſtèque viuendum per ſpem promerendæ & viendæ ſuæ bonitatis illiceret, pœnam tamen denitatæ & contemptæ bonitatis adiecit, vt cùm libertatem nobis voluntatis ad promerendam bonitatem reliquiſſet, quia meritum neceſſitas naturæ non haberet, libertatem ipſam quotidie propoſitus è contrario pœnæ terror argueret.* Item alibi compendiosè litem hanc dirimit iſtâ ſententiâ: *Eſſe filios Dei, eſt opus voluntatis, non neceſſitatis.*

Hilarius in Pſalm. 2.

Non decernuntur præmia, neque ſupplicia, vbi non eſt liberum arbitrium.

Hilar. lib. 8. de Trinit.

Vt plenior ſit probatio auctoritate Patrum, conducendi ſunt principes Eccleſiæ doctores, quatuor ſcilicet illi famoſiſſimi, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, atque Hieronymus, vt veritas Catholica in hoc velut quadro poſita nutare nequeat, hæreticorum ictibus impetita. Sic Gregorius: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis, vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio bonum, quod iam appetimus, agat nobiſcum: quod tamen per impenſam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac ſi ſolis proceſſiſſet ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit; Paulus ait: Gratia Dei ſum, id quod ſum. Et quia eamdem gratiam noſtrum liberum arbitrium ſequitur; adiungit: Et gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui. Qui dum ſe nihil eſſe conſpiceret, ait: Non autem ego: & tamen quia ſe eſſe aliquid cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret mecum, ſi cum præueniente gratia ſubſequens liberum arbitrium non haberet.* Neſcio quid liquidiùs optet hæreticus ab illo Pontifice ex Sede Apoſtolica definiente rem, quam dubiam fecit indoles illa procax hominum deſertorum. Qui plura volet ab hoc Præſule conſulat illum locis in margine prænotatis

Gregorius lib. 16. Moral. cap. 10.

Gloriæ Dei & liberi arbitrij mira concordia.

Greg. lib. 33. Mor. cap. 10. Id. l. 1. in Ezech. hom. 5.

Audiendus Ambroſius, ſic concinens in illo Patrum choro. *An fortè verendum eſt, ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia, per quæ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquam eſſe conſequens oſtenditur. Operante enim Spiritu Dei, iuuatur arbitrium, non aufertur; & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus ſuis, ſed per opem miſerantis Medici curata reualeſcat.* Rurſus ille ſui memor eloquij, ſic propugnat ius illud in homine ſartum tectum. *Non ſeruili ad obediendum conſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbitra, ſiue ad virtutem propendemus, ſiue ad culpam inclinamur. Et ideò nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas reuocat, rationem ſecuta.*

Ambroſ. epiſt. 84.

Lib. de Iacob. & vita beata cap. 1.

Vt diſcipulus magiſtro, ita Auguſtinus eſt concolor Ambroſio, decurrens illam materiam liberi arbitrij, de qua digladiantur hæretici; dum pertæſi iura Dei & hominum, animam faciunt impotentem. Sua Auguſtinus ſcita palàm facit, ita fatus: *Liberum arbitrium euacuamus per gratiam? abſit: Sed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem; ſic liberum*

Concordia legis gratiæ, & liberi arbitrij.

Aug. lib. de Spiritu & gratia c. 30.

arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur: quia gratia sanat voluntatem, qua liberè diligatur iustitia.

Diuina motio animam percellens, nullam vim facit libero arbitrio. *Aug. lib. de Spiritu & gr. c. 34.*

Item adhuc elimatè Sanctus ille discutiens istam controuersiam, disertè pronuntiat, nullam fieri vim libero arbitrio, licet Deus motione prærata influat in animas. Sic ille: *Consentire, vel dissentire; propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat (neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat,) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.*

Conc. Trid. sess. 6. can. 4.

Non ergo hallucinati sunt Patres Concilij Tridentini, quando Canonem illum ediderunt, quo dicitur anathema iis, qui dixerint, liberum arbitrium habere se merè passiuè, & nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti. Qui plura volet oracula Augustini in themate isto, consulat cum locis in margine prælibatis, & videbit quàm Caluinus insaniat, qui se iactat tanti facere vnum Augustinum, vt eius auctoritate sua sensa velit esse fixa.

August. l. de grat. & lib. arbit. c. 2.

Sanctorum Patrum agmen claudet Hieronymus, eidem etiam veritati litans, & proinde sugillans opportunè proteruiam illam, qua nostrates hæretici nequiter insolescunt. Accipe congruum assertorem liberi arbitrij hoc discursu: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. alioquin vbi necessitas est, nec condemnatio, nec corona est, sicut in bonis operibus perfectior est Deus. Non enim est volentis, neque currentis, sed miserantis & adiuuantis est Dei, vt peruenire valeamus ad calcem: sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiua, & perfectio diaboli.* Rursus pro voto nostro illud idem refricat argumentum: *Aliud* (inquit) *est Dei opus, aliud hominum. Dei opus est vocare: hominum vel credere, vel non credere. Et sicuti alibi de Scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, vt ibi: Si volueritis, & audieritis me.* Demum idem acutè concludit, nullam fore sapientiæ micam apud homines, pessum eunte libero arbitrio. Vnde arguit vigere hanc animæ facultatem, quia multa sapientiæ specimina quotidie à viris optimis eduntur egregiè, luculenter. Sic ille: *Hoc fecit Deus, vt habeat sapientia locum in eligendo bonum, & vitando malum, & liberum homini relinquatur arbitrium. Ne dicat se insensibilem ac stolidum à Deo esse generatum.* Hactenus ille, stans à partibus liberi arbitrij.

In 1. Ioan. cap. 4. Lib. 1. contra iduas epist. Pelagij c. 1. Cont. Fausto, Manichæ. disput. 2. epist. 47 ad Vait. de fide cont. Manichæum cap. 9. & 10. Hieron. l. 2. cont. Iouin. cap. 2. in cap. 5 ad Galat.

Nulla prorsus esset sapientiæ mica apud homines sine arbitrio. *Hieron. ad c. 7. Eccles.*

Ierosolyma Christo applausit primum, & eum postea refutauit.

Illud etiam Euangelium, quod expendo orthodoxè, idoneum sufficit argumentum. Quippe, cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Profectò fuit illa commotio gratiæ excitantis & vocantis Ierosolymam ad agnitionem Christi, vt fusè probaui in sensu literali contra Maldonatum. Sed esto populus ille diuino percitus œstro litarit Christo, ei applaudens, & effusus obuiam æmulatus indolem discipulorum, qui sternebant vestes in via, & cantica resonabant: non tamen constitere sibi ciues vrbis ingratæ; nempe susurrantibus Scribis atque Pharisæis, libero perculsi arbitrio in Christum Dominum morte tenus impiè sæuierunt. Siquidem plerique ex iis, qui steterant à partibus Christi Dominica Palmarum, terga verterunt quinto post die, defectionis suæ signum hoc edentes, quòd Pilatum vrgentes, ab inuito Christi Domini necem nequiter extorserunt. Itaque liberi sui arbitrij argumentum dedit illa duplex commotio Ierosolymæ, velificantis Christo primùm, & eumdem velut Regem exauctoratum turpiter abiurantis. Alternantes has populi vices stupet Bernardus hoc tenore: *Ab eodem populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est: Tolle, tolle, crucifige eum; & Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis! Quàm dissimile: Rex Israel; & Non habemus Regem nisi Cæsarem. Quàm dissimiles rami virentes, & crux; flores, & spina. Cui priùs sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur.*

Bern. serm. 2. de Dominica in ramis.

SENSVS ORTHODOXVS.

CONTROVERSIA QVARTA.

An gratia influens in animas, peccata expellat, aut homo dicatur iustus iustitiâ Christi imputatiuâ tantùm.

In hæc verba:

Intrauit IESVS *in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.*

ARGVMENTVM

EX SCRIPTVRA, RATIONE, ET SANCTIS PATRIBVS.

PHilistæis infidelibus, & nesciis veri Dei, non fuit res peregrina miscere sacra profanis, eodemque templo reponere arcam Dei, & idolum Dagon. Non tulit hanc impietatem Christus in Iudæis, inducentibus oues & boues in locum sanctum, imò foras flagello eiecit vendentes & ementes in templo, damnans has nundinas vti sacrilegas, & docens non coïre sacra & profana. Voluit Christus repurgium templi præire sanitati, quam cæcis, claudis, aliisque ægris pluribus impertiuit. Namque salutis ille Deus, vt benignè influat, aliqua deposcit præludia, quibus eius gratia conciliari queat. Vnde miror hæreticos affirmantes, in anima iustificata, præterita semper vitia residere: quippe nolunt, iustificationem animæ fieri beneficio gratiæ inhærentis, sed duntaxat obsequio gratiæ, seu iustitiæ Christi, nobis desuper imputatæ. Caluinus hocce delirio insanit, ita desipiens: *Iustificare nihil est aliud, quàm*

Error Caluini de iustificatione animæ.

Caluinus l. 3. Instit. c. 11. §. 3.

eum qui reus est, vel agitur, tamquam approbata innocentia à reatu absoluere. Cùm itaque nos Christi intercessione iustificet Deus, non propria innocentia approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus. Negat ille sycophanta dari in anima iustitiam seu gratiam distinctam realiter ab ea, quæ afficit animam Christi.

Deprauatio insignis facta à Beza *Roman. 6.*

Beza velificans insaniæ Caluini, cuius virus ebiberat, vt hunc errorem adstrueret, codici sacro vim intulit. Vbi enim Paulus Romanos initians sacris fidei mysteriis ait: *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Beza maledicus perfidè sic reddidit illum versum: *Qui mortuus est, liber est à peccato.* Vult quidem callidus apostata, iustificatos ita liberari, vt non imputentur eis peccata, quæ tamen restagnant & stabulantur in anima. Arguitur hic transfuga perfidiæ, ipso hoc textu Græco: Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. Id est. *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.* Vox siquidem δεδικαίωται perinde sonat ac *iustificatus est*, à verbo δικαιόω *iustifico.* Maluit infida versione Beza Paulum inducere, quam reddere fideliter eius oraculum Catholicis propitium, quorum dogma prostat hoc decreto Concilij Tridentini. *Vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, &c. Id in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ Passionis merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Beza subodorans in prælibato textu Pauli veritatem sententiæ Catholicæ, quæ iustificationem animæ refundit in gratiam inhærentem, quæ expungit culpam, reatum, & offensam, fatetur ingenuè, suopte Marte locum illum ad suam sententiam adaptasse. Sic ille: *Vulgata, & Erasmus, iustificatus est, quidam etiam conuertit absolutus est. Ego verò has interpretationes hoc loco vt ambiguas reieci, ne quis de peccati vel peccatorum remissione seu absolutione a peccatis hoc dictum acciperet.*

Biblia traducta à Beza Rom. 6.

Quid sit, & quomodo fiat iustificatio peccatoris.

Concil. Trid. sess. 6. c. 7.

Beza in annotationibus in epist. ad Rom. c. 6.

Caluinus rem iniquam censuit, imponere Apostolo, ideoque textui genuino maluit affingere glossam deuiam ab intento Pauli, dum sic commentatur: *Iustificatum accipe pro absoluto, & à seruitute vindicato.* Quia tentauit ille nequam expungere ab anima gratiam inhærentem, accipe textus Scripturæ sacræ gratiæ illius vindices opportunos. Ita Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Charitas hæc diffusa notat quidpiam aliud, quàm quid desuper imputatum. Eò spectat hoc eiusdem Pauli effatum: *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Profectò naribus emunctis hoc pignus subolet gratiæ fragrantiam, quam experimento quotidiano constat iustorum animas exhalare. Eiusdem generis est hoc Ioannis eloquium: *Vnctionem, quam ab eo accepistis, maneat in vobis.* Et rursus: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen eius manet in eo.* Semen illud est gratia cœlitus insita.

Caluin. in epist. ad Roman. 6.

Textus probantes gratiā inhærentem. *Rom 5.*

2. Cor. 1.

1. Ioan. 2. 1. Ioan. 3.

Quare gratia iustificās & peccata nequeant esse simul.

Iam rationibus est expedienda hæc controuersia. Sic arguo: Paulo auctore, Spiritus sanctus inhabitat animas Deo acceptas: Ergo cùm Spiritus ille stipetur omni gratiarum agmine; indubia res est, animam effectam sacrarium Dei, multis gratiarum dotibus insigniri. Vnde, cùm gratia & peccata non coëant, necesse est aboleri penitus peccata eius, qui iustificatur: alioquin Deo gratus & ingratus simul esset, quod affirmare incongruum est. Gratus esset, quia iustus; ingratus, quia Deus exosus omne nefas, homines impios auersatur. Rursus si teguntur tantùm peccata in iustificatione, & non abiguntur; peccata illa etiam Beatis inerunt in gloria: Sed illuc nemo malè sibi conscius inducitur; nempe nihil coïnquinatum subire potest illud sacrum Palatium, iuxta illud Isaiæ effatum: *Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Si non videbit gloriam Domini, quia impius; quomodo impietas & gloria concordabunt? Nonne impij erunt beati, si eos impietas etiam comitetur ad gloriam.

Isai. 26.

Præterea si iustitia illa iustorum non sit eis propria, vt à Deo accepta & distincta realiter à iustitia Christi; non posset intendi illa sanctorum iustitia, seu gratia, quia in singulis quibusque hominibus esset infinita: Sed hoc est absurdum, ipso etiam codice sacro nos adhortante ad noua gratiæ incrementa. Sic enim perorat Angelus ille, qui Ioannem Apostolum fecit conscium arcanorum Dei: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Frustra Salomon Deo afflatus hoc dictasset: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Neque etiam veridica potest esse sententia Psaltis, stante thesi illa hæretica. Ait enim Psaltes iustos procedere permeantes omnes virtutum calles: *Ibunt de virtute in virtutem.* Ad illud augmentum gratiæ pertinet ille Pauli textus: *Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Aliud etiam sequitur incongruum ex inepta hac hæresi de iustitia imputatiua Christi; scilicet fore Beatos omnes æquales, & iustos omnes in hoc æuo concolores esse, nullo alium præcedente, merito, gradu, vel pondere sanctitatis: Sed ex Scriptura secus omnino patet; quippe Dominus ipse IESVS ita fatur: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Id est, vt discolor & inæqualis est gratia fidelium, ita & eos præmium inæquale manet.

Gratia Dei potest intendi in hoc sæculo.

Apocal. 22.

Prouerb. 4.

Psal. 83.

2. Cor. 9.

Iustorum multiplex & inæqualis est sanctitas.

Ioan. 14.

In Sanctorum choro quosdam aliis eminere probat istud Dei cum dæmone colloquium: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Nota, illam disparitatem sancti Iob & aliorum hominum peti à simplicitate, rectitudine, timore Dei, aliisque gratiæ dotibus, quibus alios homines anteibat. Esse varias meritorum classes, vt & gratiarū quas etiā gloria discolor excipiet, bellè ait Paulus hoc contextu: *Non omnis caro, eadē caro: sed alia quidē hominum, alia verò pecorum, alia volucrū, alia autem piscium. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Quasi diceret: Sicut rutila siderum corpora haudquaquam in æquali lumine conueniunt; ita & Sanctorum merita non ad eamdem sanctuarij

Iob 1.

Beati in cœlo non dignabuntur iisdem gradibus gloriæ.

1. Cor. 15.

ſanctuarij trutinam appendentur. Deſipiunt ergo hæretici, dum refellunt iuſtitiam inhærentem, quam & ego iterum ſic adſtruo: Gratiam Deus non eo ſolo nomine impertit, vt ea nos flammis æternis eripiat, ſed vt nos aliquando gloriæ æternæ compotes efficiat: Sed hoc præſtare nequit illa iuſtificatio inuecta, & ſomniata ab hæreticis; illa nimirum ſita eſt in forenſi ſchemate, quo quiſquis abſoluitur, declaratur quidem ſupplicio exemptus, ſed non afficitur aliquo præmio: Ergo ad hoc vt homo repurgio peccatorum clarus, conſors fiat diuinæ naturæ, & gloria æterna dignus, indiget aliqua qualitate ſuperioris ordinis, cuius obſequio beatis mentibus adſcribatur.

Roman. 6.

Hanc gratiam Paulus indigitat, quaſi de induſtria dirimens iſtam controuerſiam. Sic ille: *Nunc verò liberati a peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero, vitam æternam.* Si liberati à peccato: ergo peccatum non remanet etiam poſt Baptiſma, vt ſtultè Caluinus tentat adſtruere. Si libertatem illam à peccato excipit ſanctificatio, profectò illa quidpiam aliud eſt à remiſſione peccatorum: vt enim præfatus ſum, is qui à crimine abſoluitur, non eo ipſo eſt dignus præmio, quod fuerint illi eius crimina relaxata. Paulus à ſe prælibata in eo argumento, denuò ſic confirmat: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Congruè diſtinguit ablutionem à ſanctificatione: aliud nempe eſt ſimplex remiſſio peccati, hoc tegendo, vt ineptiunt hæretici; & aliud eſt ſanctificatio illa, qua quis conciliatur Deo eo modo, quo Paulus intelligit. Audiendus Pauli interpres Chryſoſtomus ita commentatus: *Valdè appoſitè ad eos pudore ſuffundendos ſubiunxit, dicens: Cogitate à quantis malis vos Deus eripuit, quantam ſuæ benignitatis & clementiæ vobis exhibuit experientiam, & demonſtrationem, & neque vſque ad ſolam à malis liberationem vos eſt remuneratus: ſed longè amplius ſuam prouexit beneficentiam; etenim mundum fecit. Nunquid hoc ſolùm? Nequaquam. Sed & ſanctificauit. Sed neque hoc ſolum, verum etiam iuſtificauit. Atqui vel a peccatis eſſe liberatum, magnum eſt donum: nunc autem etiam bonis impleuit innumerabilibus.*

Caluin. lib. 3. inſtitut. c. 3. §. 10. & §. 11. Lib. 4 inſtit. c. 15. §. 10.

1. Cor. 6.

¶ Ex SS. PATRIBVS.

Chryſoſt. hom. 16. in 1. Cor.

Præter remiſſionem peccatorum eſt adhuc gratia neceſſaria ad iuſtificationẽ impij.

Vides quàm liquido Sanctus ille ſcholiaſtes Pauli, mentem eius vt par eſt aſſecutus, duas eſſe res aſſerat, remiſſionem peccati, & iuſtificationem. Concinit Ambroſius iſto verſu: *In eo iuſtificatio Dei eſt, ſi non ad indignos & obnoxios, ſed ad innocentes per ablutionem factos videatur & iuſtos ſua munera tranſtuliſſe.* Cum audis munera impertita lotis, intellige varias gratiarum dotes, quibus pœnitentes animas liberalis Dominus inſigniuit. Adiice Sanctum Hieronymum, qui iuſtificatum hominem compellans, iuſtitiam eius commemorat vt propriam & adhærentem, licet à Deo ſit conceſſa. Sic ille: *Hæc eſt hominis ſumma iuſtitia, quicquid potueris habere iuſtitiæ, non tuum eſſe putare, ſed Domini, qui largitus eſt.* Item alibi. *Nunc mundus factus es in lauacro, & de te dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, & lota quidem ſit, ſed cuſtodire non valeat puritatem ſuam niſi à Domino ſuſtentetur.* Profectò Hieronymus non inſcius arcanorum fidei, non adhiberet pronomina poſſeſſiua in themate iuſtificationis animæ, niſi reipſa homo propriam iuſtitiam infuſam à Chriſto Domino poſſideret.

Ambroſ. l. 6. in Lucam.

Hieron lib. 1. contra Pelagianos.

Idem lib. 3.

Concolor his Patribus Auguſtinus multus eſt in probando hoc dogmate Chriſtiano, quo concludit Eccleſia, iuſtificatam animam nitore proprio coruſcare. Accipe viri ſummi opportunam ſententiam. *Natura cùm à ſuo conditore iuſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam.* Et ne hæreticus obganniat, Eccleſiam aſſignare viribus animæ iuſtitiam illi adhærentem, Auguſtinus eam in Deum auctorem ſic refundit: *Quis facit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium? Hoc eſt per gratiam ſuam de impio facit iuſtum.* Diceres, eumdem cenſorem aſperum hæreſeos voluiſſe ſuo ſtylo contigere Caluiniſtas, mentientes noſtram iuſtitiam eam eſſe, qua Chriſtus eſt iuſtus. Ecce Auguſtini ſpiculum in delitos homines intortum: *Iuſtitia Dei, non quâ Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, dum iuſtificat impium.* Alibi liquidiùs rem factam ancipitem ab æmulis noſtris ſic decernit: *Non propterea iuſtitia Dei dicitur, quoniam Deus iuſtus eſt; ſed quia homini ex Deo ineſt.* Neceſſarium eſſe hunc gratiæ illapſum probat rationibus à me antea recenſitis, ſcilicet Deum & crimina non coïre, & peccatorem vitiis obnoxium non eſſe congruum Spiritus Sancti ſacrarium. Ne ſuſpectam meam habeant fidem æmuli noſtri, audiant Auguſtinum. *Poſt remiſſionem peccatorum, niſi mundatam domum inhabitet Spiritus Sanctus, nonne cum aliis ſeptem redit ſpiritus immundus? Vt autem inhabitet Spiritus Sanctus, nonne vbi vult ſpirat, & charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non à nobis, ſed à Spiritu Sancto, qui datus eſt nobis.* Paulò poſt hoc ſubiicit: *Nemo liberatur, nec iuſtificatur, niſi gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed prius ipſius inſpiratione fidei, & timoris Dei impartito ſalubriter orationis affatu, & effectu.*

Aug. lib. 15. de Trin. c. 8.

Idem in Pſalm. 18.

Idem lib. de Spiritu & litera c. 9.

Lib. 3. contra duas ep. Pelagian. c. 7.

Idem epiſt. 105. ad Sixtum.

Demum ille ſic concludit controuerſam iſtam materiam, vt nullus planè ſuperſit dubitandi locus, niſi ſolis Pyrrhoniſtis, quibus nihil omninò conſtare eſt ſecta ſingularis. Ita vir emeritæ diſciplinæ: *Quid eſt, quòd abundantiam gratiæ & iuſtitiæ accipiunt, niſi quòd non ei tantùm peccato, in quo omnes peccauerunt, ſed eis etiam, quæ addiderunt, gratia remiſſionis datur, abſque hominibus tanta iuſtitia donatur, vt cùm Adam conſenſerit ad peccatum ſuadenti, non cedant iſti etiam cogenti.* Huius etiam gratiæ, ſeu iuſtitiæ inhærentis partes validè propugnat Proſper ille Aquitanus ſuppar Auguſtino, & in his quæ ad gratiam ſpectant peritiſſimus ſi quis vnquam alius. Sic ille in hac decurrit alea: *Iuſtificatus homo, id eſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accepit donum, quo medio acquirat & meritum: vt quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, ſine quo nec proficere, nec permanere in bono quiſquam poteſt.* Huiuſce veritatis ſe aſſertorem Chriſtus Dominus præſtitit, quando ſuos diſcipulos ita compellauit: *Regnum Dei intra vos eſt.* Quaſi diceret: Cùm gratia veſtras animas afficit, eius obſequio aptamini ad regnum Dei; quippe citra gratiam nemo ad illud regnum euehitur. Ita ferè textum illum explicuit Gregorius Nyſſenus ita commentatus: *Vt doceamur, quòd qui cor ſuum ab omni creatura & vitioſa affectione expurgauit, in ſua ipſius pulchritudine diuinæ naturæ imaginem intuetur.*

Aug. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſ. c. 15.

Proſper in reſponſione ad capita Gallorum.

Lucæ 17.

Greg. Nyſſ. orat. 6. de beatudinibus.

Itaque

Itaque consonante choro Sanctorum Patrum, tota hæc controuersia dirimitur, & hoc vnicuique fidelium constans esse debet; scilicet iustitiam illam imputatiuam, quam clamant hæretici, esse inane tantùm iustitiæ simulacrum; ac proinde operæpretium adstruere & credere gratiam Dei altè iustorum animis insidentem.

FERIA QVARTA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

EVANGELIVM

Matth. 12.

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. ACcesserunt ad IESVM Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister volumus à te signum videre.

II. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit.

III. Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

IV. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plùs quàm Salomon hic.

V. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam scopis mundatam, vacantem, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & huic generationi pessimæ.

VI. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te.

VII. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

VIII. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

LITERALIS EXPOSITIO, Cuius Paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

I. ILlud est prauum cuiusuis perfidiæ ingenium, vt sese etiam latendo prodat, exemplo Iudæorum, qui dum Christum sollicitant ad edendum aliquod signum de cœlo, vt vel sic sibi conciliet fidem eorum, tunc maximè sese faciunt infideles.

II. Vnde & Christus iniquam eorum pertæsus indolem, à signis abstinuit, apprimè callens, sinistro animo peti prodigia à Gente vitiis omnibus irretita.

III. Ne tamen suo Saluatoris officio deesse videretur Christus, non ad arbitrium Iudæorum fecit prodigia, at signum dedit congruum ad fidem hominum validè demerendum.

IV. Sed

IV. Sed vt obstinatus animus nullo flectitur obsequio, resurrectione Christi data Iudæis in signum salutis procurandæ, illa nequiores inde effecti sunt, illam impugnando: & hac eorum summa nequitia, cladis instantis fuit noxiuin argumentum. Itaque fiet in die iudicij, vt comparatione illorum hominum impiorum, Niniuita & Regina Saba meliores meritò censeantur.

V. Quippe illi vltro pœnitentiam egerunt, scilicet Niniuitæ: & Regina Austri procul posita venit Ierosolymam, perculsa fama sapientiæ Salomonis. Iudæi verò secus post repurgium cultus idolorum, Deo miserante factum obsequiò Prophetarum, vitiis sese omnibus obstrinxerunt.

VI. Vt adeò malè habentes Iudæos Christus reuocaret ad meliorem frugem, noluit imponere modum prædicationi suæ, licet admonitus adstare foris matrem, & fratres suos: potior namque fuit ei cura animarum, quàm temporalia solatia propinquorum.

VII. Dixi solatia propinquorum, & non fratrum; quia Christus nullos habuit fratres nec sorores: sed stylo Scripturis insolito propinqui eiusdem generis fratrum nomine recoluntur.

VIII. Loco fratrum & sororum carnalium, Christus affines sibi facit animas omnes, quæ se componunt ad arbitrium Dei: quippe hæc est eius propria parentela.

SENSVS LITERALIS.

Iudæi defectionem suam à Deo probant, volentes suam adstruere fidem, editis de cælo prodigiis.

In hæc verba:

Accesserunt ad IESVM *Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit.*

§. I.

CONIECTVRA PRIMA EX RATIONE, ET LINGVIS.

Benadad Rex Syrus Deum non eredidit omnipotentem.

BEnadad Rex Syriæ, homo supra modum insolens, gratis indixit bellum Achab Regi Israël, obsidione magna cingens Samariam caput regni eius. Achab, Deo moderante bellum illud, parua militum manu fudit acies Regis Syri; qui vt pàlantes agi suos milites aspexit, nesciens vnde tanta strages edita fuisset, accepit hoc ab assentatore consilium: *Dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos: sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Annuit Rex illi consilio suspicatus Deum Israël valere duntaxat in montibus. Idcirco vertente anno suas explicuit acies procul à montibus, arbitratus Deum esse in vallibus impotentem. Deus non impunitè præteriit illam blasphemiam, creduli nimium Principis consilio nequissimo. Nempe Deo afflatus Propheta Regem Israël adorsus ita affatus est: *Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.*

3. Reg. 20.

Ibidem.

Syri huius Principis infidelis æmulati sunt insaniam Scribæ & Pharisæi. Hi nimirum hactenus aspexerant Christum multa edidisse prodigia, malè affectos restituens integræ sanitati. Imò in præsentiarum viderant diabolum cessisse loco, quem prius occuparat. Vt ergo tantis detraherent prodigiis, commenti sunt istud conuicium: videlicet Christum valere quidem in vallibus, sed esse imparem sibi, si quis ad excelsa montium prouocaret. Id est, hanc euomuere blasphemiam, Christum quidem pro votis edere terrena prodigia, vt erant miracula facta in gratiam redditæ sospitatis. Vtque suæ nihil deesset blasphemiæ, hanc adiecere nequitiam, vt dicerent, Christum iniisse cum dæmone commercium, & obsequio huius pacti, eum patrare prodigia in his quæ pertinent ad corpora infra cœlos posita; at non posse aliquod facinus exerere circa corpora cœlestia. Vnde vt fucos facerent populo meditanti dare manus suas Christo, audacter, meliùs dixerim impudenter, aggressi sunt Christum, prouocantes eum ad aliquod signum de cœlo protinus explicandum. Quod enim Matthæus simpliciter signum vocat; Lucas & Marcus nuncupant signum de cœlo. Quasi dicerent: Edita à te signa hactenus æquiuoca sunt, vtpote facta circa corpora terrestria, quæ plerumque Dæmon ad arbitrium suum versat, vt fecere Magi Pharaonis: Vt omnem veneficij suspicionem tergas, & probes te Deo cœlesti Patre satum, hinc operare aliquid circa cœlos, vt tuæ potestatis à cœlo acceptæ euidens argumentum.

Iudæi suspicati Christũ esse Magum, & tantùm posse edere miracula circa res infimas sed nõ circa cœlestes.

Luc. 11. Marc. 8.

Quale signum petierint non expressit scriba sacer: sunt qui dicant eos petiisse vt ignem de cœlo quantocyus educeret ad instar Eliæ, aut vt Samuel æstiuo tempore contra naturam loci fulgura & tonitrua protinus excitaret. Quia graues habet auctores illa sententia, non audeo illam pungere, & multò minùs expungere. Habeat illa opinio suum pondus & momentum: nihil illi detraho; sed ego aliud planè subodoror in ea petitione Scribarum: non enim ignem tantùm aut tonitrua tunc intendebant, sed quidpiam dignius. Et reuera hæc signa non sunt de cœlo, nisi aërem dicas cœlum stylo vernaculo codici sacro. Itaque mea hæc esto conclusio recludens apprimè sensum literalem. Scribæ & Pharisæi obseruantes Christum aliam ferre legem à lege Mosaica dissitam, & prædicare contemptum rerum omnium terrestrium, quas Iosuë summo labore congesserat, vt Christus suam doctrinam sartam tectamque efficeret, petierunt ab eo eadem signa, quæ edita sunt in gratiam Moysis & Iosuë. Et hæc profectò signa non fuerunt ex aëre, sed è cœlo. Nempe de cœlo Angelus illapsus est, qui incubans monti Sinai legem dictauit eo apparatu, quem recolit ipse legislator. Rursus cœli citum præstiterunt obsequium Iosuë remoranti Solis impetum assuetum.

Quale signũ petierint Scribæ & Pharisæi in argumentũ diuinitatis Christi.

Ignis deductus ab Elia desuper & tonitrua non sunt propriè signa de cœlo quæ petebant Iudæi à Christo.

Huiusmodi signa de cœlo petiere Scribæ, quæ à dæmone nequaquam edi possunt. Si enim tantùm ignem de cœlo, aut fulgura, & tonitrua flagitassent, imprudenter elegissent alia signa quàm ea prius explicata. Si enim detraxere signis illis, quia potuere fieri magicis artibus, inconsultè ignem & tonitrua meminissent, cùm diaboli præstigiis eadem signa possint edi. Euidens hoc fuit argumen-

Fides nõ innititur prodigiis sed primæ veritati.

argumentum defectionis Iudæorum à Deo, velle suam fidem adstruere prodigiis, ita vt dubiam facerent dignitatem Christi, nisi eam aliquo cœlesti signo vt congrua tessera consignaret: quippe fides ingenua, est incuria prodigij, vtpote suum præbens assensum Deo reuelanti, à quo procul abest omnis suspicio mendacij. Dixerat Christus se esse viam, vitam, & veritatem, hocque suum effatum plerisque miraculis fecerat indubium. Obstitere tamen Scribæ & Pharisæi, ne turbæ darent manus Christo, veridicis eius vocibus annuentes. Fidei suæ summam reposuere penes signa externa: quasi verò miracula aspecta fidem concilient, proteruia minimè remorante. Pectora illa opaca fecere palàm, obstinatos & infideles animos non flecti miraculis: siquidem Christus infinita propè signa patrarat hactenus, & Synagoga procax habuit illa despicatui, caussata dæmonum obsequio posse prodigia talia procurari. Gens illa infidelis dederat terga Deo, ideoque tota fuit addicta sensibus, eorum indagini committens fidem suam, contra naturam fidei, quæ abstrahit à sensuum scrutinio, vt reuelatæ annuat veritati.

Ex linguis: Hebræa. Hebræi fidē ex auditu esse significant. Chaldæa. Syriaca. Syri & Chaldæi dicunt fidem non oculis, sed auribus indigere.

Hinc fides Hebræis dicitur אמונה *emunah*. Vox autem illa Hebræa significat fidem, veritatem, & certitudinem. Deducitur à radicali אמן *aman*, quæ in coniugatione *hiphil*, perinde est ac, *dictis acquieuit*. Hebræo sic idiomate testante fidem esse quidem ex auditu, sed nihil habere commune cum oculis. Eò allusere Chaldæi & Syri, qui ab eadem radicali deduxere nomen אמון *emun*, quod pædagogum significat; at proprium pædagogi est disciplinam suam non oculis sed auribus instillare. Eamobrem imprudenter consuluere suæ fidei Scribæ & Pharisæi, quando voluerunt eam subiicere oculorum examini. Fauet & Græca dialectus, cui fides est *πίστις*, à verbo *πιστεύω*, id est, *credo*, seu, *verum admitto*. At quod videtur non creditur, sed scitur aut cernitur: Fidei namque ratio non est visus, sed diuina reuelatio auribus explicata.

SENSVS LITERALIS.

Infidelitas omnis est diabolo patre sata, ideoque Iudæi infideles Christo, generationis adulteræ nomine sunt velut inglorio stigmate castigati.

In hæc verba:

Accesserunt Scribæ & Pharisæi ad IESVM, *dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit.*

CONIECTVRA SECVNDA

Ex SS. Patribus, et Linguis.

Omnis infidelitas à diabolo susurrante capit exordium.

Omnis à veritate deuius animus est mendacio velificans, ac proinde satus patre mendacij, id est diabolo, qui in veritate non stetit, & mentiens homini fucos fecit, suadendo esum pomi. Pater ille mendacij suum virus instillauit animis Scribarum & Pharisæorum, suggerendo Christum esse maleficum hominem, vtentem præstigiis ad miracula quæ hactenus perfecerat. Vtque nequitia omnis suo contagiò cæteris hominibus affricatur; ita & proceres Iudæorum incautam plebem infidelitatis suæ aspergine dementarunt. Nempe hoc susurro suam perfidiam fecere palam: scilicet dixere, Christum in nomine Beelzebub eiicere dæmonia: & vt colophonem imponerent illi indoli iniquæ, hodie Christum adorsi sunt specie quidem humilium discipulorum, sed linguâ suffusâ veneno. Ecce fucos humilitatis: Magistrum vocant, eo mendaci titulo profitentes se discipulos eius, vt assentatione demulcerent, quem conuiciis frangere non poterant. Vt petitus iniuriis Christus haudquaquam iræ stimulis stimulis incanduit; ita nec speciosa verborum pompa captus fictis discipulis annuit, faciendo satis eorum postulatis. Imò suum tunc zelum acuit, vt eos congruo scommate configeret. Ecce spiculum intortum in assentatores: *Generatio mala & adultera signum quærit.*

Quare Scribæ & Pharisæi Christū appellarunt magistrum.

Hac censura Christus inuehitur in infidelitatem Iudæorum, quos vocat generationem malam, id est, prosapiam patrum iniquorum, quorum contraxere perfidiam. Nempe Iudæi in deserto multis à Deo beneficiis affecti, defluxerant ad idola, & insurrexerant sæpe in Dominum, murmurantes, & promissiones eius in dubium reuocantes. Perfidiam hanc notauit Moses, eos sic increpans: *Generatio praua & peruersa: Haccine reddis Domino, popule stulte & insipiens? &c. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Rursus ille carpens eorum animos obstinatos, ita pungit illos: *Scito quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc opimam in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus.* Hanc meminit iniquam indolem Stephanus, instante agone suo, ita inuectus: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus: vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Iisdem etiam flagellis Paulus excipit Cretenses, vt conscios vitiorum, quibus olim fuerant eorum parentes obnoxij. Sic ille: *Cretenses semper mendaces, ventres pigri, malæ bestiæ.* Itaque intentum Christi fuit istud: O Iudæi, ego vos eosdem patior, quos Pater meus tulit in deserto. Ille beneficus hos omnium bonorum affluxu dignatus est, panem etiam Angelorum, id est manna, adiiciens; & illi immemores largitoris, turpiter ab eo defecerunt. Ita & ego Filius Dei liberali manu gratiarum dotes sparsi, curans ægros vestros, imò & mortuos faciendo rediuiuos, & insuper sum ego pollicitus daturum me carnem meam & sanguinem in escam & in potum. Nihilo tamen inde gratiores extitistis: sed iniquiore animo in caput meum velut facto agmine coniurastis.

Quare Christus Iudæos generationem malam.

Deuter. 32.

Deuter. 9.

Act. 7.

Tit. 1.

Generatio illa mala fuit, quia infidelis, & exosa Christum, cuius idcirco egregia facta vt crimina sugillabat. Accipe Hieronymum, vt par est inuehentem in illos perduelles homines. *Sic signum postulant, quasi quæ viderant signa non fuerint. Sed in alio Euangelista quid petant plenius explicatur. Volumus à te signum videre de cœlo. Vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant: vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere: quasi non possint & illa calumniari, & dicere, ex occultis & variis aëris passionibus accidisse. Nam qui* calumniaris

Ex SS. Patribus. Hieron. in c. 12. Matth.

Animus obstinatus non potest flecti ad fidei obsequium.

calumniaris ea qua oculis vides, manu tenes, vtilitate sentis: quid facturus es de his, quæ de cœlo venerint? Vtique respondebis, & Magos in Ægypto multa signa fecisse de cœlo. Cùm igitur pectora illa opaca suis assueta tenebris noluerint esse peruia luci, quam Christus vt Sol irradians abundè diffudit: nonne sufficiens argumentum habuit, in eorum perfidiam acriter inuehendi? Non potuere Iudæi infidelis animi argumenta prodere potiora.

Ille nimirum est genius perfidi & procacis hominis, vt veritates omnes faciat ancipites, nihilque omnino ratum habeat & constans, nisi hoc vnum; scilicet esse nihil credendum. Fauet auctor operis imperfecti, ita exclamans: *O malitia, quomodo sapere nescit. Dum volunt malitiam suam abscondere, magis eam manifestant. Nam cùm multa signa vidissent, tamquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Verè enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando, oculi autem sine mente nunquam viderunt. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quamuis pluuiam susceperit, tamen, quia nullos in se tenet humores, semper adhuc aret. Talis est conditio febrium. Quantumuis biberint febricitantes; calore totum consumente quod biberint, semper adhuc sitiunt. Sic & maligni homines, quicquid boni viderint, aut audierint; infidelitate totum consumente quod vident, aut audiunt, semper vacui sunt, tamquam qui nihil viderint, aut audierint. Ecce si quis exponat tibi res, quas non libenter audis; si tota die audieris, nihil eorum retines, quæ audisti. Aut ambulans in via, si mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quamuis omnes videas transeuntes; tamen neminem vides. Sic & Iudæi frequenter signa videntes, adhuc signum petebant, quia hoc videbant, quod videre nolebant. Nam sicut semper discere, signum est nihil posse proficere; sic signum semper petere, testimonium est, nunquam velle credere.*

Auctor operis imperfecti hom. 30. in Matth.

Egregia descriptio hominis infidelis.

Quare animus infidelis nihil credat.

Et Linguis. Syriaca.

Suspicor ego, malitiam Iudæorum illos excitasse, & infidelitatem illorum fuisse veluti colophonem impositum nequitiæ. Vbi namque legimus Christum sic arguentem: *Generatio mala & adultera signum quærit.* Syrus interpres non malam simpliciter, sed malè facientem vertit בשחתא *bischebo* perinde est ac *malè faciens.* Textus Hebræus sic effert דר רע *dor rangh.* Id est. *Generatio maligna, & inuida.* At proprium est inuidiæ & liuoris, oculos excæcare: inuidus enim dicitur, quasi inuitus videns. Græcus interpres sic effert, γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλίς. Id est *Generatio maligna, & adulterina.* Malignus dicitur quis, quasi malè ignitus. Igne diaboli, id est inuidiæ, flagrabant hi Iudæi, malè affecti erga Christum: eamobrem congruè diaboli nomen eis affingitur, vt diabolo patre satis, vt alibi Christus apertè significat, eos sic castigans: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* Dicitur diabolus πονηρὸς. Et ab hoc Iudæos dixit Christus γενεὰν πονηρὰν, id est, *generationem diabolicam.* Vt enim diabolus in veritate non stetit, neque Deo fidelis extitit, ita nec Iudæi, tot dignati beneficiis, turpiter à Christo Domino defecerunt.

Hebræa.

Græca.

Ioan. 8.

Quare Iudæi fuerint generatio mala.

Hos desertores congruo etiam nomine vocat generationem adulteram: non quòd ex reali adulterio nati sint; hinc enim non essent illi censuræ obnoxij: sed quia ipsi adulterij spiritualis erant rei. Dicitur adultera mulier, quæ ad alterius viri torum vadit: adultera, quasi ad alterum. Synagoga Deo desponsata fuit Angelo pronubo in monte Sinaï; sed pertæsa virum suum, diabolo adhæsit, illi litans, pluribus eo fine erectis simulacris: sicque Dei cultum transtulit ad idola. Eadem naue vehuntur hodie Scribæ & Pharisæi adscribentes diabolo virtutem Christi, illam vtique qua clarebat miraculis. Præterea spreto Domino suo, & sponso legitimo Christo, susurroni & adultero diabolo turpiter adhæserunt. Iniquam sortem Synagogæ luget præscius Isaias hac querula voce: *O quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion.*

Quare Christus vocarit Scribas & Pharisæos generationem adulteram.

Isai. 1.

Sisto, in gratiam præfatorum, auctorem operis imperfecti. Sic ille: *Anima hominis fidelis sponsa est Christi: quæ autem infidelis est, meretrix est. In Osee dicit: Sponsabo te in fide, & cognosces Deum. Item: Filij in quibus non est fides in illis, ipsi in zelum compulerunt me in non Deum, & ego in zelum expellam eos in non Gentem. Sicut meretrix vxor virum suum se fingit amare; verè autem amat adulterum, & in facie quidem est istius, in corde autem alterius: sic & Iudæi videbantur esse Dei cultores, erant autem diaboli amatores. Ideo malam & adulteram generationem eos appellat. Mala quidem erat, propter opera eorum mala: adultera autem, quia relicto viro, qui est verus Deus, idolis subdebantur. Signum vultis videre? Vbi eratis quando dæmones castigati à me, non flagello, sed verbo, clamabant: Quid nobis, & tibi,* Iesv *Nazarene: venisti ante tempus torquere nos? Scimus te, quia es filius Dei. Dæmones virtutem meam senserunt, & vos quomodo signum operum meorum non aspexistis?* Ita & Hieronymus etiam commentatur. *Egregiè dixit adulteram: quia dimiserat virum, & iuxta Ezechielem, multis se amatoribus copulauerat.*

Ex SS. Patribus. Auctor operis imperfecti hom. 30. in Matth.

Hieron. in Matth. 12.

Eò etiam spectat scholium istud Chrysostomi, inducentis Christum asperè obiurgantem iniquam Iudæorum indolem. Ecce commentarium viri sancti, Christi nomine discurrentis. *Quid mirum est, si ita perperam me tractatis, quem nondum cognouistis, cùm etiam Patrem, quem plurimis & maximis periculis noscere deberetis, pariter offendatis, quem crebrò derelinquentes, dæmonum cultus secuti estis, malos vobis (velut Ezechiel assiduè carpere solebat) amatores allicientes. Quibus verbis, & se consonum atque concordem esse Patri ostendit, & eos nihil alienum maioribus suis facere. Arcanaque mentis ipsorum reuelat, quòd simulantes, & ceu inimici miracula petebant: propterea & generationem malam nuncupauit, tum quia semper ingrati benefactoribus extiterunt, tum quia susceptis beneficiis, quod extrema vitiositatis est, ad malignitatem excitantur. Adulteram porrò generationem appellauit tam priorem quàm præsentem ipsorum infidelitatem designans. Vnde rursus Patri seipsum æqualem esse demonstrat. Siquidem pariter qui sibi, quemadmodum qui Patri non credunt, adulterij crimine notantur.*

Chrysost. hom. 44. in Matth. Ezech. 16.

* * *

SENSVS LITERALIS.

Christus non edidit signa ad arbitrium Iudæorum, quia non ad ædificationem ea petebant, sed animo iniquo.

In hæc verba:

Sic erit & huic generationi pessimæ.

CONIECTVRA EX RATIONE, EX LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

Quare non dederit Christus Iudæis signum de cœlo.

ESto vinum sit editum in gratiam hominum; cautè tamen subtrahitur febrienti, quia merum ad perniciem suam sibi postulat exhiberi: sua namque opportuna tempora quæque manent. Ita & miracula, Diuina duntaxat virtute fiunt, in gratiam animarum, quas Deus vult sacris initiare mysteriis. Sed vbi quis iniquo animo carpēs dogmata fidei, prouocat à sermone ad prodigia, curiosā eius indaginem vt intempestiuā Dominus aspernatur: etenim deficiente causa, effectus patitur & deliquium. Quia ergo fuit incongrua petitio Iudæorum, qui vrgebant Christum ad signum aliquod circa corpora cœlestia quantocyus exhibendum: eamobrem Christus eos habuit despicatui, vocans generationem adulteram; quia prorsus erant alieni ab Abraham, quo vt Patriarcha gloriabantur. Degeneres illos nuncupauit Christus, quia ab eo toto cœlo dissiti discrepabant. Fidei singularis extitit Abraham; isti autem eius posteri increduli, vbi se viderunt impares Christo, validis argumentis adstruenti suam disciplinam, à verbis prouocant ad opera, vt aliqualem ansam arripiant Christo Domino detrahendi. Suspicabantur Christum habere ius aliquod in corpora terrestria; quippe redux sanitas ægris impertita pluribus index erat eius præcipuæ potestatis. An verò subderentur ei corpora cœlestia, res erat anceps apud eos: Idcirco facessunt Domino negotium, & eum molestè sollicitant ad faciendum periculum suæ virtutis circa gyros cœli; eo tamen animo Christum tentant, vt etiamsi annuat votis eorum, non sint daturi manus illi Domino præpotenti.

Quare Iudæi petiere signū de cœlo.

Signum à Iudæis petitum non fuit nota curiositatis, sed malitiæ.

Christus omniscius, eorum rimatus ingenium maleuolum, non annuit petitioni insulsæ: hoc namque consilium animo Iudæorum insederat, vt si non ederet Christus signum de cœlo, constanter affirmarent, eum habere dæmonium, cuius ministerio fascinans homines, oculis illudebat: si verò morem gereret arbitrio ipsorum, deprimerent hoc facinus, illud causis abditis assignando. Sunt qui arbitrentur, eos sola curiositate ductos petiisse aliquod facinus insigne, stuporem concilians. Ego non subscribo illi sententiæ, sed summam subodoror nequitiam, quæ dubiam fecere potentiam Christi, non qualecumque signum flagitantes, sed portentum, seu insigne prodigium, vt sonat vox Hebræa vsurpata à Matthæo, אות *oth*, Syrus interpres eamdem vocem adhibuit, sed Syrorum schemate terminatā אתא *otho*. Vnde videre est, eos tentasse Christum, & voluisse subiicere examini virtutem eius: & hoc etiam abundè potest coniici ex præfatione subolente typhum, atque proteruiam. Sic enim superbè auspicati sunt: *Magister, volumus à te signum videre.* Vox illa, *Volumus*, animum sapit in fastum & tumorem compositum.

Ex Linguis. Hebræa. Chaldæa. Syriaca.

Accipe Chrysostomum, vt par est malè ominantem Iudæis ex hoc eorum præambulo. Sic ille: *Poteritne quidquam, non dico impium magis, sed stolidius istis inueniri, qui etiam post tot tantaque signa, quasi nullum signum esset factum, dicere audent: Volumus abs te signum videre. Cuius igitur rei gratiâ stultè loquuntur? Profectò vt rursus carpant. Nam quoniam, non semel sed bis atque sæpius inuerecundorum linguam argumentis compescuit, opera rursus quærunt, ac ideo quasi admirans Euangelista scribit: Tunc responderunt ei quidam Scribarum & Pharisæorum, signum petentes. Tunc illud quando significat? Quando scilicet flexos iam esse oportet, quando admirari, atque obstupescere, quando saltem confusi decedere debeant, tunc in malignitate atque pertinacia sua pertinaciter perseuerant.* Glossa ordinaria, detestata generationem illam malam iniquo percitam œstro, applaudit Christo deneganti cœlestia signa, quæ debuere solis discipulis exhiberi. *Signum* (inquit) *quæris de cœlo, quod indigna es videre. Discipulis dedit signum de cœlo, quibus & gloriam æternæ beatitudinis priùs in monte figuraliter, & post veraciter subleuatus ostendit.* Fauet Euthymius hoc discursu. *Signum non dabitur ei: quia non ex dolo, tentando signum quærit. Quid ergo, non fecit deinceps signum vllum? Fecit vtique: at non propter illos, sed ad aliorum vtilitatem.*

Ex SS. Patribvs. Chrysost. hom. 44 in Matthæum.

Iudæi conuicti sermonibus Christi ad portentosa opera prouocarūt.

Glossa ordin. in Matth. 12.

Euthym. c. 23. sui commētarij in Matth.

Infidelem Iudæorum animum colligere est ex textu Græco. Διδάσκαλε θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν. Id est. *Magister volumus à te videre prodigium, probationem, argumentum, & vexillum.* Vox enim, σημεῖον, illa quatuor significat. Itaque sensus adæquatus huius postulati Iudæorum iste est: Iudæi detrahentes Christo apud populum alta sentientem de eo, conuenerunt eum, flagitantes opus aliquod portentosum, vt eo velut argumento probaret virtutem suam, quam ipsi eius æmuli dixerant valere duntaxat in corpora inferiora. Et quia Scribæ suo statuerant animo carpere etiam signa cœlestia, si quæ proderet in medium; congruè signum illud exprimitur Græcè vno nomine, quod significat portentum, & vexillum: quippe miraculum hoc editum fuisset velut vexillum, seu tessera belli indicti. Nempe obtrectatores Christi nullo flecti poterant obsequio, & præclara quæque facinora eius damnantes perperam explicabant. Eamobrem appositè dixeris, Scribas petiuisse noua rixarum argumenta, quando tumentes adorsi sunt Christum, vt vel ab inuito portentum aliquod insigne cœlitus extorquerent. Illo nimirum prodigio volentes abuti, ad cudendas calumnias, illorum petitio erat vt classicum excitans ad vexillum pangendum quantocyùs, & Christum denuo lacessendum.

Ex Linguis. Græca.

Quàm multa Iudæi intenderint illo signo quod petebant.

Nota hîc obiter, non damnari omnes qui signa petunt è cœlo; sed eos tantùm pungi, qui curiositate aut iniquo animo ducti talia poscunt prodigia. Elias, Samuël, & Iosuë portenta de cœlo petiere, & id ad gloriam Dei propagandam apud homines: ideoque Deus eorum votis annuit. Plerique etiam Sancti, vt Gentiles inducerent in obsequium Christi, fidei suæ periculum fecere miraculis. Sed instabis: Cùm prædicatio Euangelij antiquaret legem Moysis Deo auctore latam, ac proinde miraculis opus esset ad adstruendam nouam disciplinam, quare

Quādo petere possint tutò à Deo signa de cœlo.

Christus signis cœlestibus potiùs quàm terrenis haudquaquam sua dogmata comprobauit? Respondeo, non defuisse Christo signa cœlestia in argumentum veritatis, cuius erat vindex & assertor. Nimirum auspicatus est Euangelij prædicationem à signo cœlesti: priusquàm enim Synagogam intraret explicaturus textum sacrum, baptizatus est, præcone cœlo diuinitatis eius, vt Matthæus enunciat. (Matth. 3.) *Baptizatus* IESVS, *confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Eadem vox de cœlo fuit edita in monte Thabor. (Tres fuere edita signa de cœlo in gratiam diuinitatis Christi.) Denique beneficus ille Dominus, volens consulere infirmitati plebis, quam dementarant Scribæ & Pharisæi, conuiciis afficiendo Christum, præclarum de cœlo in gratiam suæ dignitatis præstitit argumentum. Namque Deum Patrem affatus orauit, vt faceret palàm cuiusnam indolis atque maiestatis esset ipse Christus. Ecce seriem rei gestæ: (Ioan. 12.) *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit* IESVS, *& dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.*

Itaque Iudæis debuerunt sufficere illa signa cœlestia, vt crederent Christum inde venisse, vnde voces in gratiam eius edebantur. Rursus multò plura edidit prodigia circa corpora humana malè affecta, quàm circa corpora cœlestia: quia sic præcipuè suas Saluatoris mundi partes agebat, animas simul & corpora sospitando. Præsciens enim Isaias dixerat debere Messiam attendi penes curationum dona. (Isai. 35.) Ecce oraculum vatis veridici: *Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* (Quæ potissimum fuere signa à Prophetis assignata, vt his Messias innotesceret.) Eamobrem rarò exhibuit miracula, quæ non pertinebant ad beneficium aliquod miseris erogandum. Verbi gratiâ tertiò tantùm de cœlo voces elicuit indices suæ dignitatis, semel & iterum sicco vestigio super aquas ambulauit: sed sæpe sæpius curauit ægros, & extincta fecit corpora rediuiua.

SENSVS LITERALIS.

Christus congruis argumentis adstruit hominum fidem, & non miraculis editis ad eorum libitum.

In hæc verba:

Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

§. III.

CONIECTVRA, EX RATIONE, EX LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

(Quare Christus dederit signũ Ionæ.) Prudentis & periti Medici negotium est, consulere reduci sanitati decumbentis ægri; ea cautione tamen, vt nequaquam indulgeat arbitrio noxio hominis ægrotantis: namque reprobo humore alluente fauces, congrua obsonia fastidiunt ægri, & cibos appetunt insalubres. Itaque deuius ille appetitus est cauendus, ne si Medicus annuat, incurrat æger in vitæ discrimen: hinc fit vt subtrahantur ægris salubriter cruda quæ appetunt, & esculenta ingrata faucibus apponantur. Ita Christus cauit Iudæis insanientibus, & noxio liuore percitis: quippe denegauit signum incongruum, quod petebant vt fidem suam adstruerent, & signum Ionæ dedit, vt magis idoneum intento quod fingebaant. Vnde arbitror, Maldonatum procul aberrasse ab intento Christi, quandó affirmauit, Christum non dedisse Iudæis signum Ionæ ad suadendum eis se Saluatorem esse, sed ad eos condemnandum. Illa nempe sententia Maldonati beneficæ detrahit indoli Christi, qui etiam pendulus in cruce non est pertæsus suos homicidas, sed de industria fudit preces, vt conciliaret eis Patrem. (Maldonatus reprehenditur. *Idem commentario in Matth. 12. versu 39.*) Rursus non negauit Dominus absolutè signum, seu argumentum, quo homines induceret ad credendum: sed signo, quod petebant è cœlo, substituit signum Ionæ, vtpote magis opportunum ad animos inflectendos: gratia nempe fit efficax, quando à Deo momentis congruis exhibetur. Quia igitur tunc temporis Iudæi erant malè affecti erga Christum; fuisset tunc intempestiua miraculorum editio; ac proinde melius consultum fuit ægris animis, eorum curam in magis apta tempora refundendo.

Adde, vocem illam, *signum*, nullas habere linguas obstetrices in gratiam Maldonati. (EX LINGVIS. HEBRÆA.) Etenim Hebraicè, אות *oth*, nihil omnino significat pertinens ad condemnationem: sed præcisè sonat idem ac signum vsurpatum ad aliquid suadendum. Eadē notione viget vox Chaldæa, & Syriaca, אתא *otho*, nihil omnino hîc significans præter signum editum ad quidpiam adstruendum. (CHALDÆA. SYRIACA. GRÆCA.) Vox etiam Græca liquidior est; siquidem *σημεῖον* præcisè signum clamat ad probandum: ideoque etiam perinde est ac probatio, seu argumentum: nec mouere debet quòd pro vexillo etiam vsurpatur; nam tunc signum illud suadens obsequium Christi, bellum indicet infidelitati. (Signum Ionæ fuit datum Iudæis, ad suadendam fidem.) Idcirco sensus verborum Christi est hic: Generatio ista incredula mihi molesta est, vt exhibeam aliqua signa de cœlo in argumentum meæ potestatis; sed nulla volo talia ostenta desuper educere, quia nunc essent incongrua ad eorum animos inclinãdos; siquidem proteruia nullis frangitur ostentis: ne tamen deesse videar officio Saluatoris, ego luculenter eis consulam alio signo, mea videlicet resurrectione: cùm namque constiterit vnicuique me tertia die rediuiuum surrexisse à mortuis, plerique dabunt mihi manus, qui iam signa à me de cœlis edita condemnarent. Mea sententia adstruitur auctoritate Christi, qui alibi Iudæos affatus, prædixit eos crediturus ipsum esse Deum, postquam eum morti turpiter addixissent. Sic ille omniscius rerum Dominus: (Ioan. 8.) *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Id est, postquam me cruci affixeritis, eritis meæ diuinitatis conscij. Vt enim Niniuitæ, audientes Ionam tertio die egressum de ventre ceti, egere pœnitentiam; ita & vos, audientes me tertia die suscitatum ab inferis, non vltra meo nomini detrahetis.

Obiicit Maldonatus, Christum dixisse, fore vt Niniuitæ in iudicio condemnent generationem illam, (Niniuitæ in die iudicij)

Non eodem damnabunt omnes Iudæos, sed infideles tantum.

illam, quia in prædicatione Ionæ crediderunt: Ergo signum Ionæ, seu mortis & resurrectionis Christi, non fuisse ad suadendam, sed ad condemnandum. Respondeo, omnia signa edita fuisse à Christo ad procurandam salutem animarum, sed non fuisse sortita effectum à Christo Domino præstitutum; & id vitio hominum, quorum quidam conuersi sunt, alij verò suo relicti arbitrio miserè perierunt. De his postremis refugis est intelligenda censura illa Niniuitarum, qui omnes credidere suasioni Ionæ: at hoc non obstat, quin signum mortis & resurrectionis Christi fuerit ad conciliandam fidem, & salutem Iudæorum. Vna namque prædicatione Petri facientis palam signum Ionæ Prophetæ, id est resurrectionem Christi, tria millia crediderunt. Sic Petrus hos Christicidas affatus est: *Hunc* IESVM *resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus, &c. Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc* IESVM, *quem vos crucifixistis. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisque in nomine* IESV *Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, &c. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Hæc Lucas in actis Apostolorum.

Plerique Iudæi audita resurrectione Christi facti sunt illico Christiani.

Actor. 2.

Omnia signa à Christo edita pertinebant ad salutem animarum.

Nota, signum Ionæ Prophetæ sortitum fuisse effectum à Deo intentum: statim enim atque Petrus mentionem fecit resurrectionis Christi, tria millia eorum, qui conscij fuerant mortis eius, illico crediderunt. Adijce Petrum liquidò profitentem repromissionem factam Iudæis, ac proinde sequi, omnia signa edita à Christo fuisse exhibita ad procurandam eorum salutem, & non ad eorum condemnationem, vt vult Maldonatus. Accedit illa animaduersio Sancti Thomæ; scilicet miracula edi ad notitiam Dei in hoc sæculo propagandam, quod perinde est ac si diceret, omnia signa à Christo exhibita fuisse, vt Iudæos inflecteret ad credendum. Fauet Euthymius ita commentatus: *Hoc verè signum erat, & signorum omnium maximè admirandum: nullius enim facta est vnquam talis resurrectio à mortuis. Datum est autem huiusmodi signum Iudæis infidelibus, hoc est, opere impletum est apud eos hoc miraculum, quo certiores fint, hunc Deum esse omnipotentem.* Si hoc Ionæ signum præstitutum est, vt Iudæi fierent de Christo Domino certiores; profectò fuit ad suadendum, & non ad damnandum. Non tamen inficior, plerosque Iudæorum præter intentum Christi non fuisse cautiores illo signo, sed miserè periisse. Eamobrem præfatus sum hos habituros Niniuitas in die iudicij censores acerrimos, quia irritum fecere intentum Christi, singulis quibusque miraculis salutem hominum intendentis.

EX SS. PATRIBVS.

Thom. 2. 2. q. 178. art. 1.

Euthymius cap. 23. commentarij in Matth.

Raban. Maur. in Matth. 12.

Signum Ionæ, fuit tessera singularis misericordiæ Dei.

Rabanus ille Maurus Abbas Fuldensis, ex cuius scriptis Strabus compegit Glossam ordinariam. Vir inquam ille apprimè eruditus nihil sinistri suspicatur Iudæis in hoc signo Ionæ Prophetæ, imò secus benè ominatur eis, hoc tenore: *Christus ostendit Iudæos ad instar Niniuitarum criminosos, & nisi pœniteant subuersioni proximos. Sed sicut illis & denuntiatur supplicium, & demonstratur remedium; ita Iudæi non debent desperare veniam, si saltem postquam resurrexit Christus à mortuis, commoniti egerint pœnitentiam: quia mors Christi reconciliatio est mundi.* Si ergo hoc signo Ionæ Deus Iudæis ostenderit, eis superesse locum pœnitentiæ; incongrua est illa sententia, quæ concludit, signum illud fuisse datum non ad suadendam fidem, sed ad populum Iudæum asperè castigandum. Denique sic arieto contra Maldonatum: Quale datum est signum Niniuitis in persona Ionæ, tale & fuit Iudæis exhibitum in persona Christi rediuiui, cuius typum ille Propheta gessit: Sed Ionas fuit Niniuitis signum pelliciens eos ad credendum, & pœnitendum: ergo Christi resurrectio eo animo fuit exhibita Iudæis; scilicet vt crederent, & pœnitentiam agerent, sicuti suasit eis Petrus recolendo Christum Dominum suscitatum.

Comparationes Christi cum Iona.

Quomodo autem Christus & Propheta Ionas conueniant in eodem signo, fusè enarrat Hieronymus in commentario Ionæ; hunc consule: sed ne abeas indonatus circa relationes figuræ, & rei adumbratæ, accipe Chrysologum compendiosè discutientem hanc figuram. Sic ille: *Ionas fuit Christi typus. Vt enim Ionas fugit a facie Dei; ita Christus, in ea ratione, qua hominem assumpserat, adeò se exinaniuit, vt a facie deitatis aufugisse videretur. Vt Ionas descendit in Ioppen; ita Christus de cœlo descendit in terram. Vt Ionas in nauem se contulit; ita Christus nauem Ecclesiæ nauigaturus ascendit. Vt statim venti & tempestates Ionæ; ita inimici Christo, Iudæi, Pharisæi, & Principes aduersati sunt. Vt sorte Ionas missus in mare; ita iuxta prophetica oracula Christus morti expositus est. Sicut Ionas non nisi suo consensu demersus est; ita Christus suam ipse animam posuit, & oblatus est, quia ipse voluit.* Ita Strabus Chrysologum suo calamo decurtauit: etenim fusiore stylo figuram Ionæ enucleat. Si Chrysologus integer arridet magis, ecce eum sisto tibi in eo argumento signi, quos Ionas anteambulo Christi fuit. *Adest bellua de profundo, totum dominicæ resurrectionis impletura & preditura imò conceptura & paritura mysterium: adest bellua, adest imago horrida & crudelis inferni, quæ dum fertur auidis faucibus in Prophetam, vigorem sui sensit & degustauit auctoris: incurrit namque ieiunium deuorando, sed domicilium cordis sui tremens ad superni hospitis aptat & præparat mansionem: vt ipsa quæ fuerat tota causa discriminis, ipsa fieret necessariæ nauigationis inaudita vectura: vectorem suum seruans, & post triduum referens ad superna: & hoc daret Gentibus, quod abstulerat à Iudæis, quibus signum quærentibus, solum dandum Dominus esse signum hoc decernit: per quod scirent, gloriam, quam in Christo sperauerant, totam esse Gentibus conferendam.* Hactenus ille liquidò commentatus: quippe ait, signum illud esse datum Iudæis, vt scirent, id est, ad eruditionem, qua inducerentur ad fidem Christi.

Chrysol. apud Strabum in Gloss. ordin. in Matth. 12.

Chrysolog. serm. 37.

Elegans descriptio Ionæ & Christi.

In ea sententia fuit auctor operis imperfecti, sic effatus: *Sicut fuit Ionas triduo in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terræ. Vt per mysterium similitudinis huius, & per Christum Ionas Propheta fuisse consideraretur, & per Ionam Christus Dei filius esse demonstraretur.* Nullum namque fuit signum adeò potens ad ingerendam animis fidem Christi, sicut resurrectio eius: illa

Auctor operis imperfecti hom. 30. in Matth.

illa nimirum probauit, eum esse superiorem morte, & peccata nostra fuisse illius sanguine repurgata. Vnde resurrectio Christi est veluti sigillum fidei Christianæ, quæ præcipuè astruitur hac tessera, vt ait Paulus: *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra.* Quàm autem sit hoc validum argumentum ad suadendam fidem, accipe à Chrysostomo, ita decurrente locum Pauli: *Vniuersum perdidimus: pereunt omnia si non resurrexit Christus. Vidisti quantum sit mysterium susceptæ carnis dispensationis. Nam si mortuus non potuit resurgere, neque abolitum est peccatum, neque mors est perempta, neque ablatum est maledictum, & execratio; & non solum nos inania prædicauimus, sed vos quoque credidistis inania.* Ambrosius ait, resurrectionem Christi prædicatam fuisse magnam credendi illecebram, dum homines eruditi hocce mysterio sperauerunt, se etiam mortuos stato tempore suscitandos. Sic ille: *Hoc crediderunt Apostolo prædicante, quia mortui resurgent: & hac spe attracti sunt ad fidem.* Demum resurrectio Christi est mysterium redemptionis nostræ: sed mysteria redemptionis nostræ non sunt signa condemnationis, sed salutis: ergo gratis Maldonatus asserit, signum Ionæ Prophetæ dandum esse Iudæis à Christo non vt fidem insinuet, sed vt eos damnet velut homines obstinatos.

Resurrectio Christi est veluti sigillum fidei Christianæ. 1. Cor. 15.

Chrysostom. hom. 39. in 1. epist. ad Corinth.

Ambros. in 1. Cor. c. 15.

SENSVS LITERALIS.

Plerique Iudæi, comparati Niniuitis & Reginæ Saba, erunt deterioris conditionis in die iudicij.

In hæc verba:

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquàm Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, &c.

§. IV.

CONIECTVRA, EX RATIONE, EX LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

Ægrotantis vitio plerumque fit irrita peritia & sollicitudo Medicorum: frustra namque decernitur remedium, si decumbens homo, suo credens arbitrio, renuit morem gerere Medico decernenti. Hinc effluxit istud adagium:

Non est in Medico semper releuetur vt æger.

Huius eloquij veritas maximè refulsit in Iudæis, quibus Christus mortem & resurrectionem suam exhibuit in argumentum suæ diuinitatis, vt suum vltro præberent assensum fidei, quam tale ostentum sibi meritò vendicabat. Plerique tamen nihilo cautiores extitere: siquidem audita resurrectione Christi à custodibus sepulchri, dementarunt eos datâ pecuniâ, suggerentes eis sacrilegum consilium, vt scilicet plebi imponerent; affirmantes, discipulos Christi statione dormiente Christi corpus aliò transtulisse.

Iudæi tentarunt expungere veritatem resurrectionis Christi.

Hos pessimos blasphemiæ consultores, prædicta à Domino resurrectio, & prædicata à militibus illic adhibitis, non potuit conciliare Iudæos Christo, renitente eorum libero arbitrio, cassumque fuit apud eos signum Ionæ assumptum ad Catholicam fidem omnibus populis ingerendam. Vnde meritò deteriores illis Assyriis videbuntur in die iudicij, quòd illi Niniuitæ suadente sola figura Christi, id est obsequio Ionæ, dederint Deo manus; Iudæi verò veritatis incurij Christo Domino detraxerint. Et profectò sic est intelligendus textus iste: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, &c.* Surgent, id est, eminebunt illis Iudæis, & facta comparatione obedientiæ suæ, eos Scribas & Pharisæos improbos esse & infideles liquidò demonstrabunt. Et Iudice inuehente in perfidiam Iudæorum, Niniuitæ & Regina Saba etiam elingues confirmabunt & stabilient Iudicis sententiam, pietatis suæ exemplo cognito adstantibus.

Quare Iudæi deteriores fuerint Niniuitis.

Quomodo Niniuitæ surgent in die iudicij aduersus Iudæos.

Hac mea explicatione reiicio Maldonati sensum, quo affirmat, ita esse interpretanda verba Christi: Viri Niniuitæ accusabunt Iudæos, & ita conuincent, vt condemnati dici queant. Mihi linguæ omnes suffragantur. Prior Hebræa, יקומו *iakomu.* Vox illa, perinde est ac, *exurgnet*, seu, *confirmabunt*: nec vllo modo significat, *accusabunt*, vt Maldonatus commentatur: nempe radicalis קום *kum* significat, *stare, surgere, stabilire*, seu, *confirmare*; sed nullibi Gentium vsurpatur pro, *accusare*. Rursus pro verbo, *condemnabunt*, textus Hebræus adhibet hoc verbum, ירשיעו *raschingbu*, id est, *facient vt improbi videantur*. Nam radicalis, רשע *raschangh*, est tertiæ coniugationis actiuæ, quæ impulsum notat. Vnde si adæquatè textum Hebræum velis explicare, sic efferes: Si conferas Niniuitas cum Iudæis, illi multo inferiores erunt; quippe iacebunt vt infideles, & Niniuitæ stabunt, vtpote qui gessere morem Ionæ, ac proinde Deo carpenti perfidiam Iudæorum locuples exemplum ministrabunt acriter inuehendi in hos homines obstinatos.

EX LINGVIS. HEBRÆA.

Surgere Hebræis idem ac stabilire & confirmare.

Syrus interpres mutuo accepit ab Hebræis radicalem, קום *Kum*: sed suo more eam coniugauit, נקומון *ne Kumun*, id est, *eminebunt*. Nam Chaldæi & Syri ab ea radicali deducunt vocem, קומא *Komo*, quæ altitudinem, & staturam significat: ita vt Syrus interpres velit innuere, Niniuitas fore staturæ potioris in die iudicij, & Iudæos fore meriti decurtati. Pro verbo, *condemnabunt*, Syrus habet, נחיבון *nechaibun*, id est, *facient debitorem*: quippe radicalis, חוב *chub*, perinde est ac, *debitor sum*. Et reuera Iudæi compositi cum Niniuitis, & Regina Saba, multum debent illis. Græcus interpres ita reddit textum illum: *Ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν.* Vox *ἀναστήσονται* non solum significat, *surgent*, sed etiam, *abigent*, seu, *sedibus pellent*. Nam verbum, *ἀνίστημι* idem sonat ac, *surgo*, &, *sedibus pello*, vt Homerus Iliade alpha. *Τοὺς μὲν ἀναστήσας.* Id est, *hos sedibus pellere.* Hinc Niniuitæ Iudæos pellent sedibus debitis Synagogæ, seu populo Dei, suffecti in eorum locum.

CHALDÆA. SYRIACA.

Surgere Syris & Chaldæis aliquando notat dignitatis eminentiam.

GRÆCA.

Surgere Græcis aliquando significat, sedibus expellere.

Totum itaque iudicium Niniuitarum erit tacitum, & sola vtriusque populi comparatione fiet, quicquid Maldonatus secus obiiciat. Habeo Patres Sanctos à meis partibus. Præstò est Hieronymus ita fatus: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum*

EX SS. PATRIBVS.

Hieron. in Matth. 12.

cum generatione ista, & condemnabunt eam. Non sententia potestate, sed comparationis exemplo. Ita etiam appositè commentatur Euthymius: *Dicere solemus, hunc aut illum in futuro iudicio nos condemnaturum: non quasi ille futurus sit iudex; siquidem vnus omnium Iudex erit Christus: sed quod illius operatio nostris collata confundet nos. Hanc quoque consuetudinem secutus est Christus.* Quare autem Iudæi appositi ad Niniuitas & Reginam Saba fuerint deteriores, textus Euangelij palàm facit, nec vlla indiget explicatione: ne tamen sententias Patrum in eo themate desideres, accipe Chrysologum suo comptiore stylo conficientem hocce negotium. Sic ille. *Quia Iudaica perfidia fluctuante, inferni Christus demersus est in profundum, & triduano cursu tota tartari occulta percurrens, & Iudaica crudelitatis, & maiestatis sua, ac perempta mortis dedit iudicium cùm resurgeret: meritò ergo surgent Niniuita in iudicio, & condemnabunt illam generationem, quia illi vnius Propheta naufragi, aduena ignoti, praconio corriguntur: isti post virtutes tantas, mirabilia tanta, cum toto resurrectionis corusco, ad fidem non veniunt, ad pœnitentiam non mouentur: ipsum namque resurrectionis signum non credunt, sed gestiunt infamare: dum pretio militum claudunt oculos, corda corrumpunt, quod scierant, quod viderant, vt tacerent, redimentes mendacium: vt tollerent veritatem, facinus suum in Christi retorsere discipulos, cùm dicunt: Dicite, quia discipuli illius nocte venerunt, & furati sunt. Erras Iudae: hoc discipuli non tulerant, sed Magister, & ipse se furatus est, qui videbatur occisus. Sed miror quòd Iudaus Christum requirit, quem inter duos latrones feraliter collocarat: committit malè, custodit impiè, iniquius quarit. Iudae, Christus perire non potest, sed tu cum tibi tuo scelere perdidisti. Veniet in iudicium regina austri, & eo ipso, qui furatus putatur, iudice te condemnabit: quia illa venit ab extremo terra audire sapientiam Salomonis; & tu aduenientem sapientiam Dei infelicissimus occidisti. Niniuita crediturarum Gentium, regina Austri Ecclesia tunc promissa est in figuram. Beati sumus, fratres, quia quod præcessit in typo, quod promissũ est in figura, nos specie, veritate veneramur, cernimus, & habemus.* Ecce quã discolor indoles fuerit Iudæorum, & Gentium.

Euthym. cap. 23. commentary in Matth.

Chrysol. serm. 37.

Iudæi tentarunt delere signum Ionæ Prophetæ dum resurrectionis Christi veritatem pretio dato custodibus voluerunt abscondere.

SENSVS LITERALIS.

Iudai Deo miserante reuocati ab idolorum cultu, immemores huius gratia; postmodum grauioribus sese delictis atque vitiis obstrinxerunt.

In hæc verba:

Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quarens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessima.

§. V.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione, Et Ex Lingvis.

CORPORA malè affecta, recens reddita sospitati, in vitæ discrimen incurrunt, si statim ægrotarint, humore noxio præualente: sitque ita deterior status ægri post reducem sanitatem, si eius incuriâ non constiterit ei sarta tectaque valetudo. Hunc Iudæis instare statum Christus ait, respiciens ad paulò post futurum tempus, & non ad præsens, vt perperàm interpretatur Maldonatus, dicens hoc discursu notari præsentem perfidiam Iudæorum, quorum tunc nequitia in eum cumulum surrexerat, vt obstaret quin crederent in Christum: adiicit ille, hunc discursum Christi esse parabolam, petitam à similitudine viri domo sua pulsi, qui postliminio redux, illic lætiùs & lautiùs inhabitat, quàm antea. Pace illius magni viri dixerim, longè aberrat ab intento Christi, qui non hîc texuit parabolam; sed rem, quæ eo momento gerebatur, oculis subiecit. Nempe eo temporis articulo dæmonem expulit ab homine in magna populi frequentia, vnde plerique suspicati sunt in Christo quidpiam supra omne hominum genus. Eo dæmone expulso, Dominus aperit nequitiam callidi illius hominum hostis. Ait, spiritum illum nequam ambulare per loca arida, & quærere requiem. Arbitror ego, loca illa arida, esse corda hominum iniquorum, vbi gratiæ deliquio, nihil est viuax, sed morales etiam virtutes marcidæ contabescunt: vt enim muscæ putridis insidere solent; ita & reprobis hominibus gestiunt dæmones incubare: Illic tamen inquies est dæmon, quia anhelus in omnium hominum perniciem, meditatur ruinam plurium animarum. Itaque molestè ferens se pulsum ab homine, & ingloriè habitum, tentabit aliam viam subeundi animam eius, quam vt aduertit repurgatam scopis diuinæ gratiæ, vitiorum omnium illecebras prætendit huic animæ, vt ea annuente cedat in ius diaboli, qui inducendo animam ad peccandum, grauius ei detrimentum adfert, quàm si corporis intima possideret: namque deterior est animæ conditio in peccato, quàm corporis à diabolo cruciati.

Recidiuæ in morbis lethales.

Maldonati interpretatio refellitur. *Maldon. in Matth. 12. versu 43.*

Quæ sint dæmonis arida postquam pulsus est aliquo hominis habitaculo.

Beneficus hic Dominus hoc discursu cauit animæ hominis liberati à spiritu illo nefario, eum sic erudiens, ne immemor gratiæ acceptæ, sese vitio deuoueret. Alteri etiam ægro restituto ait: *Noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* Quasi diceret, satiùs esse grauiter ægrotare, quàm aliquo lethali piaculo obstringi: etenim Christo fuit potior cura animæ, quam corporis. Itaque palàm faciendo dæmonis artes, præmonuit hominem mox ereptum potestati diabolicæ, & Iudæis adstantibus apprimè consuluit, prædicendo mala, quæ ipsis perfidis imminebant. Vbi enim dixit, nouissima esse peiora prioribus, siquando dæmon rursus irreperet in animam, vnde turpiter abactus fuerat, statim subiecit similitudinis epilogum istum: *Sic erit & generationi huic pessima.* Id est, Deo miserante Synagoga abiurauit dæmonum cultum, cui se totam addixerat litans simulacris. Dæmon hocce habitaculo pulsus perambulauit

Christus corpora sospitando, animæ etiã consuluit.

Quomodo Synagoga facta fuerit

Ipsa deterior post resurrectioné Christi.

ambulauit fana & delubra Gentium: sed ibi moras longiores haudquaquam traxit, quia vigente cultu idolorum omnia illic erant iuris tartarei. Vt ergo luctum aliquod suis gazis adijceret, denuò Synagogam adorsus est scilicet superbiâ, auaritiâ, hypocrisi, impietate, perfidiâ, tantumque profecit vt eam armarit in Christum, quo extinctô; etiam obstitit quin crederet in propitium hunc Dominum, licet certo certius resciuisset à custodibus sepulchri, crucifixum IESVM seipsum die tertia suscitasse. Vnde nouissima facta sunt peiora prioribus: grauior enim noxa fuit Deum agnitum impugnare, quàm morti hominem tantum creditum addixisse.

Christus vt Iudæos reuocaret ad meliorem frugem prædixit eis instantem Ierosolymæ ruinam.

Suspicor etiam eum spectasse ad ruinam temporalem, qua delenda Ierosolyma, & Iudæi erant in varias orbis oras turpiter abigendi. Et id grandiore plaga, quàm fuerit illa olim clades accepta à Chaldæis. Suspicionem auget ille alius Christi discursus, quo Ierosolymam affatur illacrymans, prædixit eam vallo circumducto funditus euertendam. Et reuera si præscius ille Dominus pœnas de populo ingrato deposcendas refudisset in diem iudicij, quo Niniuitæ debent Iudæorum impia capita condemnare; censura hæc Christi parum perculisset hos animos infideles, frangendos potiùs formidine supplicij instantis, quàm terrore iudicij post multa sæcula decernendi. Fortè instabis: quomodo dæmon abdicato cultu idolorum inuenerit Synagogam scopis mundatam, & ornatam, cùm fuerit ipsa multiplici vitio conspurcata? Respondeo, Christum hoc sermone conclusisse totum æuum Synagogæ, quæ sub Iosuë & Iosia fuit cultior & mundata, sed repente pietate rediit ad vomitum, & tempore Christi proceres habebat diabolo mancipatos, quos Dominus sic notauit: *Vos ex patre diabolo estis.* (*Ioan. 8.*) Summa tamen tragœdiæ spectabat annos subsequentes, vt liquidò Christus ipse notat commemorans futurum tempus & non præsens, sicuti Maldonatus gratis ait, contra tenorem & seriem verborum Christi, qui recolens cladem Iudæorum, comparatione facta miseriæ quam patitur anima dæmoni addicta, non dixit: Sic est & generationi huic pessimæ; sed: *Sic erit, & huic generationi pessimæ.* Ideoque miror, Maldonati sententiam longè ab intento Christi Domini deuiasse.

Ex Linguis. Hebræa. Syriaca. Græca.

Textus Hebræus futurum liquido recolit; כן יהיה *chen ihieh, Sic erit,* Concordat & Syrus interpres, הכנאנהוה *hocne neheueh, Sic erit.* Græcus interpres etiam stetit in intento Christi. *οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ. Sic erit generationi huic pessimæ.* Cùm ergo Iudæorum nequitia non fuerit tanta superstite Christo; quanta post resurrectionem, & extrema eorum clades refusa sit post Christi mortem, cui Ierosolyma euersa, suis ruinis & Iudæorum sanguine parentauit; luce meridiana liquidius est, Dominum eò spectasse, quando meminit tragœdias, quas excitat dæmon redux, & proinde eum esse sensum verborum Domini IESV: Dæmon iste, quem mox abire coëgi, actus in rabiem quia foras expulsus est, nihil intentatum relinquet, vt denuo subeat animam hominis istius liberati, cuius voti si quando compos extiterit, malè habebit hominem hunc illi nequissimo hospiti mancipatum. Nempe vitiis pluribus irretitum raptabit in deuia & abrupta criminum, donec præcipitem agat in abyssum. Et hæc eadem sors manet generationem istam maleuolam, quæ nescia cultus idolorum, Deo propitio sic olim dæmonem abegerat: sed immemor gratiæ acceptæ, denuo dæmonem suo sinu excepit, non quidem litando simulacris, sed sese innumeris propè vitiis obstringendo. Nec hîc malorum finis, sed deterior adhuc imminet pernicies: scilicet mens adeò obstinata, vt Iudæi in posterum putent se præstare obsequium Deo, præstando sese iniurios nomini Christiano.

Paraphrasis explicans sensum literalé textus isti paragrapho præfixi.

Iudæi post mortẽ Christi multò nequiores extiterunt, quã antea.

Rei euentus fidem fecit præsagio Christi, licet enim suasore diabolo iniquos se probarint, vrgentes Pilatum in caput Domini IESV; illa tamen nequitia tetrior effecta est pluribus incrementis, vt videre est in libris Thalmudicis, qui scatent blasphemiis in Christum. Eamobrem vt singula quæque piacula, etiam congrua manent supplicia, Iudæi extorres & ludibrio omnibus hominibus, suo exemplo probant, pœnas quas luunt esse multo grauiores eis, quas Iudæi idololatræ Deo vindici aliàs exoluerunt.

SENSVS LITERALIS.

Iudæi excidentes gratiâ à Deo acceptâ, abiurato idolorum cultu, innumeris sese vitiis obstrinxerunt, in quorum vltionem Deus in eos animaduertit multiplici clade.

In hæc verba:

Sic erit & huic generationi pessimæ.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex SS. Patribus.

Quanta sit nequitia Iudæorum.

Adeò exosum fuit Romæ nomen Tarquinij, vt vrbe pulsus homo nefarius, tot habuerit hostes, quot concives. In ea classe sunt Iudæi apud nos Christianos: nemo namque miseratur eorum iniquam sortem, sed concordi suffragio omnes inuehuntur in pessimum hoc hominum genus, Deo & quàm maximè Christicolis exosum. Siquis ergo in gratiam Iudæorum consulat oracula sanctiorum Patrum, profectò nihil inde referet præter censuras asperas, & anathema sempiternum. Nimirum Sancti, qui versarunt Euangelium quod expendo, talem dixere nequitiam Iudæorum, qualem depinxit Christus inesse homini, cuius animam diabolus incolit stipatus toto agmine vitiorum. Et reuera quantumuis acerba sint conuicia, quibus configitur gens illa portentosa; tamen cum ea semper mitiùs agitur, quàm mereatur eius indoles abhorrenda.

Ex SS. Patribus. Hieron. in Matth. 12.

In hunc populum confluxisse vitia omnia, & præsagium Christi de completa nequissimæ Generis malitia spectasse ad futurum tempus, & non ad præsens vt voluit Maldonatus, accipe ex Hieronymo, ita decurrente locum illum: *Immundus spiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem, & ambulauit per loca arida quærens sibi requiem. Expulsus videlicet à Iudæis, ambulauit per Gentium solitudines: quæ cùm postea Domino credidissent, ille non inuento loco in nationibus, dixit: Reuertar in domum meam, hoc est, abibo ad Iudæos, quos antè dimiseram. Et*

Matt. 12. Luc. 13.

veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam. Vacabat enim templum Iudæorum, & Christum hospitem non habebat dicentem: Surgite, eamus hinc. Et in alio loco: Dimittetur vobis domus vestra deserta. Quia igitur & Dei & Angelorum præsidia non habebant, & ornati erant superfluis obseruationibus legis, & traditionibus Pharisæorum; reuertitur diabolus ad sedem pristinam, & septenario sibi numero dæmonum addito, habitat pristinam domum, & fiunt illius populi nouissima peiora prioribus. Multò enim nunc maiori dæmonum numero possidentur, blasphemantes in synagogis suis Christum Iesum, quàm in Ægypto possessi fuerant ante legis notitiam: quia aliud est, venturum non credere; aliud eum suscepisse, qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo, vel propter sabbathum intellige, vel propter numerum Spiritus Sancti: vt quemodo in Isaia super virgam de radice Iesse, & florem qui de radice conscendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur; ita è contrariò vitiorum numerus in diabolo consecratus sit. Ita Hieronymus commentatur in hunc locum, & incrementum nequitiæ Iudæorum petit à blasphemiis, quibus hodie lacessunt Christum in suis conuenticulis: sicque Hieronymus carpit illam sententiam, quæ affirmat, verba Christi non pertinere ad futurum tempus, sed præsentem Iudæorum perfidiam denotare.

Quare Iudæi tépore Christi facti sint deteriores suis antecessoribus.

Quaré dicatur assumi septem spiritus nequiores aliis.

Rursus Dominum adhibuisse similitudinem illam dæmonis malè habentis eos, in quos sese rursus insinuat, vt inde linearet angustias & ærumnas quæ instabant, fusè probat Chrysostomus, suo etiam calculo mihi fauens, contra illos qui secus sentiunt. Sic ille: *Ne quis tales Iudæorum exitus futuros, quales Niniuitarum fuerunt, quorum vrbem, quoniam pœnitentiam egerunt, ab irruentibus Barbaris eripuit. Ne igitur quis putet post resurrectionem pœnitentiam Iudæos hanc quoque acturos, audias quemadmodum contrarium designatur. Nam quod nihil fructus ex tot tantisque beneficiis consequantur, imò etiam econtrà intolerabiles ærumnas patientur similitudine dæmonis denotauit, ac futurarum afflictionum causam reddidit, ostendens quòd meritò in ipsos incident: calamitates autem, & desolationem ipsorum per hoc exemplum repræsentauit.* Optimè Chrysostomus similitudinem illam dæmonis sæuientis post reditum suum, exemplum vocat, & non parabolam, vt Maldonatus. Arguit enim Christus ab exemplo dæmonis, quem eo temporis articulo deturbarat. Præterea explicitè notat, Christum respexisse ad futuram cladem Iudæorum, & insinuasse causam miseriarum, quibus erat infidelis ille populus addicendus.

Chrysost. hom. 44. in Matth.

Adieci suprà, Dominum haudquaquam refudisse in diem iudicij omnia supplicia Iudæorum, ne diuturni temporis prolixitas faceret segniores ad pœnitendum: sed de industria meminisse ruinam proximam Gentis, si illa sibi minimè consuleret, vt pœnæ instantis interitus obstringeret eos ad meliorem frugem. Ita Chrysostomus: *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & huic generationi pessimæ. Hinc dilucidiùs ostendit, non in futuro sæculo solùm, verùm etiam hîc grauiora durioraque ipsos passuros. Nam quoniam Niniuitas dicebat resurrecturos in iudicio, & condemnaturos generationem hanc: ne prolixitate temporis ad iniuriam deuoluantur, ac circa virtutes negligentiores reddantur, hac in vita futuras ipsis afflictiones subiexit, &c. Quemadmodum, ait, dæmoniaci cùm ab infesto dæmone sunt liberati, si negligentiâ corrumpuntur, grauiores aduersum se attrahunt imaginationes, sic vobis accidet. Dæmonio enim tunc vexabamini, quando idola colebatis, & dæmoniis filios vestros occisos offerebatis, ingentem hac ex re insaniam ostendentes; nec tamen dereliquit vos, sed per Prophetas dæmonem eieci, & nunc per memetipsum curare penitus vos constitui. Verùm quoniam aduertere non vultis, sed ad maiorem prauitatem sponte ruitis; quippe cùm multò deteriùs sit in meum quàm in Prophetarum interitum sæuire: idcirco multò grauiora vobis imminent, quàm Babylonis, quàm Ægypti, quàm Antiochi mala fuere. Nam quæ Vespasiano duce ac Tito ipsis acciderunt, multò magis omnibus illis asperiora durioraque fuerunt. Quapropter dicebat: Erit tribulatio magna, & qualis nunquam fuit, nec erit.*

Quare Christus nō refudent in dië iudicij omnia Iudæorum supplicia, & mentionem fecerit cladis illius Gëtis. Chrysostom. vbi supra.

Qualis fuerit tribulatio Iudæorum grauior priore.

Etsi Christus proximo sermone non apertè notarit illam Ierosolymæ cladem, quam meminit Chrysostomus; alibi tamen eam tacitam minimè præteriit: vt quando dixit illacrymans, validos hostes obsidione cinctam vrbem funditus euersuros. Vnde lubens assentior Chrysostomo explicanti nouissima fuisse peiora prioribus: quia vt grauior fuit nequitia Iudæorum post resurrectionem Christi, ita etiam grauiore pœna fuit Deo vindice castigata. Demum dixi, septem spiritus nequiores à diabolo assumptos ad summam perniciem Iudæorum, insinuare cateruam omnium vitiorum, quæ appositè septenario numero designantur. Non fuisse vanam meam coniecturam disce ex Chrysostomo texente catalogum vitiorum & criminum, quibus sese Iudæi postea deuouerunt. Sic ille pessimæ Gentis recolit ingenium: *Omnium virtutum numero contempto, faciliùs à prauis spiritibus, quàm priùs occupantur. Nam quamuis olim assiduè peccarent, habebant tamen emendantem doctoris disciplinam, aderat illis ipsa Dei prouidentia, non omnino dereliquerat eos spiritus gratia, castigatione, omniumque remedio iuuans, nunc verò penitus à diligenti cura spiritus desolatos fore prædicit. Quare cùm virtutis penuria sit, crimina intenduntur, dæmones acriùs in eos insurgunt. Nemo enim vestrûm ignorat, memoria nostra, quando Iulianus qui omnes homines impietate superauit, contra Christianos sæuiret, quomodo plerique Gentibus adhærebant, & cultus idolorum præferebant. Quare si aliquo modo modestiùs nunc degere videntur, formidine Principum id simulant, quæ si nulla esset, crudeliora quam antea vmquam facere auderent, cùm omni prauitate atque malitia priscos nimium antecedant, maleficas artes, atque magicas, petulantiam, audaciam, cæteraque vitia supra modum colentes, & quamuis tanto fræno coerceantur, sæpenumerò tamen in Principes conspirarunt, & in extremas inde calamitates inciderunt. Vbi ergo nunc, vbi inquam sunt, qui signa & miracula curiosè inquirunt? Audiant, & intelligant, mente atque animo grato nobis opus esse, quæ res si non adest, nihil vtilitatis à signis adipiscimur.*

Quomodo septem spiritus nequiores Iudæos inualerint.

Quā iniqua fuerit Gens Iudæorum post resurrectionē Christi.

Chrysostom. homil. 44. in Matth.

Tempore Iuliani apostatæ Iudæi vltro idola coluerunt non aspernati ritus Gëtium.

Non ergo deuius aberro à scopo Christi, cùm dico, seriem omnem sermonis huius respicere

iniquam

iniquam Iudæorum indolem, quam conciliare Deo non potuere beneficia, neque ostenta, neque minæ cladis Gentis vniuersæ, & ruinæ vrbis solo Romanorum machinis adæquandæ. Pergit Chrysostomus in adstruenda mea sententia, de nefario ingenio pessimæ nationis, vt par est dantis pœnas Iudici sæuienti. *Niniuitæ absque vllo penitus signo, animo cediderunt; Iudæi vero etiam post tot & tanta miracula in peius deuoluti, domicilium dæmonum facti sunt, & innumeras contraxerunt ærumnas, neque id iniuria. Nam quando quispiam ab afflictionibus liberatus non modestior fit, multò grauiora quàm priùs patietur, idcirco enim dixit: Non inuenit requiem, vt ostendat necessariò ad huiusmodi hominem insidias dæmonum peruenturas. Nam qui duabus his præcipuis causis castigatus non est; à præcedentibus videlicet calamitatibus, & à liberatione secuta, quibus tertiam quoque addere possemus, comminationis scilicet peioris, nisi resipueris, qua ratione sperare de illo poteris amplius, quòd melior futurus sit?*

Chrysost. vbi supra.

Est desperata salus animæ, quæ calamitatibus, & variis Dei beneficiis non fit cautior.

Quod autem Maldonatus subiicit, Christum illa oratione docuisse animam Dei gratiâ repurgatam, si denuo peccet, esse deterioris conditionis quàm antea, id extra aleam est sensus literalis enucleantis præcipuum intentũ Christi; quippe totus hic contextus primariò ad Iudæos pertinet, quos vt ad meliorem frugem reuocaret, nihil intentatum reliquit. Si quid verò potest elici pertinens ad mores nostros componendos appositè, illud est refundendum in moralem sensum, & non in literalem, cuius indagini, mei omnes paragraphi collaborant. Aduerte obiter, Lector, textum hunc, quem tibi feci expeditum, esse vnum de ambiguis, qui facessunt negotium peritis etiam scriptoribus, qui impegere in lapidem offensionis, arbitrati Christum suo more texuisse parabolam, vt per ambages deductos animos erudiret. Sed liquidò ostendi hunc sermonem de dæmonis industria, & astu, fuisse petitum ab historia dæmonis tunc eiecti, & meditantis regressum quasi postliminio in hominem, à quo fuerat tunc turpiter amandatus.

Discursus Christi de dæmone redeunte in domum suã, non est parabola, sed vera historia.

SENSVS LITERALIS.

Christo fuit potior cura, seu salus animarum quàm temporale obsequium fratrum eius, id est hominum qui ad ipsum cognatione pertinebant.

In hæc verba:

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te.

§. VI.

CONIECTVRA, EX RATIONE, LINGVIS, ET SANCTIS PATRIBVS.

VT in charitate gradus quidam aliis eminent; ita Christus amoris sui in homines specimina dedit congrua charitati. Scilicet cognatos & affines speciali amore dignatus est, non improbans amorem naturalem, qui nos natura obstringit: sed vbi salus animarum interuenit, remorata est obsequia, quæ ab eo naturalis inclinatio deposcebat. Versus isti paragrapho præfixus id astruit: cùm enim domi prædicaret Christus, & omnem moueret lapidem, vt Scribas & Pharisæos initiaret sacris fidei mysteriis, monitus est adstare foris matrem suam & cognatos, cupidos ei loqui. Sed ne deesse suo Saluatoris officio videretur, noluit prædicationi suæ modum imponere, pluris faciens salutem animarum, quàm temporale solatium, exhibitum suis affinibus & cognatis. Quærit hic Maldonatus, quorsum pro foribus adstiterint mater Christi & cognati eius Apostoli quidam, & quorsum ei fuerint importuni. Ego hanc quæstionem arbitror intempestiuam, cùm scriba tacere consultò præterierit causam, quæ eos vrgebat ad monendum Christum ipsos adstare in limine domus. Magis adhuc incongruam censeo sententiam eiusdem auctoris, suspicantis matrem Christi stipatam aliquo numero cognatorum eò accessisse, vt filium suum eriperet manibus Iudæorum, quos probè nouerat iniquo esse animo in Christum, ac proinde supposuisse aliquod vrgens negotium, vt ea specie filium suum subduceret insidiis hominum improrum.

Quare Christus voto cognatorum suorum non fecerit satis exeundo foras.

Profectò illa sententia non vt par est sentit de Virgine Deipara, vtpote faciens illam esse discordis animi cum Christo, qui oblatus est quia voluit, & totum se composuit ad arbitrium Patris, cuius fuit decretum hoc, vt Christus occumberet ictibus æmulorum. Alma parens Christi eo doctore facta est conscia decreti huius æterni, ac proinde suum præbuit assensum diuino arbitrio. Itaque Maldonatus ei imponit dicens eam fuisse conductam à cognatis, vt simul conuenientes Christum, facerent ei copiam citiùs euadendi. Quasi verò Dominus pro arbitrio suo non effugerit & irritos fecerit impetus illorum hostium acerborum. Quare ergo, inquies, adstitere mater & parentes eius? Respondeo, non esse officium interpretis diuinare, sed congruis scholiis appendere textum sacrum ad trutinam seu intentum Spiritus Sancti. Ne tamen tacitus præteriisse videar illam quæstionem, dico præ turba non potuisse Matrem & discipulos introire; & cùm magno desiderio tenerentur audire Christum, misisse ad eum se adstare pro foribus, vt hoc audito Christus faceret eis ius ingrediendi. Aut fortè intercedebant pro aliquo, indigo opis Christi. Sed ne Christus occupatus in procuranda salute animarum, videretur illi salutari negotio præponere affectum cognatorum, non annuit eorum votis, liquidò definiens non esse se obstrictum adeò parentibus & cognatis, quàm huic naturali affectui præponeret cuiusque animæ sospitatem.

Quare cognati Christi eum prædicantem domi monuerint se foris adstare.

Accipe Ambrosium, opportunè expendentem locum istum. *Moralis Magister, qui de se cæteris præbet exemplum, atque ipse præceptor, ipse etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris: quoniam qui non reliquerit patrem, aut matrem suam, non est Filio Dei dignus, sententiæ huic primus se subiecit, non quòd materna refutet pietatis officia, ipsius enim præceptum est: Qui non honorauerit patrem, & matrem, morte moriatur: sed quia paternis se mysteriis amplius quam maternis affectibus debere cognoscat. Neque tamen iniuriosè refutantur parentes, sed religiosiores copula mentium*

Ex SS. PATRIBVS. *Ambros. in Luc. cap. 8.*

Christus plus detulit paternis mysteriis, quam maternis affectibus.

mentium docentur esse quàm corporum. Ergo non debuerunt foris stare, qui Christum videre quærebant. Propè est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Intus igitur verbum, intus & lumen. Vnde & ille ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Si enim foris stantes nec ipsi agnoscuntur parentes, & propter nostrum fortasse non agnoscuntur exemplum: quemadmodum non agnoscimur, si foris stemus? Nec putes aliquod offendiculum esse pietatis, vbi mandatum legis impletur. Si enim relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; rectè sacramentum hoc in Christo seruatur, & Ecclesia. Et ideo parentes corpori proprio non oportuit auferri. Ergo hic non (vt quidam hæretici tendiculas aucupantur) mater negatur, quæ etiam de cruce agnoscitur; sed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demonstrat, Iudæis, ex quibus est Christus secundum carnem, Ecclesiam quæ credidit esse præferendam.

Quàm impensè matrē suā coluerit Christus.

Euthymius cap. 23. commentarij sui in Matth.

Christum renuisse foras exire ad matrem & cognatos, vt impensius incumberet saluti animarum, liquidò probat Euthymius, obseruans nullum omnino typhum subolere verba Christi, etsi cunctatus sit cognatorum, imò & matris suæ votis annuere. Sic ille: *Hoc dixit non abnegans matrem suam. Qui enim hoc facere potuit, qui morti suæ vicinus magnam illius curam habuit: neque dedignatus est ipsam habere matrem? Quomodo inquam hoc fecisset, qui propter reuerentiam, quam erga illam gerebat, aquam in Cana conuertit in vinum, & subditus erat non ipsi solùm, verùm etiam ei, qui pater suus dicebatur: Et erat (inquit) subditus illis. Si enim negaturus illam fuisset, aut ob eam pudore afficiendus, nequaquam ab ea natus fuisset. Sed quia tunc multitudinem docebat, nec æquum erat, vt hos relinqueret, & ad matrem ac fratres procurreret, ait: Quæ huiusmodi mater mea est, aut qui huiusmodi fratres mei sunt, vt propter illorum obsequium, tanta multitudinis vtilitatem paruipendam? Non ergo vilipendens illos hunc locutus est sermonem: sed docens quòd præponendam iudicet perditorum salutem, parentum ac consanguineorum obsequio. Nec mirum, cùm propter hos, parentes ac consanguineos habere sustinuerit.*

EX LINGVIS. HEBRÆA.

Christus grauiori negotio implicitus, noluit prosilire foras annuendo votis cognatorum.

Quis fuerit Christi sensus in ea responsione, qua detrectauit morem gerere parentibus seu cognatis deforis adstantibus, abundè licet coniicere ex voce Hebræa vsurpata à Matthæo. ענה והו *vehu ngboneh*, Id est, *ipse respondens*, vel, *ipse humilians se, & affligens*, vel, *ipse occupatus in graui negotio*. Nempe radicalis Hebræa, vt alibi recensui, id est, ענה *nghanah*, significat, *respondere, affligere, humiliare*: Item & *occupari in graui negotio*, vt sumitur Ecclesiastæ primo capite versu 13. Vnde sic reddi potest textus, quem recolo. IESVS vt audiit adstare matrem, & cognatos, non eos fastidiit, sed insita sibi humilitate respondens, ait se occupari negotio perarduo, id est, saluti animarum, præferendæ solatio temporali suorum affinium.

CHALDÆA SYRIACA.

Syrus interpres adhibuit idem verbum, quod Chaldæis, & Syris desinit in *aleph*, more inolito illis populis terminantibus in *aleph* verba Hebræorum desinentia in *he*. Itaque Syrus interpres hæc habet. ענא דין הו *hu den nghana*, id est, *ipse autem respondit*, vel, *ipse valde negotiis implicitus*. Quasi diceret, Christum valde occupatum non prosiliisse foras, ne deesset grauiori negotio, cui sedulus incumbebat. Græcus interpres sic, ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε τῷ εἰπόντι αὐτῷ. Id est, *respondens dixit dicenti sibi*, Vox ἀποκριθεὶς deducta ab ἀποκρίνομαι, significat, *respondens*, & *separans*; veluti si de industria Matthæus dixisset, Christum adeò tunc fuisse intentum saluti animarum, vt de hoc maximè sollicitus negotio, non annuerit petitioni cognatorum.

GRÆCA.

Sanctorum Patrum opera sæpe sæpius fuere deprauata ab hæreticis.

Maldonatus hîc inuehitur in Chrysostomum, quòd ille matrem Christi dixerit aduocasse foras Christum, vt inde aliqualem gloriolam mendicaret, vtpote iactans se posse aliquid in Christum. Sed Maldonatus meliùs sibi & Chrysostomo consuluisset, si tentasset sanctissimum æquè ac doctissimum Patrem ab errore vendicare, vt & ego Deo fauente faciam. Nempe in confesso est apud omnes, astutiâ hæreticorum irrepsisse menda propè infinita in libros sanctiorum Patrum, vt sic impij desertores Ecclesiæ suis erroribus atque delictis patronos conquirerent. Hanc præcipuè iacturam passus est Origenes, & post eum Leo Papa, qui de ea re querimonias texit apud Martianum Imperatorem. In hoc discrimen etiam venit auctor operis imperfecti in Matthæum, quem tacito consensu Ecclesia credit esse Chrysostomum, eius nomine præfixo lectionibus, quas inde deduxit in nocturno officio prælegendas. Gratianus in Decreto Canones multos inde oriundos notat titulo Chrysostomi, sicut & Strabus in Glossâ ordinaria, & Angelicus Doctor in catena aurea sententias referunt inde nomine Chrysostomi. Homiliæ quæ nemine reclamante sunt Chrysostomi & huic dispendio fuerunt obnoxiæ. In eas nempe virus aliquod effusum est à Pelagianis in argumento gratiæ; & in textu quem expendo, quispiam de suo penu scholium hoc adiecit. *Ex facto matris nonnihil importunitatis quoque accessit. Considera igitur tam matris quàm fratrum importunitatem. Nam cùm debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, aut saltem expectare foris sermonis finem, ac demum accedere; ambitione quadam, ac ostentatione commoti, foris eum in præsentia omnium euocarunt, vt viderentur facilè ac magna cum potestate Christo imperare.*

Leo epist. ad Martian.

Chrysostomus excusatur, vt nescius expositionis, quæ illi affingitur.

Chrys. hom. 44 in Mat.

Chrysostomus altè sensit de Beata Virgine Maria.

In illo commentario inserto libris Chrysostomi subodoror quid olidum, quod Marcionis, Arij, Nestorijque hæreses exhalarunt: nemo namque suadebit mihi, Chrysostomum adeò malè sensisse de Virgine Deipara, vt crediderit eam fuisse vanæ gloriæ mancipium sicut resonat ille textus iniurius eo nomine matri Christi, cui ineptè affingitur ingloria tessera vanitatis. Quasi verò parens inclyta Christi, gratiâ plena, fuerit alicui peruia piaculo. Hanc autem sententiam incongruam non esse Chrysostomi, sed deterioris farinæ viri, facilè est coniicere ex luculentis elogiis, quibus Chrysostomus Mariam Virginem dignatus est, de ea sicuti par est sentiens, vt videre est istis encomiis. *Magnum reuera Virgo hæc mundi est miraculum. Ecquid enim in rerum vniuersitate queat hac maius, & sublimius inueniri? Sola hæc cœlum, & terram amplitudine*

Chrys. hom. in hypapantem Domini.

Præclara encomia B. V. Mariæ.

plitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quippiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles, vna hæc maius aut excellentius inueniri potest. Ita Chrysostomus, idque procul ab inepto illo commentario aspergente virus peccati huic Virgini, quam disertè Chrysostomus ait puritate insigni omnes Angelos anteire.

Chrysost. in Liturgia.

Rursus ille benè affectus erga Mariam, ita spatiatur in campo spatioso laudum eius. *Verè dignum est glorificare te Deiparam, & semper beatissimam, & penitus immaculatam Matrem Domini nostri, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperisti, verè te Deiparam magnificamus.* Demum alibi assertorem egregium se præstat sanctitatis Deiparæ, sic recensens delegationem Angeli Gabrielis. *Missus est seruus incorporeus ad Virginem immaculatam. missus est à peccato integer, ad corruptionis expertem.* Si ergo Chrysostomus adeò eminenter sensit de sanctissima Dei Genitrice, vt eam sanctiorem Angelis fuisse crediderit, & Angeli peccare nequeant; profectò absurdum est, affingere Chrysostomo commentarium, quo peccato inanis gloriæ Maria describitur obnoxia. Parum namque sibi constaret ille auctor doctrinæ atque pietatis emeritæ, si Virginem hanc aliàs prædicatam innoxiam, subditam postea vanitatis vitio propalaret.

Idem Oratione in Annunciatione sanctissima Dei Genitricis.

Adiice & locuples testimonium eiusdem Chrysostomi, si is est auctor operis imperfecti in Matthæum, vbi hæc prostant in gratiam Mariæ prægnantis, cuius sanctitas agnita Iosepho, ancipitem eius animum fixit, ne quid sinistrum de fœta Virgine cogitaret. Sic ille prælibatus auctor. *O inæstimabilis laus Mariæ! magis credebat castitati eius, quam vtero eius, & plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare.* Accedit & Theologiæ effatum valde gloriosum Deiparæ, quam sanctissima hæc disciplina profitetur nunquam peccasse. Audiendus apex illius scientiæ sacrosanctæ, scilicet Angelicus Doctor. Sic ille: *Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundùm illud 2. Cor. 3. Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti. Beata autem Virgo fuit electa diuinitus, vt esset Mater Dei: & ideo non est dubitandum, quin per suam gratiam Deus ad hoc idoneam eam reddiderit, secundùm quod Angelus ad eam dicit, inuenisti gratiam apud Deum. Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset, aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prouerbiorum 17. Gloria filiorum, patres eorum: vnde & per oppositum ignominia matris ad filium redundasset. Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. Cor. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitauit: non solùm in anima, sed etiam in vtero: dicitur autem Sapientiæ primo: In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Auctor operis imperfecti in Matthæum.

Maria nunquam peccauit venialiter.

Tom. 3. par. qu. 27. art. 4.

Quare Maria fuerit immunis ab omni peccato.

Hoc discursu Thomas ille in Theologis summus damnat illam sententiam falsò attributam Chrysostomo, quam meminit idem Thomas eo ipso articulo, fatens ingenuè Chysostomum excessisse. Breuiùs dixisset, inscio Chrysostomo hoc irrepsisse mendum in opera eius: nimis enim altè sensit Chrysostomus de Beata Maria, vt antea præfatus sum. Vnde miror, Theophylactum apprimè versatum in scriptis Chrysostomi, haudquaquam aduertisse, illam sententiam de ambitione Mariæ non esse consonam elogiis editis à Chrysostomo in gratiam Deiparæ, quam ideo ipse Theopylactus imprudenter hoc veneno aspersit ita hallucinans: *Humanum quid volebat ostendere mater, videlicet quòd in filium potestatem haberet: nihil enim magnum adhuc de eo intelligebat: propter hoc, ipso adhuc loquente, volebat ad se illum attrahere, quasi ambitiosula tanto sibi filio subdito. Quid igitur Christus? quoniam intentionem eius sciebat, audi, quid dicat: Quæ est mater mea: non iniuriâ afficiens matrem, hoc dixit, sed corrigens mentem eius gloriæ auidam.*

Thom. 3 p. qu. 27. art. 4. in responsione ad 3.

Theophyl. in Matth. 12. Egregium decretum editum in gratiã Virginis Deiparæ.

Profectò auctor ille rediuiuus palinodiam caneret peritus hoc decreto Concilij Tridentini. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine Maria tenet Ecclesia, Anathema sit.*

Conc. Trid. sess. 6. can. 23.

SENSVS LITERALIS.

Christo non fuere fratres nec sorores.

In hæc verba:

Qui sunt fratres mei.

§. VII.

CONIECTVRA, EX RATIONE, EX LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

QVerulus Seneca plangebat hanc hominum sortem, quòd scilicet pecorum ritu viuerent, euntes quò itur, & non quo eundum est. Vt namque præeuntem arietem consequuntur oues nullo habito delectu viæ quæ teritur; ita plerique in his quæ ad doctrinam spectant, dum iurant in verba magistri, deuiant à recto tramite veritatis. In hoc discrimen erroris adduxit Origenes ferè omnes Græcos, dum expendit istum Matthæi textum. Is nempe fratres dixit IESV, filios Ioseph ab eo susceptos ex alia vxore ante Mariam desponsatam. Auctoritate viri huius magni nominis alij illecti dedere manus, idque incautè, nescij Origenem innixum libris apocryphis, suamque stabilire sententiam, quam &

Origenes dedit ansam errori in quem plerique impegerunt arbitrati Christũ habuisse fratres. *Origen. in Matt. 12.*

Apostolus appellatur Iacobus minor, non quidem intuitu Iacobi Zebedæi fratris Ioannis, sed respectu Iacobi Alphæi, seu Cleophæ, quo patre satus est hic Iacobus. Non concordant Patres in discussione sororis Deiparæ, dum quidam duas volunt esse matronas, Mariam Cleophæ, & Mariam Iacobi. Sed ego in re opaca defero litem hanc penes iudicium R. P. Bolducij Capucini, viri vsquequaque docti in his præcipuè quæ spectant ad Iudæorum ritus atque prosapiam. Tu cum consule.

Bolducius Capucinus in epistol. B. Iudæ Apo.

SENSVS LITERALIS.

Quisquis se componit ad arbitrium Dei, ille singulari affinitate Christo Domino sociatur.

In hæc verba:

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

§. VIII.

Conieotvra, ex ratione, ex lingvis, et ex SS. Patribvs.

Euangelium est iugum Christi.

Non arandum esse in boue & asino cautum est olim, & præceptum vt eiusdem generis & speciei animalia ceruices subderent vni eidemque iugo. Cùm itaque Christus appellarit iugum, suam Euangelij disciplinam, cuius ipse professor fuit religiosissimus, antequam prædicator (quippe cœpit facere, & docere;) prudens ille Dominus suos discipulos instituens, ad hoc vt coniugales essent, id est, idonei ad ferendum idem iugum, quod vltro subierat ipse Christus, illos initiauit præcipua cautela ad hoc iugum congruè subeundum. Quippe præambulum hunc voluit esse apparatum; videlicet vt abnegarent semetipsos, id est non ad arbitrium suum viuerent, sed ad nutum Dei, voluntati eius iugiter insistendo: sic enim ait fore idoneos ad professionem Euangelij, quod iugum suum appositè nuncupauit. Vt namque iugum duos petit vt feratur, ita & Euangelii disciplina duorum obsequium petit, vt sequaces habeat idoneos: Deo nempe adiutore opus est, vt influat, & homine sua sponte colla iugo submittente, vt ex animo adiutus desuper obsequatur.

Quare Christus voluerit discipulos suos abnegare suam voluntatem.

Quare Euangelium dicatur iugum Christi.

Christus ipse tulit illud iugum, & influit in animas, quas hortatur ad tollendum illud iugum: influit inquam in animas, vt pro suo modulo cum Christo conueniant, sicque fiat satis legi quæ vetat vni iugo dissona colligari. Christi influxus attenditur penes intellectum, & penes voluntatem hominis applicandi iugo. Nimirum cœlitus eruditur homo, & voluntas tota componitur ad arbitrium Dei; sicque pro virili parte Christo similis efficitur, qui de voluntate Dei sollicitus tantùm fuit vt de opimo cibo, quo congruè pascebatur. Sic ille: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Rursus: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Imò

Iugum Christi non tollitur sine Christi influxu.

Ioan. 4.

Ioan. 5.

sui aduentus in mundum, hoc præcipuum recensuit argumentum: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Itaque quisquis se effingit totum ad nutum Dei, ille refert Christum, vtique quantùm potest; eaque similitudine cognatus eius efficitur, imò & frater, quia ferè alter.

Ioan. 6.

Huc reuoca notiones Hebræas, Chaldæas, Syriacas, & Græcas, superiore paragrapho recensitas, quibus ostendi dici fratres eos, qui sunt eiusdem generis, vt videre est in dictione, אח *ach*, quam Hebræi, Chaldæi, & Syri adhibent, vt fratres & propinquos significent. Magis intento meo quadrant Græci, quibus vox, ἀδελφὸς, id est, *frater*, aptatur etiam rebus similibus. Vnde & deducunt verbum, ἀδελφίζω, id est, *fraternizo*, seu *similis sum*. Et Galenus affinitatem, communicationem, conspirationémque partium corporis vocat ἀδελφίξιας. Cùm ergo nulla maior sit communicatio quàm amoris, qui facit idem velle & idem nolle; quisquis erit eiusdem voluntatis cum Deo, erit & ille vnus cum Christo, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter sese.

Ex Lingvis. Hebrææ. Chaldæa Græca.

Galen. lib. de vsu partium.

Rursus vt præuio amore Dei tantùm Christus inhabitat animas nostras; & charitas est chara vnitas voluntatis humanæ cum diuina: quisquis voluntatem suam perfectè aptabit ad diuinam, is aliquali modo concipiet Christum, & sic pater materque eius erit, tropicè colloquendo. Quàm beata sit hęc cognatio, animas Christo deuinciens, accipe a Chrysostomo sic in stuporem acto. *O mirabilem honorem! ó virtutis incredibiles vires! quò ducitis benè viuentes homines? mulieres sanctissimam Virginem beatificarunt, quotquot vterum illum admirantur, quotquot optarunt tales fuisse matres, & cætera contemnere omnia. Quid igitur prohibet? Ecce namque rectam atque facilem nobis viam proposuit, vt non fœminis solùm, verùm etiam viris ad hunc ordinem peruenire liceat; vnò verò etiam ad maiorem. Multò enim propinquiores Deo sunt, qui voluntatem eius faciunt, quàm qui summa carnis necessitudine coniunguntur. Non ergo simpliciter propinquitatem illa desidera, verùm etiam viam capesse, magnoque studio confice, qua ad hoc desiderium te perducat.* Auctor operis imperfecti in Matthæum, luculenter etiam ait, satius esse pertinere ad Christum spiritali cognatione, quàm carnali: *Praponenda* (inquit) *est cognatio spiritualis carnali. Nam carnalis cognatio, non volentibus nobis, neque scientibus contingit. Non enim vnusquisque vestrum consuetus est cogitare, quorum erit filius, aut quorum cognatus. Spiritualem autem cognationem ex proposito vnusquisque per fidem sibi acquirit. Voluntaria enim est obauditio, per quam quicumque voluerit voluntatem Patris facere, efficitur filius Dei & frater Christi.* Hæc ille.

Voluntas humana ad diuinam aptata quomodo dignetur animas cognatione Christi.

Ex SS. Patribvs.

Chrys. hom. 45. in Matth.

Qua ratione queat quisque fieri frater Christi.

Auctor operis imperf. hom. 30. in Matth.

Vt se Deo Patre satum ostenderet Christus, homines Deo addictos pluris fecit, quàm cognatos: namque parentela mentium præstantior est, quàm corporum. Fauet Hilarius versans illum locum: *Quia totum istud in paterna maiestatis virtute loqueretur, nuntianti sibi quod foris a matre atque a fratribus expectaretur, manum in discipulos extendens, eos sibi fratres esse matrémque respondit: quicumque voluntati paternæ obsecutus esset, eum esse & fratrem, & sororem, & matrem: formam scipsum vniuersis agendi sentiendique constituens,*

Hilarius Canone 12.

conſtituens, propinquitatum omnium ius atque nomen, iam non conditione naſcendi, ſed de Eccleſia communione retinendum. Adiice Ambroſiũ compendioſè ſuum huc calculum afferentem. Sic ille: *Nec iniurioſè refutantur parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe, quàm corporum.* Itaque voluntas humana compoſita ad amuſſim voluntatis Dei, dignatur hominem dignitate fratris & matris Chriſti; eo ſcilicet ſenſu, quem meminit Gregorius ille Magnus, ſic enucleans textum iſtum: *Fideles quidem diſcipulos, fratres nominare dignatus eſt Dominus, dicens: Ite, nuntiate fratribus meis: qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuit; quærendum eſt, quomodo etiam poſſit eſſe mater. Sed ſciendum nobis eſt; quia qui Chriſti frater vel ſoror eſt in credendo, mater efficitur prædicando: quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infundit; & mater eius efficitur, ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.*

Ambroſ. in cap. 8. Luc.

Greg. hom. in Euang.

MORALIS EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT ſunt propoſitiones diſcuſſæ moraliter.

I. Acceſſerunt ad IESVM Scribæ & Phariſæi, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis.

II. Generatio mala & adultera ſignum quærit.

III. Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, &c.

IV. Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, &c.

SENSVS MORALIS IN QVO ENVCLEANDO ludunt omnes ſcientiæ.

I. Iniquitas nulla eſt adeò opaca & craſſa, quæ non ementita bonitatis ſpeciem geſtiat induere, vt faciendo fucos obuiis illudat oculis. Ne igitur incautis hypocritæ imponant, ſignum de cælo datum eſt, cuius obſequio diſcernuntur diſcipuli Chriſti: cæleſte ſignum eſt gratia Dei, cælitus influens in animas congruè defæcatas.

II. Hoc ſigno inconſulto nihil auſpicandum eſt homini de ſalute ſua ſollicito: namque caligo tanta ſe offudit hominum rebus, vt ſingulis quibuſque negotiis impar homo, vbique cæcutiat, ac proinde nutante veſtigio incedat ſemper, niſi cælitus adiuuetur.

III. Vt fiat homo compos huiuſce ſalutaris ſigni, debet ſe componere in habitum Ionæ Prophetæ, qui piſcis immanis alto pectore concluſus mundo mortuus triduo fuit, & poſtea rediuiuus cautior effectus ſe effinxit totum ad arbitrium Dei. Ita anima anhelans ad gratiam, quæ excidit, ſi de meliori fruge cogitat, neceſſe eſt vt hunc Ionæ typum pro viribus aſſequatur: id eſt, operæpretium eſt, vt caro moriatur, occiſa gladiò pœnitentiæ; quippe mortificatio appetitus ſenſitiui indubium eſt argumentum & teſſera animæ pœnitentis.

IV. Quæ nacta beatum reducis gratiæ ſtatum, nullo planè madet humore noxio, ſed inaqueſa eſt, & arida, nuſquam dæmoni placitura. Ille nimirum genius eſt diaboli qui vermium & ſerpentum, quorum ebulliens ſcaturigo locis humentibus gaudet. Vnde anima voluptate deſudans, ſtratum ei congruum eſt: vt & ſecus procul abeſt ab anima arente, quæ terſit omnem colluuiem; ſiquidem obſequio huiuſce repurgij, talis animæ cultor eſt neſcia vitiorum.

SENSVS MORALIS.

Gratia est signum de cœlo, probans nos perfectos esse Christi discipulos.

In hæc verba:

Magister volumus à te signum videre.

SECTIO PRIMA.

Ex Theologia, et ex SS. Patribvs.

Omnibus hoc sectis olim commune fuit, affingere sibi nomen Philosophi cuius dogmata sequebantur. Et ne nominis tantùm vmbra hominibus illuderet, singulis quibusque Philosophis hæc vna fuit cura præcipua; scilicet suos proceres imitari. Vnde hoc sibi indixere pensum, vt suos componerent mores ex præscripto Philosophi cuius sectatores erant. Christus Dominus desiderauit hunc zelum in Iudæis gloriantibus se patrem habere Abraham: *Si* (inquit) *filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et secus à Deo Rechabitæ laudati sunt, quia constanti animo nusquam præteriere dogmata sibi à patre suo congruè præstituta. Ecce elogium à Ieremia pronuntiatum Deo dictante. *Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus:* Quisquis itaque volet probare, se esse discipulum Christi, is se accingat ad praxim mandatorum eius, iuxta Domini eiusdem sententiam: *Si quis* (inquit) *diligit me, sermonem meum seruabit.* Quia autem mandata à Christo indicta ardua sunt, & eis impar est anima citra gratiæ Dei obsequium, appositè dixi gratiam esse signum de cœlo, probans nos perfectos esse Christi discipulos.

Ioan. 8. Constantia Rechabitarũ laudata à Deo. *Ierem. 35.* *Ioan. 14.*

Christianum institutum præterire vires animæ, res est indubia Theologis, qui duplicem hominis sortem attendunt; vnam iniquam, alteram æquiorem. Prima est, in quam incurrimus Adami deliquio: altera est, qua gestiit Adam sibi benè conscius, stipatus originali iustitia. Dicitur iste status naturæ integræ, qua stante potuit homo Deum diligere super omnia sine superadditione gratuiti doni, vt loquitur Angelicus Doctor, licet non absque auxilio Dei mouentis; quia homo vigente eo statu potuit virtute suæ naturæ operari bonum, quod est sibi connaturale. Diligere autem Deum super omnia, est quiddam connaturale homini, imò & cuilibet creaturæ, non solùm rationali, sed irrationali, & etiam inanimatæ, secundùm modum amoris, qui vnicuique congruus est: etenim vnicuique naturale est, appetere, & amare aliquid, secundùm quod aptum natum est esse, vt Aristoteles ait. Est autem in confesso apud omnes, bonum partis velificari bono totius: vnde naturali appetitu, vel amore, singula quæque anhelant in bonum suum proprium, intuitu boni totius vniuersi, quod est Deus. Hinc Dionysio assertore, Deus conuertit omnia ad amorem suipsius. Superstite igitur integra hominis sorte, dilectionem suipsius homo referebat ad amorem Dei sicut ad finem; vt & dilectionem omnium aliarum rerum in eum scopum dirigebat, sicque Deum diligebat plusquàm seipsum, & super omnia. Sed vbi natura est passa deliquium, homo deuiauit ab eo recto fine; & hæc corruptela ita inualuit, vt voluntas propendeat in bonum priuatum, incuriâ boni totius vniuersi, nisi illapsu gratiæ sospitetur.

Ex Theologia. Duplex hominum status; scilicet naturæ corruptæ, & naturę integrę. *Thom. 1. 2. qu. 109 art. 3.* *Arist. lib. 2. Phys. tex. 78.* Omnes creaturæ collimant ad bonum vniuersi, quod est Deus. *Dionys. lib. de diuin. nom. part. 4. cap. 4.*

Ex præfatis liquet, Euangelij disciplinam sitam in amore Dei super omnia, non posse obseruari sine influxu gratiæ, quæ vt animæ insedit, illa potest exhibere signum de cœlo; quia non deorsum sed desursum gratia deriuatur. Si quis ergo se. iactat discipulum Christi, is prodat signum de cœlo; id est, edat is opera consona disciplinæ, quam ventilat: egregia specimina prodat actionum Christi: est namque gratia fœta virtutibus, vt & virtuti deest decor suus, si est gratia destituta. Præco verbi Dei, hoc vti par est ingere de pulpito; scilicet homines frustra vsurpare nomen Christianum, si expertes sint gratiæ Christi, quæ sola potest facere nobis peruios calles mandatorum Christi, qui sunt inuij hominibus gratiæ nescijs, qui ideò frustra tentant adimplere legem sine gratiæ sanantis auxilio, quo duntaxat præstito diuinitus homo potest viuere Christianè.

Gratia Dei est tessera discipulorũ Christi. Frustra quis tentat sine gratia obseruare mandata Dei.

Accipe Sanctum Augustinum vadem huiusce veritatis: quam ille sic adstruit: *Factores legis iustificabuntur, vt sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi iustificentur, vt non iustificatio factoribus accedat, sed vt factores legis iustificatio præcedat. Si enim ita loqueremur, vt diceremus, homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur, eis qui iam homines essent accedere liberationem: si autem diceremus, homines creabuntur, non vtique intelligeretur eos creari, qui iam homines erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset, factores legis honorabuntur, non rectè acciperemus, nisi honorem illis, qui iam essent factores legis, accidere: cùm verò dictum est, factores legis iustificabuntur, quid aliud dictum est, quàm iusti iustificabuntur? factores enim legis vtique iusti sunt. Ac per hoc tantumdem est, ac si diceretur, factores legis creabuntur, non quia erant, sed vt sint.* Hactenus Augustinus, eruditè probans, hominem non iustificari, quia legi morem gessit; sed secus hominem legi morem gerere, quia beneficio gratiæ iustus effectus est.

Ex SS. Patribvs. *Aug. lib. de spiritu & litera c. 26.* Beneficio gratiæ Dei mandata possunt obseruari.

Rursus ille recolens ausus hominum, insinuat esse adeò imbecilles, vt sine gratia Dei nulli sint ad opera supernaturalia, qualia sunt illa, ad quæ nos sollicitat sacra Christi Domini disciplina. Sic ille: *Valde remota est à sensibus carnis schola, in qua Pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Cùm igitur Euangelium prædicatur, quosdam credere, quosdam non credere: sed qui credunt prædicatore forinsecus sonante, intus à Patre audire, & discere: qui autem non credunt, foris audire, intus non audire, neque discere, hoc est, illis dari vt credant, illis non dari.* Quasi diceret, fideles homines esse tantùm gratiæ Dei obsequio, quam qui respuunt, illi sunt iugiter infideles

August. lib. de prædest. Sanctor. c. 8. Quidquid homo facit egregium & perfectum, illud opus est gratiæ Dei.

infideles. Homo nimirum impos est, ad assequendam praxim vitæ Christianæ, nisi signo cœlitus edito vegetetur. Accedit Gregorius eodem afflatus spiritu veritatis. Ille incidens in verba Christi dicentis Spiritum Sanctum nos docturum omnia, sic commentatur: *Nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo Doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat, &c. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia? nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter monet.*

Greg. hom. 30. in Euang.

Ad hoc gratiæ signum influens de cœlo esse referenda præclara quæque facinora, luculenter ait Lucas, enarrans quomodo Lydia purpuraria mulier annuit Paulo prædicanti, vnde & initiata fuit fidei mysteriis. Sic ille: *Huius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo.* Non defuere Catholici hallucinantes in eo argumento, arbitrantes solo naturæ conamine hominem posse quæpiam facinora ardua perpetrare. In his Prosper Aquitanus acriter inuehitur in Collatorem, id est in Cassianum, virum alioquin doctrinæ singularis, sed nimium tribuentem viribus humanis. Dixerat ille, virum sanctum Iob, vt erat indolis ingenuæ, huius naturæ beneficio irrita fecisse diaboli conamina, & gloriosam de illo spiritu nefario victoriam Marte proprio reportasse. Hanc erroneam sententiam ita carpit Prosper. *Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet, nisi quæ in colluctationibus domesticis sæpè defensa sunt, etiam scripta legerentur.* Paulò post zelo fidei orthodoxæ percitus in Cassianum, sic acuit stylum suum, acriter incandescens: *Cur inuictissima veritatis arce desertâ, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris.* Tandem concludit, victoriam Iob fuisse facinus arduum, ac proinde opus gratiæ, & non solius naturæ negotium, vt Cassianus deuius arbitratur. Ecce censuræ epilogum: *Si ergo hac magnitudine animi, quam illata per singulos, omnésque artus, tot mortium pœna non superat, nihil inter Sanctorum palmas memorabilius, nihil inuenitur illustrius, eámque asseris ex humana tantum virtute subsistere; quid erit laudis & meriti, quod inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti?* Quasi diceret, neminem posse tutò procedere ad bellum contra dæmones, nisi signum propitium cœlitus affulserit.

Act. 16.

Iob non propriis naturæ viribus sed gratiæ singularis auxilio diabolum vicit.

Prosper. lib. in Collatorem cap. 33.

cap. 34.

* * *

SENSVS MORALIS.

Nihil omnino auspicandum inconsultâ gratiâ, quæ est signum de cœlo valdè propitium.

In hæc verba:

Generatio mala & adultera signum quærit.

SECTIO SECVNDA.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM ET EX SS. PATRIBVS.

NOcte opaca suam diffundente caliginem, homines sese in sua tabernacula recipiunt, præstolantes reducis Solis ortum, vt cœpto operi incumbant, eius cœlesti lumine recreati. Ita & homo expertus vitio Adami tenebras, quas peccata offundunt, suo redditus ergastulo, id est, proprio derelictus arbitrio, nihil insigne potuit exerere citra beneficium gratiæ cœlitus affulgentis. Vnde homine meditante perarduum opus, & mendicante gratiæ Dei illapsum desuper, fas est ita declamare in iniquam eius sortem: *Generatio mala & adultera signum quærit.* Id est, infelix Adami prosapia, adultera matre sata est, scilicet Euâ, quæ cordis sui thalamo diabolum excepit, & hoc cacodæmone afflata, virus eius effudit in sobolem suam, ideo nactam generationis malæ & adulteræ titulum infelicem. Eâ iniquâ aspergine conspurcata matris adulteræ progenies altè cæcutiit: nempe caligine permeante cordis humani penitiores quosque recessus, & præualente ignorantiâ, hominibus omnia nigricarunt. Et quia rationis humanæ lumen exiguum pertingere non potuit ad res superioris ordinis; operæpretium fuit edi cœlitus aliquod signum, quo illustratus homo in eis quæ ad salutem pertinent minimè cæcutiret. Huiusmodi signum est gratia, qua excidit homo, quondam illa instructus: namque citra Dei auxilium singulare, homo velut impos nequit vllum operosum facinus exanclare.

Quare cæcutiit [illegible] misera progenies.

Inde effluxere ritus familiares plerisque Gentibus, consulendi oracula in re facessitante negotium. Namque populi omnes suspicati quidpiam diuinum in oraculis, credidere suis rebus abundè consuli, si ad nutum oraculi alicuius omnia perpetrarent. In his primas occupant Hebræi, quorum præfecti Moyses & Aaron præcipua Gentis suæ negotia concludebant ad arbitrium Dei, quem ad portam tabernaculi consulebant. Huius moris inoliti Moysi Scriptura sic meminit: *Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.* Imò longè vetustior Moyse fuit illa praxis vsurpata à Rebecca fœta gemellis Esau & Iacob. Quid egerit illa distracta ancipiti cura, audi ex Codice sacro. *Perrexit vt cõsuleret Dominũ. Qui respondẽs, ait: Duæ*

Quare plerǽque Gentes oracula cõsuluerint. EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Num. 7.

Antiquus fuit ritus consulendi oracula.

Genes. 25.

Duæ gentes sunt in vtero tuo, &c. Vbi terra promissionis cessit in ius Hebræorum, celeberrimum atque veridicum fuit oraculum in Silo, quo inconsulto nihil omnino perarduum tentabat populus Hebræorum. Vnde cùm tribus omnes iurassent in caput vnicæ tribus Beniamin, belli illius summam detulere ad dictamen oraculi. Ita textus sacer.

Iudic. 20.

Surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo: consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus respondit Dominus: Iudas sit dux vester. Nonne & Dauid diuino assuetus oraculo, dubiis rebus cauit, vt videre est hoc contextu?

2. Reg. 21.

Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & consuluit Dauid oraculum Domini. Dixitque Dominus: propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas.

Græci gestiere diu suo Delphico oraculo, nec fuit Gens adeò peregrina, quæ Deos non consuluerit in re aliqua facessente negotium. Sufficeret his adiicere impræsentiarum, Romanos ab auium volatu vario Dei arbitrium priscis sæculis indagasse, & id iuxta morem plurium nationum. Ethnica nimirum sæcula prisca, nimis credula, arbitrata sunt aues habere aliquod cum Deo commercium, ac proinde volucres nobis ingerere scita Dei. Itaque duas auium classes constituit superstitiosa antiquitas, vnde petuntur auguria: Alias dixit oscines, quia ore canoro sua dant auguria: aliàs alites seu præpetes, quia volatu præsagiunt.

Aues aliæ oscines, aliæ præpetes, obseruatæ ad auguria.

Cicero lib. 2. de natura Deor.

De his ita fatur Cicero: *Aues quasdam & alites, & oscines, vt nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus.* Rursus ille subodorans quidpiam diuinum in auibus, sic concludit:

Cic. lib. 1. de diuinat.

Eadem efficit in auibus diuina mens, vt tum huc, tum illuc volent alites, tum à dextra, tum à sinistra parte canant oscines.

Plin. lib. 10. cap. 19.

Hanc & distinctionem auium Plinius abundè recolit, vt & Virgilius hoc versu,

Virgil. 3. Æneid.

> *Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.*

Cùm igitur aliquid arduum voluerunt veteres adoriri, crediderunt esse suarum partium, precibus aues demerere, vt testatur Horatianum illud

Horat. lib. 3. Ode 27.

> *Oscinem coruum prece suscitabo*
> *Solis ab ortu.*

Bubo auis pessimi ominis.

Plin. l. 10. cap. 12.

Occinens bubo Deum auersum denotabat, ideò Plinius ait lustratam Romam, quia Capitolij cellam subiit bubo. Fuisse hanc auem inauspicatam, & mali ominis auctor est Statius, hisce carminibus,

Statius lib. 3. Thebaid.

> *------ Dira strident in nube volucres,*
> *Nocturnaque gemunt striges, & feralia bubo*
> *Dira canens.*

His adiice calculum Ouidij, exosi hoc pessimum alitum genus.

Ouid. lib. 5. Metamorph.

> *Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus*
> *Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.*

Bubo præsagit mortem Commodi.

Lampridius in Comm.

Hoc lethale præsagium expertus est Commodus Imperator, auctore Lampridio: bubo nimirum cubiculo eius insidens fuit illi mortis ingloriæ prænuntius.

Aquila fuit auis fausti ominis.

Sueton. in Vitellio c. 9.

At secus aquilæ volatus à dextera parte bono fuit omini, vt testatur Suetonius, ita fatus: *Prætermisso agmine latum euenit auspicium; siquidem à parte dextera repente aquila deuolauit: lustratisque signis: ingressos viam sensim antecessit.* Meminere Liuius & Dionysius aquilæ, cuius auspiciis Tarquinius inauguratus est Rex Romanorum, qui vt Græcorum simiæ, hunc auium cultum à Græcia mendicarunt.

Liuius 1. Decade l. 1.

Dion. lib. 3.

Homer. lib. 2. Odyss.

Ibi Aristander aquilæ augurio victoriam Alexandro portendit. Et Alitherssa senex apud Homerum reditum Vlyssis, & procorum interitum inaugurator, aquilæ volatu altè meditato. Item & Priamus admonitus ab Hecuba Iouem orat, vt decernat aquilam, cuius volatu propitio, concipiat spem victoriæ de Græcis reportandæ. Sic orat Rex grandæuus.

Priami Regis oratio ad Iouem.

Homer. lib. 24. Iliad.

> Πέμψον δ' οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον, ὅς τέ σοι αὐτῷ
> φίλτατος οἰωνῶν, καί ὑ κράτος ἐστὶ μέγιστον.
> *Mitte autem alitem velocem nuncium, qui tibi ipsi*
> *Dilectissimus inter alites, & cuius fortitudo est maxima.*

Aues fuerūt Arabum oracula.

Philost. l. 1. c. 14. in vita Appolonij.

Philostratus ait percelebrem fuisse in Arabia ritum illum. Sic ille: *Arabes ab auibus, non secus atque ab oraculis, eorum quæ ventura sunt auguria captant.* Nominatissimi Cares etiam fuere ex Plinio, in hac arte diuinandi ab alitum voce, & volatu, vt & Thebani edocti à Tiresia Thebano, quem auctorem huiusce moris Plinius arbitratur.

Tiresias auctor augurorum ex auium conspectu.

Plin lib. 7. cap. 56.

Præter Arabes, & Cares, Cicero commemorat Phryges, Cilibes, Pamphilios, & Piscides, vt valde addictos his obseruationibus auium. Tacitus in re antiqua versatissimus vult Myram seu Thamyram Cilicia accitam, artem hanc aruspicum in templum Paphiæ Veneris intulisse, quàm benè cesserint multis talia auguria videre est apud plerosque veteres, vt apud Xenophontem, & Ciceronem, qui Deiotarum Regem ait salutem suam debuisse aquilæ. Quam veraces fuerint aquilæ in pugna Crotonensium & Locrensium, Iustinus aperit. Sunt & alia exempla apud Appianum, Ælianum, Diodorum Siculum, & Valerium Maximum, quibus adiice Homerum, Plinium, Plutarchum, atque Suetonium, omnes tibi fideliter in margine recensitos, vt si spatiari lubet in hoc spatioso auium campo, hinc habeas discurrendi locuples argumentum.

Xenophon l. 2. Cyropædia.

Cicer. l. 1. de diuin.

Iustin. l. 20.

Appian. l. 4. bellor ciuil.

Ælian. de natura animal l. 13. c. ...

Diod. Sic. l. 16. c. 6.

Val. Max. l. 1. c. 4.

Homer. l. 15. & 20. Od.

Plin. l. 15. c. 13. & l. 25. c. 5.

Plut. in Dion. Mar. Bruto. Tim.

Suet. in Galba c. 1. & in Vesp. c. 5.

Illa omnium ferè nationum cura anxia captandi Dei nutum ex auium placito, satis superque probat, omnes gentes petiisse signa de cœlo, vtpote conscias suæ infirmitatis, cui vt consulerent, fundebant preces antelucanas, vt suprà memini. Ille ritus olim orbe toto patens, apprimè suggillat pessimos, & impios homines duntaxat nomine Christianos, qui suis viribus freti, se sibi putant sufficere ad salutem suam. Nempe genio indulgent valetudine integra, pœnitentiæ suæ summam refundentes in supremum vitæ agonem, arbitrati esse humanum negotium, conciliare sibi Deum sine vlla gratia cœlitus influente. O generatio peruersa & adultera! signum quære, vtique de cœlo. Gratiam Dei supplex efflagita, ne æternùm eius inopiâ cum reprobis ad tartara demergaris. Habeat delira antiquitas suas aues oscines, & præpetes, quas consulat vt interpretes diuini consilij: fides Christiana nobis potiores suppeditat alites, scilicet Angelos, quorum susurro seu interiore afflatu fiunt animæ cautiores. Quid Angelos loquor: nonne Ecclesia acta superno flamine Deum rogat, per Christum Dominum nostrum, qui mediator Dei & hominum factus, causa fuit meritoria gratiæ, quam generatio nostra mala & adultera desuper emendicat. Si delectant aquilarum auguria, Christus dicitur aquila prouocans ad volan-

Angeli sunt alites Dei, quorum susurro discit anima diuinum consilium.

Adhibendū Christi præsidium, vt confidenter adeamus Deum Patrem. ...

signa congrua, procurare. Profectò inde mali labes, iuxta Chrysologi eloquium: *Quid de malo queritur, qui sibi prospera non precatur.* Video plerosque abire in stuporem, eò quòd hodie Christianus orbis suas quasi meditans exequias, in seipsum perditè desæuiat, furente bello, grassante lue, & fame multa hominum millia depascente. In his non moueor, vt nescius causæ ærumnarum: nimirum malorum omnium summa hæc est: rari sunt qui Deum consulunt, & multi qui proprio Marte suo credunt virtuti operam dare: quasi verò virtutum praxis esset solius humani arbitrij negotium. Hinc fit vt maledicta terra in opere suo, nihil nisi spinas & tribulos germinet, vnde emergunt tot noxiæ punctiones. Id est, homo suo derelictus arbitrio, suæ confisus industriæ, deuius per abrupta rapitur virtutis inops, & innumeris propè vitiis irretitus.

Quare flagella Dei desæuiant in homines.

Salomon opportunè occurrit illi dementiæ ita fatus: *Scius quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* At Deus gratiarum suarum stipendia hominibus non impertit affluenter, nisi ab homine crebris precibus vrgeatur. Omne donum optimum esse desuper abundè clamat Augustinus, hoc effato: *Cum Apostolus ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur: Vellem, inquit, omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. Vbi satis ostendit, non tantum continentiam donum Dei esse, sed coniugatorum etiam castitatem.* Eò etiam collimat ista Papæ Cœlestini I. sententia: *Nemo etiam baptismatis gratia renouatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium, perseuerantiam bonæ conuersationis accipiat.* Cùm ergo irreconciliabile bellum dæmonis cum homine nullas habeat inducias, ac proinde vetet hostis clam per cuniculos agat, captata occasione fomitis ad peccandum, & palàm nos feriat sensuum illecebris; nemo sibi cauere potest, nisi Deo iugiter influente. Vnde quia plerique suæ salutis incurij Deo inconsulto viuunt, quasi proprio conamine queant colluctari cum vitiis; experiuntur se impares huic palæstræ, & turpiter à dæmone prosternuntur.

Sapient. 8. Omnia virtutum dona à Deo sunt.

Ex SS. PATRIBVS. Aug. l. de bono perseuer. cap. 14. Cœlestin. I. epist. 2. ad Episcop. Gall. cap. 6.

Crebra hominum deliquia ob Deum inconsultum probat hoc effatum Philosophi: *In repentinis, actio fit ex præexistente habitu.* Nempe homo totus in peccatis natus, tot stipatur iniquis habitibus, quot reprobis motibus agitur in malum. Tantáque est varietas æstuum, quibus vrgetur homo in malum, & adeò iniqua soboles inde emergens, vt operosum sit negotium, eius vitia recensere. Et quia recrudescunt improbi habitus repetitis actibus; homo genio indulgens copiam sui facit vitiis omnibus, quæ altas radices agunt in appetitu sensitiuo, vnde voluntatem sollicitant vt hominem totum rapiat ad consensum, quando ex improuiso quidpiam illicitum ei deforis affricatur. Ne igitur iniquo præexistente habitu homo propendeat ad assensum, quem multifariam prouitat Angelus ille nequam; duo præstet. Primum oratione iugi conciliet sibi Deum, vt eius præsidio frangatur impetus hostis acerbi, & crebris ictibus importuni. Alterum est homini cautè prouidendum: scilicet vt virtuti incumbat pro viribus, vt praui habitus inoliti contrariis actibus expungantur. Vt namque laudabilis habitus sufficiatur in locum habitus inglorij, extirpandi sunt surculi iniqui, & potiores in anima conserendi. Etenim stat illud Aristotelis eloquium: *Similes actus, similes generant habitus.*

Ex PHILOSOPHIA. Arist. l. 3. Ethic. c. 8.

Quomodo & quare homines sint faciles ad assensum vitiorum. Quomodo praui hominum habitus corrigi debeant. Arist. l. 2. Ethic. c. 1. & 2.

O homo quid querulus causaris te generatione mala satum, ac proinde impotem ad illa virtutis edenda specimina? Tua hæc querela non patrocinatur vitio, cui turpiter assuescis: imò erroris incrementum clamat; quia cùm sis generatio mala & adultera signum non petis de cælo, id est, non satagis demerere Deum precibus idoneis, vt in gratiam vitæ tersioris tibi desuper illabatur. Signum pete Eliæ concessum, scilicet ignem de cælo, ignem inquam amoris, vt eo conflagrante in penitiore recessu cordis tui, vitiorum omnium humor noxius absumatur. Si arridet aliud Samuelis signum, quo cælo sereno intonuit: penes te est & hoc efflagitare prodigium, quo profectò dignaberis, si non detrectet Deus salutari inspiratione tuis auribus insonare. Vt litare queas, accipe preces tuo intento congruas, futurásque Deo gratas; has scilicet, quas in simili argumento Augustinus sæpius vsurpauit,

Quænam sint à Deo petẽda signa de cœlo.

O vtinam qui Augustino suppar extitisti in fœtida vitiorum colluuie, eumdem iam reducem assequaris. Fies fortè voti compos Deum sic affando: *Da mihi Deus, vt amem te semper, quantùm volo, & quantùm debeo, vt tu solus sis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies, sine cessatione, te sentiam per saporem, in nocte te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine sancta visionis tua illustretur cor meum, vt te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandémque videam te Deum Deorum in Sion: nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, vbi cognoscam te, sicut & cognitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Rogo itaque te Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum saxeum & ferreum tua sacratissima & potenti vnctione, & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam viuam fieri.* Hactenus Augustinus, qui dum recoleret libidinis incendia, quibus olim turpiter exarserat, vt hanc tartaream fornacem extingueret, sacris à Deo petit amoris ignibus inardere. Arridet & Hieronymo familiare signum de cælo: nempe is sibi hoc quotidianum pensum indixerat: scilicet iudicij extremi tonitrua & fragores recolere, vt inde sibi caueret. Ad meliorem frugem, vt te recipias, Christiane, opto tuis hunc fragorem semper auribus immugire.

Oratio idonea ad amorem Dei consitus obtinendum. Ex SS. PATRIBVS. Aug. l. meditat. c. 35.

Iudicij extremi meditatio familiaris Hieronymo.

* * *

impos assurgere ad superna: ast vbi pœnitentiæ gladio salutari peremptus est, confestim SVMPSIT EX FVNERE VIRES: siquidem vegetior anima ex deliquio carnis, incipit decurrere virtutis calles inuios sibi hactenus, & id reuera indubium est gratiæ reducis argumentum.

Ex SS. PATRIBVS.

Peccati natura est incrassare animas.

Origen. hom. 1. in Psal. 38.

Hunc pœnitentiæ effectum opportunè Origenes insinuat ita fatus: *Talis est natura peccati, vt incrassset animam, sicut scriptum est: Incrassatum est cor populi huius. Sicut autem peccatum incrassescere facit; ita è contrario virtus subtilem animam reddit, omneque quod in eo corporeum est abstergit, & perimit, & purius eam incorpoream reddit. Quod autem crassescat, & vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo quod scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores, & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus praparet, docet: In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne quod est crassioris materiæ, quo circumdatur anima, vt extenuet & eliminet prudentiam carnis, & ita demum animam ad subtilem rerum cœlestium & inuisibilium reuocet intellectum.*

Pœnitentia detergit crassitiem animarum, quam caro inuexit.

Origenes vbi suprà. Ezech. 24.

Hanc suam sententiam Origenes adstruit testimonio Prophetæ Ezechielis, quem ille aptat pro suo arbitrio, ita commentatus: *Talia quædam inuenimus sub sacramento non minimo apud Ezechielem Prophetam designari, cùm in lebetem, vel cacabum carnes immitti dicuntur, & decoqui: & dicitur, quia cocta sunt, & detabuerunt, vel decoctæ sunt carnes, & excoctum est ius. Scripta sunt hæc iisdem sermonibus pro eo, quod lebetes, vel cacabos suscipient flammis succensi, in quos inijciemur nos, qui animas nostras incarnauimus, vel incrassauimus, si non prius, dum in hoc mundo sumus, preuenimus per pœnitentiam, vt tabescant carnes nostræ & crassitudo animæ nostræ ad subtilitatem deducatur araneæ. Si hinc, adhuc carnes fuerimus ingressi, & mittemur in illos cacabos, qui succenduntur lignis, vel fœno, vel stipula, id est, operibus nostris, quæ superposuerimus fundamento Christi.*

Virga vigilans & olla accensa quare simul sint apud Ieremiam.

Origenes hoc contextu fauet symbolo, quod affinxi pœnitentiæ, quam dixi sumere ex funere vires: dum namque detergitur anima fæcibus inductis contagio carnis, illa detersio facta pœnitentiæ obsequio carnem mactat, sicque anima carnis funere recreatur. Inde Ieremias virgam vidit, & ollam succensam ab Aquilone: quippe necesse est homines vitiis obnoxios, incolas Aquilonis, incidere in virgam pœnitentiæ, qua caro extinguitur, aut carnales damnari ad ollas, vbi luent pœnas igne inferni vindice sæuiente. Vidit ille Vates virgam vigilantem, quia dum pœnitentiæ virga stertentes cędit, hos excitat: vt enim peccantium est dormire; ita & est pœnitentis animæ vigilare. Huius generis est alia allegoria Origenis, rationem referentis, quare Isaias prophetarit in anno, quo Ozias Rex impius occubuit. Sic ille: *Erat Ozias peccator, & faciens malum ante conspectum Domini, &c. Talem igitur principem animæ oportet mori, vt visionem Dei videre possimus. Neque enim frustra scriptum est: Et factum est in anno, quo mortuus est Ozias Rex, vidi Dominum. Vnicuique nostrum viuit Ozias, siue Pharao, & non suspiramus, Ægyptia opera facientes. Si Ozias viuit, non videmus gloriam Dei; si autem moritur, tunc videmus statim gloriam Dei, hoc fit, vt regnet in nobis sermo eius, qui dixit: Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Miserabilis ille homo, in quo peccatum regnat, qui tali se tradidit Regi despiciens regnum Dei, & subiiciens se voluptati. Propterea voluptatis amator, non est amator Dei. De quibus Paulus dicit: Amantes voluptatem magis quàm Deum, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quando homo conuertitur ad Deum, & agit pœnitentiam, tunc moritur Ozias; & videtur Deus sedens in solio eleuato.* Hactenus Origenes allegoriarum amantissimus.

Orig. hom. 1. in c. 6. Isai.

Peccatum obstat ne Deo assuescamus.

Psal. 2.

Rom. 6.

Profectò nihil in hoc themate potest æstimatiùs dici, ad stabiliendam mei tituli veritatem, qua benè suada sollicito reprobos homines, vt audacter carnis iugulum petant, sicque melioris vitæ cupidi resipiscant.

SENSVS MORALIS.

Anima pœnitens & nescia noxij humoris importunum dæmonis respuit incolatum.

In hæc verba:

Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.

SECTIO QVARTA.

EX SANCTIS PATRIBVS, ET EX VTROQVE IVRE.

OMnia loca vligine, id est humore putido madida, sunt fœta bestiis corruptione satis, vt sunt serpentes, & buffones: cùm namque nutriantur omnia iisdem quibus constant, animalia hæc impura colluuiem amant vt sua incunabula. Scriptura sacra, tropis assueta, non deuiat ab hac obseruatione: nimirum vt nobis insinuet desertoris Angeli statum corruptum, nuncupat hunc draconem, volutabro assuetum, & locis humentibus, vt sunt laci & paludes. Eamobrem dicitur spiritus ille immundus inquies in locis aridis; quippe fœtido vitiorum humore exhausto, non est locus diabolo residendi. Deus apprimè callens spurcum dæmonis ingenium damnatum ad bestias æmulandas; Deus inquam probè sciens Angelum desertorem à defectione sua, pecudum animos induisse, vt peritus nomenclator congruum illi nomen affinxit vocans eum Behemot. Vox illa Hebræa est pluralis numeri: nam, בהמה *behema*, bestiam significat. Vnde pluralis numerus, בהמות *behemoth*, multas bestias significat, vel vnam quæ est nacta mores omnium belluarum. Sic à Deo describitur illud grande pecus: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet, &c. Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum salices torrentis.*

Dæmon delectatur locis humentibus, & quare.

Behemot quid significet.

Iob 40.

Angelus hic refuga fuit editus ad Dei gloriam capessendam; sed propriæ gloriæ velificans, factus est inglorius, & Deo ineffabili bono derelicto, conuersus in rabiem, horrendas de homine strages &c.

Dæmonis studia, occupationes & bellū describuntur egregio ænigmate.

stages edit: ideoque appositè dicitur comedere fœnum; quia omnis caro fœnum. Gaudet humentibus locis, vtpote idoneis ad omnia corrumpendum, illic enim stabulatur ebulliens scaturigo vermium, & serpentum. Id est, diabolus maximè in mundo gestit, vbi cuncta voluptate madent, & inanis gloriolæ calamo seu iunco virent.

Reprobi qua re dicantur vmbra diaboli.

In vmbra dormit ille apostata cum possidet animas conscias suæ nequitiæ. Vt namque typus vmbræ componitur ad habitum prototypi, cuius corpus insinuat, ita nefarij homines moribus impiis graphicè referunt ingenium diaboli.

Ex SS. Patribus. Greg. l. 33. Mor. c. 4.

Præluxit mihi in hac alea Gregorius sic decurrens: *Appellatione calami mentes sæcularium temporali gloria dedita designantur? Qui tantò apud semetipsos intus inanescunt, quantò alti & nitidi exterius ostenduntur: quia dum exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami intus sunt quidem per fatuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri: sed quantò ab eis exterior gloria studiosius quæritur, tantò eorum corda grauioribus cogitationum stimulis agitantur.*

Ambitio multis stimulis homines exagitat.

Vnde rectè nunc Behemoth iste in secreto calami dormire perhibetur: quia quorum studia ad appetitum temporalis nitoris, atque altitudinis commouet, eorum corda tenacius tenet, & quasi ipse ibi quietus dormit, vbi eos quos possidet, quiescere non permittit. Dum enim excedere cæteros bonorum altitudine ambiunt: dum more calami per nitorem exterioris munditiæ, iustorum speciem quasi solidarum arborum corticem vincunt: in hoc quòd ipsi interius vacui remanent: locum Behemoth isti, vbi apud se requiescere debeat, præbent.

Dixi, homines nequam esse genuinam dæmonum vmbram, quia peccatis indormiunt, & reprobis actibus ingerunt oculis ideam diaboli. Ecce rursus in ea sententia suffragium Gregorij.

Greg. l. 33. Moral. c. 5.

Vmbra sunt diaboli, omnes iniqui; qui dum imitationi iniquitatis eius inseruiunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem vmbra eius sunt pluraliter reprobi; ita singulariter vmbra eius est vnusquisque peccator. Sed dum doctrina iustorum mali contradicunt: dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt: vmbræ Behemoth istius, vmbram eius protegunt: quia peccatores quique in quo sibi malè sunt conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Vmbræ vmbram eius protegunt: dum nequissimorum facta, nequiores peruersis patrociniis tuentur.

Reprobi nolunt aliorum mores nequã corripi, & quare.

Quod hoc nimirum studio faciunt: ne dum culpa, in qua & ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quandoque veniatur. Se igitur tegunt, dum alios protegunt: quia suam vitam prauident impeti, vnde alios considerant, libera correctione confundi. Sicque fit vt summa criminum, dum defenditur, augeatur, & vniuscuiusque nequitia eò fit ad perpetrandum facilis, quò difficilis ad puniendum.

Impunitas patrona vitiorum.

Scelera quippe peccantium, tantò maiora incrementa percipiunt, quantò per defensionem potentum diu inulta tolerantur. Hactenus ille Præsul, suo penicillo adumbrans fœdam dæmonis imaginem, vt & cubile, quo quiescit Angelus ille nequam, dicens eum sectari loca quæ desudant, & amœno iunco virent, calamis opacata.

Dæmon nequit habitare in anima arenti & sicca.

Illa accurata descriptio loci humentis, vbi diabolus ad arbitrium suum iacet, satis superque notat, callidum hunc serpentem esse procul ab anima assueta virtuti, & nescia vitiorum. Nihil namque madet illic vligine, socia labis & peccati; imò secus aret hæc anima, beneficio æstuantis amoris Dei, humore iniquo penitus exsiccato. Accipe denuo Gregorium vt patronum meę sententiæ.

Greg. l. 33. Mor. c. 5.

Sic ille: *Quia fluxa fit terra, quæ infunditur; loca arentia atque inaquosa sunt corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Vnde hic quoque adhuc vbi Behemoth iste dormiat, necessariò demonstratur, cùm protinus subditur: In locis humentibus. Loca enim humentia, sunt terrenorum hominum mentes: quas humor carnalis concupiscentiæ, quia replet, fluidas facit. In quibus Behemoth iste iniquitatis suæ vestigia tantò altius imprimit, quantò in eiusdem mentibus pertransitus illius, quasi in fluxa terra descendit.*

Dæmon quare gestiat in locis humentibus.

Loca quippe humentia sunt opera voluptuosa. Pes quippe in arida terra non labitur: fixus verò in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitæ præsentis faciunt, qui in hac ad iustitiam rectè stare non possunt. In iis itaque locis humentibus Behemoth dormit: quia in reproborum hominum lubrica operatione requiescit, &c. Apertè locis humentibus luxuria designatur: vt & per calamum gloria superbia, & per loca humentia luxuria corporis exprimatur.

Dæmon homines omnes tenet irretitos vinculis superbiæ, aut luxuriæ.

Duo quippe hæc sunt vitia, quæ humano generi immaniter dominantur: vnũ videlicet spiritus, aliud carnis. Elatio namque spiritum erigit: luxuria carnem corrumpit. Antiquus itaque hostis humanum genus, vel per elationem præcipuè, vel per luxuriam premens, in secreto calami, atque in locis humentibus dormit: quia hominem damnatum, sub ditione suæ dominationis, aut per elationem spiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quosdam verò in vtroque possidet: quia cum eos superbia spiritus eleuat à tumore suæ altitudinis nec verecundia corruptionis inclinat. Hactenus ille Antistes, eruditè docẽs, quanã industria debeat homo cauere dæmonis incolatũ. Cùm enim loca humentia diabolis arrideant, si quis declinare velit hostem hunc acerbum, ille quantocyus humore noxio repurgetur.

Dauid arente animo Deum sibi conciliauit.

Ita sibi consuluit olim Dauid factus hospitium diaboli; vtpote sibi malè conscius, & obscœna libidine madens. Is largo fletuum profluuio exhausit omnem colluuiem animæ lubricantis: sicque arente animo tersior effectus Deum ita demeruit, vt testatur ipse hoc versu:

Psal. 62.

In terra deserta, & inuia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Anima inaquosa & arida, est deserta; quia diabolus eam deseruit pulsus igne amoris Dei, quo æstuante anima malè humida desiccatur.

Dæmon nequit inhabitare animam Deo sacratam.

Rursus anima hæc deserta, dicitur inuia, quia nulla via patet diabolo eiecto insinuandi se in diuersorium illud, vbi pro voto suo priùs placidè recubabat. Anima hæc inaquosa Deo apparet vt in Sancto, id est, in templo; etenim illa Dei templum est, vtpote Deo sacrata: proinde nequit dęmon illic fingere sibi domum.

Ex Ivre civili. Non licet priuato ædificare in loco sacro.

Vt namque iure Cæsareo cautum est, nemini priuato licet nouũ opus extruere in loco sacro. Prohibitũ autẽ opus est id, quod faciem loci mutat. Ecce legem. *Opus nouum facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat.*

Vlpian. l. 52. ad Edictum.

Ita Vlpianus, qui paragrapho primo huius legis vetat, in loco sacro & religioso quidpiam extrui à priuato. Et quia cuiusque interest, ne quis in propria irrepat; lex nullum omnino tempus excepit à noui operis nuntiatione, ne tacito domino,

mora

Seq. 1. §. 1. ff. De operis noui nuntiatione. Item §. 11. & §. 4. mora locum daret homini spatium vetitum vsurpanti. Ecce legem. *Item nuntiatio omnibus diebus fieri potest.* Si igitur vsurpator Angelus, vitiorum aspergine vliginosa tentat faciem animæ tuæ conspurcare; fortiter obsta, & occurre toties, quoties enitetur. Nulla momenta excipias, ne te incurio inuigilare tibi, reprobo humore desudet anima dæmoni mancipata, quo hospite denigratur animæ facies, super carbones, quæ Deo adstante fuit candidior niue, nitidior lacte, & ebore antiquo pulchrior, vt sacro codice comprobatur. Threnor 4.

Ex Iure canonico. Opportunè etiam Iure Canonico cautum, ne quidpiam pertinens ad Dei domum, quæ est Ecclesia, cedat in profanos vsus. Ecce Canonem Papæ Igini. *Ligna Ecclesia dedicata non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam: vel igni sunt comburenda, &c. In laicorum verò vsum non debent admitti.* Eiusdem generis est Canon editus à Clemente Papa. *Altaris palla, cathedra, candelabrum, velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, malè tractari: sed vniuersa incendio tradantur. Cineres quoque eorum in baptisterium inferantur: vbi nullus transitum habeat.* Ad te ô anima Deo sacra pertinet hoc decretum: nusquam esse debes iuris profani, nec in te debet induci sentina fœtida vitiorum: Tuæ sunt partes, conflagrare sacro amoris igne, quo tergitur humor ille parans diabolo stratum. Hoc namque ratum est, & constans: scilicet voluptate desudantes animas malè haberi à diabolis: vt & secus in confesso est, maleficos spiritus assuetos humentibus, longè ab aridis mentibus exulare.

Can. Ligna, De consecr. dist. 1.

Can. Altaris de Consecr. dist. 1. Clemens Papa epist. 2. Iacobo Ierosolymitano Episcopo.

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO EXPLICATO LITERALITER ET MORALITER.

EVANGELIVM

Sectum in tot numeros, quot controuersiæ agitantur.

Matth. 12. I. Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister volumus à te signum videre Qui respondens ait illis.

II. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.

III. Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

IV. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic, &c.

ORTHODOXA ET catholica expositio Euangelij, distributa in tot titulos, quot argumenta controuersiarum suppeditauit textus literalis.

I. Esto quibusque vitiis sua sit insita pernicies, caliginem animæ offundens; hoc singulare tamen dispendium adfert infidelitas, vt scilicet cæcitate feriat animam, quam affecit: nullis namque argumentis imò neque prodigiis inflectitur animus infidelis. Sed semper inquies signa petis sensibus obuia, licèt fides & oculi non coeant.

II. Aliis omninò signis anima fidelis & pœnitens suam fidem adstruit; contritione videlicet, confessione, & satisfactione; quibus vt partibus pœnitentia sarta tectáque coalescit.

III. Huius beneficio repurgata anima, nullas aliquando moras nectet in Purgatorio, seu alio quouis loco in terra intimo constituto.

IV. Ille nimirum alio repurgio non indiget, qui pœnitentia paritèr omnes vt par est confecit, indicendo sibi pœnas congruas illecebris, quibus fuit antea demientatus.

ELENCHVS ET RATIO controuersiarum, quibus proximum Euangelium ansam dedit.

Scribarum & Pharisæorum pertinax animus, dubia faciens omnia oracula Christi, genuinè refert nostrates hæreticos,

ticos, qui ad dogmata quæque Christiana, ſigna petunt, id eſt, vel miracula, aut textus explicitos in Scriptura. Vnde anſam arripio diſputandi:

I. An fides ſubiiciatur ſenſuum obſequio.

Licet ſigna exteriora fidem non adſtruant: tamen anima fidelis & pœnitēs luculenta argumenta promit ſuæ pœnitentiæ, tria præſtando, quæ ſigillatim enucleo, diſcutiens iſtam quæſtionem:

II. An pœnitentia coaleſcat contritione, confeſsione, & ſatisfactione.

Ionas abditus triduo in pectore ceti, viam ſtrauit ad præfatam controuerſiam; & Chriſtus prænuntians ſe triduo abdendum in corde terræ, ſuppeditat mentionem alterius diſcordiæ, quæ magnas excitauit tragœdias, Catholicis affirmantibus corde terræ notari Limbum, aut Purgatorium. Et hinc obſtringor ad tertium hoc quæſitum:

III. An ſit aliquod Purgatorium, expiandis animis inſtitutum.

Demum Chriſtus Dominus commemorans auſterã Niniuitarum pœnitentiam, qui ſuadẽte Iona crediderunt, & prædicauere ieiunium, liquidò dirimit litem, quam intentarunt æmuli noſtri, mentientes omnem pœnitentiæ ſummam eſſe ſitam in emendatione, ita vt pœnitere, ſit à vitio feriari. Hoc ego damno deliriũ, hoc themate propoſito:

IV. An ad rationẽ pœnitentia pertineat caſtigare corpus ieiuniis, aliiſq; conſonis anguſtiis.

SENSVS ORTHODOXVS.

An fides ſubiiciatur ſenſibus, & neceſſarium ſit oculorum obſequium ad adſtruendam fidem.

In hæc verba:

Magiſter volumus à te ſignum videre.

CONTROVERSIA I.

Rebecca typus fidei ſinceræ.

REbecca virgo eleganti ſpecie deſponſata viro ſibi inaſpecto, videlicet Iſaac, vltro petrexit ad ſponſum hunc ſtipata pediſſequis: vt autem audiit à ductore inſtare virum ſuum Iſaac, illa feſtina deſcendit de camelo, & operuit ſe pallio. Habitus ille pudibundæ virginis, ita illi conciliauit gratiam ſponſi, vt in huius amaſiæ amorem totus effuſus ſit. Ecce ex codice ſacro ſeriem hiſtoriæ. *Iſaac egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die; cumque eleuaſſet oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo, & ait ad puerum: Quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum nobis? Dixitque ei: Ipſe eſt Dominus meus. At illa tollens citò pallium operuit ſe. Seruus autem cuncta quæ geſſerat, narrauit Iſaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem: & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.* Hoc contextu anima à Deo deſponſatur in fide: nimirum anima velut pallio operit ſe, audiens ea quæ Dei ſunt, corporeis interdicens oculis aſpectu, vtpote cœlitus erudita. Vt enim inclinata die ſponſus venit in occurſum amaſiæ ſuæ; ita & Deus, quaſi ſerò, id eſt, ſubobſcurè ſuis fidelibus innoteſcit. Namque fides vt detractat oculorum obſequium; aliquid opacum vehit, & humanis ratiunculis inuium, quantumuis homo deſudet ad adſtruendam fidem ſuam validis argumentis.

Geneſ. 24.
Rebecca quo habitu ad ſponſum ſuũ acceſſerit.
Fides non oculorum obſequium.

Hinc emerſit illa locuples diſtinctio ſcientiæ, & fidei; quòd ſcientia vult videre, id eſt, cognoſcere priuſquàm ſuum præbeat aſſenſum; fides verò ſecus, antequam videat, aſſentitur. Hoc conſcio Pſalte liquet; is enim ita hortatur: *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Præcentor ille ſacer præmiſit guſtum, id eſt, animæ aſſenſum; deinde viſum ſubiecit: credere namque oportet antequam cognoſcere, vt eleganter ait Ambroſius, ſic decurrens: *Cùm principium verborum Dei veritas, vtique fidei fundamentum eſt. Primùm etenim oportet vt credamus, vera eſſe Dei ſummi, quæ in Scripturis legimus, oracula: ſecundum eſt, vt virtutem eorum pleniore cognitione diſcamus. Sicut enim initium ſapientiæ timor Domini; ita plenitudo ſapientiæ dilectio. Lex enim ſapientia; plenitudo autem legis dilectio: ita plenitudo verborum Dei, ſapientia cognitióque iuſtitiæ. Namque ſicut à timore Domini proceſſus quidam eſt ad gratiam charitatis; ita à veritate ad iudicium iuſtitiæ diuinæ quidam videtur fieri proceſſus. Veniſti ad Eccleſiam, audiſti vnum Deum dici. Vnde lex incipit, ſicut habes ſcriptum: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Crede vnum Deum eſſe, non plures Deos. Cùm autem cœperis legere, Dominum Ieſum Dei Filium in carne veniſſe propter totius mundi redemptionem; diſtingue ſapienter, vnum Deum Patrem eſſe ex quo omnia, & vnum Dominum Ieſum per quem omnia. Cognoſce, quia ideò venit, vt virtutis ſemitis noſtros informet actus, vt morum manſuetudinem, conuerſationis eius diſceremus exemplo, vt aboleretur culpa per gratiam; & tunc à veritatis cõfeſſione ad cognitionem iuſtitiæ proceſſiſti.*

Fidei & ſcientiæ quænam differẽtia ſit.
Pſal. 33.
Ex SS. PATRIBVS.
Ambr. in Pſal. 118 litera 20. verſ. 8.
Fides primò credit, deinde cognoſcit.
Chriſtus ſuo exemplo venit informare mores hominum.

Vides hoc diſcurſu, in his quæ fidei ſunt aſſenſum eſſe veluti præambulonẽm, & cognitionem pediſſequam, vt ille rurſus inſinuat ita fatus: *Verba humanæ ſapientiæ hunc ſenſum non vident, neque literaturæ ſtudiis apprehenditur, ſed per fidem ſpiritali ratione concipitur: dicente Iſaia Propheta: Niſi credideritis, neque intelligetis.* Sunt itaque ſugillandi noſtrates hæretici, qui viſionem volunt eſſe obſtetricem fidei ſuæ: quaſi verò fides pendeat ab oculis, vt Scribæ & Phariſæi quondam perfidè delirarunt. Animales illi homines, poſt defectionem ſuam ab Eccleſia, nihil niſi ſenſuale meditantes, pecudum inſtar, fidei etiam ſuæ ſummam ſenſuum obſequio deuouerunt. Pergit Ambroſius, ſpicula velut intorquens in æmulos noſtros. *Euangelium animis noſtris loquitur ſpiritualia, excitans illos ad cognitionem ſui creatoris: ſpiritalibus ſpiritalia comparantes. Hoc eſt eis, qui mundanam prudentiam refutant, ſpiritalem efficaciam tradere, quæ myſterio fidei continetur ad illuminandos ſenſus beneuolorum hominum. Credentes enim, quæ mundi ſapientia ſtulta iudicat, ſpiritales ſunt. Animalis autẽ homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia*

Ambr. in 1. Cor. cap. 11.
Fides hæreticorum eſt animalis tota inſenſibus.
Ambroſ. ibid.

stultitia enim est illi. Pecoribus enim similis, sensum suum in terram deprimit: ideoque non assequitur nisi quæ videt: nec putat aliquid aliter posse fieri, quàm quomodo scit. Ideo quicquid aliter audit quàm nouit, stultitiam indicat. Nihil enim æstimat posse fieri sine commistione. Vnde ridet audiens Filium genuisse Deum, quem scit simplicem, & incorporeum; & virginem peperisse; & resoluta corpora rursum reuocari ad vitam, cùm hæc magis ad laudem Dei proficiant, vt credatur fecisse, cuius operis ratio inuestigari non possit. Deus enim est, qui fecit. Imbecillitas enim humana stultum putat, quod scientia sua non concludit, cùm hoc magis deberet habere, & illud prudens: quod quia Dei factum dicitur, comprehendi non potest. Et non potest scire, quoniam spiritualiter diiudicatur. Humanam traditionem sequentes, dum vnius Dei fidem abnegãt, spiritualiter factum est, quòd ratione carnis inflati, putant fieri non posse: & sic reprobi annotati, spiritualiter condẽnati sunt. Hactenus Ambrosius

Fides suo assensu altè de Deo sentit.

Fides hæreticorum indignè de Deo sentit.

Ne incurram in repetita, consule supà Euangelium feriæ quintæ cinerum, & reuolue controuersias illic agitatas circa fidẽ Centurionis, & inde rescies abundè, quid sit fides, & penes quid præcipuè donum illud infusũ cœlitus attendatur.

SENSVS ORTHODOXVS.

An pœnitentia coalescat tribus hisce partibus, scilicet contritione, confessione, & satisfactione.

In hæc verba:

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.

CONTROVERSIA II.

PRÆFATIO.

An pœnitentia sit sacramentum.

Pœnitentia est sacramẽtum ex ipsis conditionibus quas hæretici petunt vt sit sacramentum.

AD gloriam victoriæ reportatæ à Dauide de Goliath, homine spurio & iniurio Domino Deo Israël, pertinet aduertere, ipsum Dauidem pugilem, qui agebat partes Dei, andagonistam suum proprio eius gladio confodisse. Volo & ego adsciscí in partem huius gloriæ, dirimens istam controuersiam de pœnitentia, quam hæretici infitiantur esse sacramentum. Nempe animo meo insedit, appendere pœnitentiam ad trutinam illã seu definitionem, quam hæretici de industria inuexerunt, vt numerum sacramentorum quæ recolit Ecclesia decurtarent. Itaque traducendi sunt duo errorum principes atque antesignani, Caluinus & Kemnitius, vt eorum definitione accepta, hanc pœnitentiam esse sacramentum, veluti lapide Lydio comprobemus. Vt diabolus est serpens, qui in gyros & spiras se inflectit, vt illudat; ita hæresis hoc callido parte sata gaudet voluulis & implexu, vt disputando circumueniat homines imprudentes. Nactus illud ingenium Kemnitius, vt Catholicis imponeret, & sacramento pœnitentiæ fidẽ detraheret, commentus est octo conditiones necessarias, vt res aliqua gestiat titulo sacramenti. Non cunctabor eis adaptare pœnitentiã vt inuitis etiã hæreticis, illa cẽseatur in sacramentorũ classe.

Hæretici omnes fraudulenti.

Kemnitius 2. part. exam. Concil. Trid. pag. 41.

Prima conditio assignata à Kemnitio est, vt adsit externum ac sensibile symbolum: huic intento non deest Ecclesia; quippe profert signum externum sensibus obuium: videlicet has voces gratiæ tesseras influentis: *Absoluo te ab omnibus peccatis tuis.* Secunda conditio, qua nos vrget æmulus ille procax, est vt symbolum illud sensibile Deo auctore prostet, nec sit tantùm humanis artibus institutum. Nec hic aleam refugit Ecclesia, vtpote congruis munita præsidiis: Christus enim remissionis signum instituit, ita suos affatus discipulos: *Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis.* Tertia, vt tessera assignata sacro testamenti noui codice recolatur: & hæc quadrat conditio signo memorato; siquidem potestas remittendi peccata, explicata signo sensibili, à Ioanne recolitur. Quarta, vt ritus ille à Deo institutus sit perpetuus, & minimè fugax: est hæc conditio propitia pœnitentiæ, quæ ab incunabulis Ecclesiæ viguit, neque deficiet, stante semper in Ecclesia potestate crimina diluendi.

Ioan. 20.

Sacramentũ quibus conditionibus coalescat ex mente hæreticorum.

Quinta, vt liqueat de promissione gratiæ. Sexta, vt gratia illic recensita pertineat ad iustificationem. Septima, vt promissio gratiæ annexa sit signo externo. Præsto adsumus hisce tribus conditionibus, quibus abundè occurritur prælibatã Christi sententiã: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nempe tenor verborum Christi pertinet ad gratiam promissam, non qualemcumque, sed iustificantem, quæ excipit remissionem peccatorum, factam obsequio absolutionis, quæ signo externo atque sensibili deforis explicatur. Vnde liquet tres conditiones illas proximè recensitas non deesse pœnitentiæ. Octaua demum conditio est, vt promissio illa gratiæ non ad omnes in genere pertineat, sed etiam singula quæque capita complectatur. Illa porrò conditione insignis est pœnitentia. Vox namque: *Quorum remiseritis peccata,* spectat ad singula quæque indiuidua, quæ peccarunt: nam actiones sunt suppositorum; sicque Kemnitius causã cadit, suis ipse spiculis impetitus.

Audiendus & Caluinus sacramentum ita definiens: *Sacramentum est externum symbolum quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines testamur.* Satis superque probaui pœnitentiæ symbolum extrinsecum situm in vocibus his: *Absoluo te, &c.* Constitit etiã de promissione gratiæ: nimirum remissio peccatorum clamat gratiæ influxum. Sacramenti finis ille, qui Caluino interprete decernitur: videlicet ad sustinendam fidem, & pietatem testandam, ipso pœnitentiæ symbolo congruè designatur. Quisquis enim audit in sacramento pœnitentiæ se solutum vinculis peccatorum, is vegetior atque alacrior factus, fidei & spei magnum accipit incrementum.

Sacramenti definitio ex Caluino. *Calu. l. 4. instit. c. 14. §. 1.*

Singulæ cõditiones requisitæ ad sacramentũ probantur inesse pœnitentiæ.

Vt liquidior sit Catholica sententia, eruderanda sunt vetera monumenta Ecclesiæ, & consulenda sanctiorum Patrum oracula, vt singulæ quæque partes sacramenti pœnitentiæ eorum calculis adstruantur. Prior occurrit Clemens Apostolorum discipulus, & Petri in Sede Apostolica consors. Sic ille meminit ministrũ sacramẽti huius, & gratiæ influxũ. *Tu Episcope sic indica vt Deus: Domini enim est iudicium. Itaque primùm potestate fretus, reum condemna: deinde cum misericordia, & commiseratione, & susceptione allice, promissa ei salute, si mores mutes, & peccatorum pœniteat. Pœnitentem verò castigando recipe, memor*

Ex SS. PATRIBVS.

Clemens l. 2. constitut. Apostolic. cap. 13.

Domini, cùm dixit: Gaudium esse in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Profectò illa absolutio cadens in hominem pœnitentem est ipso Clemente conscio sacramentum. Illa nimirum recolit signum sensibile, ministrum, & gratiam. Accipe & alium Sanctum magni nominis, in ipsis etiam Ecclesiæ incunabulis; scilicet Ignatium ita fatum: *Obsecro vos. quotquot pœnitentia ducti fuerint ad vnitatem Ecclesiæ, recipite illos cum omni mansuetudine, vt per bonitatem & patientiam vestram resipiscentes, ex diaboli laqueis, digni iam Christo facti, salutem consequantur æternam in regno Christi.* Fidem verò radicari beneficio pœnitentiæ, ait Clemens ille Alexandrinus hoc contextu: *Iis, qui vocati sunt, proponitur pœnitentia, expurgans locum animæ à peccatis, vt fides fundetur.*

Ignatius ep. ad Philadelphienses.

Clemens Alex. l. 2. Stromatum.

Chrysostomus alludens ad gratiam, quæ influit in animas obsequio pœnitentiæ, cuius proprium pensum est crimina relaxare, multus est in encomiis huius sacramenti. Sic ille: *O pœnitentia, quæ peccatum miserante Deo remittis, & paradisum reseras: quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras, vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, & reformas vires, gratiamque abundantiorem refundis. O pœnitentia, quid de te noui referam? Omnia tu ligata soluis, omnia soluta reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior Sole, &c. O pœnitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos soluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos.*

Chrysost. ser. de pœnit.

Pœnitentiæ luculẽta encomia.

Præstat audire Tertullianum longa serie texentem encomia huius sacramenti, quo Deus occurrit insidiis Angeli desertoris, iniquè ferentis hominem suffectum esse in locum, quo excidit, propria superbia dementatus. Ita Tertullianus: *Pertinacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit. Atqui tunc maximè sæuit, cùm hominem plenè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ retro erasos. Dolet, quòd ipsum & Angelos eius, Christi seruus ille peccator iudicaturus est. Itaque obseruat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena eius prouidens Deus, clausâ licet ignoscentiæ ianuâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundò: sed amplius nunquam, quia proximè frustra. Non enim & hoc semel satis est? Habes quod iam non merebaris, amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, vnde restituas quod amiseras: iterato beneficio gratus esto, &c. Verùm non statim succidendus ac subruendus animus est desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus; sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari; sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iterata valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes.* Hæc ille.

Tertull. l. de pœnitent. cap. 7.

Diaboli industria & conatus vt animam conuertiam rursus circumueniat.

Verba illa pertinent ad pœnitentiam vt est sacramentum, cuius est animas reduces conciliare Deo. Cyprianus in eo argumento liquidior est, vtpote recolens in pœnitentia sacerdotem & confessionem, vt ministrum, & materiam sacramenti. Sic ille: *Si inuenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus, atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors & pius est, per sacerdotes eius pacem posse concedi: admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest: qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, in Ecclesiam debent interim suscipi.* Rursus ille contritionem commemorat & absolutionem in argumẽto pœnitentiæ, vt partes necessarias huius sacramenti. Ecce Cyprianum denuo decurrentem. *Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiscat: si ad veniam delicti sui, Dominum iustis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, qui & misericordiam suam protulit, dicens: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluaberis, &c. Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint sacerdotes.* Contritio, confessio, satisfactio, & minister sacramenti hac Cypriani sententia congruè recensentur.

Cypr. epist. 52. ad Antonian.

Pœnitentia nemini deneganda.

Cyprian. de lapsis.

Pœnitentiæ efficacia singularis.

Consonat Ambrosius in gratiam pœnitentiæ, quam citra ambages dictionum probat esse sacramentum, conferens illam cum Baptismo. Accipe oraculum, quo Nouatores acriter increpat. *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo vtique remissio omnium peccatorum est. Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent? Vnum in vtroque ministerium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Vbi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam? vbi vultis, repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est, vt fastidio vobis sint, qui volunt agere pœnitentiam. Perpeti videlicet flentium lacrymas non potestis. Non ferunt oculi vestri vilia vestimentorum, illuuiem sordidatorum, superbo oculo, & tumido corde delicati mei, arroganti voce dicentes singuli: Noli me tangere, quia mundus sum.* Meminit ille ministros sacramenti, & eius obsequio gratiam cœlitus influentem.

Ambros. l. 1. de pœnitentia cap. 7.

Nouatiani negarunt efficaciã pœnitentiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

De contritione, vt est prima pars pœnitentiæ.

SAcri epithalamij sponsus amore flagrans, quem amasiæ singularis decor accenderat, aliqua prodens argumenta sui incendij sic affatur sponsam: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Inde subodoror elegantiam animæ coalescere ex duobus, quorum vnum deforis emicat, alterum est inuium oculis

Cant. 4.

Animæ elegantia coalescit ex duobus.

oculis hominum. Cùm itaque pœnitens anima conscia sit gratiæ, quæ sola fomes est amoris, quo sponsus ille sacer exæstuat, anima redux stipari debet ornamentis, quæ recolit eius amasius, commemorans externum quidpiam, & internum. Oculos columbarum obseruo in pœnitente loto lacrymis, vnde feruidus eius amor deforis explicatur. Intrinsecus verò, contritio perfectionem suam omnimodam nacta, potens est ad amorem Christi Domini prouocandum. Contritio illa dicitur prima pars pœnitentiæ materialiter sumptæ. Quia enim pœnitentia sacramentum est, constare debet materia & forma. Forma attenditur penes illa verba: *Absoluo te, &c.* Materia duplex est; vna remota, altera proxima. Materia remota est ea circa quam operatur sacramentum, vt homo & peccata. Materia proxima, est ex qua coeunte cum forma, exurgit sacramentum. Materiam hanc proximam dicimus esse actus pœnitentis constitutos in triplici differentia, scilicet contritione, confessione, satisfactione.

Pœnitentiæ forma, quænam sit.

Pœnitentiæ materia duplex, vna remota altera proxima.

De hac principe materiali parte pœnitentiæ fusiùs egi suprà in controuersiis Euangelij de iudicio extremo feria secunda Dominicæ primæ Quadragesimæ. Illic habes definitionem Concilij Tridentini hoc tenore. *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Sacra synodus datâ operâ & maturè discutiens illam materiam, totam illam concludit septem capitibus, in quæ iurare debent omnes orthodoxi. Primum est, contritionem esse dolorem animi, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secundum, contritionem lapsis fuisse semper necessariam ad veniam demerendam. Tertium, contritionem post Baptismum debere sociari fiduciæ misericordiæ Dei, & habere votum annexum præstandi cætera, quæ ad sacramentum pœnitentiæ requiruntur. Quartum, contritionem charitate formatam reconciliare hominem antequam actu sacramentum percipiatur. Quintum, contritionem imperfectam, quæ nuncupatur attritio, concepta intuitu gehennæ, si peccandi affectum eliminet, esse donum Spiritus Sancti, viam sternens ad iustificationem. Sextum, attritionem sine reali sacramenti perceptione non posse per se initiare sacris gratiæ dotibus hominem pœnitentem. Septimum, contritionem non esse coactam, & extortam, sed liberam, & voluntariam. Conclusiones illæ septem extirpant varias hæreses, quæ fecere fucos hominibus, quos incautos à necessariis pœnitentiæ ritibus auerterunt.

Conc. Trid. sess. 14. ca. 4.

Contritio quid sit.

Contritionis doctrina tota septem capitibus concluditur.

In hoc themate recolenda est solennis illa distinctio contritionis perfectæ, & imperfectæ, id est, attritionis: siquidem prima iustificat cum voto sacramenti; altera verò secus realis ipsius est indiga sacramenti. De hac attritione consule me suprà loco prælibato: etenim iam res est tantùm de contritione nota etiam priscis sæculis Hebræorum. Namque licet pœnitentia non esset illo tempore sacramentum; contritio tamen stipata charitate, gratiæ infulis homines insigniuit. Locupletes in eo argumento textus hos accipe. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Psaltes hoc suaue melos Moysis approbat hoc concentu: *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Gratiæ influxum excipere hunc dolorem intrinsecum conceptum sicuti par est, probat Isaias, Deum sic referens: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Ille propitius Dei aspectus, gratiæ illapsum insinuat.

Contritionis virtus etiam Iudæis innotuit.

Deuter. 4.

Psalm 33.

Psalm. 50.

Isai. 66.

Vltro suum suffragium Scripturæ sacræ subiiciunt Sancti proceres Ecclesiæ. In his prior occurrit Clemens, maximè conscius intenti Apostolorum, quorum consuetudine aliàs vtebatur. Sic ille: *Acriùs intendendum est, vt dum est temporis spatium, collecta malæ consuetudinis vitia recenseantur. Quod non aliter facere poteritis, nisi vt irascamini quodammodo aduersum vosmetipsos pro iis quæ inutiliter gessistis, ac turpiter. Hæc enim est iusta ac necessaria iracundia, qua vnusquisque in iis, quibus errauit, & perperam gessit, indignatur, & semetipsum incusat: ex qua indignatione accenditur in nobis quidam ignis, qui velut agro sterili immissus, consumptis & excoctis radicibus pessimæ voluntatis, bono semini verbi Dei fœcundiorem parat glebam.*

Contritionis mira virtus.

Ex SS. Patribus. Clemens l. 6. Recognit.

Concilio Nicæno cautum est, contritionem agnitam à Præsule debere detrahere pœnis, quæ diluendis iniquis actibus imponuntur. Ecce Canon. *Ab omnibus illud præcipuè obseruetur, vt animus eorum, & propositum, vel species pœnitentiæ attendatur. Quicumque enim cum omni timore, & lacrymis perseuerantibus, & operibus bonis conuersationem suam demonstrant, licebit Episcopo humanius aliquid circa eos cogitare.* Quasi diceret, esse incongruum duriore flagro excipere vt seruum transfugam, eum, qui beneficio contritionis in filiorum Dei numero recensetur. Opportunus adest Gregorius Nyssenus ita fatus: *Dominus non vult mortem peccatoris, sed expectat, vt resipiscat, & eò fit, vt ne illi quidem, qui priorem gratiam contumeliosius abiecerunt, merito afficiantur supplicio: sed à posteriore misericordia prior excipiatur, & obliuio cum venia coniungatur, vt lacrymarum effusio lauacri vim habeat, gemitusque reducat gratiam, quæ paulisper recesserat.*

Conc. Nic. canon. 11. Contritio præcipuam pœnitentiæ partem facit.

Greg. Nyss. hom. ad eos qui durius alios iudicant.

Adeò locuples est gratiarum seges, quæ demetitur falce contritionis, vt illa sola sortiatur titulum pœnitentiæ, vt videre est eo textu Chrysostomi: *Pretiosus est, fratres charissimi, pœnitentiæ fructus, quia quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lacrymæ congeriem peccatorum. Quàm pretiosæ lacrymæ, quæ extergunt culpam, & exigunt veniam! Profuit Petro verè ista amaritudo: quoniam quicquid in eo delicti tabidum fuit, ferramento pœnitentiæ resecauit.* Paucis Hilarius concludit prouentum gratiarum, quem contritio refundit in horrea nostra. Sic ille: *Hæc pœnitentiæ vox est, lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.*

Chrys. serm. 2. de prodit.

Hilar. in Psalm. 118. Pœnitentiæ quænam sit vox.

Augustinus certitudinem pœnitentiæ reponit penes hunc dolorem annexum amori Dei. Et hinc oritur magna salutis fiducia, vt si quando

do desit copia sacerdotis à confessionibus, nemo desperandi aliquod capiat argumentum, cùm Deo miserante queat vnusquisque dolere de peccatis, aut saltem orare vt Deus ingerat hunc dolorem, vt ipse Augustinus edocuit hoc tenore: *Pœnitentiam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccaui, quia nullus hominum sine peccato est. Da. Domine misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permouere non potuit diuturnitas peccantis peccatoris. Dic illi in fletu cordis. Aspice infelicem pietas immensa: respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro.*

Aug. serm. 3. de natali Domini.

Contritionis necessitas.

Inutilem esse confessionem peccatorum ait Gregorius ille Magnus, nisi annexam habeat illam partem, quam recolo, id est contritionem. Sic ille: *Qui culpas suas detestans loquitur, restat vt has in amaritudine animæ loquatur: vt hac ipsa amaritudo puniat, quicquid lingua per mentis iudicium accusat. Sciendum verò est, quia ex pœna pœnitentia, quam sibi mens irrogat, aliquatenus securitatem percipit, atque ad interrogationem superni iudicis fidentior exurgit, vt semetipsum subtiliùs inueniat, & erga se quæque quomodo disponantur agnoscat.* Cùm itaque Patres omnes conspirent in astruenda hac parte pœnitentiæ, & tantùm ei tribuant; non possum non mirari deliria hæreticorum, qui totius suæ salutis summam reponunt penes fidem, seu fiduciam in misericordia Dei, quasi inutilis sit ille dolor de peccatis, à sancto Patrum agmine commendatus.

Greg. lib. 9. Moral. c. 24.

SENSVS ORTHODOXVS.

De confessione vt est secunda pars pœnitentiæ.

Egregia figura delinean- contritionem & confessionem. Cant. 4.

NE quis hallucinandi ansam arriperet ex eo quod Sponsa Canticorum pulchra dicitur absque eo quod intrinsecus latet, & crederet inde totum pœnitentiæ negotium esse penes contritionem, seu dolorem intimum, qui penitiore cordis ergastulo concluditur; sacer amatus quasi occurrens illi incommodo, vbi suam sponsam sic affatus est: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Paulò post subiicit voces istas confessionis indices: *Sicut vitta coccinea, labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Esto leuioris armaturæ sint allegoriæ ad probandum intentum contra hæreticos; non ideo tamen sunt penitus aspernandæ, & præcipuè quando non assumuntur vt probent, sed vt orationis seriem auspicentur. Huius generis erit prælibatus à me textus, quo genuinè species animæ pœnitentis ingeritur: illa nimirum instar columbæ gemebunda sua retroacta commemorans, pudore genas suas tingit, & confessione accedente rubor ille diffunditur, & instar vittæ coccineæ labia purpurascunt.

Hæretici confessionis aliqualem idcircò seruant.

Quia hæreticis frons effecta meretricis exuit ruborem omnem, idcirco respuunt confessionem illam, quæ colorem hunc virtutis inducit. Nolo hîc spatiari tantùm, quantùm rei dignitas exigeret: integro namque volumine potest adstrui veritas confessionis, frustra secus impura hæreticorum colluuie reclamante. Proteruos homines vno aut altero telo sauciasse satis erit, & id morte tenus, ne importuna moles huiusce Tomi turgeat nimiis argumentis. Primò hoc est prænotandum, hæreticos aduertisse quidem necessitatem confessionis ex contextu Euangelij, sed negasse eam esse iuris diuini, vt sic eius vsum relinquerent arbitrio hominum impiorum. Ne salutaris ille ritus abesse videatur ab eorum conuenticulis, inuexere simulacrum aliquod confessionis, quo gloriatur Kemnitius ita fatus: *Priuata confessionis vsus apud nos seruatur, vt generali professione peccati, & significatione pœnitentiæ petatur absolutio. Cumque non sine iudicio vsurpanda sit clauis, vel soluens, vel ligans; in priuato illo colloquio Pastores explorant auditorum iudicia.* Viget & hodie apud sectarios vmbratilis ille ritus confitendi, quo fucata confessione decipiunt homines imperitos. Quid namque spei concipere possunt hæretici ex illa confessione, quam Caluinus ipse negat esse Iuris diuini, sic blasphemans: *Miror, qua fronte ausint contendere, confessionem de qua loquuntur, Iuris esse diuini: cuius equidem vetustissimum esse vsum fatemur, sed quem facilè euincere possumus olim fuisse liberum.* Deinde virus suum spargens, abundè furit in hoc sacramentum. Ecce spiculum intortum ab homine debacchante: *Nihil mirum, si auricularem istam confessionem, rem adeò pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam è medio cupimus.*

Kemnit 2. part. Exam. c. 5. de pœnitentia.

Caluin. l. 3. instit. cap. 4. §. 7.

Idem §. 19.

Confessionis necessitas adstruitur.

O delirum hominem! damnat Christi Domini institutum, annuente tota Ecclesia receptum omnibus sæculis, & sacro codice consignatum. Ecce argumentum in gratiam confessionis, cuius solutio fatigauit omnes hæreticos, adhuc perperam in illo opere desudantes. Quisquis lethali crimine saucius, malè sibi conscius est, ille Iure diuino obstringitur, pœnitentiam agere & reconciliari Deo, vt ipse Dominus assertor est hoc effato. *Si non pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Sed medium necessarium ad reconciliationem cum Deo post Baptismum, est cófessio peccatorum omnium facta congruo sacerdoti, penes quem Christus reposuit potestatem ligandi & soluendi. En diploma facultatis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vnde cùm sacerdos in eo tribunali pœnitentiæ iudicis partes agat, & iudex indicta causa non decernat sententiam, necesse est reum ingenuè suas recensere noxas, vt gaudeat beneficio absolutionis, quam sacerdos accepta potestate cœlitus impertitur. Eò spectat illud Isaiæ de confessione præscium eloquium. *Narra si quid habes, vt iustificeris.* Quas commenti sint interpretationes hæretici, vt se expedirent ab hoc argumento, tacitus prætereo, vt alium textum recolam, quo Nouatores etiam validè configuntur. Ille locus est Iacobi Apostoli: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Caluinus, & Beza agazo illius asini, explicant locum illum de offensis mutuis, quibus homines quandoque sibi iniurij sunt, vt fit nimium altercando. Sicque nolunt illam confessionem,

Luc. 13.

Ioan. 20.

Isai. 43.

Iacob. 5.

nenis, cuius meminit Apostolus, pertinere ad peccata in Deum, sed ad offensas hominum, quæ diluuntur quando quis æmulum suum conueniendo deprecatur eum humiliter; vt offensæ memoriam expungat, & fidem suam oppigneret se fore cautiorem in posterum.

Illa expositio iniqua, non malitiam tantùm, sed & ignorantiam prodit Bezæ, & illius antesignani. Græcus nimirum textus, ad quem prouocare solent hæretici, vt ad eius trutinam appendantur omnes controuersiæ, sic habet: Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα. Id est. *Confitemini alterutrum peccata.* Nota, vocem Græcam in Scripturis discernere inter offensam proximi, & peccatum quo Deus offenditur. Nempe peccatum in Deum dicitur παράπτωμα: & hæc vox nunquam occurrit vsurpata pro offensa proximi. Quodque litat veritati orthodoxæ; quotiescumque in nouo Testamento recolitur offensa seu offensio, Græca lectio adhibet voces, προσκόμμα, & προσκοπὴν, & numquam aliam dictionem, quæ vsurpatur à Iacobo. Vnde quia, παραπτώματα, vox est significans peccata in Deũ, incongrua est explicatio Nouatorum, à quibus veridicus Apostoli sensus aliò detorquetur. Hoc Iacobi præceptum pertinere ad confessionem sacramentalem Augustinus egregiè pronuntiat ita commentatus: *In omnibus Scripturis diuinis, fratres dilectissimi, vtiliter ac salubriter admonemur, vt peccata nostra debeamus iugiter, & humiliter, non solùm Deo, sed etiam Sanctis, & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum Apostolum nos admonet Spiritus Sanctus: Confitemini alterutrum peccata vestra.* Videant nunc sectarij, an deliria Caluini & Bezæ præponderare debeant oraculis Augustini.

Confessio validè probata ex linguis.

Ex SS. PATRIBVS. *Aug. homil. 12. lib. 50. homil.*

Confessionis vsus inolitus æuo Apostolorum.

Confessionis huius praxim perecelebrem fuisse Apostolorum æuo, Lucas abundè commemorat, hoc contextu: *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus suos.* Ad hunc ritum inolitum Catholicis, ab ipsis incunabulis Ecclesiæ alludit Cyprianus ista paræenesi. *Confiteantur singuli; quæso vos fratres, delictum suum; dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes, apud Dominum grata est.* Vt confessionis necessitatem eluderent hæretici, dixere sacerdotes non absoluere confitentes, sed declarare tantùm esse cœlitus absolutos, atque ita detrahi vim argumento, quo Catholici inuehunt necessitatem confitendi petitam à dignitate concessa sacerdoti, qui realiter absoluit, & ideo debet percipere auribus seriem & contextum actionum eius, quem absoluit. Hoc commentum hæreticorum multa Patrum auctoritate labat: vnum sufficiat conducere Chrysostomum ne sim Patribus importunus. Accipe itaque Præsulem illum, recolentem quantùm sacerdotes emineant, quibus potestas illa realiter est concessa absoluendi reos, & non tantùm declarandi eos esse desuper absolutos. Sic ille: *Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, & concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes non dicam purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Actor. 19.

Cyprian. de lapsis. Confessionis praxim inculcant Sancti.

Sacerdotibus data est potestas non iprobandi absolutos, sed reuera absoluendi.

Chrysost. li. 3. de sacerd.

Rursus ille perpendens pondus tantæ potestatis, totus effunditur in encomia sacerdotum, quos Deus ipsis etiam Angelis prætulit in illo negotio reconciliationis. Ecce facultatis elogium in gratiam sacerdotum. *Iis qui terram incolunt, atque in eo versantur, iis commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligaueritis in terra, &c. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem; verùm corporis solùm: id autem quod dico, sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos vsque peruadit, vsque adeò: vt quæcumque infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet.* Accedit & Gregorius, quasi me inuitò, sacerdotum enuntians dignitatem. *Principatum* (inquit) *superni iudicis sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* Irenæus ille Antistes, qui floruit prope Apostolorum æuum, meminit confessionem suo sæculo frequentatam: ille nimirum commemorans quasdam mulierculas à Marco hæretico constupratas, ait eas pœnitentes facti consuluisse sibi pharmaco confessionis. Ita Sanctus ille: *Hæ sæpissimè conuersæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, & secundùm corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & inflammatas, valdè se illum dilexisse.* De alia item incauta muliere passa stuprum mentionem faciens, hæc subiicit: *Cùm magno labore fratres eam conuertissent, omne tempus in exomologesi consummauit, plangens, & lamentans ob hanc quam passa est ab hoc mago corruptelam.*

Sacerdotalis potestatis pondus Angelis ipsis inconcessum.

Chrysost. ibidem.

Greg. hom. 26. in Eu.

Confessio frequentata primo sæculo.

Irenæus lib. 1. cap. 9. Ibidem.

Instabit æmulus infidelis, exomologesim significare pœnitentiam seu confessionem publicam, & non illam auricularem, quam Ecclesia Catholica hodie profitetur. Respondeo, esse promiscuum vsum vocis huius apud veteres, & pro vtraque confessione, publica scilicet & priuata, sæpius vsurpari. Tertulliano assertore mea liquet responsio: is nempe hanc vocem plerumque inducit, vt notet confessionem publicam: aliàs hanc adhibet vt confessio priuata, hac dictione vt congrua tessera designetur. Sic ille: *Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, qua delictum nostrum Domino confitemur.* Et ne quis suspicaretur confessionem seu exomologesim soli Deo fieri, & non homini, adiicit multos præ pudore tacitos interire. At neminem pudet soli Deo reserare suos actus, quantumuis nefarios. Accipe censuram eius: *Plerosque hoc opus vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi, in qui partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt, &c. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur: videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeone existimatio hominis, & Dei conscientia comparantur? an melius est damnatum latere, quàm palam absolui.* His præfatis, quæ adstruunt

Exomologesis quid propriè significet.

Tertullian. lib. de pœnit.

Pudor illa noxius est, qui præpedit linguam in confessione ne explicet crimina perpetrata.

necessitatem confessionis, non occurrit quid hæretici more canum possint vt assolent oblatrare.

SENSVS ORTHODOXVS.

De satisfactione, vt est tertia pars pœnitentiæ.

Satisfactionis necessitas.

VT sponsa Canticorum graphicè linearet ideam animæ pœnitentis, non oculos tantùm habuit largo fletuum imbre lotos, & genas pudibundo rubore purpureas, & labia coccinea, vt hac supellectile mystica denotaret contritionem atque confessionem, sed præterea manus habuit tornatiles, id est, ita compositas ad arbitrium sponsi, vt accincta fuerit semper ad eius libitum operari. Audi eius elogia: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacintis.* (Cant. 5.) Ille loquendi tropus significat opera, quibus satisfacere Deo nititur anima contrita & confessa. Namque parum esset dolere de peccatis, & ea confiteri, si deesset satisfactio, saltem in votis: nempe talis hiulca foret, & mutila pœnitentia, vtpote nequaquam suis omnibus numeris absoluta. Aduerte obiter, eos hallucinati, quibus animo insedit, satisfactionem & restitutionem esse voces synonymas in argumento pœnitentiæ: etenim restitutio rem spectat, & damnum reipsa illatum; satisfactio verò respicit personam iniuria affectam, licet nullum inde fuerit passa dispendium. Itaque restitutio in rebus, satisfactio in actionibus attenditur, vt cùm is, qui alteri fuit iniurius, ab eo veniam humili corporis habitu deprecatur.

Restitutio, & satisfactio, quomodo differant.

Satisfactio duplex.

Satisfactio resarcit iustitiam, quoad æqualitatem actionum, perfectam & absolutam, cùm actio ingloria inter duos homines æquales per aliam dissonam compensatur, qua tantùm honoris homini offenso defertur, quantùm iniuriæ fuerat irrogatum. Anima redux nequit eo modo satisfacere Deo: nihil quippe potest de suo penu Deo rependere, quo possit ad trutinam exquisitæ iustitiæ reparare iniuriam illato Domino dignitatis infinitæ. Alia est satisfactio, quæ importat æqualitatem imperfectam, vt cùm homo grauiter offensus acceptat obsequium alterius sibi antea iniurij, licet sit infra iniuriam acceptam. Illa satisfactio petita ab acceptatione & donatione locum habet in sacramento pœnitentiæ. Præterea vt sarta tectaque sit satisfactio, debet compensari inæqualitas iustitiæ, & amicitiæ: vt enim homo alterum lædens iustitiam simul & amicitiam violat; ita is, qui se accingit ad satisfactionem, debet eam stipare suis omnibus cautelis, atque adeò se aptare debet ad reparandas iustitiæ & amicitiæ ruinas. Fieri autem potest vt quis in gratiam alterius redeat, sed longo tempore indigeat ad iniuriam restaurandam.

Quænam satisfactio possit exhiberi Deo ab anima pœnitente.

In hoc themate notanda est ista conclusio: Pro instauranda amicitia cum Deo lethaliter offenso, nequeunt homines propriis viribus satisfacere, ideoque Deus illi liberaliter veniam impertitur, & pœnitentes adsciscit in numerum amicorum. Fieri quippe nequit, vt homo propio Marte suo satisfaciat de condigno pro culpa: siquidem illa clamat iniuriam infinitam. Homine reuocato gratis in gratiam, superest æqualitas iustitiæ restauranda: nam remissa culpa superest debitum pœnæ luendæ. Qui autem bonis vacat operibus, & à se congruas expetit pœnas, vt iustitiæ Dei congruum pensum reddat, is dicitur satisfacere. In his operibus, ea quæ laboriosa sunt, vt oratio, ieiunium, eleemosynæ, principem locum tenent, quia congruè illis occurritur pœnis, quæ manere solent crimina perpetrata.

Satisfactio non fit ab homine pro culpa de cōdigno, sed pro pœna.

Euangelio personante liquet, necessariam esse satisfactionem illam. Sic illic Dei Spiritus adhortatur: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* (Luc. 11.) Eiusdem generis est illa parænesis: *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* (Matth 3.) Qui sint fructus hi congrui, vt eorum obsequio, pœnitentiæ colophon imponatur, accipe à Gregorio, luculenter explicante locum illum. Is ita commentatur: *Aliud est facere fructum pœnitentiæ; aliud, dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, quòd quisquis illicita non commisit, huic iure conceditur vt licitis vtatur, sicque opera pietatis faciat, vt tamē si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationem, vel fortassis, quod grauius est, in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse.*

Qui sint fructus digni pœnitentiæ. Gregor. homil. 20. in Euang.

In eum etiam scopum collimat Chrysostomus, explicans qua ratione queant fieri salutares illi fructus pœnitentiæ, quos præfatus sum pertinere ad satisfactionem. Sic ille: *Quomodo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus: Verbi gratia: Aliena rapuisti? incipe iam donare propria: longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuiciis; & percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende: neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrumque compensa.* Non ergo gratis & incongruè Concilium Tridentinum tres partes pœnitentiæ assignauit; videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quibus vt ritè indictis, omnia sanctiorum Patrum oracula suffragantur.

Fructus pœnitentiæ quomodo in homine germinent. Chrys. hom. 10. in Matt.

Voluptatis illecebra suo dulcore obstringit animas ad carpendum fructus acerbos pœnitentiæ.

SENSVS ORTHODOXVS.

An sit aliquod Purgatorium expiandis animis institutum, postquam homines cessere fatis.

In hæc verba:

Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus.

CONTROVERSIA III.

IN portentis sacro codice recensitis, istud recolitur, & equidem singulare; scilicet ignem sanctum, & diuinis vsibus accensum, fuisse altè defossum, & quasi degenerem mutatum in aquam luteam, postquam Iudæi libertate (2. Mach.)

sua

Purgatoriũ adſtruentes textus ſcripturæ hæretici deprauarunt.

ſua turpiter exciderunt. Ignis ille extinctus argumentum fuit iræ Dei ſæuientis in Hebræos, ſed vbi ærumnis propè infinitis ſuas diluere noxas, & Deo miſerante reduces facti ſunt è Perſide Iudæi pœnitentes, aqua illa craſſa adhibita ſacrificio, & expoſita Soli rutilo, ſubitò exarſit, & abiit in ignem magnum. Ita & ſuperiore ſæculo, dum Lutherus, Caluinus, & eorum aſſeclæ à Ieroſolyma ſancta, id eſt ab Eccleſia, defecerunt, ignis Purgatorij apud multos extinctus eſt; clamantibus hæreticis, ignem hunc eſſe Papiſtarum commentum: ſicque eſt obliterata fides Purgatorij, cuius loco exundantes luteæ voluptatis aquæ animas reſperſère hominum Eccleſiæ deſertorum. Sed peracto Concilio Tridentino Sol fidei factus illuſtrior eduxit ignem Purgatorij, quem hæreſis abſconderat deprauando textus omnes Scripturæ vbi vindex illa flamma fuit credita ſcintillare.

Exempli gratiâ eſt verſus Euangelij, quod expendo orthodoxè: quod enim dixit Chriſtus ſe futurum in corde terræ, hæretici explicant de ſepulchro, ne cogantur admittere limbos, aut Purgatorium. Hebræa dictio, בלב *beleb*, ſignificat, *in medio*, vel, *in corde*; at ſepulchrum Chriſti non fuit in medio terræ depreſſum. Eadem nequitiæ aſpergine viriarunt locum illum Pauli recolentis deſcenſum Chriſti ad inferos: *Deſcendit in inferiores partes terræ.* Caluinus non tulit genuinum illum textum, ſed pro comparatiuo, adiecit poſitiuum: quaſi Paulus dixerit Chriſtum deſcendiſſe vel in terram, vel in ſepulchrum, ſed non in inferiores partes, quas explicat Eccleſia de tertio loco diſtincto ab inferno. Ecce textum Græcum: *Κατέβη εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς.* Id eſt, *deſcendit in inferiores partes terræ.* Eiuſdem delitij eſt deprauatio illa ſolennis verborum Petri, dicentis Chriſtum reſurrexiſſe ab inferis, iuxta prophetiam Pſaltis. Sic ille: *Prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno.* Peruicax hæreſeos ingenium vertit: *Anima eius non eſt derelicta in ſepulchro.* Et hoc contra fidem Græci textus, *ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου.* Id eſt. *Non eſt derelicta anima eius in inferno: εἰς ᾅδου,* non perinde eſt ac, *ἐν τάφῳ, in ſepulchro.*

Ephe ſ. 4.

Act. 2.

Limbis adfuit Chriſtus triduo mortis ſuæ.

Beza fatetur ſe vitiaſſe locum illum, vt declinaret fabulam Limbi, ſeu tertij loci in alio ſæculo conſtituti. Sed vide, Lector, ſit præferenda necne blaſphemia Bezæ ſententiis Sanctorum Patrum, qui defendunt hanc de Limbo fidem. Ita Sanctus Auguſtinus: *Quòd illa anima in infernum deſcenderit, Apoſtolica doctrina prædicat. Quandoquidem Beatus Petrus ad hanc rem teſtimonium de Pſalmis adhibet, vbi de ipſo prædictum eſſe demonſtrat: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Illud de anima dictum eſt, quia non eſt ibi derelicta, vnde tam citò remeauit. Iſtud de corpore, quod in ſepulchro corrumpi celeri reſurrectione non potuit.* Diceres Sanctum Auguſtinum propoſuiſſe ſibi Bezam, vt eum ſtylo ſuo configeret. Accipe & Summum Pontificem Leonem Magnum litem, hanc dirimentem ſicuti par eſt de Cathedra Petri. *Reſurrectio Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morari paſſa eſt in ſepulchro.* Accedit & Fulgentius ita fatus: *Carnē nec in morte diuinitas deſeruit ſicut nec in inferno animam dereliquit.* Non pigebit fortè audire Tertullianum procul ab explicatione Bezæ, qui ſepulchrum loco inferni ſubſtituit. Sic ille: *Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt, in receſſu intimo, & interno, & ex ipſa terra aperto, & intra ipſam clauſo, & inferioribus adhuc abyſſis ſubſtructo.*

Ex SS. Patribvs.

Aug. epiſt. 57. ad Dardanū.

Leo ſerm. de Reſurrect.

Fulgent. l. 3. ad Thraſim cap. 23.

Tertull. lib. de anima c. 31.

Eſt nunc adſtruenda fides ignis Purgatorij, idque auctoritate Chriſti, qui recolens blaſphemiam in Spiritum Sanctum, eam hac æterna cenſura damnat: *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ergo ſunt aliqua piacula, quæ ſuam rubiginem exuunt in illo ſæculo, vbi repurgans ignis plectit opera minimè caſtigata. Et id iuxta Pauli effatum: *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen, quaſi per ignem.* Hunc locum Auguſtinus ait pertinere ad eos, qui decedunt obnoxij reatibus, quos non pœnitentiæ congruis actibus expunxerunt. Ille liquidiùs adhuc ait, animas quæ torquentur ignibus illis eſſe recenſendas aliquando inter agmina Beatorum. *Tales* (inquit) *fideles conſtat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum ſpiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus æterni ſupplicij ignibus non tradendos.* Scintillare repurgantes flammas Sanctus Ambroſius ait præfato Pauli verſiculo, quem ille ſic expendit: *Cùm dicit: ſic tamen quaſi per ignem, oſtendit ſaluum quidem illum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, vt per ignem purgatus ſaluus fiat, & non ſicuti perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur.*

Ignis Purgatorij veritas adſtruitur. Matth. 12.

1. Cor. 3.

Aug. hom. 16. lib. 50. hom.

Idem l. 21. de ciu. Dei c. 24.

Ambroſ. in c. 3. epiſt. 1. ad Corinth.

Quòd ſi rationis eſſe poteſt compos hæreticus, non inficiabitur, multos morte repentina tolli de medio, quos pœnitentiæ abſolutæ lima non deterſit. Hinc infero, neceſſarium eſſe Purgatorium, ne quidpiam noxium & immundum ſubeat cœlos, quorum ſtipendia Deus defæcatis tantùm mentibus impertitur. Ad hanc rationem, & ad Pauli textum pertinet hoc Auguſtini effatum: *Si ædificarent aurum, argentum, lapides pretioſos, de vtroque igne ſecuri eſſent: non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalui erunt.* Locuples etiam argumentum in gratiam fidei noſtræ petitur à Scriptura ſacra, vbi luculenta mentio fit ignis huius, quo reliquiæ omnes peccatorum penitus emundantur. Ita fatur Malachias præſcius aduentus Chriſti, cui ſiſti debent omnes ſemel in momento mortis, & iterum in comitiis generalibus extremi iudicij. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius? quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum. Et erunt Domino offerentes ſacrificia, in iuſtitia.* Senſit Origenes hoc contextu æſtuare repurgantis ignis incendia, quorum veritati ſic litault: *Veniendum eſt ergo omnibus ad ignem, veniendum eſt ad conflatorium. Sedet enim Dominus & conflat, & purgat filios Iuda: ſed & illuc cum venerit ſi quis multa opera bona, & parum iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni reſoluitur, ac purgatur, & totum remanet aurum purum: ſi quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur: vt & ſi parum aliquid ſit auri purgatum, tamen reſideat.* Hactenus Origenes.

Purgatoriũ omnes peccati reliquias tergit.

Auguſt. in Pſalm. 37.

Purgatoriũ dicitur herba fullonum.

Malach. 3.

Origen. hom. 6. in Exod.

Hieronymus item non est cunctatus hunc Malachiæ locum appendere ad trutinam Ecclesiæ, decernentis inde locum singularem animis expiandis. Sic eruditus ille interpres Malachiam enucleat: *Ignis dicitur Dominus, & ignis consumens, vt ligna nostra, fœnum, stipulamque consumat: & non solùm ignis, sed & herba fullonum. Ipse his, qui peccant grauiter, ignis conflans est, atque consumens: iis autem, qui leuia peccata committunt, herba fullonum, vt totis munditiam restituat, secundùm illud, quod scriptum est in Isaia: Lauabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu iudicij, & spiritu combustionis. Qui sordes habent, spiritu iudicij indigent, vt lauentur: qui sanguine pleni sunt, spiritu combustionis.* Non ergo gratis & Scripturâ sacrâ inconsultâ credit Ecclesia esse Purgatorium. Rem fortè gratam fecero hæreticis, si dixero non esse Purgatorium. Assentior, & non diffiteor: ita est, ô hæretici, nulla vos Purgatorij flamma manet: nullum est Purgatorium vobis; sed vos æterna incendia castigabunt. Nullum planè Purgatorium vobis instructum est, quibus cœlorum aditus inuius est. Sed nobis Catholicis illa fornax est concessa, si supersint aliquæ reliquiæ criminum expungendæ.

Hieron. in c.3. Malach.

SENSVS ORTHODOXVS.

An ad rationem pœnitentiæ pertineat facessere corpori negotium laboriosis operibus, vt ieiuniis, &c.

In hæc verba:

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.

CONTROVERSIA QVARTA.

MAgna sanè dignitas est pœnitentiæ, quæ adolescenti prodigo reduci restituit stolam illam primam, qua dignatus erat in Baptismo. Non eo inficias, animam pœnitentem denuo induci vt sponsam in torum nuptialem Domini Redemptoris, dummodo sit ornata supellectile, quam recolit sponsa illa mystica Canticorum: *Surrexi* (inquit) *vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Hæretici totam pœnitentiæ summam refundunt in actionem, qua anima assurgens aperit Deo, faciens peccandi finem; ita vt pœnitentia nihil planè aliud sit quàm morum emendatio, seu feriæ & induciæ vitiorum. At Catholica disciplina secus contendit, animam pertæsam sua piacula, debere specimina pœnitentiæ edere similia Niniuitis, quorum manus distillauerunt myrrham vtique probatissimam, indicto triduano ieiunio in sacco & cinere, vnde & hodie à Christo Domino commendantur.

Cant. 5.

Pœnitentiæ austeritas est hæreticis odiosa.

Hæretici velificantes sensuum illecebris, stant à partibus carnis, à qua omnes pœnitentiæ secernunt angustias, vt ieiunia, vigilias, atque cilicia. Idcirco vbi Ioannes Baptista ait: *μετανοεῖτε*, id est, *pœnitentiam agite*; Beza substituit hanc vocem: *Resipiscite.* Quasi verò, resipiscere, & pœnitere, sint termini synonymi. Caluinus ridet pœnas vltro assumptas, vt pœnitens anima Deo satisfaciat, dicitque Deum remissa culpa nihil amplius exigere ab homine pœnitente. Sed damnatur ille tenebrio sententiâ Scripturæ sacræ, vbi Dauidi recepto in gratiam illa grauis pœna inflicta est, cuius decretum ei à Propheta indictū est: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Rursus culpa originalis abundè tergitur aquis Baptismi; mors tamen infligitur, quam Caluinus agnoscit vt pœnam primæ labis: Ergo malè affirmat ille desertor Ecclesiæ, detersâ culpâ nullas superesse reliquias laboriosis actibus expungendas.

Beza in Matth. c. 3.

Caluin. l. 3. instit. cap. 4. §. 31. 32.

Culpa remissa pœnæ infliguntur pro reatu.

2. Reg. 12.

Posse voluntariâ pœnâ redimi pœnas à Deo infligendas, multis textibus sacris videre est: duos referre satis erit. Primus est Dei apud Ieremiam: *Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei.* Alius locus est Danielis, ita hortantis Regem nefarium: *Rex consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Illa redemptio seu satisfactio, non respicit culpam: illa namque Deo miserante detergitur: Ergo ad pœnam residuam spectat, quæ in altero sæculo manet homines incurios in hoc sæculo pœnitere.

Pœnas à Deo infligendas satisfactio remouetur.

Ierem. 18.

Daniel. 4.

Audiendi Patres in hac alea. Ita Gregorius: *Non solùm confitenda sunt peccata; sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda.* Profectò ratio velificatur hisce ritibus pœnitendi: qui namque deliquit placitis illecebris, debet suas reparare ruinas angustiis vltro assumptis, quibus corpora castigantur. Ita Hieronymus inducit Paulam se aptantem ad operosa specimina pœnitentiæ: *Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpe depinxi: affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda.*

Ex SS. PATRIBVS.

Greg. lib. 6. in 1. Reg. c. 15.

Paulæ Romanæ pœnitentia.

Hieron. in epitaphio Paulæ.

Chrysostomus ad hunc ritum suos hortatus est. *A nobis vltionem sumamus, ita placabimus Iudicem.* Non est prætereunda acuta sententia alterius: *Præterita peccata, pœnitentiâ corrigamus, præsenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conscientiæ in morem apum, noxios peccatorum fucos repellamus.* Facessant itaque desides hæretici, & ad arbitrium suum genio indulgeant; nemo sanus Catholicorum capietur hoc veterno: quippe satius est cum Paulo, Apostolorumque choro, castigare corpus suum, quàm epulis & Veneri litare, & membris offundere pinguedinem, quæ, instante vitæ deliquio, æterno igne vindice decoquetur.

Chrysost. hom. 41. ad pop. Antioch.

FERIA QVINTA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

Matth. 15.

EVANGELIVM

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

I. EGressus IESVS secessit in partes Tyri, & Sidonis.
II. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.
III. Clamauit, dicens ei. Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.
IV. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.
V. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.
VI. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.
VII. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.
VIII. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

LITERALIS EXPOSITIO,

Cuius paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

§. I. INdubium est fidei Christianæ dogma, Dominum IESVM *esse Saluatorem Iudæorum, & Gentium, ac proinde neminem excipi à benefico eius influxu, quo & quandoque dignatus est Tyrios & Sidonios populos infideles.*

§. II. Quorum velut primitiæ fuit fœmina illa Chananæa, sic nuncupata quia oriunda de semine Chananæorum, & non quia residens in vrbe Kana, vt quidam perperam somniarunt.

§. III. Mulier hæc, Christi famâ increbrescente, credidit eum esse Deum, & hac de eo rerum Domino fide concepta, multis tentata conuiciis, alacrior semper effecta est, profitens Dominum hunc esse Christum.

§. IV. In eumque apicem fides Chananææ surrexit, vt admirabundi Apostoli causam eius egerint apud Christum, arbitrati fidem hanc sinceram fore voti compotem, iuxta morem insolitum Christo, optatis fidelium cito citiùs annuenti.

§. V. Irrita tamen fuit ad morulam illam oratio Apostolorum; quia Christus solis duntaxat Iudæis ait se esse missum, ex vi pacti initi cum Abraham, Moyse, & Dauide, licet vt Filius Dei curam omnium hominum gereret singularem.

§. VI. Vnde vt staret Deus pollicitis iureiurando obsignatis, miraculis alenda fuit fides Iudæorum, vt sic enutrita pubesceret, & litaret Christo.

§. VII. Vt ventis arbor acta in varias partes altiores radices agit; ita fides Chananææ multifariàm probata liquidior effecta est, & alias etiam virtutes adsciuit: fides namque perfecta stipatur aliis virtutibus, animamque totam componit ad arbitrium Dei.

§. VIII. Et esto Deus ad examen reuocet fidem nostram; nihil inde tamen detrahitur fidei: imò oratio fusa ad Deum fide indubia & perfecta, licet ad arbitrium suum non gestiat facta voti compos, non ideo abit indonata, sed Deo librante momenta temporum, oratio illa opportunè adiecto fœnore compensatur.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Christus Iudæorum & Gentium saluator est, sicque nemo excipitur à benefico eius influxu.

In hæc verba:

Egressus IESVS *secessit in partes Tyri, & Sydonis.*

§. I.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Christus quare dicitur lux mundi.

Nigricabant omnia caligine offusa ante exortum Christi in humanis; sed eo illucente, liquidior rerum omnium habitus emicuit, & præcipuè cœlestium, quarum sincera notitia fugiebat homines, errore Gentilium, & commentariis Scribarum & Pharisæorum miserè dementatos. Idcirco ait Christus se esse lucem mundi: quippe caligantis orbis tenebras tersit corusca face sui eloquij, cuius oracula innotuere omnibus hominibus obsequio prædicationis Euangelicæ, cuius prouincia demandata fuit Apostolis. Vtque Sol irradians omnes terræ sinus lustrat; ita Christus nullas omnino Gentes excepit à benefico influxu suo, vt videre est hodierno Euangelio, vbi Christus post damnatas traditiones Scribarum & Pharisæorum, se ad Gentes contulit, præcipuè Sydonios inuisens, vt Marcus animaduertit hoc contextu: *Iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Vnde displicet Maldonatus negans Christum subiisse terras Gentilium; quia, inquit, Christus fecisset contra præceptum hoc indictum Apostolis: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Quasi verò Christus fuerit obstrictus, legibus, quas præfixit Apostolis, & non intrauerit Samariam, vbi biduum egit ciuitatem illam initians sacris fidei mysteriis.

Christus visitauit terras Gentilium.

Marc.7. Maldonati sententia reiicitur.

Matth.10.

Incongrua etiam est animaduersio Maldonati suspicantis illam vocem, *per Sidonem*, esse mendum, quod irrepsit in textum Euangelij. Etenim si vnicuique licet interpreti rescindere ad arbitrium suum voces Scripturæ sacræ, profectò nihil omnino sibi constabit ex Codice sacrosancto. Itaque contra Maldonatum, hoc constans esto, scilicet Christum pertæsum indolem ingratam Iudæorum, sese contulisse in terras Gentilium conterminas Galilææ, vt erant Tyrus & Sidon, vrbes idolorum cultui mancipatæ. Harum vrbium aliquam notitiam ingerere, est loci huius, vbi recolam singularia quædam, quæ interpretum nemo recensuit. Tyrus est metropolis Phœniciæ, vrbs bello potens, instaurata à Phœnice Rege fratre Cadmi, & filio Agenoris, qui primus literarum notitiam Phœnicibus dedit, iuxta illud Luciani:

Historia vrbis Tyri. Phœnicia dicta à Phœnice Rege. Tyrus vbi sita, & quo auctore. Phœnix Rex primus literas inuenit.

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Lucan.

Fratris sui ingenium æmulatus Cadmus, Græcis earumdem literarum copiam fecit; vnde Iosephus ait Phœnices literas in Græciam transmisisse. Tyrus Phœniciæ caput versus Aquilonem vno milliari distat à Puteo aquarum viuentium, contra Austrum dispescitur ab Eleuthero fluuio, tertio milliari contra Occidentem: recedit ab Asor ciuitate nono milliari, vt & vicesimo à Cæsarea Philippi, & Tiberiade trigesimo milliari distat, & id calculo Hieronymi. Vrbs illa sita est in rupe fortissima, alto mari circumducta, vnde ab Ezechiele dicitur esse in corde maris, id est, in medio maris. Primùm industriâ Nabuchodonozor Chaldæorum Regis, & iterum operâ Alexandri Magni, vt facilius cederet hosti, multis adiectis aggeribus breui freto Tyrus ex insula facta est peninsula, vt Curtius commemorat. Vrbs illa prædiues orbis emporium fuit, & vt opes conducunt ad omnia, vrbs illa fuit marmoreis ædibus conspicua, sic glorians apud Ezechielem: *Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.* Præcipua loci suppellex attenditur penes muricum seu conchyliorum succum, quo singulari artificio pannos inficiunt, inde purpureos. Vnde quia Tyrus dicta est etiam Sarra, Virgilius vtramque vocem meminit, purpuram commemorans.

Cadmus literas Græcis dedit.

Ioseph. l.15. antiqu. c.12. Hieron. lib. de locis Hebraicis.

Q. Curtius lib.4. de gestis Alex.

Ezech.27. Tyrus famosa ob purpuram.

--- Tyrioque ardebat murice lana
Vt gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Virgil. l.4. Æneid.

Et quia Tyrus erat vrbium Phœniciæ princeps, purpureus color dictus est ab ea puniceus, quasi Phœniceus. Berosus ait, vrbem hanc conditam à Tyro septimo filio Iaphet, hinc ab Isaia dicitur à diebus pristinis in conditionis suæ antiquitate gloriata. Tempore Iosuë restaurata est à Phœnice Rege. Iustinus ait, vno anno ante Troianum excidium, Tyrum à Sidoniis extructam; sed hoc intellige renouatam, non conditam: sic enim est Iosephus explicandus, qui & idem scribit. In gloriosis Tyri titulis iste est insignis, quòd Carthago æmula Romæ, Tyriorum est colonia, conscio Virgilio, cuius ille est versus.

Tyrus à Tyro condita. *Isai.23. Iust. l.18. hist. Ioseph. l.8. antiqu. c.3.*

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni.

Virgil. Æneid.1. Tyrij condidere Carthaginem.

Eamobrem Carthaginense regnum à Tyriis siue Phœnicibus Punicum quasi Phœnicum nominatum fuit. Quod enim Occidentales dicunt, Pe, Orientales efferunt, Phe. Cùm Iosuë moderatore terra Israël diuisa est, Tyrus sorte ducta tribui quidem Aser obuenit: sed quia tribus illa fuit impar victoriæ reportandæ de Tyriis, nunquam iuris fuit Hebræorum. Ideoque propagatus illic fuit cultus Idolorum: nimirum Herculi dedicata Tyrus, alios etiam Deos adsciuit, Saturnum scilicet, Iouem, & Astarten, quorum illic prostabant impia simulacra, & præsertim Herculis, vt vrbis Genij tutelaris, cui Rex Hiram columnam auream dedicauit, & sacerdotes instituit. Ad hos Tyriorum Deos venerandos Pseudopontifex Hebræorum Iason, Tyrum misit donaria vt hoc textu sacro liquet: *Cùm quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præsens esset, misit Iason facinorosus ab Ierosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis.*

Tyrus nunquam fuit Iuris Hebræorum.

Tyriorum Dij quales. *Ioseph. l.1. contra Appionem. 2. Machab.4.*

Esto Reges Tyri fuerint idololatræ, & Gentiles; tamen fœdere sempiterno coiere cum Regibus Iuda, vt videre est in Hiram, suam opem conferente ad structuram templi. Adeoque fuit constans Tyri & Ierosolymæ commercium, vt Zorobabeli ad instaurationem templi, Tyrij suppeditarint Cedros: vnde & eis liberum fuit incolere ciuitatem sanctam & ibi venales merces omnibus

Tyriorum cum Iudæis fœdus sempiternum.

1. *Esd.* 3. 2. *Esd.* 13. *Isa.* 23. *Ierem.* 47. *Ezech.* 26. *Ioël.* 3. *Amos.* 1. *Zachar.* 9.

Tyrus solo adæquata à Nabuchod. *Ioseph. l.* 10. *antiq. c.* 13.

omnibus explicare. Ita videre est in monumentis Esdræ. Vt autem affinia sunt diuitiæ & peccata, Tyrus insolescens opibus Deo vindice deleta est, iuxta vaticinium Prophetarum Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Ioëlis, Amos, & Zachariæ, quos omnes conduxit Deus, vt suo præsagio Tyriorum animos inflecterent ad pœnitentiam. Illis tamen desipientibus, Nabuchodonosor post tredecim annorum obsidionem, ex Iosepho, vrbem solo adæquauit, millesimo septingentesimo anno à fundatione eius. Post septuaginta annos desolationis instaurata ciuitas illa denuo floruit vsque ad Alexandrum Magnum, qui illam rursus excidit; sed illo sublato, Tyrus tertiò emersit & ad Christi tempora refloruit dedita semper idolorum cultui. Post Christum fœdus iniere Tyrij cum Romanis, & ab eis dignati iure Italico, vt refert Vlpianus illinc oriundus.

Tyrij martyres multi.

Fuisse Tyrios indolis aptæ ad Dei cultum, & pœnitentiæ ritus obeundos ait Christus, dicens, signa facta in Bethsaida & Chorozaim frustra, potuisse conuertere Tyrum, & Sidonem. In argumentum veritatis huius, mulier Chananæa, acceptâ famâ Christi, insigne specimen edidit abditæ pietatis. Et Eusebio Cæsariensi spectatore multa millia Tyriorum sub Diocletiano & Maximiano martyrium fortiter obierunt. Eiusdem Phœniciæ, Sidon fuit vrbs nobilis, condita à Sidone primogenito vndecim filiorum Chanaan, qui hanc vrbem posuit iuxta Libani montis ortum. Phœnices piscem vocant sidon, ideoque Sidonem dicunt sic vocatam à copia piscium. Distat Sidon à Sarepta versus Aquilonem duobus, contra Austrum à Beryto quinque, & versus Occidentem in Antilibano monte, vno; à Cæsarea autem Philippi vndecim milliaribus: ab Occidente mari magno alluitur. Sidonij, vt & Tyrij cædendis lignis Libani, vt & secandis lapidibus suam industriam collocarunt. Vrbs illa sicut & Tyrus nesciit iugum Hebræorum, ideoque viguit illic cultus idolorum vsque ad Christum. Præcipuè adorati Baal, Astaroth, & Astarte dea, quam Salomon ipse adorauit à suis vxoribus impiè dementatus.

Euseb. l. 8. *Eccl. hist. c.* 7. *Hieron. de locis Hebr.*

Sidon à quo condita. Sidoniorum Dea Astarte adorata à Salomone.

Inde vxorem nequissimam duxit Achab Rex Israël, scilicet Iezabel, filiam Ethbaal Regis Sidoniorum, cuius malè suadâ industriâ coluit Baal Deum Sidoniorum. Idolorum cultus, aliaque scelera Sidoniis insolita, Deum prouocarunt in Gentem illam, quæ vt conscia fuit criminum Tyri, eosdem tortores experta est, quos Tyrus euersa tulit, videlicet Nabuchodonosor, & Alexandrum Macedonem, quibus furentibus passa est bis excidium; vnde postea instaurata floruit ëuo Christi, qui miseratus ingenium populi huius propensi ad pœnitentiam, Sidonē se contulit, probè callens illorum hominum indolem, quam Iudæis exprobrauit hoc contextu; *Va tibi Chorozaim, va tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis.* In gratiam bonæ huius indolis aptissimæ Euangelio Christus inuisit Sidonios raptim: vt enim biduum tantùm dedit Samaritanis Iudæis schismaticis; ita & breue tempus concessit Sidoniis, quos tamen multo gratiarum affluxu dignatus est, præter sanitatem, quam citam ægris pluribus impertiuit.

Iezabel fuit Sidonia.

Sidon à quibus euersa. *Mar.* 4. *Luc.* 6. *Matth.* 11.

SENSVS LITERALIS.

Christus etiam Gentiles inuisit præstans se eis beneficum, animas & corpora sospitando.

In hæc verba:

Egressus IESVS *secessit in partes Tyri, & Sydonis.*

CONIECTVRA SECVNDA

Ex SS. Patribvs.

VT clauo truditur clauus; ita Maldonati auctoritas, si alicuius est ponderis apud suos, ea est retundenda sanctioribus oraculis, quæ maioris sint momenti, quàm fuerit vnquam ipse Maldonatus, qui dum negat Christum subiisse terras Gentilium, in duo discrimina incurrit. Primò detrahit bonitati Christi, quæ etsi in Iudæos primò se effuderit, hoc non obstat, quin Gentes etiam conterminas oris Hebræorum, fontis huius benefici inexhausti latices inundarint: vt namque salutis nostræ assertor Christus ipse ait: lucerna accensa non occluditur tegmine modij, sed candelabro imponitur, vt inde suum diffundat lumen, & dispergat; ita Dominus ille lux mundi non Iudæorum tantùm, sed & Gentium tenebras tersit. Secundò Maldonatus conuincitur auctoritate Patrum illorum, qui præ cæteris enuclearunt sensum literalem Euangelij, inter quos facilè principes sunt Hieronymus, atque Chrysostomus, quos si habeo conscios meæ sententiæ, quæ adstruit, Christum non permeasse fines tantùm Gentilium, sed eorum prouinciam decurrisse, causâ suâ cadet Maldonatus.

Maldonati sententia quare sit incongrua.

Christi bonitas à Iudæis in Gentiles etiam deriuauit.

Christus ipse decurrit prouinciam Gentilium.

Sistendus itaque Hieronymus ita fatus: *Scribis & Pharisæis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri & Sidonis, vt Tyrios Sidoniosque curaret.* Nihil ergo credidit incongruum Hieronymus, si præstaret se vindicem eius sententiæ, quæ Christum inducit in prouinciam infidelem. Lubens ego assentior Hieronymo arbitranti Christum decurrendo plagas Tyrias atque Sidonias, curasse multos, animas scilicet & corpora sospitando. Quippe series tota miraculorum Christi non est consignata chartis, sed paucis beneficam indolem eius conclusit scriba sacer, scilicet Lucas inducens Petrum ita recolentem Christum: *Vnxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo.* Chrysostomus in transitu Christi ad Gentes suspicatur esse mysterium, quia eo temporis articulo, quo secessit in partes Tyri & Sidonis, confutarat errorem Scribarum & Pharisæorum, qui ciborum esu pollui animas prædicabant populis imperitis. Ecce Chrysostomum. *Quamobrem in illas partes profectus est? Cùm obseruationem contemnendam esse docuisset, tunc recto itinere ac ordine progrediens, Gentibus etiam ianuam aperit. Sic & Petrus, cùm soluere iussus esset has obseruationes, tunc ad Cornelium missus fuit. Si verò quispiam dixerit, & quonam modo cùm discipulis iniunxerit, dicens: In viam Gentium ne abieritis, ille ipse abiit? Primum illud adducemus, quia non tenebatur*

Ex SS. Patribvs. *Hieron. in Matth.* 15.

Christus curat Tyrios, & Sidonios.

Act. 10.

Chrysostom. hom. 53. *in Matth.*

tenebatur ipse, quæ discipulis seruanda præcepit, omnino conseruare.

Remigius in Matth. 15. In ea etiam sententia est Remigius, quem accipe. *Iuit autem vt Tyrios Sidoniosque curaret.* Accedit & Strabus Fuldensis, cuius glossa in Scripturam est minimè pœnitenda. Sic ille: *Relictis calumniatoribus, intrat fines Tyri & Sidonis, vt filiam liberaret, & per fidem Gentilis fœminæ perfidiam Scribarum argueret. Relictis calumniatoribus significat quòd post resurrectionem relicturus esset perfidiam Iudæorum, per prædicationem iturus ad Gentes.* Suum calculum adiicit Lyranus, apprimè eruditus in sacris literis. Ecce suffragium eius. *Reprobato errore Pharisæorum, hic Christus transit ad Gentiles, vt ex deuotione Gentilium ostendatur iusta reprobatio Iudæorum. Et hoc est quod dicitur: Et egressus inde* IESVS *secessit in partes Tyri, & Sidonis.* Iuxta Patrum sensum ingenuum, transitus ille Christi in partes Tyri & Sidonis signauit instare tempus, quo repudiata prædicatione Euangelij à Iudæis, sacra fides Gentibus illuceret. Itaque operæpretium fuit Christum realiter ingredi plagas Gentilium, vt concordes essent & res, & figuræ: quippe Apostoli missis Hebræis, vt indignis, non duntaxat lustrauere fines Gentilium, sed permearunt orbem totum Ethnicis ritibus impeditum. In eo argumento locuples est ille textus, quo Paulus & Barnabas exosi perfidiã Iudæorum, qui iniquo animo audiebant encomia Christi Domini propagari, sic in eos inuecti sunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Non est igitur, quo moueamur Maldonati ratione, videlicet Christum inhibuisse Apostolis transitum ad Gentes: vt enim prudenter aduertit Chrysostomus, non facessit negotium illa instantia; nam legislator sua lege minimè coercetur.

Glossa ord. in Matth. 15.

Lyranus in Matth. 15.

Christi transitus ad Tyrios figura fidei prædicandæ Gentibus.

Actor. 13.

SENSVS LITERALIS.

Christus non dedignatus est inuisere terras Gentilium.

In hæc verba:

Egressus IESVS *secessit in partes Tyri, & Sidonis.*

CONIECTVRA TERTIA

EX LINGVIS.

Linguarum notitia est necessaria interpreti sacro.

VT qui errabundi decurrunt varias orbis oras, nomenclatore, id est interprete conscio linguarum indigent, ne pateant angustiis, quibus obnoxij sunt homines peregrini idiomatis; ita qui discurrunt in alea Scripturæ sacræ, callere debent omnia idiomata prisca, quibus fuere sancti codices exarati: alioquin erroris periculum subest, vbi vulgata editio sensum æquiuocum ancipiti dictione prodit. Profectò deuius haudquaquam extitisset Maldonatus, si conscium adhibuisset interpretem linguarum, quarum notitia occurrit dubiæ phrasi Latini codicis. Verbi gratiâ, dicere Christum secessisse in partes Tyri & Sidonis, bifariàm explicari potest. Primò secedere in partes alicuius prouinciæ perinde est ac contendere versus illam prouinciam, licet quis non eam subeat. Secundò secedere in partes alicuius prouinciæ, significat ire in aliquam portionem prouinciæ illius, & non totam peragrare. In hoc posteriore sensu Matthæus expressit iter Christi in partes Tyri & Sidonis. Sic enim Hebræa sonant: ויבאאל חלקי צור *iabo el chelake tsor*, id est, *iuit in portiones Tyri.* Quasi diceret, Christum non totam regionem illam decurrisse, sed aliquas tantùm plagas. Nam vox Hebræa, חלק *chelek*, quam Matthæus adhibuit, significat portionem seu fundum agri dispertitum ab aliis. Nempe radicalis huius dictionis quinque punctorum, est חלק *chalak*, quæ perinde est ac diuidere, & partiri.

ET LINGVIS.

HEBRÆA.

Syris & Chaldæis ab eadem radicali deducitur vox, חלקא *chelka*, ita vt Syriacè & Chaldaicè textus Hebræus sic reddendus esset: *Iuit* IESVS *in agros, & prædia Tyri & Sidonis.* Vox enim, חלקא *chelka*, agrum & prædium significat. Græcus interpres Matthæi intentum apprimè assequutus ita reddidit: ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος. Id est. *Egressus inde* IESVS *secessit in partes Tyri, & Sidonis.* Nota voces illas, *in partes*, esse æquiuocas apud Latinos, & accipi bifariàm, vt prælibaui; & tamen non esse ancipites in textu Græco nimirum, εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος, idem sonat ac, *in aliquas plagas Tyri & Sidonis.* Namque μέρος partem ab alia secretam significat. Vnde ἐν μέρει perinde est ac *sigillatim.* Cùm itaque Patres Sancti & linguæ priscæ concordes sint, meamque fulciant sententiam de ingressu Christi in terras Gentilium, non cunctabor repudiato Maldonato Patribus assentiri. Nec est quòd Maldonatus obiiciat, non esse conuentionem Deo & Belial, nec Christo cum idololatris, ac proinde fieri iniuriam Christo, dum in terras idololatras dicitur introisse. Nullius momenti est hæc instantia: nam Samaritæ initiati fidei mysteriis, & conscij librorum Moysis, peregrinos ritus induxerant, atque adeò deterioris erant conditionis, quia in legem agnitam impiè delinquebant. Sed hoc non obstitit quin Christus in Samariam diuerterit, & ciuitatem illam vitiis inglorem diuino cultui manciparit. Perperam igitur eadem gratia denegatur Tyro & Sidoni, & maximè cùm Patres ex Scriptura sacra coniiciant, Christum Dominum in Gentiles populos influxisse.

SYRIACA. CHALDÆA.

GRÆCA.

SENSVS LITERALIS.

Mulier Chananæa fuit de semine Chananæorum.

In hæc verba:

Ecce mulier Chananæa.

§. II.

CONIECTVRA EX RATIONE, EX LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

Maldonatus reiicitur.

VT non omnis fert omnia tellus; ita nec omnes in eadem terra benè valent: sed quibusdam aër est adeò insalubris, vt si semel ægrotarint, nusquam ibi valetudine firma queant vti. Huius generis est Maldonato plaga Tyri & Sidonis,

Sidonis, in cuius ora vt impegit negans Christum subiisse plagam illam, denuo labat; & quasi inde afflaret aura iniqua in errorem inducens, ait mulierem, quæ conuenit Christum, dici Chananæam, quia erat ex Cana ciuitate tribus Aser. Hoc ego suspicor esse commentum, vtique gratis confictum: si enim ex Cana oriunda fuisset illa mulier, diceretur Canea, aut Canita, vel Canensis mulier, & non Chananæa geminata litera, N. Itaque constans est, dici Chananæam à Matthæo de industria, vt omnibus innotescat, eam esse satam patre orto de reliquiis Chananæorum, quorum vitio Deus subiratus, eorum terram distribuit filiis Israël; tota namque terra promissionis fuit olim Chanaan nomine nuncupata. Vt ergo liquidior sit commendatio fidei huius fœminæ, recolitur eius impia parentela deducta à Chananæis eiectis, quorum reliquiæ superstites erant apud Tyrios & Sidonios, quos delere non potuit tribus Aser, cui cesserat illa terræ plaga.

Mulier Chananæa vnde dicta.

Quia igitur ad sensum literalem pertinet, scire quare dicatur mulier hæc Chananæa, cogor explodere fabulam illam, cui credulus Maldonatus fidem adhibuit dum scripsit eam dici Chananæam, quia è Cana fuit oriunda: siquidem alia longè fuit mens Euangelistæ, vt præfatus sum. Nempe genus Chananæum commemorat in laudem fœminæ, cui auita impietas non obfuit, quin Christo maius obsequium referret quàm Iudæi suffecti in locum procerum huius fœminæ Chananææ. Fauet Chrysostomus, ita commentatus: *Accusare mulierem Euangelista videtur, vt & miraculum ostendat, & ipsam laude dignam fuisse confirmet. Cùm enim audieris Chananaam, non poteris non meminisse iniquissimarum illarum Gentium, apud quas etiam leges ipsius naturæ funditus euersa fuerant: quod cùm memoria repetieris, virtutem quoque aduentus Christi diligentius cogita. Qui enim eiecti sunt, ne Iudæos peruerterent, hi adeò ipsis Iudæis meliores fuerunt, vt terminis suis relictis, ad Christum accederent, cùm Iudæi ad ipsos venientem extruserunt.*

Chananææ fides commendatur ab eius origine infideli.

Ex SS. Patribus. *Chrysostom. hom 53. in Matth.*

Ex Linguis.

Si sisto Maldonatum linguis, eius adoratores non habebunt quo detergant ruborem. Nempe illa Cana vrbs Phœniciæ, sic scribitur, קנה *Kanah*: ast populus Chananæus, כנעני *Chenanghani*, & apud Matthæum illa mulier dicitur כנענית *Cheneghanith*. Id est *Chananæa* orta ex populo Chananæo, & dicere secus hoc arguit altam ignorantiam linguæ Hebrææ, cuius obsequio interpres eruditus adiicere potest suis commentariis in Scripturam magnum luminis incrementum. Et ne quis cauilletur, Euangelium Hebræum, quod circumfertur nomine Matthæi, non esse legitimum, ac proinde nomen Chananææ non benè colligi ex litteris illo codice recensitis; consulendus est Syrus interpres, & is sententiam feret in gratiam meæ conclusionis contra commentum Maldonati: quippe mulier illa dicitur Syriacè כנענתא *Chenanghanitho*, id est, *fœmina ex populo Chananæo*. Accedit & Græcus interpres. Ἰδὲ γυνὴ τὶς χαναναία. Id est. *Ecce mulier quadam Chananæa*. Ibi prima litera, C, habet aspirationem, quæ non competit literæ, *Koph* ק, quæ est prima vrbis קנה *Kanah*, vnde Maldonatus educit fœminam illam ab ea vrbe per somnium baptizatam, quicquid reclament Patres & linguæ primitiuæ, quarum Græca adhibens literam χ Chi, satis superque notat subesse errorem illi con-

Hebræa.

Chananæa nó denominatur ab vrbe Cana, sed à Chananæa.

Græca.

iecturæ, quam tanti facit Maldonatus, vt non cautè eam appensam ad trutinam linguarum, suam voluerit esse sententiam.

SENSVS LITERALIS.

Quare mulier Chananæa dicatur Syrophœnissa.

In hæc verba:

Ecce mulier Chananæa.

Ratio ex Historia Geographica.

Mulier hæc Chananæa dicitur à Marco Euangelista Syrophœnissa, ideoque solertiam nostram sollicitat, vt ex Geographia constet, vnde fluat illa nuncupatio. Itaque operæpretium est scire ex Plinio, Tyrum & Sidonem esse in Phœnicia, vt & Strabo ait. Quia autem duæ sunt Phœniciæ, vna in Asia, altera in Africa, vtriusque Phœniciæ incolæ expressere suam Gentem adiectione prouinciæ, in qua tunc degebant. Verbi gratiâ, Phœnices Asiatici dicti sunt Syrophœnices, quia eorum Phœnicia erat in Syria, & terra Chanaan. Et hinc effluxit nomenclatura duplex mulieris hodiernæ, quæ dicitur Chananæa à populo Chananæo, & Syrophœnissa à Phœnicia Syriæ; sicut Phœnices Africani dicti sunt Lybiophœnices, quia Lybiam incolebant. Quomodo autem Phœnices Asiatici pertinebant ad Syriam, est è re mea recolere, ne quidpiam desideret lector in hoc argumento, quod altè repetitum magnam lucem adiiciet ad lustrandam animo terram illam à Deo præ aliis tot naturæ dotibus illustratam. Vt autem inoffenso pede permeem omnes Syriæ tractus, inuium mihi laborem illum aggredior sub ducatu Iosephi, Hieronymi, & Plinij, quos conduxi, ne contingat in hoc tramite deuiare.

Chananæa quare dicta Syrophœnissa. *Plin. l. 5. c. 12. Strabo l. 6.*

Phœnicia duplex Asiatica, & Africana.

Syria, siue Suria, regio est pertinens ad maiorem Asiam. Dicitur Aram seu Aramæa regio ab Hebræis, qui inussere nomen illud in gratiam Aram filij Sem, qui Iosepho assertore Aramæos, seu Aramenos instituit. Eusebius ait ante ortum Moysis totam illam plagam fuisse nuncupatam Syriam à Græcis ex nomine Syri cuiusdam indigenæ, à quo & incolæ à Latinis Syri & Syrij fuerunt postmodum appellati. Plinius ait regionem illam fuisse quondam maximam orbis vniuersi, & distinctam pluribus nominibus. Syriæ partem facit Assyria, sortita nomen hoc ab Assur filio Sem, qui vrbem Niniuen condidit. Eius subditi Assyrij primum condiderunt Imperium, quod hinc transiit ad Chaldæos, & Babylonios, vbi stante diu Monarchia, tandem desiit armis Persarum, & Medorum. Scitè monet Hieronymus, Assyrios promiscuè vocari Syros, parte sic sortiente nomen totius. Tota autem Syria porrigitur à flumine Tigri vsque ad Ægyptum, ab Oriente habens Tigrim, à Meridie sinum Arabicum, ab Occidente mare Mediterraneum, ab Aquilone Armeniam, & Cappadociam.

Ioseph l. 1. antiq. c. 14. Syria olim dicta Aram. *Euseb. in chronic. an. 325.* Syria à quo nomen hoc accepit. *Plin. l. 5. c. 12.* Assyria pars Syriæ à quo sic appellata. *Hieron. in Isa 19.* Syriæ totius situs in ordine ad quatuor mundi plagas.

Aliàs Syria vsurpatur pro aliquali tantùm sinu huius immensi tractus, qui dispescitur in decem prouincias, quæ & ipsæ sibi vendicantes Syriæ nomen, ita decem Syrias effecerunt. Et hinc orta labes, quæ erroris aspergine infecit plerosque

Syria in decem diuisa prouincias, quæ & ipsæ fuerunt appellatæ Syriæ.

rosque interpretes, in delectu Syriæ caligantes. Illi nimirum nescij esse decem Syrias, hallucinati sunt, vni prouinciæ tribuentes illud, quod de alia censebatur. Prima Syria extenditur ab Aquilone, ita vt vltima sit maximè Meridiana, vtpote accedens ad Ægyptum. Illa prior Syria sita est in illa intercapedine soli, quam concludunt celeberrima flumina Tigris & Euphrates; discurrit hæc Syria à monte Tauro vsque ad sinum Arabicum. Vocatur hæc Syria ab Hebræis, Aram Naharaim, id est, Syria duorum fluuiorum, quia terminos eius alluunt Tigris & Euphrates. Græci eodem argumento ducti vocant hanc Syriam, Mesopotamiam, id est, mediam inter flumina: siquidem μέσος perinde est, ac medius, & ποταμὸς fluuium significat. In hac Syria est ciuitas Edessa, quæ & Rages dicitur, inter montes Taurum & Caucasum condita. Demum ista prior Syria dispescitur in tres prouincias, videlicet Mediam, Persidem, & Chaldæam.

Prior Syria quare vocetur Mesopotamia.

Edessa seu Rages vbi sita. Mesopotamia diuisa in Mediam, Chaldæam, & Persidem.

Secunda Syria præaltis montibus circumuallata dehiscit in valles, ac proinde caua est & depressa, vnde & nomen accepit Cœlesyriæ. Nempe κοῖλος Græcis cauum significat. Idcirco quia termini huius Syriæ in montes assurgunt, & ea media concluditur his cancellis, humilis, incuruata dicitur Syria Cœle, id est Syria depressa, seu caua. Hæc Syria quà respicit Aquilonem, caput habet ab Euphrate, & Tauro monte, & quà ad Meridiem vergit extenditur vsque ad fluuium Abana, qui vnus est è fluuiis Damasci, quos meminit Naaman Syrus celebrans aquas Abanæ & Pharphar. Hæc Syria celebres habet ciuitates, videlicet Adrach, Canathan, Damascum, Abilam, Heliopolim, Antiochiam, Apamiam, & Laodiceam. Tertia Syria est Phœnicis, sita ducens exordia à fluuio Abana, qui & Villania hodie dicitur, ad Austrum vergens excurrit vsque ad petram incisam, quam districtum vocant, & cui imminet mons Carmelus. Tertia hæc Syria Orientem versus, vsque ad introitum Emath porrigitur. Famosæ ciuitates huius Syriæ sunt Tyrus metropolis prouinciæ, Sidon, Capharnaum, Tripolis.

Secũda Syria quare dicta Cœlesyria. 4. Reg. 5. Damascus Apamia & Antiochia vrbes Cœlesyriæ. Tertia Syria est Phœnicis cuius vrbes Tyrus, Sidon Capharnaũ.

Quarta Syria est Damascena, sic dicta à Damasco metropoli: dicitur etiam Syria Libanica à monte Libani. Hæc Syria absolutè Syria nominatur ab Isaia: *Caput Syriæ Damascus.* Tres sequentes Syriæ dicuntur, tres Palæstinæ; nam omnis Palæstina Syria est sed non omnis Syria est Palæstina. Itaque Quinta Syria, quæ est prima Palæstina, metropolim habet Ierusalem, & contra Orientem pertinet vsque ad mare mortuum, siue mare Sodomorum, & extenditur vsque ad desertum Cadesbatnæ. Ista Syria strictè Iudæa nominatur. Sexta Syria, quæ est secunda Palæstina, concludit terram, quam incoluere Philistiim, cuius metropolis est Cæsarea Palæstinæ, vbi sedit Eusebius ille Cæsariensis, qui malè audiit ob Arij contagium. Cæsarea Philippi in quarta Syria celebris est. Secunda hæc Palæstina sua habet incunabula versus Aquilonem à castro peregrinorum, & ad Meridiem vergens desinit in Gaza ciuitate. Septima Syria, quæ est tertia Palæstina, cuius metropolis est ciuitas Bethsan, sita sub monte Gelu ad Iordanis oram, dicta est quondam Scythopolis. Ad hanc Syriam septimam pertinet Galilæa, necnon & campus magnus Esdrelon.

Isa. 7.

Quarta Syria Damascena. Quinta Syria est prima Palæstina quæ & Iudęa vbi Ierusalẽ. Sexta Syria est secunda Palæstina, ibi Cæsarea. Septima Syria est tertia Palæstina, ibi est Galilæa.

Præterea in Syria, vt genericè accipitur, sunt tres Arabiæ, quibus etiam affingitur nomen Syriæ: sicque octaua Syria est prima Arabia; cuius metropolis est ciuitas Bestion, cui & olim nomen Vsus fuit. Huic Syriæ confinis est regio Trachonitidis & Ithureæ ab occidente, & ab Aquilone ei annectitur terra Damasci: ideoque ratione viciniæ, prima Arabia dicitur aliquando Syria Damasci. Vnde Aretha Rex Arabiæ dicitur, qui reuera Rex erat Damasci, vt meminit Paulus. Nona Syria est secunda Arabia, cuius metropolis est ciuitas Petra dicta olim Rabath filiorum Ammon 2. Reg. 11. sita in confinio terræ Ammonitarum, & Moabitarum. Ista Arabia secunda fuit iuris filiorum Ammon, subdita Regi Icon, qui Rex erat Esebon. Eius etiam fuit Regnum Basan, cum monte Galaath.

Octaua Syria est prima Arabia.

1. Cor. 11. Nona Syria Terra filiorum Ammon.

Demum decima Syria est tertia Arabia, cuius caput est ciuitas nuncupata Petra Deserti, ad hanc Arabiam pertinet tota terra Moab, diciturque Syria Sobal, siue Zobal. Eius est tota terra iuxta mare mortuum vsque ad Cadesbarne, & aquas contradictionis. Porrigitur versus mare rubrum per latissimas solitudines. In gratiam eorum, qui fusiorem desiderant Arabiæ ideam resumo idem argumentum, & dico triplicem esse Arabiam. Prima dicitur Deserta, altera Felix, tertia Petræa. Prima, quæ est Deserta, ab Occidente Traconitidi regioni coniungitur; ab Aquilone Damasco contermina; ab Oriente Babyloniæ; à Meridie montibus Felicis Arabiæ concluditur. Arabia hæc reuera deserta arenosa, camelis abundat, incolæ eius rari, iique omnes pastores viuunt in tabernaculis, quæ subinde mutant, vt eos pinguiora pascua sollicitant. Idcirco Græci eos Nomades, id est, vagos vocant.

Decima Syria. Altera diuisio Arabiæ, in Desertam, Felicem, & Petræam.

Arabia Deserta quanã sit.

Arabia Felix est sita inter duos sinus Oceani: illa nimirum Persici, & Arabici, rubri ve maris peninsulæ formâ procurrit. Arabia hæc, Iosepho & Hieronymo testibus, dicitur etiam Saba, vel Saba, à Saba filio Chus nepote Cham. Is condidit Sabam metropolim huius Gentis, vbi regnauit Gaspar vnus ex Magis cultoribus Christi. Sexcentis & amplius leucis Gallicis distat à Ierusalem. Adeò est omnium florum & fructuum copia exuberans, vt à Græcis dicta sit εὐδαίμον. Id est, *Felix*, Plinius vocat eam λιβανοφόρον καὶ ἀρωματοφόρον. Id est, *thuriferam, & aromatiferam.* Annuit Virgilius sic occinens:

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Adiicit Plinius vbertate aromatum fieri, vt cibos coquant igne accenso lignis odoratis. Et est hæc Arabia ferax auri, & gemmarum. Phœnix vnica semper auis in hac regione degit. Ibi floruere Magi, qui conuenere Christum ducatu sideris inaspecti. Illuc se contulit Paulus statim à conuersione sua, & totum egit triennium disseminans verbum Dei. Troglodytæ hanc regionem occuparunt. Æuo Vvilhelmi Tyrij, vrbs Becerra, quæ Archiepiscopalis sedes erat, habuit sub se triginta quinque Episcopatus.

Arabia Felix vbi sita. *Ioseph. l. 1. antiq. c. 12. Hieron. de locis.* Arabia quare dicta sit Felix. *Plin. l. 5. hist. cap. 11.*

Virgil. l. 1. Geor. Plin. l. 12. cap. 17.

Vvilhel. Tyrius l. 14. belli sacri c. 12.

Arabia Petræa à Septemtrione, Arabiæ Felici, Iudææ, ac Palæstinæ confinis est: ab occasu tegmen habet Cassij montis, & alluitur mari Ægyptio: ab Austro cingitur Ægypto, & interiori Arabici seu rubri maris sinu. Tandem ad Orientem excurrit ad Euphratem per inuias & inaquosas solitudines. Petræa dicta est à vetustissima ciuitate metropoli, cui nomen Petra deserti. Alias hæc vrbs dicta Nabatha fecit vt Arabes illi appellati sint Nabathæi, vt & regio vocata Nabathæa à Cosmographis, in quibus est Strabo, licet Hieronymus

Arabia Petræa. Arabia hæc dicta Nabathea. *Strabo l. 16. Hieron. l. q. Hebraic. in Gen. 15.*

Ioseph. l. 1. antiq. c. 21.

Hieronymus & Iosephus illam nomenclaturam aliunde petant, arbitrati populos hos dictos fuisse Nabatheos, Nabutheos & Nabathenos, à Nabaioth primogenito Ismahelis. Arabia hæc Petræa suis veluti cancellis concludit has regiones, videlicet terram Moab, Cedar, Amalech, & Idumæam. Tota hæc soli Arabia est ingrati: nempe solum petrosum est, & vtplurimum infœcundum.

Vuilelh. Tyr. l. de bello sacro. Iacobus de Vitriaco l. de mirabilib. terra sancta. Bonauent. Brocard. in delineatione terra sancta. Mecha vbi est corpus Mahometis.

In Petræa hac Arabia est vrbs ampla Mecha Turcis veneranda eo nomine, quòd delubro Mahometi sacro sit famosa. Nempe moles illic est insignis haudquaquam impar amphitheatro, vbi ædes concamerata conspicitur longitudine centum passuum, latitudine vero octoginta. Quadringentis columnis incumbit ædes hæc profana. Parietes auro obducti rutilant illustrati lumine lychnorum pensilium, qui ad tria millia numero semper ardent. Illic stupendo artificio visitur arca ferrea suo concludens ergastulo cadauer Mahometis. Nempe ferrea hæc arca lapide magnete euecta pensilis est, apta sic facere fucos Turcis vtique populis imperitis, qui ex omnibus terræ plagis eò confluunt in gratiam Mahometis.

Ecce quò nos egit mulier Chananæa, & Syrophœnissa, cui hanc debeo gratiam: videlicet eius intuitu me lustrasse Syrias decem, adhibitis cosmographis, qui eam coram positi accuratè postea linearunt. Præter Iosephum & Hieronymum, celebres fuere Vilhelmus Tyrius Archiepiscopus, Iacobus Vitriacus Cardinalis legatus in Syria, Bonauentura Brocardus.

SENSVS LITERALIS.

Sincera fides tentata ærumnis constat sibi semper.

In hæc verba:

Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.

§. III.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Christi fama statim increbruit ab ortu prædicationis Euangelicæ.

VT est fama loquax & garrula; ita hæc concrepitans aura multisono rumore suo tulit miracula Christi non in Iudæam tantùm, sed in Syriam omnem ab ipsis incunabilis Euangelicæ prædicationis: sic enim Matthæus ait, Christum coruscasse miraculis, quando auspicatus est promulgationem Euangelij, vt eius fama quantocyus omnes plagas Syriæ permearit. Ita scriba sacer recolit exordia Euangelicæ disciplinæ: *Circuibat* IESVS *totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam.* Cùm ergo in Syria illa vbi tunc erat Christus, fuerint Tyrus & Sidon, mulier Chananæa degens in illa prouincia auribus excepit famam illam, quæ tunc increbruit in gratiam mirabilium, quæ patrabat Christus; vtque primùm dæmon inuasit filiam mulieris huius Ethnicæ, statim animo matris insedit conuenire Christum, vt ab eo deposceret suæ malè habitæ filiæ sospitatem. Itaque dæmone importunum facessente negotium filiæ arreptæ, illa parens venit in Galilæam; vbi tunc Gentiles impunè habitabant, Romanis illic in statione positis, quia iure belli nuper eorum ditioni accesserat illa plaga, quæ proinde fuit peruia Gentibus & Iudæis. Christus omniscius, vt quem nihil omnino latet, præscius mulierem illam anxiam proprios reliquisse Lares, & fide suada contendere an Galilæam, eò se contulit vbi mulier adstare coram posset, & facere palàm vota sua, vt illorum compos fieret iuxta suæ fidei dignitatem.

Matth. 4.

Gentes impunè habitabant in Galilæa tempore Christi.

Mulier illa sollicita de salute suæ filiæ, vt accepit Christum occultè subintrasse domum sitam in illo confinio, fidenter ingressa aduoluta est pedibus Christi, explicans angustias, & ærumnas, in quas à dæmone correpta filia deuenerat. Christus quasi aliò abstractus tacitus è domo retulit pedem, atque ita dereliquit illam fœminam indonatam. Nihilo tamen segnior effecta mulier anhela in salutem chari sui pignoris aetnis instar, & abeuntem Christum consequitur, preces ingeminans indices fidei magnæ, quam de Christo conceperat. Illa mulieris constantia in fide perculit Apostolos, & suasit vt causam eius agerent apud Dominum, qui asperè obiurgatam postea dignatus est gratiâ quam poscebat. Si conciliandi sunt Marcus & Matthæus, quorum profectò non est discolor historia, licet Marcus dicat Christum intrasse domum, quam postea subiit Chananæa. Ita Marcus recolit Christum. *Surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier Gentilis, & Syrophœnissa genere.* Vt concolor sit hic textus & Matthæi, meditare Christum nihil omnino domi fœminæ respondisse; vt Matthæus enuntiat hoc tenore: *Non respondit ei verbum.* At reliquum historiæ puta (nec vana fides) foris esse à Domino factitatum, vt fœminæ Gentilis sincera fides se proderet, vt damnaret perfidiam Iudæorum, qui erant iniurij Christo.

Chananæa mulier primò conuenit Christum domi existentem.

Non discordant Marcus & Matthæus in historia Chananææ. Marc. 7.

Matth. 15.

Expeditâ synopsi verborum huius paragraphi, iam sunt enucleandæ voces singulæ, & appendendæ ad lances sensus literalis. In argumentum fidei insignis dicitur mulier egressa de finibus suis, vt pertæsa suos Penates, aliosque Deos Gentiles, tanquam impotes, & nescios conferre salutem filiæ sauciatæ. Prætereundo fines suos subiit Galilæam, vt conterminam oris Tyri & Sidonis: illic quasi nacta spiritum Hebræorum, ad quos pertinebat notitia Christi filij Dauid, professa est indubiam Messiæ fidem, quam principes Iudæorum impiè detrectabant. Et ne qua subesset suspicio infidelis animi, mulier illa initiata cœlitus notitiâ Christi, edita voce confessa est eum esse filium Dauid, illum vtique Messiam, & Redemptorem promissum Dauid, sicut & ipse Psaltes occinit: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quare autem Christus rogatus, vt esset miseris propitius, fuerit vocatus à vexatis filius Dauid, & non filius Abrahæ, cùm vtriusque filius extiterit, accipe rationem scitu dignissimâ, & non liquidò satis ab aliis expeditam.

Chananæa quare egressa de finibus suis.

Psalm. 131.

Quare Christus fuerit vocatus filius Dauid potius quàm filius Abrahæ.

Abrahæ & Dauidi facta est equidem à Deo promissio, sed longè dispar. Illa nimirum Abrahæ pertinet ad multiplicationem eius prosapiæ, cui Deus induxit ritum circumcisionis, vt eam sibi sic recto fœdere deuinciret: totiusque huius promissi summa fuit; fore Abraham patrem multarum Gentium. Ecce titulum fœderis huius sacri, quod meminit hoc tenore: *Apparuit ei Dominus; dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem: Dixitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum: erisque pater multarum Gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum Gentium constitui te.* Christus ergo ab Abraham Patre nullum alium titulum traxit, quàm illum memoratum, scilicet vt esset pater multarum Gentium, vel, quod perinde est, pater futuri sæculi. Profectò longè nobilior extitit promissio facta Dauidi de regno sempiterno: nempe potior est res esse Regem perpetuum, quàm patrem multarum Gentium, seu futuri sæculi. Vt ergo populi benè affecti erga Christum ostenderent se credere illum esse Regem, professi sunt illum esse filium Dauid, ac proinde ad eum ius æterni solij pertinere.

Gen. 17. Fœdus Dei cum Abrahā, ad quid pertinebat.

Fœdus Dei cum Dauide quale fuit.

Christi nomina quænam sint. Isai. 9.

Arbitror eò respexisse Isaiam, cùm præsago spiritu ita prophetauit: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud.* Cùm vates ille veridicus Messiam vocat Patrem futuri sæculi, attendit ad Abraham, vt ad figuram eius. Cùm verò meminit regnum æternum Messiæ, Dauidem spectat, cui Deus velut oppignerata fide sua pollicitus est filium tantæ dignitatis, vt futurum esset regnum eius interminum. Quia igitur in filio Abrahæ attenditur tantùm propagatio Gentis, & cùm tempore Christi magnopere Hebræorum soboles explicata præ aliis Gentibus excreuisset; Iudæi eo nomine Messiam non curabāt, nec petebant vt multiplicaret Gentem: sed anxiè efflagitabant eum, vt regnum Israël, collapsum Romanorum industriâ, citò citiùs instauraret. Vnde quia regni intermini promissio ad Dauidem pertinet, omnes qui voluere Christo applaudere vt Redemptori, illi affinxere nomen filij Dauid, regiam eius dignitatem hoc congruo nomine profitentes.

Chananæa à quo accepit Christū esse filiū Dauid.

Mulierem Chananæam non latuit hocce mysterium: nempe ratione viciniæ, Tyrij & Sidonij conuentes Iudæis crebrò audiebant ab eis expectati Messiam ex stirpe Dauid, cuius obsequio Gens Hebræa erat ad priscas regni infulas euehenda. Idcirco mulier illa prudens, vbi accepit Christum esse omnibus beneficum, non suspicata est tantùm, sed indubia fide credidit, illum hominem tot & tantis clarum miraculis, esse Redemptorem à Iudæis hactenus expectatum. Vnde & in argumentum fidei suæ, vocat eum filium Dauid, Hebræorum ritu, quibus potior erat promissio facta Dauidi de stabiliendo regno, quàm illa prior facta Abrahæ de illius sobole propaganda. Quodque magis commendat fidem Chananææ, Iudæis assuetis Christo, & non credentibus eius prodigiis, Gentilis fœmina solo auditu miraculorum percita credidit Dominum Iesvm esse filium illum Dauid, quem Scribæ & Pharisæi nequiter abiurabant. Adiice, non fuisse satis huic fœminæ, vltro profiteri Christum esse filium Dauid; sed præterea Dominum præteriisse tacitum eius vota, vt inde liquidior eius vota, vt inde liquidior eius fides omnibus appareret. Non distulit Christus annuere optatis eius, vt exploraret, fides fœminæ constaret sibi nec ne; siquidem Dominus ille maximè conscius erat eius fidei, vtpote qui in eam priùs influxerat: sed ideo duriusculè hanc excepit, vt sic tentata fides fieret illustrior, & perfidia Iudæorum confusionis inde caperet argumentum.

Chananæa quare à Christo duriusculè excepta.

Vt fidei lumen irradians aperit multa hactenus inuia, facilè adducor vt credam, illam mulierem dignatam cœlitus fide insigni, aduertisse Christum esse Regem, non hostibus Iudæorum, scilicet Romanis, sed diabolis terribilem, & hanc eo nomine ductam conuenisse Dominum illum præpotentem, vt filiæ suæ consuleret contra ferociam dæmonis insultantis. Quasi diceret, Deos omnes Gentilium esse impares illi negotio, quo vel inanimes erant imagines, vel dæmones, qui vt concordes sunt in hominum perniciem, se inuicem non deturbant, cùm Deo annuente hominum corpora penetrarunt: ac proinde prouocandum esse ad potentiam quæ maioris esset ponderis & momenti, qualis erat illa Christi, cui litabat & voce & humili corporis habitu, Domini pedibus aduoluta.

Chananæa quare mentionem fecerit dæmonij reclamando opē Christi.

SENSVS LITERALIS.

In Chananæa perfectæ fidei specimen proponitur.

In hæc verba:

Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis, et ex SS. Patribvs.

Esto moralis videatur esse titulus iste, vt profectò est; hoc tamen haudquaquam obstat, quin sit etiam sensus literalis & primario intentus à Spiritu Sancto, quo afflatus est scriba sacer, qui texuit seriem huius historiæ, quam versamus: quidquid enim codice sancto recolitur, vergit totum ad eruditionem nostram procurandam, & gloriam Dei apud homines in hoc sæculo propagandam. Vt ergo Deus eligit infirma, vt fortia quæque illidat; ita & mulierem Cananæam assumpsit in specimen fidei, quam deinceps orbe toto ipsi etiam Apostoli commendarunt. Illa nimirum mulier primo egressa est è finibus Gentilium professura potestatem Christi: nemo namque conuens infideli, ingenua fide potest esse conspicuus. Secundò vt facta est ei copia adeundi Christum, prona eum cito citiùs adorauit, & ne corpore toto addicto obsequiis Christi vacaret lingua, eam fecit interpretem animi sui Christo Domino

Chananææ fides fuit omnibus numeris absoluta.

Ex linguis.

Domino mancipati. Nempe voces edidit indices suæ illibatæ fidei, quam de Christo conceperat, idque tenore quanto potuit maximo, vt Hebræa sonant, תצעק *thitsengihak*. Radix, צעק *tsangbak*, significat contentionem magnam in vociferando. Vt corde quidem creditur, & ore fit confessio ad salutem; ita Chananæa aduoluta pedibus Christi, hoc humili statu testata est, quàm altè sentiret de Christo, quem vt Deum præfato illo habitu corporis adorabat.

HEBRÆA.

Miserere Hebræis idem quod gratiam impertire.

Vtque Dei proprium est misereri semper & parcere, & demum facere copiam gratiarum; mulier illa benè tincta sacris fidei mysteriis, orationem suam auspicata est vt decebat. Vbi namque Latinus interpres eam sic inducit: *Miserere mei.* Textus Hebræus hanc ita refert: חנני *chonneni*, Id est, Nulla ratione habita meritorum parce mihi, & te beneficum præsta impertiendo gratiam: etenim radicalis חנן *chanan* hæc omnia significat. Quodque prodit summū Domini ius, illa petit vt dæmonem eliminet è corpore filiæ, quam nuper inuaserat. At Deus solus ad arbitrium suum deturbare potest spiritum illum nequam è sede, quam hostis ille acerbus nequiter vsurpauit. Illa Chananææ compendiosa oratio ad nullum infra Deum dirigi potest: Ergo vt par erat, & pro modulo suo fœmina hæc acta superno flamine, ingenuæ fidei omnes numeros adimpleuit. Syrus interpres hanc vocem adhibuit: ܐܬܪܚܡ *etrachem*, id est, ita miserere vt amoris tui aliqua in me influant argumenta. Nam vox ܪܚܡ *rachem* Syris, & Chaldæis significat, misereri, & amare. Vnde, quia Christi ortus in humanis, amoris & misericordiæ negotium fuit, orationem suam voce quæ vtrumque significat sapiens hæc mulier auspicatur; vtrobique Deum significans esse illum, cuius opem supplex efflagitat. Græcus interpres generali voce conclusit omnia beneficia, quibus anxia illa parens suis precibus inhiauit. Nimirum, ἐλέησόν με κύριε, significat, *Miserere mei Domine*: cùm enim misericordiæ latices sint omnia fluenta gratiarum, Græca dialectus misericordiam commemorans, satis superque credidit omnes gratias illo nomine recenseri.

Misereri Syris & Chaldæis idem quod amare.

EX SS. PATRIBVS.

Ne quid superesset fidei Chananææ, Christus ipse colophonem imposuit; tacitus enim prætereiit supplicem hanc mulierem, quæ suas faciebat filiæ suæ angustias, quibus æquè ac filia torquebatur; quippe non ait: Miserere filiæ meæ; sed sæpius ingeminat: Miserere mei; fortè, quia metuebat ne vitio suo castigando dæmon sæuiret in filiam, quia plerumque filij temporaliter & corpore tenus luunt cùm parentes sese vitiis obstrinxerunt. Christus dedignando preces afflictæ matris acuebat fidem eius, quæ sic lapidi Lydio affricta probata est. Suspicor ego Apostolorum gratiâ Christum Chananææ fidem dedisse in conspectum, vt vegetior eorum esset inde fides. Fortè instabis, non constare mulierem illam agnouisse Christum esse Deum, & me gratis confingere encomia in gratiam fidei, quæ rudis erat, & velut adhuc in incunabulis. Diluet hoc dubium Glossa ordinaria Strabi Fuldensis hoc contextu: *Magna fides Chananaa hic notatur, Deum credit, vbi Dominum vocat: hominem vbi dicit filium Dauid. Nihil ex merito postulat, sed solam misericordiam Dei efflagitat, dicens: Miserere. Nec dicit: Miserere filia meæ, sed: Miserere mei, quia dolor filiæ, dolor est ma-*

Chananæa credidit Christū esse Deum.

Glossa ord. in Matthæ. 15.

tris. Mulierem hanc surrexisse vsque ad Dei notitiam Hieronymus est assertor, historiam Chananææ sic concludens: *Nota quòd ista Cananitidis perseueranter primum filium Dauid, deinde Dominum vocet; & ad extremum adoret vt Deum.*

Hieron. in Matth. 15.

Ad eiusdem mulieris encômium pertinet illa prolixior meditatio Chrysostomi, versantis acutè minutias omnes, quæ conducunt ad illustrandam fidem fœminæ Chananææ, quam nimirum Dominus ipse laudibus extulit. Hanc non dedignati sunt laudare Patres elogiis congruis vsurpatis. Sic suam panegyricam orationem texit Chrysostomus: *Cùm accessisset mulier, nihil aliud, nisi: Miserere mei, exclamabat; & ingens spectaculum clamore suo concitauit. Erat enim certè quadam miserabiles res, mulierem aspicere tam magno dolore coactam exclamare: mulierem inquam, & matrem, & pro filia, qua malè vexabatur: miserabilis res erat exclamantem præ dolore aspicere. Nec enim ausa fuit ad magistri & Domini conspectum dæmoniacam filiam adducere: sed illa domi iacere dimissa, sola ipsa ad supplicandum proficiscitur: & morbi quidem genus exponit tantummodo, nec quidquam addidit, medicum autem, non domum suam, vt Regulus ille adducere conatur, qui dicebat: Veni, & impone manum tuam, & descende antequam moriatur puer meus; sed calamitatibus suis expositis, & morbi magnitudine narrata, misericordiam à Domino postulabat, vehementiùs clamans. Nec dicit: Miserere filia meæ: sed miserere mei: nam illa insensata iacet: ego verò illa sum, quam sensu morbi non fugit, quæ sentiens atque intelligens insanio, mille vexor ærumnis. Ille autem, non respondit ei verbum. Quàm nouum, atque inauditum hoc est. Iudæos ingratos rationibus etiam inducit, & blasphemantes rogat, & tentantes non negligit: hanc autem, quæ sponte venit, quæ deprecabatur, & supplicabat, quæ quamquam nulla lege, nullis Prophetis fuit commonita; tamen tanta cum reuerentia accessit, nec responso quidem dignam putare videtur. Et quis non moueretur, cùm aliter, quàm fama prædicaret, fieri videret? Audierunt certè quia vicos & ciuitates Iudææ circumiens, ægrotos curabat, & hanc vident mala sua deplorantem depelli. Quis porro misericordia flexus non fuisset, cùm ita humiliter illam pro laborante filia supplicare oculis cerneret? nec enim quasi digna, nec quasi debitum efflagitans adiit; sed misericordiam potebat, & calamitates suas tragica oratione narrabat, nec responso digna visa fuit. Multi forsan eorum, qui audiebant scandalum passi sunt; ipsa verò nec commota fuit.* Hæc ille.

Chr. hom. 53. in Matth.

Matth. 8.

Chananææ fide multò præstantior fide Reguli.

Chananææ fides vnde commendetur.

Rursus vt proceræ arbores validis ventorum flabris actæ, eò etiam magis altas radices agunt; ita fides tentata liquidior est, & quasi ærumnis atque opprobriis irrigata iugiter adolescit. Ecclesiæ pubescentis ille fuit tenor. Nempe velut incurius esset Deus huiusce ouilis, Tyranni sæuientes igne & ferro palantes egerunt oues; item hæretici ementitis ouium exuuiis subiere caulas Ecclesiæ, multasque oues incautas patulis faucibus & dente rabido sauciarunt. Illud elogium non defuit fidei Chananææ: quippe repulsam passa à Christo fide non excidit; sed fidei suæ præostensæ noua subdidit incrementa.

Ecclesia ærumnis irrigata adolescit.

Pergit Chrysostomus ita commentatus: *Christus ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierant*

Chrysost. hom. 53. in Matth.

domus Israël. Quid igitur mulier, postea quam hoc audiuit, non tacuit, ac destitit, aut alacritatem remisit? nequaquam, sed magis instabat. At nos haud ita, verùm cùm quod volumus non assequimur, desistimus, cùm propterea magis instare oporteret. Atqui quem non perplexum reddidisset ista responsio? Sufficiens equidem erat Christi silentium, vt illam in desperationem coniiceret; responsio verò id multo magis efficiebat. Cùm enim videret patronos etiam ipsos repulsam passos fuisse, ac perplexos esse, audiretque rem istam fieri non posse, istud sanè sufficiens erat, vt ipsam in permagnam desperationem coniiceret. Attamen non desperauit mulier; sed cùm videret patronos suos nihil efficere, pulchrà quadam inuerecundiâ inuerecunda fuit. Antea enim in conspectum venire non audebat (clamat enim, inquiunt, post nos) quando verò consentaneum erat vt ipsa rebus desperatis longius abiret, tunc propiùs etiam accedit, atque adorat, dicens: Domine, adiuua me. Quid hoc est, mulier? num plus fiduciæ habes quàm Apostoli? num plus virium? Fiducia quidem, inquit, & virium nequaquam, quin & pudore abundè suffundor; attamen ipsam inuerecundiam pro supplicatione propono. Meam spero fiduciam & libertatem reuerebitur. Sed quid hoc? an non audiuisti ipsum dicentem: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel? Audiui, inquit; sed ipse Dominus est. Propterea non dicebat: Ora & precare; sed, adiuua me. Quid igitur ipse Christus? ne istis quidem fuit contentus; sed rursus desperationem auxit, dicens: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Ita quando responsum ei dedit, tunc magis quàm priùs silentio exulcerauit. Digna planè fides laude Chrysostomi, quia tentata multifariàm non nutauit, imò reperta fuit & probata suis omnibus numeris absoluta.

Chananæa passa repulsam fuit facta fidelior.

SENSVS LITERALIS.

Meritis fidelium, Sanctorum preces adiuuantur.

In hæc verba:

Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos.

§. IV.

Conjectura, Ex Ratione, Ex Linguis, Et Ex SS. Patribus.

Hebr. 11.

SCitè admodum Paulus ait: *Oportere credere accedentem ad Deum quia est.* Quasi diceret, irritas esse preces, quibus illibata fides non affingit alas. Et reuera infidelis oratio non misericordiam Dei sollicitat, sed iram prouocat vtique vindicem iniuriæ, quam irrogat Deo animus infidelis. Vt secus sincera fides Deum conciliat, & velut obstetricem agit precum, quas fundunt Sancti in gratiam hominum, à quibus adhibentur patroni apud Deum. Quisquis enim animo indubio, & spe plenus, de misericordia Dei non desperat, is de Deo altè sentit: nempe ratus proprium Dei esse misereri & parcere, inde confitetur, summum ius, scilicet vitæ & necis, esse penes Deum, atque ita Deum esse rerum omnium moderatorem, fidelis hæc anima profitetur. Mulier Chananæa sic se aptauit, vt congruè sisteretur Christo: præuia namque fide conuenit Christum, prona litans Deo, & orans eâ constantiâ, quæ decet inconcussam fidem, cuius conscij Apostoli, sua etiam adiecere suffragia, vt Christum huius fidelis animæ precibus inclinarent. Etenim duo maximè inflectunt animos ad ferendas alicui suppetias. Primum est ærumna grauis, aliquem lancinans & diuexans adeò acerbè, vt sit impar illi angustiæ. Alterum est dignitas hominis, hac iniqua sorte excepti. Coïere hæc duo in Chananæa; siquidem vexata fuit, quantùm esse potest alma parens: fides item eius ingenua eam adsciuit in numerum filiorum Dei, ideoque Apostoli duobus hisce argumentis ducti, egerunt causam eius apud Christum, cui mulierem hanc probatæ fidei feruidè commendarunt.

Fides debet esse comes indiuidua orationis.

Misericordiam quid præcipue conciliet.

Præcipua tamen causa, quæ induxit Apostolos, vt patronos se præstarent Chananææ, fuit fides eius inconcussa, licet in eam multimodè arietatum esset. Accipe Apostolorum cum Christo colloquium: *Accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.* Id est, annue precibus eius: dixisti enim aliàs, esse possibilia omnia credenti; & hæc mulier nullum finem facit testandi fidem suam, te Christum Dominum voce qua potest edita prædicando. Hoc enim significat vox Hebræa, צועקת *tsongheketh*, id est, contentione magna vociferans: plus namque Hebræis est radicalis, צעק *tsanghak*, adhibita à Matthæo, quàm radicalis, קרא *Kara*, quæ quidem significat clamorem, sed non æquè intensum, vt est ille priori tessera lineatus. Syrus interpres voce vtitur significante clamorem magnum, דקע״א *dekanghio*. Radicalis, קעא *Kangha*, Syris & Chaldæis perinde est ac *vociferari*. Concordat Græcus interpres: *Ἀπόλυσον αὐτήν, ὅτι κράζει ὄπισθεν ἡμῶν.* Id est: *Dimitte eam: quia clamat post nos:* Verbum κράζω vocis elationem insinuat; & hæc vocis contentio magna prodit fidem mulieris, quæ dum ingeminat sonora voce suæ fidei professionem, Apostolorum animos sibi obstringit, quos & ego suspicor eam adhibuisse patronos, & sponsores animi sui Deo deuincti.

Matth. 15.

Chananææ fides causa fuit cur Apostoli pro ea rogarint.

Ex Linguis. Hebræa. Syriaca. Chaldæa. Græca.

Quòd Apostoli propitios sese præstiterint mulieri Chananææ, Patres Sancti aiunt fuisse misericordiæ negotium. Ita Hieronymus: *Discipuli adhuc illo tempore mysteria Domini nescientes, vel misericordia moti rogabant pro Chananæa muliere.* Concolor est Chrysostomi sententia hæc: *Discipulos ipsos calamitate mulieris commotos fuisse atque turbatos arbitror? nec tamen ausi fuerunt dicere: Concede ipsi quod petit. Sed accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.* Vox Græca, ἀπόλυσον, adæquatè refert intentum Apostolorum in ea oratione facta intuitu fœminæ Chananææ. Nempe verbum, ἀπολύω, multa significat, ad quæ proculdubio Apostoli attenderunt, quando adorsi sunt Christum, orantes vt esset beneficus illi afflictæ matri. Verumenimverò verbum illud, ἀπολύω, perinde est, ac dimitto, purgo, libero, vinculis soluo. Non itaque voluerunt Apostoli vrgere Christum, vt hanc abiiceret mulierem procul, velut auribus importunam: tunc

Ex SS. Patribus. Hieron. in Matth. 15. Chrysostom. hom. 53. in Matth.

Quid Apostoli petierunt pro Chananæa.

namque non orassent Apostoli, sed potiùs asperos se præstitissent, & immites, vtpote non curantes angustias fœminæ huius participantis ærumnas filiæ suæ à dæmone diuexatæ. Cùm itaque omnis oratio collimet ad gratiam aliquam impetrandam, vt in scopum idoneum intento animæ deprecantis; ex significatis pertinentibus ad verbum ἀπολύω illa sunt respuenda, quæ non conueniunt orationi, vt secus ea sunt deligenda, quæ orationem stipant, vt sunt, purgo, libero, vinculis soluo, ita vt verba hæc, ἀπόλυσον αὐτήν, hæc significare queant: Libera eam à molestia, qua angitur, & solue à vinculo dæmonis irretitam. Vnde coniicio, sic orasse Apostolos: Christe Deus, corporis & animæ moderator, cui nihil omnino inuium est, siquid te offendit in anima Chananææ, ratione cuius filia illius diabolo addicta est, tu qua vales eam purga, vt peccato expuncto, libera ab hac seruitute ingloria, mereatur accipere libertatem filiæ suæ, à diabolis absolutæ.

Ex Linguis. Græca.

Dimittere Græcis, Syris, & Chaldæis perinde ac soluere.

Græco huic textui concolor est Syrus interpres, שריה *scheriah*. Dictionis huius Syriacæ radicalis est שרא *schera*, quæ Syris & Chaldæis significat, dimittere, soluere intricata, condonare, parcere, remittere. Ita vt sensus orationis habitæ ab Apostolis sit iste appensus ad trutinam verbi Syriaci, & Chaldæi: Dimitte hanc mulierem, & sicuti peccato obnoxia est, pietate tibi insolita, qua peccata remittis, fac eam participem eiusdem gratiæ, quam vltro aliis erogasti, vt sic mulier accincta fiat voti compos, dæmone procul abacto virtute tua, quam voce indefessa fidelis & constans hæc fœmina confitetur: Et profectò Domine tua interest; siquidem à tergo clamat, te esse filium Dauid, illum vtique promissum mansuetissimo Regi. Memento itaque Domine Dauid & mansuetudinis eius, annuendo votis parentis anxiæ atque sollicitæ de salute filiæ à dæmone cruciatæ.

Syriaca. Chaldæa.

SENSVS LITERALIS.

Promissio incarnationis Christi facta est solis Iudæis, licet Christus missus sit in gratiam omnium hominum.

In hæc verba:

Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.

§. V.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione, Et Ex SS. Patribvs.

Christi incarnatio promissa Patriarchis.

Nascituri Christi sponsio facta Patriarchis adeò suspensos tenuit animos Iudæorum, vt increduli etiamnum expectẽt Christi exortum in humanis. Vbi Maria ergastulo virginalis vteri sui conclusit hunc Dominum, & nacta est Elizabeth matronam consciam arcani huius, non tacitum hoc voluit præterire mysterium, sed magnificans Dominum in iubilo confessa est, Deum respexisse humilitatem ancillæ suæ, cùm eius carnem induit illibatam, & sic stetisse pollicitis, quibus sub sacramento iurisiurandi sese Patribus obstrinxerat. Ecce Mariæ gestientis iubilum: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula.* Zacharias etiam Deo afflatus, Christo adhuc in vtero matris sic occinit, recolendo Deum annuisse votis Hebræorum: *Erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis.*

Luc. 1.

Ibidem.

Christus itaque solis est Iudæis promissus, quamuis suo aduentu esset toti Adæ soboli consulturus. Vnde cùm audis, hunc Dominum dicere, se non esse missum nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, hoc ad literam intellige de missione facta, ex vi promissionis antiquæ Abrahæ, Moysi, & Dauidi. Ita vt sit iste sensus à Christo intentus in refutatione precum, quas Apostoli tunc fundebant: Quid mihi estis importuni ô discipuli mei, vt me beneficum præstem huic fœminæ peregrinæ. Quasi verò missus sim ad populum exotici ritus, & nesciam Diuini cultus. Iudæis tantùm sum promissus; ideoque Pater stando pollicitis me delegans ad eos, quibus se obstrinxit, ad solos Iudæos misit, & non ad Gentiles. Et quia argumenta meæ missionis sunt ostenta, & prodigia; incongruè petitis miracula in gratiam Ethnicæ huius mulieris, cùm illa sit Gentis à Iudæis ritibus alienæ.

Christi missio quomodo pertineat ad Iudæos solos.

Deuiat igitur ab intento Christi Maldonatus, cum explicat Christum primò missum ad Iudæos, dein ad cæteros: sensus ille allegoricus est, & non literalis, explicans incunabula Ecclesiæ post repudium Synagogæ. Sistendum est in terminis, & explicanda particula exclusiua, *nisi*, quæ non reddit sensum quem Maldonatus insinuat, sufficiens in locum eius vocem, *primùm*: ita vt sensus sit, Christum esse missum ad omnes Gentes; ea cautione tamen vt in serie populorum Iudæi primas occuparent. Ita commentari est aliò detorquere & verba & sensum Christi, vt deprehendet Lector eruditus, qui meam sententiam appendet ad pondus sanctuarij, id est, ad trutinam textus Euangelij quod decurro.

Vt hæc Christi missio liquidior esset, & nemo Iudæorum iret inficias, Dominum hunc rerum esse Christum, operæpretium fuit missionem illam adstruere prodigiis, & portentis, vt sibi conciliaret inde fidem, miraculis vtens tamquam validis argumentis. Si ergo missio humanitatis Christi spectetur ex vi pacti à Deo initi cum Abraham, hæc pertinet tantùm ad Iudæos, & particula, *nisi*, quidquid secus coniiciat Maldonatus excludit omnes Gentes alias à Iudæis: nulli namque Deus iureiurando asseruit daturum se Regem, quem Zacharias nuncupat Saluatorem, vocans eum *Cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, &c. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Si verò missio Christi spectetur vt pignus amoris & misericordiæ Dei; nemo planè tunc ab ea secernitur, sed toti mundo impensa decernitur, ipsi

Christus quare tot ediderit prodigia.

Christus promissus vt Saluator.

etiam assertore Christo, qui huius arcani conscium fecit Nicodemum, eum sic compellans: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Cùm ergo Christus negauit se missum Gentibus, intellexit de missione priori modo sumpta, ad quam illa Chananæa mulier alludebat, vocans eum filium Dauid; vt namque filius Dauid, ad solos Iudæos pertinuit, vtpote promissus eis tantùm: vbi verò se beneficum præstitit Chananææ, Centurioni, Tyriis, atque Sidoniis, hoc fuit negotium pertinens ad missionem misericordiæ, & amoris æstu factam, quæ neminem excepit ab influxu gratiarum Dei: ille nimirum Christus in argumentum amoris Dei, in gratiam omnium hominum missus est, neminem prorsus secernens ab ouili suo, vt ipsemet ait hoc contextu: *Adhuc alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & erit vnum ouile, & vnus Pastor.*

Ioan. 3.

Christi missio in quo sensu pertineat ad Gentiles.

Ioan. 10.

Quòd ergo Christus missus sit solis Iudæis; hoc ad iusiurandum seu promissiones Patrum spectat: quòd verò etiam quandoque propitius in Gentes influxerit; hoc fuit beneficium misericordiæ, vt Paulus disserit elimatè: *Dico* (inquit) *Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Vnde & sic commentari fas est in verba Christi, ita vt sit sensus literalis anteponẽdus aliis omnibus: O discipuli benè affecti erga Chanææm, incongruè me vrgetis vt annuam votis eius, quia clamat me esse filium Dauid: illo namque nomine procul est hæc mulier amandanda. Nempe vt filius Dauid pertineo tantùm ad Iudæos; sed vt Filius Dei vnigenitus salutem orbis vniuersi meo etiam sanguine procurabo. Quòd itaque recolit hæc mulier me esse filium Dauid, eo ipso sibi malè consulit; siquidem eo nomine nihil mihi & illi, vtpote Gentili: filius namque Dauid, vt ex semine Iudæorum cretus, ad hanc solam Gentem teste illibato Dei fœdere delegatur.

Christi missio bifariam accipitur.

Rom. 15.

Chananæa quare repulsam passa.

Nota, mulierem illam passam fuisse repulsam à Christo, vt filius Dauid erat; sed postea laudatam, & dignatam votis optatis ab eodem Christo vt Domino rerum: nam vtrumque professa est; & Dominum vocans, & Filium Dauid. Etenim vbi audiit Christum cassas facere preces Apostolorum, eo solo nomine quòd filius Dauid non esset missus nisi ad oues, quæ perierant domus Israël, accedens ad eum mulier illa cœlesti flamine percita, non eum amplius appellat filium Dauid, ne sic causâ cadat; sed illum nuncupat Dominum, id est Deum, ad cuius ouile pertinebant etiam Gentes, in caulas eius eo ipso tempore congregandæ. In ea nuncupatione Domini, fœminam hanc intellexisse Deum, satis superque liquet ex cultu comite verborum eius: quippe adiecit pronum corporis habitum, adorando Christum vt Deum, sic concilians sibi Christum, qui vt Deus, omnium Dominus est, neminemque facit impotem gratiarum, quas secus liberali influxu gestit omnibus erogare. Huicce meo commentario fidem facit series historiæ. *Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.*

Chananææ quare postea dignata votis optatis.

Chananææ quare postremò vocauit Christum Dominum, & non filiũ Dauid.

Matth. 15.

Vtriusque missionis mentionem facit Hieronymus, dicens & Iudæis & Gentibus missum esse Christum. Sic ille: *Iesus respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Non quòd & ad Gentes non missus sit; sed quòd primùm missus sit ad Israel: vt illis non recipientibus Euangelium, iusta fieret ad Gentes transmigratio.* Audacter dixerim, vberiorem fuisse in Gentibus fructum missionis Christi, quàm in Iudæis, quibus exhibita est præsentia corporalis vt promissa, sed iis sese indignos præstantibus, gratiæ Christi latices aliò deriuarunt. Namque vbi Euangelij clangor insonuit, confluxere Gentes in ouile Christi, propagantes sic obsequio suo caulas Ecclesiæ.

Christus missus Iudæis, & Gentibus.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron. in Matth. 15.

Quomodo etiam Gentibus copiam sui fecerit Christus, id ab Augustino accipe luculenter. *Illi* (inquit) *non audierunt, in quorum oculis fuit; illi audierunt in quorum auribus sonuit. Illius enim Ecclesiæ venturæ de Gentibus typum gerebat mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur: tangebat, & non videbatur; nesciebatur & sanabatur. Figura quippe erat, quod Dominus interrogauit: Quis me tetigit? Quasi ignorans ignoratam sanauit. Sic fecit & Gentibus. Non eum didicimus in carne, & carnem eius meruimus manducare, & in carne eius membra esse. Quare? quia misit ad nos. Quos? præcones suos, discipulos suos, seruos suos, redemptos suos quos creauit, sed quos & redemit fratres suos. Totum parum dixi, membra sua, seipsum: misit enim ad nos membra sua, & fecit nos membra sua. Tamen secundùm speciem corporis, quam Iudæi viderunt, & contempserunt, non apud nos fuit Christus: quia & hoc de illo dictum erat, sicut Apostolus dicit: Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Ad illos debuit venire, à quorum patribus, & quorum patribus est promissus: ideo & ipse sic ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Sed quid dicit Apostolus in sequenti? Gentes autem super misericordia glorificare Deum. Quid & ipse Dominus? Habeo alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili. Qui dixerat: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierant domus Israël: quomodo habet alias oues, ad quas non est missus, nisi quia significauit præsentiam corporalem non se missum exhibere nisi solis Iudæis, qui viderunt, & occiderunt? Et multi tamen inde, & antea, & postea crediderunt.*

Aug. tract. 31. in Ioan.

Christi missio in mundum vtilior fuit Gentibus, quàm Iudæis.

Christi præsentia corporalis exhibita præcipuè Iudæis.

Non est itaque nobis quòd inuideamus Iudæis missionem Christi testatam miraculis, cùm fuerimus & nos dignati dotibus gratiarum, quarum plerique Iudæi Christo tunc coæuentes fuere nescij, vtpote mortui in peccatis, igne æterno vindice castigandis. Nota obiter, Christum solis debitum fuisse Iudæis, ex vi pacti quod memini; sed hoc non obfuisse quin dignatione sua se Gentibus raptim & quasi per transennam ostenderit, eas cursim initians ritibus, quos eædem Gentes ebiberunt, ab Apostolis postmodum eruditæ.

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Christus eo tempore missus est ad Iudæos, quo fuerunt apud eos omnia deplorata.

In hæc verba:

Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.

CONIECTVRA SECVNDA

Ex Lingvis,

Christus missus cum Synagogæ res pessimè haberent.

VT desperatis rebus ægri magni nominis, Medicus quisque peritior consulitur, ne quid desiderandum supersit reduci sanitati; ita Deus tentata veletudine Iudæorum multifariàm occurrit eorum deliquiis, mittendo Prophetas, qui prædicatione sua eos abstraherent à vitiis, in quæ turpiter inclinabant. Sed vbi mali labes totam Synagogam infecit, ipsa præcordia labefactans, deuentum est ad anchoram sacram, & morbo extremo adhibitum est supremum remedium: tunc namque Christus in orbem influxit, cùm videlicet Synagoga quasi animam ageret spiritu Dei penitus abdicato. Nempe sacerdotes, penes quos erat summa rerum & Scribæ & Pharisæi legis Doctores, instar sepulchri dealbati aliquam nitoris ideam deforis ostentabant; sed reuera intrinsecus erant spurcissimi, & vermium conscientiæ scaturigo importuna ebulliens cordis eorum intima depascebat. Illa tamen vitiorum omnium colluuies non obstabat, quin populus ille esset grex Dei. Vnde quia vndequaque lupis erat obnoxius grex ille sine pastoribus idoneis, Deus Christum misit vt pastorem congruum, qui dispersas oues reuocare posset in ouile, à quo recesserat Iudæorum populus errabundus.

Christus ad quas oues perditas sit missus.

Sensus itaque literalis non est is, quem Tostatus affingit verbis Christi, dum ait Christum non venisse vocare iustos ad pœnitentiam, sed peccatores; atque adeò voluisse hic dicere, se esse tantùm missum ad illos, quibus pœnitentiam consuluit. Non est hæc explicatio adæquata, nec proinde refert sicut decet intentum Christi. Hæc igitur esto mea conclusio: Cùm Christus homo conclusus est sacro virginis ergastulo, Synagoga ferè tota in hanc vitiorum sentinam deuenerat, vt sacerdotes ipsi, faciendo fucos hypocrisi sua, prætenderent tantùm hominibus pietatis mutuatitiæ inania simulacra. Deus miseratus hanc iniquam sui gregis sortem, pastor opportunus occurrit, induens exuuias ouium habitu inuentus vt homo; atque ita mitti ad oues, quæ perierant domus Israël, perinde est ac mitti ad totam Synagogam, cuius præcipuè partes, Pontifex & Sacerdotes à recto virtutum tramite deuiabant. Non inficior aliquos fuisse sed pauculos sanctos, vnde quia præcipua dignitate capita Iudæorum errabant, dicitur Synagoga tunc periisse, & turpiter aberrasse.

Gentilitas non fuit grex Christi.

Et Lingvis.

Voluit igitur Christus hoc versu insinuare, quàm infelix esset status ille, in quem tunc deuenerat grex ille deuius à sincero Dei cultu: quod namque Latinus interpres dixit oues; textus Hebræus dixit, הצאן *hatson*. Vox hæc non simpliciter oues significat, sed gregem pecoris omnigeni, vt sunt oues, capræ, boues. Eamobrem sic coniicio Christum compellasse suos discipulos: Non damno zelum, quo perciti, ô discipuli mei, me rogatis vt faciam satis anhelo voto fœminæ Chananææ, postulantis vt abigam dæmonem importunum. Lupus ille ferox alias edit strages in ouili, cuius cura magis est mearum partium nunc, quàm sollicitudo Gentilium, qui Deo vero abdicato litarunt lapidi, & metallo. Tota ferè Synagoga à Deo instituta defecit, & deorsum inclinans illudit hominibus, suos seruando ritus vtique cute tenus. Populus quidem ille Deum sonat concrepantibus buccis, & voce sonora psalmos ingeminat, sed cor ditis est deuotum, vtpote delubrum omnium vitiorum. Mearum itaque partium est, plus inuigilare gregi, qui mihi incumbit ex missione promissa Patriarchis, quàm vnam ouem palantem anxiè reuocare.

Hebræ.

Syriaca.

Chaldæa.

Concors est Syrus interpres: nam vox Syriaca, עניא *ngherbe*, oues mistas, id est, gregem significat. Nempe radicalis, ערב *ngherab*. Syris & Chaldæis significat *commiscere*. Quòd si Græcus interpres dixit simpliciter πρόβατα, id est, *oues*, non est intelligendus eo modo, quo Tostatus ait de aliquibus pecoribus, sed in vniuersum de toto grege, qui adeò malè habebat, vt lupi in pastorum locum suffecti essent: nam Pontifices & Pharisæi proceres Synagogæ tumidi & elati diducto supercilio nihil nisi fastum sapiebant. Scribæ legis interpretes de suo penu glossas degeneres assuebant textui sacro, vt verbi gratiâ, odio esse habendos inimicos, aliaque id genus dogmata iniqua populis ingerebant. Eò tandem superbiæ surrexerat Synagoga, vt venienti Christo noluerit assurgere, licet Magi ab Oriente properantes, venerati cunas eius, paruulum adorarint. Hanc eorum superbiam carpens ille Dominus omniscius ait, se pastorem sollicitum reliquisse nonaginta nouem oues, nouem scilicet ordines Angelorum, vt vnam ouem errantem in montibus, id est, Synagogam superbiæ typho laborantem reduceret in ouile.

Græca.

Synagoga tota ritibus externis occupata.

Synagogæ peccatum præcipuum fuit superbia.

Christus itaque notat Synagogæ infelicem statum, qui Deum inflectens ad misericordiam, ab eo accepit eumdem Christum adiutorem opportunum. Vnde & is instaurando ruinas Synagogæ, dicebat se Medicum & Pastorem, quia Gens illa velut decumbens, erat sicut æger corpore hiante plagis animam agens, vel sicut grex damnatus ad macellum. Eò spectans Christus dixit Apostolis, populum Iudæorum, cum quo Deus iniit fœdus data circumcisione in tesseram pacti, esse curandum ante Gentes, quæ succussio Dei iugo præfecerant sibi impia simulacra. Cautè tamen est intelligendum illud Synagogæ deliquium, ne subrepat hæreticum dogma, clamans Ecclesiam posse errare & deficere: etenim tametsi vitiis implexa fuerit Synagoga; fide tamen non excidit, sed adeò liquida Dei notitia viguit in Iudæis, vt Herode sciscitante vbi nasceretur Christus, illico Prophetam laudauerint, quo præscio vicus Bethlehem erat incunabulis Christi Domini consecratus. Rursus idem Dominus, vitiorum Synagogæ censor rigidus, hortatus est Iudæos, vt Scribis & Pharisæis morem gererent loquentibus è cathedra Moysis; sic insinuans, apud eos sinceram esse fidem, & omnem mali labem esse in moribus multiplici vitio deprauatis. Quòd siquando Pharisæi dogmata peregrina & proprias glossas ingessere plebi, illud omne fuit extra Cathedram Moysi, ac proinde non obfuit quid

Christus quare dicatur Medicus, & Pastor.

Synagoga fide nunquam excidit.

Scribæ & Pharisæi loquentes è Cathedra Moysis non errarunt.

quin fides Synagogæ semper illuxerit, & steterit illibata, donec Ecclesia suffecta est in locum eius, à recto fidei tramite deuiantis.

SENSVS LITERALIS.

Miraculis alenda fuit fides Iudæorum, vt sic enutritita pubesceret, & litaret Christo.

In hæc verba:

Non est bonum mittere panem filiorum canibus.

§. VI.

CONIECTVRA PRIMA

Ex Ratione.

Missionis Christi argumẽta fuere miracula. *Isa. 35.*

PRæscius Isaias aduentus Christi, ait missionis eius indubiæ argumenta fore miracula. Ecce Vatis oraculum: *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Eo duntaxat argumento Dominus satis superque fecit quæstioni sui præcursoris: Ioanni namque sciscitanti per internuntios, IESVS esset Messias nec ne; ipse Dominus recensuit edita miracula à se, concilians inde fidem missioni suæ, quam Ioannes anteambulo Christi dubiam facere videbatur. Ita Matthæus seriem huius recolit historiæ: *Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Vt Scribæ & Pharisæi erant conscij Scripturarum, quas populo prælegebant, haudquaquam mens eos ita defecerat vt probè non callerent, prodigiis & ostentis debere Messiam populis illucere. Hinc erupit illa petulans Scribarum proteruia, petens signa de cœlo, vt portentis de cœlo elicitis, Christus disciplinæ suæ nouæ dogmata comprobaret.

Matth. 11.

Miracula fuere indubia fidei signacula.

Congrua sanè fuisset illa petitio miraculi alicuius insignis, si hactenus Dominus ille mirabilium patrator assiduus non se præstitisset Thaumaturgum: namque non potuit vllus homo antiquare legem Moysis cœlitus indictam, nisi fuerit is Deo auctore satus ad hoc mysterium. Vt autem quis Deo delegante suam esse missionem proderet, opus fuit miraculis, vt idoneis fidei signaculis, quæ Deus crebrò adhibuit quando Apostoli satores Euangelij in omnes orbis oras Ecclesiæ pomœria propagarunt. Ne suis itaque deesse partibus videretur Christus, infinita propè edidit miracula in ipso Euangelij exordio, prædicationem suam ita mirandis actibus auspicando: & præsertim in ostentis se beneficum præstitit sanando infirmos, vt corpore restituto, infideles sic animas initiaret sacris fidei mysteriis. Matthæus Euangelij exortum ait fuisse velut scaturiginem ostentorum. Sic ille: *Circuibat Iesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & secuta sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.*

Matth. 4.

Christus auspicatus est prædicationem Euangelij editione multa miraculorũ.

Ex præfatis videre est, miracula fuisse alimentum fidei Christianæ, quæ pasta prodigiis, ea postmodum sortita est incrementa, quibus coalescit Ecclesia. Vnde sensus literalis verborum Christi est iste: Miracula à me edita in gratiam infirmorum eo intento prostant, vt sic Iudæorum fidem conciliem: nempe eis promissus sum vt Saluator, nec nanciscar ego finem meæ missionis, scilicet salutem populi à Deo electi & secreti ab aliis tesserâ circumcisionis, quin dederint mihi manus, quas ideo beneficiis impleo, vt qui detrectant auscultare prædicanti, credant saltem gratias eroganti. Cùm igitur miraculis sit pasta fides hæc tenella Iudæorum, portenta hæc sunt velut panis filiorum, quem non par est diuidere cum Gentibus, quæ se Dei obsequio subtrahentes, dedignatæ sunt habere illum in patrem, titulum hunc perhumanum degeneres & impij detrectantes.

Christus vt Saluator debuit agere miracula.

SENSVS LITERALIS.

Christo existente in humanis tempus nondum effluxerat, quod Deus ab æterno præstituit idoneum conuersioni omnium Gentium.

In hæc verba:

Non est bonum mittere panem filiorum canibus.

CONIECTVRA SECVNDA

Et Linguis, Et Ex SS. Patribus.

ESto momentis omnibus Deus adfuerit hominibus, nec vllam omnino Gentem exceperit ab influxu gratiarum, quæ sufficiunt ad salutem; in confesso tamen est apud omnes, etiam Theologiæ candidatos, ad gratiam efficacem requiri quædam momenta adeò congrua & apta, vt iis elapsis, anima gratiam soleat oblatam alio tempore detrectare. Si ad singulas quasque animas pertinet illa animaduersio, potiori ratione spectat omnium Gentium vocationem ad caulas Ecclesiæ: namque momenta eis aptiora ad salutem fuere illa, quibus Apostoli decurrentes orbem ferè totum, sacra Euangelij dogmata seminarunt. Cùm igitur audis Christum dicere: Non esse bonum mittere panem filiorum canibus; noli suspicari, Christum voluisse inferre, malum esse prædicare Gentibus pro tunc, & coram eis facere miracula, vt quidam malè coniiciunt: ille nimirum haudquaquam fuit Christi Domini cogitatus, sed voluit hoc mentibus ingerere; scilicet esse præcox negotium, diuinitatis suæ argumenta eo temporis articulo Gentibus explicare. Etenim Deo moderante res hominum, & eas appendente ad trutinam prouidentiæ suæ, par erat Christum se primò prodere Iudæis, vt populo cui à sæculo Deus innotuit, ab eo indictis desuper

Gratia Dei efficax petit momenta quædam cõgrua & apta.

Gentiũ conuersio reseruata post Passionem Christi.

Euangelium quare primò prædicatum est Iudæis.

desuper sacris, & ritibus honoratus. Itaque in pignus, & in fœnus exhibiti Deo cultus, æquum fuit auspicari prædicationem Euangelij in Iudæa, & fulcire miraculis veritatem disciplinæ Christianæ hactenus inauditæ, vt si Iudæi refellerent suauem hanc doctrinam, iusta fieret ad Gentiles diuersio.

Bonum & commodum voces sunt synonymæ Hebræis.

Sic igitur est intelligendus Christus, vt cùm dicit, non esse bonum mittere panem filiorum canibus, perinde sit, ac non esse conueniens, seu esse incongruum tempus ad edenda miracula corā Gentilibus, quorum erat vocatio tunc temporis immatura. Quod enim Latinus interpres ait: *Non est bonū.* Textus Hebræus ita refert, לאטוב *lo tob*, id est, *non commodum est*: siquidem, טוב *tob*, bonum significat, ex quo commodum percipitur, vt Mercerus aduertit exemplo allato ex Psalmo 16. Vbi versus ille: *Bonorum meorum non indiges.* Sic redditur à Dauide in fonte Hebræo, טובתי בל עליך *tobathi bal nghalaca.* Id est, *bonum meum non est tibi bonum, quiā minimè commodum est.* Christus ergo raptim, & cursitando tantùm illuxit Gentibus, quia prædicatio Euangelij, nec ipsa miracula edita tunc fuissent eis bona, id est commoda, quia non fuissent sortita suum effectum, scilicet salutē animarum, ad quam omnia Christi opera collimabant.

Ex Linguis.

Hebræa

Syriaca.

Syrus interpres adhibuit vocem, שפיר *schaphir*, quæ perinde sonat ac, *complacens*, seu *pulchrum*, à radice, שפר *schephar*, quæ Syris & Chaldæis idem significat ac, *complacens fuit.* Vnde Christus tunc Syriacè locutus, (erat enim illi vernacula dialectus Syriaca) sic suos affatus est discipulos: Bona equidem ex se est, pulchra & complacens editio portentorum, si congruos habeat spectatores, qui inde referant commodum à Deo intentum talia opera perpetrando; sed si miracula offendunt homines incongruè dispositos, dicent illa esse veneficia & præstigias, quæ illudunt oculis. Idcirco nolo imprudenter edere miracula in plaga Tyriorum, quia præpropera talis esset editio portentorum, referenda post agones meos & repudium Synagogæ, cuius pauculæ animæ selectæ nomen suum mihi dabunt, reliquis pessum abeuntibus in pœnam suæ perfidiæ credere dedignantis.

Chaldæa.

Bonū Syris & Chaldæis idem ac pulchrum seu complacens.

Græca.

Bonum Græcis perinde est, ac pulchrum, seu honestum.

Vox Græca, καλὸν, eò etiam spectat: οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. Id est: *Non est bonum, seu pulchrum, accipere panem filiorum, & proiicere catellis;* καλὸν, hæc duo significat, bonum scilicet, & pulchrum. Vt pulchritudo sita est in proportione debita singulis quibusque membris; ita & actionum bonitas, seu pulchritudo attenditur ex circunstantiis idoneis, quæ stipare debent actionem, cui est apta & consona bonitas affingenda. Fauet & hoc sæpe decantatum proloquium. Bonum non est bonum, nisi debitè fiat, quod perinde est ac, pulchrum non est pulchrum, nisi iis omnibus accingatur, quæ coëunt ad speciosum aliquid appellandum. Cum ergo ante Passionem Christi tempus esset incongruum ad vacandum conuersioni Gentilium; Christus ait, nolle se aggredi hoc intempestiuum opus, auspicando à gratia curationum, qua vt pane fuit sustentata fides Iudæorum. Panem hîc sumi pro eo omni quod sustentare potest, liquet ex voce Hebræa, לחם *lechem*: illa nimirum dictio significat omne quod conducit ad vitæ huius corporeæ nutricatum; nāque radicalis, לחם *lacham*, nutrire significat. Ab hoc fonte Hebræo fluxit dictio Syriaca, quam induxit Syrus interpres לחמא *lachmo*, id est, omne quod alimenti vices gerit.

Bonum pluribus indiget, vt sit bonum.

Panis quid significet apud Hebræos & Syros.

Rursus vbi Latinus interpres ait: *Non est bonum sumere panem filiorum.* Græca dictio pro, *sumere*, substituit, λαβεῖν, id est, *auferre*: siquidem verbum, λαμβάνω, à quo vt stipite, λαβεῖν, tamquam surculus enascitur, significat, *capio*, & *aufero.* Vnde hic est sensus literalis sermonum Christi: Tempus quod decurro Iudæorum saluti decernitur: pro mea virili parte huic incumbo, in gratiam animarum etiam corpora sospitando: etenim restituto corpore sanitati pristinæ, homines ita instaurati non cunctantur dare mihi nomen suum; sicque cura ægrorum est congruum alimentum fidei Iudæorum, quorum iam est tempestiua conuersio. Si itaque curo filiam Chananææ, ego quasi aufero & detraho Iudæis illud quod erogo Gentibus alimentum. Nempe Iudæis debetur hæc gratia, quam si diuido cum Gentibus, illud est proiicere panē filiorū catellis.

Gratia curationum debita Iudæis.

Hebræa.

Syriaca.

Græca.

Vt nihil omnino vacat in verbis Domini Iesv, altè rimandus est eorum sensus. Iudæos vocauit filios, quia ipsi à Deo fuerant præ cæteris populis adoptati. Gentes nuncupando canes, ostendit eas excidisse ratione, statim atque cultum Deo debitum transtulerunt ad impia simulacra. Vbi Angelus apostata desertor effectus est, quasi bestiarum indolem nactus esset, exutus est infulis & titulis Angelorum, & nomine inglorio bestiarum notatus est: quippe vocatus est Behemoth. Est autem vox illa Hebræa pluralis numeri, & bestias significat potiùs quàm bestiam; ita & Gentes idolis addictæ degeneres abierunt in bestiarum sortem. Quare autem in genere bestiarum canes vocentur populi idololatræ, arbitror ego id petendum esse à contrario ritu Hebræorum, quibus speciali edicto cautum erat abstinere à suffocato, & sanguine. Ecce legem: *Hoc solum caue, ne sanguinem comedas.* Vnde, quia Iudæis fuit semper id propositum tenax obseruandi hoc statutum, Ethnicos omnes vocauere canes, quia ad arbitrium suum more canum, & suffocato, & sanguine pascebantur.

Gentiles quare canes appellati sint à Iudæis.

Deut. 12.

Imò pubescente Ecclesiā, & confluentibus in eam Gentilibus, sanxere Apostoli, ne quis suffocato & sanguine vesceretur, ne fideles ex Iudæis inde ansam arriperent Christianos ex Gentibus nuncupare canes, si daretur eis copia qua gaudebant, comedendo carnem & sanguinem. Ecce Canonem Concilij Ierosolymitani indicti ab Apostolis. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, benè agetis.* Vt ergo Iudæi abhorrebant ab indole canum, quos quotidie videbant sanguinem lingere, eo nomine Gentes etiam recensebant, quia & suffocato & sanguine vescebantur. Itaque saturandi fuere filij miraculis, vt ab eis repudiata fide, Deus etiam beneficum se præstaret & Gentibus, vt benè aduertit Hieronymus, obseruans vitio Iudæorum fuisse inuersa nomina, dum coalescente Ecclesia ex Gentibus, Iudæi more canum in rabiem turpiter abierunt. Sic ille: *O mira rerum conuersio, Israel quondam filius, nos canes. Pro diuersitate fidei, ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur: Circumdederunt me canes multi.* Gentiles autem esse voca-

Abstinentia à sāguine & à suffocato quare indicta primis Christianis.

Actor. 15.

Gentiles facti filij, & Iudæi in canes transmutati.

tos

Hieron. in Matth. 15.

tos canes, ob rationem prælibatam de esu sanguinis, insinuat Hieronymus hoc contextu: *Canes Ethnici propter idololatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, & cadaueribus mortuorum feruntur in rabiem.*

Fuisse autem tempus immaturum conuersioni Gentilium, ideoque Christum noluisse annuere votis fœminæ Chananææ subiicit Glossa ordinaria. *Filij sunt Iudæi generati, & nutriti sub cultu vnius Dei per legem. Panis est Euangelium, miracula, & alia quæ ad salutem nostram pertinent: non est ergo conueniens, vt à filiis auferantur, & dentur Gentibus, qui sunt canes, donec Iudæi repudient.* Christus ipse liquidiùs ait Chananææ: *Sine saturari filios*: id est, sustine vt Iudæi ad satietatem saginentur beneficiis meis, quæ ex præuio pacto inito cum patribus ad eos pertinent: hi gratiæ meæ incurij, illam fastidient, tuncque locus erit optatis tuis, quibus nunc annuere, illud esset anteuertere tempus ante sæcula præstitutum. Et id profectò fuit intentum Christi, quando duriùs obiurgauit fœminam hanc Gentilem: Hoc tamen nequaquam obfuit, quin idem Dominus & Rex sæculorum immortalis, pertæsus degenerem Iudæorum indolem, Gentiles Tyrios & Sidonios inuiserit, eos vocans in partem panis filiorum, curans ægros, & alia beneficia illis Gentibus erogando.

Glossa ord. in Matth. 15.

SENSVS LITERALIS.

Fides perfecta stipatur aliis virtutibus, animamque totam componit ad arbitrium Dei.

In hæc verba:

Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

§. VII.

CONIECTVRA PRIMA

EX RATONE, ET EX LINGVIS.

Genes. 24.

VErnaculus Abrahæ, nomine Eliezer, conductâ Rebeccâ in sponsam Isaac, protulit inaures & armillas in pignus coniugij Domini sui cum hac virgine desponsata. Eadem supellectile Deus dignatur animam, quam sibi in fide desponsat. Auribus eius inaures aptat, vt quicquid ad fidem pertinens auribus exceperit anima hæc fidelis, suum statim assensum præbeat: adiicit Deus & armillas brachio insertas, gratiam scilicet impertiens magna audendi, & operandi fortia. Nempe fides nacta suum complementum, id est, charitate rutilans atque conspicua, socias habet alias virtutes, vt cognatas eiusdem prosapiæ. Locuples effati huius exemplum est fœmina Chananæa: quippe edito specimine egregio fidei suæ, confitendo palàm Christum esse Dominum, id est Deum, & filium Dauid, illum vtique Messiam optatum & desideratum cunctis Gentibus, luculenter ostendit, fidem sinceram & perfectam non seorsim ab aliis virtutibus incedere, sed esse accinctam indiuiduo virtutum omnium comitatu. Namque repulsam passa, imò & durius obiurgata, & nomine inglorio canis affecta à Christo, fide non excidit; sed incremento potiùs fidei accepto, alias inesse sibi virtutes, præcipuè humilitatem atque in bono constantiam, factis illico comprobauit. Cùm namque Dominus ageret argumentis, vt liqueret hanc fœminam esse subiectum incongruum gratiæ miraculorum, quæ tunc temporis erat destinata Iudæis vt filiis, ac proinde esse indecorum postulare panem filiorum, vt canibus inseruiret. Mulier illa prudens cœlitus erudita resumens argumentum Christi, industriè intentum obtinuit sic arguens.

Fides stipatur aliis virtutibus.

Chananæa multis ornata virtutibus.

Christe Deus, veritas indubia, nullus est effato tuo inficiandi locus. Argumenti tui series tota sibi constat, & concludit illud omne, quod animo tuo insinuare gestis. Est sanè nefas eumdem panem diuidere filiis & canibus, nec id vnquam animo meo insedit proponere tibi; satis superque edocta sum, quàm esse congrua debeat oratio, quæ te sollicitat ad alicuius gratiæ influxû. Hoc vnum ambio, vt mecum agas pro rei dignitate, Appellasti me canem; & equidem merita nuncupatione: ego nempe canis sum, ac proinde tui iuris, cuius est id omne, quod toto terræ ambitu concluditur: itaque habe me vt catellum: nemo catello vetat colligere micas affatim è mensa Domini decidentes. Tu Domine accingeris ad decurrendam partem prouinciæ huius Ethnicæ, quantumuis oderis impios & Gentiles; non poteris tamen temperare tibi, quin his canibus aliquam buccellam panis filiorum propitius impertias: ego vt catellus micas efflagito quando sanitatem procuro filiæ meæ, à dæmone diuexatæ. Etenim es adeò assuetus ostentis atque prodigiis, vt vnum petere miraculum sit perinde ac expectare micam panis de mensa opiparè instructa.

Chananææ argumentatio qualis fuerit ad obtinendam sanitatem.

Qua industria argumentata sit Chananæa, & quàm efficaciter, perpendere est ex indagine sensus verborum eius. Christus eam abegerat, dicens rem incongruam esse cani partiri panem solis filiis apponendum. Illa resumens argumentum egregiè adstruit intentum suum, etsi propositio, quam concedit, videatur illi iniuria. Dixerat Christus se negare panem ei, quia canis erat. Illa instat: Ideo Domine debes annuere votis meis; nam catelli micas edunt Dominorum. Cùm itaque catellus sim, & tu Dominus, & actiones tuæ sint velut epulæ lautæ saginantes gratiis opimis animas & corpora Iudæorum; nihil obstat, quin sanitatem impertias filiæ meæ. Illa nempe salus impertita filiæ laboranti erit mica panis, & equidem valde exilis, si sit composita cum crebris & magnis miraculis editis in Iudæa.

Hanc Chananææ instantiam fuisse approbantis, & non inficiantis, linguæ conductæ clamant: nam textus Hebræus sic effert, אמת כן *emeth chen.* Id est: *Veritas sic se habet*, quod coincidit cum editione nostra canonica: *Etiam Domine.* Concolor est Græcus interpres: ἡ δὲ εἶπε, ναὶ κύριε. Id est. *At illa dixit: Etiam Domine.* Dictio, ναὶ, est particula, seu aduerbium affirmantis. Quasi diceret Chananæa: Annuo dictis à te, ô Christe; illa nempe litant meo intento: nam non peto buccellas panis, quales filij accipiunt de manu benefica patris; sed hoc ego supplex efflagito, scilicet vt ad instar catellorum admittar ad micas, & has

EX LINGVIS.

HEBRÆA.

GRÆCA.

has exiguas, quæ decidunt de prædiuite mensa tua. Dictio Syriaca concors est, אין *in*, vox solita vsurpari ad designandum consensum eius qui loquitur. Mulier hæc fidelis, annuendo dictis Domini refellentis preces in gratiam filiæ oppressæ à diabolo, humilitatem simul & fidem palàm fecit, itavt si fidei deesset aliquod meritum, humilitas illud adiiceret, vtique cum fœnore gratiarum.

SENSVS LITERALIS.

De industria virtus omnis emerita tentatione concutitur, vt sic eliminata, & facta palàm, cæteros homines prouocet ad exemplum.

In hæc verba:

Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.

CONIECTVRA SECVNDA.

Ex Sanctis Patribvs.

Virtus emerita multis tentatur angustiis.

Raphaël Archangelus, apprimè conscius arcanorum Dei, recolens angustias quibus exceptus est Tobias ille senex, in schola virtutis omnigenæ exercitus, ærumnarum eius hoc vnum esse argumentum dixit; scilicet virtutes insignes probari molestiis, vt egregio specimine patientiæ facto palàm, virtutis amorem concipiant cæteri homines excitati. Sic beatus ille spiritus: *Quia acceptus eras Deo; necesse fuit vt tentatio probaret te.* Ad hanc trutinam appensa fides est fœminæ Chananææ: namque licet ei Dominus facessere negotium videretur, irritas faciendo preces, & eam lacessendo punctione nominis inglorij, vocando canem; illa tamen series omnis actionum Christi cessit ad gloriam fœminæ sic tentatæ: quippe fidei eius largitor Christus, probè callens cuius ponderis & momenti esset meritum huius fidelis animæ, de industria Chananæam examini subdidit antea recensito.

Tob. 12.

Virtutes insignes quare Deus velit ad examen omnibus apertum reuocari.

Quare autem Deus hoc contextu virtutibus imponat colophonem, illud est petendum ex cómuni omnium hominũ sorte: quisque nimirũ partem facit vniuersi & omne hominum genus est corpus vnum coalescens ex pluribus membris iuxta illud Pauli: *Multi vnum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes.* Vnde sicut membra non sibi duntaxat, sed & in gratiam totius corporis edita sunt; ita & singuli quique homines pertinent ad alios, quorum saluti inuigilant, siquando bonis actibus insudarint. Si itaque vegetior est in aliquo virtus, operæpretium est eam descendere in apertum campum, vt suo agone prouocet ad exemplum omnes conscios actionum, quas probati homines fortiter exantlarunt; siquidem egregiis actibus est insita virtus ad mouendum maior quàm in verbis, quæ viduata factis vtplurimum erubescunt.

Roman. 12.

Cùm igitur in fœmina Gentili virtutes surrexerint in eum apicem, infra quem fuerunt omnes Scribæ & Pharisæi; Christus prouidens vnicuique, ratus è re sua prodere virtutes illas Chananææ, has probauit multimodè, vt sic omnibus illucerent. Et hoc sanè debet esse singulare argumentum patientiæ iis omnibus, quos variæ lancinant angustiæ, si videlicet animo recolunt, suas molestias conducere ad salutem eorum, qui virtutis exercitæ historias commemorant. Et profectò fuit hoc intentum Christi, quando asperiore ritu & dictione acerba excepit fœminam Chananæam.

Chananæa quare à Christo probata & duriùs obiurgata.

Audiendus in eo themate Chrysostomus, vtpote suo suffragio meam fulciens sententiam. Sic ille: *Quantò illa feruentiùs orat, tantò ipse vehementius retrudit, nec oues Iudæos amplius, sed filios, ipsam verò canem appellat. Quid igitur mulier? Ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem connectit. Nam & si canis sum, inquit, non penitus tamen aliena sum. Rectè igitur Christus dicebat, in iudicium se in mundum venisse. Philosophatur alienigena fœmina, & dum contemnitur, singularem patientiam, præcipuámque fidem ostendit. Iudæi vero tanto affecti honore, tot tantisque miraculis admoniti, mala pro bonis referunt. Non enim ignoro, inquit, quin necessaria hæc alimenta filiis seruanda sint; verumtamen cur ego vetor, etiamsi canis sum? Nam si nefas est quicquam accipere, nec mica quidem sumenda sunt; sin vero licet quodammodo participare canibus, non omnino ipsa prohibeor, sed potius hac ratione participare debeo. Hac de causa certè Christus eam repellebat: nouerat enim ipsam ista dicturam, ideò negabat gratiam, vt philosophiam eius omnibus patefaceret, non quia curare filiam eius nolebat, quam certè curauit, sed quod ad Centurionem dixit: Ego veniens curabo ipsum, vt reuerentiam & fidem illius nos perdiscamus, ac audiamus dicentem: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, quodque in fluxum sanguinis patiente fecit: Ego, inquit, noui virtutem ex me egressam, vt & miraculum & fides illius pateret, quod denique in Samaritana, vt nec redarguta quidem destitisse nosceretur, hoc in loco fecit; noluit enim talem tantámque mulieris virtutem ignorationis tenebris obfuscari. Non ergo quia negligebat, verùm vt repositum atque absconditum in animo eius virtutis thesaurum in lucem protraheret, eam repellebat.*

Ex SS. Patribvs: Chrysost. hom. 53. in Matth.

Christus suos fideles affligit ad gloriam eorum ampliandam.

Dum Christus tacitus illam fœminam præteriit, licet illa filium Dauid, & Dominum ore diducto sæpius inclamaret, tunc fidei eius aperuit liquidum argumentum. Cùm verò visus est illam habere despicatui, illam componendo cum canibus, tunc constantiæ illius atque humilitatis insigne thema dedit, eò magis imitationi peruium, quò virtutes illæ à Gentili fœmina prodiere, Christo in eam desuper influente. Si solius fidei symbola mulier illa fecisset palàm, plerique hallucinantes penes fidem tantùm refudissent salutis nostræ summam, vt factitant hodie Caluinistæ.

Fides sola non sufficit ad salutem.

Pergit Chrysostomus in oratione panegyrica fœminæ Chananææ: *Tu (inquit) non solùm fidem illius, verùm etiam humilitatem mecum admirare: nam cùm ipse Iudæos filios appellasset, adeò procul aberat, ne liuore aliena laudis contaminaretur, vt maius adieceris, atque Dominos nuncuparit: Etenim catelli, inquit, edunt de micis, quæ cadunt de mensis dominorum suorum. Vides prudentiam mulieris? vidès quomodo nec contradixit, nec aliorum*

Chrysost. vbi suprà.

Chananææ mira humilitas.

laudibus doluit, nec quia contemni videbatur, molestè tulit? vides magnitudinem animi, atque constantiam? non est bonum, ipse dicebat: atque illa, vtique Domine, respondebat. Filios ipse Iudaeos vocauit; illa dominos: in conditionem canum illam locauit, & confestim ipsam conditionem canum atque statum vltro illa subiunxit. Mirabilis tibi videtur hac humilitas; audias Iudaeorum iactantiam. Semen, inquiunt, Abraham sumus, & nulli vnquam seruiuimus, & ex Deo nati sumus. (Ioan. 8.) *Non sic certè mulier; sed quemadmodum se canem, ita illos dominos appellauit, & hac humilitate ex abiecta conditione canum vendicata, filia facta est. Quid igitur Christus? Magna est fides tua, ô mulier! Ideò certè eam repellebat, vt ad hanc vocem consequentia rerum conueniret, vt fulgente corona mulierem ornaret.* Hactenus ille encomiastes.

Chananæa sapientior Scribis atque Pharisæis.

Diceres ex condicto confluere Patres, ad decantandas laudes mulieris, quæ degebat in plaga nescia veri Dei: & reuera fuit maior omni laude, vtpote in opaco Gentium venerata Deum, quem in rutilo & corusco Iudaismi Scribæ & Pharisæi dicteriis imò & blasphemis vocibus impetebant. Sic eam Hieronymus inducit conuenientem Christum: (Hieron. in Matth. 15.) *Scio me filiorum panem non mereri, nec integros posse capere cibos, nec sedere ad mensam cum patre: sed contenta cum reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem.* Idem Sanctus adeò singularem suspicatur fuisse virtutem omnimodam in hac muliere, vt speciem præ se tulerit Ecclesiæ: (Ibidem.) *Mira (inquit) sub persona mulieris Chananitidis Ecclesiæ fides, patientia, & humilitas prædicatur. Fides qua credidit sanare posse filiam suam. Patientia, qua toties contempta, in precibus perseuerat. Humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat.* Ita sanè mulier adiecit despicatui, quo Christus eam habuit: illa nimirum infra canes se demisit, dum se catulum diminuto nomine nuncupauit. Vnde suauis odor inde fragrat humilitatis altæ, quæ dignata est gratiâ sanitatis, ad quam hæc sollicita mulier anhelabat.

SENSVS LITERALIS.

Viua fides etsi quandoque in oratione passa repulsam nunquam indonata recedit.

In hæc verba:

Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

§. VIII.

CONIECTVRA, EX RATIONE, SS. PATRIBVS, ET LINGVIS.

Virtutes omnes concatenatæ.

IS est virtutum omnium tenor & contextus, vt gregatim semper eant, non seorsim; ideoque nequit vna perfectè acquiri aliis inconsultis. Hoc climate clamat fœmina Chananæa, cuius intemerata fides deuinxit sibi virtutes omnigenas, quarum hæc matrona prudens specimen edidit opportunè. Sed vt noctu Luna prælucet aliis sideribus; ita fides huius Ethnicæ mulieris præiuit aliis virtutibus, solaque Deum meruit habere in præconem: nempe citra fidem virtutes aliæ æterna laude cadunt. Quia ergo virtutes aliæ fide vtuntur vt congruo fundamine, Christus omnes præteriit vt fidem tantùm eius elogio cōsono prædicaret. Nota pro rei dignitate Christum fidem Gentilium magni fecisse semper. Primò quia Gentiles procul à notitia veri Dei, non fuere sacris initiati vt Iudæi, ideoque manet eos singulare argumentum laudis, siquando benè sentiunt de Christo, quem tametsi Iudæi Scripturarum conscij debuerunt ex lege cognoscere, dubij in fide probris iugiter impetebant.

Fides quare à Christo sæpè sæpius inculcata, & laudata.

Secundò præcipuè Christus fidem extulit, quia est ianua Ecclesiæ, qua occlusa virtutes omnes gratiæ Dei expertes, sunt inanes ideæ boni, & pietatis inanima simulacra. Cùm itaque fides sit fundamentum Ecclesiæ, & ea substrata virtutibus aliis, eas Deo sistat, vtpote tunc dignas eius obtutibus; operæpretium fuit commendare fidem, cuius deliquium erat lethale bonis operibus, quæ fide extincta mortua sunt.

Fides est fundamentum Ecclesiæ.

Rursus Scribæ & Pharisæi propagationem fidei pro sua virili parte remorabantur, Christum afficiendo conuiciis, vocando seductorem, & dæmone afflatum. Vt ergo blasphemiis occurreret, portenta edebat in gratiam fidei hominum, qui inaugurati sacris fidei mysteriis credebant in eum. Eodem flamine acta Ecclesia tota fuit in astruendis articulis fidei, quos ancipites aliquando fecit hæretica proteruia. Vt insaniente Pelagio, & adstruente, hominem proprio Marte suo posse fieri compotem gloriæ; Ecclesia adeò depressit hominum indolem, vt gratiæ Dei detulerit præcipuam salutis nostræ summam. Vbi verò dissitus ab eo error emersit, Caluino antesignano tollente liberum arbitrium; Ecclesia semper sibi constans, nihil gratiæ detraxit, sed ita prudenter explicuit salutem nostram esse negotium gratiæ, vt liberum arbitrium suas etiam in adultis obeat partes, & possint annuere Deo vocanti, vt & resistere prout animus dictauerit.

Fidei Christianæ propagationem tentarunt impedire Scribæ & Pharisæi.

Quia igitur primus Ecclesiæ cardo vertitur in fide, & citra eam cassa erat prædicatio Christi; ille fuit multus in commendanda fide, non quòd sola iustificet, vt delirant nostrates hæretici, sed quia hominem initiat sacris mysteriis, & citra eam nihil omnino viuidum sit, & efficax ad salutem.

Fidem quare toties Christus cōmendarit.

Eamobrem Dominus ille consulturus infirmæ hominum indoli, vt fidē suæ diuinitatis adstrueret, miracula appendebat ad trutinam fidei eorum, qui ostenta & prodigia deposcebant. Sic ille patrator mirabilium affatus est hominem anhelum in miraculum tunc edendum: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* (Marc. 9.) Et ne longiùs excurram in recensione operum Christi; Ioannes ait, Dominum hunc restauratorem hominum tot & tantis fuisse conspicuum miraculis, vt sic hominum fidem adstrueret, & eius fidei obsequio salutem animarum congruè procuraret. Ita Ioannes non nescius arcanorum Christi: *Multa alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc, vt credatis, quia Christus est filius Dei, & credentes vitam habeatis.* (Ioan. 20.) Fortè instabis, debuisse magis cōmendari charitatē, quàm fidem: charitas nempe maior est fide, & vt potior eam debuit anteire. Respondeo, fidem esse naturâ priorem charitate, quia ignoti nulla cupido:

Fides quare sæpius à Christo cōmendata quàm charitas dum ederet miracula.

nemo

nemo nempe Deum amare potest ex charitate, quin fidei obsequio peruia sit ei Dei notitia. Hinc dico fuisse auspicandum à rudimentis antequam deueniretur ad apicem Christianæ disciplinæ. Christus itaque fidem hominum demerere volens, eam deposcebat vt idoneum præambulum ad gratias erogandas: & vbi aliquod insigne miraculum ediderat in gratiam alicuius enixè flagitantis illud prodigium, fidem obsequentis huius animæ vt quid conducens ad illud ostentum illico recensebat. Sic increbrescente fama miraculorum Christi, in gratiam fidei eorum, qui consulebant illum, multi suam augebant fidem, vt nomen suum darent Euangelio, cuius ille fuit Dominus institutor.

Esto igitur ille literalis sensus verborum Christi extollentis fidem Chananææ: vt non fides eius sola, & seorsim sumpta meruerit hoc miraculum, quod meminit scriba sacer; sed ideò credo laudatam esse fidem eius mulieris, vt fidei dignitate excitati auditores, non cunctarentur credere in Christum, quem hæc Deo afflata fœmina prædicabat. Ne autem fidei singularis auctoramentum seu stipendium esset totum ore tenus, & sic alma parens de filiæ suæ salute sollicita referret tantùm laudes in præmium sui fidelis animi; Christus eam voti compotem fecit, illico sanans filiam à dæmone diuexatam. Ille itaque rumor increbruit, scilicet eos, qui in Christum animo nequaquam ancipiti crederent, non indonatos ab eo recedere. Inde effluxit illa supplex discipulorum oratio. *Domine adauge nobis fidem.* Profectò operæpretium fuit encomiis atque miraculis commendare fidem: quippe fuit negotium supra omnem hominum captum, suspicari Deum in homine. Vnde quia veritatis huiusce fides erat rudimentum Christianæ disciplinæ, Dominus ille sator Euangelij incunabula Ecclesiæ fecit esse fidem, qua concepta sicuti par est charitas exardescit. Nempe viua fides & charitas indiuiduæ sunt comites: vt namque Solis lux rutila caloris est socia; ita fides, Deum obiiciens animo, excitat magna amoris incendia, ideoque satis credidit Christus fidem ingerere, quæ est præambula charitatis.

Luc. 17.
Fides Christiana quare in incunabulis Ecclesiæ miraculis indiguit.

Aliud item occurrit intentum Christi, dum encomiis extulit fidem fœminæ Chananææ. Ille nimirum occurrit dubiæ discipulorum menti, nesciæ quare beneficus ille Dominus supplicem hanc fœminam semel & iterum affatu aspero repulisset. Illud inquam fuit propositum Christi, quod præfixi titulo huius paragraphi; scilicet voluit ostendere Christus, viuam fidem numquam recedere indonatam, etsi in oratione repulsam patiatur aliquando: siquidem Deus de industria non exaudit in momento quod signamus, vt oratio nostra crebrior atque vegetior fiat, sicque reportato pignore optato cum fœnore compensetur. Exemplo est hæc mulier abacta conuiciis, & eiecta velut canis: hoc congressu ingrato nihilo segnior effecta parens hæc anxia, fidei iacturam non passa est; sed constitit sibi, Deum semper vrgens ingeminando preces. Oleum sanè & operam non perdidit Chananæa: quippe perseuerans atque tenax in laudabili proposito, meruit habere Christum in præconem suæ fidei; & quæ suppetias petiit contra feros dæmonis impetus, non duntaxat auxilium aliquale tulit, sed esse audiit illa mora sartam tectàmque suæ filiæ sospitatem. Ecce elogia, & gratiam impertitam. *Respondens Iesus, ait illi: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.*

Fides sincera passa repulsam prima oratione, nō tamen indonata recedit.

Chananææ perseuerātia quali fuerit gratiā compensata.

Plus præstitit Christus, quàm oratio Chananææ recoleret. Sic orauit: *Domine adiuua me.* Et Dominus non adiutor tantùm, sed & liberator extitit opportunus. Inglorio quidem nomine canis affectam fœminam primò abegit; sed quia patiens illa parens saturata opprobriis, fidei suæ nil detraxit, nacta est hunc patronum, imò & laudatorem, quem experta fuit duriùs obiurgantem. Eodem & tenore Deus suas hodie gratias disseminat: etenim plerumque tacitus præterit orantium vota; differens optatis annuere, vt tempore opportuno sua munera largiatur. Eò spectant illa Chrysostomi verba. *Fiat* (inquit) *tibi sicut vis. Ac si diceret: Fides quidem tua maiora quàm petis posset impetrare, verumtamen fiat vt vis. Hæc vox illi assimilis est, qua dictum est: Fiat cœlum, & factum est cœlum. Saluata est enim, ait, filia eius ab illa hora. Perspicis iam non parum ab ipsa ad curationem filiæ collatum fuisse; propterea nec dixit Christus: Sanetur filia tua; sed: Magna est fides tua, fiat tibi vt vis: vt nos discamus, non otiose, nec assentationis gratiâ ita ipsum dixisse: sed eximiam illius virtutem ac fidem prædicare voluisse, rerum enim euentus facilè fidem illius docuit: Sanata est enim, inquit, statim filia eius. Tu verò diligenter considera, cùm nihil ab Apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum; tantum quippe iugis & feruens oratio potest. Mauult enim nostram Deus, qui rei sumus, quàm aliorum pro nobis orationem. Nam quamuis maiore illi ad Christum potiebantur libertate; magnam tamen mulier patientiam ostendit, & exitu ipso rerum facillimè intellexerunt Apostoli, quamobrem non statim ipsis quod pro ea petebant concessit.*

Chananææ oratio plus retulit quàm petiit.

Ex SS. Patribus.

Chrysost hom. 53. in Matth.

Chananæa quare non fuerit exaudita ab initio suæ orationis.

Titulo à me præfixo fauet & Rabanus, ita commentatus in gratiam Gentilis huiusce fœminæ, quam & Christus ipse suis dignatus est encomiis. Sic ille: *Fides magna dicitur & meritò; quia cùm Gentes nec lege fuerint imbutæ, nec vocibus Prophetarum instructæ, ad prædicationem mox Apostolorum, in auditu auris obedierunt: ideoque salutem impetrare meruerunt. Verùm si ad primas Ecclesiæ rogantis lacrymas Dominus salutem animæ differt dare, non est desperandum, vel à petendo cessandum, sed magis precibus insistendum.* Etenim cùm sua merces quodque bonum opus maneat; quò productior erit oratio, extensiuè bonum maius efficiet, ac proinde cæteris paribus compendiosas preces oratio longior anteibit. Adijce, Deum quasi dissimulando præterire preces nostras, vt oratione repetita fides capiat incrementum.

Rabanus in Matth. 15.
Oratio prolixior quare sit præstantior breuiore cæteris paribus.

Fides nutritur repetitis actibus.

Huic effato fauent linguæ illæ priscæ, quibus ad nos transmissa est historia Chananęæ: etenim vbi Latinus interpres ita inducit Christum cum Gentili hac fœmina colloquentem: *Magna est fides tua*; textus Hebræus sic effert: אמונתך כמה גדולה *camma gedolah emunatheca*, id est, *quo excreuit*, seu *quanta exaltata fides tua* Nempe radix, גדל *gadal*, significat, *crescere, educare, nutrire, exaltare.* Syrus interpres aliam dictionem adhibuit, sed quæ eiusdem est emphasis. רבא הי הימנותכי *rabbo hi haimonuthechi*, id est, *multiplicata*, seu *magnificata est fides tua.* Etenim radicalis, רבא *reba*, significat, *multiplicare*, &

Ex Linguis.

Hebræa.

Syriaca.

magnificare: multáque prostant exempla vtriusque nomenclaturæ apud Syros & Chaldæos, quibus est insolita vocis huius vsurpatio.

GRÆCA. Orationis perseuerãtia non recedit indonata.

Græca lectio non deuiat. ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις. Id est. *O mulier magna seu sublimis est fides tua.* Vox, μεγάλη, magnam & sublimem significat. Græcus itaque interpres voluit ingerere, mulierem Chananæam tantùm profecisse conuiciis, & repulsa quam passa est, vt fides eius inde sublimior effecta meruerit magnificari à Christo miris encomiis. Hoc itaque velim recoli ab omnibus qui profitentur studium orationis; videlicet Deum cauere nobis, quando non statim & ad arbitrium nostrum impertit gratias, quibus nostra velificatur oratio. Reuocandum est in eo themate vetus adagium; scilicet: Quod differtur, non aufertur. Imò plerumque satius est ad tempus carere dono quod oramus, vt dum anima tentationibus obnoxia, omnia tuta timet, cautior fit, & decurrat alacriùs virtutum aleam, in qua fortè remissior esset & segnior si facta voti compos, eam citissimè Dominus exaudiret.

MORALIS
EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.
EVANGELIVM

Sectum in tot numeros, quot inde morales sectiones exurgunt.

Matth. 15.

I. EGressus IESVS secessit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.

II. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.

III. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.

IV. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

MORALIS EXPOSITIO digesta in tot titulos, quot prostant sectiones moraliter discutientes textus prælibatos.

I. INcongruum fuit olim, hominem indutum sacco, & cinere aspersum, sisti obtutibus Regis Assueri; imò nefas erat adire palatium vestibus obsoletis. Accessus ad Deum cautiones exigit momenti potioris, in anima reduce à defectione sua, cui hoc imprimis indicitur, vt exeat à finibus eius iniqua sortis, in quam incurrit Deo nequiter abiurato.

II. Dato libello repudij prauis omnibus affectibus, & præteritis ita suis finibus, anima pœnitens orationis suffragio tentabit conciliare Deum, qui vt par est orantibus se præstare solet propitium. Ea nempe vis est insita precibus, vt oratio ingis nunquam abeat indonata.

III. Nimirum è re Dei est annuere votis eorum omnium, qui suas spes omnes refundunt in ipsum vt in rerum Dominum, penes quem solum est bonorum summa, quæ sola beare potest, ad summum bonum animas anhelantes.

IV. Quæ vt nihil nisi Deum spirant, vt adscita in sortem filiorum Dei pascuntur illo pane, qui decoctus est solis filiis adoptiuis, & infertur mensa, à qua procul abiguntur canes, quibus est lethale panem illum vel modicè degustare. Ille panis est Sacramentum corporis adorandi Domini Iesu, cuius copia fit tantùm defæcatis pectoribus; vsu eius interdicto canibus, id est, sacrilegis hominibus, in quorum viscere impuro vitiorum fæces olida stabulantur.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Quo apparatu anima refuga, facta redux & pœnitens debeat accingi aditura Christum.

In hæc verba:

Mulier Chananaa à finibus illis egressa clamauit.

SECTIO PRIMA.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX PHILOSOPHIA, THEOLOGIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Semei viri nequam pœnitentia.

PErduellis Absalon, patri suo iniurius, inuasit regnum eius. Pulso Regi & abacto turpiter, occurrit Semei homo nefarius, qui insultans Regi, & cum conuiciis impetens, atrociter offendit. Sed vt in ancipiti posita est sors armorum, ac proinde vices versat pugnantium; prostratus est Absalon, & Dauid quasi postliminio repetens regnum, Ierosolymam petiit stipatus agmine laureato. Vt fortuna aspirans perstringit oculos æmulorum; Semei malè sibi conscius, sedulò cogitauit, qua ratione posset conciliare sibi Regem grauiter offensum. Vt fieret voti compos, proposuit exire de finibus suis, id est de Bahurim vbi morabatur, & transuadare Iordanis aquas, vt transeunti Regi occurrens prono corporis habitu tergeret iniurias, quibus hunc rerum dominum nequiter obiurgarat. Fuit hæc industria salutaris homini nequam; quippe sibi cauit exeundo de finibus suis, vt sancta meminit historia hoc tenore: *Festinauit Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid, &c. Semei autem prostratus coram Rege, cùm iam transisset Iordanem dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui, &c. Ait Rex Semei: Non morieris.*

2. Reg. 19.

Semei pœnitentia pro posita in exemplum.

Subolet ille typus omnem seriem & contextum pœnitentiæ iucundæ ab anima suos exosa ritus nefarios. Nempe debet illa fines suos abdicare, & transuadare flumen, vt congruè aptetur ad occursum Christi. Quidquid anima sibi præstituit in scopum, in quem suas omnes dirigit actiones, illud est animæ finis, & hic finis inurit actioni editæ qualitatem, qua maximè pollet. Vnde quia fines impiorum hominum peruersi sunt, nam omnis eorum intentio nequam est; si eis animo insedit adire Christum, operæpretium est, eos egredi de finibus suis, alios sibi præstituendo fines, mutando intentum, & viuendo animo defæcato. Huiusce veritatis conscia Philosophia ventilat istud axioma Aristotelis: *Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est.* Vnde infert, omne ens esse bonum, quia quidquid editum est, illud ab agente supremo dirigitur in bonum finem. Sed præcipua vis huius effati liquet in moralibus, vbi finis intentus specificat actiones. Quia igitur reprobi tales extitere præstituto sibi fine malo, si anhelant ad occursum Christi, fœminam Chananæam, & contritum Semei citò citiùs æmulentur: ambo namque exierunt de finibus suis, vt fruerentur optatis.

Finis specificat actiones. EX PHILOSOPHIA. *Aristot. 3. Topicorum.*

Exitus ille de finibus pristinis elimatiùs ostenditur esse necessarius, consultâ Theologiâ. Illa nimirum ait, gratiam habitualem egere iugi Dei influxu, vt Deus erga animam benè affectus sit: adiicit illa sacra disciplina, desinere hunc influxum, insinuante se aliqua lethali noxa, quia toto cœlo peccata & gratia dispescuntur. Ergo cùm peccatum sit actio edita fine iniquo, quisquis repedare volet ad gratiam qua excidit, ille debet quantocyùs mutare fines suos, & aliud præstituere sibi intentum: gratia quippe non influit in animam, quandiu est illa suis iniquis finibus assueta. Vterque status animæ congruo nomine describitur: dicitur enim auersio, ille peccatoris habitus, qui vltimum sibi finem præstituit in creatis: & quia peruersus est ille finis suffectus in locum potioris longè finis, anima hæc inde deuia peruertitur. At secus est de anima pœnitente, huius propositum de meliori fuge vocatur conuersio, quia repudiato priore fine & posito à tergo, Deum versus tendit, præfigendo sibi illum in scopum æternum, reprobos omnes affectus pristinos abiurando.

Pœnitens anima necessariò debet abdicare prauos affectus suos. EX THEOLOGIA. Gratia vno solo peccato mortali patitur deliquium. *Thom. 1. 2. q. 113. art. 2.*

Igitur egregiè cauit sibi Chananæa, quando egressa est de finibus suis: siquidem alioquin Christum non fecisset sibi propitium, sicut nec hunc Dominum placant hypocritæ qui ementito pietatis habitu vacant bonis operibus, ieiunio scilicet, & eleemosynæ; sed non egrediuntur è finibus suis, prauis videlicet affectibus indulgẽdo. Quàm sit hæc incongrua pœnitentia, tui muneris est ostendere, præco verbi Dei, auditores tuos admonendo, eos incautè agere, si suos incolendo fines, id est, indormiendo malis affectibus, credunt suas eleemosynas, ieiunia, aliaque id genus bona opera fore accepta Deo. Hoc delirio laborant illi, qui odia acerba & æterna fouent memores iniuriæ acceptæ, cuius vltionem semper iniquo animo meditantur. Eiusdem farinæ homines sunt illi, qui Venere malè suada toro alieno vtuntur adulteri, arbitrantes se talia redimere piacula bonis operibus. Prædicator erudite, occurrendum est gliscenti errori, qui præcipuam hominum partem hactenus infatuat: ratus quippe est exire volens de finibus suis, etsi non desint homines alioquin bonis actibus incumbentes. Hoc igitur inculca, hunc esse cardinem præcipuum, in quo pœnitentiæ summa vertitur: videlicet vt anima egrediatur de finibus suis, mutato priore intento, si vt par est optat sisti sacris Dei obtutibus, & gratiam eius congruè demereri.

Pœnitentia nulla est si non exuantur affectus veteres praui.

Sed quid alloquar pœnitentes, illud consilium esset ingerendum viris plerisque probis, qui se aliis commendatos esse volunt nomine sanctitatis: hi nimirum incurij extirpare prauos habitus, qui ipsis quasi insciis adolescunt irrito conamine tentãt occurrere Christo, quia semper finiũ suorũ carcere cõcludũtur. Et hoc ego caput arbitror esse momẽti insignis in mystica Theologia, vtpote cuius incuriâ multi incassum profitentur arduũ vitæ genus cute tenus, nec vllũ virtutis ingenuæ & sinceræ prouentũ faciunt, quia suo viuentes arbitrio, gestiunt semper assuetis finibus immorari.

Plerique viri spirituales cute tenus prauos castigant affectus suos.

Ne cui imponant tropicæ phrases, explica ô doctor, egressum de finibus Gentilium esse compositionem morum in melius, si non in effectu, saltem in affectu; prima namque rudimenta pœnitentiæ petuntur à voto reformandi ea, quæ sunt censuræ obnoxia. Auspicandam esse pœnitentiam ab illo intrinseco affectuum scrutinio,

EX SS. PATRIBVS. Pœnitentiæ series exquisita describitur.

Chrysost. concione 4. de Lazaro.

scrutinio, Chrysostomus bellè enuntiat ita fatus: *Vt neque puniamur neque pœnas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitámque explicet: cunctisque commissis diligenter excussis, condemnet animam, quæ hæc patrauit, puniatque cogitationem, affligat crucietque suam ipsius mentem, supplicium à seipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lacrymas, per confessionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam ac charitatem, vt possimus omnes omni modo hic depositis peccatis multa cum fiducia illuc proficisci.* Diceres eruditum hunc doctorem de industria commentari moraliter versum quem expendo: ait enim, singulos quosque pœnitentiæ candidatos debere seipsos conuenire, lustrare suos affectus omnes, vt iis discussis, tersioris vitæ specimen præbere queant: & hoc sanè perinde est ac dicere, esse egrediendum de finibus suis, vt Christus Dominus adeatur.

Pœnitentia virtutes opponit vitiis.

Ad hunc egressum de finibus inolitis pertinet illa pœnitentia, quam satisfactionem vocant; illa namque vitiis virtutes opponit, sic in alios induoendo fines animum, cui insedit Christum Dominum inflectere ad parcendum. Hunc esse pœnitentiæ contextum Ambrosius enuntiat, sic hortatus virginem lapsam: *Imprimis omnis huius vitæ cura interimenda est tibi, & quasi te mortuam existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculis lacrymæ, qui masculum simpliciter non aspexerunt; pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat; quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò fit liquefactum sicut cera, ieiuniis inquietans semetipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malè cessit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ si fuerit perseuerans, audebit spectare, etsi non gloriam, certè pœnæ vocationem. Peccator ergo si sibi ipsi non pepercerit, à Deo illi parcitur: & si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.*

Ambr. ad virginem lapsam c.8.

Pœnitentia debet esse proportionata vitæ noxiæ.

Illa Ambrosij oratio refricat memoriam eius sententiæ, quam memini, dicens animam pœnitentem debere egredi de finibus suis, vt eò deueniat vbi est Christus. Ille nimirum degit in medio virtutum choro, quem adire nemo potest, nisi vitiis omnibus abdicatis. Quòd si quis hanc peregrinam tropologiam suspicatur, is succenseat Origeni, qui mihi ansam dedit commentandi hoc tenore, quem decurri. Sistendus ille ita fatus: *Arbitror quòd si non fuisset egressa Chananæa à finibus illis, non potuisset clamare ad Iesum, videlicet ex ingenti fide, quod ipsius Iesu testimonio probatur. Et sanè iuxta portionem fidei egreditur quis à finibus Gentium. Hic igitur fines quidam dicti sunt Tyri, & Sidonis. Et quidem existimandum est quemque nostrum, vbi peccat, in finibus esse Tyri, & Sidonis, siue Pharaonis, siue Ægypti, aut alterius cuiuspiam, qui sit extra Dei distributionem. Rursus vbi mutatur à malitia ad virtutem, egreditur à vitiorum finibus, venit autem in fines partis Dei.* Quasi diceret, eum, qui dato libello repudij vitiis omnibus, vt virtuti vacet, reuera exire de finibus suis, & congruè accingi in occursum Christi Domini venientis.

Origenes in Matth. 15.

SENSVS MORALIS.

Anima de meliori fruge sollicita debet prauos abdicare ritus inolitos, vt Deum faciat sibi propitium.

In hæc verba:

Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit.

ARTICVLVS II.

Ex Historia, et ex SS. Patribus.

VT canis in proprio fimo latrans, erutus inde mitior est; ita & reprobi, siquando fines suos excesserint, omne lethale virus euomunt, & idoneo apparatu se componunt in occursum Christi, qui vt est Rex Regum, eo vult ritu conciliari à reprobis, quem indixere Reges hominibus iniuriis suæ maiestati. In his occurrit Rex Angliæ Edoardus qui Itium portum Morinorum, id est Caletum, obsidens; videns se obsidione longa nihil proficere, credidit esse è re sua non soluere hinc ante deditionem vrbis, à qua ingloriè & dicteriis fuerat exceptus. Inuito quasi exercitu & repugnante hyberno tempore stetit armata classis velificans intento Regis, qui internecionem vrbis indixerat. Quod non potuit armorum impetus crebrò repetitus in arcem illam munitissimam, id pertinax subirati Regis animus & longiores præstitere moræ. Namque rei frumentariæ penuriâ, annona omnis exhausta est, & spes omnis adempta ciuibus conquirendi cibos, sicque effectum est, vt cederent fami milites Galli, qui hactenus illuserant Angliæ cataphractæ.

Ex Historia. Regis Angliæ seueritas in Caletenses.

Historia Gallica in Philippo Valesio sub an. 1347.

Vrgente itaque inediâ, Galli caduceatorem mittunt, qui de vrbis deditione Regem faciat certiorem, dummodo iniuriæ acceptæ sensum omnem expungeret. Adspirantis fortunæ aurâ ferociens Anglus, habuit despicatui hominem missum nomine ciuitatis, adiiciens hoc animo suo insidere propositum, vt Caletenses omnes occisis illic Anglis suo sanguine parentarent. Sed vt hoc decretum erat inhumanum, proceres Angliæ inflectentes animum Regis, ingessere mitius consilium; videlicet vt optimates vrbis munitissimæ, egressi de finibus suis reorum habitu, & fune inglorio collo intorto, conuenirent Regem supplices, & compositi ad arbitrium eius, claues vrbis deditæ referentes, & experturi quidquid Rex dictaret, adeptus ius vitæ & necis in homines illos ægrè admodum profligatos.

Caletenses qua conditione iniqua recepti in gratiam à Rege Angliæ.

Iniquam hanc conditionem credidere Galli, quibus in votis est gloriosè potius occumbere, quàm aliquid turpe pati. Sed vt mulierum atque lactentium vagitus insonuit, strenui ciues nihil iniurium credidere nomini Gallico, si cederent

rent fato instanti, patriæ sic suo sanguine consulturi. Eo intento plerique nominatissimi optimates deposito cingulo aperto capite, & nudis pedibus inermes adiere Regem, dedentes ita ciuitatem, & in gratiam suorum contribulum atque municipum sua capita deuouentes. Regina, quæ tūc incastris aderat, perculsa hāc specie miseranda ciuium, pro eis intercessit, inclinans Regem ad veniam: vnde vt ciuibus armatis, & suo præsidio vallatis, arma & arx prævalida fuere argumenta insultandi in Regem Angliæ, ita & deserta hac munitione sua, & habitu inermi adire Regem, fuit industria prouocandi illum, ad recipiendum eos in gratiam suam.

Eo planè ritu conciliatur Deus subiratus impiis hominibus: nempe nefarij homines vitiis assueti degunt in malis habitibus vt in arce, & quamdiu genio suo indulgent, tamdiu Deo illudunt, irritas faciendo leges eius: vtque patientia læsa in furorem abit, quandoque Deus vltor acerbus, fame, lue, & bello sæuit in homines fœdifragos, populans omnes plagas malè sibi conscias. Plerumque homines sæuiente gladio vindice resipiscunt, idque eo ritu quem deposcebat Anglus. Nam reprobi suo vallo derelicto, id est, iniquo peccandi affectu abiurato, inermes Deum conueniunt quando prauos exuunt habitus, quibus vt armis Deum lacessebant: conciliato Deo claues offerunt, cùm ei reserant & explicant omnes animæ facultates, vt eis illabatur. Adsunt & largi lacrymarum imbres, indices animi contriti, & omnino compositi ad nutum Dei.

Ioãnis Apostoli discipulus desertor pietatis.

In eum se morem aptauit ille adolescens apprimè initiatus à Ioanne Apostolo. Is impubes à Ioanne lactis tinctus, argumenta dedit virtutis insignis, & abditæ sanctitatis. Sed vt indoles hominum prona in scelus animam sollicitat sensuum illecebris, quæ incautis suum lethale virus affricant; puer ille ingenuus virtuti dedit libellum repudij, corpore pubescente. Et quasi parum esset esse transfugam, atque pietatis desertorem, ea adiecit vitiis suis incrementa vt licet iunior, fieret tamen antesignanus hominum nequam, prædonem agens. Ioannes ingemuit homini desertori, & apud se statuit esse defectioni eius cito citiùs occurrendum. Vtque zelus animarum est morarum impatiens, grandæuus ille Apostolus equitando se contulit in syluam, quam prædo ille homicida viatorum multo sanguine diffamarat. Ioanne subeunte lucum hunc famosum, adstitit turba infamis quæ eum circumstans sciscitata est, quænam causa viæ: ille intrepidus ait se eò accessisse de industria rei grauissimæ gratiâ, cuius consilium communicare cum eorum duce operæpretium erat, ac proinde sibi esse faciendi copiam adeundi ducem. Satellites impij nihil sinistri suspicantes in venerando sene, sistunt eum quantocyus præfecto suo. Quid autem ille occursus præstiterit, accipe ex Clemente Alexandrino, ita recolente facinus illud egregium. Sic ille: *Vt Ioannem aduentantem agnouit, præ pudore capessit fugam. Ioannes illum pro viribus properè insequitur, atque clamans: Quid, inquit, fili fugis? Ne formides: adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego Christo pro te reddam rationem. Christus misit me ad te. Ille vbi hæc audiit, primùm oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit: tum horrore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est. Senem ad se aduentantem complectitur, fletu & mærore quod poterat pro culpa satisfacit, & dextra sola occultata, lacrymarum vndâ secundò baptizatur. Apostolus rectâ & constanti asseueratione es se à Seruatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tanquam aqua pœnitentiæ ablutam purgatámque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat, continuis ieiuniis vnà cum eo se macerat, variis diuinæ sapientiæ sententiis eius animum quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillátque. Huius conuersione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illustre denique trophæum à peccatis resurrectionis per exteriora pœnitentiæ signa hominibus proposuit ad imitandum.*

Clement. Alexand. l. qui inscribitur: Quis sit diues, qui saluetur.

Pœnitentia discipuli Ioannis Apostoli.

Vitia quomodo curentur.

Cùm audis, dyscolum hominem arma abiecisse, cogita eum illo temporis articulo processisse de finibus suis, non duntaxat excedendo loco infami, sed iniquos suos affectus pristinos exuendo: seipsum deposuit impium in sylua, vt pium Deo reponeret in Ecclesia: gestierat impunè luxurians, & opiparè conuiuans cum suis sicariis, postea adscitus in numerum pœnitentium largè fleuit, mœrore iugi tersit delicias noxiæ voluptatis. Ecce ideam salutarem animæ reducis, cui non satis est vt fœminæ Chananææ exire, de finibus suis, nisi & virtutum omnium praxim adiiciat, vt hoc sanctiore studio præterita vitia detergantur. Eò spectat istud Basilij consilium: *Medicina magna delicta sedabit: ieiunium ebrietatem curet, Psalmus turpes cantus, lacryma risum: pro saltatione genu Deo flectatur, pro tripudio pectus pulsetur, pro vestium sumptu & ornatu humilitas. In omnibus verò eleemosyna peccata diluat. Redemptio animæ viri diuitiæ.* Vt Basilius & Gregorius Nyssenus sanguine fraternizant; ita & in doctrina sunt concordes, dum concurrunt in themate prælibato.

EX SS. PATRIBVS. Virtutes sunt antidotū vitiorum. *Basil. hom. 14. in ebrietatem.*

Ecce Gregorij concolorem sententiam: *Deliciis indulgens in morbum delapsus es? eum inediis, & ieiuniis cura. Animus laborat incontinentiâ? Adhibeatur temperantiæ medicamentum. Multiplici ac nimia pecuniæ cupiditate in febrem incidisti? liberalitate & eleemosyna depellatur: hac enim est nimium expletæ mentis curatio. Læsit te rerum alienarum direptio? quæ rapta sunt, ad proprios dominos reuertantur. Mendacium te proximè duxit ad interitum, veritatis studio periculum euitetur. Inducantur omnia arma pœnitētiæ, vt securis acies & ictus propulsetur. Quid enim aliud est pœnitentia, nisi dissolutio & euersio præteritorum, quæ vel re vel cogitatione sunt admissa? Explora celeriter, & diligenter aduerte morbum, quo affectus es; suscipe ex eo dolorem quantum maximum potes, affige te, &c.* Ne suspiceris, Græcorum hominum esse hunc feruorem tantùm, audi ex Africa hominem etiam talia suggerentem, ducentis ferè annis ante tempora Basilij. Is est Tertullianus vitiorum censor vtique rigidus, qui animæ pœnitenti non suadet tantùm egressum de finibus suis, mutando propositum seu intentum; sed hortatur ad comparandam supellectilem omnium virtutum, quibus flagrantia vitia citiùs extinguuntur.

Gregor. Nyssen. oratione in eos, qui alios indicare præsumunt.

Tertull. l. de pœnitent. c. 9.

Sic consulit austerus ille Afer: *Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis est disciplina,*

diſciplina, conuerſationem iniungens miſericordia illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit, triſti tractatione mutare: cæterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet ſed animæ causâ: plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctéſque ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari: omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. Hæc omnia exomologeſis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm accuſat, excuſat: cùm condemnat, abſoluit. Inquantùm non peperceris tibi; crede, Deus parcet. Non ergo ſatis eſt exiſſe de finibus ſuis, & renuntiare prauis affectibus; ſed operæpretium eſt, pœnâ inflictâ caſtigare voluptatis ſenſum, quem concepit caro vitiis indulgendo. Etenim Chananæa egreſſa de finibus ſuis, patientiæ, fidei, & humilitatis ſpecimina edidit egregia, prudenter erudiens nos, pœnitentiam vt ſit ſarta tecta debere ſtipari toto virtutum choro, vt vel ſic pœnitens homo queat reſiduos vitiorum ſurculos extirpare.

Pœnitentia vt ſincera ſit multis auſteris actibus hominem obſtringit.

Ad hoc argumentum pertinet illa parænesis Chryſologi: *Si quo fortè noſtro mens taculo fuerit confixa peccati, ſi caro tumeſcat ex crimine, ſi vitiorum ſanie fragilitas humana corrumpatur: tunc ægris illa quæ non ſanis pœnitentia medicina ſuccurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur tunc aduſtio doloris, adhibeantur ſuſpiriorum tunc fomenta, tumentis conſcientiæ feruor tunc euaporet: tunc reatus vlcera lacrymis abluantur, immunditiem corporis cilicia tunc detergant. Ferat amaram pœnitentiæ curam, qui ſeruare debitam noluit ſanitatem. Cui vita ſua chara eſt, dura nulla eſt cura. Medicus non ſit ingratus, qui per dolorem reuocat ad ſalutem. Qui innocentiæ creditum ſeruat, pœnitentiæ non ſoluit vſuram. Ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum. Accepit tortuoſiſſimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil decoris: quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extrema tradidit ſeruituti; tali pœnitentiæ magiſter indui debuit veſtimento: vt qui à recta detorſerant diſciplina, & deformes ſe totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ ſarcinis ſubderentur, addicerentur duris ſatisfactionis angoribus, ſuſpiria compunctionis laborioſa portarent: vt directi ac attenuati in modum acus, per anguſtum pœnitentiæ foramen ampla remiſſionis intrarent.* Ita Chryſologus.

Chryſolog. ſerm. 167.

Pœnitentiæ amator oppoſitus voluptatis ſuauibus illecebris.

* * *

SENSVS MORALIS.

Oratio indefeſſa ſalutare ſubſidium eſt contra moleſtias omnes quæ ingruunt vndequaque.

In hæc verba:

Dimitte eam, quia clamat poſt nos.

SECTIO SECVNDA.

Ex Symbolis, Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm, et ex SS. Patribvs.

VT Gentibus orbe toto ſatis ſenſus quidam ineſt Dei alicuius, quo moderante vigent quæcumque videt; ita creber fuit templorum vſus apud omnes nationes, quæ illuc conueniebant oraturæ Deum, vt votis annueret quæ ſupplices hi populi recenſebant. Ne autem quis indonatus abiret à conſpectu Dei, quem credula gentilitas credidit in idolis reſidere, in variis mundi plagis poſita ſunt aſyla, id eſt templa, quorum aditus erat adeò ſalutaris, vt homo ſubiens hæc aſyla fieret inuius omnibus anguſtiis, quibus illum eius æmuli laceſſebant. Conſule me ſuprà, & reſcies, nullas fuiſſe orbis oras, neque nationes quibus non fuerit familiare illud aſylorum præſidium. Sed illud obiter hîc notandum, longiores fuiſſe moras in aſylo protrahendas, vt quis fieret voti compos, vt & priſcis Eccleſiæ temporibus, quamdiu viguit immunitas Eccleſiarum, exeunte reo extra ſepta templi, gratiâ & iure aſyli protinus excidebat. In hoc ritu obſoleto ſubodoror defæcatæ orationis ingenium. Illa nimirum minimè optatis gaudet, niſi anhela diu perſeueret: namque cadit votis oratio, quæ initio feruida in progreſſu tepet; nec alio argumento ducti Apoſtoli cauſam egere Chananææ: nempe hoc vno freti vrgebant Chriſtum, videlicet quia indefeſſâ oratione mulier inſiſtebat.

Ex Antiqvitate Plvrivm Nationvm.

Perſeuerantia quantùm ſit neceſſaria orationi.

Quare Deus tantùm perſeuerantiæ tribuat dixi ego fusè ſuprà, vbi copioſa ſeges materiarum proſtat ad texandas conciones de perſeuerantia in ſtudio orationis. Ad hanc perſeuerantiam Chriſtus adhortatur nos induſtriâ illâ parabolâ hominis, qui media nocte importunus amico ſuo panes retulit, quos alioquin nec vt amicus accepiſſet. Hieronymus recolens illam parabolam ita commentatur: *Poſtquam Chriſtus Dominus diſcipulos orationem Dominicam docuit, hanc ſubiecit parabolam, vt intelligeremus, importunos nos amicos eſſe debere pulſando Chriſtum, ipſe enim ſi rectè viuamus, amicus noſter eſt. Huius amici oſtium inceſſabiliter pulſare debemus, & horis eum inquietare nocturnis, & vſque adeò moleſti eſſe, vt importuni etiam iudicemur. Sed non huius importunitatis vereamur offenſam, quia hæc apud Dominum importunitas opportuna eſt. Acceptior enim eſt illi imprudens deprecatio, quàm ſecura præſumptio, hoc eſt plus meretur qui ſollicitè orat inſtanter, quàm qui confidens diſſimulat negligenter. Ait enim: Si perſeuerauerit pulſans. Perſeuerans igitur meretur accipere, quia qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Non multum ergo iuuat orare frequenter, cui contigerit aliquando ceſſare. Semper igitur & ſine*

Ex SS. Patribvs. Hieronym. homil. in Euang. in Luc. 11. Tom. 6.

inter

intermissione petendum est, & pulsandum, ne precatio anteacta nihil prosit, si non ad finem eodem quo cœpit tenore peruenerit. Dico enim vobis, & si non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem eius surget, & dabit. Magna perseuerantia est, quæ quamdiu importuna est, quamquam molesta sit; Deo tamen plus amica est, quàm amicus. Ecce enim quod amico negatur, perseuerantia promeretur. Illi recusat de fiducia, huic de contentione compatitur. Illi non largitur familiariter pulsanti, huic pertinaciter miseratur oranti. Pulsemus igitur ostium Domini, non solùm per fidem, sed etiam perseuerantiâ, vt aperiatur nobis. Et nos pulsemus hoc ostium, & perseueranter oremus, vt sapientiæ & scientiæ panem accipere mereamur. Noli mihi molestus esse, &c. Distulit quidem desiderium, sed non abstulit, vt plus nos quæramus, & inuentus strictiùs teneatur. Ideo negat petitionem, vt probet cuiuslibet perseuerantiam.

Perseuerantia in oratione quàm sit potens.

Ingerenda sanè esset hæc doctrina populo Christiano, pertæso orationum praxim, quia non fit voti compos ad arbitrium suum, quando supplex fundit Deo preces. Et reuera hæc est mali labes, quòd scilicet orationi non instemus, & fastidimus longiores in orando moras, quibus tamen vtplurimum gratiæ conceduntur. Itaque non pigeat æmulari constantiam Chananææ, quam eo nomine duntaxat Apostoli voluere esse Deo commendatam, quòd videlicet clamaret instanter post ipsos; quasi dicerent: Christe Deus, perseuerans oratio tibi quàm maximè est cordi; annue igitur eo argumento precibus huius fœminæ, tibi & nobis hactenus importunæ, quia clamat post nos. Si in eo themate desideras oracula Patrum, habeo ad manum quàm plurima, quibus perseuerans oratio optimè commendatur. Accipe Ambrosium ita fatum: *Pernoctabat Dominus in oratione, non vt sibimet prodesset, sed vt nos doceret. Frequens enim oratio quandam operatur disciplinam orandi, quia ipse vsus docibiles Dei facit, indocibiles negligentia.*

Christus quare in oratione pernoctarit.

Ambr. l. 1. de Abel, & Cain, c. 6.

EX SYMBOLIS.

Ioan Ferr. 2. part. Theatri.

Occurrit in eo argumento symbolum idoneum ad perseuerantiam in oratione insinuandam. Illud est cicada depicta à Ferro, hoc adiecto lemmate. CANIT VSQVE CICADA. Is nempe genius est cicadæ, vt die tota canat rore solo cœli pasta, & parum sollicita congregare sibi dapes in futurum, sicut formicæ factitant, congerentes triticum in cumulos hyberno tempore depascendos. Vt cuncta Deus fecit esse hominis, hominem verò Dei; ego non ambigo, cicadam suos protrahere cantus ab ortu ad occasum, vt indesinens ille tenor & iuge melos sonoræ vocis exilis animantis hominem prouocet ad orandum assiduè, si cœli rore velit, id est gratia Dei vt cibo sibi congruo saginari. Cùm itaque prolixior oratio fastidium ingeret homini supplicanti, ille suum sic teporem accendat: CANIT VSQVE CICADA. Id est, pudeat te hominem editum ad imaginem Dei non posse moras protrahere fundendo preces, cùm cicada vile animaculum, in tesseram gratitudinis suæ ob guttulas roris, quibus aspersa madet, occinat vsquequaque. Tu non stillicidiis aspergeris vt cicada, sed te largi gratiarum imbres alluunt, vnde grates ampliores Deo debes, quibus te imparem fecit breuis oratio. Caue igitur, ne compendiosæ preces te deponant infra breuiusculum animal, quo edente suam qualemcumque melodiam serie indefessâ, ad orandum iugiter homines edocentur.

Symbolum egregium orationis assiduæ.

Nota obiter, orationis nomine cùm assidua suadetur, Deum non intelligere contextum dictionum, quæ ad multam horam ex aperto codice recensentur: ex hoc multiloquio Christus ait Gentes suarum precum petere bonitatem, sed aliam longè rationem esse orationis assiduæ, quam volebat frequentari à suis sequacibus. Illa nimirum est summa precum disciplinæ Christianæ; scilicet, vt anhelus animus spretis huiusce sæculi quisquiliis ad cœlestia totis nisibus enitatur. Ecce typum huius orationis: *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Hoc Christi effatum, est epilogus capitis vbi præscribitur Apostolis formula deprecandi. Vnde liquet Dominum hoc sermone suis suasisse discipulis, orationem esse mentis ascensum in Deum, & sic orare iugiter animam, quæ duntaxat cœlestibus afficitur: hic tamen affectus assiduè directus ad superna non obstat, quin vtiliter aliquando preces ore tenus ad Deū fundantur, vt indices animi amore rerum cœlestium æstuantis: animus namque precibus externis vt argumentis eget, quibus se excitet homo pronus ad sectandū ea quę ad hoc sæculū spectāt.

Oratio assidua quomodo frequentari queat.

Matth. 6.

Ne suspicere, gratis esse a me inuectam illam sententiam de hoc indefesso modo orandi, accipe vadem idoneum meæ conclusioni adstruendæ. Hic est Augustinus, ita commentatus: *In ipsa fide, spe, & charitate, continuato desiderio semper oramus. Sed ideò per certa interualla horarum & temporum, etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantùm in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acriùs excitemus. Ac per hoc, quod ait Apostolus: Sine intermissione orate; quid est aliud, quàm beatam vitam ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare. Semper ergo hanc à Domino desideremus, & oremus semper. Sed ideò ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocemus. Verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur. Quæ cùm ita sint etiam, cùm diu orare vacat, cùm aliarum bonarum actionum necessaria non impediuntur officia, quamuis & in eis, vt dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum, nec inutile. Neque enim, vt nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutiùs oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est: Quia pernoctauerit in orando, & quòd prolixius orauerit, vbi nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus. Dicunt, fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas; ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest; ita si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseueret oratio. Nam multum loqui, est in orando rem necessa-*

Ex SS. PATRIBVS.

August. epist. 121. ad Probam viduam Tomo 2.

Oratio vocalis assumitur ad animos excitandos.

Orationis iaculatoriæ frequens vsus apud Monachos in Ægypto.

riam

Orationis virtus præcipua conſiſtit in gemitu.

riam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari, eſt ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo: nobis autem verba neceſſaria ſunt, quibus commoneamur, & inſpiciamus quid petamus, non quibus Dominum ſeu docendum ſeu flectendum eſſe credamus.

Orationis clamor validus Deo gratus quiſnam ſit.
Aug. l. 1. q. in Euāg. Tom. 4.

Ille idem Sanctus moraliter explicans, quomodo cæci iuxta Hiericho ſuis clamoribus fuerint importuni turbis ſtipantibus Chriſtum, ſtrepitum hunc totum refundit in affectum ſeruidum Deo addictum, & terrena omnia ſuperantem, cuius intuitu Deus annuit votis ita defæcatis. Sic ille meminit vociferantes cæcos: *Oportebat vt tantùm clamarent, donec reſiſtentis ſibi turbæ ſtrepitum vincerent, id eſt, tam perſeueranter animum intenderent orando, atque pulſando, quouſque conſuetudinem deſideriorum carnalium, quæ tanquam turba obſtrepit cogitationi, lucem veritatis æternæ videre conanti, fortiſſima intentione ſuperarent. Et ſic Deus petenti dat, & pulſanti aperit.*

SENSVS MORALIS.

Rebus afflictis homo debet ſuas omnes ſpes in Deum refundere, vt in Dominum ſuum adiutorem.

In hæc verba:

Illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.

SECTIO TERTIA.

Ex Theologia, ex Philoſophia, ex Iure Ciuili, et ex SS. Patribvs.

NE in repetita incurram vide ſuprà Feria V. Cinerum: ibi namque copioſa ſeges rationum proſtat, quibus Dei dominium in homines adſtruitur ex Theologia, Philoſophia, & Iure ciuili. Hoc probato, & ſtante dominio Dei, congruè ſpes hominum eſt erigenda; quia vt ſeruorum eſt, debito cultu ſuos excipere dominos, ita & dominorum eſt, non benè duntaxat affici erga ſeruos ſuos, ſed & incumbit eis, curam illorum ſuſcipere ingruentibus anguſtiis, quarum oneri impares ſunt ſerui. Itaque ſibi malè conſulunt homines, qui male ominantes de prouidentia Dei, hoc vnum in votis habent, vt captent gratiam Principum, & congerant opes in cumulos ita ſuas ſpes omnes in hæc inania refundentes. Hoc morbo hodie maxima hominum pars malè habet; quippe rarus eſt, qui Deum tantùm præſtituat ſibi in ſcopum, & eum faciat ſummam ſpei ſuæ.

Cónfidere in homine res eſt inutilis.

Singulos quoſque homines qui reponunt ſuam fiduciam penes Magnates, & prædiuites auri gazas, ſugillare libet eo modo, quo Rabſaces Aſſyrius inuectus eſt in Regem Ezechiam, qui defecerat ab Aſſyriis adiutus partibus Ægyptij Regis. Sic rebellantem Ezechiam Rabſaces increpauit: *Quæ eſt iſta fiducia, qua confidis? aut quo conſilio, vel fortitudine rebellare diſponis? ſuper quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me? Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: ſic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* Quotidiano experimento liquet, has eſſe inanes hominum ſpes, quæ diriguntur in aliquid infra Deum: omnia namque labant, & deſinunt, ſicque ſuo deliquio fruſtrant hominum ſpes, dum litare volunt aureis huiuſce ſæculi ſimulacris. Imò Deus de induſtria fugaces res iſtas omnes ſenſibiles fecit, ne illis nutantibus homo confideret.

Rabſacis oratio blaſphema.
Iſai. 36.

Mundus Deo prouidente fugax eſt, ne homo illi adhæreſcat.
Ex SS. Patribvs.
Greg. hom. 28. in Euang.

Laudatus in eo argumento Gregorius eſt huc denuo reuocandus, ne excidat eius congrua ſententia. Sic ille: *Ecce iam mundus in ſeipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique deſolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur; & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ, ipſas eius amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus eſt, vt ipſe nos iam mundus mittat ad Deum. Penſate ergo, quia nulla ſunt quæ temporaliter currunt. Finis temporalium oſtendit, quam nihil ſit quod tranſire potuit. Caſus rerum indicat, quia res tranſiens, & tunc propè nihil fuit, cùm ſtare videretur.* Deus quaſi ſuam propulſans iniuriam irrita facit hominum vota, quando collimant in hanc mundi ſupellectilem: quiſquis enim ita creaturis afficitur, vt Dei incurius confidat & ſe credat eis, de Deo parum altè ſapit, dubiam namque facit bonitatem eius, ſuſpicans eam fore parcam, & ſic Deo iniquus eſt, meliùs ſibi fore ratus cum creaturis, quàm cum ſatore rerum omnium. Et ne arbitrere crimen hoc leuioris eſſe momenti; hoc tibi ratum eſto, videlicet eum, qui ſpes ſuas omnes reponit penes aliquid ſub Deo, eſſe idololatram, quia rem illam, cui ſuam deuouet fiduciam, Dei vice conſtituit, fornicis concameratæ loco dicans ei cor ſuum, & affectus ſuos in delubrum; ideoque velim recolas, Deum zelotem congruas expetere pœnas huius piaculi, mutando deos illos in tortores: inde nimirum cruciantur homines vtplurimum, vnde ventura ſibi proſpera cónfidebant.

Mundus labilis eſt.

Reprobi inde puniuntur maximè, vnde ſperàuerunt ſe ſolamen accepturos.

Amaſias Rex Iuda deuoluitur in cultum idolorum.

Has alternantis ſæculi vices ſuo diſpendio extremo plerique experti fidem faciunt meæ concluſioni veridicæ, affirmanti torqueri homines iis maximè rebus, quibus ſuam totam fiduciam atque obſequia omnia manciparunt. In his occurrit locuples hiſtoria Regis Amaſiæ. Is debellata Idumæa Deos Gentis afflictæ ſecum tulit in Iudęam, vbi eos & ipſe colens turpiter adorauit. Quid inde? Accipe ex Codice ſacro. *Quamobrem iratus Dominus contra Amaſiam, miſit ad illum Prophetam, qui diceret ei: Cur adoraſti Deos, qui non liberauerunt populum ſuum de manu tua? Cumque hæc ille loqueretur, reſpondit ei⁹: Num conſiliarius Regis es? quieſce ne interficiam te. Diſcedenſque Propheta: Scio, inquit, quòd cogitauerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper non acquieuiſti conſilio meo, &c. Noluit audire Amaſias, eo quòd Domini eſſet voluntas, vt traderetur in manus hoſtium propter Deos Edom.* Itaque malè diſperiit Amaſias in pœnam ſpei ſuæ collocatæ in Diis Idumæis.

2. Paral. 25.

Auaritia quare dicatur idolorū ſeruitus.

Amaſias ille ſui piaculi conſortes habet omnes amaſios adblandientis fortunæ: hi namque

velut

velut immemores gratiarum Dei, tot sibi præfixere Deos, quot res in quibus sperant. Nec aliunde auaritia dicitur à Paulo, *Simulacrorum seruitus*, nisi quia auarus spes suas omnes regerit in gazas, quas suæ incurius animæ conquisiuit. Alij præstituere sibi Reges vt summam suæ spei, arbitrati beneuolentiam principum esse bonorum omnium compendium. Sed vt opes immensæ, penes quas Crœsus reponebat felicitatem suam, fuerunt illi argumentum ingloriæ seruitutis; ita & plerique Reges fortunæ suæ cultores nimios vt par erat duriùs exceperant. Nonne Achitophel vir magni nominis in Iudæa, videns Regem Dauid pulsum solio iniquis artibus Absalon, vsurpatori adhæsit, velificatus auræ, quæ secunda aspirabat illi degeneri filio? Quem sortita fuerit exitum spes illa locata in Principe perduelli, recolit historia sacra, commemorans virum hunc Ierosolymis antea famosum, ob consilia eius habita velut oracula, fuisse spretum ab Absalon. Vnde desertor ille videns repudiari suas sententias à Principe, cui litabat, spes omnes suas imprudenter collocatas pendulus inserto sibi laqueo præfocauit. Eodem fato sublatus est Aman Persa, suspendio addictus ab Assuero, quem sibi in Deum præfixerat. Eadem sorte castigatæ sunt spes Belissarij Ducis, qui pluris faciens arbitrium fœminæ Theodoræ, quàm Dei nutum, sacrilegas manus iniecit in Papam Syluerium; sed Deo vltore Iustinianus Imperator, cui rem gratam facere ratus est homo sacrilegus, morem gerens iniquo imperio coniugis eius, Belissarium effossis oculis puniit, plus nimio suæ purpuræ confidentem.

Achitophel defectio à Rege Dauid punita diuinitus.

2. Reg. 17.

Aman quare suspendio necatus. *Esther. 7.*

Belissarius quare malè periit. *Historia Imperialis in Iustiniano.*

Esset importuna series exemplorum, quæ concludunt malè sibi consulere eos omnes, qui sperant in creatis, nec est opus eruderare monumenta vetera, cùm quotidie crucientur homines iis ferè rebus, quas fecerant spei suæ vltima simulacra. Participant omnes angustias Rebeccæ & Rachelis: illæ nimirum steriles ægrè tulerunt esse suum vterum infœcundum; sed Deo facto votis earum propitio, serò pœnitentes expertæ sunt, quàm inanes sint hominum spes. Nempe Rebecca gemellis fœta, collidentes pueros sensit in vtero, sua sic viscera lancinantes. Rachel verò pertæsa vitam si non conciperet, extincta est in puerperio, vitâ suâ mercata lucis vsuram, quam dedit puerulo Beniamino.

Rebecca & Rachel inde cruciatæ, vnde sibi bene ominabantur.

Genes. 25.

Genes. 35.

Plerosque diuites auro graues vidimus hoc sæculo sisti regio tribunali, quia locupletes gazæ suspicionem faciebant expilati fisci. Alios vidimus fortunæ suæ impares exauthoratos à Principe, cuius se suásque spes numini consecrarant. Quodque malorum omnium caput est, si quis Deo afflatus meliora consilia suggerit deliris hominibus, illi velut Amasias supra recensitus, iniquo animo excipiunt benè suadas illas orationes, & in consultores optimos protinus excandescunt. Ideoque rari sunt, qui spe cadant, quam deuouent auro & Principi; sed hos omnes opum & fortunæ Amasios sors manet Amasiæ, quem Scriptura sacra ferit hocce maledicto: *Noluit audire Amasias, eò quòd Domini esset voluntas, vt traderetur in manus hostium, propter Deos Edom.* Videre est hodie Christianos frequentes adesse sacris concionibus, vbi zelo Dei perciti præcones sacri declamant in inanem hominum fiduciam; quale verò commodum inde merant amasij huius mundi, non est quòd recolam: quippe nolunt auscultare amasij huius mundi; quia Deo vltore momentum instat, quo tradentur arbitrio dæmonum, vt spes eorum immaturæ igne æterno vindice decoquantur.

2. Paral. c. 25.

Veridicum etiam Isaiæ præsagium hodie sortitur homines, qui adstruant illi fidem, dum plectuntur iis ferè rebus, quas plus nimio dilexerant. Sic ille Vates Deo afflatus carpit homines, qui Deo dant libellum repudij, vt confisi rebus inanibus, illis iugiter adhærescant. *Qui dereliquerunt Dominum, consumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt: & erubescetis super hortis, quos elegeratis, cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra, vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat.* O prædicator, habes eo textu thema diues ad componendos hominum mores: quippe potes ingerere diuitias simulacra inania, quibus anima in supremo agone posita confundetur. Nihil namque opes malè partæ conducunt ad salutem, imò noxiæ Dei vindictam sollicitant in cultores auri, qui morte instante cadunt omni spe salutis æternæ, quia fuere plus nimio addicti supellectili huius sæculi. Ingere fidelibus è pulpito, fiduciam illam positam in homine esse incongruam, vtpote inutilem illo momento, ex quo pendet æternitas, ac proinde satius esse sperare in Deo, & ei sua vota omnia deuouere.

Mundi amasii, ab iis rebus plectuntur, quas coluerunt.

Isai. 1.

Spes collocata in rebus huius sæculi parit confusionem in hora mortis.

Huic argumento propitia est illa parænesis Augustini ita suadentis: *Sit Dominus Deus tuus spes tua, non aliud aliquid a Domino tuo speres; sed ipse Dominus Deus tuus sit spes tua: namque multi de Deo sperant pecuniam, honores caducos, aliud quodlibet a Deo præter ipsum Deum; sed tu ipsum Deum tuum pete: imò verò contemptis aliis perge ad illum; obliuiscens alia, memento illius; relinquens retro alia, extendere in illum, ipse ducit rectum. Ergo sit ipse spes tua, qui ducit, & perducit quò ducit. Et quo perducit terrena auaritia? fundos quærebas, terram possidere cupiebas, vicinos excludebas, illis exclusis aliis vicinis inhiabas, & tam diu tenebas auaritiam, donec ad littora peruenires: perueniens ad littora insulas concupiscis: possessâ terrâ cœlum fortasse vis prendere. Relinque omnes amores; pulchrior est ille, qui fecit cœlum & terram, & non respexit in vanitates. Vnde enim insania mendaces, insania mendax, sanitas verax. Quæ vides bona putas, falleris; sanus non es; nimia febre phreneticus factus es, verum non est quod amas.*

August. in Psal. 39.

Spes in Deo collocanda ex egregia suasione Augustini.

Quare autem sit spes nostra detrahenda rebus huius æui, id pete ex natura rerum omnium, in quibus homo imprudens & anhelus spirat. Illæ etenim sæpè malis hominibus cedunt potiùs quàm probatis; Deo sic insinuante, nihil esse res, quas quandoque nequissimi homines participant æquiori sorte, quàm viri virtutis emeritæ. Dum itaque probi homines æqua lance pensant indolem omnium horum, quibus inhiant incauti asseclæ mundi; illi cautiores facti aliorum discrimine, hæc omnia flocci faciunt, & penitus aspernantur. Opportunus adest Gregorius, ita meditatus: *Dum iustus hypocritam ex peruersa voluntate obtinere ea quæ mundi sunt intuetur; ipse ad amorem cœlestium robustiùs stringitur, sciens quia bonis desideriis præmia æterna non deerunt, dum & prauis & duplicibus cordibus bona temporalia non negantur, quæ ex re mundus quoque manibus*

Spes quare non est affingenda rebus huius sæculi.

Gregor. l. 13. Moral. *manibus addit fortitudinem; quia conſpiciens peruerſos obtinere terrenam gloriam, bona opera ſua prouehit ad perfectionem. Et tantò altiùs temporalia deſpicit, quantò hac abundare etiam malis cernit. Quum enim ſint deſpicienda conſiderat, quæ Deus etiam peruerſis præſtat. Si enim principaliter magna eſſent, nequaquam hæc conditor aduerſariis ſuis tribueret. Vnde & indignum ſibi eſſe perpendit, vt illa bona appetat quæ abundare conſpicit & malis. Sed ad percipienda cœleſtia mentem ſuam dirigit, quæ ſibi cum reprobis communia eſſe non poſſunt.*

Opes æquè malis ac bonis dantur.

Iob vir ſanctioribus etiam probatus oraculis, in argumentum ſuæ pietatis dixit, ſe nullam habuiſſe fiduciam in cumulis auri, quos plerique colunt vt ſinceræ felicitatis rutila ſimulacra. Gregorius in ſeriem verborum ita commentatur: *Sanctus Iob ait: Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Sanctus ergo vir, nec aurum robur, nec ſibi eſſe obrizum, id eſt, rudis auri molem, fiduciam credidit, quia ſpem atque delectationem ſuam in ſolius gratia conditoris figens, neque de quantitate auri, neque de ſpecie peccauit. De Creatore quippe deſperaſſe fuerat ſpem in creatura poſuiſſe. In rebus autem dubiis ſpem fixerat diues ille qui dicebat: Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe. Sed hunc ſuperna vox increpat, dicens: Stulte, hac nocte repetent animam tuam. quæ autem paraſti cuius erunt? Eadem enim nocte ſublatus eſt, qui in rerum abundantia ſibi multa tempora fuerat præſtolatus, vt ſcilicet qui in longum ſibi ſubſidia colligenda proſpiceret, ſubſequentem diem non videret. Quaſi enim in aquis defluentibus fundamentum ponere eſt, in rebus labentibus ſpei fiduciam velle ſolidare: ſtante enim in perpetuum Deo tranſeunt omnia. Quid ergo ab ſtante fugere eſt, niſi tranſeuntibus rebus inhærere? Quis namque vnquam decurrentium fluminum tumidis verticibus raptus manere ipſe fixus potuit, deorſum vnda defluente? Quiſquis ergo defluere deuitat, ſupereſt, vt quod defluit fugiat, ne per hoc quod amat, in hoc cogatur peruenire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illis videlicet trahitur. Prius itaque curandum eſt, ne quis temporalia diligat, ac deinde in eiſdem temporalibus, quæ non ad delectationem ſibi, ſed ad vſum retinet, fiduciam ponat. Quoniam coniunctus decurrentibus, mox ſtatum ſuum animus perdit; nam valde demens eſt, qui in vnda voluitur, & plantam configere conatur.* Hactenus ille Antiſtes explicuit, quam cautè ſuas ſpes viri probatæ fidei diſpenſarint.

Greg. l. 22. Moral. c. 1. Iob. 31.

Spem ſuam iuſti non collocant in bonis mundi huius.

Cæterùm ne cui imponat hæc ſectio de ſpe collocanda in Deo ſolo, operæpretium eſt aduertere, ſpes noſtras etiam debere bonis operibus ſtipari, ne alioquin ſuboleant præſumptionem. Ideoque proponenda nobis eſt Chananææ ſolertia, qua ſtuduit primò egredi de finibus ſuis, deinde adſcita humilitate, & repetita ſuæ fidei profeſſione luculenta ſpei ſuæ collocatæ in Chriſto protulit argumenta. Qui ſecus faxit, hic delirat: namque labat hæc ſpes, quæ nullis virtutum freta præſidiis, arbitratur Deum fore ſibi propitium. Eò ſpectat iſtud ſuaue melos Pſaltis: *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Quem locum ita decurrit Origenes: *Sperans in Domino non ſis otioſus, ſed bonitatem faciens, ſpera in eo, & inhabita terram, hoc eſt, cor tuum. Hanc qui ſperat in Domino inhabitare iubetur, hoc eſt, non longiùs euagari, non vltra citráque diſcurrere, ſed habitare & conſiſtere intra animæ noſtræ terminos, & conſiderare eam diligentiùs, atque effici eius agricola, & excolere terram quæ intra nos eſt, & noſtra anima innouare noualia, & non ſeminare ſuper ſpinas: quod facimus, cùm animam noſtram purgamus à vitiis, & incultos atque aſperos mores ad manſuetudinem Chriſti excolimus.* Vt charitas ſeorſim non incedit, ſed comites indiuiduas habet fidem & ſpem; ita nec ſpes valida poteſt eſſe ſine virtutibus, quibus vt alis accincta ſpes euehitur ad ſuperna.

Spes in Deo collocata petit bonorũ operum præſidia.

Pſal. 34. Orig. hom. 4. in Pſal. 34.

Spes valida non eſt ſine charitate & fide.

Accipe huic concluſioni obſtetricem Auguſtini ſententiam. *Quiſquis cognouerit finem præcepti eſſe charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, omnem intellectum diuinarum Scripturarum ad iſta tria relaturus eſt. Cum enim diceret, Charitas; addidit de corde puro, vt nihil aliud, quam id quod diligendum eſt, diligatur. Conſcientiam verò bonam ſubiunxit propter ſpem. Ille enim ſe ad id quod credit & diligit peruenturum eſſe deſperat, cui malæ conſcientiæ ſcrupulus ineſt. Tertiò, & fide, inquit, non ficta. Si enim fides noſtra caruerit mendacio, tunc & nos diligimus, quod eſt diligendum, & rectè viuendo id ſperamus, vt nullo modo ſpes noſtra fallatur.* Sic ſpera, ne deſperes.

Aug. l. 1. de doctr. Chriſt.

SENSVS MORALIS.

Ominoſum eſt & lethale homini male ſibi conſcio, indignè accedere ad Euchariſtiam.

In hæc verba:

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

SECTIO QVARTA.

ARTICVLVS PRIMVS.

EX HISTORIA, ET EX SS. PATRIBVS.

INiqua canum indoles fecit hoc animal eſſe typum omnium vitiorum. Primò canes inuerecundè flagrant libidine obſcœna, palàm indulgentes ei, cùm pleráque tamen animalia pudeat in aperto in Venerem ſolui. Ab hoc impudenti canum ingenio, illi Philoſophi dicti ſunt Cynici, qui perfricta fronte ſuæ libidinis æſtũ fœdis actibus extinguebant. Rurſus obtrectatores dente acerbo rodentes aliorum famam ſortiuntur in cane ſymbolum idoneum, nempè latrant importunè, quando ſuos æmulos conuiciis afficiunt, in eos ore rabido debacchantes. Prætereà canis vt inquies eſt ad vindictam pronus; quippe leuiter læſus naſo repando diducit os, & dentes exerit ad mordendum. Adiice, canem lambere ſanguinem, adeóque gulæ deditum eſſe, vt rapiat carnes vndequaque poteſt. Itaque vitiorum omnium colluuies hocce canis ſymbolo congruè deſignatur, quo etiam Angelus ille vſus eſt, qui inſinuare volens Ioanni Apoſtolo, reprobos omnes eſſe arcendos à gloria, ratione vitiorum, quibus obſtringuntur, ita expreſſit impiorum hominum exilium: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Vſurpatâ nomẽclaturâ canis

Canis eſt ſymbolum hominis vitiis omnibus obnoxij.

Apoc. 22.

subiecit Angelus vitiorum omnium compendium, vt rem aptè canis symbolo lineatam. Erit igitur sincera moralis expositio textus quem decurro, si dixero sacrum panem Euchristicum, solis decoctum filiis adoptiuis Dei, non debere canibus, id est reprobis, impertiri.

Ex SS. PATRIBVS.

Ominosum sanè est & lethale canibus illud edulium, imò & eis quis scienter administrant impiis illud sacramentum. Prostat in eo argumento locuples historia eorum infidelium, qui in dedecus Ecclesiæ consecratum panem obiecerunt. Quo subodorato canes in rabiem acti sæuierunt in sacrilegos homines iniurios pani filiorum Dei. Ne incautè nequissimi homines accederent ad hunc panem, Deus sæpe animaduertit in secus agentes, idque expetendo ab eis pœnas acerbas, quibus in aperto recondita eorum crimina castigabat. Quosdam malè habitos, ob incongruum hunc accessum ad viuificum illum panem Cyprianus ita commemorat: *Vnus postquam Christum negauit obmutuit, pœna inde cœpit, vnde cœpit & crimen, vt nec rogare iam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet: alia ab immundo spiritu correpta cecidit, laniauit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impiè, vel locuta. In perniciem suam rabies oris armata est, ipsa sui carnifex extitit: alia sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, & velut venena quadam lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi, & anima æstuante postmodum concludi cœpit: & cùm quadam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere.* Hactenus ille Sanctus, testis oculatus pœnæ, in quam incurrêre sacrilegi homines, immemores panem filiorum, non esse canibus apponendum.

Pœnæ eorũ qui in sacram Eucharistiam peccant.

Cyprian. serm. de lapsis.

Pectore iniquo recondere panem illum, perinde est ac ei virus aspergere, imò panis ille magis horret lethale piaculum, quàm venenum: ideoque manet indignè pastos eadem mulcta, qua dirè exceptus est subdiaconus ille, qui Victori II. sacrificanti virus in sacro calice propinauit. Vbi Pontifex sceleris inscius se aptauit ad haustum calicis consecrati, impar fuit leuando huic poculo venenato, & subinde diaconus ille fuit abreptitio dæmone castigatus, vt fuse meminit Abbas Vspergensis. Fuit beneficum illud sacramentum optimo Pontifici; homini verò sacris iniurio dirus adfuit tortor, scilicet dæmon, quo suasore panis filiorum à canibus absorbetur. Inde pores, ô prædicator, ansam arripere declamandi in eos, qui temerè sacris adstant epulis, dicendo, virus eos aspergere pani Angelorum, quando deglutiunt illam escam tacito aliquo lethali piaculo in confessione. Verbi gratiâ, quisquis malè partas opes non erogat, & sic iniquis artibus diues accedit ad communionem, is sanguine pauperum cruentat illum panem sacrum, qui idcirco citam Dei vltionem sollicitat, hominum egenorum sanguine purpurascens. Alius animo adultero, aut obscœnis amoribus æstuante, communionis sanctæ effectus particeps, fœda aspergine panem illum inficit, luto saliente ex spurco luxuriæ volutabro. Homo ferus & assuetus versare dolos, & iniuriarum memor odiis indormiens, immiscens se sacris animo anhelo in cædes, felle aspergit panem illum, amoris saccaro condiendum. Demum quisquis in vitiorum fæce degens pascitur illo cibo, solis instituto piis hominibus, ille serò sciet non esse bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: secreto namque hominum cibò, congruis eduliis indoli suæ sunt bestiæ saginãdæ.

Eucharistia veneno infecta à subdiacono qui luit inde pœnas.

Abbas Vspergensis in chron. sub ann. 1055.

Eucharistiã quisquis indignè sumit, conspurcat panem sacrum.

Eò spectant illa Chrysostomi eloquia. *Mensæ isti Angeli administrant, ipse Rex adest, & squalet sordibus vitiorum pallium animæ tua? Sed pura est anima tua stola, inquies. Igitur accumbe mensæ, & esto particeps Dominici corporis. Venit quotidie Rex, vt interuisset discumbentes, texit cum vniuersis sermones familiariter, & nunc quidem in quorumdam conscientia tacitus insusurrat: Amici, quomodo huc accessistis, non habentes vestem illam nuptialem? Quomodo huc intrasti, ait, & quomodo discubuisti? Omnis enim, qui non est sacramentorum particeps, impudens admodum sit hic oportet, vt qui sic temerè adstiterit sacris. Ob hoc enim, qui flagitiis noscuntur esse contaminati, priùs eliminantur templi foribus, quàm communio sumenda dignis proponatur. Scriptum est: Bestia quæ tetigerit montem, lapidibus obruetur. Vsque adeò indigni censebantur montis illius ascensu, id est, sacra communione, qui sancti non sunt.*

Eucharistia tantùm est accipienda à mundis.

Ex SS. PATRIBVS.

Chrys. serm. 3 in epistol. Pauli ad Ephes.

Exod. 19.

Cùm Eucharistiam dico panem filiorum, satis superque clamo munditiam, qua vt cautela debent esse conspicui omnes qui accedunt ad hanc mensam, solis instructam filiis, & non alienis, vt etiam apprimè liquet eo ritu veteri, quo diaconus ante comunionem edita voce deposcebat sanctas animas, vt solas idoneas, quæ hoc sacro epulo pascerentur. Sistendus denuo Chrysostomus vt recolens illum morem priscis sæculis inolitum. Sic ille: *Sanctis hæc Sancta concessa sunt. Hoc etiam diaconus insinuat in illa hora Sanctos vocans ad communionem, & dicens: Sancta Sanctis. Ac si diceret: Si quis non est sanctus, non accedat. Non simpliciter dicit à peccatis mundus; sed sanctus. Sanctum enim non mundatio peccatorum tantùm facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia. Si enim Rex Babylonius, ex captiuitate eligens iuuenes, honestos forma & decoros facie elegit; multò magis & nos adstantes mensæ regali, honestos specie animæ esse oportet, ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum, oportet eam ornatu aureo circumdatam esse, cingulum veritatis habere.* Vides hoc contextu, non quibusuis hominibus instrui mensam hoc cœlesti pane opiparam, sed filiis duntaxat; iis videlicet, qui sanctitate morum propius accedunt ad Deum, quo Patre sati sunt omnes Sancti.

Sancta Sanctis vox fuit diaconi ante communionem.

Chrys. hom. 17. in epist. ad Hebræos.

Eodem etiam intuitu dicitur Eucharistia, panis Angelorum, frumentum electorum, & cibus fortium, vt illis elogiis homines eruditi, se accingant ad munditiem beatarum mentium, satagant assurgere ad nitorem electorum, & demum æmulentur, & studeant comparare robur cœlestium athletarum. His consonat illa Hieronymi sententia: *Electorum frumentum Christus Dominus est. De hoc tritico efficitur ille panis, qui de cælo descendit, & qui confirmat cor hominis. Hunc panem comedunt, qui in Christo robusti sunt, de quibus dicitur: Scribo vobis iuuenes, quia sermo Dei in vobis manet, & fortes estis, & vicistis malignum. Qui frumentum est electorum, ipse est & vinum quod lætificat cor*

Eucharistia quare dicta sit panis Angelorum & frumentum electorum.

Hieron. l. 2. in cap. 9. Zachariæ.

hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ sunt sancta corpore & spiritu, vt inebriatæ atque gaudentes adducantur Regi in lætitia & exultatione. In eo item Themate opportunus adest Dauid, adhortatus filios Dei, vt dona Deo ferant; siquidem accessus ad Deum propriè filiorum est, & non eorum de quibus Psaltes ait: *Longè à peccatoribus salus.* Accipe Basilium ita commentatum in gratiam meæ sententiæ: *Afferte Domino filij Dei. Quoniam non cuiusuis donum est Domino Deo acceptum, sed eius tantum, qui corde puro offert illud, ideo dicit, vt offerant illud, qui filij sunt Dei. Non enim est accepta oblatio ex meretricis mercede. Et rursus Ieremias: Numquid carnes sanctæ auferent malitias tuas à te, aut per hæc purus eris. Ideo Psalmus prius nos vult esse filios Dei, deinde vltroneos accedere ad offerenda Deo dona.*

1. Ioan. 2.
Psal. 118.
Eucharistia panis est filiorum.
Basil. hom. 5. in Psal. 28.

Eucharistia indignè accepta mala multa ingerit.
Greg. lib. 3. in cap. 4. Reg.

Si tanta decet munditia offerentes Deo dona, vt oporteat esse compositos in habitum filiorum Dei, profectò cultiores esse debent illi, qui sui iuris esse volunt panem filiorum Dei, quo quisquis incongruè pascitur, in discrimen vitæ æternæ incurrit, præter mala quibus etiam in hoc sæculo castigatur. Accipe Gregorium his consona recensentem: *Percussit* (inquit) *Dominus de viris Bethsamitis eò quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, inquiuntque aspicientes hæc: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius. Si hi, qui digni sunt, videndo moriuntur; contrectantes quomodo viuunt? Bethsamitæ quippe in sancta Ecclesia sunt mortui sacerdotes, & ministri sacri altaris reprobi, quia de domo quidem Solis iustitiæ sunt, dignitate ministerij, non virtute, & gratia sanctitatis. Bethsamitæ quidem sunt, quia per sanctæ oblationis officium in domo Dei conuersantur; sed tanto sunt acriori damnatione percutiendi, quantò non solum videre audent sacra mysteria, sed contrectare; quantò non iam veteris Testamenti arcam respiciunt, sed quod omnia superat, indignè se corpori & sanguini ingerunt Redemptoris. Quos percussos insinuat Paulus, dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Veri etenim fideles dicunt: Quis poterit stare in conspectu Domini sancti huius? Altitudinem quippe tantæ administrationis considerant, & tanti Sacramenti dignitatem formidant. Sed dum tanta rei officium metuunt, qui id exhibere valeant digniores quærunt. Vnde sequitur: Et ad quem adscendet à nobis? Quasi ergo sacra mysteria fugientes dicant: Quia nos infirma conuersatione percutimur, ministri, ex altiori vita quærendi sunt.*

1. Reg.
1. Cor. 11.

SENSVS MORALIS.

Malè sibi consulunt illi, qui conscientiâ infirmâ, & sauciatâ vitiis, panem sanctum deglutiunt.

In hæc verba:

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Medicorvm Disciplina, Et Ex SS. Patribvs.

Cibi optimi non proficiunt viscere impuro.

QVamtumuis valeant & optimi sint cibi; non idcirco tamen prosunt ingesti visceribus hominum: nempe stabulantes in aluo fæces obstant, quin esca succi laudabilis suum sortiatur effectum, ac proinde repurgium decernitur à Medico illi cuius interiora putent, impura colluuie viscera farciente. Circumfertur in hoc argumento solenne effatum Hippocratis: Ἀποπατέειν τὴν ἕωλον κόπρον ἀνὰ πάσας ἡμέρας, ἢν μέλλῃ ὑγιαίνειν ὁ ἄνθρωπος. Id est. *Pridianas fæces singulis diebus excernit, qui valet aut valere debet homo.* Illi oraculo fidem facit quotidianum experimentum hominum, qui opiparè pasti, non vegetiores inde fiunt, aluo humore noxio qui restagnat ægrè admodum impedita. Vt itaque sibi consulant ægri, non ingerent cibos in viscera saburrata fæcibus olidis; sed præuia cautione, quam recolit Hippocrates, quicquid impurum est egerent, vt salutari queant cibo postea saginari. Parum esset nullum capere commodum ex talibus eduliis transmissis in aluum impuram, ni & graue periculum instaret, vt præfatus Hippocrates enuntiat hac Coaca prænotione: Οἱ ἐκ μακρῶν ἀναλαμβάνοντες εὐσιτοι μηδὲν ἐπιδιδόντες ἐπιστρέφουσι κακοήθως. Id est. *Qui diuturno defuncti morbo, ex animi sententia cibum capiunt, neque proficiunt, grauissimè relabuntur.*

Ex re medica.
Hippocrat. lib. de ratione victus.

Ciborũ alimietas conualescentibus noxia.
Hippoc. lib. 1. Coacar. prænot. 135.

Obseruationes illæ omnes medicæ militant in gratiam panis sacri, non sumendi, nisi animâ repurgatâ à fæce vitiorum, quæ hactenus in recessu cordis intimo restagnarunt. Nempe lethalis est sumptio cibi huius sancti, si incautè accipitur, peccato non remorante solùm salutarem effectum sacramenti, sed animam etiam æternis ignibus addicente. Imò quisquis dum pœnitet, & quasi à morbo resurgens sæpe accedit ad epulas illas, & nullum inde capit incrementum gratiæ, is non procul à lapsu est; quippe ingruente valido tentationis æstu reperet insolitum sibi antea volutabrum. Itaque non satis est euomere graue virus vitiorum, sed & operæpretium est seriò discutere affectus omnes incongruos, vt sistatur vtiliter anima mensæ Dei. Prælibata Medicinæ metaphora vsus est Chrysostomus hoc contextu: *Sicut cibus naturaliter nutritorius extans, si in eum, qui prauis cibis corruptus est, incidat, omnia perdit, & corrumpit, efficitur occasio morbi; sic etiam ista, quæ ad hæc terribilia pertinent sacramenta. Frueris mensa spirituali, mensa regali, & iterum polluis cœno os tuum. Perungis vnguento pretioso, & iterum fœtoribus illud imples.*

Eucharistia quam cautè est sumenda.
Ex SS. Patribvs.
Chrys. hom. 17. in epist. ad Hebr.

Denuo

Denuo repetens idem argumentum Sanctus hic præfatus, totus est in suadenda puritate congrua Sacramento. Vt autem congruat illi mensæ sacræ, audi qualem animæ supellectilem velit esse beatus ille Chrysostomus. Ecce benesuadam eius parænesim. *Cum puritate, & anima sinceritate ad sumendum hunc cibum accede semper, sine hac ne præsumas vnquam: Quoties hac facietis, ait Paulus, mortem Domini annuntiabitis, hoc est, salutis vestra memoriam instaurabitis, nempe munificentia mea, Christi scilicet, omnibus collata. Considera nunc quanta illi veteris sacrificij participes vita frugalitate vtebantur. Quid enim non hi faciebant? Omni tempore purificabantur: & tu ad salutarem hanc hostiam accessurus, quam Angeli ipsi cum tremore suscipiunt, rem tantam circumscribis temporis in ambitu? Qua fronte teipsum sistes ad tribunal Christi, qui impuris manibus ac labiis sic impudenter ipsius corpus ausus sis attingere? Atrox sanè contumelia est res huiusmodi. Dic tu mihi, num eligas illotis manibus ad tam venerabilem victimam accedere? Non puto. At interim in paruo tam religiosus cum sis, animam autem habens cœno vitiorum squalentem accedis, & audes impudens contingere? Quin perspicis variam illam vasorum supellectilem, sic perfusam aqua, tanto splendore interlucentem? Atqui nostras animas par est reddi illis longè puriores, sanctiores, ac multò splendidiores virtutum ornamentis. Iam vero nolis vti eo vase, quod sordet, & anima sic contaminata accedis.*

Idem serm. 3. in epist. ad Ephes.

Quàm autem graue piaculum sit, indignè sisti sacris altaribus, idem Chrysostomus luculenter explicat hoc tenore: *Dico horribile quoddam atque tremendum, non est ita malum dæmoniacos intra Ecclesiam esse, sicut istos, qui peccatorum sordibus polluuntur. Illud enim pessimum est, sicut Paulus ait, conculcare Christum, & sanguinem pollutum ducere, & spiritus gratia contumeliam facere. Multò igitur dæmoniaco peior est, qui peccati sibi conscius accedit, qui enim indignè adeunt, æternis tradentur tormentis. Nullus communicet nisi ex discipulis sit. Nullus impuro animo sicut Iudas panem assumat, ne similia patiatur.* Non impunè peccari in escam hanc diuinam, paucis Hieronymus enuntiat, ita sonans: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Hac de his qui Deum post acceptum manna dereliquerunt intelligit. Et nunc in Ecclesia, si quis carne & sanguine Christi reficitur, & declinat ad vitia, nouerit sibi Dei iudicium imminere, sicut Paulus Apostolus ait: Qui manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.*

Chrys. hom. 83 in Matth.

Eucharistia indignè sūpta est lethalis.

Hieron. in Psalm. 77.

Vt ergo quisque malo ingruenti occurrat, prælibatam Medicinæ cautelam adhibeat accessurus ad mensam Dei, id est, egerat omnes fæces vitiorum, quæ resident in penitiore recessu cordis, & aduertat ne animo febrienti cibum hunc in suam perniciem incautè deglutiat: febris namque accensa cibos noxios efficit. Ita Chrysostomus: *Si febre laboraremus sensibili, non communicaremus mensa, ne perderemur: longè magis homini panem hunc tangere nefas est, absurdis cupiditatibus impedito, qua febribus grauiores sunt. Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit. Quid dicis? Dic quæso. Tantorum bonorum causa, & quæ vitam exhibet mensa, iudicium fit? Minimè propter eius naturam, sed propter accedentis voluntatem. Non diiudicans corpus Domini, hoc est, non inuestigans, non considerans, vt oportet magnitudinem propositorum, non reputans muneris magnitudinem; propter hoc multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*

Eucharistiæ effectus impeditur ęgritudine animæ.

Chrys. hom. 28. in epist. 1. ad Cor.

SENSVS MORALIS.

Quibus præcipuè apponendus sit panis regius.

In hæc verba:

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

EX VTROQVE IVRE, ET EX SS. PATRIBVS.

Singulis quibusque diebus propositi panes sacri in templo dicti sunt panes propositionis, & panes facierum. Panes quidem propositionis fuere nuncupati, petito nomine à ritu, quo panis ille sacer in templo prostabat quotidie propositus. Nomenclatura verò panis facierum inde effluxit; quòd scilicet facies multæ Regum essent industriè efficta in ora mensæ, cui panes illi iugiter incubabant. Vnde potuit & ille panis eodem titulo panis regius appellari. Cuinam mysterio velificatæ sint illæ Regum facies, non omnino liquet; per me non stat, quin pius interpres ad arbitrium suum in re implexa satis sua sensa promat. Dixi aliàs, facies Regum mensæ inscriptas ingerere, Regum esse, annonam populo prouidere. Fortè magis appositè ad meum morale institutum dixerim, facies illas diademate insignes adiectas illi mensæ panum propositionis suggessisse, panes sanctos ad suum vsum deposcere animas regio cultu conspicuas, ita vt dignè pane illo pasci, sit viuere more Regum, aut saltem profiteri cultum aliquem singularem Regis, cuius sunt illi panes. Hinc illi panes sancti solis erant permissi sacerdotibus, quia præcipuè pertinebant ad Deum, cuius erant illi panes obsequio consecrati, nec facta est Dauidi copia comedendi panes illos, nisi post fidem oppigneratam munditiæ, qua nitebat. Ecce colloquium eius cum sacerdote Achimelech: *Si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inueneris. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta, &c. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.*

Ioseph. lib. antiquit.

Panes propositionis quare dicti panes facierum.

Mensa panum propositionis referebat facies Regum.

1. Reg. 21.

Quia Deus Sanctus Sanctorum est, cui Seraphim hoc suaue melos occinunt: *Sanctus Sanctus, Sanctus*; panes sibi propositos voluit duntaxat esse

Panis ex ærario publico constitutus olim militibus

Ex Ivre civili.
Panis opimus appositus militibus.

esse iuris eorum, qui professione sua sancti essent. Ita & Imperatores ex ærario suo decreuere panes illis hominibus, qui dederant nomen suum militiæ, & sic totos se Principum obsequio mancipauant: tantaque fuit cura panis huius Imperatoribus in gratiam militum, vt Valentinianus & Valens hac lege Præsidem prouinciæ obstrinxerint. *Cum ad quamlibet vrbem mansionemve accesseris, pretinus horrea inspicere te volumus, vt deuotissimis militibus deputata & incorrupta species prabeantur. Nam si per incuriam officij grauitatis tua sartorum tectorum neglecta procuratione, aliqua pluuiis infecta perierint: ad damnum tuum referentur.* Nota, panem illum probatissimum decerni non ignauis, transfugis, aut desertoribus militiæ, sed *Deuotissimis militibus.* Id est illis, qui nulla sui exceptione totos se componunt ad arbitrium Principum. Nempe militem totum pendere ex nutu Principis, hoc est esse deuotissimum. Eodem quoque zelo perciti Arcadius & Honorius cauere panibus militum, ne vlla vnquam subesset annonæ penuria. En decretum. *Nulli posthac horreaticas species contingendi copia prabeatur, si verò quisquam temerator horreorum extiterit: qui sibi ex prædictis aliquid audeat vsurpare: hanc pœnam sciat nostro arbitrio definitam, vt deportationis pœna subiectus, totius substantia cogatur subire iacturam.*

Leg. Cum ad Cod. De conditis in publ. horreis l. 10. titul. 26. lege 2.

Lege Nulli. Codice eodem libro, & tit. lege 3.

Vtque certior esset annonæ militaris prouisio, speciali edicto cauit Anastasius Imperator, neminem excipi à censu, qui destinatus erat ad horrea instruenda. Sic ille constituit: *Quoties vrgente necessitate comparationes frumenti, vel olei, aliarumque specierum quibuslibet prouinciis indicuntur, nulli penitus possidentium sese sub cuiuscumque priuilegij occasione excusandi tribui facultatem censemus omnique cuicumque possidentium, quocumque modo, quocumque tempore, per sacros apices, vel etiam pragmaticam sanctionem, aut iudicialem fortè dispositionem, huiusmodi excusatio data est, vel postea data fuerit, licentia vnquam minimè contra tenorem nostræ legis saluberrima valitura. Adeò namque huiusmodi onera cunctis, pro qua singulos portione contigerit, volumus irrogari, vt ab iisdem comparationibus nec sacratissimam nostræ pietatis, nec serenissima nostra coniugis domum patiamur subtrahere.* Magnâ equidem solertiâ prouisum est militibus, Imperatorum munificentiâ; ita vt nullis omnino exceptis hominibus voluerint omnes de suo penu conferre ad annonam militum, Principum etiam sumptibus erogatam. Sed hæc cura longè fuit infra prouidentiam Christi, qui non de suo duntaxat ærario, sed de carne sua & sanguine suis fidelibus instruxit epulas, exemplo hactenus inaudito.

Panis olim datus militibus sumptibus publicis.
Leg. Quoties Cod. Vt nemini liceat. lib. 10. tit. 29. lege 1.

Quibus præcipuè decoctæ dapes illæ sacræ fuerint, accipe ex Salomone, præscio opimi huius conuiuij. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Cùm audis inuitatos duci ad arcē, & ad mœnia ciuitatis, Vates insinuat, in his sacris & diuinis epulis strenuos homines & pugiles exercitatissimos locum principem obtinere: quippe desides homines panis ille fortium non admittit. Ne tamen inediâ cæteri

Panis Christi quinam sint participes.
Prouerb. 9.

dispereant homines, omnibus abundè consulitur dummodo sistantur epulis ea cautione, quam Salomon ipse commemorat, inducens Sapientiam, id est Christum, ita omnes homines inuitantem: *Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Audis virtutes esse numismata, quæ appenduntur in pretium aditus ad epulas illas sacro Codice recensitas: nempe panis hic regius non frangitur inimicis. Si itaque tibi cupidinem sui faciunt epulæ illæ opimæ, ô homo Christiane, compone te in habitum conuiuarum, quos recolit Dominus ipse Rex conuiuij. Primò meminit homines editos ad ardua, custodes scilicet arcis munitissimæ, & mœnium ciuitatis. Secundò recolit paruulos, animas scilicet humiliter de se sentientes. Demum insipientibus copiam suæ mensæ facit, dummodo nouum vitæ genus ineant, recipientes sese in meliorem frugem.

Ibidem.

Panis Christi quibusnā hominibus denegetur.

Ex præfatis colligere est, arceri ab hoc Dei conuiuio reprobos omnes, qui ita desipiunt, vt suis semper vitiis indormiant. Homines item de se alta sapientes, & hi qui ad egregia facinora edenda repent, à descriptis epulis amandantur. Et proinde domus regia innixa columnis septem est peruia tantùm hominibus sanctis in effectu, aut affectu: panis nempe filiorum non mittitur canibus. Accipe Canonem opportunum. *Quando ergo vir Ecclesiasticus, & prudens, atque intelligens, multas impietatis in ea, quæ vocatur Domus Dei, esse cognouerit, & non solùm multas, sed & fortes, & quæ opprimere possunt iustitiam, & in tantùm doctorum rabiem processisse, vt accipiant pretium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque deiiciant in portu, & audire contemnant: taceat illo tempore, ne det sanctum canibus, & ne mittat margaritas ante porcos, qui conuersi conculcent eas.* Non solùm frustrantur epulis Dei viri sacrilegi; sed etsi adstiterint eis, cedunt in perniciem, Deumque prouocant ad vindictam actus nefarij impiè perpetrati. Ecce Canonem testem huiusce effati. *Per Isaiam Dominus dicit: Facinorosus, qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat: & qui coquit similaginem, quasi sanguinem porcinum, & qui offert thus in memoriam, quasi blasphemus. Quilibet vbilibet offert sacrificium tali corde, vel factis, hoc vt mereatur audire, perniciem sibi infert, non illis bonis, qui accipiunt ab eis sacramenta eadem, qui secundum Prophetam Ezechielem gemunt, & mœrent peccata, quæ fiunt in medio eorum, quamuis non se inde corporaliter separent. Sacrificia impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impiè. Nam vnum atque idem sacrificium propter nomen Domini, quod inuocatur, & semper sanctum est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

Ex Ivre canonico.
Canone Quando ergo 11. qu. 3.

Canone Per Isaiam. 1. qu. 1.

Si audire vacat ex sanctiore Patrum choro, quibus tantùm sit fas accedere ad mensam, quam Sapientia instruxit, concolores erunt omnes Sancti in tesseris assignandis, & concordes omnes eorum sententiæ, suffragantes illi obseruationi,

tioni, quam memini dicens, inuias esse sacras ædes aliis quàm strenuis hominibus, humilibus, & meditantibus meliorem frugem. Inopem me copia Patrum facit, & hæreo in delectu, cùm gregatim occurrant illi, meum intentum suo calculo fulcientes. Prior Cyprianus occurrit, validos pugiles ad hanc mensam inuitans hoc generoso affatu: *Armemus & dexteram gladio spiritali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea à Domino sumptura præmium cœlestium coronarum.* Nonne & triarios milites alloquitur Chrysostomus, ita recolens accessum ad hanc mensam: *Ab hac mensa surgamus tamquam leones ignem spirantes, facti diabolo terribiles.*

Ex SS. Patribus. Cyprian. epist. 56.

Chrys. hom. 45. in Ioan.

Humilitas est congruus apparatus ad sacram synaxim.

Audisti primæ classis indolē, quæ tota petitur ab œstro generoso, accingente homines ad prælia acerba, quibus viriis profligantur. Accipe iā secundi ordinis ingeniū, quod est eorum, quos Sapientia sic designat: *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Dixi inde lineari animas, quæ depresso supercilio non alta sapiunt, sed infra alios se demittunt. Hunc humilem habitum esse idoneum apparatum ad hanc mensam, luculenter enarrat Cassianus, ita sollicitans homines. *Tanta cor nostrum humilitatis debemus vallare custodia, vt hanc definitionem perpetua sensuum stabilitate teneamus, nequaquam nos posse ad tantum purificationis meritum peruenire, vt si hæc quæ supra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus; indignos tamen nos communione sacri corporis esse credamus. Primùm, quia cœlestis illius manna tanta maiestas est, vt nemo hàc lutea carne circumdatus, per suum meritum, eius edulium, & non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde, quia nullus ita circumspectus in huius mundi potest esse conflictu, vt eum saltem rara vel leuia peccatorum tela non feriant: quià impossibile est, vt non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut obliuione peccetur.* Multa sanè occurrunt humilitatis argumenta, quæ inducunt nos, vt conscij infirmitatis nostræ ad mensam Christi humiles accedamus.

Cassian. collat. 22 c. 7.

Eucharistia præuiam petit virtutum omniū pratim.

Tertius demum status eorum est, qui pertæso vitio sese recepere in meliorem frugem vt virtutis candidati: hi puluere excusso, æmulantes aquilarum indolem, pro sua virili parte enituntur, vt Chrysostomus loquitur elimatè: *Aquilà in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolemus; vel potiùs supra ipsum cœlum: vbi enim fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ. Corpus, Domini corpus est propter mortem: aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere, contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere, sed ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilarum enim, non gracculorum hæc mensa est. Ad eum igitur cum feruore accedamus; & dilectione quam vehementissima, ne grauius subeamus supplicium. Quantò enim maius beneficium accepimus, tantò magis puniemur, quando eo indigni apparebimus. Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur*

Chrys. hom. 24. in epist. 1. ad Cor.

saltem barbaros, nos qui ciues cœlorum sumus.

Seipsum quisque conueniat, & alta indagine rimetur, ad quam pertineat classem earum trium, quas memini. Inuestiget, si sit strenuus pugil nec ne, qui pectore armato queat adstare sacris. Si se inermem & imbecillum deprehendit, ac proinde indignum, qui in prima classe censeatur; secundo sistatur ordini, deponendo typhum; vtpote qui malè sibi conscius propter acediam habet humilitatis maximum argumentum. Si demum homo nequam peccando superbiat, sicque desipiat; alto recolat animo prælibatum Salomonis effatum: *Sapientia insipientibus locuta est: Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Id est: Esto quis nulla prorsus virtutum supellectile conspicuus sit, imò vitiis innumeris scateat; non inde tamen arguat esse procul à sacris epulis abeundum; sed secus conceptâ animo virtutum praxi, properet ad hanc mensam, vt factus eo pastu vegetior, in tertio tandem ordine reponatur, eorum videlicet, quorum virtus tota est in votis; egerque cibo hoc vitali, vt diuinâ gratiâ sustentetur. Nempe salutaris est adeò panis ille, vt compescat feros æstus insurgentis concupiscentiæ, quæ importuna suis aculeis omne bonum propositum animæ remoratur.

Prou. 9.

Eucharistia confert vires incipientibus & minuit concupiscentiam.

Hanc vim beneficam Eucharistiæ expertus Bernardus, eius se encomiasten præstat, commemorans iniquam hominum sortem, & subiiciens, Eucharistiam esse ruinis animæ, id est vitiis, pharmacum opportunum. Sic decurrit ille hanc aleam: *In casu primi hominis cecidimus omnes; cecidimus autem super aceruum lapidum, & in luto, vnde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati, & grauiter quassati sumus. Lauari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lauamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ, atque ita tamquam sanies inueterati vlceris, remouetur concupiscentia ne noceat, si tamen à consensu abstineamus. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum vlceris ferre? Confidite, quia & in hoc gratia subuenit, & vt securi sitis, Sacramenti Dominici corporis, & sanguinis pretiosi inuestituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi; gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.* Hæc Bernardus.

Bern. serm. in cœna Domini.

Itaque sibi malè consulunt illi, qui ab Ecclesia impasti recedunt, causantes se indignos esse tanto beneficio, cùm & ad hoc fuerit instructa hæc mensa, vt se participantes efficiat accepto Domini corpore digniores. Vnde non ignobiles quidam Sancti & Doctores in ea sunt sententia, Christum suasisse frequentem vsum Eucharistiæ, quando suos discipulos erudiit, vt peterent à Deo panem quotidianum. In his est Ambrosius, ita istud recolens argumentum: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue, vt*

Eucharistia quare dicitur panis quotidianus.

Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. 4.

quotidie merearis accipere: quomodo Iob sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne fortè aliquid vel in corde vel in ore peccassent. Ergo tu audis quòd quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum; & panem istum vitæ non quotidianum assumis? qui vulnus habent, medicinam requirunt; vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste & venerabile Sacramentum. Hactenus Ambrosius.

Eucharistia multi imprudenter abstinent.

Porrò hallucinantur omnes, qui idcirco putant abstinendum sacris, quia Sancti inuehuntur acriter in temerè accedentes ad mensam illam omnibus impiis hominibus interdictam. Erroris patrocinium petitum inde labat: siquidem esto Patres multi sint in commendanda virtutum omnium suppellectile, ad congruum vsum viuifici panis huius; ille ornatus haudquaquam debet arcere animas ab hac mensa, sed prouocare magis ad illas epulas, quibus ita consulitur hominibus, vt animæ simul & corpora recreentur. In præfatum illud delirium acuit stylum suum Chrysostomus, qui vbi sollicitè admonuit, quàm accuratè debeat anima aptari ad hoc Sacramentum, sic concludit: *Hac autem non dico, ne accedamus, sed ne temerè accedamus. Vt enim frigida accessio periculosa est; ita nulla mystica illius cœnæ participatio, pestis est & interitus. Ipsa namque mensa animæ nostræ vis est, nerui mentis, fiducia vinculum. Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendimus vestibulum, tamquam aureis quibusdam armis vndique contecti. Et quid futura commemoro? Nam dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.*

Chrysost. 24. in epist. 1. ad Corinth.

SENSVS MORALIS.

Iustis tantùm hominibus, & non canibus, est instructa sacra Dei mensa.

In hæc verba:

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Mathematica, Et Ex SS. Patribvs.

Canes odere vinum.

NVllius rei copiam deesse sacris epulis, quas Sapientia suis Symmystis instruxit, compendiosè Salomon ingerit, memorando panem & vinum: symbolo namque panis, cibus omnis exprimitur, vt & vinum est tessera potus omnigeni. Satis superque spatiatus sum in argumento panis, vt sic arguerem esse cautè frequentanda mysteria vbi panis apponitur filiis tantùm Dei, & non inimicis, aut canibus, id est, hominibus aliquo vitio conspurcatis. Non erit abs re refricare materiam illam, petito argumento à calice, seu vino, vt vtroque typo, panis videlicet & calicis, arceantur ab hac mensa canes, id est, impij omnes, quos canina impudentia sacris sistit altaribus. Primò occurrit indoles illa canum, adeò exosa vinum, vt nulla ratione queant adigi canes ad haustum vini, cui tamen plures quadrupedes assuescunt: quippe vitis non desudat canibus. Christus vitis vera fuit, & botrus de vineis Engaddi; sed inde fluens vinum non canibus ast homini propinatur. Imò nec omnibus sine delectu hominibus fluit ille liquor, sed dilectis tantum, iuxta illud Canticorum: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Amasius ille sacer nullos prouocat ad edendum, & bibendum præter amicos, & charissimos. Adiice antiquitus calicem fuisse amoris symbolum, itavt porrigere calicem alicui fuerit semper amoris præcipui tessera singularis. Cùm ergo Deus & reprobi minimè conueniant, hos profectò canes adhibere poculis vini sancti, res esset incongrua.

Cant. 5.

Ex Mathematica. *Columella lib. 11. c. 12.*

Opportuna sanè est in hoc themate animaduersio Matheseos cœlestis, id est Astronomiæ. Disciplina hæc intenta momentis atque gyris siderum, aduertit duas esse in cœlo constellationes seu imagines, quibus indictum est nomen Canis & Calicis, quæ ita se habent, vt Sole existente in Cane, Calix occultetur, cœlo sic insinuante, canes & calicem altaris non esse res concordes, Solemque iustitiæ Christum, si ad eum canis, id est homo sacrilegus accedat, occultare suum calicem, negando influxum gratiarum, quæ manent homines vt par est vsum calicis vsurpantes. Quodque facit maximè ad meum institutum, Columella benè obseruat, Calicis sidus apparere statim atque Sol subiit illud signum Zodiaci, cui nomen Libra, quasi cœlo annuente dari calicem sacrum his qui decurrunt Libram, quæ est symbolum iustitiæ. Cùm quis itaque se aptabit ad haustum calicis Christi, is sedulò inuestiget, an sit in Cane, vel in Libra: namque rei huius cardo omnis vertitur in duobus hisce sideribus; ita vt Canis procul à Calice faciat impios, vt secus Libra copiam facit iustis poculi consecrati.

Eucharistiæ vsus quibus detur & negetur, ex pulchra obseruatione Astronomica.

Ex SS. Patribvs. *Bern. serm. 46. in Cant.*

Qui citra hanc cautionem præsumpserit Christum immundo sui pectoris ergastulo recipere, is erit obnoxius huic censuræ, qua Bernardus inuehitur in homines illos sacrilegos, sic declamans: *Miror valde impudentiam aliquorum qui inter nos sunt, qui cùm omnes nos sua singularitate turbauerint, sua impatientia irritauerint, sua rebellione contempserint, sua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiscentiæ suæ lectulum totius puritatis Dominum inuitare. At cùm extenderitis, ait, manus vestras, auertam oculos meos. Quid enim? Lectulus noster floridus? Magis autem & putridus est, & tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pausandum hoc facis, an ad causandum, & irritandum? Centurio vetat illum intrare sub tectum suum propter indignitatem suam, cuius tamen fides in vniuerso redolet Israel, & tu ad te compellis intrare tantorum sordent spurcitiâ vitiorum? Clamat Apostolorum princeps: Exi à me Domine, quia homo peccator sum; & tu dicis: Intra ad me Domine, quoniam sanctus sum? Emunda conscientiam tuam ab omni inquinamento iræ, & disceptationis, & murmuris, & liuoris, & quicquid omnino aduersari cognoscitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quoque actuum, & laudabi*

laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum: id est, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ. Ad istiusmodi lectum securè vocabis sponsum, quoniam cùm introduxeris eum, veraciter poteris dicere & tu: Lectulus noster floridus est, redolente nimirum conscientia puritatem, pacem, mansuetudinem, iustitiam, obedientiam, hilaritatem. Qui his caret peccator, lectulus fœtidus est, quem si onsus abhorret. Hæc Bernardus, ita foras eliminans canes, arbitratus immane piaculum, Christum impuro pectori sociare.

Lectulus animæ quomodo sit floridus.

Quo apparatu calix Christi sumendus sit, Paulus enuntiat, paucis dicens, eos debere annuntiare mortem Christi donec veniat, qui calicem Domini bibunt, quod perinde est, ac dicere, eum qui calice sancto potatur debere ita esse discretum à sæculo, vt Deo tantùm viuat. Esse autem huiusmodi, illud est decurrere signum Libræ, & sortiri perfectam rationem iustitiæ illius, quam exigit ille calix. Consonat Basilius ita commentatus: *Oportet accedentem ad corpus & sanguinem Domini, non solùm purum esse à quouis inquinamento carnis ac spiritus, ne ad iudicium edat & bibat; sed ostendere in vita memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, in eo quòd & mortificatus est à peccato, mundo, ac sibi ipsi, & Deo viuit.* Displicere Deo, calicem sanctum assumi ab impuris hominibus, luculenter ipse Dominus suæ iniuriæ vindex acerrimus ostendit in Balsasar Rege Chaldæorum, qui temerè bibens in vasis templi Dei, inductis in profanas epulas, eadem nocte gladio occubuit.

Basil. hom. 1. de Baptismo.

Denique Dei hoc edictum stat & apud nos; videlicet Sancta esse comedenda in loco sancto. Vnde peccat in hanc legem quisquis panem Domini & calicem eius ingerit in pectus olidum fœda vitiorum scaturigine, qua Deus offenditur magis quàm porci alicuius fœtido volutabro. Eò collimauit Origenes ita commentatus: *Manducabunt eum in loco sancto, id est, in anima pura. Neque enim conuenit, vt Sancta, anima non sancta suscipiat: sed cùm purificauerit se ab omni inquinamento carnis, & morum, tunc locus sanctus effectus, capiat panem illum, qui de cælo descendit. Ecce ista tibi proponuntur, vt cùm acceperis panem mysticum, in loco mundo manduces eum, hoc est, ne in anima contaminata & peccatis polluta Dominici corporis sacramenta percipias. Quicumque enim manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Sancta enim Sanctorum sunt. Vides quomodo non dixit, Sancta, tantummodo, sed Sancta Sanctorum; ac si diceret: cibus iste sanctus non est communis omnium, neque cuiusque indigni, sed Sanctorum est.*

Eucharistiæ panis edendus in loco sancto.

Origen. hom. 13 in Leuit.

Cæterùm vice coronidis in themate calicis hoc serò velim recoli ab impiis, qui more canum templa subeunt impudenter; videlicet insanire canes, & in rabiem agi, si vinum in eorum viscera transfundatur. Et hoc discrimen canum lineare mala, in quæ incurrunt sacrilegi homines, malè pasti corpore Christi, & potati vino sacro, inmundis tantùm faucibus infundendo.

CONTROVERSIÆ
EMERGENTES
EX PROXIMO EVANGELIO
PROXIME LITERALITER ET MORALITER EXPEDITO.

Matth. 15.

EVANGELIVM
SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT controuersiæ agitantur.

I. EGressus IESVS, secessit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei, &c.

II. Accedentes discipuli eius rogabant eum.

III. Dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, &c.

IV. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.

ORTHODOXA ET Catholica expoſitio Euangelij, diſtributa in tot titulos, quot argumenta controuerſiarum ſuppeditauit textus literalis.

I. PRimæ editionis hominum terminus à quo, eſt momentum illud, quo homo concipitur affricta labe originali, quæ Adami contagio omnibus nobis inuritur. Terminus ad quem eſt mors, quæ eſt vltima linea rerum. Itaque homo peccato & morte velut finibus concluditur. Sicque ſuos præterire fines homini perinde eſt, ac non peccare lethaliter, & depoſuiſſe labem originalem. Vtrumque præſtat Chriſti acceſſus in animam Baptiſmi obſequio, & gratia, quæ in adultis hominibus congruis actibus adoleſcit.*

II. Ad hoc multùm confert ingẽ præſidium Sanctorum, id eſt, Sancti adhibiti interceſſores apud Deum, gratiæ incrementum poſſunt nobis ſuis precibus impetrare. Nempe licet multa loci intercapedine diſſiti ſint Sancti à nobis; hoc non obſtat, quin Deo reuelante peruia ſint eis vota noſtra, quibus annuunt ſi conducunt ad ſalutem eorum, qui ſunt beatis illis mentibus aduoluti.

III. Namque iugis oratio, nuſquam ſuo intento cadit; ſed nacta Deum propitium, in gratiam fidei ſuæ, humilitatis, & partium cæterarum quibus ornata viget, nuſquam recedit cælitus indonata.

IV. Vt ſecus oratio perfunctoriè fuſa, & nullis ſtipata virtutibus, Deum nequaquam conciliat; non eſt ſiquidem oratio ſuis abſoluta numeris, ſi corde impuro manat: vt neque fides magna eſt, quæ virtute vacat, & omni bono eſt opere viduata.

ELENCHVS ET RATIO Controuerſiarum, quibus præfatum Euangelium anſam dedit.

I. Mulieris Chananææ egreſſus à finibus ſuis præludium fuit rerum præclarè ab ea geſtarum; nempe ſuos trangreſſa fines mulier illa Chriſto occurrit, qui necdum ſubierat natale ſolum fœminæ Chananææ. Series huius hiſtoriæ refricat memoriam gratiæ baptiſmalis, influentis in animam cùm educitur è finibus originalis peccati, vt Chriſto Domino ſiſtatur, ſancti illius lauacri obſequio repurgata. Inde emergit iſta quæſtio:

An Chriſto illabente in animam Baptiſmi obſequio, homo ſortiatur ſtatum neſcium peccati originalis.

II. Mulier hæc Gentilis vſa diſcipulis Chriſti vt patronis, ſuo exemplo eſt æmulata ritum haſtenus inolitum adhibendi Sanctos interceſſores apud Deum. Et hic mos, qui priſcis ſæculis inualuit, dirimit hoc quæſitum:

An adhibere Sanctos interceſſores apud Deum, ſit actio congrua fidei Chriſtianæ.

III. Apoſtoli vrgentes Chriſtum in gratiam fœminæ huius, meminerunt orationem iugem atque indefeſſam, vt vel ſic annueret Chriſtus precibus importunis. Inde ſumo argumentum componendi litem iſtam:

An oratio accincta ſuis partibus vt decet, ſit actio meritoria.

VI. Demum Chananæa edito ſpecimine egregio pietatis, fidei, humilitatis, atque conſtantiæ, Chriſtum habuit encomiaſten fidei ſuæ, quæ & hodie celebratur. Hoc locuples encomium Domini IESV, recolentis fidem illam, viam ſtrauit ad hanc controuerſiam:

An fides in adultis debeat eſſe accincta bonis operibus.

SENSVS ORTHODOXVS.

An Chriſto illabente in animam Baptiſmi obſequio, homo ſortiatur ſtatum neſcium peccati originalis.

In hæc verba:

IESVS *ſeceſsit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.*

CONTROVERSIA PRIMA.

PRimi omnium hominum fines ſeu termini, ſunt momenta illa quibus ſinguli quique homines ſtatim editi ſunt, & concepti in hoc rerum vniuerſo. Hi profectò fines ſunt veluti Tyri & Sidonis, vbi peccati caligine offusâ omnia nigricabant. Namque ſuperſtite peccato originali cenſetur anima farinæ eiuſdem ac Tyrij & Sidonij, Dei videlicet neſcia, vitiis propè infinitis obnoxia, exul paradiſi, ſurculus infelix arboris degeneris atque vitiatæ. Sed vt Chriſto ſecedente in partes Tyri & Sidonis, mulier Chananæa egreſſa de finibus illis, fidei ſingularis ſpecimen edidit egregium; ita eodem Domino illucente homini miniſterio Baptiſmi, anima protinus egreſſa de finibus peccati originalis, conſcia efficitur habituum fidei, ſpei, & charitatis, ſicque procul ponitur à Tyro & Sidone, iniquam eius ſortem Chriſto Domino miſerante. Hæreſis edita flamine tartareo in hominum perniciem ſugillat iſtud dogma Chriſtianum, & inficiatur originale piaculum dilui vnda ſalutari Baptiſmi homines abluentis. Ideoque delirans commenta eſt, in gratiam Baptiſmi non imputari quidem hoc peccatum, ſed reſidere tamen actu atque realiter, vt indelebilem notam.

Peccati originalis effectus quàm noxij ſint.

Peccatum originale tollitur in Baptiſmo.

Baptiſmi obſequio influunt in animã fides, ſpes, & charitas.

Huius

Originale peccatum remanere post Baptismum quidam hæretici affirmarunt.

Epiph. hæres. 64.
Theod l. 4. de fabulis hæret.
Guido de Armeniis errore 16.
Trithemius in Chronico Hirsang.

Huius hæreseos antesignani fuerunt Originistæ militantes pro peccato originali, superstite etiam post Baptismum. In his præcipuè Proclus quidam ab Epiphanio condemnatur. In idem barathrum sese præcipites dedere Messaliani Baptismo iniurij, quem dixere inutilem ad extirpationem peccati originalis, vt Theodoretus ait. Horum hominum sacrilegorum contagio laborarunt Armenij, quos Guido recolit efficaciam omnium sacramentorum perfidè refutasse. His se adiecere Lollardi, & ebiberunt hocce lethale virus, vt meminit Trithemius. Sed esto priora sæcula suas hæresum fæces sordidas habuerint; sæculo tamen nostro, vt deterioris longè conditionis, sese cloaca aperuit tetrior multò, quàm fuerint vnquam putida volutabra. Diceres in hæc vltima & opaca tempora confluxisse errores omnes, in quos olim exterminij sententiam tulit Ecclesia. De industria Lutherus, Caluinus, & eorum asseclæ, nefanda capita, commenti sunt sectam, quæ coalescit ex deliriis omnibus hactenus obsoletis. Vtque nefarij homines hoc sibi indixere pensum, vt turbarent pacem Ecclesiæ, & cœlum facerent inuium hominibus; auspicati sunt bellum illud ab incunabulis animarum, mentientes eis insidere peccatum originis, etiam postquam illas sacri lauacri latices alluerunt.

Luther. in captiu. Babylon. c. de Baptism.

Ne videar ego tenebrionibus illis imponere, recensebo blasphemias, quæ ex eorum scriptis vt è sentina exhalant. Sic Lutherus: *Baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest.* Rursus simia hæc semper simia sic ineptit: *Aliud est, omnia peccata remitti, aliud omnia tolli: Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit.* Ab eo crocitare didicit & Melanchthon, ita strepens: *Non iustificant signa vt Apostolus ait: Circumcisio nihil valet; ita baptismus nihil est.* Zuinglius, & Bucerus eo nomine declamarunt in Baptismum, quòd Catholici affirment, tolli virus peccati originalis eo pharmaco salutari. Caluinus præ aliis industrius ad peccandum, Baptismi encomia recensita à Patribus reponit inter pigmenta Rhetorices, & eloquij spatiantis extra metas. Sic ille sycophanta notat Patres Sanctos, quos habet Ecclesia velut oracula. Ecce blasphemiam hominis bipedum nequissimi: *Cauendum ne in errorem nos inducant, quæ ad amplificandam sacramenti dignitatem paulò magnificentiùs à veteribus scripta sunt, vt scilicet arbitremur aliquam virtutem sacramentis innexam.* Præterea desertor ille & transfuga propugnans partes peccati originalis sic desipit: *Manet verè peccatũ in nobis, neque per Baptismum vno die extinguitur.*

Idem art. 2. ex damnatis à Leone X. an. 1520.
Melãchthon. in locis commun. cap. de Signis.
Zuinglius ad Vrbanum Regium de pecc. origin.
Bucerus l. de Baptismo.
Calu. l. 4. insti. cap. 14. §. 17.
Idem in Antidoto Concil. Trid. sess. 5.

Originale peccatũ deletur per Baptismum.

Hoc præcipuè argumento delirant hæretici, quòd concupiscentiam, quæ remanet post Baptismum, peccatum esse procaciter asserunt, licet Deo miserante statum illum infelicem hominis, noxa hæc in discrimen mortis æternæ homines non inducat, nec eis postmodum imputetur. Decreto Concilij Tridentini vt gladio ancipiti amputatur error ille biceps. Ecce oraculum. *Si quis per* IESV *Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi* IESV *gratiam repugnantibus, non valet. Quinimò, qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Concil. Trid. sess. 5. Decreto de peccato origin.

Fomes peccati quid sit.

Fomes peccati non est peccatum.

Nota; Concilium Tridentinum subtexuisse suo decreto rationes ex epistolis Pauli Apostoli deriuatas, quibus abundè liquet tolli piaculum illud originale. Ita Paulus: *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum.* Quem locum versans Augustinus validè tutatur partes Ecclesiæ, & confodit hæreticos hallucinantes dum adstruere tentant, nullam esse veram peccati remissionem, sed duntaxat esse non imputationem peccati. Sic ille: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio; ita in nobis vera iustificatio. At Christi mors & resurrectio vera fuerunt omnibus modis; non autem vera quoad aliquid, & quoad aliud falsa. Igitur & remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatum tantùm, sed quoad omnia quæ peccati rationem habent.* Rursus, si realiter iniquitas esset aliqua residua, formaliter iniqui essemus, ac proinde Deus exosos haberet nos semper, etsi non imputaret hoc peccatum, iuxta illud Psalmi: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Cui concinit ille versus Salomonis: *Odio est Deo impius, & impietas eius.*

Rom. 6.
August. in Enchirid. cap. 52.
Psalm. 44.
Sap. 14.

Præterea textus propè infiniti, qui recolunt iustificationem animæ, satis superque notant, expungi ab homine quidquid peccatum est. Huiusce effati assertor est Christus, ita suos compellans discipulos: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Profectò nutaret veritas huius eloquij stante delirio Lutheri & Caluini, perperam arbitrantium, nusquam ab homine abesse crimen. Nonne ad Baptismi effectum illum propitium aspexit Deus, quo afflatus præscius Ezechiel ita prophetauit? *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Illa recensio munditiæ est equidem næuorum omnium impatiens. Paulus tacitè laudatus decreto præfatæ Synodi Oecumenicæ, recolit quàm sint iustorum animæ defæcatæ. Sic ille: *Elegit nos vt essemus sancti, & immaculati.* At sanctitas & peccata non coëunt: Ergo necesse est tergi ad vnguem omnes peccatorum rugas, vt illa succedat sanctitas illibata. Adiice eiusdem Pauli locum istum: *Reconciliauit vos in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles.* Reuera foret incongrua hæc descriptio animæ Deo reconciliatæ, si stabularentur in ea residuæ peccatorum fæces: quippe reprehensibilis esset hæc anima, quam afficeret peccatum originale.

Ioann. 13.
Ezech. 36.
Ephes. 1.
Coloss. 1.

Anima iustificata nullũ lethale peccatũ habet.

Psalm. 50. Idipsum etiam voce sonora clamant Prophetæ Dauid, & Isaias. Ita prior, scilicet Psaltes: *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Albicans anima, & composita ad æmulationem niuis, nullâ potest peccati maculâ nigrescere. Consonat Isaias hoc *Isai. 1.* accentu Deum inducens: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, sicut nix dealbabuntur: & si fuerint rubra vt vermiculus, sicut lana alba erunt.* Gratis itaque Caluinus insurgit in Concilium Tridentinum, quasi perperam decreuerit tolli omnino peccatum, quod ab Adamo influxit in totam prosapiam. Non esse fidem illam peregrinam, & nudius tertius inuectam ab Ecclesia, videre est longa serie Sanctorum Patrum, qui in gratiam baptismalis gratiæ conscripserunt: concordi namque stylo omnes concludunt, eliminari procul hanc maculam originalem, gratiâ baptismali cœlitus influente. Auspicabor ab incunabulis Ecclesiæ, & laudabo discipulum Apostolorum Petri & Pauli, scilicet Clementem, ipsa etiam Sede Petri prænobilem. Accipe oraculum. *Quid confert aqua Baptismus ad cultum Dei? Primò quidem, quia quod placuit Deo, impletur. Secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum peruenire poteritis ad salutem.* Nomine fragilitatis amputatæ, peccatum originale notat, nec vllus est hæreticis euadendi locus.

Baptismi gratia tergit peccata omnia.

Ex SS. Patribus. Clem. epist. 4.

Coæuus Clementis, & eiusdem Pauli discipulis, Dionysius Areopagita, liquidior est in definienda ista controuersia; sic quippe decernit, *Sacrum diuinæ generationis sacramentum, primi luminis consortium tradit, omniumque diuinarum illustrationum principium est, ex ipso effectu, ipso verissimo illuminationis cognomine prædicamus.* O compendiosam, & propitiam fidei nostræ sententiam! Nihil sanè potest elimatiùs ingeri, ad suadendum exterminium peccati originalis, quàm dicere, suffragio Baptismi tradi hominibus consortium primi luminis. Vt ergo lux & tenebræ non coëunt, nec simul aërem afficiunt; ita nec peccatum originale potest stare cum gratia cœlitus illucente. Sistendus etiam est in hoc agone Chrysostomus. Strenuus ille pugil sic repugnat: *Id quod illic operatur circumcisio in depositionem carnis, hoc agit hîc Baptismus in depositionem peccatorum.* At circumcisio realiter amputabat carnale præputium: Ergo & Baptismus non imputatiuè tantùm, sed & realiter emunget hoc peccatum, ad cuius exterminium fuit cœlitus institutum.

Dionys. Ecclesiastica Hierarchia cap. 3.

Baptismus vocatur illuminatio.

Chrys. ft. hom. 39. in Genes.

Baptismi encomia.

Ne videar affingere Chrysostomo, audi liquidiùs eam sententiam, de expunctione peccati in Baptismo: *Ecce* (inquit) *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui: & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & in iustitiæ sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti, sed & iusti: nec solùm iusti, sed & filij: nec solùm filij, sed & hæredes: nec solùm hæredes, sed & cohæredes: non solùm cohæredes, sed & membra: non membra tantùm, sed & templum: nec tantùm templum, sed & organa Spiritus. Vides, quot sint largitates Baptismatis? Sed multis quidem videtur, cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computauimus decem. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato; vt iis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, vt eius sint membra omnes, vt Spiritus habitatio fiant.* Diceres, Chrysostomi animo insedisse propositum, nostrates hæreticos exerto multiplici spiculo configendi. Nempe nequit subsistere sarta tecta seges illa encomiorum Baptismi, si hoc lauacro peccatum originale minimè diluatur.

Chrysost. hom. ad Neophytos.

Baptismi es- ... præ-

SENSVS ORTHODOXVS.

Beneficio Baptismi homo educitur è finibus iniquis peccati originalis.

In hæc verba:

Egressus IESVS *secessit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.*

Argumentum ex Conciliis, et ex SS. Patribus.

Congruas sibi sues nacti delicias in sordido volutabro, ægrè admodum sese expediunt ab illa immunda colluuie, vt se aliò recipiant; Ita & hæretici, Epicuri de grege sues, adeò sunt vitiis assueti, vt ex sua cloaca nolint in Ecclesiæ sanctiores ædes diuertere. Vtque magis cœno indormiant procaciter affirmant, peccatum originale vigere semper in homine, Baptismo gratis & perperam operante. Fidei desertores iniquo animo ferunt, si quis tentet repurgium volutabri immundi, cui se sues hactenus immerserunt. Idcirco grunniunt, & dente minaci rostroque repando ferociunt contra disciplinam Catholicam, quæ adstruit, peccatum originale abesse ab anima, quam Baptismus ritè susceptus alluit.

Hæretici vt sues immūdi delectātur sordido volutabro.

Non esse hoc Papistarum neotericum dogma, vt delirant hæretici; sed hanc fuisse fidem priscæ Ecclesiæ; palàm est ex Concilio Nicæno, cuius ecce fidem. *Descendit qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius seruituti corruptionis, & ascendit liberatus ab hac seruitute, & peccato, factus filius Dei, & hæres eius gratia, cohæres autem Christi, indutus ipsum Christum, sicut scriptum est: Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Ita Synodus hæc famosa, quæ dum pro-fitetur in homine libertatem à peccati seruitute, non subscribit illi commento hæreticorum, dicentium peccatum originale remanere quidem, sed non imputari, in gratiam Baptismi. Vt est ouum ouo simile, iuxta vetus adagium; ita & hoc oraculum Concilij Nicæni quadrat & concinit huic decreto præfato Concilij Tridentini. *Siquis per* IESVM *Christum Dominum nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Concilium Toletanum editum ante mille annos sic decreuit: *In aquis mersio, quasi ad infernum descensio est, & rursus ab aquis emersio, resurrectio est.* Ergo vt quis resurrexit à morte solutus est; ita & qui baptizatus, illo

Baptismo omne scelus eluitur.

Ex Conciliis. Concil. Nicænum De Baptismate.

Concil. Trid. sess. 5.

Conc. Tolet. IV. cap. 5.

ille non amplius peccati originalis nexibus irretitur.

Baptiſmi figura egregia.

Ex SS. PATRIBVS.

Sunt denuo reuocandi Patres in antidotum veneni, quod ſparſere deſertores Eccleſiæ, vt ſic abſtraherent homines à bonorum operum praxi, cauſantes, non eſſe iuris noſtri aliquod facinus edere laude dignum, quia etiam nobis inuitis peccatum lethale in cordis intimo delitéſcit. Sic in eos arguit Chryſoſtomus: *Tranſitus Iudeorum futuri Baptiſmatis typus erat. Nam ibi aqua, & hic aqua: lauacrum hic, & ibi pelagus: omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Poſtea vis cognoſcere illorum veritatem? Ibi quidem liberati ſunt ex Ægypto per mare, hic autem ab idololatria: & ibi quidē Pharao ſubmerſus eſt, hic autem diabolus: ibi Ægyptij ſubmerſi, hic autem vetus homo peccatis defoditur.* Nemo niſi vecors dixerit, Chryſoſtomum eſſe concolorem hæreticis in eo argumento, vbi res eſt de peccato originali quod ſupereſt poſt Baptiſmum. Ille idem repetito telo confodit æmulos ſic intorquens. *Chriſtus pharmacum quaſi quoddam antidotum lauacrum dedit: ita omnem euomuimus vitioſitatem: ita omnia ſimul in fugam ſe dederunt: inflammatio ceſſit, febris extincta eſt, & ſanies exſiccata. Omnia enim, & quæ ab auaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per Spiritum euanuerunt: aperti ſunt cœli, aperta ſunt aures, aperti ſunt oculi: aptam vocem locuta eſt lingua, vires acquiſiuit anima.*

Chryſoſt. ad cap. 10. 1. Corinth.

Baptiſmus antidotum quare dicatur a Sāctis.

Chryſoſtom. ſerm. 11. in epiſt. ad Eb.

Baptiſmo renaſcimur.

Fortè inſtabunt hæretici, hanc fuiſſe fidem Græcæ Eccleſiæ, quæ quandoque fuit diſcrepans à Latina, vt in pane liquet, quo corpus Chriſti Domini conſecratur: namque Latinis facientibus rem diuinam in azymo, Græci non conſecrant panem niſi fermentatum. Nullius eſt momenti illa inſtantia; quippe Patres Latini in hoc themate non variant, ſed concordi ſuffragio militant pro Baptiſmo, noxam originis penitus expungente. Prior Hilarius deſcendit in arenam: *Quis (inquit) non renaſci in innocentiam velet, cùm peccati remiſſionem Sacramentum noua natiuitatis indulgeat.* Si vigeret adhuc peccatum originis poſt Baptiſmum, allui hoc lauacro renaſci non eſſet in innocentiam, vt Hilarius ſuo prælibato dogmate profitetur. Hilario Ambroſius, in eadem profeſſione conſors, ſic conſonat: *Chriſtus viuificat animas, delicta reſtinguit, has lauacri ſui refrigerio reparat, illas gurgitis ſui vnda conſumit.* Rurſus ille: *Qui per hunc fontem tranſit, tranſit a terrenis ad cœleſtia. Hoc eſt enim Paſcha, id eſt, tranſitus eius, tranſitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem.* Demum eruditè totam iſtam concludens controuerſiam ita decernit: *Ideo per aquam Baptiſma celebratur, vt ſicut aqua ſordes corporis abluit: ita & nos per Baptiſmum ab omni peccato ſpiritaliter purgatos, nos & innouatos credamus, vt quod incorporale eſt, inuiſibiliter abluatur.* Textus illi adeò liquidi ſunt, vt nomenclatore non ſit opus ad Ambroſium in re velut ancipiti diſcernendum.

Hilarius in Pſalm. 63.

Baptiſmi virtus ſingularis in peccata.

Ambr. ſer. 31.

Lib. 1. de Sacrament. c. 4.

Hieronymus veteranus pugil, aſſuetus proſternere hæreticos, hanc ſingularem edidit ſententiam de efficacia Baptiſmi: *Omnia ſcorta, & publica colluuionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates vtriuſque ſexus mutata natura, Chriſti fonte purgantur, &c. Omnia in Baptiſmate condonata ſunt crimina: nec poſt indulgentiam, iudicis eſt metuenda ſeueritas, dicente Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Sanctificatio, ablutio, iuſtificatio, non concordant cum reſiduo peccato originali. Hieronymo dilectus Paulinus Nolæ Epiſcopus, peccati originalis excidium omne notat his verſibus, editis ad Baptiſmi meritum explicandum.

Baptiſmi vim nulla peccata quātumuis grauia effugiūt.

Hieron. epiſt. 38. ad Oceanum c. 2.

Baptiſmus eſt extinctio veteris Adami.

Mira Dei pietas, peccator mergitur vndis,
Mox emergit, ea iuſtificatus aqua.
Sic homo & occaſu fœlici fructus & ortu,
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, ſed vita redit: vetus interit Adam
Et nouus æternis naſcitur imperiis.

Paulinus Nolanus epiſt. 12.

Quia Caluinus increpitans ſæpe ſæpius Auguſtinum laudat, ad eum ſolum prouocans, vt ad tribunal congruum dirimendis rixis, quæ tot tragœdias excitarunt; placet Caluinum ſiſtere Auguſtino, vt ſic causâ cadat. Ecce ſententiam doctrinæ Catholicæ propitiam: *Dicimus, Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata.* Neſcio qua fronte Caluinus Auguſtinum recolat, quo cenſore carpitur eius opinio reprobata. Ne cauſetur hæreticus, Auguſtinum prætériiſſe peccatum originale, quando recenſuit vim Baptiſmi alia crimina detergentis. Ecce alium viri Sancti textum: *Baptiſmus quidem abluit peccata omnia, prorſus omnia; factorū, dictorū, cogitatorum; ſiue originalia, ſiue addita, ſiue quæ ignorāter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt: ſed non aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur.* Nonne hæc eſt idea fidei Catholicæ? quæ licet aſſerat, tolli omnino peccatum originale, virtute lauacri ſancti, id eſt Baptiſmi, fatetur tamen, reliquias peccati reſidere in ſingulis quibuſque hominibus peccati fomite ſauciatis. Nec infra Chriſtum, quemquam ſancti Canones excipiunt ab hoc fomite importuno. Benè quidem Angelicus Doctor ait fuiſſe ligatum in Maria necdum nata, & omnino ſubtractum in eo temporis articulo, quo concepit Chriſtum.

Baptiſmus non radit; ſed tollit omnia crimina ex Auguſtino.

Aug. l. 1. contra duas epiſt. Pelag. c. 13.

Ibidē l. 3. c. 3.

Thom. 3. part. qu. 27. art. 3.

Fomes peccati quomodo affecerit Mariam & Ioſeph.

Aliquali modo Ioſephum acceſſiſſe ad hanc gratiam credidit Gerſon, famoſiſſimus ſui ſæculi Theologus, qui in Concilio Generali habito Conſtantiæ, toto Patrum audiente conſeſſu, nemine reclamante prædicauit, piè credi poſſe, fomitem extinctum fuiſſe in Ioſepho, intuitu matrimonij initi cum Maria. Huic piæ ſententiæ dedere nomen ſuum Ekius, Andreas à Soto, Buſtus, Salmeron, Caniſius, & alij non ignobiles viri. Sic tamen velim intelligi propoſitionem illam, quæ dicit, Chriſto, Maria, & Ioſepho exceptis, peccati fomitem eſſe omnibus inſitum, vt ſit de fide hoc credere de Chriſto, quia naturam humanam induit neſciam corruptelæ; eſſe verò penes Eccleſiam decernere, an reuera ſit ſubtractus in Maria, & extinctus in Ioſepho: nemini namque fas eſt ad arbitrium ſuum condere ſententias, quibus in argumento gratiæ & peccati noua dogmata proponuntur. Ex prælibatis in aperto eſt, omnes ſacro

Gerſon 3. p. ſer. de Nat. Maria.

Ekius ſer. de S. Ioſeph.

And. de Soto l. de Ioſeph. cap. 10.

Buſtus in Marial. 4. part. ſer. 12.

Salm. tom. 3. tract. 29.

Caniſ. l. 2. de virgine c. 13

cto fonte tinctos esse egressos de finibus suis, id est, esse procul à peccato originali, cuius contagio inficitur humana conceptio.

SENSVS ORTHODOXVS.

An adhibere Sanctos intercessores apud Deum sit actio congrua fidei Christianæ.

In hæc verba.

Accedentes discipuli eius rogabant eum.

CONTROVERSIA II.

Sancti sunt Patroni apud Deum.

MVlier Chananæa, anxia pro salute filiæ suæ, omnia tentauit media propitia ad inflectendum Christum. Vtque irradiante fide, patens illa sollicita Deum nouit in homine, arbitrata se indignam quæ sisteretur obtutibus Christi; piâ industriâ congruos patronos consuluit, scilicet Apostolos, quos intercessores adhibuit. Ecclesia Catholica eodem percita flamine veneratur Sanctos, & illis vtitur vt patronis apud Deum, qui & gratum habet cultum illum, quo dignamur beatas illas mentes, quas vt Dæmon frustraretur debito honore, armauit hæreticos in omnes cœlicolas, suggerens, eorum cultum esse iniurium Christo, qui solus est Dei & hominum mediator. Ita quondam nefarij homines, vt perderent Danielem, dixere inferri contumeliam Regi, siquis funderet preces alteri quàm Regi. Vt dubiam hominum salutem efficiant hæretici, obstant quominus Sanctos inuocent vt patronos. Ne verò videantur esse liuore perciti sycophantæ, ritum Christianum de Sanctorum cultu, & inuocatione, alium omnino delineant, quam sit à parte rei, nobisque affingunt infinita propè absurda, quæ reuera damnat Catholica disciplina. Proximo titulo diluam imposturas. Nunc operæpretium est præfari in hoc argumento de Sanctorum cultu, vt illa materia liquidior omnibus innotescat.

Daniel. 6.

Sanctorum cultũ quare impugnent hæretici.

Sanctorum cultus quibus nominibus exprimatur.

Primùm quod occurrit est nomenclatura seu nuncupatio cultus, qui defertur Sanctis: multis namque modis exprimitur honos exhibitus Deo, & Sanctis. Ille nimirũ dicitur adoratio, latria, dulia, cultus, inclinatio, nullaque earum vocum in Scriptura sacra Deo soli competit ex vi verbi. Vt autem tolleretur anceps significatio vocum communium, Ecclesia cultum Deo soli appellauit latriam, cum verò, qui defertur Sanctis, dubio nomine designauit. Nempe licet Græcis, λατρείω, & δουλείω, in significatione fraternizent, & perinde significent cultum singularem; Ecclesia tamen credidit è re sua, seligere vocem vnam, quæ ex peculiari instituto inter Christianos ingereret cultum illum singularem, qui Deo rependitur. Peculiares designare voces ad speciale intentum fuisse iuris Ecclesiæ, appositè probant tres illæ denominationes famosæ, scilicet θεοτόκος, ὁμούσιος, & Transsubstantiatio, quibus Scriptura non vtitur eo solo intento, quo adhibentur à Patribus. Prima nimirum vox, θεοτόκος, id est, *Dei genitrix*, adinuenta est contra Nestorium, Virgini matri detrahentem titulum Deiparæ. Altera vox, ὁμούσιος, id est, *consubstantialis*, vigere incœpit in incunabulis hæreseos, quæ iniuria Christo negabat eum esse secundùm diuinitatem eiusdem substantiæ cum Patre æterno. Denique Berengario faciente dubium transitum panis in substantiam corporis & sanguinis Christi, Ecclesia huic errori occurrit vsurpata voce Transubstantiationis, quæ apprimè significat illud mysterium adorandum.

Ecclesia noua nomina adinuenit contra hæreses insurgentes.

Quid sonent nomina latriæ, duliæ, & hyperduliæ.

Vnicolor Ecclesia, aduertens plerosque imbecillos homines ægrè admodum inclinari ad Sanctorum cultum, & cunctari sua exhibere obsequia beatis illis mentibus, ne eodem quasi æstu velificarentur Deo & Sanctis, scrupulum hunc tersit, dicens Deum esse colendum cultu latriæ, Sanctos verò cultu duliæ. Et subiunxit, hyperduliam esse cultum medium pertinentem ad humanitatem Christi seorsim sumptam, & ad Dei Genitricem. Itaque tria hæc vocabula singulas quasque species honoris sacri constituunt: & species illæ licet vtplurimum coëant in signo externo; toto tamen cœlo affectu intrinseco dispescuntur. Siquidem honos ille Deo & Sanctis exhibitus, qui æquiuoco nomine dicitur adoratio, tres secum vehit actus, quibus adoratio omnis integra coalescit. Prior actus pertinet ad intellectum, cuius est apprehendere meritum & apicem eius, qui honore excipitur. Alter actus voluntatem spectat, cuius est benè vel malè affici erga eum, cui pensum debitum exhibemus. Tertius demum actus se foras prodit aliquo symbolo externo, vt est capitis inclinatio, genuflexio, & alia id genus. Ex his omnibus actibus homines eum tantùm attendunt præcipuè, qui est reuera minor: nemo namque curat nec rimatur penitiores animæ recessus, vt ea indagine scrutetur affectus eorum, à quibus exigit obsequia sibi debita; sed totus est in eo exteriori cultu. Verbi gratiâ, non satis est aperire caput loquendo Regi; sed & est adiicienda genuflexio, vt agnitæ in Rege tessera maiestatis.

Adoratio ex quibus actibus coalescat.

Tamen, vt præfatus sum, dubium est hoc signum extrinsecum, & reddi potest ab hostibus, vt videre est in sacrilegis Christo illudentibus genuflexo. Cardo præcipuus adorationis vertitur in affectu, quo vltrò spontaneè inclinamur ei, quem colimus. Defectu huius actus in voluntate siti, dæmones in corpore obsesso acti exorcismis Deum non adorant, etsi procumbant humi, & Deum apprehendant vt rerum Dominum, & confiteantur esse Deum, adiectis etiam præclaris elogiis supremæ huius maiestatis, quam commendant hominibus. Illa nebulonis Angeli adoratio, licet sarta tectaque videatur, quia de Deo benè sentit, quando summum eius dominium profitetur, & illi prosternitur obsessi corporis obsequio; hiulca tamen est & deficit hæc adoratio, quia voluntatis actus abest, penes quem potissimùm attenditur formalitas eius speciei, ad quam pertinet vnaquæque adoratio. Vt quisquis idolum toto affectu veneratur, apprehendens illud vt Deum suum, is omnino defert latriæ cultum illi stupido simulacro. Si verò quis prosternitur imagini alicuius Sancti, apprehendens illum Sanctum vt Deo charum, apud quem orando valet intercessorem agens; is qui procumbit, adorat Sanctum duliæ cultu, qui citra piaculum religiosè exhibetur Sanctis, spectatis vt in eis emicat gratia singularis. Vnde quia dæmon in corpore possesso inuitus adigitur ad confitenda Dei attributa,

Dæmones coacti exorcismis Deũ non adorant perfecta adoratione.

Sanctorum adoratio nõ est idololatria.

Dæmonis affectus in Deũ semper iniquus est.

buta, & ad exteriorem cultum; non dicitur adorare Deum sicuti par est, imò neque desertor ille spiritus adorare Deum potest adoratione cógrua, quia voluntas eius obduruit, ac proinde amoris impatiens nequit benè affici erga Deum.

Adorationis externæ signa habent semper modũ materiæ, & non formæ, veræ adorationis.

Itaque in adoratione externa, corporis inflexio, aliique gestus peruij sensibus, causæ materialis agunt partes; actus verò intellectus & voluntatis vices gerunt causæ formalis. Hinc dicimus, Christianos, qui nescij adorant hostiam non consecratam, esse idololatras materialiter, sed non formaliter; quia actus voluntatis non fertur in nudum panem, sed in Deum, quem inuolucris obiecti sibi panis abditum arbitrantur. Sicque tota latriæ & duliæ distinctio non petitur à signis externis, in quibus etiam cultus ciuilis communicat cum diuino: siquidem procumbimus in genua antè Reges vt & ante Deum, neque tamen ille ritus adorandi Reges pertinet ad latriam & duliam, sed ciuilis est, & naturæ cancellis concluditur. Rei summa attenditur ex apprehensione intellectus, & affectu voluntatis. Inde patet, quàm delirent hæretici quando latrant in fideles ob cultum Sanctorum, instantes, eos esse idololatras, quia genuflexo preces fundunt ante eorum Imagines: nemo namque fidelium icones apprehendit vt Deum, nec eis inflectitur affectu, qui solum Deum decet; alioquin ipsi etiam hæretici essent idololatræ, quando genuflexo sua Regi pendunt obsequia, quod tamen minimè concesserint, vtpote dicentes se non apprehendere Reges vt Deos, sed vt homines aliis eminentes.

Adoratio Regum quænam sit.

Cultus duplex, ciuilis, & religionis.

Annuimus & nos Catholici, & fatemur, omnem adorationem non esse religionis cultum, si adoratio spectetur vt est deiectio corporis in genua deuolui. Nempe duplex est cultus. Vnus merè humanus & ciuilis, qui rependitur ei, in quo apprehenditur aliqua humana excellentia. Alius est religionis, qui Deo defertur, aut iis, in quibus emicat aliquid diuinum, vt species aliqua gratiæ singularis. Cultus autem ille religionis diuiditur (vt memini suprà) in latriam, & duliam, & iuxta duas illas nuncupationes Sancti vocabula religionis & adorationis vt quandoque negant creaturis, ita & aliàs negant esse detrahendum illis eum cultum, si vt par est congruè dispensetur. Ita Hieronymus ait, nec Martyrum reliquias, nec Angelos, nec aliquid creatum coli posse, vel adorari; & tamen ipse epitaphium Paulæ sic concludit: *Vale, ô Paula, & cultorem tuum orationibus iuua.* Idem alibi: *Vens Bethlehē, præsepe Domini, & incunabula adorans.* Eodem flamine percitus Augustinus ait, religionis cultum nec Angelis nec Sanctis hominibus defunctis deberi, sed soli Deo; & tamen aliàs sic commendat illum cultum exhibitum Sanctis, siquidem ita fatur: *Memorias Martyrum populus Christianus religiosa solennitate concelebrat.* Siquando Patres negant creaturis cultum religionis, explicandi sunt de cultu latriæ: vbi verò Sanctos afficiunt illo cultu sunt intelligendi de cultu duliæ.

Cultum religionis non debere deferri creaturis in quo sensu Patres dicunt.

Hieron. ep. ad Riparium.

Idem in epitaph. Paulæ & l. 2. Apologia contra Ruffinum.

August. l. de vera religione c. 55.

Idem l. 20. contra Faustum c. 21.

Cultus Sanctorum ad Deum præcipuè refertur.

His præfatis, patet Mulierem Chananæam congruè adhibuisse Apostolos intercessores apud Christum, imò citra suspicionem idololatriæ eam fuisse eorum pedibus aduolutam, eos suspiciendo veluti familiares & discipulos Christi. Licet enim adoratio seu cultus Sanctorum illos spectet; præcipuè tamen Deus in Sanctis suis hisce ritibus honoratur. Ita maximus ille fidei orthodoxæ propugnator Athanasius: *Si homo iustus adeo tuas intrauerit, cum timore & tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius. Non enim eum, sed Deum adorabis, qui illum mittit. Dominus enim ait: Qui recipit iustum, me recipit.* Basilius Athanasio suppar sic concinit: *Honor, quem bonis conseruis exhibemus beneuolentiæ erga commune Dominum significationem de se prabet.* Nec Græca fides illa fuit, sed & Patrum Latinorum, in quibus Ambrosius sic definit: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum; & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.*

Athanas. l. de virginitate.

Basil. oration. in 40. Mart.

Amb. ser. 6. Sãctos adhibere intercessores ipse Deus imperat.

Ad hunc Sanctorum cultum pertinet eorum inuocatio, quam esse legitimam Deus ipse probat, quo suasore, necessarij Iob virum hunc probatissimum adhibuere intercessorem apud Deum, qui annuit eorum votis intuitu Iob, eorum causam agentis. Ecce suadam Dei vocem: *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocausta pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Quod autem æmuli nostri obganniunt, Iob fuisse superstitem, & nunc Sanctos esse sublatos è medio, ac proinde incongruam rem adhibere in patronos apud Deum homines, qui cessere fatis; hoc nullius est momenti, nec obstat, quin sit legitima Sanctorum inuocatio. Nempe in viuis sint nec ne, non curat ista controuersia de congrua inuocatione Sanctorum: siquidem abstrahit à viuis & defunctis; datoque & concesso, non esse iniuriam Deo inuocationem Sanctorum, qui apud nos degunt, abundè liquebit esse etiam congruam intercessionem eorum, qui Deo adstant in gloria.

Iob 42.

SENSVS ORTHODOXVS.

Legitima est & Christiana Sanctorum inuocatio.

In hæc verba:

Accedentes discipuli eius rogabant eum:

ARGVMENTVM EX SCRIPTVRA ET EX SS. PATRIBVS.

VT in Physicis Deus vim actiuam tribuit infinitis propè rebus, cum quibus ipse tamen influit primariò; & ita liberalem suam hanc indolem testatus est in rebus superioris ordinis, vt est animarum salus: quippe in confesso est apud omnes orthodoxos, prædestinationem adiuuari precibus Sanctorum, Deo sic dispertiente dotes gratiarum fratrum precibus vrgentibus animæ sanctioris. Tantumque abest, vt damnetur illa inuocatio Sanctorum, velut contumeliosa Deo, quinimò potiùs sacro Codice commendatur, vtpote vsurpata à Patriarcha Iacob, cuius hæc fuit oratio in gratiam filiorum Ioseph: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Si Deo quidpiam detraheret alterius cuiusuis patroni inuocatio, peccasset ille Patriarcha litans Angelis, quos inuocare frequens fuit vsus in lege naturæ, sicut palàm fit illo loco Iob: *Voca, si quis est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Nomine Sanctorum illic notatur Angeli, vt eruditè recolit Augustinus. Quia Sancti ante exortum Christi erant limborum ergastulo conclusi, ideo non audiebant preces hominũ superstitum: eamobrem ad eos haudquaquam dirigebatur oratio; sed qui Deum conciliare sibi

Sancti adiuuant prædestinationẽ in executione.

Angeli inuocati à Iacob.

Gen. 48.

Iob 5. Sanctorum merita Deo recensita in veteri lege vt fieret propitius.

Deo optabant,

optabant, illi Sanctorum merita recensebant, vt eorum intuitu Deus fieret propitius. Ita Moyses Deum affatus est: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel, seruorum tuorum.* (*Exod.32.*) Nonne & Salomon patris sui meritum Deo obiecit, in argumentum gratiæ deposcendæ? Sic ille: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* (*Psal.131.*) Eodemque Psalmo sua ingeminans vota, denuo commemorat Dauidem, ita Deum sollicitans: *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.* (*Ibidem.*)

Profectò haudquaquam vana fuit illa fides hominum orantium Deum interpositis meritis Sanctorum; quippe Deus illa recensione virtutum piorum hominum beneficum se præstabat, vt Salomon ipse luculenter expertus est, sacro Codice assertore, vnde fluit iste versus: *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem; vt suscitaret filium eius post eum, eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini.* (*2. Paral.6.*) Eodem spiritu Dei afflatus Daniel, meminit merita Sanctorum, vt hoc suaue melos Deum inflecteret. Ecce preces Danielis: *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* (*Daniel.3.*) Non fuisse hæc inania precantium vota, & præludia gratis adhibita precibus anhelis, Augustinus opportunè docet, ita commentatus; *Admonemur, cum merita nostra nos grauant ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.*

Sācti viuentes adhibiti à fidelibus in patronos apud Deum.

Fuit & ille ritus insolitus quondam ex sacra historia, vt fideles viuentes Sanctos sumerent in patronos, vt iis anxiè Deum rogantibus, eorum clientes fierent ita voti compotes. Hebræi numquid se præstitere importunos Samueli, cum sic vrgentes: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum.* (*1.Reg.7.*) Ipse Paulus Apostolus Deo doctore initiatus sacris fidei arcanis, nonne precatores adhibuit Sanctos, qui tunc meritis eminebant? Ecce votum vasis huius à Deo electi, & mundati: *Obsecro vos, fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* (*Rom.15.*) Si valeret argumẽtum hæreticum, clamans fieri Deo iniuriam cùm Sanctos oramus, æquè contumeliosum esset inuocare viuentes ac mortuos, & tunc Paulus non sollicitasset orationes fidelium horum, quos apprimè notat esse emeritæ sanctitatis. Nonne & commendatur Esther, quæ vrgente angustia insigni quæsiuit ex Iudæorum oratione præsidium, sic affata Mardochæum: *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me.* (*Esther 4.*)

Sanctorum inuocatio vtilis.

Ex SS. PATRIBVS.

Ecclesiæ Catholicæ fidem inconcussam circa inuocationem Sanctorum rimari possemus ab exortu eius, & id assertore Dionysio, Pauli famoso discipulo. Sic ille: *Scriptura sacra acquiescens, vtiles esse in hac vita dixerim Sanctorum preces, &c. Si quis quempiam Sanctorum adeat, oretque sibi adiutorem & precatorem accedere, capiet ex hoc omnino vtilitatem commoda cuncta excedentem.* (*Dion. Eccl. Hierar. c.7.*) Non ergo incassum funditur oratio directa ad Sanctos. Priscis sæculis vigente quàm maximè disciplina Christiana, sic scripsit Origenes: *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari vniuersos Sanctos, vt mihi non audienti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant.* (*Origenes in Lamentat.*) Gregorius Naziázenus summus sui sæculi Theologus, ita Basilium recens sublatum è medio deprecatur: *Tu verò sacrum & diuinum caput, à cælo nos quæso inspice, carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certè, vt cum forti animo perferamus, persuade: atque omnem nostram vitam ad id, quod maximè conducit, dirige: nosque posteaquam ex hac vita migrauerimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe.* (*Greg. Naz. orat. 40. quæ est in laudem Basilij.*) Nemo sanus erroris aut ignorantiæ eum insimulabit. Chrysostomus eiusdem classis ac ille Gregorius, sic compellat Sanctos: *Apostoli, Martyres, Prophetæ, Sacerdotes, Confessores, & iusti cum mulieribus sanctis, qui benè certamen consummastis, & fidem seruastis, fiduciam seruantes ad Saluatorem, pro nobis ipsi orate saluari animas nostras.* (*Chrys. in Liturgia.*)

Quàm vegetus etiam fuerit in Ecclesia Latina ille Sanctorum cultus, probat Ambrosius hoc tenore: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata lauerunt. Non erubescamus eos intercessores, nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm vincerent, cognouerunt.* (*Ambr. l. 2. de viduis.*)

Sanctorum inuocatio vbique semper sortitur incentum.

Deum gaudere ritu, quo cœlites inuocamus, ait ille: *Non (inquit) clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti vbique Martyrem, vbique te exaudit ille qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis prebebitur aduocati, in quantũ fuerit fides deuota suscepti.* (*Amb. ser. 93. de SS. Nazario, & Celso.*) Itẽ alibi: *Morituis Regibus, in perpetuum Martyres regnũ cælestis gratia honore succedunt: & illi fiunt supplices, hi patroni.* (*Idem in cap. 21. Luc.*)

Sanctorum inuocationẽ negare est blasphemia & portentũ.

Huic adiice Hieronymum, qui huius inuocationis Sanctorum propugnator acerrimus, sic inuehitur in Vigilantium, qui hunc Sanctorum cultum nequiter impugnabat. Ecce spiculum intortum in hominem sacrilegum, cuius blasphemiam ita carpit rigidus ille censor: *De barathro pectoris cœnosam spurcitiem euomens audes dicere: Ergo ciues suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperque præsentes sunt: ne fortè, si aliquis precator aduenerit, audire non possint? O portentũ in vltimas terras deportandũ.* (*Hieron. in Vigil. c.3.*)

Denique Hieronymus suo exemplo adstruit illum morem adhibendi Sanctos in patronos apud Deum; sic nempe suam Paulam Sanctorum choris insertam affatur venerandus ille senex: *Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. Fides, & opera tua Christo te sociant: præsens faciliùs quod postulas impetrabis.* (*Idem Epist. 27. ad Eustoch. de epitaph. Paulæ c.24.*)

Sanctorum inuocationis typum Gentiles agnouere.

Augustinus illud Ecclesiæ institutum Sanctos inuocandi viguisse credit apud Gentiles ante incunabula Christianæ disciplinæ, sicque sugillat insaniam illam, qua nostrates hæretici ferociunt, causantes illum morem inuocandi Sanctos esse delirium Romanæ Ecclesiæ senescentis. Ita ille: *Cùm campos Elysios Virgilius describit, vbi putat animas habitare beatorum: non solùm ibi posuit eos, qui propriis meritis ad eas sedes peruenire potuerunt: sed adiicit, & ait: Quique sui memores promerendo fecerunt. Id est, qui promeruerunt alios, eosque sui memores promerẽdo fecerũt. Prorsus tamquam iis diceret, quod frequentatur ore Christiano, cùm se cuique Sanctorum humilis quisque commendat, & dicit: Memor esto mei: atque vt id esse possit, promerendo efficit.* (*Aug. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 27.*) Rursus ille: *Si exauditus est Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus;* (*Idem ser. 2. de S. Stephano.*)

commen

commendemus ergo nos eius orationibus. Multò magis enim nunc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est pro lapidatoribus suis. Sic & Leo Papa commendat illum Sanctorum cultum: *Horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem, ipsorum ambite suffragia.* Hilarius & hæc sua vota scripsit, quibus Sanctum Honoratum prosequitur: *Memento, amice Dei, memento ingiter nostri. Deo incoinquinatus assistis, canens illud canticum nouum, & sequens agnum quocumque ierit. Tu illi pedissequus, tu pro nobis patronus, orationum nostrarum interpres, acceptabilis & fortis assertor: profusas ad sepulchrum tuum alumni gregis preces perfer.* Non est itaque sugillandus honor, qui defertur Sanctis, quando precibus inuocantur.

Leo ser. 5. de Epiph. c. 4.

Hilarius in vita S Honorati.

SENSVS ORTHODOXVS.

Sanctorum inuocatio dignè fuit priscis sæculis vsurpata.

In hæc verba:

Accedentes discipuli eius rogabant eum.

ARGVMENTVM EX CONCILIIS, ET EX HISTORIA ECCLESIÆ PRIMITIVÆ.

In Conciliis Sanctorum inuocatio approbata.

Esto sit concolor Ecclesia, nec variet in argumento fidei operæpretium duco dare solamen hoc hæreticis, scilicet vt alto scrutinio inuestigetur, qualis fuerit sensus Ecclesiæ ante mille annos in argumento inuocationis Sanctorum. Vt hoc liquida indagine palàm fiat, necesse est defodere vetera monumenta Synodorum, vbi fit eius cultus mentio singularis. Prior occurrit illa celebris Synodus Chalcedonensis, vbi hæc habentur in gratiâ Martyris Flauiani: *Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret.* Rursus in sexta Synodo generali editus est iste Canon: *Solo Deo creatore adorato inuocet Christianus Sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur.* Eodem sancto flamine percita septima Synodus generalis, sic decreuit: *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.* De hoc legitimo ritu luculenter agitur in plerisque aliis Conciliis, & præcipuè in Gerundensi, Aurelianensi, Moguntino (Carolo Magno rerum potiente) Toletano V. & VI. & Bracarensi II. In his præcipuè Synodis fuerant decretæ & institutæ preces; & præsertim Litaniæ in honorem Sanctorũ populis indictæ sunt.

EX CONCILIIS. Conc. Chalc. action. 11. Synodus VI. General c. 7. Conc. Gre. c. 3. Conc. Aur. I. can 29. Conc. Mog. c. 33. Conc. Tol. V. cap. 1. Conc. Tol. V. cap. 2. Conc. Brac. II. c. 9.

Canones editos in illis Conciliis fuisse reuocatos in praxim, videre est ex historia Ecclesiastica, vbi Gregorius ille Papa Magnus, grassante lue, & populante Romam, Litanias indixit, vbi plerique Sancti ex nomine recoluntur: tantumque valuit deprecatio Sancti adhibentis alios etiam Sanctos, vt causam vrbis afflictæ agerent apud Deum, & vrbs lethali contagio infecta, pristinæ sit reddita sanitati. Duobus sæculis antiquior Gregorio Theodosius Imperator, in negotio magni momẽti consuluit Simeonem Styliten, virum sanctissimum, eiusque precibus voluit esse suum imperium commendatum. Ecce exemplar epistolæ Theodosij, quæ extat in consilio Ephesino: *Quoniam exploratum habemus totam reuerentiæ tuæ vitam ad Deum esse conuersam, atque integritate vixisse beatam, vt diuinam erga nos beneuolentiam certa quadam fiducia prouocare queas: non potuimus in præsentia has ad te litteras non perscribere, teque etiam rogare, vt hoc pacis concordiæque negotium, quod à diuina prouidentia verè pendet, hoc potissimum tempore quàm maximè promouere satagas, dissidiumque diaboli technis, paci rectè aliquando radicata, & constituta iniectum, confestim è medio tollere contendas. Id quod tuæ sanctitatis precibus, eiusdemque apud illos, qui eam confirmare, dissipatamque restituere possunt hortatu, impulsuque confisi, breui futurum, minimè dubitamus.*

Sancti inuocari à Gregorio Magno grassante lue.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA. Lib. vita Greg. c. 41.

Symeonis Stylitæ famosa sanctitas Theodosio Imperatori suspicienda.

Conc. Eph. tom. 5. c. 15. Epist. Theodosij ad Simeonem Stylitem.

Theodosio in ea pietate præierat alius Imperator, & ipse Magnus, scilicet Constantinus, cultor eximius Antonij Abbatis, quem frequentibus epistolis conciliauit sibi, postulans orationum eius suffragia. Idem Imperator pronus ad sepulchrum Petri & Pauli Chrysostomo præbuit argumentum ita Apostolos illos duo Ecclesiæ culmina compellandi: *Saluete, beata biga, quæ vna es anima in duobus corporibus, Petre & Paule. Saluete vos semper in Domino: sine intermissione pro nobis, rogamus, orate.* Deinde ille commemorãs Imperatorem Arcadium, hunc commendat Petro meritis vinculorum, quibus quondam fuerat irretitus. Ecce votum Chrysostomi: *Omnium maximè pium & fidelissimum Imperatorem nostrum pro telis militaribus, his catenis armes, munias, custodias; victoriis & trophæis corones.* Demum meminit ille Sanctus quomodo purpurati homines procumberent ad sepulchrum horum beatorum, & quomodo Constantinus hoc vnum habuerit in votis, sepeliri in vestibulo templi illorũ.

Constantinus Magnus Antonij Abbatis cultor eximius. Ex vita Constantini Imperatoris.

Chrysost. hom. in natali SS. Petr. & Pauli.

Idem sermo de catenis Petri c. 26.

Accipe quàm venerabundi fuerint Principes olim accedentes ad sepulchrum illud. *Ille qui purpuram gestat, ad sepulchra illa se confert, vt ea exosculetur, abiectoque fastu supplex stat, Sanctosque obsecrat, vt ipsi apud Deum sibi præsidio sint, atque vt & tentoriorum opificem, & piscatorem, & quidem fato functos, & patronos habeat, precibus is contendit, quia diademate cinctus est. Ergone, dic quæso horum Dominum mortuum dicere audebis, cuius serui etiam defũcti, eorum qui, vniuerso orbi imperant, patroni ac defensores sunt? Atqui id non Romæ solum fieri quispiam viderit, sed etiam in vrbe Constantinopolitana. Nam & hic quoque Constantinum Magnum, filius ita demum ingenti honore se affecturum existimauit, si eum in piscatoris vestibulo conderet.*

Principes proni ad sepulchrũ SS. Petri & Pauli. Chrysost. hom. 26. in 2. Corinth.

Deus ipse miraculis palàm fecit, Sanctorum inuocationem esse sibi perquàm acceptam: quippe Suidas commemorat, S. Nicolaum in somnis apparuisse Constantino Magno, & monuisse vt indemnes relaxaret tres nobiles viros iniquè carceri mancipatos, quorum præsidium susceperat ipse Nicolaus, adhuc in viuis agens, & absens ab eis precibus inuocatus. Hieronymus etiam commẽdat pietatem fœminæ sanctissimæ, quæ sæpius insomnes egit noctes ad sepulchrum Hilarionis, vt vel sic Sancti huius suffragia demereret. Ecce Hieronymi elogium: *Non mihi videtur in calce libri tacenda Constantia illius sanctissimæ mulieris deuotio, quæ perlato ad se nuntio, quòd corpusculum Hilarionis Palæstinæ esset, statim exanimata est, veram in seruum Dei dilectionem etiã morte comprobans. Erat enim solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere, & quasi cum præsente, ad adiuuandas orationes suas sermocinari.* Illo etiam sæculo Imperatores Valentinianus &

Sanctorũ inuocatio Deo grata probatur miraculis. S. Nicolaus adhuc in viuis absens oratus. Suidas in Nicolao.

Hieron. in vita S. Hilarionis.

& Marcianus solenni legatione demandarunt ad Patres Concilij Nicæni, vt precibus suis consulerent Imperio. Ecce synopsim Epistolæ eius, quæ extat in epistolis præambulatibus in Synodum Chaldonensem. *Orare ergo dignemini pro nostro Imperio, quatenus & hostes subditi nobis efficiantur, & pax in vniuerso orbe firmetur, & Romana res securè consistant.* Penes Sanctorum suffragia Theodosius etiam Imperator æquiorem rerũ suarum sortem semper reposuit, vt Sozomenus ait eum fecisse in solenni expeditione. Sic ille: *Theodosius Imperator Constantinopoli egressus, cùm ad septimum milliare peruenisset, Deo preces nuncupauit in Ecclesia illa, quam in honorem Beati Ioannis Baptistæ construxerat, ac petiit, vt expeditionis istius alea, tum sibi, tum exercitui suo, tum Romanis omnibus feliciter caderet, & auxiliarem sibi inuocauit ipsum Baptistam.*

Valentiniani, & Marciani Imperat. pietas in Sanctos. *Ex epistolis præambulis ad Concil. Chalced.* Theodosij cultus erga Sanctos. *Sozomen. l.7.c.24.*

Rege Clodouæo initiato sacris fidei mysteriis, Gallia Christiana gestiens, illa præcipuè sui iubili edidit argumenta, videlicet vt Sanctos faceret Regi suo propitios. Sic Præsules Galliæ adunati in Concilio Cabilonensi testati sunt, & pietatem suam in Sanctos, & obsequium erga Regem. *Nunc tam ex communi omnium voluntate, quam ex euocatione, vel ordinatione Domini Clodouæi Regis, pro Zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonensi vrbe, in Ecclesia Sancti Vincentij pariter conglobati, ipsius Sancti Martyris intercessionem poscentes, vt longanimitatem supradicti Principis suo suffragio mereremur.* Siquis plura volet luculenta monumenta historiæ Ecclesiasticæ in gratiam inuocationis Sanctorum frequentatæ prisca ætate à viris pietate famosis, is consulat vtrumque Gregorium, Magnum scilicet, & alium Turonensem. Nempe duo illi Scriptores Ecclesiastici in eo argumento plures historias indubias stylo congruo texuerunt.

Clodouæi salus commendata Sanctis. *Concil. Cab. cap. 1.* *Greg. Magn. l. 3. dialog. c. 25. Lib. 11. epist. 8. In Antiphonario. Greg. Tur. l. 2. hist. c. 5. l. de gloria Mart. c. 97.*

SENSVS ORTHODOXVS

Retunduntur spicula, quæ hæretici intorquent in Catholicos, qui frequentant Sanctorum intercessionem.

In hæc verba:

Accedentes discipuli eius rogabant eum.

Ex Sententiis Sanctorum Patrum.

Speculatores missi à Moyse in terram Chanaan, vt referrent esset illa terra ferax necne, & cautè rimarentur indolem incolarum, morem gessere quidem prouinciæ sibi demandatæ, & lustrauere terram illam, quam Deus huic suo populo manciparat: sed suspicati fore graue bellum ineundum cum indigenis; viri illi animo cadentes, in ignauiam fracti, suæ etiam socordiæ Iudæos omnes conscios effecerunt. Pessimè namque locuti sunt de plaga illa, & homines illic degentes adeò fecere terribiles, vt nemo voluerit ad eos accedere. Infideles exploratores ita carpit Moyses: *Detraxerunt terræ, quam inspexerant, apud filios Israël, dicentes: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Profectò deterioris ingenij fuere Caluinus & Melanchthon, vt suum virus aspergerent, & homines efficerent consortes odij, quo in Sanctos nequiter exarserunt. Illi desertores fidei, vt Catholicos abstraherent à cultu & inuocatione Sanctorum, eructauere turpia, & nefanda. Caluinus enim vocat Sanctos, qui cessere fatis, vmbras, laruas, & colluuiem. Sanè illæ blasphemiæ congruunt gurgiti impuro, vnde turpiter emerserunt. Melanchthon verò Sanctis affingit speciem idolorum, mentiens Catholicos inurere beatis illis mentibus dignitatem, quæ solius est diuini iuris.

Exploratores terræ Chanaan perfidi, & ignaui. *Num. 13.* Caluini & Meláchthonis blasphemiæ in Sanctos. *Caluin. l. 3. Instit. c. 20. §. 10. & 21. Melâchthon in Apologia art. 21. Conf. Augustana.*

Caluinus etiam hoc toxico dementatus ait, Catholicos in hymnis & orationibus suis nullam omnino Christi mentionem facere, sed duntaxat longam seriem Sanctorum contexere, quod reuera Christo iniurium est, qui solus sanctuarium cœli subiit, vbi ille vnus offert Deo Patri vota populi in atrio deforis anhelantis. Vtque colophonem mendaciis imponant hæretici, Melanchthon ait hunc ritum inuocandi Sanctos cœpisse tempore Gregorij. Kemnitius nullam huius moris mentionem ait fuisse, nisi post tempora Augustini. Demum Caluinus affirmat, incongruas esse preces fusas Sanctis, quia illi à nobis multa intercapedine loci dissiti sunt, ac proinde nequeunt annuere votis eorum, qui se litare putant. Hi sunt impetus præcipui, quibus sacrilegi homines arietant in cultores Sanctorum. Hæc spicula retundere par est, ne eorum acies credita acuta penetret homines imprudentes.

Kemnitius in examine Conc. Trid. sess. 22.

Auspicabor ab eo argumento, quod imponit plerisque incautis; illo videlicet, quo simulant illi transfugæ se agere causam Christi, cùm detrahunt Sanctis. Quasi verò Catholici deferant Sanctis cultum latriæ, quem sibi vendicat Christus vtpote Deus coæqualis Patri. Itaque prima Caluini instantia impudentissimi mendacij conuincitur, cùm carpit Catholicos vt immemores Christi in orationibus suis & Litaniis. Nempe priusquam fiat commemoratio vllius Sancti in Litaniis, Christus ter recolitur hoc tenore: *Christe audi nos, Christe exaudi nos, Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.* Rursus orationes omnes vsurpatæ ab Ecclesia, aut diriguntur ad Christum, aut concluduntur eiusdem Christi Domini nomine recensito. Sic etenim quæque terminatur oratio: *Per Christum Dominum nostrum.* Romana nimirum Ecclesia cœlitùs erudita docet, solum Christum esse Mediatorem Redemptionis; Sanctos, verò esse mediatores intercessionis, quibus indigemus vt patronis apud ipsum Mediatorem Christum, iuxta illud Bernardi: *Opus est mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria.*

Sanctorum inuocatio quibus argumentis impugnetur. Christus Mediator Dei, & hominum. Christus solus Mediator redemptionis. Ex SS. PATRIBVS. Maria mediatrix. *Bern. serm. Signũ Magnũ.*

Christum immediatè Deum conciliasse nobis annuit Ecclesia, recolens illum locum Pauli. *In ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Eadem alma parẽs fidelium Ecclesia subscribit huic effato Ambrosij: *Ipse, Christus est os nostrum, per quod Patri loquimur: oculus noster, per quem Patrem videmus: dextera nostra, per quam nos Patri offerimus.* Huius generis est illa professio Augustini in gratiã Christi mediatoris: *Oratio, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.* Hoc tamen non obstat, quin nomen mediatoris affingatur & Sanctis, inferiori tamen longè

Colos. 1. *Ambr. l. de Isaac c. 8.* *August. in Psalm. 108.*

gè modo quàm Christo, vtpote qui sint mediatores intercessionis, cùm Christus solus sit Mediator redemptionis, quo indigent alij mediatores intercessionis, vt innuit Augustinus ita fatus: *Homines omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis: pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusque mediator est.*

Idem l. 2. contra Parm. cap. 8.

Moses dictus mediator. *Galat. 3.*

Præuia cautione, quam memini, & Sancti dicuntur mediatores, vt in eo sensu Paulus ait, legem veterem ordinatam fuisse per Angelos, *in manu mediatoris*, id est, Moysis, qui seipsum mediatorem nuncupat, dum sic affatur Hebræos: *Ego sequester medius fui inter Dominum & vos, in tempore illo.* Nulla itaque contumelia infertur Christo, cùm amplioris venerationis ergò, Sanctos apud ipsum adhibemus mediatores intercessionis: nemo namque sanus Catholicorum dixit, Sanctos redimere clientes suos, sed intercedere & supplicare. Ita Beda aduertit, eam fœminam, quæ dedit ansam isti controuersiæ, id est Chananæam, supplices adhibuisse Apostolos apud Christum, vnde sic concludit: *Sanctorum sunt petenda suffragia, vt ipsi supplicent pro Ecclesia.* Rursus ille: *Sanctorum, vel Angelorum, vel hominum crebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pij conditoris quaramus: hæc sunt etenim firmissima ac tutissima S. Ecclesiæ præsidia.*

Deut. 5.

Beda l. 3. in Matth. c. 15. Sancti sunt firmissima Ecclesiæ præsidia. *Beda l. 4. in Cantica.*

Sanctorum inuocatio ab incunabulis Ecclesiæ vsurpata.

Ad commentum illud, quod meminere Melanchthon & Kemnitius, affirmantes morem illum inuocandi Sanctos cœpisse post Augustini tempora, Respondeo mendacium illud configi tot spiculis, quot fuere Patres ante Augustinum, qui meminere ritum illum suis sæculis inolitum. Dionysius aleam prior ingreditur, sic recensens illum morem: *Idem fit, ac si quis Sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet, si impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & natura ipsorum consentaneas sacras operationes abigit.* Vides hoc contextu, citra omnes dictionum ambages, recoli Sanctorum inuocationem. Origenes ducentis annis ante Augustinum commentatus in librum Iob, eum sic compellat: *O beate Iob viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu Regis Domini, ora pro nobis miseris.* Basilius etiam superior Augustino, commemorans quadraginta Martyres, sic hortatur: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret. Hic vt à malis liberetur; ille vt duret in rebus lætis.* Basilio suppar Ephræmus, luculenter orat Martyres, istas fundendo preces: *Precamur, beatissimi Martyres, qui pro Domino Saluatore, proque illius charitate sponte & integrè tormenta subiistis, atque ideo familiarius Domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris, & peccatoribus, & negligentia squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi, quæ corda nostra radio sancta charitatis illustret.* Adiice & consortem Basilij Gregorium Nazianzen. qui sic concludit sermonem habitum in laudé Athanasij: *O charũ & sacrum caput! tu inquam, qui præter cæteras tuas laudes, sermonis & silentij modum eximiè coluisti, orationi quidem nostræ finem hic constitue, si virtutum tuarum præstantiam haudquaquam assecuta, at viribus certè nostris minimè inferiori. Nos autem vtinam ipse benignus desuper & placidus aspicias.*

Dion. Eccl. Hierar. c. 7.

Origenes in Iob l. 2.

Basil. hom. 20. in 40. Martyres.

Ephr serm. de Sanctis Martyribus.

Greg. Naz. oratione 21. quæ est in laudem Magni Athanasij.

Occinens ille chorus Patrum damnat hæreticam proteruiam, cui mentiri & ineptire, argumentari est contra Ecclesiam, benè semper affectam erga Sanctos, citra tamen vllum dispendium cultus debiti Christo: nam ipsa eadem Ecclesia dixit olim anathema quibusdam cultoribus Mariæ, & Angelorum, quia imprudenter Deiparæ & Angelis deferebant latriæ cultum, vni tantùm rerum Domino consecratum. Deliros homines Mariam venerantes vt Deam carpit Epiphanius, vt & in Angelolatras Theodoretus inuehitur hoc contextu: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam: mansit autem diu hoc vitium in Phrygia, & Pisidia.* Fuit hæresis illa Simonis Magi, qui voluit Angelos adorari, vt meminere Iren. Tertull. & Epiph. Quia vigebat illa hæresis tempore Pauli Apostoli: is ita occurrit. *Nemo vos seducat in humilitate, & religione Angelorũ.* Hieronymus hoc loco reprehendi docet eos, qui Angelis sacrificabant, contra quos etiam coactum est Concilium Laodicenum. Est autem Laodicæa vrbs Metropolis Phrygiæ, vbi maximè grassabatur ille error de Angelis adorandis. Ecce Canonem eius Concilij in eo argumento. *Non oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ abire, & ad Angelos idolatriæ abominanda congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inuentus fuerit occultè huic idololatriæ vacans, anathema sit. Quoniam derelinquens Dominum nostrum Iesvm Christum, accessit ad idola.*

Maria olim adorata vt Dea à quibusdam hæreticis.

Theodor. in c. 2 ad Coloss. Iren l. 1. c. 20. Tertull. lib. de præsc. Epiph. in hæresi Simonis. Coloss. 2. Hieron. q. 10. ad Algasiã.

Conc. Laod. cap. 35.

Hæretici hoc Canone freti magnas tragœdias excitant, increpantes Ecclesiam Romanam velut degenerem cùm Sanctos congrua veneratione prosequitur. Sed reuera desipiunt: nam præfato hoc decreto carpitur tantùm latriæ cultus, quem Angelis deferri vetat Ecclesia. Demum ille nodus superest dissoluendus, penes quem est præcipuus ferè cardo istius controuersiæ; videlicet inutiles esse preces fusas Sanctis, quia longo interuallo dispescuntur à nobis beatæ illæ mentes. Prætermissis multis modis, qui recensentur à variis, explicantibus qui fieri possit vt innotescant Sanctis vota fidelium, dico Gregorium Magnum velut è Sede Petri diluisse nodum illum, quando dixit, beatos in Deo videre quidquid ad eorum sortem pertinet. Deus enim vt speculum eis obuersatur, ingerens species rerum omnium, quæ conducunt ad beatum statum illarum mentium. Sic Summus ille Pontifex: *Quid est quod ibi nesciunt, vbi scientem omnia sciunt.* Quod rursus obiiciunt hæretici; Sanctorum intercessionem pro nobis repugnare beato statui, quia hæc cura nostri eos abstraheret à fruitione Dei. Respódeo, illud ineptum esse: nam tantùm abest, vt repugnet indoli Beatorum, fundere Deo preces pro nobis, quinimò magis hoc adstruit eorum sortem omnibus inuidendam. Illa nimirum oratio ab eis fusa dotes arguit valde suspiciendas in Beatis. Primò notat charitatem, quæ & in cœlo viget quàm maximè. Secundò preces illæ, factæ in gratiam nostri, produnt eorum potestatem apud Deum, qui intuitu Sanctorum multa impertit, quæ non aliàs erogaret.

Greg. l. 12. Moral. c. 1. Sanctorum intercessio pro nobis in cœlo, beatorum statui non repugnat, sed maximè congruens.

Beatas mentes esse sollicitas de nobis, maximè probat earum status; nempe desiderant compleri numerum Beatorum, & hæc anxietas vt non est inquies, sed tota composita ad arbitrium Dei, nihil omnino detrahit gloriæ Beatorum, vt conscio etiam sacro Codice comprobatur. Nempe Zacharias Propheta vidit Angelum oran-

Zachar. 1.

Michaël Angelus patronus Synogagæ.

tem pro Iudæis. Sic ille: *Angelus Domini dixit: Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.* Rursus Daniel accepit à Deo, Michaëlem Archangelum esse patronum Synagogæ; cui consulebat beatus ille spiritus precibus indefessis. Veridicus ille

Daniel. 12.

Vates hæc cœlitus audiit: *Consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.* Ille zelus Beatorum in gratiam Ecclesiæ militantis petitur ex eius communione cum Ecclesia triumphante, cui & ipsa suo tempore congaudebit. Vnde vt est gaudium in Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente; ita & vicissim homines infinita propè commoda percipiunt ex iugi præsidio Beatorum, quos agere causam nostram apud Deum Hieronymus sic eruditè probat: *Si Apostoli, & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quantò magis post coronas & triumphos? vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas; & postquam resolutus esse cœperit cùm Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis qui toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?*

Sanctos post mortem intercedere pro nobis quomodo adstruat Hieronymus.

Hieron. lib. contra Vigilant. c. 3.

Caluin. l. 3. Instit. cap. 20. § 24.

Quia Caluinus scurram agit, dicens Sanctos non habere aures vsque adeò diffusas, vt se queant porrigere ad preces nostras, quæ eos proinde latent. Illi opponendus Augustinus, quandoquidem Sancto huic Caluinus multum deferre simulat. Ita Augustinus: *Cum anima nostra aliquid secundùm Deum desiderant, & hoc sibi à Deo per Sanctos dari, sine corde, sine lingua, sine voce postulant; animæ Sanctorum, quibus est idem audire, quod videre; & è conuerso, non voces, sed verba intuentes, desideria ab eis, à Deo impetrant, vt habetis scriptum: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Non inficiari potest Caluinus, homines in hoc æuo Deo reserante fuisse conscios rerum quæ alibi gerebantur: quid ergo vetat Sanctos in gloria dignari à Deo eadem gratiâ, siquando à nobis precibus vrgeantur. Hoc eodem argumento vt valde propitio intento nostro vtitur Augustinus, quem accipe. *Si Propheta Elisæus puerum suum Giezi, absens corpore, vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus a lepræ deformitate mundauerat, quòd seruus nequam, Domino suo non vidente, latenter se fecisse putauerat; quanto magis in illo corpore spirituali videbunt Sancti omnia, non solùm si oculos claudant, verùm etiam vnde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus: Ex parte, inquit, scimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est euacuabitur, &c. Si ergo in hac vita, vbi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ quasi paruuli ad iuuenem; vidit tamen Elisæus accipientem munera seruum suum, vbi ipse non erat; itáne, cùm venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, sed incorruptibile nihil impedierit, illi Sancti ad ea, quæ videnda sunt, oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt: Corde suo ergo se dixit hoc vidisse Propheta, adiuto quidem mirabiliter, nullo dubitante, diuinitus. Sed quantò ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus.*

Aug. l. de cond. vera vita c. 39.

Aug. l. 22. de ciuit. Dei cap. 29.

Sancti in gloria amplioribus priuilegiis vtetur, quàm cum in hoc sæculo degebant.

Ad Caluini instantiam, quæ ineptit garriendo, preces nostras esse importunas statui Beatorum, à quo procul abigendum est illud omne, quo inquies est diuina fruitio: Respondet Augustinus, illud pietatis officium, nullum facessere negotium beatis mentibus, quæ vt cognoscendi facultate vigent; ita & succurrendi potestate valent. Sic ille: *Sancti Angeli, ad quorum societatem & congregationem suspiramus in hac peregrinatione laboriosissima, sicut habent permanendi æternitatem; ita cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem. Sine difficultate quippe nos adiuuant, quoniam spiritalibus motibus, puris, & liberis non laborant.* Rursus hanc curam hominum esse congruam maximè charitati Beatorum, quæ porrigitur ad vota nostra precibus explicata, præfatus doctor annuit, ita fatus: *Quisquis Angelorum Deum diligit, certus sum quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit.* Demum quia argumentum Achillæum, quo Sectarij arietant in nos adstruentes inuocationem Sanctorum, petitur ab iniuria Dei, quam irrogat ille ritus inuocandi Sanctos; Augustinus ait esse Deum ipsú qui in Sanctis nos exaudit, atque ita nodum soluit, refundendo in Deum gratias omnes, quibus homines alluuntur. Ecce breuiloquam solutionem Augustini: *Cum exaudiunt Angeli eius, ipse in eis exaudit, tamquam in vero, non manu facto templo suo.* Itaque ritus ille, tot & tantis probatus oraculis, legitimus est, ac proinde Romana Ecclesia Sancta & Catholica vtiliter adhibet Sanctos intercessores, hæresi perperam insultante.

August. l. 11. de ciuit. Dei cap. 31.

Sanctis non facessit negotiũ, intercessio pro nobis.

Sanctorum charitas porrigitur ad curam nostram.

Aug. l. de vera religione cap. 55.

Sanctorum inuocatio non est Deo iniuria.

Aug. l. 10. de Ciuit. Dei cap. 22.

SENSVS ORTHODOXVS.

An oratio sit opus meritorium.

In hæc verba:

Dimitte eam; quia clamat post nos.

CONTROVERSIA III.

Argumentum Ex Scriptura Et SS. Patribus.

Absalon homo nefarius pertæsus imperium patris sui David, cogitauit de defectione iniqua; vtque suæ rebellionis conscium efficeret populum, dicebat cassa eorum omnium vota, qui supplices libellos offerebant. Tantumque potuit illa perduellis industria, vt multi stantes à partibus huiusce filij degeneris, impiè defecerint à suo Rege, licet cœlitus assignato. Ecce ideam astus, quo hæresis vsa, callidè subtraxit homines obsequio Romanæ Ecclesiæ, & eos abstraxit à sanctissimo ritu fundendi preces assiduas. Dixere preces esse inutiles; quasi nemo esset constitutus à Deo, qui votis hominum annueret, & accommodaret

Absalon qua industria induxit homines ad rebellandum.

2. Reg.

Quinam dixere orationem esse inutilem.

autem

Clem. Alex. l. 7. Strom. Aug. l. de hæresib. c. 88. & epist. 106. ad Paulinũ. Clem. V. c. 3. De hæreticis. Thom. Vald. Tom. 3. c. 1. & 2. Luth. Serm. de Ascensione.

autem precibus iteratis. In his se antesignanum præbuit Prodicus quidam, quem meminit Clemens Alexandrinus. Eodem toxico periere Pelagiani, ideo notati ab Augustino. Horum contagio infecti Begardi passi sunt censuram Clementis V. Pontificis. De oratione etiam iniquè sensit VViclefus, ideoque malè habitus à Thoma VValdensi. Ad eorum nequitiam hoc Lutherus adiecit, vt damnaret orationem hoc contextu blaspheme: *Constanter dicimus, orando etiam peccare iustum, iuxta illud, Et oratio eius fiat in peccatum.* Hoc ebibere virus multi asseclæ viri huius nefarij, declamantes in meritum & virtutes precum.

Oratio Chananææ commendata ab Apostolis.

Vt Abimelech homo nequam à fœmina necatus est ictu lapidis fortiter illisi, ita & mulier Chananæa, satis superque hæreticos confodit. Illa nimirum orans, & voce sonora quantum valuit suas ingeminans preces, habere meruit Apostolos & patronos & præcones orationis suæ, cuius meritum recensuere Christo, vt eius intuitu sese propitium exhiberet illi fœminæ deprecanti. Summa namque rationum, quas meminere discipuli, vt Christus non indonatam abigeret hanc fœminam, fuit ista: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* (*Matth. 15.*) Quasi dicerent: Esto mulier hæc Gentilis, vt Chananæo semine sata, gratiæ tuæ influxum minimè mereatur, vt implexa ritibus alienis; eius tamen oratio iugis, suo tenore indefesso debet conciliare tuam misericordiam, aliàs inflecti humilium precibus assuetam.

Oratio Moysis quã efficax. *Exod. 17.* Oratio Regis Ezechiæ quam potens.

Nonne commendatur oratio Moysis in gratiam agminum Israël contra Amalec? Ecce historiæ veridicæ seriem: *Pugnante Iosue cum Amalec, cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Quodque prodigium sapit, oratio Ezechiæ Regis de Dei decreto indicto prouocauit à Deo subirato ad placatum. Ecce miraculi huius synopsim ex sacro Codice recensitam. (*4. Reg. 20.*) *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem: & venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non viues. Qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum, dicens: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Fleuit itaque Ezechias fletu magno. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymam tuam, & ecce sanaui te.*

Oratio est actus religionis.

Rursus omnis religionis actus est laudabilis atque meritorius: at oratio est religionis actus; illa namque vehit mentem in Deum, cui sistitur homo orationi intentus. Si præterea preces nostræ inanes essent & peccata, vt Lutherus latrat; Paulus Apostolus homines sollicitasset ad peccandum, cùm ita hortatus est fideles: *Sine intermissione orate.* (*1. Thessalon. cap. vltimo.*) Imò Christus Dominus suos initians Apostolos, ruinæ argumentum præbuisset, ita eos affatus: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia.* (*Luc. 21.*) Rursus idem Dominus meritum orationis adstruit, quando commemorat, publicanum in gratiam suæ orationis compendiosæ fuisse iustificatum.

Orationis meritum adstruitur.

Rursus ille assertor orationis, meritum & virtutem eius porrigit ad exterminium dæmonum. Ecce diuinum oraculum: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.* (*Matth. 17.*) Itaque non occurrit, quomodo Lutherani queant consulere famæ sui sycophantæ, in orationis dignitatem impiè debacchantis.

Orationis Stephani effectus.

Ex SS. PATRIBVS.

August. ser. de S. Stephano.

Præter textus indubios Scripturæ sacræ militantis in orationis obsequium, recole sententias Augustini insinuantis quanti sit meriti oratio suis omnibus numeris absoluta. Ecce suffragium Sancti huius: *Si Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Esto Deus ad arbitrium suum dispensare queat bona sua; non tamen assolet ille gratis erogare dotes gratiæ, nisi crebrò precibus vrgeatur. Ita Augustinus: *Constat, Deum alia dona non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam.* (*Idem l. 2. de bono perseu. cap. 16.*)

Orationis encomia.

Chr. l. 1. de orat. Iustin l. de veritate Christianæ relig. Clem. Al. l. 4. Str. Athan. in vita Ant. Basil. de poenit. Greg. Nyss de orat. Tert. de or. cap. 9. Cypr. de orat. Hil in Psal. 54. & 60. & in Matth. can. 6. Ambr ser. 93. in natali SS. Nazarij, & Celsi. Hier. ad c. 7. Ieremiæ.

Ne Patrum seriem importunam laudem in argumento orationis, satis superque erit subiicere textum vnum luculentum Chrysostomi, spatiantis dignè suo more in hoc themate controuerso. Sic ille: *Vitam piam, ac Dei cultu dignam, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, & ceu thesaurum recondit animis nostris, &c. Neque enim fieri potest, vt qui postulant à Deo pudicitiam, iustitiam, mansuetudinem, ac benignitatem non assequantur id quod petunt. Petite, inquit, & dabitur vobis. Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis. Arbitror itaque cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat, ac largitur hominibus, &c. Quid itaque maius, aut diuinius obtingere possit, quàm deprecatio, cùm hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat. Iam verò quòd animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè puram reddit, docet nos Publicanus ille, qui petiit à Domino remissionem peccatorum, & impetrauit.* Si plura desideras oracula, consule Iustinum, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum locis in margine recensitis; vt chorus ille Patrum occinens opponatur stridori ingrato, qui editur à transfugarum impia synagoga.

SENSVS ORTHODOXVS.

An fides indigeat suffragio bonorum operum.

In hæc verba:

O mulier magna est fides tua.

CONTROVERSIA IV.

Consule suprà sensum orthodoxum Euangelij Centurionis, illic fusè discutitur ista controuersia.

FERIA SEXTA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ,

EVANGELIVM.

Ioan. 5.

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT sunt textus literaliter expensi, iuxta intentum Spiritus Sancti.

II. POST hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam.

Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

III. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam; & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque infirmitate detinebatur.

IV. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset IESVS iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei IESVS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille; & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

V. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. IESVS enim declinauerat à turba constituta in loco. Postea inuenit eum IESVS in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis quia IESVS esset, qui fecit eum sanum.

LITERALIS EXPOSITIO, cuius Paragraphi exquisitè enucleant textus Euangelij recensiti.

I. VT omnium hominum Pascha fuit Christus; ita singulis quibusque annis prædicationis suæ reddidit festum hoc insigne ratione alicuius facinoris egregij editi circa diem festum illum institutum in memoriam libertatis, in quam asserti sunt Iudæi educti ab Ægypto die Paschæ. Vnde dies ille propriè dicitur dies festus Iudæorum, quia nullis aliis omnino Gentibus festi huius competit argumentum. Cùm itaque audis Paralyticum à Christo sanatum circa diem festum Iudæorum, cogita diem Paschæ, vtpote Iudæis ita affectum, vt illi duntaxat populo festum illud peculiari ritu maximè commendetur.

II. Ad mysterium Paschæ accedit denominatio Piscinæ, quæ dicta est probatica ab ouibus immolandis: siquidem oues πρόβατα nuncupantur.

III. Quamuis enim aliæ piscinæ Ierosolymis essent; ista solùm dicta est probatica, quia à Salomone constructa est prope templum, inter quod & piscinam erant mediæ domus Nathinæorum, quorum erat lauare in piscina cruentas carnes ouium, quæ erant sacris ignibus apponendæ.

Vt

Vt ergo agnus Paschalis à die Pascha suam nomenclaturam accepit; ita & piscina probatica dicta fuit ab ouibus, quas piscina latices abluebant,

IV. Piscina hac Deo influente salutaris atque benefica sanabat eum, qui prior aquas attigerat post motionem Angeli. Illic patientia insignis typum se fecerat homo corpore adeò malè affecto, vt velut impos sui iaceret in strato à triginta octo annis. Deploratis eius rebus Christus opportunus adfuit; & quia morbus inflictus fuerat in pœnam peccati, auspicatus est curam eius à consensu explicito in sanitatem corporis & animæ, quam volebat ei protinus erogare. Annuit æger & sanus effectus, obedientiæ & fidei pensum exoluit, subeundo iugum grabati sui.

V. Vtque magis liqueret gratia influxus afficiens hunc hominem, Iudæis eum carpentibus quòd die sabbati baiularet lectum suum; ille satiùs duxit morem gerere Christo, quàm obedire legi. Credidit namque eum esse supra legem, qui ad arbitrium suum moderabatur naturæ leges, & corpora extincta poterat facere rediuiua.

SENSVS LITERALIS.

Dies Paschæ recolitur in recensione Piscinæ, ad cuius oram sanatus est Paralyticus.

In hæc verba:

Post hac erat dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS *Ierosolymam.*

§. I.

CONIECTVRA EX RATIONE, LINGVIS, ET SS. PATRIBVS.

Carolus V. Imperator quare diem suum natalem præcipuè coluerit. *Ex vita Caroli V.*

CArolus V. Imperator præcipua veneratione coluit diem Beato Mathiæ Apostolo sacrum, quia tunc primò lucis vsuram accepit, eodem die coronatus, & eodem potitus victoria illa famosa, quam retulit de nominatissimo inter Heroës Francisco I. Rege Christianissimo. Quod prospera illa Carolo cesserint, die qua primùm editus est, non fuit hoc ad arbitrium eius, sed totum fuit Dei negotium, quo moderante vices hominum, discolor est hominum vita. Alio planè modo sese res habuit in serie actionum Christi; nempe penès eum fuit refundere in diem natalem suum egregia quæque facinora: ille nimirum qui æternus est, ad nutum suum librat momenta temporum. Vt ergo Christi conceptio, id est, prima eius editio in mundo Virginis ergastulo, facta est die vigesima quinta mensis Martij circa festum Paschæ; ita diem illum vt insignem Christus quotannis toto suæ prædicationis tempore celebrauit. De die Paschæ intelligo festum illum, quem reticet Ioannes commemorans miraculum Paralytici illus grandæui, quem iacentem in ora piscinæ restituit pristinæ sanitati.

Dies Paschæ fuit festum quod recolitur in historia Piscinæ.

Maldonatus suspicatur, illum diem festum fuisse Pentecosten, Patresque aliquos laudat consciōs suæ sententiæ. Non per me stat, quin suos sequaces hæc habeat opinio; à qua tamen ego quasi pedibus abeo in aliam sententiam, & concludo fuisse diem Paschæ, festum illum, quem tacitum præterit Ioannes. Ecce meas coniecturas. Nemo it inficias, festum illum fuisse vnum ex tribus indictis populo Hebræo, vt sisterentur Domino in templo. Fuerunt dies illi tres, Pascha, Pentecoste, & Scenopegia, id est, tabernaculorum. Nota in serie festorum trium, Pascha principem obtinuisse locum, tum ratione temporis, tum intuitu mysterij, cuius memoriam festum illud mentibus ingerebat. Auspicabantur annum Hebræi ab æquinoctio verno, circa quod erat Pascha, proinde primum festum Iudæorum. Argumentum verò festi huius fuit commemoratio libertatis Hebræorum, quos eduxit Dominus de Ægypto vbi ærumnis & seruitute ingloria premebantur. Rursus illud festum in agno Paschali lineabat Christum agnum immaculatum, cuius sanguine litatum est. Alia duo festa, scilicet Pentecostes, & Scenopegiæ, erant infra Pascha & ordine & ratione instituti. Vnde cùm Ioannes absolutè dixit: *Erat dies festus Iudæorum, & ascendit* IESVS *Ierosolymam.* Dies ille festus Iudæorum sine additione significat Pascha, quod propriè erat festum Iudæorum; ratio namque huius instituti ad solos Iudæos pertinebat, vt idem Ioannes alibi meminit, ita fatus: *Erat proximum Pascha dies festus Iudæorum.*

Pascha quando & quare institutum.

Pascha quare fuit festum Iudæorum tantùm.

Ioan. 6. *Exod. 12.*

Ratione instituti, ad solos Iudæos pertinebat festum Paschæ, quia eo tempore asserti sunt in libertatem succutientes iugum importunum, cui impares erant in Ægypto. Festum verò Pentecostes celebratum tempore messis, & festum tabernaculorum post collectos omnes fructus terræ, habuere similia festa apud Gentiles, qui sacra Eleusyna frequentarunt in honorem Cereris, cui indixere festa Cerealia in gratiam messis opimæ. At nemo Gentium habuit festum indictum eo nomine, vt populus ille recoleret transitum Angeli percutientis primogenita Ægypti, vt sic plecterentur Ægyptij remorantes exitum Hebræorum. Ergo, quicquid secus obiiciat Maldonatus, dies ille festus, circa quem accidit miraculum piscinæ, erat Pascha. Rursus in confesso est, Christum quater celebrasse Pascha: quippe tres annos & aliquot menses impendit prædicationi nouæ legis; vt Daniel præscius admonuit. Primum Pascha meminit Ioannes post recensitum miraculum editum in Cana Galilææ. Sic ille: *Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Et inuenit in templo vendentes boues & oues.* Hieronymus ait, omnium miraculorum Christi illud fuisse præcipuum, quòd scilicet homo mitis alioquin, repurgarit templum à nundinis, ære effuso, cathedris euersis, & hominibus egregiè castigatis. De secundo Pascha explicitè nominato silet Ioannes, qui tamen tertium religiosè meminit capite quod subiicitur quinto, vbi fit mentio Piscinæ probaticæ. Ecce locum: *Subiit in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Cùm subleuasset ergò oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes.* Vides, circa festum Paschæ tertiò celebratum Christum patrasse miraculum panum, qui fuere typus eius panis, quem in Pascha vltimo consecrauit.

Deut. 16.

Christus tres annos & aliquot menses prædicauit.

Daniel 9.

Ioan. 2.

Ioan. 6.

Denique quartum Pascha commemorat Ioannes, hoc contextu: *Ante sex dies Pascha venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus.* In-

stante

Paschæ tempore Christus præcipuas actiones suas fecit.

stante die illo vltimi Paschæ, luculentas & præcipuas actiones fecit, quæ imposuere colophonem vitæ suæ. Ille siquidem Lazarum quatriduanum mortuum, fecit rediuiuum. Triumphantis habitu subiit Ierosolymam, exceptus vt Messias, & Filius Dei à populo prædicatus. Denuo repurgauit templum à mercatorum colluuie conspurcatum. Instituit venerabile sacramentum & sacrificium corporis & sanguinis sui. Demum ipse vices agens agni Paschalis in ara Crucis immolatus est, totam sic Adami prosapiam liberans à seruitute ingloria peccatorum. Cùm ergo Ioannes adeò religiosè meminerit primum, tertium, & quartum Pascha, & notarit in diebus illis qui præibant, Christum prodigia maxima perpetrasse, facilè adducor vt credam, diem illum festum Iudæorum, qui hodie recolitur à Ioanne, pertinere ad secundum Pascha, cuius alioquin nulla planè fiet commemoratio à Ioanne, cui tamen in votis præcipuè fuit texere historias rerum, quæ circa dies Paschæ à Domino præclarè gestæ sint.

Paschæ tempore sanatus est Paralyticus in piscina.

Piscina fuit typus corporis Christi aperti quinque plagis.

Accedit contextura loci, atque miraculi. Locus ille piscina nuncupatus habebat quinque porticus, vbi vt in diuersoriis idoneis, ægri homines consulebant sibi contra iniurias variæ tempestatis, ibi sanguine hostiarum rubebat aqua, vtpote qua lauabantur exenterata viscera victimarum. Vnde licet augurari, Piscinam illam fuisse typum corporis Christi peruij quinque plagis, quarum purpureo liuore sanatum est omne hominum genus, quod languebat, & appositè figuratum in annoso Paralytico, qui hominem non habebat: nemo namque hominum potuit soluere Paralysim, in quam fracti homines, veterno atque ignauia laborabant. Tempore Paschæ sanatus Paralyticus in Piscina præsignabat homines breui sospitandos, tempore Paschæ, quo Christi Domini corpus hians quinque plagis aquas sanguine huius hostiæ purpureas funderet animæ salutares. Mystica hæc speculatio maximè conducit ad indaginem sensus literalis, quem ego modis omnibus inuestigo.

Paralyticus in piscina sanatus tempore Paschæ quid significet.

Ex LINGVIS.

Fauet & nomenclatura Hebræa Paschæ: quippe vox illa, פסח *pesach*, transitum significat beneficum, illum scilicet, quo Angelus mactans filios primogenitos Ægypti, transiliit indemnès domos Hebræorum respersas sanguine agni. Cùm ergo vita omnis Christi fuerit transitus propitius ægris, & sanitas integra fuerit restituta homini languenti in Passione Christi circa festum Paschæ; redemptionis nostræ series congruum est nacta typum in Paralytico illo sanato tempore Paschæ. Syris & Caldæis vox, פסחא *Pascha*, deducitur à radicali, פסח *pesach*, petita ab Hebræis, quæ significat pertransire, quo verbo vsus est Petrus recolens indolem Christi, & seriem actionum eius. Sic ille: *Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes.* Profectò Maldonatus nihil habet quo irritas faciat meas coniecturas. Præcipuum eius argumentum est auctoritas Patrum aliquorum, qui credidere, Pentecosten fuisse festum designatum à Ioanne. Crediderim ego, Patres illos fuisse arbitratos rem illam non esse momenti adeò grauis, vt operæpretium esset illam appendere ad trutinam examinis exquisiti, ideoque obiter eam perstrinxisse.

HEBRÆA SYRIACA.

CHALDÆA.

Act. 10.

His oppono duos Patres non inferiora secutos; videlicet Irenæum, & Rupertum, qui maturè discusserunt istud argumentum. Ita Irenæus: *Est valde admirari, quonam modo profunda Dei adinuenisse se dicentes, non scrutati sint in Euangelijs, quoties secundum tempus Paschale Dominus post baptisma ascenderit in Ierusalem, secundum quod moris erat Iudæis, ex omni regione, omni anno, tempore hoc conuenire Ierusalem, & illic diem festum Pascha celebrare. Et primum quidem vt fecit vinum ex aqua in Cana Galilææ, ascendit in diem festum Paschæ. Dehinc iterum subtrahens se inuenitur in Samaria, quando & cum Samaritana disputabat; & filium Centurionis absens verbo curauit, dicens: Vade, filius tuus viuit. Et post hæc iterum secunda vice ascendit in diem festum Pascha in Ierusalem, quando Paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat triginta octo annos, curauit, iubens vt surgeret, & auferret grabatum suum.* Si his duobus festis Paschæ, alia duo subiicias, quæ meminit Ioannes, commemorans miraculum panum, & mortem Lazari, palàm fiet, Christum quater conuenisse Ierosolymam, vt illic Pascha celebraret.

Ex SS. PATRIBVS. Christus quater venit Ierosolymã celebrare Pascha tempore prædicationis Euangelij.

Irenæus lib. 2. cap. 39.

Rupertus in cap. 5. Ioan.

Rupertus concinit Irenæo, probans diem festum, quem Ioannes præterit silentio, fuisse Pascha. Ecce non aspernandi interpretis sententiam: *De Pascha primi anni iam dictum est, &c. Ecce hoc secundo anno, eodem festo ascendens Ierosolymam, veniens ad probaticam Piscinam, &c. hoc mense primo mensium, qui iuxta Solem istum visibilem primus est in mensibus anni, quid fecerit, quid dixerit iste festinus Sol iustitiæ, in hoc vt cœptum est Euangelicæ lectionis speculo contemplemur. Post hæc erat festus dies Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Hic Euangelista Paschale festum non exprimit apertè, dum dicit: Erat dies festus Iudæorum; sed ex superioribus festum Paschale fuisse intelligitur. Nam aliam ob causam superius vbi mulieri Samaritanæ est locutus, dixit discipulis suis: Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses ante messem intersunt. Paschalis festiuitas non plusquam duobus mensibus abest, quo vtique spatio temporis alia festiuitas non occurrit, qua secundum præceptum legis, omne masculinum deberet apparere ante conspectum Domini. Igitur & hoc Paschale festum est, quo nostrorum Sacramentorum principium reperitur.* Hæc Rupertus suo calculo fidem conciliians argumento meo, quo ostendi, Christum ascendisse ad primum Pascha capite secundo Ioannis, capite vero sexto recoli tertium Pascha, ideoque necesse esse, vt festus ille Iudæorum, cuius est mentio capite quinto, sit dies Paschæ secundi, cuius alioquin nulla fieret mentio à Ioanne, aliàs religioso in vnoquoque Paschate recensendo.

Circa diei Paschæ festũ à Christo fuit quotannis aliquod miraculum insigne editum tempore prædicationis eius.

* * *

SENSVS

SENSVS LITERALIS.

Probatica Piscina fuit hoc nomine nuncupata ab extis ouium, quæ inibi tingebantur.

In hæc verba:

Est Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida.

§. II.

CONIECTVRA EX RATIONE, LINGVIS, ET SS. PATRIBVS.

Maldonati incongrua interpretatio reiicitur.

Compendiosa sectantes itinera plerumque deuiant: at secus qui decurrunt via regia non aberrant. In hoc discrimen deuij interpretis Maldonatus incurrit, inuestigans rationem, cuius intuitu Piscina illa famosa sita Ierosolymis fuerit probatica nuncupata. Vbi ille alioquin peritus scholiastes in varias se inflexit partes, laborans in indagine nominis huius insti Piscinæ, quasi in scyrpo nodum reperisset, commentum nobis ingerit pro commentario. Ille nimirum ait, Piscinam fuisse sitam ad portam, quæ nominatur ab Esdra porta gregis, quia pecudes immolandæ illac transmissæ afferebantur in templum: vultque Maldonatus sensum literalem huius loci esse hunc. In porta gregis erat Piscina dicta probatica, quia illac immittebantur oues quæ Græcè πρόβατα nuncupantur. Bifariam peccat opinio Maldonati. Primò contra topographiam, seu descriptionem loci & situs Piscinæ, quæ erat sita inter templum & portam vallis Iosaphat, è regione namque Piscinæ porta vallis erat, nullis ædibus interiectis. Porta verò gregis, quam meminit Esdras, erat longiùs ad sinistram, habebatque domos Nathinæorum medias inter se & Piscinam, sicque non potuit esse sita ad portam tanta intercapedine soli dissitam. Secundò porta illa dicta est, porta gregis & non ouium. Sic enim effertur ab Esdra שער הצאן hatson schenghar. Id est, porta boum, caprarum, ouium, seu cuiusuis pecoris: vox enim הצאן hatson, hæc omnia significat. Et in descriptione vrbis Ierosolymæ typis æneis cusa iuxta ideam Brocardi Monachi, qui Ierosolymis anno millesimo ducentesimo octogesimo tertio accuratè inspexit omnia scitu dignissima. In illa inquam delineatione vrbis, porta illa dicitur porta equorum. Audiendus in ea re Christianus Adrichomius, qui consultis omnibus peregrinis Palæstinæ, & lustratis omnibus libris de ea re conscriptis, & inspectis omnibus chartis referentibus sinceram imaginem vrbis, sic describit portam ab Esdra recensitam: *Porta equorum sic nominata; quòd homines ad illum vsque locum equitare poterant: sed inde dimissis equis, in templum pedites procedebant: è qua loco incipiebant habitacula sacerdotum.*

Ex Linguis.

2. Esdr. 3.

Hebrææ.

Porta gregis longè posita à Piscina. *Christianus Adrichomius in Theatro terræ Sanctæ in descriptione Ierusalem numero 66.*

Ille vt omnem suspicionem alterius portæ tollat, laudat in margine caput tertium libri secundi Esdræ, & Lyranum ibi, & in caput 31. Ieremiæ. Quare Maldonatus hac porta ruat, accipe. Ille aduertit textum Græcum alio modo texere historiam Piscinæ. Vbi enim Latinus interpres ait: *Est Ierosolymis probatica Piscina*; Græci legunt: Ἔστι δὲ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Id est. *Est Ierosolymis in probatica Piscina.* Vnde Maldonatus ait, Piscinam fuisse in loco, qui dicebatur porta probatica, quia nulla platea fuit dicta probatica, quasi in ea venales essent oues. Respondeo, errare Maldonatum in historia. Brocardus supra laudatus, qui attentè lustrauit omnē Ierosolymam, ait se vidisse plateam magnam dictam probaticam, quia celebres illic erant ouium nundinæ, quę vt πρόβατα dicuntur, affinxere suum nomen huic plateæ, vbi venales erant. Platea illa probatica excurrebat vsque ad portam vallis Iosaphat, quæ & participauit nomenclaturam plateæ illius, vtpote dicta porta egregis: sed planè diuersa ab illa, quam meminit Esdras, & à qua malè Maldonatus petit denominationem Piscinæ. In hac itaque platea probatica, quàm vidit Brocardus, erat Piscina non ideo nominata probatica, quia erat sita in platea probatica; sed quia carnes ouium illic tingebantur à Nathinæis, quorum ædes erant de industria sitæ inter templum & Piscinam. Erant autem Nathinæi homines ignobiles, oriundi ex Gabaonitis, qui illuserant Iosue & Iudæis, & ideo fuere damnati ad cædenda ligna, & hauriendas aquas in ministerium Hebræorum. Dicti sunt Nathinæi, id est, dati, seu vltro oblati à voce, נתן nathan, quæ significat dare, vel offerre: eis affines sunt apud quosdam Religiosos viri quidam discreti ab aliis, quos vocant Oblatos, seu donatos, quia sua sponte se totos in monasterij obsequia deuouerunt.

Græca. Probatica platea vbi oues venales.

Brocard. itinere 6.

Nathinæi quales erant.

Nathinæi vnde sic dicti.

Probaticum illud forum non potuit nomen suum affingere Piscinæ eò quòd inibi esset sita; sicut charta alba non denominat characteres albos, qui sunt in ea lineati, sed literæ à pictura sibi propria nuncupantur. Ita nec oues venales in probatico foro, eo solo quòd illic vænibant, inusere nomen suum Piscinæ, quia vt sic nihil ad piscinam illam pertinebant; sed ideo oues affinxere suum nomen huic piscinæ, quia illic oues factæ victimæ mundabantur. Accipe locuples testimonium Brocardi, testis oculati, quo consulto, Adrichomius ita fatur: *Piscina, quæ vocatur Græcè probatica, hoc est, ouina, seu pecualis, eò quod oues, aliaque pecuales lauandæ, in ea lauabantur, sita inter portam vallis, & templum, ampla & præcipua erat Piscina totius vrbis, quinque porticus habens, quam Rex Salomon fecit pro ministerio templi, atque hinc à Iosepho stagnum Salomonis nominatur. In hac enim Piscina Nathinæi lauabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas.* Nemo sanè hoc auctore sagaciùs est rimatus omnes minutias vrbis Ierusalem. Sed quia Maldonatus negat, Piscinam fuisse mancipatam his vsibus; nec fuisse tinctas inibi carnes hostiarum vult fateri: vt liquidior sit illa sententia de porta quam memorat Esdras, à qua Piscinam denominat, sistendi sunt Patres Sancti meam sententiam suo calculo confirmantes.

Piscina vnde dicta sit probatica.

Christianus Adrichomius in descriptione vrbis Ierusalem num. 62.

Ioseph. lib. 6. de bello Iudaico.

Piscinæ aquis mundatæ carnes ouium occisarum ad sacrificium.

Prior occurrit Hieronymus, qui perlustratā Ierosolymā, adhibitis Iudæis rerum Hebraicarum peritissimis, Piscinam sic meminit: *Piscina in Ierusalem quæ vocabatur προβατικὴ, & à nobis interpretari potest, pecualis. Hæc quinque quondam porticus habuit, ostenduntur que gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuiis adimpleri solet: alter mirum in modum rubens; quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur,*

Ex SS. Patribus.

Hieron. lib. de locis Hebraicis.

ſtatur. Nam hoſtias in eo lauari à ſacerdotibus ſolitas fuerunt: vnde & nomen accepit. Hanc nominis famam Hieronymus non accepit à vulgo imperito; ſed eam hauſit à doctiſſimis Hebræis, & apprimè in cunctis ſuæ Gentis ritibus eruditis. Strabus auctor celeberrimæ illius Gloſſæ ordinariæ laudat Cyrillum in gratiam eius ſententiæ, quam profitetur Hieronymus. Sic ille:

Cyrill. apud Strabum in Ioan. cap. 5.

Probaton Græcè, dicitur ouis Latinè. Probatica ergo pecualis, quia ibi abluebantur cadauera hoſtiarum. Lyranus ex Iudæo factus Chriſtianus, & Minorita, maximè conſcius arcanorum ſuæ Gentis; in eo Piſcinæ argumento ita commentatur:

Lyranus in Ioan. 5.

Ibi lauabantur hoſtiæ primò, & poſtea in interibus in atrio ſacerdotum exiſtentibus. Euthymius Lyrano antiquior tribus ferè ſæculis, ſic eum locum vertat:

Euthymius in Ioan. 5.

Eſt Ieroſolymis Piſcina in loci ſitu, qui dicitur probatica: aut ſimpliciter ita dictio iuxta veterum traditionem, aut vt quidam dicunt, quòd oues, quæ Græcis πρόβατα appellantur, olim illuc congregarentur, quæ in feſtis erant immolandæ, & harum inteſtina in aqua illa purgarentur.

Non eſt ergo quòd Maldonati cultores nimij ſuſpicentur eſſe fabulam, illam plateam probaticam, quæ deſcribitur in tabulis æneis Ieroſolymam graphicè lineantibus, cùm ante quadringentos annos vegeta fuerit adhuc Ieroſolymis memoria fori probatici, vt notat Euthymius, commemorans etiam fuiſſe frequentatas aquas Piſcinæ ad mundandas partes intimas hoſtiarum. Concinit & Rupertus eiuſdem ſæculi auctor minimè pœnitendus. Sic ille:

Rupertus in Ioan. 5.

Piſcina non a piſce dicta eſt, ſicut nec fiſcina à fiſco, nec mutina à muto, niſi fortè per antiphraſim, eò quòd piſces minimè habeat. Erat autem aqua gemino lacu inſignis, quorum alter plerumque impletur imbribus hybernis, alter rubris eſt diſcolor aquis, vnde hoſtia lauabantur. Quamobrem probatica quoque dicta eſt. Græcè namque πρόβατα, Latinè oues dicuntur. Vnde vt prædictum eſt, Piſcina hæc probatica dicitur, eo quòd ibi hoſtia lauarentur. Hæc Rupertus.

Bethſaida quid ſignificet.

Quare autem Piſcina vocetur Hebraicè Bethſaida, non eſt vnicolor ſententia interpretum, nec vllus intimè radices inueſtigauit vocis huius ancipitis, quam ipſe apparatus regiorum Bibliorum non auſus eſt diſcutere, ſed appoſita litera, D, confeſſus eſt eſſe dubiæ ſignificationis. In re aliis intentata dicam. Piſcinam ab Hebræis trifariàm eſſe nuncupatam, & tria nomina eumdem ferè ſonum fuiſſe ſortita licet radicales literæ non ſint concolores.

Ex Linguis. Syriaca.

Tria hæc nomina ſunt, בתצידא *bethſaida*, id eſt, *domus piſcationis*, בתאשדא *betheſchda*, id eſt, *domus effuſionis* בתחסדא *bethcheſda*, id eſt, *domus miſericordiæ*. Tria hæc nomina ſunt merè Syriaca, vt videre eſt ex eorum terminatione in, ο, quæ dum Græcè aut Latinè redditur deſinit in, a, dicimus enim be-

Hebræa.

thſaida, betheſchda, bethcheſda. Vnde cum Euangeliſta dicit, Piſcinam vocari Hebraicè bethſaida, non ſequitur, vocem illam eſſe Hebræam, ſed eſſe illam, quam tunc Hebræi adhibebant ad ſignificandam Piſcinam.

Betheſda quid ſignificet.

Cùm ergo Hebræis tunc lingua vernacula eſſet Syriaca; voces illæ tres ſunt merè Syriacæ, licet fuerint ab Hebræis vſurpatæ. Poſſunt & originaliter dici Hebrææ voces illæ; quia earum radicales ſunt petitæ ab Hebræis. Verbi gratiâ, צידא *tſaida*, id eſt, *piſcatio*, deducitur à radicali, צוד *tſud*, quæ Hebræis idem eſt ac, *inſidiari*, & Syris perinde eſt ac, *piſcari*; quæ ſignificatio Hebrææ concolor eſt; nam piſcatio nectit piſcibus inſidias. Dicta eſt Piſcina à Latino interprete, bethſaida, domus piſcationis, quia Hebræi confluentes aquas in vnum locum vbi reſtagnant vocant Piſcinas: Quaſi dicerent, eſſe domum piſcibus idoneam, quippe aquæ ſunt piſcium congruum elementum.

Bethcheſda quid ſignificet.

Domus apud Hebræos ſignificat omne quod aliquid continet.

Vocare locum illum continentem aquas, domum piſcium, phraſis eſt Hebræa, & Syra; quicquid enim aliquid continet, vocatur ab eis domus, vt horreum vocatur domus frumenti, pharetra domus ſagittarum, & ager domus ſementis. Græcus interpres vſus eſt voce βηθεσδά, quæ ſignificat domum effuſionis. Nempe imbrium affluxus decidens in Piſcinam obſtabat ne deficerent illic aquæ. Hebræis, אשד *eſched*, effuſionem ſignificat: & hæc denominatio notat vnde ſcaturigo aquarum Piſcinæ ſuum ceperit incrementum. Hieronymus, vt memini ſuprà, teſtatur ſe vidiſſe adhuc Piſcinæ reliquias in ſtagnum compoſitas; & adiicit, ſtagnum illud debuiſſe ſuas aquas imbribus hybernis. Syrus interpres adhibuit vocem, *bethcheſdo* בתחסדא, quæ ſignificat domum miſericordiæ: illi enim quotannis Deo miſerante ſinguli quique ægri primi iniecti in Piſcinam dignabantur integra ſoſpitate. Itaque variant illi omnes textus in aſſignanda voce Hebræis vſitata ad Piſcinam congruè deſignandum. Neuter tamen à ſcopo aberrat, & ſunt omnes illi textus veridici, & nuncupationes illæ reuera fuerunt Hebræis inolitæ, quia vt par eſt explicant Piſcinam.

Piſcina trifariàm nominata ab Hebræis.

Vox, bethſaida, dum eam dicit eſſe domum piſcationis, inſinuat aquas illic non in fluenta mobiles extitiſſe, ſed immotas inſtar ſtagni in ſuo ergaſtulo conſtitiſſe. Betheſda, clamat illas aquas imbribus auctas. Bethcheſda, ſonat miſericordiam Dei illic languidis erogatam.

Piſcina quare ſortita ſit tria nomina.

Itaque per vnumquemque ſtetit vſurpare vocem, quæ magis arriſit; & arbitror diuinâ prouidentiâ factum, vt tres illi textus, ſcilicet Latinus, Græcus, & Syrus, non conuenerint in referenda voce tunc Hebræis maximè vſitata, vt vel ſic liqueret tres præfatas dictiones familiares atque vernaculas fuiſſe ad Piſcinam vt par erat mentibus ingerendam: quippe vt in pronuntiatione parum ab inuicem abſunt, earum etiam æquiuocatio totum ſignificat quo Piſcina maximè præpollebat. Vt cùm Latini dicunt Deiparam virginem eſſe Reginam cœlique, ſolique, ſalique, tres efferunt voces in ſono concordes, quæ totum Mariæ imperium graphicè referunt.

Vulgata editio Scripturæ ſacræ quanti ſit ponderis.

Vnde patet alta ignorantia quorumdam interpretum, quibus hîc parco, qui dicunt, Piſcinam corruptè vocari Hebraicè bethſaida, cùm debeat vocari betheſda. Illi nempe duo committunt incongrua, quæ eos faciunt cenſuræ obnoxios. Primò peccant in decretum Concilij Tridentini, quo omnes Scripturæ Sacræ interpretes obſtringuntur adhibere textus vulgatæ editionis, quam authenticam prædicanit illa Synodus congregata Deo cœlitus aſpirante: ſicque dubiam fidem faciunt noſtræ verſionis illi auctores imperiti, dum aſſerunt irrepſiſſe mendum in textum illum, quem Concilium Tridentinum voluit ab omnibus adhiberi.

Conc. Trid. ſeſſ. 4.

Secundò ſuam ignorantiam produnt in his quæ pertinent ad linguas primitiuas, Hebræam ſcilicet, & Syriacam: quippe

tantùm

tantùm abest vt Latinus interpres corruptè vocem, Bethsaida, suffecerit in locum dictionis, betesda, vt imperiti quidam interpretes affirmant, quinimò melius non potuit vocabulum inibi recenseri. Cùm namque res esset de Pisci na, dicta à piscando, Latinus interpres eruditè & prudenter dixit eam vocari bethsaida, id est domum piscationis. Etsi aliam vocem vsurpasset, scilicet bethesda, quæ significat domum effusionis, illa dictio non expressisset Piscinam dictam à piscando, & non à pluendo. Itaque facessant homines nescij linguarum, vbi res est de inuestigatione sensus literalis Scripturæ sacræ, quæ vt repersa est Hebraïsmis, exercitatissimum nomenclatorem petit, qui calleat idiomata, quibus fuere sacri codices exarati:

Bethsaida vox congruè vsurpata ad significandā Piscinam.

SENSVS LITERALIS.

A quo, & ad quid Piscina extructa sit, vnde, & quando virtus salutaris illi sit indita.

In hæc verba:

Probatica Piscina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat, &c.

§. IV.

CONIECTVRA EX HISTORIA, LINGVIS, ET EX SANCTIS PATRIBVS.

Piscinarum Ierusalem historia.

Historia Piscinæ probaticæ, licet dignissima scitu, neminem adhuc interpretum nacta est, qui eam vel primoribus tantùm labris attigerit. Me itaque manet illa prouincia, futura grata præconibus sacris, vel eo nomine quòd sit argumentum istud hactenus illibatum. Antequam alluantur illis aquis, illud est vt præuium notandum, Iudæos fuisse semper ablutionibus addictos, & quàm maximè, quia lex eorum crebrò meminerat hæc lauacra: quippe legalis mundities, vt erat extrinseca & cute tenus, indigebat aquis, vt Iudæi sancti deforis apparerent. Eamobrem quotiescumque Reges hoc sibi indixere pensum, vt vrbem Ierusalem instruerent necessaria supellectile, tunc præcipuè ad congregandas aquas animum appulerunt. Ille verò locus, qui suo alueo concludebat aquas illic restagnantes, dicebatur Piscina, id est, locus congruus piscibus alendis: eáque fuit distinctio fontis, & Piscinæ, quòd in fonte salientes aquæ discurrebant, sed in Piscina latices aquarum, amplo carcere conclusi, referebant ideam stagni idonei ad pisces asseruandos: nemo namque dixerit, scaturientis fontis aquas volubiles & fugaces esse aptas piscibus asseruandis. Idcirco nuncupatio aquarum discolor est, pro ratione modi quo se produnt.

Fontis & Piscinæ distinctio.

EX LINGVIS. HEBRÆA Fons quid sit.

Scaturiens vena aquarum dicitur Hebraïcè, מקור *makor*, id est, *fons*, à radice, קור *Kur*, id est, *fodere venam aquæ*. Piscina verò dicitur, ברכה *berecha*, à radice ברך *barach*, quæ significat, *benedicere & genu flectere*. Vnde & vox illa Hebræa natatoriam significat, quia genuum crebro inflexione natant homines. Eò respexit Græcus interpres vsus voce, κολυμβήθρα, quæ *lauacrum*, & *natatoriam* sonat, à verbo, κολυμβάω, quod perinde est ac, *nato*. Fons verò, πηγή, dicitur fortè à verbo πηγνύω id est, *congelasco*. Nempe friget aqua potiùs in fontibus vbi salit, quàm in Piscina, vbi percussa solis radiis aqua placida sæpius incalescit. Rabbi Dauid ait, hoc esse Piscinæ proprium, vt sit locus lapidibus & calce constructus, ad confluentes aquas illuc congruè reseruandas. Huiusmodi Piscinam celebrem Ezechias struxit Ierosolymis, deductis aquis fontis Gihon per tubos & canales altè defossos, qui aquam in Piscinam illam memoratam vbertim adducebant.

GRÆCA. Piscina quid sit.

Rabbi Dauid apud Mercerum in Lexico, Hebraico in voce ברך barac.

Huius Piscinæ luculentam mentionem facit Iesus Syracides hoc contextu: *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* Huic & testimonium perhibet ille locus Paralipomenon: *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad Occidentem vrbis Dauid.* Brocardus suo sæculo vidit adhuc reliquias huius Piscinæ insignis. Præter hanc fuit & alia Piscina vetus, quam recolit Isaias, ita Iudæos increpans: *Congregastis aquas Piscinæ inferioris, &c. Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam Piscinæ veteris.*

Piscina Regis Ezechiæ. Ecclesi. 48. 2. Paral. 32.

Piscina vetus qualis fuerit. Isaiæ 22.

Duæ illæ Piscinæ extructæ fuerunt ad profanos vsus, & multis sæculis post Piscinam probaticam, cuius auctor extitit Salomon, à quo denominatur à Iosepho stagnum Salomonis, cuius monumenta non extitere tantùm æuo Hieronymi, qui describit hanc Piscinam; sed ante centum annos, id est superiore sæculo, Bartholomęus à Saligniaco Protonotarius Apostolicus rudera inspexit Piscinæ illius probaticæ, sitæ inter templum & portam vallis, quam Iosephus vocat stagnum Salomonis. Adrichomius ait, quosdam affirmare, locum illum esse hunc, vbi altè fuit defossus ignis sanctus, conuersus in aquam crassam. In re annosa sine teste nihil volo tale. Sed citra inficias est, iuxta Piscinam fuisse domos Nathinæorum, qui cruentas ouium carnes illis aquis placidis abluebant. Vnde & Piscinæ probaticæ nomen accepit, vt proximo paragrapho probaui cōtra Maldonatum, negantem Piscinam illam vnquam victimas alluisse; quia, inquit, in templo erant scaturientes aquæ sufficientes ad hoc opus. Quàm infirma sit hæc ratio, vt opponatur auctoritati Hieronymi, Ruperti, Euthymij, Cyrilli, & aliorum, quos memini suprà, prudens lector seriò perpendat.

Brocard. itinere 6.

Barth. à Salig. itinerarij Ierosolymitani tom. 8. c. 5. & 6. Ioseph lib. 6. belli Iudaici cap. 6. Adrichomius in descriptione vrbis Ierusalem n. 68.

Adeò verùm est, Piscinam probaticam, cuius auctor est Salomon, eo intento fuisse constructam, vt illic tingerentur carnes aris imponendæ, vt Syrus interpres Piscinam vocarit baptisterium; & non Piscinam: vox enim, מעמודיתא *mangbamudithe*, non significat aquas restagnantes in gratiam piscium, vt Piscina sonat, sed signat aquas designatas ad lauacrum. Vnde is qui ad verbum explicuit textum Syriacum, non Piscinam vertit, sed baptisterium. Et equidem appositè reddita vox est: siquidem radicalis Syriaca, עמד *nghamad*, significat, *baptizare*, licet apud Hebræos perinde sit, ac stare. Consonat & Græca dictio, κολυμβήθρα, quæ significat natato-

Piscina dicta Syriacè baptisterium. SYRIACA LINGVA. Piscinæ probaticæ aquæ pluuiales erant.

natatoriam & lauacrum. In hanc Piscinam collectæ aquæ pluuiales industriè confluebant, & inde nomen, בתאשדא *bethesda*, id est, *domus effusionis*, quia imbres effusi suas illuc aquas transuehebant, compositis ad hoc tubis, atque canalibus. An circumcingentes quinque suas porticus habuerit tempore Salomonis illud baptisterium, superfluum est inquirere, cùm tota hæc structura ordinem habeat ad ægrotos, quibus non fuit illa Piscina propitia, nisi paulò ante Christum: nam de eo miraculo Piscinæ apud priscos Iudæorum auctores nulla planè fit mentio. Adiice, Iudæos pronos in idolorum cultum, non metuisse gratiam illam eo tempore, quo in excelsis adolebat incensum, ne ansam ex hoc miraculo arriperent Angelos adorandi.

Præterea ad intentum Salomonis sufficiebat, vt Piscina hæc sub dio prostaret. Nempe addicta lauandis ouibus occisis ad sacrificium, nullis indiguit porticibus, vt earum tecto sibi consulerent Nathinæi designati ad lauacrum illud: quippe domus eorum erant iuxta Piscinam illam, vt videre est in graphica descriptione Ierosolymæ, facta ante trecentos annos à Brocardo. Illic Piscina egregiè lineata cingitur muro in orbem ducto, & peruio quinque portis, quæ singulas quasque porticus habent, id est spatia quædam in longum producta, & tegmine operta contra aëris iniurias. Illic iacebat multitudo ægrotorum, vt Angelo influente motu sensibili, quo agebatur aqua, primus qui in has se citus aquas dabat, caperet beneficium integræ sanitatis. Quo verò tempore Angelus illic adstiterit insuturus aquis illam facultatem beneficam, res est in ancipiti, variis pro suo arbitrio varia dicentibus. In eo argumento sententiam fero more Romanorum, qui in re opaca sic decernebant: NON LIQVET. Nec etiam liquidior est responsio ad quæstionem: Quoties Angelus quotannis illo beneficio dignaretur ægros. Obiter dicam, non esse satis liberalem Ambrosij sententiam, quæ semel concludit Angelum cœlitus influxisse. Ego nimirum arbitror, numerosum agmen ægrorum illic iacentium arguere frequētiam, & non huius gratiæ raritatem.

Quo tempore Piscina mouebatur.

Ambros. de Sacramentis lib. 2. c. 2.

Si in re plena caliginis est meæ coniecturæ locus. Dico, ter in anno Angelum se illic præstitisse beneficum, & præcipuè circum tria illa festa solemnia, quibus Iudæi confluebant Ierosolymam: scilicet in die Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ, vt plures essent testes miraculi, quo Deus dignabatur ægros. De momento descensus Angeli nemini constitit vnquam, vt vel sic acueretur ægrorum diligentia, & patientia vocaretur ad examen, Deo sic moderante suas gratias etiam temporales, vt velit homines se ad illas accingere actibus idoneis, quales erant illi, quorum specimina tunc edebant homines hi languidi, qui degebant ad oram Piscinæ probaticæ.

Piscina quoties in anno mota ab Angelo.

Quo intento Deus illud miraculum ediderit, non est humani negotij diluere & præcipuè cùm Patres Ecclesiæ proceres in ea re non concordent, licet singuli quique vera dicant: namque pius omnis sensus elicitus ex Scriptura sacra cœlitus influxit; nemo nimirum ex se sufficit ad aliquid sanctum animo voluendum. Sed quia quæstio est de præcipuo Dei intento in editione prodigij huius, arbitror instante natiuitate Christi cœpisse hoc ostentum in Piscina, vt & eodem die Natalis scatuiit fons olei, & aliqua alia prodigia fuere præambula Christi in humanis, qui & ipse fuit maximum omnium miraculum, & cuius figura fuit hæc Piscina: is nempe quinque porticus habuit scilicet quinque plagas. Purioris aquæ latices habuit ita salientes, vt sæpe sitientes ad aquas vocauerit, Non habuit Angelum, sed fuit ipse Angelus magni consilij, quo homines admoniti, motione interna sani fiunt beneficio aquæ illius cruentæ, quæ exiuit de latere Christi.

Piscina Christi figura fuit.

Ad hanc meam sententiam collimant illi Sancti, qui commentantur, hoc Piscinæ prodigium disposuisse Hebræos ad credendum effectus salutares, quos aquæ baptismales in homine sortiuntur. Eo quippe miraculo potuit Christus adstruere virtutem baptismatis: imò vt ipse probaret se esse Piscinam, fecit imperio suo, quod Piscina suis aquis erat solita præstare. Quia intentum Dei in Piscinæ miraculo pertinet ad sensum literalem, non erit abs re recolere Chrysostomum, qui mihi maximè arridet in hoc argumento. Sic ille: *Quis hic curationis modus? quid per hoc nobis mysterium significatur? Non temerè, nec abs re hæc, sed futura nobis tanquam imagine & figura quadam describuntur, ne res nimium incredibilis, & inexpectata accedente fidei virtute multitudinis animos offenderet, &c. Descendens Angelus, mota aqua sanandi virtutem largiebatur, vt intelligerent Iudæi, longè magis Angelorum Dominum omnia animæ impedimenta sanare posse.* Vides hoc contextu, Chrysostomum in eadem mecum esse sententia, & credidisse, Dei intentum fuisse, in Piscina typum lineare Christi. Non eo inficias, & Piscinam præsignasse Baptismum; sed affirmo, præcipuum Dei scopum in Piscinæ ostento fuisse Christum, licet vno eodémque miraculo, & structura Piscinæ Deus alia arcana plurima designarit.

Ex SS. PATRIBVS. Chrysost. hom. 35. in Ioan. Piscina fuit figura Baptismi.

In gratiam Baptismi sic versat istud thema Sanctus Chrysostomus: *Vt huius aqua natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed dumtaxat cùm ab Angelo mouebatur: ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cùm spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata. Iuxta hanc Piscinam iacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Verùm tunc infirmitas corporis sanari volentem impediebat, nunc vnusquisque potestatem habet accedendi. Non enim Angelus aquam mouet, sed Angelorum Dominus totum perficit: iam non habet excusationis locum infirmus, non habere se hominem; qui sibi opituletur, &c. Hoc autem factum est, vt qui in aqua corporis morbos sanari posse didicissent, in eo aliquamdiu exerciti, animæ morbos per aquam curari posse faciliùs crederent.* Ad Baptismum etiam respexit Ambrosius, speculans aquas salutares Piscinæ, in cuius themate spatiamur: *Crede,* (inquit) *quia non sunt vacuæ aquæ, ideo tibi dictum est, quia Angelus Domini descendebat secundùm tempus in natatoriam, & mouebatur aqua, & qui primus descendisset in natatoriam post commotionem aquæ, sanus fiebat à languore quocumque tenebatur. Hæc Piscina Ierosolymis erat, in qua vnus annuus sanabatur. Sed nemo antè sanabatur, quàm descendisset Angelus, vt esset indiciū, quia descēderat Angelus, mouebatur aqua propter incredulos. Illis signū, tibi fides;* illis

Chrysost. vbi suprà.

Ambros. lib. 2. de Sacramentis cap. 2.

illis Angelus descendebat, tibi spiritus Sanctus. Illis creatura mouebatur, tibi Christus operatur, ipse Dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nunc omnes sanantur, aut certè vnus solus populus Christianus. Hactenus Ambrosius.

Maldonatus tanti facit illam allegoriam, vt affirmet, sensum illum mysticum esse etiam sensum literalem, quia Deus præcipuè ad Baptismum intendit cùm influxit in Piscinam. Rectiùs ego dictum puto, Deum potiùs attendisse ad Christum, quàm ad Baptisma; siquidem Christo quadrat illud omne quod fuit salutare in Piscina. Est enim fons aquarum viuentium, ad quas aditus patet quinque plagis, quæ sunt veluti porticus, vbi tutò manent ægri, vt antea prælibaui. Si verò res est de Angelo illo benefico, quo motore salus in has influebat aquas, Christus etiã Dominus, salus, & Saluator quàm maximè illo Angelo designatur. Mihi concors est Rupertus ita fatus: *Notandum quod non esu hostiarum, quæ illius Piscinæ aquâ lauabantur, sed ex eadem, qua & hostiæ lauabantur aqua sanabatur vnus, quicumque post motionem eius primò descendisset infirmus. In his tantum continetur mysterium, tantùmque præfiguratum est sacramentum, quantò opus habebant, quæ cœlesti templo inferenda erant hostiæ viuæ, scilicet animæ & corpora Sanctorum, quanto opus habebamus omnes nos homines, qui vniuersi ex primo parente nostro verum languorem, veram & omnimodam tam corporis quàm animæ contraximus infirmitatem. Scimus enim & credimus, quia Dominus noster Iesus Christus, qui vocatur iuxta Prophetam, magni consilij Angelus de cœlo venit, id est, non de deorsum, vt cæteri homines; sed de sursum; non de terra, vt primus homo terrenus, sed de cœlo venit homo cœlestis. Venit in populum Iudæorum, de illo carnem assumens, dum prædicat, & annuntiat salutem, & pacem, mota est Gens inquieta, & grauissimè veritatis eius impatiens, & versa in seditionem; tradidit morti, vitæ æternæ largitorem. Qui morte sua, vitæ mundo condidit sacramentum.*

Angelus Piscinam mouens ad salutem fuit figura Christi.

Rupert. in c. 5. Ioan.

Christus magni consilij Angelus. Isai. 9.

Rursus ille decurrens hanc aleam dicit populum Iudæorum fuisse Piscinam, sed Christum fuisse Angelum beneficum, quo propitio salutem Iudæi fideles & creduli consequuntur. *Piscina* (inquit) *illa sacra in qua hostiæ lauabantur, vniuersas populi Iudæorum cæremonias, vniuersum veterem sacrificiorum ritum significat. Quæ cùm vmbra essent futurorum; ita antequam Christus descenderet, & in semetipso legem impleret neminem iustificare, vel ad perfectum adducere poterant, sicut Piscina illa ante descensum Angeli neminem sanare poterat. Quæ sicut quinque porticibus cingebatur, in quibus iacebat multitudo languentium, motum aquæ expectantium; ita lex Moysis, cuius quinque libri sunt, peccatores interim cohibebat sacrificiis illis obumbraticiis emundari non valentes, donec veniens Christus ea, quæ sacrificiis eisdem præfigurabantur, in veritate perficeret. Vel certè, quia non solùm illos, qui sub lege Moysis fuerant, sed & cunctos, qui ante legem, & ab initio mundi electi per fidem Deo complacuerunt, Christus Dei Filius saluare venit, & omnibus erat necessaria Passio Christi. Benè quinque porticus erant, & in omnibus languentes iacebant, expectantes aquæ motum; quia videlicet ante aduentum Christi, à quo sexta mundi ætas incipit, quinque ætates fuerunt: quarum in nulla defuisse credendum est fideles & iustos viros, qui circa eamdem spem repositi, salutarem nostri Redemptoris expectabant aduentum. Quorum omnium vnam eamdémque fidem rectè significabat ille vnus, qui prior descendebat in Piscinam, & sanabatur. Nam vnus Dominus, vna Fides, vnus in omnibus electus est Spiritus, & idcirco electorum omnium, siue mortuorum, siue viuorum, siue ante, siue post Passionem Christi vocatorum, vna Ecclesia, & vnum corpus est. Igitur in hoc loco tam pulchra, tam splendida sua Passionis figura illustrato, Dominus quid fecerit, audiamus.*

Piscina fuit figura populi Iudaici.

Rupert. in 5. Ioan.

Lex Moysis neminem sanabat.

Christus Dominus expectatus vt salutem omnibus impertiret.

In hac allegoria suum stylum fusè Rupertus exercuit, secutus Augustinum, vbi aquam Piscinæ comparat Populo Iudæorum; vbi verò componit Angelum illum salutarem cum Christo Angelo magni consilij, & omnium Saluatore, meum illum sensum firmat, quem induxi dicens, Deum præcipuè attendisse ad Christum, quando Piscinam dignatus est eo miraculo, quod suspicor tantùm incœpisse circa natiuitatem Christi, quem Deus in Piscina typicè lineauit. Ne tamen cuiquam imponat hæc mea explicatio de Piscina referente Christum, licet sit apposita, & confirmata Patrum testimonio; fateor ingenuè, illam pertinere magis ad sensum mysticum, quàm ad sensum literalem, vnde errat Maldonatus quando Piscinam illam probaticam explicat de Baptismo, affirmans illum sensum mysticum esse etiam sensum literalem istius historiæ, in quo peccat contra Canones interpretis sacri, qui in commentario historiæ Scripturæ sanctioris debet attendere literæ sensum si aucupatur titulum Scholiastæ literalis: nemo quippe ambigit, mysteria significata sacris historiis esse à sensu literali penitus aliena. Itaque verus esto hic sensus literalis de intento Dei pro tunc, id est, eo tempore, quo stante Synagoga viguit illud miraculum. Deus eo ostento palàm fecit non solùm templum, sed & ciuitatem Ierusalem esse in præsidio Angelorum, quo præsidio maximè destituta fuit vrbs illa infidelis, postquam in Christum defæuiit: conscio namque Iosepho historico Iudæorum, paulò ante excidium vrbis huius, auditæ sunt voces Angelorum in aëre clamantium: *Transeamus ex his sedibus.* Quibus vocibus exceptis à pluribus, in palàm est, vrbem illam antea fuisse speciali Angelorum agmini commendatam. Hoc Angelorum beneficium Deus voluit esse illo Piscinæ miraculo peruium, vt & ipsi Gentiles, qui tempore Christi frequentabant Ierosolymam occupatam à Romanis, vel sic in notitiam veri Dei rerum omnium Domini deuenirent.

Aug. tract. 17. in Ioan.

Angelorum præsidio singulari dignata vrbs Ierusalem.

Ioseph de bello Iudaico lib. 7. c. 12.

Angeli desertores Ierusalem post Christum crucifixum.

SENSVS LITERALIS.

Colloquium Christi cum homine illo Paralytico, qui iacebat ad oram probaticæ Piscinæ.

In hæc verba:

Erat quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

§. IV.

CONIECTVRA, EX RATIONE, LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

Paralyticus Piscinæ an reuera paralysi fuerit affectus.

VT rebus deploratis, & maximè in morbis fallentibus peritiam Medicorū, ægri Deum seriò cōsulunt, qui plerumque opportunus adest, cùm humana pharmaca defecerunt; ita & Christus vltro conuenit ægrum, præualente morbo veteri factum inutilem, cui & nemo hominum congruam præstabat opem, vt tingeretur aquis salutaribus Piscinæ probaticæ. Qua infirmitate laborarit homo ille, non meminit textus sacer, sic illum ægrum commemorans: *Erat quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* Plerique arbitrantur fuisse hominem illum Paralyticum, ducti illà coniecturâ, quòd infirmus ille iacebat in grabato. Quacumque infirmitate laboraret homo, si eò deuenit inertiæ, vt corpore immobili iaceat in grabato, is quasi Paralyticus est; & ita Patres, quibus de vera & speciali infirmitate non constabat, hominem illum Paralyticum congruo nomine nuncuparunt. Si verò res est de morbo specifico, quo infirmus erat homo ille; suspicor ego, illum laborasse podagra, & chiragra adeò diuturna; vt pedes, genua & manus gypsatis articulis vsum suum illi homini denegarint.

Hanc eius fuisse ægritudinem coniicio primò ex stylo Euangelij, vbi Paralysis nominatur, quando homines verè Paralyticos sanauit Christus. Quem morem non præteriisset Ioannes si ægrotus iste propriè Paralyticus extitisset. Secundò paralysis non est morbus, qui ad triginta octo annos solitus sit corpora conseruare. Ille nimirum morbus, quando omnia membra occupat, atrophiam parit, id est, inopiam alimenti secum vehit, vnde citò corpora contabescunt. At secus est in podagra illa præfata: ea siquidem vtplurimum est beneficium naturæ validæ, secernentis humores noxios à præcordiis, quibus consulitur, vtique abundè in partibus extimis succo morbido desudante. Fitque eo modo vt homines ad multam ætatem in grabato degant, vbi omnes ferè vacant artus & compages corporis malè affecti.

Paralyticus quare præ aliis sanatus à Christo.

Ex pluribus ægris illic iacentibus, hunc præcipuè conuenit Christus, quia destitutus erat ope humana, & patientiæ insignis indubia dederat argumenta. Suspicor ego, hominem illum ægrum in summa rerum inopia nonnullas etiam fudisse Deo preces, quibus sibi Deum efficeret propitium. Etsi Christus omniscius scientiâ æternâ haberet omnia præsentia; tamen illic audiuit, hominem hunc decumbentem plures annos egisse corpore vitiato: vnde hæc Ioannis verba: *Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet.* Debent intelligi de cognitione illa, quam auribus illic acceperat, & non de cognitione æterna, aut infusa: quippe Ioannes testis oculatus rei gestæ, historiam narrat prout eam ipse oculis hausit: vnde cùm illemet præsens audierit, dictum fuisse Christo hominem illum à triginta octo annis laborare illa infirmitate, refert Christum cognouisse, id est, ab aliis accepisse: ideóque non placet illa Maldonati opinio, ferens Christum seipso cognouisse absquè vllo deforis indice: hoc namque repugnat intento Christi, qui de industria voluit sibi referri diuturnum tempus malæ affectæ valetudinis, vt qui adstabant audirent, inueteratum morbum non esse iuris humanæ medicinæ, ac proindè sospitatem huius ægri esse Dei facinus omnipotentis.

Christus quare inquireret tempus ægritudinis.

Dominus ille prudens, vt adstrueret fidem diuinitatis suæ in editione alicuius miraculi, ad commendandam prodigij dignitatem aliquando petebat tempus, à quo talis angustia lacessebat ægros, vt præsentes, audito tempore quo inualuerat infirmitas, in Christo Medico specimen agnoscerent abditæ deitatis. Locuples huius moris exemplum adfert Marcus de homine malè habito à dæmone. Hominis huius infelicis pater, accepta Christi famâ, eum conuenit. Quomodo Christus eum sit affatus, Marcus ita enarrat: *Interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas misit, vt eum perderet.* Illa Christi interrogatio de industria facta est, vt adstantes inde rescirent, quanti momenti esset miraculum tunc patrandum. Ita & in cura hominis huius, Dominus operæpretium duxit audire seriem annorum, quos egerat in illa infirmitate, vt qui aderant illi reduci sanitati, de Christo sentirent vt par erat. Marc. 9.

Quare autem opportunus hic Medicus ab ægroto petierit an vellet sanari, hoc arguit benignitatem Christi, vltro se offerentis egenis, & facientibus quod decet ad indaginem boni quo indigent. Suspicor ego, hominem illum ægrotasse in pœnam alicuius peccati; huic enim restituto Christus ait: *Iam noli amplius peccare.* Vnde cùm diutino morbo afflictus satis superque eruditus esset, quale virus peccatum aspergeret; proculdubio doluit de peccato, cuius intuitu tanto tempore mulctabatur. Cùm ergo Christus ait illi. *Vis sanus fieri.* Non eo inficias, ea voce simul inspirasse votum declinandi malum, quo perpetrato incurrit in discrimen infirmitatis hactenus importunæ. Fuisse salutarem illam vocem Christi, colligo ex placido responso ægroti, qui alioquin habebat ansam indignandi ad quæsitum Christi, vtpote intempestiuum. Nempe res est incongrua petere ab ægroto velit sanari necne. Sed tantùm abest, vt is quidpiam asperum dixerit, aut malè senserit de Domino, quinimò suæ miserādæ sortis historiā breuiloquo contextu statim aperuit arbitratus aliqualē opē sibi imminere obsequio Christi, sciscitantis an esset cupidus integræ sospitatis.

Paralyticus Piscinæ ægrotauit ob peccatā.

Paralyticus quàm reuerenter Christo respon-derit.

Maldonatus ait, Christum non exegisse fidem ab homine illo, quia nondum Christus erat agnitus, & fidem supponere præuiam prædicationem: nam fides ex auditu. Sed hæc sententia peccat in fidem historiæ sacræ, qua liquet, Christi nomen fuisse celebre in tota Syria, ipso primo anno prædicationis eius ob infinita propè miracula

cula edita in gratiam hominum ægrotorum. Ita Matthæus recolit exordia prædicationis Christi:

Matth. 4.

Circuibat Iesus totam Galilaam, docens in Synagogis eorum, & pradicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam. Adiice, Christum superiore anno, in eodem festo Paschæ eiecisse de templo vendentes & ementes, & curasse omnes infirmos, qui illuc inducti sunt, quod non potuit ignorari ab illo homine paralytico iacente in Piscina, quæ adeò vicina fuit templo, vt nihil medium esset præter ædes Nathinæorum. Vnde coniicere est, hominem illum, increbrescente fama Christi, de eo tantam concepisse fidem, quanta satis erat ad conciliandam sibi gratiam sanitatis. Quamuis ergo æger ille nesciret Christum ex facie; sciebat tamen cum resonante fama miraculorum eius, ad quam proculdubio anxiè optauit sisti Christo, quem audierat sanitatem citam ægris omnibus erogare. Itaque satis fuit illa fides implicita, cuius liquidius argumentum non exegit Christus, occultè ingressus in Piscinam, & ignotus è facie languidis hominibus, & præcipuè isti neminem habenti, qui suggereret, hominem illum esse Christum, cuius acceperat tot & tanta prodigia.

Paralyticus habebat fidē implicitam.

Christus quare petiit consensum explicitum paralytici.

Ex Linguis. Syriaca.

Vt Christus obtulit vtramque sanitatem, corporis scilicet, & animæ; ita & consensum explicitum elicuit ab homine indigo fortè vtriusque sortis æquioris. Consensum infirmi expressit Syrus interpres, אין מרי *in mori*. Id est. *Etiam Domine mi.* Vt gratia aspirans hominem benè afficit, nihilque patitur hiulcum in anima; ita homo ille infirmus, Christi affatu & afflatu recreatus, in eum se composuit habitum corporis & animæ, quem Christus Dominus exposcebat. Itaque ad imperium Christi, sospes ille homo protinus effectus est, & in argumentum integræ sospitatis, grabatum suum baiulans vegeto corpore pedes ambulauit. Erat dies ille Sabbati, quo baiulare nefas. Quare Christus hoc ei pensum imposuerit, nemo adæquatè hactenus explicuit, nec ego forsan expediam omnimodum intentum Christi: quis namque potest inuiam penetrare abyssum iudiciorum Dei: tentabo tamen altum illud scrutinium, & dicam, Christum illo prodigio voluisse palàm facere diuinitatem suam, quæ vt miraculo satis elucebat, iussit solui sabbatum ab illo homine baiulo grabati sui, hoc suo imperio insinuans esse Dominum sabbati, ac proinde Deum: nemo namque potest esse supra legem nisi legislator: vnde cùm sabbathi institutio esset à Deo, ipse Deus solus poterat in sabbato dispensare. Eamobrem Christus indicio suæ diuinitatis probatæ miraculo adiecit imperium derogans sabbatho, vt se Deum bino sic proderet argumento. Rursus ea industria miraculum hoc toti Ierosolymæ innotuit: quippe homine baiulante suum grabatum, alij omnes obuij stupentes in re insolita, audiebant ab illo prodigium factum in gratiam eius. Et licèt Scribæ & Pharisæi inde liuoris ansam arriperent, carpentes hominem iniurium sabbato; tota tamen eorum tragœdia cessit in honorem Christi, cuius eo modo facinus hoc præclarum omnibus innotuit.

Christus quare die Sabbati præceperit paralytico tollere suum grabatum.

Præterea in tesseram obsequij, cui obstringitur Deo anima restituta gratiæ, qua priùs exciderat, Deus aliquod pensum imponit, cui statim obsequitur homo redux factus frugi, qui antea nequam erat. Ideo prudenter Ioannes aduertit, paralyticum incunctanter gessisse morem Christo, & sustulisse suum grabatum, non obstante die sabbati, nec mandatum Christi appendisse ad trutinam examinis sui, quasi Dominus rem incongruam præciperet, vnde obedientiæ & fidei eius fuit hoc facinus argumentum. Ne fortè desideres auctoritatem Patrum, vt eius suffragio liquidior fiat mea hæc exegesis, seu expositio, ego tuis occurro votis, & singulis quibusque meis sententiis adiicio calculum Patris alicuius emeriti. Dixi, ex multis languentibus in Piscina fuisse hunc præelectum miraculo in gratiam patientiæ insignis, cuius hactenus ediderat ardua specimina, quæ compendiosè perstringit Chrysostomus, ita fatus:

Paralytici obedientia & fides.

Ex SS. Patribus.

Paralytici mira patientia.

Chrysost. in Ioan. hom. 35.

Admirabilis profectò paralytici tolerantia, octo & triginta annos, vt sanaretur, nunquam discedens expectauit: quòd nisi sapientissimus fuisset, si non præterita, at futura saltem inde eum abducere potuissent: quoniam incredibile erat reliquos ægrotos priorem illum ingredi dimissuros.

Hanc eius in ærumnis animi constantiam sollicitasse Dei misericordiā dicit Euthymius, hoc contextu: *Eum, qui multo tempore assiduus fuerat ac tolerantissimus cæteris præponit: tum quod miseratione dignior esset, tum etiam docens, quod inter eos, qui superno egent medicamine, Deum magis flectunt qui sunt constantissimi.* Vt patientiæ germana est humilitas, ita & virtutis huius locuples exemplum dedit interrogatus vellet sanari necne. Ita Chrysostomus: *Vides hominem longo languore confectum? vides humilitatem? Non maledixit, vt nonnullos in afflictionibus audiuimus, non execratus est diem suum, non se irrideri arbitratus est, rogatus an vellet sanus fieri; sed perquam mansuetè, & humiliter: Domine, inquit. Atqui ignorabat percontantem, & se sanatum iri nesciebat, ne quidquam postulat, vt qui medicum rogant; sed tantum morbum suum narrare contentus est.* Suspicatus sum, malè affectum fuisse hominem illum decumbentem in pœnam peccati alicuius, cuius pœnitentiam interiùs suggessit Christus, quando deforis cupidinem ei fecit sanitatis. Incongrui iudicij labem mihi adimit Chrysostomus. Is haudquaquam temerè iudicauit, cùm dixit, Iesum monuisse paralyticum, ne ampliùs peccaret, quod tamen non ingessit cæcis, & claudis, quos curauit. Sic ille: *Quid igitur, cùm claudos, & cæcos curauit, id non admonuit? Ita mihi persuadeo, suum hunc morbum propter peccata, illos corporis imbecillitate prouocasse.*

Euth. c. 5. sui commentarij in Ioan.

Paralytici humilitas.

Chrysost. hom. 36. in Ioan.

Peccata morbos pariunt.

Chrysost. homil. 37. in Ioan.

Vt ergo sibi malè conscius erat homo ille, memor piaculi, cuius intuitu luebat pœnas, Christus interrogando, sanus fieri vellet nec ne, vtrique cauit sanitati, corporis scilicet & animæ: vt namque decumbens homo ille in votis haberet integrum corporis statum, Christus ei desiderium animæ sartæ tectæque cœlitus inspirauit. Ita vt: *Vis sanus fieri?* perinde sit ac: Nonne tædet te peccatorum, quæ has pepererunt angustias? Eò respexit Rupertus, ita commentatus: *Vis sanus fieri? Et quidem desiderium pauperum iam exaudieras, & præparationem cordis eorum audierat auris eius. Quomodo ergo patientem omnibus vnius languidi voluntatem nescire poterat? Verùm ad hoc interrogat, & ad hoc solùm dicit: Vis sanus fieri? vt ostendat, quòd de homine nihil ampliùs debeat quæri, id est, non qualis persona, vel ex qua Gente sit; sed hoc solùm, vtrum sua peccata relinquere, iustitiamque velit operari.* Sexcentis annis superior Ruperto Cyrillus Alexandrinus

Paralytici consensus ad sanitatem quare petitus à Christo.

Rupert. in c. 5. Ioan.

recensuit illam Christi Domini indolem, prouocantem hominum vota, vt sic influat in animas. Ita Cyrillus: *Manifestum argumentum summæ Christi bonitatis, quòd vtique laborantium preces non expectet, sed petitionem benignitate sua præueniat. Occurrit enim, vt vides, iacenti, & miseratur ægrum, antequam ei supplicet. Quòd autem interrogat vtrum velit infirmitate liberari, non istud est ignorantis, id quod omnibus certè patebat, sed ad vehementius illius rei studium excitantis, & ad flagitandam sanitatem instigantis. Quòd autem interrogat, vtrum velit re optata frui, emphasim quamdam habet, qua significat se eam præbere posse, iamque ad id præstandum paratum esse, solùmque petitionem eius, qui gratiam accepturus erat, præstolari.*

Cyrill. Alex. in Ioan. c. 5.

Christus sua bonitate vota hominũ præuenit.

Denique Christum ab homine sanando petiisse obedientiæ & fidei obsequium, in argumentum suæ diuinitatis, quam probauerat liquidò, sanans hominem illum imperando, & non orando, vt Prophetæ aliàs præstiterunt, Cyrillus appositè meditatur. *Deo conueniens est illud iussum, & virtutis ac potestatis humanam mediocritatem excedentis manifestissimum habet argumentum. Non enim precatur sanitatem ægro, ne sanctis aliquibus Prophetis ipse quoque similis esse videatur, sed tamquam virtutum Dominus pro nutu ac potestate fieri præcipit, iubens vt latus domum redeat, & lectulum humeris tollat, vt spectatores virtutem eius qui sanauit inde colligerent. Iussa autem facit æger illico, & per obedientiam ac fidem, optatissimam sibi gratiam conciliat.*

Cyrillus ibid.

Paralyticus in sabbato curatus, quid significet.

Arbitror etiam, Christum sanando hominem illum in sabbatho, imposito ei penso obedientiæ & fidei, insinuasse populum Iudæorum sanatum iri sub finem sæculi, mediante obsequio fidei: est enim sabbatum vltima dies hebdomadis. Eò collimat & Cyrillus enucleans istum locum. *In sabbatho Christus hominem sanat; sanatum verò, statim obseruationem legalem soluere iubet, suadens vt in sabbato iter faciat, idque lectulo oneratus, licet apertè clamet alicubi per vnum sanctorum Prophetarum Deus: Neque exportabitis die sabbati pondera è domibus vestris. Neque verò dixerit quisquis sanæ mentis, hominem illum diuinorum mandatorum reddi contemptorem: Christus enim velut in typo Iudæis ostendebat, eos quidem sanatum iri per obedientiam, ac fidem in extremis sæculi temporibus: hoc enim arbitror significare sabbatum: qui dies vltimus est hebdomadis.* Si quid ergo commentatus sum, illud maxima ex parte suos habet patronos ex suspiciendo omnibus Patrum choro; cui concinere, animo meo iugiter insidebit.

Cyrillus vbi suprà.
Ierem. 17.

Iudæi sub finem mundi conuertentur ad Christum.

SENSVS LITERALIS.

De his quæ gesta sunt post sanitatem homini paralytico erogatam à Christo Domino.

In hæc verba:

Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum, &c.

§. V.

CONIECTVRA, EX RATIONE, ET SS. PATRIB.

VItiis omnibus illud inolitum est, vt scilicet prodi nolint. Cùm itaque anno superiore Christus acriter inuectus sit in Scribas & Pharisæos conscios nundinarum, quæ agebantur in templo; iniqui homines ægrè ferentes se traduci à Christo, anno vertente memores censuræ, nacti occasionem euomendi virus suum, eò quòd præcepisset Dominus paralytico tollere grabatum suum, primò inuecti sunt in hominem illum baiulum. Sunt qui suspicentur, Iudæos illos, qui increpabant hominem sanatum, adfuisse miraculo: sed hæc sententia incongrua est, & erroris arguitur ipso textu historiæ; siquidem paralytico respondente se habere in mandatis à Medico suo, vt subiret onus grabati sui, Iudæi statim, vt absentes & nescij huius ostenti, illico subiecerunt: *Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Quæ interrogatio absurda foret, si esset hominum, qui adstitissent quando Christus hoc præcepit. Nota primò, Iudæos innocenter imò laudabiliter increpasse hominem hunc baiulum, quia reuera quidpiam iniurium sabbato perpetrabat; ideoque vrgente zelo fuisse sciscitatos argumentum rei insolitæ: quippe ad eos pertinebat occurrere scandalis & peccatis in legem. Sed vbi audiere, hominem illum fuisse de repente sanum ad imperium alterius hominis, non hæserunt in notitia Medici, sed certo certius hunc esse Dominum Iesum cogitarunt. Cùm audis Iudæos simpliciter, intellige proceres eorum, scilicet Scribas & Pharisæos, in quorum vitia præcipuè Christus Dominus declamabat.

Iudæi quare infensi fuere Christo.

Iudæorum zelus laudabilis.

Iudæorum zelus in liuorem mutatus.

Vt ergo eis constitit esse Christum qui hoc insigne miraculum ediderat, & adiecerat imperium de hoc onere baiulando, illi in increpatione sua tacuerunt prodigium subolens diuinitatem Christi, & recensuere tantùm præceptum de grabato in domum vetito tempore referendo, sic prætereuntes gloriam Christi, vt genio suo anhelo in cædes acriùs indulgerent. Hunc eorum liuidum animum pungit Ioannes hoc spiculo: *Propterea persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant eum interficere, quia hæc faciebat in Sabbatho.* Quia suum odium in Christum zelo sabbati prætexebant, Ioannes allegat causam, quam illi populis ingerebant, cùm in Christum debacchantes aiebant, illum non esse à Deo qui sabbatum non custodit. Eorum inuidiæ & odii lethale virus enituit, cùm vt furerent in Christum, voluere etiam hominem innoxium iræ suæ nexibus irretire, detrectantes meditari Deum in illo miraculo, vt nocendi Christo locuples caperent argu

Ioan. 5.

Iudæorum animus iniquus in Christum.

Cyrillus in Ioan. 5.

argumentum. Sic speculatur hîc Cyrillus: *Inexplebili cædis cupiditate ardet Iudæorum animus. Indagant eum, qui ægrum iussit ambulare, statuentes ipsum vnà cum eo, qui mirabiliter sanatus fuerat eos irretire.*

Paralyticus quàm altè de Christo senserit.

Nota gratiæ Dei effectum singularem. Paralyticus ille factus alacrior, & restitutus in integrum, sciebat se tollendo suum grabatum die sabbati fore obnoxium censuræ Iudæorum, vt qui violaret legem sabbati: hoc tamen non obstitit, quin morem gereret Christo, credens eum esse Dominum etiam sabbati, ad cuius arbitrium fiebant extincta quasi corpora rediuiua. Vnde Iudæis obiurgantibus Christum, qui hoc pensum indixerat, ille baiulus causam egit Christi, dicens eum, qui ad arbitrium suum corpora recreabat, imperasse, vt nihil remorante die sabbati, grabatum suum illico baiularet.

Paralyticus agit causam Christi.

Et huic profectò deberi obsequium, quandoquidem morem gerebant ei etiam morbi diuturni. Non ambigo responsum illud fuisse negotium gratiæ illius, quæ recens influxerat.

Cyrill. in c. 5. Ioan.

Hominis huius animum benè affectum erga Christum demiratur Cyrillus ille Alexandrinus, iam laudatus: *Sapientissimam* (inquit) *hæc verba sententiam pariunt, qua Iudæorum peruersitas exploditur.*

Gratiæ Dei cita & præsēs est operatio.

Cum enim dicant non licere in Sabbato, sublato grabato in domum proficisci, præuaricationis crimen ei qui sanatus fuerat intentantes, necessario his acriorem defensionem apponit, dicens, ab illo se ambulandi mandatum accepisse, à quo etiam sanitatem accepit, & istiusmodi quiddam tantum non ait: Summam auctoritatem, qua sabbatum coli aut violari iubeat in eo esse dico, cui tanta vis inest atque gratia, vt meum morbum abegerit. Nam si ea laus à quouis aliena est, virtutique ac potestati diuinæ conuenit, quomodo ea excidet, inquit, qui operatur isthæc? aut quomodo non & accepta Deo consulet, qui diuina potestate præditus est?

Paralyticus ostendit quàm præsentes sint gratiæ effectus.

Huius hominis constantiam atque obedientiam præstitam Christo demiratur etiam Euthymius. Ego nihil insolitum hic stupeo: quippe scio quàm cita sit gratiæ operatio, Deo ita suos possessores deuinciens, vt non curent ea quæ pertinent ad homines.

Euthymius c. 7. sui commentarij in Ioan.

Sic Euthymius: *Simul & audiuit & sanitatem sentiens erectus est: itaque nullius habita ratione, tulit lectum suum & ambulabat. Vide libertatem: neque enim solum non obediuit illis, sed & beneficij auctorem prædicauit, ac omnibus præstantiorem demonstrauit dicens: Ipse mihi dixit, ipsi obediui: siquidem eum qui saluum me fecit, maiorem cunctis ducere decreui.* Nesciebat homo ille Iesum, esto fama increbrescente resciuisset eum. Sed quia non nouerat ex facie, & Christus declinarat inde, docens nos suo exemplo fugere applausum hominum; ille velut libertus eductus ex seruitute importuna morbi diuturni, patroni sui beneficium pro modulo suo prædicat & extollit.

Iudæorum inuidia in Christū qualis fuerit.

Iudæi verò liuoris œstro perciti, non inquirunt quis sit ille prodigiorum auctor mirificus, ne sic eum mirabilem populis insinuent; sed ementito pietati zelo furentes, vrgent hominem illum, vt accuset eum, qui iniurius sabbato præceperat, vt grabatum suum toto spectante populo baiularet. Vnde quòd siluere miraculum, fuit inuidiæ; quòd verò recensuere datum mandatum de onere subeundo humeris die sabbati, hoc fuit propositum necis inferendæ Christo, cùm tempus caderet opportunum.

Rupert. in Ioan. 5.

Hoc ante me aduertit Rupertus ita meditatus: *Vide nunc in primis aduersarios Christi quam insipientes in ipsa sua interrogatione sint, [illegible] iniqui. Ille homo qui sanus effectus fuerat, & de tam longæua infirmitate repente tam perfectè conualuerat, vt grabatum suum valentibus humeris, & collo irreflexo portaret, bimembrem illis responsionem reddiderat, dicens: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit. Tolle grabatum tuum, & ambula. At illi partem vnam vel membrum ab auditu suo excluserunt, hæc scilicet qui me sanum fecit: Aliam vero partem, id est: ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula, protinus ex ore eius rapientes, linguarum suarum sagittis confodiendum pro signo sibi posuerunt. Non enim dixerunt: Quis est, qui te sanum fecit? sed dixerunt: Quis est ille, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum [illegible] ambula? Illud quippe manifestum tantæ virtutis beneficium, dissparere mallent, vtpote laudis & gloriæ eius causam vel materiam non leuem: hoc autem sciri, hoc audiri, vel publicari idcirco studebant, quia videbatur, quod quasi legitima accusatione in calumniam trahere possent.*

Inuidia virtutes aliorū silet, vt dubias actiones vitij alicuius insimulet.

Tota illa tragœdia strepitum fecit innoxium homini baiulo grabati sui, quem Deus subtraxit furori Iudæorum. Vnde & is compositus in meliorem frugem cœpit frequentare templum, vt illic congruas Deo rependeret grates pro fœnore beneficij accepti. Christus templo allectus illic clientem suum reperit, vtque sanitati consuleret, admonuit ne incautè ea cōmitteret, quæ fuerant in eo tanto tempore castigata. Christus hîc notauit, peccatū repetitum post influxum gratiæ esse grauius peccato iam remisso, ratione ingrati animi, qui se hinc maximè Deo iniurium præstat, quòd gratiam Dei flocci pendat, cuius intuitu tamen cautior esse debuit. Vnde vox illa Christi, *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, potest habere hunc sensum litteralem:

Peccatum post recuperatam gratiā nouā ingratitudinis notā animam inficit.

Aliàs peccato perpetrato malus extitisti; sed Deo miserante tua est tersa iniquitas: itaque caue à lapsu; repetita quippe vitia te peiorem efficient, quàm fueris à principio vnde tuus ille morbus sua incunabula cœpit. Nec tota mali labes animam iniquiorem afficit; sed & corpus, in quod pœna desæuiet grauior illâ, cuius discrimine saucius effectus antea laborasti. Et profectò deterior est corporis & animæ status post repudiatam gratiam quàm fuerit à principio, id est à momento illo, quo peccantes iram Dei prouocauimus.

Ex Linguis. Syriaca.

Syrus interpres hoc fuisse Christi intentum aperit, adiectis his vocibus: מן קדמיא *men Kodmoio*, id est, *quam à principio.* Ita vt sensus sit iste: Peccatum fuit principium seu scaturigo malorum, quæ in tot annos decoxere tuum corpus; si gratiæ acceptæ immemor extiteris, vt genio indulgeas, fies inde deterior, quàm fueris in exordio tuæ infirmitatis: siquidem illi piaculo adiicies crimen gratiæ meæ spretæ, & notam ingrati animi, beneficum suum Dominum turpiter abiurantis.

Peccatum grauiter afficit animas & corpora.

Cùm ergo Christus ait, non esse peccandum denuò post gratiam reducem, ne quid deterius contingat quàm à principio, malum illud potius animam respicit quàm corpus, vt & Græcus interpres subindicat.

Græca.

Μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τι σοὶ γένηται. Id est. *Ne amplius*

plius pecces, vt non tibi aliquid peius fiat. Quod namque Latinus interpres dixit, *deterius*, Græca

GRÆCA.

dialecticus habet, χεῖρόν τι, id est, *peius quid.* Vox autem, *peius*, respicit quid morale potiùs quàm physicum, ita vt grauius sit malum, quo anima peccans afficitur, quàm illud quo in corpora desæuitur.

Arbitror ego, Christum insinuasse, malum corporis huic homini instare grauius, si peccaret: corporis namque molestiæ, & spiritus anxij ærumnæ, aliæque omnes mulctæ homini inflictæ à Deo, semper ad trutinam criminis appenduntur: ideoque sensus literalis est, fore vt morte acerba plecteretur homo ille, si denuò in lethale crimen incurreret: etenim vtplurimum peccato vrgente Deum, nefarij homines morte vindice puniuntur. Ita Cyrillus. *Hinc porrò docet, non solùm in futurum iudicium peccatoribus Deum reseruare supplicia, sed in corporibus adhuc degentes etiam ante magnum & manifestum illum iudicij vniuersorum diem varijs modis punire. Quòd autem sæpe ferimur percutientes & offendentes Deum, testabitur porrò sapientissimus Paulus his verbis: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*

EX SS. PATRIBVS. Cyrill. in Ioan. 9.

Cor. 11.

Licet illa Christi oratio ad paralyticum pertineat, qui sanitatis suæ dispendio didicerat, quàm sit graue derelinquere Dominum: attamen hæc benè fusa parænesis porrigitur ad omnes homines, in duas classes vtique distributos. Boni nimirum habent quòd gestiant, & satagant excolere gratiam, cuius obsequio occurrunt flagellis Dei: homines verò nequam, inde debent sumere argumentum resipiscentiæ; nempe eruditi, Deum acriter inuehi in scelestos, si sapiunt consulent sibi, quantocyus recipientes sese in meliorem frugem. Eò vergit Euthymius. *Cùm (inquit) iam & miraculi rumor defecisset, & tumor Iudæorum, occurrit ei qui sanatus fuerat, volens animam quoque illius meliorem reddere, reperit eum non in otio & segnitie, sed in templo orantem, vt opinor, ac Deo gratias agentem, & admonet illum ne deinceps peccet, ostendens quod propter peccata ægrotabat. Minatur autem grauiùs puniendum, si peccauerit: docens eos qui post pœnam peccati rursus delinquunt, atrociùs puniendos tanquam insensatos ac contemptores, siue in præsenti vita, siue in futura, siue in vtraque, &c. Admonet eos quidem, qui nondum ægrotauerunt, vt timeant ne morbo corripiantur, & ita corrigantur: eos verò, qui iam morbo subiacuerunt, vt timeant ne deteriùs ægrotent, & deinceps cautius viuant. Quisque ergo nostrûm, si iam ægrotauit, dicat apud sese: Ecce sanus factus es, non pecces deinceps, ne quid deterius tibi contingat. Quod si nondum morbo detentus est, Apostolicum oraculum apud se decantet: Bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat; sed iuxta duritiam tuam, & cor impœnitens, iram tibi recondis.* Hæc ille, & literaliter, atque moraliter.

Euthymius c. 7. sui commentarij in Ioan.

Christus præscius rerũ omnium.

Rursus illa verba, *Iam noli amplius peccare,* ingessere animo paralytici fidem diuinitatis Christi, qui illa succincta correptione significauit illi homini se compertam habere seriem totam vitæ eius, & peruium habere finem, quem sortiturus erat, si denuò vitiis indulgeret. Fauet mihi Chrysostomus, isto suffragio meam fulciens coniecturam: *Neque sanando duntaxat corpus, aliunde etiam magnum præ se tulit Christus diuinitatis argumentum. Illa enim particula, Iam noli peccare, omnia ipsum vidisse indicat, quæ ille superiore tempore commisit, vnde in posterum sibi fidem comparauit.* Huic homini curato, tollere grabatum suum, & ambulare fuere leuia fidei rudimenta. Sed vbi valentior effectus est, & templi aditu vegetior, Christus eum potioris arcani participem fecit, & initiauit gratiæ mysteriis, admonendo eum, ne illâ excideret gratiâ, quam nuper acceperat, Deo cœlitus influente.

Chrysost. hom. 37. in Ioan.

SENSVS LITERALIS.

Qualibus obsequiis paralyticus testatus sit animum suum benè affectum erga Christum Dominum.

In hæc verba:

Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

§. VI.

CONIECTVRA, EX RATIONE, ET LINGVIS, ET EX SS. PATRIBVS.

VT scintillulæ emicantes produnt ignem abditum; ita & egregia quæque facinora produnt gratiam Dei, siquando influxit in animam arduis illis actibus assuetam. Cùm enim operari sequatur esse; anima dignata Dei gratiâ, & sic nacta nouum esse, congruas etiam actiones edit illi statui, ad quem euecta est, singulari dignatione Dei illi cœlitus aspirante. In eo argumento vadem sisto paralyticum; is nempe iacuit quandiu dissolutæ compages artuum reddidere corpus hoc effœtum: sed vbi Deo miserante redux ei sanitas affulsit, non vt antea decubuit fractus inertiâ, sed vegetos spiritus induens, se accinxit ad opera consona beatæ sorti, quam ei Christus opportunus Medicus erogauit. Ille nimirum anhelus in obsequium Dei frequens adstitit templo, vacans orationi, rependendo grates Deo ob beneficium nuper acceptum, & ne ingrati animi notam contraheret, lustrata vrbe tota prædicauit Christum: quodque omnium summa fuit, ille seipso melior effectus est, adiecto sibi virtutum omnium incremento.

Gratia Dei se strenuis actibus prodit.

Paralytici mira mutatio.

Fortè eò allusit Syrus interpres, ita fatus: ואזל הו גברא veezal hau gabro. Id est. *Profectus est vir ille generosus.* Græcus interpres non assecutus est lepôrem illum. Ἀπῆλθεν ὁ ἄνθρωπος. Id est. *Abiit ille homo.* Vox, אזל *azal*, Hebræis, Syris, & Chaldæis est communis, & perinde est ac, *proficisci*, seu, *ambulare.* Ambulare autem in Scriptura sacra quandoque sonat idem, ac proficere in alea virtutis. In eo sensu verbum, *ambulo*, vsurpatur à Deo, sic hortante Abraham ad virtutis impigræ studium indefessum: *Ambula coram me & esto perfectus.* Eodem quo Abraham flamine perculsus homo iste sanus ambulauit sensu intento à Christo, cùm dixit illi: *Tolle grabatum tuum & ambula.* Hoc virtutis studium, cui se totum dedit, conciliauit illi nomen emphaticum, גברא *gabro*, potuisset adhibere Syrus vocem, אדם *adam*, vsitatissimam Hebræis ad significandum hominem: sed

EX LINGVIS. HEBRÆA. SYRIACA. CHALDÆA GRÆCA.

sed adhibuit dictionem deductam à radicali, גבר gebar, quæ significat, *roborare*; ita vt paralyticus ille infractum animi robur testatus sit in gratiam Christi, quando Iudæi obiurgantes eum fecere reum sabbati violati, ob grabatum die prohibito, toto spectante populo, baiulatum. Is constanter obiecit, potioris esse momenti obedire Christo, quàm legi, caputque suum intrepidè oppignerauit pro suæ vindice sanitatis: & esto nescierit nomen Christi; tamen expertus potestatem, qua valebat, plus dedit agnitæ eius virtuti, quàm legi Mosaicæ: & hoc recenseo vt actum non pubescentis modò virtutis, sed adultæ.

Paralyticus inuictum animi robur ostendit.

Hoc inuictum robur in paralytico demiratur Chrysostomus ita speculatus: *Id mirabile fuit, non quòd à principio non crederet Iudæi; sed quod post miraculum Christum persequerentur, calumniarentur, detestarentur, dicerent: Non licet tibi tollere grabatum tuum. Hic autem nihil eorum curaret insaniam, sed fidenter in medium, acceptum prædicaret beneficium, & impudentes compesceret: hoc profectò magnæ fortitudinis indicium est. Audi quid respondit: Qui me sanum fecit, is mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Tantùm non dicens eos deliros, & insanos, cùm præciperent ne eius, qui tam graui & diuturno morbo ipsum liberauerat, mandatis pareret, & magistrum sectaretur. At si malignius respondere voluisset, poterat non sponte sua, sed alterius iussu id facere: neque id suum, sed imperantis peccatum, & deposito lecto, acceptum occultare beneficium. Norat enim, non tam propter sabbati præuaricationem, quàm propter morbi curam Iudæos id reprehendere. Verùm neque beneficium siluit, neque deprecatus est; sed clara voce quid acceperit profitetur, & prædicat.* Ita Chrysostomus.

Ex SS. PATRIBVS. Chrysost. hom. 36. in Ioan.

Paralyticus maluit adhærere Christo, quàm Iudæis.

Si ergo gratulabundus homo præteriit nomen Iesu, de hac re postulatus, non fuit hoc liuoris, sed ignorantiæ nominis huius: quippe hactenus in lecto iacuerat, nec vltra viderat Christum, quem vt denuò aspexit in templo, & de eius dignitate certior effectus est, statim detulit ad Iudæos, arbitratus esse è re sua prodere nomen Medici sui benefici, vt inde omnes venerationis caperent argumentum. Cùm enim detulit nomen Christi, meminit tantùm miraculi, quo conciliare posset cultum Christo Domino deferendum, & & de industria reticuit imperium, quod ei indixerat de lectulo baiulando. Namque nuper aduerterat, Iudæos ex hoc præcepto ansam arripuisse liuoris & odij in Christum. Eius prudentiam in defendendo Christum recolit Ioannes hoc tenore: *Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Nulla hîc prorsus mentio Christi præcipientis vt tolleret grabatum suum, quia tunc ille dedisset argumentum suspicandi, se iniquo animo detulisse nomen Christi, vt sic proderet auctorem piaculi perpetrati in violato sabbato. Vnde quia solum recensuit beneficium acceptum; in palàm est, eum egisse suas partes, eas vtique, quæ decent hominem memorem gratiæ insignis acceptæ. Eamobrem nescio quomodo hallucinatus sit Maldonatus, qui versans illum textum Ioannis mox laudatum, ita commentatur: *Si spectemus, quo animo Iudæi illum priùs interrogauerint: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula: videbitur eodem ad eos animo detulisse, fuisse Christum.* Nescio sanè cui hoc videbitur nisi cæco, cui & lux ipsa meridiana tenebras ingerit, & opacum.

Paralyticus factus prædicator omnipotentiæ Christi.

Paralytici prudentia in deferendo nomine Iesu.

Maldonat. in c. 5. Ioan. versu 15.

Itaque tantùm abest, vt liuida Iudæorum aspergine sauciatus sit homo ille resonans nomen Iesu, quinimò in tesseram gratitudinis & amoris audacter professus est se deuinctum esse Domino Iesu, cuius beneficio sospes erat. Ergo hanc vltimam gratiam potiorem censeo, ac proinde eam præfero sanitati acceptæ: satiùs namque est esse præconem & discipulum Christi, quàm vegeto corpore recreari. Nec inferioris notæ virtutis est specimen, hominem de fæce populi conuenire Scribas & Pharisæos, præcipua capita Iudæorum, & coram agere encomiasten Christi, quem mox audierat à Iudæis peti conuiciis. Hoc profectò fuit donum eius, qui compages artuum restituens in integrum, dignatus est etiam animam præcipuis illis dotibus gratiarum, quas ipse Deus voluit sacro Codice recenseri. Huius hominis, spirantis obsequium Christi, Patres caussam agunt, vt patroni hominis, cuius quidam imperiti interpretes dubiam fecere fidem, quasi traduxerit Christum eo animo iniquo, vt sic sibi conciliaret gratiam Iudæorum. Sic Cyrillus: *Iudæis indicat Iesum, non vt mali quippiam in ipsum machinari audentes impij esse deprehenderentur, sed vt admirabilem istum medicum agnoscerent, si quis etiam eorum curari vellet.* Easdem etiam vices egit Chrysostomus Cyrillo superior.

Paralyticus tentauit Iudæos inducere in amorem Domini Iesu.

Paralyticus quo animo detulit nomen Iesu Scribis & Pharisæis.

Sanctus ille, aliàs pupillorum pater & patronus, incurrit in commentarios, qui carpebant hominem istum velut immemorem gratiarum Dei, arbitrantes illum abdicato obsequio Christi transiisse ad partes Scribarum, & Pharisæorum, quibus aperuit nomen Iesu de quo priùs solliciti vrgebant hominem, vt traduceret consultorem violati sabbati. Hos scholiastas calculo nigro notat Chrysostomus, & hoc sibi animo pensum indixit, vt vindicem agat innocentiæ paralytici, cuius sic se præbuit assertorem: *Intuere hominem in pietate perseuerantem: non dixit, Iesum præcepisse, vt grabatum tolleret, & cùm illi creditum semper crimen adducerent, hic semper excusationem, & Medicum profitetur & prædicat, vt populum ad eius cognitionem & familiaritatem alliciat: non enim tam stupidus erat, neque tam inhumanus, vt tanti beneficij oblitus, & admonitionis, benefactorem proderet, ac maleuolo id animo loqueretur. Beneficium namque & metus facilè vel inhumanissimum poterant cohibere: nam cùm manifeste minas accepisset, timuit sanè peiora, & maximè cùm minantis potestatem esset expertus. Ad hæc si accusandi gratiâ id dixisset, non sanitatem sed mandati transgressionem meminisset: sed profectò magno & fideli animo Medicum & acceptum beneficium professus est.*

Chrysost. hom. 37. in Ioan. Paralytici zelus pro Christo.

Vtinam tot sequaces in gratitudine
sua paralyticus habeat, quot
conscios numerare potest
criminis antea
perpetrati.

MORALIS

MORALIS EXPOSITIO EVANGELII, PROXIME LITERALITER EXPENSI.

EVANGELIVM

Sectum in tot numeros, quot ſunt textus diſcußi moraliter.

Ioan. 5. I. ERAT dies feſtus Iudæorum, & aſcendit IESVS Ieroſolymam. Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

II. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in Piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

III. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat, &c.

IV. Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es; iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

SENSVS MORALIS

Textuum, quos ſinguli numeri diſtinxerunt.

I. DÆMON acerbus hominum hoſtis, & nihil niſi perniciem animarum ſpirans, omnem mouet lapidem, vt hominem circumueniat. Callidus ille draco in tot ſe gyros intorquet, vt tandem ſuis volumlis implicet homines imprudentes. Sic enim præludit illecebris, vt earum aſpergine delinitus homo bibat ſicut aquam iniquitatem, quæ quinque aditus in cor habet, id eſt, quinque ſenſus; quibus vt foribus ſeſe voluptas in animam inſinuat. Illi malæ labi gliſcenti Deus occurrit inſtituens pœnitentiam, quæ eſt inſtar piſcinæ ſalutaris, cuius quinque fores ſunt quinque plagæ Chriſti.

II. Piſcinæ huius aquis immergimur præuia motione Angeli cuſtodis. Ille nimirum beatus ſpiritus arcanis motibus animum ſollicitat ad pœnitentiam, ſuoque ſic præſidio, multùm confert ad ſalutem animæ procurandam.

III. Quam etiam Deus impertit hominibus corpora vexando variis anguſtiis, dummodo in ærumnis homo animæquior factus, ſeſe patienter habeat. Quippe patientiæ tantùm obſequio, moleſtiæ quæque ſalutares fiunt: & alioquin fruſtra gemit impatiens anima. Quiſquis itaque volet recolere tempus benè impenſum, is omnia momenta vitæ ſuæ appendat ad trutinam patientiæ: illa ſiquidem gratiâ Dei comite moleſtiis noſtris affingit magna pondera meritorum: Tantùmque annorum habet homo in æſtimatione Dei, quantùm temporis patienter egit in aduerſis.

IV. Ne autem merito congregato cadat anima, cui Deus eam affligendo conſuluit, in illam influens; omnem ſuam debet adhibere induſtriam ne peccata refricet, quibus iram Dei antea prouocauit. Vt nempe recidiua lethalis eſt plerumque conualeſcentibus: ita & vitia repetita poſt reducem gratiam, grauiora inducunt diſcrimina, fitque deterior anima denuò peccans, quàm fuerit primo crimine perpetrato.

* * *

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Dæmon traducit animas per quinque sensuum portas, vt eas immergat voluptatum aquis vbi eas infatuat. Deus huic malo occurrit beneficio pœnitentiæ, quæ est piscina salutaris.

In hæc verba:

Est Ierosolymis piscina probatica, quinque porticus habens.

SECTIO PRIMA.

Ex Scientiarvm omnivm choro.

NE desudantes chartæ gemant sub onere superfluo, nolo hic refricare dicta fusè secundo Tomo istius Encyclopædiæ, vbi in homiliis Quadragesimæ, ex professo texui homiliam, cuius argumentum est titulus sectionis istius, quem abundè probo consultis omnium scientiarum oraculis. Itaque vide homiliam Feriæ sextæ Dominicæ primæ Quadragesimæ, ibi fies voti compos.

SENSVS MORALIS.

Anima morem gerens motioni Angelorum, vt par est se accingit ad gratiam reducem quæ exciderat:

In hæc verba:

Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

SECTIO SECVNDA.

Scientiarvm omnivm flosculis polymita.

Angelorum beneficio anima percellitur.

RVpertus appositè dixit, animam sapientis esse cœlum, quia suos statutos habet motus, & sidera coruscantia. Adiicio ego, concordare cœlos & animas sapientum, quòd in his Angelorum motio vigeat indefessa; concinnis quippe periodis & choreis agitur anima, quæ ad arbitrium Angelorum gyrat: quodque bonorum omnium summa est, anima procul est à deuiandi periculo, quæ duntaxat Angelorum motione percellitur. Quàm autem salutares, & cuius generis sint illi Angelorum motus, fusè ostendo secundo Tomo istius Encyclopædiæ, vbi in tractatu de Angelis sectiones ex professo contexui, vbi selectis omnium scientiarum flosculis cunctæ floris omnigeni spirant fragrantiam. Illius igitur hortuli areolas lustra, & in argumento motionis Angelorum decerpe tibi flores, qui quàm maximè tuis sensibus arridebunt.

SENSVS MORALIS.

Patientia est gratiarum ferax, & virtutum custos.

In hæc verba:

Erat quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

SECTIO TERTIA.

Articvlvs Primvs.

Ex Philosophia, ex SS. Patribvs, et ex Historia.

Habitus, seu habere, quale sit prædicamentum.

VT temporis est natura fugax atque versatilis, vtpote mensurata gyris cœlorum; non leue negotium facessit illa phrasis, cuius sensum inuestigo: *Erat quidam homo ibi, triginta octo annos habens in infirmitate sua.* Habere volubiles annos perinde est, ac reuocare diem hesternam, quæ totaliter euanuit. Cùm itaque regressus impatiens sit æuum quod labitur, Euangelicus ille loquendi tropus reuocandus est ad moralem sensum, quia prætereuntes anni nullo carcere concluduntur. In hoc themate consulenda est Philosophia, vt obstetrix congrua moralium conceptuum. Disciplinæ huius eruditæ circumfertur hoc effatum; scilicet in homine, cui vestis adiacet, exurgere prædicamentum habitus, seu habere. Sic autem definitur illa categoria à Gilberto Porretano summo Philosopho: *Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia.* Vnde liquet, habitum esse modum resultantem in re vestita ex vestium circumpositione. Cui sententiæ subscribit Aristoteles, affirmans habitum esse actu medium inter habentem & rem habitam, sicut & actio media est inter causam & effectum: At actio est modus dissitus à causa & effectu: ergo & habitus, vt dicit adiacentiam rei vestientis hominem, aliquid innuit aliud ab homine, & re deforis adiecta. Sit hæc distinctio realis necne, nihil ad moralem Philosophiam pertinet: nempe satis est ad intentum meum demonstrare quanam industriâ possit anima dici habere tempus quod præteruolat.

Ex philosophia. *Gilbert. Porret. l. de sex principiis.*

Aristot. l. 5. Metaph. c. 27.

Habitus dicit passionem præuiam.

Patientiæ necessitas.

Vt huius arcani fiat liquida solutio, operæpretium est aduertere, prædicamentum habitus dicere passionem in subiecto, quod denominatur habere. Illud nimirum patitur, cui deforis aliquid adiicitur, & accidit: sicque præuia passione contrahitur prædicamentum habitus. Ita & in moralibus anima patiens accingit se ad habendum multa bona, quæ citra patientiæ præsidium nequeunt adiacere. Verbi gratiâ, Paulo assertore: *Virtus in infirmitate perficitur.* Vt ergo infirmitas salutariter adiaceat homini, illa necessarium patientiæ consortium quærit, alioquin infirmitas illa cassa protinus euanescet. Huius autem patientiæ specimen edit anima composita ad arbitrium Dei, assensum suum præbens iis omnibus aduersis, quæ cœlitus erogantur. Animæ sic effictæ ad nutum Dei, nihil omnino perit temporis, quo decumbit: siquidem illa lubens patitur omne acerbum, nec inuita mœret aspera sibi desuper infligi: vnde licet propero cursu fluat

2. Cor. 12.

tempus:

Patientia obſtat ne tempus inutiliter excidat hominibus.

tempus; nihil tamen eius excidit, quandiu patienter ærumnis corpora decoquuntur. Cùm ergo Ioannes ait, paralyticum, qui iacebat ad oram piſcinæ probaticæ, habuiſſe triginta octo annos in infirmitate ſua, ita velim intelligas moraliter, vt ſuſpicias patientiam inſignem in illo homine decumbente: quaſi diceret ille ſcriba ſacer, paralyticum ſingularis patientiæ dediſſe typum toto illo tempore, quo iacuit, ſicque effectum fuiſſe, vt triginta octo anni infirmitatis cederent in eius compendia luculenta.

Reproborũ anni non numerantur in Scriptura ſacra.

Meæ huic ſententiæ fauet pulchra moralis obſeruatio; videlicet Scripturam ſacram non texere ſeriem annorum hominum nequam. Nempe codex ſanctus non recolit numerum annorum Cain, Eſau, & aliorum, qui malè audiêrunt. At ſecus de viris probis eſt cura Deo, qui & numerum annorum quos vixere voluit recoli à Moyſe, quia viri nequam nihil omnino reſiduum habent de toto ſuo vitæ curriculo; ita bonis nihil præterit incaſſum, ſed patientiæ obſequio vtiliter eorum ſingula quæque tempora recoluntur. Conſonat & Pſaltes, dicens eorum eſſe dies plenos, qui conuertuntur ad Dominum: *Conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.* Vt contrà eorum qui à Deo defecere dies ſunt vacui, vt eorum perſonam agens Iob lugebat: *Ego* (inquit) *habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.* Hos dies inanes & vacuos excipiet æterna perditio: æquum enim eſt, eos malè diſperire, quibus vitio ſuo omnia tempora perierunt. Sic ille reprobos commemorat: *Inuoluta ſunt ſemita greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt.* Vbi verò res eſt de viro virtutis emeritæ, Scriptura ſacra meminit plenitudinem dierum, & ſalutem animæ illius. Ecce locum opportunum: *Fuerunt dies vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum, congregatuſque eſt ad populum ſuum.* Id eſt, adſcriptus eſt in numero Sanctorum, quibus adiectus eſt. Sectatus eſt illum loquendi tropum Iacob, quando interrogatus à Pharaone de ſerie ætatis ſuæ, ſic reſpondit: *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum ſunt, parui, & mali.* Non auſus eſt dicere dies ſuos plenos, & magnos, præualente in eo humilitate, cui inolitum eſt ſuam ſemper ſupellectilem flocci pendere.

Pſalm. 72.

Iob. 7. Reproborũ anni ſunt vacui.

Iob. 8. Iuſtorum anni quare recoluntur in Scriptura.

Geneſ. 25.

Geneſ. 47.

Puer centum annorũ quis ſit.

Prædicator hîc habes locuples argumentum excurrendi per omnes hominum ſortes, ſciſcitãdo ab eis, quot vixerint annos. Dic audacter, reprobos omnes etſi annoſos, & prolixa canitie venerabiles hominibus, non habere diem vnum reſiduum ex tot annis, quia eos omnes ſubtraxere Deo, vt illos ſæculo deuouerent. Imò neque teipſum deſeras, ô præco verbi Dei; ſed ſiſte te tibi, & ſeriò inueſtiga, quot dies recenſere queas probatæ vitæ. Proculdubio deprehendes, dies ferè omnes eſſe malos, & paruos, quia non compoſuiſti vitam tuam vt decebat. Vnde ſi longæuus aliquando cedas fatis, hoc tuum erit congruum epitaphium. HIC IACET PVER CENTVM ANNORVM. Is nempe puer eſt, qui velut impos rationis, percitus illecebris ſenſuum, totum ſe vitio mancipauit. Huius anima eſt puerilis, nullo annorum tractu enutrita, quæ & fluxit cum annorum lapſu. Et eſto vita hominum ærumnis ſit pluribus obnoxia, deliri homines nihil omnino commodi referentes ex moleſtiis quæ ingruunt, hoc efficere tantùm, vt nihil prorſus effecerint: namque munus eſt patientiæ præſtare, vt fruſtra reſtantibus vndequaque moleſtiis, ſarta tectaque anima conſeruetur. Etenim ingruentibus malis, & dirè afficientibus animam, ſi ea patienter onus illud ſubeat, non perperam effluet cum pernice annorum fluxu, ſed illum homo patiens meritis fœtam, & plenam gratiâ poſſidebit.

Patientia eſt animarum optima conſeruatrix.

Adhibitâ hac patientiæ induſtriâ poſſideri animas ſæuiente tentationum æſtu, Chriſtus aſſerit, ita cauens hominibus, ſiquando furentibus æmulis, rebus aſperis vrgerentur. Ecce oraculum Chriſti conſulentis imbecillæ hominum indoli: *Trademini a parentibus, & fratribus, & cognatis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quaſi diceret: Non eſt arbitrij veſtri declinare procellas malorum, quæ imminent orbi; ſed penes vos eſt id præſtare, ſcilicet vt meâ comite gratiâ, æquo animo ſubmittatis colla iugo: ſiquidem tunc patienter habitæ illæ moleſtiæ referentur in cenſus veſtros, vtpote dignatæ magno pondere meritorum. Hac diſciplina fideles naſcentis Eccleſiæ Paulus initiauit, eos ſic compellans: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtra, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret; aduerſa omnia, quæ lancinant homines, eatenus proficere ad gloriam, quatenus ad æquam patientiæ trutinam appenduntur.

Luc. 21.

2. Cor. 4.

Patientia eſt pondus ad quod gloria æterna appenditur.

Vtque redeat eò vnde fluxit oratio, Chriſtus dicens in patientia poſſideri animas vrgentibus hominum anguſtiis, & Paulus concinens Domino ſuo præcentori, affirmans beneficio patientiæ appendi gloriam; ambo dixere, animam non cenſeri in prædicamento habere, ſeu habitus glorioſi, niſi mediante patientia, qua fit vt animi non vacui ſint, ſed vt pleni gratia turgeant, & meritis imprægnentur. Non eſt prætereundus in hoc themate Gregorius; nempe lucem affert multam meæ ſententiæ ſic diſcurrens: *Idcirco poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium cuſtoſque virtutum patientia eſt. Per patientiam verò poſſidemus animas noſtras, quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quod ſumus, &c. Quanto culmine virtus patientiæ polleat, Salomon indicat, dicens: Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Minor eſt ergo victoria, vrbes expugnare, quia extra ſunt quæ vincuntur. Maius autem eſt, quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimet ſubiicit, quando cum patientia in humilitate tolerantiæ ſternit, &c. Et nos ſine ferro Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter cuſtodimus.*

Ex SS. PATRIBVS. Greg. hom. 35. in Euang.

Patientiæ mira fortitudo.

Gregorius hoc contextu annuit illi morali Philoſophiæ, quæ profitetur, animam nihil habere ex malis, quibus afficitur, ſi patientiæ neſcia patiatur iniquo animo ſpicula, quæ in nos quandoque cœlitus intorquentur. Vt noſtro diſcrimini occurrat ille Antiſtes, facilem nobis viam ſternit ad patientiam comparandam: *Tribus* (inquit) *modis virtus patientiæ exerceri ſolet. Alia namque ſunt*

Patientia quot modis exerceatur.

Gregor. vbi ſuprà.

sunt qua à Deo, alia qua ab antiquo aduersario, alia qua à proximo sustinemus. A proximo persecutiones, damna, contumelias; ab antiquo hoste tentamenta; à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem mali, vel consensum delicti, ne contra flagella opificis ad excessum corruat murmurationis. Perfectè enim aduersarius vincitur, quando mens nostra & inter tentamenta ad delectationem & consensum non trahitur, & inter contumelias proximi custoditur ab odio, & inter flagella Dei compescitur a murmuratione. Et hunc pro labore patientia bona sperantes sequentis vitæ audiamus: Non in finem oblitio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Quasi enim periisse patientia pauperum cernitur, cùm nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed patientia pauperum in finem non peribit, quia tunc eius gloria percipitur, cũ simul omnia laboriosa terminantur.

Patientia facit vt nihil humilibus pereat.

Patientia necessaria est in oratione.

Huius patientiæ locuples commodum accepit homo ille paralyticus, qui triginta & octo annis eruditus in hac palæstra, meruit habere consolatorem Christum, qui restitutà ei integrâ sanitate consuluit corpori simul & animæ, affatim remunerans, patientiam tanto tempore comprobatam. Chrysostomus inde sumit ansam sugillandi hominum ingenium inquies: rarus enim est, qui æquo animo sustineat vota sua non quantocyus exaudiri. Hinc decurtatæ preces, imò sæpius obmissum studium orationis, veluti inutile negotium, in quo credimus oleum & operam perdidisse. Ecce censuram viri sancti: *Pudeat nos, dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram deploremus: octo & triginta annos hic expectauerat, expectabatque, neque impletum est eius desiderium, neque negligentià suà non sanabatur, sed præuentus ab aliis, neque propterea desperauit: nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, tam tepescimus: hominibus vero quàm diligentissimum exhibemus ministerium, in militia, in difficultatibus seruientes, & tandem frequenter omnem spem amittimus; Dominum autem nostrum, vbi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior, debito studio & diligentia prosequi non patimur: & quonam hoc supplicio dignum? nam si nihil accepturi essemus, ipsius tamen frequens consuetudo nonne nobis innumera bona attulisset? Sed laboriosa est assidua oratio? & quid non laboriosum, quod à virtute proficiscatur?*

Chrys. hom. 35. in Ioan.

Patientiam deposcit praxis cuiusque virtutis.

Chrysostomus hoc contextu longanimem orationem Paralytici commendat, & proponit vt ideam orationis idoneæ ad flectendum Deum. Ego liberalior ero, & hominem illum designabo vt exemplar virtutis arduæ, & probatæ triginta annorum curriculo, quod spatium est palæstra spatiosa satis superque, vt ea strenuos quosque pugiles exerceat. Non est itaque recolenda virtus Paralytici in ordine ad orationem tantùm, cui minimè defuit, esto Deus anhela eius vota non sit dignatus obsequio, cui litabant: sed præcipuè est suspicienda patientia eius, morbo protracto in longos annos minimè fatigata. Ad hanc vos virtutem sollicito, ô mortales, quam Paulus primogenitam charitatis fecit, dum charitatis encomia commemorans, dixit charitatem esse patientem. Quod Chrysostomus accuratè perpendens, ita se effundit: *Vide vnde primum omnium exordiatur, & cui in istis laudibus summas transcribat, quid istud est: patientia omnium bonorum causa, vniuersæ Philosophiæ radix. Vnde non abs re Salomon dixit: Multa prudentia vir tolerans est, inquit, intolerans validus stultitia, & ciuitati conferens munita, hanc illa tutiorem esse dicit. Est enim scutum inexpugnabile, turris firma, mala omnia repellens, & vt in abyssum maris scintilla delata, huic quidem nil obest, ipsa extinguitur: sic animum tolerantem quidquid incidere maximarum etiam rerum potest, facilè absumitur ipsum, ille conturbabitur prorsus nihil, quando rebus omnibus solidior est patientia. Hic velut in portu sedens, summa semper fruitur tranquillitate. Iniice mulctam, nihil hanc petram mouebis: contumelia pete, nondum turrim concussisti: plagas incute, nihil dum adamantem illum perterruisti: longanimus enim idcirco vocatur, quia longum & ingentem animum habet.*

Patientia est charitas primogenita.

Chrys. hom. 33. in 1. ad Corinth.

Omnis hæc contextura versuum Sanctorum Patrum clamat, patientiam esse modum illum, quo medio dicitur anima habere, seu quod perinde est, mediante patientia nihil penitus excidit animæ eorum omnium, quæ sors iniqua ei infligit: sed inde ditior anima fit, in sua referens compendia, quidquid aliis hominibus est durum & acerbum pati: vt secus omnes molestiæ illatæ homini nescio patientiæ, merito cadunt, imò ipsum martyrium, si patientiæ deliquium patitur, est expers gloriæ, quæ æterna manet eos, qui æquo animo agones suos fortiter exantlarunt. Inde argumentum sumpsit olim Antonius Episcopus vir famosus æuo Theodosij iunioris. Is inquam ex præfatis hactenus accepit thema epistolæ, quam direxit ad Arcadium virum prænobilem, qui post perpessa dira supplicia in persecutione Vvandalica, Genserico Rege immanes edente strages, tædio pœnatum fractus, hoc Christianos metu affecerat, ne nutante fide transiret ad Ecclesiæ desertores. Vt dubiam Antoninus audiit Arcadij sortem, industriè iacentem erexit animum eius, admonendo fore irritos agones omnes, quibus superior hactenus extiterat, si in media palæstra deficeret, & vna duntaxat patientia effectum iri, vt meteret aliquando gestiens vberes manipulos ærumnarum, quas Dei causa subierat.

Patientia hominem infractum facit.

Ex Historia.

Tom. 1. Bibliotheca Patrum columm. 455. Antonini Episcopi industria vt Arcadium Martyrem confirmaret in patientiâ tormentorum.

Ecce seriem epistolæ dictatæ ab illo optimo consultore: *Perge fidelis anima, perge, & confessor vnitatis gaude, quia pro nomine Christi pati meruisti. Ecce serpens sub pedibus tuis iacet; confligere potuit, sed cecidit; quia te elidere non potuit. Preme caput eius, ne surgat in agone martyrij. Ecce gaudet Christus, & inspicit te, lætantur Angeli, & adiuuant te: turba dæmonum calcaneum obseruat; rogo te tene quod tenes, ne alter accipiat coronam tuam. Quantùm temporis est, quo pugnaturus eris, & quantùm temporis erit, quo in æternum victurus eris. Deus qui te fecit, vult suscipere pro fide morientem, vt tibi plenam exhibeat maiestatem. Respice mundum, periturus est: respice Sanctos, quos rogare solebas vt patronos, habebis amicos: modò est vt viuas, aut pereas: quid tibi prodest, si diabolo consenseris, & corpus non amiseris: an nescis, quia vita corporis tui in potestate est*

Patientiæ in Martyrio conciliandæ valida argumenta.

est Dei tui, qui tibi confestim auferre potest carnem, si dereliqueris fidem. Cùm ait: *Tene quod tenes.* Idem prorsus ingerit animo, ac patiens esto, ne te deficiente patientia, cadas merito verberum, quæ lacero corpore subiisti.

SENSVS MORALIS.

Anima tentata molestiis, patientia redditur illustrior.

In hæc verba:

Erat quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Symbolis, Ex SS. Patribvs, Et Ex Antiqvitate.

Hominem erudiunt creaturæ omnes sensibiles.

VT creaturæ omnes sensibus obuiæ famulantur homini, vtpote in gratiam eius editæ; ita & omnes sunt sonoræ, monentque hominem, vt fiat eruditior aspecta indole rerum, quæ ipsius oculis obuersantur. Verbi gratiâ, dum chalybs saxo illiditur, non petra gemit sed scintillat, suggerens sic animæ cautæ, qualiter habere se debeat in aduersis. Illa nimirum speculans lapidem attritu splendescere, & quasi parturire igniculos, æmulabitur hoc lapidis ingenium, & propositum istud concipiet, videlicet ingruentibus angustiis patienter se habere, occurrendo illis alacriter, & sic patientiæ praxi impigra aliis illucendo. Erit instar obstetricis huius conceptus, symbolum illud prostans in theatro Ferri. Vir ille peritus rei symbolicæ pingit petram incendiariam chalybis ictibus ignes euomentem, hoc titulo desuper apposito. PERCVSSA MICABO. In hunc se habitum componet anima sibi cauens, ne frangatur acerbis quandoque casibus, quibus est obnoxia vitæ hominum misera contextura. Hoc se vrgebit symbolo aliqua ingruente procella. PERCVSSA MICABO. Animo suo voluet, angustias perpolire animas, quæ se aptant vt par est ad patientiam. Hoc igitur tibi symbolum insideat, ô anima Christiana, hoc nempe vigente fies illibata licet impetita duris: imò & dirè PERCVSSA MICABIS.

Patientiæ symbolum egregium. Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part.2. Theatri symbolorum.* Patientiæ suffragio fit anima præfulgida & scintillans.

Patientia Iob commēdatur. Ex SS. Patribvs. *Chrys. hom. 4. de patientia Iob.*

Iob suo exemplo anteuertit huius symboli veritatem: siquidem percussus emicuit, patientiæ insignis spargens igniculos, qui illuxerunt nobis, & in sacro Codice scintillarunt. Patientiæ eius prodigium stupet Chrysostomus, hoc contextu: *Iob extra ciuitatem sedet in stercore, & expectat suscitantem de terra inopem, de stercore erigentem pauperem. Videbat proprium corpus labens, animam verò stabilitam. Videbat corpus vermibus ebulliens, animam verò pietatem parturire: videbat corruptum terreum vas, atque ante Paulum recordatus est verborum Pauli: licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Testa quidem ebulliebat; hostis verò patientiâ frangebatur. Decuit ipsum dicere habentem testam: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.*

Ex Antiqvitate

Virtutis arduæ specimen peti magis ex patientia, quàm ex actione, liquet præclaro veteri monumento. Nempe fuit ille vetus Atheniensium ritus, vt statuæ victorum in Olympia pingerentur habitu hominis patientis, & non aliquam plagam fortiter infligentis. Quippe auctore Probo Æmylio, cùm Athenis ex Olympia quispiam victor renuntiatus erat, patria gestiens huic ponebat statuam, delineans Olympionicam, qui depresso genu, & scuto obtento, hostis impetum expectabat. Ratio picturæ petita fuit à Duce experto, cui nomen Chabrias. Hic congressurus cum Spartanis famosissimis orbe toto militibus, suos docuit vt irruentem hostem fortissimum genu flexo, & scuto obiecto fortiter exciperent, vt hac patientia fractus ille prior impetus, illæsos seruaret commilitones; qui postea suas agentes vices, in æmulos insurgentes, eos magna strage edita prostrauerunt.

PLVRIVM NATIONVM. Athenienses quo habitu fingerent statuas athletarum victorum. *Probus Æmilius in vita Chabriæ.*

Penes patientiam gloriæ summam reposuit Respublica Spartanorum, vbi prima rudimenta virtutis emeritæ petita sunt à patientia probata flagris quandoque ad necem, & id in delubro Dianæ Orthiæ, vt Plutarchus ait. Philostratus Dianam hanc Scythicam vocat. Meminere moris huius etiam Pausanias & Cicero. Quodque fidem humanam superat, pueri etiam impuberes alacriter hæc examina verberum rigida subierunt. Nonne & athletæ apud omnes ferè Gētes habiti in honore, credidere decus, constanter ictus inflictos excipere aperto pectore. Ad quod institutum quasi alludens Iob, quando inspirante Deo agnouit se peti à dæmone ad luctam, scidit vestimenta sua, vt nudus occurreret hosti, plagas eius fortiter excepturus.

Plutarch. in Lycurgo. *Philostr. in vita Apoll. lib.6. cap.10. Pausan. l.3. Cic lib.2. Tusc.* Spartanorū ritus erudiēs pueros ad patientiam. Patientiæ editurus specimina Iob quare sua scidit vestimenta.

In eo themate ludit Origenes, & ipse delibans plurium nationum vetera monumenta. Sic ille: *Cur conscidit Iob vestimenta sua? Conscidit ob hoc vt expeditior esset, atque constantior in prælio, vt illa quæ retardant deponeret, vt illa quæ impediunt à se proiiceret, vt tamquam audacissimus preliator, aduersus inæstimabiles aduersarios singulariter immobilis perstitisset. Ob hoc ergo conscidit vestimenta sua. Nam & verè talis mos est in aliquibus Gentibus, vt cùm ad durum prælium venerint, tunc nimirum scindentes vestimenta sua, cum furore atque indignatione currant contra aduersarios intemperanter nudo pectore cum fiducia sé offerentes: vt est Syrorum gens. Item verò aliæ barbaræ gentes expoliantes se, atque in ipsis tunicis se præcingentes nudo pectore, atque scapulati, viriliter eunt in prælium. Hic itaque admirabilis Iob, conscindens vestimenta sua, atque omnia deponens impedimenta, nudus atque audax stetit in spirituale prælium. Aut adhuc conscidit vestimenta sua, sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas. Qui inquiens dorso nudo: Ecce corpus detectum: Vos flagellate; ego autem sufferam.*

Origenes l.1. in Iob. Syrorum ritus cùm eūt ad prælium.

Potuit profectò virilis hæc anima sumere sibi petram in symbolum, adiecta epigraphe supra inducta: PERCVSSA MICABO. Tanta est virtus illa patientiæ, vt & etiam de Deo rerum omnium Domino prædicetur. Ita Augustinus: *Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, vt etiam ipsius, qui nobis eam elargitur, quâ malos, vt corrigantur expectat, patientia prædicetur, eisque patiens sine vlla passione. Patientia hominis, quæ virtus est, ea perhibetur, quâ æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona desideramus, per quæ ad meliora perueniamus. Quapropter impatien*

Patientia de Deo prædicatur. Ex SS. Patribvs. Patiēs Deus sine passione. Patientia mouit pondus ærumnarum.

Augustin. lib. de patientia. *impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, vt à malis eruantur, sed vt mala grauiora patiantur. Patientes autem, qui malunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leuiora faciunt, quàm quæ per patientiam patiuntur, & peiora euadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona verò æterna & magna non perdunt, dum malis temporalibus breuibusque non cedunt.*

Patientia vsurpatur à scortantibus. Non parùm conducit ad comparandam patientiam, meditari plerosque homines vltro pati acerba, vt ad arbitrium suum luxurient, ac proinde satiùs esse patientiam adhibere ad virtutis obsequium, vnde bonorum omnium seges animum manet. In ea meditatione defixus Augustinus sic apposite fatur: *Cùm pro libidinibus, & sceleribus, pro ista temporali vita & salute multa homines horrenda mirabiliter sufferunt, satis nos admonent, quanta etiam sufferenda sint pro vita bona. Dominus ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Non ait, villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima, vt possideat, vnde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? Cùm ergo torquent alia mala, sed non extorquent opera mala; non solùm anima per patientiam possidetur, verùm etiam cùm per patientiam corpus ipsum ad tempus affligitur, vel amittitur, in æternam stabilitatem salutemque resumitur, & ei per dolorem, & mortem inuiolabilis sanitas & fœlix immortalitas comparatur. Vnde & Dominus Iesus ad patientiam exhortans Martyres aiebat: Et capillus de capite vestro non peribit. Et quoniam nemo vnquam, sicut Apostolus dicit, carnem suam odio habuit; magis homo fidelis per patientiam, quàm per impatientiam pro statu suæ carnis inuigilet, & futuræ incorruptionis inæstimabili lucro quantalibet eius præsentia damna compenset.*

Augustin. ibidem

Patientia quibus argumentis suadeatur.

Patientia bona facit æterna, mala momentanea.

Patientia circa quæ occupetur. Quid autem patientia in homine attendat, & circa quæ occupetur; animam solam nec ne, vel vtramque hominis partem exerceat, bellè idem explicat Augustinus. Ecce nodi solutionem vtique liquidam. *Augustin. ibidem.* *Quamuis patientia virtus sit animi; partim tamen ea vtitur animus in seipso, partim verò in corpore suo. In seipso vtitur patientiâ, quando illæso & intacto corpore aliquid quod non expediat, vel non deceat facere, aut dicere, quibuslibet aduersitatibus aut fœditatibus rerum, seu verborum stimulis incitatur, & patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid ore vel opere committat. Per hanc patientiam sustinemus etiam cùm corpore sani sumus, quod inter huius sæculi scandala beatitudo nostra differtur. Inde dictum est: Si quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Hactenus ille. Sed esto luculenta sint quæ dicuntur in gratiam patientiæ; paucis attamen Apostolus Iacobus perstrinxit, ita fatus: *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* Illa nimirum virtus, scilicet patientia, cœlis animas inter-serit, vbi rerum omnium summam Deum & bata gaudia sortiuntur.

Patientia cœlis animas inserit.

Iacob. 5.

SENSVS MORALIS.

Peccati recidiua, malorum omnium summam paris.

In hæc verba:

Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

SECTIO QVARTA.

ARTICVLVS PRIMVS:

Ex Re Medica, Ex Historia, Et Ex SS. Patribvs.

Ex Re Medica. VT peccatum est omne dictum, factum, & concupitum contra legem Dei, ita & in corpore humano morbus intemperiem dicit, qua quidquid fit & appetitur, est dissonum atque procul ab integra sanitate. Pulso hoc morbo, & reduce sanitate, si denuo decumbit homo, sors eius iniqua dicitur recidiua, oriunda ex aliquo facto præter & contra ordinem præstitutum à natura: namque recidiua omnis, ex Hippocrate, tres tantùm causas habet, quas ille Medicorum summus ita commemorat. ἐὰν προεκρήγνυται, ἢ προεκκρίνηται, ἢ ἐγκαταλείπηται. Id est. *Si quid ante tempus aut erumpat, aut iudicetur, tum si quid residuum supersit.* Nempe egestio facta alio die quàm critico suspecta est. Rursus excretio cruda, quæ pepasmum seu coctionem anteuertit, est prorsus incongrua. Demum si ex humore noxio foras pulso supersunt reliquiæ, illæ vices agent fermenti & fomitis proximæ recidiuæ. Eò vergit eiusdem Hippocratis hoc decretum: τὰ προκρινόμενα ἢν μὴ ἡμέρας κριθῇ, ὑποστροφαί. ἢν δὲ μή, ἀκρισίαι. Id est. *Quæ crisin subeunt ante diem, si cruda sit crisis, hinc veniunt recidiuæ: sin minus acrisiæ manent.*

Recidiua quid sit.

Recidiua tres causas habet.

Hippocrat. lib. περὶ χυμῶν. Idem lib. 2. Epidim. part. 2.

Recidiua quare peior morbo.

Dicitur autem recidiua semper morbo deterior, quia prior morbus ingruit corpore non effœto sed valido, ac proinde idoneo ad obstandum, ne serperet infirmitas: at recidiua petit corpus nuper infirmum, cuius recuperata sanitas nudiustertius impar est oneri quod incumbit. Nempe recens morbus exhausit vires ægri, quarum deliquio recidiua peius afficit hominem, vtpote magis imbecillum: malum quippe malo additum deteriorem sortem facit, iuxta hanc Galeni sententiam: Γίνεται ἐπ' ἀῤῥωστίᾳ τῆς δυνάμεως, καὶ πάλιν αὐτὴν ἀπεργάζεται ἀῤῥωστοτέραν. Id est. *Nata ex imbecilla virtute, ipsam rursus imbecilliorem faciunt.* Effatum hoc Galeni, magni ponderis in Physicis, fidem habet & in moralibus: nam anima, quæ post peccati repurgium, denuo polluitur, in grauius discrimen incurrit, quàm cum deliquit ab initio: siquidem primò anima imprudens illecta dedit manus voluptati, quæ diu frequentata radices altas egit, parturiens iniquum habitum, ita malè afficit animam, vt licet pœniteat, & gratia mediante Deum sibi conciliet, adeo tamen propensa est in peccatum inolitum, vt ingruente tentatione valida, faciliùs ruat in consensum, quàm ante prauum hunc habitum ingenitum, qui & hoc fit recidiua valentior, ac proinde peccans rursus anima prægrauatur.

Galen. lib. 5. de morbis.

Recidiua peccati quàm malè afficiat animam.

Recidiua in peccatum, morte præcoci plerúque plectitur.

Ex Historia.

Absalon ob recidiuam occisus. 2. Reg. 18.

Iniquitas huius status in eo præcipuè attenditur, quòd gratia spreta rariùs influit in animam immemorem beneficij accepti, vnde etiam pœnitentia malè sapit ei, quem pœnituit alsâs pœnitere, atque ita recidiua reprobos homines in præceps & abruptum vitiorum ducit, impotens propriâ suâ industriâ reuocare gradum. Vtque Deus plectit plerumque delinquentes ex hoc sæculo, fit vt qui abdicata vitia refricant, acerbas luant pœnas, easque inglorias, iustitiæ Dei suo sanguine sic litantes. Effati huius veridici Absalon est testis omni exceptione maior: siquidem is occiso fratre suo Ammone tulit ægrè mulctam exilij indictâ Dauide, qui postea miseratus sortem filij pœnitentis recepit eum in gratiam, qua denuo perduellis ille filius excidens ambiit regnum præcox, patrem suum solio pellens, cuius recidiuæ mulcta fuit suspendium. Semei item Salomonem offenderat, ob conuicia iactata in Dauidem patrem eius: ad expiationem piaculi conclusus est pomœriis Ierosolymæ vt carcere instituto ad diluendam noxam. Annuit ille penso sibi imposito, trienniumque totum egit pœnitens facti, & morem gerens Regi Salomoni: sed vt quisque reprobus vitæ illecebrosæ memor, tædio boni operis afficitur; Semei præteriit mandatum Regis, ideoque fuit gladio vindice castigatus.

Recidiua Semei morte castigata. 3. Reg. 2.

Recidiuam peius afficere delinquentes, probè nouit Seraphicus ille Pater Franciscus, quem cùm Apostata quidam frater conuenisset pœnitentis habitu, poscens indulgeri sibi defectionem ab ordine, humaniter exceptus est hic desertor, deforis animum contritum explicans. Sed vt hominum nequam suspecta sunt omnia specimina pœnitentiæ, Beatus Franciscus apprimè eruditus in schola discretionis spirituum, metuens huic homini reduci, mente præsaga sic eum affatus est, indigitans patibulum, quod inde videbatur: Fili, libens te gremio meiordinis excipio; sed caue recidiuam, alioquin scito te suspensum iri in hac furca: namque mala crux decet eum, qui transfuga renuit crucem Christi æquo animo baiulare. Nihilo cautior effectus hic nebulo, rediit ad vomitum: pertæsus enim meliorem frugem, ad quam sese receperat, denuo defuit votis suis, & desertor effectus religionis suæ, fidem fecit præsagio Beati Patris, qui præscius malorum, quæ repetita manent piacula, sententiam de morte tulerat indecora. Ille nimirum apostata, gratiæ acceptæ incurius, rediens ad volutabrum suum, vt genio indulgeret assueto vitiis, ita prouocauit iram Dei, vt pendulus è furca laqueo modum posuerit vitiis, probando res esse concolores, suspendium, atque recidiuam.

Ex Chronicis Minorum in vita B. Francisci. Recidiua apostatæ suspendio punita.

Ad hanc etiam classem pertinet historia Charisij clerici, in vitia proni vsque ad scandalum totius Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Ille admonitus ab Episcopo suo Gennadio de tersioris vitæ cultu; sæpius tamen obscœno voluptatum cœno immersus est. Vnde fatigata Gennadij patientia misit alium clericum bonæ indolis, qui ad sepulchrum Martyris Eleutherij sic oraret: *Miles tuus, Sancte Dei Eleutheri, multùm peccator est: aut emenda illum, aut excide.* Non fuere irrita vota Gennadij: siquidem postera die Charisius periit morte repentinâ, clamans hoc præcoci fato recidiuam malè plectere delinquentes. Si Deo reserante fores arcanorum, quibus occluditur series tota rerum fas esset intueri quænam sit scaturigo malorum omnium, quibus homines exercentur; proculdubio constaret, ærumnas omnes, quæ ingruunt, esse supplicia recidiuæ. Vt enim anima delinquente corpus est conscium deliquij; ita gladius idem vindex desæuire solet in vtramque hominis partem, Deo expetente pœnas à corpore, quando lues grassatur, & bella ferociunt. Quisquis itaque volet cautè consulere corpori simul & animæ, is pœnitentiæ sacris ritibus initiatus, satagat impigre fugere recidiuam, animoque suo voluat, esse deploratas res hominis, quem pœnitet in gratiam rediisse, & dedisse libellum repudij vitiis, quibus hactenus assueuit.

Recidiua Charisij morte punita. Charisij mors subita.

Pratum spirituale c. 145.

Peccatum prouocat irâ Dei in animas & corpora.

Chrysostomus probè callens ingenium Dei circa repetentes vomitum suum, fusè enarrat, Christum monuisse Paralyticum Piscinæ probaticæ, ne peccaret denuo: quia, inquit, huius hominis infirmi labes prima duxit initium à peccato, ac proinde, vt sarta tectaque foret sanitas illa restituta, operæpretium fuit admonere virum hunc, vt declinaret mali causam: hoc autem abundè præstitum est, quando Christus indixit vt caueret à peccato, ne quid deterius accideret. Audiendus in eo argumento Chrysostomus ita fatus: *Res profectò grauis est peccatum, grauis inquam res, & animi pernicies, vt nonnunquam vi & exuperantia sua corpora quoque inficiat. Sed cùm grauiter ægrotante anima nullo dolore afficiamur, paruo corporis morbo summa diligentia medicinam perquiramus: ideo Deus ob animi peccatum corpus flagellat, vt deterioris partis supplicio, melior ad quærendum remedium conuertatur. Ita Corinthium fornicatorem Paulus corrigit interitu carnis, & sectione corporis animi morbum coercens, tamquam optimus Medicus, qui cùm hydropisim vel splenem potionibus & lenioribus medicinis sanare non possit, extrinsecus ferro & igne vtitur. Hanc artê Christus in Paralytico exercuit, quod significans dixit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quid hic admonemur? Primum, quòd ex peccatis morbi generantur, deinde quòd verum est, apud gehennam maximum & perpetuum esse supplicium. Breui peccatum patratur, morbi tormenta diuturna sunt. Non enim tempore peccata, sed peccantium animus iudicatur. Illud præterea considerandum est, quòd si grauem priorum scelerum pœnam dedimus, deinde in eadem inciderimus, dabimus longè maiorem, & meritò sanè. Qui enim supplicio non fit melior, tamquam stupidus quidam & contemptor grauiorem sibi pœnam præparat. Ipsum namque peccatum semel lapsum satis superque cohibere & redderel sapientiorem debebat, ne iterum in idem prolaberetur. Verùm cùm neque supplicium fontem corrigit, non iniuriâ flagello vtitur vehementiore. Quòd si post datas pœnas, in eadem iterum crimina prolapsi, grauiori pœna afficimur: quid in his sperandum est, qui nullo affecti supplicio, in iisdem sceleribus pertinaciter perseuerant?*

Ex SS. Patribus.

Chrys. hom. 37 in Ioan.

1. Cor. 5.

Recidiua quare grauius plectat hominem.

SENSVS

SENSVS MORALIS.

Peccati recidiua delinquentes in maiora inducit discrimina.

In hæc verba:

Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EX MATHEMATICA, EX SYMBOLIS, ET SS. PATRIBVS.

Sidera influunt in corpora.
EX MATHEMATICA.
Schonnerus Origanus De reuolutionibus.

CORpora cœlestia deorsum influere res est indubia, cùm in plenilunio multa desudent humore superfluo, quæ, Lunâ patiente deliquium lucis, arent, & veluti marcida contabescunt. Hunc præcipuè influxum percipiunt ægri, quorum refluens humor ad arbitrium siderum sistitur, aut exundat. Lunâ nempe pigrâ seu tardâ, vt loquuntur Astrologi, restagnat subsidens humor in corpore, nec die critico secernitur: vt secut perniciore Lunâ salit humor, & peruiis vndequaque poris foras se effundit. Vnde quia in his, quæ pertinent ad rem Medicam, sidera plerumque sibi constant; ista obseruatio est scitu dignissima: scilicet esse quosdam siderum habitus, qui malè quosdam homines afficiunt, quoad sanitatem, easque siderum positiones, dum recurrunt, esse iniurias sanitati. Verbi gratiâ, quis editus est ascendente primo gradu Tauri: is, quoties Mars decurrit illam partem Tauri, febre corripitur, quia Planeta ferus atque iniquus irradiat. Quodque deterius est, si in reuolutione decubuit æger, illa recidiua lethalis erit, quia sideris infausti nequitia ex hoc decubitu malitiæ suscipit incrementum.

Sydera plerumque malè afficiunt corpora.

Siderũ mala reuolutio est ægris perniciosa.
Recidiua facilis est in vitia aliàs inolita.

Vt detorquere licet omnia ad morales vsus; nemo it inficias, virtutes & vitia influere in homines. Virtutes siquando irradiant, benè omnia cedunt eis, quos suo dignantur aspectu benefico: at contrà, vitia vbi dominantur, omnia susque deque versant. Idcirco cautè sunt obseruanda hæc vitia, quæ fuere nobis magis iniuria: siquidem esto donante Deo anima pœniteat; periculum tamen est, ne recurrente obiecto vitia refricentur. Nam cùm omnium vitiorum fomes alto corde resideat; facilè anima capitur illecebra, cuius cupediis fuit aliàs irretita. Eamobrem curâ quàm maximâ est occurrendum illi recidiuæ, ne animæ torpescenti pessimè consulatur: etenim præter noxam, quæ altius in anima radicatur, quando repetitis actibus vitia recoluntur; Deus multo hominum crimine percitus ad vindictam dirè malos habet, multifariàm castigando nequitiam, quæ immemor gratiæ nuper acceptæ luxuriat.

Recidiuæ ansam præbet fomes peccati.

EX SYMBOLIS.
Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.

Hoc appositè innuit flagellum illud, cui stella imminet, hoc titulo adiecto. NON SINE CAVSA. Est hoc symbolum descriptum à Ioanne Ferro, qui meo iudicio significare voluit, luem, bella, famem, aliaque id genus flagella nobis cœlitus irrogati. Sidus hoc infaustè rutilans est cometa, cui terra ortum dedit, spirans materiam pinguem, non semel & iterum, sed crebrò repetitis vicibus. Vnde & multiplex illa exhalatio lata vsque ad sphæram ignis, illic accenditur, & fit flamma minax, sinistra omnia præsagiens terræ, quæ fomitem illi noxio sideri ministrauit. Egregia sanè hæc est idea voluptatis, quæ adspirat hominibus affectis illecebræ. Illa voluptas noxiis actibus excolitur, & quoties ei animus indulget, toties illa fomitem accipit: vnde illo incremento potens ita sibi deuincit animas, vt nihil omnino in eas influat præter hoc sidus infelix, cuius aspectu anima Dei flagellis obstringitur. Flagella nimirum & peccata minimè dispescuntur.

Symbolum quo flagella Dei explicantur.

Flagella Dei vnde ortum habeant.

Itaque si quando reprobos aspexeris lancinari ærumnis, & sauciari sæuiente Deo, flagellum ita considera, vt cometa dirus desuper affulgeat; & conclude, totam illam tragœdiam NON SINE CAVSA hominum oculis obuersari. Nempe potest huc appositè reuocari vetus Prouerbium: *Ex boue lorum*; vt namque lorum, quo bos alligatur iugo, ex bouis corio emergit, & vt nundinantes in templo Ierusalem suis funiculis præbuere materiam Christo ad faciendum flagellum illud, quo eiecit è templo profanam omnem supellectilem; ita homines suâ recidiuâ in peccatum, copiosum argumentum Deo suppeditant, falce suæ iustitiæ reproba capita demetendi. Ne ergo capiaris, ô homo imprudens, rutila voluptate cùm emicat; sed subinde diuerte oculos ad flagellum deorsum iacens, hoc etiam titulo inscripto: NON SINE CAVSA.

Flagella Dei excipiunt voluptates.

Flagella in homines cœlitus iram torquentur.

Cometæ indices iræ Dei, castigantis hominum facinora, sunt ignes accensi vitio nostro, nec est quòd causemur grauem esse Dei manum, cùm scelere inundante totum terrarum orbem, nostro tantùm vitio pereamus. Hoc & aliàs meditatus est Saluianus ita fatus: *Cùm sint omnia ditionis sacræ, & nutu Dei cuncta moderentur, quidquid malorum quotidie pœnarumque perferimus, censura est diuinæ manus, quam vtique censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris iugiter commouemus. Nos cœlestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus.* Isaia 50. *Ite in flammam ignis, quam accendistis.* Nec recens est illud Dei institutum, hominum deliquia flagellis excipere, à sæculo viget ille Dei ritus, vt fusè probat Basilius, longam texens seriem historiarum, quas ex codice sacro commemorat, ostensurus quantùm Deo displiceant crimina perpetrata.

Flagellis Dei homines materiam suppeditant.
EX SS. PATRIBVS.
Saluian. li. 8. de prouid. Dei.

Basilius in procemio libri moribus.

Sic ille: *Cùm diuinarum literarum memoriam animo collige, reperio tam in Veteri quam in Nouo Testamento, neque in numero, neque in magnitudine peccatorum, sed vna tantummodo cuiuscumque tandem generis præcepti violatione contumeliam aduersus Deum indicari, à Deoque in omnes promiscuè, qui dicto ipsius audientes non fuerint, supplicium constitutum. Atque in Veteri quidem, quando horribile illud Achan exitium legi, aut historiam illius, qui sabbatho ligna collegerat, de quorum neutro quòd aut aliter in Deum peccauerit, aut hominem quempiam vlla in re vel magna vel mediocri prorsus violauerit, nusquam reperitur. Atqui tamen alter ob vnam modò eamque primam lignorum collectionem, pœnas inexpiables luit, & ne spatij quidem tantùm inuenit, in quo posset pœnitere: siquidem Dei iussu, confestim a cuncto populo lapidibus obruitur: alter autem quòd nescio quid tantummodò* sublegê

Peccata nulla impunita.

Peccata à Deo grauiter olim castigata.

sublegerat eorum, quæ Deo fuerant dedicata, neque tamen adhuc intra synagogam asportata, neque ab iis recepta, ad quos rerum huiusmodi receptio pertinebat, non sibi modò, sed filiis etiam & coniugi exitio fuit, atque vna cum tabernaculo, vniuersis etiam propinquis fuit. Iamque in eo res erat, vt hæc peccati lues cunctum populum ignis instar populatura videretur, & quod magis mirandum est, qui neque peccati auctorem sciret, & si sciisset, nullo modo ei condonaturus fuisset, nisi quam primùm ex ipsa virorum, qui occiderant, calamitate, animaduersa Dei indignatione miserè se affligere cœpissent, & nisi Iesus filius Naue vnà cum senioribus capite puluere conspersa sese in terram abiecisset.

Peccata etiā sanctiorum hominum Deus acriter obiurgat.

Vt parum fellis insertum magnæ copiæ sacchari colliquati dulcorem eius inficit, ita & peccatum suo contagio coinquinat magnam bonorum operum molem: ardua namque facinora priùs edita à Sanctis & eorum virtutes emeritæ non obstant, quin Deus acriter animaduertat in deliquia hominum probatorum, vt luculenter idem Basilius probat hoc tenore: *Mariæ sororis Moysi virtutes nullum arbitror fidelē esse qui non cognouerit. Hæc quòd semel aliquando secus nescio quid locuta est de Moyse, idque ipsum verè: Mulierem enim, inquit, Æthiopissam accepit sibi; adeò vehementer Deum aduersum se suscitauit, vt ne ipse quidem suppliciter pro ea deprecatus Moyses, quominus mulctam peccato irrogatam sustineret, ipse impetrare potuerit. Quoties igitur animo mecum Moysem ipsum intueor Dei ministrum, magnum illum virum, cui talis à Deo ac tantus fuerat honos delatus, magnificusque adeò summa virtutis data testimonia, vt audire promeruerit illud: Noui te præter cæteros, & inuenisti gratiam coram me: hunc ipsum quoties considero ad aquam contradictionis, nullam aliam ob rem nisi quòd tantummodo dixerat populo propter aquæ penuriam murmuranti: Num de petra hac aquam vobis poterimus eiicere? hac sola de causa confestim ei fuisse denuntiatum, non ingressurum illum in terram promissionis, quæ omnium, quæ Iudæis promissa fuerant, erat tunc caput. Quoties igitur hunc orantem video, & nihil exorantem, quotiesque reputo mecum, nihil ei prodesse potuisse præclara adeò multa quæ fecerat, vt veniam tam breui verbo impetraret, verè vt est apud Apostolum, rigidam Dei seueritatem video, veréque illud dictum esse, persuadeo mihi: Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt.* Hactenus Basilius abiens in stuporem, ob asperè crimina castigata.

Basilius vbi suprà.

Maria soror Moysis grauiter à Deo punita.

Moyses à Deo castigatus.

1. Petr 4.

Meminit & ille alia exempla Noui Testamenti, vt Ananiam, & Saphiram, quibus abundè liquet, non mitiùs agi cùm Ecclesia quàm cum Synagoga, si homines aliquando suæ salutis incurij, gratiæ Dei desint, vt liberaliùs indulgeant animo. Ex præfatis videre est, quàm prudenter Christus Paralyticum hodie admoneat, vt caueat à peccatis, ne quid deterius accidat: quippe si ipsa præludia peccantium, & prima rudimenta reproborum Deum sollicitant ad vindictam; quid spei residuum est ei, qui initâ tersiore vitâ pœnitens facti, tandem tædio sanctitatis malè suada percitus illecebra, redit ad sordida volutabra? Ad hos pertinet illud præsagium Isaiæ: *Væ filij desertores.* Quale autem *Væ* maneat desertores, vide proximo articulo, vbi omnigena mala manent eos, qui Deo renuntiant, vt in vitiorum omnium colluuie fœtida volutentur.

Isai 30.

SENSVS MORALIS.

Peccatum malorum omnium summam secum vehit.

In hæc verba:

Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex Theologia, Ex Historia, Et Ex Vtroque Ivre.

NEmine inficiante, Malum est priuatio boni; quæ succincta descriptio coincidit cum hac breuiloqua Augustini sententia: *Malum est corruptio modi, speciei, & ordinis.* Vnde vt priuationum numerus petitur à formis, quibus idonea subiecta carent; ita malorum, quæ hominem afficiunt, distinctio est petenda à bono, cuius est homo capax. In boni illius indagine, sic procedo: Omne bonum quamdam perfectionem clamat: perfectio autem est duplex; prima scilicet, & secunda. Perfectio prima, est forma vel habitus; secunda verò perfectio, est operatio. Ad perfectionem primam, cuius vsus est operatio, potest reduci omne illud, quo vtimur operando. Vnde ex diametro duplex malum emergit. Vnum quidem in ipso agente, vt priuatur forma, vel habitu, vel quocumque organo necessario ad agendum. In eo sensu cæcitas est malum quoddam, quia facultatem adimit necessariam homini ad actiones congruas exerendas. Aliud verò malum attenditur ex ipso actu deficiente, vt claudicationem dicimus esse malum, quia deuius ille hominum gressus inclinans in vtramque partem est actio incongrua. In natura intellectuali, vt in Angelo & homine, priuatio formæ vel habitus vel organi dicitur malum pœnæ. At priuatio debiti ordinis in actione voluntatis dicitur malum culpæ, & hoc malum vt totam rationem mali participat, malorum etiam omnium summam in animam inducit, quando malum illud affingitur animæ, quæ peccauit.

Malum quid sit.

August. li. de natura boni cap. 4.

Malum quotuplex sit.

Ex Theologia.

Thomas in quæst. disputatis q. de Malo ar. 4.

Malum pœnæ quid sit.

Malum culpæ quid sit.

Esse autem malum culpæ grauius omni malo, sic liquere potest: Propter quod vnumquodque tale est, & illud magis: Sed omne malum pœnæ est propter malum culpæ: nam vitio Adami propagato in totam prosapiam, mala propè infinita pœnæ, omnes homines inundarunt: Ergo malum culpæ erit maximè malum, cum ab eo velut stipite mala omnia pœnarum velut noxij surculi deriuarint. Rursus illud est magis tale, quod subiectum magis facit tale: Ergo cùm malum pœnæ afficiens hominem non denominet illum malum, & malum culpæ inuectum in hominem liquidò dicat eum esse malum; profectò malum culpæ deterius erit malo pœnæ, cuius intuitu nemo malus eo ipso censendus est, vt videre est in Iob, Tobia, aliisque viris virtutis probatissimæ, quibus non obfuere mala pœnæ, quin optimi tunc etiam à Deo rerum æquo æstimatore & Domino censerentur. Præterea quò aliquid

Malum culpæ grauius omni malo pœnæ.

Malum culpæ est causa mali pœnæ.

Malum culpæ quare grauius malo pœnæ.

aliquid magis recedit ab ipso fonte boni, seu ab ipsa bonitate, eò etiam plus participat rationem mali: Sed malum culpæ velut è regione opponitur Deo, & priuat nos eo, penes quem est bonorum omnium gaza, malum verò pœnæ non secernit hominem à Deo, cùm Martyres in diris etiam cruciatibus, & acerbis pœnis Deo iugiter adhæserint: Est ergo malum culpæ cæteris omnino malis iniquius, quia hominem exuit summo bono, & medijs quæ conducunt ad fruitionem eius Dei optimi maximi: culpa nimirum gratiam eliminat, & gloriæ æternæ nescios, & expertes facit.

Malum pœna infligitur vt caueatur malum culpæ.

Item malum, quod sapiens artifex inducit ad cauendum aliud malum, minùs habet de ratione mali, quàm illud malum, ad quod vitandum infligitur; vt si Medicus industrius decernat præcisionem manus, vt toti corpori consulat. Palàm autem est, sapientiam Dei pœnas adhibere ad hoc vt qui plectitur effugiat culpam, vel suo saltem supplicio alios inducat ad culpam seriò declinandam. Eò spectat ille versus Iob: *Fugite à facie iniquitatis, quoniam vltor iniquitatis est gladius.* Igitur illud malum pœnæ inductum à Deo, vt caueatur malum culpæ, minus habebit de ratione mali, quàm ipsa culpa ad quam declinandam fuit pœna inuecta. Demum malum culpæ situm est in operari; malum verò pœnæ est penes passionem: quod autem habet operationem malam, ostenditur iam esse malum; quod verò patitur, illud non est malum, eo tantum nomine quòd patitur, quia tale malum est à principio extrinseco inferente malum pœnæ, quod ingerit sensum ingratum subiecto patienti. At secus est de malo in operatione sito: illud verbi gratià in intellectuali agente fluit à principio interno, id est à voluntate, ad cuius arbitrium facultates omnes animæ percelluntur, atque ita malum culpæ, quod est actio deuiæ voluntatis, suam maximè malitiam affricat homini, qui vltro & sponte incurrit in id malum, quo etiam plerumque reprobi gloriantur, vtpote gratis in rebus pessimis exultantes.

Iob. 19.

Malum culpæ est voluntarium, malum pœnæ est coactum.

Pernicies mali culpæ, id est peccati, maximè colligitur ex sequela: mala nimirum omnia pœnæ sunt propagines culpæ Adami, cuius aspergine fuit eius soboles inquinata. Si nempe sibi constitisset homo editus in gratia, nesciisset iniurias, quibus afficimur, Deum etiam vrgentes, vt misericordiæ immemor sæuiat in peccantes. Ita declamauit Saluianus Episcopus æquus vitiorum censor. Is suo sæculo infinitis prope vitiis inglorio sæpius ingemuit, vnde & dicitur Ieremias Christianus. Sic ille. *Qui castigat malos, non reddit mala: agnoscere nos peccata nostra mauult, quàm sustinere: scilicet vt piis ac salutaribus flagellis ostendat nobis quæ ferre mereamur; sed tamen non inferat quæ meremur. Vim Deo facimus, ipsi nos iram diuinitatis armamus, thesaurizamus iram, cogimus ad vlciscendas criminum nostrorum immanitates nolentē Deum. Prope est vt eum non permittamus vt parcat.*

Peccata Deū vrgent ad vindictam.

Saluian. li. 5. de prouidentia Dei.

Si defodienda sunt vetera monumenta historiæ, constabit vniuersum orbem esse velut tortorem hominis insensati, & mala omnia pœnæ ad vindictam culpæ cœlitùs irrogari. Vt namque prætercam mundi excidium sæuiente aquarum illuuie, vt sileam repentinum incendium totius plagæ Sodomorum, innumera ferè exempla probant, pœnas & culpam esse res indiuiduas, & ...

Peccata à Deo acriter castigata.

EX HISTORIA.

Procopius lib. 1 de bello Vuandal.

... mutuo sociari implexa. In his est celeberrima series rerum gestarum à Basilisco Imperatore, qui post iniquis artibus vsurpatum Imperiū, adeò sceleratè vixit, vt regnum eius fuerit indefessus atque iugis vitiorum tenor: vnde Deus ad iram excitatus, cum vt par erat corripuit. Nempe rebellantes Græci eum exauctorauerunt, & nudum cum vxore & filiis in insulam deportarunt, vbi frigore & inedia omnes consumpti sunt, vt fusè Procopius enuntiat. Hominis huius nefarij vitia suum affricuere virus toti etiam familiæ quoad supplicium, quamuis fortè tota nebulonis familia non fuerit vsquequaque criminis conscia perpetrati. Auaritia Basilisci congruo tortore punita est, scilicet egestate. Gula, quam epulis ad crapulam vsque fouerat, nacta est censorem idoneum, scilicet inediam, qua impastus ille miser & tabidus emarcuit.

Basilisci tyranni crimina castigata.

Iniquiore fato sublatus est Phocas, alius vsurpator Imperij. Ille hominum nequissimus in Mauritium Imperatorem legitimum insurrexit, quo occiso ingloriè cum filiis & coniuge vitiorum omnium cœno immersus, ita suum caput deuouit iræ Dei, vt Heraclius in illum insurgens, diro & acerbo torserit supplicio, exectis partibus consciis nefandæ libidinis, & in frusta corpore lacerato. Nonne & Seuerus Imperator Christo iniurius, in quem gladium strinxerat sæuiens in Martyres, proprio filio quasi carnifice vsus, meritas luit pœnas? Filius enim eius velut vltor iniuriæ Christi, licet alio intento, gladio exerto patrem voluit impetere, qui rei insperatæ obiectu adeò consternatus fuit, vt malè perierit.

Phocæ Imperatoris supplicium. *Histor. Imper. Phoc.*

Seueri Imperatoris mors horrenda.

Dion in Seuero.

Quales peccata tragœdias excitare soleant, Deus egregiè ostendit Sancto Porphyrio Gazæ Episcopo. Is nauigio traiiciens mare placidum, miratus est subinde exortam horribilem tempestatem, qua inualescente, nauis erat iamiam fluctibus inundanda. Sanctus ille Præsul subodorans in ea repentina maris nequitia flagellum Dei, hunc rerum Dominum consuluit de causa pelagi sæuientis. Deus annuendo votis eius ait, nauclerum esse Arianum, & in pœnam hæreseos eius, vltrices aquas suos gurgites aperire. Accepto oraculo Antistes ad nauclerum accedens, eum sollicitat ad professionem sinceræ fidei, & abiurationem erroris Christo iniurij, si vellet morti instanti se suosque omnes eripere. Deo miserante perfidus ille resipuit, & Christo manus dedit, causaque procellæ sic abactâ, furens mare suas minaces vndas deposuit, fueruntque tranquilla omnia; sic innuente Deo, omnia sese accingere ad vindictam hominum impiorum, quorum iniquo consortio viri etiam innoxij in periculi cautes impingunt, eodem plerumque gladio vindice castigati.

S. Porphyrius audit à Deo peccatū esse causam horribilis tempestatis.

Marcus in actis sancti Porphyrij Gazæ Episcopi.

Peccatum mare turbat, & excitat tempestates.

Boni plerūque reprobis admisti cum eis puniuntur.

Eò spectat iste Canon: *Turbatur nauicula Petri, in qua erat Iudas; quia qui suis meritis erat firmus, turbatus est alienis.* In Canonem hunc Gratianus ita commentatur: *Ignorabat Petrus peccatum Iudæ. Non ergo ignorantia excusauit illum. Sed turbatio hæc non peccati coinquinatio, sed corporalis persecutio intelligitur: quia meritis malorum nonnunquam adeò premuntur boni, vt eorum turbetur firmitas.* Non ergo gratis & inconsultè huic articulo præfixi titulum, qui affirmat, peccatum inducere omnium malorum summam: nam præter Dei iacturam, quam patitur anima nequam, corpus etiam plectitur acerbe à supremo iudice subitato.

EX IVRE CANONICO.

Can. Turbatur 1. q. 4.

Mala consortia bonos quandoque faciunt pœnis obnoxios.

Vt enim fulmina quatiunt ædes sacras, ob iniqua plerumque illic gesta; ita Deus ferit corpus, vbi degens anima vitio se obstrinxit. Sic & Imperatores Arcadius & Honorius dixere sententiam in ædes, vbi fuere celebrata impia comitia. Ecce legem: *Conuenticula illicita etiam extra Ecclesiam in priuatis ædibus celebrari prohibemus, proscriptionis domus periculo imminente, si Dominus eius in ea clericos noua ac tumultuosa conuenticula extra Ecclesiam celebrantes susceperit.* Si peccati virus inficit ædes, vbi peccatum est; quomodo & quantùm ebulliet ira Dei ferientis corpora sociata animæ delinquentis?

Ex Ivre civili. *Lege Conuenticula Cod. De Episcopis l.1.tit.3.leg.15.*

CONTROVERSIÆ EMERGENTES EX PROXIMO EVANGELIO

PROXIME LITERALITER ET MORALITER EXPEDITO.

EVANGELIVM

Ioan. 5.

SECTVM IN TOT NVMEROS, QVOT Controuersiæ agitantur.

I. ERAT dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

II. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in Piscinam; & mouebatur aqua.

III. Et qui prior descendisset in Piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

IV. Erat autem quidam homo, &c. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

CATHOLICA ET Orthodoxa expositio Euangelij.

I. ET sancta Ecclesia Catholica Apostolica & Romana præstantior est Ierosolyma; ita & præstantiore Piscina à Deo dignata est: scilicet pœnitentia, cuius beneficio nullum planè est peccatum, quod non deleatur. Quinque nimirum plagis Christi vt tot foribus merita Passionis Christi diffluunt in animas, quæ Piscinæ huius mysticæ fluctibus alluuntur.

II. Vt est caro refuga cuiuslibet importuni sensus, horret accedere ad Piscinam pœnitentiæ, sed Angelus custos proprio pupilli sui bono inuigilans, eum secretò percellit, & vrget ad subeunda pœnitentiæ pharmaca sensibus ingrata.

III. Sic quippe à Deo decretum est, vt anima illecta dulcedine voluptatis, non fiat redux, nisi hausto calice acerbo pœnitentiæ: namque amarore propinato opportunè dulcia castigantur.

IV. Anima sic sospitata, diem beneficij huius habere debet festum, & illum singulari recolere cultu, eo scilicet quo Catholicè festa omnia recensentur.

ELENCHVS, ET RATIO Controuersiarum, Quæ ex hoc Euangelio emergunt.

I. Historia Piscinæ probaticæ, consulentis omnibus ægrorum morbis in vrbe Ierosolyma, congruum argumentum dedit disputandi:

An in Ecclesia pœnitentia gerat vices Piscinæ probaticæ, diluendo omnes animæ noxas.

II. Quia plerumque hyberno tempore, vt circa Pascha, salutaris illa aqua prouocabat ægros, vt tingerentur, nequaquam

quaquam eos rigore remorante; probo, pœnitentiam dicere aliquid asperum ingratum sensibus, sicque emergit ista controuersia:

An pœnitentia secum, aliquam pœnam vehat.

III. Cunctanti homini subire dura, datus est Angelus vt consultor, referens officium eius, qui mouebat aquas piscinæ, à quo sumo argumentum disputandi:

An singuli quique homines suis stipentur Angelis.

IV. Paralyticus à Christo restitutus in integrum, & baiulans grabatum suum, censores acerbos passus est Iudæos, carpentes actionem illam vt iniuriam sabbato. Vnde opportuna emergit ansa discutiendi quæstionem istam:

An congruè decernantur dies festi; vt corpore feriante, anima recolat merita & agones Sanctorum.

SENSVS ORTHODOXVS.

An in Ecclesia prostet pœnitentia diluens omnes noxas.

In hæc verba:

Est Ierosolymis probatica Piscina, quinque porticus habens.

CONTROVERSIA PRIMA.

Comparatio omnimoda Piscinæ cum pœnitentia.

EX SCRIPTVRA, ET EX SS. PATRIBVS.

Æquinoctialis plaga gaudet æquiore cœlo.

PRiscis olim sæculis nemo voluit velificari in plagas subiacentes lineæ æquinoctiali, quia malè audiebant illæ prouinciæ, vtpote creditæ insalubres, iniquiore cœlo in eas iugiter influente. Sed vt à peritis nauticæ artis tentatus est ille situs orbis, deprehensus est longè alius ab eo, quem descripserant homines imperiti, mentientes illic homines haudquaquam degere, quia omnia Sole feruido conflagrabant. Appellentes ad has auras nautæ experti sunt cœli æquioris influxum beneficum, & fauonij aspirantis afflatum propitium. Hac sorte iniqua fuit damnata pœnitentia ab hæreticis, dicentibus hanc lineam non æquinoctialem, sed æquitatis, & iustificationis, esse hominibus inuiam, & neminem posse congrua pœnitentia conciliare sibi Deum. Huius blasphemiæ primos assertores facit Montanistas Hieronymus, dicens eos ad omne delictum obserare fores Ecclesiæ. Hoc contagio periit & Nouatus, aspergens illud lethale virus suis sequacibus, affirmando, sacerdotibus à Deo nullam esse copiam factam recipiendi pœnitentes in gratiam: sicque Nouatus habuit pœnitentiam sicuti ludibrium, & inane gratiæ simulacrum, vt meminere Cyprianus, Eusebius, Socrates, & Ambrosius. Mali huius corui fuerunt etiam oua ista virulenta, videlicet Meletius, Acesius, & Sympronianus, homines de pœnitentia pessimè sentientes. Hos notant, Epiphanius, Sozomenus, & Patianus.

Pœnitentiam qui negarint.

Hieron. ep. 54. ad Marcellā. Cypr. l. 4. c. 2. Euseb. l. 6. c. 39. Socrat. l. 4. c. 23. Ambr. l. 4. de pœnit. c. 2. Epiphan. hæres. 68. Sozom l. 1. c. 21. Patian. ep. 1. ad Sympr.

Alio longè tramite deuiarunt nostrates hæretici: hi nimirum transfugæ & desertores Ecclesiæ, vt voluptuosos de grege suo porcos initiarent horrore pœnitentiæ, commenti sunt pleraque absurda, quæ affinxerunt Catholicis, vt sic à pœnitentiæ ritu suos asseclas distraherent. Calumniarum omnium, quas eructant, summa ad tres præcipuas reducitur. Prima est, Catholicos reponere pœnitentiam inter opera merè naturalia, vtpote negantes, fidem esse necessariam ad congruè pœnitendum. Illa fuit impostura Lutheri, sic mentientis: *Lege libros illorum Sophistarum de pœnitentia, & videbis eos nec promissionis nec fidei vllam mentionem facere. Has enim partes pœnitentiæ viuas omittunt, & solis mortuis contritionibus homines exagitant.* Ecce alium ructum hominis assueti mendaciis: *Non hoc contenta Babylonia nostra, fidem quoque adeò extinxit, vt impudenti fronte eam negaret necessariam esse in sacramento isto: imò Antichristiana impietate definiret hæresim esse, si fidem necessariam quis esse assereres.*

Lutheri calumnia de pœnitentia Catholicorum.

Luther. lib. aduersus bullam. art. 6.

Idem lib. de captiuitate Babylonica cap. de pœnitentia.

Secunda calumnia est, Catholicos in pœnitentia non meminisse meritorum Christi, imò omnem eorum virtutem expungere, vt totum tribuant clauium potestati. Sic ille histrio traducit Papam in suam Scenam, & illi virus hoc instillat, vt blasphemias istas euomat: *Nemo extra me, meas claues, & Missas, potest opem ferre. Christus, & fides hic nihil possunt.* Ita furit homo insanus, dum Pontifici affingit os illud sacrilegum. Tertia demum calumnia est, Catholicos decurtare meritum pœnitentiæ, & dicere eam tantùm esse de peccatis parui momenti, sed non de lethalibus. Hoc spiculum in nos Caluinus intorsit, ita fatus: *Turpiter & impiè definiunt, non nisi de venialibus peccatis quotidie agi pœnitentiam.* Rursus ille imponit nobis, cùm mentitur apud Catholicos præcipuum pœnitentiæ cardinem verti in edomanda carne, & nullam esse eis curam de renouatione mentis. Ecce deliri hominis scomma gratis eiaculatum. *Sic fungin externis exercitiis mordicus infixi, vt nihil aliud ex immensis voluminibus colligas, quàm pœnitentiam esse disciplinam, & austeritatem, quæ partim domandæ carni, partim castigandis puniendisque vitiis seruiat: de interiori mentis renouatione, quæ veram vitæ correctionem secum trahit, mirum silentium.*

Lib. aduersus Papatum.

Caluini impostura circa pœnitentiā.

Caluin. l. 3. institut. cap. 4. §. 1.

Hæc omnia conuicia refellit Ecclesia, pœnitentiam comparans cum Piscina probatica. Primò nemo nisi cœlitus admonitus in eas insiliebat aquas: nempe motus Angeli expectabatur, vt esset illa salutaris aqua. Ita & Ecclesia cœlitus erudita docet in pœnitentia motionem ipsius attritionis esse impulsum Spiritus Sancti. Ecce in eo themate decretum Concilij Tridentini. *Sancta Synodus illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur; quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis,*

Pœnitentiæ comparatio cum piscina probatica.

Pœnitentia non fit sine motione diuina.

Conc. Trid. sess. 14. c. 4.

bitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Illo oraculo ruit impostura desertorum Ecclesiæ, qui imponunt, nos dicere hominem proprio Marte, etiam seclusa fide, posse pœnitere.

Christi meritum influit in animas pœnitentes.

Rursus ad Piscinam quinque erant aditus, quibus Nathinæi, id est homines vltro oblati, victimas abluturi in Piscina, illuc introibant: vnde & aquæ illæ cruentæ vsque ad Hieronymi tempora perdurarunt. Christus victima salutaris suo sanguine tinxit aquas pœnitentiæ, & quinque plagæ corporis eius sunt veluti quinque fores, quibus peruia pœnitentia salubriter influit in homines: etenim sancta Ecclesia nullum omnino meritum agnoscit vitæ æternæ, nisi Christo Domino desuper influente. Ecce sensum Concilij Tridentini. *Cùm ille ipse Christus* IESVS *tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos virtutem iugiter influat: qua virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse.*

Conc. Trid. sess. 6. c. 16.

Christi meritum nostra opera præuenit, comitatur, & sequitur.

Hoc decreto liquet orthodoxa fides Ecclesiæ, & mendacij arguitur impostor hæreticus, clamans Catholicos, vt suam pœnitentiam adstruant, Christi Domini merita præterire. Demum Piscina probatica fuit adeò propitia morbis omnibus, vt eorum omnes reliquias plenè detersit, restituens in integrum corpora viciata. Ea etiam virtute præstat pœnitentia: fides namque Catholica nullum excipit animæ morbum, sed in genere confitetur, hoc sacramentum pœnitentiæ esse institutum ad gratiam reducem, siquando quis ab ea defecisset post Baptismum. Ecce synopsim fidei nostræ ex Concilio Tridentino *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, vt iustitiam in Baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, diues in misericordia, cognouit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati seruitutem, & dæmonis potestatem tradidissent; sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria.* Itaque mentitur impudenter Caluinus, cùm dicit Ecclesiam decernere tantùm venialibus peccatis pœnitentiam, & non lethalibus, quasi parum altè sentiret de hoc beneficio præstito malè sibi consciis hominibus, quibus beneficio huius sacramenti ritè consulitur, nullo crimine superstite, si vt par est pœnitentia congruis actibus obeatur.

Pœnitentia medetur omnibus animæ morbis.

Conc. Trid. sess. 14. c. 1.

Pœnitentiæ nullum peccatum subtrahitur quod non ab ea deleatur.

Ex Scripturis.

2. Paral. 33.

Antequam pœnitentia vendicaret sibi rationem sacramenti, sanitatem restituit ægris etiam deploratis, vt videre est in Manasse, quem obstrictum innumeris penè piaculis Scriptura sic recolit: *Ceperunt Manassem, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum.* Nemo sanè deterior hoc Principe; horrenda tamen eius facinora, non obstitere quò minùs eius pœnitentia sartam tectamque sanitatem animæ cœlitus impertarit. Deus inducendo ritum illum, non excepit aliquod facinus, cui aliquando foret impar pœnitentia. Sic ex persona Dei Vates prouocat impios: *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, & quare moriemini domus Israel.* Concinit huic Prophetæ alius illi suppar, scilicet Ieremias, Deum sic inducens homines adhortantem: *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.*

Ezech. 18.

Ierem. 3.

Ecclesia Catholica fidem adhibens his Scripturis, longè est ab illa commentitia sententia, quam ei Caluinus homo procax turpiter affingit, dicens à nobis pœnitentiam decerni venialibus tantùm noxis, & non aliis momenti potioris. Quòd si vadimonium non deserit Caluinus, illum ego sisto iudicio Sanctorum Patrum, quos vt proceres suos Ecclesia Romana suspicit atque veneratur. Prior occurrit Athanasius soluens inscitiam eorum, qui iniurij pœnitentiæ dicunt eam non purgare peccatum blasphemiæ in Spiritum Sanctum. Sic ille: *Obseruandum est, non dixisse Christum: blasphemanti, & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse: sed blasphemanti, & in blasphemia manenti. Quandoquidem nullum peccatum est irremissibile apud Deum in illis, qui verè ex animo & vt par est pœnitentiam agunt.* Compendiosè, Athanasius omnem omnium peccatorum seriem dicit tergi scopis pœnitentiæ. Nullum etiam repetitum crimen secerni à gratia pœnitentiæ Deus ait, dicens peccatorem quotiescumque ingemuerit saluum fore. Eò vergit hoc effatum Gregorij Nysseni: *Moyses rursus per lapidem inundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum qualeque sit pœnitentiæ sacramentum docet. Nam qui postquam semel biberunt è lapide, quamuis ad ventrem & Ægyptias voluptates lapsi, bonorum priuatione, ac doloris perpessione in deserto condemnentur: possunt tamen virtute pœnitentiæ lapidem, quem dereliquerunt, inuenire, ac fontes, quos delinquendo obserarunt, pœnitendo reserare.*

Ex SS. Patribus.

Peccatum in Spiritū Sanctum quādo non remissū.

Athanasius de annunciatione natura-li Patris, & Filij, & Spiritus S.

Peccatū post recidiuam potest pœnitentia dilui.

Greg. Nyss. de vita Moysi.

Fortè obgannient Sectarij, fidem Romanæ Ecclesiæ incongruè ostendi sententiis Græcorum Patrum, ideoque diluenda est obiectio, productis in medium textibus idoneis, & petitis à priscis scriptoribus Ecclesiæ. Fortasse sapiet hæreticis Tertullianus, enuntians quid Ecclesia Romana de pœnitentiæ merito prædicarit. Sic ille: *Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis a principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum Paradiso, mortique subiectum: cum rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissâ sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi, & imagini suæ. Itaque & populum sibi congregauit, & multis bonitatis suæ largitionibus fouit, & ingratissimum toties expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est, & prophetando vniuersorum Prophetarum emisit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus tempo-*rum

Tertull. lib. de pœnitentia cap. 2.

Pœnitētiam hominum quàm patiēter Deus semper expectarit.

Pœnitentia euertit sordes omnes.

rum per Spiritum suum daturus esset, praire intinctionem pœnitentiæ iussit, vt quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per pœnitentia subsignationem antè componeret. Non tacet Ioannes: Pœnitentiam inite, dicens: iam enim salus nationibus appropinquabit, Dominus scilicet afferens secundum Dei promissum. Cui praministrans pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam, vt quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum superuenturo Spiritui Sancto paret. Horum bonorum vnus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa.

Pœnitentia mundum habitaculum præparat Spiritui Sancto.

Pœnitentiæ meritū nullo peccato retundi.tur.

Audis, Tertullianum nullum omnino crimen subtrahere scopis pœnitentiæ, & sic conuincere erroris atque mendacij Caluinum, qui traducit Catholicos velut iniurios dignitati pœnitentiæ, & docentes eam indici tantùm peccatis venialibus. Sed quia interdum hæretici dubiam faciunt fidem Tertulliani, quia transfuga & desertor Ecclesiæ Montano hæresiarchæ adhæsit, operæpretium est laudare Patres, qui maximè pertineant ad Romanam Ecclesiam, ne qua cauillandi ansa supersit hæreticis. Opportunus adest Gregorius ille Magnus, moderator Ecclesiæ Romanæ, cuius fidem sic explicat: *Per veram pœnitentiam, quamuis multa & grauissima sint, peccata per misericordiam Dei facilè relaxantur.* Rursus idem pœnitentiæ dignitatem sic aperit: *Tribunal iudicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, dignâ eum modò pœnitentiâ placare contendat.* Accipe & alium Pontificem ætate superiorem Gregorio. Is est Leo Magnus, succinctè concludens quanti sit ponderis pœnitentia: *Multiplex* (inquit) *misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ repararetur æterna.* Textus ille liquidò prodit, mentem Præsulis huius summi fuisse, pœnitentiam occurrere discrimini, in quod peccata mortalia incurrunt. Nempe solo lethali piaculo homines excidunt spe vitæ æternæ, quæ vt reparatur obsequio pœnitentiæ, in confesso est, Pontificem, qui hoc professus est, aliter omnino sentire de pœnitentia, quàm Caluinus mentitus sit.

Gregor. l. 7. Moral. c. 2.

Lib. 2. ep. 44.

Leo epist. 9. cap. 2.

Pœnitentiā reparatur spes vitæ æternæ.

Si etiam priscos Ecclesiæ Doctores in animo est consulere, conclamabunt, nullo crimine retundi virtutem pœnitentiæ. Ita Hilarius: *Nefas est, nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cùm per Euangelij gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulta.* Si sine modo; ergo modum illi Ecclesia non imponit, vt delirant hæretici. Concolor Ambrosius ita fatur: *Omnibus conuersis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Hieronymus item elimatè palàm facit Ecclesiæ sententiam orthodoxam in argumento pœnitentiæ: *Frustra* (inquit) *mortuus est Christus, si aliquos viuificare non potest: mentitur Ioannes Baptista, & digito Christum & voce demonstrans: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.*

Hilar. can. 18. in Matth.

Ambr. l. 2. de pœnitētiæ c. 2.

Hieron. in ep. ad Oceanum de digamia.

His adiice Augustinum, qui aliàs visus est dicere esse peccatum tanti ponderis, vt aditum sibi ad veniam occluderet. Quod effatum ipse reuoluens censuit suâ interesse, liquidiùs suam promere sententiam circa illam conclusionem, quam velut indigestam scripserat libro primo de sermone Domini: *Addendum* (inquit) *fuit: Si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Porrò quia hæretici possunt obiicere, fuisse quidem fidem hanc Ecclesiæ veteris, cui constitere omnia sarta tectaque ad fidem pertinentia, sed Romanam Ecclesiam vt degenerem defecisse: accipe decretum Concilij Lateranensis celebrati sub Innocentio III. vndecim sæculis post incunabula Ecclesiæ. Sic sancta Synodus illa Generalis: *Si post susceptionem Baptismi, quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Non ergo à sacris Patrum institutis Romana Ecclesia deuiauit.

Aug. l. 1. Retractat. c. 19.

Peccatum graue quādò non remittatur.

Concil. Later. cap. 6.

Nota, me non conduxisse Patres eo solo intento, vt probarem Ecclesiam profiteri, vim pœnitentiæ porrigi ad peccata omnia quantumuis grauia; hæc siquidem conclusio nullas patitur instantias hæreticorum, sed Caluini tantum calumniam. Itaque præcipuus scopus, ad quem collimat omnis hic discursus, est intentum damnandi errorem hæreticorum, qui principem pœnitentiæ partem faciunt fidem, quam dicunt nihil aliud esse, quàm fiduciam in misericordia relaxante piacula nostra. Quod commentum abundè conuincitur solo Patrum silentio; nemo nimirum Sanctorum Ecclesiæ procerum quidpiam tale ingessit, cùm fuere ab eis luculenta pœnitentiæ encomia celebrata.

SENSVS ORTHODOXVS.

An pœnitentia secum aliquam pœnam vehat:

In hæc verba:

Qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

CONTROVERSIA II.

Ex Scriptvra Sacra, Et Ex SS. Patribvs.

VT nihil in piscina probatica lauabatur præter oues iam mactatas, quarum laceræ carnes sanguine diffluebant; ita ad pœnitentiam pertinent tantùm homines, qui de sua salute solliciti, spontaneâ pœnâ assumptâ plectunt in se quod nequiter antea perpetrarant. Vnde pœnitentis habitus cum sacrificio componitur à Dauide: *Sacrificium* (inquit) *Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Spiritus dicitur contribulatus, quando cum corpore tribulatur. Teritur autem corpus cilicio, ieiuniis, & flagellis. Rursus qui in piscinam mittebantur hyberno tempore, rigoris sensum & pœnam sustinebant, veluti instantis præludia sanitatis. Hæretici mollibus assueti abhorrent ab hoc pœnitendi ritu, nihilque asperum volunt inesse pœnitentiæ, à qua prorsus eliminant illud omne, quod acerbum sapit. Ideoque totam pœnitentiam

Pœnitentia est sacrificiū.

Psal. 50.

Pœnitentia quomodo describatur ab hæreticis.

nitentiæ summam constituunt in fiducia remissionis peccatorum, & in proposito emendandi retroacta facinora, sicque volunt, pœnitentiam perinde esse ac resipiscentiam, quod etiam vocabulum suffecerunt in locum pœnitentiæ, quando in Scripturis vox illa occurrit.

Homines comatuli, & omnis illecebræ vilia mancipia, declinant pœnæ nomen, ne deliciarum voluptatem minuat ille pœnitentiæ titulus importunus. Ita Erasmus prælusit aliis hæreticis: *Nostrum* (inquit) *vulgus putat esse pœnitentiam agere, præscripta pœna quapiam luere commissa: quod apud Christianos, qui publicè peccassent, eiectis è consortio propalam affligerentur, eaque satisfactio siue pœna, pœnitentia vocari cœpta. Quæ quidem ex re non mediocris error Theologis quibusdam obrepsit, qui quod Augustinus de pœnitentia, hoc est de publica satisfactione scripsit, ad animi dolorem, quam contritionem vocant, detorquent. Alioqui μετάνοια dicta est à μετανοεῖν, hoc est a posterius intelligendo, vbi quis lapsus, re peracta tum demum animaduertit erratum suum.*

Erasmus in annotat. ad c. 3. Matth.

Hoc largè vinus ebibit Beza, qui inuehitur in eos, quos vox Græca μετανοεῖτε induxit vt verterent: *Pœnitentiam agite.* Cùm debuissent vertere: *Resipiscite.* Ecce hominis insani deliram sententiam: *Quam interpretationem multas ob causas repudio, sed ob eam potissimùm, quòd multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint falsarum opinionum de satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia.*

Beza in c. 3. Matth.

Pœnitentia pœnam secū vehit.

Arguo primò in transfugas illos, petita auctoritate Gentilium Latinorum, ad quos maximè pertinet enucleare voces Latinas, quarum sensum ancipitem credunt hæretici, quos sisto ad subsellia Grammaticorum, quandoquidem Patres Ecclesiæ dedignantur habere magistros. Pœnitentia, nomen est deductum à verbo, pœnitere, quod ex etymologia perinde est, ac pœnam tenere. Vnde cùm ipsi Gentiles apprimè callentes vim verbi huius, meminere pœnitentis actum, statim etiam fecere mentionem aut pœnæ alicuius inflictæ, aut doloris acerbi, cordis intima lancinantis. Audiendus in re Latina is, qui in ea principatum tenet Cicero: *Quomodo* (inquit) *si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset, & finem haberet priùs quam esset vita, vlciscendi libido, aut quemquam pœniteret, quod fecisset per iram? vt Alexandrum Regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi.* Vides ex Cicerone, pœnitere & resipiscere, non esse verba synonyma, sed pœnitentiam inducere mulctam indictam, pro dignitate iniqui facinoris, qualem voluit sibi Alexander infligere, sic vlturus mortem, quam amico suo ebrius intulerat. Rursus Ouidius, Latinæ linguæ non ignarus, ita recenset verbum illud.

Cicer. in 4. Tusculana.

Pœnitet, ò si quid miserorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cùmque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati pœnam, quam meruisse minus.

Ouid. l. 1. de Ponto.

Non est prætereundus Ausonius, vtpote nobis æquus arbiter. Sic ille describit simulacrum pœnitentiæ.

Pœnitentia credita Dea & quomodo descripta.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Ausonius Epigramm. de occasione & pœnitētia.

Quia Caluinus Augustinum sibi eligit in arbitrum controuersiarum, audiant omnes symmystæ huius nouatoris, quid Augustinus sentiat de significatione nominis huius. Sic ille: *Est pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra.* Hæretici toti sensibus addicti horrent ad vocabulum pœnæ, ideoque nolunt illam vocem esse suis auribus importunam. Et tamen Scriptura sacra commemorāns pœnitentiam, simul etiam recolit pœnas inflictas, vt indices doloris acerbi, quo angitur anima lugens crimina retroacta. Hunc pœnitendi ritum Deus exigit à Iudæis, eos sollicitans ista beneficuadā parænesi: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Non igitur ex sola fiducia & resipiscentia pœnitentia integra coalescit; sed largo lacrymarum imbre desudat, macerat inedia, & cinere respergitur. Pœnitentia Niniuitarum minimè commendatur ab eorum resipiscentia, sed à ieiunio & saccis, quibus populus ille declinauit iram Dei. Ipse Dominus, hominum reparator, recolens quænam sit idea perfectæ pœnitentiæ, non eam penes resipiscentiam posuit tantùm, sed supellectilem pœnarum ei adiecit. Ecce Christi sententiam: *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.*

August. epist. 108. ad Seleucianum.

Pœnitentia integra quid importet.

Ioël. 2.

Ionæ. 3.

Matth. 12.

Luc. 10.

Resipiscentia est veluti rudimentum pœnitentiæ; sed pœnæ inflictæ colophonem imponunt, & sunt indubiæ tesseræ animæ pœnitentis. Confessio namque potest esse mutila, atque adeò nullius momenti: contritio est hominibus inuia, imò & ipsum pœnitentem latet, cùm nemo sciat amore sit dignus nec ne: solæ supersunt pœnæ indictæ pœnitentibus, quibus constat de voto hominis anhelantis ad meliorem frugem. Eamobrem quando Patres effunduntur in laudes pœnitentiæ, non eam eo nomine laudant, quòd resipiscant homines, sed quòd suspiria, lacrymæ, gemitus, & aliæ angustiæ vltro assumptæ misericordiam Dei concilient, & peccatorum reliquias tergant. Vide pœnitentiam stipatam vt par est a Basilio Magno: *Attende* (inquit) *tibi ipsi pro delicti proportione, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instauranda subsidium. Magnum est & graue peccatum? Multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso & continenti ieiunio. Leuis est, nec intoleranda offensio? Huic quoque exæquetur pœnitentia.*

Pœnitentia lacrymis accingitur.

Ex SS. Patribus.

Basilius hom. 3. in hæc verba: Attende tibi.

Non ergo resipiscentia sola totum pœnitentiæ negotium perficit: imò Chrysostomus ex professo sugillat illos, qui resipiscentiæ veluti carceribus & cancellis pœnitentiam incongruè coarctabant. Ecce censuram viri magni: *Agamus pœnitentiam, etiamsi indulgentiæ modum peccata excedere videantur, & non modò veniâ peccatorum, verùm etiam præmiorum gloriâ perfruemur. Pœnitentiam verò dico, non solùm vt à malis prioribus desistamus, verùm etiam vt bonorum operum fructibus impleamur: Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus: verbi gratiâ. Aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? A legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sapim paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam*

Chrysost. hom. 10. in Matth.

Pœnitentia contraria contrariis apponit.

sed

vel opere cuiquam vel sermone fecisti? Refer benedictionis verba conuiciis, & percutientes te nunc officiis nunc beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula à corpore euellere, sed etiam remedia adhiberi vulneribus oportet. Deliciis antea & temulenta defluebas? Ieiunio & aqua potu vtrumque compensa.

Pœnitentia quare amarorem decernat animæ pœnitenti. *Cyprian. l. 2. epist. 12.*

Bellè equidem Chrysostomus medicamina contraria decernit morbis animæ, quæ vt peccauit genio nimis indulgendo, & sectando placitas sensuum illecebras; rectæ rationi consentaneum est, vt pœnitentiæ amarore sibi consulat: namque amaris dulcia castigantur. In his pharmacis commendatur fletus vt sua mordaci salsedine salutares, quibus si pœnitentium opera bona madent, magni sunt momenti apud Deum. Ita Cyprianus: *Eluendæ sunt impio sacrificio manus inquinatæ bonis operibus, & nefario cibo ora misera polluta pœnitentiæ sunt vera sermonibus expianda, & in secretis cordis fidelis nouellandus & conserendus animus: crebri pœnitentium gemitus audiantur, & iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur, vt illi ipsi oculi, qui malè simulacra conspexerunt, quæ illicita commiserant, satisfacientibus Deo fletibus deleant.* Profectò hæretici abundè potati dulcedine voluptatis, aspernantes amarorem pœnitentiæ, sic sibi occludunt fores gloriæ æternæ, quæ est inuia adultis hominibus, qui post sacros Baptismi latices, sese vitiis obstrinxerunt, nisi confugiant ad pœnitentiam vt ad secundam post naufragium tabulam. Ideoque manet nostrates hæreticos, sensus adagij istius:

Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.

SENSVS ORTHODOXVS.

An singuli quique homines suis stipentur Angelis.

In hæc verba:

Angelus Domini secundùm tempus descendebat in Piscinam.

CONTROVERSIA III.

Ex Sanctis Patribvs.

Plutarch. in Demosthene. Philippi Macedonis industria ad perdendam Græciam.

Philippus Macedo imminens Græciæ, vt eam armis adiiceret suæ ditioni, noluit supplices audire Græcos, nisi suos Oratores obsides darent. Quod vt innotuit Demostheni principi Oratorum, is in concione acriter inuectus est in Philippum, & ostendit eum æmulari luporum perfidiam, qui, vt in fabula est, pactum inierunt cum ouibus, ea lege, vt canes pecuarij lupis darentur in obsides, quos vt recepere statim iugularunt, & inde insilientes in gregem inermem eum penitus extinxerunt. Ita (inquit Demosthenes) Philippus à vobis, ô Græci, petit Oratores vestros, quorum consilio vt custodiâ securâ Respublica sibi constat, vt hoc præsidio pessum eat Græcia destituta. Hac industria Caluinus voluit dementare fideles, vt faceret eos transfugas, & suæ defectionis ab Ecclesia participes: nempe sacrilegus ille ludens in re sacra, risit fidem Ecclesiæ, affirmantis singulos quosque homines ab ortu suo sortitis atque præsidiis occurrerent petitos esse Angelos custodes, qui suis consiriculis, quæ multa facessunt negotia homini ex se penitus imbecillo.

Angeli custodes quare negati ab hæreticis.

Caluinus vt insanit, ita credit omnes desipere, ideoque vocat delirium illam Ecclesiæ fidem, quæ astruit custodes Angelos singulis quibusque hominibus. Sed hominis huius blasphemia conuincitur ipso assensu Ecclesiæ, quæ tempore Apostolorum, rem hanc vt indubiam habuit. Namque congregatis Apostolis, Petrus eductus è carcere, adstans foribus ædium, vbi pulsauit, & Ostiaria Rhode nuntiauit Apostolis adesse Petrum; illi increduli suspicati sunt esse Angelum eius, & dixerunt adinuicem: *Angelus eius est.*

Caluin. in Harmon. ad A a th. 18. vers. 10.

Angelus custos vnicuique datus. *Act. 12.*

Caluinus nusquam sibi constans, hunc textum reformidans cogitur annuere fuisse fidem Ecclesiæ illius existentis adhuc in prima velut lanugine sua. Sic ille: *Vnus est locus, qui videtur ad confirmandum aliis paulò clarior: nam cùm Petrus è carcere deductus pulsasset fores domus, in qua congregati erant fratres, cùm suspicari non possent eum esse, dicebant Angelum ipsius. Videtur hoc illis in mentem venisse ex communi conceptione, quòd singulis fidelibus præsides assignati sint sui Angeli.*

Caluin. l. 1. Institut. c. 14. §. 7.

Hæc illibata fides enitentis Ecclesiæ ad hæc vsque tempora transmissa est, habetque Patres vt congruos assertores. Ita Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Hanc Angelorum custodiam indefessam, & præsentiam iugem velut certissimam Chrysostomus sic adstruit: *Videte ne despiciatis vnum ex istis pusillis: Angeli enim eorum perpetuò vident faciem Patris mei, qui est in cœlis: vnusquisque enim fidelis habet Angelum. Nam etiam ab initio vnusquisque vir probus habet Angelum, sicut dicit Iacob: Angelus qui pascit me, & liberat me à iuuentute mea. Si ergo habemus Angelos, modestè nos geramus: tamquam nobis adsint quidam pedagogi.* Iustinus Philosophus & Martyr, multò antiquior Chrysostomo, Angeli custodis beneficium meminit vtique luculenter, hoc contextu: *Omnes quidem Angeli, & qui præsunt, & qui parent, functionem explent, cœlis & iis quæ ad homines pertinet vtilem. Qui autem id muneris accepe-*

Ex SS. Patribvs. *Hieron. in c. 18. Matth. Chrysostom. hom. in c. 1. ep. ad Coloss.*

Iustinus Martyr in responsione ad qu. 30.

Angelus custos peccatis hominum offenditur.

acceperunt, vt comites hominum sint & custodes, semper augentur, minuuntur nunquam. Aut enim vtrumque comitantur, animam dico & corpus; aut certè animam comitantur post discessum animæ à corpore, Basilius initiatus eisdem fidei arcanis, non ancipitem fecit illam de Angelo custode sententiam; sed eam velut ratam & fixam habuit, ita fatus: *Velut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum ac graueolens peccatum*, &c. *Considera quanta sit Angelorum natura: quoniam vniuerso exercitui, & castris numerosæ hominum multitudinis vnus assimilatur Angelus. Ob magnitudinem itaque eius qui te custodit, castra tibi munitionesque prabet Deus: propter verò Angeli virtutem veluti circumuallat te vndique securitate, quæ est per illum.*

Basil. in Psal. 33.

Dæmon expertus à sæculo, quàm sit illa potens Angelorum custodia, suggessit hæreticis, vt hanc impugnarent, & homines auerterent ab illa sententia, vt sic abstracti à cultu Angeli custodis, & dedignantes eius obsequia, oues illæ imbelles sine præsidio faciliùs cederent in fauces patulas lupi infernalis. Ecclesia prudenter occurrit astutiæ huic lethali, constanter addicta beatis illis spiritibus, quorum custodia cœlitus armatur. Præter Scripturam, & Patres Græcos iam laudatos, accipe & hos è choro Latinorum. Ecce Tertullianum: *Omnem hominis in vtero ferendi, struendi, fingendi paraturam, aliqua vtique potestas diuinæ voluntatis ministra modulatur quamcumque illam rationem agitare sortita. Hæc æstimandę etiam superstitio Romana Deam finxit Alemonam, alendi in vtero fœtus; & Nonam, & Decimam à sollicitioribus mensibus; & Partulam, quæ partum gubernet; & Lucinam, quæ producat in lucem. Nos officia diuina Angelos credimus.* Adiice Ambrosium: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.* Vide in eo argumento cap. 27. Soliloquiorum Augustini, quod magna ex parte descripsi Tomo secundo istius Encyclopediæ, quem consule in Tractatu de Angelis, cui in secunda editione adieci omnia quæ pertinent ad controuersias de Angelis. Ibi rationes plurimæ prostant, adstruentes illam Catholicam de Angelorum custodia disciplinam.

Tertull. l. de anima c. 37. Alemona, Nona, Decima, Partula, Lucina, Deæ olim Gentilium.

Ambr. lib. de Viduis.

SENSVS ORTHODOXVS.

An congruè decernantur festa, vt diebus illis præcipuè Sanctorum memoria recolatur.

In hæc verba:

Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

CONTROVERSIA IV.

EX SCRIPTVRA SACRA, ET SS. PATRIBVS.

VT dies festi fuere instituti ad impigrum studium salutis animarum, non mirum est dies illos sacros fuisse impugnatos ab hæreticis, quibus nulla prorsus est cura salutis æternæ. In festa præcipuè declamarunt VValdenses, vt meminit Guido: cum illis insaniit VVicleuus, cui & Thaboritæ litarunt, ex Ænea Syluio. Sed omnium errorem vicit impudentia Lutheri, qui sic furit: *Duodecima facies Antichristi est festorum dierum obseruatio, cùm omnes dies liberi sint, & ad feriandum, & ad laborandum. In hac autem facie insigniùs lucent magni illi festi dies: Visitationis, Corporis Christi, Apostolorum, Conceptionis, & similium: & necesse est peccare, & perire animas, si quæ non seruant, vel inuitè seruant hæc stulta & inutilia præcepta.* Si omnes dies liberi sunt ad feriandum, & ad laborandum, vt desipit ille sacrilegus, quare Deus tot indixit festa, quando Iudæos initiauit ad singularem Dei cultum? Ad quid festa Paschæ, Pentecostæ, Scenopegiæ, Neomeniæ, quibus vt sabbatis omnibus erat hoc commune, scilicet ab omni seruili opere feriari?

Quinam impugnarint festa. *Guido de VValdensibus c. 17. Ioan. VVicleuus Trialogo 3. Æneas Syl. ep. 130. Luther. lib. contra Ambrosiũ Catharinum. Exod. 12. Deut. 16.*

Profectò Ecclesia deterioris esset conditionis, quàm fuerit olim Synoga, si non haberet dies aliquos institutos ad singularem Dei cultum, quibus anima Deo vacaret corpore feriante. Viguisse ritum illum in Ecclesia pubescente, liquet hac constitutione Apostolica Clementis Papæ, decernentis dies, quibus famuli vacare debent. Sic ille: *In diebus Apostolorum vacent: magistri enim vestri fuerunt, ad docendum vos de Christo.* Ad hunc inolitum Ecclesiæ morem spectat hæc obseruatio Origenis: *Priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes. Nunc verò nos non diem natiuitatis celebramus, cùm sit dolorum atque tentationum introitus: sed mortis diem celebramus: Propterea memorias Sanctorum facimus.* Inuito etiam Iuliano Apostata floruit illud institutum, vt constat ista inuectiua Gregorij Nazianzeni, carpentis infidelem animum

Festa fuere instituta ab exordio Ecclesiæ.

Clem. Rom. l. 8 constit. Apost. c. 33.

Origen l. 3. in Iob.

animum Principis huius Ecclesiæ desertoris. Sic ille inuehitur in transfugam: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es, nec magnos pugiles extimuisti; Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, &c. quibus præclari honores & festa sunt constituta.*

Greg. Naz. orat. 3.

Non cessit Græcis Latina Ecclesia in his quæ spectant ad Sanctorum cultum. Huiusce pietatis in festa specimen edidit Ambrosius ita fatus: *Natalem beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium virorum solennitatem non magna cum lætitia debet celebrare. Quis enim talium virorum solennitate non magnos sibi exhibeat apparatus? vt quò plus expenderit, plus se Apostolos confirmet amare.* Quàm religiosus fuerit populus Christianus in celebrandis festis sæculo Augustini, patet hoc eius discursu: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria.*

Ambrosius serm. 67.

Festa semper religiosè obseruata in Ecclesia.

Aug. l. 20. contra Faust. Manichæ. 21.

Habuere quondam Gentiles suos feriarum dies ad celebrandos ludos in memoriam Heroum, quorum egregia facta publico gaudio recolebant. Quidni & Christianis fas sit seponere dies aliquot festos, quibus operi seruili datis induciis meditentur agones Sanctorum, vt se componant ad eorum modum, & sic festa fidelibus sint fausta, & boni ominis. Ita Augustinus: *Passionis Sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quid patiebantur, & intelligentes quid intuebantur.* Rursus: *Natalia Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos, qui præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis.* Demum compendiosè docet, quomodo sint celebrandi dies festi: *Quotiescumque, fratres charissimi, sanctorum Martyrum solennia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus à Domino consequi temporalia beneficia: vt ipsos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solennitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

Festa ad quid est instituta.

August. in Psal. 63.

Idem in Psal. 88.

Idem. ser. 47. de Sanctis.

Festa quomodo celebranda.

OBSERVATIO NECESSARIA In quæstionem de prædestinatione.

Esse arcana Dei hominibus inuia, breuiloquo versu Psaltes ait, ita occinens: *Nubes & caligo in circuitu eius.* Quasi diceret, in indagine rerum, quæ Dei sunt, peracutis etiam mentibus omnia nigricare. Indubij huius oraculi veritas se totam prodit in themate prædestinationis. Illa nimirum instar tabernaculi, tot est pendulis obducta velis, vt illa velut in opaco sita fugiat oculorum aciem, vtpote degentibus in hoc æuo hactenus inaspecta. Hinc fit vt tractatus ferè omnes de prædestinatione referant templum illud famosum Salomonis, vbi nubes index erat maiestatis Dei illabentis. Miraculi seriem sic expressit scriba sacer: *Longè sonitus audiebatur, ita vt cùm Dominum laudare cœpissent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius: impleretur domus Dei nube, nec possent sacerdotes stare & ministrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.* Quisquis enim alto scrutinio inuestigat & rimatur sensa scriptorum de hac materia, quæ conducit ad gloriam Dei, is offusa caligine stat dubius in quam pedibus eat sententiam, quia argumenta singula quæque proposita nubibus opacantur.

Psal. 96.

2. Paral. 5.

Hæc nubila sese mihi obiecere supra expendenti sententiam à Christo ferendam in die iudicij in gratiam iustorum, quos ideo dixi vocari benedictos Patris, vt rescirent omnes, prædestinationem non fieri ex præuisis meritis, sed ex mera bonitate Dei, qui ab æterno voluit electis suis benedicere, id est, benè facere: dicere namque Dei, practicum est, & bonorum quæ influunt in iustos homines effectiuum. Ne igitur, lector, offusa caligo moras & remoras ingerat tibi in capiendo sensu meo, non illic aperto satis ob salebras flexuosas, & anfractus quibus hoc tricis implexum subditur argumentum; ecce tibi filum, cuius ductu & te meque simul expediam ex labyrinthi huiusce gyris & voluulis importunis. Nempe cruda si quæ occurrere tibi suprà in tractatu indigesto, hæc eadem reddita fornaci coctiora tibi denuo proponuntur. Subiectis itaque cautelis vtere, vt me inoffenso pede decurras.

Prædestinatio vt connotat effectus prædestinationis in homine, duabus quæstionibus argumentum fecit. Prima est, an prædestinatio considerata secundùm suos omnes effectus fiat ex præuisis meritis, quod perinde est, ac quærere, an prima gratia cadat sub meritum: etenim prima gratia est effectus prædestinationis. Hæc quæstio Catholicos omnes concordes habet; nam de fide est, prædestinationem hoc modo acceptam esse ex mera bonitate Dei: quippe homo in puris naturalibus, & sine superioris ordinis gratiâ Dei obstetricante, nequit assurgere ad primam gratiam, ideoque contraria sententia vt hæretica totius Ecclesiæ calculo reprobatur.

Altera quæstio est, an prædestinatio ad gloriam æternam fiat ex præuisis meritis. Prior quæstio hominem respicit naturali

tantùm ſupellectile inſtructum ; ſed iſta conſiderat illum prædiuitem , vtpote gratiæ iuſtificantis dotibus inſignitum. Vnde quæſtionis cardo totus in hoc vertitur; videlicet an homo prædeſtinatus ſit ad gloriam ex præuiſis operibus, ab eo gratiæ diuinæ obſequio fortiter exantlatis. In hoc argumento Theologia diſcolor eſt, & in duas ſciſſa claſſes : quippe magni nominis auctores propugnant ſententiam, quæ affirmat , fieri prædeſtinationem ad gloriam ex præuiſis meritis. Ego in hac ſententia ſuſpicor aliquale periculum vanitatis , cuius prurigo titillare poteſt animam ſi ei conſtet gloria æterna ex proprio penu : illa tamen opinio , vt explicatur cautè , tuta eſt , & graues Theologos numerat aſſertores.

Sententia negatiua mihi magis arridet, vt imitata Reges illos , qui diadema ſuum deponunt ad pedes Agni : ac proinde mihi inſedit hanc tutari , & dicere , prædeſtinationem fieri ex præuiſis meritis, ſed ex mera bonitate Dei. Argumenta, quæ probant , prædeſtinationem ad gloriam ,& prædeſtinationem ſecundùm ſuos omnes effectus non fieri ex præuiſis meritis,ſuprà ſubtexui promiſcuè ſine delectu ordinis , vt peritus lector poterit aduertere, & cuique concluſioni ſuas rationes aſſignare.

Tertia demum quęſtio , an prædeſtinatio in exequutione requirat merita in adultis , non agitatur inter Catholicos, qui conueniunt , homines adultos recepturos provt geſſerint , ſiue bonum , ſiue malum : Ideoque contra hæreticos dirigitur acies argumentorum , quæ adſtruunt, merita conducere ad gloriæ æternæ ſtipendia nanciſcendum. Ad adſtruenda merita pro executione prædeſtinationis, conduxi rationes,quæ militant prædeſtinationi ex præuiſione meritorum;quia illæ propitiæ ſunt concluſioni , quæ propugnat neceſſitatem bonorum operum, vt quis æterna gaudia ſortiatur.

INDEX SYMBOLORVM.

PRÆFATIO.

SYMBOLA sparsa tomo isto rara sunt & pauca comparatione tomi subsequentis, id est quarti, qui vbertate rerum omnium ditior est. Vt ergo fraternizet vterque tomus æquè ferax Symbolorum; aliis insertis huic libro plura annecto, quia alioquin lector amans Symbolorum fortè meam carperet inopiam, si me hic Symbola defecissent. Illa quibus deest numerus arithmeticus, sunt adiecta libro isti, vt fimbria ad ornatum: alia verò tomo isto tertio conclusa suas habent paginas inscriptas, fideli numero designatas.

A

SYMBOLVM.

A Domino regnum venit Imperiique potestas.

PICTVRA.

MAXIMILIANI II. Imperatoris Symbolum est hoc, quod inscripsit oræ numismatis, in cuius meditullio corona Imperialis erat. *Lukius libr. numismatum.*

APPLICATIO.

Frustrà sua obsequia Mundo pendit homo, ratus honores, opes, & gloriam se pro stipendio ab illo suo domino recepturum. Mundus enim ipse totus vt in maligno situs est, nihil omnino boni neque potest, neque solet incautis & illusis suis asseclis impertire. Idcirco benè sibi consulunt omnes, qui repudiato Mundo, veram ad gloriam anhelantes, eam desuper expectant, conscij veritatis huius effati à Maximiliano Cæsare aliàs vsurpati. *A Domino regnum venit, Imperiique potestas.*

SYMBOLVM.

A Domino factum est istud.

PICTVRA.

Ferdinandi Medicei Cardinalis est hoc Symbolum, quod inscripsit stemmati suo gentilitio, cui cardinalitius pileus imminebat. *Ægid. Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Prospera fortuna suis amasiis plerumque fucos facit: nam quisque suæ fortunæ fabrum se fuisse vanè & temerè gloriatur. Hi verò, quibus cum aura rerum omnium secunda Dei gratia aspirat, non in merita sua, sed in singulare Dei beneficium refundunt bonorum suorum omnium incrementum.

SYMBOLVM.

A via ne torseris.

PICTVRA.

Nicolai Flisci Cardinalis erat hoc Symbolum; adiectum serpenti via regia transeunti. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Christus baiulando crucem æuo suo toto, nobis strauit iter ad gloriam æternam; siquidem oportuit illum pati, & ita intrare in gloriam suam. Quisquis ergo suum traducit æuum genio indulgens, ille procul à prudentia serpentis abit aliò quàm quò Christus iuit, scilicet in dedecus, & opprobrium æternum. Christiane, caue deuios hos homines, & altè tuæ memoriæ insideat, non esse via à regia deflectendum.

SYMBOLVM.

A bono malum.

PICTVRA.

Cardinalis Innocentius Cybo voces has inscripsit cribro, bonum semen à puluere segreganti. *Ferrus in theatro Symbol.*

APPLICATIO.

Confessio sincera, cribri instar est; illa bona à malis sic secernit, vt præuia conscientiæ discussione foras egerat omnia crimina perpetrata.

ALIA APPLICATIO.

Ioannes ait, in manu Christi ventilabrum esse, suam vt aream purget: Ego reor, eum intellexisse diem iudicij, in quo bonis a malis post appensa ad trutinam eorum merita discernentur.

SYMBOLVM.

Absque metu.

PICTVRA.

Carolus Burgundiæ Dux in icone voces illas inscripsit, adiecto homine in edita rupe sito, vnde manu anchoram in subiectum pelagus immittebat. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Vndoso mari Mundus persimilis est: illic enim procella frequens tentationum, & vitiorum omnium intumescentes aquæ solent animas absorbere. Homo, cui se infudit gratia diuina, ridet & contemnit ea pericula: namque Deus eum sic confirmat, vt ille suam omnem spem in Deum dirigens, sit *absque metu*, vtpote supra feros æstus & despumantes vortices pelagi sæuientis.

SYMBOLVM.

Accipio nullas sordida turris aues.

PICTVRA.

Christierna Regis Daniæ Christierni filia pinxit turrim, ex qua procul omnes alites euolabant. *Anselm. Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Anima dignata Dei gratia, templum est, ad quod turmatim conuolare solent aues cœli, scilicet Angeli. Sed cùm sordescit homo Deo offenso, domus fit deserta, chorus vnde sacer auolat Angelorum. Iosephus ait, instante casu extremo plebis Iudæorum, auditas fuisse sæpe voces istas; *Recedamus hinc*: custodes enim Angeli Iudæorum, qui in Christi nece Deum grauiter offenderant, diutius ferre non potuere fæces populi desertoris.

Sensit & ipse Dauid se derelictum ab Angelis post peccata, quibus se turpiter obstrinxerat. Sic ille memor acceptæ cladis pœnitentis habitu lamentatur: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt: & qui iuxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Psal. 37. Planctus ille quasi concolor est Symbolo quod congruit animæ peccatrici. *Accipio nullas sordida turris aues.*

SYMBOLVM.

Acuit vt penetret.

PICTVRA.

Ioannis I. Regis Lusitani Symbolum est hoc in icone cusum, vbi erat expressa manus gladium trahiscens per silicem illo gladio terebratur. *Lukius libr. numismatum*

APPLICATIO.

Strenuus in virtutum omnium palestra pugil nullas omnino sibi ferias indulget, nec illi vnquam à mortificatione vacare vacat; sed se semper ad ardua, *acuit vt penetret*, & occurrentes omnes obices eluctetur. Ignauus verò secus, hæret in via virtutis quando leuis obex occurrit ei: ratio motarum hæc est: Animum non *acuit vt penetret*. Id est, otio torpet iners, ideoque nequit penetrare truces dæmonum turmas, sed à tentatione minima superatur.

SYMBOLVM.

Ad meliora.

PICTVRA.

Ioannis Caretti Marchionis Finarij Symbolum est, cuius pictura fuit equus gramina vilia dedignans, & progrediens ad pascua meliora. *Anselmus Boods lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Generosus equus eò vergit, vbi in gramina opima videt luxuriare prata, docens homines hoc exemplo, rebus in abiectis, & plebeiis non sistendum esse, sed debere *ad meliora* quæque semper assurgere, & illa sibi, quæ maximè conducunt ad salutem animæ, procurare.

SYMBOLVM.

Aduersus pondera surgo.

PICTVRA.

Casimirus II. cognomine iustus, Rex Poloniæ iussit iconis oræ extremæ voces illas insculpi, depictâ priùs palmâ, cuius in apice Mundus erat eam valde premens, sed non opprimens; in altum, frustra reluctante pondere, nitebatur. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Iustus non vt palma solùm florebit, sed etiam nactus indolem palmæ Regis huius præfati, nulla finet se orbis huius mole premi, sed qualecunque graue onus ei incumbat, *aduersus pondera surget.* Nec deorsum vnquam vt oppressus aut fatiscens eius animus inclinabit.

SYMBOLVM.

Æqua durant semper.

PICTVRA.

Ludouicus Andegauensis Rex Neapolitanus numisma cudit, vbi erant bilances, quas æquo pondere libratas exiens è cœlo manus pendulas omnibus ostendebat. In nummi limbo voces erant istæ, Regis intentum liquidè referentes. *Æqua durant semper.* Lukius lib. numism.

APPLICATIO.

Nihil iniustum perennare potest, imò sui ipsius est tortor iniquus homo, luens in hoc æuo pœnas, quæ atroces eum in æternum alibi cruciabunt. Iustitia verò secus, suos sectatores æui participes

ticipes in cœlo facit, quod æterna sæcula propagabunt. Vt ergo dures, homo, tuus sectetur animus æquitatem.

SYMBOLVM.

Æterna quæ mundo.

PICTVRA.

Speciale fuit numisma Regis Angliæ Richardi III. Illic erat ara foco accenso lucens, & puella manu vtraque foco imponens serpentem in orbem ductum descriptis iam vocibus exaratis. *Æterna quæ mundo*. Lukius lib. numismatum.

APPLICATIO.

Anima in peccato lethale virus hausit tartarei anguis: sed contritione Dei amoris ignem accendente in cordis eius ara virus omne priùs conceptum ab anima repurgatur. Quando malè habebat homo reus peccati mortiferi, manebat eum mors æterna; sed expiatus amoris igne viuet in æternum, vtpote vitæ conscius immortalis.

SYMBOLVM.

Agnosce, dole, emenda.

PICTVRA.

Guillelmi IV. Ducis Bauariæ Symbolum est, adiectum picturæ vbi mundus erat aquis immersus & suprà, stadium cursorum, cui corona intertexta lauris & oleis imminebat. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Penes illa tria præfata, tota sita est conuersio animæ pœnitentis. Mundus ei primò patet aquis immersus id est fluctuans & inconstans, ac proinde fugax & indignus cui homines obsequantur. Ex notitia illa clara dolor emergit: nempe dolet homo dies recolendo vitæ malè impensæ, & ille dolor eum sollicitat ad currendum in stadio virtutis, ita vitam in meliùs emendando.

SYMBOLVM.

Amat victoria curam.

PICTVRA.

Mathiæ Imperatoris erat hoc Symbolum antequam Imperij infulis ornaretur. Pingebat ille gruem vigilantem in medio aceruo armorum; ita notans, victorias à se crebras fuisse quidem relatas, sed has non ignauiam aut somnum, sed excubias vigiles anteisse. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Christus apprimè sciens, esse suos hostes in procinctu, ita suos Apostolos hortatus est ad congressum: *Vigilate & orate*, quasi diceret: vos de morte obeunda mei causâ votum solenne edidistis; instat hora, manus cum hoste mei interitus cupido conserendi. Vigiles estote, quia *amat victoria curam*. Apostoli excubiarum incurij præoccupati ab hoste fugam turpiter inierunt.

Christiane, vita tua militia est super terram cingeris vndequaque feris hostibus; ne vincare, decet inuigilare tuis sensibus, ne fortè dæmon irrepat in animam, astutè tuis oculis aut auribus occupatis. Proderit ad vigiles excubias præfatum hoc Symbolum sæpe tuo animo refricare. *Amat victoria curam.*

SYMBOLVM.

Amore tantum.

PICTVRA.

Illæ voces sunt inscriptæ iugo pluuia conspersо, quod Ægidius Sadeler exarauit. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Euangelica præcepta reor esse iugum, sed profectò suaue viro, cuius amor erga Deum ardet. Igitur anima fidelis ama, iugum Christi si vis facilè baiulare.

SYMBOLVM.

Amor omnia vincit.

PICTVRA.

Familiares fuere voces illæ Regi Galliæ Henrico III. qui has esse sibi voluit Symbolicas, eo intento cusas in icone referente duas manus implexas, coronâ desuper impendente. *Lukius lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Homo reus; id est obnoxius peccato, nequit coërcere feros dæmonis insultus: namque solus amor Dei generosè potest dæmoni præualere.

SYMBOLVM.

Animam in vulnere ponit. *p. 313. c. 1*

PICTVRA.

Delineatur apis, quæ iniuriam vltura, suum infigit aculeum; & illa leui punctione necem eamque citam sibi consciscit, ita luens pœnas, quos voluit homini procurare. *Symbolum desumptum ex Virgilio in Georgicis.*

APPLICATIO.

Profectò nihil æquè sicut apis refert insaniam hominis, quem cupido vltionis exagitat. Ille suam animam in vulnere ponit, imò deponit animam antequam ponat vulnus. Nam satius esset huic homini rabido & insano mori, quàm gratiâ Dei excedere, stultè suam iniuriam perpetrato crimine vindicando.

SYMBOLVM.

Ardentior ibo.

PICTVRA.

Edoardi II. Regis Angliæ Symbolum est in icone visum, vbi insculpta tela aranee, muscis erat paruulis capiendis idonea, à validis verò citò & facilè rumpebatur. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Diaboli tentationes & technæ velut araneorum telæ nobis prætensæ solas animas præpediunt infirmas & muliebres, quæ vltro se voluere capi; sed illæ telæ omnes à strenuis hominibus mediante Dei gratia lacerantur. Vnde videns homo, Dei gratia instructus, ab hoste sibi texi telas & laqueos, gratia diuina fretus ait: *Ardentior ibo*. Me generosè gerens, ita nisus omnes dæmonis eluctabor.

SYMBOLVM.

Ardua virtutem.

PICTVRA.

Innocentij VIII. Pontificis Symbolum est hoc, inscriptum ab illo ramis oliuæ & lauri, quos pingebat in excelsi montis apice complantatos. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Gloria cœlestis in alto posita est, ideoque petit emeritæ virtutis homines. Namque sicut caro, dæmon, & Mundus iter cæli obsident, & se opponunt iis, qui alta petunt; ita docet eos generosos esse, quibus insedit eò contendere, quò nemo potest appellere, nisi virtus eum ad agones omnes præstanti robore præparatit. Etenim *ardua virtutem.*

SYMBOLVM.

Assentatione morior.

PICTVRA.

Edoardi III. Regis Angliæ Symbolum est in icone cusum, depicto ceto pisce molis magnæ, cuius indoles hæc est, vt palpatus hærens sabulo moriatur. *Lukius libr. numismatum.*

APPLICATIO.

Deliciis palpata caro vitâ cadit: nempe sicut cetus àquis in amaris habet optimè, & in terra perit; ita caro duris & austeris pœnitentiæ exercitiis assueta, Deo viuit & gratiæ, & contra necem animæ consciscit quando voluptas ei turpiter assentatur.

SYMBOLVM.

Assiduitate.

PICTVRA.

Albertus Archidux Austriæ sumpsit hoc Symbolum, cuius pictura fuit Iason victrice manu præferens aureum vellus, quod se *assiduitate* dicit & labore iugi & improbo meruisse. *Typotius lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Aureum vellus agni pretium non est & præmium agonum athletarum Christi, sed ipse Deus agnus qui tollit peccata Mundi. Vt dignetur eo stipendio pretioso miles, esse debet assiduus in conflictu cum dracone, qui se opponit iis, qui contendunt ad gloriam. Nam incepisse cum diabolo decertare satis est, nec eum vicisse semel sufficit. *Assiduitate*, & constantiâ indefessâ totum hoc negotium conficitur, nec agni immaculati fruitio beata datur, quin assiduè dimicando vitæ extremi limites attingantur.

SYMBOLVM.

Atri ianua ditis.

PICTVRA.

Anonymi cuiusdam patriarchæ fuit hoc Symbolum adiectum picturæ inferni cuius apertæ fores habent custodem tricipitem canem, scilicet Cerbeum, aduenis omnibus adlatrantem. *Sadeler lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Psalmistæ votum est Psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Quisquis enim attentè suo animo recolit, esse fugax æuum quod decurrit, vtpote obnoxium morti, & illi succedere infernum si malè viuit homo: profectò vitam à vitiis transiget illibatam. Ne ergo suo officio desit homo, *atri ianua ditis* eius animo iugiter obuersetur.

SYMBOLVM.

Auctor ego gaudendi.

PICTVRA.

Caroli à Lotharingia Cardinalis erat hoc Symbolum adiectum picturæ manus armatæ gladio flammiuomo, conceptum insigne facinus exprimente. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Christus emi gladium voluit ab Apostolis: *Qui non habet (inquit) gladium, vendat tunicam, & emat.* Ego reor hunc gladium esse iugem mortificationis vsum, quo omnia membra animæ noxia rescinduntur. Cunctatur homo suos eruere oculos, quando impudicè vibrant: horret amputare manus atque pedes, quando necem animæ consciscunt: recolat hunc gladium à Christo cusum, atque suis discipulis cinctum; distringat eum & exclamet. *Auctor ego audendi.* Si carnis impetigo mihi suggerit aliquid obscœnum, ego meis membris vim faciam, nequid faciant indecorum.

SYMBOLVM.

Audaces fortuna iuuat.

PICTVRA.

Symbolum est Guillelmi de Nassau, quem vulgo vocant Principem Orangiæ. Ille primò Batauos induxit ad defectionem à Philippo II. Rege Catholico, cuius imperio sese perduelles illi populi subtraxerunt. Rebellionis auctor extitit hic Guillelmus, quem numerosa plebis transfugæ turba Ducem vnanimi voto sibi præfecit eo successu, vt illo Generali Præfecto sæpe Bataui triumpharint. Ille suæ fortunæ caput & principium dicebat esse plebem, à qua rei bellicæ præpositus, inde sibi grande nomen fecit. Vt ergo grates ageret huic populo, numisma cudit, vbi erat arbor dicta populus, his vocibus adiectis: *Audaces fortuna iuuat.* Id est. Ego prior ausus bellum inferre Regi Catholico, à populo adiutus eum in Ducem euasi, qui aduersas acies strenuè profligauit. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Fortunæ nomen non benè sonat in diuinis, ideoque nomen gratiæ vsurpabo, quia quidpiam augustius fortunâ sapit, & congruit magis euersis à vitio moribus instaurandis. Ita sanè, *Audaces gratia diuina iuuat*, & contra pigros deserit & ignauos. Qui namque desunt gratiæ, non merentur eius influxu cœlitus adiuuari. Audaci verò seu facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, & hanc copiosam desuper illabentem.

SYMBO

SYMBOLVM.

Aurea virtutis merces sudore paranda.

PICTVRA

Symbolum hoc est Caroli Friderici Principis Iuliacensis, qui depinxit Herculem conterentem claua caput huius draconis, qui obstabat, ne horti Hesperidum mala aurea carperentur. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Draco, dæmon scilicet, obstat ne dona Dei aurea sanè manu porrecta sumat homo, Deo cooperans ad gratiæ influxum: sed homo suæ salutis amans, vt carpat illa cœli aurea mala, sudat, alget, & cuncta acerba subit, quæ conducunt ad æterna præmia consequenda.

B

SYMBOLVM.

Beneuolentia.

PICTVRA.

Babo Comes Habsburgensis coronam pinxit inter clypeos & hastas, hac inscripta voce, *Beneuolentia*, insinuare volens, amorem subiectæ plebis esse tutam custodiam Principi, hastæ & clypeo præualentem. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Non inficior, ieiuna austera, preces, aliaque bona opera facta, veluti clypeos & hastas esse, quibus homo vallatus æuum transigit incolumis à spiculis, quæ à dæmone & Mundo in animam sæpius intorquentur. Sed profectò maior & tutior est custodia amoris, cuius vis est nescia vinci. Qui ergo dura pati, aut austerè diu ieiunare nequit, amet; & ille Dei & proximi sincerus amor eum à Mundo, carne & dæmone vindicabit.

SYMBOLVM.

Bonæ spei.

PICTVRA.

Carolus IX. Rex Christianissimus in icone cudit puellam, vna manu libram, altera verò cornu-copiæ præferentem. In iconis ora voces erant insculptæ, quibus hoc Symbolum exprimebat. Bonæ spei. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Homo, cui nulla cura suæ salutis inest, profectò librum id est iustitiam non habet, iniustus enim est; ideoque cadit ea spe boni æterni, qua gaudet homo benè sibi conscius, & sectator iustitiæ, cui sperare magis congruit, quàm illi, cuius est æterna salus animæ deplorata.

C

SYMBOLVM.

Cælitus impendet.

PICTVRA.

Dionysij Regis Siculi Symbolum fuit & effatum, cui concordat pictura districti gladij cælitus impendentis. *Paradinus lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Estò mali luxurient, & in bonis agant impunè dies suos; diuturna tamen prosperitas haud vigebit: nam vindicta velox *cœlitus impendet*, scelestos de medio deletura, pœnas eis congruas infligendo.

SYMBOLVM.

Cælitus sublimia dantur.

PICTVRA.

Sigismundus III. Rex Polonus peculiare sibi fecit hoc Symbolum, quod vnum eius numisma refert, vbi depictæ coronæ voces habent has inscriptas, apprimè gratum erga Deum Principis huius animum exprimentes. *Lukius lib. numis.*

APPLICATIO.

Corona gloriæ non est naturæ solius aut artis alicuius opus, sed singulare Dei beneficium, qui prædiuite corona beat eos, in quos vberes gratiæ cœlitus influxerunt.

SYMBOLVM.

Cælitus datum.

PICTVRA.

Ioannis Hieronymi Moroni Cardinalis Symbolum est hoc, adiectum picturæ araneæ, quæ exorsa telam liciis vinxit, & stamine percurrit, Cardinalis ait, araneam debere Deo soli illam texendi industriam, quam à regulis artis homines emendicant. *Sadeler lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Ad exercitium meritumque manus hominum, è cœlo datum est seu permissum dæmoni nos tentare telas sic texendo, quibus vitiis implicitì homines inuoluantur. Diabolus vsurpare nequit plus roboris in homines quàm sit ei *cœlitus datum*. Cùm ergo nemo queat vltra vires tentari, non formidare debet homo telas, quas declinare potest, aut facilè mediante Dei gratia lacerare.

SYMBOLVM.

Comminuam aut extinguam.

PICTVRA.

In Maximiliani II. Imperatoris icone voces illæ cusæ clamant quid designet ibi aquila depicta, premens vtroque pede duo cornua lunæ, quæ vt est Turcarum stemma, notat Imperium Turcarum, cuius excidium Imperator eo Symbolo meditatur. *Lukius lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Quotidie meditatur homo pius imò rogat ruinam regni dæmonum: nam in Dominica oratione Deum sic vrget: *Adueniat regnum tuum*, quòd perinde sonat ac Imperium dæmonis comminuatur, & penitus extinguatur. Quia verò solæ preces opus hoc arduum, non præstant; homo bonis operibus atque Dei gratia instructus agit, vt si non orbe toto tale dæmonis imperium non desinat, saltem generosè sua in anima destruatur.

SYMBO

SYMBOLVM.

Canit vſque cicada. p.703.c.1

PICTVRA.

Ioannis Camerarij ſymbolum eſt, à quo pingitur hîc cicada, cuius genius eſt vt die tota canat, rore cœli paſta, & parum ſollicita congregare ſibi dapes in futurum, vt formicæ ſolent, congerentes triticum in cumulos, hyberno tempore depaſcendos. *Camerar. lib.centuriar.*

APPLICATIO.

Vt cuncta Deus, hominis eſſe fecit, hominem verò Dei; ego non ambigo, cicadam ita ſuos protrahere cantus ab ortu ad occaſum, vt indeſinens ille tenor & iuge melos ſonoræ vocis exilis inſecti hominem prouocet ad orandum aſſiduè, ſi rore cœli velit, id eſt, gratia diuina velut cibo ſibi congruo ſaginari. Cùm ergo iugis aut longior oratio faſtidium ingeret homini ſupplicanti, ille ſuum ſic teporem accendat: *Canis vſque cicada*, id eſt, Pudeat te hominem editum ad imaginem Dei, non poſſe moras protrahere fundendo preces, cùm cicada vile animalculum in teſſeram gratitudinis ſuæ ob guttulas roris, quibus aſperſa madet, occinat vſquequaque.

SYMBOLVM.

Conficere eſt animus.

PICTVRA.

Ioannis Caraccioli Principis Melphi Symbolum eſt inſcriptum gladio & accenſæ faci, fortè ſuum vt ſic proderet animum bello natum; ſiquidem igne & ferro ſolent omnia ſuperari. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Accinctus homo gladio mortificationis, & amore diuino flagrans, non horrere debet aduerſas dæmonum acies; armis enim illis ſtrenuè debellantur. Illa fuit armatura viri infracti, ſcilicet Pauli Apoſtoli, vt generoſæ voces iſtæ probant: *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti?* Inſtructus ea panoplia, Angelos ad certamen & cuncta quæque fortia prouocabat.

SYMBOLVM.

Congratulamini mihi.

PICTVRA.

Pij V. Pontificis ſymbolum eſt, cuius pictura manum exprimit, quæ clauſa claues Petri porrigit, indices maximæ dignitatis. *Typotius lib.1. ſymbolor.*

APPLICATIO.

Anima contrita ſicut par eſt, & confeſſa, poteſt Angelis demonſtrare claues Petri, quæ fecere cœlos ei peruios, poſtquam ſacerdotis ore fuit ab omnium noxarum vinculis abſoluta. Etenim Angeli exultant quando claues Petri reſerant cœlos animæ pœnitentiæ.

SYMBOLVM.

Conſcia virtus.

PICTVRA.

Belzo Comes Habsburgenſis depicto tauro voces has inſcripſit. *Conſcia virtus.* Taurus enim edoctus à natura quale ſibi robur ſit inſitum, ad nullius occurſum refugit animalis. *Sadeler.lib.2. ſymbol.*

APPLICATIO.

Anima iuſti, conſcia virtutis & efficaciæ gratiæ diuinæ, feros dæmonum inſultus, fœdam impetiginem carnis, aliaque ſuæ ſaluti aduerſa minimè pertimeſcit. Audi quid *conſcia virtus* ait & ſonorè clamat apud eum, ſcilicet Paulum, quem gratia ad pugnam fortiter excitabat: *Si*(inquit) *Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom.8.

SYMBOLVM.

Conſiderate lilia agri.

PICTVRA.

Aloyſius Venetus Cardinalis tria lilia pinxit, eo ſymbolo adiecto, cuius ſenſum eſſe reor illum, quem Chriſtus olim aperuit, quando Dei curam de hominibus ex venuſtate lilij commendauit. *Typotius lib.2. ſymbol.*

APPLICATIO.

Lilij ſtipes habet folia acuta, quibus vt gladiis armatur; ita pudor, caſtitatis illibatæ comes, diſtrictos habere debet gladios, id eſt, vigilare debet ſollicitè, nequando leui etiam contactu ſordido corrumpatur.

SYMBOLVM.

Conſpicua qua conſpicit. pag.194. col. 1

PICTVRA.

Proſtat apud Ioannem Ferrum hoc ſymbolum, cuius eſt pictura, luna Solis aſpectu coruſca micans: nam aliunde nequit reſplendere luna, quàm irradiante Sole, eius excepto lumine decorata. *Ferrus in theatro ſymbol.*

APPLICATIO.

Nihil credo aptiùs poſſe reperiri ad explicandos gratiæ effectus, & ad ingerendos humiles animos, ſiquando ſua ſpecie captus homo tumens aſſurgat in cothurnos, cùm recolit ſe gratia cœlitus inſignitum. In confeſſo quidem eſt, animam, quam Dei gratia illuſtrat, rutilam eſſe Lunæ inſtar; ſed ne gloriæ vanæ comes tumor aſſurgat, operæpretium eſt animam recolere, nullam eſſe ſibi lucem inſitam niſi à diuino Sole deſuper affulgente. Vnde breui ſi momento Deus contineret radios ſuos, id eſt influxum, rutilans hæc anima prorſus opaca foret, vernaculis ipſi tenebris obumbrata.

Rurſus vt luna lucis expers non refulget, niſi Solem coruſcum aſpiciat; ita gratis & perperam eſt quòd Deus irradiat ſi anima non conſpicit, id eſt, ſi non annuit præbendo ſuum conſenſum vltro Deo, à vita noxia reuocanti. Vide plura pag. 194.col.2

SYMBOLVM.

Constanter, & sincere.

PICTVRA.

Symbolum est Ioannis Casimiri Comitis Palatini Rheni & Ducis Bauariæ, qui pingebat annulum in pala, cuius erat adamas & ex aduerso duæ manus implexæ totum annuli circulum obserantes. Inserebat ille suo huic annulo Symbolico duos virentes ramos, lauri scilicet & oleæ, decussatos. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Animæ prædestinatæ quadrant illæ voces Symboli & pictura. Constanter enim & sincere vitam agit: Constantia nempe patet in gratia finali, sinceritas in fide, quam coluit illibatam. Olea significat opportunè pacem cum Deo & proximo. Decussata demum laurus, huius animæ electæ notat victorias & triumphos, de hostibus eius, Mundo scilicet, carne, & dæmone, celebratos.

SYMBOLVM.

Constricta est hæc discordia vinclo.

PICTVRA.

Carolus IX. Rex Christianissimus edita magna rebellium hæreticorum strage, cudit illas in icone voces, depicto cingulo in orbem fibula constricto, pœnam perfidorum illo suo Symbolo designando. *Lukius lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Discordes appetitus hominem diuexant, in varias partes agunt; concupiscit enim caro aduersus spiritum. Dei mandata funes sunt, de quibus Psaltes ait Psalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Reuerà funes illi ita Deo deuinciunt omnes appetitus animæ quando viuit ad amussim mandatorum Dei, vt nequeant discolores appetitus animæ rebellare. Sic *constricta est hæc discordia vinclo.*

SYMBOLVM.

Contemnit tuta procellas.

PICTVRA.

Hieronymi Columnæ Ducis Paliani Symbolum est, inscriptum Sireni, quæ depicta ludit mediis in procellis, ad quas præ timore solent homines inhorrere. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Anima electa cui se gratia diuina infudit *contemnit tuta procellas*, etenim immota ridet omnes dæmonum insultus. Et quando totus dissoluetur orbis in die iudicij, impauidam ferient ruinæ, namque foras egeret omnem metum anima diuinæ gratiæ robore confirmata.

SYMBOLVM.

Copia me perdit.

PICTVRA.

Augustini Barbarici Ducis Venetorum Symbolum est, aidectum picturæ arboris, vnde rami, fructus, & folia decidebant. Illæ voces Symboli querulæ sunt: nempe deflet Dux ille dotes egregias corporis & animi, quarum intuitu Respublica augusta sibi præfecit eum, à quiete priuatâ rebus turbidis implicando. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

O auare diues, opportunè tuum hîc carpitur ingenium: nempe sicut arbor fœcunda sibi noxia est vbertate frugum, franguntur enim rami vt carpantur fructus; ita nocet auaro gaza diues: quippe fures eam defodiunt, vel potentes opum percupidi intentant auaro litem, qui sæpe suâ causâ cadit, vt omnibus exosus opum intuitu quas exucto pauperum sanguine congregauit. Quodque peius ei instat, est animæ iactura, quam patietur opum causâ; dum namque malè parta diues reddere cunctatur, habet vnde clamet: *Copia me perdit*, indubiam æternamque necem animæ consciscendo.

SYMBOLVM.

Cor Principum in manu Dei est.

PICTVRA.

Ioannis Guillelmi IV. Ducis Iuliacensis Symbolum est, inscriptum cordi coronato, cui sanctus Spiritus irradians desuper affulgebat. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Qui fidele Deo obsequium præstant, profectò Reges sunt; nam seruire Deo regnare est. Et qui vtriusque sui appetitus habent dominium, hi Principes sunt. Horum omnium corda Deus dirigit, & ad salutem æternam congruè moderatur.

SYMBOLVM.

Crebris imbribus auctæ. p. 402. c. 1

PICTVRA.

Ioannis Ferri Symbolum est, qui pingit examen apum, quod auctum imbre defluente tumet. Illa nimirum est indoles apum, vt pluuia inundante diues capiant incrementum. *Ferrus in theatro Symbolorum.*

APPLICATIO.

Hoc Symbolum apprimè quadrat animæ, in quam copiosus gratiarum imber influit. Hæc anima, gratiâ irrorante, rosis & aliis virtutum floribus exornata, Dei oculis vernat. Ita sanè *crebris imbribus auctæ*, florent animæ, & congruos bonorum operum fructus edunt, & illo velut succo viuido vegetantur.

Cùm Ecclesia afflata Deo rogat, vt rorent cœli desuper, & nubes pluant iustum; nonne supplex orat, vt sint animæ nostræ gratiarum *crebris imbribus auctæ?* quasi diceret, esse velut marcidum omne quod non cœlitus irrigatur.

SYMBOLVM.

Cura rerum publicarum.

PICTVRA.

Xisti IV. Pontificis Symbolum est hoc, in icone cusum, vbi sculptura pontis erat in medio coronæ laureæ fabricati. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Quisquis exemplo suo sternit iter ad virtutem, ille suis sumptibus instruit pontem, cuius

ope

ope queant homines ad meliorem frugem derelicto vitio transmigrare. Hunc profectò *cura rerum publicarum* sollicitat; proximi namque salus eum vrget ratione cuius procuratæ debet æterna laurea coronari.

SYMBOLVM.

Cur non vtrumque?

PICTVRA.

Ferdinandus Lusitaniæ Rex voluit esse sibi Symbolicas hasce voces, duobus cordibus adscitis, vno tantùm gladio terebratis. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Amore Deus incanduit hominum causâ, necem vltro subire volens, vt ita sibi omnium corda amore suo affectui consono deuinciret. Quare Dei corde accenso tepet hominum cor? *Cur non vtrumque*, telum ignitum amoris vrit? O homo, flagra eo charitatis incendio, alioquin igne inferni vindice combureris.

SYMBOLVM.

Cum patientia.

PICTVRA.

Ioannes Mocenigus Venetorum Dux habuit hoc Symbolum adiectum serpenti in orbem ducto, suam caudam ori insertam optimè continenti. In orbis huius medio duæ implexæ manus erant, quas propè focus accensus non poterat æstu nimio separare. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Credo Ducem hunc Mocenigum fuisse caput huius serpentis, Symboli prudentiæ, caudam verò fuisse plebem, quam ille suâ industriâ continuit in Republica, concordiam amore suo præuio procurando.

Non insulsè potest attribui Symbolum illud animæ iustæ, cuius vita, Dei & proximi amor est & prudentia. Namque Dei & proximi sic amore flagrat, vt nihil faciat imprudenter.

D

SYMBOLVM.

Decus & tutamen in armis.

PICTVRA.

DVx Trauetti Vespasianus Gonzaga sibi hoc Symbolum assumpsit, cuius pictura fuit histrix, animal acceptis à natura telis hirsutum: namque decus pili discolores huic bestiæ conciliant, sed qua parte duri sunt & acuti, illi contra feras alias & venatores spicula subministrant. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Orationi quadrare potest hoc Symbolum, ornat enim animas gratiis & virtutibus, quas impetrat, deinde telis hostem confodit quando Dei auxilium attentè fusis & repetitis precibus imploratur. Fas sit ergo voces istas in orationis gratiam vsurpare. *Decus & tutamen in armis.*

SYMBOLVM.

Deorsum nunquam.

PICTVRA

Olympia Vrsina sui Symboli voluit esse voces illas, quarum pictura fuit, implexà manus alteri, flammâ cœlum versus ex his coniunctis manibus assurgente. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Postquam anima contrita & confessa manus Christo dedit, illa suos omnes affectus ita debet ei deuouere, cælum vt versus eant semper, alioquin sortitur homo ille nomen fœdifragi, si in confessione Deo oppigneratus amor eius deorsum iterum inflectatur.

SYMBOLVM.

Dies & ingenium.

PICTVRA.

Ioannes Paulus Chiesia Cardinalis pinxit prætensam è cœlo manum, quæ cicurem leonem fræno pro libito moderatur. Huic picturæ suum hoc Symbolum adiecit, scilicet has voces. *Dies & ingenium.* Fortè volens insinuare, nihil adeò esse ferum, quod non industriâ & tempore mitigetur. *Ruscell. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Perseuerantiæ quadrare reor hoc Symbolum: quippe *dies & ingenium*, hæc requirit, opus vt omne suis sit numeris absolutum.

SYMBOLVM.

Diligentibus legem tuam.

PICTVRA.

Prostat apud Typotium hoc Symbolum cum depicto copiæ cornu prædiuite vbertate rerum, quæ conducunt ad felicitatem homini procurandam. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Christo assertore, datur beata vita frui his qui mandata Dei obseruant: *Si vis* (inquit) *ad vitam ingredi, serua mandata.* Hoc perinde sonat ac, *diligentibus legem*, Dei bonorum omnium copiam asseruari.

SYMBOLVM.

Dispersit pauperibus.

PICTVRA.

Georgij Drascouitij Cardinalis Symbolum hoc est, cuius est pictura, leo prædam distribuens abundè feris, quæ imbelles & infirmæ cibos nullo sibi possunt tempore procurare. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Mens generosa suas nescit opes commendare seris, vt magno auari dispendio omnibus indigis occludantur. Reuera vile sonat & obiectum, obserare gazas; vt contra, Dei æmulus est ille, suas qui opimas opes hominibus egenis & miseris elargitur.

SYMBOLVM.

Domi forisque.

PICTVRA.

Ludouici X. Regis Christianissimi Symbolum est, inscriptum testudini tectæ domo impenetrabili, districto gladio desuper intorto, quo

Symbolo

& pictura Regis huius impauidus animus innotescit. *Typotius lib. Symb.*

APPLICATIO.

Gratia diuina tutum est animæ tegmen contra fœdos diaboli sibilos, quos intus audit homo, sine tamen vlla labe contracta domi, id est, corde ab ideis impuris & turpibus illibato. Huius item gratiæ beneficio se tutatur homo tali armatura potens contra truces impetus hostium animæ frequenter in illam deforis insurgentes. Ita *Domi forisque* viget & triumphat homo, telis omnibus dæmonum inuius, quia gratia diuina tegit eum clypeo quem nulla valent spicula penetrare.

SYMBOLVM.

Domine, vias tuas demonstra mihi.

PICTVRA.

Antonij Lotharingiæ Ducis est Symbolum, inscriptum nauiculæ destitutæ remis atque velis, alto mari expositæ ad certum naufragium, nisi fortè Deo moderante nauis ad portum propitiis fluctibus impellatur. *Typotius lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Destitutus homo Dei gratiâ, profectò nauis est alto mari commissa sine supellectile necessaria ad securè in vndoso pleno periculis Mundi huius pelago transfretandum. Vt ergo tutò nauis eat per medios scopulos, vortices, & procellas, imperita gratis ab aduersis validorum æstuum flabris, familiares habere debet ab Antonio præfato Duce voces istas sæpius vsurpatas: *Domine, vias tuas demonstra mihi.*

SYMBOLVM.

Duabus.

PICTVRA.

Cosmæ Medicæi magni Ducis Hetruriæ Symbolum est hoc, cuius pictura fuit duplex anchora decussata. Coniicio, voluisse Ducem illum insinuare, leges & arma duas anchoras esse, quibus contra motus omnes & hostium & ad defectionem concitatæ plebis, Principum ditio confirmatur. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Hæretici voluere suam Synagogam & sectam anchora duntaxat vna niti, quando solam scripsere fidem sufficere ad salutem. Sed obstare non potuit anchora illa sola quò minùs hæc hæresis ab erroris scopulo frangeretur. Ecclesia verò secus, vtpote tuta nauis, duas decussatas habet anchoras, nempe fidem & opera: fide sicut cynosura duce nauis hæc dirigitur, operando benè, Dei gratiâ freta sicut remis, agit se & impellit eò quò sincera fides eam dirigit, ad vitam scilicet immortalem.

SYMBOLVM.

Dulce & decorum.

PICTVRA.

Alberti II. Comitis Habsburgensis Symbolum est, quod adiecit picturæ gallinæ suos pullos ab vnguibus & rostro feri & insidiantis milui strenuè protegentis. Hæc gallina clamat: *Dulce & decorum* pro sua prole mori. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Homini pœnitenti conuenire potest hoc Symbolum: namque suam vt protegat animam à dæmonum insidiis, ille debet recolere, *Dulce & decorum* corpori esse debere mori pro anima à lethali crimine defendenda.

SYMBOLVM.

Dum voluitur iste.

PICTVRA.

Petri Bembi Veneti Cardinalis Symbolum adiectum picturæ floris solsequij se ab ortu ad occasum iuxta Solis radios inflectentis. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Anima iusta, Dei semper sistitur obtutibus, ne contingat ei destitutæ Solis huius luce, cæcis peccatorum tenebris opacari.

E

SYMBOLVM.

Ea sola voluptas.

PICTVRA.

Otto Antonius Rouereus Dux Vrbini noctuam pingebat auem, quæ sola degit, & deserta loca gemens incolit, tristia nuntians hominibus quando sonat, ideoque nomen sortita volucris ominosæ. Huic picturæ voces has adiecit Otto: *Ea sola voluptas.* Boodt. lib. Symb.

APPLICATIO.

Aptare lubet hoc Symbolum homini Religioso procul à turbis, quia in claustro velut in deserto degit, die & nocte gemens, ita sua peccata fusis lacrymis abluendo. *Ea sola voluptas* ei est, flere, preces fundere, victu parco dies transigere, psallere noctu, & à suspectis huius sæculi cœtibus elongari. Quòd si quando vocem eius contingat audire plebi, ille tonat ex suggestu, tristia & horrenda reis prædicendo, nisi à vita sua pessima resipiscant.

SYMBOLVM.

Ego semper.

PICTVRA.

Petrus Franciscus Ferrarius Cardinalis pinxit montem flammiuomum, illis vocibus inscriptis: *Ego semper.* Typotius lib. 2. Symb.

APPLICATIO.

Omnes quos ad alta vehit supremus honos aut dignitas sublimis videntur hominibus aliis instar montium eminere. Si eorum vita micat virtutibus vt sidera sursum fixa lucent, orbemque totum illuminant, suo exemplo nequam homines ad virtutis studium inducentes.

SYMBOLVM.

Ego mouebor?

PICTVRA.

Albertus Comes Habsburgensis hoc Symbolum assumpsit, cuius pictura fuit noctua contemnens auiculas, quæ illam impunè suis rostris & vnguibus impetebant. *Sadel. lib. 2. icon.*

APPLICATIO.

Quia nocte vigil est noctua Palladi dedicata, fuit olim Symbolum scientiæ, quæ multa nequit absque vigiliis & labore improbo comparari. Illa notat hominem scientificum & à plebeia vita procul qui calumnias & conuitia iacta ridet vsurpando voces illas, *Ego mouebor?* id est. Absit hominum iniuriis animam dignatam cœlestis scientiæ lumine commoueri.

SYMBOLVM.

Eleuor dum segregor. *pag.408.col.1*

PICTVRA.

Hoc Symbolum in suo theatro refert Ferrus, aquilam depingens, quæ in sublime lata procul à terra infima segregatur. *Ferrus in theatro Symbolorum.*

APLLICATIO.

Aquila illa genuinè refert altas mentes, quæ Deo propiores eò sunt, quò se Mundo magis animo subduxerunt. Mentis enim humanæ talis indoles est, vt illa magis ad Deum accedat, quò plus terris eripitur, ita vt iure sibi aptare queat præfatum hoc Symbolum pertinens ad secessum. *Eleuor dum segregor.* Quisquis ergo cupit ad Deum efferri, ille suam omnem adhibeat industriam vt a luto rerum infimarum saltem animo segregetur.

Vide plura & egregia de illa solitudine. *p.408. col.1. & 2.*

SYMBOLVM.

Emergit pressa.

PICTVRA.

Hippoliti Medicei Cardinalis Symbolum est. Pinxit ille pilam ventosam, quæ *emergit pressa*, nitens sursum maiore nisu. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Ad animam afflictam & constantem pertinere credo voces illas, *emergit pressa*; quò namque magis ad terram alliditur, eò etiam altiùs assurgit. Ærumnæ graues inflictæ premunt, sed hac pressura cœlo altiùs homines euehuntur.

SYMBOLVM.

Epota capitur. *pag.424. col.1*

PICTVRA.

A Ioanne Ferro voces illæ Symbolicæ inscribuntur pantheræ depictæ, quia illa vorax bestia auidè fertur eò vbi fragrat odor vini, ideoque capi facilis est: venator enim suspicatus alicubi esse pantheras, illò vehit dolium vino plenum desuper apertum, ita vt commodè bibulum hoc animal vino queat infundi. Non cunctatur merbibula fera citò ferri ad dolium, quo expleta motus expers, & velut extincta iacet, & sit inebriata cedit in ius hominis, qui manu larga vinum incautæ bestiæ propinauit. Itaque venatoris industria tota feræ huic capiendæ magis apta penes vinum est, quo Panthera pota capitur, & sic picta monet ebrios & gulosos, eos idem manere fatum, si litando gulæ, vino largiùs inundentur. *Ferrus in theatro Symb.*

APPLICATIO.

Pantheræ casus hîc descriptus maximè idoneus est ad exprimendas dæmonum insidias, quas hi venatores prætendunt animæ hominis imprudentis. Variis ferculis inescatus homo & largiore vino potus, vapescente vino, sui impos efficitur, dumque putat capere, tunc capitur deliciis anima dementata.

SYMBOLVM.

Erit altera merces.

PICTVRA.

Francisci Sfortiæ Cardinalis erat hoc Symbolum, cuius pictura fuit occasio nuda præceps, & ventorum validis æstibus agitata. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Errat homo, ratus in hoc æuo dari occasionem propitiam ad beandos homines in hac vita; nam electos maiora manent præmia in cœlis, quàm quæ suis assectis Mundus assolet impertiri Ideoque cœlo natus homo, rebus huius sæculi haudquaquam afficitur, imò quasi nihil flocci facit eas, ista voce suam spem enutriens: *Erit altera merces* stipendia Mundi vilia sunt, sed merces diuina diues est & æterna, qua beatæ in cœlis animæ compensantur.

SYMBOLVM.

Et vitæ mortisque comes.

PICTVRA.

Iacobi Sabelli Cardinalis erat hoc Symbolum, cui adiecta fuit pictura coronæ, quam spicæ tritici componebant. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Triticum Symbolum est laboris; nam excultum magno labore solum, & repurgatum noxiâ herbâ, satum triticum producit, sic improbo labore vita viget: corona demum indefesso labore parta datur in morte viris, qui æuo suo toto strenuè laborarunt.

SYMBOLVM.

Ex frugalitate vbertas.

PICTVRA.

Iacobus Archiepiscopus Treuirensis, Elector Imperij, Symboli loco voces istas sæpius vsurpauit. Pingebat ille bouem, qui parcè viuens, improbo labore nobis parturit vbertatem. *Typotius lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Parsimoniam magnum vectigal esse vetus ait adagium, & Religio Christiana docet eos, qui parcè rebus vtentes, æuum agunt temperantiæ virtute clarum, ita sibi in cœlis futuram procurare rerum seu bonorum omnium vbertatem.

SYMBOLVM.

Ex fumo lucem.

PICTVRA.

Ioannis Georgij Comitis Palatini Symbolum, est cuius pictura fuit lucerna licèt extincta fumans, cuius flamma potest huiusce fumi obsequio facilè reuocari. *Sadeler. lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Flamma fumo vicina lucet; quippe fumus & flamma velut res concordes facilè coalescunt. Ita fœda consortia masculi cum fœmina, epulæ, choreæ, verba obscœna, fumus luxuriæ sunt, ideoque focus ille rebus his tanquam fomitibus acriùs inflammatur. Ergo procul age fumum illum, ô homo tuæ castitatis amans, ne fortè tibi contingat eo incendio luxuriæ cum iactura tuæ animæ conflagrare.

SYMBOLVM.

Ex hoc in hoc.

PICTVRA.

Christiani Principis Anhaltini Symbolum est. Gladium pinxit ille, voces istas ei inscribens: *Ex hoc in hoc*; significare volens, ita suam in bello transegisse vitam, vt vno prælio confecto: nouum aliud inchoaret. *Sadeler. lib.2. iconum.*

APPLICATIO.

Virtutis ea indoles est, vt nesciat inducias: Christus eo intento suis discipulis consuluit, vt gladium venditâ tunicâ compararent. Ait ipse pacem se non venisse mittere, sed gladium. Cùm namque vita genus sit militiæ, nemo debet vnam post victoriam gladium in vaginam recondere. Sed *ex hoc in hoc*, id est, dæmone prostrato, debet homo vires omnes colligere ad vitia omnia profliganda.

SYMBOLVM.

Expiabit aut obruet.

PICTVRA.

Edoardi IV. Regis Angliæ Symbolum est, quod depicto fulmini inscripsit. *Typotius lib.1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Si ærumna grauis sit, *expiabit, aut obruet.* Etenim nacta suæ salutis hominem sollicitum, hunc à contractis omnium peccatorum sordibus expurgabit. Si verò nequam homo duris vrgeatur angustiis, ille mole earum oppressus, vt omnino Dei incurius, & gratiæ expers, protinus obruetur.

F

SYMBOLVM.

Facilis iactura.

PICTVRA.

Bernheri Comitis Habsburgensis est Symbolum illud, arbori adiectum, quæ fœcunda suo fructu annuo spoliatur. *Typotius lib.2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Vt arbor, quæ altè suas radices egit in opimo solo, fructus haud auara sibi non asseruat, sed maturos vltrò sinit excidere facili iactura, quia denuo parturiet; ita plus quisque suos redditus annuos non congerit in aceruos, vni fortè sibi proficuos, sed in cælo suas radices habens, cum egenis partitur opes, apprimè sciens, hanc iacturam debere breui cum magno gratiarum fœnore compensari.

SYMBOLVM.

Famam seruare memento.

PICTVRA.

Leonora de Toledo, Cosmæ Medicei Ducis Hetruriæ coniux, habuit hoc Symbolum quod applicuit imagini Lucretiæ, quæ pugione sibi necem seruandæ famæ gratiâ consciscebat. *Boods lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Mortificationis gladius multum confert ad illibatam conseruandam animæ Christianæ famam, quæ quouis vitio, sed præcipuè lethali crimine, temeratur.

SYMBOLVM.

Fata obstant.

PICTVRA.

Ioannis Tolledani Cardinalis Symbolum est hoc. Pinxit ille rotam fortunæ, cuius motum inconstantem sistebant ex lauro rami, immotæ rotæ radiis intertexti. Dicebat ille, fata obstare, talis ne rotula volueretur. *Typotius lib.2. Symbol.*

APPLICATIO.

Religio Christiana fatum non agnoscit, cui Gentiles olim voluere Deos subdi, sed prouidentiæ diuinæ rerum omnium casus & occasus attribuit. In eo sensu dico, fata obstare, suos ne fortuna vehat cultores eò quò contendunt animo; etenim non iuxta vota hominum, sed ad arbitrium suum iustè Deus omnia moderatur. Quid ergo colis, homo, numen fictitium fortunæ, tuam omnem industriam impendens vt illa tibi propitia aspiret? *Fata obstant.* Ex intimo corde totum te permitte Deo, nec aliud opta nisi quæ diuinæ sunt congrua voluntati.

SYMBOLVM.

Fato prudentia maior.

PICTVRA.

Henrici VIII. Regis Angliæ vxoris erat hoc Symbolum, cuius pictura fuit, coronatus anguis, in orbem ductus, qui singulare sidus arctè suo circulo concludebat. *Sadel. lib.1. icon.*

APPLICATIO.

Serpens sidera concludit quando prudens homo suam ita vitam instituit, vt virtute malum sideris influxum corrigat. Ita *fato prudentia maior* est. Igitur nemo fatum carpat, sed seriò satagat meritis influxum gratiæ promereri.

SYMBOLVM.

Felicitas temporum.

PICTVRA.

Sancti Ludouici Galliæ Regis Symbolum est. Pingebat ille duas manus, vnâ pacis figuram, scilicet caduceum, & spicas tritici complectentes. Illo symbolico typo sui æui & Christiani regiminis esse beata tempora prædicabat. *Typotius lib.1. Symbol.*

APPLICATIO.

Anima, quæ electorum frumento suam vitam sustentat vnita Deo & proximo vinculo charitatis, habet vnde sibi possit de felicitate æterna bonis auibus ominari.

SYMBOLVM.

Fero lucem.

PICTVRA.

Ludouicus Madrutius Cardinalis vsus hoc Symbolo pinxit columbam, quæ vtroque pede globum terræ terens circumfusa luce rutila coruscabat. *Sadeler. lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

Nemo suæ industriæ attribuat illud omne quod scit, & maximè de diuinis. Namque Vates ait, Spiritus sancti esse donum scientiæ. Eius enim est dicere: *Fero lucem.* Vnde lucis specie Apostolis se infudit quando die Pentecostes igneæ linguæ singulis insederunt.

SYMBOLVM.

Festinata minuuntur.

PICTVRA.

Pyrrhus Gonzaga Princeps Imperij Symbolum hoc habuit pygmæo siue homuncioni inscriptum. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Qui ad perfectionis apicem assurgat homo natus est, quia nemo suos passionum æstus præcipites satagit iniecto rationis fræno seriò moderari. Plerique preces ingeminant, & noctes agunt insomnes vsi parco cibo; sed cunctantur coërcere motus incongruos animæ præcipitis & pronæ ad iram, aliaque mala, quibus emolumenta talis festinæ animæ minuuntur.

SYMBOLVM.

Festina lentè.

PICTVRA.

Andreæ Grimani Ducis Venetorum Symbolum est. Pinxit ille vitem, quæ columnæ innixa suos ramos multiplicat sensim sine sensu, id est, inuio oculis incremento. Voluit hic Princeps insinuare, nihil absque consilio esse viris magnis, & præsertim aliorum Ducibus auspicandum. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Est pœnitentia sera rerum quæ inconsulto Deo ex impetu naturæ fiunt: passiones enim nostræ, sicut & indoles humana præceps, sunt pessimi consultores. Ne ergo serò pœniteat ob aliquid præcipitanter actum, præuia oratione manè factâ debet homo Deum consulere, & sunt agenda dein seriò perpendenda.

SYMBOLVM.

Fidem fati virtute sequemur.

PICTVRA.

Cosmæ Medicei Ducis Hetruriæ Symbolum est. Pinxit ille Sidus, sub quo ascendente natus est, scilicet Capricornum. quo dominante recèns edito infanti maximæ naturæ dotes, & omnia fortunæ munera promittuntur. Ille dicit generosè, suâ virtute fore fatum veridicum; maluit namque suis meritis, gloriam attribui egregiè factorum, quàm Capricorno cœlitus influenti. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Homine baptizato, sidus gratiæ diuinæ dotes præclaras ei communicat; siquidem habitus fidei, spei, & charitatis, eius in animam influunt; ille tamen gratiæ illapsus ab homine adulto petit aliarum virtutum consortium, vt (si fas est dicere) *Fidem fati virtute sequatur*: namque Dei gratia fœta bonis operibus esse debet; quippe suæ salutis in discrimen incurrit homo, cuius incuriâ, vacua gratia feriatur.

SYMBOLVM.

Fide & vide.

PICTVRA.

Matthæi Langi Cardinalis erat hoc Symbolum. Pingebat ille manum oculatam appositè ad voces has: *Fide & vide*, quas ipse suum vt Symbolum vsurpabat. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Profectò rebus fidei addiscendis inepti sunt oculi corporei, quorum etiam in perscrutandis arcanis naturæ viuax acies hebetatur. Itaque, Christiane, fide primò, deinde vide. Præbe tuum assensu marticulis propositis ad credẽdum, deinde cura scire tuam ad salutem necessaria, & quæ nescire scelus est animæ hæc turpiter ignoranti.

ALIA APPLICATIO.

Sincera fides habet in oculata manu Symbolum egregium. Quod namque fides orthodoxa ratum & fixum habet, illud omne debet congruo opere demonstrare.

SYMBOLVM.

Flauescent.

PICTVRA.

Ioannes Farnezius Dux castri pinxit manipulos frumenti, qui maturitatem perfectam expositi Soli rutilo consequuntur. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Nullius hominis est desperanda salus; quippe Deo influente potest homo resipiscere, & flagrare Dei amore, sicut plenè suam maturitatem obiectæ Soli spicæ tritici sortiuntur.

SYMBOLVM.

Fluctus eius tu mitigas.

PICTVRA.

Pius V. Pontifex vndoso mari expositam nauem pinxit, ei inscribendo voces illas: *Fluctus eius tu mitigas.* Fortè Papa sciens Turcas imminere plagis Ecclesiæ, enixè Deum orat vt compescat impetum Gentis inhumanæ, necem fidelium omnium anhelantis. Non cassa Papæ fuit oratio; nam litauit: siquidem ad Naupactum Turcarum classis, instructa licèt electa manu militum, à Christiana classe fuit integrè profligata. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Res est profectò noua videre nauem coërcere maris vndas, cùm è contra naues soleant à commotis fluctibus absorberi. Ecclesia Sancta nauis est, quæ mitigat & componit sæculi fluctus quando Papa sedat bella, quibus sanguinis effusi fluctibus homines absorbentur.

SYMBO

SYMBOLVM.

Fons virgo.

PICTVRA.

Iulius III. Pontifex, Villæ Iuliæ fontem commendare volens, pinxit eum adiectis illis vocibus, *Fons virgo*; quasi diceret, fontem illum esse fœdis à sæculi deliciis immunem, & vitiis inaccessum. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Beata Virgo sacer est fons lacte manans, vnde Iesus infans sæpe potus ita suam sitim extinxit, vt non exhauserit fontem, cuius orbe toto pias in animas inundantes latices influxerunt. O homo, foco fœdo flagras luxuriæ, ad Mariam perge, quia *fons virgo*. Vt fons effusis aquis sopiet incendium, qua verò parte pura est virgo, illa tibi castitatis affectum cœlitus inspirabit.

SYMBOLVM.

Fortibus resistit.

PICTVRA.

Maximilianus Archidux Austriæ leonem pinxit accinctum ad certamen, cum fortibus æmulis ineundum. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Christus leo de tribu Iuda suum cœleste robur exerit in superbos, quibus vt *fortibus resistit*, humilibus autem gratiam impertitur.

SYMBOLVM.

Frangit marmoreos aurea gutta sinus. *pag. 431. col. 1*

PICTVRA.

Scribunt Poëtæ, Iouem specie aurei imbris illapsi in Danaën, illam quantumcunque probam & castam turpiter impręgnasse. Mulier hæc pro tabella Symbolica depicta fuit à Barbara coniuge Sigismundi Imperatoris, insinuante probos auro affricato labi, magno suæ animæ detrimento. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Illa rara est constantia, quam non frangit opum largior influxus. Aurum impellere homines in ruinam diabolus ipse probat ita Iesum affatus: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Vult tentator præire casum, quasi significans, lapsus; id est, peccata velut præambula esse necessaria ad opes homini congregandas. Vide in eo argumento plura scitu digna. *p. 431. col. 1. & 2*

SYMBOLVM.

Frangit & attollit.

PICTVRA.

Maximilianus Archidux Austriæ Palladem pinxit armatam quæ leonem & porcum tenet vinculis alligatos. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Virtus cataphracta duos appetitus, scilicet irascibilem & concupiscibilem, subiicit rationis imperio, quo stante leo feras, id est ira; & porci, id est concupiscentiæ omnes, strenuè debellantur. Dum verò truces frangit hostes virtus armata Dei gratiâ, animam attollit ad sidera triumphantem.

SYMBOLVM.

Fraus fraude compensata.

PICTVRA.

Symbolum est hoc Hugonis de Verdala Cardinalis & Magni Magistri equitum Melitensium. Pinxit ille gruem, quæ vulpi astutè fucos fecit coniiciendo cibos in vas ore angusto, vnde suo rostro foras eos grus eduxit edens, vulpe impastâ, licèt eam acerba fames ad edendum validè perurgeret. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Astuta caro sæpè suis technis animæ imponit, suggerens, multis opus esse, salus vt corporis intendatur. Persuasus homo vafris his susurris, edit lautè, bibit largè, diu dormit, eaque fugit cuncta, quibus affligitur corpus, ita suis in animæ perniciem sensibus indulgendo. A sanctis hæc *fraus fraude compensata* fuit: namque suæ vt saluti consulerent, noctes insomnes egere preces fundendo, flagris afflixere suam carnem & ieiunando cibos impasto corpori subtraxerunt.

SYMBOLVM.

Fortuna fidem mutata nouauit.

PICTVRA.

Childericus Rex Galliæ pulsus regno suis à subditis, postliminio tandem recepit regnum, à familiari quodam suo aulico reuocatus. Nam antea nummo aureo fracto dederat Rex mediam partem amico, velut tesseram, qua ad ipsum exulem missâ, redux Rex fieret agnoscendo sibi fortunam propitiam iterum afflare, quasi illatæ nuper iniuriæ maximè pœnitentem. Ludouicus IV. Rex Galliæ duas partes huius nummi aurei fracti pinxit, eis adiiciendo voces istas: *Fortuna fidem mutata nouauit.* Significans, ad trutinam fortunæ fidem hominum appendi, ac proinde sibi parum constare fidem hanc concolorem fortunæ, quia hæc est indolis inconstantis. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Bellè quadrat hoc symbolum Mundo, cuius est tanta fides, quanta fortuna viri, quem fictè colit, eum deserens in aduersis. Quàm verò sibi constet amor Dei erga suos cultores, ait Propheta, cuius ore Deus ipse fatur hoc tenore: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Psalm. 90.

SYMBOLVM.

Frustrata non desinam.

PICTVRA.

Iulius Cæsar Gonzaga Princeps S. Imperij pinxit aquilam pulsam arbore fulmine conquassata, quæ nullo tamen idcirco metu inhorruit, sed alium instructura nidum aliò transmigrauit. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Animæ cōstantis, vrgente graui ærumna, voces sunt istæ: *Frustrata non desinam.* Fastidio fortunæ alternantis opes amisi: his *frustrata non desinam* ampliores opes inquirere, gratiam scilicet, & virtutes,

tutes, quas fortuna nequit vllo tempore suffurari. Caro iacet ægra, vitā pertæsa, quia desperata salus corporis est: attamen *frustrata non desinam*, siquidem vacabo meæ animæ sanitati.

SYMBOLVM.

Fugam victoria nescit.

PICTVRA.

Albertus II. Imperator signiferam pinxit, bellica signa ferentem medios in cuneos hostium sub spe victoriæ gloriosæ, fuso latè suo sanguine comparandæ. Symbolum hoc adiecit antesignano fugæ nescio. *Fugam victoria nescit*. Typotius lib. 1. Symbol.

APPLICATIO.

In Baptismo crucis signum accepimus militiæ Christi, bellum indiximus diabolo, carni, & Mundo; quid ergo deses cunctaris, homo, manus conserere cum æmulis his præfatis. *Fugam victoria nescit*. Cùm pugnare fugis, eo ipso momento peris, ludibrium factus hostium, qui iustè tuam ignauiam in æterna sæcula castigabunt.

SYMBOLVM.

Fulget Cæsaris astrum.

PICTVRA.

Rudolphi II. Imperatoris Symbolum est hoc, quod in icone cudit, vbi erat insculpta species Capricorni sideris, quo ascendente natus est, ille suo Symbolo beata esse sua tempora, designando. *Lukius libr. numismatum.*

APPLICATIO.

Animæ iustæ sidus propitium est gratia, quæ reuerà suum fulgorem conspicuum facit, quando micat homo bonis operibus, quæ sunt indubia argumenta Dei gratiæ cœlitus affulgentis.

SYMBOLVM.

Fulminat hic bello.

PICTVRA.

Guillelmus Malatesta Marchio Terrasanæ voces illas vepote bello clarus Symboli loco sibi adsciuit, eas inscribens manui flammiuomæ, & gladio armatæ, cuius aciem serpens voluulis implectebat. Dextra manus insinuat industriam seu dexteritatem, ignis ardorem animi significat, districtus gladius arma notat, & in serpente lego prudens ingenium, quæ quatuor in Duce si coëunt, *Fulminat hic bello*, metum atque necem hostibus illaturus. *Boods. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Anima Christiana Dei dexteram implorat; nam dextera Domini facit virtutem: præterea amore diuino flagrat, mortificationis gladium distringit, & prudenter agens in omnibus, *fulminat hac bello*, crebras victorias de Mundo, carne, & dæmone referendo.

G

SYMBOLVM.

Gloria immortalis.

PICTVRA.

Caroli Vindocinensis Cardinalis Symbolum est. Pinxit ille supra globum terrestrem lauream coronam, vt signum gloriæ, quam nuncupat immortalem. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

Profectò vera gloria infra cœlos non est, sed supra globum terræ sita viget immarcescibis, ideoque malè sibi consulunt homines imprudenter huius sæculi gloriam aucupantes.

H

SYMBOLVM.

Hac natam me ratio necat.

PICTVRA.

Margaretæ coniugis Philippi Audacis Ducis Burgundiæ Symbolū est, inscriptum viperę descriptæ penicillo, cuius virulenta proles eam maternæ necis consciam enecabat. Illa pœnam talionis esse sibi iustè inflictam præfato Symbolo confitetur. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Anima delinquendo, Deum, quo conditore fata est, ingrata lædit & offendit: sed synderesis inde nata, Dei vindicat iniuriam; siquidem à peccatis vt a viperina prole, matris, id est, peccatricis animæ viscera corroduntur.

SYMBOLVM.

Hæc mihi tuba.

PICTVRA.

Ottebertus Comes Habsburgensis hoc Symbolum adiecit depictæ lyræ seu citharæ quam cataphracta manus omnibus ostendebat. *Sadeler lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Chordæ lyræ, sicut par est & congruit arti, tensæ gratè sonant, & suaue melos edunt; concentus autem ille pacis & beneuolentiæ Symbolum est: quippe lyra sono persuaui non placeret, nisi intensi nerui fidium concordes, idem ad intentum musicæ conspirarent. Ita plebis cum Principe concordia, sicut tuba robur & animos addit ad ardua audenda; etenim quid non audet amor vbi intensè flagrat: inertes odit; amantes enim, vt moras nescit amor, ad patranda fortia percelluntur.

O Christiane, memor esto lyræ, id est concordiæ cum proximo. Sit hæc tibi tuba, robur & animos addens: imò tuum relinque munus ad altare, lites, rixas, & simultates omnes vt componas cum proximo litigante.

SYMBOLVM.

Hærent sub corde sagittæ.

PICTVRA.

Caroli Ioannis Amadei Ducis Sabaudiæ Symbolum est, cuius pictura, latens est bombarda oretenus, quod emergit è defossa terra, globo in bombardæ sinu recondito, donec ad arbitrium Principis explodatur. *Boods lib. Symbolor.*

APPLI

APPLICATIO.

Sagittas & tela dico motus omnes iræ, quibus vrgetur homo, mala ad omnia æquè sibi ac amicis noxia propulsanda. Hærere debent sub corde sagittæ, id est, coërcere debet homo feros omnes iræ motus, nisi fortè zelus aut Superioris onus eum vrgeat ad succensendum animæ delinquenti.

ALIA APPLICATIO.

Nemo debet alium contemnere ratione vilis & humilis sortis eius: quamuis enim videatur inops esse quasi terræ defixus homo; tamen *Herent sub corde sagittæ*, quia à ditiore læsus habet ore preces emissas, & vota, quibus enixè Deum exoret in perniciem hominis incurij, & in hoc sæculo præpotentis. Illud idem Scriptura Sacra clamat hoc contextu: *Deprecationem læsi exaudiet: non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus.* Eccles. 35. Quando gemit inops à diuite oppressus, *Herent sub corde sagitta.*

SYMBOLVM.

Haud facilè virtus extinguitur.

PICTVRA.

Petrus Ernestus Comes Mansfelt laurum pinxit, quæ hyeme rigente viret, & excisa redux & repullulans denuo suscitatur. *Sadeler. lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

In hoc æuo potest ærumnis iisque duris & acerbis aliquando premi virtus non opprimi; nam depressa radices agit altiores, vt etiam altiùs euehatur.

SYMBOLVM.

Hebetat & acuit.

PICTVRA.

Ioannis Alphonsi Ducis Fernandini symbolum est, congruum picturæ hominis in magnæ molis saxum malleum ferreum intorquentis. Nam iuxta modum, quo ferro lapis affricatur, illud. *Hebetat & acuit.* Verbi gratiâ, industriè & lentè coti lapidi admotus acuitur idem qui illisus gladius hebetatur. *Bood. lib. symb.*

APPLICATIO.

Profectò quadrat imperio symbolum illud: nam pro ratione modi, quo aliis præfectus homo regit eos, *hebetat & acuit* affectum. A superiore seuero velut hebes amor retunditur; affectus verò secus acuitur & accenditur, cùm suaui & perhumano modo subditi gubernantur.

SYMBOLVM.

Hic clypeus aheneus esto.

PICTVRA.

Caroli Friderici Principis Iuliacensis symbolum est, & hoc inscriptum limbo clypei, quem Princeps ille satum cordibus exprimebat. Voluit hic insinuare plebis affectum & beneuolentiam esse Regum & Principum custodiam omni clypeo tutiorem. *Typotius lib. 2. symb.*

APPLICATIO.

Conuenire credo eleemosynæ symbolum istud: hæc enim virtus habet pauperum cordia, quibus contra Dei iustitiam sæuientem misericordes homines obteguntur. Vergit eò Chrysologus hoc contextu. *Frustrà peccata accusant, quem pauper excusat.*

SYMBOLVM.

Hinc corpus, inde decus. *pag. 614. col. 1*

PICTVRA.

Est hoc symbolum Ioannis Ferri, à quo pingitur in tabella nitens concha aperta, cuius in vniones sol influit. Concha quidem suppeditat corpus margaritis: sed si sol irradians non influeret, abesset ille decor omnis, quo resplendent singulæ margaritæ. *Ferrus in theatro symbol.*

APPLICATIO.

Terra quidem multum confert ad corporis elegantiam & augmentum; siquidem illa panem atque vinum homini suppeditat: sed anima nullo prorsus esset decore nitens, ac proinde Deus haberet eam despectui si haudquaquam illi gratias sol rutilus affulgeret. Itaque describatur homo pede solum calcans, & ore cœlum versus directo, voces ei præfati symboli poterunt adaptari: *Hinc corpus, inde decus.* Id est, habeo à terra totum quo ex carne & sanguine coalesco satus. Hinc, scilicet à terra fluit quicquid in me vile & reprobum est. Si quid carnale litans sensuum illecebris me diuexat, illud omne sapit terram, neque Deum habet criminis impulsorem: quicquid verò micat & rutilum est in me, totum desuper influxit, scilicet à Deo, cuius est omnium gratiarum singulare decus animas afficiens diuinis dotibus insignitas.

SYMBOLVM.

Hinc aliquando eluctabor.

PICTVRA.

Alexandri Medicei Cardinalis symbolum est, cuius pictura refert eclipsim lunæ, cuius singulare lumen terra solem inter & ipsam lunam media suffuratur. Hic luna dicit se aliquando suis è tenebris emersuram. *Paulus Iouius lib. symb.*

APPLICATIO.

Anima pertæsa vitam, quam in hoc æuo ducit, intensè cupit dissolui, & esse cum Christo, cuius amore flagrat, & ita sua vota anxia consolatur: *Hinc aliquando eluctabor*: corporis ergastulum aliquando rimas aget, & subinde ruet, sicque locus erit peruius exitui animæ, quæ soluta suis vinculis ad oras superas euolabit.

SYMBOLVM.

His ornari aut mori.

PICTVRA.

Iacobus V. Stuardus Rex Scotiæ symbolum hoc assumpsit, & inscripsit coronæ, quam traiiciebat sceptrum gladio decussatum. Ita vitam ille nihili duxit si non esset regiis infulis insignita. *Typotius lib. 1. symb.*

Quandoquidem Deo miserante virens æterna corona manet eos omnes, in quos Christiana

fides influxit; quid moratur homo vitam componere ea qua ratione solent Principes regno nati, qui studiosè cauent, ne committant vnde suo solio detrudantur. Eo intento, suo animo sæpe debet homo recolere, coronam æternæ gloriæ traiici gladio, id est, duntaxat eos regnare in cælo, quibus in hoc æuo fuit familiaris vsus eius gladij, quo noxia quæque vitia rescinduntur.

SYMBOLVM.

His ducibus.

PICTVRA.

Roberti Regis Neapolitani symbolum est hoc, adiectum gladio depicto, cuius aciem inuoluit serpens ore gerens lauream coronam, quam Rex ita notat se prudentia & exerto gladio meruisse. *Sadeler lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Quando suos milites Christus instituit ad bellum, quo peracto datur corona gloriæ vincentibus, iussit eos qui inermes erant, vendere tunicam & emere gladium, & prudentiam serpentis pro viribus æmulari. Etenim *his ducibus*, armis & discretione, cœli gloria prostat iis, qui prudenter agunt, & se generosè gerunt in his quæ pertinent ad vitia debellanda.

SYMBOLVM.

His impij terrentur.

PICTVRA.

Vespasianus Gonzaga Pro-Rex Nauarræ voces has inscripsit picturæ trium fulminum, quæ cuspide ignita necem impiis desuper intentabant. *Bood. lib. symbol.*

APPLICATIO.

Ad huius symboli veritatem pertinet illa Vatis sententia concolor Vespasiani Principis effato.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Homo graui malo perpetrato suum tortorem vehit, qui instantia supplicia horrenda malè sibi conscio animo iugiter insusurrat.

SYMBOLVM.

His Deus otia fecit.

PICTVRA.

Horatius Gonzaga Princeps S. R. Imperij Cæsari Maximiliano soloque saloque sua præstitit obsequia, se generosè gerens; ingrauescente demum ætate cœpit canere receptui, & depictâ nauis fractæ puppi iunctâ rotæ, duas illas res factas inutiles laurea coronauit, adiiciendo voces illas: *His Deus otia fecit.* Ostendit in decrepita ætate Deum velle Duces & milites eluctato labore frui, & æterna laurea coronari. *Boodt. lib. symb.*

APPLICATIO.

Sanctis in cœlo licet vti hoc symbolo, & dicere: *His Deus otia fecit.* Nam strenuè se gesserunt quamdiu sub Christi auspiciis & signis in hoc sæculo militarunt.

SYMBOLVM.

His artibus.

PICTVRA.

Bonifacius III. Marchio Montisferrati pinxit arcum & pharetras sagittis instructas, his vocibus adscitis, in symbolo recensitis. *Boodt. lib. symbol.*

APPLICATIO.

Quando Deus in humanis ait: *Petite & accipietis*; & quando modum orandi præscripsit, tunc arcum & sagittas vnicuique dedit, quasi dicens: *His ducibus*, sine intermissione orate, quia orantibus indefessè Dei gratiæ conceduntur.

SYMBOLVM.

His ducibus.

PICTVRA.

Constantia Columna Mutij Sfortiæ vxor arborem pinxit, quæ semper in vmbra perit, sed affulgente Sole viret, adiectis vocibus his, ita suum omne decus, imò vita in sponsi prædilecti gratiam & merita refundendo. *Boodt. lib. symbol.*

APPLICATIO.

Hominem arborem esse Plato dixit olim, cùm radices eius agi sursum voluit, innuit fortè, Dei esse totum quo arbor illa floret & fructificat; alioquin frustrata Solis huius influxu & lumine moritura.

SYMBOLVM.

Hoc vno Iupiter vltor.

PICTVRA.

Pauli III. Pontificis singulare fuit hoc symbolum, quod assumpsit quando iuuit partes Caroli V. contra veræ fidei desertores. Tunc iussit Papa cudi in icone typum fulminis vtrimque dira cuspide ferientis. In iconis ora fuere voces illæ insculptæ: *Hoc vno Iupiter vltor.* Huius symboli se auctorem fuisse Papæ dicit *Paulus Iouius lib. Symb.*

APPLICATIO.

Synderesi applicare libet hoc Symbolum: illi namque duplex est cuspis vt fulmini Pontificis; quippe sæuit in hominem totum; dum nempe suis stimulis animam exagitat, acerbitate diræ huius angustiæ cruciata corpora contabescunt. *Hoc vno Iupiter vltor.* Nemo tale potest fulmen euadere; statim enim atque graue nefas perpetrauit homo, ream in animam illud spiculum intorquetur.

SYMBOLVM.

Hoc opus.

PICTVRA.

Raphaël Riarius Cardinalis vsus est hoc symbolo, depicto globo terræ cum temone nauis. Adiectæ voces, *Hoc opus*, suspicionem fecere, virum illum supremas infulas affectare. Malè cessit ei ille tumens animus, cuius abundè typhum

phum superbo suo symbolo designauit. Huiusce finis traiici vt & symboli meminit. *Paulus Iouius lib. Symb.*

APPLICATIO.

Ego sanctiore tono dico, nobis conuenire tale symbolum, quo gubernaculum seu regimen mundi Cardinalis ille deesse sibi voce querula designabat. Ita sanè, *Hoc opus*, id est, regiminei namque nemo sibi sufficit ad regimen proprium; indigemus omnes ope Dei, qua regamur, & ad præstitutum ab æterno finem anima dirigatur. Veritatis huius conscius Psaltes ait: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Psal. 22. Vt nihil omnino deest animæ sub illo Dei regimine; sic illa sine Deo rectore, rerum omnium spiritualium patitur egestatem.

SYMBOLVM.

Hoc quoque fecissem, si mihi vita foret.

PICTVRA.

Renato Principi Vraniæ, mortuo in obsequio Regis Hispaniæ, amici attribuêre voces illas cum pictura canis se in flammas subiectas ex alto præcipitem dantis, vt cum domini sui illic vsti corpore cremarentur. *Typotius lib. 2. Symb.*

APPLCATIO.

Christiane, vides Christum in cruce velut in ligno accenso mori; quid moraris eo amoris igne mori, quo Christus ipse tui gratiâ conflagrauit. Hoc igne tuo in corde extincto riges, pectore concreto gelu, ideoque tua post fata tibi nemo voces picto cani aptatas poterit applicare. *Hoc quoque fecissem, si mihi vita foret.*

SYMBOLVM.

Hoc opus est.

PICTVRA.

Sigobertus Comes Habsburgensis hoc symbolum inscripsit picturæ pedis ocreati in stapede siti, vt equum ascensurus eques admoto calcare concitaret. *Sadeler. lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Pes ocreatus & calcare armatus, amor Dei est, qui ad omnia ardua audenda facit homines expeditos. *Hoc opus est.* Hac armatura Deus discernit strenuos milites ab ignauis, quorum profanus amor huic sæculo mancipatur.

I

SYMBOLVM.

Iactæ crescimus.

PICTVRA.

Symbolum est Amadei VIII. Ducis Sabaudiæ, qui faces missiles & ignitas pinxit, quæ dum mittuntur in hostes, agitatæ flabro aëris acriùs accenduntur. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Iustis vti solet Deus vt facibus accensis in Mundum missis, vt ille Dei amore totus inardescat. Variis ærumnarum æstibus agitatæ faces illæ, neque lucis neque foci iacturam faciunt, imò facit eorum ignis vrit ardentiùs, & meritorum inde maius accipit incrementum.

SYMBOLVM.

Ille meos primus qui me sibi iunxit amores Abstulit, ille habeat.

PICTVRA.

Felix à Sancta Seuerina, Ducissa Grauinæ, viro suo defuncto, voces has inscripsit turturi depictæ ramis emortuæ arboris insidentis. Vt symbolo præfato fidem faceret, florente ætate cælebs mansit, & omnium virtutum laude clara suum æuum transegit, neglectis plurium Principum hymenæis. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Anima Religiosa, sui sponsi recolens mortem, in claustro vitam cælibem ducit, vni insidens cruci arbori emortuæ, atque typum Christi mortui referentis. Vna viuit vni, omnisque rei alterius respuit vnionem.

SYMBOLVM.

Illuminatio mea.

PICTVRA.

Christophori de Monte Aretino Cardinalis symbolum est hoc, inscriptum depictæ lunæ cæcis in tenebris, errantibus in vndoso mari nauibus illucenti. *Typotius lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Homo velut aquis commissa nauis æuum transigit in tenebris, nisi gratia cœlestis atram caliginem tergat sese nostris mentibus offundentem.

SYMBOLVM.

Infestus infestis.

p. 563. c. 2

PICTVRA.

Philiberti Ducis Sabaudiæ symbolum est Princeps ille sicut propitius & benignus erat singulis quibusque probis; ita durum se & acerbum censorem præstabat hominum iniquorum. Vnde suam hanc indolem ingeniosè volens exprimere, numisma cudit, vbi elephas circumducta sua proboscide adblandiebatur oui, estò ferox esset vrsis, leonibus, & molossis, qui omnibus infesti sunt, in obuia quæque viua corpora sæuientes. In iconis ora seu limbo voces erant istæ *infestus infestis*. Boodt. lib. Symb.

APPLICATIO.

Duo nomina profectò parum consona sortitur Christus, variè nuncupatus à Ioanne referente rerum ideas discolores, quas habuit animo impressas positus in ecstasi. Nempe vocat Christum agnum & leonem; agnum reuerà bonis, leonem verò malis, vnguibus exertis & ore patulo sæuientem.

Christus in iudicio extremo duas personas aget: oues eo vtentur propitio, vtpote cœlo natos; hœdi verò durum experientur eum, scilicet vt leonem anhelum in cædes: sic Christus erit *infestus infestis*: namque velut immemor misericordiæ, deponet agnum, vt leonem induat ad laniandos hœdos ad sinistram suam pessimè collocatos.

SYMBO

SYMBOLVM.

In viridi teneras exurit flamma medullas.

PICTVRA.

Petri Medicei filij Laurentij Ducis Vrbini ſymbolum eſt hoc, ei effictum ab Angelo Politiano cum pictura foci lignum viride depaſcentis. *Paulus Iouius lib. Symb.*

APPLICATIO.

Quando rebus huius ſæculi deuincitur homo, tunc ſanè viret Mundo totus, & amori obſcœno viror ille cedit; quippe libido ſibi hoc penſum indixit, ſcilicet vt faciat omnes Mundi aſſeclas impudicos. Vergit eò ſymbolum hoc. *In viridi teneras exurit flamma medullas.*

SYMBOLVM.

In fide & iuſtitia fortitudo.

PICTVRA.

Symbolum eſt hoc Nicolai III. Marchionis Eſtenſis & Ferrariæ, qui pinxit clauem & gladium decuſſantes columnam, in pelago deſpumante ſitam, & fruſtra feris eius fluctibus impetitam. In claue Petri eſt denotata fides, vt gladio iuſtitia, fortitudo verò columna immobili congruè deſignatur. *Boods. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Profectò fides abſque iuſtitiæ operibus non infirma ſolùm eſt, ſed ab Apoſtolo Iacobo Deo afflato fides huiuſmodi mortua nuncupatur. Illa verò quam bona opera ſtipant, erecta viuit, & infracta ridet omnes tyrannorum & dæmonum impetus irruentes.

SYMBOLVM.

In æternum.

PICTVRA.

Margareta Duciſſa Mantuæ, Friderici vxor, eo intento duas pinxit manus arctè ſibi annexas, vt erga ſuum ſponſum animum fidelem & conſtantem eâ picturâ vocum ſymboli denotaret. *Boods. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Actionis arduæ & ſinceræ manus eſt dextra typus: illa fuit Chriſti manus, cui homo ſuam implectit, cùm illa bonas exerit actiones. Sed quia incepiſſe parum eſt; homo debet *in æternum*, id eſt æuo toto, bonis actibus inſudare.

SYMBOLVM.

In fluctibus emergens.

PICTVRA.

Hoc ſymbolum eſt Innocentij IX. Pontificis, qui pinxit nauem ex mediis fluctibus emergentem. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Animæ prædeſtinatæ quadrat præ aliis hoc Symbolum: quamuis enim Mundus iſte maris inſtar vortices habeat & ſcopulos animæ infeſtos, ſenſuum ſcilicet illecebras; attamen inde piæ animæ emergunt, & occurrentes omnes obices eluctantur.

SYMBOLVM.

In æternum non commouebitur.

PICTVRA.

Innocentij VII. Pontificis Symbolum eſt hoc, adiectum picturæ rupis præaltæ, cui tiara pontificia incubat, & variis ventorum æſtibus agitata, manet immobilis, neſcia deturbari. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Gratia diuina rupes eſt, cui anima innixa, gratis à Mundo, carne, & diabolis impugnatur.

SYMBOLVM.

In virtute tua.

PICTVRA.

Iacobi II. Stuardi Regis Scotiæ Symbolum eſt, inſcriptum laureæ coronæ, cuius in medio Hebraicâ linguâ nomen eſt Numinis exaratum. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Gratiæ diuinæ munus eſt corona gloriæ: quippe nemo poteſt eam naturæ ſolis viribus adipiſci.

SYMBOLVM.

In patientia ſuauitas.

PICTVRA.

Caroli vtriuſque Siciliæ Regis Symbolum eſt. Pinxit ille roſam ſuppoſitam cruci, fortè volens inſinuare, crucem germinare roſas ſi æquo animo baiulatur. *Sadeler. lib. 1 iconum.*

APPLICATIO.

Roſa cruci ſubſtrata mihi aliquid ſublime ſapit & reddet, ſcilicet, neminem poſſe dura & acerba pati meritoriè & vltro, niſi diuinâ priùs gratiâ fulciatur. Inde liquet, eos eſſe Dei expertes, quibus crux adoranda fœtet, vni hoc ſtudio vacantes, ſcilicet, vt delicioſè viuant vt omnium aſſeclæ voluptatum.

SYMBOLVM.

Inuia virtuti nulla via.

PICTVRA.

Ricardi Comitis Palatini Rheni Symbolum eſt. Pinxit ille duas manus, lauri & oliuæ ramos præferentes annulo concluſos, vnde micans adamas effulgebat. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Adamante reor innui conſtantiam, vt annulo perſeuerantiam, quæ in orbem ducta finem neſcit. Homo ſibi conſtans in virtute ſuo æuo toto, Deo ſic ſanciente, debet æternâ gloriâ coronari.

SYMBO

SYMBOLVM.

Inculpata tutela.

PICTVRA.

Fabritius Columna Generalis Præfectus exercituum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gruem pinxit, quæ ab accipitre impetita necem illi infert coactè, vitam vt æmuli fuso sanguine tueatur. *Boods.lib.Symb.*

APPLICATIO.

Vnusquisque suis ita rebus studere debet, vt nulli prorsus iniurius sit, estò vitæ in discrimen incurrat, si possit aliunde vitæ suæ consulere, saluo tamen belli iure, quo iustè indicto, miles in prælio dimicando debet hostes sui Principis extirpare.

SYMBOLVM.

Ingressus, non regressus.

PICTVRA.

Cardinalis Hyppoliti Medicei Symbolum est. Pinxit ille speculam in excelsæ turris fastigio. Quid voluerit inde palàm facere, inscriptæ voces Symboli non declarant, nisi earum sensum altè sagax animus inuestiget. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Quia Archiepiscopus Auenionensis erat iste Præsul, ego totum Symbolum eius explico de Episcopatu: nempe liquet, turris instar eam dignitatem multis aliis eminere. Turris illa tota velut specula est; quippe nomen Episcopi, deducitur à verbo ἐπισκοπέω, id est, *desuper considero.* Vt character Episcopi est indelebilis, ita nequit egredi è specula Præsul ingressus eam turrim, id est, ab inuigilando gregi nullo debet tempore feriari.

SYMBOLVM.

Instar omnium.

PICTVRA.

Emmanuëlis Philiberti Ducis Sabaudiæ Symbolum est, appositum coronæ laureæ, quam rosa gemmea concludebat. *Boods.lib.Symb.*

APPLICATIO.

Gloriæ æternæ typus est & figura Ducis huius Symbolum. Illa namque suis olympionicis habet & asseruat lauream, quæ æterna viret, vtpote immarcescibilis, ob victorias de diabolo, mundo, suo & corpore reportatas. *Instar omnium* est. Quicquid enim conducere potest ad felicitatem illud omne Deus beatæ animæ largietur.

SYMBOLVM.

Integer vitæ, scelerisque purus.

PICTVRA.

Cosmæ Medicei Magni Ducis Hetruriæ Symbolum est. Pinxit ille nudam Dianam, cui substratus erat serpens: tenebat illa suum arcum vna manu, & altera Capricornum. De Diana fœdum nihil dixere Vates, licèt iniurij aliis Gentium Numinibus, illam idcirco vitæ suæ illibatæ typum voluit esse probus hic Princeps. Capricornus erat horoscopi Cosinæ sidus, insinuauit ille, vitam integram cum serpente & arcu, id est cum prudentia & annis, sidera moderari. *Boods. lib.Symbol.*

APPLICATIO.

Conuenire credo Ducis huius picturam cum figura viri vsquequaque probi. Ille sicut Diana die noctuque feras, id est, vitia intortis spiculis insectatur. Rursus vt Cosmæ Ducis Diana pede terit anguem, & victrice manu Capricornum strictè quasi vinctum tenet, ita Deo gratus homo caput anguis infernalis habet sibi substratum & contritum; manu verò ducit capros in triumphum: illa manus Dianæ putæ notat opera casta Deo charæ animæ, exosæ capros Symbola voluptatum. Homo, cui competit hæc supellex, est. *Integer vitæ, scelerisque purus.*

SYMBOLVM.

Inter omnes.

PICTVRA.

Cardinalis Hyppoliti Medicei Symbolum est, explicans phosphorum sidus quod depinxit; etenim hæc stella *micat inter omnes*, vt scribit Horatius, à quo voces huius Symboli desumuntur. Cardinalis ille sicut erat Clementis VII. Papæ frater, ita suum splendorem & singulare decus præ aliis Senatus purpurei Patribus hac phosphori tessera voluit explicare. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Apto iure Dei gratiæ in animam infusæ voces illas, *inter omnes*; namque licèt multæ dotes animæ concessæ, lucem & splendorem illi conferant, vt virtutes naturales abundè probant: attamen gratia diuina micat *inter omnes*, præitque Soli, Deo scilicet, animæ cœlitus illabenti.

SYMBOLVM.

Interna præstant.

PICTVRA.

Symbolum hoc est Annæ, Regis Daniæ filiæ, & coniugis Augusti Ducis Saxoniæ Electoris: Fuit Symboli pictura pauo, cuius forma nihil pulchrius est quando eius discolores plumæ Solis radiis explicantur. Erat Anna donis naturæ diues, vtpote speciosa, prolis & numerosæ ferax; attamen illa viro atque toti prouinciæ placuit virtute magis quàm genere, formâ, gazis, aut inclyta dignitate. Idcirco voces istæ benè quadrant ei. *Interna præstant.* Sadeler. lib. 2. iconum.

APPLICATIO.

Christiane, pete primò Dei regnum & iustitiam eius; opes exteriores habe nihili instar; stude, tuamque omnem industriam impende, choro vt virtutum omnium stiperis; nam *interna præstant*: externa fucos oculis faciunt, vt pauonis plumę quibus plus coloris apparentis inest, quàm veri solidè subsistentis.

SYMBOLVM.

Inundatione ferax. p.81.c.2

PICTVRA.

Maphæus Barberinus Cardinalis, qui postea Pontifex Vrbanus VIII. eo animo liberali fuit, vt cuncta sua faceret communia. Symboli loco sibi assumpsit aquas Nili fluminis cui virtus ea indita est, vt illuuione sua fœcundet oras omnes quas alluit. Huic fluuio depicto voces istas adiecit, *inundatione ferax*; quasi diceret: Liberalis natura mihi non est ingloria; siquidem hoc habeo quodcunque dedi. Qui mea bona participant, iidem me fœcundant, nec vlla gazis inest gratia præter eam, quam conciliat illis anima liberalis. *Scipio Bargaglius lib. Symb.*

APPLICATIO.

O auare, gratis imò tuam in perniciem coacervas opes, futuras æuo tuo toto tibi inutiles, quia illarum fructus in alios homines minimè deriuantur. Quid, ô pectus opacum, caligas in indagine artis, quæ componit gazas auro fœtas: explicato manus, & abundè dato pauperi quod recondis; hac profectò fies *inundatione ferax:* namque totus fructus opum est in earum discreta situs effusione, quæ facit eas beneficas; vt contrà retinendi cupido malas facit opes, sicut arcta nimis custodia in horreo frumento nocet, quod porrecta manu satum multiplicat, terra semen hoc reddente cum fœnore seminanti. Vide plura pag. 81. c. 2

SYMBOLVM.

Iræ modereris & ori.

PICTVRA.

Ludouici Bauariæ vtriusque Ducis erat olim Symbolum istud, inscriptum Herculi depicto, cuius vtraque manu leonis edomiti fauces strenuè frangebantur. *Typotius lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Si æmularis, homo, decus & gloriam; *ira modereris & ori:* etenim, iuxta Vatis veridicum hoc effatum,

Fortior est qui se quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

SYMBOLVM.

Iter impiorum peribit.

PICTVRA.

Sadeler in icone nobis expressit draconem ictum fulmine, deuorantem bestiam, quæ crudelis & gulosa plures homines enecarat. Sculpturæ voces adiectæ clamant, non posse nequam homines in hoc sæculo perennare. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Iter impiorum est omnis vita nequam, quam perpetrata solent crimina decurtare. Vindictæ Dei fulmen præcipuè conterit homicidas. Et id iuxta Vatis oraculum: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Psal. 54.

SYMBOLVM.

Inter eclypses exorior.

PICTVRA.

Ludouici XII. Regis Galliæ Symbolum est. Pingebat ille sidus, cui nomen crater, oriens XV. Kal. Martias: fit autem constellatio illa sicut inter eclypses. Mortuo Rege Carolo VIII. fuit euectus ad soliū Ludouicus iste, sicut capto Duce Insubriæ ditionem illam victor inclytus occupauit. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Vt Ludouico Regi eclipses seu funera strauere viam ad solium; ita cœli regno duas ob eclipses Christiana anima potietur. Eclipsis prima fuit mors Christi, qua mediante nobis iter ad solium cœleste fuit peruium. Eclipsis secunda notat mortem corporis, quæ duplici modo debet accidere, vt in æternum anima æternâ laureâ coronetur. Mors prima notat dissolutionem corporis & animæ: namque semel mori statutum est omnibus hominibus. Secundò caro mori debet omnibus sensuum illecebris noxiis animæ saluti. Ita plures inter eclipses homo sicut insigne sidus in cœlo micans poterit exoriri.

SYMBOLVM.

Iudice fulua Iouis Phœbo hinc nihil eiicit ales.

PICTVRA.

Symbolum est hoc Mariæ vxoris Maximiliani I. Imperatoris, quæ multos Principes enixa, fœta fuit sobole gloriosa. Pinxit aquilam, quæ in nido suis pullis stipata, Solis eos exponebat radiis, vt probaret, degeneres necne forent. Symboli descriptæ voces perinde sonant ac à Sole totam sobolem approbari. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Anima iusta cœlo sata, & Spiritu Sancto fœta, nihil omnino parit reprobum; sed vt semine ab æthereo concepit, ita fœtus eius, qui sunt virtutum actus, appensi ad trutinam districti examinis cælitus approbantur.

SYMBOLVM.

Iupiter plue mel.

PICTVRA.

Gregorij XIV. Pontificis est Symbolum, quod in icone cudit, vbi arbores excelsæ nouâ Dei gratiâ melle cælitus asperguntur. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Prælatis omnibus conuenire credo Papæ votum: nam præfecturâ tumet homo pronus ad iracundiam & noxiam quando suis subditis succensens Præsul ira tumidus excandescit. Optare debet melleum cor, vt sit suaue totum quod molitur, & censura etiam mellita reos sic afficiat, vt illa suum intentum in eorum anima sortiatur.

SYMBO

SYMBOLVM.

Iustus non derelinquetur.

PICTVRA.

Symbolum est Ernesti Ducis Brunsuicensis, qui hominem pinxit clypeo tectum & gladio armatum, draconem pedibus atterentem. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Frustra Dei præstolatur opem contra feros dæmonis insultus homo sine clypeo & ense rogans, id est, non cauendo sibi à peccatis, nec tantisper resistendo malo spiritui fortiter oppugnanti. Iusto Deus adest propitius, & substernit ei aspidem, basiliscum, leonem, & draconem; quia tempestiuè cauet dæmonis insidias, & se generosè gerit omnia vitia profligando.

SYMBOLVM.

Iuuat empta labore gloria.

PICTVRA.

Vespasiani Gonzagæ Ducis Traietti Symbolum est, adiectum depicto camelo, cui præ cæteris animalibus insitum est à natura, suas vt vltro vires impendat ad congrua quæuis onera baiulanda. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Adultus homo nequit gloria æterna frui, nisi ille sibi hanc coronam immarcescibilem congruo labore præuio compararit.

SYMBOLVM.

Iuuat aër & imber.

PICTVRA.

Antonij Castrioti Ducis Fernandini & nepotis Scanderbegi Symbolum est, appositum picturæ nauis, cuius dum vela madent imbre, flabris ventorum fortiùs impelluntur. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Homo nauis est commissa mari; sed nulla ratione potest ad gloriæ æternæ tutum & optatum portum appellere, nisi Spiritus Sancti suauis aura perflet eum largis gratiarum imbribus inundatum.

L

SYMBOLVM.

Labor viris conuenit.

PICTVRA.

Hugo Capetus, ignauo Rege suo solio pulso, regnum potitus est, vtque sui ausus rationem aliquam exprimeret, in icone cudit brachium manu armata gerens lanceam, quasi æmulos ad certamen singulare suo hoc symbolo prouocaret. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Profectò virum se mentitur homo deses & ignauus; namque viri nomen est à viribus: sed homo vires non exerens, otio fractus, habet frustra viri nomen, ac proinde iure debet iners fœmina nuncupari.

SYMBOLVM.

Labores manuum tuarum manducabis.

PICTVRA

Sadeler huic Symbolo adiecit apes, quæ melle viuunt quod ipsæ suâ industriâ & labore iugi sedulæ confecerunt. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

De beatis Ioannes ait: *Opera illorum sequuntur illos*; quod perinde sonat ac gloriam æternam non sola fide sed fidei annexo bono opere comparari ab adultis, quorum si otio fractæ manus ab actione bona vacant hîc, æterna fame in alio sæculo mulctabuntur.

SYMBOLVM.

Lacessitus.

PICTVRA.

Margaretæ Ducissæ Alberti Symbolum est, aptatum cygno, qui aquilam rostro ferit imò necat, ab illa nequiter impetitus. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Sæpe Deo vltore vicit homo probus iniustè suo à potentiori æmulo lacessitus. Nempe Deus stat à partibus infirmorum, quando sua virtute freti potentiores eis iniquè volunt in hoc sæculo præualere.

SYMBOLVM.

Læsæ libertatis affectus.

PICTVRA.

Petri Mocenigi Ducis Venetorum Symbolum est. Turrim pinxit ille sitam in medio mari, vndique commotis fluctibus impetitam. Voluit ille typum hunc esse. *Læsæ libertatis affecti* maturis namque refert tyrannum, vt excandescens mare plebem apprimè notat, vindicem oppressæ suæ libertatis, in tyrannum fortiter insurgentem. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Quando vafris dæmonum technis homo sua libertate cadit, eam opprimente sæuo tyranno, scilicet peccato, cuius vinculis opprimitur, statim inquies synderesis insurgit, & importuna clamat, libertatem animæ procurando.

SYMBOLVM.

Legitimè certantibus.

PICTVRA.

Ferdinandus Archidux Austriæ Dux Stiriæ Symbolum hoc inscripsit aureæ coronæ ramis laureis traiectæ, suum sic fortè notans animum ad meritas laureas anhelantem. *Typotius lib. 2. Symbol.*

Applicatio.

Plerique suum dedere nomen militiæ Christi; sed vitio prævalente, cedunt diabolo, ideoque rari sunt, qui morte recessui canente, cœlo inserti æternæ gloriæ laurea coronentur.

SYMBOLVM.

Liberalitate & mora.

Pictvra.

Hoc Symbolum est Ioannis Baptistæ Castaldi Præfecti generalis exercituum Ferdinandi Imperatoris. Depinxit ille tigrim in via sistentem illusam speculo, quod venator ibi consultò liquit, vt illic nectente moras deceptâ ferâ, tutò ille tigris raptos catulos asportaret. Venator ita sua liberalitate, morâ tigris, & expeditâ fugâ, vitæ suæ consulit, & securè prædam defert, alioquin à crudeli bestia discerpendus. *Boodt. lib. Symb.*

Aplicatio.

Liberalitate, morâ, fugâ vitæ æternæ compos est futurus homo; nam eleemosynas erogando, moras diabolo nectit; & ansas peccandi declinando fugit, ad portum salut s æternæ lætus & integer appulsurus.

SYMBOLVM.

Libertas sub metu.

Pictvra.

Francisci Donati Ducis Venetorum Symbolum est. Hic pinxit equum effrænem, qui sine sessore liber incautè lupis occurrens, ab his miserè deuoratur. *Boodt. lib. Symb.*

Applicatio.

Beatus homo, qui semper est pauidus; quippe licèt à peccato liber sit, vndequaque lupis cingitur, id est dæmonibus, quorum insidiis peccare potest, & sic excidere gratiæ libertate.

SYMBOLVM.

Litatur.

Pictvra.

Rudolphus Pius de Carpi Cardinalis hoc verbum inscripsit altari depicto, cuius è summo focus lucidus emergebat. *Hieronymus Ruscellus lib. Symb.*

Applicatio.

Exemplo suo nos Propheta docet orare, dicens: *In meditatione mea exardescet ignis.* Psal. 38. Vt namque preces fusæ litent & impetrent intentum, flagrare debet amore Dei cor hominis exorantis.

SYMBOLVM.

Loco & tempore.

Pictvra.

Eduardi Regis Luzitaniæ Symbolum est, adiectum lanceæ depictæ, cui est anguis callidus inuolutus. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

Applicatio.

Symboli serpens & hasta monent, debere bella geri prudenter & constanter, captando loca & tempora præliis opportuna. Homo in Baptismo ferum indixit bellum dæmoni, Mundo, & carni: sed non indiscretè debet prouocare suos illos hostes, at huic certamini sunt apta loca & tempora seligenda.

SYMBOLVM.

Longo splendescit in vsu.

Pictvra.

Ioannis Francisci Gombaræ Cardinalis est Symbolum, cuius pictura vomer aratri est pellucidus; quamuis enim primò vomer atro colore fœdus sit, multo tamen labore nitet, vsu plurimo resplendescens. *Typotius lib. 2. Symb.*

Applicatio.

Vomere designati abiecta sæpe fortuna sati homines industria & labore lucem dignitatem etiam supremarum faustè suis meritis adiecerunt.

Alia Applicatio.

Quid querimonias texis, homo, tua de natura rudi & informi vitiis obnoxia? si vis in virtutum stadio exerceri, vsus ille tibi propitius erit, eius enim obsequio gratiis infusis è cœlo tua anima resplendescet.

SYMBOLVM.

Lux publica Principis igne.

Pictvra.

Caroli à Lotharingia Cardinalis est Symbolum, inscriptum depictæ faci accensæ, quæ olim Principes anteibat: *Typotius lib. 2. Symb.*

Applicatio.

Voluit Cardinalis ille denotare, tales esse mores hominum, qualis est vita Regum seu Præfectorum, ad quorum indolem, qualiscumque sit illa, solet se populus adaptare. Christiane, venit Christus ignem mittere in terras, amore sacro flagrans: hocce tui Principis igne luce, nisi velis in perpetuis tenebris ambulare.

M

SYMBOLVM.

Magnos vana fugant. p. 51. c. 2

Pictvra.

Ioannis Ferri in theatro tale Symbolum prostat, appositè ad picturam, quam Beatrix Luzitaniæ Regina fecit, vbi leo accensæ facis aspectum sustinere nequit eà visâ citam arripiens fugam, alioquin obiecta face ignea periturus. *Ferrus in theatro Symb.*

Applicatio.

Superbis vanitas est infesta: namque facis instar vanitas exiguo lumine irradians perstringit oculos hominum, gloriæ futilis asseclarum. Statim atque lumen suum hoc tenue virtuti offundit, illa omnis virtus percussa radiis gloriæ inanis, quasi in fugam acta, loco cedit, imò protinus euanescit.

SYMBOLVM.

Maiestate tantum.

Pictvra.

Ferdinandi tertij Magni Ducis Hetruriæ Symbolum

bolum est hoc, congruum picturæ Regis apum, qui aliis maiestate sola præstat, eas amicè regens, vtpote spiculo destitutus. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Omnes qui aliis præsunt, carere debent aculeis; & maiestate sola, quæ petitur à virtute, debent aliis eminere.

SYMBOLVM.

Maior erit Hercule.

PICTVRA.

Aula Regi Galliæ Carolo IX. fecit hoc Symbolum, iuuene depicto, qui duas columnas humero baiulabat. *Sadeler. lib. 1. icon.*

APPLICATIO.

Pietas & iustitia duæ sunt columnæ, quibus securè totus innititur orbis. Rex ille, cuius humeris incumbunt hæ columnæ, *maior erit Hercule*; siquidem in æternum eius parta præfato modo gloria perennabit.

SYMBOLVM.

Maturè.

PICTVRA

Pauli III. Pontificis Symbolum est hoc, quod picturæ quadrat, vbi Delphin cameleonti implexus, eius in gradiendo moras vrget à natura sibi insita leuitate. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Vox hæc compendiosa Papæ grauis ætate concors est & consona sententiæ istius olim à Plinio celebratæ: *Ira & præcipitatio pessimi consultores.*

SYMBOLVM.

Me trahit altus honos.

PICTVRA.

Galeatius Maria Sfortia Dux Mediolani Symbolum hoc habuit adiectum depicto cœli globo, sato stellis, & perfuso lumine coruscanti. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Despectui habetur à Sanctis honos huius mundi; quippe fugax vno solo momento durat, & velut in gyrum actus turbo rotat eos importunè, quibus afflat; at cœlestis honos est perennis, eos plenè beans, qui à Deo cœlitus honorantur. Animam reprobam, quæ deorsum vergit, terrenus honos afficit, iustos verò cœlo natos trahit altus honos, ad hunc vnum votis omnibus anhelantes.

SYMBOLVM.

Me tuis ornari.

PICTVRA.

Ascanius Columna Dux Paliani hoc Symbolum inscripsit obelisco vitis palmite constrato, Ducis & corona desuper exornato. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Obeliscus desinens in acumen cœlum versus, eum significat, qui ad superna suæ mentis apicem dirigit & attollit; ille sibi constans in gratia diuina viret virtutibus, & post fata manet eum corona bonis & strenuis actibus acquisita.

SYMBOLVM.

Me iuuat auspiciis magnorum adolescere diuûm.

PICTVRA.

Caroli Friderici Principis Iuliacensis est Symbolum, pullo aquilæ inscriptum, qui generoso parente satus ait, se auitæ gloriæ responsurum. *Sadeler. lib. 2. icon.*

APPLICATIO.

O homo, Dei gratia insignite, Rege patre satus es, scilicet Christo; caue ne quid committas inglorium, & indignum tantis natalibus, vt degener in vitia declinando.

SYMBOLVM.

Meliora quæro.

PICTVRA.

Ioannis Iordani Vrsini Ducis Tagliacozæ Symbolum est, quod picturæ quadrat Tauri, in pascuis meliora gramina seligentis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Edoctum à natura pecus omne solet optima pascua discernere à noxiis; homo verò, quasi nouercante naturâ, malo volens gestit adhærere, bonis pascuis abdicatis. Sic infra pecus homo dici potest esse, quia noxia voluptate suam ingurgitat animam studio virtutis penitus abdicato.

SYMBOLVM.

Mens immota manet.

PICTVRA.

Clotarij Regis Galliæ Symbolum est. Pinxit ille rotam pistrini immotam, quamuis aqua ruens illam in gyrum agere niteretur. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Damnabantur olim ad pistrinum capita abiecta, velut vilia mancipia, vt rotæ loco molam circumagerent; vnde rota rotat & pistrinum, & vile caput, & hominem inconstantem. Si verò rota non sit versatilis illa refert hominem iustum, quem irruentes aquæ, id est circumfusæ plebis vita neque mores perditi tantisper in hoc æuo valent à statu diuinæ gratiæ dimouere.

SYMBOLVM.

Meo commodo.

PICTVRA.

Ludouici à Guisia Cardinalis est Symbolum. Pinxit ille ciconiam, quæ serpentem virulentum rostro suo captum validè conterebat. Serpens erat hæresis Caluiniana, cuius excidium ille Regi consuluit, & ita suæ saluti prouidit; siquidem virum hunc magnum perdere tentabat: sed is magna clade totam hanc sectam ipsi & regno noxiam fregit, ita sibi & Christianæ fidei contulendo. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Vnguibus & rostro ferum indicitur bellum serpenti tartareo, quando preces ore fusæ, bono operi sociantur. Hoc serpente trito seu victo salus astruitur animæ victricis, quæ maleficum anguem illum magno suo commodo superauit.

SYMBOLVM.

Mira fides lapsas releuat manus vna columnas.

PICTVRA.

In gratiam Caroli I X. Regis Galliæ numisma cusum fuit postquam magnam hæreticorum edidit stragem: in nummo Regis erat imago, duas erigens columnas, scilicet pietatem, & iustitiam, quas hæresis euerterat, totius regni maximo detrimento. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Anima grauiter delinquendo duas columnas humi sternit, scilicet timorem Dei, quo initiatus homo sapit; & gratiam, qua stante viget homo, sicut eâ euersâ perit. Sola manus diuina potest instaurare duas has columnas fractas & prostratas, id est, efficaci tantùm auxilio diuino potest ad gratiam post lapsum anima suscitari.

SYMBOLVM.

Modò fruantur oculi, ardeant plumæ.

PICTVRA.

Aloysius Gonzaga Princeps S. R. Imperij aquilam ad Solem pinxit, quæ lumine perfusa, nihil curabat alas vri, modò suo hoc gauderet sidere coruscante. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Sunt reuerà plumæ typi vanitatis, honos, opes, deliciæ, & optima quæque supellex Mundi. Christiane, tua hæc sint vota: Dignitates, diuitiæ voluptates, aliæque plumæ ardeant omnes, modò Deo meæ mentis oculi perfruantur.

SYMBOLVM.

Monstrat iter.

PICTVRA.

Sancti Caroli Borromæi Cardinalis erat Symbolum. Pingebat ille cœlum, vbi stellis innumeris strata via lactea præ aliis spheræ cœli partibus albescebat. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Norma vitæ veris & sinceris virtutibus stratæ, cœli *monstrat iter* ei, qui in hoc Mundo timet à præstituto nobis æternæ gloriæ trâmite deuiare.

SYMBOLVM.

Mors vltima linea rerum.

PICTVRA.

Alberti Cardinalis Electoris Imperij, & Moguntini Archiepiscopi Symbolum est, inscriptum picturæ Dei termini, cuius erat agros certo quodam limite definire. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Errat homo, Dei ad imaginem factus, æterna quærens infra cœlos, vbi omnia constituta fini obnoxia desinent; & si viuunt, sunt indicto sibi tempore moritura. Qui ergo debet esse Dei consors in gloria æterna, suum affectum non obstringat iis rebus, quæ perituræ nocent; sed impensè Deum amet, qui æternus eum beare potest gloriâ nullo prorsus termino concludendâ.

SYMBOLVM.

Motu clarior.

PICTVRA.

Guido Ferrarius Cardinalis puteo depicto suum hoc Symbolum inscripsit, quod profectò fuit constantis eius animi locuples argumentum. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Quò ærumna grauis inflicta plures actus patientiæ elicit ab anima ferente suas angustias constanter; eò etiam afflictus homo, Dei gratia & meritis amplior enitescit.

N

SYMBOLVM.

Nascetur.

PICTVRA.

Leonardus Loredanus Dux Venetorum elephantis picturæ suum hoc Symbolum adiecit. Elephantes, aiunt, decennio toto fœtum vtero gerere, sed compensare moras tantas partu nobilis animalis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Gratia diuina, pias animas imprægnans, est gloriæ æternæ ferax. Itaque patiens esto tuis in ærumnis, homo; dura solet & acerba pati parturiens: Gloria æterna tibi tandem *nascetur*; & perpessas omnes angustias permolestas immenso gaudio compensabit.

SYMBOLVM.

Naturæ non artis opus.

PICTVRA.

Ferdinandus cognomine Iustus Rex Arragonum crystallo depictæ suum hoc Symbolum adiecit; ita suam fortè volens ingenuam indolem explicare. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Virtus sincera procul est ab hypocrisi, quæ est artis opus, ac proinde fucos abundè facit, iis imponens, qui illam pro virtute colunt. Sed virtutis natura nihil artis habet, neminem fallit, & propriis radiis enitescit.

SYMBOLVM.

Natura dictante feror.

PICTVRA.

Marcus Antonius Columna Dux Paliani hoc Symbolum habuit inscriptum ciconiæ depictæ, nubes ala præpete transcendenti. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

In bonum naturâ dictante debet homo ferri; sed dæmon ei illudendo, malis eum studiis obstringit, prætendendo veri boni species ementitas. At natura, Dei gratiâ adiuta, fucos diaboli discernit; & ne insolescat homo, ratus se suo Marte cœlum scandere, sonora voce clamat: Gratia dictante feror eò vnde me natura praua trahit: namque cœlum solo naturæ nisu superare gratis contendit homo, quia hoc nudis eius est viribus inconcessum.

SYMBOLVM.

Nemo sine te.

PICTVRA.

Ferdinandus Gonzaga Dux Dariani suum hoc Symbolum adiecit picturæ manus candelam sancto Spiritui porrigentis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Sumus à natura sicut extinctæ faces; namque rebus in diuinis & quæ ad salutem pertinent, absque gratia diuina nobis omnia tenebris inhorrescunt.

SYMBOLVM.

Nescio qua exibo.

PICTVRA.

Alphonsus Piccolomineus Princeps Melphi labyrintho suum hoc Symbolum adiecit. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Quando iacet homo reus in peccato, peius ei est quàm captiuis, qui conclusi labyrinthi carcere tenebantur. Aliqui namque rei huius ergastuli voluulis impliciti, mediante globo fili, cautè sibi peruias fecere fores eius; at in peccato gyri sunt & anfractus tanti, vt sine Spiritu sancto nemo queat se expedire cæcis à meandris eius, & industriæ humanæ prope innumeris abditis inuolucris.

SYMBOLVM.

Nil moror ignauos.

PICTVRA.

Camillus Vrsinus Princeps Nolæ, & Præfectus Generalis Reipublicæ Venetorum, picturæ virginis alatæ typi diligentiæ aut victoriæ suum hoc Symbolum applicuit, fortè suos vt ad egregia facta milites excitaret. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Victoria vt alata nequit apprehendi ab ignauis, ideoque mirum non est, si otio dissolutus homo crebro victus à dæmone, vitiorum omnium vinculis alligetur.

SYMBOLVM.

Nihil ille reliquit.

PICTVRA.

Clementis VIII. Papæ fuit hoc Symbolum, quo vt ingeniosè suam industriam ostenderet in bello & pace, lyram pinxit & Pontificale pedum gladio decussatum. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Non sufficit Prælato pedum pastorale, nisi & gladio sit accinctus, eo scilicet, quem Christus in cœlo cæsum obtulit Apostolis, quando iugem mortificationis vsum illis seriò commendauit. Gladius ille pedo Pontificali adiectus habet opportunè lyram adiectam; quippe vita veri huius Pontificis suaue melos edit; nempe benè audit apud omnes, qui idcirco Deum laudant: namque *nihil ille reliquit*, vnde gratus concentus omnibus oriretur.

SYMBOLVM.

Nil linquere inausum.

PICTVRA.

Pompeij Columnæ Ducis Paliani Symbolum est, qui hominem alatum pinxit, ita suos ausus omnes arduos exprimendo. *Bood. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Homo gratia diuina accinctus, alis instruitur, & Paganis olim inausa facit: nempe volat quando cœlum versus agit & dirigit animam suam flocci faciendo solum, & ad superna votis omnibus anhelando.

SYMBOLVM.

Non sine causa.

PICTVRA.

Ludouici VIII. Regis Galliæ Symbolum est, quod depicta manus regia gladio armata satis explicat, terrorem incutiens illis, qui iniquis actibus insolescunt. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Christus ait, non se venisse pacem mittere, sed gladium. Profectò *non sine causa*, talem hunc gladium attulit. Inermis erat homo, suis hostibus, id est vitiis omnibus vndequaque patens. Christus eum gladio accinxit, quando suo exemplo modum ostendit, omnes hostes animæ profligandi.

SYMBOLVM.

Non pluuiâ neque vento.

PICTVRA.

Pyrrhus Columna Marchio Mortaræ suum hoc Symbolum applicuit turri depictæ flabris ventorum & magnis pluuiis impetitæ. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Vanitas neque voluptates, imbre denotatæ, Dei gratia instructæ nequeunt animæ præualere.

SYMBOLVM.

Non dormit qui custodit.

PICTVRA.

Henrici VII. Regis Angliæ Symbolum est. Pinxit ille gruem supra globum terræ sitam, & illic onus custodis vigilis exercentem. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Vnicuique Deus mandauit de proximo suo, & præcipuè Prælatis, ac proinde nemo debet eorum in re quæ ad salutem subditorum pertinet indormire.

SYMBOLVM.

Nocturno renidet.

PICTVRA.

Pauli II. Papæ fuit Symbolum istud, congruum picturæ lunæ, cæcis in tenebris emicanti. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Beata Virgo sicut luna tempore *nocturno renidet*, quando sua ope dignatur eos, qui densis peccati tenebris opacantur.

SYMBOLVM.

Non quouis teror.

PICTVRA.

Friderici Rouerei Ducis Vrbini Symbolum est, cuius pictura silex, & igniarius chalybeus. Princeps ille suo hoc Symbolo se similem saxo dicit, quod chalybe solo teri potest, ferro nequit, quod silici illisum fortiter emollitur. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Corde rei hominis obdurato, nemo potest inde focum Dei amoris elicere. Concionatores ibi frustra suam omnem adhibent industriam; namque silex ille teri arte humana nequit. Est gratiæ cœlestis opus, quòd obstricta graui peccato nequam anima conteratur.

SYMBOLVM.

Non degener addam.

PICTVRA.

Franciscus Maria Rouereus Dux Vrbini hoc Symbolum assumpsit cum pictura manus, magnæ faci accensæ plures faculas admouentis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Vnaquæque debet congregatio religiosa sibi aptare zelo plenum hoc Symbolum: *Non degener addam.* Nam recolendo, suum Patriarcham illuxisse toti Ecclesiæ Sanctæ facis instar, illa velut eo claro parente sata, suas omnes applicare curas attentè debet, vt huic splendori magno luce suæ illibatæ vitæ nouum addat luminis incrementum.

SYMBOLVM.

Non deest generoso in pectore virtus.

PICTVRA.

Franciscus Maria II. Rouereus Dux Vrbini, Præfectus Vrbis Romæ, suum hoc symbolum adiecit picturæ leonis, æmulum ad certamen exerto gladio prouocantis. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Chrysostomus ait, discipulos Christi esse debere velut leones ignem spirantes, fortè quia certamen eis est cum leone fero, scilicet diabolo, fortiter ineundum. Non est vnde metu inhorrescat homo trucis huiusce feræ aspectu, cui namque Deus adest, *non deest generoso in pectore virtus*: omnes enim acies infernales facilè cœlesti gladio profligantur.

SYMBOLVM.

Non cæca condemur in aluo.

PICTVRA.

Ioannis Friderici Ducis Andri Symbolum est, inscriptum equo Troiano depicto, cuius aluo conclusi milites abdebantur. *Boodt. lib. symbol.*

APPLICATIO.

Vt fuere Græcis inutiles conclusi milites aluo magnæ molis equi; ita diues habet inutiles conclusas opes, imò sibi noxias quando malè partas haudquaquam restituit, aut legitimè comparatas renuit indigis elargiri.

SYMBOLVM.

Non tali auxilio.

PICTVRA.

Mutius Sfortia Marchio Carauatij Symbolum illud applicuit picturæ montis Ætnæ, cuius flamma nequit pluuiis extingui; igne, sicut aiunt, inferi præualente. *Boodt. lib. symbol.*

APPLICATIO.

Obscœna libido sicut ignis infernalis vrit; homo nequit eam extinguere viribus humanis; ope sola diuina potest hæc fornax Veneris aboleri. Castigo meum corpus, inquis, *Non tali auxilio* solo. Vigilo, laboro, fleo, libido suum vt mitiget ardorem: *Non tali auxilio* tantùm: enixè Deum ora, fuge fœdos aspectus & suspecta loca; tibi tunc auxiliante Deo flamma lubrica sopietur.

SYMBOLVM.

Non cedit vmbra Soli.

PICTVRA.

Ioannes Iacobus Triuultius Præfectus Generalis Gallici exercitus hoc Symbolum inscripsit horologio solari, cuius stylus illucente Sole facit vmbram præsente iugi lumine subsistentem. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Anima obstinata, Deo dum resistit, *Non cedit vmbra Soli.* Die & nocte gyrat gratia diuina lucens & affulgens, animam excitando, frugem vt in meliorem sese recipiat: Sed animâ constante sibi in nequitia, tenebræ peccatorum sufficientis gratiæ diuinæ luce minimè deterguntur.

SYMBOLVM.

Non mihi Domine, sed nomini tuo da gloriam.

PICTVRA.

Marcus Barbaricus Dux Venetorum hoc Symbolum habuit cum Samsone depicto, qui leonem strenuè lacertorum robore suffocabat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Sua natura dæmon præualet: si ergo nobis contingat eum debellare, Deo & non nobis est victoriæ de hoc leone citò gloria deferenda.

SYMBOLVM.

Non sunt tales amores.

PICTVRA.

Petrus Loredanus Dux Venetorum duos manipulos hastarum vinctos pinxit, eis inscribens hoc Symbolum, insinuare volens, Rempublicam infractam fore quamdiu strictè ciues amor concordiæ vinculo colligaret. *Boods.lib.Symb.*

APPLICATIO.

Honoris, opum & cupido, plebis, imò fratrum concordiam frangit, ideoque dæmon facilè prosternit eos, qui incautè volunt cum illo, rupto pacis & concordiæ vinculo, decertare. Si vigeret amor sanctus in orbe, sanè dæmon nusquam concordes homines expugnaret.

SYMBOLVM.

Nostra latens.

PICTVRA.

Marcelli II. Pontificis est Symbolum, quod inscripsit aræ foco accensæ. De intento Papæ benè licet vnicuique suum ad libitum ominari. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Diuinus amor erga genus nostrum, in ara nobis conspicuus, illic enim Eucharistia sacra velut flamma lucet & ardet, vrens eos, qui accedunt. Sed heu *nostra latens* est flamma, tepet amor noster erga Deum, nemo videt vel minimas scintillas eius, vnde queat coniicere, amore Dei, nostri cordis intima conflagrare.

SYMBOLVM.

Nostri simulacra doloris.

PICTVRA.

Anna Poloniæ Regina, Regis Stephani vxor, crocodilum pinxit, qui homine deuorato foras edit lacrymas, mœrore sic falsis fletibus ementito. Anna Regina volens suggillare virum præpotentem, qui fingebat se dolere grauem ob iniuriam illatam Annæ, voces illas applicuit huic homini, præfata truci bestia figurato: *nostri simulacra doloris*. Typotius lib. 1. Symb.

APPLICATIO.

O homo, tuis astutè votis obstat Mundus, quando vitæ Religiosæ sinum inis consilium, sed flendo, tibi obsistendo necat animam tuam: proinde fuge crocodilum illum, & memento, fletus eius esse tuam in perniciem mœroris efficti noxia simulacra.

SYMBOLVM.

Noxa nocenti. *p. 313. c. 1*

PICTVRA.

Symbolum hoc à Camerario effictum est, & inscriptum regulo serpenti, qui obiecto sibi speculo moritur; nempe nequit ipse suum ferre virus quod exhalat, iustè luens pœnas mortis, quam conscire solet iis, quos virulentis oculis intuetur. *Camerarius in centuriis Symb.*

APPLICATIO.

Hoc Symbolum de basilisco se necante suo aspectu explico de homine cupido vindictæ, qui cùm toruis oculis inimicum aspicit, ille malus seu virulentus intuitus resilit in ipsum lethali vulnere sauciatum. Vltionis enim genius hic est, vt appetitus eius animam vltricem lædat antequam exhalando suum lethale virus exoso suo noceat inimico. Itaque vindictæ insana cupido fit *noxa nocenti*; imò solet animus inquies vlciscendi libidine grauior esse sibi, quam suis inimicis, quibus duntaxat inferre potest iniuriam cute tenus, dum ipse suam conficit animam lethali plaga, & plerumque suo etiam corpori iniurius est, cùm appetitu vindictæ furens succensa bile feruidus excandescit.

SYMBOLVM.

Nulli cedit.

PICTVRA.

Andreæ Vendraminij Ducis Venetorum Symbolum est hoc, cuius pictura fuit quercus arbor, quæ inter alias omnes, æuo, mole, est & robore singularis. *Boods. lib. symbol.*

APPLICATIO.

Animi constantis homo potest aptare sibi Symbolum illud: namque Dei gratia mediante ridet omnes temporis iniurias, nec vlli animæ inimico ferit, imò robur eius in hoc quercui præstat, quod nulla potest æui carie vitiari.

O

SYMBOLVM.

Officium natura docet.

PICTVRA.

FErdinandus Princeps Salerni, Præfectus generalis exercitus Caroli V. Imperatoris, hoc Symbolum applicuit depictæ grui, quam natura docet pro aliis vigilem excubare. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

ἐπίσκοπος Episcopus vox est Græca, perinde sonans ac speculator. Vt ergo suis ouibus inuigilet, dignitatis eius titulus exhortatur. *Officium natura docet*, id est, natura vocis, quæ discernit eum ab aliis & nuncupat episcopum, ad excubias pro commisso grege iuges & vigiles excitatur.

SYMBOLVM.

Omnia fortunæ committo.

PICTVRA.

Ioannes Andreas Doria Princeps Melphi pictæ naui Symbolum illud applicuit. *Boods. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Homo Dei desertor abit in longinquas oras omnia fortunæ committens, qua rotante gyrat, iuxta Vatis oraculum: *Impij in circuitu ambulant*: ita miser à centro rerum omnium, scilicet Deo, tot implicitus voluulis elongatur.

SYMBOLVM.

Omnia ventus.

PICTVRA.

Ioannes Iacobus Mediceus Marchio Marignani, Præfectus Generalis exercituum Caroli V. Imperatoris, applicuit hoc Symbolum picturæ pilæ ventosæ, quæ aëre inspirato follibus intumescit. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

O ambitiose, Reges abundè tibi aërem inspirant quando nouis te titulis augent, sed caue, ne fortè crepes: quippe tali vento tibi insufflato quasi follibus intumescis.

SYMBOLVM.

Omnia.

PICTVRA.

Ernestus Elector Coloniensis hanc vocem inscripsit oculo depicto, cœlum, terram, & omnia perlustranti. *Sadeler. lib. 2. icon.*

APPLICATIO.

O homo, cui oculus humanus obex est ad peccandum, quando caro, dæmon, & Mundus te susurris allicient ad peccandum, memento Dei te semper obtutibus sisti, & proculdubio à nefandis actibus abhorrebis.

SYMBOLVM.

Omnis habet forma finem.

PICTVRA.

Camilla Pallauicina voces has inscripsit eleganti flori, qui demorsus à testudine tardigrada bestia marcescebat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Ne pereas cum re peritura caue, Dei serue, tuum ne affectum summâ Dei iniuriâ obstringas alicui creaturæ, quia speciosa quæque gradu lento suâ formâ cadent, & præstituto tempore deperibunt.

SYMBOLVM.

Omnia vincit.

PICTVRA.

Theodobertus Rex Austriæ, extinctæ faci in aquis applicuit hoc Symbolum. *Typotius lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Lacrymis conuenire credo voces illas; namque fletus vber, à contritione foras elicitus, *Omnia vincit*, & extinguit incendia inferni, huic peccatrici animæ præparata.

SYMBOLVM.

Omnibus gratus.

PICTVRA.

Pius VI. Pontifex hoc Symbolum insculpsit oræ seu limbo iconis, vbi erat figura globi terrestris Pontificia tiara coronati. *Sadeler. lib. iconum.*

APPLICATIO.

Mundus heu *omnibus gratus*, ideoque bonis est ingratus & exosus; namque boni esse nolunt de genere multorum, quippe rari & pauci sunt ad gloriam æternam ante sæcula prælecti.

SYMBOLVM.

Onus meum suaue.

PICTVRA.

Stanislaus Hosius Cardinalis vsus eo Symbolo, pinxit venatorem ceruo onustum, quem læto, licèt magnæ molis, animo baiulabat. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Magni ponderis & momenti sunt mandata Dei; sed hoc onus amor Dei persuaue facit: Ergo Deum ama, sicut par est, homo; legis eris ita verus cultor, & integer obseruator.

SYMBOLVM.

Opes non animum.

PICTVRA.

Felix Vrsina Ducissa Paliani Symbolum hoc inscripsit picturæ domus, quæ ardebat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Infensus homo potest flammis delere domum æmuli sui; sed illo inuito nequit eius animam luxuriæ facibus inflammare.

SYMBOLVM.

Os tuum abundauit malitiâ.

PICTVRA.

Sadeler has voces sculptas in icone vidit, & ipse denuo sculpsit & adiecit aui cothurnici depictæ, quæ nocte lunam incessit garrula voce sanis auribus importuna. *Sadeler. lib. icon.*

APPLICATIO.

Detractor huius indolis est; quidquid ei virtute clarum & conspicuum occurrit, illud omne suo ore proteruo curat & satagit inficere, & conuitiorum tenebris opacare.

P

SYMBOLVM.

Pacatum ipse regam auitis virtutibus orbem.

PICTVRA.

Henrici II. Regis Galliæ Symbolum est. Pinxit ille globum terræ suo annulo conclusum, cuius palæ nitens adamas insertus erat. Rex ita robur animi infracti & anheli in regimen orbis vniuersi præfato suo hoc symbolo designabat. *Lukius lib. numism.*

APPLICATIO.

Homo velut epitome Mundi dicitur microcosmus, id est, paruus Mundus. Quisquis animo

animo pacato vitam composuit sanctiorum Patrum more, iure potest regium hoc Symbolum vsurpare. *Paratum ipse regam auitis virtutibus orbem.*

SYMBOLVM.

Par obitus.

PICTVRA.

Henricus II. Borbonius Rex Nauarræ duas venas pinxit inuersas, vnam, quæ fundebat aquas humo citò exhaustas, & aliam, quæ focum lucidum exhalabat. Vtrique suum Symbolum affinxit. *Par obitus.* Typotius lib. Symbol.

APPLICATIO.

Mors acutâ suâ falce metit æquè bonos atque malos; horum enim *par obitus*, corporeis hominum qui supersunt oculis obuersatur. Sed cum impij anima exhalata prodit illuuies peccatorum exhausta lacu tartareo congruo sepulchro nequam huius animæ: moriente verò probo viro nitens flamma cœlum versus abit, vbi in æternum instar sideris affulgebit.

SYMBOLVM.

Par vbique potestas.

PICTVRA.

Hyppolita Gonzaga Principissa Melphetæ suum hoc Symbolum inscripsit Dianæ, cui Sole desuper affulgente canis triceps custos inferni Cerberus adlatrabat. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Gratia diuina iugi influxu castis adest, quorum famæ labem affricare nequit latratus detractorum, neque liuor hominum inuidorum.

SYMBOLVM.

Parcere subiectis & debellare superbos.

PICTVRA.

Albertus Dux Bauariæ duos leones pinxit: vnum claua domitum ab Hercule; alium verò mitem, agnum dulciter amplectentem. Picturæ voces Symboli concordant. *Sadel. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Superbus homo Deum exasperat, quem humilitate lenit & inclinat ad veniam cœlitus indulgendam.

SYMBOLVM.

Patere & abstine.

PICTVRA.

Carolus Dux Burgundiæ Smbolum hoc inscripsit picturæ manus, quæ contracta florum fasciculum oculis exhibebat. *Typotius lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Mundus iste florum manipulus est. Aliqui salutares, habent vnde nares odore grato benè afficiant; alij verò secus, vt virulenti naribus admoti citò necant, vel saltem sunt noxij sanitati. Discolor ille rerum ordo debet ab homine aduerti, vt caute bonis vti sciat, & à noxiis abstinere.

SYMBOLVM.

Paulatim, paulatim.

PICTVRA.

Hieronymi Prioli Ducis Venetorum Symbolum est hoc, congruum testudini, quam ille suo concolorem Symbolo depingebat. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Hominis natura præceps eget fræno rebus vt festinis ita modum ponat. Credo sanum consilium esse, Deum consulere initio: namque moras operi nectunt fusæ preces, & obstant ne quid homo præcipiti animo moliatur.

SYMBOLVM.

Persero.

PICTVRA.

Guillelmi II. Regis Angliæ Symbolum est, adiectum aquilæ depictæ, Solem fixis & non niuentibus oculis intuentem. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Ille profectò solus imperio dignus est, cuius oculos non perstringit ei affulgentis fortunæ lumen, & in eminenti sorte suæ infirmitatis conscius omnia moderatur.

SYMBOLVM.

Percussa micabo.

PICTVRA.

Ionnes Ferrus habet hoc Symbolum ignarij chalybis & petræ. Dum chalybs illiditur saxo haudquaquam cæsa petra gemit, sed scintillat, habens ab inflictis ictibus hunc splendorem, quo non percussit caret. Vnde cedit ei ad gloriam atque lucem, quando chalybs in illam fortiter intorquetur. *Ferrus in theatro Symbol.*

APPLICATIO.

Percussa petra micans & scintillans opportunè docet qualiter in ærumnis homo gerere se debeat: nempe videns lapidem resplendere tritum, & parturire lucem, æmulabitur hoc lapidis ingenium, & propositum istud concipiet, videlicet ingruentibus angustiis patienter se habere, Dei ad arbitrium se componendo totum, & sic patientiæ praxi aliis illucere.

SYMBOLVM.

Perit vt viuat.

PICTVRA.

Christophorus Madrutius Cardinalis hoc Symbolum inscripsit phœnici, qui accensâ pyrâ necem consciscendo sibi, fit eo funere rediuiuus. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Anima religiosa sibi in cella parat bustum ex lignis aromaticis quando vacat omnium virtutum praxi, quæ amore Dei accensæ, necem vitio & carni consciscunt, vt inde fiat & resurgat animus immortalis.

SYMBO

SYMBOLVM.

Post tenebras lucem.

PICTVRA.

Iulius II. Pontifex hoc Symbolum applicuit picturæ Solis è densis tenebris emergentis. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Alternis agunt ærumnæ suas cum prospera fortuna vices, ideoque nemo degens in opaco debet de oritura luce proxima desperare.

SYMBOLVM.

Premitur non opprimitur.

PICTVRA.

Alexander Mediceus primus Hetruriæ Dux hoc Symbolum inscripsit depicto Soli obiectâ lunâ suo lumine præpedito. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Splendor opum & honorum in hoc æuo solet affulgere malis, spissa verò caligo premit plerumque bonos, eos omni luce priuans, sicque vitam in obscuro ducunt; anima corpori subducta luce æternæ gloriæ coruscabit.

SYMBOLVM.

Probantur fortes impetu.

PICTVRA.

Alphonsus II. Carretus S. R. Imperij Princeps hoc Symbolum inscripsit picturæ rupis in summo, cuius erat castrum validis procellarum æstibus impetitum. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Homo deses & ignauus habet se pacificè cum dæmone & Mundo, qui iuxta vota illorum omne suum componit æuum. Sed accinctus gratia diuina pugil insigne robur animi infracti in tentatione probat, generosè ferens & frangens vndequaque feros Mundi & dæmonis impetus irruentes.

SYMBOLVM.

Pudeat nos perdidisse diem.

PICTVRA.

Danielis Archiepiscopi Moguntini Electoris Imperij Symbolum est, consonum picturæ nauis, vbi piscator serò sua retia vacua complicabat. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

In supremo agone vitæ vani omnes asseclæ Mundi poterunt vsurpare voces illas: *Pudeat nos perdidisse diem.* Etenim quamuis honores opes aliquando suis amasiis Mundus impertiat, illa nihil conferunt ad salutem, ideoque vita tota lucro huic impensa debet iactura animæ nuncupari.

Q

SYMBOLVM.

Quaque vocat vertamus iter. *p. 60. col. 1*

PICTVRA.

Experimento liquet, echinos spinis hirsuta animalia degere in antris & specubus multiplici aditu peruiis, vt explorare queant vnde spiret aura, & ita sibi contra illam consulere, siquidem singuli quique venti iniurij sunt echino, qui est pictura vocum symboli prænotati. Itaque cùm leuiusculè iactatus aër præludit, & se aptat ad valida ventorum flabra, echinus præsentiens illa præambula, occludit ostiolum quod vergit eò vnde reflare debet aër æstibus agitatus. *Ferrus in theatro Symbolor.*

APPLICATIO.

Iniurius est & noxius animæ ventus vndequaque nobis afflet: namque nihil leuius aura, ac proinde sunt cauenda singula quæque flabra ventorum, è quocunque loco spirent: nequitiam quippe suam non deponit aura popularis etiamsi virtutes emeritæ sint argumenta gloriæ qua perflamur. Itaque suspecta nobis sit aura plebis dum laudamur, aliò diuertamus ea encomia; *quaque vocat, vertamus iter.* Ne decantata lædant præconia, aures nostras laudibus occludamus.

SYMBOLVM.

Quietum nemo impunè lacesset. *pag. 313. col. 2*

PICTVRA.

Franciscus Sfortia Dux Mediolani vsurpauit olim hoc Symbolum, cuius pictura fuit canis in gyrum actus, quem quisquis incautè ferit; ille suæ imprudentiæ pœnam citò luit, rictu canino ferâ suam iniuriam infixis dentibus vlciscente. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Apprimè quadrat hoc Symbolum illis, qui inhumanè suos æmulos afficiunt: quippe suas iniurias vindicando, sibi consciscunt iram Dei, vnde diu non impunè ferent conuitia aliaque mala suis proximis intentata.

SYMBOLVM.

Quis separabit.

PICTVRA.

Bonifacius IX. Papa pinxit anguem in flammis, vnde nequit emergere, capite erecto; voces istas ei Pontifex adiecit: *Quis separabit?*

APPLICATIO.

Serpens dæmonis arte foco præcipitem se dat, nec inde potest exire, licèt frustrà suam omnem adhibeat industriam. Acrior flamma, qua, diabolo submittête faces, homo flagrat, dum obscœnus amor vrit eum: ab illa nequit se expedire, nisi desuper imbre gratiæ largiter influente.

SYMBOLVM.

Quis nostros expiet ignes.

PICTVRA.

Claudij Ducis Arti Symbolum est aptum picturæ rupis altæ, sitæ in medio mari, flammas atras iugiter euomentis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Vt plurimum superbos vrit luxuria; quodque peius est, eorum corda, rupis instar, ad censutas acres atque sana consilia fortiter obdurantur.

SYMBO

SYMBOLVM.

Quis dicere falsum audeat.

PICTVRA.

Ioannes Paulus Sfortia Marchio Carauatij Symbolum hoc applicuit picturæ Solis post nocturnas tenebras orientis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Hæc censura quadrat hæreticis, quos dicere falsa nihil pudet, quamuis ex Scriptura sacra sicut ex Conciliis œcumenicis liquida veritas oriatur.

SYMBOLVM.

Quod hîc deest me torquet.

PICTVRA.

Franciscus Gonzaga Dux Mantuæ Symbolum hoc adiecit stellioni depicto, cuius indoles hæc est, vt nusquam luxuriæ stimulis agitetur. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

De amore sacro potest vsurpari Symbolum illud à reprobis. Quia namque focum illum extinxere suis in cordibus grauiter offendendo, diris conscientiæ stimulis sic vexantur, vt sit vita viris illis impiis onerosa.

SYMBOLVM.

Quoniam infirmus sum.

PICTVRA.

Sadeler hoc Symbolum in icone cudit, vbi elephas multis morbis obnoxius nocte lunam erectis oculis intuetur. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Homo reus, id est, in peccato, velut elephas est bestia magnæ molis; quippe caro totus, ea non sapit quæ Dei sunt: in opaco iacet æger, nec alia ratione sibi securè potest consulere, quàm respiciendo lunam, seu Beatæ Deigenitricis opem precibus inuocando.

R

SYMBOLVM.

Reconduntur, non retunduntur.

PICTVRA.

EManuel Philibertus Dux Sabaudiæ hoc Symbolum applicuit depicto palo, vnde detersa, sicut in erecto trophæo solet, omnis generis arma pendula videbantur. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Non sunt ieiunia austera viris sanctis æuo toto continua, neque preces fusæ diem semper committunt nocti insomni; prudenter & cautè vacant aliquando suis ab exercitiis, vt tantisper animum laxent, qui profectò sicut arcus tensione iugi & anima frangeretur. Reconduntur eo tempore tela & arma, quibus agunt in dæmones & alios hostes animæ; sed recreatione breui tempore concessâ, vitæ Religiosæ pila & gladij minimè retunduntur.

SYMBOLVM.

Redde cuique suum.

PICTVRA.

Eugenius II. Pontifex hoc Symbolum adhibuit depictæ libræ, quam prætensa manus omnibus ostendebat. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

O inique, Deo da gloriam, redde te tibi, sublatas opes atque famam proximo restitue, & tunc reddes vnicuique suum, vt ad iustitiæ trutinam appendaris.

SYMBOLVM.

Reddit agmine dulci. p. 322. c. 1

PICTVRA.

Prostat apud Ioannem Ferrum Symbolum istud, cuius est pictura, cœlum, quod à mari amaro irascit & exugit aquas salsas & ingratas; sed has innata quadam virtute sibi purgat aquas, & reddit ita bonum pro malo, ferax faciendo solum irrigatum pluuiis opportunis. *Ferrus in theatro Symbolorum.*

APPLICATIO.

Credo voces has præfatas posse ritè intelligi de homine nacto bonam indolem, qui inardente charitate nouit acceptas iniurias collatâ gratiâ compensare. Profectò pius ille cœli instar est, cuius dulcedinem salsedo maris nequit corrumpere; namque licèt mare exhalet & sursum mittat salsos vapores; attamen benignè cœlum suauitate sibi innata quædam melle linit & condit amarorem illum, & defœcat omnem hanc maris colluuiem cœlesti lumine repurgatam. Sic, estò mare velut ingratum sit, nebulis plerumque suis opacans Solem, atque totam faciem cœli fœdans; nihilominus illas pelagi fæces cœlum transcolat in pluuiam dulcem, quodque fuit illi amarum, hoc *reddit agmine dulci*, terram fœcundis imbribus alluendo.

Vt ergo cœlis apta fias, ô anima Christiana, caue ne ex conuitiis æmulorum incautè legas amarorem; quinimò cura, sicut apes, fabricare fauos mellis ex acerbis quoque rebus ab ingrato tibi æmulo procuratis.

SYMBOLVM.

Redibo plenior.

PICTVRA.

Selimus Ottomanus Turcarum Imperator hoc Symbolum assumpsit & inscripsit picturæ lunæ, cui perfectum deerat incrementum. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Vtinam anima Christiana, tali zelo perculsa, Dei gratiæ augmento suam omnem impenderet industriam; quippe nouos quotidie adiiciendo gradus gratiæ illapsæ, deses otio non vacaret; sed omnium virtutum incremento diues, & aucta luce Dei gratiæ, semper plenior emicaret.

SYMBOLVM.

Regna firmat pietas.

PICTVRA.

Christianus III. Rex Daniæ patris sui Fride-
rici

rici primam literam F, coronatam sculpsit in icone, cuius ora voces has habuit inscriptas. *Regna firmat pietas.* Malebat ille cuso tali nummo patris extincti memoriam, quàm suam in hoc sæculo perennare. *Lukius lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Inscribi cordibus opto nomen Iesu patris nostri cuius cruore cœlo nati sumus: illic item, scilicet in penitiore recessu animę nostrę, voto ardere sacrum eius amorem, quo flagrante, nobis erit iter ad cœli regna patens: namque tali erga Iesum pietate salus, id est, regni æterni gloria confirmatur.

SYMBOLVM.

Reliquum datur.

PICTVRA.

Philippus II. Rex Catholicus hoc Symbolum assumpsit, depicto globo terræ, sola media parte sui conspicuæ, ita notans se residiuum orbis anhelo ad triumphos animo possidere. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Christiane, noli sistere in terris, mente cœlum contuere; tibi namque datur hæc regia, modò vacet animo, generosè tali pro gloria dimicare.

SYMBOLVM.

Repetita placebunt.

PICTVRA.

Henricus I. Rex Christianissimus hoc Symbolum assumpsit & tres depinxit è cœlo manus, anguem spiculo configentes. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Diabolum callidum serpentem generosè satis non est confixisse semel; sunt refricandæ plagæ, necem ne nobis consciscat lethale virus eius: eo intento diuinæ manus opem conciliare nobis oportet; nam facinus hoc præclarum non humanis viribus exantlatur.

SYMBOLVM.

Requies hæc certa laborum.

PICTVRA.

Carolus Rex Nauarræ voces has inscripsit Palladi armatæ, notans ita, vitam esse sibi sine districtis gladiis inquietam. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Hominis vita genus quoddam est palæstræ, quia viuere militare est. Quicunque sicut par est, id est, strenuè se gesserit contra feros dæmones, ille sui roboris in præmium gloriosâ finis nesciâ requie perfruetur.

SYMBOLVM.

Rerum vicissitudo.

PICTVRA.

Virginius Vrsinus Dux Bracchiani, depicto pistrino, rotæ eius aqua motæ suum hoc Symbolum inscripsit. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Homo gratis & frustrà credit se posse vitam beatam in hoc sæculo nancisci: cùm namque fugax Mundus eat præcipiti cursu; est necesse, simul eos & gyrare, quibus insedit cuncta sua vota rotæ committere, quæ voluitur incessanter. Christiane, fige pedem in constante solo, cœlo scilicet, vbi cuncta velut æterna sibi constant, hominesque beant dignatos eâ gloriâ sempiternâ.

SYMBOLVM.

Respice finem.

PICTVRA.

Virginius Vrsinus Dux Celsi hoc Symbolum adiecit depicto globo terræ, cui corona desuper impendebat. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

In Mundo velut in horto peramœno rosis omnia vernant, quibus se coronant omnes ij, quorum obscœna libido prata florida pertransit. Sed quisquis attentè finem omnium planè rerum Mundi respicit, ille totam eius supellectilem pertæsus, vni Deo qui semper idem est abundè suos beans, iugiter adhærebit.

SYMBOLVM.

Rutilans rosa sine spina.

SYMBOLVM.

Henricus VIII. Rex Angliæ depictæ rosæ coronatæ suum hoc Symbolum apposuit. *Typotius lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Adæ proles est rosetum germinans vndequaque rosas purpureas & candidas, homines scilicet virginitate niuis instar albos, & alios effuso propagando fidem sanguine rubescentes. Sed illæ rosæ velut spinis stipatæ natæ sunt; quippe labes originalis eas ab ortu infecit. Vna puris in creaturis Virgo Maria dici potest *rutilans rosa sine spina*; ac proinde libet ei Symbolum illud regium applicare.

S

SYMBOLVM.

Salus & victoria nostra.

PICTVRA.

Franciscus II. Sfortia Dux Mediolani Symbolum hoc adiecit depictæ coronæ ramis oliuę traiectis, significans se conciliando pacem subditis, ita bona simul omnia congessisse. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Christus oliua fuit fructifera in domo Dei, ipsum quoque nomen eius oleum effusum, sanxit æternum hominum cum cœlo fœdus, ideoque pacem nascente Iesu præcones Angeli promulgarunt. Illa pace toto hominis æuo sibi constante, bona præclara, dotes scilicet cœlestes, in perpgratas Deo animas illabuntur. Vnde liquet, benè quadrare voces illas Christo: *Salus & victoria nostra.*

SYMBOLVM.

Sapientia fortunam.

PICTVRA.

Eduardi III. Regis Angliæ Symbolum est. Pinxit ille duas manus, quæ in terræ globo rotam sistunt, significans hac pictura, sua se virtute vices fortunæ constantes & solidas effecisse. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Naturâ suâ semper homo gyrat vt inconstans, ideoque nemo scit an in bono diu constare sibi possit: quid namque vehat vesper incertum est. Gratia diuina modum ponit huic hominum inconstantiæ: etenim nescit homo nutare, cuius in animam gratia cœlitus influxit; quippe fugax eius natura tali pondere retinetur.

SYMBOLVM.

Se necat vt viuat.

PICTVRA.

Andreas Bathorius Cardinalis hoc Symbolum iunxit phœnici depicto, necem accenso foco sibi sponte propria consciscentis. *Typotius lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Pœnitentes vltro suum corpus mactant, vt carne macerata vitam æternam sibi concilient. Huic effato quadrat concolor hæc sententia Christi: *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quod perinde sonat ac, qui debitas peccato pœnas sponte luit, *Se necat vt viuat.*

PICTVRA.

Se sibi.

PICTVRA.

Petrus Aloysius Farnesius Dux Parmæ hoc Symbolum applicuit arbori frugiferæ, quæ illæsa suos fructus habet seruatque diu in loco sita feris & populis inaccesso. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Est solitudo tuta Dei seruis; ibi namque dotes animæ cœlitus illapsæ solent absque metu furum, id est, vanæ gloriæ perennare.

SYMBOLVM.

Se ipsum sustinet.

PICTVRA.

Ludouicus Arragonius Cardinalis depicto vitis stipiti Symbolum hoc applicuit. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

Homo nequit aptare sibi Symbolum illud; palmes enim est ille, cuius vera vitis est Christus, cui vt Deo apprimè quadrant illæ voces, *se ipsum sustinet*, & ab illo quæcunque vigent & stant omnia sustinentur.

SYMBOLVM.

Semper viua.

PICTVRA.

Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ Symbolum hoc adiecit depictæ lunæ, quæ aliquando nobis inaspecta latet, vtpote iuncta Soli; illa tamen nusquam accepto suo ab ortu lumine spoliatur. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Virgo Beata primo à momento suæ conceptionis vt altera luna luce fuit respersa, licèt hoc singulare lumen Mariæ ex tunc vnitæ Deo per gratiam fuerit aliquibus Sanctis Patribus inaspectum. Cùm ergo sidus hoc insigne suo ab ortu rutilans fulserit & coruscans, Maria sicut *semper viua*, iure luna sacro codice nuncupatur.

SYMBOLVM.

Semper immota.

PICTVRA.

Hugo de Verdala Cardinalis & Magnus Magister Equitum Melitensium Symbolum hoc apposuit picturæ globi terræ suspensi in aëre, & vndique procellarum æstibus impetiti. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Honoribus auctus homo minor est Mundus in aëre suspensus, vbi valida flabra vanæ gloriæ potenter eum perflant: sed vt magna moles Mundi industriâ diuinâ suis ponderibus congruis librata sibi constat immobilis; ita Dei gratiâ anima instructa, licèt honorata, manet *semper immota*, nec vllis vnquam dignitatum infulis aut humanis laudibus insolescit.

SYMBOLVM.

Seruata manebunt.

PICTVRA.

Depicta poma horti Hesperidum custodita à dracone voces habent has insculptas apud Typotium lib. 1. Symbolorum.

APPLICATIO.

Multis incuriâ sensuum periere dona Dei quamplurima cœlitus accepta; sed illa diu *seruata manebunt* sarta tecta piis quibusque viris, qui ad omnium sensuum ostiola excubias vigiles obseruabunt.

SYMBOLVM.

Si me fata vocant.

PICTVRA.

Margareta Ducissa Lotharingiæ depinxit arborem illam, vnde ramo exciso vates ait Æneam incolumem defunctorum animas inuisisse. Margareta tali arbori depictæ manum adiecit, quæ carpebat inde ramum, hoc symbolo adscito: *Si me fata vocant.* Huius heroinæ vota credo fuisse rerum arduarum, vt illa suo hoc symbolo designauit. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

O homo, ramos carpe crucis, scilicet fel, acetum, sputa, clauos, flagella, vepres, illa demum cuncta, quibus afflicta caro Deo subiicitur & animæ; virtute crucis, & ramorum eius, id est, mortificationis vsu, non Elysios cāpos vt Æneam falsò Vates ait permeasse, sed reuerà cœlos & sidera traiicies, ob ærumnas in Mundo graues perpessas æterna gloria compensatus.

SYMBOLVM.

Si Deus nobiscum, quis contra nos?

PICTVRA.

Philippus Boncompagnus Cardinalis vsus eo symbolo pinxit Danielem incolumem medios inter leones. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Ego secus dico: In supremo vitæ agone, si Deus à nobis abest, vt infensus, quis stabit à partibus nostris, opem vt tempestiuè ferat? An fortè caro, dæmon, honores, opes, & asseclæ Mundi, nostrorum conscij peccatorum? Nequaquam; imò secus vt tortores erunt sique truces, infligentes supplicia horrenda reis, qui duxere dies suos in bonis huius sæculi, ita diris vltro sua capita deuouentes.

SYMBOLVM.

Sic.

PICTVRA.

Vincentius Gonzaga, Dux Mantuæ, Symbolum hoc inscripsit cornutæ lunæ, notans ſic maiora sibi affulgentis luminis incrementa. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Virtus illa procul non est ab extremo suo deliquio, quam nulla cupido sui augmenti sollicitat: etenim in via virtutis non progredi est retrocedi; ne ergo fœdam eclipsim patiatur homo, noua lucis incrementa suæ virtuti adiiciat, & tandem aliquando suis erit omnibus numeris absoluta.

SYMBOLVM.

Sic quiesco.

PICTVRA.

Curtius Gonzaga, S. R. Imperij Princeps, hoc Symbolum inscripsit vitulo marino, cuius indoles hæc est, vt mediis dormiat in procellis vbi incusso metu homines inhorrescūt. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Anima sancta, Dei amore flagrans, est tuta satis in procellis, imò vocat eas vt quiescat, sonorè clamans: *Aut mori aut pati.* Indolis huius erant Apostoli gaudentes, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. O quàm distamus ab hoc animi robore generoso!

SYMBOLVM.

Sic diua lux mihi.

PICTVRA.

Ferdinandus Caraffa Marchio S. Lucidi, in Caroli V. Imperatoris aula degens, hoc Symbolum assumpsit. Pinxit ille lotum florem in aquis, vnde Sole irradiante foras emergit: ille tali pictura sui Principis gratiam ambiebat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Statim atque suis lacrymis inundatur homo, vitam noxiam pertæsus, cum gratia diuina suis radiis illustrat, qua influente floret, & erumpit ex illuuie sordida vitiorum.

SYMBOLVM.

Sic sperare licet.

PICTVRA.

Antonius Marchio Bergiæ Princeps S. R. Imperij Symbolum hoc applicuit depictæ grui, quæ cautè pedi duntaxat vni innixa vigil excubat indefessè. *Typotius lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Quando suis vitiis indormit homo, cadit omni spe salutis æternæ, quia omnium planè rerum incurius est; quæ illi possunt conciliare bonum hoc supremum. Sed magnâ cautelâ suis inuigilando rebus æuum transigere, *sic sperare licet*; siquidem ita salus animæ procuratur.

SYMBOLVM.

Sic semper.

PICTVRA.

Christophorus Morus Dux Venetorum hoc Symbolum adiecit depicto obelisco supra tumulum eleuato. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Obeliscus est memoriæ diuturnæ typus: vt virtus est post fata superstes, ita viro cuius animam exornat, æternum construit obeliscum.

SYMBOLVM.

Sic immortalis sum.

PICTVRA.

Thomas Mocenigus Dux Venetorum ad hoc Symbolum adiecit duas manus, vnam laurum firmiter amplectentes. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

In Baptismo data fides & seruata Deo sincerè, fata vsque ad suprema facit homines immortales.

SYMBOLVM.

Sidera cordis.

PICTVRA.

Marinus Grimanus Dux Venetorum pinxit à leone crucem erectam, ita suum affectum insinuans erga fidem, & Rempublicam gentilitij leonis stemmate designatam. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Est animosa fides eius, qui eam altè suo cordi infixit: is namque velut leo generosus eam se præstat in agone, quem præclarâ petunt opera fortiter exantlanda.

SYMBOLVM.

Silua renascens.

PICTVRA.

Insula Elba diues olim siluis extitit. Magnus

Hetruriæ

Hetruriæ Dux Cosmas Mediceus ibi arcem cum propugnaculis congruis extruxit, cui depictæ voces has inscripsit: *Silua renascens*; insinuando, fore locum illum siluam militum electorum. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Quando dæmon, gratiâ eliminatâ, reum hominem incessit, apud eum cautè sibi fabricat arcem, quando cor indurat. Ibi tunc est *silua renascens*: siquidem cuncta feris reuera sæuis id est vitiis, inhorrescunt.

SYMBOLVM.

Simul & semper.

PICTVRA.

Margaretæ Valesiæ vxoris Henrici II. Nauarræ Regis Symbolum est hoc. Conclusit illa Solem & Lunam vno annuli circulo, quem in orbem ductum cornu copiæ componebat. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

Maria Virgo tota teres atque rotunda fuit, ac proinde benè quadrat ei Symbolum annuli, perfectionem omnimodam aptè suo circulo referentis. Illa suâ à conceptione fuit vnita Soli id est, Deo per gratiam, qua in Virginem ex tunc influente *simul & semper*. Deus & gratia in Maria sicut in circulo concludente bona omnia concurrerunt.

SYMBOLVM.

Sola mihi redolet.

PICTVRA.

Iacobi Foscarini Ducis Venetorum Symbolum est hoc, appositum depicto serto florum, è quibus vna rosa sola Duci Veneto redolet. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Animæ omnes electæ fuere Iesu Christo sicut fasciculus florum. Sed ille sua de genitrice voces has edidit: *Sola mihi redolet*. Nam pigmentis gratiarum omnium respersa fuit ab ortu suo, ideoque gratum odorem sola putas inter creaturas Adamo patre satas ab illo instanti iugiter exhalauit.

SYMBOLVM.

Spes non confunditur.

PICTVRA.

Pij V. Pontificis Symbolum est, adiectum depicto Spiritui sancto cœlitus affulgenti. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Maledictus homo qui confidit in homine; siquidem omnis homo mendax. Mundus item & caro suis non stant pollicitis, sed astutè suis sequacibus imponunt, qui in pœnam erroris meritò confunduntur.

SYMBOLVM.

Spoliatis arma supersunt.

PICTVRA.

Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ depinxit arma palo appensa, suum illis hoc Symbolum inscribens in tesseram animi generosi. *Boods. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Dæmonum arte suis plerumque bonis exuuntur iniquè viri sancti: Sed *spoliatis arma supersunt*; nempe preces, & auxilia diuina, quibus frangunt ausus dæmonis irruentis.

ALIA APPLICATIO.

Pœnitentia sincera genus est armorum, quæ spoliatæ Dei donis adhuc supersunt animæ, post iacturam quam peccando fecit omnium gratiarum, quarum splendore nitens instar sideris effulgebat.

SYMBOLVM.

Spoliat mors munera nostra.

PICTVRA.

Elizabetha Austriaca, filia Ferdinandi Imperatoris, hoc Symbolum inscripsit arbori depictæ, & vibrato manu valida fulmine conquassatæ. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Animæ peccato obstrictæ, quadrat hoc Symbolum, *spoliat mors munera nostra*: quicquid enim gratiarum cœlitus influxit in animam, illud omne delet admissum lethale crimen, spolians hominem infaustè donis ei omnibus impertitis.

SYMBOLVM.

Suaue.

PICTVRA.

Leo X. Papa iugo depicto suum hoc Symbolum inscripsit, inde volens insinuare suum dominandi modum fore toti populo perhumanum. *Typotius lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Gratia diuina, iugo Euangelij si quod pondus inest, illud omne demit, ideoque gratis & frustrà gemit iners & ignauus homo, clamans querula voce, iugum Christi esse suis humeris onerosum.

SYMBOLVM.

Subducendis rationibus.

PICTVRA.

Carolus IX. Rex Christianissimus audiit ærarium suum expilatum à præpositis fisco, idcirco diem dixit omnibus ærarij præfectis, iudice assignato, cui protinus homines hi malè sibi conscij sisterentur. Vtque necis infligendæ timor eos vrgeret ad ineunda sana consilia, numisma cudit Rex, in quo liber apertus erat, & incumbens throno, cuius in imo focus ardebat; iconis oræ voces has inscripsit: *Subducendis rationibus*. Numismata illa Regis ad arbitrium fuere diuulgata, rei vt inde scirent se vocari ad examen opum, quas malè congesserant, nec esse locum refellendi argumenta obiecta, quia liber rationum Regis condemnabat eos ad subeundam summam ignium pœnam, quam penes vos erat adhuc effugere, si maturè Regis in gazas refunderent expilatas antea facultates. *Lokins lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Iudicio extremo quadrat hoc Symbolum. Christus enim in maiestate sua solio insidens, est incubans throno liber apertus: omnia namque patent oculis eius, nihilque latere potest hunc peracutum animæ scrutatorem. Sub eius throno flagrat ardens incendium: huius autem tragædiæ summa hæc est, *subducendis rationibus.* Id est, horribilis ille Dei iudicij contextus describitur, vt conueniat se quisque, sibi vt consulat, & ita pœnis se eximat reprobis infligendis.

SYMBOLVM.

Sub Sole, sub vmbra virens.

PICTVRA.

Ioannes Albretus Nauarræ Rex hoc Symbolum adiecit depictæ naui ad omnia audenda ardua præparata. *Sadeler. lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Religioso quadrat hoc Symbolum, cùm superioris agens partes, & spoliatus præfectura, viret omnium virtutum laude clarus, vbique sibi similis, in omni sorte vacans ita Dei obsequio, vt inde diues gratiarum congerat incrementum.

SYMBOLVM.

Sub cortice tego.

PICTVRA.

Theobaldus Arragonius Cardinalis hoc Symbolum adiecit depicto malo punico, quod colorem purpureum, gratum saporem, & alia naturæ dona tegit sub duro cortice conseruata. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Ezechias incautè suas iactauit opes, & expandit ante viros extraneos, scilicet Babylonios idcoque sui thesauri passus est iacturam, quam proculdubio, illo suo thesauro seris occluso, locuples euasisset. Homo diues gratiis & virtutibus, *sub cortice tegit*, eas: qui namque manu expansa gerit opes in plateis, furibus exponit, eos ad prædam sic stolidè prouocando.

SYMBOLVM.

Sumit ex funere vires.

PICTVRA.

A Ioanne Ferro pingitur cupressus arbor excisa, cuius indoles est hæc, vt emortua, sit incorruptibilis, vt abundè liquet ex supellectile cupressina nescia corruptelæ. Huic arbori demortuæ congruus iste titulus apponitur. *Sumit ex funere vires*; id est, cùm mors sua falce metit cupressum, hanc perimendo quasi viuificat; superstes enim hæc cupressus morti fuit obnoxia securim timens; sed excisa, sua morte nouum induit statum, scilicet immortalem. *Ferrus in theatro Symbolorum.*

APPLICATIO.

Homo pœnas exigens à se retroactæ vitæ in peccatis, pœnitentiam agendo, crucis beneficio moritur carni, quæ repetitis pœnitentiæ spiculis enecatur. Sed est mors illa vitæ præuia diuturnæ. Etenim anima sic defuncta *sumit ex funere vires.* Dum namque reus erat homo, malè habebat, vtpote impos assurgere ad superna; sed statim atque necem carni pœnitentiæ gladio consciuit, *sumpsit ex funere vires*; siquidem anima vegetior ex deliquio carnis, iter antè sibi inuium virtutis init, & ita vitam est nacta, vitâ pristinâ potiorem.

SYMBOLVM.

Sumus.

PICTVRA.

Marcus Antonius Triuisanus Dux Venetorum hoc Symbolum applicuit horologio solari depicto, cuius est vmbra fugax, ita præceps æuum huius sæculi designando. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Cur tanta vitæ cupido nobis inest, cùm illius cuncta momenta fluant, & peritura vehant magnos cumulos ærumnarum? est conciliandâ vita, necis expers, idque bonis operibus; quod vt ritè fiat, est aliò collimandum.

SYMBOLVM.

Superabo.

PICTVRA.

Cosmas Medicæus, Magnus Hetruriæ Dux, Symbolum hoc habuit, & adiecit ei tres annulos adamantibus instructos, ac se mutuò connectentes. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Turmatim virtutes eunt, vtpote connexæ: robur item insigne solent adiicere quando Dei gratia naturæ donis accedit. Homini sic instructo licet dicere: dæmones obstantes vt aduersa mihi vitia *superabo.*

T

SYMBOLVM.

Tandem bona causa triumphat.

PICTVRA.

Augustus Dux Saxoniæ elector pinxit duos oliuæ ramos ductos in orbem coronæ modo, voces symboli inscribens, ita vices fortunæ notans, quæ secunda tunc temporis aspirabat. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

In hoc æuo boni quique mœrent, infinitis propè malis à reprobis afflicti; reprobi verò secus in deliciis & voluptate vitam transigunt. Sed tandem aliquando rerum omnium vices ad iustitiæ trutinam appendente Deo, pœnas seuerè luent homines iniqui; contrà verò boni dignati laurea triumphabunt.

SYMBOLVM.

Te nunquam timui.

PICTVRA.

Henricus II. Rex Nauarræ sub huic Symbolo mortis effigiem adiecit. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Seruire Deo, regnare est; ac proinde velut

Rex

Rex est qui iusta Deo pendit obsequia. Ille metu non concutitur quando fatis est cedendum: Mors namque cedit ei ad vitam, quæ in æterna sæcula perennabit.

SYMBOLVM.

Tempestati parendum.

PICTVRA.

Venceslaus Imperator hoc Symbolum applicuit depictæ naui in commoto flabris ventorum pelago fluctuanti. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Imprudenter agit homo nitens contra flumen, quod præcipiti cursu voluit aquas. Concolor est huic insano, nolens cautè fugâ sibi consulere quando potest & expedit ingrauescente malo, sicut fecere plures Sancti; & hoc perinde sonat ac cedere tempestati.

SYMBOLVM.

Tempore perficitur.

PICTVRA.

Carolus Comes in Aremberg, eques velleris aurei, Symbolum hoc inscripsit depictæ naui. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Vno nequit momento nauis, ea instrui supellectile, quam deposcit opus, ad quod aptatur; ita nequit homo tyro sacra Deo in congregatione suam citò vitam sic componere, vt omnimodam perfectionem breui tempore nanciscatur: Errant plerique sanè zelo indiscreto, vitam subditorum quando volunt esse næuis ab omnibus immunem, idque breuì: *tempore perficitur*, quoduis opus, vbi seriò laboratur.

SYMBOLVM.

Tentanda via.

PICTVRA.

Alexander VI. Pontifex tres scipiones seu baculos viatorios pinxit traiicientes vnam coronam, & adiecit eis hoc Symbolum vt tesseram animi se ad arduum aliquid accingentis. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Prostat vnicuique suus baculus; nemini namque deest gratia diuina, cui innixus homo sicut fulcro, tutò debet inire viam cœli, qua decursa pede inoffenso manet eum corona congrua laboribus, quos fortiter exantlauit.

SYMBOLVM.

Terreor aspectu Domini.

PICTVRA.

Carolus Dominicus Carretus Cardinalis magnum incendium pinxit, & adiecit ei Symbolum illud. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Vellem ego, fœda luxuriæ mancipia, quando suis ardent incendiis, reuocare Deum in memoriam; namque foco vindice libidinis stipatus, eos à peccato protinus absterreret.

SYMBOLVM.

Timentem time.

PICTVRA.

Ropatus Comes Habsburgensis pinxit manum cautè ferum & exertis dentibus armatum piscem è retibus extrahentem. Picturæ voces symboli inscripsit. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Caro timet spiritum, qui diuexat eam ieiuniis, & flagellis: sed estò caro sic mactata cedat rationi, semper duriora timens; non idcirco tamen expers esse metus homo debet, ne præsumptione cadat prostratus, quia victor tumidus insolescit.

SYMBOLVM.

Tracta magis feriunt.

PICTVRA.

Ludouici Ducis Sabaudiæ Symbolum est, inscriptum arcui depicto, cuius neruus erat fractus & tela languentia, quia arcus inermis ea non poterat remittere. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Ieiunia arcta, preces, vigiliæ, & flagella, tela sunt peracuta, quibus carnem & dæmones impetimus; sed hæc profectò tela iacent vt languida, quando manus ad cor non trahitur sagittantium more: namque bonæ actionis hebes est virtus si charitate mota manus eam non exerat, quod perinde sonat ac opus bonum in hostes animæ fortiter intorqueri.

SYMBOLVM.

Tu ne cede malis.

PICTVRA.

Rudolphus II. Imperator leonem ferum pinxit, cui districtum gladium & clypeum opposuit, ita notans se esse velut clypeum oppositum Turcis, infensis nomini Christiano. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Vnicuique Petrus hoc Symbolum attribuit ita fatus: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes.* 1. Petr. 5. Si ergo dæmon insurgat, homo, memor esto tui huius symboli: *Tu ne cede malis*; sed contra ardentior ito: qui namque fero cedit huic leoni tentationi succumbens, ille perit, & à victore dæmone deuoratur.

SYMBOLVM.

Tu autem idem ipse es.

PICTVRA.

Paulus III. Pontifex hoc Symbolum inscripsit aræ suppositæ Christo, quem stipabant Apostoli, Prophetæ, & Sybillæ, velut omnes concordi voce Iesum esse Deum omnium Gentium auribus insonantes. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Ore tenus habet Christus suæ diuinitatis testes innumeros & præcones; sed profectò voces atque manus non sunt concolores: verbis enim plerique Iesum confitentur esse Deum; sed dum renuunt obedire, voces & opera non concordant ac proinde suæ sunt fidei desertores.

SYMBOLVM.

Tutissima iures.

PICTVRA.

Philippus I. Rex Galliæ pinxit Euangelia Scorpio supposita, cuius caudam gladius amputabat. Scorpius hic denotat astutum & perfidum hostem, qui in aperto manus & brachia porrigit ad amplexus, vltro suam oppignerando fidem; sed nacto tempore opportuno sua cauda ferit, violato fœdere, quod sanciuit: ideirco benè monet Rex, vt *tutissima iures*, & præscindas scorpij caudam, astutè modos omnes nocendi hostibus amputando. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Plerique frugem in meliorem se recipiunt macerando suam carnem ieiuniis & flagellis, emendando vitam, quam aliàs impiè transegerunt. Sed dum attentè vacant huic studio virtutis adest Mundus eis suggerens, mitiùs agendum esse sua cum carne, zelus ne fortè nimis acer quidpiam faciat imprudenter. O homo, caue tibi; consultores enim illi conducti à carne, tibi nectunt insidias, ideóque nolis cum carne fœdus inire nisi *tutissima iures*, omnes peccandi ansas callidè rescindendo.

SYMBOLVM.

Tutissimus.

PICTVRA.

Clodouæus primus Rex Christianissimus symbolo præfato duas manus iunctas & erectas in cœlum adiecit, à subiectis aliis manibus commode sustentatis. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Credo tutos esse Reges, aliosque, quibus est familiaris vsus precum: cùm namque bonum omne Deo largitore nobis cœlitus influat, illud è cœlo debet attentè fusis precibus impetrari. Sed symboli pictura monet, erectas ad superna manus aliis manibus indigere, quibus innixæ sicut fulcris orent diutius: namque preces parui sunt ponderis & momenti, nisi quoque vitâ innoxiâ atque bono opere fulciantur.

V

SYMBOLVM.

Væ illi.

PICTVRA.

Gildelbertus Rex Austriæ leonem pinxit hasta armatum, & succensum furore, dira & noxia minitantem. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Leonis instar ira fremit dæmon, multisque telis est accinctus in perniciem hominum: peccata, quibus animas obstringit, sunt hastæ veneno litæ, reos homines lethali vulnere saucientes. *Væ illi*, quem diaboli spicula configunt; nam peccato necem ille leo tartareus animæ consciscit & corpori, etenim plerumque simul cum anima corpora præcipiti morte velut peccati conscia castigantur.

SYMBOLVM.

Vanitas.

PICTVRA.

Ioanna Regina Hispaniæ, viduata Rege Philippo suo coniuge, Symbolum hoc assumpsit, picturæ quadrans quam adiecit. Stans in globo terræ pauo fuit ab illa depictus, in Sole suas pangens discolores pennas, quæ dum rotæ modo gyrant, ille vanâ gloriâ elatus, vt pulchrior aliis auibus insolescit. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Terra tota velut pauo gyrat, & discolor planè rerum eius facies est. Sed voluptates, honores, opes, & alia præclara, quibus illa placet Mundo, rotant; quippe sibi minimè constant; vnde suos affectus homo vertens terræ, litat plumæ leuis instar fragili vanitati.

SYMBOLVM.

Vbique similis.

PICTVRA.

Franciscus Villadam Magister equitum Rhodiensium, pulsus à Solymanno sua insula & vrbe Rhodo, voces has inscripsit depicto Soli, qui *vbique similis*, beneficus est terræ suis radiis, ab illo bonis frugibus impræ̈gnatæ. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

In quascunque vices agat fortuna virum iustum, fulgebit ille sicut Sol *vbique similis*: splendor enim virtutis eius in prosperis & aduersis longè latéque suo diffuso lumine radiabit.

SYMBOLVM.

Vela ventis.

PICTVRA.

Alphonsus IV. Rex Lusitaniæ Symbolum hoc inscripsit depictæ naui, quæ expeditè sua cuncta vela flabris ventorum validis explicabat. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Non stat per Spiritum sanctum quò minùs homo citò & prospero cursu transeat sospes vortices & abyssos huius Mundi, qui despumantis instar pelagi sæpe feris fluctibus intumescit. Pange *vela ventis*, homo, tui cordis omnia vota solum in Deum infundens; eius aura rebus infimis te subducet, inde tuam animam ad superos euehendo.

SYMBOLVM.

Veritas persuadet.

PICTVRA.

Alexander V. Papa Symbolum hoc adiecit calici depicto, cui substratus erat clausus Scripturæ sacræ codex. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Industria humana fidem animæ non infundit: sed *veritas persuadet*; veritas, inquam, illa prima cuius auctoritate freta fides orbe toto fuit valde breui tempore propagata. Non est ergo fides Christiana proles humanæ scientiæ; sed illa merum Dei donum est, & supremæ gratia veritatis.

SYMBO

SYMBOLVM.

Victrix casta fides.

PICTVRA.

Nicolaus VI. Papa crucem pinxit coronatam, & traiectam palmæ ramis, & Symbolum inscribens victrici fidei dedicatum. *Typotius lib.1. Symbol.*

APPLICATIO.

Casta fides esse debet vt sit victrix. Si namque fidem detrectet homo soli duntaxat vni conclusioni ab Ecclesia decretæ adhibere, talis est temerata fides, ac proinde nequit ea victrix meritò nuncupari.

SYMBOLVM.

Victoria testis.

PICTVRA.

Baiazethes Turcarum Imperator hoc Symbolum assumpsit in dedecus & iniuriam nominis Christiani, ratione pacis quam Hungari Eucharistia teste ratam fecerant, & immemores oppigneratæ fidei temerarant. Victis fœdifragis Turca suis in vexillis Eucharistiam pinxit vt victoriæ testem; Christianis ita perfidiam Barbarus exprobrauit. *Sadeler. lib. 1. icon.*

APPLICATIO.

In die iudicij Eucharistia sacra velut testis erit sacrilegij, quod patrarunt plerique nequam homines, ad Communionem conscij mortiferi criminis accedentes.

SYMBOLVM.

Vi & virtute.

PICTVRA.

Leo X. Papa pilam ventosam pinxit, ei inscribens hoc Symbolum: quippe duo hæc concurrunt, scilicet vis & virtus, vt hæc pila sicut conuenit emittatur. *Typotius lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Industria profectò debet esse comes virtutis, alioquin quicquid aget homo, virtute clarus, hoc faciet imprudenter.

SYMBOLVM.

Vi nulla inuertitur ordo.

PICTVRA.

Stephani Regis Angliæ Symbolum est. Pinxit is galeæ cristam plumatilem, quam aura gratis & perperam perflat, frustrà nisi plumas dissoluere vinculo colligatas. *Sadeler. lib. 1. symbol.*

APPLICATIO.

Frustrà dæmon rixas & simultates amans, enititur turbare liuore cœtus religosos, quos sanctæ pacis vnio sociauit.

SYMBOLVM.

Vis coniuncta maior.

PICTVRA.

Paschalis Maliperius Dux Venetorum hoc Symbolum assumpsit. Depinxit hic sagittam, quæ vi fulminis adiuta metam attigit amatam. *Boods. lib. symb.*

APPLICATIO.

Homo nequit industria naturæ metam beatitudinis æternæ sibi præfixam attingere, nisi naturæ nisus incongrui ad hunc scopum contingendum, influente Dei gratia cœlitus adiuuentur: Accedente Dei auxilio ad enitentis naturæ vires, est *vis coniuncta maior.*

SYMBOLVM.

Vi parua non inuertitur.

PICTVRA.

Aloysius Mocenigus Dux Venetorum depicto elephanto voces illas inscripsit, fortè robur atque vires Reipublicæ Venetæ præfato suo hoc Symbolo præfigurans.

APPLICATIO.

Dæmon nuncupatur in Scriptura Sacra, draco, leo, Leuiathan monstrum immane, cui nemo potest ossium & neruorum robore comparari. Idcirco Deus terribilem hominum hostem sic describit, vt homo velut impar huic æmulo, primò Dei imploret opem, deinde suam omnem adhibeat industriam, vt potentem hunc & robustum conterat inimicum.

SYMBOLVM.

Vigilat sacri thesauri custos.

PICTVRA.

Xisti V. Papæ fuit Symbolum illud, congruum leoni depicto, qui insomnis ad arcam plenam opibus excubabat. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Indicant illæ voces quale munus & officium sit Antistitis, cui est commissa cura sacri thesauri, scilicet animarum in quas cœlestes opes, id est, diuinæ dotes & gratiæ desuper influxerunt: Vigilare debet custos huius thesauri, ne faciat ipse suæ animæ iacturam, si dæmon latro sacras opes callidè deprædetur.

SYMBOLVM.

Vincit potentia fati.

PICTVRA.

Ferdinandus Archidux Austriæ Symbolum hoc adiecit picturæ Ionæ Prophetæ, quem contra Dei decretum non potuere maris monstra, neque furens ipsum pelagus enecare. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Princeps iste fati voce, Dei decretum aut prouidentiam intelligit, quam frustra conatur homo suis artibus eludere. Nempe, sicut ait Vates, *Non est consilium, non est prudentia, non est sapientia contra Dominum*, cuncta suum ad arbitrium congruè moderantem. Ergo Dei vt ad nutum te componas homo decet; si namque secus agas, oleum & operam perdes: quippe tuam omnem industriam *vincit potentia fati.*

SYMBOLVM.

Omnia ventus.

PICTVRA.

Ioannes Iacobus Mediceus Marchio Marignani, Præfectus Generalis exercituum Caroli V. Imperatoris, applicuit hoc Symbolum picturæ pilæ ventosæ, quæ aëre inspirato follibus intumescit. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

O ambitiose, Reges abundè tibi aërem inspirant quando nouis te titulis augent, sed caue, ne fortè crepes: quippe tali vento tibi insufflato quasi follibus intumescis.

SYMBOLVM.

Omnia.

PICTVRA.

Ernestus Elector Coloniensis hanc vocem inscripsit oculo depicto, cœlum, terram, & omnia perlustranti. *Sadeler. lib. 2. icon.*

APPLICATIO.

O homo, cui oculus humanus obex est ad peccandum, quando caro, dæmon, & Mundus te susurris allicient ad peccandum, memento Dei te semper obtutibus sisti, & proculdubio à nefandis actibus abhorrebis.

SYMBOLVM.

Omnis habet forma finem.

PICTVRA.

Camilla Pallauicina voces has inscripsit eleganti flori, qui demorsus à testudine tardigrada bestia marcescebat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Ne pereas cum re peritura caue, Dei serue, tuum ne affectum summâ Dei iniuriâ obstringas alicui creaturæ, quia speciosa quæque gradu lento suâ formâ cadent, & præstituto tempore deperibunt.

SYMBOLVM.

Omnia vincit.

PICTVRA.

Theodobertus Rex Austriæ, extinctæ faci in aquis applicuit hoc Symbolum. *Typotius lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Lacrymis conuenire credo voces illas; namque fletus vber, à contritione foras elicitus, *Omnia vincit*, & extinguit incendia inferni, huic peccatrici animæ præparata.

SYMBOLVM.

Omnibus gratus.

PICTVRA.

Pius VI. Pontifex hoc Symbolum insculpsit oræ seu limbo iconis, vbi erat figura globi terrestris Pontificia tiara coronati. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Mundus heu *omnibus gratus*, ideoque bonis est ingratus & exosus; namque boni esse nolunt de genere multorum, quippe rari & pauci sunt ad gloriam æternam ante sæcula prælecti.

SYMBOLVM.

Onus meum suaue.

PICTVRA.

Stanislaus Hosius Cardinalis vsus eo Symbolo, pinxit venatorem ceruo onustum, quem læto, licèt magnæ molis, animo baiulabat. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Magni ponderis & momenti sunt mandata Dei; sed hoc onus amor Dei persuaue facit: Ergo Deum ama, sicut par est, homo; legis eris ita verus cultor, & integer obseruator.

SYMBOLVM.

Opes non animum.

PICTVRA.

Felix Vrsina Ducissa Paliani Symbolum hoc inscripsit picturæ domus, quæ ardebat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Infensus homo potest flammis delere domum æmuli sui; sed illo inuito nequit eius animam luxuriæ facibus inflammare.

SYMBOLVM.

Os tuum abundauit malitiâ.

PICTVRA.

Sadeler has voces sculptas in icone vidit, & ipse denuo sculpsit & adiecit aui cothurnici depictæ, quæ nocte lunam incessit garrula voce sanis auribus importuna. *Sadeler. lib. icon.*

APPLICATIO.

Detractor huius indolis est; quidquid ei virtute clarum & conspicuum occurrit, illud omne suo ore proteruo curat & satagit inficere, & conuitiorum tenebris opacare.

P

SYMBOLVM.

Pacatum ipse regam auitis virtutibus orbem.

PICTVRA.

Henrici II. Regis Galliæ Symbolum est. Pinxit ille globum terræ suo annulo conclusum, cuius palæ nitens adamas insertus erat. Rex ita robur animi infracti & anheli in regimen orbis vniuersi præfato suo hoc symbolo designabat. *Lukius lib. nummism.*

APPLICATIO.

Homo velut epitome Mundi dicitur microcosmus, id est, paruus Mundus. Quisquis animo

animo pacato vitam composuit sanctiorum Patrum more, iure potest regium hoc Symbolum vsurpare. *Paratum ipse regam auitis virtutibus orbem.*

SYMBOLVM.

Par obitus.

PICTVRA.

Henricus II. Borbonius Rex Nauarræ duas vrnas pinxit inuersas; vnam, quæ fundebat aquas humo citò exhaustas, & aliam, quæ focum lucidum exhalabat. Vtrique suum Symbolum affinxit. *Par obitus.* Typotius lib. Symbol.

APPLICATIO.

Mors acutâ suâ falce metit æquè bonos atque malos; horum enim *par obitus*, corporeis hominum qui supersunt oculis obuersatur. Sed cum impij anima exhalata prodit illuuies peccatorum exhausta lacu tartareo congruo sepulchro nequam huius animæ: moriente verò probo viro nitens flamma cœlum versus abit, vbi in æternum instar sideris affulgebit.

SYMBOLVM.

Par vbique potestas.

PICTVRA.

Hyppolita Gonzaga Principissa Melphetæ suum hoc Symbolum inscripsit Dianæ, cui Sole desuper affulgente canis triceps custos inferni Cerberus adlatrabat. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Gratia diuina iugi influxu castis adest, quorum famæ labem affricare nequit latratus detractorum, neque liuor hominum inuidorum.

SYMBOLVM.

Parcere subiectis & debellare superbos.

PICTVRA.

Albertus Dux Bauariæ duos leones pinxit: vnum claua domitum ab Hercule; alium verò mitem, agnum dulciter amplectentem. Picturæ voces Symboli concordant. *Sadel. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Superbus homo Deum exasperat, quem humilitate lenit & inclinat ad veniam cœlitus indulgendam.

SYMBOLVM.

Patere & abstine.

PICTVRA.

Carolus Dux Burgundiæ Smbolum hoc inscripsit picturæ manus, quæ contracta florum fasciculum oculis exhibebat. *Typotius lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Mundus iste florum manipulus est. Aliqui salutares, habent vnde nares odore grato benè afficiant; alij verò secus, vt virulenti naribus admoti citò necant, vel saltem sunt noxij sanitati. Discolor ille rerum ordo debet ab homine aduerti, vt caute bonis vti sciat, & à noxiis abstinere.

SYMBOLVM.

Paulatim, paulatim.

PICTVRA.

Hieronymi Prioli Ducis Venetorum Symbolum est hoc, congruum testudini, quam ille suo concolorem Symbolo depingebat. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Hominis natura præceps eget fræno rebus vt festinis ita modum ponat. Credo sanum consilium esse, Deum consulere initio: namque moras operi nectunt fusæ preces, & obstant ne quid homo præcipiti animo moliatur.

SYMBOLVM.

Persero.

PICTVRA.

Guillelmi II. Regis Angliæ Symbolum est, adiectum aquilæ depictæ, Solem fixis & non niuentibus oculis intuentem. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Ille profectò solus imperio dignus est, cuius oculos non perstringit ei affulgentis fortunæ lumen, & in eminenti sorte suæ infirmitatis conscius omnia moderatur.

SYMBOLVM.

Percussa micabo.

PICTVRA.

Ionnes Ferrus habet hoc Symbolum igniarij chalybis & petræ. Dum chalybs illiditur saxo haudquaquam cæsa petra gemit, sed scintillat, habens ab inflictis ictibus hunc splendorem, quo non percussit caret. Vnde cedit ei ad gloriam atque lucem, quando chalybs in illam fortiter intorquetur. *Ferrus in theatro Symbol.*

APPLICATIO.

Percussa petra micans & scintillans opportunè docet qualiter in ærumnis homo gerere se debeat: nempe videns lapidem resplendere tritum, & parturire lucem, æmulabitur hoc lapidis ingenium, & propositum istud concipiet, videlicet ingruentibus angustiis patienter se habere, Dei ad arbitrium se componendo totum, & sic patientiæ praxi aliis illucere.

SYMBOLVM.

Perit vt viuat.

PICTVRA.

Christophorus Madrutius Cardinalis hoc Symbolum inscripsit phœnici, qui accensâ pyrâ necem consciscendo sibi, fit eo funere rediuiuus. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Anima religiosa sibi in cella parat bustum ex lignis aromaticis quando vacat omnium virtutum praxi, quæ amore Dei accensæ, necem vitio & carni consciscunt, vt inde fiat & resurgat animus immortalis.

SYMBOLVM.

Post tenebras lucem.

PICTVRA.

Iulius II. Pontifex hoc Symbolum applicuit picturæ Solis è densis tenebris emergentis. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Alternis agunt ærumnæ suas cum prospera fortuna vices, ideoque nemo degens in opaco debet de oritura luce proxima desperare.

SYMBOLVM.

Premitur non opprimitur.

PICTVRA.

Alexander Mediceus primus Hetruriæ Dux hoc Symbolum inscripsit depicto Soli obiectâ lunâ suo lumine præpedito. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Splendor opum & honorum in hoc æuo solet affulgere malis, spissa verò caligo premit plerumque bonos, eos omni luce priuans, sicque vitam in obscuro ducunt; anima corpori subducta luce æternæ gloriæ coruscabit.

SYMBOLVM.

Probantur fortes impetu.

PICTVRA.

Alphonsus II. Carretus S. R. Imperij Princeps hoc Symbolum inscripsit picturæ rupis in summo, cuius erat castrum validis procellarum æstibus impetitum. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Homo deses & ignauus habet se pacificè cum dæmone & Mundo, qui iuxta vota illorum omne suum componit æuum. Sed accinctus gratia diuina pugil insigne robur animi infracti in tentatione probat, generosè ferens & frangens vndequaque feros Mundi & dæmonis impetus irruentes.

SYMBOLVM.

Pudeat nos perdidisse diem.

PICTVRA.

Danielis Archiepiscopi Moguntini Electoris Imperij Symbolum est, consonum picturæ nauis, vbi piscator serò sua retia vacua complicabat. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

In supremo agone vitæ vani omnes asseclæ Mundi poterunt vsurpare voces illas: *Pudeat nos perdidisse diem.* Etenim quamuis honores opes aliquando suis amasiis Mundus impertiat, illa nihil conferunt, ad salutem, ideoque vita tota lucro huic impensa debet iactura animæ nuncupari.

Q

SYMBOLVM.

Quaque vocat vertamus iter. *p. 60. col. 1*

PICTVRA.

EXperimento liquet, echinos spinis hirsuta animalia degere in antris & specubus multiplici aditu peruiis, vt explorare queant vnde spiret aura, & ita sibi contra illam consulere, siquidem singuli quique venti iniurij sunt echino, qui est pictura vocum symboli prænotati. Itaque cùm leuiusculè iactatus aër præludit, & se aptat ad valida ventorum flabra, echinus præsentiens illa præambula, occludit ostiolum quod vergit eò vnde reflare debet aër æstibus agitatus. *Ferrus in theatro Symbolor.*

APPLICATIO.

Iniurius est & noxius animæ ventus vndequaque nobis afflet: namque nihil leuius aura, ac proinde sunt cauenda singula quæque flabra ventorum, è quocunque loco spirent: nequitiam quippe suam non deponit aura popularis etiamsi virtutes emeritæ sint argumenta gloriæ qua perflamur. Itaque suspecta nobis sit aura plebis dum laudamur, aliò diuertamus ea encomia; *quaque vocat, vertamus iter.* Ne decantata lædant præconia, aures nostras laudibus occludamus.

SYMBOLVM.

Quietum nemo impunè lacesset. *pag. 313. col. 2*

PICTVRA.

Franciscus Sfortia Dux Mediolani vsurpauit olim hoc Symbolum, cuius pictura fuit canis in gyrum actus, quem quisquis incautè ferit; ille suæ imprudentiæ pœnam citò luit, rictu canino ferâ suam iniuriam infixis dentibus vlciscente. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Apprimè quadrat hoc Symbolum illis, qui inhumanè suos æmulos afficiunt: quippe suas iniurias vindicando, sibi consciscunt iram Dei, vnde diu non impunè ferent conuitia aliaque mala suis proximis intentata.

SYMBOLVM.

Quis separabit.

PICTVRA.

Bonifacius IX. Papa pinxit anguem in flammis, vnde nequit emergere, capite erecto; voces istas ei Pontifex adiecit: *Quis separabit?*

APPLICATIO.

Serpens dæmonis arte foco præcipitem se dat, nec inde potest exire, licèt frustrà suam omnem adhibeat industriam. Acrior flamma, qua, diabolo submittēte faces, homo flagrat, dum obscœnus amor vrit eum: ab illa nequit se expedire, nisi desuper imbre gratiæ largiter influente.

SYMBOLVM.

Quis nostros expiet ignes.

PICTVRA.

Claudij Ducis Atri Symbolum est aptum picturæ rupis altæ, sitæ in medio mari, flammas atras iugiter euomentis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Vtplurimum superbos vrit luxuria; quodque peius est, eorum corda, rupis instar, ad censuras acres atque sana consilia fortiter obdurantur.

SYMBO

SYMBOLVM.

Quis dicere falsum audeat.

PICTVRA.

Ioannes Paulus Sfortia Marchio Carauatij Symbolum hoc applicuit picturæ Solis post nocturnas tenebras orientis. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Hæc censura quadrat hæreticis, quos dicere falsa nihil pudet, quamuis ex Scriptura sacra sicut ex Conciliis œcumenicis liquida veritas oriatur.

SYMBOLVM.

Quod hîc deest me torquet.

PICTVRA.

Franciscus Gonzaga Dux Mantuæ Symbolum hoc adiecit stellioni depicto, cuius indoles hæc est, vt nusquam luxuriæ stimulis agitetur. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

De amore sacro potest vsurpari Symbolum illud à reprobis. Quia namque focum illum extinxere suis in cordibus grauiter offendendo, diris conscientiæ stimulis sic vexantur, vt sit vita viris illis impiis onerosa.

SYMBOLVM.

Quoniam infirmus sum.

PICTVRA.

Sadeler hoc Symbolum in icone cudit, vbi elephas multis morbis obnoxius nocte lunam erectis oculis intuetur. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Homo reus, id est, in peccato, velut elephas est bestia magnæ molis; quippe caro totus, ea non sapit quæ Dei sunt: in opaco iacet æger, nec alia ratione sibi securè potest consulere, quàm respiciendo lunam, seu Beatæ Deigenitricis opem precibus inuocando.

R

SYMBOLVM.

Reconduntur, non retunduntur.

PICTVRA.

Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ hoc Symbolum applicuit depicto palo, vnde detersa, sicut in erecto trophæo solet, omnis generis arma pendula videbantur. *Boodt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Non sunt ieiunia austera viris sanctis æuo toto continua, neque preces fusæ diem semper committunt nocti insomni; prudenter & cautè vacant aliquando suis ab exercitiis, vt tantisper animum laxent, qui profectò sicut arcus tensione iugi & anima frangeretur. Reconduntur eo tempore tela & arma, quibus agunt in dæmones & alios hostes animæ; sed recreatione breui tempore concessa, vitæ Religiosæ pila & gladij minimè retunduntur.

SYMBOLVM.

Redde cuique suum.

PICTVRA.

Eugenius II. Pontifex hoc Symbolum adhibuit depictæ libræ, quam prætensa manus omnibus ostendebat. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

O inique, Deo da gloriam, redde te tibi, sublatas opes atque famam proximo restitue, & tunc reddes vnicuique suum, vt ad iustitiæ trutinam appendaris.

SYMBOLVM.

Reddit agmine dulci. *p. 322. c. 1*

PICTVRA.

Prostat apud Ioannem Ferrum Symbolum istud, cuius est pictura, cœlum, quod à mari amaro irascit & exugit aquas salsas & ingratas; sed has innata quadam virtute sibi purgat aquas, & reddit ita bonum pro malo, ferax faciendo solum irrigatum pluuiis opportunis. *Ferrus in theatro Symbolorum.*

APPLICATIO.

Credo voces has præfatas posse ritè intelligi de homine nacto bonam indolem, qui inardente charitate nouit acceptas iniurias collatâ gratiâ compensare. Profectò pius ille cœli instar est, cuius dulcedinem salsedo maris nequit corrumpere; namque licèt mare exhalet & sursum mittat salsos vapores; attamen benignè cœlum suauitate sibi innata quædam melle linit & condit amarorem illum, & defœcat omnem hanc maris colluuiem cœlesti lumine repurgatam. Sic, estò mare velut ingratum sit, nebulis plerumque suis opacans Solem, atque totam faciem cœli fœdans; nihilominus illas pelagi fæces cœlum transcolat in pluuiam dulcem, quodque fuit illi amarum, hoc *reddit agmine dulci*, terram fœcundis imbribus alluendo.

Vt ergo cœlis apta fias, ô anima Christiana, caue ne ex conuitiis æmulorum incautè legas amarorem; quinimò cura, sicut apes, fabricare fauos mellis ex acerbis quoque rebus ab ingrato tibi æmulo procuratis.

SYMBOLVM.

Redibo plenior.

PICTVRA.

Selimus Ottomanus Turcarum Imperator hoc Symbolum assumpsit & inscripsit picturæ lunæ, cui perfectum deerat incrementum. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Vtinam anima Christiana, tali zelo perculsa, Dei gratiæ augmento suam omnem impenderet industriam; quippe nouos quotidie adiiciendo gradus gratiæ illapsæ, deses otio non vacaret; sed omnium virtutum incremento diues, & aucta luce Dei gratiæ, semper plenior emicaret.

SYMBOLVM.

Regna firmat pietas.

PICTVRA.

Christianus III. Rex Daniæ patris sui Friderici

rici primam literam F, coronatam sculpsit in icone, cuius ora voces has habuit inscriptas. *Regna firmat pietas.* Malebat ille cuso tali nummo patris extincti memoriam, quàm suam in hoc sæculo perennare. *Lukius lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Inscribi cordibus opto nomen Iesu patris nostri cuius cruore cœlo nati sumus: illic item, scilicet in penitiore recessu animę nostrę, voto ardere sacrum eius amorem, quo flagrante, nobis erit iter ad cœli regna patens: namque tali erga Iesum pietate salus, id est, regni æterni gloria confirmatur.

SYMBOLVM.

Reliquum datur.

PICTVRA.

Philippus II. Rex Catholicus hoc Symbolum assumpsit, depicto globo terræ, sola media parte sui conspicuæ, ita notans se residuum orbis anhelo ad triumphos animo possidere. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Christiane, noli sistere in terris, mente cœlum contuere; tibi namque datur hæc regia, modò vacet animo, generosè tali pro gloria dimicare.

SYMBOLVM.

Repetita placebunt.

PICTVRA.

Henricus I. Rex Christianissimus hoc Symbolum assumpsit & tres depinxit è cœlo manus, anguem spiculo configentes. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Diabolum callidum serpentem generosè satis non est confixisse semel; sunt refricandæ plagæ, necem ne nobis consciscat lethale virus eius: eo intento diuinæ manus opem conciliare nobis oportet; nam facinus hoc præclarum non humanis viribus exantlatur.

SYMBOLVM.

Requies hæc certa laborum.

PICTVRA.

Carolus Rex Nauarræ voces has inscripsit Palladi armatæ, notans ita, vitam esse sibi sine districtis gladiis inquietam. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Hominis vita genus quoddam est palæstræ, quia viuere militare est. Quicunque sicut par est, id est, strenuè se gesserit contra feros dæmones, ille sui roboris in præmium gloriosâ finis nesciâ requie perfruetur.

SYMBOLVM.

Rerum vicissitudo.

PICTVRA.

Virginius Vrsinus Dux Bracchiani, depicto pistrino, rotæ eius aqua motæ suum hoc Symbolum inscripsit. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Homo gratis & frustrà credit se posse vitam beatam in hoc sæculo nancisci: cùm namque fugax Mundus eat præcipiti cursu; est necesse, simul eos & gyrare, quibus insedit cuncta sua vota rotæ committere, quæ voluitur incessanter. Christiane, fige pedem in constante solo, cœlo scilicet, vbi cuncta velut æterna sibi constant, hominesque beant dignatos eâ gloriâ sempiternâ.

SYMBOLVM.

Respice finem.

PICTVRA.

Virginius Vrsinus Dux Celsi hoc Symbolum adiecit depicto globo terræ, cui corona desuper impendebat. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

In Mundo velut in horto peramœno rosis omnia vernant, quibus se coronant omnes ij, quorum obscœna libido prata florida pertransit. Sed quisquis attentè finem omnium planè rerum Mundi respicit, ille totam eius supellectilem pertæsus, vni Deo qui semper idem est abundè suos beans; iugiter adhærebit.

SYMBOLVM.

Rutilans rosa sine spina.

SYMBOLVM.

Henricus VIII. Rex Angliæ depictæ rosæ coronatæ suum hoc Symbolum apposuit. *Typotius lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Adæ proles est rosetum germinans vndequaque rosas purpureas & candidas, homines scilicet virginitate niuis instar albos, & alios effuso propagando fidem sanguine rubescentes. Sed illæ rosæ velut spinis stipatæ natæ sunt; quippe labes originalis eas ab ortu infecit. Vna puris in creaturis Virgo Maria dici potest *rutilans rosa sine spina*; ac proinde libet ei Symbolum illud regium applicare.

S

SYMBOLVM.

Salus & victoria nostra.

PICTVRA.

FRanciscus II. Sfortia Dux Mediolani Symbolum hoc adiecit depictæ coronæ ramis oliuę traiectis, significans se conciliando pacem subditis, ita bona simul omnia congessisse. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Christus oliua fuit fructifera in domo Dei, ipsum quoque nomen eius oleum effusum, sanxit æternum hominum cum cœlo fœdus, ideoque pacem nascente Iesu præcones Angeli promulgarunt. Illa pace toto hominis æuo sibi constante, bona præclara, dotes scilicet cœlestes, in pergratas Deo animas illabuntur. Vnde liquet, benè quadrare voces illas Christo: *Salus & victoria nostra.*

SYMBO

SYMBOLVM.

Sapientia fortunam.

PICTVRA.

Eduardi III. Regis Angliæ Symbolum est. Pinxit ille duas manus, quæ in terræ globo rotam sistunt, significans hac pictura, sua se virtute vices fortunæ constantes & solidas effecisse. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Naturâ suâ semper homo gyrat vt inconstans, ideoque nemo scit an in bono diu constare sibi possit: quid namque vehat vesper incertum est. Gratia diuina modum ponit huic hominum inconstantiæ: etenim nescit homo mutare, cuius in animam gratia cœlitus influxit; quippe fugax eius natura tali pondere retinetur.

SYMBOLVM.

Se necat vt viuat.

PICTVRA.

Andreas Bathorius Cardinalis hoc Symbolum iunxit phœnici depicto, necem accenso foco sibi sponte propria consciscentis. *Typotius lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Pœnitentes vltro suum corpus mactant, vt carne macerata vitam æternam sibi concilient. Huic effato quadrat concolor hæc sententia Christi: *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quod perinde sonat ac, qui debitas peccato pœnas sponte luit, *Se necat vt viuat.*

PICTVRA.

Se sibi.

PICTVRA.

Petrus Aloysius Farnesius Dux Parmæ hoc Symbolum applicuit arbori frugiferæ, quæ illæsa suos fructus habet seruatque diu in loco sita feris & populis inaccesso. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Est solitudo tuta Dei seruis; ibi namque dotes animæ cœlitus illapsæ solent absque metu furum, id est, vanæ gloriæ perennare.

SYMBOLVM.

Se ipsum sustinet.

PICTVRA.

Ludouicus Arragonius Cardinalis depicto vitis stipiti Symbolum hoc applicuit. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

Homo nequit aptare sibi Symbolum illud; palmes enim est ille, cuius vera vitis est Christus, cui vt Deo apprimè quadrant illæ voces, *se ipsum sustinet*, & ab illo quæcunque vigent & stant omnia sustinentur.

SYMBOLVM.

Semper viua.

PICTVRA.

Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ Symbolum hoc adiecit depictæ lunæ, quæ aliquando nobis inaspecta latet, vtpote iuncta Soli; illa tamen nusquam accepto suo ab ortu lumine spoliatur. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Virgo Beata primo à momento suæ conceptionis vt altera luna luce fuit respersa, licèt hoc singulare lumen Mariæ ex tunc vnitæ Deo per gratiam fuerit aliquibus Sanctis Patribus inaspectum. Cùm ergo sidus hoc insigne suo ab ortu rutilans fulserit & coruscans, Maria sicut *semper viua*, iure luna sacro codice nuncupatur.

SYMBOLVM.

Semper immota.

PICTVRA.

Hugo de Verdala Cardinalis & Magnus Magister Equitum Melitensium Symbolum hoc apposuit picturæ globi terræ suspensi in aëre, & vndique procellarum æstibus impetiti. *Typotius lib. 2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Honoribus auctus homo minor est Mundus in aëre suspensus, vbi valida flabra vanæ gloriæ potenter eum perflant: sed vt magna moles Mundi industriâ diuinâ suis ponderibus congruis librata sibi constat immobilis; ita Dei gratiâ anima instructa, licèt honorata, manet *semper immota*, nec vilis vnquam dignitatum infulis aut humanis laudibus insolescit.

SYMBOLVM.

Seruata manebunt.

PICTVRA.

Depicta poma horti Hesperidum custodita à dracone voces habent has insculptas apud Typotium lib. 1. Symbolorum.

APPLICATIO.

Multis incuriâ sensuum periere dona Dei quamplurima cœlitus accepta; sed illa diu *seruata manebunt* sarta tecta piis quibusque viris, qui ad omnium sensuum ostiola excubias vigiles obseruabunt.

SYMBOLVM.

Si me fata vocant.

PICTVRA.

Margareta Ducissa Lotharingiæ depinxit arborem illam, vnde ramo exciso vates ait Æneam incolumem defunctorum animas inuisisse. Margareta tali arbori depictæ manum adiecit, quæ carpebat inde ramum, hoc symbolo adscito: *Si me fata vocant.* Huius heroïnæ vota credo fuisse rerum arduarum, vt illa suo hoc symbolo designauit. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

O homo, ramos carpe crucis, ſcilicet fel, acetum, ſputa, clauos, flagella, vepres, illa demum cuncta, quibus afflicta caro Deo ſubiicitur & animæ; virtute crucis, & ramorum eius, id eſt, mortificationis vſu, non Elyſios cāpos vt Æneam falsò Vates ait permeaſſe, ſed reuerà cœlos & ſidera traiicies, ob ærumnas in Mundo graues perpeſſas æterna gloria compenſatus.

SYMBOLVM.

Si Deus nobiſcum, quis contra nos?

PICTVRA.

Philippus Boncompagnus Cardinalis vſus eo ſymbolo pinxit Danielem incolumem medios inter leones. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Ego ſecus dico: In ſupremo vitæ agone, ſi Deus à nobis abeſt, vt infenſus, quis ſtabit à partibus noſtris, opem vt tempeſtiuè ferat? An fortè caro, dæmon, honores, opes, & aſſeclæ Mundi, noſtrorum conſcij peccatorum? Nequaquam; imò ſecus vt tortores erunt iique truces, infligentes ſupplicia horrenda reis, qui duxere dies ſuos in bonis huius ſæculi; ita diris vltro ſua capita deuouentes.

SYMBOLVM.

Sic.

PICTVRA.

Vincentius Gonzaga, Dux Mantuæ, Symbolum hoc inſcripſit cornutæ lunæ, notans ſic maiora ſibi affulgentis luminis incrementa. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Virtus illa procul non eſt ab extremo ſuo deliquio, quam nulla cupido ſui augmenti ſollicitat: etenim in via virtutis non progredi eſt retrogredi; ne ergo fœdam eclipſim patiatur homo, noua lucis incrementa ſuæ virtuti adiiciat, & tandem aliquando ſuis erit omnibus numeris abſoluta.

SYMBOLVM.

Sic quieſco.

PICTVRA.

Curtius Gonzaga, S. R. Imperij Princeps, hoc Symbolum inſcripſit vitulo marino, cuius indoles hæc eſt, vt mediis dormiat in procellis vbi incuſſo metu homines inhorreſcūt. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Anima ſancta, Dei amore flagrans, eſt tuta ſæuis in procellis, imò vocat eas vt quieſcat, ſonorè clamans: *Aut mori aut pati.* Indolis huius erant Apoſtoli gaudentes quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. O quàm diſtamus ab hoc animi robore generoſo!

SYMBOLVM.

Sic diua lux mihi.

PICTVRA.

Ferdinandus Caraffa Marchio S. Luciti, in Caroli V. Imperatoris aula degens, hoc Symbolum aſſumpſit. Pinxit ille lotum florem in aquis, vnde Sole irradiante foras emergit: ille tali pictura ſui Principis gratiam ambiebat. *Boodt. lib. Symb.*

APPLICATIO.

Statim atque ſuis lacrymis inundatur homo, vitam noxiam pertæſus, eum gratia diuina ſuis radiis illuſtrat, qua influente floret, & erumpit ex illuuie ſordida vitiorum.

SYMBOLVM.

Sic ſperare licet.

PICTVRA.

Antonius Marchio Bergiæ Princeps S. R. Imperij Symbolum hoc applicuit depictæ grui, quæ cautè pedi dumtaxat vni innixa vigil excubat indefeſsè. *Typotius lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Quando ſuis vitiis indormit homo, cadit omni ſpe ſalutis æternæ, quia omnium planè rerum incurius eſt, quæ illi poſſunt conciliare bonum hoc ſupremum. Sed magnâ cautelâ ſuis inuigilando rebus æuum tranſigere, *ſic ſperare licet*; ſiquidem ita ſalus animæ procuratur.

SYMBOLVM.

Sic ſemper.

PICTVRA.

Chriſtophorus Morus Dux Venetorum hoc Symbolum adiecit depicto obeliſco ſupra tumulum eleuato. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Obeliſcus eſt memoriæ diuturnæ typus: vt virtus eſt poſt fata ſuperſtes, ita viro cuius animam exornat, æternum conſtruit obeliſcum.

SYMBOLVM.

Sic immortalis ſum.

PICTVRA.

Thomas Mocenigus Dux Venetorum ad hoc Symbolum adiecit duas manus, vnam laurum firmiter amplectentes. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

In Baptiſmo data fides & ſeruata Deo ſincerè, fata vſque ad ſuprema facit homines immortales.

SYMBOLVM.

Sidera cordis.

PICTVRA.

Marinus Grimanus Dux Venetorum pinxit à leone crucem erectam, ita ſuum affectum inſinuans erga fidem, & Rempublicam gentilitij leonis ſtemmate deſignatam. *Boodt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Eſt animoſa fides eius, eam qui altè ſibi cordi infixit: is namque velut leo generoſus eum ſe præſtat in agone, quem præclara petunt opera fortiter exantlanda.

SYMBOLVM.

Silua renaſcens.

PICTVRA.

Inſula Elba diues olim ſiluis extitit. Magnus

Hetruriæ

Hetruriæ Dux Cosmas Mediceus ibi arcem cum propugnaculis congruis extruxit, cui depictæ voces has inscripsit: *Silua renascens*; insinuando, fore locum illum siluam militum electorum. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Quando dæmon, gratiâ eliminatâ, reum hominem incessit, apud eum cautè sibi fabricat arcem, quando cor indurat. Ibi tunc est *silua renascens*: siquidem cuncta feris reuera sæuis id est vitiis, inhorrescunt.

SYMBOLVM.

Simul & semper.

PICTVRA.

Margaretæ Valesiæ vxoris Henrici II. Nauarræ Regis Symbolum est hoc. Conclusit illa Solem & Lunam vno annuli circulo, quem in orbem ductum cornu copiæ componebat. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

Maria Virgo tota teres atque rotunda fuit, ac proinde benè quadrat ei Symbolum annuli, perfectionem omnimodam aptè suo circulo referentis. Illa suâ à conceptione fuit vnita Soli id est, Deo per gratiam, qua in Virginem ex tunc influente *simul & semper*. Deus & gratia in Maria sicut in circulo concludente bona omnia concurrerunt.

SYMBOLVM.

Sola mihi redolet.

PICTVRA.

Iacobi Foscarini Ducis Venetorum Symbolum est hoc, appositum depicto serto florum, è quibus vna rosa sola Duci Veneto redolet. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Animæ omnes electæ fuere Iesu Christo sicut fasciculus florum. Sed ille sua de genitrice voces has edidit: *Sola mihi redolet*. Nam pigmentis gratiarum omnium respersa fuit ab ortu suo, ideoque gratum odorem sola puras inter creaturas Adamo patre satas ab illo instanti iugiter exhalauit.

SYMBOLVM.

Spes non confunditur.

PICTVRA.

Pij V. Pontificis Symbolum est, adiectum depicto Spiritui sancto cœlitus affulgenti. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Maledictus homo qui confidit in homine; siquidem omnis homo mendax. Mundus item & caro suis non stant pollicitis, sed asturè suis sequacibus imponunt, qui in pœnam erroris meritò confunduntur.

SYMBOLVM.

Spoliatis arma supersunt.

PICTVRA.

Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ depinxit arma palo appensa, suum illis hoc Symbolum inscribens in tesseram animi generosi. *Boods. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Dæmonum arte suis plerumque bonis exuuntur iniquè viri sancti: Sed *spoliatis arma supersunt*; nempe preces, & auxilia diuina, quibus frangunt ausus dæmonis irruentis.

ALIA APPLICATIO.

Pœnitentia sincera genus est armorum, quæ spoliatæ Dei donis adhuc supersunt animæ, post iacturam quam peccando fecit omnium gratiarum, quarum splendore nitens instar sideris effulgebat.

SYMBOLVM.

Spoliat mors munera nostra.

PICTVRA.

Elizabetha Austriaca, filia Ferdinandi Imperatoris, hoc Symbolum inscripsit arbori depictæ, & vibrato manu valida fulmine conquassatæ. *Boods. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Animæ peccato oblstrictæ, quadrat hoc Symbolum, *spoliat mors munera nostra*: quicquid enim gratiarum cœlitus influxit in animam, illud omne delet admissum lethale crimen, spolians hominem infaustè donis ei omnibus impertitis.

SYMBOLVM.

Suaue.

PICTVRA.

Leo X. Papa iugo depicto suum hoc Symbolum inscripsit, inde volens insinuare suum dominandi modum fore toti populo perhumanum. *Typotius lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Gratia diuina, iugo Euangelij si quod pondus inest, illud omne demit, ideoque gratis & frustrà gemit iners & ignauus homo, clamans querula voce, iugum Christi esse suis humeris onerosum.

SYMBOLVM.

Subducendis rationibus.

PICTVRA.

Carolus IX. Rex Christianissimus audiit ærarium suum expilatum à præpositis fisco, idcirco diem dixit omnibus ærarij præfectis, iudice assignato, cui protinus homines hi malè sibi conscij sisterentur. Vtque necis infligendæ timor eos vrgeret ad ineunda sana consilia, numisma cudit Rex, in quo liber apertus erat, & incumbens throno, cuius in imo focus ardebat; iconis oræ voces has inscripsit: *Subducendis rationibus*. Numismata illa Regis ad arbitrium fuere diuulgata, rei vt inde scirent se vocari ad examen opum, quas malè congesserant, nec esse locum refellendi argumenta obiecta, quia liber rationum Regis condemnabat eos ad subeundam summam ignium pœnam, quam penes vos erat adhuc effugere, si maturè Regis in gazas refunderent expilatas antea facultates. *Lakius lib. numismatum.*

APPLICATIO.

Iudicio extremo quadrat hoc Symbolum. Christus enim in maiestate sua solio insidens, est incubans throno liber apertus: omnia namque patent oculis eius, nihilque latere potest hunc peracutum animæ scrutatorem. Sub eius throno flagrat ardens incendium: huius autem tragædiæ summa hæc est, *subducendis rationibus*. Id est, horribilis ille Dei iudicij contextus describitur, vt conueniat se quisque, sibi vt consulat, & ita pœnis se eximat reprobis infligendis.

SYMBOLVM.

Sub Sole, sub vmbra virens.

PICTVRA.

Ioannes Albretus Nauarræ Rex hoc Symbolum adiecit depictæ naui ad omnia audenda ardua præparata. *Sadeler. lib.1. Symbol.*

APPLICATIO.

Religioso quadrat hoc Symbolum, cùm superioris agens partes, & spoliatus præfectura, viret omnium virtutum laude clarus, vbique sibi similis, in omni sorte vacans ita Dei obsequio, vt inde diues gratiarum congerat incrementum.

SYMBOLVM.

Sub cortice tego.

PICTVRA.

Theobaldus Arragonius Cardinalis hoc Symbolum adiecit depicto malo punico, quod colorem purpureum, gratum saporem, & alia naturæ dona tegit sub duro cortice conseruata. *Typotius lib.2. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Ezechias incautè suas iactauit opes, & expandit ante viros extraneos, scilicet Babylonios idcoque sui thesauri passus est iacturam, quam proculdubio, illo suo thesauro seris occluso, locuples euasisset. Homo diues gratiis & virtutibus, *sub cortice tegit*, eas: qui namque manu expansa gerit opes in plateis, furibus exponit, eos ad prædam sic stolidè prouocando.

SYMBOLVM.

Sumit ex funere vires.

PICTVRA.

A Ioanne Ferro pingitur cupressus arbor excisa, cuius indoles est hæc, vt emortua, sit incorruptibilis, vt abundè liquet ex supellectile cupressina nescia corruptelæ. Huic arbori demortuæ congruus iste titulus apponitur. *Sumit ex funere vires*; id est, cùm mors sua falce metit cupressum, hanc perimendo quasi viuificat; superstes enim hæc cupressus morti fuit obnoxia securim timens; sed excisa, sua morte nouum induit statum, scilicet immortalem. *Ferrus in theatro Symbolorum.*

APPLICATIO.

Homo pœnas exigens à se retroactæ vitæ in peccatis, pœnitentiam agendo, crucis beneficio moritur carni, quæ repetitis pœnitentiæ spiculis enecatur. Sed est mors illa vitæ præuia diuturnæ. Etenim anima sic defuncta *sumit ex funere vires*. Dum namque reus erat homo, malè habebat, vtpote impos assurgere ad superna; sed statim atque necem carni pœnitentiæ gladio consciuit, *sumpsit ex funere vires*; siquidem anima vegetior ex deliquio carnis, iter antè sibi inuium virtutis init, & ita vitam est nacta, vitâ pristinâ potiorem.

SYMBOLVM.

Sumus.

PICTVRA.

Marcus Antonius Triuisanus Dux Venetorum hoc Symbolum applicuit horologio solari depicto, cuius est vmbra fugax, ita præceps æuum huius sæculi designando. *Boedt. lib. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Cur tanta vitæ cupido nobis inest, cùm illius cuncta momenta fluant, & peritura vehant magnos cumulos ærumnarum? est conciliandæ vita, necis expers, idque bonis operibus; quod vt ritè fiat, est aliò collimandum.

SYMBOLVM.

Superabo.

PICTVRA.

Cosmas Medicæus, Magnus Hetruriæ Dux, Symbolum hoc habuit, & adiecit ei tres annulos adamantibus instructos, ac se mutuò connectentes. *Boedt. lib. Symbolor.*

APPLICATIO.

Turmatim virtutes eunt, vtpote connexæ: robur item insigne solent adiicere quando Dei gratia naturæ donis accedit. Homini sic instructo licet dicere: dæmones obstantes vt aduersa mihi vitia *superabo*.

T

SYMBOLVM.

Tandem bona causa triumphat.

PICTVRA.

Augustus Dux Saxoniæ elector pinxit duos oliuæ ramos ductos in orbem coronæ modo, voces symboli inscribens, ita vices fortunæ notans, quæ secunda tunc temporis aspirabat. *Typotius lib. 1. Symbolor.*

APPLICATIO.

In hoc æuo boni quique mœrent, Infinitis propè malis à reprobis afflicti; reprobi verò secus in deliciis & voluptate vitam transigunt. Sed tandem aliquando rerum omnium vices ad iustitiæ trutinam appendente Deo, pœnas seuerè luent homines iniqui; contrà verò boni dignati laurea triumphabunt.

SYMBOLVM.

Te nunquam timui.

PICTVRA.

Henricus II. Rex Nauarræ sub huic Symbolo mortis effigiem adiecit. *Typotius lib. 1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Seruire Deo, regnare est; ac proinde velut

Rex

Rex est qui iusta Deo pendit obsequia. Ille metu non concutitur quando fatis est cedendum: Mors namque cedit ei ad vitam, quæ in æterna sæcula perennabit.

SYMBOLVM.

Tempestati parendum.

PICTVRA.

Venceslaus Imperator hoc Symbolum applicuit depictæ naui in commoto flabris ventorum pelago fluctuanti. *Typotius lib.1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Imprudenter agit homo nitens contra flumen, quod præcipiti cursu voluit aquas. Concolor est huic insano, nolens cautè fugâ sibi consulere quando potest & expedit ingrauescente malo, sicut fecere plures Sancti; & hoc perinde sonat ac cedere tempestati.

SYMBOLVM.

Tempore perficitur.

PICTVRA.

Carolus Comes in Aremberg, eques velleris aurei, Symbolum hoc inscripsit depictæ naui. *Sadeler. lib.2. iconum.*

APPLICATIO.

Vno nequit momento nauis, ea instrui supellectile, quam deposcit opus, ad quod aptatur; ita nequit homo tyro sacra Deo in congregatione suam citò vitam sic componere, vt omnimodam perfectionem breui tempore nanciscatur: Errant plerique sanè zelo indiscreto, vitam subditorum quando volunt esse næuis ab omnibus immunem, idque breuì: *tempore perficitur*, quoduis opus, vbi seriò laboratur.

SYMBOLVM.

Tentanda via.

PICTVRA.

Alexander VI. Pontifex tres scipiones seu baculos viatorios pinxit traiicientes vnam coronam, & adiecit eis hoc Symbolum vt tesseram animi se ad arduum aliquid accingentis. *Typotius lib.1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Prostat vnicuique suus baculus; nemini namque deest gratia diuina, cui innixus homo sicut fulcro, tutò debet inire viam cœli, qua decursa pede inoffenso manet eum corona congrua laboribus, quos fortiter exantlauit.

SYMBOLVM.

Terreor aspectu Domini.

PICTVRA.

Carolus Dominicus Carretus Cardinalis magnum incendium pinxit, & adiecit ei Symbolum illud. *Sadeler. lib.2. iconum.*

APPLICATIO.

Vellem ego, fœda luxuriæ mancipia, quando suis ardent incendiis, reuocare Deum in memoriam; namque foco vindice libidinis stipatus, eos à peccato protinus absterreret.

SYMBOLVM.

Timentem time.

PICTVRA.

Ropatus Comes Habsburgensis pinxit manum cautè ferum & exertis dentibus armatum piscem è retibus extrahentem. Picturæ voces symboli inscripsit. *Sadeler. lib.2. iconum.*

APPLICATIO.

Caro timet spiritum, qui diuexat eam ieiuniis, & flagellis: sed estò caro sic mactata cedat rationi, semper duriora timens; non idcirco tamen expers esse metus homo debet, ne præsumptione cadat prostratus, quia victor tumidus insolescit.

SYMBOLVM.

Tracta magis feriunt.

PICTVRA.

Ludouici Ducis Sabaudiæ Symbolum est, inscriptum arcui depicto, cuius neruus erat fractus & tela languentia, quia arcus inermis ea non poterat remittere. *Boodt. lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Ieiunia arcta, preces, vigiliæ, & flagella, tela sunt peracuta, quibus carnem & dæmones impetimus; sed hæc profectò tela iacent vt languida, quando manus ad cor non trahitur sagittantium more: namque bonæ actionis hebes est virtus si charitate mota manus eam non exerat, quod perinde sonat ac opus bonum in hostes animæ fortiter intorqueri.

SYMBOLVM.

Tu ne cede malis.

PICTVRA.

Rudolphus II. Imperator leonem ferum pinxit, cui districtum gladium & clypeum opposuit, ita notans se esse velut clypeum oppositum Turcis, infensis nomini Christiano. *Typotius lib.1. Symbolor.*

APPLICATIO.

Vnicuique Petrus hoc Symbolum attribuit ita fatus: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes.* 1. Petr. 5. Si ergo dæmon insurgat, homo, memor esto tui huius symboli: *Tu ne cede malis*; sed contra ardentior ito: qui namque fero cedit huic leoni tentationi succumbens, ille perit, & à victore dæmone deuoratur.

SYMBOLVM.

Tu autem idem ipse es.

PICTVRA.

Paulus III. Pontifex hoc Symbolum inscripsit aræ suppositæ Christo, quem stipabant Apostoli, Prophetæ, & Sybillæ, velut omnes concordi voce Iesum esse Deum omnium Gentium auribus insonantes. *Typotius lib.1. Symbol.*

APPLICATIO.

Ore tenus habet Christus suæ diuinitatis testes innumeros & præcones; sed profectò voces atque manus non sunt concolores: verbis enim plerique Iesum confitentur esse Deum; sed dum renuunt obedire, voces & opera non concordant ac proinde suæ sunt fidei desertores.

SYMBOLVM.

Tutissima iures.

PICTVRA.

Philippus I. Rex Galliæ pinxit Euangelia Scorpio supposita, cuius caudam gladius amputabat. Scorpius hic denotat asturum & perfidum hostem, qui in aperto manus & brachia porrigit ad amplexus, vltro suam oppignerando fidem; sed nacto tempore opportuno sua cauda ferit, violato fœdere, quod sanciuit: idcirco benè monet Rex, vt *tutissima iures*, & præscindas scorpij caudam, astutè modos omnes nocendi hostibus amputando. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Plerique frugem in meliorem se recipiunt macerando suam carnem ieiuniis & flagellis, emendando vitam, quam aliàs impiè transegerunt. Sed dum attentè vacant huic studio virtutis adest Mundus eis suggerens, mitiùs agendum esse sua cum carne, zelus ne fortè nimis acer quidpiam faciat imprudenter. O homo, caue tibi; consultores enim illi conducti à carne, tibi nectunt insidias, ideóque noli§ cum carne fœdus inire nisi *tutissima iures*, omnes peccandi ansas callidè rescindendo.

SYMBOLVM.

Tutissimus.

PICTVRA.

Clodouæus primus Rex Christianissimus symbolo præfato duas manus iunctas & erectas in cœlum adiecit, à subiectis aliis manibus commodè sustentatis. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Credo tutos esse Reges, aliosque, quibus est familiaris vsus precum: cùm namque bonum omne Deo largitore nobis cœlitus influat, illud è cœlo debet attentè fusis precibus impetrari. Sed symboli pictura, monet, erectas ad superna manus aliis manibus indigere, quibus innixæ sicut fulcris orent diutius: namque preces parui sunt ponderis & momenti, nisi quoque vitâ innoxiâ atque bono opere fulciantur.

V

SYMBOLVM.

Væ illi.

PICTVRA.

Gildelbertus Rex Austriæ leonem pinxit hasta armatum, & succensum furore, dira & noxia minitantem. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Leonis instar ita fremit dæmon, multisque telis est accinctus in perniciem hominum: peccata, quibus animas obstringit, sunt hastæ veneno litæ, reos homines lethali vulnere saucianteS. *Væ illi*, quem diaboli spicula configunt; nam peccato necem ille leo tartareus animæ consciscit & corpori, etenim plerumque simul cum anima corpora præcipiti morte velut peccati conscia castigantur.

SYMBOLVM.

Vanitas.

PICTVRA.

Ioanna Regina Hispaniæ, viduata Rege Philippo suo coniuge, Symbolum hoc assumpsit, picturæ quadrans quam adiecit. Stans in globo terræ pauo fuit ab illa depictus, in Sole suas pangens discolores pennas, quæ dum rotæ modo gyrant, ille vanâ gloriâ elatus, vt pulchrior aliis auibus insolescit. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Terra tota velut pauo gyrat, & discolor planè rerum eius facies est. Sed voluptates, honores, opes, & alia præclara, quibus illa placet Mundo, rotant; quippe sibi minimè constant; vnde suos affectus homo vouens terræ, litat plumæ leuis instar fragili vanitati.

SYMBOLVM.

Vbique similis.

PICTVRA.

Franciscus Villadam Magister equitum Rhodiensium, pulsus à Solymanno sua insula & vrbe Rhodo, voces has inscripsit depicto Soli, qui *vbique similis*, beneficus est terræ suis radiis, ab illo bonis frugibus impræ̈gnatæ. *Typotius lib. 2. Symbolor.*

APPLICATIO.

In quascunque vices agat fortuna virum iustum, fulgebit ille sicut Sol *vbique similis*: splendor enim virtutis eius in prosperis & aduersis longè latéque suo diffuso lumine radiabit.

SYMBOLVM.

Vela ventis.

PICTVRA.

Alphonsus IV. Rex Lusitaniæ Symbolum hoc inscripsit depictæ naui, quæ expeditè sua cuncta vela flabris ventorum validis explicabat. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Non stat per Spiritum sanctum quò minùs homo citò & prospero cursu transeat sospes vortices & abyssos huius Mundi, qui despumantis instar pelagi sæpe feris fluctibus intumescit. Pange *vela ventis*, homo, tui cordis omnia vota solum in Deum infundens; eius aura rebus infimis te subducet, inde tuam animam ad superos euehendo.

SYMBOLVM.

Veritas persuadet.

PICTVRA.

Alexander V. Papa Symbolum hoc adiecit calici depicto, cui substratus erat clausus Scripturæ sacræ codex. *Typotius lib. 1. Symbol.*

APPLICATIO.

Industria humana fidem animæ non infundit: sed *veritas persuadet*; veritas, inquam, illa prima cuius auctoritate freta fides orbe toto fuit valde breui tempore propagata. Non est ergo fides Christiana proles humanæ scientiæ; sed illa merum Dei donum est, & supremæ gratia veritatis.

SYMBO

SYMBOLVM.

Victrix casta fides.

PICTVRA.

Nicolaus VI. Papa crucem pinxit coronatam, & traiectam palmæ ramis, & Symbolum inscribens victrici fidei dedicatum. *Typotius lib.1. Symbol.*

APPLICATIO.

Casta fides esse debet vt sit victrix. Si namque fidem detrectet homo soli duntaxat vni conclusioni ab Ecclesia decretæ adhibere, talis est temerata fides, ac proinde nequit ea victrix meritò nuncupari.

SYMBOLVM.

Victoria testis.

PICTVRA.

Baiazethes Turcarum Imperator hoc Symbolum assumpsit in dedecus & iniuriam nominis Christiani, ratione pacis quam Hungari Eucharistia teste ratam fecerant, & immemores oppigneratæ fidei temerarant. Victis fœdifragis Turca suis in vexillis Eucharistiam pinxit vt victoriæ testem; Christianis ita perfidiam Barbarus exprobrauit. *Sadeler. lib.1. icon.*

APPLICATIO.

In die iudicij Eucharistia sacra velut testis erit sacrilegij, quod patrarunt plerique nequam homines, ad Communionem conscij mortiferi criminis accedentes.

SYMBOLVM.

Vi & virtute.

PICTVRA.

Leo X. Papa pilam ventosam pinxit, ei inscribens hoc Symbolum: quippe duo hæc concurrunt, scilicet vis & virtus, vt hæc pila sicut conuenit emittatur. *Typotius lib. Symbol.*

APPLICATIO.

Industria profectò debet esse comes virtutis, alioquin quicquid aget homo, virtute clarus, hoc faciet imprudenter.

SYMBOLVM.

Vi nulla inuertitur ordo.

PICTVRA.

Stephani Regis Angliæ Symbolum est. Pinxit is galeæ cristam plumatilem, quam aura gratis & perperam perflat, frustrà nisi plumas dissoluere vinculo colligatas. *Sadeler. lib.1. symbol.*

APPLICATIO.

Frustrà dæmon rixas & simultates amans, enititur turbare liuore cœtus religiosos, quos sanctæ pacis vnio sociauit.

SYMBOLVM.

Vis coniuncta maior.

PICTVRA.

Paschalis Maliperius Dux Venetorum hoc Symbolum assumpsit. Depinxit hic sagittam, quæ vi fulminis adiuta metam attigit antea meditatam. *Boodt. lib. symb.*

APPLICATIO.

Homo nequit industria naturæ metam beatitudinis æternæ sibi præfixam attingere, nisi naturæ nisus incongrui ad hunc scopum contingendum, influente Dei gratia cœlitus adiuuentur. Accedente Dei auxilio ad enitentis naturæ vires, est *vis coniuncta maior.*

SYMBOLVM.

Vi parua non inuertitur.

PICTVRA.

Aloysius Mocenigus Dux Venetorum depicto elephanto voces illas inscripsit, fortè robur atque vires Reipublicæ Venetæ præfato suo hoc Symbolo præfigurans.

APPLICATIO.

Dæmon nuncupatur in Scriptura Sacra, draco; leo, Leuiathan monstrum immane, cui nemo potest ossium & neruorum robore comparari. Idcirco Deus terribilem hominum hostem sic describit, vt homo velut impar huic æmulo, primò Dei imploret opem, deinde suam omnem adhibeat industriam, vt potentem hunc & robustum conterat inimicum.

SYMBOLVM.

Vigilat sacri thesauri custos.

PICTVRA.

Xisti V. Papæ fuit Symbolum illud, congruum leoni depicto, qui insomnis ad arcam plenam opibus excubabat. *Typotius lib.1. Symbolorum.*

APPLICATIO.

Indicant illæ voces quale munus & officium sit Antistitis, cui est commissa cura sacri thesauri, scilicet animarum in quas cœlestes opes, id est, diuinæ dotes & gratiæ desuper influxerunt: Vigilare debet custos huius thesauri, ne faciat ipse suæ animæ iacturam, si dæmon latro sacras opes callidè deprædetur.

SYMBOLVM.

Vincit potentia fati.

PICTVRA.

Ferdinandus Archidux Austriæ Symbolum hoc adiecit picturæ Ionæ Prophetæ, quem contra Dei decretum non potuere maris monstra, neque furens ipsum pelagus enecare. *Sadeler. lib.2. iconum.*

APPLICATIO.

Princeps iste fati voce, Dei decretum aut prouidentiam intelligit, quam frustra conatur homo suis artibus eludere. Nempe, sicut ait Vates, *Non est consilium, non est prudentia, non est sapientia contra Dominum*, cuncta suum ad arbitrium congruè moderantem. Ergo Dei vt ad nutum te componas homo decet; si namque secus agas, oleum & operam perdes: quippe tuam omnem industriam *vincit potentia fati.*

SYMBOLVM.

Virtuti fortuna cedit.

PICTVRA.

Ludouici VII. Regis Christianissimi symbolum est, cuius pictura refert elephantem vnius anguis spiris habens strictè pedes implicitos, quos astutè tamen à serpentis huius implexi voluulis expediuit. *Typotius lib. 1. symbol.*

APPLICATIO.

Vt fortuna rerum prosperarum & aduersarum est vicissitudo quædam, alternis in orbe ludis agens; sic virtus insigne robur animi infracti & constantiam dicit, in quam fortuna gratis & perperam arietat, quia vis est nescia superari.

SYMBOLVM.

Virrutem extendere factis.

PICTVRA.

Andreas Sfortia Cartetus, S.R. Imperij Princeps, pinxit brachium armatum gladio flammiuomo, vt desiderium ardens pugnæ mucro totus igneus indicaret. *Boodt lib. symbol.*

APPLICATIO.

Plerique voce, votis, ore, suæ virtutis edunt specimina feriante manu, quæ adiuta Dei amoris igne, sola potest *Virtutem extendere factis*. Ardet ignea virtus, iners non est, neque rubigo terit eius ensem districtum, & hostium prostratorum sanguine rubescentem.

SYMBOLVM.

Virtus in infirmitate perficitur.

PICTVRA.

Caroli Borbonij Cardinalis symbolum est, adiectum homini depicto, quem omnes iniuriæ aëris imperebant. *Typotius lib. 2. symbolor.*

APPLICATIO.

Dissoluitur aurum in fornace iacens, illic ægrum & infirmum patiens ab igne dirum supplicium & tormentum; sed hæc tortura cedit ei ad gloriam: nam sortitur ibi ditiorem statum; siquidem exuit impurum, & quicquid erat ab auri pretio penitus alienum. Sic anima diuexata diris angustiis & ærumnis, vt afflicta gemit ægra dolens, & iniquè ferens molestias, & pressuras: illa tamen infirmitas, estò grauis, ei conciliat gratiarum omnium incrementum.

SYMBOLVM.

Visitauit nos oriens ex alto.

PICTVRA.

Henricus Dux Brunsuicensis hoc symbolum inscripsit depictæ lunæ, suum à Sole lumen habere liberè confitenti. *Sadeler lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Si quid splendoris habet homo, totum illud aduentitium est; nimirum duntaxat ea parte sola micat, qua è cœlo Deus illum rutilus intuetur. Vt luna luce aliena lucet; sic aliqua virtute clarus homo nihil fulgoris huius habet à se, verùm illud omne nitens & coruscans cœlitus emendicat.

SYMBOLVM.

Vix nata sustentor.

PICTVRA.

Ioannes Angelus Mediceus Cardinalis hoc symbolum assumpsit, hederâ depictâ, cuius indoles hæc est, vt vix nata, muro, rupe, vel arbore fulciatur. *Typotius lib. 2. Symb.*

APPLICATIO.

Profectò benè quadrat hoc symbolum Virgini Dei genitrici: nam concepta, labis expers, quæ Adamo satæ proli se infudit, vix orta, fuit diuina gratia sustentata.

SYMBOLVM.

Vna fuit.

PICTVRA.

Hieronyma Arragonia Ducissa Paliani, vt notaret se amore puro & sincero sui sponsi deuinxisse sibi affectum, pinxit argutè duas faces vno vinculo colligatas. *Boodt lib. Symb.*

APPLICATIO.

Indoles humana quasi concreta gelu frigebat ante Dei in humanis ortum; nam torpebat amor hominum erga Deum: sed illo sacro foco à Christo accenso, cœpit homo Dei amore percitus inardere. Vnde libet de flamma Dei amoris vsurpare voces has præfatas, *Vna fuit*; sed se diffundendo, plura hominum corda accendit, quæ amore Dei postea conflagrarunt.

SYMBOLVM.

Vndique frustra.

PICTVRA.

Antonius Cotarus Cardinalis machinam tetragonam, id est quadrangularem, pinxit, quam procellæ gratis euertere vel frangere conabantur. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Vt ciuitas beatorum est in quadro sita, ita ciues eius instar machinæ quadrangularis æuum transigunt in hoc mundo, nihil curantes turbines & procellas, quibus ita Deo dispensante, probi quique homines impetuntur. Namque benè sibi conscios omnes *vndique frustra* ferit fortuna nouerca ludens in humanis; eos quippe parum vel certè nihil afficiunt verbera inflicta, verba dura, velut probra, neque perditæ facultates.

SYMBOLVM.

Vnica semper auis.

PICTVRA.

Eleonora Regina, Regis Francisci I. Galli vxor, auem phœnicem pinxit, ei illud symbolum inscribens. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

De Maria Dei genitrice sola, sine suspicione vanæ siue turpis assentationis, reuerà potest & aptè tale symbolum vsurpari. Illa parem non habuit, ac proinde fuit *vnica semper auis*; ita Soli, scilicet Deo, consecrata, solam vt ille sibi matrem elegerit, & sic vnam præ omnibus arcto fœdere sociarit.

SYMBO

SYMBOLVM.

Vnita valent.

PICTVRA.

Guillelmus VI. Marchio Montisferrati hoc symbolum assumpsit, ei adiiciens sagittas vno vinculo colligatas. *Boodt.lib.Symb.*

APPLICATIO.

Reuera sacræ preces sunt sagittæ seu tela, quibus hostes animæ dæmones impetimus. *Vnita valent*, id est, illa tela suam vim præcipuè exerunt, quando preces ore fusæ attento animo concordant: tunc namque prolatæ voces & erectus ad Deum animus vniuntur.

SYMBOLVM.

Vnitas.

PICTVRA.

Christophorus Madrutius Cardinalis hoc symbolum inscripsit depictæ rupi, in culmine cuius erat fasciculus sagitarum vinculo colligatus. *Typotius lib. 2. Symbol.*

APPLICATIO.

Aurea nascentis Ecclesiæ tempora, videre plebem tanta charitate sibi vnitam, vt esset omnium fidelium cor vnum & anima vna. Fluxit ea ab vnitate robur animi, quo inualescente, neque Reges, neque feri dæmones potuere fidem & constantiam frangere fidelium, quos *Vnitas* infractos fecit, de tyrannis & dæmone triumphantes.

SYMBOLVM.

Voce mea ad Dominum clamaui.

PICTVRA.

Sadeler hoc symbolum adiecit picturæ galli gallinacei qui oriente Sole canit. *Sadeler. lib. 2. iconum.*

APPLICATIO.

Obstrictus homo peccatis in confessione sua peccata non referat neque supplex orat ea sibi dimitti, nisi propitius gratiæ diuinæ radius affulgeat; sed illo oriente primò se accusat, deinde canit agens impensè Deo grates pro gratiis desuper erogatis.

SYMBOLVM.

Volentes.

PICTVRA.

Daniel Barbarus Patriarcha Aquilegiensis pinxit ignem in subiectum holocaustum cœlitus illabentem. Inscriptæ tali picturæ voces non sunt multæ; paucis enim ille suum intentum vno solo verbo notum fecit hoc symbolo recensito. *Typotius lib. 2. symbol.*

APPLICATIO.

Diuinus amor eos accendit igne sacro, quibus vti placet eâ flammâ, pij cordis intima depascente.

SYMBOLVM.

Votis subscribent fata secundis.

PICTVRA.

Ascanius Sfortia Cardinalis pinxit tabulam nudam, illo suo symbolo desuper imminente. *Paulus Iouius lib. symbolor.*

APPLICATIO.

O homo, cura, tuum vt cor sit omnino nudum, & solutum à noxiis affectibus; tunc namque tuis in Deum anhelis *Votis subscribent fata secundis.*

SYMBOLVM.

Vrget maiora.

PICTVRA.

Iacobi V. Stuardi Scotiæ Regis symbolum est inscriptum pisciculo, qui ceto præit, ei ducatum præstans, ne aqua deficiente, vado præcipitem se det, & ita cedat in ius callidi piscatoris. *Sadeler. lib. 1. iconum.*

APPLICATIO.

Ita Deo sanciente, Reges & potentes huius sæculi indigent hominum infimæ sortis ope, ne fortè suos ob supremos titulos insolescant.

SYMBOLVM.

Vt ipse finiam.

PICTVRA.

Adrianus VI. Papa muro incepto depicto suum hoc symbolum adiecit. *Typotius lib. 1. Symb.*

APPLICATIO.

Quisquis ope sua dignatur vnam vel animam vt saluetur, ille sacro ædificio Ierusalem cœlestis vnum lapidem apponit, ideoque debent omnes & præcipuè Prælati curare, tale vt perficiatur opus, salutem subditorum verbo & opere procurando.

SYMBOLVM.

Vtcunque.

PICTVRA.

Ioannis Ducis Burgundiæ symbolum est, inscriptum columnæ, quam hinc & inde manus euertere tentabant. Vna manus erat alata, notans diligentiam; testudo verò manum aliam occupabat. Voluit hinc inferre, nihil stare diu si celeres aut lentos habeat impulsores. *Sadeler. lib. 2. icon.*

APPLICATIO.

Magna mole vitiorum deterretur homo, vitæ sanctioris meditans institutum. Sed non idcirco debet animo cadere. Si namque citò nequit extirpare totam hanc cateruam vitiorum, nullas ei ferias indulgeat, & perseuerando, licèt pedetentim, omnia vitia profligabit. Duntaxat opus est animo; quicquid enim generosè volet homo, fiet, eum præsertim Deo vrgente, suam & gratiam largiter erogante.

SYMBOLVM.

Vt nihil iuuat.

PICTV

PICTVRA	APPLICATIO.
Alphonsus Cardinalis Luzitanus frater Ioannis III. Regis depinxit vnum baculum viatoris, ei præfatum symbolum inscribens. *Typotius lib. 2. Symbol.*	Opis humanæ reor esse typum hunc baculum, qui reuera sicut nihil iuuat, iter vt cœleste pede inoffenso terat homo, nisi cœlitus adiuuetur.

INDEX THEOLOGICVS.

A

ADORATIO sumpta adæquatè secum vehit tres actus. Vnus est actus intellectus, cuius est apprehendere meritum & apicem eius, qui honore excipitur. Alter actus voluntatem spectat, cuius est benè vel malè affici erga eum, cui pensum debitum exhibemus. Tertius demum actus se foras prodit aliquo symbolo externo, vt sunt capitis inclinatio, genuflexio, & alia id genus. Ex his omnibus actibus homines duntaxat eum præcipuè attendunt, qui est reuerà minor. Nemo namque curat nec timatur penitiores animæ recessus, vt ea indagine scrutetur affectus eorum, à quibus exigit obsequia sibi debita; sed totus est in eo exteriori cultu. Verbi gratiâ, non est satis aperire caput loquendo Regi, sed & est adiicienda genuflexio, vt agnita in Rege tessera maiestatis. Illa tamen adoratio externa potest etiam exhiberi ab hostibus, vt videre est in sacrilegis illudentibus Christo flexis genibus, quem idcirco nemo sanus dixerit hos illusores milites adorasse. pag. 718. col. 2

Adorationis præcipuus cardo vertitur in affectu, quo vltro & sponte inclinamur ei, quem colimus. Defectu huius actus in voluntate siti, dæmones in corpore obsesso acti exorcismis, Deum non adorant, etsi procumbant humi, & Deum apprehendant vt rerum Dominum, & confiteantur esse Deum, adiectis etiam præclaris elogiis maiestatis huius, quam videntur explicitis encomiis maximè commendare. Hæc dæmonis adoratio, quamuis videatur esse sarta tecta, quia diabolus de Deo benè sentit, quando summum eius dominium profitetur, & illi prosternitur obsessi corporis obsequio; hiulca tamen est & deficit adoratio, quia voluntatis actus abest, penes quem potissimum attenditur formalitas huius speciei, ad quam vnaquæque pertinet adoratio. Vt quisquis idolum toto affectu veneratur, apprehendens illud vt Deum suum, is omnino defert latriæ cultum illi stupido simulacro. p. 718. c. 2

Adorationis externæ notæ, vt corporis inflexio, & gestus alij peruij sensibus, causæ materialis agūt partes; actus verò intellectus & voluntatis formalis causæ vices gerunt. Hinc dicimus, Christianos, qui nescij adorant hostiam non sacratam, esse idololatras materialiter, sed non formaliter, quia actus voluntatis non fertur in nudum panem, sed in Deum, quem inuolucris obiecti sibi panis abditum arbitrantur. ibid.

Adoratio duplex est, vna ciuilis & verè humana, quæ exhibetur ei, in quo apprehenditur aliqua excellentia humana. Altera adoratio est religionis, quæ Deo defertur, aut iis, in quibus emicat aliquid diuinum, vt est species aliqua gratiæ singularis. pag. 719. c. 1

Amare supra modum hæc inferiora nefas est. Fit namque Deo iniuria, quando cor adhæret alicui obiecto infra Deum. Quippe Deo iniurium est quicquid sibi vsurpat locum Dei. Ast homine reponente finem suum penes aliquid sensibile, illud incautè sibi præstituendo velut terminum, & bonorum omnium compendium, res hæc sensibilis indecenter irrepsit in locum Dei, scilicet in cor, quod vni tantùm debet Domino mancipari.

Rursus vt aliquid sibi cor humanum deuinciat, participare debet rationem vltimi finis nostri, cuius est plenè hominem vtraque sui parte beare, & perficere. At mundus nihil planè habet huius argumenti. Nam dum corpori adblanditur epulis & Venere, animam vitiat & corrumpit. Dum verò spiritum ventilat aura populari, hominem euehit vt pessundet. Præterea cùm homo sit finis, cuius gratiâ editæ sunt singulæ quæque res corporeæ, superior quoque rebus est his corporeis. Ergo suos si thesauros eas ille facit, se illis deuouendo totum, degener est, & ingloriam suam sortem facit, eam subiiciendo rebus editis ad vsum & non ad fruitionem. Et inde anima in lethale piaculum incurrit, Deum postponens ementito bono, quo vt fine fruens anima, Deum maximè offendit, ab eo auersa, vt illa rebus infimis adhærescat. *Thom. 1. 2. qu. 71. art. 3.* pag. 84. c. 2

Amare debet homo suos inimicos si compos esse velit gratiæ, & probare suum hunc amorem congruis actibus. Nam cùm dilectio proximi sit in præcepto, necesse est etiam sub præceptum cadere illa sine quibus extinguitur dilectio. Sed profectò vigere nequit amor proximi tardus ad necessaria obsequia fratribus exhibenda. Vnde Ioannes: *Non diligamus verbo, neque lingua; sed opere, & veritate.* Rursus, in omni præcepto attenditur substantia, & modus. Natura quidem aliquali modo pertingit obsequium præcepti quoad substantiam; naturaliter enim homo obseruare potest aliqua præcepta, vt non occidere, non furari, & alia id genus. Sed vt quis ea obseruet ad demerendam Dei gloriam, & conciliandum incrementum gratiæ, hoc superat naturæ vires, & iste modus gratiæ, Dei influxum desuper emendicat. At qui gratiæ Dei compos est, ille charitatis conscius est, gratia enim & charitas sunt res concolores, & quæ indiuiduo nexu coëunt semper. Ergo qui charitate conspicuus dignatur amore suos inimicos, ille erit eis beneficus, dum

dum res feret, quia charitas est gratiæ consors, quæ hominem totum componit ad arbitrium Dei. Vnde cùm Deus velit amari inimicum corde, ore, & opere; proculdubio ille amator sincerus inimici, benefaciet æmulis suis tempore opportuno, suásque preces fundet in gratiam illorum. Alioquin esset implicatio in adiecto, si ille qui est in charitate, non amaret ore, & opere. Nam esset in charitate, & non esset in charitate. Esset quidem ex hypothesi, quia amore afficere inimicum, illud est charitate insigniri. At aliunde non esset in charitate, si non se beneficum præstaret inimicis cùm res postulat. Etenim ille excidit charitate, qui expers est gratiæ, quia charitas, & gratia realiter minimè dispescuntur. Sed ille cadit gratia, qui incurius est præceptorum Dei. Ergo cùm sit singulare Dei edictum, vt diligamus inimicos benefacientes eis; profectò ille legi iniurius est, qui eam vltro præterit denegando suo inimico gratiam; quam facili negotio potuit impertire. *Thom.2.2.qu.32.art.5.item 1.2.qu.109.art.4.* pag. 302 c. 1

Amare aliquem ex charitate, est illi velle bonum supremum scilicet Deum, cuius nos compotes gratia diuina facit in hoc æuo, sicut gloria in futuro. Itaque quamuis licitum sit velle malum pœnæ inimicis Reipublicæ, quos iustitiæ gladius vltor exterminat; attamen nusquam licet, eis velle malum culpæ, quo excidant gratia necessaria ad communicandum nobiscum in beatitudine. Quamobrem iustitia vindex publici piaculi, quando desæuit in reorum capita, nemini prorsus denegat copiam sacerdotis, cuius obsequio supplicium decretum ad mortem corporis, salutem possit animæ procurare. *Hæc colliguntur ex S.Thom.2.2.qu.23.art.4* pag.314.c.1

Amanda sunt ex charitate duntaxat ea quæ participare debent Deum, aut conducunt ad hunc finem. Ratio enim obiecti charitatis est penes illud summum bonum. *Thom. 2. 2. qu. 26. art.7.* pag.314.c.2.p.320.c.1

Amandi sunt inimici, sed non vitia eorum. Et hoc sic astruitur: Omnis actus debet proportionari obiecto & agenti: Ex obiecto habet speciem: ex virtute autem agentis habet modum suæ intensionis; sicut motus habet speciem ex termino ad quem est; sed intensionem velocitatis habet ab agente, aut dispositione mobilis. Itaque dilectio, quæ est actus internus, speciem habebit ex obiecto, & intensionem ex parte diligentis. Obiectum autem charitatiuæ dilectionis Deus est, homo autem diligens est. Quicquid ergo destruit obiectum charitatis illud non est amandum, & si insuper noxium est diligenti, actio agentis esse debet intensior, ad hoc vt anima refuga sibi sic consulat auersando. Cùm igitur vitia inimicorum destruant in eis participationem Dei, quæ est summum bonum, & præterea periculum sit, ne vitia illa suo contagio animam labefacient, quæ inimicos amat: prudenter illa suos diliget inimicos, ita vt in eis discernat vitium à persona, amando naturam Dei capacem, & vitia persequendo. Hinc tantùm abest vt inimicorum hominum correctio, eo nomine facta vt afferat repurgium, mala sit; quinimò charitatis officium est, sollicitare eos, ad quos pertinet; vt inimici nostri castigentur, non ad vindictam, sed ad correctionem, vt sic fiant idonei ad gloriam Dei capessendam. *Hæc ad mentem S.Thomæ 2.2. qu.26.art.7.* pag.315.c.

Attritio bona est, & non mala, sicut garriunt hæretici. Est autem attritio dolor qui emergit ob peccata metu pœnæ reo desuper imminentis. Illud est absolutè bonum, & sanctum, quod per se conducit ad bonitatem seu sanctitatem capessendam: Ergo cùm dolor de peccatis ob pœnam instantem, hominem sollicitet ad sanctiorem vitam; ille dolor sanè bonus est censendus, & quantum fieri potest ab anima refricandus. Rursus, illud quod à Deo cœlitus inseritur animæ, vt inde fiat melior resiliendo à peccatis, profectò bonum est, & toto pectore amplectendum, vtpote faciens ad salutem; sed attritio est huiusmodi; nempe Deus nos conterit, atque metum pœnarum incutit, vt anima perculsa metu pœnæ, sibi consulat pharmaco pœnitentiæ. Cùm itaque dolere de peccato metu pœnæ, non sit res merè naturalis, sed superioris ordinis, vtpote pertinens ad gratiam Dei excitantem, & præuenientem; carpere dolorem illum, est damnare Dei gratiam, qua ad meliora cœlitus excitamur. Vide plura pag.575.col.2

B

BEATITVDO hominis est perfectio eius. Ex S.Thom.1.2. qu.3.art.2. Sed hæc perfectio sita in vnione animæ cum Deo apprehenso in gloria, negatur huic sæculo, vbi est status viatorum. Ergo ad aliud sæculum vbi sunt comprehensores, est votis omnibus anhelandum. pag. 337. col.2

Benedicere propriè quid sit. pag.519.c.2

Bonorum operum necessitas ad salutem. pag.248.col.1

C

CHARITAS est anima virtutum ex S. Thom. 1.2.qu.65.art.3. Vnde bonum opus erit exanime, si anima sit expers charitatis. Namque sicut cum charitate infunduntur omnes virtutes morales, ita nec vlla etiam est virtutum perfecta inscia charitate. In his quæ ad naturam pertinent, vbicunque viget aliquod principium operandi, statim accingitur iis omnibus, quibus indiget ad agendum, vt videre est in animalibus, quorum natura rudimentum delineans, illa simul organis instruit idoneis ad suos actus congruos exercendos. Quia natura infra gratiam est, operæpretium est, ea quæ sunt superioris ordinis, statim atque eo statu gaudent beneficio charitatis, accipere etiam omnem illum apparatum necessarium ad agendum congruè. Nequit autem anima conscia charitatis exercere actiones emeritas sine virtutum obsequio; vnde patet; virtutes & charitatem arcto vinculo sociari. pag. 80. col. 1. pag. 298. col.2

Charitatis obiectum est bonum diuinum, inquantum est obiectum beatitudinis, ex S. Thom. 2.2.qu.23.art.4 pag.501.c.2

Christus quomodo sit omnium hominum caput. Vide pag.517.c.2.

Christus est exemplar prædestinationis nostræ. pag.526.c.2

Concupiscentia non est peccatum, quia non est voluntaria. Vide plura pertinentia ad hanc materiam. pag. 365.col.2

Confessionis necessitas astruitur, & probatur. pag.674.col.2

Contritio duplex est, & quænam sit vtriusque differentia. pag.673.col.1

Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Ita Concilium Trident. sess. 14. cap. 14. pag.674.col.1

Contritionis materia tota concluditur septem capitibus. Primum est, Contritionem esse dolorem animi, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secundum, contritionem lapsis fuisse semper necessariam ad veniam demerendam. Tertium, contritionem post Baptismum debere sociari fiduciæ misericordiæ Dei, & habere votum annexum præstandi cætera, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ requiruntur. Quartum, contritionem charitate formatam reconciliare hominem antequam actu Sacramentum percipiatur. Quintum, contritionem imperfectam, quæ nuncupatur attritio concepta intuitu gehennæ, si peccandi affectum eliminet, esse donum Spiritus Sancti, viam sternens ad iustificationem. Sextum, attritionem sine reali Sacramenti perceptione, non posse per se initiare sacris gratiæ dotibus hominem pœnitentem. Septimum, contritionem non debere esse coactam, & extortam, sed liberam, & voluntariam. pag.673.col.1

D

DEi dominium in creaturas, quibus rationibus adstruatur. pag.165.col.1

Deus omnium planè rerum perfectiones habet eminenter vt indeficiens scaturigo boni omnigeni, quod varios influit in canales. Etenim in tantum res est perfecta, in quantum est. Cùm ergo Deus sit esse, à quo omnia fluunt entia, quicquid erit perfectum in entibus, illud erit illic, vnde omnia entia processerunt. Et sic è re hominum est, attendere Deum vt omnimodæ perfectionis typum primigenium, ad quem quisquis propius accedit, ille etiam maiores gratiarum latices hauriet. pag.349.col.2

E

ECclesia quid sit, & quot modis ea vox vsurpetur. pag.253.col.1

Ecclesiæ veræ quales sint notæ sinceræ. p.254. col.1

Ecclesia Romana sola est Catholica. Vide rationes huius conclusionis. pag.254.col.2

Ecclesia quomodo sit sancta. pagina 254. col.1

Ecclesia quare dicatur Catholica. pagina 254. col.2

Ecclesia sola fidem illibatam profitetur. p.275. col.1

Episcopatus quomodo sit status perfectionis acquisitæ. pag.487.col.2

F

FIdes est habitus desuper infusus, atque ita participat rationem genericam omnium habituum, quorum quantitas ex duobus attendi potest. Vno modo ex obiecto, alio modo secundùm participationem subiecti. Obiectiuè fides potest attendi dupliciter. Vno modo secundùm formalem rationem, alio modò secundùm ea quæ materialiter credenda proponuntur. Formale autem obiectum fidei est vnum, & simplex, scilicet veritas prima, vnde ex hac parte fides non variat in credentibus, sed est vna specie in omnibus fidelibus. Si verò res sit de his, quæ credenda proponuntur, ea profectò sunt plurima, ac proinde possunt à diuersis hominibus accipi magis vel minus explicitè, & sic vnus plura potest credere, quàm alius, quia plurium articulorum fidei notitiam expressam habet; & in eo sensu ratione obiecti materialis in aliquo fides esse potest amplior ratione plurium obiectorum, circa quæ fides occupatur.

Fides item considerari potest secundùm participationem subiecti, idque bifariàm. Quippe fidei actus emanat ab intellectu, & voluntate; & ita potest dici maior fides ex parte intellectus, & voluntatis. Maior erit ex parte intellectus, ratione maioris certitudinis, & firmitatis; quando scilicet aliquis adeò tenaciter aliquid habet animo suo insitum, vt nullatenus inde queat excidere. Apostoli ea certitudine dignati sunt, experti scommata Pharisæorum, & eorum anathema, quo sanxerant, esse ex Synagoga expellendos eos omnes, qui dicerent Dominum Iesum esse Christum. pag. col.

Fidei Ecclesiæ, & Synagogæ fuit idem obiectum formale, scilicet veritas prima reuelata; ideoque fides vniformis vtrobique fuit spectata in ordine ad primam illam veritatem, quæ nec intendi, neque remitti potest. Non enim alius est Ecclesiæ Deus ab eo, qui Synagogæ adhæsit. Sed si materiale obiectum fidei attenditur, id est, si res sit de articulis à Deo reuelatis, circa quos occupatur fides, plura sanè arcana fidei innotuere Ecclesiæ, quàm Synagogæ.

Fides etiam Ecclesiæ excessit Synagogæ fidem, ratione subiecti fidei, id est, ratione intellectus, & voluntatis. Namque fuit promptior Ecclesia ad tuendam fidem suam, quàm fuerit Synagoga, cuius maxima pars sæpè à Deo defecit, vt idolorum cultui turpiter adhæreret. pag.col.

Fides multa significat. Primò sonat idem ac fidelitas & constantia, qua statur pollicitis, cui fidelitati quando deest aliquis, ille iure dicitur infidelis. In eo sensu, Deo tribuitur fides, quia ille sibi semper constat, nec vnquam resilit à promissis. Ita fidem vsurpat Paulus hoc contextu Rom. 3. *Nunquid incredulitas illorum, fidem Dei euacuauit?*

Fides etiam aliquando significat promissionem ipsam, seu votum emissum de re aliqua præstanda: Ita nomen fidei Paulus assumit hoc versu 1. Timoth. 5. *Primam fidem irritam fecerunt.* Id est, incurij fuere seruare ea, ad quæ implenda, voto se priùs obstrinxerunt. In eo sensu vsitata phrasi dicimus, illum fidem fallere, qui non stat pollicitis. pag. 218. col.2

Fides iterum sumitur pro conscientia vt patet eo loco Pauli: *Quod non est ex fide, peccatum est.* Rom.14. pag.218.c.2

Fides demum sumitur pro adæquato obiecto, circa quod fertur assensus intellectus ob auctoritatem primæ veritatis. Huius acceptionis meminit Apostolus ita fatus: *Vna fides, vnum Baptisma.* Ephes.4. Quasi diceret; Vt eodem ritu baptizati sumus, ita eodem modo omnes credimus: nempe

nempe fides catholica de iisdem est, ac proinde vna est, quia fideles omnes feruntur in idem formale obiectum, assentientes iis omnibus, quæ à prima veritate reuelante proponuntur. pag. 218. col. 2

Fides à scientia distinguitur. Nam scientia vult videre, id est, cognoscere priusquàm suum præbeat assensum: fides verò secus, antequàm videat assentitur. Hoc conscio Psalte liquet: *Gustate* (inquit) *& videte quoniam suauis est Dominus.* Præcentor ille sacer præmisit gustum, id est animæ assensum, deinde visum subiecit. pag. 670. c. 2

G

GLORIA Dei bifariàm sumitur. Primò substantiuè, secundò connotatiuè. Gloria Dei substantiuè, Deus ipse est, qui seipso, & nulla adiectione beatus est, nec vllum potest accipere beatitudinis incrementum. Ad gloriam Dei sic acceptam non pertinet illa locutio, qua dicimus votum emitti ad maiorem Dei gloriam. Nescit enim augmentum gloria illa Dei, cùm sit ipse Deus. Gloria verò Dei connotatiuè accepta, est gratia Dei inhærens viatoribus, & beatitudo æterna afficiens comprehensores. Gratia Dei dicitur gloria inchoata à Theologis, imò dicitur absolute gloria à Paulo Apostolo hoc versu Rom. 3. *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* Cùm itaque aliquis facit opus egregium, vt inde fiat ei accessio gratiæ, profectò bonum illud opus editum est ad maiorem Dei gloriam: nam meritum boni operis porrigitur ad gratiam in hoc æuo, & ad beatitudinem in futuro. pag. 445. col. 1

Gratia ex Sancto Thoma 1. part. qu. 95. causa fuit triplicis rectitudinis in homine. Prima rectitudo sic hominem composuit, vt Deo subderetur totus. Alia rectitudine, inferiores animæ facultates rationi subiectæ sunt. Recto demum homine, corpus animæ subditum morem gessit ei. Hac profectò regula, id est gratia, indiguit homo vitiis incuruatus. Etenim nusquam suopte ingenio potuisset homo pronus assurgere, si rectus Dominus hominem ad suam imaginem rectum effectum non denuò miserans erexisset. pag. 187. c. 2

Gratiæ Dei necessitas sic astruitur ex Sancto Thoma 1. 2. qu. 109. art. 4. Natura humana sauciata lapsu Adami, auersa à Deo, & conuersa ad creaturas, & præsertim ad se, finem vltimum actu, vel habitu, vel certè propensione sibi præstituit in creatis, & non in Deo. Vnde quando occurrunt aliqua agenda, vel euitanda ex fine illo præconcepto, quasi naturaliter inclinetur ad malum, & violenter feratur in bonum, necessaria est vis quædam, vt homo vigil cautè sibi attendat, & contra prauam propensionem & amorem proprium pugnet. Vis autem hominem accingens ad ardua non est naturalis, sed superioris ordinis, vt est gratia animam instruens ad vitia profliganda. pagina 358. columna 1

Gratia distinguitur in habitualem, & actualem, & vtrique commune est vt sit superioris ordinis, vtpote Dei donum, superans omnes naturæ vires. Gratia habitualis, qua formaliter homo Deo gratus efficitur, stare nequit cum peccato lethali. Actualis verò gratia stare potest cum peccato, quia non iustificat, vt in actuali attritione liquet. pag. 608. c. 2

Gratia diuina, quibus dispositionibus præuiis influat in animam. pag. 528. c. 1

Gratiæ habitualis & inhærentis obsequio iustificatur homo. pag. 573. c. 1

Gratia diuina licèt abundè potens & efficax, non tollit liberum arbitrium. pagina 630. col. 2

Gula dicit concupiscentiam inordinatam appetitus sensitiui circa cibos, quatenus à recta ratione talis est deuius appetitus. Potest autem ordo rationis concupiscentiam moderantis bifariàm viciari. Vno quidem modo secundum ea quæ sunt ad finem, ita vt nimis anxiè cibos homo conquirat, ad voluptatem, non tamen vt escarum causâ Deum velit lethaliter offendere. Patitur eo pacto anima deliquium, sed non summum. Alio item modo tollitur ordo rationis in illa concupiscentia secundùm ipsum finem, cùm nimia cupido cibi hominem à Deo auertit, quî est præcipuus rerum omnium finis, ita vt homo non cunctetur Deum postponere voluptati, quam percipit ex gulæ illecebris, flocci faciendo præcepta Ecclesiæ, cibis vetitis abutendo. In hoc est sita gulæ pernicies extrema, vim inferens animæ, vt res viles, quales sunt escæ, Deo turpiter anteponat. Vide pag. 416. columna 2.

H

HOMO potest duobus modis considerari, scilicet Physicè, & Theologicè. Physicè attenditur vt compositus ex materia & forma. Theologicè verò quatenus est editus vt æterna gloria frueretur. pag. 396. col. 1

I

IEIVNIVM multiplex est, scilicet spirituale, morale, naturale, & Ecclesiasticum. pag. 93. col. 2

Ieiunium spirituale est abstinentia à vitiis iuxta Vatis Isaiæ effatum, capite 58. *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Eò respexit Augustinus tractatu 17. in Ioann. *Ieiunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus.* ibid.

Ieiunium morale est parcior ille ciborum vsus quem plerique Philosophi sectati sunt, quia conducit ad mores componendos, & scientiam comparandam. ibid.

Ieiunium naturale vocant Theologi abstinentiam ab omni prorsus cibo, & potu, quacunque ratione sumpto. Dicitur autem sumptus cibus vel potus, quando iam ad stomachum est transmissus. Si quis enim cibum aliquem degustaret,

ftaret, & continuò expueret, non folueret naturale ieiunium, quod præire debet fumptioni Euchariftiæ, vt monet Auguftinus hoc contextu epiftolæ 118. *Placuit Spiritui Sancto, vt propter honorem tanti Sacramenti, priùs in os Chriftiani Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* pag. 93. col. 2

Ieiunium Ecclefiafticum eft abftinentia cibi fecundùm Ecclefiæ regulam affumpta. Dicitur hoc ieiunium, abftinentia cibi, quia quæcunque per os ad ftomachum tranfmittuntur, ad tria reuocari poffunt. Primò, illud dicitur cibus, quod primariò refertur ad corpus alendum, vt panis, caro, &c. Rurfus aliquid traiici poteft in ftomachum, quod non refertur per fe ad corpus alendum, fed potius ad alium effectum, verbi gratiâ ad iuuandam cibi digeftionem, vel reftinguendam fitim, vt vinum, aqua, ficera, quæ dicuntur potus, & non cibus. Denique alia quæ tranfcolantur in ftomachum, referuntur ad morbos pellendos, vel vitandos, ac proinde vocantur pharmaca, non autem cibus aut potus, quamuis interdum alant, & fitim fedent: diftinguntur enim à cibo & potu ratione finis, qui eft dubiæ confulere fanitati. Ex præfatis facile eft inferre quid fit ieiunium Ecclefiafticum. Quippe non eft abftinentia potus aut pharmacorum, fed folius cibi inftituti per fe ad corpora nutrienda. p. 93. col. 2

Ieiunij Ecclefiaftici regula quadruplex eft. Prima, vt obferuetur certis quibufdam diebus. Verbi gratiâ vigiliarum, quatuor temporum, & Quadragefimæ dies ieiunio decernuntur. Altera regula ieiunantes obligat ad vnum tantùm paftum fingulis quibufque diebus ieiunio facris. Tertia regula refectionem illam vult effe cœnam, vt longiore inedia luat pœnas corpus, quas peccando demeruit. Poftrema demum ieiunandi norma hæc eft, vt fcilicet habeatur delectus ciborum, & præcipuè à carnibus abftineat ille qui ieiunio obftringitur. Vide plura de hac materia. pag. 94. c. 1

Iudicium fore duplex in generalibus & extremis omnium hominum comitiis, concors eft fententia omnium Doctorum. Iudicium vnum dicitur retributionis, aliud difcuffionis. Præmij aut fupplicij affignatio dicitur iudicium retributionis. Eo iudicio iudicabuntur omnes homines; nemo namque die illo indonatus abibit, fed iuxta Apoftoli effatum vnufquifque recipiet prout fe gefferit, fiue bonum, fiue malum. Iudicio illo concludetur omne hominum genus. Ad Angelos autem aut dæmones non pertinet directè illud iudicium, quia beatis & reprobis Angelis fuere congrua fupplicia & præmia conftituta; funt enim nacti finem merẽdi & demerendi, poftquam Angeli nequam abdicauere Dei obfequium, & beati fecus illibato affectu ei iugiter adhæferunt. Vnde quia Deus non iudicat bis in idipfum, iudicium ad Angelos minimè pertinebit. Et profectò de Angelo nequam extat illa Chrifti fententia. Ioan. 16. *Princeps huius mundi iam iudicatus eft.* Ad quid ergo repetere iudicium antea confummatum. pag. 514. c. 2

Iudicium difcuffionis dicitur illud, quo præuio examine merita appenduntur ad trutinam pondere fanctuarij. Hoc iudicium ad illos tantùm fpectat, qui habuerunt in fe principium merendi, fidem fcilicet, & charitatem, vt funt Chriftiani omnes. De aliis verò hominibus infidelibus nulla prorfus erit difcuffio, quia illi totum fuum æuum egerunt nefcij meritorum, ac proinde locus non erit difcutiendi vitam repetito diu crimine confpurcatam. pag. 514. c. 2

Iudicio illo difcuffionis non expendentur illi, qui næui expertes, gratiam in Baptifmo acceptam eodem tenore non illibatam tantùm feruauerunt vfque ad mortem, fed illam excoluere pluribus incrementis. Itaque iudicio difcuffionis fubiicientur ij duntaxat, quorum difcolor quandoque vita difpares vitiorum & virtutum teffera induit. Huius claffis erunt plerique & beati, & damnati; hac cautione tamen, vt beati non excidant certitudine fuæ fortis, nec vllum inde metum concipiant, cùm illa fiat difcuffio ad comprobandam Dei iuftitiam, quæ vt deprehendit in pœnitentibus congrua merita, expunxit eorum culpas, præmio afficiens animas factè pœnitentes. Ita fecus in reprobis, qui ceffere fatis malè fibi confcij. Illa difcuffio nullam falutis dubiæ fpem conferet, cùm eos lancinans confcientia clamet indignos miferatione Dei, qui ideo difcutiet Chriftianorum impiorum vitam, vt omnibus peruium fit iuftum illud iudicium, quo impia capita caftigantur. Vide plura ad hanc materiam fpectantia. pagina 514. col. 2

Iuftificatio tranfilit omnes naturæ fines; non omnino tamen iners eft anima in illo operofo negotio: nempe Deus aliqua præludia prærequirit ab illa, quibus fe accingat ad donum illud, cuiex fe impar eft. Has difpofitiones Theologia refundit in principes animæ potentias, intellectum fcilicet, & voluntatem, ita vt illæ potentiæ moueantur ritu planè contrario illi quem antea deuiæ nequiter inierunt. Verbi gratiâ, hallucinans intellectus antea delicias propofuit appetitui veluti congrua quædam bona conducentia ad vitam nefciam ærumnarum. Illa fpecie ementita boni decepta voluntas effufa eft in obiectas illecebras, quarum fruitione delinitum cor, magnam concepit lætitiam. Vt ergo tantis deliquiis eatur obuiam, ratio adiuta supernâ luce debet intueri delicias vt lethale virus, iniurium faluti æternæ; voluntas item acerbè debet odiffe malum, quod antè fuit amplexata, boni illecebris abditum inuolucris. Quia verò malum noxium, non odium tantùm fui ingerit, fed & triftitiam conciliat quando premit animam; idcirco parum eft odiffe voluptates, fed infuper eft mœrendum, quia refidua culpa malum eft, faciens animam obnoxiam flagello Dei. Non quòd pœnæ intuitus debeat effe feu potiffimum argumentum luctus pœnitentium, qui fponte debent occurrere Deo caftiganti: fed ideo triftandum eft, quia commifimus vnde poteft ira Dei in nos meritò defæuire. pag. 206. 2

Iuftificationis noftræ initium à nobis non eft, fed à Deo, iuxta facri Concilij Tridentini decretum iftud fefs. 6. cap. 5. *Declarat ipfum iuftificationis exordium in adultis, à Dei per Chriftum Iefum præueniente gratia fumendum effe; hoc eft, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiftentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerfi erant, & per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum fe, ad*

fuam

suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur. Vide pag. 374. col. 2

Iustitia iustificans animas inhærens est, & non imputatiua, sicut garriunt & nugantur hæretici. Vide argumenta, quibus adstruitur hæc veritas. pag. 374. col. 2

L

LIBERTAS qualis stet cum obligatione voti? Vide pag. 626 col. 2

Liberum arbitrium ex vi nominis duo dicit. Vnum quod pertinet ad rationem, seu intellectum, & illud est iudicium. Alterum verò spectat voluntatem, & est electio. Et sic liberum arbitrium significat electionem cum iudicio, vt disertè docet Thomas 1. p. qu. 83. art. 1. Vide plura pag. 626. col. 1

Liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratiâ assistente; vel malum, ea desistente. Ita Magister sentent. lib. 2. distinct. 24. Nomine facultatis intellige liberam potentiam: facultas enim illa non est actus vel habitus, sed est potentia indeterminata. Facultas illa dicitur rationis, atque voluntatis, quia soli intelligenti naturæ quadrat liberum arbitrium, vt Deo, Angelis, & hominibus, licèt in Deo sit alio longè modo, quàm in nobis, nec illi quadret definitio proximè recensita. Cùm dico facultatem eligendi bonum, bonum illic non significat finem, sed media ad finem. pag. 626 c. 1

Liberum arbitrium propriè non versatur circa finem: quippe dicit electionem; at electio est quædam conclusio consultationis. Porrò consultatio, de mediis ad finem est, & non de fine ipso. Hinc abundè liquet, quale discrimen intersit inter voluntatem, & liberum arbitrium, quod scilicet eadem appetendi potentia rationalis vt spectat finem, dicitur voluntas; vt verò collimat in media, dicitur liberum arbitrium. Vt & eadem potentia intelligendi, cum respicit prima principia, dicitur intellectus, si verò spectat conclusionem, quæ per discursum ex principiis colligitur, ratio nuncupatur. pag. 626. col. 2

Liberi arbitrij germanus actus assignatur à Magistro sententiarum quando dicit: *Est facultas, qua bonum eligitur gratiâ assistente, vel malum ea desistente.* Ille nimirum actus proprius liberi arbitrij est electio. Et hæc bifariàm fit. Vno modo, seligendo vnum ex pluribus propositis; & hæc dicitur libertas contrarietatis. Altero modo fit electio, vno scilicet proposito, illud acceptando, vel acceptando pro arbitrio, & hæc dicitur libertas contradictionis. Vtraque libertate gaudet liberum arbitrium. pagina 626. col. 2

Libertas triplex recolitur à Bernardo libro de gratia, & à Magistro sententiarum lib. 2. distinct. 25. Libertas scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Prima dicitur libertas à necessitate, secunda libertas à peccato, tertia libertas à miseria. Primæ libertatis meminit Paulus hoc tenore: 1. Corinth. 7. *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis.* Secundæ libertatis idem memor est ad Romanos 6. *Liberati a peccato, servi facti estis iustitiæ.* Tertiam demum libertatem sic describit idem Apostolus: *Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Rom. 8. ibid.

Libertas, à qua liberum dicitur arbitrium, est libertas naturæ, seu libertas à necessitate. Quamuis enim impij non sint liberi à peccato, & à miseria; non tamen à libertate naturæ penitus exciderunt. ibid.

Libertas naturæ duplex est. Vna opponitur coactioni: altera non duntaxat est coactionis impatiens, sed coire nequit cum necessitate. Dicuntur esse libera à coactione illa, quæ licet fiant necessariò, nec possint aliter fieri; sponte tamen & de industria fiunt, nemine vim deforis inferente. Vt cùm volumus esse fœlices, illa volitio secundùm specificationem necessaria est; sed vltro anima vult, & non coacta: & hæc est libertas à coactione. Illa verò sunt libera à necessitate, quæ pro arbitrio suo possunt velle, & nolle eamdem rem. Vide plura pagina 626. col. 2

M

MAndata Dei duobus modis spectari possunt. Primò quoad substantiam, secundò quoad modum. Quoad substantiam aliquod præceptum potest attendi sine vllo ordine ad vitam æternam promerendam, obseruatione illius præcepti. Vt in mandato, *Non mœchaberis*, si attendatur candor puritatis vt valde congruus homini quem maximè fœdat obscœna colluuies, tunc dicetur hoc præceptum spectari secundùm suam substantiam, & de mandato Dei sic considerato Thomas ait 1. 2. qu. 109. art. 2. hominem in statu naturæ lapsæ non posse omnia mandata seruare citra auxilium gratiæ sanantis animam grauiter Adami crimine sauciatam. Ratio petitur ex iugi dissidio corporis & animæ, quo vigente non concordant dissiti animæ & corporis appetitus. Gliscente ea rixa, & præualente carne in spiritum imbecillum, ob corruptelam indolis humanæ, vrgente aliqua vegeta tentatione, nequit homo stare sine gratia, ab ingruentibus vitiis illibatus. pag. 321. col. 1

Mandata Dei quoad modum considerata, dicunt ordinem ad beatitudinem, cùm influente Dei gratia cœlitus obseruantur. pag. 201. c. 1

Mandata Dei mediante Dei ipsius gratia posse obseruari, multis adstruitur argumentis, quæ tu consule. pag. 201 col. 2

Meritum assingitur bonis operibus propter tria. Primum est gratia seu charitas, alioquin actio humana suis conclusa carceribus non posset attingere finem superioris ordinis, videlicet Deum beantem animas factâ sui copiâ. Alterum, quod concurrit ad meritum, est voluntarium, id est, actus à voluntate elicitus adeò plenè, vt anima causari nequeat, se inuitam obstrictam fuisse tali actioni. Huius cautelæ defectu insani homines non merentur, neque etiam sapientes cùm somniant, tunc enim voluntas non est sui iuris: & quamuis anima somnio vigente credat se esse sui iuris, & reuerà velle; tota tamen illa historia est phantasiæ facinus imponens animæ somnianti. Demum ad meriti incrementum accedit difficultas, quæ quantò maior est insita negotio quod patratur, tantò etiam augetur ratio demerendi. Nimirum par & æquum est texi coronas iuxta dignitatem discriminum,

minum, quæ quisque Dei gratia comite superarit. Vide plura pag. 166. col. 1

Mors bifariam considerari potest. Primò vt est malum naturæ humanæ destructiuum. In eo sensu mors est defectus consequens peccatum, à primo omnium homine perpetratum. Mors sic spectata nequit habere Deum auctorem. Alio modo potest attendi mors, vt pœna iustè inflicta homini incurio mandatorum Dei, & sic ad iustitiam Dei pertinet, cuius est iniquos hominum coërcere nisus, & castigare nefarios eorum actus. Eo intuitu mors aspecta, bonum quoddam est iustitiam Dei explicans, qua eliminantur omnes obsequia debita Deo reddere dedignantes. Vt misericordiâ inconsultâ, Dei iustitia nihil castigat, ita Dei misericordia maxima elucet in morte decreta toti generi humano; miseratur enim iniquam hominum sortem infinitis propemodum angustiis obnoxiam, quam ne diuturna foret, morte instante, & vnicuique obuiâ decurtauit. Quis namque Angelorum non homini ingemeret, si damnatus ad ærumnas perpetuas, in hoc sæculo perennasset? Itaque licèt mors iustitiam Dei prodat, est etiam illa diues argumentum misericordiæ eius; salutaris enim est mors, hominem expediens à longa & importuna serie malorum, quibus scatet hæc vita, bonis etiam omnibus ærumnosa. Vide plura pagina 38. col. 2

N

NATVRÆ corruptio iniquus est habitus, nobis insitus à teneris vnguiculis, & huius habitus illa indoles est, vt hominem inclinet ad omnes sensuum cupedias. Homo validè raptatur ad omnia quæ titillant sensus, imò nemine tentante, malè suada carne, quasi inuitus ad turpia prouocatur. Et estò penes animam sit, rationis obsequio coërcere motus importunos; si tamen gratia Dei non influat, proculdubio repentinus validæ tentationis æstus animam abripiet, & inducet ad peccandum. Namque sicut corruptio illa totum permeat corpus; sensus omnes peruij sunt peccato, & sic vndique diffluens anima effundetur in sensuum illecebras. Ne igitur illa corruptio habitualis homini, stans à partibus Angeli refugæ, sit lethalis animæ; operæpretium est, Deum adsciscere in auxilium. Quippe sicut in Physicis omnes corporum motus cientur à primo mobili raptante cœlos inferiores; ita in moralibus anima moueri nequit, nisi perculsa à Deo; & maximè cùm agitur de discrimine cum diabolis fortiter ineundo. Vide plura pagina 397. col. 1

Necessitas opponitur libertati, ideoque triplex est necessitas, quia triplex est libertas. Prima necessitas est ex parte debiti, siue debitum oriatur ex præcepto, siue ex voto. Id enim dicimur liberè facere, quod non tenemur facere; id verò necessariò, quod tenemur. Necessitas illa nihil adimit merito, aut laudi actionis, imò plerumque adiicit, quia qui præstat opus, ad quod tenetur ex debito, ille facit opus iustitiæ. Vnde viri sancti & iusti nuncupantur omnes, qui obseruant mandata Dei, licèt ex debito teneantur ad hæc. Itaque libertas ex parte debiti, non requiritur ad hoc vt opus sit laude sua dignum, nec necessitas illa ex parte debiti aliqua ratione potest operum merita decurtare. Alioquin non peccaret homo cunctando reddere quod tenetur ex debito; quia necessitas, quæ tollit meritum, minuit & peccatum. Sed hoc falsum est. Ergo & illud. Igitur quamuis præeunte voto, quis teneatur ex debito reddere quod promisit, necessitas illa nihil detrahit operanti. pag. 446. col. 1

Necessitas alia est ex parte naturalis determinationis voluntatis. Tunc enim dicitur quis liberè operari, cùm versatur circa obiectum, in quo voluntas non est determinata ad vnum. Propriè hæc libertas pertinet ad liberum arbitrium, & ad vtrumque oppositorum porrigitur. Hæc libertas requiritur ad meritum, & ad laudem boni operis. Hinc dicimus, bestias non mereri, aut peccare, quia determinatæ sunt ad vnum, vtpote expertes voluntatis, quæ est animæ potentia respiciens opposita. Hæc libertas stare potest cum necessitate ex parte debiti. Verbi gratiâ, emisso voto Religiosus obstringitur necessitati ex parte debiti, sed non excidit libertate voluntatis. Illa namque potest iuxta genium arbitrij sui votum non reddere, & peccare. Ideoque cùm audis, eum qui vouit non esse liberum post votum; nega de libertate liberi arbitrij, esto verum sit de libertate ex parte debiti, quæ non requiritur ad laudem virtutis exercitæ. pag. 446. col. 1

Necessitas tertia est coactionis, siue ea sit absoluta coactio, vt cùm quis trahitur inuitus ad supplicium, siue sit moralis quædam & quasi conditionata coactio, vt cùm quis ægrè aliquid facit, quod quidem præstat aliquo timore perculsus. Profectò ista necessitas est iniuria bonitati virtutis emeritæ, quæ spontanea esse debet, & requirit in homine libertatem ex parte coactionis. Quippe nemo meretur laudem ex opere quod animo inuito facit, quia voluntarium, vnum est ex principiis emergentium de bono opere meritorum. Nota, illam libertatem ex parte coactionis stare cum necessitate ex parte debiti, quia plerumque fit vt alacriùs homo Deo reddat vota sua: illa nimirum est natura voti, vt hominem efficiat magis expeditum. Cùm namque votum sit amoris opus, & amor sit aliger, ille suas alas affingit vouenti, vt expeditè decurrat stadium, quod sponte ingressus est: & quotidiano experimento liquet, eos qui sanctioris vitæ institutum professi sunt, præferre suo vultu tesseras hilaris animi, & voluptatum, quæ vota sicut par est reddita consequuntur.

Vide plura pag. 446. col. 2

O

ORATIO est Religionis actus, animam ad Dei cultum dirigens, & euehens ad superna. Vide plura pertinentia ad orationem. pag. 725. c. 1

Originale peccatum dicitur à S. Thoma vnum specie, & multiplex virtute, quia hominem inclinat ad omnia iniqua, nec vlla prorsus est animæ potentia, quæ non in aliquam iacturam incurrerit. Habet autem hoc peccatum duplicem processum, scilicet à carne ad animam secundùm ordinem generationis; & ab essentia animæ ad potentias eius secundùm ordinem naturæ. * Nota tamen, carnem non congruam esse sedem peccati originalis adæquatè sumpti: defectus enim hic est in semine instrumentaliter, in essentia animæ subiectiuè, & in carne velut pœna.
Vnde

Vnde quo caro vegetior est, eò magis etiam pœna diffunditur; & peccatum hoc, etsi tersum reatu in Baptismo, fomite tamen facessit ingens negotium animæ, eam agendo stimulis importunis, vt corporis illecebris turpiter obsequatur. Vide plura. pag. 410. col. 1

P

PATER est vox quæ in diuinis sumitur essentialiter quando Deum significat trinum in personis, & tunc vniuocè prædicatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Sumitur verò personaliter quando primam personam Trinitatis in ordine ad generationem Verbi significat. p. 333. col. 1

Peccatum est actio humana nequam: quod autem aliquis actus sit humanus habet ex hoc, quòd est voluntarius, & id bifariàm esse potest: nimirum actio illa voluntaria est, quæ à voluntate elicitur; vt velle, eligere, sunt actus voluntarij vtpote à voluntate eliciti. Rursus eam nomenclaturam voluntarij sortitur actus à voluntate imperatus, vt sunt actiones extrinsecæ ad arbitrium voluntatis editæ. Huiusmodi actus omnes sunt humani, in quos cadit malitia, quando carent debita commensuratione. At omnis commensuratio attenditur ex relatione ad aliquam regulam, à qua si deflectat res regulanda, erit deuia & obliqua. Regula voluntatis humanæ duplex est: Vna propinqua, & homogenea, id est, eiusdem indolis & naturæ ac voluntas, videlicet ratio, quæ est vt voluntas facultas intellectualis. Alia est regula eterogenea, & suprema, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio diuina, à qua si deuiat actus humanus eo ipso irregularis est, & reprobus, quia recedit à norma cœlitus instituta. pagina 430. col. 1.

Peccatum mortale est auaritia ex præfatis, quia dicit opum appetitum immodicum, cum iniuria Dei, quem auarus postponit opibus, prætereundo præcepta Dei, vt per fas & nefas aurum accumulet. In eo enim auarus declinat à suprema regula, quia vult frui opibus, quibus vti tantùm & non frui concessit Deus. Id est, deuius est ille appetitus opum, quia illas habet vt vltimum suum finem, in quo quiescit incurius superioris alterius obiecti, scilicet Dei, in quem vt in supremum finem nostra vota debent omnia conspirare. Vide plura de hac materia. p. 430. col. 1

Peccatum est recessus à Deo, aut deuiatio à scopo, in quem perpetuò & directè debent hominum vota omnia collimare. Ex S. Thom. 1. p. qu. 63. art. 1. & 2. Peccatum est actus deuians ab ordine debiti finis contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. pag. 624. col. 1

Peccatum ex Scoto in lib. 2. sent. dist. 43. est auersio à Deo, & conuersio ad creaturas. Ioannes Gerson in compendio Theologiæ, tractatu de vitiis, ait auersionem illam esse disconformitatem voluntatis creatæ, à voluntate diuina. pag. 624. c. 1

Perfectionis studium omnes obstringit, quia omnibus indictum est hoc præceptum, cuius ecce tenor: *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est*. Præceptum legis cùm sit obligatorium, est de aliquo factibili, quòd verò aliquid debeat fieri, hoc prouenit ex necessitate finis alicuius: sicque patet, de ratione præcepti esse, vt importet ordinem ad finem, inquantùm illud præcipitur quod est necessarium vel conducens ad finem. Ergo non sufficit ad legislatoris intentum, implere præceptum, si talis obseruatio non assequatur finem præstitutum huic præcepto. Verbi gratiâ hoc homini pensum impositum est, vt seruet mandata, si velit ad vitam ingredi. Si ergo morem gerat mandatis aliquibus, & non tamen fiat compos gloriæ æternæ, profectò aliquali parte sui deest partibus requisitis ad integritatem legis, quæ reuerà non integrè & perfectè seruatur, si non deducat ad finem suum, qui est beatitudo æterna. Itaque qui non perfectè obsequitur mandatis Dei, quamuis ea obseruet quoad substantiam, non plenè tamen obedit, quia non perfectè, & sic est exlex & præuaricator. Nam ex S. Thoma 2. 2. qu. 44. art. 8. Modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub præceptum, quod datur de actu virtutis eius. Modus autem requisitus vt mandata Dei suum sortiantur effectum est perfectio, quæ est in amore sita, sicut conclusit Christus. Hanc esse legis summam, vt obediat homo socia charitate, docet Paulus ita fatus ad Roman. 13. *Plenitudo legis est dilectio*. Quasi diceret: Si quis legem totam seruat, & ab amore tamen deuius, huic profectò lex est vacua, neque suum pondus habet requisitum ad hoc, vt quis donetur æterna ciuitate Dei. Idcirco perfectionis necessitas est homini indicta, ne excidat effectu obseruatæ legis. Etenim non merentur gloriam præcepta Dei, quibus anima morem gerit aliquo lethali crimine sauciata. pag. 338. col. 2

Perfectio creaturæ intellectualis eius arbitrium petit: idcirco Deus Angelos & homines edidit sui iuris, instructos gratia, cuius beneficio possent suo fini optimo sociari, & id media charitate: siquidem vnumquodque perfectum esse dicitur inquantùm attingit proprium finem, qui est vltima rei perfectio. Sed charitas est quæ nos vnit Deo, qui est vltimus omnium hominum finis, in quo solo quiescit anima, alioquin iugiter inquieta.

Perfectio charitatis ritè potest ex triplici fonte peti. Primò potest charitas esse perfecta ex parte obiecti, vel subiecti. Est perfecta ex parte obiecti quando Deus pro sua dignitate diligitur, & pro modulo diligentis. Secundò est perfecta charitas ex parte subiecti, quando tota anima in Deum effunditur, ita vt nullas prosus inducias in amando pia anima patiatur. Ista perfectio non cadit in animam tectam corporis exuuiis, sed est sors beatarum mentium. pag. 477. col. 1. & 2

Perfectio charitatis alia est hominem afficiens, quando à se abegit omne id quod iniurium est charitati. Et illa duplex est perfectio. Vna, qua præditus homo nihil omnino æquè ac Deum diligit, & mallet oppetere mortem, quàm Deo ingratum aliquid committere. Hæc perfectio est necessaria ad salutem, vtpote citra quam nemo adultus cœlis est adscriptus. De hac charitate Ioannes agit hoc contextu. 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est*. Alia verò perfectio est, quando Deum aliquis amat eo modo, vt omnes omnino obices amouerit à se, vt faciliore nisu in Deum totus & totaliter efferatur. In eo statu sunt omnes religiosæ vitæ inclyti professores. pag. 477 col. 2

Pœna à Theologis bifariàm attenditur. Primò in ratione pœnæ, vt dicit angustias, & molestiam parit. In eo sensu pœna est quid consequens peccatum, quia pœna sic spectata consulit æqualitati iustitiæ inquantùm is, qui deliquit adhærendo tenaciter voluntati suæ, aliquid iam inuitus patitur voluntate sic domita. Vnde cùm omne peccatum sit voluntarium, in mulctam eius sunt indictæ pœnæ, à quibus abhorret noxius appetitus. Alio item modo pœna potest spectari, scilicet, vt est salutare malo præterito remedium, cautióque malo instanti occurrens. In eo sensu, quandoque pœna sine culpa infligitur, sed non sine causa. Vt quando Deus morbis corpora Sanctorum quatit; illa molestia non præsupponit culpam, quæ cultiores animas non inquinat, sed eo intento cœlitus infligitur, vt subducantur alicui malo, quod Deus præscius instare vidit his quos assolet nullo præuio crimine castigare.

Pœnæ modo illo duplici sumptæ rationem habet ieiunium Ecclesiasticum. Est enim in confesso, ægrè admodum ieiunare homines, & voluntatem inferre sibi vim magnam quando annuit Ecclesiæ decernenti inediam. Renuens appetitus in ea rixa luit pœnas deuiæ voluntatis. Nempe licèt gula reluctetur, & hominem impastum vrgeat ad epulas; attamen deuota sibi constat voluntas Deo debitum pendens obsequium, suoque luctamine expungit pœnas quibus se antea homo reprobus obstrinxerat.

Pœna item salutaris est ieiunium, rationem medicinæ sibi vindicans, curantis præterita mala, & euntis obuiam ingruenti morbo. Ieiunium quippe sanat vlcera contracta gulæ piaculo, & occurrit incendio Veneris æstuantis. Vide plura pag.64.c.1

Pœnitentiæ varias descriptiones è Patribus. Vide pag.672. c.1.& 2

Pœnitentia est Sacramentum coalescens ex contritione, confessione, & satisfactione. p.671. col.2

Pœnitentia sincera suis omnibus numeris absoluta, non ideirco solùm est specialis virtus, quòd dolet de perpetrato malo, sed ex eo quòd pœnitens dolet de peccato inquantum est offensa Dei, cum proposito diluendi peccatum, illud emendando. At emendatio offensæ contra aliquem commissæ, non fit ex sola cessatione offensæ, sed præterea operæpretium est intercedere aliquam recompensationem, quam exigunt omnes iniuriæ alij illatæ, quas nemo expiare potest; nisi beneficio compensationis, & retributionis. Recompensatio ex S. Thoma 3. part. qu. 85. art. 3. est ex parte eius qui satisfacit homini à se perperam impetito. Retributio verò est penes illum, qui iniuriam accepit. Vtrumque sanè ad materiam iustitiæ pertinet, quia vtrumque est commutatio quædam. Ita liquet, pœnitentiam, quatenus est virtus, esse partem iustitiæ commutatiuæ, cuius est pro beneficiis gratias agere, & pro iniuriis illatis reddere pensum, quo aliunde satisfiat ei, cui se reus præstitit iniurium.

Quòd si fortè reus est impar conditione offenso, vt filius respectu patris, & homo Dei respectu; Arist.l.8.Ethic.cap.vltimo ait, esse in arbitrio superioris imponere modum debito obsequio in gratiam sceleris abstergendi. Cùm ergo redux homo cupit fieri, acerbè Deo offenso, cuius iniuria perfectè nequit compensari, ob disparem statum Dei, infra quem sunt homines; Dei erit præscribere normam, qua obseruata queat homo conciliare sibi gratiam Dei subirati. Vt huiusce voti compos homo fiat, debet recolere, se iniquum fuisse Deo, sibi, & proximo: Deo quidem, in quem insurrexit, flocci pendens illius imperium: sibi verò, quia gratiâ excidit, vtpote conspurcatus macula peccatorum. Denique proximum offendit exemplo suo, cum pelliciens ad peccandum. Itaque trifariàm obligatur homo volens pœnitentiæ obsequio restitui in integrum. Ne autem pœnitentes hærerent dubij in delectu obsequij Deo exhibendi, vt redirent ad meliorem frugem, ipse Deus præscripsit schema reis omnibus obeundum. Scilicet, vt sincero animo reprobos affectus exuerent, corque suum plecterent amara tristitia, in pœnam suauitatis illicitæ, qua gestiit animus deliciis irretitus. pag.32.c.1

Pœnitentiæ pars præcipua est ille dolor vltro assumptus, & conceptus ob Deo illatas iniurias; sed præterea voluit Deus adiici aliquid deforis, quo correi homines inducerentur etiam ad terendos calles concoloris pœnitentiæ, vt quos impius socios illexerat ad peccandum, eosdem quoque sibi comites adsciscerct resiliens à peccato. Ita Deus aliquando deuium populum reuocauit misso Ioële Propheta, cuius ista fuit parænesis, id est, cohortatio cap.2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.* Cordis angustias scissio illa commemorata probat, qua Deus congruè delinitur. Ieiunium castigat illecebras; & lacrymarum profluuium aliis satisfacit hominibus, quos illo intuitu plerumque tædet commisisse nefas, cui expiando debet aliquando crebris fletibus anima desudare. Vide plura de hac materia pag.35. col.1

In Pœnitentia est aliquid quod est Sacramentum tantùm, scilicet actus exteriùs exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per sacerdotem absoluentem. Res autem & Sacramentum est pœnitentia interior peccatoris: res autem tantùm, & non Sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum, totum simul sumptum, est causa secundi: primum autem & secundum, sunt quodammodo causa tertij. Ita Thom. 3. p. qu.84.art.1.in responsione ad 3.

Vide locum hunc explicatum.pag.577.c.2

Prædestinatio est præcognitio Dei de saluandis, & bonis gratiæ, quibus hîc liberantur, & in futuro coronabuntur. Magist. lib.1. sent. dist.40. pag.518.c.2

Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis ad vitam æternam in mente Dei. Ita Thom.1.part.qu.23.art.1. ibid.

Prædestinatio vt est in Deo actiuè sumitur & dicit actionem immanentem, quæ nihil aliud est quàm ipse Deus æternus ab æterno prædestinans. pag.521.c.1

Prædestinatio passiuè sumpta dicit actionem transeuntem in creaturam prædestinatam; connotat enim prædestinatio illa effectus æternæ prædestinationis, quæ est ipsa Dei essentia vt causa gratiæ & gloriæ secundùm ordinatã ab æterno distributionem vtriusque. Illa Dei præordinatio non tantùm pertinet ad intellectum Dei, sed etiam ad voluntatem & potentiam eius; nimirum illic est scientia vt disponens, voluntas vt efficiens; potentia vt exequens. pag.525.

Prædestina

Prædestinatio magis pertinet ad voluntatem Dei quàm ad intellectum: nam prædestinatio est causa gratiæ & gloriæ; sed illa duo sunt immediatè a voluntate Dei, in quam præcipuè est prædestinationis ratio refundenda. Cùm illa duo coëunt scientia & voluntas; voluntas se habet per modum consequentis, & addentis ad scientiam: sed quod consequitur & addit, se habet per modum differentiæ & complementi, & ab hoc est res denominanda. Ergo magis ad voluntatem pertinet prædestinatio, quàm ad intellectum: nam præcipuus prædestinationis cardo non est in præscientia beneficiorum Dei, sed in proposito gloriam æternam & conducentes ad eam gratias erogandi. p 525. col. 1

Prædestinationis effectus sunt omnia quæ per se & directè conciliant gloriam æternam: nam prædestinatio causaliter & effectiuè sumpta, ponit in subiecto omnia quæ faciunt ad æternam gloriam aucupandam. ibid.

Prædestinationis causa quænam sit, vide latè. pag. 525. col. 1

Prædestinatio non fit ex præuisione meritorum, sed ex mera Dei bonitate. Ita Thom. 1. part. quæst. 23. art. 5. Magister lib. 1. sent. dist. 41. Scot. in 1. sent. dist. 41. quæst. 1. Nam voluntas priùs fertur in finem quàm in media aptata ad consecutionem finis. Sed gratia & bona opera nostra sunt media ad finem supernaturalem. Ergo Deus gloriam æternam dare priùs voluit quàm media & gratiam merendi; & sic illa media, scilicet merita nostra, non sunt causa volitionis huius, id est, præuisis meritis Deus non prædestinauit ad gloriam, quæ est finis prædestinationis: nempe Deus nostro concipiendi modo finem voluit antequam media & gratias ordinarit. p. 525. col. 1

Rursus si præuisa merita essent causa prædestinationis, eadem res esset causa suæ causæ; namque liquet, prædestinationem esse causam omnium bonorum, quæ conducunt ad gloriam: ergo nequeunt illa bona, seu merita, esse causa suæ causæ, id est, prædestinationis æternæ, quæ non elegit bonos, quasi tales inuenerit; sed quia eos eligendo, bonos fecit. p. 525

Prædestinationis nostræ exemplar illustre est Christus; sed ab æterno fuit illi decreta vnio hypostatica, ac proinde secundùm humanitatem prædestinatus est sine vlla præuisione meritorum, siquidem vnio hypostatica non cadit in meritum.

Prædestinatio infantium, qui cessere fatis post Baptismum non facta fuit ex præuisione meritorum. Non est ergo alia statuenda ratio pro adultis, cum ad instar Christi sola Dei voluntas nos elegerit ab æterno sine trutina meritorum. Vide plura. p. 526. col. 1

Purgatorij veritas quibus Scripturæ locis constet, & quibus argumentis congruis adstruatur. Vide pag 677. col. 1. & 2

R

RATIO motiua volendi aliquid potius quàm aliud, quænam sit in Deo. p 523. col. 2

Reprobationis effectus habent causam præuisam à Deo. Sed prædestinationis effectus sunt à mera bonitate Dei. pag. 540. col. 2

Reprobationis effectus non omnes propriè dicendi sunt effectus reprobationis, sed potiùs effectus qui sunt in reprobo: Verbi gratiâ, peccatum non est effectus Dei reprobantis, sed animæ reprobatæ, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel.* Secundò differunt effectus qui sunt in prædestinato & reprobo, quia effectus prædestinationis subordinata serie nectuntur adinuicem; alij namque sunt aliorum causæ. Verbi gratiâ priores effectus respectu posteriorum sunt causæ dispositiuæ, aut meritoriæ, vel efficientes. Quippe vltima dispositio ad gratiam est causa dispositiua gratiæ; & gratia est causa meriti; & meritum est causa gloriæ. Posteriores autem effectus eiusdem prædestinationis sunt causæ priorum in genere causæ finalis. Nam finis meriti est gloria: finis gratiæ est meritum; & finis dispositionis est gratia. p. 541. col. 1.

Ille tenor seu contextus causarum non seruatur in effectibus qui reperiuntur in reprobis. Vt permissio peccati non est causa peccati, licèt peccatum sit suo modo causa derelictionis à Deo, & peccatum & derelictio à Deo sint causæ pœnæ æternæ. Neque etiam peccatum est causa finalis permissionis, quia non ideo permittit Deus reprobum peccare vt peccet; sed vt seruetur ordo naturæ, qui postulat vt singula quæque suam sequantur indolem. Vnde cùm homo naturâ suâ peccare queat, ideo Deus permittit hunc peccare, ne hominis arbitrio vim aliquam facere videatur. pag. 541. col 1

Reprobationis effectus qui sunt in reprobo, nequeunt absolutè dici, & per se voliti à Deo: quippe Deus non vult peccatum; at effectus prædestinationis sunt voliti à Deo, & intenti per se & primaria intentione; Dei enim proprium est misereri & parcere. p. 541. col. 1

Reprobatio ex Scoto quatuor inuehit instantia. In primo instanti oblati sunt boni & mali voluntati diuinæ æquales. In eo momento Deus bonis vult beatitudinem, malis verò nihil vult: In secundo instanti Deus media vult bonis necessaria ad consequendam gloriam; at in malos nullum exercit actum positiuum. In tertio instanti Deus vult permittere, bonos & malos esse peccato obnoxios, quia ad eorum arbitrium pertinet posse peccare. Et hic actus est primus positiuus & vniformis circa bonos & malos, ex quo sequitur malos malè morituros, non quòd Deus operetur aliquid positiuum influens in reprobos: sed quia habet se negatiuè respectu eorum non infundens gratiam, neque gloriam impertiens. In quarto instanti, mali obiiciuntur diuinæ voluntati vt morientes in peccato, & tunc Deus vult illos castigare & reprobare: obiiciuntur item boni stipati meritis & finali gratia, & hos vult æterna gloria compensare. p. 541. col. 1

Reprobatio potest bifariam attendi, vno modo negatiuè, alio modo positiuè. p. 541. c. 2

Reprobatio negatiua potius est dicenda prouidentia supernaturalis, quàm reprobatio, quia sicut illa volitio, qua Deus generaliter vult aliquos homines saluos esse, non est dicenda prædestinatio, sed illa solùm, qua vult efficaciter istos fieri saluos per talia media; ita illa volitio generalis, qua Deus vult generaliter aliquos homines non admittere ad regnum æternum, non est dicenda reprobatio, sed prouidentia quædam supernaturalis. pag. 540. col. 2

Reprobationis negatiuæ nulla potest dari ratio præter voluntatem Dei: quare namque Deus non elegerit eos quos non elegit, hoc superat omnem indaginem, ideoque nefas est hoc anxiè perscrutari. p. 541. col. 2

Reprobatio positiua est volitio illa, qua Deus vult efficaciter hunc excludere à gloria æterna, & supplicio peccatis eius congruo castigare. ibidem.

Reprobationis positiua causa est præuisum finale peccatum, quo præpeditus homo satis cedit. ibidem.

Reprobatio est actus iustitiæ vindicatiuæ: ergo præsupponit peccatum; quippe nihil est in homine iusto, quod æterna pœna à iudice vindicetur. Item ex S. Thom. in cap. 9. epist. ad Rom. lect. 1. sicut prædestinatio est præparatio gloriæ; ita reprobatio est præparatio æterni supplicij: sed præparare pœnam æternam homini benè sibi conscio, hoc repugnat Dei bonitati. Ergo necesse est vt peccatum sit præuisum, vt scopus, in quem iustitiæ sæuientis spicula Dominus intorquebit. Denique antecedente voluntate Deus vult omnes saluos fieri: Ergo neminem damnat ante præuisum peccatum, alioquin falsa esset illa propositio, quæ affirmat, velle Deum omnes saluos fieri. pag. 540. col. 1

Vide plura. pag. 541. col. 1. & 2. p. 542. col. 1

S

SACERDOS absoluendo reos pœnitentes, illos reuerà absoluit, nec duntaxat eos indicat absolutos. Nam sacramenta nouæ legis non sunt nuda solùm signa, sed effectiua rei, id est gratiæ, quam significant. pag. 582. col. 1. & 2

Vide fusè totam quæstionem. pag. 583. c. 1. & 2

Sanctorum cultus est duliæ, non latriæ: quomodo autem distinguantur illi cultus, vide fusè p. 719. c. 1. & 2. p. 720. col. 1. & 2

Satisfactio & restitutio non sunt in pœnitentiæ argumento voces synonymę: etenim restitutio rem spectat & damnum reipsa illatum; satisfactio verò respicit personam iniuriâ affectam, licèt nullum inde passa fuerit dispendium. Itaque restitutio in rebus, satisfactio in actionibus attenditur; vt cùm is qui alteri fuit iniurius, ab eo veniam humili corporis habitu deprecatur. pag. 676. col. 1

Satisfactio resarcit iustitiam quoad æqualitatem actionum perfectam & absolutam, cùm actio ingloria inter duos homines æquales compensatur per aliam actionem, qua tantùm honoris homini offenso defertur, quantum iniuriæ illi fuerat irrogatum. Anima pœnitens eo modo nequit satisfacere Deo; nihil quippe potest de suo penu Deo rependere, quo possit ad trutinam exquisitæ iustitiæ reparare iniuriam illatam Domino dignitatis infinitæ. p. 676. col. 1

Satisfactio quædam est importans æqualitatem imperfectam; vt cùm homo grauiter offensus acceptat obsequium alterius, à quo iniuriam accepit, estò tale obsequium sit infra iniuriam acceptam. Huiusmodi satisfactio petita ab acceptatione & donatione locum habet in sacramento pœnitentiæ.

Vide plura pag 676. col. 1

Status hominis considerari potest secundùm ea, quæ exteriùs aguntur in ordine ad Ecclesiam, prout scilicet Ecclesia ex diuersitate statuum compacta est. In ea acceptione vsurpatur vox illa, *status*, quando Doctores agunt de perfectione status Episcopalis comparati ad statum Monachorum: nimirum vtrumque statum considerant secundùm illud quod quisque illorum statuum confert ad propagationem & regimen Ecclesiæ, in quo sensu Episcopatus est perfectior, quia Episcopus tenetur ad alios perficiendos: at agens semper est perfectius patiente. In genere perfectionis ex Dionysio cap. 6. cœlestis hierarch. Episcopi se habent vt perfectores, Religiosi verò sicut perfecti se habent. Rursus Monachus fieri potest Episcopus; sed Episcopus non potest fieri Monachus sine explicita facultate Papæ, relaxantis ei obligationem procurandi bonum sui gregis. Vnde quia commune bonum, quod procurat Episcopus ex obligatione, præfertur bono singulari, cui ex voto vacat Religiosus, vni sibi intentus, idcirco Præsul Monachos antecellit. pag. 487. col. 2.

Status Religiosus tutior est Episcopatu: cùm namque graue negotium facessat homini cura suæ salutis; res erit profectò plena periculi humeros supponere dignitati, quæ hominem obstringit ad procurandam aliorum salutem. Accedit obligatio erogandi pauperibus bona Ecclesiæ, quæ vtplurimùm aliò distrahuntur. p. 487. c. 2

Vide plura p. 488. col. 1

V

VOTVM est promissio Deo facta, cedens ad ipsius Dei gloriam, & animam obstringens sub pœna peccati ad standum pollicitis. Actioni bonæ votum dat gratiæ & meriti locuples incrementum. Omne bonum opus eò gratiùs est Deo, quò ex pluribus & sanctioribus principiis enascitur. At, exempli gratiâ, continentia ex voto duo habet principia, scilicet temperantiam, quæ communis est illi, qui continet absque voto, & præterea includit religionis actum, ad quam votum pertinet: sed actus religionis est supernaturalis, ac proinde specialem dignitatem affingit continentiæ, quam votum nobilitat, vt sic astruit Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 8. *Nulla fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest: neque enim & ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licèt in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur, ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vouet ac seruat continentia pietatis.*

Voti dignitatem, vide p. 445. col. 1

INDEX PHILOSOPHICVS.

A

Textus Philoſophicus.

ABSTRAHENTIVM *non eſt mendacium.* Ariſtot. lib. 2. Phyſic. text. 18. p. 482. col. 2

In Philoſophiæ veſtibulo prælu-luditur à magiſtris, vt quibuſdam præambulis tingatur anima leuiter, vt initiati queat arcanis huius abditæ diſciplinæ, pro foribus cuius crebra fit mentio abſtractionum, citra quarum notitiam inuij ſunt calles, qui conducunt ad ſcientiarum omnium chorum, Philoſophię neſciis inacceſſum.

Abſtractio mentalis eſt præciſio rei alicuius facta a prima operatione intellectus, ſpeculantis rem aliquam, vt eſt ſeorſim ab altera. Verbi gratia, qui cogitat hominem eſſe animal rationale, non ſpectatâ ridendi facultate, ille abſtrahit hominis eſſentiam à ſua proprietate. Huius operationis ea eſt indoles, vt nemini illudat; & inde ſuam originem traxit illud quod hic reſonat axioma. *Abſtrahentium non eſt mendacium.* p. 482. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Abſtractionis huius praxim ignorant omnes aſſeclæ Mundi, qui decepti illecebris eius, ſuſpicantur beati poſſe ſequaces voluptatum in hoc ſæculo. In hos animaduertit Pſaltes hac cenſura: *Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pſalm. 4.

Abſtractionis huius beneficio conſulunt ſibi omnes Religioſæ vitæ profeſſores; etenim non attendunt illecebras Mundi, ſed cogitant quàm ſit hoc ſæculum fugax, & quibus hominem laqueis irretiat, & demum quibus pœnis amatores Mundi in altero ſæculo, mancipentur. Religioſi in ea meditatione defixi tædium Mundi concipiunt, vtentes eo tanquam non vtentes, omnem cupidinem eius penitus abdicantes.

Textus Philoſophicus.

Actionum humanarum duo ſunt principia: vnum internum, alind externum. p. 556. col. 2

Actionum humanarum principium internum eſt voluntas, externum verò ſunt obiecta aut ſuaſiones, quarum indoles hæc eſt, vt illis homo validè percellatur.

APPLICATIO MORALIS.

Homo naturâ pronus ad lapſum in hac vita ſicut in lubrico, veſtigio nutante cadit facillimè, ac proinde cauere debet à mala ſocietate nequam hominum, ne eorum ſuſurro deceptus agat ratione nequiter inconſulta. Cauebit autem ſi declinet mala conſortia veluti cautes, in quas qui incurrit, lethali naufragio addicitur, vtque fuit in hoc ſæculo conſors impij negotij, vitam hircorum agens nutritus ad ſaginam, cum hœdis mactabitur, ſuo in æternum adipe decoquendus.

Principia etiam interna actionum ſunt habitus, qui quandoque praui hominem inuitum vrgent & percellunt ad turpia perpetranda. Ne ergo, Chriſtiane, duras patiaris anguſtias prauorum habituum, eripe te conſortio obſcœnorum hominum, memor obiecta ſuis illecebris prolicere actus, & ex refricatis actibus his noxiis coaleſcere habitus importunos.

Textus Philoſophicus.

Actus actiuorum non fiunt niſi in patienti benè diſpoſito. Ariſtot. lib. 2. de anima. p. 179. col. 1

Ad hoc vt ſit patiens benè diſpoſitum ad ſuſceptionem nouæ formæ, tria præuia requiruntur. Primò, debet materia deponere qualitates contrarias illis, quæ ſtipare ſolent formam deforis imminentem. Exempli gratiâ, lignum antequam induat formam ignis, exuit humorem & frigus; qualitates enim illæ opponuntur iis, quas ſibi vendicat ignis. Secundò, debet adſciſcere ſibi qualitates concolores formæ nouæ. Poſtremò demum neceſſe eſt, ſubiectum forma ſua veteri ſpoliari. Nota, materiam in illa tota hiſtoria generationis compoſiti reduci quaſi in compendium, & ad nihili confinia; ſed quantitatem nunquam excidere, quia illa eſt ſubiectum, quo mediante accidentia omnia, ſeu diſpoſitiones omnes ſeſe in materiam inſinuant, præambulis illis præmiis imprægnandam.

APPLICATIO MORALIS.

Anima deteſtata ſuam vitam reprobam, & quam ſancta cupido tenet aduocandi Chriſtum in penitiora ſui cordis receptacula, ſeriò inueſtigare debet quænam ſint qualitates ei contrariæ, vt eas ſtatim eliminet, & ita viam Chriſto paret cœlitus illapſuro. Paulus eò vergit hoc contextu: *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio.* 1. Cor. 5. Id eſt, ratione iniquorum habituum ſortiti eratis iniquam indolem; nunc abdicate ritus inolitos, vt noui hominis, id eſt, Chriſti cenſeamini diſcipuli, miſſis vetuſtis actibus obſoletis. Rurſus ſtudioſè vacet ſedulæ virtutum omnium praxi, vt faciliùs inde cita procuretur acceſſio Chriſti, à vitiis omnibus abhorrentis.

De quantitate deponenda nihil eſt ſollicita materia, quia quantitas non eſt iniuria formæ, quæ ſubintrat; ita neque reus homo, vitæ qui ſanctioris init conſilium ſi eſt quantus, id eſt, dignitate clarus & eminens, non tenetur ea ſe protinus abdicare. Abſurdum enim eſſet Principem redigi in ordinem eo nomine dumtaxat, quòd in meliorem frugem ſe recepit. Sortem quam vnuſquiſque,

quisque, Deo moderante vitæ nostræ vices, sortitus est, hanc ille colat; si tamen coire potest cum cultiore Dei obsequio; si verò salus animæ incurrit in discrimen, tunc est status ille Deo iniurius & animæ noxius abiurandus. p.179.c.2

Textus Philosophicus.

Actus describuntur per obiecta. Thom. in 2. Ethic. Ergo qualia obiecta frequenter homini occurrent, tales etiam actus ab eo prolicient, & si obiecta illa validas habeant illecebras ad mouendum, eò etiam erit actio vegetior, quam exeret homo illectus ab obiecto, at proinde tenacior inde exurget habitus, quo accinctus homo ad repetendos actus sibi insolitos validè percelletur. pag.556. col.2

APPLICATIO MORALIS.

Cùm reprobis omnia de voluptate constent, nihilque suis sodalibus obiiciant præter sensuum illecebras, quibus ad conciliandos appetitus magna virtus inest; indubiè suam nequitiam illorum consortia sociis affricabunt. Verbi gratiâ, veneris asseclę dum nihil nisi obscœnum effutiunt, sodalium seu conuictorum animis ingerunt species indecoras. Vnde quia facilè inhonesta cupido flagrat, vltro faces luxuriæ concipiunt, & vruntur eo igne tartareo socij reproborum. Dumque vacant rei impudicæ, creatur habitus adeò pertinax, vt cùm res est de eo deponendo, graue facessat negotium animæ pœnitenti.

C

Textus Philosophicus.

CVIVS *finis bonus est, ipsum quoque bonum est.* Aristot. lib.3. Topicorum. Inde liquet, ens omne bonum esse, quia ab agente supremo, bonum ad aliquem finem entia omnia diriguntur. pag.699. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Quicquid homo præstituit in scopum, in quem suas omnes dirigit actiones, illud est animæ finis; & hic finis inurit actioni editæ qualitatem, qua maximè pollet. Vnde quia fines impiorum hominum peruersi sunt, omnis enim eorum intentio nequam est, si Christum adire volunt, exire debent de finibus suis, alios cautè sibi præstituendo fines, mutando intentum, à quo contrita debet anima defœcari. Ita sibi astutè cauit mulier Chananæa, quæ egressa de finibus suis adiit Christum, cui alioquin nunquam fortè nisi egressa suis de finibus occurrisset.

Homo, cuius est finis malus, ipse quoque malus est, ideoque bonus non est ille, qui in mortifero peccato iacens, bona quædam facit, & vult insolitis vitiis indormire. Hic est cardo præcipuus, in quo pœnitentiæ summa vertitur, videlicet vt anima egrediatur de finibus suis mutato priore intento, si vt par est optat sisti sacris Dei obtutibus, & gratiam eius congruè demereri.

Vide plura scitu digna. pag.699. col.1. & 2. & pag.700

F

Textus Philosophicus.

FINIS *melior est iis quæ sunt ad finem.* Arist. lib.2. Physic. text.31. pag.45. col.2

APPLICATIO MORALIS.

Istud axioma notat & arguit hypocritas insaniæ, qui eo intento solo vacant studio virtutum, vt inde nomen grande sibi concilient, & ita flabris inanis gloriæ ventilentur.

In eorum actione duo attendo. Primum, est finis; alterum, est medium, quo in finem deuenitur. Finis hypocritæ est insana suæ actionis iactatio, & laudis indebitæ recensio, quam prætendit ille suis auribus insonare. Medium ad finem illum, est sedula virtutum praxis, vt eleemosyna, oratio publicè fusa, ieiunium austerum, quo carnis indomitæ petulca salacitas ritè compescitur. Cùm ergo virtus sit præstantior gloriâ humanâ, sanè fit iniuria virtutibus, quando sumit eas hypocrisis vt media ad finem degenerem: nonne est prostituere virtutum dignitatem, quando cogit eas hypocrita inglorio fini turpiter ancillari? Ita sanè res est omnino præpostera, virtuti præponere inanem hominum gloriam, quæ multò inferior est virtutum praxi: nam virtus est qualitas hominem perficiens; gloria verò, cui hypocritæ cupido vesana litat, est inanis aura suo susurro sonum tacitum auribus ingerens, hominem, cui aspirat, vna breui morula demulcentem.

Ex præfatis, agit imprudenter homo vanæ gloriæ percupidus, quando bonis operibus enixè vacat vt laudetur; virtus enim illa suâ mercede verâ & æternâ cadit: nam deuiat à præscripta piis & sanctis operibus congrua bonitate.

Vide fusè materiam hanc discussam, pag.45. col.1.

Textus Philosophicus.

Finis est optimum vniuscuiusque rei. Aristot. lib.2. Physic. text.74. pag.84. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Cùm nihil infra Deum sit homini optimum, nihil planè sortietur rationem vltimi finis, cui tantùm vt termino adæquato debet cor hominis adhærere. Nempe illud est optimum, quo nihil melius esse potest, & ex Themistio in text.74. lib.2. Physic. finis dicitur optimum cuiuscunque rei; comparatione facta mediorum & finis, illud quod sibi vendicat rationem vltimi finis, debet singulari bonitate mediis omnibus eminere. At si præcipua quæque Mundi stipendia congerantur in cumulos thesauris idoneos, minoris sunt pretij quàm media, quibus ad eum finem fertur homo: etenim hominis affectus feruidi & anheli, quibus gratia mediante Deum demerere potest, longè præstant illecebris Mundi, quæ hominum corda pelliciunt. Præterea hominis optimum debet aliquam bonitatem affingere toti homini; at Mundus eo bono caret, quo beati queant omnes hominis partes. Nam tantum abest vt deliciæ corpora demulcentes, illa perficiant, quinimò extremam corpori perniciem consciscunt, vt videre est in lue venerea, & podagra & cachexia, luxuriæ & gulæ sequacibus & sociis importunis.

Si res est de animæ bonis, vnde fiat hæc ditior, profectò

profectò nequam hic Mundus harum opum summam patitur inopiam, vtpote nescius luminis, quo illustratur intellectus & indigus boni, quo adepto bona fit voluntas. Anima lumen suum emendicare nequit ab hoc sæculo in ignorantiæ opaco constituto, nec habere potest bona sibi congrua ab hoc mundo, qui totus in maligno positus est. Faciliùs est colligere ex tribulis ficus, & ex senticeto botros, quàm ex Mundi illecebris argumenta finis optimi, qui hominem decet, ac proinde potest sibi cor eius meritò vendicare. p. 84. col. 1. & 2

Textus Philosophicus.

Forma est quæ dat esse rei. Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 6. Forma parente sata est accidentium copiosa proles, qua compositum accingitur ad actiones vt congruit exerendas. Verbi gratiâ, lignum deorsum vergit, quia grauitas consequitur formam ligni: si vero accendatur lignum, & eadem materia induat formam ignis, nouum illud compositum assurget, & feretur sursum ratione formæ ignis, cuius est eniti & sursum ferri, infima dedignando. pag. 62. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Forma virtutum est charitas; virtutis enim proprium est, facere bonos eos, quos incessit: at nemo bonus est, qui supremo bono non adhæret, à quo bonitas omnis influit in animas. Cùm ergo sit charitatis opus, animas vnire bono supremo; boni expers erit anima nescia charitatis. Inde liquet esse meras virtutis laruas eas virtutes, quas homines mortiferis peccatis obnoxij iactant se habere cute tenus earum species ementitas oculis ingerentes. Cùm namque verum sit, formam esse dare rei; virtus, quam charitas non informat, est deformis, ea forma carens, quæ speciem & elegantiam affingit iis omnibus vsquequaque rebus, quæ pulchrescunt, ideoque nequit virtus congruè nuncupari.

H

Textus Philosophicus.

Habitus est qualitas subiecto firmiter inhærens, qua mediante benè vel malè nos habemus ad effectus huic habitui consonos exerendos. Arist. lib. 2. Ethic. c. 1. pag. 556. c. 1

Qualitas illa suas radices agit in anima præuiis actibus sæpius antea refricatis.

Habitus est regula regulans potentiam respectu illius actus qui educitur è potentia. Alexander Alensis in Metaphys. pag. 556. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

A prima sua editione fuit stipatus homo Dei gratia, quæ perfectè Deo subdebat omnes animæ facultates. Sed statim atque Dei imperio se subtraxit homo reus perfidiæ, non iustitia originali tantùm, sed præcipuis naturæ donis excidit, & magno suæ animæ detrimento sensit omnes facultates animæ rebellasse. Hæc sors iniqua totam Adæ prolem infecit, vt rebelli parente satam, ideoque praua voluntas amat ea quæ odisse debet, nisi actus eius omnes à sancto virtutis habitu regulentur. Virtus enim effrenes appetitus dirigit & coërcet, qui alioquin in præceps & abruptum omnium vitiorum per infinita propè deuia raperentur. Quippe quadrat ei, scilicet virtuti, definitio habitus, quam Alexander Alensis ait esse regulam regulantem potentias respectu actuum, qui ab illis potentiis educuntur.

Textus Philosophicus.

Habitus est corporum & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia. Gilbert. Porretan. lib. de sex princip. Inde liquet habitum esse modum resultantem in re vestita ex vestium circumpositione, cui sententiæ subscribit Aristoteles, affirmans habitum esse actu medium inter habentem & rem habitam, sicut & actio media est inter causam & effectum: at actio est modus dissitus à causa & effectu: ergo & habitus vt dicit adiacentiam rei vestientis hominem aliquid innuit aliud ab homine, & à re deforis accidente. pag. 741. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Operæpretium est aduertere, prædicamentum habitus dicere passionem in subiecto quod denominatur habere: illud enim patitur, cui ab extrinseco quidpiam adiicitur, & sic præuia passione contrahitur prædicamentum habitus. Ita & in moralibus anima patiendo se accingit ad habendum multa bona, quæ citra patientiæ præsidium nequeunt adiacere. Etenim Paulo assertore: *Virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 9. Vt ergo infirmitas salutaris ægro sit, & vtiliter adiaceat, illa necessarium patientiæ consortium quærit, alioquin infirmitas illa cassa velut expers virtutis & meriti vt nihil conducens ad salutem penitus euanescet.

Huius patientiæ specimen edit anima composita ad arbitrium Dei, assensum suum præbens iis omnibus aduersis, quæ cœlitus infliguntur. Animæ sic efflictæ ad nutum Dei nihil omnino perit temporis, quo decumbit; siquidem illa lubens patitur omne acerbum, nec inuita mœret se desuper affligi: vnde licèt cursu præcipiti & indefesso fluat tempus, nihil tamen eius excidit quamdiu patienter ærumnis corpora diuexantur. Cùm ergo Ioannes ait c. 5. paralyticum, qui iacebat ad oram piscinæ probaticæ, habuisse triginta octo annos in infirmitate sua, ita velim intelligas moraliter, vt suspicias patientiam insignem in illo homine decumbente. Illa phrasi fortè sacer Scriba notat, ægrum illum patientiæ singularis expressisse typum toto tempore quo iacuit, & sic triginta octo annos ei cessisse lucro, & magno cumulo meritorum.

Scriptura sacra silet & præterit annos Cain, Esaii, & aliorum, qui malè audierunt: at secus est cura Deo iustorum; nam seriem & numerum annorum, quos vixere, sacro voluit Codice recenseri. Quippe sicut homines facinorosi nihil omnino residuum habent de toto suæ vitæ curriculo; ita bonis nihil præterit incassum; sed patientiæ obsequio vtiliter eorum singula quæque tempora recoluntur.

Consonat & Psaltes quando canit esse dies eorum plenos qui conuertuntur ad Dominum. Psal. 72. *Conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.* Vt contrà, eorum, qui à Deo defecere, dies sunt vacui; & hoc in eorum sorte luges

luget agens ipſorum perſonam Iob, ita mœrens cap. 7. *Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.* Hos dies inanes & vacuos excipiet æterna perditio: æquum enim eſt eos malè diſperire, quibus vitio ſuo omnia tempora perierunt.

Vide plura ſcitu digna pag.742. col.1. & 2

Textus Philoſophicus.

Honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis, aut excellentiæ: gloria verò quædam cognitio clara bonorum alicuius cum laude eius, encomio congruo prædicata. Ariſtot. lib. 1. & 4. Ethicor.

Honor depoſcit hominis præſentiam; nam abſenti non defertur reuerentia, quæ tunc exhibetur, cùm meditatâ viri alicuius eminentiâ, alter ei ſignificat exteriori ſigno quantùm illum faciat: at nemo tale ſignum præſtat niſi eo aſtante, cuius magnitudo recolitur, & quæ ſuo intuitu noſtrorum oculorum aciem perſtringit, & ſuggerit aliquale corporis obſequium, vt dare locum, inclinari, aperire caput, & alia argumenta, quibus honorem exhibentes ingenuè nos fatemur impares honorato. Gloria verò poteſt etiam deferri abſentibus, quorum virtutes & merita aliis innoteſcunt.

Vide fuſiùs hanc materiam diſcuſſam pag.44. c.2.& pag.45.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Quando ſua opera præclara palàm exhibent hypocritæ, primò quærunt gloriam, quæ eſt honoris præludium: namque primum quod ambiunt hypocritæ eſt vt ſciant omnes ea virtutum ſpecimina, quæ omnibus faciendo fucos edunt, vt illa bona opera nota, ſuos ſpectatores ſollicitent ad laudandum hos parentes fœtuum optimorum. Vt ſerpit iniquitas, gloria comparata ſollicitat animum ad honorem ambiendum, exigendo reuerentiam ab aliis vt tributum excellentiæ ſuæ, quæ laudibus innoteſcit.

Ille profectò latro ſacrilegus eſt qui gloriam & honorem inſulsè petit & venatur; quaſi verò decus aliquod inſigne ſibi poſſit homo veris & iuſtis titulis arrogare. Si quæ pretioſa nobis ineſt virtutum ſupellex, illa tota Dei eſt, ac proinde nihil eſt inde nobis gloriæ vindicandum.

I

Textus Philoſophicus.

IN *repentinis agimus ex habitu præexiſtente.* Ariſt.lib.3. Ethic.c.8. Quò autem tenacior erit habitus, & fortiora habuerit argumenta proſiliendi foras, eò faciliùs erumpet, anima etiam non aduertente quid agat, & præcipuè obiecto aliquo pelliciente eam deforis applicato.pag.397. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Corruptio naturæ malus eſt habitus, infauſtè nobis inditus ab incunabulis; indoles habitus illius ea eſt, vt hominem inclinet ad omnes ſenſuum illecebras, idcirco nemine tentante, malè ſuadâ naturâ, quaſi inuitus homo ad ſordida prouocatur. Eſtò penes animam ſit, rationis obſequio coërcere motus appetitus ſenſitiui; ſi tamen gratia Dei non influat, proculdubio repentinus validæ tentationis æſtus animam abripiet & inducet ad peccandum: vt enim corruptio naturæ totum permeat corpus; ſenſus omnes peruij ſunt peccato, & ſic anima validè tentata, Deo inconſulto velox ad interitum in obiectas illecebras ſenſuum protinus effundetur. Ne ergo prauus habitus deuiæ naturæ nobis ſit noxius, eſt concilianda Dei gratia; namque ſicut in phyſicis omnes corporum motus habent impetum à primo cœlo mobili raptante cœlos inferiores; ita & in moralibus anima moueri nequit, niſi percuſſa à Deo, & maximè cùm agitur de diſcrimine cum diabolis fortiter ineundo.

Sit ergo tenax iſtud propoſitum contra motus repentinos, ſcilicet ita fini ſupremo rerum omnium Deo iungi, vt illo inconſulto nihil planè fiat: ſicut enim in ſpeculatiuis ille nequit errare, qui non deuiat à primis principiis; ita & in practicis, ille qui ſupremum omnium rerum finem ſibi præſtituit, non facilè ab eo recedet, quamuis eum aſtutè dæmon tentet, pruriátque caro ſalax motibus importunis.

Vide plura ſcitu digna pag.397.c.2

Textus Philoſophicus.

In mouentibus & motis non fit progreſſus in infinitum. Ariſtot. lib. 8. Phyſic. cap. 5. pag. 608. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Quamuis ſit infinita Dei miſericordia; infinitæ tamen non ſunt miſerationes eius, id eſt, concluduntur definito quodam numero ignoto nobis gratiæ illæ, quibus abundè Deus animæ miſeretur. Idcirco Dauid orans ait Pſal. 50. *Secundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Eſſe quidem multas miſerationes ait; ſed non infinitas eſſe dicit, ne fortè ſciens homo nequam innumeras eſſe Dei miſericordias, illis, indulgendo ſuis vitiis, abutatur.

O homo, memor eſto Deum pulſaſſe diu fores cordis tui fruſtrà; fortè tuam pertæſus incuriam in poſterum à te procul erit, quia gratias larga manu oblatas excipere cunctando, viam pœnitentiæ extremæ tuæ animæ tot peccatorum conſciæ præcluſiſti.

N

Textus Philoſophicus.

NIhil *agit vltra gradum perfectionis ſuæ.* Ariſtoteles textu vltimo Metaphyſicæ pag.202.c.2

Nihil agit vltra ſuam ſpeciem: omnium enim cauſarum indoles hæc eſt, vt exerendo ſuos effectus, non diſcurrant extra fines & cancellos à natura ſibi inſita præſtitutos.

APPLICATIO MORALIS.

Concolores eſſe debent cauſæ & effectus, & eodem entis genere concludi; idcirco nequit accidens immediatè producere ſubſtantiam, quia illa nobiliori gradu entis pollet, quàm geſtiat accidens, nequiens

nequiens ſubſiſtere per ſe, quia eius eſt proprium ancillari. Sic homo, qua cauſa merè naturalis eſt ſpectatus ſeorſim ſine gratiæ influxu, proprio Marte nequit eniti ad beatitudinem Sanctorum, nec congruos actus exercere ad æternam illam gloriam aſſequendam. Quippe natura nequit hominem facere immortalem, qualis erit in gloria, quæ idcirco ſupra naturam eſt, vt conſequenter & gratia, quæ naturæ vires ideo excedit, quia illa mediante poteſt homo æternam gloriam adipiſci.

Paulus inde ſumit anſam homines admonendi, nihil eos poſſe ſibi arrogare rerum, quæ illos conſpicuos efficiunt: *Quid* (inquit) *habes homo quod non accepiſti? ſi accepiſti, quid gloriaris?* Si es in gratia, caue ne tuâ culpâ tali excidas dote, de qua Deo congruas age grates. Quòd ſi fortè cares ea gratia, roga Deum enixè, donum vt hoc ſingulare tibi cœlitus erogetur.

Textus Philoſophicus.

Nihil eſt inordinatum eorum, quæ à natura, & ſecundum naturam fiunt: natura enim cauſa eſt ordinis in omnibus. Ariſtoteles lib. 8. Phyſicor. text. 15.

Conſonat huic aliud axioma, docens opus naturæ eſſe opus intelligentiæ non errantis: nam quicquid naturæ rectæ conſentaneum eſt, illud intelligentiæ ductum ſequitur. Eſt autem duplex intelligentia; vna mouens res inanimes & irrationales; altera percellens viuentia conſcia rationis. Res inanimæ & irrationales mouentur ad arbitrium Dei, qui dedit rebus formam, qua prædîtæ ſunt, & cui congruas actiones edunt; nec vnquam aliquid tentant res illæ præter vires congruas formæ ſuæ; ordine illo fluit omnium planè rerum harum ſeries vniuerſa.

De hominibus diſpar eſt ratio: non enim aguntur vt res inanimæ motæ ab intelligentia extrinſeca formis earum; ſed ſe ipſi mer œſtro mouent intelligentiæ pertinentis ad hominum formam. Hæc intelligentia ratio nuncupatur. pag. 426. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Vt formæ rationis expertes non prætereunt ſphæram ſuæ actiuitatis; ita nec agentia conſcia rationis agunt quidpiam vel conantur contra nutum indolis ſuæ: at illo modo ſe habere eſt diffidentiæ ſuarum virium præclarum ſpecimen exhibere. Nullum periculum præſumptionis inſtat ei, qui conſcius infirmitatis humanæ nihil audet aut conatur ſupra vires, ad altiora ſe aſſurgens: ille profectò cauet à ſtimulis ſuperbiæ, & à ſibilis Angeli ſuſurronis.

Quicquid præterit aut violat ordinem naturæ, malè olet, & ſortitur rationem monſtri, ac proinde velut reprobum exploditur; ita & in moralibus hoc damnatur quod deuiat ab ordine cœlitus homini præſtituto.

Vide plura ſcitu digniſſima ad hanc materiam pertinentia, pag. 427. c. 1

Textus Philoſophicus.

Nullum violentum perpetuum. Ariſtot. lib. 1. de cœlo. text. 18. pag. 344. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Iſtud axioma probat non fore diuturnas has virtutes, quas ignauus homo rarò & remiſſo animo profitetur. Virtutis enim indoles hæc eſt, vt vim faciat hominis ingenio corrupto; vnde liquet virtutis profeſſionem eſſe quidpiam illi violentum, laceſſens animam, cui propenſio in malum abiit in naturam: homines namque nati parente vitiis obnoxio, eius contagio virus illud participant: proinde inualeſcente ætate, ſimul & procliuitas in vitia turpiter adoleſcit. Cùm ergo ſicut experimento liquet ſit in homine altè radicata mala propenſio, ſitque velut habitus valde tenax hominem ſollicitans ad peccandum, indiget magna cura, vt emergentes inde mali ſurculi protinus euellantur. Vnde licèt aliquando anima aſſurgat ad aliquos virtutum actus, ſi poſtea feſſa labore breues capiat inducias, praxis illa parum proficit: nempe ſicut violenta parum durat, in illam deprauata primi hominis indole præualente.

Vt ergo fiat anima cautior, omnem mouere debet lapidem, vt quod hactenus violentum fuit, habeat in naturam. Hoc præſtabit, ſi refricet crebros virtutum actus: nam ex placito Philoſophorum, habitus acquiſiti repetitis actibus ingenerantur. Vide plura ſelecta de hac materia, pag. 344. col. 1. & 2

O

Textus Philoſophicus.

Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Ariſtot. lib. 7. Phyſic. c. 1. Verbi gratiâ, ſecuris à fabro mouetur obſequio manus; & hæc à brachio: brachium autem à corde capit & à neruis vnde ſe moueat, in cor verò iugiter influit anima neſcia feriarum. Quod autem anima motum impertiat cordi, arteriis, & muſculis, illud habet à Deo, qui

Stabilis immotúſque manens dat cuncta moueri. pag. 608. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Omnis animæ Chriſtianæ niſus, eam dirigens ad gratiam & gloriam, motio eſt: ergo motum illum habet ab alio motore, niſi velis Philoſophum argui falſitatis. Si dicas motionem illam internam eſſe ab anima, ego contrà inſiſto. Qui dat eſſe, ille dat & conſequentia ad eſſe: ergo Deus qui dedit animæ totum illud eſſe quo conſtat & vegetat, abundè dedit & illam omnem ſupellectilem, qua ſtipatur anima ſeipſam mouens, ac proinde motus animæ refundendus eſt ad illud ens entium, à quo illa ſuum eſſe deſuper emendicat.

Si quis ergo velox ad bonum fertur, eos non contemnat qui cunctantur eò ferri: quippe motus ille merum Dei donum eſt, & non naturæ niſus, qua dictante pronus homo in malum ad perpetranda noxia prouocatur.

Vide plura in hoc argumento ſcitu digniſſima, pagina 608. columna 1. & pag. 609. columna 1. & 2

P

Textus Philoſophicus.

Paſſionibus neque laudamur, neque vituperamur. Ariſtot.lib.3.Ethic.cap.5.

Paſſiones ſpectatæ ſicut ſoboles appetitus ſenſitiui neſcij rationis, vituperium neque laudem ex illa ſua indole ſortiuntur. Namque debent præcipua laudis argumenta peti ab actibus, qui congruunt rationi vel deuiant ab illa: at paſſiones ex natura ſua ſunt expertes rationis: ergo ſua ex natura decus nec dedecus important homini accincto talibus inſtrumentis. pag.316.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Si paſſiones expenduntur ad trutinam rectæ rationis, prout ſubeunt moderamen animæ dirigentis eas in conſonum vnicuique ſcopum, tunc paſſiones animam perficiunt in genere ſupernaturali accedente gratia moderante motus illos in ordine ad Deum vt finem noſtrum, & bonorum omnium ſummam, quam qui participat beneficio gratiæ, is eſt æterna gloria laureandus.

Textus Philoſophicus.

Peccare contingit multipliciter, rectè verò agere vno tantum modo. Ariſtot. lib. 2. Ethic. cap. 6. pag.45.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Vnus ille modus rectè agendi eſt vt bono fine fiat actio præmio dignanda; at gloria humana præfixa in ſcopum boni operis, non eſt congruus neque bonus finis: ergo quiuis actus eo fine tantùm elicitus, vt inde vanam gloriam aucupetur homo, bonus non eſt, ac proinde caret mercede, quia in debitum finem noluit anima collimare.

Vide plura egregia ibid.

Textus Philoſophicus.

Philoſophia eſt cognitio rerum vt ſunt. Ariſtot. lib. 10.Metaph.cap.3. pag.482.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Philoſophus perinde ſonat ac amicus ſapientiæ. Cùm ergo ſita ſit ratio philoſophiæ in cognitione rerum vt ſunt, ille procul erit à ſapientia, ac proinde velut inſanus erit, qui creaturas eo cultu dignabitur, qui eſt duntaxat vni ſupremo rerum omnium Domino deferendus.

Concionator, habes hîc locuples argumentum inuehendi in homines, qui incautè ſuum affectum deuouent rebus his caducis quem debuere ſoli Deo optimo maximo conſecrare. Auarus opes non cognoſcit vt ſunt, quando ſuum cor illis addicit: neſcit eas innumeris propè curis eſſe plenas, & tandem homines opulentos æternis ſuppliciis obſtringere. Aſſecla Veneris ignorat incendia æterna manere viros, qui luxuriæ facibus inardeſcunt.

Denique dic creaturas omnes eſſe velut media, quæ ad Deum conducunt, ac proinde malè ſibi conſulere, imò deſipere omnes eos, qui ſibi hæc creata loco finis debiti præfixerunt.

Textus Philoſophicus.

Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale eſt. Ariſtot.lib.1.poſt.c.1.pag.53.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Gloria humana non quæſita ſed vltro oblata pleroſque malè afficit, quos perflauit aura vanæ huius gloriæ. Ergo malus eſt appetitus huius gloriæ, ſi etiam ipſa gratis aſpirans noxia eſt, & declinanda ſicut ventus vrens & & decoquens omnia ſemina meritorum.

Vide qua cautione queat appetitus ille bonus eſſe.pag.53.c.1

Q

Textus Philoſophicus.

Quicquid corrumpitur, à ſuo contrario corrumpitur. Ariſtot.1.de cœlo.text.20.p.37.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Corruptionis humanæ ſemen & origo fuit peccatum Adæ, quo parente ſatum omne genus noſtrum factum eſt corruptioni obnoxium, nec aliunde poteſt cauſa dari cur animæ & corpora corrumpantur. Inde liquet peccatum eſſe nobis maximè contrarium, quia Philoſopho teſte: *quicquid corrumpitur, à ſuo contrario corrumpitur.* Igitur inſanit homo reus peccati lethalis; quippe necem vltro ſibi conſciſcit, & hanc æternam, mortifera crimina conſequentem.

Beſtiæ quæque ſibi noxia omnia declinant, ne pereant; homo ſolus abit in præceps & abruptum lætus, ſponte malum omnium malorum ſummum quærens & amplectens, ſcilicet peccatum, inuehens æternam animæ corruptelam. Reſpexit eò ſcriba ſacer, quando gemens ait, ſtultorum eſſe infinitum numerum: nempe genus eſt ſtultitiæ extremæ, malum æternum peccando ſuæ animæ procurare.

Si quis in horto peramœno ludens, illectus ſpecioſo flore, manum porrigeret ad carpendum, & ſubinde vocem hanc audiret: caue, latet anguis in herba; profectò citò pedem atque manum referret inde, ſuo ſic corpori conſulturus. Paulus ait, eos, quos cupido tenet opum, incidere in laqueos diaboli. Iacobus item opportunè monet; concupiſcentiam parere peccatum, & peccatum conſummatum generare mortem; attamen ille rarus eſt qui peccata velit vt contraria & noxia declinare.

Infantes necdum conſcij rationis horrent vbera quæ ſuxerunt poſtquam fuere ſucco amaro lita; & grandæuus homo ſciens & expertus, illud quod in voluptate primò placet vt ſuaue, ſecum vehere amarorem, iuxta Vatis eloquium: *Amarum eſt dereliquiſſe te Dominum tuum.* Homo, inquam, conſcius ærumnarum & tormentorum, quibus peccata ſuos auctores obſtringunt, non vult à vitiis abhorrere.

Textus Philoſophicus.

Quod maximè tale eſt, cæteris cauſa eſt, vt talia ſint. Ariſtot.l.2.Metaphyſ.c.2.pag.37.c.1

APPLI

APPLICATIO MORALIS.

Omnem supellectilem Mundi hominum causâ fecit opifex summus, qui vt hominem deleuit aquis diluuij, voluit quoque simul aquis iisdem cætera disperire. Sic quod maximè tale fuit, cæteris causa fuit vt talia essent. Istud etiam axioma probat ex eo quòd homo desinat in cinerem, peritura quoque omnia homine viliora. Homo tenet principatum in hisce rebus sensibus obuiis; ac proinde præstare debet eis. Ergo cùm nobilissimum illud opus Dei desinat in cinerem, sunt etiam alia quantumuis nobilia corpora dissoluenda.

Discolor omnium corporum pompa fucos facit & imponit hominibus quando sibi eorum affectum conciliat: namque Deus eo intento nihil condidit vt coleretur ab homine; sed contrà, rerum omnium seriem polymitam contexuit ad hominis obsequium: Vnde suo iuri cedit homo, quando suum cor addicit iis rebus, quæ non debuere vota hominum obstringere, sed illis potiùs inseruire.

R

Textus Philosophicus.

Relatorum esse est, ad aliud esse. Aristot. lib. 7. de prædicamentis. pag. 164. c. 1

Relationes aliæ sunt transcendentales aliæ prædicamentales, quarum discolor habitus ad duas ferè differentias reduci potest, quarum prior hæc est, quòd relatio prædicamentalis respicit terminum suum purè & gratis, absque intento aliquid exercendi circa illum terminum. Eo pacto pater & filius sunt termini correlati, quia nudi atque puri sunt respectus eorum ad inuicem. Transcendens relatio alio intuitu fertur ad terminum suum, nimirum eum respicit, vt præstet ei aliquid vel ab eo quidpiam recipiat, vt creatura ad creatorem refertur vt ei honorem præstet, & ab eo accipiat influxum, citra quem omnia disperirent.

Altera disparitas attenditur ex subiecto: nam relatio prædicamentalis est forma accidentaria adueniens subiecto, cuius natura potest esse absque illa forma; vt patet moriente filio illa priore relatione cadit, neque tamen desinit esse homo substantialiter idem qui prius: at relatio transcendentalis non afficit subiectum nouâ formâ, quæ referat illud ad terminum, sed includitur essentialiter in eo quod refertur; vt creatio nihil addit Deo, etsi dicatur creator in tempore: non enim est creator propter creaturam; sed hæc relatio fundatur in potentia illa, quæ creaturas è nihilo eduxit: potentia autem illa nihil addit Deo, sed est ipse Deus, cui nihil omnino potest deforis aduenire.

APPLICATIO MORALIS.

In homine relatio creationis ad creatorem multa dicit præter essentiam hominis. Primum est obligatio se gerendi ad arbitrium conditoris, cuius est non educere tantùm ex nihilo res creatas, sed etiam omnia edita conseruare. Alterum quod exurgit in homine præter hoc debitum, est æterna subiectio: illud enim subditum est, in quod aliquis ius exercere potest; & talis erit subiectio subditi, qualis erit potentia superioris. Ergo cùm Deus omne ius habeat in homines, ad eum pertinet omne dominium, atque ita merebitur summus omnium Dominus appellari; non relatione prædicamentali, quæ aliquid Deo adiiciat, sed relatione transcendentali, quæ subiectum ipsum referat ad aliud, sine vllo incremento rei deforis acquisitæ.

S

Textus Philosophicus.

Similes actus similes generant habitus. Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 1. & 2. pag. 558. c. 1. Indoles est omnis actus sæpe repetiti, vt habitum altè inurat animæ illis actibus assuetæ.

APPLICATIO MORALIS.

Neminem derepente fieri summum aut imum, est commune effatum, quo apprimè liquet, omnia statis & fixis momentis agi, quæ suam bonitatem aut malitiam inurunt rebus, quæ librantur hisce ponderibus & momentis. Exempli causâ, talis erit homo, quales erunt illi, quibus coütetur; eorum namque mores ebibendo quos frequentat, ad eorum sese arbitrium vel inuitus aptat & componit, fitque tribus eiusdem cuius sunt & socij, quibus ille iugiter adhærescit. Si ergo tuo animo insedit, Christiane, non censeri inter hœdos in die iudicij, caue ab eis in hoc æuo degens: siquidem illi suam nequitiam tibi certo certius affricabunt.

T

Textus Philosophicus.

Tale additum tali facit ipsum magis tale. Aristot. lib. 3. Topicor. c. 4. pag. 80. c. 1. & 2

APPLICATIO MORALIS.

Istud axioma probat eleemosynam adiicere charitati istud maximum incrementum: Cùm namque suam egenis opem ferre Dei intuitu sit charitatis opus; quisquis mendico manum beneficam porriget, ille gradus nouos adiiciet pristinæ charitati. Ita secus homo nequam est duntaxat vno peccato admisso, cui vno alio accedente nequam fit nequior, tandem ingrauescente malo fiet nequissimus, naturâ vitio deprauatâ.

V

Textus Philosophicus.

Virtus facit non solùm vt operemur bonum, sed vt etiam illud benè operemur. Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 6. pag. 62. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Illud effatum apprimè quadrat charitati, sine qua potest homo bonum aliquod agere, sed non perfectè sicut conuenit homini Christiano. Verbi gratiâ, qui ieiunat ne luxuriando malè audiat, ille bonum facit opus, sed non benè nisi informetur anima charitate. Etenim illa velut omnium virtutum vita dici potest: namque iacent extinctæ, nisi charitas illis gratiæ diuinæ vitam illapsam cœlitus inspirarit.

Textus Philosophicus.

Vnumquodque est operationis suæ gratiâ. Aristot.lib.2.de cœlo.textu 17. pag.322.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Qui cunctatur amare suos inimicos, falsò credit inesse sibi charitatem: constat enim, illam, quando piam influxit in animam, non desidem esse, quia *Vnumquodque est operationis suæ gratiâ*: ergo debet vbi flagrat amor sanctus, in congruos effectus illico prosilire. Nam in serie actionum supernaturalium vegetior est gratia ipsâ naturâ suis in actibus exerendis. Si igitur prostat apud nos ignis adeò intensus, vrat vt lignum viride, dissoluat metalla, & consumat res incombustibiles vt marmora; profectò charitas accensa Deo, qui est ignis consumens, submittendo faces cordi humano, focum suscitabit eum, qui porrigendo se ad amicos, inuoluet quoque suis æstibus inimicos.

INDEX TEXTVVM IVRIS CANONICI.

A

Textus Iuris Canonici.

ACCEPIMVS, in Armeniorum regione, & in aliis locis, & in sabbatis, & in Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam oua & caseum comedere. Visum est ergo, vt omnis Ecclesia Dei, quæ est in vniuerso terrarum orbe vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic & ab ouis, & caseo, quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum, quibus abstinemus. Si autem hæc non seruauerint, si sint clerici deponantur, si sint laici segregentur. *Can.56. Concil.General.Constantin.sub an.710.*

APPLICATIO MORALIS.

Tempore præsertim Quadragesimæ abstinere debet homo, sua de salute sollicitus, ab omnibus carnalibus, vt ab omnibus suspectis mulierum colloquiis, à caupona, ludis, orchestra, iocis, epulis, & choreis, aliisque rebus, quæ vt luxuriæ fomenta solent carnis vitia procurare.

Textus Iuris Canonici.

Ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere, eámque appellare debent, vt inde accipiant tuitionem atque consecrationem. *Can. Ad Romanam.2.qu.6.*

APPLICATIO MORALIS.

Homo graues accipit iniurias à diabolo, carne, & Mundo, quia ab his impulsoribus & titillantibus inducitur ad peccandum, & ita suis thesauris, scilicet virtutibus atque Dei gratia spoliatur. Ad Romanam Ecclesiam recurrat homo, suis omnibus vsquequaque bonis, id est, animæ dotibus exutus; illa feret opem, nam sacramenta nudam vestient animam, balsamum gratiæ diuinæ plagis eius infundent, & ita vitá restituent homini deplorato.

Textus Iuris Canonici.

Alicui monasterio nec tu, nec presbyteri tui præter diligentiam disciplinæ aliquid molestiæ inferatis. Aut si quid illis pro diuersorum deuotione accesserit, vobis vendicare æstimetis, cùm Monachis ibi seruientibus debeat proficere quicquid à fidelibus taliter offerri contigerit. *Cap.Theodosius. §.Alicui.de statu Monachor.lib.3.decretal.tit.35. cap. 1.*

APPLICATIO MORALIS.

Religiosus facta professione totum Religioni se deuouit ideoque nihil omnino sui post emissa vota debet vendicare sibi, cùm & voluntatem quoque suam ad Superioris arbitrium regere teneatur. Præcipua ergo cura viri Religiosi esse debet, eius vt industriâ & labore primò Dei deinde suæ congregationis gloria propagetur.

Textus Iuris Canonici.

Altaris palla, cathedra, candelabrum, velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; quia non licet ea quæ in sacrario fuerint malè tractari, sed vniuersa incendio tradantur: cineres quoque in baptisterium inferantur, vbi nullus transitum habeat. *Can. Altaris.de consecrat.dist.1.*

APPLICATIO MORALIS.

Clerici addicti altaris obsequio ab omnibus vsquequaque rebus id est exercitiis profanis vt professioni eorum incongruis esse debent penitus alieni. Senio confectos diuinus amor vrens eorum corda debet accendere, quia namque diu seruiere Deo, charitas eorum aucta debet acriùs inardere.

Textus Iuris Canonici.

Audi Apostolum dicentem de eo qui peccauerat: Tradidi huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Vides ergo quia non solùm per Apostolos suos tradidit Deus delinquentes in manus inimicorum; sed & per eos qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent, non solùm soluendi sed etiam ligandi. *Can. Audi 11. qu.3.* Vide canonem integrum. pag. 567.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Quodlibet peccatum mortale tradit diabolo hominum inimico ream animam in interitum carnis. Vt namque vita solent abuti homines Deo iniurij, ita dæmon vt criminum vltor ipso Deo permittente solet in corpora deseuire. Erant ergo [illegible] viri.

viri nequam, arbitrantes sensibus indulgendo vitam produci; nam plerisque secus accidit, quibus mors immatura fuit supplicium voluptatum, ob quas miserè perierunt.

B

Textus Iuris Canonici.

BAptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini & carnium ac manus impositione crebrò examinati Baptismum percipiant. *Can.* 85, *Concil. IV. Carthag.* pag. 109. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Dare nomen Christo sonat idem ac præcingi cingulo militiæ illius: at luxuriæ & gulæ decet eos omnes renuntiare, quibus insedit sub Christi labaro militare.

C

Textus Iuris Canonici.

CArnem cuiquam Monacho, nec sumendi nec gustandi concessa est licentia, non quòd creaturam Dei iudicemus indignam, sed quòd carnis abstinentia vtilis & apta Monachis æstimetur. *Can. Carnem. de consecrat. dist.* 5. pag. 109. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Iisdem constamus, quibus viuimus; ne ergo vita Monachorum, quæ spiritalis esse debet, in carnalem degeneret, sanctio præfata vetat non solùm carnium esum, sed etiam gustum; namque leuis ipsa rerum sensualium idea præludens animo Religioso, debet citò procul arceri, ne qua fortè labes ei turpiter inuratur.

Textus Iuris Canonici.

Cauendum nobis est, vt si fortè aliquid boni agimus, in præsenti sæculo remunerationem accipiamus; ne fortè dicatur nobis: Receperunt mercedem suam. *Can. Cauendum. de pœnis dist.* 5. pag. 50. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Bona opera facta sicut expedit digna æterna gloria censentur apud Deum, ideoque bene monet iste canon, dedignandam esse mercedem fugacis huius sæculi, quod cùm prætereat, & nihil de præterito seruet asseclis suis, momentanea tantùm stipe suos sequaces remunerat, ac proinde bona opera facta nequit stipendio debito compensare. Quid namque potest magni Mundus erogare suis mancipiis, cum ipse ferè nihil sit, & illa omnia quæ præstare solet præmia, scilicet voluptates, honores, opes, sint præstituto tempore peritura.

Si Christiane sapis, vni duntaxat hære Deo, illi tantùm labora, viue, votis & anhelis eum ama solum vt supremum finem & vltimum scopum, in quem debent omnia nostra studia collimare.

Textus Iuris Canonici.

Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. *Canone. Clerici.* 19. *qu.* 1. pag. 489. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Beatus Thomas ait 2. 2. qu. 184. art. 8. Curati officium esse dignius officio Religiosi, quia bonum vniuersale procurat gerendo curam animarum sub Episcopo, cùm Religiosi officium sit vacare sibi: at vniuersale præstantius est singulari. Si verò res sit de statu & non de officio, certum est statum monachalem meliorem esse statu Curatorum. Primò, quia status monachalis est perpetuus, & irreuocabili proposito confirmatus, ita vt inde nequeat vllo tempore resilire Monachus professus; at penes presbyterum Curatum est, ad arbitrium suum deponere curam animarum, & ad claustrum euolare, sicut plerique faciunt, experti, quàm sit onerosum consulere saluti alienæ simul & propriæ.

Rursus status Curatorum non eos totos Deo consecrat, sed liberam suiipsius facultatem vnicuique curato permittit, vt & patrimonij curam; status verò monachalis hominem totum Deo dicat in holocaustum, illum & seipso, suis & opibus exuendo. Vide plura pag. 489. c. 2

Textus Iuris Canonici.

Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt. *Can. Quoniam.* §. *Clericos.* 16. *qu.* 2. pag. 569. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ecclesiastici, qui luxuriando sacras opes impendunt, profectò fures sunt sacrilegi; nam debuere bona illa Deo, mediante manu pauperis, erogari.

Textus Iuris Canonici.

Cognoscite à nobis & à cunctis Episcopis in hac sancta & Apostolica sede congregatis statutum esse, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati à carne ieiunent: quia sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione ita & in ieiunio debet fieri discretio. *Telesphorus Papa, epistol. ad omnes vniuers. can.* 1. pag. 119. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Voluptatibus indulgendo, suum obsequium præstant Mundo viles eius serui; sed sequaces Christi ab his abiectis huius sæculi mancipiis, abstinentia arctâ rerum omnium carnalium tanquam iustorum tessera distinguuntur.

Textus Iuris Canonici.

Cùm Ecclesia Dei secundùm euangelicam veritatem domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum; sæculares Iudices, causas vbi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur in Ecclesiis vel cœmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus: absurdum est enim & crudele, ibi iudicium sanguinis exerceri, vbi est tutela refugij constituta. *Capitulo. Cùm Ecclesia. De immunitate Ecclesiar. lib. 3. Decretal. tit. 49. cap. 5.* pag. 90. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Vtinam sacrarium cordis ea reuerentia custodiret homo, qua se ferre debet erga sacras ædes, vbi velut immane nefas vetitum est causas profanas vel pertinentes ad fundendum sanguinem agitare. Profectò rarus est ille, quem pudeat diu noctuque fœda suo animo versare, necem & inimico moliri: quæ cùm meditatur homo, suum sanctuarium polluit, inde procul eliminans Christum, à pollutis ædibus abhorrentem.

Textus Iuris Canonici.

Cùm Beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis; nefas est credere, quòd sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, aliis regulis traditionum suarum decreta formauerit, cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus fuerit & discipuli & magistri; nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore suscepit. *Can. Cùm beatissimus. 24. qu. 1.* pag. 279. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Vt est Ecclesia Romana mater omnium Ecclesiarum, sic ad illam est in occurrente quouis dubio recurrendum.

Textus Iuris Canonici.

Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido, quem sanauerat: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Præsenti decreto statuimus, & strictè præcipimus medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum; vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur, cùm causa cessante cesset effectus. *Cap. Cùm infirmitas. Extra. De pœnitentiis & remissionibus. lib. 5. Decretal. tit. 38. cap. 13.* Pag. 493. col. 1. Vide illic constitutionem illam integram scitu dignam.

APPLICATIO MORALIS.

Vt peccata sæpè necem animæ & corpori consciscunt; ita Sacramento ritè sumpto salus corporis & animæ procuratur.

Textus Iuris Canonici.

Decertantes monasticæ possessionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio omnimodo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quantò quisque est celsior, tantò est & in his potentior. *Can. Sunt nonnulli §. Decertantes. 16 qu. 1.* Vide integrum canonem. pag. 492. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Animarum cura petit in confessario vitæ sanctitatem, vt ea mediante queat ad pœnitentiam homines dyscolos inclinare.

Textus Iuris Canonici.

Dierum crescente malitia videmus Mundum in deteriora iugiter prolabi, sic hominum mentes assuetæ deprauante nequitia malis passim cumulum superaddi, vt & boni, qui aliàs odirent virtutis amore delinquere, interdum cum peruersis admisti concurrere cum illis in illicitis habeant, & in apertam malitiam prosilire. Est enim compescenda malorum audacia, vt saltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis, sicque boni sectando virtutem meliores effecti non cogantur cum illis perire. *Extrauag. Dierum. Ioan. XXII. de pœnis.* pag. 567. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vt sauciatum vnum membrum à serpente, virus lethale toti corpori communicat; ita sæpe nequam & facinorosus homo locum vbi degit iræ Dei facit obnoxium, nisi suppliciis condignis eius crimina puniantur.

Textus Iuris Canonici.

Duo ista nomina cùm dicimus, homo peccator, non vtique frustrà dicuntur. Quia peccator est, corripe; quia homo est, miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi cum persecutus fueris peccatorem. Huic officio nominis inuigilet disciplina, sicut cuique regenti apta & accommodata est, non solùm Episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam; diuiti regenti familiam suam; marito regenti coniugem suam; patri regenti prolem suam; iudici regenti prouinciam suam; Regi regenti gentem suam. Ita nulli homini claudenda est misericordia: nulli peccatori impunitas relaxanda est. *Can. Duo. 23. q. 4.* pag. 319 c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Medicus illatâ molestiâ ægro, morbum impugnat, non personam; imò personæ consulit quando facessit ægro negotium. Ita vitia castigata canon misericordiam vocat, cuius proprium est pellere miserias; nulla autem miseria magis hominem deprimit quàm vitia. Is ergo maximè beneficus est inimico, qui satagit vt ille à vitiis omnibus emundetur. Quod quia præstare nequit homo sine correptione & censura, charitatis negotium est in vitia desæuire.

Textus

E

Textus Iuris Canonici.

ECclesia habet Senatum cœtum presbyterorum, sine quorum Concilio nihil Monachis agere licet. *Can. Ecclesia.* 16. *qu.* 1. pag. 489. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Religiosi in his quæ pertinent ad procurandam salutem animarum nihil agere debent Præsule inconsulto. Vide plura pag 489.c.1

Textus Iuris Canonici.

Episcopus aut presbyter, qui negligentiùs circa clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit, à communione segregator. Si verò in ea socordia perseuerauerit, deponitor. *Can.*57. *inter Can. Apostol.* pag.251.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Episcopus ex Augustino nomen operis est, non honoris: vnde sicut operari sequitur esse; ita nihil operari Episcopo perinde sonat ac deficere, qui autem deficit inerti deliquio, est meritò deponendus.

Textus Iuris Canonici.

Ex parte vestra quæsitum fuit, vtrum si Natiuitatem Domini, vel Assumptionem B. Mariæ, vel festiuitatem alicuius Apostolorum in secunda feria contigerit euenire, die sabbati præcedentis Vigiliæ debeat ieiunari: & vtrum in Vigilia B. Matthiæ Apostoli sit ieiunandum? Ad quod breuiter respondemus, quòd die sabbati festiuitates prælibatas secundæ feriæ præcedentis, & B. Mathiæ Apostoli debet vigilia ieiunari. *Cap. Ex parte. Extra. de obseruatione ieiuniorum.* pag. 123. col.2.

APPLICATIO MORALIS.

Vt in die festo maior est influxus gratiarum, ita debet Christianus iis se aptare, cibis vetitis & præsertim vitiis omnibus abstinendo.

Textus Iuris Canonici.

Ex auctoritate huius decreti, quod Apostolico moderamine, & pietatis officio à nobis constitutum est, sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere. *Canone. Ex auctoritate.* 16.*qu.*1.pag.492.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Iste canon arguit ignorantiæ æmulos Monachorum, qui oblatrantes aiunt, illos auctoritatem administrandi Sacramenta sibi turpiter vsurpasse.

Textus Iuris Canonici.

Excommunicatos quoscunque à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec aue eis dicat: quia quicunque in his, vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subiacebit. *Can. Excommunicatos.* 11 *qu.*3. pag.567.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Consortia mala velut contagiosa lues mortale virus affricant hominibus, cùm natura prona satis in malum sit, dyscolorum vitia facile contrahuntur.

F

Textus Iuris Canonici.

FIant Concilia semel quidem ante dies Quadragesimæ, vt omnibus si quæ sunt simultatibus amputatis, mundum & solenne munus Deo possit offerri. *Canone* 5. *Concil. I. Nicæni.* pag.119.col.1.pag. 305. col. 1. *Can. Habeantur. distinct.*18.

APPLICATIO MORALIS.

Omni merito & gratiæ augmento cadit homo, Dei & proximi amoris expers: quippe deprauare solent perpetrata bona opera simultates.

G

Textus Iuris Canonici.

GRandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam pati, qui præsertim egere erubescat: si in causam ceciderit, aut captiuitatis suorum, aut calumniæ, & non adiuues: si sit in carcere, in pœnis, & suppliciis propter debitum aliquod iustus crucietur: nam etsi omnibus debetur misericordia, iusto ampliùs, si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret. si tempore periculi qui rapitur ad mortem, plus apud te pecunia valeat quàm vita morituri, non est leue peccatum. *Canone. Non satis.* §. *Perfecta dist.*86.pag.67.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Diuites sunt dispensatores opum, quas idcirco Deus credidit & concessit eis vt vrgente graui necessitate manum beneficam porrigant miseris, & ærumnas tergant hominum egenorum.

Textus Iuris Canonici.

Gratiæ plenitudo adiectione non indiget, nec vlla requirit commendationis argumenta. *Can. Si omnia.*6.*qu.*1.pag.189.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Bona opera repetita nobis adiiciunt nouos gradus gratiæ; Christo verò nihil gratiæ accessit quando noua bona fecit opera: etenim coæua fuit illi gratiæ plenitudo.

H

Textus Iuris Canonici.

HÆc autem lex peccati de qua dicit Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, non sic manet in membris eorum qui renati sunt, tanquam non sit facta eius remissio, vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicis interfectis, quibus separabamur à Deo; sed manet in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat, & in regnum proprium dominationémque reuocetur. Ab hac autem vetustate carnis, in qua est ista lex peccati, vel peccatum iam remissum, vsque adeò vita spiritus discernitur, in cuius nouitate baptizati per Dei gratiam renascuntur, vt tales etiam in præsenti non solùm in peccato, sed etiam nec in carne esse dicantur, cuius desideria non sequuntur, sed in spiritu. *Can. Non ex quo. §. Hac autem lex. de consecras. dist. 4. pag. 367. c. 1*

APPLICATIO MORALIS.

Huic canoni magnam lucem affert historia S. Luciæ Virginis & Martyris, cui nulla omnino labes concupiscentiæ obstare potuit, quò minùs Spiritus Sancti templum fieret: *Castè* (inquit) *& piè viuentes sunt templum Spiritus Sancti.* Illa Deo afflata probat eruditè, concupiscentiam quæ residet post Baptismum non esse peccatum, alioquin Spiritus Sanctus degeret in sordibus, castas animas incolendo. Nempe viâ ordinariâ castitas nulla demit æstus concupiscentiæ, quos sentiunt inuitæ licèt virgines à vitiis etiam omnibus illibatæ.

Textus Iuris Canonici.

Hoc Sacramentum pietatis est, signum vnitatis, vinculum charitatis. Qui vult viuere habet vbi viuat, habet vnde viuat: accedat, credat, incorporetur vt viuificetur. *Can. Hoc Sacramentum. de consecras. dist.* 2. pag. 305. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

In sacra communione cupit homo velut vnum quidpiam fieri cum Christo, sicut ait Paulus 1. Cor. 6. *Qui adheret Domino, vnus spiritus est:* at nulla fit vnio partium dissitarum nisi priùs in aliquo conueniant; siquidem illa quæ discrepant in omnibus, coire nequeunt: sed nihil est quod magis hominem assimilet Deo quàm charitas, adeò intensa, suos vt etiam diligat inimicos: quippe facit nos filios Patris cœlestis. Est ergo sectanda via hæc his omnibus qui redire volunt in gratiam cum Deo, quem turpiter offenderunt. Alioquin ad eos pertinebit hæc censura iuris canonici. *Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.* Can. Qui passus est. §. Ita. de consecrat. dist. 2.

Itaque satius est abstinere à sacris, quàm ad illa accedere animo humore felleo delibuto.

Textus Iuris Canonici.

Hoc meminisse debemus, tantummodo omnium peccatorum plenam perfectámque remissionem Baptismo fieri; hominem verò non totum commutari continuò, sed in benè proficientibus de die in diem nouitate crescente commutari quod vetustum & carnale est: donec ita renouetur, vt animalis infirmitas corporis ad firmitatem spiritualem incorruptámque perueniat. *Can. Non ex quo. §. Hoc meminisse. de consecras. distinct. 4.* pag. 368. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Quamuis homo sacris tinctus aquis ab originali peccato liber sit; non idcirco tamen iners esse debet; alioquin residuus in corde fomes peccati animam otio torpentem ad perpetranda mala turpia prouocabit. Sed estò fomes ille pias animas sollicitet ad peccandum; illæ tamen inde reæ non sunt; at secus habent vnde sibi vim faciendo, sumant gratiæ diuinæ sicut & magnum roboris incrementum.

Textus Iuris Canonici.

Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere, vel non augere malè loquédo; nisi etiam eas extinguere benè loquendo studuerit. *Canone. Iniustum. §. Homini. 11. qu. 3.*

APPLICATIO MORALIS.

Homo crebris beneficiis odia æmulorum extinguendo, sibi obstringit eorum affectum, & consulit eorum saluti, qui insidias saluti eius imò necem antea cogitabant.

I

Textus Iuris Canonici.

IDeo huic sanctæ Sedi præfata priuilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis Conciliis & iudiciis, ac restitutionibus Episcoporum, quàm & de summis Ecclesiarum negotiis, vt ab ea omnes oppressi auxilium, & iniustè damnati restitutionem accipiant. *Canone. Ideo. 2. qu. 6.* pag. 176. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ecclesia Romana vetat aliena bona rapi, & rapta iubet restitui; qui verò foris sunt, scilicet hæretici, non curant vt damna illata proximo sarciantur.

Textus Iuris Canonici.

Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum ieiunium. *Canone. Ieiunium. de consecrat. dist. 5.*

APPLICATIO MORALIS.

Infantia & ætas prouecta iugum ieiunij corporalis aufert à longæuo sene & infante, verùm omnes ægri, infantes, atque senes ieiunio à vitiis obstringuntur.

Textus

Textus Iuris Canonici.

Illi qui peregrinos deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obuiauerint, anathematis vinculo feriantur, nisi dignè emendauerint. *Can. Illi qui peregrinos.* 24. *qu.* 3. pag. 621. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Vita nostra velut peregrinatio est, qua tendimus in Ierusalem cœlestem, ideoque bona aliena sibi vsurpans peregrinos spoliat, ac proinde sicut censuræ Dei obnoxius, ab Ecclesia triumphante suo tempore rescindetur.

Textus Iuris Canonici.

Illud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij monasterio fuerint oblati, vel sacram tonsuram vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt decimo quinto anno à Prælatis moniti, verbis inquirantur, vtrum in ipso habitu perseuerare cupiant, an non? Si verò permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti possunt. Si verò ad sæcularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur., quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur. *Can. Illud autem.* 20. *qu.* 1. pag. 441. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Vltro debet homo dare manus Deo, si vocetur ad religiosum aliquod institutum, nec emisso voto resilire potest: sed nemo debet cogi ad vouendum animo reluctante.

Textus Iuris Canonici.

In capite Quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri parochiarum, & presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundùm modum culpæ, pœnitentiam per præfatos gradus iniungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni Clero septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet: tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu & suspiriis crebris denunciet eis, quòd sicut Adam proiectus est de paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia proiiciuntur. *Can. In capite dist.* 50. Vide scitu digna in eodem canone integro. pag. 31. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Estò graues infligantur pœnæ reo homini ob delicta; tamen illæ nihil omnino prosunt ad salutem, nisi acerbè dolens de peccatis anima conteratur.

Textus Iuris Canonici.

Iustum est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causâ. *Can. Iustum est.* 23. *qu.* 2. pag. 400. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Mundus, caro, dæmon æuo toto nostro nobis iniurij sunt, satagentes nos vitio subiicere: ne ergo sacra libertate cadat homo, iuge ferum & irreconciliabile bellum denunciare debet iis hostibus, & hos validè propulsare.

Textus Iuris Canonici.

Iudex dictus quasi ius dicens populo, siue quod iure disceptat: iure autem disceptare est iustè iudicare. *Can. Iustum.* 23. *qu.* 2. ibid.

APPLICATIO MORALIS.

Nomine tantùm tenus ille iudex est, qui iniusta decreta profert, & vitia non coërcet & castigat, ille profectò reus est, ideóque iudex dicitur abusiuè.

L

Textus Iuris Canonici.

Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel sunt comburenda, &c. In laïcorum vero vsum non debent admitti. *Can. Ligna de consecrat. distinct.* 2. pag. 669. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Religiosi sunt ligna seu saxa, quibus constat eorum congregatio, cui ita suum deuouere debent obsequium, vt sint à profanis omnibus negotiis penitus expediti.

M

Textus Iuris Canonici.

Mater Ecclesia os maternum paruulis præstat, vt sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Nec ideo tamen eos quisquam fidelium, fideles appellare cunctatur, quod à credendo nomen est; quamuis hoc non ipsi, sed alij pro eis inter sacramenta responderunt. *Can. Mater: de consecrationis. dist.* 4. pag. 227. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ecclesia sancta fidem suam oppignerat pro infantibus, sed ab adultis exigit opera bona sicut indubia fidei argumenta.

Textus Iuris Canonici.

Moderamine Apostolicæ auctoritatis decernimus, vt Monachi si presbyterij honore dedicati sunt, cum ligandi soluendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ

quæ fiunt pro viuis, & pro defunctis, portionem iuxta canonem ad suam proximorúmque vtilitatem meritò perfectioris iustitiæ non minùs quàm cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vindicent. *Can. Moderamine.* 16.*qu.*1.pag.492.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Canon iste vocat Religiosos presbyteros in partem oblationum, quas fideles faciunt. Gratiæ huius indultæ refert causam esse *meritò perfectioris iustitia*: supponit enim lex, Religiosos presbyteros aliis in sæculo degentibus eminere gradu & titulo pietatis. Ne ergo cadant hoc indulto viri Religiosi prælucere debent omnibus, ne in professione sancta vitam degenerem agant, habitu sancto fucos faciente plebi, cui prætendit virtutis species ementitas.

Textus Iuris Canonici.

Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggrauari & optamus & volumus. *Can. Monachos.* 16.*qu.*1. ibid.

APPLICATIO MORALIS.

Ecclesia conscia virtutis hominum qui in claustro totos se deuouere Deo, obstringit eos ad curam animarum, quia plus eorum exempla valent ad conuersionem animarum, quàm quod præstant omnes alij sacerdotes.

Textus Iuris Canonici.

Multis modis malignus monasticum venerabilem habitum probrosum efficere contendit, & magnam ad eam rem inuenit eius quæ præcessit hæresis occasionem. Statuit sancta Synodus, vt nemo monastico habitu dignus putetur priusquàm triennij tempus ad experientiam eis relictum, eos esse probatos, & tali vita dignos ostendat. *Canone.* 4. & 5. *Concily Constantinop.* pag.441. col.2

APPLICATIO MORALIS.

Nota, fœtus hæreticorum esse viros habentes despectui habitum monachalem.

N

Textus Iuris Canonici.

Nihil in sacrificiis maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi: nec vlla oblatio potior est; sed hæc omnes præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris; ita potius excoli debet. *Canone. Nihil. de consecrat. dist.* 2. pag.389.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Si mundos eos esse decet, quibus ex officio congruit ferre vasa sacra; quanam sanctitate refulgere debent sacerdotes, ad quos pertinet Sanctum Sanctorum, scilicet Christum, in Missa suo pectore circumferre.

Textus Iuris Canonici.

Nihil sic est iucundum sicut cibus benè digestus & decoctus. Nihil sic salutem; nihil sic sensuum acumen operatur; nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio: sufficientia quippe cum nutrimento & sospitatem simul procreat & voluptatem: abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo facit ciborum; magis autem & multò peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat de hac vita pœnali; excessus verò consumit, & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc morte crudeli consumit. *Can. Nihil sic. de consecrat. dist.* 5. pag.421.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Ieiunium discretum gratia mediante facit corpora sana, sicut & animas sanctas; gula verò secus labefactat corporis & animæ sanitatem.

Textus Iuris Canonici.

Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent, nunquam vt opinor Iudaïcarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere, legendi in Ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi. Quo enim eis bellorum proficeret ista descriptio, quibus dicitur à Iesu: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; & quibus per Apostolum iubetur & dicitur: Non vosmetipsos vendicantes; sed magis iniuriam accipite, & magis fraudem patimini. Vnde denique sciens Apostolus, nulla nobis iam vltra bella esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina contra spiritales aduersarios desudanda, velut magister militiæ præceptum dat militibus Christi, dicens: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus astutias diaboli. *Can. Nisi bella.* 13.*qu.*1.pag.400.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vt pacificus esse debet cum vnoquoque Dei seruus, ita decet eum semper in vitia dimicare.

Textus Iuris Canonici.

Non ex quo quisque baptizatur; omnis infirmitas in eo absumitur; sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum, & intelligentia, & operatione spiritualium. Cætera verò in spe facta sunt, donec etiam in re fiant; quod erit in resurrectione. Nam in Baptismo, quamuis plena fiat remissio peccatorum; nondum tamen est plena nouitas & perfecta mutatio: quia adhuc remanet corruptio, non solum in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo si perfecta esset nouitas, non diceret Apostolus, quod renouatur de die in diem. *Can. Non ex quo. de consecr. dist.* 4. pag.368.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Alia est sanctitas infantium, alia hominum adultorum: nam gratia influit in infantes, eorum etiam inconsulto arbitrio, quia totum hoc negotium Baptismi est, nec concupiscentia in infante quatit propositum virtutis iugiter amplectendæ.

Sed

Sed dispar est ratio de virtute adultorum: quamuis enim habeant à gratia baptismali repurgium noxæ originalis; debent adhuc sedulam nauare operam, vt refrænent ausus fomitis æstuantis.

Textus Iuris Canonici.

Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. *Canone. Non dicatis.* 12.qu.1. pag.470.c,2

APPLICATIO MORALIS.

Toto cœlo diues aberrat ab intento Dei, qui idcirco gazas eius auro fœtas fecit, vt egenis opes ibi conclusas sedulò dispensaret. Attamen ille rarus est, qui iuxta Dei consilium, è cœlo sibi creditum aurum eroget vt tenetur. Insolescit homo diues, dumque suas esse dicit opes, eas obserans in thesauris, cunctando manum pauperi porrigere, abundè sibi thesaurizat iram Dei, qua sæuiente luent pœnas æternas diuites inhumani.

Textus Iuris Canonici.

Non satis est benè velle, sed etiam oportet benè facere; nec satis est iterum benè facere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate proficiscatur. *Can. Non satis. dist.*86. pag.67.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Charitatem esse reor hunc omnium bonorum fontem & radicem; namque sicut ait Gregorius homil.27.in Euang. *Quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt; sic multæ virtutes ex vna charitate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.*

Plerique suum macerant corpus inediâ, & noctes insomnes prætereunt, longas recitando preces, larga quoque manu egenis opes distribuunt; illa bona tamen opera non obstant, quin sint nequissimi: charitatis enim sunt expertes, & alto fouent corde mala semina iurgiorum, ad inanem gloriam anhelant, ambiunt primos discubitus, & ita impatientes sunt ad contemptum, vt minima suspicio despicatus eos impotes sui efficiat, & furentes rapiat in conuitia spernentium, in quorum, si quæ fortè sciunt, vitia debacchantur.

Textus Iuris Canonici.

Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata ieiunia; sed vel singulos dies absque ciborum luxuria transigamus. *Can. Non dico de consecrat. dist.*5.pag.133.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Æuo suo toto debet homo cibis vti parcè, sua vt animæ consulat & corpori; sed est necesse, vitam vt omnem agat, à cunctis semper vitiis abstinendo.

Textus Iuris Canonici.

Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm blanda oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtiliùs esurienti cibus tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur; vt seductus iniustitiæ acquiescat. Putas neminem cogi debere ad iustitiam, cùm legas, patremfamilias dixisse seruis: Quoscunque inueneritis cogite intrare: cùm legas, ipsum primò Saulum, postea Paulum ad cognoscendam & tenendam veritatem magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum: & noueris, aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare. *Can. Nimium. §. Non omnis.* 23. *qu.*4. pag.319.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Correctio facta sicut par est, tantùm abest vt noxia sit; quinimò sicut congruit excepta, secum multa bona vehit: cùm namque procul arcet ab homine vitia, tunc est animæ & corpori salutaris.

Textus Iuris Canonici.

Nulli Iudæo baptizatum vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo seruitio retinere. Quòd si quem nondum ad fidem conuersum causa mercimonij emerit, & postmodum factus sit, vel fieri desideret Christianus, datis pro eo duodecim solidis, ab illius seruitio protinus subtrahatur. *Cap. Nulli Iudæo. Extra. de Iudæis & Saracenis. lib.5. decretal.tit.*6.pag.347.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Cùm audis aliquem esse verè Christianum, scito iugo seruitutis cum exemptum esse, imò suum velle dare nomen Christo, quædam est instantis sponsio libertatis. O homo Christiane, bibe aquas de cisterna tua, ex professione tua argumenta sume, quibus cautè queas liberiore vita frui: pudeat te profiteri statum, qui liberos tantùm homines decet, à quo tamen es incultis moribus alienus. Christiane, tuum interpretare nomen & deprehendes esse vocem vnctionis sanctæ, quam virtutes omnes & præclaræ dotes animæ consequuntur.

Vide plura scitu digna de hoc nomine. pag.347. col.1

Textus Iuris Canonici.

Nulli liceat ignorare omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid fuerit semel consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesia cui competunt aufert, vastat, & inuadit, vel eripit, & vsque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem vt sacrilegus iudicetur; & si emendare noluerit, excommunicetur. *Can. Nulli.* 12.*qu.*2. pag.485.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Cùm à Baptismo Deo sacer homo fiat, nemo debet violare sacrum illud tabernaculum, imò debet cauere, manus ne obscœnas, vt alter Oza, Dei in arcam extendat: nempe Deus morte repentina

pentina nefas hoc immane solet in perniciem animæ vindicare.

Textus Iuris Canonici.

Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur: quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cuiusquam mente, hoc sibi velle quempiam arrogare, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum. *Can. Nullus. dist.99.* pag.428.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Superbus homo suis consortibus iniurius est: cùm namque sibi vult arrogare decus & honorem indebitum, alij gloriâ debitâ defraudantur.

O

Textus Iuris Canonici.

OMnium Apostolorum vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ, præter Vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Euangelistæ. *Capitulo Consilium. Extra. de obseruatione ieiuniorum. lib. 3. decretal. titul. 46. c.2.* pag.115.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Vt sunt vacuanda vasa, nouus vt in illa liquor influat; ita cibis corpora defraudata, Dei gratiis animam aptant. Vnde quia præcipuis in festis maior est ille roris diuini influxus, idcirco nobis ieiunia pridie festorum vt ad gratias apparatus congrui decernuntur.

Textus Iuris Canonici.

Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, & eas dispensato, quasi inspectante Deo. Non licitum autem ei esto quidpiam ex iis tanquam sibi proprium assumere, aut cognatis suis elargiri, quæ Deo dedicata sunt. Quòd si pauperes illi sint, vt pauperibus subministrato: non tamen horum prætextu res Ecclesiæ venundato. *Can. 37. Canonum Apost.*

APPLICATIO MORALIS.

Cùm Episcopus erogat egenis opes Ecclesiæ, dispensatoris agit partes eius officio annexas: si verò rebus profanis insumit opes illas, profectò debet dispersator vt congruo nomine nuncupari.

P

Textus Iuris Canonici.

PAr autem est vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & ouis, &c. Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui à carne abstinet, nequaquam marinarum belluarum conuiuia præparet. Vinum quoque ita bibere permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus. *Can. Denique. §. Par autem. dist. 5.* pag.109.c.2

APPLICATIO MORALIS.

A luxuria abstinere parum est Christiano, nisi fomites etiam omnes prouocantes illud incendium sedulò satagat amouere.

Textus Iuris Canonici.

Paratus esse debet homo iustus & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus potius crescat bonorum, non vt pari malitia se quoque numero addat malorum. *Can. Paratus. 23. qu. 3.*

APPLICATIO MORALIS.

Illa fuit olim dignitas coronæ ciuicæ, vt vltro milites hosti pectus apertum obiecerint ad liberandum ciuem, quem iniqua sors armorum fecerat obnoxium morti, gladio hostili desuper imminente. Cùm quis iniuriâ affectus modos animo versat idoneos ad vindictam; ille durior instat tergo inimici sui, meditans pœnas congruas vltioni. Sed si Deo suggerente redux animus exuit aculeos; quibus cor hispidum & hirsutum pungere vult inimicos suos; profectò leni pietatis obsequio fit ille rediuiuus, quem vindex animus tollere nitebatur. Sic corona ciuica decernitur illi, qui secernit à se memoriam iniuriarum. Quot piè & constanter deglutis iniurias, tot vniones nectis alternantibus gemmis, quibus corona cœlestis irradiat. Hoc memento, vt sis immemor ærumnarum, quæ callidâ inimicorum industriâ aliàs irrepserunt.

Textus Iuris Canonici.

Per Isaiam Dominus dicit: Facinorosus, qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat; & qui coquit similaginem, quasi sanguinem porcinum; & qui offert thus in memoriam, quasi blasphemus. Quilibet vbilibet offert sacrificium tali corde, vel factis, hoc vt mercatur audite, perniciem sibi infert, non illis bonis, qui accipiunt ab eis sacramenta eadem, qui secundùm Prophetam Ezechielem gemunt, & mœrent peccata, quæ fiunt in medio eorum, quamuis non se inde corporaliter separent. Sacrificia impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impiè. Nam vnum atque idem sacrificium propter nomen Domini, quod inuocatur & semper sanctum est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. *Can. Per Isaiam. 1. qu. 1.* pag.710.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Vt stomacho impuro cibi quique, licèt electi, noxij sunt; ita panis Angelorum lethalis est, nisi fuerit à peccatis anima repurgata.

Textus Iuris Canonici.

Placuit, vt quicunque dixerit, ideo nobis dari gratiam iustificationis, vt quod facere per liberum arbitrium

arbitrium iubemur, faciliùs implere possimus per gratiam, tanquam etiam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. *Can. Placuit. De consecr. dist.* 4. pag. 188. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Homo sicut terra maledicta profert spinas & tribulos, quando Deus non influit: quippe nihil parturire potest dignum cœlo, nisi desuper impregnetur.

Textus Iuris Canonici.

Placuit omnibus resistentibus in sancta Nicæna synodo, vt Monachorum conuersatio & vita secundùm etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Græcè, Latinè singularis dicitur. Vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet. *Can. Placuit omnibus.* 16. *quæst.* 1. pag. 485. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vt sæculi vita procul abesse debet à statu monachali, ita frequens hominum consuetudo vitam Monachi labefactat.

Textus Iuris Canonici.

Præteriti semper nos debet pœnitere peccati. *Can. Reperiuntur. De pænit. dist.* 3. p. 28. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Omnigeno malo coëunte dum peccatur, locuples est argumentum tristitiæ in delicto, cuius grauitas meditata iugi tristitiæ facit hominem obnoxium, qui recolit se abstractum leuibus illecebris à supremo bono, Deo scilicet Optimo Maximo defecisse.

Textus Iuris Canonici.

Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi; sed tantùm primæ sedis Episcopus. *Can. Primæ sedis dist.* 99. p. 427. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Quantò maior est dignitate Dei seruus, tantò minor esse debet apud se, tanquam Christi Domini sedulus imitator.

Q

Textus Iuris Canonici.

QVadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni, &c. Iubemur etiam ab omnipotente Deo, omnium bonorum nostrorum decimas dare. *Can. Quadragesima. De consecr. dist.* 5. p. 132. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Qui in Quadragesima subtractos ieiunando cibos egenis distribuit, ille Deo totius anni decimas impertitur.

Textus Iuris Canonici.

Quamuis vniuersæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sint; sancta tamen Romana Catholica Apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est; sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Canon. Quamuis dist.* 21. p. 55. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Quandoquidem Ecclesia thalamus est Christi; vt lectulus eius floridus sit, floribus virtutum vernare debet homo, sicut à vitiorum omnium sentibus abhorrere.

Textus Iuris Canonici.

Quando ergo vir ecclesiasticus & prudens, atque intelligens multas impietates in ea quæ vocatur domus Dei esse cognouerit, & non solùm multas, sed & fortes, & quæ opprimere possint institiam, & in tantùm tabiem doctorum processisse, vt accipiant pretium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque deuitent in portis, & audire contemnant; taceat illo tempore, ne det sanctum canibus, & ne mittat margaritas ante porcos, qui conuersi conculcent eas. *Canon. Quando ergo* 11. *qu.* 3. p. 710. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Vt diuinæ sæpe leges inter arma silent; ita rarò prudens correctio facta viris nequam dum delinquunt ab his beneuolis auribus exauditur. Itaque magnæ cautionis opus est correptio, vt sortiatur eum effectum, quem prætendit homo cuius est dyscolos castigare mores: quippe solùm tempore opportuno debent corrigi delinquentes.

Textus Iuris Canonici.

Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat. *Can. Quem pœnitet. De pœnitent. dist.* 1. p. 21. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Indubius est index pœnitentiæ sinceræ dolor acerbè ream animam discrucians. Et reuerà dolor acutus apertè prodit conceptum à pœnitente sanum consilium instaurandæ vitæ; secus verò malè sibi conscia anima indolens nequit vendicare sibi titulum animæ pœnitentis.

Ita rei medicæ periti malè ominantur morbo, qui desiit sine criticis angustiis, insidamque dicunt illam sanitatem, cui crisis integra non præiuit. Nimirum vt absit suspicio omnis noxij humoris abditi in venis, aut hypochondriis, natura sagax rimans penitiora quæque loca, tentat expellere quicquid facessere potest negotium ægro qui decumbit. In eo autem procinctu quo molitur

naturā repurgium noxij huius fermenti, febriens homo solet pessimè diuexari. Etenim concussa natura graues patitur angustias; sed lancinans ille dolor instare clamat ægro corpori sanitatem.

Vide plura illud idem probantia. p.21.c.1.&c.2

Textus Iuris Canonici.

Quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat; sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia Dominus præcepit dicens: In vna domo comedetur, nec offeretis de carnibus eius foras. In vna namque domo agnus comeditur, quia in vna Catholica Ecclesia, vera hostia Redemptoris immolatur, de cuius carnibus lex efferri foras prohibet; quia sanctum dari canibus vetat. Sola est, in qua bonum fructuosè agitur; vnde & mercedem denarij non nisi qui intra vineam laborauerant acceperunt. Sola est, quæ intra se positos valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad subliomiora sustulit, omnes autem quos extra arcam inuenit extinxit. *Canon. Quia ex sola 24. qu.1.* pag.279.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Falsò sibi blandiuntur hæretici quando dicunt & scribunt se manducare panem illum, quem Christus in suprema cœna suis discipulis fregit. Agnus enim ille sola in Ecclesia Romana datur iis qui sunt veræ fidei sectatores.

Textus Iuris Canonici.

Quia passus est Dominus pro nobis, commendauit nobis in isto sacramento corpus & sanguinem suum; quod etiam fecit & nos ipsos: nam & nos ipsius corpus facti sumus, & per misericordiam eius quod accipimus nos sumus. Recordamini & vos; non fuistis, & creati estis: ad arcam Dominicam comportati estis laboribus boum, id est, annuntiantium Euangelium; triturati estis, quando catechumeni differebamini: in horreo seruabamini, nomina dedistis: cœpistis moli ieiuniis & exorcismis: postea ad aquam venistis, & conspersi estis, & panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. *Canon. Quia passus. De consecrat. dist.2.*

Vide integrum canonem. p.326.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Quando sacro corpore Christi pascimur, illud eo intento Deus facit, vt hac esca mediante vitam & virtutes Christi congruo opere referamus. Ne ergo Dei intentum frustret homo, cui hostia sacra datur in escam, ille debet accuratè totum sese Deo sicut sanctam hostiam exhibere.

Textus Iuris Canonici.

Qui sceleratè viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari; discant, nil ad emundationem proficere sibi, dicente Propheta: Quid est, quòd dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent malitias tuas à te? & Apostolus ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Canon. Qui sceleratè. De consecrat. dist.2.* pag.189.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Ne quis fortè suam in æternam perniciem sacrosancta sumat mysteria, præmonentur homines vt se accingant ad gratiæ influxum antequam conueniant illam Angelorum mensam, vt sic epulentur animâ defæcatâ.

Textus Iuris Canonici.

Qui iustus est, & iniustè maledicitur, præmium illi redditur. *Can. Qui iustus 11. quæst.3.* pag.334.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Brauium patientiæ in conuitiis decernitur ab illo, cuius intuitu, acceptæ iniuriæ vltio cohibetur.

Vide plura scitu digna in eo argumento. pag. 334.col.1

Textus Iuris Canonici.

Quicunque vestrûm communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere: videat ne pollicitationem suam irritam faciat. Sed hoc quòd Domino pollicitus est, fideliter custodiat, ne damnationem sed præmium sibi acquirat, quoniam satius est non vouere, quam votum prout melius est non proficere. *Can. Scimus. §. Quicunque 12.qu.1.*p.472.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vouere, libertatis est; sed reddere, necessitati est: & homo suis pollicitis stando, diues meritorum accipit incrementum.

Vide plura de votis p.472.c.1

Textus Iuris Canonici.

Quid faciet hîc Ecclesiæ medicina, salutem omnium materna charitate conquirens tamquam inter phreneticos, & lethargicos æstuans? Nunquid contemnere, nunquid desistere vel debet, vel potest? Vtrisque necesse sit molesta, quia neutris est inimica: nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari; sed perseuerat diligentia charitatis phreneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur; sed ambo diliguntur: ambo molestati quamdiu ægri sunt indignantur; sed ambo sanati gratulantur. *Canon Quid faciet.23.qu.4.*p.319.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Correctio facta sicut par est homini deuio, non liuoris aut simultatis est nota, imò secus est amoris maximum argumentum.

Textus Iuris Canonici.

Quisquis dixerit eamdem gratiā Dei per Iesum Christū Dominum nostrū propter hoc tantū nos adiuuare

adiuuare ad non peccandum, quia nobis per ipsam reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. *Can. Quia verò. de consecrat. dist* 4. pag. 189. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Gratia diuina deses non est nec inanis; sed cùm influxit in homines adultos, eos excitat ad ardua audenda, & obstetricis agendo vices adiuuat partum animarum, quas ipsa cœlitus impraegnauit.

Textus Iuris Canonici.

Quomodo ergo videtis esse vnum quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam charitatem. *Can. Qui passus est. §. Ita. de consecrat. dist.* 2. pag. 505. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Eucharistiæ instituendæ sicut amor causa fuit; ita inardere debet amore Dei & proximi quisquis eo sacro pabulo saginatur.

R

Textus Iuris Canonici.

Ratio nulla permittit, vt quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur, propriis cuiusquam vsibus applicetur. *Capitulo. Ratio. Extra, de prebendis & dignitatibus. lib. 3. decretal. tit. 5. cap.* 3. pag. 469. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Profectò genus est furti sacrilegi, quando Præsul vni sibi impendit vberes redditus Ecclesiæ, qui suo instituto debent indigis erogari.

Textus Iuris Canonici.

Religiosi tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quàm habeant laici. *Can.* 76. *Concil. I. Nicæni.* pag. 441. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vita Religiosa magis sese prodit virtutum habitibus, quàm induto solo habitu monachali.

S

Textus Iuris Canonici.

Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui confitentur ei, peccata alicui recitet, non propinquis non extraneis; neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. *Can. Sacerdos. de pœnitent. dist.* 6. pag. 621. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ne sacerdos ea quæ audiit in confessione prodat, impensè debet linguam suam commendare Deo, & cauere, vino ne nimio perfundatur.

Textus Iuris Canonici.

Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit, & adhuc gratiâ Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, clericos. *Can. Scimus.* 12. *qu.* 1. pag. 467. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Est communis vita Cleri, quando bona Ecclesiæ communicantur egenis, vt illorum prouentuum congruit instituto.

Textus Iuris Canonici.

Sed ais: Quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruo? O impudens dictum! Propria dicis; Quæ? Ex quibus reconditis in Mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucē, quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusq; subsidiis stipatus ingressus es? proprium nemo dicat, quod est commune, quod plusquam sufficeret sumptum, etiam violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? vt tu quidem esses affluens, & abundans, aliis verò deesset & egerent? An idcirco magis quia & tibi voluerit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu verò susceptis Dei muneribus etsi in sinum tuum redactis, nihil te putas agere iniquum si tam multorum vitæ subsidia solus retineas? Quis enim tam iniustus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta, suum non vsum, sed abundantiam vt delicias fecit? neque enim minus criminis est habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigentibus denegare. *Canone. Sicut. §. Sed ais. distinct.* 47. Vide totum hunc canonem scitu dignissimum. pag. 75. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Diues iniquus opes concludens in pauperum perniciem, vt homicida pœnis inferi subiacebit. Namque vitam egenorum cùm potuit propagare bonis eo intento datis à Deo commodante, necem consciuit eis inedia confectis, cùm ille vino immersus, atque cibis refectus nimiis eructaret.

Textus Iuris Canonici.

Si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris: Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur iniustus est, & qui eam facit iustus est. Sed planè semper, & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per iniustitiam, isti consulendo per disciplinam: illi immaniter, isti temperanter: illi seruientes cupiditati, isti charitati. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet; qui autem curat, considerat quemadmodum secet: ille enim persequitur sanitatem, iste putredinem.

Occiderunt impij Prophetas, occiderunt impios & Prophetæ. Flagellarunt Iudæi Christum, Iudæos flagellauit & Christus: traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ; tradiderunt & Apostoli homines potestati Satanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causâ, quis emendandi? *Can. Nimium.* §. *Non omnis.* 23. *qu.* 4. pag. 319. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Vndecunque nobis ingruant angustiæ & ærumnæ graues, illæ Deo decernente nobis ad salutem & augmentum gratiarum cœlitus infliguntur. Procella bonos plerumque quatit ad examen dubiæ virtutis, vt hæc probata cedat aliis in exemplum; aliàs verò mali vexantur incussis à cœlo flagris, vt qui insaniere sani, tandem verberibus moniti resipiscant.

Textus Iuris Canonici.

Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca & basilicas Sanctorum Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriásque Sanctorum contemnendas, anathema sit. *Can. Si quis per superbiam. dist.* 30. pag. 621. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Perflatus homo superbiæ vento, procul abit ab aliis, vt dedignans esse sicut cæteri hominum etiam iustorum. Vnde quia refugit homo ille bonus esse, iure velut à communione Sanctorum excisus aliò deportatur.

Textus Iuris Canonici.

Si quis Romipetas, & peregrinos, & Apostolorum limina, & aliorum Sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus quas ferunt spoliare, & mercatores nouis telonæorum, & pedagiorum exactionibus molestare tentauerit, donec satisfecerit, communione careat Christiana. *Can. Si quis Romipetas.* 24. *qu.* 3. ibid.

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis iniurius est membris Christi, ille velut facinorosus homo debet ab eius corpore mystico rescindi. Vt hoc resecto putido membro toti corpori consulatur.

Textus Iuris Canonici.

Si in huiusmodi cessione frugem tibi melioris vitæ promittis, scire debes te non esse sanctificato in vtero sanctiorem, & ideo non oportere te prædicationis iam susceptæ deserere ministerium, cùm ille, cuius fieri baiulus recusabat, tandem prædicandum receperit verbum Dei. Quòd si forsan humilitatis causâ de culmine quæris pontificali descendere, eo ipso humilitatis videris erigere malè verticem, cùm te nimis in resignandi proposito exhibes pertinacem; quia tunc in te veram humilitatem custodies, cùm & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes. *Cap. Nisi.* §. *Si in huiusmodi. Extra. de renuntiatione. lib.* 1. *decretal. tit.* 9. *c.* 10 §. 1. pag. 60. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Profectò malè suæ saluti consulunt omnes qui ambiunt supremas infulas Ecclesiæ: qui namque sibi vix sufficit, qua ratione potest salutem alterius animæ procurare?

Textus Iuris Canonici.

Si priuatum possidemus, quod nobis sufficiat; non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus. *Can. Si priuatum.* 1. *qu.* 1. pag. 469. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ominosas opes esse reor, quæ à præpositis Ecclesiæ in propria duntaxat commoda conuertuntur.

Textus Iuris Canonici.

Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere; & rationabilem hostiam offeras; ne miles antequam tyro; ne prius magister sis quàm discipulus. Non est humilitatis meæ, neque mensuræ iudicare de clericis & de ministris Ecclesiarum quidpiam sinistrum dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum. *Can. Si clericatus.* 16. *qu.* 1. p. 489. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Dignitates Ecclesiæ virtutibus prostant, nec ad illas homines aliis gradibus euehuntur.

Textus Iuris Canonici.

Sicut Achab Rex iniquus à Propheta reprehensus, cùm contra se diuinã sententiam audiuisset, pertimuit, & magno mœrore deprehensus est; ita vt Prophetæ suo Dominus diceret: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur mei causâ humiliatus est, non inducam malum in diebus eius. In quibus Domini verbis pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens sæculum: aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit & in eis qui displicebant. *Canone. Sicut. de pœnitentia. dist.* 3. pag. 28. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Conceptus ab anima contrita dolor de peccatis, ei conciliat veniam omnium, quæ patrauit antea, delictorum.

Textus Iuris Canonici.

Sint tibi ieiunia pura, & continua, moderatáque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere. Curat enim vulnera delinquentis, curatósque sanctificat ieiunium. *Can. Sint tibi ieiunia. de consecrat. dist.* 4. pag. 133. c. 1

APPLI

APPLICATIO MORALIS.

Olim debuere sale aspergi sacrificia quæque, quia in obsequio diuino, nihil omnino placet, quod perculsus homo zelo indiscreto perficit imprudenter.

Textus Iuris Canonici.

Statuimus vt ieiunia Quatuor Temporum hoc ordine celebrentur. Primum initio Quadragesimę. Secundum in hebdomada Pentecostes. Tertium verò in Septembri. Quartum in Decembri more solito fiat. *Can. Statuimus. distinct.* 76. pag. 122. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vt semper homo Dei iustitiæ obnoxius est, ita debet eum placare pœnis vltro sibi impositis. Eo intento quatuor anni tempestates habent ieiunia indicta, quibus homo queat expiare sua crimina perpetrata.

Textus Iuris Canonici.

Sunt nonnulli nullo dogmate fulti audacissimè, quidem, zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia Mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem; sed omnino labuntur. *Can. Sunt nonnulli.* 16. *qu.* 1. pag. 492. c. 1

T

Textus Iuris Canonici.

Tvrbatur nauicula Petri, in qua erat Iudas; quia qui suis meritis erat firmus, turbatus est alienis. *Can. Turbatur.* 1. *qu.* 4. pag. 749. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Gratianus ipse sacro huic canoni, quem descripsit, sensum moralem applicuit hoc contextu: *Ignorabat Petrus peccatum Iudæ. Non ergo ignorantia excusauit illum. Sed turbatio hæc non peccati coinquinatio, sed corporalis persecutio intelligitur; quia meritu malorum nonnunquam adeò premuntur boni, vt eorum turbetur firmitas.*

V

Textus Iuris Canonici.

Videntes autem summi Sacerdotes, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates & agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi traderent, eò quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsæ verò res in ditione singularum parochiarum Episcoporum qui locum tenent Apostolorum erant & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. *Can. Videntes.* 12. *qu.* 1. pag. 467. c. 2

Textus Iuris Canonici.

Vtrumque est donum Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere vt faciamus. *Can.* 4. *Concilij Mileuit.* pag. 205. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Non est industriæ intellectus, attingere Deum mentis acumine, nec voluntatis opus, citra donum singulare, Deum præ rebus omnibus amplexari.

INDEX TEXTVVM IVRIS CIVILIS.

A

Textus Iuris Ciuilis.

AC primùm volumus publicum esse crimen, quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam, quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur. Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate & successione quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi, cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio extendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non &, immeritò debet hic subire tale iudicium. Sed nec filios hæredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. *Lege Manichæos.* §. *Ac primùm. Cod. de hæreticis. lib.* 1. *tit.* 5. *leg.* 4. § 1. pag. 279. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Omnia iura diuina & humana cædunt verberibus desertores fidei, vt angustiis & ærumnis acerbis eruditi homines perfidi resipiscant.

Textus Iuris Ciuilis.

A palatinis tam his qui obsequiis nostris inculpata officia præbuerunt, &c. procul vniuersas calumnias, siue nominationes iubemus esse submotas, &c. atque immunes eos à cunctis muneribus sordidis & personalibus permanere. *Leg. A palatinis. Cod. de priuileg. lib.* 12. *tit.* 29. *leg.* 1. p. 187. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Religiosi, & omnes initiati sacris ordinibus, se sistentes altaribus, gaudent iure domus Dei, reuerà sacri palatij; eorum stipendium est copiosa Dei gratia, quæ immunes eos facit à sordibus, quæ hominibus aliis affricantur.

B

Textus Iuris Ciuilis.

Bellè Sextus Pedius definit, triplicem esse causam operis noui nuntiationis, aut naturalem, aut publicam, aut imposititiam. Naturalem cùm in nostras ædes quid immittitur, aut ædificatur in nostro. Publicam causam, quoties leges aut Senatusconsulta constitutionésque Principum per operis noui nuntiationem tuemur. Impositiam, cùm quis posteaquam ius suum diminuit, alterius auxit, hoc est posteaquam seruitutem ædibus suis imposuit, contra seruitutem fecit. *Leg. de pupillo. ff. de operis noui nuntiatione. lib. 39. tit. 1. lege 5.* pag. 75. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ius ciuile vetat, ne quis in alieno solo domum erigat; vnde malè suam omnem industriam impendit homo, cui insedit, opes in hoc sæculo congregare. Reuerà totus hic mundi ambitus est homini solum extraneum; siquidem homo degens in terris peregrinatur à Domino, & vtitur terra precariò vt alieno solo, quod ante primi hominis ortum, iure sibi vt factæ priùs bestiæ vendicarunt. Ideo namque Deus omnium animalium ortum præmisit hominum natalibus, vt inde resciret homo, terram esse velut sortem bestiarum, quas nulla manet beatitudo, nisi quam terra potest suppeditare brutis, ac proinde boni potioris cupido homini esse aliò collimandum. Ita liquet, eum qui thesaurizat in terra, ædificare in alieno solo, quia terram incoluere feræ & volucres ante homines efformatos. Igitur, ô auare, tuis supersede curis, & noli thesaurizare solo in alieno, vbi ærugo, fures, & tinea sunt vindices iniuriæ, quam infers bestiis, quibus duntaxat est licitum iure rebus his infimis adhærere.

Vide plura scitu digna pag. 73. c. 1. & 2

Textus Iuris Ciuilis.

Beneficiis nostris ita digni sunt, vt etiam censualibus vel personalibus, vel corporalibus muneribus liberentur, & habeant castrense peculium, siue adhuc palatium obseruent, siue optata quiete donati sint. *Lege. de cubiculis. Cod. de priuilegiis. lib. 12. tit. 29. leg. 2.* pag. 81. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Constantinus Imperator iis gratiis dignatus est domesticos suos; sed maiora Deus beneficia præstat iis, qui se totos eius obsequio corpore & animo deuouerunt. Non inficior, esse quædam corporalia munia, quibus obstringuntur homines etiam sanctissimi, vt sunt edere, bibere, dormire, & passionum æstus interdum paruo licèt tempore præsentire. Illa tamen munia naturæ nihil obstant quò minùs gratia diuina suos sortiatur effectus, & ab omni tributo grauis noxæ, piæ animæ vindicentur. Quòd autem peculium castrense sibi asseruare queunt Cæsaris asseclæ, profectò parum est si conferas cum gratiæ stipendiis, quibus ditatur homo supremo rerum omnium Domino consecratus.

C

Textus Iuris Ciuilis.

Conuenticula illicita etiam extra Ecclesiam in priuatis ædibus celebrari prohibemus, proscriptionis domus periculo imminente, si dominus eius in ea clericos noua ac tumultuosa conuenticula extra Ecclesiam celebrantes susceperit. *Lege. Conuenticula. Cod. de Episcopis. lib. 1. tit. 3. lege 15.* pag. 750. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vt fulmina desuper intorta sæpe sacras ædes æquant solo tritas & euersas ob gestas ibi res iniquas; ita Deus plerumque ferit corpus, vbi per immane nefas in extremam nequitiam vitia coalescunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm ad quamlibet vrbem mansionémve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, vt deuotissimis militibus deputatæ & incorruptæ species præbeantur. Nam si per incuriam officij grauitatis tuæ sartorum tectorum neglecta procuratione aliqua pluuiis infecta perierint, ad damnum tuum referentur. *Leg. Cùm ad quamlibet. Cod. de conditis in publicis horreis. lib. 10. tit. 26. leg. 2.* pag. 710. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Nota panem selectum & sincerum, quem esse dico typum & figuram Eucharistiæ, ignauis, transfugis, & desertoribus militiæ non decerni, sed *deuotissimis militibus*, Id est illis, qui nulla sui exceptione totos se componunt ad arbitrium Principum. Nempe militem pendere totum ex nutu Principis hoc est esse deuotissimum. Sit ergo ratum & fixum à Christo panem Angelorum duntaxat eis frangi, qui se totos ipsi Christo Domino manciparunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm recta & irreprehensibilis fides, quam prædicat Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innouationem recipiat; nos sequentes Sanctorum Apostolorum & eorum qui post eos in sanctis Dei Ecclesiis conuersati sunt dogma, iustum fore existimauimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide quæ in nobis est sentiamus, insistentes & adhærentes traditioni & confessioni Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ. *Lege. Cùm recta. Cod. de summa Trinitate. lib. 1. tit. 1. leg. 3.* pag. 276. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Estò suum principale decus Ecclesia Romana non emendicet à iure Cæsareo; magni tamen nominis

nominis est & ponderis testimonium eius, quo maximè pudore debent suffundi nostrates hęretici iniurij illi Ecclesiæ, quam impensè majestas Cæsarea suspicit, & humili animo veneratur.

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm ciuitas amissa est, nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis & ciuitate relicta nudus exulat. *Lege. Tutelas.§.3.ff. de capite minutis. lib.4.tit.5.leg.7.* pag.621.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Damnatis, qui exulant à paradiso, nihil omnino datur præmij æterni ob illa bona, quæ aliàs in hoc sæculo perpetrarunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, &c. Hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes vesanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere diuinæ primùm vindictæ, post etiam motus animi nostri, quem excœlesti arbitrio sumpserimus vltione plectendos. *Leg. Cunctos. Cod. de summa Trinit. lib.1. tit.1. leg.1.* pag.176.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis dogmata Christiana suæ ad rationis trutinam appendit, ille probat se rationis expertem fatuum insanire.

Textus Iuris Ciuilis.

Cura peruigili obseruare debebit sublimitas, ne coloni, vel saltuenses, aut vltro se offerentes ad militiam suscipiantur armatam. *Lege 3. Cod. Qui militare possint. lib.12.tit.34* pag.400.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Est ineptus homo sacræ Dei militiæ, quem cura rerum huius sæculi arctè tenet implicitum: qui namque Deo militare cupit, ille debet esse rebus ab omnibus expeditus.

D

Textus Iuris Ciuilis.

Damnatione bona publicantur, cùm aut vita adimitur, aut ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur. *Leg.1.ff. de bonis damnatorum. lib.48. tit.20.* pag.38.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Pulsus Adam paradiso, bonis excidit indebitis naturæ cuius erat, nec illa iure postliminij etiam pœnitens potuit adipisci. Quatuor namque malis peccando reus homo fecit se obnoxium. Primò sibi damnationem consciuit; deinde vita immortali, qua gaudebat, excidit; Tertiò, detrusus è paradiso velut exul in terra aliena vitam duxit: Duro demum & inglorio seruitutis iugo caput submisit, quando se vitiorum omnium vinculis irretiuit.

Textus Iuris Ciuilis.

Deportati, nec earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere possunt; sed & hæc publicabuntur. *Lege 2. Cod. de bonis proscriptorum. lib.9.tit.49.* pag.38.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Quamuis Adæ proles esu infausto pomi vetiti non superbè Dei iussa contempserit; attamen infelix soboles illa donis excidit, quæ ante suo concessa patri, postmodum fuere fide fracta toti generi denegata.

Textus Iuris Ciuilis.

Dominum pro atroci iniuria, quam seruus eius passus est, edicti perpetui actione proposita, qua damni etiam haberi rationem verbis euidenter exprimitur, agere posse conuenit. *Leg. Dominum. Cod. de iniurijs. lib.9.tit.35.leg.8.* pag.332.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Præfata lege datur ius domino vlcisci iniuriam à seruo acceptam: Cùm ergo Dei simus quotquot sumus, si quis alterum offenderit, ille Deo erit iniurius, qui vltor erit iniuriæ proximo nequiter irrogatæ.

E

Textus Iuris Ciuilis.

Eam, quæ ita venit, ne corpore quæstum faceret, nec in caupona sub specie ministrandi prostitui, ne fraus fiat dictæ legi, oportet. *Lege 3. Cod. Si mancipium. lib.4.tit.56.* pag.422.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Cùm prostitui res sit inhonesta, ea quæ conducunt ad facinus hoc obscœnum & prorsus inglorium sunt cauenda. Vnde cùm in his caupona censeatur ob ventris ingluuiem, cui dant operam diuertentes ea in præfata loca; est in confesso, gulam inurere notam ingloriam homini helluoni. Vide plura pag.422.c.1

Textus Iuris Ciuilis

Eum, qui ciuitatem amitteret, nihil aliud iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso peruenturum esset ad eos, si intestatus in ciuitate moreretur, hoc est hæreditatem eius aut libertos, & si quid aliud in hoc genere reperiri potest. *Lege. Eum. ff. de interdictis.* pag.621.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Opera bona proles sunt animæ, quæ si in peccato graui infaustè fatis cedit, exilio à paradiso mulctata, suam sobolem gloria æterna priuat, quæ alioquin ad facta Dei in gratia antè bona opera pertinebat.

Textus Iuris Ciuilis.

Exilium triplex est; aut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, vt omnium locorum interdicatur, præter certum locum; aut insulæ vinculum, id est relegatio in insulam. *Pompon, lib.*4. *ad Sabinum.* pag.621.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Spontaneo exilio in seipsos animaduertunt omnes qui delinquunt: etenim nequando viuant ex præscripto legis diuinæ, suo genio indulgent, in peccatis agunt æuum, & ita fiunt Christi Domini desertores. Incautè mutant salutare solum, in quod Baptismus eos induxerat: namque morem peccandi vt patriam & natale solum impunè sibi cõstituunt arbitrati viuere ad nutum Dei esse perinde sibi ac inducere compedes importunos. Itaque videre est, quàm delirent impij transfugæ & incurij patriæ, quæ sursum est, vt errones agant vitam non inquietam tantùm, sed & vitiis omnibus indecoram. Nam nemine vim inferente nutu proprio à Deo aberrant, duri exilij legem imponendo sibi, ne ad amussim mandatorum Dei suos mores componere cogantur inuiti, iniquam hanc sortem exulandi à Deo ducentes potiorem, quàm obsequi legi, & in paterno Dei sinu velut in propria patria demorari.

Textus Iuris Ciuilis.

Ex aula nostra discedentes viri ab omnibus in cunctis habeantur immunes, numerariorúmque fastus, vel rapaces quæstus tanquam experientes & idonei non patiantur. *Lege. Ex aula. Codice de priuilegiis. lib.*12.*tit.*29. pag.187.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Grauia sunt tributa, quibus obstringuntur homines vitiis obnoxij; nimirum corpus & animam referre debent in thesauros iræ Dei, vtpote præbituri fomitem æternis incendiis. Et ne immunes esse videantur in hoc sæculo, perpetuò vrgentur furiis & stimulis conscientiæ multiplici crimine sauciatæ. Nesciunt hæc tributa Deo gratæ animæ, imò Dei aulâ tales animæ non exeunt, sed in quascunque plagas orbis terræ degant, illæ Regi suo beneficæ iugiter adhærescunt. Et quamuis homo decurrens istud æuum multas patiatur angustias implexus importunis corporis exuuiis, quæ reprobos multis sordibus aspergunt; attamen ita viuunt aulici Dei, id est iusti, vt non sordescant vitiorum fæcibus indecoris.

F

Textus Iuris Ciuilis.

FAmosos latrones in his locis vbi grassati sunt furca figendos compluribus placuit, vt & conspectu deterreantur alij ab iisdem facinoribus, & solatio sit cognatis & affinibus interemptorum, eodem loco pœna reddita, in quos latrones homicidia fecissent. *Lege. Capitalium.* §. *Famosos. ff. de pœnis. lib.*48.*tit.*19. pag.319.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Omne crimen lethale secum acerba vehit supplicia, vt synderesi vltrice eo momento luat pœnas quo peccauit, vt in posterum malè sibi conscia anima resipiscat.

G

Textus Iuris Ciuilis.

GEnerali lege sancimus siue vidua, siue diaconissa, vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocunque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento, vel codicillo suo, quod tamen alia omni Iuris ratione munitum sit, Ecclesiæ, vel martyrio, vel clero, vel monachio, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte in quacunque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmúmque consistat. *Lege. Generale. Codice. de sacrosanctis Ecclesiis.* pag.456. c.1

APPLICATIO MORALIS.

Arbitrati sunt Imperatores Christiani, castitatem esse florem Ecclesiastici germinis, insigne decus & ornamentum gratiæ spiritalis, lætam indolem, laudis & honoris opus integrum, & illustriorem portionem gregis Christi. Ideoque viri illi summi credidere suo se consulere Imperio, si continentiæ statum edicto congruo propagarent. Vt aggregatum naturæ principalis hæret, ita Deo qui se consecrauit, iure potest illi dedicare suas in constituto hærede paupere facultates.

Textus Iuris Ciuilis.

Græcus seu Paganus, & Iudæus, & Samaritanus, & alius hæreticus, id est, non existens orthodoxus, non potest Christianum mancipium habere, quia & ipsum mancipium Christianum ad libertatem peruenit. *Leg* 2. *Cod. Ne Christianum mancipium. lib.*1 *tit.*10.

APPLICATIO MORALIS.

Si rem ingloriam arbitrati sunt Principes, seruili contagio pollui nomen Christianum; collige quàm Deo sit ingratum, videre fœda in homine Christiano vitia pullulare. Namque magis iniurius est nomini Christiano ille nequam & facinorosus homo, qui vitiis seruit, quàm is, qui corpore tantùm tenus terreno domino mancipatur. Etenim *ante Deum libertas attenditur non ex sorte, sed ex moribus*, iuxta verum hoc effatum Ambrosij in Psal.104.

H

Textus Iuris Ciuilis.

HOnoris argumentum non ambitione sed labore, ad vnumquemque conuenit deuenire. *Lege* 14. *Codice. de re militari. lib.*10. *tit.*36. pag.416.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Gloria æterna manet eos tantùm, qui generosè Dei intuitu laboribus arduis assuescunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Hostes transfugæ ea pœna afficiantur, vt viui exurantur. *Leg. Aut damnum.§.Hostes.ff.de pœnis.* pag.565.c.2

APPLICATIO MORALIS.

In extremis orbis vniuersi comitiis, vbi crimina appendentur ad trutinam districti examinis, reprobi omnes censebuntur vt transfugæ fœdifragi, & hostes Christi, cuius imperium non detrectauere modò, verùm quas potuere fœdas iniurias illi turpiter irrogarunt. Hos perduelles acerba manet sententia, non momentaneæ sicut apud nos pœnæ breui tempore torquentis; sed ille iudex iustus vret eos æterno incendio, in animas & corpora sæuiente.

I

Textus Iuris Ciuilis.

ID quod pauperibus testamento vel codicillis relinquitur, non vt incertis personis relictum euanescat; sed omnibus modis ratum firmúmque consistat. *Lege 24.Codice.de Episcopis.lib.1.tit.3.* pag.67.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Eleemosyna non incertis erogatur, quando datur indigis hominibus: Christus enim sonorè clamat, eam esse sibi factam eleemosynam, quæ eius intuitu consuluit pauperis egestati. Vide plura egregia de eleemosyna. pag.67.c.2

Textus Iuris Ciuilis.

In exulibus gradus pœnarum constituti edicto Diui Adriani, vt qui ad tempus relegatus est, si redeat in insulam relegetur: qui relegatus in insulam excesserit, in insulam deportetur; qui deportatus euaserit, capite puniatur. *Lege. Capitalium.ff.de pœnis,§.13.lib.48.tit.19.leg.28.*p.621. col.1

APPLICATIO MORALIS.

In odium deportati quandoque fuit ædes eius adæquata solo, & dicta capitis sententia in homines, qui exilio damnatos perhumanè suis ædibus excepissent. Austera sanè fuit hæc censura; sed grauior est pœna, qua Deus iustè ferit impios illos à se longiùs amandando. Nempe bonis omnibus gratiæ spoliantur, nec opera bona cedent ad gloriam, quia finalis impœnitentia illos deportatos in æternum ad tartara relegabit. Inde reuocare gradum nemini conceditur, & summa miseriarum est, illic infelicem esse sine spe sortis aliquo definito tempore mitioris.

Textus Iuris Ciuilis

Ingressi monasteria, ipso ingressu se suaque dicant Deo: nec ergo de his testentur, vtpote nec Domini rerum. *Authentica.de monachis.collat.1.§.Illud quoque.* pag.473.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Cura rerum terrenarum spectat ad reprobos quorum anima terræ tota quasi affixa degit humi, iuxta Vatis effatum: *Posuerunt nomina sua in terris suis:* Religiosi verò quibus inest anima cœlestis, ita solum calcant, vt de illo nihil omnino curent; vt namque vale rebus infimis dixere, suum sic animum satagunt erigere ad superna, Deo vt duntaxat vni iugiter adhæreseant.

Textus Iuris Ciuilis.

Interdictum hoc proponitur ex huiusmodi causis. Edicto expressum est, ne post operis noui nuntiationem quicquam operis fiat, antequam vel nuntiatio missa fiat, vel vice nuntiationis missæ satisdatio de opere restituendo fuerit interposita. Qui igitur facit, etsi ius habuit faciendi, tamen contra interdictum Prætoris facere videtur, & ideò destruere cogitur. *Lege 10.§.1.ff. de operis noui nuntiatione.lib.39.tit.1.* pag 73.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Christus vt vidit auaros opes congerere, & instruendo gazas æuum pessimè transigere, præmonuit illos, terram esse locum incongruum thesauris ab homine fabricandis. Ecce vocem Domini, qui est Prætore maior: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Ergo nequit homo citra offensam congregandis hîc opibus occupari. Quòd si incurius diuinæ legis homo vacat huic operi, & coaceruat opes, tinea & ærugo velut lictores insurgunt in has gazas, quæ proinde labant à tam multis hostibus impetitæ.

Textus Iuris Ciuilis.

Item nuntiatio omnibus diebus fieri potest. *Lege 1.§.1.ff.de operis noui nuntiatione.*pag.669. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Quia cuiusque interest, ne quis in propria irrumpat, lex nullum omnino diem excipit à noui operis nuntiatione, ne tacito domino facta mora locum daret homini spatium vetitum vsurpanti. Si ergo dæmon astutus opus hoc profectò nouum aggreditur, id est, si tentat aliquando locum vsurpare tuo in corde, vafro hosti fortiter obsta, & occurre toties, quoties enitetur.

Textus Iuris Ciuilis.

Iubemus nulli posthac Archiepiscopo in hac regia vrbe sacrosanctæ Ecclesiæ præsidenti, nulli œconomo, cui res Ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem fundos, vel prædia siue vrbana, siue rustica, res postremò immobiles, &c. ad quamcunque transferre personam, &c. Ea quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac fortè

fortè peruenerint, tanquam ipsam sacrosanctam Ecclesiam intactam conuenit venerabiliter custodiri, vt sicut ipsa Religionis & fidei mater est perpetua; ita eius matrimonium iugiter seruetur illæsum. *Lege 14. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* pag.467.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Ecclesiæ quando bona cedunt in ius sæcularium per immane nefas sacra fiunt tunc profana, Deoque tale quidpiam subtrahitur, quod fuerat antea consecratum.

Textus Iuris Ciuilis.

Iudæus seruum Christianum nec comparare debebit, nec largitatis, vel alio quocunque titulo consequetur. Quòd si aliquis Iudæorum mancipium vel Christianum habuerit, vel sectæ alterius, seu nationis crediderit ex quacunque causa possidendum, & id circumciderit, non solùm mancipij damno mulctetur, verùm etiam capitali sententia puniatur, ipso seruo pro præmio libertate donando. *Lege 2. Codice. Ne Christianum mancipium.lib.1.tit.10.* pag.346.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Vt seruire Deo regnare est, ita nomen Christiani, quod perinde sonat ac seruire Deo, nihil abiectum aut seruile notat, imò secus est illustris tessera dignitatis. Pudeat ergo viros eo nomine conspicuos, scilicet Christianos, dominis ingloriis, Mundo, carni, & dæmoni mancipari.

L

Textus Iuris Ciuilis.

Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum: delictorum, quæ sponte vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio; communis Reipublicæ sponsio. *Leg. Lex est.ff.de legibus. lib.1.tit.3.* pag.565.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Eo intento Deus præscripsit homini leges, ei vt consuleret, effrænes coërcendo motus, in arcem spiritus insurgentes.

Textus Iuris Ciuilis.

Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio autem est, de manudatione nam quamdiu aliquis in seruitute est, manui & & potestati suppositus est, & manumissus liberatur potestate. *Leg. Libertini. Instit. de libertinis. lib.1.tit.5.* pag.340.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Cùm in sacramentali confessione reus absoluitur, sacerdos ei contrito manus imponit, ita notans, eum à seruitute diaboli liberari. Subodoror item in illa manus impositione Dei auxilium singulare, cuius obsequio possit homo liber in posterum se à prætensis dæmonum laqueis expedire.

M

Textus Iuris Ciuilis.

Mimæ, & quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt, publicè habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ sunt, non vtantur. *Lege 5. Cod. de episcop. audientia.* pag.442.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vt virginum & mulierum obscœnarum morales habitus discolores sunt; quippe nitet candore purus virginum habitus, vt contrà fœdus atque niger est luxuriæ amictus; ita nefas est, fœminam, scortum vile, sacro Monialis habitu speciem virginis ementiri.

Textus Iuris Ciuilis.

Multis autem modis manumissio procedit: aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesiis, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum. *Lege Libertini. §. Multis autem. Instit. de libertinis. lib.1. tit.5.* pag.340.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Duobus præcipuè modis olim homines manumissi sunt; scilicet per epistolam & in Ecclesiis? Epistola notat verbum Dei, quo, velut beneficio epistolæ, Dei beneplacita omnibus innotescunt. In Ecclesiis perficitur ille ritus ope sacramentorum, quibus ritè exceptis homo gaudet & re & titulo libertini.

N

Textus Iuris Ciuilis.

Nec seruis quidem alienis licet facere iniuriam. *Lege 1. Cod. de iniuriis. lib.9.tit.35.* pag.304.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Si animum regium arguit ferre leges prohibentes inferri iniurias, validiùs erit argumentum operis quàm sermonis, ac proinde homo facilis ad remittendas iniurias conquiret sibi iura regni æterni, iuxta verax effatum Christi, affirmantis eos qui ignoscunt & diligunt inimicos, eo præclaro facinore fieri filios Patris cœlestis, quod perinde est ac dicere, eum qui amore prosequitur inimicos suos, ita se aptare ad regni æterni infulas acquirendum.

Textus Iuris Ciuilis.

Nulli posthac horreaticas species contingendi copia præbeatur: si verò quisquam temerator horreorum extiterit, qui sibi ex prædictis aliquid audeat vsurpare, hanc pœnam sciat nostro arbitrio definitam, vt deportationis pœnæ subiectus totius substantiæ cogatur subire iacturam. *Lege. Nulli. Cod. de conductis in publicis horreis. lib.10. tit.26.leg.2.* pag.710.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Qui indignè panem Angelorum in Eucharisticæ mensa sumit, ille sanè verus est horreorum Christi Domini temerator. In sacrilegij mulctam patitur corporis & animæ iacturam: nam sæpe prætmatura morte necem consciscit indigna communio, & anima lethali spiculo sauciatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Nullus omnino ex quolibet genere, ordine hominum dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla vrbe sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam cædat, vel secretiore piaculo larem, ignem, Penates nidore veneratus accendat lumina, imponat thura, serta suspendat. Quòd si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum majestatis reus licita cunctis accusatione delatus excipiat sententiam competentem, etiamsi nihil contra salutem Principum, aut de salute quæsierit: sufficit enim ad criminis molem, naturæ ipsius velle leges rescindere, illicita perscrutari, occulta recludere, interdicta tentare, finem quærere salutis alienæ, spem alieni interitus polliceri. *Lege 12. Cod. Theodosij. de paganis.* p. 401. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Auarus opes iniquè Deo præferendo, colit aurum, vel etiam superbus homo litat vento, quia popularis aura Dei instar ei est, cui se reuera toto ex cordis intimo mancipauit. Speciosa caro Numen est homini obscœno, cuius anhela vota flagrant libidine, scorta demum cuncta sibi constituit vt simulacra suæ luxuriæ turpia monumenta. Majestatis læsæ crimen hoc est: quippe Deum habet homo quasi ludibrio, cultum duntaxat ei debitum creaturis impiè deferendo.

Textus Iuris Ciuilis.

Nulli sit liberum, nulli permissum vt nouum aliquid vrbis incolæ in vrbe sustineant: sed in honorem æternæ vrbis, corporatis indulta suffragia valere præcipimus. Cura autem rectorum Prouinciarum, corporati vrbis Romæ, qui ex peregrina transgressi sunt, redire cogantur, vt seruire possint functionibus, quas imposuit antiqua solennitas. *Lege. Nulli sit. Cod. de priuilegiis corporatorum vrbis Romæ. lib. 11. tit. 14.* pag. 613. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Si Principum indulto Roma suos ciues facere potuit immunes ab angustiis & tributis, quæ vexare solent vrbes ignobiles; qualem putas se præstare Deum erga pias animas, quas incolit? has sanè liberas facit ab innumeris ferè molestiis, quæ facessunt importunum negotium illis hominibus, qui abiurato Deo vitiis assuescunt. Angeli rectores illatum animarum eis inuigilant studio indefesso; & siquando deuiarint à recto pietatis tramite, hoc impensè curant, vt reduces animæ nequaquam degeneres insolitæ virtutum praxi iugiter adhæresc ant.

Textus Iuris Ciuilis.

Nullus omnino quicquam habeat proprij, sed diu noctuque in commune viuant, & noctu eamdem inter ipsos cum diebus habeant obseruationem. *Authentica. de Monachis. collat.* 10. p. 473. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

In Religione vota solennia emissa totum hominem expoliant, ac proinde suæ professioni iniurius est homo volens proteruè sibi quidquam proprium vsurpare. Quisquis ergo suæ ad voluntatis arbitrium viuit, ille suæ voluntatis est dominus, & sic contra votum audet vsurpare sibi consecratam Christo Domino voluntatem.

O

Textus Iuris Ciuilis.

OMnes qui in palatio militando, diuersis actibus paruerint, volumus in tantùm eius dignitatis, cuius meruerint missionem, obtinere insignia. *Leg. Omnes. Cod. de priuilegiis. lib. 12. tit. 29.* pag. 187. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Profectò claris gaudet insignibus anima Deo grata, vtpote beneficio gratiæ facta consors diuinæ naturæ, & titulus hic præstantior est omnibus honoribus huius sæculi, cùm anima sic ornata supra naturæ fines paulò minor Angelis euehatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Opus nouum facere videtur, qui aut ædificando aut detrahendo aliquid pristinam faciem operis mutat. *Vlpianus lib. 52. ad edictum.* pag. 668. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Opportunè monet sacer ille præco Dei verbi, qui conscius naturæ nostræ pronæ in malum hortatur nos, vt expurgando vetus fermentum accuratè, noua simus conspersio, id est, vt veteris hominis positis exuuiis corpore & animo renouemur. Qua verò fiat ratione nouum illud opus, abundè liquet ex tenore legis, quæ ædificando, aut detrahendo dicit aliquid innouari. Vt ergo vitam componamus ex præscripto legis, opus est magna strue virtutum, quâ benè compactâ noua moles assurgat, euersò priùs & adæquatâ solo totâ vitiorum macerie, vt plenè primi operis ingrati exosique Deo facies immutetur.

P

Textus Iuris Ciuilis.

PEr vinum lapsis capitalis pœna remittenda est, & militiæ mutatio irroganda. *Leg. Omne delictum. §. Qui se vulnerauit. ff. de re militari. lib. 49. tit. 16.* pag. 422. c. 2

APPLI

APPLICATIO MORALIS.

Bello sanè est ineptus homo vino obnoxius: nam qua ratione potest coërcere feros impetus irruentis hostis homo sui impos, & iam epoto vino nimio profligatus? In spirituali bello valet hæc ratio: nam militiæ Christianæ gratis & frustrà nomen dat homo gulæ obstrictus; semper enim peccatis erit aliis innexus, illo gulæ vitio prævalente.

Textus Iuris Ciuilis.

Pœna sacrilegij similis erit ei, si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni æstimati sunt. *Lege 3. Cod. de dignitatib. lib. 12. tit. 4.* pag. 188. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Quia sacerdotes propiùs ad Deum accedunt, idcirco Deo afflatus homo clarus, scilicet Seraphicus ille Pater Franciscus, eos præ Angelis honorabat. Sed vt ex colloquio diuino Moses cœleste lumen contraxit, quo radiante fuit inde plebis ei conciliatus honos; ita debet & sacerdos ex proximitate Dei, quæ magna sacris inest, tanta luce gratiæ resplendere, decus vt inde sibi & honorem deferri à populo mereatur.

Textus Iuris Ciuilis

Pœnæ certæ singulorum peccatorum sunt. *Leg. Si qua pœna. ff. de verborum significatione. lib. 50. tit. 16.* pag. 565. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nullus omnino reus impune viuit: namque malè sibi conscia conscientia iniqua, velut tortor acerbus animam horrendè diris suppliciis exagitat, & perpetrato malo cita pœna comes sceleris intorquetur.

Textus Iuris Ciuilis.

Præterea iubemus, vt omnes Clerici & Monachi, qui de suis ciuitatibus ad hanc almam vrbem Ecclesiastici negotij vel religionis causâ proficiscuntur, literis Episcopi, cui vnusquisque iter faciens obsequitur, muniti aduenient; scituri quòd si citra hanc fiduciam accesserint, sibimet imputabunt quòd non Clerici vel Monachi esse putabuntur. *Lege 12. §. Præterea. Cod. de Episcopis & Clericis. lib. 1. tit. 3.* pag. 461. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Iustinianus Imperator tantum obedientiæ attribuit, vt ex eius obseruato voto vitæ Religiosæ notam ingenuam & sinceram sanxerit explorandam. Optimè concludit, eos non religiosos esse, quibus nullus amor neque zelus inest obedientiæ, quæ est præcipua tessera animarum, quæ se in Religione voto emisso totas Christo Iesu corpore & animo consecrarant.

Textus Iuris Ciuilis.

Proinde si seruus crimen commiserit, deinde libertatem consecutus dicetur, eam pœnam sustinere debet, quam sustineret, si tunc sententiam passus fuisset cùm deliquisset. *Lege. Quotiens. §. 1. ff. de pœnis. lib. 48. tit. 19. leg. 1.* pag. 565. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Noluit legislator delinquentes vti aliquo fortunæ adblandientis patrocinio, ne cui liceret peccare gratis & impunè, quia dignitatis alicuius erat infulis honorandus. Ita Deus neminem excipit à stimulis conscientiæ post peccatum; sed cuiussuis sit dignitatis homo reus, perpetrato malo subit eo momento pœnam synderesis, penitiora quæque viscera lancinantis.

Textus Iuris Ciuilis.

Proprium est, quod non est commune cum socio. *Leg. Proprium. ff. de institia & iure.* p. 162. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Dominium ius dicit in rem propriam, ideoque nequit homo plures habere dominos; quippe nemo Deo excepto potest dicere aliquem hominem esse sibi proprium: vnde quia *Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*; profectò solus Deus est omnium planè rerum Dominus meritò nuncupandus.

Textus Iuris Ciuilis.

Prouinciarum præsides moneantur, vt in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum Quadragesimale tempus, nec venerabilem Paschæ diem existiment excipiendum, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est; cùm facillimè & in hoc summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. *Lege. Prouinciarum. Cod. de feriis. lib. 3. tit. 12. leg. 10.* pag. 125. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Examine districto debet inquiri ab anima, quinam sint qui irrepsere fures in sacrarium cordis, vbi die & nocte sacer amor ardere debet, quem latrones hi astuti, peruersi scilicet habitus, extinxerunt. Præcipuè in solenni festiuitate vigil esse debet anima sollicita de augmento Dei gratiæ: cùm namque fures illos mactat homo solers, influit in animam eius ros cœlestis abundè, ditans eam bonorum omnium incremento.

Q

Textus Iuris Ciuilis.

QVadraginta diebus, qui auspicio cæremoniarum Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum. *Lege Quadraginta. Cod. de feriis.* pag. 119. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Quamuis homo suas iniurias relaxare teneatur æuo toto; tamen cùm se aptat ad Paschalia festa, sibi vt confitendo Deum conciliet, conuitia accepta debet tunc maximè condonare.

Textus Iuris Ciuilis

Qui adulterinam monetam cudunt, & ipsis & qui in eis ministerium exhibuerint, manus amputantur. *Constantin. Harmenopolus lib.6. promp. iuris tit.14.* pag.47.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Omne peccatum lethale sicut adulterina moneta suum auctorem obstringit pœnæ manus gladio turpiter amputatæ. Quisquis enim peccat lethaliter, ille benè operandi gratiâ excidit: namque sibi derelictus, habet ex corrupta natura manus otio dissolutas.

Textus Iuris Ciuilis.

Quicunque ex palatio nostro cuiuslibet tituli ad prouincias commeauerit, compulsor, exactor, admonitor, portitorve præcepti, agens in rebus, vel palatinus vel apparitor illustrium potestatum: hoc tantùm potestatis arripiat, quod mandatum curiæ suæ specialiter approbauit, ne quod iniunctum fuerit alteri collegij iure præsumat, ne dum hoc sibi inuicem mutui officij licentia partiuntur, agant cuncti quod singulis credebatur. *Lege. Quicunque. Cod. de executoribus. lib.12. tit.61. leg.2.* pag.427.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Quisque sua sorte debet contentus esse, quia qui contendit vsurpare decus indebitum, ille velut indignus honore, pœna debita castigatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Quibus bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne iudicati trahantur in carcerem. *Lege 1. Cod. Qui bonis cedere possint. lib.7. tit.71.* pag.463.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Homo voto paupertatis emisso, bonis quidem cedit; sed idcirco liber non est & immunis ab aliarum virtutum praxi, ad quam omnes homines obstringuntur.

Textus Iuris Ciuilis.

Quia non semper, nec facilè concurrebat, vt cùm tu haberes quod ego desiderabam, inuicem haberem quæ tu accipere velles; electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis subueniret, eaque materia formâ publicâ percussa, vsum dominiúmque non tam ex substantia præber, quàm ex quantitate. *Lege 1. ff. de contrahenda emptione. lib.8. tit.1.* pag.48.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Ad hoc vt numisma sit probatum & sincerum, ius ciuile tria prærequirit. Primum, vt sit congrua materia. Alterum, vt signetur ad Principis arbitrium. Tertium denique, vt valeat quantùm indixerit illi Principis institutum. Illa tria coëunt in quouis opere Christiano, scilicet materia, forma, & æstimatio. Materia bonorum operum sunt actiones omnes, quarum editio redundare potest ad gloriam Dei. Aliæ verò, quibus nihil animæ commodi adiicitur, quæ neque Dei intuitu fiunt, plumbeæ sunt. In his rationem obtinent auri actiones, quæ ad Religionem spectant, vt sunt orare, sacrum facere. Character insultus, quo numisma Principis dispescitur ab alio, est peculiaris nota Regis, vt lilia in Gallijs. In moralibus necessarius hic character est charitas dirigens omnes actus nostros ad gloriam Dei. Est autem ex beneplacito Dei quòd ad trutinam charitatis virtutes & merita omnium hominum appenduntur.

Vide plura scitu digna. ibid.

Textus Iuris Ciuilis.

Quia humanitatis nostræ est egenis prospicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non desint; salaria etiam, quæ sacrosanctis Ecclesiis in diuersis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, iubemus nunc quoque inconcussa, & à nullo prorsus imminuta præstari; liberalitatique huic promptissimæ perpetuam tribuimus firmitatem. *Lege. Priuilegia. §. Et quia. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis. lib.1. tit.2. leg.12.* pag.467.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Principes larga manu diffudere bona, suis vt opibus indigis hominibus, & ministris Ecclesiæ prouidè subuenirent. Harum dispensatores opum sunt diuites Ecclesiæ præpositi, quos acerba futura iure manent supplicia, si iniquè rebus profanis opes impendant, in egenis & subsidio Ecclesiæ Christo Domino consecratas.

Textus Iuris Ciuilis.

Quoties de delicto quæritur, placuit non eam pœnam subire quem debere, quam conditio eius admittit eo tempore, quo sententia de eo fertur; sed eam quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus, quo deliquisset. *Lege. Quoties ff. de pœnis. lib.48. tit.19. leg.1.* pag.565.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Ne fortè reus quispiam falsò credat se posse tutò & impunè suum æuum transigere, præsertim si dignitate clarus aliis emineat; diuina & humana iura clamant, nullam omnino sortem perpetrato crimini suffragari. In eo argumento facer prostat textus liquidior omni lege, quo monemur fore durum iudicium his qui præsunt, & potentes, supple malos, in scelerum mulctam tormina grauia perpessuros.

Textus Iuris Ciuilis.

Quoties vrgente necessitate comparationes frumenti, vel olei, aliarúmque specierum quibuslibet prouinciis indicuntur, nulli penitus possidentium sese sub cuiuscunque priuilegij occasione excusandi tribui facultatem censemus, omnique cuicunque possidentium quocunque modo, quocunque tempore, per sacros apices, vel etiam pragmaticam sanctionem, aut iudicialem fortè dispositionem, huiusmodi excusatio data est, vel postea data fuerit, licentia vnquam minimè

contra tenorem legis nostræ saluberrimæ valitura. Adeò namque huiusmodi onera cunctis pro qua singulos portione contigerit volumus irrogari, vt ab iisdem comparationibus, nec sacratissimam nostræ pietatis, nec serenissimæ nostræ coniugis domum patiamur subtrahere. *Lege. Quoties vrgente. Cod. Vt nemini liceat. lib. 10. tit. 17. leg. 1.* pag. 710. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Magnâ equidem solertiâ prouisum est militibus Imperatorum munificentia; ita vt nullis omnino exceptis hominibus voluerint omnes de suo penu conferre ad annonam militum. Principum etiam sumptibus erogatam. Sed hæc cura longè fuit infra prouidentiam Christi, qui non de suo duntaxat ærario, sed de carne sua & sanguine suis fidelibus instruxit epulas, exemplo hactenus inaudito.

R

Textus Iuris Ciuilis.

RAptores virginum, vel diaconissarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernimus. *Lege. Raptores. Cod. de Episc. & cleric.* p. 455. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Qui puellas in plateis, Ecclesiis, & choreis ad obscœna sollicitant nutibus & susurris, si raptores virginum non sunt, æterno tamen supplicio plectentur, quia sunt animæ peremptores.

Textus Iuris Ciuilis.

Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto & fuit & est; & vt decet vt patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam nobis fuit semper studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes Orientalis tractus & subiicere & vnire Sedi vestræ sanctitatis properauimus, &c. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubium sit, quod monetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ CAPVT EST OMNIVM ECCLESIARVM. Per omnia enim properamus honorem, & auctoritatem crescere vestræ Sedis. *Lege. Reddentes. Cod. de summa Trinitate. lib. 1. tit. 1. leg. 9.* pag. 267. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Mentitur hæreticus quando latrans ait, Ecclesiam Romanam non esse caput omnium Ecclesiarum, sed illam superbè sibi gloriosum hunc titulum vsurpasse. Iustinianus olim iniurius Pontifici Siluerio, non dixisset hanc Ecclesiam esse caput omnium aliarum, nisi credidisset eam aliis omnibus eminere.

S

Textus Iuris Ciuilis.

SAncimus ergo, sacras sequentes regulas, eos, qui singularem conuersationem profitentur, non promptè mox à Reuerendissimis Præsulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere monachalem: sed per triennium totum tolerare, nondum monachicum habitum promerentes; sed tonsura & veste eorum qui laïci vocantur vti & manere diuina addiscentes eloquia. Et dum triennio toto ita permanserint, optimos semetipsos & tolerabiles aliis Monachis & Præsuli demonstrantes, hos monachicam promereri vestem atque tonsuram. *Nouella 5. de Monachis.* pag. 441. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Vt perennare nequit æuo diuturno præcox fructus, quem præcipiti partu prægnans natura foras edidit; ita neque potest ille diu constare sibi, qui Religionis vota cupit absque tyrocinio præuio profiteri.

Textus Iuris Ciuilis.

Serui autem aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris: fiunt autem iure Gentium, ex captiuitate, aut iure ciuili, cùm liber homo maior viginti annis ad pretium sese venundari passus est. *Lege. Summa. §. Serui autem. Instit. de iure personarum. lib. 1. titul. 3. §. 4.* pag. 339. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Textus hic recenset tres seruorum classes; vnam eorum, qui nascuntur ex ancillis; alteram illorum, qui cedunt in ius inimici victoris; vltimam demum hominum, qui se vltro domino vendiderunt. Illam omnimodam seruitutem patitur homo malè sibi conscius. Primò, natus est ex ancilla, humana scilicet natura peccatis obnoxia. Rursus impetitus à dæmone susurris, & à carne fœda impetigine & pruritu obscœno, suæ animæ deditionem fecit, subiens ita iugum sordidæ seruitutis. Denique lenocinio voluptatum fractus homo, velut pretio accepto, suo genio indulget, & ita sua excidit libertate, toto vt æuo vitio mancipetur.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis mortali opere facta & æuum passura simulacra imposito thure venerabitur, ac ridiculo exemplo metuens, subitóque ipse vel redimita vittis arbore, vel erecta effossis ara cæspitibus, vanas imagines humiliore licet muneris præmio, tamen plena Religionis iniuria honorare tentauerit; is vtpote violatæ Religionis reus, ea domo seu possessione mulctabitur, in qua eum Gentilitia constiterit superstitione famulatū. Namque omnia loca, quæ constiterit vapore fumasse, si tamen ea in iura fuisse thurificantiū probabuntur, fisco nostro associanda cēsemus. Sin verò in templis, fanisque publicis, aut in ædibus, agrisve alienis tale quispiam sacrificandi genus exercere tentauerit, si ignorate domino vsurpata constiterit, viginti quinque libras auri mulctæ

nomine

crimine cogetur inferre; conniuentem verò huic sceleri par ac sacrificantem pœna retinebit. *Lege 12. Cod. Theodosij. de paganis.* pag. 401. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Thura fumant ante vana simulacra, quando votis anhelis homo colit opes, idola fuso auro vel argento constantia. Cultus ille facit hominem obnoxium pœnis æternis; quippe Deo iniurius est, cui anteponit opes, eis iniquè sua obsequia omnia deuouendo. Præfata lege locus sacrificij deperibat ei, qui immane nefas hoc tentarat; ita nequam homo, rebus infimis addictus supra modum, iustè Deo vltore loco cadit vbi sacrificat: anima namque rea ob peccata suo corpore dissoluitur, quo sæpe fuit vsa sicut instrumento suæ nequitiæ, quo priuatur morte repentina vitæ subtegmen districto gladio præscindente.

Textus Iuris Ciuilis.

Si qui Iudices præfecto publicis pecuniis operi suum nomen sine nominis nostri mentione inscripserint, majestatis teneantur obnoxij. *Lege 10. Cod. de publicis operibus. lib. 8. tit. 12.* pag. 55. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Gloriam ab homine acceptam, non semper eliminare Dei gloriam, constare potest ex instituto, qui vt in cœlis gloriæ suæ participes facit beatas mentes, sic concedit eis in hoc æuo quædam specimina gloriæ ad animos acuendos vt immarcescibilem gloriam alacres insectentur. Ita Imperatores Præfectis prouinciarum permisere, suum vt nomen infra nomen Principis inscriberent operibus ære publico fabricatis. Illâ quoque Dei indulgentiâ non sunt insimulandi læsæ majestatis ij, qui aliquale nomen sibi parant ex bono opere absoluto meritis Christi, penes quem est ærarium Ecclesiæ, modò Dei nomen exantlato bono operi præponatur. Id est, quamuis à meritis Christi vt à fonte fluat vis merendi, ac proinde bona opera nostra fiant quasi impensis alienis, cùm merita nostra sicut latices ex eo fonte manent; inde tamen gloria emergens in gratiam operantis, non est iniuria Christo, modò nihil eius ita gloriæ detrahatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Si non rectè ædificauerit, omne opus, quod post denuntiationem fecerit, suis sumptibus destruet. *Lege 1. Codice de noui operis nuntiatione. lib. 8. tit. 11.* pag. 72. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ieiunia austera, fusæ preces, eleemosynæ larga manu erogatæ bona sunt opera; sed si eo intento fiant, vt inde vanam gloriam aucupetur homo, malè ædificat, ac proinde perit ei totum quod impendit temporis & laboris, imò pœnæ obnoxius est, quia de perpetrato bono opere superbiuit.

Textus Iuris Ciuilis.

Si militiæ nomen dare vultis, offerte vos his, qui probandi ius habent. *Lege 1. Cod. Qui militare possint. lib. 12. tit. 34.* pag. 399. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nemo suis viribus innixus tentare debet bellum in vitia inconsulto Deo; siquidem impar homo tali bello cadet, nisi fortè Deus eum approbet, & dignetur eum gratiis congruis adiuuare.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis nummos falsa fusione formauerit, vniuersas eius facultates fisco nostro præcipimus addici. In monetis etenim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus, cuius obnoxij majestatis crimen committunt, & præmio accusatoribus proposito, quicunque solidorum adulter poterit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota, flammarum exustionibus mancipetur. *Lege 2. Cod. de falsa moneta. lib. 9. tit. 24.* pag. 47. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Facta bona eo intento, vanam vt gloriam concilient, falsæ monetæ sibi vindicant locum, ac proinde pœnæ subiiciunt auctorem huiusmodi aliunde boni operis exantlati. Appetitus enim gloriæ humanæ, Dei gloriæ substitutus, est adulterina nota, bona opera deprauans, quæ idcirco suo omni merito spoliantur.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac tumulentiæ turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum. *Lege vnica. Cod. Si quis Imperatori maledixerit. lib. 9. tit. 7.* pag. 304. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

O vocem Imperio dignam, atque primi entis Dei ideam adumbrantem in Principe Christiano, cuius hæ præcipuæ sunt partes, scilicet Christum omnium planè rerum Dominum imitari! Iniurias suas impunes esse volunt Principes & homunciones abiecti solam suspicionem iniuriæ acriter vlciscuntur. Homines supremis infulis insignes atque rerum potientes irritas esse volunt iniurias acceptas; & tamen humile hominum vulgus, lixæ, & calones illatas aliquando sibi iniurias marmori inscribunt, vt nacto tempore opportuno diræ vltioni possint effuso etiam inimicorum sanguine desæuire.

Remissionem illam iniuriarum esse argumentum animi ad imperium nati, probauit Christus hoc stipendium adiiciens à se latæ legi, scilicet filiationem Dei: *Diligite (inquit) inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.*

Id est, si vobis est animus ad regnum aspirare Dei, mercamini sceptrum praxi dilectionis inimicorum; quia tunc maximè ostendetis vos esse imperio dignos, cùm nullus iniuriæ sensus, aut aliqua cupido vestris animis imperabit.

Textus Iuris Ciuilis.

Si tempore manumissionis operæ tibi impositæ sunt, scis te eas præstare debere. Solet autem inter patronos, & libertos conueniri, vt pro operis aliquid præstetur. *Lege. Si tempore. Cod. de operis libertorum. lib. 6. tit. 3. leg. 1.* pag. 340. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ea conditione sumus manumissi, qua fuere quidam serui olim, quibus erat iniunctum, aliqualem operam impendere patronis. Christus enim ita fecit nos liberos vt in stipendium libertatis, perfectionis studio vacaremus. Sic ille: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Adiecta benè est particula *ergo*, vtpote concludens nostram libertatem ea conditione niti vt æmularemur pro modulo nostro perfectionem Dei, sicut honorarij ephebi, in veste sui domini tesseram ferunt. Si ergo deposuimus graue iugum peccati, & liberti sumus Christi, operam demus perfectioni: hoc nempe suam est sortem congruis actibus exhibere.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis sibi falsum nomen imposuerit, genus parentésque finxerit, quo quid alienum interceperit, possederit, pœna legis Corneliæ, De falsis coërcetur. *Lege. Falsi. ff. ad legem Corneliam. de falsis.* pag. 340. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ille sibi iniquè nomen Christiani arrogat, qui referre suis moribus Christum non satagit. Ita Augustinus lib. de vita Christiana: *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen vsurpare alienum?* Vide plura scitu digna pag. 340. c. 2

Textus Iuris Ciuilis

Si quis seruum meum vel filium ludibrio habeat, licèt consentientem; tamen ego videor iniuriam accipere; veluti si in popinam duxerit illum. *Lege. Si quis seruum. ff. de iniuriis. lib. 47. tit. 10.* pag. 422. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Iniuriæ proximo illatæ Deus est vltor; quippe læsus in persona sui serui, quando viros iniurios plectit, est ita suæ contumeliæ propriæ vindex, siquidem in eum irrogata mala proximo redundarunt. Vnde dura sententia dicenda reis in iudicio extremo non seriem texet omnium peccatorum; sed duntaxat ea mala, quæ reprobi intulere Dei seruulis, exprobrabit: *Esuriui* (inquiet) *& non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere.* Atrocia profectò manent tormenta reos, qui grauibus iniuriis alios homines incessunt, nescij forte Deum grauiter offendi proximo lacessito.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis propter nimiam paupertatem egestatémque victus causâ filium filiamque sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi eius seruitij habeat facultatem. *Lege. 2. Cod. de patribus. lib. 4. tit. 43.* pag. 474. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nullæ leges filium excipiunt à iure cui natura prolem obstrinxit in gratiam patris positi in extrema corporis egestate.

Textus Iuris Ciuilis.

Si qua pœna est, mulcta est. *Lege. Si qua pœna. ff. de verborum significatione. lib. 50. tit. 16.* p. 565. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Dura fames, inexhausta sitis, ægritudo, bruma, calor, & ærumnæ, reuerà pœnæ sunt, sed etiam mulctæ mali à primo homine perpetrati.

Textus Iuris Ciuilis.

Sunt pœnæ, quæ aut vitam adimant, aut seruitutem iniungant, aut ciuitatem auferant, vt exilium: aut coërcitionem corporis contineant; veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio. *Lege. Si quis. §. 3. ff. de pœnis.* pag. 565. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Tantus olim iustitiæ strictæ zelus gentiles etiam iudices adussit, vt nequirent vllum ferre crimen inultum: qualem ergo fore putas vltionem, quam seuerè Deus expetet à noxiis hominibus in die iudicij, vbi actiones cuiusque hominis expendentur.

Textus Iuris Ciuilis.

Super seruis, qui postea ad quamdam militiam aspirare tentauerint, vel scientibus, vel ignorantibus dominis præcipimus, siquidem his ignorantibus eam meruerint, licere dominis competentem iudicem adire, & suam ignorantiam eo quòd contrarium minimè probatur, ostendere, eoque modo spoliatos eos militiâ in dominium suum trahere. *Lege 6. Cod. Qui militare possint. lib. 12. tit. 34.* pag. 399. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Serui censentur inhabiles & inepti ad militiam stante iugo sordido seruitutis. Ita si alicuius praui habitus importuno iugo premimur, verbi gratiâ si adhuc animo insidet prauus affectus, vt libidinis, aut vindictæ; incassum damus militiæ Christianæ nomen nostrum: vno namque prauo habitu vigente, sumus diaboli vtpote peccati laqueis irretiti. Imò sæpè pia anima excusso iugo lethalis peccati, si nimio rerum infimarum capitur affectu, non est idonea militiæ, ad quam præcipit Deus nos accingi: nimirum

nimirum illa petit à prauis affectibus animas expeditas.

V

Textus Iuris Ciuilis.

VNam existimamus oportere legislationem imponere omnibus sanctissimarum Ecclesiarum, xenodochiorum, & nosocomiorum, & monasteriorum, & totius sacrati Collegij rebus, &c. Nos igitur sancimus neque Patriarcham, neque Episcopum, neque cuiusque generis piorum locorum œconomum, aut monasterij virorum vel mulierum Abbatem vel Abbatissam, aut quemlibet omnino præsidentem venerabilibus collegiis licentiam habere alienare rem immobilem aut in domibus aut in agris, &c. Nec per specialis pignorisoccasionem tradere creditoribus. Alienationis autem nomẽ generalius posuimus, vt prohibeamus & venditionem, & donationem, & commutationem, & in perpetuum extensam emphyteusim, quæ non procul ab alienatione consistit. *Authentica. De non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiæ.§.Vnam.* pag.470.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Religioso nefas est profanis se immiscere rebus; cùm namque totum se addicit huius sæculi negotiis, cœnobio se subducit, cuius ille rebus vacare debet eo zelo, vita vt religiosa sui alumni, verbo & opere propagetur. Quando foras abit Religiosus libertatis amans, & in claustro rarus adest horis canonicis, rem monasterij distrahit, & sæculo accommodat; aliquando Deus hoc sacrilegum facinus vlciscetur.

Textus Iuris Ciuilis.

Vrbs Constantinopolitana non solùm iuris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogatiua lætetur. *Lege. Vrbs. Codice de priuilegiis vrbis Constantinopolitanæ. lib. 1. tit. 20. lege vnica.* pag 613.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Imperatores degentes Constantinopoli in gratiam sui incolatus, illam vrbem fecere participem gratiarum, quibus olim Roma caput Imperij indulgente Cæsare gestiebat. Homo, cui Christus adest in communione frequens, est sacrarium Dei, ac proinde sacræ dotes eius animam stipant, in gratiam incolatus Christi in illam cœlitus illabentis.

Textus Iuris Ciuilis.

Vsusfructus est ius alienis rebus vtendi, & fruendi, saluâ rerum substantiâ. *Lege 1.ff.de vsufructu.* pag.162.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Nemo planè rerum aliquarum huius sæculi verè dici potest habere plenum dominium, sed vnicuique solus est concessus vsusfructus: vnde quia dicuntur opes siue bonæ, siue malæ, provt quis siue benè, siue malè rebus his vtitur, si rectè diues opes administrat. ab illo bono vsu, rectè bonus vt congruo nomine nuncupatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Vt nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum est. *Lege 196.ff.de regulis iuris.* pag 29.c.1

APPLICATIO MORALIS.

In confesso est apud omnes, peccati illecebras demulcere duos sensus, internum scilicet & externum, & sic peccando animam gaudere in fruitione rei illicitæ, & delectari carnem affrictu & contagio sordidæ voluptatis. Nonne igitur tristitia expiatura labem, quam contraxit homo peccando, debet perstringere corpus & animam, cùm ille reus in deliciis à Deo vtraque parte sui conscia deuiarit.

Opportunè potest hoc probari exemplo Regis Achab olim pessimi, quem scriptura sacra nobis exhibet habitu pœnitentis. Non conclusit Achab tristitiam suam intimis animæ suæ recessibus, sed indubia etiam specimina eaque magna dedit exteriùs, corpore facto participe mœroris, quo animus malè sibi conscius angebatur. Etenim cilicio hirsuto, & sordido sacco suam carnem afflixit, vt ita Deum citiùs ad veniam inflecteret, animâ contritâ & corpore macerato. Profectò sibi benè consuluit Rex ille reus, vtrimque suum mœrorem probans: nam cùm lethiferum peccatum sit animi deuij actio nefaria, & homo ex corpore & anima coalescat; congruum est pœnitentiam corpore & anima celebrari.

Cæsareo iure potest veritas hæc adstrui: quippe iuris huius vnum hoc est oraculum: *Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur, cùm quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus.* Lege 196. ff.de regulis iuris. Voluptas peccati se corpori & animo infudit. Ergo debet pœnitentia sincera duo hæc mulctare velut conscia peccati, id est, corpore afflicto debet & contrita anima demonstrari.

INDEX RERVM MEDICARVM.

A

Textus Medicinæ.

Cardialgia cum torminibus ventris fera prorumpunt. Hippocr. lib. 1. coac. cap. 11. præn. 15. pag. 619. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Hac Hippocratis prænotione liquet, cardialgiam, id est, cordis & ventriculi tormina sæua pati eos, qui viscere immundo feras enutriuit. θηρία, id est, feras vocauit Hippocrates, quia ferociunt illi vermes, hominis intima corrodentes. Facinorosus homo truces habet vermes qui dente virulento rodunt penitiora quæque animæ. Vermis ille mori nescius ita suis morsibus animam discruciat, vt illa sui impos in mediis deliciis, scilicet caupona, ludis & choreis nullam inde queat capere voluptatem. Dauid ipse memor voluptatis, cui malè sanus indulserat vermes ait ita suam conscientiam diuexasse, dirè vt cordis intima lacerarint. Sic ille: *Conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Psal. 37. Rùrsus: *Die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Psal. 31. Aggrauata die & nocte manus, ærumna, vepres idem certè sonant ac vermes, peccatoris viscera cruciantes.

Textus Medicinæ.

Æruginosi vomitus in cephalalgia cum surditate ac vigiliis citò adducunt insaniam. Hippocrat. lib. 3. epidimior. historia 1. sect. 2. pag 306. col. 1

Ratio prædictionis huius petitur à natura bilis, quæ per anadromen sursum lata, calore suo dissoluit cerebri temperiem, & discutit vapores omnes somniferos, vnde sequi necesse est noctes insomnes, & surditatem, quam parturit accensa bilis, illo suo incendio depascens spiritus, & temperamentum organi congrui ad auditum. Hippocrates prænotionem suam confirmat exemplo Philistæ hominis febrientis, quem secunda die à decubitu surditas incessit, præuio vomitu exiguo flauæbilis, quem secutus est insaniæ insultus, præludium mortis, quæ die quinta malè habentem hominem enecauit.

APPLICATIO MORALIS.

Ecce ideam symptomatum, quæ animam afficiunt biliosam, cùm ficta confessione totam bilem non euomuit. Plerique fœdere ementito suas componunt rixas, & in confessione bilem modicam egerunt dicendo, malè se fuisse suis æmulis affectos; attamen odij affectum non deponunt, ideoque bilis conclusa feris præcordiis, multis fœta malis parturit surditatem, vigilias, insaniam, morte demum pessima extinguit ægrum, morte scilicet æterna, vnde nemo rediuiuus ampliùs excitatur.

Primò obsurdescit homo ille fouens odium conceptum. Incassum susurro interno Deus hunc admonet, vt supersedeat, imponàtque modum noxiis affectibus, quos ira flagrans alit: frustrà sacris concionibus aures præbet; etenim nullum inde sanum consilium transit in cor æstuante bile rosum. Noctes item insomnes habet, cum ad capessendam iniuriæ vindictam odio perurgente. Illud enim odij ingenium est, vt siquando suas altè radices egit, suggerat semper nouas nocendi artes, quibus inuigilans animus inquies sit, homine meditante modos omnes, vt acceptam iniuriam vindicet opportunos. Oblatâ ansâ idoneâ vltioni, insanit homo, prosiliens in conuitia, verbera, & cædes, quibus anima in discrimen mortis æternæ adducitur postmodum flammæ vindici mancipanda.

Vide plura scitu digna & selecta. pag. 306 col. 2

C

Textus Medicinæ.

Concocta purgare oportet, & mouere; non cruda. Hippocrat. lib. 1. aphorism. 22. pag. 18. col. 1

Noluit Hippocrates vrgeri humores ad egestionem, sine præuia præparatione, quia melius est naturam feriari, quàm frustra quidpiam moliri, nam translatus humor, qui stagnarat in aliqua corporis regione, lædit aliam partem, in quam ille ferus influit, & ita plerumque necem ægris incautè decreta pharmaca procurarunt. Namque licèt ea remedia sint apta; nemo tamen eorum vim salutarem participat, quin se accingat ad propitium eorum influxum. Apparatus ille prodest à Fernelio Medico præstitutus. Potio est constans dissolutis herbarum succis in aqua stillatitia, sacharo condito, pauco cinamomo adiecto seu spicæ nardi: nempe tali odore grato viscera recreantur.

Pharmacopolæ talem potum auspicantur à contusis herbis, quarum iusculum expressum igni lento admotum clarificant secernendo fæces, tandem adiiciunt saccharum & aromata, quæ omnia in sufficienti aqua stillatitia congruè dissoluuntur.

APPLICATIO MORALIS.

Confessio sincera velut pharmacum est, educens omnia praua seu peccata, quibus ægra anima sauciatur. Vt illa fiat confessio rectè sicut par est, homo primò contundat herbas, & educat inde succum calore modico decoquendum. Herbarum nomine intelligo omnia carnalia, quorum

illecebris

illecebris anima decipitur; omnis quippe caro fœnum. Fit illa contusio meditando accuratè, in quas fæces abeant illæ obscœnæ deliciæ. Erubescet ea in speculatione rea anima; vtque rubor in corpore calorem habet implexum, ille pudor animæ aliquales excitabit scintillulas amoris Dei, non quidem sufficientes ad integrum charitatis incendium, sed idoneas, quibus vt lento igne incipiant secerni animæ sordes à sincera eius substantia. Cogitet anima pudibunda factum amorem quo benignè Deus illam dignatus est, quamuis aliàs errabundam.

Recolat se à Deo potuisse trudi in abyssum ob tanta flagitia quæ meminit, succo velut eorum extracto. Bone Deus, quot in eo succo fæces obiicientur ei? quas dum lento attritionis igne coquet metuendo pœnas inferni, incipiet illas secernere ab anima sua, cogitans sanctiùs institutum. Abiuratæ virtutis olim dulcedinem commemoret, & hæc dulcedo vices sacchari obibit, ne virtutum praxis amarore suo fastidium ingerat animæ pœnitenti.

Præterea dum animo suo versabit homo pœnitens fragrantiam virtutis impigræ, adhibebit aromata perquàm grata, quibus condire queat propositum vitæ sanctioris. Meditatæ demum vitiorum fæces, & cogitata Dei amoris dulcedo, fletus proliciant, & lacrymæ illæ velut aqua distillata totam illam potionem perficient, qua mediante, foras peccata omnia protrudentur.

Textus Medicinæ.

Contemplari oportet febres, num ingrauescant, an vero mitescant, atque ita pronuntiare Hippocrat. lib. 2. Coacar. cap. 4. prænot. 10. pag. 490. col. 2

Medicinæ speculatiuæ caput est prognosis, cuius est præuidere plura & varia morbi symptomata, adhibitâ maturâ inspectione mali, de quo pronuntiare debet medicus eruditus. Præcipuè verò ratio practicæ medicinæ sita est in cautela quadam applicandi opportunè manum chirurgi industrij, & tempestiuè malo congrua pharmaca decernendi.

APPLICATIO MORALIS.

Religiosa vita genus est medicæ disciplinæ; siquidem illa sibi hoc pensum indixit, vt ab anima eliminet vitiorum omne genus, eam & innoxiam perfectamque Deo exhibeat ab omni peccatorum maculâ repurgatam. Summa vitæ huius illibatæ duo capita concludit, scilicet speculationem & praxim. Speculatio comprehendit ea quæ ad orationem pertinent, vt sunt meditationes altæ rerum cœlestium, psalmodia, & sacrosanctum Missæ arcanum. Praxis verò porrigitur ad omnium virtutum vsum, qui in claustro viget. Verbi gratiâ diæta seu tenuis victus apud eos ferè iugis est ob plurima ieiunia: pharmaca propinata notant familiares eis mortificationes, quæ instar calicis epotantur. Denique chirurgia cuius est secare, vrere, & sanguinem detrahere, professione trium votorum concluditur: castitas namque totum hominem sollicitat, vt luxuriantis sanguinis copiam flagellis alleuiet. Paupertas abscindit opes, quarum affluxus infaustè parit animæ cachexiam: perfectæ demum obedientiæ vinculis, effrænis voluntas restringitur, quæ suâ naturâ gyrat inquies, errabunda. Medicinæ obsequio Hippocrates & Galenus vegeti vixere diu, sic in claustro plerique viri sine lethali noxa suum æuum omne transegere Deo desuper aspirante.

Textus Medicinæ.

Corporibus prahumidas carnes habentibus, fames imperanda est, fames enim exsiccat corpora. Hippocr. lib. 7. aphorism. 59. p. 419. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Gula præualente madet humore fœdo totum corpus, quo inundante Venus hominem immergit cœno sordidæ voluptatis. Vt exhauriatur humor ille salax, opportunè cibus nimius libidinis obscœnæ fomes impuro homini subtrahetur. Namque friget inhonesta Venus quando Ceres abest; & Bacchus affluenta vini fluenta negat tempore diuturno suis asseclis ebriosis.

D

Textus Medicinæ.

DEiectio alui optima est mollis, coagmentata, subrufa. Hippocrat. lib. 3. Coacar. cap. 4. pag. 516. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Tempestiuè suas obeunte bile vices, homo fæces egerit, hoc humore tetro & amaro quasi stimulo peracuto pigra viscera vellicante. Natura sagax adeò sollicita de corpore emundando, fuit profectò memor & animæ, eique suam opportunè bilem aspersit, vt ea refluente, fœdam omnem colluuiem aspergeret, illam vtique, qua stabulante tota anima conspurcatur.

Illæ animarum sordes sunt vitia, in quæ insurgit odium, quod est animæ subiratæ motus refuga mali, cuius exterminium molitur anima percita odio iusto. Cùm ergo simus omnes alter alterius membra, ac proinde fiat ex genere humano quasi corpus vnum in ordine ad Deum, curare debent omnes, ne fortè fæces vitiorum alicubi restagnent; cunctis enim illa cura incumbit, vt tersior quisque fiat vitiis abdicatis.

Ad hanc sollicitudinem spectat odium, ideo institutum, vt omne noxium exterminet. Quamuis enim videatur odium amori ex diametro opponi; tamen maximè ad amorem proximi conducit, si in illo solùm vitia oderimus, personâ tamen eius adamatâ, cui procuramus bonum gratiæ, vitia castigando.

Reuerà fauet compositio vesicæ fellis, nam vasculum illud ex hepate emergit, vnde pendulum felle alluitur; eo fine quem præmisi, scilicet ad viscera repurganda. Cogit amare iecur: namque sedet ibi facultas concupiscibilis, ad quam spectat amor, qui incandescit quando rei contrariæ obiecto amoris odium insurgit. Vnde vesicam fellis pendere ex iecore perinde est ac odium sequi amoris pondus, ita vt tale sit momentum odij, quale potest esse verum pondus amoris. Itaque qui feruida charitate benè afficitur erga suum proximum, perfecto debet etiam odio in eius vitia succensere.

Perfecti huius odij meminit Psaltes, ita suum

 pertinaue

persuaue melos edens. Psalm. 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescam? Perfecto odio oderam illos.* Odit ille viros qui odere Deum; non quia homines sunt, sed vt Deo iniurij sunt: hoc odium vocat perfectum, quia fertur eò, ad quod institutum est, scilicet ad vitia perstringenda.

Cauenda tamen est efferatæ bilis ascensio in caput; eius enim ex Dureto proles est phrenesis: etenim statim atque bilis præ intento naturæ furit sursum vecta, quatit importunè sedem rationis, hominemque sui impotem facit. Prudenter ergo curet homo suum moderari odium, ne in vitia sæuiendo, quoque feriat inimicos.

Vide plura alia egregia. p. 317 c. 1

Textus Medicinæ.

Deiectio pura cum sudore febrem soluit. Hippocr. lib. 3. Coac. tract. 4. Coac. 80. p. 68. c. 2

Medici deiectionem illam puram vocant, quæ est mistionis expers, & quæ est optimè figurata.

APPLICATIO MORALIS.

In his quæ ad confessionem spectant, ego reor eam deiectionem esse puram, quæ sincera est, nullas excusationum ambages prætexens, vt minuat vitij grauitatem. Quòd si lacrymis expressis à contritione reus desudet homo foras egerendo sua crimina, erit profectò talis deiectio benefica, vtpote figurata sicut expedit animæ pœnitenti.

E.

Textus Medicinæ.

E*Orum quæ critica sunt, nihil conuenit esse paucum* Galenus in prorrhetic. 47. Hippocr. pag. 306. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Homo malus, tunc pessimus est quando bonum se simulat: nam præter eam nequitiam, qua iam triobolaris homo nequam est, in hoc quoque recens discrimen incurrit, quòd virtutem adulterat, illam faciendo vitio concolorem. Ita malè est ægris quando natura manu parca mouet & egerit noxij humoris colluuiem: namque tale mali modicum fermentum non cedit pharmacis imbecillis. Tunc oppressa natura prauo & noxio humore sui deliquium patitur vitio inchoati tantùm repurgij, & residui humoris morbifici in infecto viscere residentis.

In hanc perniciem incurrit homo, sua grauia peccata silens in confessione, ratus esse satis præ pudore quædam leuia crimina confiteri. Profectò nihil modicum criticum est: Tantùm abest vt confessio trunca prosit, quinimò velut sacrilega & praua nouo grauat impium sceleris incremento.

Auarus item malè partas opes parca manu restituens, non ita benè sibi consulit, quicquid enim est suffuratus homo, debet, si opportunè potest, reddere dominis legitimis antea defraudatis.

His concolor est anima saturata odiis, quæ exercuit cum æmulis suis; hæc factura fucos inimico iungit dextras, in fœdera noua iurat, positura modum rixis hactenus excitatis. Fictè ruit in amplexus: ementita vota veri affectus astutè promit; sed tempore opportuno dato sæuam ad vindictam, excidit omne pium propositum amandi illum hominem iniurium, & signa omnia obsequij hactenus exhibita protinus euanescunt. Hæc amicitia simulata parum remittens de odio prisco nihil prodest ad salutem, imò suas altiùs radices agit, ita fucos faciendo vitis, quibus occultè nocet ementita specie pietatis. Vt ab Hippocrate damnatur ille bilis vomitus, qui plenè bilem noxiam non effundit; ita nihil omnino prodest relaxare parum odij, si resident in corde malè affecto praua semina simultatum.

Textus Medicinæ.

Euidentium causarum ordine cibus atque potus locum obtinent secundum, eorumque vis est aeri proxima. Hic quidem celerius ac promptius in plures inuadit; at cibus atque potus quoniam permanentem ac inhærescentem corpori materiam suppeditant, id validiùs contumaciusque afficiunt. Cibi potusque vitia gignendis morbis pabulum materiamque suggerunt, è qua & morbi interdum sponte emanant, nullo euidentis causæ impulsu. Imò & quoniam vel ab aere, vel ab animi perturbationibus, vel aliis causis euidentibus morbi nulli excitantur, nisi consentiat corporis præparatio, & humorum constitutio: si hæc tota ex cibo potuque profecta est, maximam hi sanè in gignendis morbis vim obtinent. Vt semel dicam: Vna gula omnium est propè morborum mater. Femel. lib. 1. pathologiæ cap. 14. pag. 418. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Profectò plura sunt animæ discrimina, quàm charta queat referre, gulæ quando suæ indulget homo cibo nimio saburratus Nempe gula primò caput impetit, oppugnans rationem principem facultatem animæ capite locatam: mentis enim acies est obtusa gulæ mancipiis. Ægrè admodum recolunt ea quæ pertinent ad salutem, & siquando mentio fit horum grauiter audiunt; aures enim eis sunt occlusæ iugi affluxu humoris in has animæ portas affatim exundantis.

Rursus heluo omnibus exosus & factus velut opprobrium hominum, vtpote agens vitam porci, non aduertit vbi nec in quo volutabro iacet, quia caligant oculi mentis, exuberante crapula lippientes. Præterea si aliquod opus arduum est tentandum, homo vorax ineptus est, quippe manus habet obeso corpore dissolutas.

Nihilo etiam aptior est ad frequentandas Ecclesias, vt animæ suæ consulat astando sacris; nam præpeditos habet pedes, scilicet affectus habet, ad culinas & cauponas delubra Bacchi & Cereris anhelantes. Idcirco sui abdominis cultor homo totus in acediam frangitur, & impos fit ad salutem immersæ cibis animæ procurandam: etenim deliciæ carnis & animæ non coëunt. Denique quod infaustè malum portendit omen Hippocrates corpori inferto cibis in animam transit: nam gratiæ moritur & virtutibus, ita gulâ dona Dei omnia decoquente.

Vide plura scitu dignissima. pag. 419. col. 1. & 2

Textus Medicinæ.

Exigui vomitus biliosi malè habent ægrotos: idque cum aliàs, tum si vigilias agitauerint. Hippocrat. prorrhet.47.p.306.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Homo voces edens iniurias inimico, licèt illæ breues sint & paucæ, sicut esse solent conuicia acerba famam lædentia; vomitu laborat, qui estò rarus sit & modicus, illo tamen momento potest animam enecare.

Textus Medicinæ.

Ex largiore potu rigor & delirium, malum. Hippocr.lib.7.aphor.7.p.419.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Homines omnes dediti vino rigent in his quæ pertinent ad salutem: nullus enim omnino calor charitatis eos viuificat; idcirco suæ ad salutis consilia, opportuna licèt, auribus obdurescunt. Eorum vita tota vino immersa merū delirium est, portendens insigne malum, scilicet æternum supplicium animæ perituræ.

Textus Medicinæ.

Extimarum partium citá in vtrumque mutatio graue malum portendit. Hippocr.prorrahtic.8. sect.2.1.p.212.c.1

Hippocrates semper habuit suspecta alternantis naturæ vices: siquidem operæpretium est naturam constare sibi, vt ægroto benè medicus ominetur.

APPLICATIO MORALIS.

Profectò malum supremum instat ei, qui de peccato ad gratiam, & vicissim de gratia in peccatum transit, ita parum sollicitus de tenore iugi gratiæ conseruando. Omnis enim qui incautè graui discrimini se exponit, ægrè redit sospes & incolumis; & res est periculi plena Dei gratiam deponere ad tempus, vt genio quis indulgeat, spe concepta gratiæ denuo repetendæ. Nam cùm gratia efficax non pendeat tantùm ex hominis arbitrio, sed etiam ab influente Deo; res est periculosa, Deum sæpe lacessere, rursus in perpetrata crimina delabendo.

Quotidiana talis delirij prostant exempla nequam hominum, qui salutarem gratiæ habitum deponentes, vt se aliquo vitio contaminent sub spe longioris vitæ, & gratiæ reducis, in facinoroso tamen actu iuste Deo vindice comprimuntur. Si ergo tibi gratia diuina præsens aspirat, homo, huic sedulus inuigila, & caue ne vitio gliscente, tibi ingrato denegentur spatia pœnitendi.

F

Textus Medicinæ.

Ferinum autumno; eius index cardialgia, horror, & tristitia. Galenus lib. de humoribus. pag.619. c.1

Ratione frugum, quas in autumno plures edunt, autumnus æquè ferax est vermium atque frugum: nam fructus esi supra modum generant vermes, quia facilè corrumpuntur.

APPLICATIO MORALIS.

Ego reor autumnum referre typum prosperæ fortunæ, quia illa fœta bonis omnibus luxuriat, & ita suis amasiis indulget, vt hi se ingurgitando bonis & deliciis, ægrè ferant sortem hanc persuauem: etenim non peccant impunè, quia morsibus acerbis conscientiæ vermes eos discruciant, & ab his supplicio indefesso rosa illorum viscera laniantur.

Hæc synderesis importuna secum alia multa vehit discrimina: namque malè sibi conscij omnes horrent & tristantur. Moralis Theologia præludiis illis erudita, malè viris his impiis ominatur: Vt namque videt hominum nequam mores deperditos, & aduertit eos animo inquieto totos frigore algere pia in virtutum praxi, horrere ad omnem inferi mentionem, & confici alto mœrore sui impotes præ tristitia; concludit indubiè, nebulones illos agitari conscientiæ vermibus importunis.

Vt decernitur à medicis amara potio laborantibus illa lue; ita Theologi, peritissimi consultores animarum, vt occurrant discrimini mortis æternæ, quæ imminet obstinatis hominibus, medentur eis amarore pœnitentiæ, quæ confessionis obsequio educendo foras peccata, feras, id est, vermes eliminat, quibus anxiè viscera mordebantur.

Textus Medicinæ.

Firmiora sunt argumenta discessionis vitæ, aut morbi, quæ ducuntur è signis, quam è symptomatis. Nam è symptomatis crebra sæpe nascitur vt tempestatum sic opinionum varietas. At certè signorum constans & firma debet esse prognosis in alterutram partem: nec vlla excusatio Medici accipienda, qui de signis errauit in prænoscendo. Duret.in lib.2.Coac.Hippocr. cap.16. prænot.11. pag.664. c.2

APPLICATIO MORALIS.

Pœnitentia sincera notas habet indubias, in quibus istæ primas tenent, scilicet contritio, confessio, satisfactio, fuga rerum quæ prouocant ad peccandum, & virtutum omnium praxis indefessa, vitæ repurgatæ comes. Director animarum errans in his signis, est ab illo sacro officio velut idiota procul & protinus ablegandus.

H

Textus Medicinæ.

Hi potissimum superfunt, quos febris eodem die dimiserit post eruptionem puris, ac cibum citiùs appetunt, & siti liberantur. Hippocr. lib.2.præsag.63.p.67.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Pus vocat Hippocrates humorem illum, qui

restagnans in aliquo viscere computruit; eo pulso foras, ille tepet ignis, quem accenderat hæc putredo. Igne extincto, sitis sedatur, & fit æger animæquior reduce sanitate, cuius argumenta indubia Medicis innotescunt.

Æs alienum iniquis artibus asseruatum in arcula computruit conscio auaro, qui die & nocte iugi cupidine inflammatur opum. Febriens appetitus ille dirè lancinat animam, anxiam semper qua ratione queat aliorum prædia deglutire. Si tamen Deo Medico propitio abditum pus extra salit, ære abscondito restituto suo legitimo domino, & statim eleemosynarum largitio magna prodit sedatam esse sitim illam auri, nihil profectò nisi faustum & felix huic animæ possumus ominari. Idcirco licèt anima ieiunio assiduo præteritas puniat illecebras, si adhuc aurum illa sitit immodicè, periculi imminentis hoc est pessimum argumentum.

Textus Medicinæ.

Hydropicos statim secare oportet. Hippocrat. lib.6.epidim.part.7.p.76.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Est congrua sanè aquarum cum opibus comparatio: nempe sicut aquæ labentes deponunt fæces, suoque iugi fluxu salutares fiunt, vitium verò capiunt stabulantes; ita omnis opum vtilitas attenditur penes effluxum in manus pauperum, vbi velut in fornace nitent, & puritatis capiunt incrementum. At secus hominem in discrimen vocant, si eas sacculis includit: loculus namque tumens arguit imminere malum extremum illi qui suo damno tenet obseratas opes, quas opportunè Deus sanxit indigis erogari.

Quamuis esca soli videatur cedere ventriculo; ille tamen non auarè sibi eam asseruat, sed diffundit eam: hanc hepati commendat vbi mediante calore ruber chylus, naturam sanguinis induens, quem hepar in omnes corporis transmittit oras vt hoc influxu membra omnia vegetentur.

Textus Medicinæ.

Hominis anima semper fundit vsque ad mortem. Hippocr.6.epidim.part.5.

Vide loci huius doctissimam explicationem Dureti, explicantis naturam in homine semper sollicitam, minimè feriari. Eo intento lege pag.348.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Natura sanè sagax & industria fuit ad procurandum incrementum corporis: inde potest anima ad studium perfectionis assurgere, petito rudimento sui augmenti à momentis, quæ natura instituit vt corpora citiùs adaugescant. Habet anima suas facultates corpori symbolicas, scilicet attractricem & retentricem; coctricem & expultricem. Desideria feruida, & vota anhela sunt facultas attractrix animæ, cui optare efficaciter, attrahere est. Retentricis agit vices propositum tenax seruandi dotes cælitus acceptas, eas pro viribus excolendo. Coctricis obit partes efficacia charitatis, quæ animam impinguat & digerit omnia cruda. Demum synderesis est expultrix; illa nempe foras excernit omnes animæ fæces, nec patitur quidpiam sordidum inibi stabulari.

Quodque rectè notat studium naturæ cupidæ sui profectus; illæ facultates corporeæ semper agunt imò homine dormiente suum tenorem seruant, & laborant nesciæ feriarum. Mortis in procinctu omen est, & fatiscentis naturæ nota, otium facultatum. Si ergo cupit anima sospes esse, debet sedulo cauere, tepor ne irrepat, quo gliscente primæ potentiæ magno vitæ æternæ dispendio turpiter otiantur. Vide plura.p.349.c.1

I

Textus Medicinæ.

IN apoplecticis à spiritus angustia sudor prorumpens, mortem subesse ostendit. Hippocr. lib.2. Coac.cap.23. prænot.4. Vide loci huius doctam explicationem. p.398.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Quos deserit Spiritus Sanctus, hos mors repentina rapit. Ad minimum cum diabolo congressum largè sudant, & animis cadunt, impares pugnæ cum vitiis, & semper eis dæmone præualente.

Textus Medicinæ.

Initiis morborum natura morbificis causis opprimitur, estque humorum cruditas, vnde non potis est salutariter quicquam excerni, neque cieri. Duret. in lib. 1. Coacatum Hippocrat. prænot.88.

APPLICATIO MORALIS.

Vt se habet natura rebus in physicis; ita quoque se habet gratia diuina rebus in supernaturalibus: namque sicut fatiscente natura malè habet homo, sic gratia deliquium patiente, petit anima Christiana. Quando grauat naturam noxia colluuies humorum, illa velut oppressa malo cedit, respuens omnia remedia; ita rerum terrenarum affectu prægrauatus homo, Dei amore simul & gratia excidit, redactus eò discriminis, vnde nequit vllo humano pharmaco resilire.

Textus Medicinæ.

Ineuntibus morbis, si quid mouendum est, moue. Hippcr.lib.2.aphor.29.

Ratio huius aphorismi petitur à glutino & viscositate praui humoris, qui nequit erumpere, nisi congruo dilutus pharmaco moueatur.

APPLICATIO MORALIS.

Statim atque dæmon incipit præludere noxiis ideis, & susurris inducentibus ad peccandum, anima Christiana debet seipsam vrgere, prauos vt omnes affectus excutiat, ne si incauta pigrè gerat se, sensus transeat in consensum, & sic ignauus homo lethali vulnere sauciatur.

——— serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

Consona voce clamant Sancti omnes, non esse locum

locum diabolo dandum, resistere cunctando; verùm nequitiam omnem esse suo in semine conculcandam.

M

Textus Medicinæ.

Medicus in corpore venter cordi ac vitæ destinatus est, vtpote cuius domicilium & sedes habetur: nam cordis gratiâ pulmones tanquam stragulâ creati sunt, qui illius feruorem frigidiore haustu spiritu temperent. Circumscribitur hic venter suprà, iugulis, seu clauibus: infrà, diaphragmate: circumcirca, dorso, costis, atque pectore. Etenim diaphragma, quod nos cingulum & septum transuersum appellamus, præterquàm quòd inspirationis primum est instrumentum, aluique facibus exturbandis opitulatur; cordis quoque regionem ab infimo ventre & intestinis tanquam paries interiectus dirimit. Fernel. lib. 1. physiologiæ cap. 8. p. 89. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Gratia diuina nobis potior esse debet iis omnibus vsquequaque rebus, & partibus à natura satis ad corporis vitam persuauem in hoc sæculo propagandam. Idcirco plura Dei auxilia gratiam stipant & muniunt, quam cor, quod homine inuito potest euelli; sed nihil planè cogit hominem Deo gratum, vt illâ Dei gratiâ cadat, quæ influxit: quippe nemo nolens diuina potest gratia spoliari.

Gregor. lib. 14. moral. c. 7. *Costa (inquit) viscera constringunt, vt latentia intrinsecus earum soliditate muniantur. Costæ ergo vniuscuiusque sunt sensus animi, qui latentes cogitationes muniunt.*

Quia virtutes sunt animæ robur, quo assurgit, comparantur ossibus; easdem namque vices obeunt in anima, quas in corpore animato gerunt ossa. Vt ergo natura tutum ad munimen cordis arculam osseam composuit; ita & gratia diuina debet thoracem osseum construere nostris affectibus, illos stipando iugi virtutum omnium praxi, quæ estò dura, tamen instar ossis impenetrabilis, cor nostrum tutabitur à dæmonum fraudibus illibatum. Nempe sicut ossa, licèt abscondita, sustinent rectè totam corporis molem & compagem; ita & virtutes, quamuis altè delitescant, magno sunt animæ præsidio, obstantes ne deorsum inclinet homo, fœdis vitiis impetitus.

Vide plura scitu digna. p. 89. c. 2

Textus Medicinæ.

Medicina est ars ad humani corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos comparata. Fernel. in præfatione physiologiæ. Inde potest artis & naturæ sagax minister, Medicus appellari.

APPLICATIO MORALIS.

Animarum pastor eas partes obire debet, quas Medicus; quippe munus eius præcipuum est, curare, iugis vt gratia perennet in anima, & quæ irrepsere vitia profligare.

N

Textus Medicinæ.

Nata ex imbecilla virtute, ipsam rursus imbecilliorem faciunt. Galenus lib. 5. de morbis.

Est recidiua malo primo peior: nempe prior morbus ingruit corpore non effœto, sed valido, ac proinde magis idoneo ad obstandum ne morbus altas radices agat; at recidiua petit corpus ægrum nuper, cuius sanitas recuperata recèns, impar est morbo denuo lacessenti. p. 745. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Anima, quæ post peccati repurgium, iterum polluitur, in grauius discrimen incurrit, quàm cùm deliquit initio: namque primò dedit illecta manus voluptati, quæ exculta diu prauum conciliat habitum, sicque malè afficit animam, quæ estò Deum placet pœnitendo; tamen adeò propensa est ad peccandum, vt ingruente tentatione ruat faciliùs in consensum, quàm ante malum habitum contractum, qui etiam fit ipsâ recidiuâ peior, & sic iterum peccans anima prægrauatur.

Vide plura præclara scitu digna. p. 746. c. 1

Textus Medicinæ.

Naturam esse definimus vim primam, & causam per se nostri opificem, & conseruatricem. Hominis enim natura est, quæ non aliud quicquam procurat, & quæ soli addicta homini, quem conformauit, gubernat quantùm pótest longissimè. Etenim ne frustra condidisse videatur, edito illa operi in omni vita insidet, id nunquam deserit, sed eius gubernacula tractans, partes omnes in suum quamque opus ducit, & concitat, vt illa ipsa simul omnium functionum causa censeri debeat. At illius substantiam quænam sit peruestiganti, vis & potestas caloris prima in mentem venit, cui solet omnis effectus causa palàm attribui. Aptiùs quidem spiritum ingenitum, quicunque is fuerit, naturam dixeris. Fernel. lib. 4. physiologiæ, cap. 7. p. 173. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Quamuis natura suo semper inuigilet operi, omnia membra regens & dirigens vt congruit animali; attamen gratiæ diuinæ maior inest cura rerum, quæ conducunt ad salutem animæ procurandam. Vt natura duo dicit, scilicet spiritum, & calorem; sic gratia diuina dicit Spiritus Sancti influxum, & æstum feruidæ charitatis.

O

Textus Medicinæ.

Oleum simplex relaxat, emollit scyrros; concoquit, maturat, & mouet pus. Fern. lib. 4. de methodo medendi. cap. 2. p. 68. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Oleum optimum & sincerum habere debet tria, quibus eleemosynæ perfectio concluditur. Primò

Primò debet oleum esse recens: fit enim vetustate deterius: ita bona sua erogare volens indigis hominibus, expurgare debet omnem peccati vetustatem & gratiæ nouitatem induere, ne fortè Deo ingrata fiat eleemosyna prodiens ab anima conspurcata.

Alterum, quod petitur ab oleo, est, vt è torculari facilè defluat, alioquin magna torcularis expressio sordibus & amurca replet oleum; ita citò debet erogari eleemosyna, ne extorta, fæces colligat, vtpote non facta Dei intuitu, sed euulsa crebris pauperum vocibus importunis.

Denique oleum defæcatum esse decet,& limpidum, ne si subobscurum extiterit, eius opacitas suspicionem faciat oleum non valere. Eleemosyna placitura Deo tantùm pellucida est, vt subobscura litans oculis hominum, quos captare cupit, opes indigis erogando. Profectò tale oleum præstat ei, quo vidua creditorum æs omne dissoluit. Qui comparauerit oleum tale nouis in vasis, ille diues erit meritis, & magno cumulo gratiarum.

Vide plura scitu digna. pag. 68. col. 1. & p.69. c.1

P

Textus Medicinæ.

Potionum forma ad simplicem intemperiem, & ad corporis, vel humorum præparationem, & alios plerumque vsus tres nunc præcipuè vsurpari solent, iulepus, apozema, syrupus. Iulepus fit ex quouis liquore stillatitio addito melle sacchariue triplo, &c. Accommodatur is præcipuè intemperiei corrigendæ, leniendæ siti, & compescendo atque frænando humoris ardore, & malignitati frangendæ. Fit proinde vel è cardiaco liquore stillatitio, vel è puro defæcatoque succo, vt limonum aut granatorum, &c. Apozema quoniam ferè iulepo insuauius est, rarò in eosdem vsus destinatur. Syrupus magis incidit ac detergit. Fern. lib.4. de methodo medendi cap.12.p.183.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Quando Deus abundè potat lacrymis animas quæ peccarunt, disponit eas ad egerendam in confessione fœdam illuuiem peccatorum, quorum affectus in cordis intimo residebat.

Textus Medicinæ.

Præpropera tempestates morbos gignunt inconstantis iudicij. Hippocrat.lib. aphorism. pag. 172. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

In hæc discrimina incurrit homo nolens stare in illo gradu suo, cui destinatus erat: fœdifragus noluit esse sua sorte contentus, sed excutiendo iugum seruituris, regnante Deo voluit inconsulto. Idcirco quia ille suo defuit ordini homo nequam, ista tota mundi compages est vlta Deo illatam iniuriam; omnia namque priùs edita in subsidium hominis noluere suum ei pendere obsequium, ad quod antea tenebantur. Nempe fuit rectæ rationi consentaneum illum destitui rebus infra se positis ad auxilium, quia ad infulas inconcessas tumidus assurrexit. Æquum profectò fuit, hominem hunc superbum, qui fastuosè suo noluit Domino Deo subdi, in arrogantiæ mulctam die & nocte pati seruos in se rebellem sæpius insurgentes.

Textus Medicinæ.

Pridianas faces singulis diebus excernit, qui valet aut valere debet homo. Hippocr.lib.de ratione victus. p.708.c.2

Quantumuis valeant cibi, non idcirco tamen prosunt ingesti visceribus hominum, nisi egerantur stabulantes in aluo fæces: vnde prudens Medicus repurgium decernit ei, cuius interiora putent, impura colluuie viscera faciente. Illi oraculo profectò fidem abundè facit experimentum quotidianum hominum, qui opiparè pasti, non vegetiores inde fiunt, aluo humore noxio qui restagnat ægrè admodum impedita. Vt ergo sibi consulant infirmi, non indiscretè cibos ingerent in abdomen fæcibus olidis oppletum, sed satagent vt impura foras trudantur, vt salutari esca queant postea saginari.

APPLICATIO MORALIS.

Si quis quotidie accedit ad epulas Christi, ille debet pridianas attentè fæces animæ discutere, & pœnitentiæ scopis euertere, ne fortè panis ille sacer effectum suum minimè sortiatur. Imò satis non est euomere confitendo lethale virus vitiorum; sed operæpretium est, ad trutinam districti examinis appendere affectus omnes incongruos, & hos repurgare, ritè vt possis homo sisti epulis Angelorum.

Textus Medicinæ.

Proprio ductu in intestina bilis illabens, tum ea ad excrementorum deiectionem stimulat, vnde & fuluo colore infecta comparent, tum lentam & adhærescentem illis pituitam detergit & exturbat, quæ alioquin immodicè aucta, in grauissima incommoda deduceret. Fern.lib.6. physiol. cap.9. pag.316.c.2

APPLICATIO MORALIS.

In anima Christiana zelus præstat idem officium, quod in corpore humano bilis: vt namque bilis effusa cogit exire fæces; ita zelus efferuescens homines effrænes obstringit ad vitia repurganda.

Q

Textus Medicinæ.

Quæ à rigore incidit ignoratio mala est: obliuio item mala. Hippocr. lib. 1. Coacar. prænotione 6.

Ego reor Hippocratem ægro malè ominari, quem obliuio, densa velut caligine opacat post rigorem, quia aliquod vitium in ægroti cerebro suspicatur. p.555.c.1

APPLICATIO, MORALIS.

Hæc ratio militat in perniciem eorum, qui à metu concepto diei iudicij, consilij melioris immemores,

memores, iisdem se obstringunt piaculis, quibus fuerant antea consputcati. In his ille fuit Præses, qui tremefactus est Paulo recensente diem iudicij,& de Christiana fide benè sensit,sed postea desiderans pecuniam à Paulo sibi dari, oblitus est conceptos de salute suæ animæ cogitatus.

Te Christiane fata manent hæc infausta, si à concepto metu diei iudicij, refricas peccata velut immemor iudicij, cuius horrore quasi concussus eras antea tremefactus. Sanè viget illud Hippocratis oraculum, quo damnatur obliuio emergens post rigorem. Vtergo rigor obortus post recensionem diei iudicij sit salutaris,colligendi sunt sedula indagine omnes actus nostri, vt sincera confessione trudantur noxij animæ humores,& ita fiat anima hac secretione vegetior,iuxta sanum consilium Patrum,qui eo fine diem iudicij commemorant,vt anima horrore percita corrigatur.

Vide loca selecta Patrum p.555.c.1.& 2

Textus Medicinæ.

Quæ crisim subeunt ante diem, si cruda sit crisis, hinc veniunt recidiuæ; sin minus acrisiæ manent. Hippocr.lib.2.epidim.part.2.p.745.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Peccata modo præcipiti confessa, crudæ crisis instar, nihil omnino boni conciliare queunt animæ pœnitenti. Etenim ardere debet contritione rea anima, vt crimina confessa foco illo quasi comite decoquantur. Anima confessa sine præuio apparatu congruo, peccata quidem enarrando potest egerere;sed nullo concepto dolore vitæ præteritæ, peccata sic confessa velut cruda parum prosunt ad conciliandam animæ sanitatem.

Textus Medicinæ.

Quibus febris desinit, non cum indiciis solutionis, neque diebus decretoriis, recidiuam expectare oportet. Hippocr.lib.3.præsag.24.p.21.c.1

Medicina malè ominatur ægro, cuius morbus desiit sine præuiis criticis angustiis, insidamque vocant sanitatem, cui perfecta crisis non præiuit. Nimirum vt absit omnis suspicio noxij humoris abditi in venis aut hypocondriis, natura sagax altè rimans penitiora quæque loca, tentat expellere quicquid negotium facessere potest ægro qui decumbit. In procinctu quo molitur natura praui humoris repurgium, diuexatur homo; verùm lancinans ille dolor est argumentum instantis pristinæ sanitatis.

APPLICATIO MORALIS.

Impossibile est sanari hominem febrientem citra effluxum causæ morbificæ, cuius eruptio non fit absque præeunte crisi;humor enim ille prauus adglutinatus strictè vasis, dum moliente natura foras truditur, validè discruciat: sed ille labor conciliat infirmo corpori sospitatem. Simili propè modo rea torquetur anima conciliatura sibi Deum in confessione. Illa prauos affectus ægrè licèt exuit & deponit, quia sunt semina peccatorum, quæ à tergo instant, si latentes illas scelerum reliquias homo malè sibi conscius enutriat. In eo agone dolet animus tristior effectus ob perpetratum immane nefas, & propter repudium dandum omnibus illecebris, quæ animam imprudentem antea demulserunt. Controuersia illa sanè grauis est,sed obstetricante Deo parturit anima,& ita suo experimento probat esse tristitiam animæ salutarem.

Vide locum eximium Augustini.p.21.c.2

Textus Medicinæ.

Quibus è dysenteria sæua itur ad puriformia, qui superstat humor multum albus erit, & multus. Hippocr.lib.3.Coac.c.20.prænot.p.324.c.1

Calori naturali, quando viget, Medici attribuunt sanitatem: humores enim noxij coquuntur eius obsequio,& ea coctione fiunt mitiores vt citiùs egerantur. Verbi gratiâ, dysenteria fluxio est vtplurimum cruenta à bile fera;sed vbi viuidi caloris ope mitis est effecta bilis, iam albescit, & est nuntia sanitatis.

APPLICATIO MORALIS.

In sacris idem propè sonat amor, quod in natura calor, & econtrà calor animæ significat amoris æstum, quo percita cœlitus inardescit. Quando flagrat homo sacro Dei amore, lubens omnes relaxat iniurias,& calor ille coquit tempestiuè bilem, eamque mitem facit,si quam fortè mouit & discussit rabies æmulorum. Amor enim sic attemperat iniuriarum sensum, vt etiam dulcescant amara viro qui amore calet. Vtque bilis abiens in pituitam quandoque gerit vices alimenti, ita suo dulcore condit amor iniurias, illis vtens vt mediis congruis ad salutem, & ita diris & acerbis conuitiis & offensis accensa Dei amore pia anima saginatur.

Ait Hippocrates esse alba quæ truduntur,quando bilis efferata meram desinit in pituitam; & inde benè ominatur ægro Quando suum dulcorem affinxit amor iniuriis,quæ citò bilem exasperant, homo flagrans amore sacro nihil omnino foras egerit factis & voce præter alba & innoxia; namque piis obsequiis æmulos incessit,ita suæ referens animæ candorem, quem affingit iis omnibus actibus,qui ab ipsa anima candida deriuantur.

Vide plura scitu digna, locumque egregium Augustini p.324.c.1

Textus Medicinæ.

Quibus ex rigore febris est laboriosa, hemorragiam pronocat. Hippocr.lib.3. Coac.tract.3. prænot.46.p.554.c.2

Rigore petit Medicus coniecturas mortis ægri; vnde benè monet Duretus ita fatus in primam prænot. lib.1. Coac. *Nullus feracior locus est in Medicina ad ineundam διάγνωσιν febrium,quàm de rigore.*

APPLICATIO MORALIS.

Facta mentione duri & extremi iudicij horrore quodam concutitur perculsus homo reus. Ille metus, animæ rigor est, exordium ducens ab aliqua vitiorum cacochymia, expressa è valuulis memoriæ,refricantis ideas retroactæ vitæ:ille timor vellicat animam memorem peccatorum, quæ calorem charitatis viuidum extinxerunt. Namque sicut abest à corpore humano rigor febrilis deficiente prauo humore;ita dies iudicij extremi cum recolitur,

recolitur, nullum omnino metum ingerit Sanctis imò magis habent quod gestiant & lætentur, quia nullo prorsus morbi seu vitij semine prægrauátur.

Quando quis meditato die iudicij, primò metu concutitur, & inde calet contritione concepta, peccata vomit, lacrymarum defluit vndequaque sudor; malè partas opes, quæ sunt sanguis egenorum, effundit & restituit, proculdubio ille rigor omnia fausta clamat; excernit enim omne vitus illud, quo prævalente salus animæ fatiscebat.

Textus Medicinæ.

Qui cum feroci perturbatione somno excussi à potestate sui exeunt, grauissimum habent malum, & conuulsificum. Hippocr. lib. 1. Coac. prænot. 88. pag. 173. c. 1

Nota, malum conuulsiuum habere duo præambula antequam infaustè suos effectus in ægroto corpore sortiatur. Primum, quod præludit ante finem infirmi, est obstinata praui humoris rebellio in spiritum sanitatis opificem. Alterum est, ferociente tali humore vitæ iniurio, hominem non esse sui iuris, sed turpiter insanire.

APPLICATIO MORALIS.

Damnationi æternæ duo semper præire solent. Vnum est deperditio Spiritus Sancti, qui est salutis animarum optimus architectus. Secundum est iactura suiipsius dominij; qui namque suum dæmoni tetro nomen vltro dedit, ille suus non est, nec tam actor agit, quàm patiens agitur vitiis irretitus. His præambulis itur ad conuulsiones animæ, id est, ad synderesim, quæ atrocior est omni supplicio, & animam discruciat tot & tantis aculeis & tormentis, vt liceat inferre, tale hoc tormentum lacerans præcordia esse velut tyrocinium ignium inferorum.

Textus Medicinæ.

Qui ex rigore perfrigent, & vnà dolore tum capitis tum ceruicis implicati, mox voce capti, paruo sudore madent, vt se collegerint moriuntur. Hippocr. lib. 1. Coac. præn. 1. p. 212. c. 1

Dehiscentis naturæ nota est ille sudor modicus, qui ab effœtis partibus sponte sua exudat de succo alibili, quem non retinere valent exolutæ partes: sequitur inde bonum & vtilem humorem, institutum in subsidium ægri, à natura delinquente foras trudi, homine defungente. Vide locum hunc fusiùs explicatum. p. 211. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ecce typum animæ in peccatis. Si vitio lethali oppressa iacet ægra, suam ad salutem anhelans, & aliquem contritionis actum exerit, dicimus efficacem fuisse talem gratiam, quæ omne auersata nefas, animam sanauit, concepto priùs timore Dei, quem excepit amor, larga lacrymarum pluuia subsequente.

Si gratia aggressa tale repurgium, postea vitio recurrente, tali negotio impar est; illa grauata mole praui humoris, concipit quidem rigorem: dum namque suo voluit animo, se mox iudici sistendam, horrore tota concutitur & hic horror alium algorem inducit, scilicet frigus desperationis, quo succus omnis alibilis exudat: quicquid namque fecit olim in statu gratiæ, estò semen sit gloriæ æternæ, illud omne perit, & penitus euanescit.

Anima sic desperata, vocis deliquium patitur: Sacerdos enim frustra monet ægrum vt se fateatur proprio ore reum, & ita Deum sibi conciliet: illo sano consilio & salutari susurro totus incandescit æger & tacitus moritur, in æternum à dæmone cruciandus.

Vide plura. p. 212. c. 1

Textus Medicinæ.

Qui diuturno defuncti morbo, ex animi sententia cibum capiunt, neque proficiunt, grauissimè relabuntur. Hippocr. lib. 1. Coac. præn. 133. pag. 708. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Homo ritè confessus, vtens Angelorum pane, debet augeri virtutibus & gratiis, corpus enim Christi vacuam non influit in animam. Quòd si communio sancta suos effectus ibi non sortitur, expectanda est recidiua, quia gratia diuina nequit esse tali in ignaua anima diuturna. Ne ergo cadat homo Dei gratiâ, attentè suis rebus inuigilet, satagat ire de virtute in virtutem, vt sic exculta Dei gratia, meritorum adiectione noua capiat incrementa.

R

Textus Medicinæ.

Reliquiæ febris extinctæ superstites in hypocondrio, mala. Hippocr. prorrhetic. 7. sect. 1. pag. 56. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Huius præsagij pernicies etiam in moribus attenditur, eique fidem fecit discrimen summum naturæ in primo homine vitiatæ. Ægritudine pessima decubuit Adam, sauciatus appetitu gloriæ: tumorem hunc depressit humilitas Christi, qui etiam pretioso suo sanguine deliniens hoc putidum vlcus, salutem conciliauit homini decumbenti. Non idcirco tamen in integrum est restitutus æger, id est, redemptione Christi non recepit homo suæ integræ naturæ dotes; præter enim mulctam mortis, quæ non est reuocata, quædam propensio in malum mansit, quam Theologi fomitem peccati appellant. Caro flagrans libidinis æstu, incauta ruit in præceps; spiritus verò velut imbecillus ob plagam gloriæ ambitæ nequit assurgere ex se ad diuina, ideoque quasi retrocedens patitur illud idem Adami deliquium, inanem gloriam ambiendo.

In homines influxit illa labes, Adamo mali huius semina diffundente suam in sobolem. Reliquiæ tanti morbi præcipuè resident in hepate, cui est affixa sedes concupiscentiæ. Dicitur à Medicis hepar dextrum hypocondrium, sicuti splen est sinistrum. Præterea cogit amare iecur. Reliquiæ febris extinctæ vigent in hoc hypocondrio dextro: nam statim atque lucis gloriæ tantillum homini affulget, vanitatis ei periculum imminet. Vnde Patres sancti dixere, magis esse tutum declinare vanam gloriam, quàm cum illa agone dubio decertare.

Vide plura scitu digna. p. 57. c. 1. & 2

Textus Medicinæ.

Rigor est concussio totius compaginis, maximè autem partium posticarum, quæ adiacent lumbis. Duret. in primam prænot. lib. 1. Coac. Hippocr.

Vide plura scitu digna de rigore. p. 554. c. 2

Textus

S

Textus Medicinæ.

SI omnes omnium artium commoditates, facultates copiasque despicis, nihil est Medicina melius, nihil optabilius, nihil hominum generi datum præstabilius. Nam si est vita cunctis mortalibus charissima, si lux ea in primis expetenda, in qua viuimus, spiramus, & iucunda consuetudine inter nos coniungimur: si ea primum est & præstantissimum munus animantibus attributum, atq; quæ illam seruat continet, ac tuetur, quo pacto non sit omnium præstantissima: quid ea potest homini magis in votis esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos inquam & aduersam valetudinem propulsat? quæ vitam incolumem ab omni ærumna liberam quàm diutissimè tuëatur. Fern. in præfatione Physiologiæ.

Vide plura Medicinæ encomia. p.491.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Si Medicina soli corpori intenta, sanum vt tuetur, est suspicienda velut ars homini propitia; profectò pluris erit facienda cura animarum, quæ vitia extirpat, virtutes inserit, gratiam cœlitus illapsam excolit, & animas aptat ad æternæ vitæ gaudia capessenda.

Textus Medicinæ.

Si quis à frigore cùm sudarit, citò rursum ardeat, grauissimum habet malum. Hippocr. lib.1. Coac. prænot. 56.p.555.c.1

Expressus è corpore febriente sudor, quandò benè cedit, extinguit omne febris incendium, vt aqua solet ignem infusa subitò consopire. Si verò largo diffluente sudore febris non mitescit, imò secus inardescit æger, æstus ille notat ibi subesse latens vtrique lethale malum, quod extremam perniciem afferet ægrotanti.

APPLICATIO MORALIS.

Homo suo versans animo horrendum iudicij extremi diem, & nequiter actæ vitæ memor, clarè videns se pœnis æternis obnoxium esse, metu concutitur, & præ timore sui impos gelidus inhorrescit. Nempe Dei iudicia altè meditata totum hominem & præsertim malè sibi conscium sic percellunt horrore pœnæ malis debitæ, vt defixa tali in speculatione rea anima contremiscat. Homo Dei metu perculsus abit in lacrymas, quæ plerumque vitam æternam illi conciliant, quia diuinus amor eas expressit, vnde fiunt pœnitenti animæ salutares. Si verò fletus hominem non emendant, & libidinis ardor vrit eum, æstus ille malum arguit extremum; nempe notat in peccato reum animum obstinatum.

Textus Medicinæ.

Si quid ante tempus aut erumpat, aut indicetur, tum si quid residuum supersit. Hippocr. lib. de humoribus.p.745.c.2

Hippocrates hoc contextu tres causas recidiuæ refert. Prima est egestio facta die alio quàm critico. Altera, excretio cruda, quæ pepasmum seu coctionem noxij humoris anteuertit. Tertia, reliquiæ praui humoris in aliquo viscere residentis.

APPLICATIO MORALIS.

Ego duas causas agnosco mali seu peccati, quod facta confessione redit & recurrit, vnde miser homo Dei gratia excidens denuo sauciatur. Primò, præceps confessio facta sine præuio & congruo examine conscientiæ non conciliare potest hunc dolorem, quem quæsita peccatorum venia prærequirit. Et estò talis confessio cauda Deum fortè reo homini propitium efficiat, homo tamen in gratia diuina diu non constabit, quia debita contritione sua crimina non decoxit, vnde primo diaboli susurro manus vltro dabit anima tentatori.

Causa demum postrema, potens ad reuocanda mala prætetita, est residuus peccati affectus. Verbi gratiâ, plerique sua adulteria, stupra, malè partas opes, & conuitia in æmulos iacta dicunt Sacerdoti à confessionibus; sed quia peccandi affectum non deponunt, vrgente tentatione sua ad peccata vomita reuertuntur.

Vt æterna salus animæ potior est sanitate corporea; ita Deus voluit esse dies omnes criticos animæ quæ purgatur. Etenim in quacunque hora reus ingemuerit, & confitendo foras egesserit crimina quæ latebant, miserante Deo salutem animæ consequetur.

V

Textus Medicinæ.

VBi longo interuallo impares concurrunt qualitates, addubitare non licet mox à praecellente infirmiorem obliterari, nec continenter esse vno & eodem statu. Quin etiam quæ in permistionem & temperamentum venerunt quodammodo pares, etiamsi per initia non se demoliantur, diuturnitate tamen & numero dierum disparis proportione euadunt. Si per ætates, temperamentorum incidit conuersio; sic morborum; sic seniy & occasus ingenitam causam nobis circumferimus. Fern lib.3.physiol.cap.2. p.43.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Sponte Deus edidit res omnes properas ad occasum, ne corusco suo oriente nobis imponerent; & quia plerumque rerum facies peramœna facit astutè fucos oculis illudens, ille rerum omnium opifex Deus omnem supellectilem Mundi similem voluit esse pomis Sodomorum, quæ deforis reuerà nitent, & suauè fragrant; tacta verò vapescunt, & effuso cinere conspergunt oculos, fugacem illam elegantiam antea demirantes. Horum fructuum fallacem indolem experti, & hunc cinerum iactum, quem prolicit imprudens hæc pomorum attrectatio, nusquam eorum repetunt tactum, imò cauent & reformidant intuitum, ne denuo capti specie hac mendaci, effuso tali puluere castigentur.

Ecclesia Sancta, Deo afflata primo die Quadragesimæ cineres Mundi versat eos, hominum capiti affigens, vt discant inde suum affectum non deuouere rebus huius sæculi, cùm sint in cinerem pretiosa quæque suo tempore dissoluenda.

Prostat eo in argumento diues historia, quam vide p.43.c.1. & 2

INDEX HISTORIARVM.

A

Historia.

ACACIVS cœnobita fuit, ætate quidem iuuenis, ſed virtute canus. Adoleſcens ille ſeni auſtero totum ſe commiſit, eſtò durus eſſet hic magiſter; namque plagis eum afficiebat quotidie: eóque venit inſaniæ director imprudens, vt iuuenem inflictis ictibus enecarit. In hoc verberum agone vocem querulam non emiſit homo Dei, deuotè ſua reddens obſequia præpoſito, cuius mandata latum vel vnguem minimè præteribat. Audito fato ſupremo ſui tyronis homo ferox acceſſit ad ſepulchrum, elata voce clamans: ô Acaci, mortuus es necne? Reſpondens defunctus ait: Verus obediens haudquaquam moritur; ſiquidem obedientia ſancta facit homines immortales. *Ioan. Climach. lib. ſcala, gradu De obedientia.*p.460.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Qui perfectè Dei intuitu ſuperiori obedit, ille ſibi vltro necem conſciſcit, duntaxat vni obedientiæ ſanctæ viuens, ideoque ſuæ vitæ in præmium, quam emiſſo voto Deo obſtrinxit, poſt fata vitam accipit in æterna ſæcula propagandam.

Historia.

Achilles Patroclo occiſo, ſuum vt luctum proderet, execta coma funus ornauit, & capite detonſo ſui amici Manibus hoc lugubri habitu parentauit. *Homer. lib.3. Iliad.* p.22.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Refricata Ieſu Chriſti Paſſione debet homo ſuũ mœrorem quibuſcũque modis poteſt exprimere; quippe necis eius conſcius eſt. Vt ergo ſuas partes agat homo mali tanti cauſa, comam præſcindat, eam Chriſti funeri conſecrando. Coma typus eſt cogitationum, quæ prodeunt è capite ſicut & capilli; ille dicat mortuo Chriſto comam, cui de Chriſti Paſſione iugis eſt meditatio, vt ei compatiendo vices aliquas rependat, & illius amore totus percitus inardeſcat.

Historia.

Adurnius homo potens apud Genuenſes, accepit imminere ſibi cladem ab æmulis iiſque claris, & magni nominis. Non defuit ille ſuis partibus, ſed cautè ſibi prætenſas inſidias declinando, caput coniurationis Petrum Fulgoſum arcto carceri mancipauit. Ille reus erat mortis, quia peccauerat in Rempublicam ſúſque déque euertendam, & præterea in Principem Adurnium tollendum gladio conſpirarat. Attamen Adurnius memor ſe eſſe patrem patriæ oblitus eſt fuiſſe caput ſuum ab homine perduelle diris deuotum, idcirco Ducis & Iudicis perſonam exuit, vt patrem ſe præſtaret, ſicariis vt filiis indulgendo. E carcere & vinculis eductum Fulgoſium blandè admonuit vt ſaperet in poſterum, & liberum ſic dimiſit, & parcendo ſuo huic inimico, ſibi conciliauit affectum aliorum omnium æmulorum. *Petrus Bizarrus in hiſt. Genua ſub ann.*1390.p.332.c.2.

APPLICATIO MORALIS.

Qui condonat iniurias, maius inde lucrum refert, quàm is qui percipit hanc gratiam, quæ momentanea eſt, ac proinde leuis momenti: at remiſſio offenſæ decus & præmium æternum homini conciliat. Paucis dicam: Quiſquis Dei cauſà ſuas relaxat iniurias, meretur, ei vt perpetrata crimina condonentur.

Historia.

Alphonſus Arragonum Rex obſidens Caietam vrbem fortiſſimam, ob penuriam annonæ ciues eò adegit vt pellerent vrbe ſenes, fœminas, & infantes. Hoſtis videns has turmas exiſſe, Regem conſuluit, an internecione greges hi delendi eſſent, aut pugione faucibus adiecto cogendi ad regreſſum, vt his reducibus ciuitati obſidioni cinctæ fames grauior immineret. Obſtitit Rex deteſtatus immane ſcelus, ita fatus: O commilitones, non bellum indiximus puerulis & ſenibus imbelli ætati aut fœminis imbecillis; non habet victoria laudem, de infirmo æmulo reportata. Res nobis eſt cum hoſte cataphracto, æqui armorum ſorte diſputante decus victoriæ, proinde nobis mitiùs eſt agendum cum his turmis, quas miſeranda illarum conditio reddidit impotentes. His dictis huic inermi turmæ cibos diſtribuit, beneficiis debellando greges imbelles, antequam de armatis gladio vindice triumpharet. *Panorm. lib.1. de rebus geſtis Alphonſi.*p.335.c.2

APPLICATIO MORALIS.

O vocem regiam! Non bellum indiximus imbelli ætati; hoc imbelle genus non eſt arcendum à benefico influxu gratiarum. Chriſtiane, ſi qua vindictæ cupido tuam animam ſollicitat, teipſum ſic compella: O anima, non ad hoc edita es vt ſæuires in homines imbecillos. Hi nimirum non ſunt hoſtes tui, ſed propinqui, vtpote eodem Deo patre ſati, quamuis eos malè tuos reputes inimicos. Quid illorum reformidas conamina? profectò nihil in animam poſſunt: hos ſuperare bonis collatis virtus erit; profligare verò malis illatis iniurias vlciſcendo, genus erit indolis inhumanæ. Si te fortè bilis vrget ad aliquos impetus, hos effunde in alios hoſtes, vitia ſcilicet & dæmones, quos profligaſſe, tibi cedet ad gloriam immortalem.

Vide plura.p.336.c.1

Historia

Historia.

Ammonnus à pueritia Christianus, olim præceptor Origenis, ethnicis se adiecit, & defectione fœda fidem Christi turpiter abiurauit. *Rausfius in Ammonio.* p.208.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Arcana sua Deus abscondit iis, quos scientiæ acquisitæ tumor extollit. Sapientia Christiana typhum superbiæ nescit, ideoque minus apti sunt ad fidei mysteria capienda viri sapientes & prudentes huius sæculi, quàm simplices & humiles, qui se totos diuino ductui commiserunt.

Historia.

Andronico iuniore Imperatore Constantinopolim obsidente, quidam Marcus Caballarius triobolaris homo muri è pinnis atroces iniurias euomuit in Principem illum, qui capta demum vrbe, sibi sisti iussit hunc hominem impudentem. Vix ille limen aulæ attigerat, cùm defecit eum animus. Tandem ex eo deliquio redux has audiit ab Imperatore voces. O Caballari, est immane scelus tuum, sed ego Deum grauiùs offendi, quem oro mihi relaxare mea peccata, sicut hodie condono tibi crimen, in quo noxius incurristi.

Res inexpectata toti curiæ placuit, quæ sic affata fuit Principem: O Imperator, reuerà tibi fas est iam nuncupare Deum patrem tuum, & ab eo postulare, tuas vt noxas expungat, quia pietate sola suada seruo nequam omnia debita condonasti. Profectò fuit Andronicus iste suis iniuriis clarior, quàm triumpho. *Histor. Imperial. in Andronico iuniore sub ann.* 1320.

Vide fusè totam hanc historiam. p.330.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Iniuriæ relaxatæ, Dei & hominum affectum conciliant homini condonanti.

Historia.

Andronicus senior Imperator solio pulsus à nepote, fuit redactus eò miseriæ, vt non haberet quo pelliceæ vestis obsequio frigori occurreret hyeme sæuiente. *Gregoras lib.* 9. p.435.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Non est vnde sibi adblandiantur infimæ sortis homines, si aspiret eis aliquando lenis aura: quippe nequit seruare diu tenorem fortuna suum, vtpote assueta gyris, vt patet in plerisque viris, qui videre sibi gazas præostensas potiùs quàm concessas, quæ ipsorum oculis illuserunt.

Historia.

Antonius Venerius, vbi summam rerum Venetiis obtinuit factus Reipublicæ caput, accersiuit Ducham collegam suum, cum quo acerba odia exercuerat: vocatus Duchas ad obsequia reddenda Duci electo non renuit. Eo accedente Venerius seipso maior amplexatus est inimicum, eo specimine amoris faustis auibus suum regimen auspicatus. *Petr. Iustinian. in histor. Veneta sub ann.* 1382. p.332.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vt auspicatus est ille suum principatum à condonatis iniuriis; ita nemo cœli regno frui poterit, nisi iniurias acceptas proximo relaxarit.

Historia.

Aquila Ponticus eruditus homo suum Christo nomen dedit; sed vt addictus erat astrologiæ deliriis & falsis præsagiis, Ecclesia Sancta foras eum expulit, & idcirco fide cadens transiit ad Iudæos, quorum se infecit ritibus obsoletis. Vt magis lacesseret Christum, à quo defecerat, astutè vetus testamentum, Hebræum reddidit Græcè, vsus ea perfidia, vt siluerit ea, quæ de Christo sacro Codice recensentur. *Epiphan. lib. de mensuris.* pag. 208.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Qui vetita & inconcessa scire cupit, ille sui in scrutinij pœnam scienda fugit, habens intellectum densis errorum nubibus opacatum.

Historia.

Arbaces Rex Chaldæus Niniue captâ, Rege Sardanapalo extincto, totam Assyriam rexit. Quidam nomine Belesis acerbè Regem offenderat; nam inscio Rege Gazas mortui Sardanapali aliò translatas nequiter vsurparat. Eà re compertâ dites iræ argumentum reperit Arbaces, vinctumque Blesim sisti sibi iussit, quo adducto, malè viri omnes ibi astantes ei ominati sunt, suspensi quibusnam suppliciis Rex hoc tantum facinus expiaret. Sed ille præter omnium hominum expectationem, & crimen remisit, & elatas concessit opes, arbitratus regna stare Rege suas offensas æquo animo relaxante. *Diodor. Siculus. lib.* 2. p.310.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vt charitas est tessera filiorum regni; ita nemo nisi condonatâ priùs offensâ Regis cœlorum nomen & stemmata sortietur.

Historia.

Arzandes Ægypti Prætor argenteum numisma cudit, vbi pro signo suam imaginem insculpsit, ita ratus fore suum grande nomen. Darius Rex suspectam habuit hanc monetam, ideoque tulit è medio Arzandem vt læsæ maiestatis crimine diffamatum. *Herodotus lib.* 4. p.49.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vt monetæ nomen Principis apponitur; ita nomen Dei inscribitur actionibus & virtutibus nostris, quando ad maiorem Dei gloriam præclara quæque nostra opera diriguntur. Paulus eò collimat ita fatus ad Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi.* Idest, Qualecunque bonum sit opus à vobis enixum, recolite illud esse Dei ad gloriam

gloriam referendum, quia omne bonum nostrum est cœleste donum, defluens in nos à patre luminum; ideoque Deum in ipsum refundite gloriam cuiusque boni, nam ab illo boni semina omnia deriuarunt.

Ille suis operibus non inscribit nomen Dei, qui illo intento bonum opus aggreditur, vt perennet eius imago tali actione, quærens hominibus placere solùm, & propagare sui nominis memoriam, inanem hominum gloriam aucupando. Maiestatis læsæ reus hic est; nempe iura Dei vsurpat, numisma cudens cum sculptura suæ imaginis, vnde cadit merito præmioque boni operis, & supplicio æterno, pœna velut congrua, punietur.

B

Historia.

Baiazethes Turcarum Imperator congressurus cum Tartaro Tamerlane, audiit à Dynastis prudentibus, hoc vnum superesse sibi consilium, & remedium præsentissimum, vt nutantes suorum militum animos erigeret, scilicet vt thesauros, quos in castris habebat, militi diuideret, vt inde miles alacrior factus, Principis benefici partes validè propugnaret. Spreuit ille sanum consilium, & negauit militi donatiuum, quód vltro fato vrgente dare debuerat; idcirco Baiazethis sordidam indolem exosus exercitus, primo congressu fatiscens, terga vertit Principe derelicto, quem Tamerlanes cauea ferrea conclusit, opprobriis omnibus illudendum. Ita suas qui conclusit opes, eas omnes perdidit imperio pulsus, instarque feræ immanis damnatus ad caueam ferream, meritò plectendus ferro, quia auro nesciuit vti, iustâ Dei censurâ fuit ferro circumseptus, qui aurum ferreis arculis obserauit. *Chalcondyl. in Baiazeth* p. 82. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Bellum immane feri hostes indixere viris diuitibus: etenim non duntaxat eos dæmones impugnant, sed etiam à vitiis omnibus obsidentur. Nam sæculares opes sunt velut scaturigo mali omnimodi. In egenos opes erogatæ bonum omen portendunt diuitibus, quibus sic pauperes militando Deum exercituum conciliant, quo fauente dæmon à diuitibus & cuncta simul vitia profligantur. Qui verò secus opes arcula concludunt, spreto pauperum auxilio, illi prostrati à vitiis, in ius diaboli cedent, & conclusis opibus exuentur.

Historia.

Baiazethes I. Turca suis stipatus satrapis peritum in Mahumetica lege virum iussit sibi sisti, qui in Mesquita seu Turcico fano librùm legeret Alcorani. Doctor adest, cui primò caput occurrit de beatitudine, quæ in alia vita manet Turcas, quam cùm ille liber diceret esse sitam in epulis & obscœnis voluptatibus, doctor ibi tacuit vt elinguis, deinde resumpta voce suum Principem affatus ait: Paradisus iste suum seu porcorum est, quibus iacere in cœno bonum est supremum. O quàm sanctior & verior est Christiana fides cœlitus infusa, docens nihil posse verè homines beare præter Deum, quo in æternum beatorum animæ perfruentur. Sermonis huius præmium, martyrij palma fuit; Baiazethes enim excandescens, flammis eum addixit, vbi solo Deo doctore fidem Christianam professus, animam exhalauit.

APPLICATIO MORALIS.

Profectò sues sunt, qui se beatos in hoc æuo credunt, quia voluptuosè viuunt. Sancti verò lugent, & suspectas habent huius sæculi delicias, ad æternos Dei amplexus iugiter anhelantes.

Historia.

Balduinus Imperator Græcus Constantinopoli obsessus à Ioanne Lascari, pecuniam mutuò à Veneris accepit, eis Philippo suo filio concesso, donec se à debiti æris vinculis expediret. *Egnatius lib.* 7. c. 6. p. 433. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Paterno sanè amore suos ille ciues deperiit, qui pro eorum salute suum filium dedit in pignus æris redemptioni ciuium impendendi. Sed profectò Dei in homines maior amor exarsit; illos enim vt redimeret à peccatis, non pignoris loco dedit filium, sed captiuos eius effuso toto sanguine liberauit. Ne ergo nobis ingratitudo notam affricet ingloriam, est recolenda sæpe talis gratiæ memoria, vt hæc refricata, faces subiiciat huic amori, quo debemus erga rerum omnium Dominum inardere.

Historia.

Batthæus Monachus tantâ fuit inediâ, vt vermes è radice dentium erumperent. *Sozomenus lib.* 6. c. 34. p. 101. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Possunt ex abstinentia arcta quidem vermes edi, sed cute tenus tantùm noxij; at gula profert vermes quorum dente virulento rea anima laceratur.

Historia.

Belesis astutus homo Chaldæus ea die qua Rex Arbaces Niniuem oppugnauit, audiit ab Eunucho, Regem Sardanapalum prædiuitem coacta magna strue lignorum circa suas ædes & igne submisso viuum illo incendio maximo conflagrasse. Ille ratus opes magnas ibi delitere mole sub cinerum, adiit Arbacem, astutè dicens se ratione voti petere cineres factos è regiis ædibus incensis, vt deferret eos Babylonem in templum Beli, quem Chaldæi loco veri Numinis adorabant. Annuit Rex, nesciens indolis astutæ viri suspicantis opes vnà cum cinere permistas. Belesis ergo suum ad arbitrium magnum cinerum pondus in vasa grandia congessit, vnde tulit latentes opes, quæ cinere aspersæ virum hunc diuitem effecerunt. *Diodor. Sicul. lib.* 2. p. 41. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis altè suo reuoluit animo omnia dissoluenda in cinerem, inde sibi magnas comparabit opes, scilicet contemptum Mundi, atque fugam omnium sæculi voluptatû. Ille cinis omnium rerum

rerum meditatus; habet vnde fiat homo diues virtutibus; pertæsus enim omnem supellectilem Mundi, quia est peritura, Deo se perfectè toto animo consecrabit. Ita liquet sub cinere latère gazas gratiarum & virtutum, siquando cinis eâ qua par est industriâ sedulò reuoluatur.

Historia.

Bizantij inualescente fame, plebi voluit consulere Iustinianus Imperator: eo intento cibos vetitos, id est carnes, tempore Quadragesimæ venales proposuit in foro, ratus esum carnis eo tempore permittendum. Sed tanta fuit Christianæ plebis pietas, vt satius duxerit omnia extrema pati, quàm indulgendo gulæ, cibis vetitis inquinari. *Nicephor. lib. 17. cap. 22.* pag. 135. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Anima Christiana, sua de salute sollicita, vltro famem patitur quando sacrum ieiunium Ecclesia indixit: scit nempe, cibis abstinendo, pias animas cœlitus gratiis impinguari. At econtrà gulo suæ salutis incurius, ieiunia indicta ridet; sed dum larga manu propinato vino totus immergitur, & nimio congesto cibo caro tumet obesa, nequam eius anima tartaro mancipatur.

Historia.

Bogori Principi Pagano volens horrorem incutere diei extremi Methodius Monachus pictor egregius, iudicem pinxit facie spirante necem, & decernentem tormenta reis. Circum sæuientem hunc Dominum pinxit innumera fulmina micantia, quæ reproborum capita conquassabant. Diabolos effinxit, ore flammiuomo, & vultu horrendo truces, armatos vncis & furcis ad lanienam aptis. Illic hians terra, vomens incendia tetra, fumo permista, dira ad tormenta reos horrendè suis hiatibus patulis absorbebat. Terribilis hæc pictura ducem Bogorim sic perculit, vt Christo nomen dederit, insanis Gentilium ritibus abiuratis. *Georgius Cedrenus in compendio histor.* pag. 559. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Iudicij extremi pictura Ducem hunc Bulgarorũ Christo dedit; eadem historia meditata iuuit Hieronymum ad virtutes eas assequendas, quarum luce fuit conspicuus: & quisquis altè suo animo supremi iudicij horrorem impresserit, ille tali fræno feros vitiorum impetus facilè coërcebit.

Historia.

Bogoris Dux Bulgarorum initiatus Christianæ fidei arcanis, idola priùs culta fregit, ita suam Gentem barbaram grauiter offendens, quæ vltura deos, eo intento suo Principi bellum indixit, ei opponens agmina numerosa. Bogoris ex aduerso, Dei stipatus ope, cruce pro labaro erecta, truci populo occurrit, quem generosè fregit, eum pro victoriæ summa cogens ad fidem Christianam citiùs amplectendam.

Non ominosa fuit victis illa victoria, sed maximè salutaris; nam diaboli nexu victi, statim atque fuere victi à Bogori, dedere Deo manus liberas à dæmonum & idolorum sordida seruitute. *Georg. Cedrenus in compendio histor.* pag. 559. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Statimatque sua idola triuit homo reus, concepto voto vitæ sanctioris, cum vndequaque petunt importunè praui habitus omnes olim contracti multis actibus indecoris. Profectò graue facessit ei negotium vitiorum turba, nolens ferre genus tersioris instituti: sed anima contrita, cruce armata, vitam austerè ducens, vitia prosternit, & eorum loco sacrum omnium virtutum agmen inducit in sanctuarium cordis, vni Deo toto sui æui tempore militando.

Historia.

Bonosus Princeps in magna plebis frequentia Præsuli Arelatensi alapam impegit, quod vt resciuit Otho Primus Imperator, eò accurrit, & Bonoso capto, graui & censura increpato, caput eius iussit citiùs amputari. Antistes eâ auditâ necis sententiâ, recolens se pastorem esse viri damnati ad mortem, statuit apud se imitari animarum omnium Pontificem Iesum, qui oues plerásque sibi iniurias & errantes retulit in ouile. Idcirco citus iit ad Othonem, prouolutus ad pedes eius, deprecatus est vitam ei, à quo fuerat grauiter offensus. Fleuit, orauit, veniam impetrauit. *Cæsar Nostradamus in historia Prouincia, sub ann.* 495. pag. 311. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Homo, cui Christi vita typus est & exemplum pro compositione morum, non tardus erit tantùm ad vlciscendas iniurias; sed illas vltro, Dei intuitu, placato animo condonabit.

Historia.

Bonosus portat crucem suam, nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit. Seminat in lacrymis vt in gaudio metat. Ecce puer honestis nobiscum sæculi artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprimè inter æquales erat, contempta matre, sororibus, & charissimo sibi germano insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est, quasi quidam noui paradisi colonus insedit. Non quidem conspicit turritas vrbes, sed in nouæ ciuitatis censu dedit nomen suum. Horrent sacco membra deformi, sed sic meliùs obuiam Christo rapietur in nubibus. *Hieronym. epist. 41. ad Ruffinum.* pag. 404. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Religiosa vita durum quidpiam & acerbum sensibus obiicit; sed sub cortice austero sacram medullam concludit, animæ persuauem.

Historia.

Britanniæ Dux numisma cudit, vbi superbè suam imaginem insculpsit. Galliæ Rex Ludouicus XI. iniquè tulit fastum Principis, qui Gallico subditus imperio, iniustè sibi ius regium vsurpabat. Contra leges ea cusa moneta cudit infinita propè

mala suo auctori, qui ob inconcessa iura sibi arrogata, benè partis opibus excidit, ita Rege Ludouico typhum sui subditi deprimente. *Historia Gallica sub ann.* 1464. pag. 49. c. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Ille suam imaginem imprimit operibus suis, qui ita sibi præclara quæque facinora attribuit, vt neglectâ Dei gloriâ, quam debuit propagare suis obsequiis, inde velit incautè decus & gloriam hominum aucupari. Sed tantùm abest vt inde maior aut honoratior euadat, quinimò secus ei in dedecus & opprobrium illud omne cedit quo intendit auram propitiam populi procurare.

C

Historia.

Cabades Rex Persa sciens esse gazas prædiuites in castro quodam diabolis infesto, tentauit opes inde procul abducere; sed dæmones, vt custodes huius thesauri, illi fortiter obstiterunt. Vocatur à Gentili Rege Præsul Christianus; ille locum diabolis addictum generosè fide plenus adit, ibi fusæ preces in fugam præcipitem cateruam hanc dæmonum adegerunt. Cabades inde tulit opes; sed non idcirco dedit Christo manus, fortè quia excæcare solent opes, & à Christo procul homines elongare. Repurgato loco gazis illis opulentis, ædes sacra Deo consecrata fuit illic, vnde fœdi dæmones aufugerunt. *Cedrenus in vita Anastasij Imperatoris.* pag. 77. c. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Experimento quotidiano liquet, opes & vitia coire sæpe, quia vtplurimum homines diuitiis affluentes, præ aliis, vitiis omnibus obstringuntur. Vnde quia dæmones & vitia fraternizant, diuites vt vitiis obnoxij, pertinent ad dæmones, qui reuera gryphes sunt, aues scilicet homicidæ, malè partis opibus incubantes.

Diuites esse quasi iuris dæmonum, Paulus ait hoc contextu 1. Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Quòd si fortè diues Dei causâ suas egenis opes distribuit, inde citò dæmon abit, vt à templo, breuì Christo Domino consecrando.

Historia.

Carolus V. Imperator, homo potens orbe toto notus, Imperio abdicato dedit Philippo Regi filio suo scriniolum, quo demortui hominis caput erat reconditum, vt his disceret exuuiis, capita diademate redimita fore vilem cinerem. Illud idem scriniolum moriens hic Philippus hæredi suo dono dedit, vt vasculum, antidotum gloriæ, quæ exurgit ex fastu culminis assurgentis. *Petr. Mathæus in histor. sub an.* 1598. pag 40. c. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Vt cineres escis aspersi faciunt eas insipidas & ingratas, & obstant ne illecta gula cibi cupediis hominem dapibus infarciat; ita cinis seu interitus noster præsens remedium est contra rerum huius sæculi affectum; cùm namque breuis sit futurus vsus huius Mundi, sunt nostra vota aliò dirigenda.

Historia.

Carolus VII. Rex Christianissimus suspicatus inesse virus escis omnibus appositis, non potuit adduci vt ederet. Præualente tali errore fatiscens natura Regem defecit inedia inuitis Medicis enecatum. *Histor. Gallica in Carol. VII.* pag. 420. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Christiane, memor esto, virus subesse fœdis deliciis, quæ potenter animam alliciunt ad peccandum: fortè pia hæc cogitatio detrahet aliquid illecebræ, & ita fiet animæ salutaris.

Historia.

Carolus Dux Burgundus, homo pace & bello clarus, procedens ad bella suas circumducebat opes ad pompam, & signum inclytæ majestatis. Heluetiis hic bellum indixit, estò pacem iniquis etiam conditionibus expeterent. Dicebat ille, vilem esse plebem hanc & pauperem, & se nolle fœdus inire viris cum mendicis cædendis, flagro magis quam dignandis honore pacis, quam supplices expetebant. Fastus ille Deo displicuit, & pauperes hos conduxit vt tortores huius superbiæ. Nempe simul atque coiere duo exercitus, Burgundi auro graues oppressi sunt & Dux ipse fugâ sibi consuluit, triumphante plebe Heluetica, & potiente gazis Principis opulenti. *Philippus Comminæus in compendio historiarum.* pag. 464. c. 2.

APPLICATIO MORALIS.

In hoc æuo diues epulo excepit inhumanè pium quendam & sanctum pauperem, scilicet Lazarum, quem cum paupertate diues omnium gratiarum agmen stipabat: spernebat eum vt mendicum & indignum, qui ipsi vel vna sola morula sisteretur. Indoles hæc crudelis incremento fuit pauperis angustiis: nam stipe denegata vitam duxit ægram cui præcipiti fato finem fecit, sed dissimili sorte, quia in cœlo choris Angelorum astat inops Lazarus, diues verò diris suppliciis in inferno truce diabolo vindice cruciatur.

Historia.

Clissonius Præfectus generalis armorum regni Christianissimi, perfidè captus à Britanno Duce neci adiudicatus est; sed hæc sententia iniusta suum non est sortita sæuum effectum, sospite captiuo, fœdo ex carcere liberato. Ille, velut Præfectus Prætorio, magnum conscripsit exercitum annuente Rege Gallo, tali iniuria grauiter offenso. Armata manu populatur oras omnes Britanniæ, quæ impar erat agmini Gallico. Pœnitentia ductus homo ferus, scilicet Britannus, orat Clissonium vt dimittat iniuriam acceptam; vtque fidem dictis adhibeat, sincerè suum filium ad eum mittit vt obsidem & sponsorem fœderis ineundi. Clissonius demitando Ducis Britanniæ reducem animum adeò tunc cicurem excepit perhumanè & lautè Ducis filium vt Principem innoxium, minimè conscium indolis inhumanæ patris: inde Ducem conuenit

conuenit, ei reddens filium incolumem, fine arbitro suas composuit discordias, odia deposuit hactenus exercita, sicque Ducis affectum demeruit; & plus potuit dum se præstitit impotentem. *Historia Gallia sub ann.* 1394.

Vide fuse & eleganter eam historiam descriptam. pag. 331. c. 1. & 2

APPLICATIO MORALIS.

Nescia rationis ita Ducis filium fortè neci deuouisset, sed Præfectus ille Deo afflatus cum excepit congruis obsequiis, condonare malens iniuriam quàm vlcisci: occiso nato pater vnus superfuisset hostis; sed filium restituendo patri, ita duos arctè sibi obstrinxit amicos, vno indissolubili fœdere sociatos. Filio Principis sublato nefas perpetrasset, quod dictare solent filij hominum; sed sospite restituto fecit quod filium Dei decet. Filium reddendo patri, ita Deum obstrinxit, vt in Eucharistia sacra suum illi filium impertiret, quem profectò Dei filium perdidisset, si perditus ipse nato Principis insultasset.

Historia.

Constantiæ Reginæ filium Conradinum Carolus Rex Siculus per summum dedecus supplicio extremo tulit è medio. Decennio elapso iure belli filius Caroli captus ducitur ad Reginam Constantiam, quæ Principem captiuum ingloriæ morti vindictæ cupida destinauit. Eo intento misit nuntium ad Principem, qui referret ei moriendum esse die illa, quæ erat feria sexta, sacra Passioni Christi. Vt audiit Princeps instare sibi necem, ait nuntio: Dic Reginæ, mihi mortem gratam esse die præsertim ista: namque tali die hominum causâ Iesus animam exhalauit.

Rediit nuntius ad Reginam, quæ sciscitata, quali oris habitu Princeps ille fatis occurreret, quæ vrgebant, habuit hoc responsum: O Regina tuus hic captiuus animo infracto suæ mortis sententiam excepit, imò lætus ait se iucundè mori hodie, quia iam recolitur memoria mortis Christi, cui commori, gloriosum Princeps hic Siculus arbitratur.

O efficacem memoriam Christi condonantis iniurias! Vt insonuit nomen Christi morientis, statim subiit animum Reginæ memoria veniæ, quam Christus eo in agone suis hostibus indulsit. Illo exemplo mota misit hominem, qui captiuum sic affatus est: O Princeps, animæquior esto; necis quæ instabat omnem depone metum; mortis enim Christi memoria, quæ in animum tuum induxit vt fortiter occumberes, Reginæ persuasit vt viueres. Satius illa ducit condonare tibi, Christi exemplo, quàm sæuire tuum in caput, immane tui patris facinus vlciscendo. pag. 311. c. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Homo memor veniæ à Deo acceptæ cum ob peccata pœnis æternis esset obnoxius, Dei causâ suas etiam remittet iniurias, quas vlciscendo, Deum vicissim obstringeret ad condonata sua crimina punienda. Eo intuitu Constantia Regina necem oblita sui filij, præclarum facinus exantlauit. Nescio an Abraham plus meruerit filium suum destinando neci, an hæc Regina fœdo supplicio subducendo natum Principis, qui proprium ipsius filium enecarat. Vlta suam iniuriam Constantia, mortua fuisset ingloria; sed concedendo lucis vsuram inimico suo, illa sibi inde famam peperit immortalem. Heroina mater meditata necem filij Dei, est oblita vitam filij sui extincti, remittendo suam iniuriam, ne ipsa foret iniuria Christo, gratis inimicorum crimina relaxanti.

Vide fusè totam hanc historiam descriptam accuratè. pag. 311. col. 1. & 2. ex Cæsar. Nostradamo sub ann. 1283.

Historia.

Constantinus Imperator die festo sacras adibat ædes ibi astans sacris mysteriis, vt suo exemplo plebem ad illa pietatis opera prouocaret. *Euseb. lib.* 1. *vita Constantini*. pag. 55. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

In his quæ sunt de præcepto, debent superiores omnes præire suis subditis, opera præclara sine metu vanæ gloriæ publicè perpetrando.

Historia.

Constantinus Paleologus Imperator auarus ære paruo conduxit aliquot milites Genuenses, adiecta Græcorum parua manu, ne fortè suas manus nimis explicaret si magnas copias instruxisset. Mahumetes eum adorsus, obsedit Constantinopolim, impetu facto cepit vrbem, & Constantino telis occiso gazas eius diripuit, eiusque nomen inglorium fecit posteræ ætati, quæ æterno maledicto virum hunc feriet Christianis iniurium, quia suis pepercit opibus, vt illas hostibus asseruaret. *Chalcondyl. in Mahumete II.* pag. 82. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ob peccata malis vndique concutimur & grauamur. Dæmones vndequaque petunt die & nocte caput nostrum ad mortem vtique æternam; imò Deus ipse nobis aduersus tormenta parat criminibus congrua perpetratis. Interea Scriptura clamat: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*; nemo tamen diuitum dignatur opes effundere, vt conscribat acies idoneas ad obiecta nobis agmina profliganda. Eleemosynis vt stipendiis conducti pauperes, sunt auxiliares turmæ, quibus & dæmones & peccata cedunt, iuxta verax Chrysologi effatum: *Frustra peccata accusant, quem pauper excusat.* Ob neglectas pauperum acies pereunt & damnantur homines opulenti.

Historia.

Constantinus Magnus Imperator olim numisma cudit, vbi erat ille, Deum genibus flexis orans, vt inde palàm faceret, se in Deum referre decus omne rerum, quæ secundæ hactenus aspirarant. *Euseb. lib.* 1. *vita Constantini*. pag. 400. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Quò plus homo vanam gloriam fugit, & satagit propagare Dei gloriam, eò magis etiam gratiis & meritis conspicuus ab omnibus honoratur.

Historia.

Constantinus IV. Imperator à luxuria & gula suum auspicatus imperium, eò indignationis egit proceres Imperij, vt Principem insultum, & vitiis omnibus obstrictum solio pulsum turpiter excæcarint. *Theophanes in Annalibus.* pag.420.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Eo intento Deus hominem condidit vt regnaret in æternum: instruxit eum gratia necessaria ad comparandas infulas imperij; ille tamen incurius gloriæ æternæ, gulæ & libidini indulget, ita Deum vel inuitum obstringens, vt ingratum solio pellat, supplicio æterno simul eum dæmone cruciandum.

D

Historia.

DArius Rex Persarum, nescius qua posset industria propagare sui nominis memoriam, multa cudit aurea numismata, in quibus expressa fuit eius species, quam credidit propter aurum, quo conflata fuit, à posteris excolendam. *Herodot.lib.*4. pag.49.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Homo cui insedit, in æternum propagare suum nomen, auro debet illud insculpere, præclarum præstat opus, quando suas egenis opes distribuit. Pauperum ora, nomen erogantis eleemosynam larga manu, in æterna sæcula commendabunt.

Historia.

Decebalus Rex Dacorum aliò deduxit aquas fluuij Sergeriæ, & conductis secretò operariis iussit fieri arcanum ergastulum compositum ex probato lapide, vt illic opes inclusæ non vastarentur aqua superinducta gazis. Opere perfecto, cuius inscij erant omnes alij, astutè flumen in alueum induxit, & occidit omnes huius operis architectos. Sed vt in Mundi volubili rota nihil omnino sibi constare potest, non diuturna fuit fortuna Regis Decebali: victus enim à Trajano, necem ipse sibi consciuit ne ad triumphum à Cæsare seruaretur. Bicilis Decebali amicus & conscius arcanorum eius, Trajano totam historiam aperuit, qui fluuium aliò deduxit, & sic eduxit opes eius alueo consepultas. *Dion.in vita Trajani.* pag.79.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Sancti omnes cautè suos thesauros aqnis in hoc æuo tegunt, quando vitæ noxiæ memores, expressis à contritione sacris lacrymis inundantur. Dæmon huius arcani conscius hoc satagit, scilicet vt aliò diducat aquas illas, id est, vt desistant flere pij omnes: eo intento vitæ retroactæ delet memoriam, & conducit dyscolos homines qui suadendo ludos, epulas & choreas, exsiccant lacrymas animæ pœnitentis. Sic diaboli technis aliò deductis aquis, & exhausto fletu, laxè viuit homo, suo genio indulgens: tunc hostis, homine subiugato, Dei gratias omnes & cœlestia dona gazas animæ deprædatur.

E

Historia.

EDoardus Rex Angliæ bello iniquo Regem Galliæ aggressus, ita furens desæuiit, vt sic populatus oras omnes Carnotensium; sed tantæ molis grando trucis huius hostis castra tudit, vt clarè Deus ostenderit se vindicem esse mali, quod proximis irrogatur. *Chesnenm in historia Anglica sub an.*1360. pag.333.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vbique vigent & pullulant detractores, vsurarij, adulteri, & plerique nequam, singulis quibusque bonis iniurij, idcirco cœlo nobis ingrato pœnas luimus offensarum. Bella, tributa, lues pestifera, & arcta fames, sunt flagella Dei desuper inconcussa, quibus iniuriæ illatæ proximo vindicantur.

Historia.

Edoardus Rex Angliæ Caletam obsidens, voluit internecione delere locum illum vnde plagas plurimas acceperat. Plerique ciues cingulo deposito, capite aperto, nudis & pedibus adiere Regem, dedentes ei vrbem, & in gratiam contribulum generosè sua capita deuouentes. Regina, quæ tunc in castris erat perculsa tali habitu mœsto, Regem demulsit, qui ira furens in armatos, eos inermes in gratiam recepit, antè suis pedibus aduolutos. *Histor.Galliæ sub ann.* 1347.pag.700.c.2. Illic vide fusè totam historiam.

APPLICATIO MORALIS.

Illo planè ritu conciliare debet homo Deum, quem offendit, & qui idcirco lue, bello, fame sæuit in reprobos, obstinatè sua crimina refricantes. Denudatur homo, malè parta suis dominis restituens. Discalceatus vtroque pede Deum adit quando duo appetitus eius, rationalis scilicet & sensitiuus, exuêre prauos omnes affectus atque motus. Homo demum Christo claues arcis offert, cùm corde velut reserato sua crimina confitetur.

Historia.

Eucharistia malè sumpta necem consciscit eis, qui conscij sunt sacrilegi piaculi, vt exemplo liquet hominis, cuius meminit Damianus hoc contextu: *Mox vt sacrosanctum mysterium de manu sacerdotis accepit, cum felle simul & animam exhalanit, quod videlicet fel vsque ad sepulturam ex ore eius effluere non cessanit, adeò vt donec in feretro corpus iaceret exanime, iugiter sanies illa pauimentum Ecclesiæ largiùs irrigaret. Hoc autem iuxta fidem rei idcirco refero, vt audiant & pertimescant qui crimen admissum sub conscientia sua vberibus confouentes, confiteri ad obitum prastolantur.* Petrus Damianus epistola 1. pag. 620. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Homo sacris se sistens altaribus, repurgare debet eas reliquias fellis, quæ in corde iacent: namque satis

satis non est porrexisse manum ei, à quo grauiter offensus est; sed tenetur ea quæ fortè latent odij concepti semina remouere. Amoris enim mensa procul arcet eos omnes, qui felleo corde iuges exercent cum exoso suo aliquo æmulo simultates.

Historia.

Eulalia virgo & Martyr agens animam, emisit eam magna plebis frequentia teste, puræ columbæ typum & speciem oculis exprimentem. *Marull. lib.6.cap.16.* pag.193.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Felle debet carere pia anima, & candore Dei gratiæ nitere, cœlos vt scandat, quando suo à corpore dissoluetur.

F

Historia.

Fabiola, ex Hieronymo, *Post mortem secundi viri in semetipsam reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes iugo seruitutis excusso agere se liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum induit, vt errorem publicè fateretur, & tota vrbe spectante Roma, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret. Quæ peccata fletus iste non purget? &c. Non est ingressa Ecclesiam Domini; sed extra castra cum Maria sorore Moysis separata consedit, vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transiuit fluenta lacrymarum. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat.* Hieronymus epistola ad Oceanum, de epitaphio Fabiolæ.

Vide totam historiam. pag.36.c.1.& 2

APPLICATIO MORALIS.

Pœnitentia sincera debet appendi ad trutinam peccati commissi, ideoque reus omnium peccatorum illa pœnis castigare debet congruis, vt qui corpore toto Deum offendit, eo quoque toto corpore puniatur.

Historia.

Fiacrius Eugenij IV. Regis Scotiæ filius, Galliam appulsus, in Meldensi agro vitam egit solitariam. Scoti mortuo Rege suo miserunt Legatos in Galliam, vt Fiacrius in patriam redux, iure suo paterno solio dignaretur. Deo reuelante nouit illud consilium, cui cautè suas ille preces opposuit, vt in concepto voto sibi constaret. Non fuere viri sancti cassæ preces; nam ad ingressum Legatorum subita lepra totum Fiacrij corpus infecit, vnde viri missi, re infectâ, suam in patriam illico redierunt. *Guaguinus lib. 6. histor. Francorum.* pag.405.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Æquus reuerà fuit æstimator rerum hic Fiacrius, quando vitam religiosam respersam lepra, Regis solio prætulit: quippe lepra illa cute tenus erat tantùm; regna verò sicut & præcipuæ dignitates huius sæculi teteriorem sæpe luem cordibus insinuant & affricant; nempe fœdis vitiis inhorrescunt.

Historia.

Franciscum à Guysia vt occiderent Caluinistæ, virum conduxere nequam, qui ad hoc immane nefas compositus & accinctus opportunè fuit captus & adductus ad Principem, qui interrogauit eum, quare sibi hoc inhumanum facinus indixisset. Sicarius hic respondit: Quia credidi me facturum rem pergratam sectariis eiusdem farinæ mecum, quorum religioni maximè est infensus, vtpote nostrorum rituum impugnator. Eo intento solo necem inferre tibi proposui vt placerem religionis meæ sociis. Ergône, zelo motus ait Princeps, religio vestra vitæ Principum texit insidias? longè sanè sanctior Christi disciplina, quam sectatur Ecclesia, nostra docens odia deponere & acceptas iniurias inimico Dei gratiâ relaxare. Tu audendo graue scelus, sic probasti te esse fœtum hæresis inhumanæ: ego verò secus condonando scelus tuum, ita prodam me Christianæ fidei professorem. *Historia Galliæ in Henrico II.*

Vide fusè totam historiam pag.330.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Frustra sibi vsurpat homo nomen Christiani, qui cunctatur eas remittere offensas, quas accepit: quippe talis amor, Dei scilicet & proximi, est fidei tessera Christianæ. Errat item quisquis iniurias vlciscendo putat inde sibi conciliare decus atque nomen grande: Franciscus enim à Guysia condonando scelus inglorium, ita sibi gloriam peperit immortalem. Noluit ille suum inimicum & sicarium extinguere, vt generosè sibi perenne decus accenderet, aliisque viam sterneret ad acerba odia compescenda.

Historia.

Fridericus I. Imperator bellum indixit Venetis, eo intento suum filium Othonem præficiens exercitui, qui congressus cum Venetis, Othone Duce capto fuit victore gladio profligatus. Respublica post triumphum, stipatum congruo comitatu Othonem reddidit incolumen patri, qui delinitus eo pietatis obsequio magnifecit Venetos beneficos, quos spreuerat inimicos. Respublica occiso Othone suo inimico necem consciuisset vni homini inermi; sed iniuriâ condonatâ vicit se armatam. Othone malè excepto & ingloriè habito fuisset vrbs Veneta dedecus Imperij; ast immemor iniuriæ, consors imperij effecta est, facta parens filij Imperatoris, quem est enixa, lucis ei vsuram denuo concedendo. Respublica illa suis filiis consuluit quando vitam indulsit filio Friderici, quem si peremisset, vnum hoc idque tenax insedisset altè patris animo, scilicet sanguine Venetorum placare Manes filij sui, quo sospite remisso maior seipsa Respublica Veneta triumphauit. *Petr. Iustinian. in histor. Venetor. sub an.* 1177.p.332.c.1

APPLI

APPLICATIO MORALIS.

Iniuriarum remissione sibi immortale decus homo parit; qui profectò perit offensas nequiter vlciscendo.

Historia.

Frotho Danus Rex auarus, opum percupidus, ab homine mago feris diabolis assueto fuit in insulam vectus; vbi draco gazis erat incubans. Captatâ feræ absentiâ, Rex ille Danus opes aliò transtulit; ita vitam incautè suam adducens in discrimen reduce dracone, furis audax facinus vlciscente. *Saxo lib.2.* pag.77.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Cùm Paulus ait 1. Timoth. 6. eos qui volunt diuites fieri incidere in tentationem & laqueos diaboli perinde sonat ac dracones inferni concupitis opibus incubare. Vnde licet inferre præsens periculum, cui se exponit homo gazis inhians: is namque trucis à draconis inferni faucibus absorbetur.

G

Historia.

GAleacius Dux Mediolanensis à sicario confossus in Ecclesia. *Paradinus lib.symbolor.*

APPLICATIO MORALIS.

Plerique sacras ædes eo intento visunt & frequentant, vt puellas ibi spectent; sed dum incautè vibrant oculos, in alios incurrunt aspectus luxuria ardentes, à quibus vt veneno litis spiculis occiduntur.

Historia.

Galli olim vt ad præclara semper audenda nouum animo infracto robur adiicerent, hostium, quos in bello manu propria occiderant, capita truncata suis foribus appendebant. *Diodorus Siculus lib.5.* pag.215.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Vellem ego nobis obuersari vitia prostrata Deo adiuuante, vt memoria refricata rerum egregiè gestarum animos addat ad ardua semper fortiter exantlanda.

Historia.

Gordianus Imperator quinquies quotidie corpore toto lotus & vnctus, inde cepit ingens roboris incrementum. *Iulius Capitolinus in vita Gordiani.* pag.66.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Omne robur animæ Christianæ penes Spiritus Sancti vnctionem est, cui lacrymæ à contritione expressæ decus & gratiam adiiciunt. Vnde flere, & vngi à Spiritu Sancto, robur est & gratia animæ pœnitentis.

Historia.

Græcis ille ritus inolitus est ex Petro Damiano *Vt cùm Imperator creatur, mox vt fuerit imperialibus infulis redimitus, cùm procerum vallatur obsequiis, quidam præstò sit obuius, qui videlicet vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus offerat, in alia verò stupam lini pexam subtiliter, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flammâ subitò vorante consumitur.* Petrus Damianus epist. 37. ad Alexandum Pontificem. pag.39.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Damianus ipse ritum hunc Græcorum sic moraliter explanat: *Vt in altero debeat considerare quod est, in altero valeat considerare quod habet. In cineribus quidem se cinerem recognoscit; in stuppa iam colligit, in die iudicij quam subitò Mundus ardebit, quatenus dum se simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat, de imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat; & dum possessor atque possessio subiicere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa proiectus est, non infletur.* Petrus Damianus. ibidem.

Historia.

Gregorium, licèt totis viribus renitentem, Clerus, Senatúsque, populúsque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus euitare decernens, se indignum tali honore clamitabat; videlicet metuens ne Mundi gloria, quam priùs abiecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo surrepere potuisset. Ioan.Diaconus lib.2. vitæ Gregor.cap.40. pag.57. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Sancti, quos gloriæ æternæ cupido tenet, eam horrent & fugiunt, quam reprobi omnes homines aucupantur.

H

Historia.

HEnricus IV. Rex Christianissimus Parisienses olim expertus infensissimos, vrbem eorum obsedit, & subegit: habuere ciues quod timerent, memores offensæ, tamen iniuriarum pondus non traxit Regem ad vindictam, imò secus acuit misericordiam eius; stipatus enim cataphracta manu nobilium, vrbem ingressus, omnium iniuriarum veniam consternatis ciuibus erogauit.

Rex ille, in quem armatum bellica tormenta ciues direxerant, factus inermis ab amore, suos hostes armatos captiuos fecit. Capta fuit armis hæc ciuitas; sed amoris opus extitit captura mitis & suauis omnium animorum. Paludatus Rex subiit vrbem conclusus vndequaque muris; sed veniâ condonatâ velut exarmatus apparens, ita suo corde totam conclusit vrbem, & vicissim subiit omnium hominum corda, fortior effectus amore

amore captus, quàm armis capiens: namque parum est corpora vincere, sed multum & præclarum est animos amore feruido deuincire. Præstitit hoc Henricus; etenim immemor offensarum & deponens omnem iniuriarum sensum, illâ solâ machinâ amoris, industriè suorum omnium æmulorum corda simul & corpora profligauit. *Historia Galliæ in Henrico IV. sub anno* 1593. p. 330. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Estò cœlum vim patiatur; amore tamen capitur, & non armis districtis ad vindictam iniuriæ acceptæ. Vt sit autem intensus amor, ardere debet etiam in gratiam illorum, qui nos grauiter offenderunt.

Historia.

Henrici IV. Regis Galliæ explorare fidem venit Alexander Mediceus Cardinalis, missus à Clemente Papa VIII. Henricus huic Legato Papæ occurrit stipatus Meduano Duce suo quondam hoste acerbo, cui plerique Regis olim inimici se comites adiecerant. Henricus ea amoris inimicorum professione suam fidem meliùs astruxit, quàm pluribus aliis argumentis. *Historia Galliæ in Henrico IV. sub anno* 1596. pag. 330. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Qui perculsus amore Dei sincerè suas remittit iniurias inimico, probat se reuerà fidem prædicatam à Christo Domino profiteri.

Historia.

Heraclius Imperator in Venerem fractus, Ecclesia reclamante, suam neptem duxit in vxorem: vtque sui incestus tolleret opprobrium, ille tulit legem, qua suffragante quiuis poterat neptem licitè desponsare. Error ille virum hunc obscœnum deduxit in aliud præceps & abruptum; professus enim est aruspicinam, sequē totum præstigiis dæmonum addixit, & hæreticis adhærendo; fidem orthodoxam turpiter abiurauit. *Zonaras in Heraclio, & Paulus Diaconus libro* 18. pag. 209. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Obscœna libido plura in alia vitia deducit eos quos adurit, qui postquam iacuere diu in sordido voluptatum cœno, fiunt tandem perduelles, fœdifragi, & professæ veræ fidei desertores.

Historia.

Hircanus Pontifex reserato Regis Dauid sepulchro, gazas ibi reperit immensas, & inde tulit magnam vim auri, quam vltro dedit Antiocho, qui cingebat obsidione Ierusalem quam ita cladi eripuit, quæ sine datis opibus imminebat. *Ioseph. lib.* 7. *antiquit. Iudaicar. cap.* 12. pag 41. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ad Sanctorum sepulchra nobis prostant optimæ gazæ, modo dignemur eis effici digni. Si namque preces ibi fundimus implorantes opem Sanctorum, referemus inde potens auxilium contra feros hostes, vitia scilicet & dæmones, à quibus in hoc æuo iuges patimur insultus, ope Sanctorum conciliatâ nobis opportunè Dei gratiâ retundendos.

Rursus opes in Sanctorum sepulchro latent, quæ defossæ nobis sunt vtiles. Quisquis enim attentè vitam & mortem Sanctorum recolit, ille tali meditatione fiet sanctior; dum namque suum in animum inducet, eos imitari, gratias, & virtutes comparabit, opes idoneas ad æternam salutem animæ procurandam.

Historia.

Hilarionem coërcuisse maris fluctus ait Hieronymus hoc contextu. *Cum viderent Epidauritani, frementes scilicet fluctus, & vndarum moles, & montes gurgitum inferre littoribus, egressi sunt ad senem Hilarionem, & quasi ad prælium profecti, posuerunt eum in littore. Qui cùm tria signa Crucis pinxisset in sabulo, manusque contrà tenderet; incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, & quasi ad obicem indignans, ac diu fremens, paulatim in seipsum relapsum sit.* Hieronym. in vita Hilarionis. Vide plura pag. 58. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ille salutare crucis signum pingit in puluere, qui austerè suum corpus habet, quod estò cute sicut & aliis partibus constet vna compage simul hærentibus & vinctis; attamen hoc corpus ex compacto Dei ad arbitrium puluere coalescit. Flagellationes, humi decubitus, ieiunia arcta, preces prolixæ, dies & noctes insomnes, sunt impressæ cruces huic puluori. His Christi Passionis acerbæ notis corpori inustis, salaces carnis petulcæ motus illico compescuntur.

Vide plura pag. 58. c. 1

Historia.

Hilarion à sexagesimo quarto anno vsque ad octogesimum pane abstinuit incredibili feruore mentis; vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remissiùs viuere. Hieronym. in vita Hilarionis. pag. 113. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Est coërcenda primò gula viro qui se accingit ad militiam Christi; nam corpore saginato piget est animus, cumque piget ad certamen dæmones & vitia prouocare.

Historia.

Hippocrates rogatus per litteras ab Abderitis, vt eò se conferret in gratiam Democriti Philosophi, quem putabant excidisse mente, quia seorsim à turba vitam agebat, respondit se habere viro in hoc quod miraretur potiùs & laudaret, quàm

sanaret: nempe vitæ genus hoc secretum à populo esse meram animæ sanitatem. *Hippocrates epistola ad Abderitas.* pag.405.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Omnes qui Mundo suam deuouere vitam, stultè rident vt insanos eos, qui dicto æterno vale rebus huius sæculi, deserta loca colunt; sed in morte serò suam flebunt insaniam; & sortem illorum, qui vixere procul à sæculo, perperam inuidebunt.

I

Historia.

Imperator olim sic initiabatur. Dextra manus erat ornata cruce, sinistra verò cauum tenebat scriniolum, quod instar erat sarcophagi seu loculi, quo mortuorum ossa arida reconduntur. Hæc arcula vel mortuorum theca, plura notans mystica pertinentia ad salutem principis inaugurati, fluctuante linteo cingebatur. *Curopalata lib.2. de officiis magna Ecclesiæ Constantinopol. cap. 6. numero* 37. pag.40.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Apparatus ille totus eò vergit vt deprimat fastum hominis, quem sors propitia euexit ad Imperij culmen: illa nimirum est indoles humana, typhum vt superbiæ facilè concipiat quando flabris fortunæ prosperæ demulcetur. Vt ergo tumor hic dehiscat, inauguratus homo crucem dextrà gerit, vt discat inde, manere cruces & ærumnas valde graues eum, cui tota moles Imperij incumbit: mortuorum theca monet, non perenne fore tale Imperium, quod instar lintei fluctuantis habet sese; quippe potest à victore demi. Ne ergo decus Imperij illudat, ea præfata viro inaugurato typis & symbolis idoneis congruè recoluntur.

Historia.

Ioannes quidam cœnobita vanam hominum gloriam captans, austerè vitam agebat. Eutychio Patriarcha Constantinopolitano extincto, vafer hic Monachus finxit se velle aliò transmigrare, plebis atque cleri vt sic suffragia prouidè declinaret. Vt ille rumor meditatæ fugæ clero & aliis innotuit, omnes eum, scilicet Ioannem illum hypocritam, præfecere sedi vacanti, vbi deposita pelle ouina, ferum leonem induit; nam arrogando sibi primatum Ecclesiæ, Romano Pontifici turpiter insultauit. *Gregor. Magnus lib.* 4. *epist.* 38. Vide Papæ Gregorij censuram in Ioannem illum. pag. 25. col.2

APPLICATIO MORALIS.

Reuerà malus, tunc est pessimus, quando bonum se simulat, & nulla lues terrior est hypocritis, qui vt præsint aliis, cute tenus austerè viuunt; vtque litent gloriæ humanæ, solam ad quam anhelant, conducunt omnium virtutum species ementitas.

Historia.

Ismaëlita quidam, teste viro Dei Simeone Stilita, arctè voto Deo se obstrinxit, & promisit se nunquam esurum carnes: immemor ille voti occidit auem, & cùm cœpisset manducare, caro velut saxum obduruit, ita Deo castigante gulam hominis vota Deo facta reddere dedignantis. *Theodoret.in histor.Patr.cap.*26. pag.135.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Gula, Dei mandatorum incuria, homines indurat: quippe nihil omnino curant censuras Ecclesiæ neque Dei iudicia; instar enim saxi, heluonum omnium sensus expers anima lapidescit.

Historia.

Iulianus Imperator, homo Deo & hominibus exosus, auro copioso dato suis militibus, eos adegit ad cultum omnium idolorum. *Socrates lib.* 6. *cap.*11. pag.431.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis opes impensè colit, eásque plures habet, ille sæpe pronus in vitia, præsertim libidinis atque gulæ, præ aliis reprobis insolescit.

Historia.

Iunius Brutus olim defuncto patre, primus gladiatores in arenam induxit circumstante plebe, vt ita sui parentis extincti Manibus occisorum sanguine parentaret. *Valer. Maxim.lib.*2.*cap.*1. p.22. col.2

APPLICATIO MORALIS.

Homo memor Passionis Christi, si reuerà proles est sincera patris huius, generosè debet in arenam descendere, & mortis huius conscios, scilicet dæmones & vitia debellare.

Historia.

Iustinianus omnibus illis diebus, qui Paschalem solennitatem præcedunt, ieiunio addictis duram quamdam vitam egit, nedum Regi alienam, sed ne priuato aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibis abstinebat, summo manè identidem è lecto surgens, Reipublica inuigilauit. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit, brassicam solum & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat, potus erat aqua sola. Neque iis ad saturitatem vtebatur. Procopius oratione 1. de ædificiis Iustin. pag.113.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Homo cibi parcitate cœlis aptior fit quàm epulis; siquidem corpora obesa vehi sursum nequeunt, sed deorsum adipis prægrauata mole seu pondere delabuntur.

M

Historia.

Macarius vnumquemque videns suscepisse diuersas viuendi rationes: alium quidem comedere vespere, alium post duos dies, alium post quinque: alium stare per totam noctem, interdiu verò sedere ad opus. Ipse autem cùm aliquos palmæ ramos sibi madefecisset; stetit in vno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustauit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die Dominico, vt videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem. Palladius cap. 19. & 20. sect. 17. de duobus Macariis. pag. 125. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Sunt viscera repurganda cibi abstinentiâ diuturnâ, noua & vacua vt in illa vasa, Dei gratia cœlitus influat: abhorret enim hoc oleum à corpore concreto nimis adipe saginato.

Historia.

Manso quidam Abbas Montis Cassini, vile gulæ suæ mancipium, post prandium opiparum sumptum cum eiusdem farinæ viris, citharædum introduxit: ægrè tulit hominis insaniam Nilus Abbas eò appulsus, qui ita suos affatus est: Exeamus hinc & confestim; quippe Dei ira loco huic imminet. Non inane fuit præsagium; nam Abbati paulò post eruti sunt oculi, & Monachi omnes eius criminis conscij perierunt. *Baron. Tomo 10. Annal. sub an. 995.* pag. 421. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Non impunè gula sua mancipia abiecta cibis ingurgitat: namque præter ea mala, quibus obnoxij sunt gulosi semper ægri, atrocia tormenta manent eos, in æternum à dæmone cruciandos.

Historia.

Manuel Imperator Græcus, reclamante licèt Imperio, vt Religiosæ vitæ nomen daret, se Imperij supremi infulis abdicauit. *Nicetas in Manuele.* pag. 442. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Pretiosa quæque supellex Mundi profectò putet ei, quem regni cœlestis amor incessit: quippe fugax est beatitudo breuis huius sæculi; at gloria Beatorum in æterna sæcula perennabit.

Historia.

Michaël Curopalates Imperator, fastidio sæculi captus, secessit in eremum, expertus ibi animam securiorem esse Dei in obsequio, quàm è supremo solij fastigio aliis imperando. *Egnatius lib. 3. cap. 5.* pag. 405. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Voluptates huius sæculi nequeunt sedare sitim animæ; communes enim sunt homini cum bestiis, quæ sensus habent ad percipiendas delicias corporis aptiores. Cùm ergo tales voluptates sint animæ noxiæ, illa sua de salute sollicita quò plus sensibus indulsit, eò magis horret ea quæ titillant sensus. & ad cœlestia anhelant, vt æterna, quibus beata debet anima satiari.

Historia.

Michaël III. Imperator, homo gulæ totus obstrictus in deliciis atque iocis egit æuum suum: interea Saraceni irruptione facta plagas Imperij populati sunt, certiores effecti, Bacchum & Martem non eodem delubro coli. Audiens Imperator hostem grassari igne & ferro, malè excepit eum, qui huiusce cladis nuntium attulit, quia ausus erat ingrata loqui Principi, à seriis omnibus abhorrenti. Dignus planè fuit ille vesanus homo cui fortuna velut insano fugax illuderet, & illum faceret omnium hominum ludibrium, cui Imperij iactura ludus erat. Fortuna velut ventosa pila lusit quando virum hunc extulit & depressit: qui namque rebus seriis se subduxit, hic meruit perire, rebus se ludicris occupando. *Ioann. Curopalata in Michaële III.* pag. 420. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Homo ritu pecorum viuit, quando suis sensibus indulget. Interea vitia serpunt; & præsertim obscœna, Dei gratiam, virtutes, aliasque dotes animæ deprædantur. Si fortè pius aliquis consultor aut monitor perculsus amore Dei, & zelo frugis melioris huius hominis insani, de animæ iactura monet eum, ille furens in nuntium hunc opportunum conuitiis horrendè sæuit, canino more latrans in hominem, qui est ausus eum de iactura animæ commonere.

Historia.

Michaël Ceruinus, electus Papa fleuit, in has erumpendo voces: Heu quàm ægrè suæ saluti vacare potest ille, cui incumbit inuigilare toti Ecclesiæ. Profectò fuit ille verus Pontificij apicis æstimator. *Ciaconius in Marcello II.* pag. 428. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ille suam animam in summum discrimen adducit, qui omnem suam adhibet industriam, vt ad supremas Ecclesiæ infulas euehatur.

Historia.

Milo Crotoniates tentauit vnam arborem mediam lacerare sola manuum vi; illa duas in partes acta suo in hiatu non stetit, sed vtraque parte citò coëunte, viri audacis conclusæ manus eum deuorandum bestiis obiecerunt. *Valer. Maxim. lib. 9. cap. 12.* pag. 60. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Plerique sua virtute freti ad grandia se accingunt

gunt facinora; sed primo nisu fatiscente natura retrocedunt; & tantùm abest, vt proprio Marte bonum enitantur opus, quinimò fœdis vitiis inquinantur.

Historia.

Moyses cùm accessisset ad magnum Isidorum, tertio ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit Sanctus: Ne conturberis, ô frater; sunt principia,& ideo te vehementius inuaserunt, priorem requirentes consuetudinem. Sicut enim canis cùm assueuerit in macello ossa rodere, non recedit à consuetudine; sed si clausum fuerit macellum, & nemo ei dederit, fame enectus non amplius accedit: sic tu quoque si permanseris in tua continentia exercitatione, mortificans membra tua, quæ sunt super terram, & excludens ab ingressu ingluuiem, quæ parit intemperantiam, ægrè ferens dæmon à te recedet. Palladius historiæ sacræ sect. 19. cap. 22. pag. 101. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Esca opima fames est luxuriæ, quam gula cibo nutrit opipato. Vt ergo fœdum illud desinat incendium, sunt detrahenda pinguia ligna foco, ne illo supra modum accenso, salus animæ desperetur.

P

Historia.

PAmmachius Senator, mortua consorte sua Paulina, suas opes, inops vt fieret Christi causâ, lubens indigis erogauit. Herois huius historiam sic perstringit Hieronymus. *Ardentes gemmæ, quibus antea collum & facies ornabantur, egentium ventres saturant. Vestes serica & aurum in fila lentescens, in mollia lanarum vestimenta mutata sunt, quibus repellatur frigus, non quibus nudetur ambitio. Deliciarum quondam supellectilem virtus insumit, &c. Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat; his pigmentis atque odoribus fouet cineres quiescentes.* Hieronym. epistol. ad Pammachium, de obitu Paulinæ. pag. 69. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Impossibile est de deliciis transire ad delicias; replere cibis ventrem in hoc sæculo, & mente Deo frui in futuro. Conscius arcani huius Pammachius, anhelans ad gaudia æterna, gazas egenis distribuit, & vltro vitam egit à sæculi gaudiis abhorrentem.

Historia.

Paula tanta continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiuniis ac labore contraheret; quæ exceptis diebus festis vix oleum in cibo caperet, vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino, & liquamine, piscibus & lacte, & melle, & ouis, & reliquis quæ gustui suauia sunt indicaret, in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant; & si his ventrem ingurgitauerunt, tutam pudicitiam suspicantur. Hieronymus in epitaphio Paulæ. pagina 113, col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Castitas stipata iugi abstinentia, & austeris omnibus assueta viret, refuga voluptatum.

Historia.

Pelagia mulier speciosa, in ruinam vrbis Antiochiæ compta, secum in luxuriæ præceps multos iuuenes abducebat, quando viri Sancti, scilicet Nonij Episcopi Heliopoleos, censuris perstricta cœpit amarè sua crimina detestari. In argumentum pœnitentiæ sinceræ, suos seruos & ancillas manumisit, & partas opes iniquis artibus, egenis distribuit, deinde memor se non Pelagiam, sed pelagus vitiorum esse, sola secessit in montem Oliueti, vbi habitu ementito virum se finxit, ita viuens, vt defuncta coli meruerit, titulo sanctitatis. *Marul. lib. 4. cap. 10. Sabellic. lib. 5. cap. 5.* pag. 210. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Pelagia luxuriosè viuens habitu fœminino sibi aliisque necem consciuit; sed pœnitendo, viri habitum sumpsit. Voluptatis ea est indoles, vt omne robur animæ tollat, eam in Venerem frangens, obstringendo vitâ viuere fœminarum. Sed statim atque ream animam accendit amor Dei, & mœrore vitæ retroactæ totam perculit, illa nouum è cœlo robur accipiens, ad ardua se accingit facinora, animo masculino iuge bellum indicens diabolis & peccato; suum item corpus, ne fortè canis instar redeat ad vomitum, generosè pœnis congruis affligendo.

Vide aliam egregiam historiam Mariæ neptis Abrahæ eremitæ, eleganter descriptam. pag. 109 col. 2

Historia.

Pelagius puer impubes tredecim annorum, datus obses pro auunculo suo Ermoigo Episcopo Cordubæ, specimen edidit insigne suæ religionis auitæ: nam cùm esset corpore eleganti, Rex Abraham, à quo tenebatur obses, eum deperiit amore obscœno; vtque moræ impatiens est hæc prurigo, Rex ille salax ausus est immane nefas; fuere tamen irrita conamina in puerum, cui supra ætatem è cœlo robur inditum est: insultus enim spurcissimi hominis elusit, in has erumpendo voces: *Christianus sum, cui non licèt turpia perpetrare.* Perculsus ea voce fœdus homo, ferens ægrè suæ libidinis incendia non restingui, puerum hunc formosum membratim discerptum in frusta truci funere laniauit. O iuuenem æuo longiore dignum, ni grandæui hominis partes magnanimas generosè puer impubes obiisset! Christianum nomen castitati decorem adiecit, eam Deo faciendo sacram; & puritas illibata nihil nomini Christiano pertulit indecorum. *Baronius Tom. 10. Annal. sub an. 925.* pag. 346. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Contra omnia peccata, præsertim obscœna, potens est antidotum, memoria nominis quo Religio Christiana suos professores ab aliis sectis distinguit. Christianus enim significat hominem castum, ab impuris omnibus abhorrentem.

Historia.

Philippus cognomine pulcher Rex Christianissimus viginti octo viros iussit patibulo appendi, in mulctam seditionis factæ contra Regis edictum de pretio monetarum. *Guaguin. lib. 7. in Philippo Pulchro.* pag. 49. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Qui prouidentiæ Dei decreta nolunt adorare, suæ ad rationis trutinam appendentes ea, suspensi hærent dubij quid faciant, ideoque suum ad arbitrium viuunt, noluntque Deo se credere moderanti. Sed dum prouidentiæ diuinæ iura prætertire putant proprio dictamine componentes æuum, malè sibi prouident: namque finem supremum non attingent, id est beatitudinem, nisi præstituto à Deo tramite gradiantur.

Historia.

Phocas vsurpator Imperij, Mauritio Imperatore occiso, vitam egit vitiis omnibus ingloriam, quæ Heraclium obstrinxit ad coniurandum in hominem hunc obscœnum & crudelem, quem captum carnifici tradidit supplicio horrendo malis eius congruo castigandum.

APPLICATIO MORALIS.

Tarda quidem est vindicta Dei; sed illa moras, quas prætendit, pœnæ mole graui compensare solet. Vltio sera notat clementiam, quæ ad pœnitentiam noxios homines inuitat; iustitia verò pœnæ pondere designatur.

Historia.

Plancus, in castris orta seditione, videns imminere sibi malum à commoto ferè toto exercitu, ad bellica signa tutum velut ad asylum se recepit, quod violare nefas erat. Erant hæc militaria signa, quædam hastæ, quibus erant affixi typi seu figuræ aquilarum, quæ erant stemmata Romanorum. *Cornelius Tacitus lib. 1.* pag. 195. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

In mediis Ecclesiæ castris crux erecta tutum est asylum. Etenim inde salus vnicuique reo, abundè fuit à Christo Domino procurata.

Historia.

Pulcheria virgo soror Imperatoris Theodosij iunioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ munus obtulit gemmis & auro diues, vt virginale decus suum atque fratris Imperium Christo Domino commendaret. Vtque foret perenne votum virginitatis, quo se obstrinxit, illa suam hanc sponsionem vltro Deo factam fronti altari inscribi voluit aureo charactere. *Sozomenus lib. 6. historia Ecclesiast. cap. 3.* pag. 455. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Virginitas illibata decus habet vtique insigne; sed illa Deo consecrata capit ex emisso voto, Dei gratiæ & meriti maximum incrementum.

R

Historia.

Roma quasi præscia se aliquando leges præscripturam orbi toti, credidit auspicandum esse tale Imperium à dominio sui, quod vt assequeretur, voluit ipsa bonis legibus obedire. Eo intento Roma misit in Græciam Legatos; nam degebat ibi & ludebat eo sæculo scientiarum omnium chorus. Romani lautè excepti à Græcis conscripsere leges, ad quarum amussim tunc viuebant: reduces Romani protulere leges allatas, & Senatus sanxit eas in duodecim tabulis exarari. *Caius lib. 2. ff. de origine iuris.* pag. 131. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, id est, si vis in æternum regnare, scito tibi esse Dei legibus obsequendum.

S

Historia.

Sallianus homo ferox Cabestanum nobilem hominem conducto sicario occidit, & exenteratum cor eius frixit, vt obsonio facto cibi loco suæ vxori ferculum apponeret; hanc enim obscœnè suo ab hoc extincto æmulo credidit adamari. *Cæsar Nostradamus in histor. Prouinciæ sub ann.* 1207. pag. 87. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Multiplici iure suum cor homo Deo debet; sed ille rebus infimis hoc obstringit quando supra modum has deperit postponendo Deum creaturis. Vt ergo Deus hoc deliquium cordis plectat, iustè tradit deuium cor conscientiæ vermibus erodendum.

Historia.

Salomon Rex Hungariæ pulsus regno, suum in animum induxit ambire cœli regnum, quo quisquis inauguratus est, ille nequit excidere: eo intento procul abiit in eremum, vbi terræ velut immemor ad cœlestia bona votis omnibus anhelauit. *Bonfinius lib. 4. Decade 2.* pag. 405. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Omnia rectè Deo moderante nobis ingruunt ad salutem, nisi fortè Deo reluctetur homo: nam ærumnis æquo sicut par est animo acceptis æterna salus animæ procuratur.

Historia.

Sertorius Dux Romanus olim Characitanos arte fregit quos non potuerat armis opprimere. Erat populus ille ferox in monte degens rupibus oblito,

obsito, quas concamerante naturâ locus erat instar arcis, quam non potuit Romanus ille licèt strenuus expugnare. Insolescebant hi barbari, freti præsidio loci, populantes oras conterminas. Sertorius bello clarus statuit exterminare trucem hunc populum; aduertit enim omnium specuum fauces vergere ad Aquilonem, & in radice rupis huius esse molem magnam pulueris exigui, in quem terra rupi subiecta, manu attrita subitò soluebatur. Ille naturâ soli exploratâ, suum coëgit exercitum, & sociis omnibus indixit, vt in magnos cumulos & aggeres componeret hunc puluerem translatum ex aduerso specuum aperto ore patentium, vt Borea reflante, cinis seu puluis excitatus summo feræ Gentis ibi reconditæ dispendio specuum abdita penetraret. Successit è voto Ducis imperium; quippe cœlo sereno, velut acceptis induciis à vento, miles festinè fecit congeriem magnam pulueris, qui postera die valido spirante Aquilone latus est in antra opposita, quæ illo puluere oppleta ferum hunc populum oppressere, serò expertum fortiora quæque breui puluere profligari. *Plutarchus in vita Sertorij.* pag. 43. c. 1. & 2

APPLICATIO MORALIS.

Eadem arte Deus superbos hominum ausus compescuit: nempe videns, in excelsis Adam posuisse nidum suum comedendo pomum, vt similis inde foret Altissimo, non vltores huius iniuriæ conduxit Angelos, sed hanc superbiam minuto puluere castigauit: *Puluis* (inquit) *es, & in puluerem reuerteris.* Genes. 3. Vt cognouit homo, neci se obnoxium esse, typhum superbiæ deposuit: vnde benè suas puluis egit partes; eius enim intuitu serò licèt fastum depressit homo, suis acceptis animæ dotibus intumescens.

Pharao blasphemus homo voces in has sacrilegas erupit: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum.* Exod. 9. Deus vltor huius iniuriæ numerosum militem non conduxit, sed hoc vnum sanxit, scilicet vt Moyses cinerem spargeret ante Regem hunc superbum, eo cinere prosternendum. Cinere effuso caro Regis & subditorum eius intumuit, facta typus arrogantiæ Pharaonis, quam despiciendo Deus, armis inglorijs victo Regi, scilicet effuso cinere deprimebat.

Historia.

Seruius Tullius, Rex Romanorum primus, ouis seu pecudis imaginem inussit æri, ideóque rati sunt multi pecuniam dictam à pecude, quia prima moneta fuit à pecudis specie figurata. *Plinius libro 33. capite 3.* pagina 49. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Christus oues appellat eos, qui saluantur; hœdos verò malos, qui damnantur. Moneta gazis inferenda cœli, vt sit probata, debet ouis symbobolo signari: id est, homo probus vt sit & beatus, apprimè debet ouis innoxiam & vtilem indolem æmulari. Vt operari sequitur esse, sic homo mire nactus ouis ingenium, congrua ad beatitudinem sortiendam opera perpetrabit.

Historia.

Seuerus Imperator valdè fuit inimicus Christo, nisus eius abolere fidem, Christianos omni tormentorum genere cruciando. Non impunè tulit hoc sacrilegum crimen homo reus læsæ majestatis diuinæ. Qui namque Dei filium se præstare fugit profitendo fidem eius, degenerem quoque suum filium expertus est: is enim gladio districto patrem voluit confodere, qui idcirco graui mœrore percitus expirauit. *Dion. in Seuero.* pag. 749. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Peccando, Deum omnium Patrem offendimus, & ita prolis adulterinæ modo, pium insurgimus in parentem. Hanc iniuriam proteruè Deo illatam à dyscolis hominibus, illorum filij vt tortores grauiter vlciscuntur. Hominum nequam filij sunt peccata, quibus ipse Deus vtitur ad vindictam & supplicium animæ quæ peccauit, eius enim ab his intima corroduntur.

Historia.

Sigismundus Imperator erat facilis ad condonandas iniurias, vnde quidam Laurentius Hungariæ Palatinus eum corripuit, ægrè ferens, illum non condonare solùm acceptas iniurias, verùm etiam homines iniurios in gratiam receptos opibus adaugere. Respondit Imperator, esse genus nobile perdendi inimicos, non relaxare solùm eis offensas, sed beneficia conferre, quia ita fiunt amici; namque subit locum simultatis amor, odiorum congruus interemptor. Hac internecione licet hostes demetere; sic vindicare, nihil omnino vetat: hinc emergunt commoda multa, quibus ditatur homo suis æmulis beneficus, satiùs arbitratus, eis se præstare gratum, quàm in illorum capita desæuire. *Æneas Syluius lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.* pag. 336. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Homo suas iniurias relaxando, bonis seu gratiis dignando suos osores, inde refert cum fœnore magno lucrum, idque duplex. Primò, lucratur eum, quem de acerbo inimico totum arctè sibi obstringit. Secundò, Dei gratiam abundè sibi conciliat: qui namque Dei causâ suis inimicis indulget, ille Dei opimâ gratiâ compensatur.

Historia.

Sylla Duce Romano vita functo, Roma suum luctum testatura, rogo iniecit tot & tanta aromata, vt ex his statuæ compactæ molem seu staturam hominis adæquarint. *Plutarch. in Sylla.* pag. 23. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Christi morte nobis ingens aromatum pondus è cœlo datum est; his respersus homo, bonus odor Christi est quocunque vadat: omnes nim gratiæ illæ, quibus anima iusta fragrat, ex christi morte sicut ex fonte viuo & limpido deCxerunt.

Aromata illa molem seu staturam hominis exprimunt,

exprimunt, quando totus homo suauè fragrat, id est, quando benè compositi sensus nihil committunt vnde teter odor spiret. Sponsa Dei compacta fuit illo sacro aromate, quando cœlos scandit, facta sicut virgula fumi, emergens ex aromatibus thuris & vniuersi pulueris pigmentatij quibus odoribus Scriptura Sacra notat gratias, quæ in dilectam hanc animam cœlitus influxerunt.

Historia.

Syri milites prælio instante suas scindunt vestes, vt cum acie obiecta queant expeditè nudo pectore decertare. *Origenes lib. 1. in Iob.* pag. 744.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Vita nostra iuge bellum est cum dæmone hoste fero, nudo, rebus nullis implicito. Si quem viderit ille rebus huius sæculi illectum, inde vafer hostis eum arripiens prosternet humi, & vinctum æterno carceri mancipabit. Dimicemus ergo nudi cum nudo, exuentes huius sæculi affectum: cùm namque nudos aduerterit hostis nescius vnde suos impetus incipiat, retrocedet hærens; & cunctantem oppugnare, valens & expedita rebus infimis anima profligabit.

T

Historia.

TAxiles Rex Indiæ audiens Alexandrum igne & ferro totâ indiâ grassari, non conscripsit militem vt potuit; erat enim India valde ferax hominum; sed deposito sensu iniuriæ acceptæ, parua manu nobilium stipatus adiit Alexandrum, quem sic affatus est: Quare meum regnum inuadis, Alexander? Si egenus opes in votis habes, ego lubens reserabo gazas meas vt ditescas; si verò rerum omnium copia affluis, & ditior me es; dedignor ego tuum liberalem animum experiri. *Plutarch. in Alexand.* p.309.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Alexander vt aduertit in Indo Rege mitem animum, & immemorem iniuriæ illatæ, virum hunc suspexit, à bello abstinuit, & aliò transmigrauit. Ita Deus quando videt homines condonare suas offensas, amat eos, & velut immemor peccatorum, quæ aliàs commisere lubens ei veniam impertitur.

Historia.

Thaïs meretrix Alexandrina suam pertæsa vitam suasione viri sancti Paphnucij Abbatis, omnia quæ meretricio quæstu parauerat redegit in cumulum, quem combussit in medio foro, tota ciuitate tale præclarum facinus admirante. Illa demum cogitans tersioris vitæ genus, Monialium carcere se conclusit vbi cella in angusta degens non audebat ore suo polluto referre nomen Dei, sed sic orabat: *Qui me plasmasti miserere mei.* Pudibunda voces illas tantùm triennio toto fudit, aqua breui & arcto pane suo inedia confecto corpori consulendo.

In illo tenore sibi constans fœmina conciliata Deo thalamum sibi struxit eum, quem vidit Paulus simplex, Antonij discipulus. Sanctus ille, Dei conscius arcanorum, hiante cœlo vidit auro diues cubile, micans gemmis ibi insertis, & audiit è cœlo vocem istam: Hunc thalamum Thaïs contrita sibi instruxit, quia in lectulo obscœno iacuisse fleuit & doluit; & pœnitentiam agendo, suam animam in thalamum floridum gratiis & virtutibus stratum Christo Domino consecrauit. *Marullus lib. 4. cap. 10. Sabellicus lib. 5. cap. 5.* pag.192.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Nemo reus, quantumcunque graui mole peccatorum oppressus, desperare debet de salute. Si namque malus homo fecit & admisit vnde Deus damnare potest, non idcirco Deus amisit vnde bonus saluare solet animas, de perpetrato diu crimine pœnitentes.

Historia.

Thebanorum vrbs magna, pace & bello potens, æmula Spartanorum, quos aliquando clade ingloria affecit. Illa suis viribus freta, Regi Alexandro fuit iniuria, quem insolescens conuitiis turpibus impetiuit. Ille bile effusa sui impos extitit, cinxit obsidione Thebas, & arietem validè intorsit in mœnia, quorum parte solo adaquata, viam sibi in vrbem fecit, vbi magna edita strage, faces submisit, quæ flamma grassante Thebas insigne decus Græciæ cinerum cumulum effecerunt. *Plutarch. in Alexandro.* p.37.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Illudit prospera fortuna suis amasiis: nempe rati diuturna fore bona, quibus eos tunc dignatur, agunt multa pœnis obnoxia; namque Dei immemores, indulgendo suis sensibus insolescunt. Quasi verò parum esset conuitiis homines impetere, blasphema voce Deum iniuriis afficiunt, qui iniuriæ acceptæ memor, eos angustiis cinctos iustè necat, & diabolo tradit, æterno igne vindice cruciandos.

Historia.

Theodosius Imperator ægrè ferens proscindi Ecclesiam à grassantibus hæreticis, iussit eos conuenire: illis adunatis, quæsiuit crederent necne, Patres Sanctos de fide benè sensisse? Omnes respondere, fidem fuisse Patrum orthodoxam, & ab erroribus omnibus illibatam. Ad hæc ille pius Imperator ait: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta; & si cum illis consenseris, teneatur; sin minus abiiciatur.* Sozom. lib.7. hist.cap.12. p.264.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Plerique putant se viuere Christianè, quia vitiis horrendis non sunt obnoxij, vt homicidæ, fures, sacrilegi, & alij eiusdem farinæ viri dyscoli, quos tortores suppliciis congruis inuestigant. Sed si eorum vita quasi ad trutinam Sanctorum appensa vitæ eorum comparetur, se deprehendent esse fœdis omnibus vitiis indecoros. Per omnes omnium hominum sortes inductione facta, mores

eorum componendo vitæ Sanctorum, abundè liquet nos in colluuiem atque fæces olidas extremi sæculi deuenisse.

Historia.

Theodosius Imperator accepit à Senuphio eremita vilem habitum & baculum, quibus vt armis instructus iuit obuiam hosti, quem stipatum numerosa licèt acie debellauit. *Glycas part. 4. Annal.* p. 401. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Præcipuæ Sanctorum virtutes, quas post fata nobis imitandas reliquerunt, sunt reliquiæ potiores eis, quas fabricatæ ex auro thecæ suis loculis asseruant: etenim Sanctorum ossa viri nequam conclusa thecis pendulis è collo gerunt, nec meliores inde fiunt; sed virtutes Sanctorum acquisitæ beant homines, & opportunè iuuant contra feros dæmones & vitia decertantes.

Historia.

Theodosius Imperator de summa rerum acturus cum Eugenio tyranno viro idololatra, lata lege cauit ne quis coleret idola, ratus se facturum ita sibi Deum propitium, si propagaret eius obsequium, priscis idolorum cultibus antiquatis. *Lege 12. Codice Theodosij. De paganis.* p. 401. c. 1. Vide legem ibid.

APPLICATIO MORALIS.

Vitia sunt simulacra, quibus homo litat quando Deum offendit, multis vndequaque malis & flagellis cæsus homo gemit, nescius vnde plagis tot petatur: frustrà suæ farinæ viros consulit, qua ratione queat æuum agere suauius. Vitio stante miser erit. Vt ergo fiat fœlix, hactenus exculta terat omnia simulacra.

Historia.

Theophilus Imperator, homo nequam & sacrilegus, versus iambos Christo iniurios inscripsit fronti Sanctorum Theodori & Theophanis, qui generosè sacra veræ & orthodoxæ fidei dogmata propugnabant. Idcirco virum hunc blasphemum magna plebis circumstante corona pugil quidam Christi strenuus acriter corripuit hac censura: *Va tibi, tyranne, qui Sanctorum Theodori & Theophanis sanctas notasti frontes.* Cedrenus in Theophilo. p. 171. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis alium inducit ad peccandum, ille notat eius frontem macula infami, quæ est tessera reproborum. Detractores huius etiam iniuriæ conscij sunt: nam corrodendo famam hominum sanctiorum, iniquè notant eorum frontem rubore effuso, quasi animæ illæ malè sibi consciæ essent, atque fœdis vitiis inhonestæ.

Vide plura idonea moribus informandis. pag. 171. col. 1

Historia.

Theseus monetæ bouis speciem insculpsit, vt Græcos, quos arma suo fragore feros effecerant, ad agriculturam illa bouis æri impressa specie reuocaret. Est enim illa quasi innoxia occupatio respectu militiæ, quæ inter arma leges elingues facit agricultura verò, totum hominem occupando, demit ansas ei noxia perpetrandi. *Plutarchus in Theseo.* p. 49. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Homo reus pulsus paradiso, fuit in criminis mulctam addictus culturæ soli ingrati, quod spinas & tribulos germinare solet, estò labor sit improbus, quem impendit homo natis vepribus euellendis. Eadem sors iniqua manet eos, qui ignauè suam animam excolunt: etenim illa sicut terra maledicta, nisi fuerit nacta manum impigram in gramina noxia luxuriat, scilicet in vitia fœda, quibus vt spinis peracutis anxia anima laceratur. In vultus sui sudore debet homo pane suo vesci; nam gratia diuina cibus animæ non influit, nisi post labores eo intento iuges & strenuos fortiter exantlatos.

Historia.

Tiberius Imperator Christianus opes suas omnes egenis distribuit: sed vt abundè Deus adest piis hominibus, noluit esse viri benefici pauperibus in hoc etiam æuo pium facinus indonatum. Cùm namque sacras in ædes introiret, marmori substrato vidit inesse crucis signum impressum: lapidem iussit ea mora loco in alio reponi. Marmore sublato, crucis iterum signum impressum alteri marmori repertum, & successiuè plures alij lapides eruti sunt impressâ nota crucis insignes: facto demum hiatu magno, diues thesaurus apparuit, quem ille pius Princeps indigis erogauit. *Sabellicus lib. 5. Enneadis* 8. p. 81. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Iactura boni, conuitia, morbi, aliæque graues ærumnæ, cruces sunt, marmori insculptæ, quando nequam obdurescit homo peior factus iis angustiis, quas eo fine Deus decernit ei, vt ditescat, modò cruces vt congruit amplectatur. Si tandem aliquando malis fractus homo, suo animo reuoluit miserum statum, in quo anima vitiis obstricta iacet, incipit amare cruces, quæ premendo cogunt adire Deum, & ita gazas prædiuites gratiæ reperire.

Vide alium sensum moralem. p. 81. c. 2

Historia.

Tiberius Cæsar industrium artificem sustulit è medio, quia vitrum inuia mortalibus arte fecit ea duritie, vt malleo intorto teri non posset. Aiebat ille, fore nitens aurum despectui, si crystallus illæsa diu in sua constanti specie perennaret. *Suet. in Tiberio.* p. 435. c. 1

APPLICATIO MORALIS.

Diabolus astutè vitro dedit duritiem & stabilitatem

litatem quando rebus his caducis apud homines affinxit aliquod perenne decus: dum namque bonis huius sæculi vt duraturis homo litat, æternæ suæ salutis incurius; incautè totus huic sæculo mancipatur. Iustè Deus homines hos deliros æuo breuiore punit, quia credidere, rebus his vitreis quidpiam esse boni perpetui. In his fuere viri isti fortunæ velut amasij Absalon, Alexander, Iulianus Apostata, qui delibata breui beatitudine sæculi, iuuenes obierunt.

Historia.

Tilleda Rex Granatensis, homo totus Mahumeti addictus, excepit perhumanè Regem Lusitaniæ Alphonsum, quem Sanctius Rex Castellæ frater eius solio expulerat, cui Tilleda Regem pulsum restituit armis, exemplo sanè viris Christianis omnibus imitando. *Historia Lusitaniæ in Alphonso.* p.613.c.2

APPLICATIO MORALIS.

In dedecus & opprobrium fidelium quandoque Deus permittit eos ad virtutum praxim à barbaris erudiri. Et hæc est iniuria reuerà grauis nomini Christiano, viros scilicet infideles præire bonis actionibus, Christianis, qui professione sua ad studium virtutum omnium obstringuntur.

Vide plura alia humanitatis exempla. pag. 613. col. 2

V

Historia.

VAlens Imperator, olim orthodoxus, deceptus ab vxore sua Ariana, fidem abiurauit, & horrendo fato vita excidit: nempe suæ in perfidiæ mulctam, desertor ille viuus & victus ab hoste Gotho, foco vindice conflagrauit. *Theodor. lib.4.cap.*12.p.208.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Astuta caro sæpe suis blanditiis animam auertit ab obsequio Dei, quæ in pœnam defectionis huius, carne præualente, fœdis luxuriæ facibus inardescit.

Historia.

Valerij, Leuini filij, in honorem patris sui defuncti quatriduo toto ludos gladiatorios Romæ suis sumptibus ediderunt. *Liuius lib.*1. *Decad.*5. pag.22.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Passio Christi recensita viros quosque probos obstringit vt filios crucifixi ad vltores ei illatæ necis gladios exerendos. Quia verò sumus conscij mortis huius, quam consciuere mala quæ fecimus, idcirco totum debemus æuum transigere gladios in gratiam Christi Domini distringendo. Mactata caro duro discubitu, abstinentia arcta cibi, vigiliis, & aliis austeris exercitiis, iustè luit pœnas conscitæ necis Christo, cui mortificationis quotidianæ debent gladij militare.

Historia.

Venceslao VI. Rege Bohemiæ valde pio extincto, Præsul Brixionensis nomine Ioannes eum acerbè diu luxit. Rex è cœlo viri huius luctum miseratus, eum in somnis sic affatus est: Quid, ô Ioannes, mihi molestus es? quare luges me sicut mortuum, quem gestire debes ereptum sæculi fluctibus & procellis, quibus vt plurimum homines absorbentur? Recole Scripturæ sanctioris oracula, & inde scies, animas Deo gratas cùm excedunt ex hac vita vehi in cœlum. Scripturæ locus hic est. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer: & habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, & non erit qui exterreat.*

Rex eo textu recitato fidem modicam Præsulis increpauit, quasi ignoraret, homines quosque pios cute tenus, id est, corpore solo mori, morte pias animas minimè depascente. Nouitate rei perculsus Episcopus somnum soluit, animo recolendo locum Scripturæ, cuius ei mentionem Rex fecerat: & cum nesciret vbi prostaret ille Sacræ Scripturæ locus, eum reperit capite secundo Iob, & inde nouit, non delirium fuisse suam hanc visionem, sed admonitionem salutarem animæ beatæ, cuius sors erat minimè deploranda. *Æneas Syluius cap.* 28. *histor. Bohemiæ.* p.193. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Cùm omnes homines attentè curent, vt æuo diuturno viuant, ego miror eos non operam dare, mori vt non possint in alio sæculo. Hanc gratiam assequetur homo cauens à peccatis quæ sola necem animæ consciscunt, vt gratia diuina secus dignatur eam vitâ, finem sæculi nescitura.

Historia.

Victore II. Papâ sacrum faciente, quidam diaconus calici sancto virus infudit, vt illo exhausto Papa fatis cederet. Sed dum Pontifex sceleris inscius se aptaret ad haustum sanguinis Christi, pondere tanto Deus hunc calicem fixit, vt Victor eum non potuerit attollere: interea diaconus ille fuit à dæmone arreptus, eo tortore pœna congruâ castigatus. Beneficum sanè fuit hoc Sacramentum optimo Pontifici, cui lethale virus erat infusum, homini verò sacris iniurio, scilicet diacono homicidæ, dirus adfuit vltor dæmon, quo suasore panis filiorum à reprobis accipitur, maximo illorum animæ detrimento. *Abbas Vspergensis in Chron. sub ann.*1055. p.707.c.1

APPLICATIO MORALIS.

Inde potes, ô prædicator, ansam arripere declamandi in homines, qui obnoxij peccato, sacris adstant altaribus, dicendo virus eos aspergere mensæ Dei, si discumbunt animâ vitiis inquinatâ. Verbi gratiâ, artibus iniquis homo diues non restituendo malè partas opes, & sic ad communionem accedens, pauperum cruore panem hunc inficit, qui idcirco citam Dei vltionem sollicitat, hominum egenorum sanguine purpurascens. Alius adulter aut fortè malo grauiori obstrictus ad communionem accedit, ille panem sanctum fœda

aspergine

aspergine conspurcat, saliente luto ex luxuriæ illius sordido volutabro. Homo ferus, & assuetus versare dolos, atque memor iniuriarum odiis indormiens, se immiscendo sacris animo anhelo in cædes, respergit felle amaro panem illum Angelorum dulci saccaro condiendum. In mulctam iniuriæ illatæ pani sancto, dæmon in sacrilegos homines horrendè sæuit, iisque plerumque necem corporis & animæ consciscit, vt eorum exemplo mali eiusdem conscij resipiscant.

Historia.

Vladislaus Rex Polonus opes multas exegerat à populo, quas postea restituit, suggerente Regina Deum grauiter offendi indebitis his tributis. Ære refuso, suam coniugem Rex affatus ait: O Regina, pone modum querulis vocibus, quæ refricant memoriam ærumnarum plebis: ego satis superque malum hoc tersi, plura mihi iura debita relaxando. Quid importuna sonas publicam inopiam, cùm abundè gazas effuderim, vt facta plebe ditiore fiam pauperior? An fortè tibi hoc parum est subiisse Regem publicam inopiam, vt populi egestas summa gazis regiis finiat erogatis. Regina Regi sic respondit: Larga quidem manu restituisti malè partas opes; sed quo æstu restante plebis anhelæ iuges gemitus & mœrorem redimes? quo pretio appendes querulas plebis afflictæ voces, in quos refundes alueos largos fletuum imbres, quos ab oppressis nimio ære extorto tuis subditis expressisti? *Ioan. Herbut. in hist. Polonia in vita Vladislai.* p.64.c.2

APPLICATIO MORALIS.

Gemitus pauperum, & querimoniæ iustæ Deum sollicitant ad plectendum homines aliis iniurios, qui non impunè ferunt iniurias proximis irrogatas.

Z

Historia.

Zeno Imperator, amans pauperum, virginem inuitam rapuit, cuius mœsta parens Deiparam deprecata, tale scelus vt plecteret, audiit à Maria voces istas: Immane nefas, quod deploras, iam fuissem vlta, nisi Zenonis porrecta manus pauperi sæpius obstitisset. *Pratum spirituale cap.* 175. pag. 67. c. 2

APPLICATIO MORALIS.

Rarò malè cedit eis, qui conduxere sibi pauperes in patronos: eleemosyna namque Deum placat, & inclinat ad veniam his, qui tergunt inopiam pauperis, erogandam.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

A Fabis abstinere, quid mysticum insinuet. p.548.c.1

Abbatis Mansonis mors horrenda, vitæ prauæ & dyscolæ correspondens. p.421.c.2

Absolutio.

Absolutio sacerdotalis quomodo sanctificet. pag. 583.col.1

Absolutionis sacerdotalis necessitas & effectus in gratiam animæ pœnitentis. p.587.c.1

Absolutio non indicat purgatas animas, sed reuerà purgat eas. p.675.c.1

Abstinentia.

Abstinentia à carnibus, cur indicta die ieiunij. pag.108.c.1

Abstinentia à suffocato & sanguine quare indicta primis Christianis ab Apostolis. p.110.c.2

Abstinentia à carne & vino maximè probata. pag. 112.col. 1

Abstinentia à carnibus cœpit cum Mundo. p.112. col.2

Abstinentia carnis cur indicta aliquando. p.112. col.1

Abstinentia à carne odiosa hæreticis. p.112 c.2

Abstinentia à carne violata à quodam, castigata fuit prodigio edito à Deo. p.135.c.2

Abstinentiam à carne noluere soluere Bizantini grassante fame tempore Quadragesimæ. ibid.

Abstinere à vino quare debent adolescentes. p.411.c.1

Abstinentia à carne laudata ab Augustino. p.133. col.2

Abstinentia à vino maximè commendatur.p.411. col.2

Abstinere debet homo à prouocantibus luxuriam. p.411.c.1

Abstinentia Numæ singularis ante sacra.pag.412. col.2

Abstinentia stupenda plurium nationum. p.413. col.1

Abstinentia à carne laudata ab Epicuro. pag.413. col.2

Abstinentiam plurium Philosophorum refert Hieron. p.413.c.1

Abstinentia plurimùm æstimata à Hieronymo. pag.413.c.2

Abstinentia propitia ad conciliandam animæ sanitatem. p.421.c.2

Abstinentia à sanguine & suffocato quibus rationibus ab Apostolis sancita fuit. p.693.c.2

Admirari an aliquam dicat imperfectionem. pag. 147. col.2

Admiratio propriè sumpta fuit in Christo.p.147. col.1

Admirationem quænam causæ concilient. p.146. col.1

Adoratio ex quibusnam actibus coalescat. p.718. col.2

Adoratio quæ defertur Regibus qualis sit. p.719. col.1

Adoratio Sanctorum non est idololatria. p.718. col.2

Adorant Deum dæmones coacti exorcismis, sed non perfectè adorant. Vide rationes. ibid.

Ægyptij habuere festa, quorum pridie ieiunabant. pag.413 c.1

Ægyptij sacerdotes abstinebant à carnibus. ibid.

Æthiopes qua ratione suum luctum edebant. pag.22.c.1

Æthiopes in publico luctu mactabant boues. pag.23.c.1

Æthiopes quosnam in Reges olim eligebant. pag. 59.col.2

Æthiopes initiauere sacris ritibus Ægyptios. pag. 495.col.2

Alexander Macedo quare Thebas euertit.pag.37. col.2

Ambitionis expers Roma diu floruit. pag. 59 col.2

Ambitio Græciam in factiones scissam perdidit. pag.59.c.1

Ambitio quale lethale virus sit. p.44.c.1

Ambitione tumens homo totus inquies est.p.668. col.1

Amen, dictio Hebræa quid significet. p.4.c.1

Amor in communi.

Amor hominem totum obstringit ei rei quæ amatur. p.14.c.2

Amor quâ cautelâ sit dispensandus ab homine. pag.15.c.2

Amor nimius rerum infimarum est cauendus. pag.15.c.2

Amor nimius rerum terrestrium animam excæcat. p.16.c.2

Amorem obstringendo, suam salutem dubiam facit homo. ibid.

Amor huius sæculi hominem impotem facit ad salutem animæ procurandam p.17.c.1

Amorem deuouentes creaturis vltra modum, qua ratione Deus carpat. p.17.c.2

Amor quem corpora speciosa accendunt, qua meditatione penitus extinguatur. p.36.c.1

Amare

Amare creaturas toto corde, Deo iniurium est. pag.84.c.1
Amare res infimas, est thesaurizare in terra. pag. 84.col.2
Amare sine noxa res qua ratione queat homo.pag. 85.col.2
Amantis supra modum creaturas sors est lugenda. pag.82.c.2
Amanda bona huius sæculi sobriè. p.86.c.1
Amor nimius, quare rebus huius sæculi non sit impendendus. p.84.c.2
Amor olim quare pingebatur coronatus. p.289. col.2
Amor & odium quare hominibus insint. p.315. col.2
Amor noster quibus rebus affici debeat. p.315. col.1
Amoris sunt tres sedes vbi se explicat. pag.320. col.1
Amor iners non est, sed se prodit operibus.p.320. col.2
Amor quomodo probetur ab Hebræis. pag.325. col.2
Amoris cum calore quædam affinitas. pag.324. col.1
Amoris probatio qualis olim Romanis. p.326. col.1
Amor quomodo probatus apud Persas & Maced. pag.326.c.1
Amoris indicium quale fuit apud Æthiopes. pag. 326.col.1
Amoris probatio apud Græcos, & Phryges. pag. 327.col.2
Amoris probatio qualis olim apud Parthos.p.326. col.1
Amor quomodo probatus olim apud Scythas. pag.328.c.1
Amoris probatio qualis apud Indos. pag.328. col.2
Amor quomodo probatus à Medis, & Lydis. pag.318.c.1
Amor olim quomodo probatus à Persis. p.328. col.2
Amoris probatio qualis olim apud Arabes.p.328. col.1
Amoris proprium est se probare donis. pag.446. col.1

Amor Dei. Vide Charitas.

Amare toto corde Deum solum debet homo.pag. 84.col.1
Amandæ creaturæ in ordine ad Deum. pag.87. col.1
Amorem Dei exhortans suggerit Augustin. pag. 87.col.1
Amor Dei virtutum praxi accenditur. pag.122. col.2
Amor vt congruus sit, est ad Deum referendus. pag.87.c.1
Amoris sacri vis & præpotens virtus. pag.288. col.1
Amor Dei quos effectus exerat in anima. p.293. col.2
Amoris obsequio plus Christus egit, quàm Moyses formidine pœnæ. p.283.c.1
Amor est finis latæ legis à Deo. p.295.c.1
Amorem Dei cuncta nobis obuia prædicant.pag. 294.col.1
Amore accenso Deus os, linguam, & manus hominis instaurauit. p.321.c.2
Amoris Dei præceptum quare nobis indictum. pag.339.c.1
Amor Dei reuerà facit hominem liberum. p.16. col.1
Amoris præceptum omnia nostra Deo obstringit. pag.339.c.1
Amandus quomodo sit Deus ex toto corde. pag. 339.col.1

Amor proximi.

Amoris proximi elegans & genuina descriptio. pag.321.c.1
Amore in proximos Barbari plerique flagrant ardentiùs quàm multi nomine Christiani.pag. 326.col.2
Amoris mutui signa exhibita ab Agamemnone & Menelao. p.327.c.2
Amoris mandatum, quare latum dicatur. p.333. col.2
Amor proximi est sincera tessera Christiani. pag. 340.col.1

Amor inimicorum.

Amoris præceptum odij surculos extirpat. p.283. col.1
Amor inimicorum rationibus suadetur. pag.283. col.1
Amor inimicorum probandus congruis operibus. pag.291.c.2
Amor inimicorum nos filios Dei facit. pag.290. col.2
Amor inimicorum quare Dei filios efficiat.p.290. col.1
Amoris inimicorum gradus nouem sunt. p.292. col.1
Amori inimicorum cur filiatio Dei promissa.pag. 292.col.1
Amor inimicorum perfectionem Dei æmulatur. pag.293.c.1
Amor inimicorum est amoris apex summus.pag. 292.col.2
Amor inimicorum est gratiarum ferax. pag.293. col.1
Amor inimicorum probat inesse nobis gratiam. pag.292.c.2
Amor inimicorum est perfectionis index. p.293. col.2
Amor inimicorum est meritò coronandus.p.294. col.2
Amor inimicorum, est tantùm perfectorum. pag. 293.col.1
Amor inimicorum illatas iniurias consecrat. pag. 294.col.2
Amor inimicorum, est supremus amor. p.295. col.1
Amore inimicorum Deus proponitur imitandus. pag.295.c.2
Amor inimicorum perfectum hominem ostendit. pag.294.c.2
Amor inimicorum astruitur ratione Theologica. pag.302.c.1
Amor inimicorum ad quid homines obstringit. pag.303.c.2
Amor inimicorum suadetur ex Philosophia.pag. 303.col.1
Amor inimicorum est bonitatis eius qui diligit locuples argumentum. p.303.c.2
Amor inimicorum suadetur exemplo Imperatorum Theodosij & Honorij, quorum vide leges. p.304.c.1

Amor inimicorum conciliat veniam peccatorum. p.305.c.1
Amor inimicorum præsagit regnum Dauidi. p.304. col.1
Amor inimicorum necessarius ad Eucharistiam. p.305.c.2
Amor inimicorum est pharmacum salutare. p.306. col.1
Amor Christi erga suos inimicos potens esse debet exemplum, vt Chrysostomus suggerit opportunè. p.312.c.1
Amor inimicorum quare animam obstringit ad benefaciendum eis. p.321.c.1
Amor inimicorum quomodo impugnetur. p.322. col.1
Amor quid amare debeat in inimicis. pag. 322. col.2
Amor inimicorum consulit eorum saluti. pag.323. col.1
Amor quid debeat attendere in inimico. pag.324. col.1
Vide infrà *Iniuria*.
Andronici iunioris Imperatoris facinus, iniuriam atrocem proteruo homini relaxando. pag. 330. col.1

Angelus.

Angeli Custodes quare negati ab hæreticis. p.755. col.1
Angelus plenè nequit animam perficere. pag.166. col.2
Angelorum ministerium in die iudicij. pag. 512. col.2
Angelis cur vtetur Deus in die iudicij. pag. 512. col.1
Angelorum officium circa corpora suscitanda. p.512.c.2
Angelorum cura porrigitur circa corpora suscitanda. p.513.c.1
Angelus Custos vnicuique datus ab ortu. pag.755. col.1
Angelus custos peccatis hominum offenditur. p.755.c.2

Anima.

Anima, quæ peccauit, est plangenda amarè. pag. 22. col.2
Animæ lectus quomodo sit lauandus. p.20.c.1
Anima qua ratione fiat redux ad gratiam. pag.20. col.2
Anima in sua conuersione, graues patitur angustias. p.21.c.2
Anima peccatis obstricta, mortua est, ac proinde modo lugubri illam conuenit adornari. p.22.c.2
Animam quænam faciant templum Dei. pag.178. col.2
Anima S. Eulaliæ vt columba cœlum versus rutilans emigrauit. p.193.c.2
Anima qua ratione fiat imago Dei. pag. 246. col.1
Anima qua ratione queat fieri sancta. pag. 272. col.2
Anima iusta quare dicatur columba. pag. 320. col.1
Anima cœlo quare congruè comparetur. pag. 342. col.2
Anima nequit remanere diu in vno statu. pag.343. col.1
Animæ incrementum vnde petatur. pag. 348. col.1
Animæ facultates quænam perfectioni seruiant. p.348.c.2
Animæ vita penes quid attendatur. pag. 385. col.2
Animæ habitus se produnt in opere repentino. p.385.c.1
Anima sollicita de salute sua flocci pendit ea quæ corporis sunt. p.385.c.2
Animæ status quis sit non influente Deo. p.397. col.2
Anima duobus modis à Deo deseritur. pag. 545. col.1
Anima an se passiuè habeat ad gratiam. pag. 611. col.1
Anima ad Deum redux Ierosolymæ comparata. p.611.c.2
Animæ, quam Deus inhabitat, eximiæ dotes. p.612. col.1
Animas non simili modo Deus omnes inhabitat. p.611.c.2
Animam subeunte Deo, gratia largiter influit. p.614.c.1
Animæ suauitas magna Deo inhabitante. p. 614. col.2
Anima sibi soli viuens procul abest à Deo. p.615. col.1
Animæ sine Deo status est deplorandus. pag.614. col.2
Anima qua ratione sibi mori debeat. pag. 615. col.1
Anima impia fellis amarore plena gemit. pag. 619. col.2
Anima cur non plenè Dei amore flagret. p. 615. col.1
Animæ est deplorata salus, quando non flectitur beneficiis nec ærumnis. p.645.c.1
Animæ elegantia ex duobus coalescit. pag. 673. col.1
Animæ lectulus quanam ratione fiat floridus. ibid.
Apoplexia quid sit. p.398.c.1
Apoplexiæ effectus. ibid.
Apoplexia quando sit lethalis. ibid.
Apoplexia quare motum adimat. ibid.
Appetitus rationalis homini insitus quid sit. p.415. col.1
Appetitus sensitiuus differt ab appetitu rationali. ibid.

Asylum.

Asyla quis prior hominum adinuenit. pag. 195. col.2
Asylum Spartæ fuit ex ære conflatum. pag. 196. col.1
Asylum solenne fuit Thesei sepulchrum. p. 195. col.2
Asylum Thebæum vbi serui redibant in gratiam. p.196.c.1
Asylum singulare fuit templum Ephesinum. p.195. col.2
Asylum Pergami in gratiam Æsculapij. pag. 196. col.2
Asylum Ephesinum auxit Alexander Macedo. p.195.c.2
Asyla multa vide plurium nationum. p.196.c.2.& p.197.c.1
Asyla, tria gratiarum genera conferebant. p. 197. col.1

Attritio.

Attritio salutaris est accedente Sacramento. p.575. col.1

Attritionem esse bonam ratio multa probat. pag. 575.col.2
Attritionem conciliat elegans discursus August. pag.580.c.1
Attritionem exemplo, suo probat Hieronymus. pag.580.c.2

Auaritia.

Auaritia plerisque fuit noxia ex Scriptura. p.432. col.2
Auaritiæ tentatio valde potens est. pagina 390. col.1
Auaritia perdidit Baiazethem Turcam. pagina 82. col.1
Auaritiæ nequitia quanta, ex Augustino. pag.72. col.1
Auaritiam acriter perstringit Chrysostomus. pag. 72. col.2
Auaritiæ cum hydropico comparatio. pag. 75. col.2
Auaritia perdidit Constantinum Paleologum.pag. 82. col.1
Auaros acriter corripit Augustinus. pagina 72. col. 2
Auari perditio figurata in Iuda proditore. pag.86. col.2
Auaritia crudeles animos inspirat auaris. pag.432. col.1
Auaritia quando fiat peccatum mortale. pag. 430. col.1
Auaritiæ & idololatriæ magna affinitas. pag.432. col.1
Auaritiæ laqueos homines pauci declinant.p.432. col.2
Auaritia ad cultum idolorum multos adegit. pag. 431. col.1
Auarus dicitur bestia à Bernardo. p.132.c.2
Auaritia impedit omnium virtutum praxim. pag. 433.col.1
Auro vis inest ad corrumpendos homines. p.433. col.1. & 2
Aurea cur conflata fuerint simulacra. pag. 431. col.1

B

Bacchus olim impudicè pictus à Gentilibus in templo Christianorum. p.421.c.1

Baptismus.

Baptismus omnia peccata detergit. pag.366. col.1 pag 716.c.2
Baptismus peccatum originale delet. pagina 367. col.1
Baptismus non tollit concupiscentiam. pag.368. col.2
Baptismus est limen Ecclesiæ Catholicæ.pag.376. col.2
Baptismi & pœnitentiæ paritas quædam. pag.578. col.1
Baptismus illuminatio congruè nuncupatur. pag. 716.col.1
Baptismus eleganti figura lineatur. p.716.c.2
Baptismi encomia, & hæc luculenta. p.716.c.1
Baptismus est extinctio veteris Adæ. pagina 717. col.2
Baptismus à Sanctis antidotum appellatur. p.717. col.1
Baptismus non peccata radit tantùm, sed omnino demit, vt astruit Augustinus. p.717.c.2
Beatitudinis seu Paradisi descriptio,ex SS. PP pag. 548.col.1
Beatitudo dicta gloria operantium, & quare. pag. 248.col.1
Beatitudo cur dicta vita æterna. p.545.c.2
Behemot quid propriè significet. p.667.c.2
Belesis Chaldæus ex cinere magnas opes tulit.pag. 41.col.2

Bellum.

Bella auspicata ab inuocatione Dei. pagina 398. col.2
Bellum carni indictum ad omnes pertinet.pag.118. col.2
Bellum inconsulto Deo non indictum ab Hebræis. pag.398.c.2
Bellum quo ritu indictum à Romanis. pag.399. col.1
Bellum corporale figura est spiritualis belli.p.400. col.1
Belli auspicandi ritus plurium Gentium. pag.399. col.1
Bellum quando potest iustè indici. pagina 400. col.1
Bellum quomodo gessere plures Christiani. pag. 400.c.2. & p.401. c.1.& 2
Bellonæ sacra instaurauit Commodus Imp. p.399. col.1
Bellonæ sacra ritus habuere feros, & inhumanos. ibid.
Benedicere alicui,quid sit. p.519.c.2

Bonum.

Boni vtilis & honesti definitio quæ sit. pag. 86. col.1
Bonum vtile & honestum confundentes grauiter peccant. ibid.
Bonum creatum nequit esse bonum adæquatum. ibid.
Bonum Syris, Chaldæis, & Græcis idem ac pulchrum. p.693.c.1
Bonum propriè in quo consistat. p.430.c.1
Bona præcipua sunt petenda ex cœlo. pag. 337. col.2
Bona fama viris probis maximè necessaria. p.465. col.2
Bonitas cuiusque rei vnde attendatur. pag. 431. col.1
Bonum pluribus indiget, vt bonum sit. pag. 693. col.1

C

Cabadæ Regis auaritia sacrilega. p.77 c.1
Canis symbolum est hominis vitiis obnoxij. p.706.c.2
Canes pecuarij sunt Ecclesiæ Doctores. pag. 123. col.1
Capharnaum quare ciuitas Christi dicatur. p.138. col.1
Capharnaum fuit potior vrbs Decapoleos. p.137. col.2
Capharnaum miseratus est Christus multifariàm. p.138.c.2
Capharnaum in qua terræ plaga sit. pag. 137. col. 2

Capharnaum quare Christus elegerit. p.137.c.1
Capharnaum vrbs quando fuit adæquata solo. pag.137.c.2
Capharnaum quando cœpit Iesus incolere. p.137. col.1
Capharnaum deliciis & opibus ciuitas insolescens. pag.137. col.2
Capharnaïtarum fidem cur Tiberius suspectam habuit. ibid.
Caroli Principis Andegauensis constantia accepto nuntio mortis ingloriæ tunc temporis imminentis. p.313.c.2

Castitas.

Castitas propriè quid sit. p.454.c.1
Castitatis votum non est contra naturalem propensionem. p.451.c.2
Castitatis votum Scriptura commendat. pag.452. col.1
Castitati vitam postposuit Princeps Casimirus. pag.451.c.2
Castitas meritoria vitæ æternæ. p.452.c.2
Castitas admiranda pueri Pelagij frustra Regis artibus oppugnata. p.346.c.1
Castitas nos efficit mysticum templum Dei. pag. 452.col.2
Castitatem perpetuam quare exosi Gentiles. pag. 448.col.2
Castitatis encomia luculenta ex Sanctis PP.p.452. col.2
Castitatem quibus argumentis impugnent hæretici. p.449.c.1
Castitatis laudes & tituli singulares. pag. 452. col.2
Castitatem perpetuam Augustus improbauit. pag. 448.col.2
Castitatis votum impedit nuptias. p.429.c.2
Castitas illibata merum Dei donum est. pag 450. col.1
Castitas è cœlo datur eam poscentibus. pag.450. col.2
Castitatem quomodo Lutherus impugnet. p 451. col.1
Castitas illibata quibus meritò denegetur. p.450. col.2
Castitatis professio quare rara sit hodie. p451.c.1
Castitas incorrupta facit animas Dei sponsas. pag. 453. col.1
Castitatis effectus, quàm sint salutares. pag.454. col.1
Castitas ab Ecclesia maximè commendata. p.455. col.1
Castitati leges iniurias antiquauit Constantinus Imperator. p.455.c.2

Cella. Vide *Solitudo.*

Cellæ mira attributa sunt encomia. p.407.c.1
Cellæ tituli egregij ex S.Chrysostomo. pag.406. col.2
Cella credita virtutum omnium parens. pag 407. col.1

Centurio.

Centurio incola Capharnai, Gentilis fuerit nec ne pag.141.c.1
Centurio quomodo fuit Gentilis & Israëlita. pag. 141.col.2
Centurionis probitas eum aptauit ad gratiam. pag.142.c.1
Centurio personaliter accessit ad Christum. pag. 142.col.2 & p.144.c.2
Centurionis fides extitit singularis. p.148.c.1
Centurionis fides an Apostolorum fide maior. pag.148. c.2
Centurionis verba Ariani interpretando vomunt horrendas blasphemias. p.149.c.1
Centurio confessus Christum omnipotentem pag. 149. col 2
Centurionis verba fideliter explicantur. pag.149. col.1
Centurionis encomium congruum meritis.p.148. col.2
Centurio an nouerit incarnationem Verbi. p.150. col.2
Chaldæorum ignis victus ab Ægyptiorum aqua. Vide quanam industria. p.253.c.2

Chananæa.

Chananæa mulier vnde fuit orta. pagina 683. col.1
Chananæa quare fuit dicta Syrophœnissa. p. 683. col.2
Chananæa quare non exaudita fuit initio. p.697. col.2
Chananææ perseuerantia compensata fuit. p.697. col.1
Chananæa non denominatur ab vrbe Cana. pag. 683. col.1
Chananæ fides commendatur ab eius patria.pag. 683.col.2
Chananæa quare egressa de finibus suis. pag.685. col.2
Chananæa vnde sciuit Christum esse Dauid filium. p.686.c.1
Chananæa quare durè excepta à Christo. p.686. col.2
Chananæa Christum credidit esse Deum. p.687. col.1
Chananææ fides perfecta fuit. p.686.c.2
Chananææ fides vnde commendetur. pag. 687. col.2
Chananæa repulsam passa, fuit fidelior. pag.688. col.1
Chananææ fides Apostolos induxit ad rogandum pro illa. pag.688.c.2
Chananæa quare vltimò vocauit Christum Dominum. p.690.c.2
Chananæa fuit multis ornata virtutibus. pag.694. col.1
Chananææ argumenta, quibus meruit exaudiri. pag.694. c.2
Chananææ profunda fuit humilitas. pagina 696. col.1

Charitas.

Charitatis perfectio quænam necessaria. pag.477. col.2
Charitate constant omnia cœlestia. pag. 336. col.2
Charitas est præcipua moneta gazis cœlestibus adiecta. p.79.c.2
Charitatis & auri quædam similitudo. pagina 80. col.1
Charitas quare sit præstantior ieiunio. pagina 97. col.2
Charitatis effectus graphicè describuntur. pag. 80. col.1

Charitas est tessera discipulorum Christi. p.287. col.2
Charitatis & vnitatis consortium intimum. p.80. col.1
Charitatis encomia plurima recensentur. pag.287. col.2
Charitas est Regina virtutum omnium. pag.80. col.1
Charitate sumus filij Dei adoptiui. p.289.c.2
Charitatis expertes, à cœlo procul sunt. pag.336. col.2
Charitas in cœlo primas tenet. p.80.c.1
Charitas est solidum Euangelij fundamentum. pag.289.c.1
Charitas est omnium virtutum præcipua. p.289. col.2
Charitatis effectus præcipuus, quinam sit. p.290. col.1
Charitas est necessaria ad salutem animæ. p.301. col.2
Charitate tria necessariò sunt amanda. pag.320. col.1
Charitatis ignis agit in incombustibilia. pag.321. col.1
Charitatis necessitas absoluta probatur. pag.336. col.2
Charitas quando & quomodo sit perfecta. p.372. col.2
Charitas vni homini ea instructo, bona omnium aliorum participatione quadam affingit. p.504. col.1

Christianus.

Christianum esse quid sit, ex Polycarpo. pag.231. col.1
Christiani vt Christi membra sequi debent caput. pag.121.c.2
Christianus quis possit meritò nuncupari. p.340. col.2
Christianus est nomen libertatis. pag.341. col.2 pag.346. col.2
Christiani nomen ad quod obstringat. pag.345. col.2
Christianus est nomen virtutis omnigenæ. p.340. col.2
Christiani vita, crux est perpetua. pagina 341. col.1
Christiani nomen multi falsò vsurpant. pag.340. col.2
Christiani nomen vnctionem significat. pag.342. col.1
Christianus, nomen est impigræ actionis. p.345. col.2
Christianus, nomen est strenui martyrij. p.347. col.1
Christianus omnis, quomodo sit liber. pag.347. col.2
Christianus omnis, quomodo sit liber. pag.347. col.1
Christiano nomine gloriabatur Blandina Martyr. pag.345.c.2
Christianus esse nequit seruus homini infidelis. pag.346.c.1
Christiana disciplina docet homines ad cursum. pag.345.c.2.
Christiani nominis vis in quodam Martyre. p.346. col.1
Christiani nominis desiderium liberos facit. p.347. col.1
Christiani homines vt plurimùm subpallidi. pag. 346.col.1
Christiani studia quænam debent esse. p.347.c.2
Christiani nominis encomia digna scitu. pag.347. col.1
Christiano nomini, multi iniurij sunt. pag.347. col.2
Christianæ disciplinæ quale institutum. pag.347. col.1
Christianus debet exuere veterem hominem. pag. 351.col.2
Christiani qualem in hoc æuo debent inire viam. pag.352.c.2
Christiani à iuniore Plinio commendati. pag.357. col.2

Christus.

Christus singularem curam gessit miserorum. pag. 137.col.1
Christi actiones editæ vt homines eruditent. pag. 138.col.2
Christus antè sanauit animas, quàm corpora. pag. 139.col.1
Christus non fictè, sed reuerà admiratus est. pag. 145.col.2
Christi admiratio nihil imperfectum vehit. p.147. col.1
Christi scientia multiplex, cuius habes differentias. p.146.c.2
Christi dominium Iulianus fidei desertor agnouit. pag.163.c.2
Christo nato, nemo ausus dicere se dominum. pag. 163.col.1
Christum esse solum Regem Canutus Rex Angliæ exemplo industrio palàm fecit. p.163.c.2
Christus non natus vt obseruaret legem Mosaicam. p.284.c.2
Christus est virtutis omnigenæ exemplar. p.351. col.1
Christus est omnium fidelium, verè caput. pag. 351.col.2
Christo defert omnem gloriam Celsus Dux Venetorum. p.163.c.2
Christi imitatio causa fuit incarnationis eius. pag. 352.col.1
Christum in hoc æuo sequi, propriè quid sit. pag. 352.col.2
Christi imitatio quanti sit ponderis & momenti. pag.352.c.1
Christus quomodo formetur in anima. pag.352. col.2
Christi imitationem quomodo dæmon impediat. pag.352. c.1
Christi patientis meditatio quàm sit animæ salutaris. p.353.c.1
Christus quare dicatur secundus Adam. pag.373. col.1
Christi Passio quomodo sit animo reuoluenda. pag.353.c.1
Christus quonam instatu homines iustificet. pag. 373.col.2
Christi gratia non suscepit aliquod incrementum. pag.376.c.1
Christus, in desertum qui secessit, ibi tentandus. pag.376.c.2
Christus quomodo ductus à spiritu in desertum. pag.377. c.1
Christus diabolum superando, facit vt nos eum vinceremus. p.376.c.2
Christi imitatio, idoneos lapides ædificio Ecclesiæ facit. p.378.c.2

Christus

Christus à quo dæmone tentatus fuerit in deserto. pag 377.c.1
Christi victoria reparauit Adæ ignominiam. pag. 378.col.2
Christus in deserto quare fuerit tentatus. p.378. col.1
Christus cur passus sit se à dæmone tentari.p.378. col.2
Christus Adæ tentationibus est tentatus. p.382. col.2.
Christi tentatio in deserto fuit hominum victoria. pag.383.c.2
Christus homini exhibitus ad ducatum in cœlum. pag.383.c.1
Christus omnia reparauit Adæ dispendia. p.382. col.2
Christi altum consilium, cùm permisit se tentari. pag.383.c.1
Christi exempla nobis sedulò sunt sectanda. pag. 383.col.2
Christus diabolo illusit permittens se tentari.pag. 383.col.1
Christus realiter à dæmone translatus est. p.386. col.1
Christo non fuit inglorium portari à diabolo. pag. 389.col.1
Christus quare in deserto plures è Deuteronomio textus diabolo obiecit. p.391.c.2
Christus grauiora passus ab hominibus quàm à diabolo. p.389.c.1
Christus est fons indeficiens omnium gratiarum. pag.402.c.2
Christus quare permiserit se portari à diabolo. pag.389.c.1
Christus quare in quinque locis vulneratus. pag. 403 col.1
Christus cur desertum elegit vt palæstram pugnæ, pag.403.c.2
Christus quare dictus lilium conuallium. p.428. col.1
Christi victoria de dæmone graphicè figurata. pag.435.c.1
Christum sequi, quid propriè significet. p.465. col.1
Christus quare caput sit omnium hominum.pag. 517.col.2
Christum sequi debet paupertas voluntaria, alioquin illa nobis inutilis ad salutem animæ comparandam. p.465.c.1
Christum imitantur omnes verè Religiosi. p.502. col.1
Christus quantùm omnibus creaturis emineat. pag.518.c.2
Christum in quo Sanctus Dominicus fuerit imitatus. p.502.c.1
Christum in quibus imitati Sancti Benedictus, & Bernard. p.502.c 1
Christum in quo imitatus S.Franciscus. pag.502. col.2
Christum in quo imitentur PP. Minimi. p.502. col.1
Christum in quo imitentur PP.Capucini. p.502. col 2
Christum in quo imitentur PP. Iesuitæ pag.502. col.1
Christus iudex non apparebit in maiestate increata. p.508.c.2
Christi iudicis sedes erit nubes pellucida. p.509. col.1
Christi iudicis maiestas præmium est Passionis. pag.511.col.2
Christi iudicis maiestas iusto solamen erit, ad hanc verò metu reprobus inhorrescet. pag.509. c.1. p.511.c.1. & 2
Christus in die iudicij non erit omnium hominum caput, sed Rex. p.518.c.2
Christus est exemplar prædestinationis nostræ. p.525.c.2
Christus est causa meritoria prædestinationis. pag. 527.col.2
Christi imitatio est nota prædestinationis. p.529. col.2
Christus quare dicat facta sibi opera misericordiæ. p.536.c.2
Christus quare vocat pauperes, fratres suos. pag. 537.c.1
Christus quare vocetur hinnulus ceruorum. pag. 556.col.1
Christus cur dicatur agnus & leo. pagina 565. col.2
Christi vox horrenda malis in die iudicij. p.565. col.1
Christus prædicatus Messias à turbis. pag.593. col.2
Christus ait se Saluatorem esse Mundi. pag.594. col.2
Christus ait Pharisæis, se esse Filium Dei. p.595. col.1
Christus cur eiecit oues de templo. pagina 597. col.1
Christus ait cæco, se esse Filium Dei. pag.595. col.1
Christus cur ingressus in templum, cùm non fuerit sacerdos è genere Leuitico. pagina 597. col.2
Christus cur die palmarum iuit in templum. pag. 599.col.2
Christus cur templum repurgauit à nundinis. p.599.c.2
Christus perfecit laudem ex ore infantium.p.600. col.1
Christi præcones erant infantes lactentes. p.601. col.1
Christus prædicatus Deus ab infantibus. p.600. col.1
Christo eiiciente vendentes oues in templo, quidam radius diuinitatis eius emicuit. pag.600. col.2
Christus quare suos encomiastas infantes esse voluit. p.601.c.2
Christus quare cathedras sacerdotum euertit. p.600. c.1
Christum laudantes infantes quid denotent. pag. 602.c.1. & 2
Christus quare tot edidit insignia miracula.p.603. col.1
Christus vt Nazarenus à Bernardo describitur. p.603.c.2
Christus instar apis floribus allicitur. pag. 603. col.1
Christus cur sit dictus Nazarenus. pagina 603. col.2
Christi laudes ex ore infantium lactentium quare dicantur perfectæ.p.603.c.2.p.604.c.1
Christus ægros curando, medicos imitatus.p.604. col.1
Christo inuidere Scribæ, & Pharisæi. pag.604. col.2
Christus quare Ierosolymam dereliquit. pag.604. col.2

Christus cur reliquit Scribas & Pharisæos. p.605. col.2
Christus in Bethaniam quare se recepit. p.504. col.2
Christus vt Ierosolymâ exiret, compulsus fuit. pag.606.c.1
Christus homo factus, vt ad humilitatem homines erudiret. Vide locum egregium Gregorij. 617.col.1
Christus infantibus innotuit, & non Philosophis. pag.616.c.2
Christi humilis, & superbi dæmonis antitheses. pag.617.c.1
Christum quare Pharisæi appellauere magistrum. pag.636.c.2
Christus cur Iudæos dixit generationem adulteram. p.637.c.2
Christi resurrectione scita multi Iudæi dedere manus initiati fidei arcanis. p.640.c.1
Christi resurrectio fuit sigillum fidei nostræ. pag. 641.col.1
Christi & Ionæ prophetæ quænam comparatio. pag.640.c.2
Christi resurrectionem Iudæi acriter impugnarunt. p.641.c.2
Christus vt Iudæos conuerteret, prædixit ruinam Ierusalem. p.643.c.1
Christo rediuiuo fuit Synagoga peior. pag.643. col.2
Christi tempore quare suis antecessoribus Iudæi nequiores extiterunt. p.644.c.1
Christus quare voto matris & cognatorum non satisfecit exeundo foras. pag.645. col.2 pag. 646.c.1
Christus cur Iudæos in hoc sæculo castigauit.pag. 644.col.1
Christus plus detulit paternis mysteriis & arcanis, quàm maternis obsequiis. p.646.c.1
Christum fratres habuisse, merum delirium est. pag.647.c.2
Christi consobrini quinam fuerint. pag. 648. col.2
Christus impensè suam matrem coluit. pag.646. col.1
Christi frater esse quibus artibus possit homo. pag.659.c.2
Christi potestas apud Patrem summa. pag. 664. col.1
Christus quare suos discipulos voluerit abnegare suam voluntatem. p.659.c.1
Christi iugum an sit humeris importunum. pag. 659.col.1
Christus vbinam fuit triduo mortis suæ. pag.677. col.1
Christus iuit etiam in terras Gentilium. pag.680. col.1
Christus visitauit Tyrios & Sydonios. pag. 681. col.2
Christus quare fuit potiùs dictus filius Dauid quàm filius Abrahæ. p.686.c.1
Christus olim promissus vt Saluator. pag.689. col.2
Christi incarnatio promissa fuit Patriarchis.p.689. col.1
Christi nomina quædam recensentur. pag.686. col.1
Christi missio quomodo fuerit ad Iudæos solos. pag.689.c.2
Christi missio quomodo pertineat ad Gentiles. pag.690.c.1
Christi missio vtilior Gentibus, quàm Iudæis pag.690.c.2
Christi missio duobus modis accipi potest. p.690 col.2
Christi præsentia corporalis concessa fuit Iudæis præcipuè. p.690.c.2
Christi grex proprius, non fuit Gentilitas. p.691 col.1
Christus cur dicatur medicus & pastor. pag.691. col.2
Christus missus cùm Iudæi pessimè haberent. pag.691.c.1
Christus missus & Iudæis,& Gentibus. pag.690. col.2
Christi missionem miracula validè comprobarunt. p.692.c.1
Christus auspicatus est prædicationem Euangelij ab editione miraculorum. p.692.c.2
Christus fideles suos angustiis probat. pag.695. col.2
Christus quare debuit agere miraculis. pag.692. col.2
Christus est mediator Dei & hominum.pag.722. col.2
Christus erat omnium rerum præscius. pag.738. col.1
Christus vnus est mediator redemptionis. p.722. col.2

Cinis.

Cineres efficaces ad diluenda peccata. p.33.c.1
Cineris & pœnitentiæ societas patet exemplis. pag.31.c.1
Cineris aspersio probabat olim luctum. p.30.c.2
Cinis cur vocetur puluis aspersus capiti fidelium initio Quadragesimæ. p.30.c.2
Cineris aspersio capiti fidelium initio Quadragesimæ, primò incepit in Gallia. p.31.c.2
Cineris aspersionem iusti non detrectant. pag.32. col.1
Cineris aspersio capiti facta, quid significet.p.32. col.2
Cineris aspersio cur congrua ad expiationem animæ pœnitentis. p.33.c.1
Cineres aspersi quare produnt pœnitentem.p.33. col.2
Cinerem se aduertit homo deflens peccata. p.34. col.1
Cineres pœnitentiæ acrimoniam significant. pag. 34.col.2
Cineres occurrunt dispendiis peccati. pag.35. col.1
Cineres capiti aspersi, defluunt in oculos, vt illos auertant ab aspectu noxiæ vanitatis. p.35.c.2
Cinerem se reputat homo, Deo comparatus.p.34. col.1
Cinere conspersa hirudo cutem linquit. pag. 39. col.1
Cineres magnas opes tegunt, vt probatur. p.41. col.2
Cinerum mentione factâ, rerum infimarum fastidium ingerit Ecclesia. p.39.c.1
Cineres efficaces ad deprimendum fastum. p.43. col.1
Cinere sparso tumor Pharaonis se demisit. p.43. col.2
Cineres omnium rerum meditandi, vt contemptus earum mentibus ingeratur. p.44.c.1

Circuitus.

Circuitus symbolicè perfectionem significat. pag.354.c.1

Circuitus altaris ab Imperatore inaugurato. ibid.
Circuitus Romanorum in sacris præcipuis. p.353. col.2
Circumeundo, Deum Romani adorabant. ibid.
Circuitus à Pythagora maximè commendatus. p.354.c.1
Circuitus Hebræorum circa altare, quid designat. p.353.c.2
Circuitus circa altare, quare viget apud nos. p.354. col.2

Clericus.

Clericus potest profiteri vitam religiosam. p.485. col.2
Clerici quare comam deponant ex statutis. p.466. col.1
Clerici, moribus sunt ab asseclis sæculi discernendi. p.119.c.1
Clericis paupertas voluntaria indicta fuit. p.465. col.2
Clericorum nomen eos ad paupertatem voluntariam sollicitat. p.465.c.2
Clericis obedientia Prælatis indicta fuit. p.462. col.1
Clerici olim æmuli vitæ monasticæ. pag. 465. col.2
Clerici quare gerant coronam in capite. p.466. col.1
Clericorum statu religiosa vita sanctior est. p.485. col.2
Collyba erant olim tragemata seu bellaria. p.601. col.1
Collybista quid propriè significet. pag. 601. col.2
Compunctio quid propriè significet. pag. 578. col.2
Compunctionem suadet eleganter Ephræmus. p.579.c.1

Concilium.

Conciliorum auctoritas & vis vnde fluat. p.258. col.1
Concilium qua ratione queat errare. ibid.
Concilio errante non errat Ecclesia, & quare p.258. col.2
Concilium II. Ephesinum quomodo errauit. p.258. col.1
Concilium II. Ephesinum acriter carpit Leo Papa. p.258.c.2
Concilium Ariminense in quo, & quomodo errauit. ibid.
Conciliorum generalium quanta fuit auctoritas. p.266.c.1
Concilia prima generalia quando celebrata. p.266. col.2
Concilia congregare solus Papa potest. pag. 266. col.1

Concupiscentia.

Concupiscentia ex Augustino quid sit. pag. 365. col.2
Concupiscentia ex se non est peccatum. pag. 364. col.2
Concupiscentia cur aliquando vocetur peccatum. p.366.c.1
Concupiscentia cur non sit peccatum. pag. 364. col.2
Concupiscentia inclinat ad peccatum. pag. 366. col.2
Concupiscentiæ tres sunt noxij motus. pag. 364. col.2
Concupiscentia relicta nobis ad certamen. p. 367. col.2
Concupiscentia pellicit ad peccandum. pag. 364. col.2
Concupiscentiæ motus, est generosi animi coërcere. p.368.c.1

Confessio.

Confessionis virtus eximia, ex Hieronymo. p.619. col.1
Confessionem præpediens pudor est lethalis. p.619.c.2
Confessionis vim salutarem extollit Gregorius. ibid.
Confessionis necessitas homini pœnitenti. p.674. col.2
Confessionem quænam valida adstruant argumenta. p.675.c.1
Confessio frequentata fuit primo sæculo. pag. 675. col.2
Confessio in vsu tempore Apostolorum. pag. 675. col.1
Confessio dicta fuit olim exomologesis. p. 675. col.2
Confessionis praxim inculcant Sancti. pag. 675. col.1
Confessionem mutilam malè facit pudor. p. 675. col.2
Confidentia nimia de misericordia Dei noxia. p.226.c.2
Conradus Rex Neapolim quomodo castigauit. p.177.c.1
Conradini Principis mors fuit inglora. pag. 311. col.1

Consilia Euangelica.

Consilia Euangelica differunt à mandatis. p. 442. col.2
Consilia Euangelica sunt libertatis. pag. 443. col.1
Consilia Euangelica, quæ & quot sint. p. 443. col.2
Consilia Euangelica perfectiora præceptis. p.444. col.2
Consiliis Euangelicis digniora præmia decernuntur. p.444.c.1

Consortia mala.

Consortia mala, genus pestiferæ luis, ex Gregor. p.558.c.2
Consortia mala quid sint, ex Hieronymo. p.558. col.1
Consortia mala quàm sint perniciosa. pag. 557. col.2
Consortia mala, bonis sunt ingrata. pag. 516. col.2
Consortia praua quibus malis obnoxia sunt. p.556. col.2
Consortia mala fugienda clamat Moyses. p. 557. col.1
Consortij mali pernicies, ex Augustino. p. 558. col.2
Consortia mala quàm noxia sint, vide pag. 209. c.2
Consortia mala luem lethiferam afflant. pag. 557. col.2
Consortia mala lepram affricant animæ. pag. 557. col.1
Consortia mala quare fugienda dicat Ambrosius. p.558.c.1
Consortia mala, pœnis sæpe bonos obstringunt, vt exemplo sacer canon probat. p.749.c.2
Constantini Magni Imperatoris industria ad prouocandum Dei cultum. p.55.c.1
Constantinus Magnus quomodo puniit rebelles Armeniacos. p.172.c.1

Contritio.

Contritio quid sit, & in quo propriè sita. p.673. col.1

Contritionis mirus effectus in anima. pag. 673. col.2

Contritionis necessitas ad salutem animæ pœnitentis. p.674.c.1

Contritionis est congrua cum crisi comparatio. p.21.c.1

Contritio vna est perfecta, alia imperfecta.p.576. col.2

Contritio perfecta non necessariò esse debet præuia sacramento, quia de attrito facit contritum. p.579.c.2

Conuersio animam magnis afficit angustiis. p.21. col.2

Conuersio animæ vnde sit auspicanda. p.17.c.2

Cor.

Cor quid significet in Scriptura sacra. p.14.c.2

Cor aliquando significat intellectum. p.16.c.1

Cor terræ affigit amans hæc terrena. ibid.

Cor vniuscuiusque, diues est thesaurus eius. p.83. col.1

Cor nostrum qua sit solicitudine custodiendum. p.83.c.2

Cor vbi reponendum ne creaturæ irrepant. p. 87. col.2

Cor quibus fuerit auulsum ob noxium amorem. p.87.c.1

Cordi quanam solertiâ sit inuigilandum. pag.85. col.1

Cor est centrum, ad quod sensus vt lineæ referuntur. p.87.c.2

Cor obstringendo rebus infimis, dæmon illudit. p.86. c.2

Cor vni Deo deuouendum esse benè suggerit Augustinus. p.87.c.1

Cordis vigilem custodiam ipsa natura docet.p.89. col.2

Cor efformando; natura fuit valde sagax. p. 89. col.1

Cor addictum creaturis malè perit. p.86.c.2

Cordis structuræ elegans descriptio Fernelij.p.89. col.1

Cordi pernicies imminet à sensibus. p.88.c.2

Cordi gratia meliùs prouidit, quàm natura. p.89. col.1

Cor hominis non vendi debet creaturis. pag.90. col.1

Cordis custodia, quanti sit ponderis,& momenti. p.90.c.2

Cor auari vnius inuentum in arca eius. pag. 90. col.1

Cor est sanctuarium templi Dei, quod est homo. p.90.c.2

Cor quare situm in sinistro latere à natura. p.137. col.1

Cordi custodiendo, locus quisnam idoneus. p.90. col.2

Cor liuidum hostiæ malum omen erat olim.p.310. col.2

Cordis sui prorsus incurij sunt homines iniusti. p.90.c.2

Cordis, hepatis, & cerebri miræ facultates.p.348. col.2

Cordis puritas est sedulò comparanda,ex Cassiano. p.349.c.1

Cordis munditia quomodo concilietur ab anima. p.354.c.2

Corona excidens,mortem Cæsari præsagiuit.p.334. col.1

Corona ciuica quibus olim delata fuit. pag. 334. col.1

Corpus est inglorium rationalis animæ tectum. p.183.c.2

Correctio.

Correctionis commoda, & mira commendatio. p.318.c.2

Correctio hominum nequam omnibus prodest. p.319.c.1

Correctio vitiorum maximè vtilis Reipublicæ. p.318.c.2

Correctionis discretæ,salutares sunt effectus.p.318. col.1

Correctio fraterna, cui bono fuit instituta.p.318. col.2

Correctio facta sicut par est,vtilis est homini reo. p.319.c.1

Correctionis & medicinæ quædam affinitas.p.319. col.2

Correctio fraterna à quibus iure debet fieri. ibid.

Correctio quibusnam hominibus debeat applicari. ibid.

Correctio facta sicut congruit, est amoris index. ibid.

Correctionis cuiusque finis præcipuus, est emendatio. ibid.

Correctio fraterna nihil detrahit dilectioni inimicorum. ibid.

Corruptio naturæ quidnam propriè sit. pag. 397. col.1

Cultus latriæ, duliæ, & hyperduliæ quid sit.p.718. col.2

Cultus vnus ciuilis est,alter verò Religionis.p.719. col.1

Crassus murænæ piscis mortem luxit. p.22.c.2

Crux.

Crucem quare suis crepidis assuat Pontifex. p.55. col.2

Crucis titulus quare fuit inscriptus tribus linguis. p.153.c.1

Crucis virtus, quàm sit salutaris. p.400.c.2

Curati, seu Parochi.

Curati seu Parochi profiteri possunt vitam religiosam. p.489.c.2

Curati in quo sint digniores Religiosis. p. 489. col.1

Curatorum officium valde periculosum est.p.489. col.2

Curatorum virtus est fortior virtute Religiosorum. p.489.c.1

Curatorum status non æquè securus ac Religiosus. p.489.c.2

D

Dæmon.

DÆmonis studia egregio ænigmate descripta. p.668.c.1

Dæmon cur gestiat in locis humentibus. p. 668. col.2

Dæmonis vmbra quare sint homines nequam. p.668 c.1

Dæmon homines luxuriæ & superbiæ retibus implectit. p.668.c.2

Dæmon habitare nequit in anima ardenti. p. 668. col.1

Dæmon non excidit sua scientia naturali. p. 379. col.2

Dæmon cur dubitauit an Christus esset Deus. p 379.c.2

Dæmon

Dæmon in quibusnam rebus falli possit. pag. 379. col. 1
Dæmonis finis quisnam fuit tentando Christum. pag. 379. c. 2
Dæmonem cur Scriptura vocet tentatorem. p. 379. col. 1
Dæmon omnem vim in Christum effudit. p. 379. col. 2
Dæmon scire non potuit Christum esse Deum. p. 379. c. 1
Dæmon cur dubiam fecit diuinitatem Christi. p. 381. c. 2
Dæmonis industria in tentandis hominibus. p. 386. col. 1
Dæmonis astutia in tentando Christum. pag. 387. col. 1
Dæmon erogare nequit opes ad arbitrium suum. p. 387. c. 2
Dæmon cur voluit lapides in panem transmutari. p. 387 c. 1
Dæmon à Christo fuit ad tartara relegatus. p. 388. col. 1
Dæmon non aperto Marte petit homines, sed clam. p. 389. c. 2
Dæmonis suasiones ad præcipitium vergunt. p. 390. col. 1
Dæmon callidè præoccupat omnes animæ facultates. p. 391. c. 1
Dæmonis artes quænam vt dementet homines. pag. 390. c. 1
Dæmon quare idolorum cultum propagarit. p. 391. col. 1
Dæmonis impotentia in animas generosas. p. 393. col. 2
Dæmon omnem astutiam explicat in homines. p. 416. c. 1
Dæmonem homines accusantem in die Iudicij, Augustinus exprimit eleganter. p. 544. c. 2
Dæmon quare locis humentibus maximè delectetur. p. 667. c. 2
Dæmon quare Behemot in sacro codice nuncupetur. p. 667. c. 2
Decapolis regio vnde sic nominetur. p. 137. c. 2
Decapoleos vrbes decem, & earum nomina recensentur. ibid.
Desperationi quare fiat homo obnoxius. pag. 112. col. 1

Deus.

Deus est rerum solus omnium rerum Dominus. p. 161. c. 1
Dei nomen apud Hebræos vnde deriuetur. p. 291. col. 1
Deus quo fuerit à Persis nomine nuncupatus. p. 353. c. 2
Dei symbolum quare fuit olim crocodilus. p. 353. col. 1
Deos quales adorarent variæ nationes. p. 354. c. 1. p. 355. c. 1. & 2
Dei dicere quando fiat practicum. p. 382. c. 2
Dei dona sunt in duplici differentia. p. 451. c. 2
Deus cur dicatur idipsum, scitè docet Augustinus. p. 612. c. 2
Dignitates salutem adducunt in discrimen. p. 57. co. 2
Dioscori temeritas quanta olim extiterit. p. 279. col. 1

Diuitiæ.

Diuitiæ ex se bonæ non sunt simpliciter. pag. 450. col. 2
Diuitiæ seruos faciunt opibus incubantes. p. 15. col. 2
Diuites sunt dispensatores opum Dei. pag. 68. col. 1
Diuitiarum quàm noxij animæ sint effectus. p. 71. col. 1
Diuites auaros acriter obiurgat Chrysostomus. p. 71. c. 2
Diuitiæ non hominem ditant, sed pauperem faciunt. p. 72. c. 2
Diuitiæ nihil omnino boni conferunt homini. p. 71. c. 2
Diuitiarum nequitiam Basilius ostendit. pag. 71. col. 1
Diuitiarum pernicies quanta sit explicatur. pag. 72. col. 1
Diuitias luteas esse docet Chrysostomus. pag. 72. col. 2
Diuitiarum cupido malis hominem obstringit. p. 74. c. 2
Diuitiarum contemptum suadet discursus Chrysostomi. p. 75. c. 2
Diuitias quare Deus huic dat, alteri denegat. p. 75. c. 2
Diuites res pauperum possident, ideoque fures sunt, si eas egenis reddere detrectarint. pag. 75. col. 1
Diuitiarum bonitas in effluxu, non affluxu. pag. 76. col. 1
Diuitiæ homines deducunt in infernum. pag. 77. col. 1
Diuitiarum cupido Regi Gabadæ noxia. pag. 77. col. 2
Diuitiæ obstant ne Deo congruè famuletur. ibid.
Diuitias retentas lethales esse dicit Augustinus. p. 81. c. 2
Diuitiæ sunt fugaces & labiles in hoc mundo. pag. 82. col. 1
Diuitias noxias esse, quædam historia significat. p. 86. c. 2
Diuitias labiles esse probant historiæ multæ. p. 82. col. 1
Diuitias cur debeant homines aspernari. pag. 430. col. 2
Diuitiæ valde noxiæ fuerunt Ecclesiæ. pag. 463. col. 1
Diuitiæ remorantur studium perfectionis. pag. 464. col. 1
Diuitiarum affectum noxium esse probat Cyprianus. p. 464. c. 2
Diuitiæ ex se propriè malæ non sunt. pag. 465. col. 1
Diuitiæ noxiæ sunt statui clericali. p. 465. c. 2
Diuitiæ noxiæ Carolo Duci Burgundiæ. pag. 465. col. 1
Diuitiæ homines possident, & non possidentur. p. 464. c. 2
Diuitiæ obstitere ne Hebræi exeuntes ex Ægypto, super aquas agiles ambularent. p. 465. c. 1
Diuitiarum cupido malis multos obstrinxit. p. 464. col. 2
Diuitiæ à Deo datæ quomodo nostræ sint. p. 472. col. 1
Diuitis quem grauant opes descriptio ex Cypriano. p. 478. c. 1
Diuitiæ incongruè temporalia bona vocantur. p. 478. c. 2

Diuitias

Diuitias Crates & Philosophi alij contempserunt. p.484.c.1
Diuitiæ quàm obnoxiæ ærumnis. pag. 478. col.2
Doctrinæ vanæ & peregrinæ quæ sint. pag. 256. col.1

Dominium.

Dominium quomodo definiant Iuristæ. pag. 161. col.2
Dominium Dei quomodo differat ab aliis. p.161. col.1
Dominium summum quare Dei tantùm sit. p.164. col.2
Dominium vt sit summum, quid requirat. p.165. col.1
Dominium Dei, amorem conciliare debet. p.164. col.2
Dominium Dei, in quo propriè fundetur. p. 164. col.1
Dominium quare fuit dictum mancipium. p.165. col.2
Dominio Dei subiici gloriosum est. p.167.c.2
Dominio suo se abdicare nequit Deus. pag. 167. col.1
Dominium Dei egregiè astruit Dauid. pag. 166. col.2
Dominij sui refugas castigabit Deus. pag. 167. col.2
Dominij diaboli in homines descriptio. pag. 409. col.2
Dominus vnde sic nuncupetur. p.161.c.2
Dominus, nomen est seu tessera potestatis. p.167. col.2
Dominorum amore quidam serui mortui. p.167. col.2
Draconis leges humano sanguine descriptæ. p.357. col.1
Draco legislator quare fuit occisus à populo. ibid.
Duliæ cultus quomodo ab aliis differat. pag. 392. col.2

E

Ebrietas quàm sit homini iniuria. p.417.c.1
Ebrius percutiens duplò plectendus ex iure. p.422.c.2

Ecclesia.

Ecclesia quid sit. p.153.c.1. p.254.c.1. p.273. col.1
Ecclesiæ fides nobilior Synagogæ fide. pag. 152. col.1
Ecclesia quare Catholica nuncupatur. pag. 152. col.2
Ecclesia est diffusa toto orbe terrarum. pag. 152. col.1
Ecclesiæ sanctæ lumen desuper illuxit. pag. 152. col.2
Ecclesia multò sanctior est Synagogâ. ibid.
Ecclesiam quot gratiis Deus dignatus sit. pag. 155. col.2
Ecclesia benefica est inimicis suis. p.199.c.1
Ecclesia olim austera in reconciliandis lapsis. p.251. col.1
Ecclesiæ Romanæ proprium est agere fortiã. p.250.c.1
Ecclesiæ nomen multifariàm vsurpatur. pag. 252. col.2
Ecclesiæ elegans & germana descriptio. pag. 254. col.1
Ecclesiæ tentant hæretici maculas affingere. p.254. col.2
Ecclesiæ notæ ex ipsis verbis Christi. pag. 254. col.1
Ecclesiam quomodo oppugnent hæretici. p. 254. col.2
Ecclesiæ veræ notæ tres sunt præcipuè. pag. 254. col.1
Ecclesiam inuisibilem esse volunt hæretici. p.255. col.2
Ecclesia cur fuerit Apostolica nuncupata. p. 255. col.1
Ecclesia Christiana denominata à Christo. p. 255. col.1
Ecclesia Catholica dicta Romana ab Ambrosio. p.254.c.1
Ecclesia hæreticorum à quo denominetur. p.255. col.1
Ecclesiam inuisibilem esse quomodo probent hæretici. p.256.c.2
Ecclesiæ sanctitas ab hæreticis impugnatur. p.257. col.1
Ecclesia qualem hominum cœtum designet. p.258. col.1
Ecclesiæ sanctitatem cur non ferant hæretici. p.257. col.1
Ecclesia acerbis persecutionibus aucta est. p. 259. col.2
Ecclesiam visibilem esse clamat Scriptura sacra. p.260.c.1
Ecclesia vt sit Catholica, quid requirat. pag. 260. col.2
Ecclesia vera quare nequeat deficere. pag. 260. col.1
Ecclesiæ Romanæ fides eadem est quæ Sanctorum Patrum, ipso Caluino teste. p.261.c.2
Ecclesia à condito orbe fide non excidit. pag. 260. col.2
Ecclesia vera quomodo sit Catholica. pag. 262. col.2
Ecclesia quàm latè sit diffusa. p.263.c.1
Ecclesia vera quare debet esse Catholica. pag. 263. col.2
Ecclesia vera quare dicatur sancta. p.269.c.2
Ecclesiam Romanam hæretici vocant Catholicam, suæ verò nomen hæresiarchæ affingunt. p.263. col.2
Ecclesiæ Catholicæ elegans & egregia figura. p.264.c.1
Ecclesia vna & eadem est orbe toto. pag. 265. col.2
Ecclesia hæreticorum quare sit meretrix. pag. 265. col.2
Ecclesia cur sit orbe toto diffusa. p.264.c.1
Ecclesiæ Catholicæ & Solis comparatio. pag 265. col.2
Ecclesiæ triumphantis & militantis societas. p. 279. col.1
Ecclesiæ cum Arca Noë comparatio. p.279.c.2
Ecclesiæ Catholicæ desertor est infidelis. pag. 279. col.1
Ecclesia nihil nisi sanctum docuit. p.280.c.2
Ecclesiæ Catholicæ præclara encomia. pag. 281. col.2
Ecclesia vera, sola est vbi veritas elucet. pag. 279. col.1
Ecclesiam quare deseruit Tertullianus. pag. 281. col.2
Ecclesiastici licitè possident beneficia. pag. 466. col.1

Ecclesia

Ecclesia diues est oblationibus fidelium. pag.467. col.1
Ecclesiæ bona non sunt alienanda. p.467.c.2
Ecclesiæ bonorum olim cura penes Episcopos. p.467.c.1
Ecclesiæ opes vnde tot & tantæ natæ. pag. 467. col.2
Ecclesiæ bona sunt hominum egenorum. p. 467. col.1
Ecclesiæ bonorum defensores Imperatores. p.467. col.2
Ecclesiæ bona, malum portendunt his qui illa sibi vsurpant. p.468.c.1
Ecclesiæ bona suis cognatis erogare, nefas. p.469. col.1
Ecclesia quandoque noua nomina inuexit contra nouas hæreses insurgentes. p.718.c.1
Ecclesiæ bona malè dispensantes Prælati, quibus sint pœnis obnoxij. p.469.c.1

Eleemosyna.

Eleemosynæ & sacrificia mortuis prosunt. pag 32. col.2
Eleemosynam dando, tuba canere, quid sit. p.63. col.1
Eleemosyna ieiunio gratiam confert. p.64.c.1
Eleemosyna prodest ad perfectionem ieiunij. p.64. col.2
Eleemosyna compescit querelas pauperum. p.65. col.1
Eleemosynæ quanta sit efficacia. p.67.c.1
Eleemosyna Deo consecrat animas. pag. 66. col.1
Eleemosyna salutaris Zenoni Imperatori. pag.67. col.2
Eleemosyna congruè oleo comparata. pag. 68. col.1
Eleemosynæ merces congrua reseruatur. pag.67. col.2
Eleemosyna significat animum regium. ibid.
Eleemosynæ virtus quomodo innotescat. pag.67. col.1
Eleemosyna nusquam præmio defraudatur. p.471. col.2
Eleemosyna bono operi gratiam adiicit. pag. 67. col.2
Eleemosyna vnumquodque bonum opus perficit. p.68.c.1
Eleemosyna prudenter consulit ieiunanti. pag.68. col.2
Eleemosynam pauperi negare, sacrilegum est. p.68. col.1
Eleemosyna gratiis opiparè animam impinguat. p.68.c.2
Eleemosynæ effectus probantur historiis. p. 471. col.2
Eleemosynæ efficacia vnde colligatur. pag. 68. col.2
Eleemosynæ effectus sunt animæ salutares. p. 69. col.1
Eleemosyna est rudimentum charitatis. pag. 68. col.2
Eleemosynam quid faciat Deo acceptam. pag. 69. col.1
Eleemosyna potens est animæ medicina. pag.68. col.2
Eleemosyna debet esse velox & non tarda. pag.69. col.1
Eleemosynæ bonitas vnde attendatur. p.69.c.2
Eleemosyna thesauros homini in cœlo parat. p. 80. col. 2
Eleemosyna iustitiæ nomine designata. pag. 297. col.1
Eleemosyna cauere debet oculos astantium. p.296. col.2
Eleemosynæ elegans & singularis laus. pag. 80. col.2
Eleemosynæ Tiberij Imperatoris compensatæ. p.81.c.1
Eleemosyna præcipuè patet vanitati. pag. 299. col.2
Eleemosyna data probis est vtilior illâ quæ reprobis erogatur. p.537.c.2
Eleemosyna præ aliis operibus commendata. p.539. col.1
Eleemosyna neminem vnquam inopem fecit. p.81. col.1
Eleemosyna soli Deo placere debet. pag. 299. col.2
Eleemosynæ locuples encomium. p. 539. col. 1. & 2
Eleemosyna strictè Deum homini obstringit. p.81. col.1
Eleemosynam erogare monet Chrysologus. p.299. col.2
Eleemosyna iustè Dei misericordiam conciliat homini misericordi. p.540.c.1

Episcopus.

Episcopus quibus debeat dotibus exornari. p. 59. col.2
Episcopo non licet se officio abdicare metu vanitatis. p.60.c.1
Episcopus illibatâ vitâ debet aliis eminere. p.428. col. 2
Episcopi dispensare debent pauperibus bona Ecclesiæ. p.469.c.1
Episcopi quales esse debent mores, & supellex. p.469.c.1
Episcopatus quomodo est status perfectionis acquisitæ. p.487.c.2
Episcopatus animam in discrimen adducit. p.488. col.1
Episcopatus est multis periculis obnoxius. p. 487 col.2

Esseni.

Esseni sicut Religiosi erant apud Hebræos. p.496. col.1
Esseni appellabantur olim primi Christiani. p.500. col.2
Esseni nouitij quomodo à magistris probabantur. p.500.c.1
Esseni cælibes æuum omne suum agebant. p.496. col.1
Essenis hodie sunt Religiosi sanctiores. pag. 500. col.1
Esseni qua puritate vitam transigebant. p.496.c.1
Esseni tandem Christiana fide initiati. pag. 500. col. 2

Euangelium.

Euangelij olim quantus amor erat. p.362.c.1
Euangelium quare iugum Christi nuncupetur. p.659.c.2
Euangelium appendebatur olim collo fidelium. p.369.c.1
Euangelium quare primò prædicatum Iudæis. p.692.c.2

Eucharistia.

Eucharistiam indignè sumentium pœnæ quales. p.707.c.2
Eucharistiam indignè accipientis mors horrenda. p.620.c.1

Eucharistia sumenda solùm à mundis corde. p. 707.c.2
Eucharistia veneno infecta à quodam diacono. p.707.c.1
Eucharistia cur dicta panis Angelorũ. p. 707.col.2
Eucharistia quare nuncupetur frumentum electorum. ibid.
Eucharistia malè sumpta, quibus pœnis obstringat. p.708.c.1
Eucharistiæ sumptio sacrilega lethalis est, p. 709. col. 1
Eucharistia quàm cautè sit sumenda. pag. 708. col.2
Eucharistiæ effectus ab immunda anima præpeditur. p.709.c.1
Eucharistiæ quinam possint esse participes. p.710. col. 1
Eucharistia quibusnam hominibus denegetur. p.710.c.2
Eucharistiæ humilitas præire debet. p.711.c.1
Eucharistia singulare robur animæ confert. p.711. col.2
Eucharistia sumpta sicut par est, minuit concupiscentiam. ibid.
Eucharistia peruias virtutes exigit ab anima.p.711. col. 1
Eucharistia cur dicatur panis quotidianus. p. 711, col.2
Eucharistia plerique malè & imprudenter abstinent. p.712.c.1
Eucharistiam in lecto putido multi recondunt, p.712.c.2
Eucharistiæ panis edendus in sancto loco. p. 713, col.2

Eutropius.

Eutropius post violatas immunitates Ecclesiæ, indignit ipse tali immunitate. p.198.c.1
Eutropij viri Consularis mors ingloria congrua vitæ. p.199.c.1

Examen Conscientiæ.

Examen conscientiæ quantum sit animæ salutare. p.354.c.2
Examen conscientiæ necessarium est ad virtutum omnium incrementum. p.17.c.2
Examen conscientiæ quale debet esse. p. 354.col.1
Excommunicati sunt sollicitè fugiendi. pag. 567. col. 1
Exempla validè prouocant ad imitationem p 362. col. 2

Exilium.

Exilium quid sit apud Iurisperitos. p.620.c.2
Exilium quotuplex reo homini decernatur. p.621. col.1
Exilij mulcta duplex olim indicta reis. pag. 620, col. 2
Exulum fuere bona publicata, iure ciuili. pag.38. col. 1
Exules excidêre iure constituendi hæredem bonorum suorum. ibid.

F

Fabiola.

FAbiolæ fœminæ nobilis luxus in vestibus & fuco. p.36 c.1
Fabiolæ pœnitentis virtutes heroïcæ quantæ.p.36. col. 2
Fabiola se publicè pœnitentibus associat. p.36.c.1
Fabiolæ pœnitentia accuratè descripta à Hieronymo. p.36.c.2

Facies.

Facies Martyrum à tyrannis olim deturpatæ.p.171, col.1
Facies seruorum inustæ notis inglorijs. pag. 188. col.1
Facies sordida animæ, quibus artibus abluatur p.63, col. 1
Faciem velare, quid aliàs exprimebat. pag. 24. col. 2
Facies deturpata, fuit olim index mœroris. pag.24. col. 2
Faciei Cain fratricidæ fuit inusta nota. pag. 168. col.1
Faciem velabant olim publicè pœnitentes. p. 24. col. 2
Faciem cur velarent publicè pœnitentes. pag. 25. col.1
Facies est fidelis virtutum & vitiorum index.p.171. col. 1
Facies hominis iusti, quid obuiis spiret. pag.168, col. 1

Felix Papa.

Felicis Papæ scitu dignissima historia. pag. 271. col.1
Felix Papa falsò dicitur hæreticus ab hæreticis. ibid.
Felicis Papæ martyrium qua ratione scitum fuit. ibid.

Festa.

Festa ad quid præcipuè fuerunt instituta. p. 756. col. 2
Festa insignia dies præcedens tria nomina sortitus. p.123.c.2
Festa quinam hæretici acriter impugnarint.p.756. col.1
Festa fuere semper religiosè obseruata. pag. 756. col. 2
Festa fuere instituta ab exordio Ecclesiæ. p. 756. col.1
Festa quonam ritu debeant obseruari. pag. 756. col. 2

Fides.

Fides, vox est plurima, varia significans. pag.218. col. 2
Fides Centurionis Capharnaïtæ fuit magna.p.148. col.1
Fides an possit esse maior in vno, quàm in alio. p.149.c.2
Fides qua ratione queat intendi. p.150.c.1
Fidei obiectum formale, aliud à materiali. p.149. col.2
Fides Ecclesiæ, Synagogæ fide maior ratione obiecti materialis. p.151.c.2
Fidei lumen non infunditur in instanti. pag. 151. col. 1
Fides Scribarum & Pharisæorum qualis.pag.151. col. 2
Fidei crepusculum quando cœpit illucere. p. 151. col. 1
Fidei desertores Demas, Aquila, & alij. pag.208. col.2
Fidei essentiam in quo reponunt hæretici. p. 219. col. 1
Fides est causa fiduciæ, ideoque vni tribuitur, quod est alterius. p.220.c.2
Fides an sita sit in notitia, vel in alio. p.219.c.1
Fides cur dicatur argumentum non apparentium. p.221.c. 2
Fidem in quo Catholici doceant esse sitam. p.119. col.1

Fidei

Fidei & scientiæ quænam sit disparitas. pag. 222. col. 1
Fidem Caluinus ait importare claram notitiam. p. 222. col. 2.
Fidei sinceræ sita est ratio in assensu. pag. 223. col. 2
Fides, ex Paulo Apostolo, est actus intellectus. p. 222. col. 1
Fidei encomium præclarum ex Chrysostomo. p. 225. col. 1
Fides circa quæ propriè versetur. pag. 225. col. 2
Fidem ad intellectum pertinere docent. SS. PP. p. 225. col. 1
Fides an sit in paruulis baptizatis. pag. 227. col. 2
Fidem generosè suam professus est Siluanus. p. 231. col. 2
Fidei lex, & factorum lex quomodo differunt. p. 232. col. 2
Fides quomodo iustificet sine operibus. pag. 233. col. 2
Fidem sine operibus iustificare docent hæretici. p. 236. col. 1
Fides iustificans, quænam propriè sit. pag. 236. col. 2
Fides vna miraculorum, & alia iustificans. pag. 236. col. 1
Fidem iustificare sine operibus an sit verum. p. 236. col. 2
Fides in adultis stipari vult bonis operibus. p. 236. col. 1
Fidei & operum nexus in adultis indiuiduus. p. 237. col. 1
Fides miraculorum esse potest in homine peccato mortali obstricto. p. 236. col. 1
Fidei quare sæpe meminit Paulus Apostolus. p. 237. col. 2
Fides iustificans esse nequit cum peccato graui. pag. 236. col. 1
Fides absque præuiis meritis influit. pag. 238. col. 2
Fides sola in Christum quomodo dicatur à S. Basilio iustificare. pag. 239. col. 1
Fides vera bonis ex actibus innotescit. pag. 240. col. 1
Fides non discernit electos, sed charitas. pag. 239. col. 1
Fidem iustificare sine operibus, quidam textus Patrum videntur asserere; sed illi explicantur. p. 239 col. 2
Fides sola an latronem in cruce fecit saluum. p. 239. col 1
Fidem iustificare sine operibus, argumenta quædam insinuant, sed vide solutionem. p. 240. col. 1
Fidem non saluare sine operibus, Scriptura sacra docet, vide textus. pag. 240. col. 2
Fidei desertores corrupere Scripturam sacram. pag. 241. col. 1
Fides possit necne esse sine charitate. pag. 241. col. 1
Fides hæreticorum est inane simulacrum. p. 242. col. 2
Fidem Catholicam quænam rationes astruant. pag. 242. col. 1
Fidei cum lampade pulchra comparatio. pag. 245. col. 2
Fidem saluare sine operibus quàm absurdum esse dicat Macarius, cuius egregium vide discursum pag. 248. col. 2
Fides & opera bona sibi mutuò suffragantur. pag. 247. col. 1
Fides est veluti trunca, bono opere viduata. pag. 247. col. 2
Fides fœcunda bonis actibus explicatur. p. 247. c. 1
Fides sola non Martyres commendat. pag. 248. col. 2
Fidei & charitatis nexus necessarius ad salutem. pag. 249. col. 1
Fides à bonis operibus accipit incrementum. pag. 249. col. 2
Fides est suspecta sine bonorum operum praxi. ibid.
Fides Catholica vt generosa bonis se prodit operibus. pag. 253. col. 1
Fides hæreticorum ignaua vacat à bonis operibus. ibid.
Fides in adultis habet aliquid præuium in sensu. pag. 255. col. 2
Fides in Maria fuit triduo mortis Christi. p. 257. col. 1
Fides nullo vnquam tempore defecit. pag. 261. col. 1
Fidem innotuisse toti Mundo verumne sit. p. 262. col. 2
Fide an exciderit Petrus, cùm negauit Christum. pag. 261. col. 1
Fides Petri nunquam deficiet in Ecclesia. p. 274. col. 1
Fides nulla prorsus est extra Ecclesiam. pag. 277. col. 2
Fides præire debet bonis operibus. pagina 278. col. 1
Fidei luculenta commendatio ex Chrysost. p. 277. col. 2
Fides est necessaria ad iustificationem pag. 278. col. 1
Fidei necessitas à SS. PP. prædicata. pag. 278. col. 2
Fidei & gratiæ nexus necessarius ad salutem. p. 278. col. 1
Fides præire debet remissioni peccatorum. p. 278. col. 2
Fides an in hac vita queat esse perfecta. pag. 372. col. 1
Fides non est ex nobis in nobis, sed est donum Dei. pag. 524. col. 1
Fidei & operum societas indiuidua. pag. 533. col. 1
Fides non innititur signis, sed primæ veritati. p. 635. col. 2
Fidem ex auditu esse docent Hebræi. pag. 636. col. 1
Fides non influit in animam obstinatam. pag. 636. col. 2
Fidei expers eleganter describitur. pagina 637. col. 1
Fides vt influat, non petit oculorum obsequium. p. 670. col. 2
Fidei symbolum ingenuum est Rebecca. p. 670. col. 1
Fidei & scientiæ quænam differentia. pag. 670. col. 2
Fides Catholica altè de Deo sentit. pagina 671. col. 1
Fides hæreticorum est tota in sensibus. pag. 670. col. 2

Fidei signacula indubia sunt miracula. pag. 692. col. 1
Fides sola in adultis non sufficit ad salutem. pag. 695. col. 2
Fides stipatur etiam aliis virtutibus. pag. 694. col. 1
Fides quare sæpe à Christo commendata. pag. 696. col. 2
Fides quare initio miraculis indiguit. pag. 697. col. 1
Fides nutritur repetitis actibus. p. 697. c. 2
Finis omnes specificat actiones humanas. pag. 699. col. 1

Flagella.

Flagellis Dei homines nequam dant ansam. p. 747. col. 2
Flagella Dei cur acerbè desæuiant in homines. p. 665. c. 1
Flagella Dei prouocant hominum peccata. p. 747. col. 2
Flagella quare totum orbem plectant. pag. 177. col. 1
Flagellatio seruis peccantibus indicta fuit. p. 177. col. 2
Flagellatio ab Hebræis quo ritu facta, pag. 569. col. 1
Fœminis adempta fuit iudiciaria potestas. pag. 304. col. 2

Fomes peccati.

Fomes peccati quid sit in homine. p. 715. c. 2
Fomes peccati non est peccatum, sed eò vergit. ibid.

Frater.

Fratres quot modis dicantur in Scriptura. pag. 648. col. 1
Fratres Christi quomodo esse possimus. pag. 659. col. 2

Frui.

Frui & vti quomodo differant, ex Augustino. p. 85. col. 1
Frui vtendis quomodo sit summa peruersitas. p. 85. col. 2

G

Galli Romanis olim fuere terrori. pag. 118. col. 2

Gentiles.

Gentiles cur appellati canes à Iudæis. pag. 693. col. 2
Gentilium conuersio reseruata post Passionem Christi. p. 692. c. 2
Gentiles facti sunt mediante fide filij Dei; & Iudæi propter infidelitatem in canes transmutati. p. 693. c. 2

Gloria.

Gloria propriè quid sit, & in quo sita. pag. 45. col. 1
Gloria quare in cœlo nunquam deficiat. pag. 11. col. 1
Gloriam Dei quærentibus cuncta benè cedunt. p. 48. c. 1
Gloria Dei, scopus esse debet omnium actionum. p. 49. c. 1
Gloria vera quomodo sit à nobis aucupanda. p. 50. col. 2
Gloriæ veræ appetitus non damnatur. pag. 51. col. 2
Gloria iure defertur virtute præditis. pag. 52. col. 2
Gloriam hominum respuendo, potest homo sua bona opera omnibus explicare. p. 53. c. 2
Gloria ab aliis delata debet in Deum refundi. p. 53. col. 2
Gloriam aliquam Deus in hoc æuo viris sanctis impertit. p. 55 c. 2
Gloria hominum non quæsita, viris sanctis nihil dispendiis affert. p. 54. c. 2
Gloria delata probis, eos non inflat. pag. 55. col. 2
Gloria quænam in hoc æuo quæri possit. pag. 54. col. 2
Gloria omnis danda Deo de virtutibus. pag. 56. col. 1
Gloriæ humanæ quædam innoxia aura, viros probos excitat ad virtutem. p. 56. c. 2
Gloriâ delatâ ab aliis, parcè est vtendum. pag. 56 col. 1
Gloriam ab hominibus delatam tutiùs est fugere quàm admittere. p. 56. c. 2
Gloriam æternam appetere, laudabile est. pag 70. col. 1
Gloriam cuiusque boni deferre Deo decet. p. 204. col. 1
Gloriandi ansam abstulit hominibus nesciis an sint in gratia. p. 230. c. 1
Gloria est egregiorum facinorum palma. pag. 248. col. 1
Gloria hominum quomodo in puluerem resoluatur. p. 297. c. 2
Gloria humana fugax, imò momentanea. p. 433. col. 1
Gloria Dei duobus modis accipitur. pag. 445. col. 1
Gloria Dei quomodo maior esse queat. ibid.
Gloria quomodo differat à majestate. pag. 510. col. 1
Gloria æterna in die iudicij dicetur hæreditas. p. 520. col. 2
Gloria æterna, quibus vocabulis designatur. p. 529. col. 1
Gloria æterna, quid exigit ab homine. pag. 529. col. 2
Gloria æterna datur bonis operibus. pag. 528. col. 2
Gloria æterna datur tantùm generosis. pag. 532. col. 1
Gloria æterna appenditur ad trutinam meritorum. p. 529. c. 2
Gloria æterna ab adultis exigit bona opera. p. 529. col. 1
Gloria æterna quare dicitur brauium. pag. 529. col. 2
Gloria æterna ad quid hominem obstringit. p. 529. col. 2
Gloria & ærumnæ apud Hebræos eodem nomine designantur. p. 531. c. 2
Gloria cuiusque boni operis ad Deum pertinet. p. 563. c. 1

Gratia.

Gratiæ nomine quid intelligant Theologi. p. 608. col. 2
Gratiæ splendor erumpit foras, etiam inuitis sanctis, qui Dei gratiis illustrantur. p. 54. c. 1
Gratia quas dispositiones ab homine prærequirat. p. 180. c. 2
Gratiam iustificantem concilians dispositio proxima non est naturalis ordinis. p. 181. c. 1

Gratia

Gratia animâ inuitâ nequit in eam influere p.181. col.2
Gratiæ influxus quomodo concilietur, ex August. pag.181.col.2.
Gratiæ ad illapsum quomodo cooperetur homo. pag.182.col.1.
Gratia Dei præueniens anteit conatus nostros. pag.182.col.2.
Gratia prima non cadit sub meritum pag. 182. col.1
Gratia non influit, nisi remoueantur obices.p.184. col.2
Gratia quonam sit apparatu concilianda. pag. 184. col.1
Gratia diuina congruè pharmaco comparatur. pag.184.col.2
Gratia habitualis in anima quid sit. pag. 185. col.2
Gratiæ influxus est dies festus nobis. pag. 185. col.1
Gratiam arcentes obices, quinam sint. pag. 184. col.2
Gratia iustificans est qualitas inhærens animæ. pag.186.col.1
Gratia diuina totum hominem rectum facit. pag.186.col.2
Gratia Dei non creatur ex nihilo. pagina. 186. col.1
Gratiæ Dei effectus quàm sint animæ salutares. pag.187.col.1
Gratia est in nobis per modum habitus. pag. 186. col.1
Gratiæ Dei obsequio actiones etiam naturales, vt edere, & ambulare, possunt esse meritoriæ. pag.187.col.2
Gratia Mundi spernenda, vt Dei gratia comparetur. pag.188.col.1
Gratiæ Dei & monetæ probatæ comparatio.p.188. col.2
Gratia Dei necessaria, vt mandata obseruentur. pag 189.col.1
Gratia Dei occurrit quotidianis deliquiis. pag.188. col.2
Gratia diuina secum fidem vehit. pagina. 189. col.1
Gratiæ diuinæ maxima commendatio. pag. 189. col.2
Gratia Dei nos commensales eius facit in Euchar. pag.189.col.1
Gratia est præcipua animæ pulchritudo. pag. 190. col.1
Gratiæ effectus sunt initia, & incrementa boni operis. pag.190.col.2
Gratia est quid reale influens in animam. pag.190. col.1
Gratia Dei & voluntas quomodo concurrant. pag.190.col.2
Gratia se comitem adiungit omnis boni operis. pag.190.col.1
Gratia non illucet tantùm, sed accendit ad virtutis cultum. pag.190.col.2
Gratiæ obsequio, à peccatis anima repurgatur. pag.191.col.1
Gratiæ & liberi arbitrij maxima concordia p.190. col.2
Gratiæ Dei beneficia quamplurima. pag.191.c.1
Gratiæ Dei effectus vltimus, beatitudinis assecutio. pag.191.col.2
Gratiæ Dei effectus mirabilis in quodam Turca. pag.192.col.1.
Gratia quomodo det nobis ius ad gloriam, p.191. col.2
Gratiæ influxus, egregio symbolo designatur.p.194. col.1
Gratia præuenit omnem motum arbitrij.pag.194. col.2
Gratiæ Dei expers anima, tenebris opacatur. pag.195.col.1
Gratia debet excoli bonis operibus. pag. 197. col.2
Gratia oblata quare non influat in animam. pag.198.col.1
Gratiæ excitanti est sedulo respondendum.p.199. col.2
Gratiam eliminat secreta quædam superbia.p.200. col.1
Gratia an sit necessaria ad seruanda mandata.p.201. col.1
Gratiæ Dei Expertes, quantis malis obnoxij. pag.201.col.2
Gratiam homo nequit proprijs viribus assequi. pag.202.col.2.
Gratia seu auxilium Dei semper adest nobis. pag.207.col.2
Gratia Dei Sanctos comitatur vsque ad finem. pag.208.col.1
Gratiam an habeat, certò scire nemo potest absque Deo reuelante. pag.229.col.1
Gratiæ necessitas probatur ad seruanda mandata. pag.358.col.1
Gratiæ necessitas ad edenda bona opera est de fide. pag.358. col.1
Gratia à Deo promissa vt mandata obseruemus. pag.359.col.1
Gratia Dei non stat in anima cum peccato graui. pag.373.col.2
Gratia datur apta ad dæmonis impetus eluctandos. pag.378.col.1
Gratiâ diuinâ sæpe corpora vegetantur. pag.383. col.2
Gratia seu auxilium Dei, quàm efficax. pag. 391. col.2
Gratia cur aquæ typo significata à Christo.p.402. col.1
Gratiæ diuinæ quædam cum aqua relatio. p.402. col.2
Gratia Dei homines Angelis assimilat. pag. 435. col.2
Gratiam nequit humano nisu anima comparare. pag.522.col.1
Gratia Dei nos præuenit vt benè operemur.p.522. col.2
Gratia Dei influxum Chrysostomus & Cassianus non sanè satis descripserunt. pag. 526. col.1
Gratia quam dispositionem exigat ab anima.p.528. col.1
Gratia & liberum arbitrium concurrunt ad bona opera perpetranda.pag.463.col.1
Gratia vna habitualis, alia actualis. pag. 608. col.2
Gratiam quare natura nequit conciliare nobis. pag.609.col.1.
Gratiæ effectus sunt omnes animæ motiones ad bona opera fortiter exantlanda. ibid.
Gratiæ per Christum effectus sunt omnes illæ bonæ animæ motiones. pag.608.col.1
Gratiæ effectus in Polemone dyscolo adolescente. pag.609.col.2
Gratiam non necessariam credidere Pelagiani. pag.609.col.1

Gratiâ vnâ benè vtens, se ad aliam aptat. pag 610. col. 1
Gratia habitualis instructus homo, Dei auxiliis indiget vt supernaturales exerat actiones. pag. 610. col. 2
Gratia quomodo operetur velle, & perficere. p. 611. col. 1
Gratiæ iustificantis influxum præcedit aliqua motio supernaturalis. p. 618. c. 2
Gratia iustificans animam quid sit. pag. 623. col. 2
Gratiæ influxus necessarius ad veniam peccatorum. p. 624. c. 1
Gratiâ instructa anima quomodo moueatur. p. 624. col. 2
Gratiæ Dei oblatæ potest homo resistere. pag. 625. col. 1
Gratia nullam vim facit libero arbitrio. pag. 631. col. 1
Gratiæ & liberi arbitrij concordia ex Augustino. p. 630. c. 2
Gratia Dei necessaria est ad iustificationem. p. 633. col. 1
Gratia inhærens probatur ex Scriptura sacra. p. 632. col. 1
Gratia diuina potest intendi in hoc sæculo. p. 632. col. 2
Gratia curationum quare fuit debita Iudæis. p. 693. col. 2
Gratia Dei non est æqualis in omnibus. pag. 632. col. 2
Gratia efficax aliqua momenta petit congrua. p. 692. c. 2
Gratiæ diuinæ velox & præsens operatio. pag. 737. col. 1
Gratia diuina nobis strenuis actibus innotescit. p. 738. c. 2
Gratitudinem erga Deum probare debet homo, iugi virtutum omnium praxi. p. 156. c. 1

Gula.

Gulæ vitium propriè quid sit. pagina 416. col. 2
Gula quando sit peccatum mortiferum. pag. 417. col. 1
Gulæ vitium in quo propriè consistat. pag. 415. col. 2
Gulæ patroni fuere Lutherus & Erasmus. pag. 104. col. 1. & 2
Gulæ laqueus, ad mortem animas implectit. p. 103. col. 1
Gulæ sumunt patrocinium nostrates hæretici. p. 103. col. 2
Gulæ proles, corporis & animæ morbi. pag. 411. col. 2
Gula præire solet vitiis infinitis. pagina 103. col. 2
Gulæ incommoda quàm sint importuna. pag. 411. col. 2
Gula ferè est virtutum omnium inimica. pag. 413. col. 2
Gula fregit tabulas acceptæ legis à Deo. pag. 414. col. 1
Gula benè figurata in Nabuzardan. pag. 414. col. 2
Gula facit corpora obesa malis pluribus obnoxia. p. 413. c. 2
Gula est industria prætextu necessitatis. p. 415. c. 1
Gula ferax est omnium vitiorum. p. 414. c. 2.
Gulam coërcere, sanè est facinus operosum. p. 415. col. 1
Gulæ vitium quot & quanta scandala parturiuit. p. 415. col. 2
Gulosi rarò fœdo ab hoc vitio conuertuntur. p 415. col. 2
Gula quot modis inducat ad peccandum. pag. 417. col. 1
Gulæ insidiæ à paucis hominibus obseruantur. p. 416. c. 2
Gulæ illecebræ quantæ in perniciem animæ, homini prætenduntur. p. 417. c. 1
Gulæ indulgere mera hominum dementia est. p. 417. c. 2
Gula velut gladius anceps, quo & animæ, & corpora perimuntur. p. 417. c. 1
Gulæ pernicies, & incommoda quanta. pag. 416. col. 2
Gula sua mancipia, quibus malis obstringat. p. 417 col. 1
Gula trudit huic vitio obstrictos homines ad inferos. p. 417. c. 2
Gulæ vitium quare sit dæmoni perquam gratum. p. 418. c. 1
Gula qua ratione parens sit idololatriæ. pag. 417. col. 2
Gula facit hominem deteriorem bestiis. pag. 418. col. 1
Gula suæ animæ iacturam flocci pendit. pag. 417. col. 2
Gula, ex medicis, quanta secum mala vehat. p. 418. col. 2
Gulæ malis ieiunium remedium affert. pag. 419. col. 1
Gulæ vitio procuratur apoplexia. pagina 418. col. 2
Gula totum corpus & animam corrumpit. pag. 419. col. 1
Gula radix est omnium morborum. pag. 418. col. 2
Gulæ soboles sunt vitia infinita. pagina 419. col. 2
Gula secum vehit maximum amarorem. pag. 418. col. 1
Gulæ & Dei regno nihil commune. pag. 419. col. 2
Gulam eleganter perstringit Bernardus. pag. 420. col. 2
Gula quàm noxia Michaëli Imperatori. pag. 420. col. 1
Gulæ finis est mors præceps heluonum. pag. 421. col. 1
Gula ludis & choreis hominem tradit. pag. 420. col. 2
Gula sibi onerosa cibo nimio saburrata. pag. 421. col. 2
Gula Abbatem Mansonem perdidit. pag. 421. col. 2
Gula sua mancipia quò deducat. pagina 421. col. 1
Gulæ vitio quibus pharmacis occurratur. pag. 420. col. 1
Gulam voluit lex Orchia coërcere. pag. 423. col. 1
Gulæ olim obnoxij clerici castigati. pag. 422. col. 1
Gulæ modum imposuere leges variæ. pag. 423. col. 1
Gulæ fuit patronus eximius Sylla. p. 423. c. 2
Gulæ cibis luxuriæ ignis actiùs inardescit. p. 422. col. 1

Gula, mala multa Romam inuexit. pag. 425. col. 1
Gulæ fuit inimica lex Licinia. p.423.c.2
Gulæ modum posuit lex Didia. p.423.c.1
Gula tulit Romanis maxima detrimenta. p.423. col. 2
Gulosis supplicia vitio congrua decernuntur. p.424. col. 1
Gulæ vitium Petrarcha corripit eleganter. p.424. col. 2
Gulæ obstricti Sybaritæ homines inglorij. ibid.
Gula quàm acerbè fuit à Domino castigata. p.425. col. 1
Gula velut hamo dæmonis homines inescantur. p.425.c.2
Gulæ pernicies egregio symbolo lineatur. p. 424. col. 1
Gulæ & ieiunij antitheses elegantes. pag. 425. col. 2
Gyges qua arte fuit inuisibilis. pagina 259. col. 1

H

Habitus quid sit, secundùm Philosophos. p.556.c.1

Hæresis.

Hæreses omnes aliquam nequitiam professæ. p.280. col. 2
Hæreses vt torrentes furunt, postmodum exsiccantur. p.260 c.1
Hæreses nullæ potuere diu subsistere, ideoque sibi malè ominatus est Caluinus. pag. 259. col. 2
Hæresum auctores se vitiis obstrinxerunt. ibid.

Hæretici.

Hæretici fuere vilia ventris mancipia. pag. 92. col. 2
Hæretici quinam ieiunia impugnent. pag. 93. col. 1
Hæretici qui dixere cibos immundos. p.94.c.1
Hæreticorum nequitia legendo Patres SS. p. 97. col. 1
Hæretici doctrinam Christi impugnant. pag. 92. col. 2
Hæreticorum argumenta petita ex Sanctis Patribus, quomodo soluantur. p.97.c.2
Hæretici vesparum ortum & indolem æmulantur. p.103.c.2
Hæretici harpyis congruè comparantur. pag. 106. col. 1
Hæreticis quâ cautelâ iuit obuiam Ecclesia p.237. col. 1
Hæreticorum importunitas graphicè lineata. p.237. col. 2
Hæreticis insolitum abuti Scriptura sacra. pag. 238. col. 1
Hæreticorum perfidia egregiè describitur. p. 241. col. 2
Hæreticorum blasphemiæ circa bona opera. p.243. col 1
Hæreticorum versutia optimè demonstratur. p.242. col. 2
Hæreticos frequentare tutum non est. pag. 245. col. 2
Hæretici Galliam totam sanguine cruentarunt. p.253.c.2
Hæretici cum Gyge mago homine comparati. p.259.c 1
Hæretici malè suis sectis noxiis ominati. pag. 260. col. 1
Hæreticos confutandi egregia methodus ab Imperatore Theodosio aliàs vsurpata. p.262.c.2
Hæreticos Christiani Imperatores persecuti. p.279. col. 2
Hæretici Cæsareo iure pœnis obnoxij. pag. 280. col. 1
Hæretici quomodo homines à fide auertant. p.357. col. 2
Hæretici figurati in his qui noluere terram promissionis gladio subiugare. p.359.c.1
Hæreticorum callida indoles explicatur. pag. 438. col. 1
Hæretici Apostolici quinam fuerint. pag. 443. col. 2
Hæreticorum astutia vt Catholicis imponant. p.444 c.2
Hæretici quomodo impugnent vota religiosa. p.443.c.2
Hæretici vt scarabæi turpibus assuescunt. pag. 455. col. 1
Hæretici quare fuere clero iniurij. pag. 466. col. 2
Hæretici mulis & equis optimè figurati. pag. 506. col. 2
Hæretici corrumpunt Scripturas sacras, vt ita suos errores astruant. p.627.c.2
Hæretici quinam tollant liberum arbitrium. p.628. col. 1
Hæretici omnes sunt indolis fraudulentæ. p. 671. col. 1
Hæreticis vt porcis placent sordida volutabra. p.716.c.2

Harpyiæ.

Harpyiæ quale genus olim ferarum fuit. pag. 106. col. 1
Harpyiarum contactu omnia conspurcantur. p.106. col. 2
Harpyis hæretici, vt feroces bestiæ comparantur. ibid.
Harpyiarum elegans descriptio ex Virgilio. p.106. col. 1
Heraclij Imperatoris defectio à fide vnde fuit. p.209.c.1
S.Hilarij auctoritas quanti æstimata fuit. pag. 140. col. 2
S.Hilarion pertimuit æstus gloriæ humanæ magis quàm vortices pelagi despumantis. p.58.c.1

Homo.

Homo rebus vti debet, sed non frui. p.75.c.1
Homo quare rebus infimis subiici non debet. p.84. col. 2
Homines omnes in ordine ad Deum spectati, sunt veluti lineæ paralelæ. p.507.c.2
Homines quomodo fiant diuinæ naturæ consortes. p.371.c.1

Honor.

Honor & gloria quomodo distinguantur. pag. 45. col. 1
Honoris definitio quænam dari possit. p 44.c.2
Honor verus est, qui defertur ab honorato. pag. 45. col. 1
Hostia defectuosa malum portendit omen. p.310. col. 1

Hosanna.

Hosanna quidnam propriè significet. pag. 594. col. 2

Hosanna quomodo Hieronymus explicat. p. 596. col. 1

Humilitas.

Humilitas Gregorij Magni quanta fuit. pag. 428. col. 2

Humilitas Marcelli II. Papæ fuit insignis. pag. 428. col. 2

Humilitas vera fuit semper refuga honorum. p. 428. col. 1

Humilitas placidam requiem Deo parat. pag. 429. col. 1

Humilitas parens & custos virtutum. pag. 429. col. 2

Humilitas gratiis cœlitus irrigatur. pag. 429. col. 1

Humilibus multa patent aliis inuia. pag. 533. col. 1

Humilitas est virtus proxima Deo. p. 429. c. 1

Humiliter de se sentiunt iusti omnes. pag. 533. col. 2

Humilitas industriè profectò Deum inuitat. p. 429. col. 1

Humilitas Dauidis sacro codice commendatur. p. 535. c. 2

Humilitas gloriam boni operis Deo defert. p. 535. col. 1

Humilitas eò maior, quò plus virtutis inest. p. 535. col. 2

Humilitatis & omnium virtutum nexus pag. 534. col. 2

Humilitate merita locuples capiunt incrementum. p. 535. c. 2

Humilitas strictè Dei gratiæ sociatur. pag. 536. col. 1

Humilitas animam disponit ad gratiam. pag. 616. col. 1

Humilis infantium habitus Christo gratus. p. 616. col. 2

Humilitatis amans esse debet pœnitens. pag. 616. col. 1

Humilitatis in aula Dei quale munus. pag. 617. col. 1

Humilitatis cultor eximius Christus. pag. 616. col. 1

Humiles animas lætè Deus inhabitat. pag. 617. col. 1

Humilibus tantum Sanctus Spiritus assuescit. p. 617. col. 2

Humilitatem vt doceret Christus, hominem assumpsit. p 617. c. 1

Humilitas nardi stipiti comparata. pag. 617. col. 2

Humilitas Christi diabolo opposita. pag. 617. col. 1

Humilitas est virtutum omnium fundamentum. p. 617. c. 2

Humilitas est custos sedula virtutum. pag. 618. col. 1

Humilitatis elegans encomium ex Bernardo. ibid.

Hypocrisis.

Hypocrisis quodnam propriè vitium sit. pag. 2. col. 1

Hypocrisis quibus lethale virus infundit. pag. 4. col. 1

Hypocrisis intentum est, oculos hominum deuincire. p. 4. c. 2

Hypocrisim fugiendam bellè docet Chrysologus. pag. 9. c. 2

Hypocrisis & superbia coëunt, vt farinæ eiusdem. p. 25. c. 2

Hypocrisim, ne irreperet, timuere viri sancti. p. 27 col. 1

Hypocrisis est fermentum veneno aspersum. p. 288. col. 1

Hypocrisis quare fuit dicta à Christo fermentum Pharisæorum. p. 288. c. 2

Hypocrita.

Hypocritæ elegans & genuina descriptio. pag. 2. col. 2

Hypocritas Christus odit & acriter carpit. pag. 2. col. 1

Hypocrita qualem personam agit in hoc æuo. p. 2. col. 2

Hypocrita cur dicatur exterminare faciem. pag. 3. col. 1

Hypocrita semper alienos oculos aucupatur. p. 2. col. 2

Hypocritæ quæsiere fucos vt faciem mutarent. p. 3. col. 2

Hypocritæ quomodo faciem exterminabant. p. 2. col. 2

Hypocritæ fumo vsi vt faciem exterminarent. p. 3. col. 2

Hypocritas damnaturus Christus, cur ait: Amen dico vobis. p. 4. c. 2

Hypocritas quare tam acerbè Deus odit. pag. 3. col. 2

Hypocritæ mercedem ab hominibus quærunt. p. 4. col. 2

Hypocrisis non habere næuos est paucorum. p. 3. col. 2

Hypocritarum merces est momentanea. pag. 5. col. 1

Hypocritarum odium Christus cautè suis discipulis insinuat. p. 3. c. 2

Hypocritarum merces qualis ex Hebræis. pag. 5. col. 1

Hypocritarum merces quænam ex Syris. pag. 5. col. 2

Hypocritarum virtus est inane simulacrum. ibid.

Hypocritarum quomodo indoles agnoscatur. p. 6. col. 1

Hypocritarum virtuti quare Deus neget stipendium. ibid.

Hypocritarum opera omnia quænam sint. pag. 5. col. 2

Hypocritæ reuerà sana mente exciderunt. pag. 6. col. 2

Hypocritæ pœnitentia quia fucata, Deo est exosa. ibid.

Hypocrita & infidelis apud Syros idem sonant. p 7. col. 1

Hypocritas acerbâ censurâ petit Chrysologus. p. 9. col. 1

Hypocritis quomodo optimè consulatur. pag. 9. col. 2

Hypocrita in quæ discrimina incurrat. pag. 9. col. 1

Hypocritæ insignis historia describitur. pag. 25. col. 2

Hypocritæ quare infideles homines appellentur. p. 24. c. 1

Hypocritarum ingenium apto symbolo lineatum. p. 25 c. 2

Hypocritas superbos esse liquet vr o exemplo luculento. ibid.

Hypocritam carpit acri censura Papa Gregorius. p. 26. c. 1

Hypocritę accurata & elegans descriptio ab eodem. ibid.
Hypocritæ omnes acri censura perstricti. pag. 26. col. 2
Hypocritæ quare sint cauendi ab omnibus. p. 26. col. 1
Hypocritæ in lege veteri reprobati. p. 27. c. 1
Hypocrita depingitur habitu monstruoso. pag. 27. col. 2
Hypocritas cui aptè facit similes Hieronymus. ibid.
Hypocritæ an gloriam vel honorem ambiant. p. 45. col. 1
Hypocritæ bona opera quare cadunt merito. p. 46. col. 2
Hypocritæ virtus est moneta adulterina. pag. 47. col. 2
Hypocritæ merces apud Deum qualis erit. pag. 46. col. 2
Hypocritæ virtutes ei cedunt ad animæ detrimentum. p. 51. c. 1

I

Iebus.

Iebus vox Hebræa quid significet. pag. 611. col. 2
Iebus quare nuncupata fuit olim Ierosolyma. ibid.

Ieiunium.

Ieiunium quid sit, & quotuplex sit. pag. 93. col. 2
Ieiunium qua cautela egeat contra vanitatem. p. 6. col. 1
Ieiunij & orationis est grata societas. pag. 23. col. 2
Ieiunium qua ratione bonum, vel malum sit. p. 61. col. 2
Ieiunium sine charitate suo decore cadit. pag. 62. col. 1
Ieiunium quomodo sit ingratum Deo. pag. 62. col. 2
Ieiunium vt sit meritorium quid ab homine prærequirat. p. 61. c. 2
Ieiunio præire debet conuersio animæ pœnitentis. p. 63. c. 1
Ieiunio plerumque accenditur auaritia. pag. 61. col. 2
Ieiunij comes esse debet eleemosyna. pag. 63. col. 1
Ieiunium ad virtutem pertinet operosam. pag. 61. col 2
Ieiunium est Deo ingratum, in quo voluntas nostra reperitur. p. 62. c. 2
Ieiunium ab eleemosyna; gratiæ suscipit incrementum. p. 64. c. 1
Ieiunium quare eleemosyna perficiat. pag. 64. col. 2
Ieiunium est pœna, Deo satisfaciens. pag. 64. col. 1
Ieiunij & eleemosynæ societas probatur exemplo. p. 64. c. 2
Ieiunij encomia edita à Sanctis Patribus. pag. 64. col. 1
Ieiunium sine eleemosyna auaritiæ suffragatur. p. 65. c. 1
Ieiunium patitur deliquium, absque eleemosyna. p. 65. c. 2
Ieiunium cur impugnetur ab hæreticis. pag. 92. col. 2
Ieiunium quinam hæretici impugnarint. pag. 93. col. 1
Ieiunium quare non impugnarint hæretici exorti in Ecclesia primitiua. p. 92. c. 2
Ieiunium distinguitur in morale, naturale, & Ecclesiasticum. p. 93. c. 1. & 2
Ieiunium quomodo impugnetur ab hæreticis. p. 94. c. 1
Ieiunium homini indictum est à Deo. pag. 95. col. 1
Ieiunium quatuor regulas Ecclesiæ supponit. p. 93. col. 2
Ieiunium inuoluit abstinentiam à carne. pag. 94. col. 1
Ieiunium morali præcepto fuit indictum Iudæis, ideoque viget adhuc hoc mandatum. pag. 95. col. 2
Ieiunium familiare fuit olim Apostolis. pag. 96. col. 1
Ieiunia Ecclesiastica ab initio instituta. pag. 132. col. 1
Ieiunat frequentiùs Ecclesia, quàm Synagoga. p. 95. col. 2
Ieiunium efficax ad vitia profliganda. pag. 96. col. 1
Ieiunium multis Scripturæ textibus astruitur. p. 95. col. 2
Ieiunij assertor fuit Christus exemplo suo. pag. 96. col. 1
Ieiunium astruunt & commendant Canones sacri. p. 97. c. 2
Ieiunabant neophyti, fidem postea professuri. p. 98. col. 1
Ieiunio violato, paradiso fuit pulsus Adam. p. 98. col. 2
Ieiunio obseruato dæmon ab homine profligatur. p. 98. c. 1
Ieiunij præceptum Adamo fuit indictum. pag. 98. col. 2
Ieiunium est congruus apparatus ad gratiam. p. 98. col. 1
Ieiunij præclara encomia ex Sancto Basilio. p. 98. col. 2
Ieiunij virtus est in omnia vitia singularis. pag. 98. col. 1
Ieiunium quantis gratiis animam stipet. pag. 98. col. 2
Ieiunium ex Sanctis PP. maximè prædicatur. p. 99. col. 1
Ieiunio assueti erant primi Christiani. pag. 99. col. 2
Ieiunij effectus sunt animæ salutares. pag. 99. col. 1
Ieiunij virtus ad conciliandam Dei gratiam. p. 99. col. 2
Ieiunio iniurij gulosi homines arguuntur. pag. 99. col. 1
Ieiunio stante primus homo non peccauit. pag. 100. col. 1
Ieiunio quantùm tribuit Tertullianus. p. 99. c. 2
Ieiunium argumentis validis inculcatur. pag. 100. col. 2
Ieiunium à lege noua, & veteri commendatur. pag. 100. c. 1
Ieiunando sibi procurat homo roboris incrementum. p. 99. c. 2
Ieiunium compescit insolentiam carnis. pag. 100. col. 1
Ieiunij virtus eleganter describitur. p. 100. c. 2
Ieiunia valde austera primi sæculi. p. 101. c. 1

Ieiunia obseruata in primitiua Ecclesia. pag. 100. col. 2
Ieiunia cur fuere nobis cœlitus indicta. pag. 101. col. 1
Ieiunium quosnam homines non obstringat. p. 101. col. 2
Ieiunium arcet dæmones ab homine. pag. 101. col. 1
Ieiunium quare senes & iuuenes non obstringat. p. 101. c. 2
Ieiunij cultores fuere viri omnes sancti. pag. 101. col. 1
Ieiunium quare non soluit potus vini. pag. 102. col. 1
Ieiunium vt sit perfectum, quid requirat. p. 102. col. 2
Ieiunium indicendo, quid prætendat Ecclesia. p. 102. c. 1
Ieiunij laudes ex Sancto Cypriano. pag. 102. col. 2
Ieiunia præuia habuere præclara facinora. pag. 103. col. 1
Ieiunia indiscreta sunt homini præcauenda. p. 102. col. 1
Ieiunium quare vehat abstinentiam à carne. p. 107. col. 1
Ieiunium ad mœrorem congruit exprimendum. p. 107. c. 2
Ieiunia alia obseruata à Iudæis, præterea quæ Moyses instituit. p. 108. c. 1
Ieiunium ab hominibus ethnicis obseruatum. ibid.
Ieiunium est animæ, & corpori salutare. pag. 111. col 1
Ieiunia quædam austera Sanctorum vide. p. 113. c. 1. & 2
Ieiunia quàm austera Iustiniani Imperatoris p. 113. col. 2
Ieiunij tempore carnem edentes castigati. pag. 114. col. 1
Ieiunij obsequio omnia vitia subiugantur. pag. 119. col 2
Ieiunio quare nolint hæretici certos dies assignari. p 118 c. 2
Ieiunij dies decernere pertinet ad Ecclesiam. p. 114. col. 1
Ieiunia crebra quare fuerint instituta. pag. 119. col. 2
Ieiunando, cusa nobis diaboli spicula retunduntur. p. 118. c. 1
Ieiunium vt sit meritorium quid requirat. pag. 127. col. 1
Ieiunij meritum quomodo hæretici impugnent. p. 127. c. 2
Ieiunium cur stet cum vsu vini, & leguminum, quamuis ea sint Veneris incentiua. p. 109 c. 1
Ieiunium aptum ad fœdus cum Deo renouandum. p. 127. c. 1
Ieiunium charitate instructum meritorium est. p. 127. c 2
Ieiunium vnde fiat Deo perquam gratum. p. 128. col. 1
Ieiunio mens fit aptior ad cultum Dei. pag. 132. col. 1
Ieiunium induit speciem omnium virtutum. p. 129. col. 2
Ieiunium rationem participat omnis boni. p. 129. col. 1
Ieiunium quomodo sit actus latriæ. pag. 129. col. 2
Ieiunij efficacia ex pluribus historiis. pag. 130. col. 1. & 2
Ieiunia mactata caro sicut hostia immolatur. p. 129. col. 2
Ieiunium ad honorem Dei institutum. pag. 132. col. 2
Ieiunij meritum cur impugnent hæretici. pag. 130. col. 1
Ieiunium habet ea quæ conducunt ad meritum. p. 131. c. 2
Ieiunium mercede diuite compensatur. pag. 131. col. 1
Ieiunio merces quare diues decernatur. pag. 132. col. 2
Ieiunium vt prosit, exigit ieiunium à vitiis. p. 133. col. 2
Ieiunium Canones sacri sæpe commendant. p. 133. col. 1
Ieiunium adhibitum ab Apostolis in actionibus magni ponderis & momenti. p. 135. c. 2
Ieiunium remedium potens contra vitia. pag. 134. col. 1
Ieiunio peccatum graue demit meritum. pag. 133. col. 2
Ieiunium quàm constanter obseruatum à Bizantinis grassante fame. p. 135. c. 2
Ieiunij multa encomia. pag. 133. c. 2. & pag. 134. col. 1
Ieiunij efficacia probatur variis historiis. pag. 139. col. 1
Ieiunium terrorem magnum diabolis incutit. p. 381. col. 2
Ieiunium cur Christus tentandus præmisit. p. 135. col. 1
Ieiunium deiectas animæ vires suscitat. pag. 410. col. 2
Ieiunio franguntur omnes noxiæ voluptates. p. 410. col. 1
Ieiunij necessitas probatur ex S. Augustino. p. 410. col. 2
Ieiunium Christus obseruauit ad exemplum. p. 410. col. 1
Ieiunio armatus Adam creatus est. pag. 410. col. 2
Ieiunio congruè verno tempori comparatur. p. 412. col. 1
Ieiunio comite facinora ardua consummata. p. 412. col. 2
Ieiunium quàm sit prudenter obseruandum. p. 410. col. 2
Ieiunij effectus variæ probant historiæ. pag. 412. col. 1
Ieiunia multis olim gentibus indicta. pag. 412. col. 2
Ieiunio leones & ignis superati. p. 412. c. 1
Ieiunia sæpe aureo sæculo frequentata. pag. 413. col. 1
Ieiunio collapsa animæ sanitas instaurata. pag. 413. col. 2
Ieiunij encomia luculenta ex Scriptura. pag. 414. col. 1
Ieiunium ab athletis sæpius obseruatum. pag. 413. col. 2
Ieiunio mediante fuit lex impetrata. pag. 414. c. 1
Ieiunium est omnium virtutum rudimentum. p 414. c. 2
Ieiunij commoda ex gulæ cladibus innotescunt. p. 416. c. 1
Ieiunij armaturâ dæmon facilè superatur. p. 414. col. 2

Ieiunij & gulæ antitheses, ex S. Ambrosio. p.425. col.1.& 2
Ieiunium largum gratiæ influxum conciliat, p.425. col.2

Imperator.

Imperatoris inaugurandi ritus singularis. pag. 39. col.2
Imperatori prima die inaugurationis memoria mortis egregio symbolo refricata. p.40.c.1
Indi quomodo suos eligebant Reges. pag. 59. col.2

Infernus.

Inferni elegans descriptio ex Chrysostomo. p.550. col.1
Inferni tenebræ reales erunt & æternæ. pag. 159. col.1
Inferni ignis qualis erit. pag.149. col. 2. pag. 159. col.2
Inferni ignis quare æternus erit. p.549.c.2
Inferni supplicium omnia mala dicit. pag. 549. col.1
Inferni ignis vret præcipuè voluptuosos. pag. 550. col.1
Inferni ignis animas & corpora cruciabit. pag.566. col.1
Inferni ignis quomodo cruciabit, ostenditur egregia comparatione. p.566.c.2
Inferni meditatio quos effectus in homine sortiatur. p.567.c.2
Inferni præclara descriptio ex S. Augustino. p.159. col.1
Inferni pœnæ horrendæ reos plectent. pag. 159. col.2
Inferni descriptio ex S. Bonauentura. pag. 550. col.2
Infernus aget in reprobos iuxta mala ab illis in hoc sæculo perpetrata. p.566.c.1
Inferni descriptio genuina, ex S. Gregorio. pag.567. col.2
Infernalis ignis virtus combustiua ad animas & corpora porrigetur. p.566.c.1

Inimici.

Inimicorum odium quale vetitum sit. pag. 285. col.1
Inimicorum odia priuata vetat lex Mosaïca. p.285. col.2
Inimici quales irreconciliabili odio sint habendi. p.285.c.1
Inimicorum nostrorum est deploranda salus, potiùs quàm iniuria vindicanda. p.312.c.1
Inimici quomodo licitè odio haberi possunt. p.313. col.1
Inimicorum vitia non sunt amanda. pag. 314. col.2
Inimicorum vitia sunt odio persequenda. pag.316. col.1
Inimicorum mala quomodo placere queant. p.317.c.2
Inimicis quando teneamur benè facere. pag. 321. col.2
Inimici à nobis ferendi sunt vt phrenetici. pag. 323. col.2
Inimicitias refricanti, fuit aliàs imprecatum. p.327. col.1
Inimicitiis compositis solita erigi monumenta. p.329.c.1
Inimici valde nobis vtiles ad salutem. pag. 333. col.2
Inimici à Deo cur derelicti Hebræis. pag. 334. col.2
Inimicos acres habuere viri sancti. pag. 335. col.1
Inimici, nos sedulò obseruando, prosunt. p. 334. col.2
Inimicos vtiles esse probatur exemplo. pag. 335. col.1
Inimicis beneficus abundè fuit Rex Alphonsus. p.335.c.2
Inimici vtiliores sæpe sunt amicis, ex Antisthene. p.335.c.1
Inimici nostri præcipui, sunt vitia. pag. 335. col.2
Inimicos quomodo occidebat Sigismundus Imper. p.336.c.1

Iniuria.

Iniuriæ aliis factæ, Deum offendunt. pag. 332. col.1
Iniuriarum obliuio suadetur eleganti oratione. p.333.c.2
Iniuriæ acceptæ obliuio cita facit, vt iniuriæ illatæ Deo citiùs ignoscantur. p.305.c.1
Iniuriarum memoria residens, est lethalis. pag. 306. col.1
Iniurias quomodo vindicabat Sigismundus. p.336. col.1
Iniuriæ quare initio quadragesimæ remittendæ. p.305.c.1
Iniuriis alios lacessentes sunt miserandi. pag. 307. col.1
Iniurias ferendas æquo animo docet S. Chrysost. p.306.c.2
Iniurias atroces remisit Alexander. pag. 309. col.1
Iniuriæ acceptæ fuit immemor Camillus. pag. 309. col.2
Iniurias suas remisere gratis Heraclienses. pag. 309. col.1
Iniuriæ remissæ vtiles sunt homini condonanti. p.336.c.1
Iniurias acerbas generosè oblitus est Pericles. p.309.c.2
Iniuriæ immemor Traxiles Rex Indiæ. pag. 309. col.1
Iniurias remisere sibi inuicem Scipio Africanus, & Tiberius Gracchus. p.309.c.2
Iniurias remittere, Mundus stultè putat inglorium. p. 308.c.2
Iniurias remisere Socrates, & Euclides. pag. 309. col.2
Iniurias illatas vltro Pyrrhus relaxabat. pag. 309. col.1
Iniurias graues moriens Phocio relaxauit. pag.310. col.1
Iniuriarum memores carpit S. Hieronymus. p.310. col.2
Iniuriarum vltor acer fuit Rex Cambyses. pag.310. col.1
Iniurias acerbas remisit Regina Constantia. p.311. col.2
Iniurias remisit Arbaces Rex Chaldæus. pag. 310. col.1
Iniurias remisit strenuè Episcopus Arelatensis. p.312.c.1
Iniurias vindicare, scelus est lethale. p.313.c.1
Iniurias vt remittamus, vrget S. Bernardus. pag.312. col.2
Iniurias vlciscendo graue malum sibi consciscit homo. p.313.c.2
Iniurias vltro Deus remittit hominibus. pag. 312. col.2

Iniurias

Iniurias remittentis Stephani encomium. pag. 314 col. 1
Iniuriæ illatæ Deus ipse seruus vltor est. pag. 314. col. 2
Iniuriæ remittendæ ante orationem. pag. 314. col. 1
Iniuriæ acceptæ, quomodo condonandæ. pag. 327. col. 1
Iniurias remittendo Deum facimus propitium. p. 314. c. 1
Iniurias relaxare, ritus erat olim religionis. p. 327. col 1
Iniuriarum memoriam detergit Passio Christi Domini meditata. p. 328. c. 2
Iniurias atroces remisit Andronicus Imperator. p. 330. c. 1
Iniurias remisit Henricus IV. Rex Galliæ, ibid.
Iniuriam grauem remisit Franciscus à Guysia. p. 330. c. 2
Iniuriam intentatæ necis remisit Clissonius. p. 331. col. 2
Iniurias atroces acceptas Veneti condonarunt. p. 332. c. 1
Iniuriam alteri irrogans valde sibi iniurius est. p. 333. c. 1
Iniurias quomodo vindicauere viri sancti. p. 337. col. 1

Intellectus.

Intellectus est perspicax oculus animæ. pag. 16. col. 1
Intellectus tenebris offusus, animæ noxius. pag. 16. col. 2

Intentio.

Intentio est mensura actionum humanarum. p. 8. col. 1
Intentio vna nequit cœlum & terram aspicere. p. 14. col. 2
Intentio qua ratione sibi statuat thesaurum. pag. 12. col. 2
Intentio est velut perspicax oculus animæ. pag. 13. col. 1
Intentio bonitatem aut nequitiam affricat actioni. p. 14. c. 2
Intentionis bonæ & malæ descriptio. pag. 13. col. 1
Intentio dirigit animam, vt oculus totum corpus. p. 47. c. 1
Intentione mala, bona opera vitiantur. pag. 47. col. 1
Intentio qua ratione fiat recta aut obliqua. p. 47. col. 2
Intentio gloriæ humanæ aucupandæ, praua est. p. 54. c. 1

Inuidia.

Inuidiæ nequitia maxima lineatur. p. 737. c. 2
Inuidiæ virulenta indoles explicatur. pag. 269. col. 1

Israëlita.

Israëlita quid apud Hebræos significet. pag. 612. col. 2

Iudæi.

Iudæorum zelus qua ratione fuit laudabilis. p. 736. col. 2
Iudæorum inuidia in Christum qualis. pag. 737. col. 1
Iudæorum zelus in amarum liuorem mutatus. p. 736. c. 2
Iudæi perculsi liuore, gratis Christum persecuti sunt. ibid.

Iudex.

Iudex Christus cur apparebit in specie hominis. p. 555. c. 2
Iudex in die iudicij bonis erit consolationi, terrori verò malis. p. 511. c. 1. & 2
Iudicis Christi maiestas qualis erit. pag. 508. col. 2
Iudex Christus ministerio Angelorum vtetur. p. 512 col. 2
Iudicis in extremo die sententia vocalis erit. p. 531. col. 2
Iudex cur non apparebit in maiestate diuinitatis. p. 555. c. 2

Iudicium extremum.

Iudicij extremi descriptio, ex S. Bernardo. p. 551. col. 2
Iudicij extremi mentionem quare fecit Christus biduo ante Passionem. p. 511. c. 2
Iudicij extremi narratio realiter est intelligenda. p. 512. c. 1
Iudicio intererunt omnes homines. pag. 513. col. 1
Iudicium duplex erit in extremo die. pag. 514. col. 2
Iudicium vnum discussionis, aliud retributionis. p. 515. c. 1
Iudicari non pertinet ad Angelos, nec dæmones. p. 514. c. 2
Iudicij extremi meditatio est antidotum. pag. 552. col. 2
Iudicij extremi timor est homini salutaris. p. 555 col. 1
Iudicij extremi obliuio perniciosa est. pag. 553 col. 1
Iudicij extremi mentio facta à Paulo Felicem Præsidem tremefecit. p. 555. c. 1
Iudicij extremi meditatio qualis esse debet. p. 555. col. 2
Iudicium extremum perfecta charitas non timet. p. 560 c. 2
Iudicium extremum meditatum prodest sanctis viris. p. 561. c. 1
Iudicij extremi horror describitur à Hieronymo. p. 564. c. 1
Iudicij diem terribilem fore probat Gregorius. p. 564. c. 2
Iudicij dies peccata omnium exponet. pag. 569. col. 1
Iudicium extremum cum misericordia meditandum ex Bernardo. p. 579. c. 2

Iustitia.

Iustitiæ triplex acceptio describitur. p. 369. c. 2
Iustitia forensis quænam sic dicatur. pag. 374. col. 2
Iustitia legis, & iustitia in lege quomodo differant. p. 233. c. 1
Iustitia nostra propriè quænam sit. pag. 372. col. 1
Iustitia iustorum est qualitas inhærens. pag. 372. col. 2

Iusti.

Iusti licèt seruiant, liberi sunt. pag. 174. col. 2.
Iusti quomodo lauent manus, suas in sanguine peccatoris. pag. 337. col. 1
Iusti resurgent primi, deinde reprobi. pag. 513. col. 1
Iusti in die iudicij statim separabuntur à malis. pag. 513. col. 2.
Iustis hic plerumque mali præsunt. pag. 516. col. 2
Iusti in die iudicij Christo occurrent sursum euecti,

euecti. p.517.c.1
Iustos quare sacra Scriptura vocet oues. ibid.
Iusti quomodo collabuntur ad dexteram. pag. 516. col. 2
Iusti quomodo discernantur ab iniustis. pag. 533. col. 2
Iustorum anni recoluntur in Scriptura, sed hominum nequam tempora reticentur. p.742.c.1

Iustificatio.

Iustificatio hominis propriè quid sit. pag. 632. col. 1
Iustificatio hominis quot modis accipiatur. p. 369. col. 2
Iustificatio quænam exigat ab anima. pag. 182. col. 1
Iustificari ante Deum & ante homines differunt. p.233.c.1
Iustificare non potuit lex Mosaïca obseruata. p.233. col. 2
Iustificatus qua ratione fuit Abraham. pag. 234. col. 2
Iustificatio includit fidem & opera. pag. 237. col. 2
Iustificatio, ex hæreticorum mente, quid sit. p.370. col. 1
Iustificationis impetratoria est fides, ex Augustino. p.370.c.2
Iustificatio forensis non dignos cœlo facit eos quos iustificat. p.371.c.2
Iustificationis causa non est sola fides. pag. 370. col. 2
Iustificatio omnia peccata emundat. pag. 372. col. 1
Iustificatio fit per iustitiam inhærentem. pag. 373. col. 1
Iustificatio pœnitentis, opus est Dei. pag. 373. col. 2
Iustificatio in quo sita sit ex Concilio Trid. p.374. col. 2
Iustificatio non fit solis animæ viribus. pag. 374. col. 1
Iustificatio pœnitentis quomodo fiat. pag. 632. col. 1
Iustificatio pœnitentis præter remissionem peccatorum exigit gratiæ illapsum. p.633.c.1
Iustificantur factores Christianæ legis. pag. 661. col. 2

Iustinianus.

Iustiniani Imperatoris quàm austera ieiunia. p.113. col. 2
Iustinianus vna lege totum Imperium regi voluit. p.152.c.2

L

LAcædemones ingloriè vnguentarios expulerunt. p.7.c.1

Lapidare.

Lapidati rei primò à testibus, apud Hebræos. p.568. col. 2

Latriæ cultus.

Latriæ cultus ad quem propriè pertineat. pag. 392. col. 2

Leuita.

Leuitarum benedictio distincta à cæteris. pag. 530. col. 1

Lex.

Lex propriè quid sit apud Iurisperitos. pag. 565. col. 2
Lex factorum ad vtrumque testamentum pertinet. p.233.c.1
Legibus quantùm olim detulere Romani. p.151. col. 2
Leges duodecim tabularum vnde sint ortæ. p.152. col. 1
Lex Mosaïca seruili modo homines obstringebat. p.284.c.1
Legem Mosaïcam adimplere, quid sit. pag. 284. col. 2
Lex Euangelica erudit homines vt filios Dei. p.284.c.1
Lex Mosaïca duobus modis à Christo impleta. p.284.c.2
Lex Euangelica nobilior lege Mosaïca. pag. 284. col. 1
Lex talionis olim ad arbitrium iudicis obseruata. p.285.c.1
Lex Mosaïca damnauit odia priuata. pag. 285. col. 2
Legi Mosaïcæ additiones à Christo factæ legem explicant. p.284 c.1
Leges à Moyse datæ, & Scribarum interpretationes quomodo dignoscantur. p.286.c.1. & 2. p.287. col. 1
Leges Mosaïcas pertinentes ad institutionem morum Christus non antiquauit. p.286.c.2
Leges Mosaïcas quomodo Scribæ interpretabantur. p.288.c.1
Lex Mosaïca duo habet attendenda, quorum vnum est corporale, & alterum spirituale. p.288.c.2
Lex Euangelica ad perfectionis apicem euehit. p.289.c.1

Libertas.

Libertas seruorum Dei quænam sit. pag. 178. col. 1
Libertas impiorum, est seruitus vitiorum. p.342. col. 1
Libertas Christiana in quo propriè sita. pag. 178. col. 1
Libertas qua conditione data fuit homini à Deo. p.341.c.2
Libertas vera acquiritur obediendo legi. pag. 342. col. 1
Libertas ex parte debiti quid sit. p.446.c.2
Libertas arbitrij propriè quid sit. ibid.
Libertas à coactione quidnam propriè sit. ibid.
Libertas triplex à Theologis describitur. ibid.

Liberius Papa.

Liberij Papæ historia scitu dignissima. pag. 269. col. 2
Liberius duriùs egit contra S. Athanasium. p.270. col. 1
Liberius in quo errasse conceditur. pagina 270. col. 2
Liberius Papa non errauit in fide. pag. 270. col. 1

Libertini.

Libertini qui sint ex iure ciuili. p.339.c.2
Libertini ingrati, seruitute mulctati. pag. 341. col. 1

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium propriè quid sit. pag. 625. col. 2
Liberum arbitrium inuoluit intellectum & voluntatem. p.626.c.1
Liberi arbitrij definitio ex Magistro sent. pag. 626. col. 2
Liberi arbitrij libertas quænam sit. ibid.

Liberum arbitrium probatur ex Scriptura.pag.627. col. 1
Liberum arbitrium vt tollant hæretici, deprauant Scripturas. p.617 c.2
Liberum arbitrium probatur rationibus. pag. 628. col.1
Libero arbitrio sublato, non esset virtus. pag.629. col. 1
Liberum arbitrium probat lex à Deo data. p.629. col. 2
Liberi arbitrij libertas à necessitate. pag. 630. col. 1
Liberi arbitrij & gratiæ Dei concordia. pag. 630. col. 2
Libero arbitrio vim gratia non facit. pag. 631. col.1
Libero arbitrio sublato pœnæ reis non sunt licitè decernendæ. ibid.

Libri.

Libri in die iudicij aperti quales erunt. pag. 531. col. 1

Luxus.

Luxus antiquorum in variis vnguentis. pag. 66. col. 1
Luxum multis nocuisse liquet exemplis. pag. 66. col. 2

M

Maiestatis nomen vnde propriè deriuetur. p.511.c.1
Maiestas quomodo à gloria distinguatur. pag.510. col. 2

Malum.

Malum qua ratione queat definiri. p.748.c.2
Malum aliud est culpæ, aliud verò pœnæ. p. 748. col. 2
Malum pœnæ quare viris noxiis infligatur. p.749. col. 1
Malum culpæ voluntarium est, pœnæ verò malum est coactum homine reluctante. ibid.
Malum culpæ, malum pœnæ reo consciscit.p.748. col. 2
Malum culpæ, quare malo pœnæ peius est, & grauius. ibid.

Mancipia.

Mancipia quare tali nomine nuncupata. pag. 339. col. 2

Mandata

Mandatorum obseruatio quibus sit impossibilis. p. 360.c.1
Mandata, quare leue iugum dixit Christus. p. 360. col. 2
Mandata Dei sine gratia non possunt obseruari. p.201.c.1
Mandata nemo suis viribus obseruare potest.p.233. col. 1
Mandata Dei spectari possunt secundùm substantiam, vel secundùm modum illa obseruandi. p.321.c.1
Mandata Dei sunt catenæ de cœlo pendulæ.p.338. col. 1
Mandata Dei quare possunt obseruari. pag. 357. col. 1
Mandata Dei nihil nisi amorem spirant. pag. 338. col. 1
Mandatorum obseruatio promissa à Deo.pag. 359. col. 1
Mandatorum obseruatio possibilis ostenditur. p. 359 c.2
Mandata non posse obseruari, blasphemi dicunt. p.359.c.1
Mandata Dei obseruata ex Scriptura sacra. ibid.
Mandata obseruata notant gratiæ influxum.p.358. col. 2
Mandatorum difficultas vnde petatur. pag. 360. col. 1
Mandata Dei qua ratione queant obseruari.p.360. col. 2
Mandata Dei quibusnam grauia sint. pag. 361. col. 1
Mandata dura dicentes odit Augustinus.pag. 360. col. 2
Mandata Dei res perfectas nobis præcipiunt.p.361. col. 1
Mandatorum pondus homines obstringit ad gratiam desuper inquirendam. p.360.c.2
Mandata Dei possibilia sunt amanti. pag. 361. col. 1
Mandata fuere Dei amore condita. pag. 360. col 2
Mandata sua Deus ipse facit possibilia. pag. 361. col. 2
Mandata Dei similia sunt alis auium, quarum pondus aues alleuiat. p.363.c.1
Mandata Dei quibusnam possibilia sint. pag.362. col. 1
Mandata Dei obseruata fuerunt à puellis. p. 363. col. 1
Mandatum & consilium, quomodo differant. p.442.c.2
Mandatum est, vbi pœna est non facienti. p.444. col. 1

Manumissio.

Manumissio quid sit apud Iurisperitos. pag. 340. col. 1
Manumissio quot modis olim fiebat ex Iure ciuili. ibid.
Manumissio hominis à Deo qua conditione fuit facta. ibid.

Maria.

Maria Virgo nunquam peccauit venialiter.p.647. col.1
Mariæ Virgini quàm benè affectus Chrysostomus. p.646.c 2
Mariæ præclara encomia ex Sanctis Patribus. p.646.c.1 p.647.c.1.& 2
Maria quare fuit immunis à peccato. pag. 647. col. 1
Mariæ conceptionem immaculatam fuisse non negat Concilium Tridentinum. p.647.c.2

Marius.

Marius Imperator triduò solùm imperauit. p.40. col.1

Medicina.

Medicina quid significet in Scriptura. pag. 490. col. 1
Medicinæ præclara encomia ex Fernelio.pag.491. col. 1
Medicinæ partes præcipuæ quænam sint. pag.490. col.2
Medicina rerum magnâ notitiâ pollet. pag. 491. col. 1

Medicus.

Medicos habere interest Reipublicæ. pag. 492. col. 1
Medici tenentur ægros admonere vt sacramentis se præmuniant. p.493.c.1
Medici nuncupati Reges in Scriptura. ibid.
Medici nomen quid Græcè sonet. pag.493.c.2

Meritum.

Meritum.

Meritum tria quædam in bono opere prærequirit. p.131.c.1
Meritum & merces quid in opere præsupponant. p.166.c.1
Meritum nostrum est effectus meritorum Christi. p.471.c.2

Milo.

Milo quare fuit à bestiis deuoratus. p.60.c.1

Misericordia.

Misericordia propriè quidnam significet. p.139.c.2
Misericordias septem commemorat Augustinus. p.140.c.1
Misericordia non meditanda sine iustitia. p.243.c.2
Misericordia Dei neminem excipit. p.140.c.1
Misereri apud Hebræos, quid significet. p.687.c.1

Monachus.

Monachi nomen quid propriè significet. pag.438. col.1. & 2
Monachis cur interdictus esus carnis. p.421.c.1
Monachi nomen valde antiquum est. pag. 438. col.2
Monachi nomen deductum ex Scriptura. pag.439. col.1
Monachorum hostis Agrippa malè moritur. p.439. col.2
Monachi quare sint inuisi hæreticis. pag.439.c.1
Monachi nomen quare velut inglorium malè audiat. ibid.
Monachorum habitum ludibrio habuit Constantinus Copronymus Imperator postea castigatus. p.439.c.2
Monachorum vestes quomodo impugnent hæretici. p.440.c.1
Monachorum habitus laudatus à sanctis. pag.440. col.1. & 2
Monachalis habitus descriptio & significatio. p.440.c.2
Monachi habitus qua cautione datus olim. pag.441. col.2
Monachalem habitum Manuel Imperator fore sibi credidit armaturam. p.442.c.2

Moniales.

Monialium clausura decreta ab Ecclesia. pag. 48. col.1

Moneta.

Moneta vt sit probata, debet habere tria. pag.48. col.2
Monetæ probatæ comparatio cum opere meritorio. p.49.c.1
Monetam quo signo nationes variæ distinxerint. p.49.c.2
Monetam cudit Perennius, ideo morte affectus. ibid.
Moneta Gentilium figurâ bestiæ denotata pag.49. col.1

Morbus.

Morbi definitio quænam detur à medicis. pag.175. col.1
Morbis quare sint corpora nostra obnoxia. p.172. col.2
Morborum initiis non est tutum purgare. p.175. col.1

Mors.

Mors homini inflicta, notat misericordiam Dei. p.38.c.1
Mors quare sit desiderabilis homini. p.38.c.1
Mors quare debeat esse homini grata. p.39.c.1
Mors sanctorum quare sit pretiosa. p.38.c.2
Mortis memoria refricata die inaugurationis Imperatoris. p.39.c.2
Mortis memoriam quare die prima Quadragesimæ Ecclesia insinuat. p.39.c.1
Mors quanta secum commoda vehat. p.38.c.2
Mortis memoria reuocata parit omnium planè rerum fastidium & contemptum. p.39.c.2
Mortis memoria quot thesauros recondat. pag 41. col.2
Mortis memoria fastum Principum deprimit. p.40. col.1
Mortis memoriam qua ratione sibi familiarem fecit Sigismundus Rex Polonus. p.40.c.1
Mortem recolit homo, vitæ meditans breuitatem. p.42.c.1
Mors quotidie aliquid de vita decerpit. pag. 42. col.2
Mors horrenda Chrysorij Senatoris. p.208.c.1
Mortificationi quare sit iugiter insistendum. p.344 col.2

Moyses.

Moyses quare populum occidit, pro quo antè Deum supplex orauerat. p.317.c.1

Mulieres.

Mulieres quæ fuco suam faciem adulterant, ab Ambrosio censurâ congruâ perstringuntur. p.171.c.1
Mulieres quæ à fuco petunt elegantiam à bestiis arguuntur. p.171.c.2

Mundus.

Mundus ipse quare sit in cineres dissoluendus. p.37. col.1
Mundi supellectilem quare Deus noluerit esse æternam. ibid.
Mundi prætereuntis cur sæpe Patres meminerint. p.40. c.2
Mundi contemptum egregiè suadet Gregorius. p.41.c.1
Mundi descriptio extremo senio tabescentis. p.40. col.2
Mundi contemptus suadetur validis argumentis. p.41.c.1
Mundi fugax æuum suadet contemptum eius. p.40. col.2
Mundo confidentes, insanos se esse probant. p.42. col.2
Mundus est similis Sodomæ pomis. pag. 43. col.1
Mundi labilis elegans expressio. p.42.c.2
Mundus est carcer ineptus ad thesauros recondendos. p.73.c.2
Mundi fuga quibus argumentis homini suadetur. p.74.c.1
Mundi & Babylonis elegans comparatio. pag. 74. col.2
Mundi fugam prædicat Ambrosius. pag. 74. col.1
Mundi cum corpore humano comparatio. pag.76. col.1

Mundus quot sit periculis obnoxius. p.354.c.2
Mundus in quot discrimina homines inducit. p.405.c.2
Mundus ipse totus ex vanitate labili coalescit. p.406.c.1
Mundus cur odio habendus ab homine. pag. 419. col.2
Mundi fuga debet esse velox. p.406.c.1
Mundi indoles fugax ab Ambrosio graphicè lineata. p.433.c.2
Mundi prætereuntis descriptio ex Gregorio.p.434. col.2
Mundus insidias vndequaque homini nectit. pag. 434. col.1
Mundus quos beat, hos excludit à beatitudine æterna. p.434.c.2
Mundi suppellex nequit in hoc sæculo perennare. p.434.c.1
Mundus serò de Deo cogitat, vnde sera pœnitentia. p.478.c.1
Mundus estò gratus, hominem beare nequit.p.482. col.2
Mundus in fratricida Cain optimè figuratus. p.478.c.1
Mundi pernicies quanta ex Hieronymo. pag.483. col.2
Mundus inquies quare sibi minimè constet.p.478. col.1
Mundus quare sit & quomodo fugiendus. p.500. col.2
Mundus cum Absalone perfido comparatus.p.501. col.1
Mundi vilia mancipia iustè rebus plectuntur iis quas pessimè coluerunt. p.705.c.2
Mundus idcirco fugax ne homines eius affectu nimio capiantur. p.704.c.2

N

Natura.

Natura quid sit, ex sententia medicorum. p.173.c.1
Naturæ corruptio quid sit, ex Theologis. p. 397. col.1
Natura deficiens in ægroto notat ei instare diem supremum. p.211.c.2

Nazarenus.

Nazarenus quid propriè significet. p.602.c.2
Nazarenus quare nuncupatus est Christus.p.600. col.1
Nazareni vox eleganter expensa à Bernardo.p.603. col.2

Nazareth.

Nazareth Hebraicè quid propriè significet.p.603. col.1
Nazareth qualis erat vrbs, & vbi sita. p.138.c.1

Necessitas.

Necessitatem triplicem esse docent Theologi, vt fusè videre potes. p.446.c.1

Nicodemus.

Nicodemus vbi secretò fuit noctu cum Christo Domino collocutus.p.137.c.2.in calce paginæ.

Nomen.

Nomen alienum ex iure fuit vetitum vsurpare. p. 340.c.2
Nomina quænam fuere sacta Athenis. p.347.c.2

O

Obedientia.

Obedientia quidnam propriè significet.p.456 col.2
Obedientia superiori exhibita, Deo defertur.p.462 col.1
Obedientia olim emisso voto firmiter obsignata. p.463.c.1
Obedientiam canones sacri clericis indixerunt. p.462.c.1
Obedientia mediante mori non potuit Adam, vnde viuere in æternum perinde fuit ac iugiter obedire. p.456.c.1
Obedientia mira Pauli Simplicis cœnobitæ.p.457. col.1
Obedientia neglecta, morte malo congrua plectebatur. p.356.c.2
Obedientia præclara cuiusdam nouitij. p.457.c.2
Obedientiæ præcepto suos nouitios probauit Antonius. p.456.c.2
Obedientiæ singularis admirabile exemplum. p.457.c.1
Obedientiæ meritum probatur historiâ mirabili p.457.c.2
Obedientiæ virtus fortior est flammis. p.457.c.1
Obedientia singularis & digna scitu Isidori. p.457. col.2
Obedientia sanctos maximè commendauit.p.458. col.1
Obedientiam placere Deo liquet miraculis.p.457. col.2
Obedientiæ exempla vigent vbique. pag. 458. col.2
Obedientiæ beneficio omnia constant. pag. 458. col.1
Obedientia præferenda plerisque bonis operibus. p.459.c.1
Obedientia læsa, Deo ingrata fecit bona opera. p.458.c.2
Obedientia præclaris encomiis celebrata. pag.459. col.1
Obedientiæ votum perperam impugnatur.p.459. col.2
Obedientiam violare genus est ariolandi.pag.459. col.1
Obedientia vna est præcepti, alia consilij. pag. 459. col.2
Obedientia in quo præstantior aliis virtutibus. p.459.c.1
Obedientiæ specimen, Christi vita fuit. pag.458. col.2
Obedientia alias virtutes inserit animæ. pag. 459. col.1
Obedire in omnibus, propriè quid sit. pag. 460. col.1
Obedientia singularis Acacij Monachi. pag. 460. col.2
Obedientiâ insciâ nihil fecere Monachi. pag.461 col.1
Obedientia in Apostolis fuit Euangelij rudimentum. p.460.c.2
Obedientia Monachorum aliàs quanta fuit.p.461. col.1
Obedientia impigra Simeonis Stylitæ. pag. 461. col.2

Odium.

Odij cum bile quædam affinitas describitur.p.316 col.2

Odij liciti elegans descriptio ex Augustino. p.317. col.1
Odium vitiorum pertinet ad amorem proximi. p.316.c.2

Ops.

Opes vnde suum hoc nomen acceperunt. pag.129. col.1

Opus.

Opus inceptum quando debet intermitti, ex iure. p.73.c.1
Opera bona qualem mercedem debeant expectare. p.10.c.1
Operis meritorij comparatio cum probata moneta. p.49.c.1
Opera bona cur Paulus commendet scribendo Galatis, & Romanis. p.234.c.1
Opera bona sine fide non iustificant. pag. 234. col.1,& 2
Opera bona duplex gloriatio consequitur. pag.235. col.1
Opera bona vnde petunt suam virtutem. pag.234. col.2
Opera bona sunt in duplici differentia. pag. 235. col.1
Opera bona quædam externa, alia interna. p.239. col.1
Opera bona quando præcipuè Christus sanxit esse prædicanda. p.240.c.2
Operum bonorum probatur necessitas ad salutem. p.241.c.2
Operum bonorum lex, Euangelium est. pag.240. col.2
Operum bonorum intuitus, vanitati obnoxius. p.243.c.2
Opera bona commendant canones sacri. pag. 244. col.1.& 2
Opera & fides quomodo concordent. pag. 244. col.2
Opera bona commendat Ecclesia primitiua. p.245. col.1
Opera bona vices agunt viatici in cœlum. p. 247. col.1
Opera bona negare, genus est infidelitatis. p. 247. col.2
Opera bona Origenes prædicat eleganter. p.246. col.2
Opera bona sunt pretium gloriæ æternæ. p. 248. col.2
Opera bona luculenter extollit Gregorius. p. 249. col.2
Operum bonorum virtus quanta sit, textu Græco Pauli clariùs innotescit. p.251.c.2
Opera bona velut alæ fidei sunt. p.252.c.2
Opere bona, Dei gratiam excolunt. p.252.c.1
Opera bona, fidem si non stipant, illa velut ventus est pugno conclusus. p.252.c.2
Opera bona quando debeant videri ab hominibus. p.291.c.1
Opera bona edita vt videantur, virtute cadunt. p.295.c.2
Opera bona, iustitiæ nomine nuncupata. pag.296. col.1
Opera bona non debent fieri coactè. p.448.c.1
Opera bona cur referentur in die iudicij. pag.521. col.1
Opera bona quænam mercede carent. pag. 296. col.1
Opera bona, Dei gratia præuenit. p.521.c.2
Opera nostra bona, non à nobis habent, vt bona sint. p.524.c.1
Opera misericordiæ quare sola Deus in die iudicij maximè commendabit. p.530.c.2
Opera bona sonorè Deum laudant. p.538.c.1

Oracula.

Oracula quare velut Deos Gentes consulunt. p.662. col.2
Oracula plurium nationum, vide pag.662.c.1.& p.667.c.1.& 2

Oratio.

Oratio duo præcipuè habet attendenda. pag. 131. col.1
Oratio prolixa breui præstat cæteris paribus. p.697. col.2
Oratio perseuerans non desinit indonata. p. 698. col.1
Oratio ne deficiat, requirit perseuerantiam. p.702. col.2
Oratio perseuerantiâ instructa potens est. p. 703. col.1
Oratio assidua quomodo fieri queat. pag. 703. col.2
Orationis assiduæ symbolum egregium. pag.703. col.1
Orationi intentus quare Christus pernoctauit. p.703.c.1
Oratio fit vocalis ad deiectos animos excitandos p.703.c.2
Orationis vis præcipua est in gemitu. pag. 704. col.1
Orationes iaculatoriæ frequentes erant olim. p.703. col.2
Orationis clamor quisnam Deo gratus. pag. 704. col.1
Orationis encomia luculenta ex S.Chrysost. p.725. col.2
Oratio est actus vnus religionis Deo perquam gratus. p.725.c.1

P

Pactum.

PActum quid sit apud iurisperitos. pag. 204. col.1
Pacto inito, libertas transit in necessitatem. p.204. col.2
Pactum Dei cum homine quale sit. pag. 204 col.1
Pactum quid requirat, vt validè contrahatur. ibid.
Pacta velut sacra iuris sunt publici, p.104.c.1

Pammachius.

Pammachius Romanus homo potens. pag. 69. col.2
Pammachij magna liberalitas in pauperes. pag.70. col.1
Pammachij quanta fuit abstinentia. p.69.c.2
Pammachij virtutum series explicatur. pag. 70. col.1
Pammachius qua ratione suæ vxoris defunctæ ossa veneratus sit. ibid.

Panis.

Panis quid designet apud Hebræos. pag. 693. col.1
Panis militi ex ærario publico distributus. pag.709 col.2

Papa.

Papa in quo & quomodo errare queat. pag. 272. col. 1
Papa solus Patriarcha Ecclesiæ vniuersalis. p. 275. col. 1
Papa potest decidere dubia de rebus fidei. p. 274. col. 2

Paralyticus.

Paralyticus piscinæ quare præ alijs sanatus. p. 734. col. 1
Paralyticus ægrotauit ob peccata. pag. 734. col. 2
Paralytici consensus petitus ad sanitatem. pag. 735. col. 2
Paralyticus ex obedientia & fide clarus. pag. 735. col. 1
Paralyticus curatus sabbato quid significet. p. 736. col. 1
Paralytici inuictum animi robur. p. 739. c. 1
Paralytici admiranda fuit mutatio. p. 738. c. 2
Paralyticus maluit adhærere Christo, quàm Iudæis. p. 739. c. 1
Paralytici zelus ardens pro Christo. pagina 739. col. 2
Paralytici prudentia deferendo Iesum. pag. 739. col. 1
Paralyticus quo animo detulit Iesum Scribis & Pharisæis. p. 739. c. 2
Paralyticus prædicauit potestatem Christi. p. 739. col. 1

Pascha.

Pascha quare & quando fuit institutum. pag. 727. col. 2
Paschæ tempore præcipuas actiones suas Christus fecit. p. 728. c. 1
Pascha quare fuit festum Iudæorum. pag. 727. col. 2

Passiones.

Passiones animæ non sunt peccata. pagina 366. col. 1
Passiones esse in anima quomodo constet. pag. 28. col. 1
Passiones quando laude dignæ aut vituperio. p. 316. col. 1

Patientia.

Patientia quibus argumentis suadeatur. pag 745. col. 1
Patientia necessaria est ad salutem. pagina 741. col. 2
Patientia obstat ne tempus inane fluat. pag. 742. col. 2
Patientia est optima animæ conseruatrix. p. 742. col. 2
Patientia facit vt nihil homini depereat. p. 743. c. 1
Patientia est pondus ad quod appenditur gloria æterna. p. 742. c. 2
Patientia facit vt nihil humilibus excidat. p. 743. col. 1
Patientiæ inest singulare robur. p. 742. col. 2
Patientiam deposcit praxis cuiusque virtutis. p. 743. col. 1
Patientia quot modis exerceatur ab homine. p. 742. col. 2
Patientiæ encomia, & tituli illustres. p. 743. col. 2
Patientiæ in tormentis pro Christo subeundis valida argumenta. p. 743. c. 2
Patientiam qua industria Arcadio Martyri persuasit Antoninus Episcopus. ibid.
Patientiæ virtus est primogenita charitatis. p. 743. col. 1
Patientia egregio symbolo designatur. pag. 744. col. 1
Patientia admiranda viri sancti Iob celebratur. ibid.
Patientia vt quid singulare Deo tribuitur. p. 744. col. 2
Patientiæ virtus animas inserit cœlo. pag. 745. col. 1

Paupertas.

Paupertas euangelica in quo sita est. pag. 470. col. 2
Paupertas voluntaria impugnata ab hæreticis. p. 471. c. 1
Paupertas voluntaria facit homines expeditos. p. 465. c. 1
Paupertas admiranda Ducis Phocionis. pag. 463. col. 1
Paupertas olim Ecclesiam commendauit. p. 436. col. 2
Paupertas voluntaria est socia virtutum. pag. 463. col. 1
Paupertas Hebraicè quomodo nuncupetur. p. 436. col. 2
Paupertas voluntaria quare fuit à Christo velut optima prædicata. p. 464. c. 1
Paupertas facit facilem praxim virtutum. pag. 463. col. 2
Paupertas euangelica decet Sacerdotes. pag. 464. col. 1
Paupertas est initium vitæ euangelicæ. pag. 462. col. 2
Paupertatis euangelicæ præclara encomia. pag. 464. col. 1
Paupertatis voluntariæ Leuitis olim indictæ fuit quædam species sacro in codice recensita. p. 462. col. 2
Paupertas voluntaria quàm sit commoda. p. 464. col. 1
Paupertas voluntaria via compendiosa ad cœlum. p. 464. c. 2
Paupertas voluntaria est prima beatitudinum. p. 465. c. 1
Paupertas voluntaria clericis indicta. pag. 465. col. 2
Paupertas voluntaria Petrum leuem fecit ne mergeretur aquis. p. 466. c. 1
Paupertatem clericis commendat eorum nomen. p. 465. c. 2
Paupertatis votum meritoriè emittitur. pag. 471. col. 1
Paupertatis votum Deo gratum. pagina 472. col. 1
Paupertatis votum olim frequens. p. 472. c. 1
Paupertatem voluntariam vouerunt Apostoli. p. 473. c. 1
Paupertas voluntaria conducit ad perfectionem. p. 472. c. 1
Paupertatem vouerunt Ananias & Saphira. p. 472. col. 2

Pax.

Pacis mentio quare fiat ante Communionem. p. 305. c. 2

Peccatum.

Peccatum.

Peccatum quomodo definiatur. p.620.c.1
Peccatum quibus dispendijs animam obstringat. p.28.c.2
Peccati acrimoniam cineres aspersi capiti notant. p.34.c.2
Peccatum inficit omnes animæ potentias,& idcirco malo toti est vniuersale pharmacum opponendum. p.35.c.1
Peccatum qua ratione malè afficiat omnes animæ facultates. ibid.
Peccati dispendiis quomodo aspersi cinere occurrant. ibid.
Peccatum hominis quomodo castigatum. pag.37. col.1
Peccatum puniebatur olim, etiam in supellectile hominis noxij delinquentis,& patet in Acham. p.37.c.2
Peccatum inficit omnia bona opera perpetrata. p.62.c.2
Peccato obstrictus homo, ad quæuis obuia obiecta,sua crimina multiplicat. p.172.c.1.
Peccatum hominis omnia perturbauit. pag.172. col.2
Peccatorum memoria refricata potens est medium ad contritionem homini procurandam. p.184. col.2
Peccata post gratiæ illapsum,sunt deteriora.p.200. col.1
Peccata sibi esse remissa nemo citra reuelationem certò scire potest,ideoque pauere debent omnes. p.226.c.1.& 2
Peccati congruum symbolum est hydra. pag.283. col.1
Peccatum quibus se gradibus insinuet. pag. 364. col.2
Peccatum vt tale sit,voluntarium esse debet.p.365. col.1
Peccata mortalia quomodo possit anima deuitare. p.396.c.1
Peccatum quomodo præualeat in homines.p.397. col.1
Peccata venialia omnia sumpta simul perfectè nequit anima declinare. p.396.c.1
Peccati ratio in quo propriè consistat. pag. 430. col.1
Peccantes vltio diuina cita manet. pag. 543. col.2
Peccati lethalis quanta sit pernicies. pag. 567. col.1
Peccati supplicia quanta,ex Scriptura sacra. p.572. col.2
Peccato perpetrato, reus animus incrassatur.p.667. col.1
Peccatum malè afficit animas & corpora.pag.737. col.2
Peccatum obstat, ne Deo homines assuescant. p.667.c.1
Peccatum post gratiæ illapsum, nouam ingratitudinis notam inurit animæ delinquenti.pag.737. col.2
Peccata nulla manent penitus impunita. pag.747. col.2
Peccata sanctiorum hominum pœna graui cælitus expiata. p.748.c.1
Peccata quare Deus seuerè plectat. pag. 749. col.1
Peccatum in mari semel tempestatem horridam excitauit. ibid.
Peccatum in Spiritum S. quomodo remittatur. p.752.c.2
Peccatum gratie quare minimè condonetur.p.753. col.2

Peccatum originale.

Peccatum originale propriè quid sit. pag. 364 col.1
Peccatum originale quare dicatur vnum specie,& multiplex virtute. p.410.c.1
Peccatum originale reatu quidem,id est,quoad culpam deletur à Baptismo,sed remanet quoad pœnam. p.714.c.2
Peccati originalis incommoda in animas & in corpora refunduntur. p.410.c.1
Peccati originalis effectus est fomes peccati,sanctis etiam animis importunus. ibid.
Peccati fomes etiam nobis inuitis adest. pag. 283. col.1

Pelagius.

Pelagij pueri castitas admiranda fuit martyrio strenuo compensata. p.346.c.1
Pelagiæ Martyris constantia animi singularis. p.346.c.2

Peregrinatio.

Peregrinatio ad limina Apostolorum sacris canonibus maximè celebratur. p.621.c.2
Peregrinationes cur Ecclesia decernat homini pœnitenti. ibid.
Peregrinari vsurpatur à Petro pro obstupescere. p.147.c.2

Perfectio.

Perfectio cuiusque entis in quo sita sit. pag. 303. col.2
Perfectionis studium omnes homines obstringit. pag.338.c.2
Perfectio cur omnibus sit præcepta. pag. 338. col.2
Perfectio paulatim acquiritur ab homine.pag.341. col.1
Perfectionis studium astruit animæ libertatem. p.341.c.2
Perfectio nullas sibi præfigit metas. p.341.c.1
Perfectio est vestis epheborum Dei. pag. 340. col.1
Perfectionis studium cur homines obstringantur. p.343.c.1
Perfectione quies animæ designatur. pag. 343. col.2
Perfectionis studium nullas patitur moras. p.343. col.1
Perfectionis incuria hominem deteriorem facit. ibid.
Perfectionis studio nullę feriæ conceduntur.p.344. col.2
Perfectioni obstat inertia animæ negligentis.p.345 col.1
Perfectionis causa exemplaris Deus est. pag. 349. col.2
Perfectionis studium quot gratias conciliet.p.345. col.1
Perfectio animæ esse debet instar perfectionis Dei. p.349.c.2

Perfectionis studium expressum in Canticis. p. 349. col. 1
Perfectioni quænam seruiant animæ facultates. p. 348. c. 2
Perfectio humana tribus cautelis concluditur. p. 350. c. 1
Perfectioni quomodo synderesis inseruiat. p. 348. col. 2
Perfectio est tanta quanta simplicitas. pag. 350. col. 1
Perfectionis summa quænam sit. p. 350. c. 2
Perfecti homines quare spirituales nuncupentur. p. 350. c. 1
Perfectionis cardo situs in imitatione Christi. p. 350. c. 2
Perfectio adæquatè typo circuli denotatur. p. 353. col. 2
Perfectio quibusnam artibus acquiratur. pag. 350. col. 2
Perfectionem conciliat vita Christi Domini meditata. p. 351. c. 1
Perfectionis amor quibus mediis accendatur. p. 354. col. 2
Perfectio hominis in quo propriè collocetur. p. 477. col. 1
Perfectio hominis penes quid attendatur. pag. 481. col. 2

Persæ.

Persæ tria magorum genera coluerunt. pag. 413. col. 1

Perseuerantia.

Perseuerantiæ soli coronæ meritò decernuntur. p. 206. c. 1
Perseuerantia sola veris laudibus extollenda. p. 206. col. 2
Perseuerantiæ multa & præclara encomia. p. 206. col. 1
Perseuerantiam oratio Dominica petit in omnibus versiculis, vt probat Augustinus. pag. 206. col. 2. p. 207. c. 1
Perseuerantiam enixè petit Dauid. pag. 207. col. 2
Perseuerantiæ virtus sola beat hominem. pag. 207. col. 1
Perseuerantia quonam symbolo designetur. p. 210. col. 2
Perseuerantiæ virtus expers est monstruosa. p. 211. col. 1
Perseuerantia encomio diuite commendatur. p. 211. col. 2
Perseuerantiæ laudes & tituli singulares. pag. 211. col. 1
Perseuerantiæ incurios carpit Basilius. pag. 213. col. 1
Perseuerantia multis figuris olim Hebræo populo commendata. p. 214. c. 1
Perseuerantia ex lege stadij designatur. pag. 214. col. 2
Perseuerantia deficiente, bona opera deploranda. p. 214. c. 1
Perseuerantia in Ægyptiorum sacris. pag. 215. col. 2
Perseuerantiæ cultor eximius fuit Iob. pag. 214. col. 1
Perseuerantiam Ambrosius celebrat eloquenter. p. 214. c. 2
Perseuerantiam Augustinus optimè persuadet. p. 215. c. 1
Perseuerantiam commendant animalia Ezechielis. p. 216. c. 1
Perseuerantiam quomodo Græci præclaro opere commendarint. p. 216. c. 2
Perseuerantiæ effectus homini salutares. pag. 216. col. 1
Perseuerantiam inculcat egregiè Chrysost. p. 216. col. 2
Perseuerantiam quo ritu Æthiopes colant. p. 216. col. 1
Perseuerantia, Dei gratiæ effectus est. pag. 216. col. 2

Petalysmus.

Petalysmus vnde fuit sic appellatus. pag. 59. col. 2
Petalysmus erat lex exilij lata Syracusis. pag. 59. col. 1

Pharisæi.

Pharisæorum virtus olim credita singularis. pag. 6. col. 2
Pharisæorum virtus tantùm deforis emicabat. p. 288. c. 1
Pharisæorum & Scribarum doctrina qualis erat. p. 228. c. 2
Pharisæi volebant Scripturam tantùm intelligi vt cortice resonabat. p. 288. c. 1
Pharisæorum fermentum à Domino reprobatum. p. 288. c. 2
Pharisæi Scripturas pessimè declarabant. pag. 285. col. 1
Pharisæi & Scribæ de suo penu legi Mosaïcæ traditiones pessimas adiecerunt. p. 287. c. 2
Pharisæi inimicorum odia præceperunt. pag. 287. col. 1
Pharisæorum & Scribarum traditiones à Mosaïca lege quomodo discernantur. p. 286. c. 1

Philista.

Philista mortuus ex residente bile. pag. 306. col. 1

Philosophia.

Philosophia propriè quidnam sit. p. 481. c. 2
Philosophia quàm sit vtilis hominibus. pag. 481. col. 1
Philosophia quomodo beet homines. pag. 481. col. 2
Philosophiæ nomen vnde deriuetur. pag. 482. col. 1
Philosophia credita res diuina. p. 483. c. 2
Philosophia prodest ad perfectionem assequendam. p. 482. c. 2
Philosophum Hieronymus vocat animal, & popularis auræ & rumorum venale mancipium. p. 484. col. 1

Phœnicia.

Phœnicia à Phœnice Principe nuncupata. pag. 680. col. 1
Phœnix Rex proprio Marte primus literas adinuenit. ibid.

Pietas.

Pietatis nomine quid significare velit Paulus. Vide locum dignum scitu. p. 128. c. 2

Piscina.

Piscina.

Piscina quid sit, & cur dicta probatica. pag. 729. col. 2
Piscina trifariàm nominata ab Hæbreis. pag. 730. col. 2
Piscina quomodo distinguatur à fonte. pag. 731. col. 1
Piscina probatica, vbinam erat sita. pagina 729. col. 1
Piscinæ probaticæ descriptio continens multa scitu dignissima. p. 731. col. 1. & 2
Piscina probatica quonam tempore mouebatur. pag. 732. col. 1
Piscina quid typicè designarit. p. 732. col. 1. & 2
Piscina quoties in anno mota fuit. pag. 732. col. 1

Pœna.

Pœnæ nomen quid propriè significet. pag. 565. col. 1
Pœnæ nomen ex quonam fonte fluat. pag. 565. col. 1
Pœna monetam adulterantis, qualis erat. pag. 47. col. 2
Pœnæ quibus serui dyscoli castigantur. pag. 168. col. 1
Pœnæ quibus desertores milites obstringuntur. p. 172. col. 1
Pœnæ seruorum dæmonis & Mundi. pag. 168. col. 2
Pœna, & peccatum, res sunt indiuiduæ. p. 568. col. 2
Pœna quare reis olim indicta. pag. 319. col. 1
Pœna qualis indicta Monacho scandaloso. p. 486. col. 2
Pœnarum duplex genus describitur. pag. 319 col. 1
Pœnæ reis indictæ, vt ita mali à perpetrando crimine compescantur. p. 565. col. 1
Pœna talionis olim Hebræis indicta. pag. 568. col. 1
Pœna ignis transfugis indicta fuit. pagina 565. col. 2

Pœnitentia.

Pœnitentiæ vox quid propriè significet. pag. 673. col. 2
Pœnitentiæ nomen vnde deriuetur. pag. 19. col. 2
Pœnitentia indicta quare homini ingrata. pag. 19. col. 2
Pœnitentiam quare velit Deus fieri hilariter. p. 7. col. 1
Pœnitentiam debet homo à mœrore auspicari. pag. 19. col. 2
Pœnitentiæ exempla plurima describuntur. p. 21. col. 1
Pœnitentia ex quibus operibus maximè coalescat. pag. 23. col. 1
Pœnitentes olim publicè faciem obtegebant. pag. 24. col. 2
Pœnitentes cur faciem velabant. pag. 25. col. 1
Pœnitentia perfecta vehit satisfactionem. pag. 29. col. 2
Pœnitens quare debet tristitiæ signa deforis exhibere. pag. 29. col. 1
Pœnitentia quo fieri debeat apparatu. pag. 31. col. 1
Pœnitentium capita cinere aspergendi quando fuit vsus celebrior. pag. 31. col. 2
Pœnitentiæ & cineris societas probatur. pag. 31. col. 1
Pœnitentia dicitur magna intelligentia à Clemente Alexandrino. pag. 33. col. 2
Pœnitentia quibus partibus constare debet. p. 32. col. 2
Pœnitentes quare obstringuntur ad edenda suæ pœnitentiæ deforis argumenta. pagina 33. col. 1
Pœnitentiæ amaritudo quàm vtilis. pagina 35. col. 2
Pœnitentia fastidit omnem sæculi pompam. p. 36. col. 1
Pœnitentia sola paupertate diues. p. 36. col. 2
Pœnitentia Fabiolæ descripta à Hieronymo. p. 36. col. 1
Pœnitentia Thais ad quem gloriæ cumulum euexit eam. pag. 193. col. 1
Pœnitentia Mariæ Ægyptiacæ quàm austera. p. 209. col. 2
Pœnitentia neptis Abrahæ eremitæ. pagina 210. col. 1
Pœnitentes quomodo reciperentur ab Ecclesia. pag. 250. col. 1
Pœnitentia non est sita in renouata fide. pag. 250. col. 2
Pœnitentibus absolutionem Martyres conclusi carcere procurabant. ibid.
Pœnitentia omni momento vitæ valet. pag. 542. col. 1
Pœnitentem Deus expectat vsque ad mortem. ibid.
Pœnitentiæ quænam sint incunabula. pag. 622. col. 1
Pœnitentia detergit omnem animæ crassitiem. pag. 667. col. 1
Pœnitentiæ actibus cur sit mactanda caro. p. 666. col. 1
Pœnitentiæ effectus egregio symbolo describuntur. pag. 666. col. 2
Pœnitentiam esse sacramentum quomodo constet. pag. 671. col. 1
Pœnitentia petita, nemini deneganda. pag. 672. col. 2
Pœnitentiæ præclara encomia, ex Chrysost. p. 672. col. 1
Pœnitentię effectus singularis, ex Cypriano. p. 672. col. 2
Pœnitentem qua industria dæmon tentet. p. 672. col. 1
Pœnitentiæ efficaciam negauit Nouatus pag. 672. col. 2
Pœnitentiæ digni fructus quinam sint. pag. 676. col. 2
Pœnitentia Semei ponitur ad exemplum pag. 699. col. 1
Pœnitentiæ fructus qua ratione queant germinare in homine pœnitente. p. 676. col. 2
Pœnitens homo debet affectus noxios abdicare. p. 699. col. 2
Pœnitentia discipuli Ioannis Apostoli. pag. 701. col. 2
Pœnitentiæ describitur series exquisita. pag. 699. col. 2
Pœnitentia virtutes opponit vitiis adamatis. p. 700. col. 1
Pœnitentiæ amator opponitur noxiæ voluptati. pag. 702. col. 1
Pœnitentia debet vitæ reprobæ conuenire. p. 700. col. 1

Pœnitentia austeræ vitæ hominem obstringit. p.702.c.1
Pœnitentia omnia peccata delet. p.452.c.1
Pœnitentiâ spes æternæ gloriæ reparatur.pag.733. col.1
Pœnitentia delet peccata recidiuæ. pag. 752. col.2
Pœnitentiæ laudes ex Sanctis Patribus. pag.753. col.1
Pœnitentia est genus quoddam sacrificij.pag.733. col.2
Pœnitentia contraria contrariis opponit. pag.754. col.1
Pœnitentiæ nomenclatura pœnam sonat.pag.754. col.1
Pœnitentia integra quid exigit ab homine. p.754. col.2
Pœnitentia olim Dea nuncupata. pagina 754. col.1
Pœnitentia copiosis lacrymis irrigatur. pag. 754. col.2
Pœnitentia quare ingratum amarorem decernat homini pœnitenti. p.755.c.1

Polemon.

Polemonis adolescentis Gentilis conuersio.p.609. col.1
Polemonis conuersio non naturæ fuit, sed gratiæ cœlestis opus. p.609.c.2

Pontifex.

Pontificis nomen olim Cæsares ambierunt.p.273. col.2
Pontificis nomine se Gratianus Imperator humilis abdicauit. ibid.

Possessio.

Possessio iuris, & facti, quid sit ex iure. pag.165. col.2

Prædestinatio.

Prædestinationis variæ definitiones. pag. 518. col.2
Prædestinatio an pertineat magis ad intellectum, quàm ad voluntatem. p.519.c.1
Prædestinatio in Deo dicit scientiam, voluntatem, & potentiam. p.518.c.2
Prædestinatio quot modis sit causa gratiæ.pag.519. col.1
Prædestinationis effectus quinam sint. pag. 519. col.2
Prædestinatio quomodo sit causa vniuersalis, singularis, contingens, & necessaria. pag. 519. col.1
Prædestinatio non fit ex præuisis meritis.pag.520. col.1
Prędestinatio in executione petit bona opera.p.520. col.2
Prædestinatio an ponat aliquid in prædestinato. p.521.c.1
Prædestinationis ratio motiua in Deo quæ sit. p.523.c.2
Prædestinationis ratio motiua in Deo quidnam sit. p.523.c.1
Prædestinationis suæ causa non est homo. ibid.
Prædestinationis causa qua ratione queat homo dici. p.523.c.2
Prædestinationem non fieri ex præuisis meritis constat liquidis argumentis. pag. 525. col. 1. & 2
Prædestinationis causam meritoriam dari quid sit. p.523.c.2
Prædestinationis effectus sunt omnia bona opera hominis prædestinati. p.525.c.2
Prædestinatus homo, an possit damnari. pag.527. col.1
Prædestinatio quibusnam possit mediis adiuuari. ibid.
Prædestinationis ratio an detur ex parte Dei.p.527. col. 2
Prædestinationis & reprobationis differentia.p.541. col.1
Prædestinationis effectus sunt sibi inuicem causæ. ibid.

Præscientia.

Præscientia Dei non est causa damnationis. p.562. col.2

Princeps.

Principes Deo auctore instituuntur. pag. 387. col.2
Principes mali quare sæpe regnent, idque malè. ibid.
Principes iniqui regnant in mulctam populi delinquentis. ibid.

Propheta.

Propheta quot modis in Scriptura dicatur p.595. col.1

Purgatorium.

Purgatorium ex sacro codice demonstratur.p.677. c.1.& 2
Purgatorium cur dicatur herba fullonum, p. 677. col.2

Q

Quadragesima.

QVadragesima ieiunanda ex præcepto. p.126. col.1
Quadragesimæ initio cur legatur Euangelium vbi fit mentio orationis, eleemosynæ, & ieiunij. p.29.c.1
Quadragesimæ initio mos cinere aspergendi capita primò viguit in Gallia. p.31.c.2
Quadragesimæ tempore maximè à vitiis abstinendum. p.62.c.2
Quadragesimæ ieiunium olim quàm austerum. p.110.c.2
Quadragesimæ tempus olim quàm sanctum.p.111. col.2
Quadragesimæ violatores censurâ congruâ perstringuntur. ibid.
Quadragesimam quomodo impugnent hæretici. p.115.c.1
Quadragesimam quare velint tollere hæretici. p.114.c.2
Quadragesimam quo ritu quidam ieiunarint.p.119. col.2

Quadrage

Quadragesima à quo fuit instituta. pag. 117. col. 2
Quadragesima instituta in gratiam catechumenorum. p. 118. c. 1
Quadragesima decimas anni soluit Deo. pag. 117. col. 2
Quadragesima quare fiat certo tempore anni. p. 118. c. 1
Quadragesima est apparatus ad Pascha. pag. 117. col. 2
Quadragesima fit tempore congruo sanitati. p. 118. col. 1
Quadragesima discrimini occurrit dubiæ castitatis. p. 118. c. 2
Quadragesima est integra ieiunanda. pag. 119. col. 1
Quadragesimam commendant canones sancti. p. 118. c. 2
Quadragesimæ tempus olim venerationi fuit Imperatoribus Christianis. p. 119. c. 1
Quadragesimam quare dæmon tentat tollere. p. 119. col. 2
Quadragesimam non ieiunantes quibusnam pœnis obnoxij sint. p. 118. c. 2
Quadragesima quibus elogiis à Leone Pontifice Maximo celebretur. p. 119. c. 2
Quadragesimæ tempore sit Ecclesia vegetior. p. 120. col. 1
Quadragesima à Hieronymo contra gulæ mancipia validè propugnatur. p. 120. c. 2
Quadragesima orbe toto integra ieiunatur. p. 120. col. 1
Quadragesima idonea ad virtutum omnium praxim. p. 120. c. 2
Quadragesima benè præit Passioni Christi. p. 120. col. 2
Quadragesima quare tali numero celebretur. p. 120. col. 1
Quadragesimæ numero quid mysticè denotetur. p. 121. c. 1
Quadragesimæ numero, Euangelium & Decalogus optimè concluduntur. p. 120. c. 1
Quadragesimæ incurij, peccati nexibus obstringuntur. p. 121. c. 1
Quadragesimæ onus Ecclesia tota gerit. ibid.
Quadragesimam Christus ieiunio rigido consecrauit. ibid.
Quadragesima facit Christianos participes angustiarum Christi. p. 121. c. 2
Quadragesimæ auctor est ipse Deus. pag. 121. col. 1
Quadragesimæ tempore cur legeretur olim historia Iob. p. 125. c. 1
Quadragesimam voluere coli Imperatores. p. 125. col. 2
Quadragesima est præludium agonum Christi. p. 125. c. 1
Quadragesima à verè Christianis omnibus obseruatur. p. 125. c. 2
Quadragesimæ ieiunium præ aliis arctiùs obseruatum. ibid.
Quadragesimas tres cur induxit Montanus. p. 126. col. 1
Quadragesima tota quibus actibus insumenda. p. 126. c. 2
Quadragesima quo die aliàs inchoata. pag. 126. col. 1
Quadragesimæ tempore diutiùs est precibus insistendum. p. 125. c. 2
Quadragesimæ dies in quadraginta mansionibus filiorum Israël congruè designantur. pag. 126. col. 1
Quadragesimam ieiunabat Theodosius Imperator. p. 126. c. 2
Quadragesimæ formam exhibuit Christus. p. 126. col. 1
Quadragesima inuitat ad iniurias proximo condonandas. p. 505. c. 1

Quatuor Tempora.

Quatuor Temporum ieiunium à quo fuit institutum. p. 122. c. 1
Quatuor Temporum ieiunium quàm vtile. p. 122. col. 2
Quatuor Tempora Calixtus sanxit obseruanda. p. 121. c. 1
Quatuor Tempora instituta in gratiam ordinationis Clericorum. p. 122. c. 1
Quatuor Temporum ieiunium quare fuit anni tempestatibus singulis institutum. p. 121. c. 1

R

Recidiua.

Recidiua in morbis propriè quid sit. pag. 745. col. 2
Recidiuæ tres causæ à peritis rei medicæ recensentur. ibid.
Recidiua quare peior morbo ipso primo. ibid.
Recidiua in morbis quando metuenda. pag. 664. col. 2
Recidiuæ in morbis cur lethales. pagina 642. col. 2
Recidiua peccati, quàm malè hominem vexet. p. 745. c. 2
Recidiua peccati cur grauioribus pœnis homines obstringantur. p. 746. c. 2

Reconciliatio.

Reconciliatio hominis cum Deo penes tria est. p. 127. c. 2

Religio.

Religio vt dicit vitam monasticam quid sit. p. 487. col. 1
Religionis FF. Minorum encomia luculenta ex Concilio generali Viennensi. p. 484. c. 2
Religio quare nuncupetur status. pagina 487. col. 1
Religio est speculum humilitatis. pagina 498. col. 1
Religio ex Cæsareo iure facit seruos liberos. p. 487. col. 1
Religionum instituta varia aliquid habent in quo Apostolos imitantur. p. 501. c. 2

Religiosus.

Religiosi nomen vnde propriè deriuetur. pag. 477. col. 2
Religiosi quare fuerunt instituti, pag. 501. col. 1
Religiosi vnde suam sumpserunt originem. p. 500. col. 1

Religio

Religiosorum olim quanta fuit obedientia. p.498. col.2
Religiosorum vita qualis æuo Apostolorum. p.499. col.1
Religiosorum concordia quanta fuerit. pag. 498. col.1
Religiosi sunt fidei propugnatores. pag. 505. col.2
Religiosa vita imago Christi. p.504.c.2
Religiosi quomodo sint saluatores Mundi. p.503. col.1
Religiosos persecuti sunt omnes hæretici. pag.474. col.1
Religiosi faciunt vt diaboli ditio minuatur. p.473. col.2
Religiosus status à plurimis imperitis, etiam Catholicis, sed dyscolis. p.442.c.2
Religiosi in communi possunt habere bona. p.469. col.1
Religiosæ domus non alienanda bona. pag. 470. col.1
Religiosos quare multi lacessant. pagina 473. col.1
Religiosos suos Augustinus voluit habere bona communia. p.470.c.1
Religiosa vita quare diabolis odiosa. pag. 473. col.2
Religiosi sunt pugiles maximè generosi. pag.474. col.1
Religiosi prælucent aliis hominibus. pag. 475. col.2
Religiosam vitam profiteri potest homo, suo etiam inuito patre. p.475.c.1
Religiosi ordines cur varij sint. pagina 501. col.1
Religiosi nequando fiant, aliqui parentes obstant, sed hi pœnis grauibus obstringuntur. pag.475. col.2
Religiosi quando non possint fieri inuito patre. p.475.c.1
Religiosos filios à proposito auertentes à Bernardo duriùs obiurgantur. p.476.c.2
Religioso filio importuna mater ne resistat. p.476. col.1
Religiosos habere Reipublicæ interest. pag.477. col.1
Religiosæ vitæ professio cur dicatur status perfectionis acquirendæ. ibid.
Religiosos filios auertentes sunt crudeles. p.476. col.2
Religiosos filios auertentes non sunt audiendi. p.476.c.1
Religiosus non tenetur obedire patri suadenti exitum è claustro. p.476.c.2
Reliosorum charitas quænam sit. pag. 477. col.2
Religiosi in Abel congruè figurantur. pag. 478. col.2
Religiosi status encomia ex Cypriano. pag. 479. col.1
Religiosi cor suum Deo consecrant. pag. 478. col.2
Religiosi status quàm eminens perfectio. pag.479. col.1
Religiosi quare Mundo renuntiant. pag. 478. col.2
Religioso terrena omnia sordescunt. pag. 479. col.1
Religiosus obices ad perfectionem arcet. pag.479. col.2
Religiosis attributa nomina sanctitatis. pag. 480 col.1
Religiosus status quare sæcularium statum multis titulis antecedit. p.479.c.2
Religiosi elegans descriptio, ex Athanasio. p.480. col.1
Religiosi ex hoc æuo quàm beati sint præ aliis. ibid.
Religiosi cur sint beati in hoc sæculo. pag. 480. col.2
Religiosi nomen non affligitur homini sæculari estò viuat moribus illibatis. p.479.c.2
Religiosi nihil nisi sanctum spirant. pag. 480. col.1
Religiosorum claustra fores referant paradisi. p.480.c.2
Religiosus quinam congruè nominetur. pag. 481. col.1
Religiosus verè dici potest Philosophus. pag.482. col.1
Religiosus tantùm cœlo intentus. pagina 481. col.1
Religiosi sunt reuerà sapientes. pagina 482. col.2
Religiosi quare plerique fiant. pagina 482. col.1
Religiosi cauent ne sæculi laqueis impleantur. p.483.c.2
Religiosi status præcipuum intentum. pag. 482. col.2
Religiosi perfectio in quo cardine vertatur. p.483. col.2
Religiosi status eximiæ laudes. pagina 484. col.2
Religiosa vita concludit omnes Philosophiæ partes. p.484.c.1
Religiosi habitus quid significet, ex Gregorio. p.484.c.2
Religiosis non est noxiè detrahendum. pag. 485. col.2
Religiosus status dictus Angelicus ordo in Concilio Foroiuliensi. p.485.c.1
Religiosi status descriptio ex Chrysost. pag. 486. col.1
Religiosi sanctiores aliis hominibus. pag. 485. col.2
Religiosa vita refert statum innocentiæ. pag. 486. col.1
Religiosi pugna nescia feriarum. pagina 485. col.2
Religiosi exercitia quænam sint. pagina 486. col.1
Religiosus status est virtutum praxis. pag. 485. col. 2
Religiosa vita claris encomiis à Iustiniano Cæsare prædicatur. p.486.c.1
Religiosum statum possunt clerici profiteri. p.485. col.2
Religiosa vita cur laudata à Iustiniano. pag. 486. col.1
Religiosi quàm vtiles Reipublicæ. pag. 486. col.2
Religiosæ vitæ elegans encomium. pag. 487. col.1
Religiosus status à Prælatis optatus. pag. 487. col.2
Religiosus status securior Pontificatu. pag. 488. col.1
Religiosi status relaxatio deploratur. pag. 488 col.1

Religiosi in quibus subditi sunt Episcopis. p.489. col.1
Religiosi homines Angelis adæquati. pagina 488. col.2
Religiosis in quo curati sunt digniores. pag. 489. col. 1
Religiosæ vitæ securitas magna. pagina 488. col. 2
Religiosam vitam possunt profiteri curati. p.489. col.2
Religiosi & sæcularis quænam differentia. p.490. col.1
Religiosus est holocaustum & quare. pagina 489. col.2
Religiosus vt benè sibi conscius placidè moritur. p.490. c.1
Religiosi status securior statu curatorum. p.489. col.2
Religiosus status est professio medica. pag. 490. col.1
Religiosa vita est speculatiua & practica. ibid.
Religiosi mens qualis sit ex Chrysost. pag. 491. col.2
Religiosi quantùm cæteris emineant. pag. 491. col. 2
Religiosa vita quantùm præstantior medicina. p.491.c.1
Religiosi gaudent consortio Angelorum. p. 491. col. 2
Religiosi vocati ad curam animarum. pag. 492. col.1
Religiosos hortatur Gregorius vt studeant saluti animarum. p.492.c.2
Religiosis assignata ecclesiastica stipendia ob curam animarum, cui incumbunt. p.492.c.1
Religiosi olim vocati medici. p.493.c.2
Religiosi quare facti Pontifices. p.493.c.1
Religiosi quam medicinalem artem profiteantur in gratiam animarum. p.493.c.2
Religiosa vita genus est martyrij. p.494.c.2
Religiosus caueat à nimia obseruantia regularum medicinæ. p.494.c.2
Religiosa vita quasi alter Baptismus. pagina 494. col.1
Religiosus non viuit ex præscripto Hippocratis. p.494.c.2
Religiosæ domus & Paradisi comparatio. p.494. col.1
Religiosa vita confert ad salutem corporis & animæ. p.494.c.2
Religiosæ vitæ laudes ex Bernardo. pagina 495. col.1
Religiosi & Rex Saül in quo conueniant. p.494. col.2
Religiosa vita quos effectus in anima sortiatur. p.495.c.1
Religiosâ vitâ mediante, Dei imago expuncta, reo in homine, reformatur. pagina 494. col.1
Religiosa vita, piæ est animæ salutaris. pag. 495. col.1
Religiosæ vitæ obsequio crimina relaxantur. pag. 495.c.2
Religiosus à Deo electus ad gloriam. pag.494. col.2
Religiosa vita in quo præstantior medicina. pag. 495.col.2
Religiosi fuere viri apud Hebræos. pagina 496. col.1
Religiosa vita vacat praxi omnium virtutum. pag. 495. c.2
Religiosæ vitæ quamdam speciem professi sunt Esseni, Asidæi, & Cedmonæi. pagina 496. col.1
Religiosæ vitæ Duces quales fuere. pagina 497. col.2
Religiosè vitam transegere viri quidam dicti Cinæi, Enossæi, & Cenezæi. pag.496.c.2. p.497. col.1. & 2
Religiosorum antiquum est institutum. pag.496. col.1
Religiosorum victus & exercitia à Hieronymo congruè describuntur. p.497.c.2
Religiosorum tres species olim apud Hebræos viguisse dicit Iosephus. p.499.c.2
Religiosorum sanctitas à S. Hieronymo descripta. p.498. c.1
Religiosorum austeritas tempore Basilij. pag.498. col.2
Religiosam vitam quare professus Basilius. p.498. col.1
Religiosi vtiles scriptis, ore, & exemplo. p. 499. col.1

Reprobatio.

Reprobatio propriè quidnam sit. pagina 540. col.1
Reprobatio quatuor habet attendenda. p. 541. col.1
Reprobatio vna negatiua, alia positiua. p. 541. col.2
Reprobationis negatiuæ nulla potest ratio ex parte hominum assignari. p.541.c.2
Reprobationis positiuæ ex parte hominum causa est peccatum à Deo præuisum. ibid.
Reprobationis causa est peccatum finale à Deo præuisum. p.542.c.1

Reprobi.

Reprobi sunt artifices damnationis suæ. p. 543. col.1
Reprobi quibus gradibus damnationem incurrant. pag.543. c.1
Reprobi quare maledicti à iudice nuncupantur. p.543.c.2
Reprobi Deum noxiis actibus inhonorant. p.544. col. 1
Reprobos qua ratione Deus deserat. pagina 545. col.1
Reproborum peccatis dæmones honorantur. pag. 544. c.1
Reprobi qua ratione nequam animus induretur. p.545.c.1
Reprobi ex operibus, & non ex præuisione Dei à Christo Domino damnabuntur. pagina 544. col.1
Reproborum peccata non sunt in Deum vt auctorem refundenda. p.544 c.2
Reproborum supplicium tria habet spectanda. p.548.c.2
Reproborum pestilens est amicitia. p.557.c.2
Reprobi abutuntur Scriptura, suis vt vitiis patrocinium quærant. p.19.c.1
Reprobi quare nolint de perpetrato crimine contristari. ibid.
Reprobi quare hœdi à Christo iudice nuncupentur. p.517.c.1

Reproborum anni sunt vacui. pagina 742. col. 1
Reproborum anni nusquam in sacro codice recensentur. ibid.

Rex.

Rex Christus erit omnium hominum in die iudicij, sed non caput. p.518.c.2
Regis nomen latiùs patet, quàm capitis. pag.518. col. 1
Regum palatia sunt asyla reis. p 613.c.2

Rigor.

Rigor in febribus quidnam sit. p.554.c.2

Roma.

Roma caput Mundi ratione Sedis Apostolicæ. p.266.c.1
Romæ priuilegium singulare concessum ab Honorio & Theodosio Imperatoribus. pag.613. col. 1
Româ expulit vnguentarios Iulius Cæsar. pag.7. col. 1
Româ Christiana illustrior seipsa Gentili. p.196. col. 1
Romam quo astu Romulus ædificauit. pag. 195. col. 2
Romani quomodo luctum publicum exprimebant. p.22.c.1
Romanæ Ecclesiæ dignitas quanta sit. pag. 265. col. 1
Romanæ Ecclesiæ dogmata non sunt noua.p.265. col. 2
Romana Ecclesia quàm latè pateat. pagina 264. col. 1
Romanæ Ecclesiæ partes sequendas esse Vincentius Lirinensis astruit eruditè. pagina 264. col. 2
Romana Ecclesia legitima sponsa Christi. p.264. col. 1
Romana Ecclesia princeps aliarum Ecclesiarum. p.266.c.2
Romanæ Ecclesiæ iudicium expectandum in rebus fidei. p.267.c.1
Romana Ecclesia omnes alias instituit, vt præclaro canone liquet. p.266.c.2
Romana Ecclesia vnde sibi reuerentiam conciliet. p.268.c.1
Romanæ Ecclesiæ sanctitas adumbrata. pag.275. col. 2
Romanæ Ecclesiæ dignitatem non ferentes hæretici, in Concilio generali finxere manus ei dare. p.278.c.2
Romanæ Ecclesiæ quanta sit auctoritas. pag. 274. col. 1
Romanæ Ecclesiæ sanctitas vnde fluat. pag. 275. col. 1
Romana Ecclesia est næuorum impatiens. p.275. col 2
Romanæ Ecclesiæ singulare priuilegium. p. 276. col. 1
Romana Ecclesia refugium oppressorum. p.276. col. 2
Romana Ecclesia vtroque iure commendata. pag. 276.c.1
Romana Ecclesia vera, ex Cypriano. pagina 279. col. 1
Romanæ Ecclesiæ Hieronymus exemplo suo docuit adhærendum. p.279.c.2
Romana Ecclesia à Petro fuit initiata. pagina 278. col. 2
Romana Ecclesia securus est portus. pagina 279. col. 1
Romana Ecclesia commendata à Tertulliano. pag. 281.c.2

S

Sacerdos.

Sacerdotes quomodo animas sanctificent. pag. 584.col.1
Sacerdotes non connotant sanctificatas, sed reuerà sanctificant animas, absoluendo. pagina 586. col. 1. & 2
Sacerdos vnà cum sacramento sanctificat animas instrumentaliter. p.587.c.2
Sacerdotum cathedræ euersæ quid denotetur. pag. 600.col.2
Sacerdotum cathedræ euersæ, quare dicantur cathedræ seniorum. p.601.c.1
Sacerdotes quare potiùs vendiderint columbas, quàm oues & boues. p.600.c.2
Sacerdotum industria vt de sacris aliquid proprio commodo reseruarent. ibid.

Sacra.

Sacra Eleusyna quare aliàs instituta. pagina 355. col. 1
Sacra antiqua plurium nationum. pagina 354. col. 1
Sacra qualem exigant ab homine puritatem. p.355. col. 1

Sacramentum.

Sacramentum propriè quid significet. pag. 583. col. 2
Sacramentorum vsus quàm sit necessarius. p.344. col. 1

Sacrificium.

Sacrificium quid propriè significet. pagina 272. col. 2
Sacrificium vnum est laudis, alterum verò boni operis ad Dei gloriam exantlati. p.537.c.2

Sanctitas.

Sanctitas quid propriè significet. p.272.c.2
Sanctitas quomodo pertineat ad solam Romanam Ecclesiam. p.273.c.1

Sanctorum cultus.

Sanctorum cultus non est idololatria. pagina 718. col 2
Sanctorum cultus ad Deum præcipuè refertur. p.719.c.1
Sanctorum inuocatio in primis Ecclesiæ sæculis visitata. p.723.c.1
Sanctos intercessores Deus præcipit adhibere. pag. 719. c.2
Sancti viuentes adhibiti patroni apud Deum. pag. 720.c.1

Sancti

Sancti adiuuant prædestinationem in ex[e]cutione. pag.719.c.2
Sanctorum inuocatio quàm sit vtilis. pag. 720. col.1
Sanctorum merita recensita ab Hebræis ante Deum, vt ille votis eorum annueret. pag.719. col.2
Sanctorum inuocatio in synodis vsitata. pag.721. col.1
Sanctorum inuocatio cœlitus approbata. pag.721. col.2
Sancti sunt firma Ecclesiæ præsidia. pagina 721. col.1
Sanctorum intercessio congruit statui beatorum. pag.721. c.2
Sanctos orare pro nobis, ait Hieronymus. p.724. col.1
Sanctorum inuocatio non est Deo iniuria. p.724. col. 2
Sancti in gloria ampliora habent priuilegia, quàm cùm viuerent. p.724.c.1
Sanctorum charitas porrigitur ad salutem animarum fusis precibus astruendam. pagina 724. col.2

Sanitas.

Sanitas redux quando suspecta medico videatur. pag. 664.c.2
Sanitas corporeæ saluti animæ comparata. p.562. col.2

Satisfactio.

Satisfactio & restitutio quomodo differant.p.676. col.1
Satisfactio duplex congruè recensetur. pag. 676. col.1
Satisfactio quare Deo debeat fieri. pagina 32. col.2
Satisfactio cur sit necessaria ad salutem. pag.678. col.2
Satisfactio superiori quomodo debeat fieri ab inferiori. p.32.c.2
Satisfactionem includit pœnitentia. pagina 32. col.2

Scientia.

Scientia in Christo triplex describitur. pag. 145. col.2
Scientia habitualis, & experimentalis quomodo distinguantur. p.147.c.1
Scientia creata & increata in Christo. pag. 146. col.2
Scientiæ cupido fuit stimulus hominibus ad inquisitionem abditæ veritatis p.321.c.2

Scriptura Sacra.

Scripturæ sacræ obsequio potest homo feros dæmonum impetus eluctari. p.391.c.2
Scriptura sacra potens est in dæmones armatura. pag.391.c.1
Scripturæ sacræ voces diabolus vsurpauit. p.391. col.2
Scriptura sacra teri debet ab homine Christiano. pag. 391.c.2

Scythæ.

Scythæ suo Rege extincto qua ratione suum mœrorem publicè testabantur. pagina 22. col.1
Scythæ sacros esse montes facilè crediderunt. pag. 196.col.2

Sensus.

Sensibus inuigilandum, vt cordi consulatur. p.87. col.2
Sensuum libertas vt cordi noxia deploranda. pag. 88.col.2
Sensuum incuria lethalis est animæ. pagina 87. col.2

Sertorius.

Sertorius puluere congesto cepit arcem quam frustra hactenus oppugnarat. pagina 43. col, 1. & 2

Serui.

Seruis olim vetitum nutrire comam. pagina 169. col. 1
Seruis olim in facie inusta nota ingloria. p. 168. col.1
Serui Mundi, canibus adæquati. pagina 168. col. 2
Serui peccati quo nomine nuncupati. pagina 169. col.1
Serui Mundi, pœnâ congruâ castigantur. pag.168. col.2
Seruorum pœnæ quales olim erant. pagina 168. col.1
Seruorum Dei & diaboli discolor est sors. p.169. col.1
Serui transfugæ quomodo plectebantur. pag.169. col.2
Serui ingloriè habiti Syracusis. pagina 169. col.1
Seruis olim vetitum vti calceis & ingenua veste. ibid.
Serui quinam damnati ad metalla. pagina 170. col.1
Serui Persarum æternis vinculis alligati. pag. 170. col.2
Serui quinam furciferi nuncupati. pagina 170. col.1
Serui dicti Ilotæ rebelles quomodo fuere suis à dominis castigati. p.170.c.2
Serui quinam ad pistrinum meritò relegati. pag. 170. col.1
Serui à Deo fugitiui misera sors. pagina 171. col.2
Serui Elæ Regis quare illum occiderunt. p. 172. col.2
Serui peccati, locustarum symbolo designantur. pag.174.c.1
Serui peccati quàm miseri sint. p.171.c.2
Serui sunt reprobi, estò claris infulis illustrentur. pag.174. c.2
Seruorum peccati durum seruitutem esse docet Ambrosius. p.175.c.1
Seruus qua ratione fiat homo reus. pagina 176. col. 1
Serui peccati meritò flagellantur. pagina 177. col.1

Serui Principum multis gratiis gaudent. pag.187. col.2

Serui rebellarunt in vrbe Tyro. p.213.c.2

Seruos Dei dedecet vitio deseruire. pagina 187. col.2

Serui Stratonem sibi Principem elegerunt. p.213. col.2

Seruos alienos lædere vetuit Alexander. pag.304. col.2

Seruus quidam qua industria Rex electus. p.205. col.2

Serui ex iure fiunt tribus modis. pagina 339. col.2

Serui dici possunt omnes homines. pagina 341. col.2

Serui vnde suum hoc nomen acceperunt. p.339. col.2

Seruis imponere nomen, ad dominos attinebat. p.340.c.2

Seruus propriè nemo nascitur. pagina 346. col. 2

Serui diaboli quinam sint. p.340.c.2

Seruis militare non est concessum. pagina 399. col.2

Seruire iustitiæ quàm gloriosum. pagina 340. col.2

Seruos licet repetere ex castris si sint transfugæ. p.399.c.2

Serui Deo vtiles quinam sint. pagina 445. col.2

Seruum esse Deo inutilem quid sit. pagina 445. col.1

Seruus factus Religiosus, eo ipso liber est. p.487. col.1

Seruis olim fuere data nomina dominorum. pag. 536. col.2

Seruitus.

Seruitus peccati quàm sit inglorìa. pagina 341. col.1

Seruitus filiorum Dei gloriosa. pagina 341. col.2

Seruitute mulctati liberti ingrati. pagina 341. col.1

Seruitus Christi est homini gratiosa. pag. 177. col.2

Seruitutem peccati qua ratione possit homo facilè declinare. p.176.c.2

Seruitus sub Christo Domino pretiosa. pag. 341. col.1

Seruitus duplex est, & quænam. pagina 175. col.2

Seruitus nequit cadere in hominem iustum. p.175. col.1

Seruitus peccati graphicè lineatur. pagina 176. col.1

Seruitus peccati deterior indole bestiarum. p.176. col.2

Sidon.

Sidon vrbs à quo condita sit. p.680.c.1

Sidonij quale Numen aliàs adorarunt. pag. 681. col.2

Sidone fuit orta nequam Regina Iezabel. p.[illegible]1. col.1

Sidon à quo fuit solo penitus adæquata. ibidem

Signum.

Signum quale à Christo Iudæi perfidi quæsierunt. pag.635.c.2.p.638.c.1

Signa edita à Christo, ad salutem animæ pertinebant. p.640.c.1

Signum de cœlo quare Iudæis non dederit Christus. p.638.c.1

Signa petunt Iudæi conuicti à Christo. pag.638. col.2

Signo petito de cœlo à Christo, quid Iudæi perfidi prætendebant. p.638.c.2

Signum illud petitum nota fuit perfidæ indolis Hebræorum. p.638.c.1

Signis assignatis à Prophetis, Christus Dominus innotescit. p.639.c.1

Signum Ionæ datum Iudæis ad eorum fidem dubiam astruendam. p.639.c.2

Signa à Deo quando tutè peti possint. pag. 638. col.2

Signa de cœlo ter edita in gratiam Christi. p.639. col.1

Signum Ionæ fuit tessera misericordiæ. pag. 640. col.1

Signum Ionæ prophetæ nequam Iudæi voluere penitus abolere. p.642.c.1

Signa de cœlo quænam à Deo petenda. pag.665. col.2

Solitudo.

Solitudo locus est aptus ad conciliandum Deum. pag.403.c.2

Solitudinis gratia cautè est tenenda. pagina 404. col.1

Solitudine Hieronymus curauit plagas quibus olim incautè fuit à sæculo sauciatus. pag. 403. col.2

Solitudinis egregia commoda describuntur. pag. 404.col.1

Solitudo animæ penes vnumquemque sita. p.404. col. 2

Solitudo Democriti, Hippocratis scripto diuite commendata. p.405.c.1

Solitudo ferax est gratiarum. pagina 404. col.2

Solitudo, Dei visiones vni Prophetæ seorsim posito procurauit. p.405.c.2

Solitudinem S. Fiacrius prætulit regno. pag.405. col.2

Solitudo nomen magnum Pythagoræ fecit. p.405. col.1

Solitudo est antidotum sæculi virulenti. pag.406. col.1

Solitudinem Sigismundus Rex Poloniæ prætulit regno. p.405.c.2

Solitudo est virtutum omnium officina. pag.406. col.1

Solitudinem prætulit Imperio Michaël Curopalates Imperator. p.405.c.1

Solitudinis elogia plurima recensentur. pag.405. col.2

Solitudinis commoda nequeunt concipere homines huic sæculo mancipati. p.407.c.2

Solitudo defæcat animas à sordibus, quas ex colluuie sæculi contraxerunt. pagina 405. col.2

Solitudo quónam euehat homines, pagina 406. col.2

Solitariis hominibus adest Deus. pagina 407. col. 2
Solitudo vbique viro sapienti. p.408.c.1
Solitudo idonea ad fruendum Deo. pagina 408. col.2
Solitudo animæ, præferenda corporali. pag. 408. col.1
Solitudo mentalis præcipuè à Deo attenditur. pag. 408. col.2
Solitudo corporalis ei ingrata est, qui caret solitudine mentali. p.409.c.1
Solitudo, Dei colloquia Moysi procurauit. p.408. col. 2
Solitudo interna propriè quid sit. pagina 409. col.1
Solitudo interna quanti sit ponderis & momenti. ibid.
Solitudo quædam à viris tumidis affectatur. ibid.

Speculum.

Specula Pythagoræ fuere mira. p.195.c.1

Spes.

Spes affixa rebus huius sæculi confundit homines imprudentes. p.705.c.2
Spes vt est virtus Theologalis, indiuiduo nexu fidei sociatur. p.237.c.2
Spem in Deo collocandam admonet Augustinus. ibid.
Spem suam iusti non collocant infra Deum. pag. 706. col. 1
Spes non stipata fide & charitate nihil omnino potest ad salutem animæ procurandam. pag. 706. col. 2
Spes exigit bona opera ab homine Christiano. pag. 706. col. 1

Statio.

Statio, oratio, & ieiunium quomodo distinguantur. p.123.c.1
Stationes olim aliquæ fuere sine ieiunio communi celebratæ. ibid.

Statua.

Statuæ Imperatorum ad eas confugienti fuere reo homini salutares. p.195.c.2

Status.

Status apud iurisperitos est conditio personæ. pag. 487. col. 1
Status Episcopi, & Religiosi comparatio. p. 487. col.2
Status cur dicatur vita Religiosa. pagina 487. col. 1
Statum Religiosum securiorem esse Pontificatu Gregorius Magnus ait. p.488.c.1

Stigmata.

Stigmata brachiis inusta quænam fuere notæ. pag. 538. col. 2

Superbia.

Superbia Pharaonis & Nabuchodonosor humiliata. p.165.c.1

Supplicium.

Supplicium quid sit ex iure ciuili. pagina 548. col. 1
Supplicium, & pœna quomodo distinguantur. p. 548. c. 2

Sybaritæ.

Sybaritarum luxus olim immodicus. pagina 576. col. 1

Synagoga.

Synagogæ nomen quid significet. pagina 153. col. 2
Synagogæ, & Ecclesiæ differentia quæ sit. p.144. col. 1
Synagogæ dotes cesserunt Ecclesiæ. pagina 155. col. 1
Synagoga in quam miseriam deuenerit. ibidem
Synagogæ fides nunquam excidit. pagina 691. col. 2
Synagoga pessimè habebat quando venit ad eam Christus. p.691.c.1
Synagogæ peccatum præcipuum, superbia. p.691. col. 2

Synderesis

Synderesis elegans descriptio, ex Hieronymo, pag. 569. col.2
Synderesis garrulis est vocibus importuna. p.28. col. 1
Synderesis molestiæ sunt acerbæ reo. pagina 174. col. 1
Synderesim deponere nemo potest. pagina 569. col. 2
Synderesis descriptio, ex Chrysostomo. ibidem
Synderesis comparata gallo gallinaceo. pag. 612. col. 1
Synderesis stimulis iusti minimè cruciantur. ibidem

Syria.

Syria olim dicta fuit Aram. p.683.c.2
Syriæ totius descriptio, digna scitu, & tenenda ab historico sacro. ibid.

T

Templum.

Templum Dei quomodo sacerdotes in speluncam latronum impiè commutarint. pagina 599. c.1
Templum Salomonis graphicè figuratum. p.598. col. 1
Templum Herculis Conopæi quid præ aliis habuit singulare. p.197.c.2
Templum Iani quàm superbum fuerit, Virgilius explicat eleganter. p.399.c.2

Templa idolorum Theodosius Imperator euertit pag.401. c.2
Templo Eleusyno tria præcepta fuere inscripta, quorum tenorem habes. pagina 413. col.1

Tentatio.

Tentare quid propriè significat. p.379.c.1
Tentatur homo multimodè, sicut Bernardus admonet eruditè. p.88.c.1
Tentationibus obnoxia est omnis ætas. pag. 88. col.2
Tentationes diaboli quibus artibus eludantur.pag. 88.col.1
Tentationibus anima redditur illustrior. pag.367. col.2
Tentationes hominem obstringunt ad vigiles excubias. p.368.c.1
Tentare sonat idem aliquando,ac corrumpere.pag. 379. col.1
Tentationes eos præcipuè probant, quos dæmon virtute videt alis eminere p.378.c.1
Tentationes non sunt reprobi hominis argumenta. p.378.c.2
Tentatio interna ab externa quomodo distinguatur. p.380.c.2
Tentatio tribus modis animam sollicitat. pag.382. col.1
Tentationes subiit Christus, quas sensit Adam. p.382. c.2
Tentari homines quare Deus permisit. pag.393. col.1
Tentatus olim Adam tripliciter. pagina 382. col.2
Tentauit diabolus Christum, suggerendo vt lapides in panem verbo edito commutaret. p.382. col.1
Tentationis caput est cito citius elidendum.p.391. col.1
Tentatione supra vires nunquam homines impetuntur. ibid.
Tentationi multiplici hominum vita patet. p.393. col.1
Tentatis adest Deus, gratias largiens opportunas. p.393.c.2
Tentationibus est obnoxia prosperitas. pag. 393. col.1
Tentationes obscœnæ quare animum pulsent.pag. 393.col.2
Tentationes vtiles sunt hominibus. pagina 393. col.1
Tentatur homo,sui vt nihili conscius,deponat animi fastum, quo turgidus intumescit. pag.393. col.2
Tentationi quare homines exponantur. pag.392. col.2
Tentationes æquo debent animo tolerari. Vide locum egregium Bernardi similis argumenti. pag.394. c.2
Tentationi quinam homines acquiescant.pag.396. col.2
Tentationi quibusnam artibus occurrendum. pag. 397. col 2
Tentationi ne succumbat homo, petit à Deo oratio Dominica. p.610.c.1

Terra

Terra quid significet in Scriptura Sacra. pag. 12. col.1

Thesaurus.

Thesaurus quid propriè significet. pagina 10. col.2
Thesauros suos quando Turca aperiat. pagina 5. col.2
Thesaurizandum esse alibi quàm in terra, benè consulit Christus validis argumentis. pag.10. col.2
Thesaurus animæ esse debet,placere Deo.pag.11. col.1
Thesaurus & cor res sunt concolores. pagina 13. col.2
Thesauri vox quid nobis insinuet. pagina 11. col.1
Thesauros vbi congregare debet homo. pag.12. col.2
Thesaurizantes in terra sibi consulunt imprudenter. p.12.c.1
Thesauros in terra defodere quid sit. pagina 13. col.2
Thesaurus est quicquid homini summè placet. ibid.
Thesauri quales sint à Christo Domino condemnati. ibid.
Thesaurizantes in terra,cœlis iniurij sunt. pag.14. col.1
Thesauris huius sæculi cur non debent anheli homines inhiare. p.15.c.2
Thesauris incubantes,opum sunt vilia mancipia,& non liberi possessores. ibid.
Thesauro effosso dato hosti, Hircanus Ierusalem obsessam prouidè liberauit. p.15.c.2
Thesauri ab Hebræis olim in hominum defunctorum tumulis abdebantur. p.41.c.2
Thesauri custodia secura, curis est anxiis importuna. p.71.c.1
Thesauros amans in quæ discrimina incurrat. pag. 15.col.2
Thesauros in terra non congregare debet homo suæ animæ consulturus. p.73.c.1
Thesauris congregandis, terra locus incongruus est. p.73.c.2
Thesaurizare in terra quare nemo debet. pag.73. col.1
Thesaurizans in terra, in alieno solo gazas construit imprudenter. ibid.
Thesaurus olim à dæmone custoditus. pag. 77. col.1
Thesauros olim abditos in sepulchris fuisse, nobis ex historiis variis innotescit. p.77.c.2
Thesauris instruendis cœlum est locus maximè opportunus. p.78.c.1
Thesauris abscondendis olim idonea loca fuere sedulò conquisita. p.78.c.2
Thesauri in templis olim fuere sicut in loco tuto & congruo collocata. p.79.c.1
Thesauri reconditi in rupibus inaccessis. pag. 78. col.2
Thesauros vbi absconderit Rex Decebalus, cuius vide industriam hactenus inauditam. pag. 79. col.1
Thesauri esse tuti nequeunt in hoc sæculo prauo, furi peruio deprædanti. p.79.c.2
Thesauros in cœlo parat eleemosyna. pagina 80. col. 2
Thesauri quàm industriè ab homine recondendi. pag.79.c.2

Tiberius.

Tiberij Imperatoris Christiani eleemosynæ fuere quasi immensæ, p.81.c.1

Tiberij Imperatoris eleemosynæ copiosæ gazas auro fœtas ei in hoc etiam[que] sæculo pepererunt. ibid.

Tiberius Cæsar Præsides in Iudæam misit, ne in Romanos hæc regio rebellaret. p.141.c.2

Timor.

Timor iudiciorum Dei ex Sanctis Patribus est valde animæ salutaris. p.581.c.1.& 2

Timor Dei inesse debet homini. p.200.c.1

Timor Dei altè insitus, animam facit cautiorem. ibid.

Traditiones.

Traditiones Ecclesiæ ab Apostolis ortum habent, & vsque ad hæc tempora perseuerant.pag.273. col.2

Tristitia.

Tristitia quid propriè significet. p.28.c.2

Tristitia de peccato maximè commendatur. p. 19. col.2

Tristitia de peccato genus est antidoti perceptæ delinquendo noxiæ voluptatis. p.20.c.1

Tristitia de peccato Deum flectit ad veniam indulgendam homini pœnitenti. p.19.c.2

Tristitia de peccato luit pœnas lætitiæ, qua perfusa fuit anima sensibus indulgendo. p.20.c.1

Tristitiam variis modis veteres exprimebant.p.22. col.1

Tristitia quomodo induat rationem boni & mali, liquidò demonstratur. p.28.c.2

Tyrus.

Tyrus olim vrbs famosa fuit orbe toto. p.680.c.1

Tyrus non procul à Iudæis erat. ibid.

Tyri fundator quisnam extiterit. p.80.c.2

Tyrum mercatores vndequaque ob exquisitam purpuram appulerunt. ibid.

Tyrus est vrbs metropolis Phœniciæ. p.680.c.1

Tyrij Carthaginem in Africa condiderunt. p.680. col.2

Tyrij quamplurimi Martyres extiterunt. pag.681. col.1

Tyriorum Dij quales aliàs adorati. p.680.c.2

Tyrum Nabuchodosor funditus euertit. pag.681. col.1

Tyrij cum Iudæis æterna fœdera contraxerunt. p.680.c.2

Tyrios cum inuisit Christus, cá quidnam gratiâ designarit. p.682.c.1

V

Vana gloria.

VAna gloria quidnam propriè sit. p.44.c 2

Vana gloria quanam sit cautela probo ab homine fugienda. p.6.c.1

Vanam gloriam superare, vires excedens hominis est facinus operosum. p.7.c 2

Vanæ gloriæ fuga, verâ gloriâ compensatur. p.8. col.1

Vanâ gloriâ non percelli, res est imò rara gratia perfectorum. p.8.c.2

Vanæ gloriæ lucta cum homine difficilis. ibid.

Vana gloria virtutum merita deprædatur. p.9.c.1

Vana gloria tantùm satagit astantium hominum oculis arridere. ibid.

Vana gloria labilis & inconstans. p.9.c.2

Vanæ gloriæ affluentes opes nimiæ suffragantur. p.11.c.2

Vanæ gloriæ cupido bonis est actibus inimica.p.10. col.1

Vana gloria quàm sit corruptioni obnoxia. p. 11. col.1

Vanæ gloriæ splendore homines excæcantur.p.12. col.1

Vana gloria quàm sit animæ virulenta. pag.44. col.2

Vanæ gloriæ insidiis omnia perpetrata bona suo merito defraudantur. p.45.c.2

Vanæ gloriæ pernicies congruè demonstratur. p.46.c.1

Vanæ gloriæ cupidus homo demens est. p.45.c.2

Vanæ gloriæ dispendia Chrysostomus egregiè describit. p.46.c.1

Vana gloria quomodo à vera gloria differat. p.46. col.2

Vanæ gloriæ pestilens aura necat eos qui illa afflantur. p.45.c.2

Vanæ gloriæ epithetum singulare. p 46.c.2

Vanæ gloriæ cupido facit homines contemptibiles. p.46.c.1

Vanam gloriam appetens homo, reus est læsæ majestatis diuinæ. p.49.c.1

Vanæ gloriæ appetitus morte fuit à Domino castigatus. p.48.c.1

Vana gloria supplicio à Principe castigata.pag. 49. col.1

Vanæ gloriæ indolem Petrarcha benè expressit. p.50.c.1

Vana gloria sæpe veræ gloriæ speciem ementitur. ibid.

Vanam ob gloriam præclara edere opera, perinde est ac turpiter insanire. p.30.c.2

Vana gloria hydropisi comparatur. p.51.c.1

Vanæ gloriæ homini est noxius appetitus.pag.51. col.2

Vanæ gloriæ ingenium congruo symbolo lineatum. ibid.

Vana gloria quomodo à vera gloria discernatur. p.32.c.1

Vanæ gloriæ cur sit reprobus appetitus. p.53.c.1

Vanæ gloriæ pernicies in quo sit maximè constituta. p.52.c.2

Vanæ gloriæ sunt obnoxiæ inclytæ dignitates. p.57.c.2

Vana quot modis esse queat gloria. p.52.c.2

Vanam gloriam Gregorius callidè declinauit.p.57 col.2

Vanam gloriam subesse primis honoribus Gregorius arbitratus, eos constanter fugit. p.57.c.1

Vanæ gloriæ cupido fluens ab Adamo nequit facilè superari. p.56.c.2

Vanæ gloriæ flabra magis timuit S.Hilarion quàm mare feris æstibus intumescens. p.58.c.1

Vanæ gloriæ Ruffino fuit noxius appetitus. ibid.

Vanam gloriam appetentes inglorij sunt. pag. 58. col.2

Vana gloria vertiginem conciliat hominibus. ibid.

Vanam gloriam, quàm sit noxium aucupari.p.297. col.2

Vanæ gloriæ flabra naues submergunt virtutum meritis oneratas. p.298.c.1

Vanitatem conciliat laus hominum. p.298.c.1

Vanæ gloriæ discrimen incurrunt animæ sanctiores. p.298.c.1

Vana gloria quot mala homini consciscat. p. 299. col.1

Vana gloria hominem attollit vt fortiùs allidatur. p.390.c.1

Vanæ gloriæ tentatio se subtiliter insinuat. p.390. col.2
Vanæ gloriæ cupido proxima idololatriæ pag.390. col.2
Vanæ gloriæ venenum veneno alio sanatur. p.394. col.1
Vanâ gloriâ obstetricante virtutes abortiunt. p.609. col.2

Venceslaus.

Venceslai Regis innoxia vita, cœlo fuit meritò compensata, p.193.c.1

Venenum.

Venenum vnde fuerit appellatum. p.419.c.2

Veneti.

Veneti capto Othone filio Friderici Imperatoris hostis acerbi, cum ad patrem placidè remiserunt. p.332.c.1
Venetorum Dux Celsus gloriam omnem sibi delatam in Deum humili animo refundebat. p.163. col.2
Venetorum Dux Venerius acceptas iniurias strenuè condonauit. p.332.c.2

Verbum Dei.

Verbum Dei quot modis sumatur in Scriptura. p.384.c.1
Verbum Dei sumitur aliquando pro voluntate eius expressa. p.385.c.1
Verbi Dei locuples encomium. p.150.c.2
Verbum Dei, & sermo Dei quomodo differant apud Græcos. ibid.

Vermes.

Vermes in perniciem ægroti, in aliquo viscere generantur. p.619.c.
Vermes in corpore humano quibus se indiciis prodant. ibid.

Victoria.

Victoria quomodo referenda, docet historia. p.399. col.2
Victoria à Christianis obtenta Deo enixè fusis precibus inuocato. p.400.c.2.p.401.c.1.& 2
Victoris Sostrati gratitudo erga Deum. p.399.c.2

Vigiliæ.

Vigiliæ à ieiuniis tantum benè obseruantur. p.124. col.2
Vigiliarum ieiunia religiosè obseruata. p.125.c.1
Vigiliarum diebus cur longiores horæ canonicæ. p.124.c.2
Vigiliæ ex Bernardo quare institutæ. p.185.c.1
Vigiliæ cur dictæ dies stationum. p.124.c.1
Vigiliæ sacro canone commendantur. p.124.c.2
Vigiliæ à quibus fuere primitùs institutæ. p.123. col.1.& 2
Vigiliæ festorum quid nobis insinuent. p.121.c.2
Vigiliarum nomen vnde fuit deductum. p.123.c.2
Vigiliarum tempore quid fideles olim agerent. p.123.c.1
Vigilia incidens in Dominicam transfertur in Sabbatum præcedens. p.125.c.2
Vigiliæ cur permissæ festis solennibus. p.123.c.1
Vigiliæ quare sic dicantur, estò nemo vigilet. p.123. col.2
Vigiliæ quo vigilandi more aliàs obseruatæ. p.224. col.1
Vigiliæ nocturnæ aptæ ad orationem. p.124.c.2
Vigiliarum olim frequens vsus. p.124.c.1
Vigilias Christianorum Plinius commemorat. p.124.c.2

Vinum.

Vinum libidinis obscœnæ fomes est. p.411.c.1
Vini abstinentia maximè commendata. p.411.c.2
Vini incommoda exemplis variis explicantur. p.411.c.1
Vini abstinentiâ Daniel sacro codice celebratur. p.411.c.2
Vino abstinere debet amans castitatem. p.411.c.1
Vinum veneno peius, ex Ambrosio. p.419.c.2
Vinum noxium fuit Patriarchæ Noë. p.411.c.1
Vinum Loth ad luxuriam sordidè prouocauit. p.452.c.1

Virginitas.

Virginitas quare Deo grata sit. p.446.c.1
Virginitatis priuilegia in Pallade figurata. p. 448. col.1
Virginitatis assertor Paulus Apostolus. p.449.c.1
Virginitas voto consecrata quare demat ius ad coniugium postea contrahendum. p.453.c.1
Virginitas homines Angelis anteponit. p.453.c.2
Virginitas homines Angelis associat. p.453.c.1
Virginitas longè dignior est coniugio. p.453.c.2
Virginitas quare à Deo non præcepta. p.453.c.1
Virgines homines omnes natura facit. p.453.c.2
Virgines puellæ fœdam damnant luxuriam. p.452. col.1
Virginitatis dignitas est cœlestis. p.453.c.1
Virgines sunt holocausta sacra Deo. p.453.c.2
Virginitas animas cœlestes facit. p.453.c.1
Virginitatis amor quantus in Ammonio adolescente fuit. p.454.c.2
Virginitatis status est Angelicus. p.454.c.1
Virginitatis amor in Pulcheria. p.454.c.2
Virginum raptores quomodo puniti ab Imperatoribus. p.455.c.2
Virginitatis laudes & tituli præclari. p.456.c.1
Virgines honorauit Constantinus Imperator. p.455.c.2
Virginibus copia facta fuit hæreditatem adeundi. p.456.c.1
Virginitate, Ecclesiæ gloria propagatur. pag.456. col.1
Virginitatis obseruandæ primum votum emisit Virgo Deipara. p.462.c.1.& 2
Virginitatem coluere plures ante Christum. p.648. col.1

Virtus.

Virtus quid sit. p.430.c.1
Virtutum praxis vult homines imitantes eos qui in Olympico agone pugnant. pagina 51. col. 2
Virtutes ei inutiles, qui non sequitur Christum. pag.69.c. 2
Virtutum praxis est thesaurus. p.82.c.2
Virtutes sunt ossa animæ Christianæ. pagina 89. col. 2
Virtutum praxis est quid violentum homini. pag. 344. col.1
Virtutum praxi nullæ feriæ concedendæ. p. 345. col.1
Virtutes quomodo sint homini naturales. p. 344. col.1
Virtus probata crebras patitur angustias. pag.695. col.1
Virtus quomodo possit esse homini perpetua. pag. 344.c.1.
Virtutes morales ab homine adulto, solo Baptismo minimè comparantur. p. 368.c.2

Virtutes sunt mera Dei dona. p.665.c.1
Virtutes insignes quare Deus reuocare velit ad examen omnibus notum. p.695.c.1
Virtutes omnes concatenatæ sicut annuli. p.696. col.1
Virtutes sunt antidotum vitiorum. p.701.c.2

Virtus.

Vita æterna est expers omnium ærumnarum. p.547. col.2
Vitæ æternæ dotes quomodo intelligantur. p.547. col.1
Vita hominis in tres vigilias distincta. p.88.c.2
Vita animæ tota ex Deo est. p.207.c.2
Vita modis variis vsurpatur. p.546.c.1
Vitæ nomen beatitudini conuenit exquisitè. ibid.
Vita animæ beatæ qualis erit. p.546.c.2
Vitæ nomen quare datur beatitudini. p.547.c.1
Vitam significantes dictiones Hebraïcæ, Chaldeæ, & Græcæ, notant omnia quæ sunt beatitudinis æternæ. p.546.c.2
Vita æterna veræ felicitatis & perfectæ omnia continet argumenta. p.547.c.2
Vitæ nostræ Deus consuluit ne deficeret ante tempora præstituta. p.547.c.2

Vngere.

Vngere quid significet in genere motum. p.7.c.1
Vnctionis prædicatæ à Christo ieiunantibus pulchra expositio. p.7.c.2
Vnctio faciei à Christo prædicata ieiunantibus non est accipienda literaliter. p.9.c.2

Vocatio.

Vocatio animarum est abyssus inuia scrutinio humano. p.155.c.2
Vocationis gratia est opere congruo fulcienda. p.156.c.1

Voluntas.

Voluntas humana, bona fit non ex se, sed beneficio gratiæ cœlitus influentis. p.182.c.2
Voluntatem à Deo habere totum id vnde bona est, egregiè astruit Augustinus. p.522 c.1

Voluptas.

Voluptates sunt diaboli satellites. p.409.c.2
Voluptatis tela ieiunij clypeo retunduntur. p.400. col.1
Voluptatis initia læta, sed extrema pœnis æternis homines obstringunt. p.548.c.1

Votum.

Votum se obstringendi consiliis euangelicis, est diuini amoris locuples argumentum. p.445.c.2
Voti donum Deo factum est magnum. p.446.c.2
Votum, qualem seruet libertatem. p.446.c.2
Voto quænam sit necessitas adiecta. p.446.c.1
Votum qualem necessitatem excludat. p.447.c.2
Votum est actus emeritus Religionis. p.446.c.1
Votum emissum facit homines expeditos. p.446. col.2
Votum auget alacritatem animi. p.447.c.1
Votum cur maioris sit meriti quàm præceptum. p.448.c.1
Vota non esse debent coacta. p.447.c.2
Voti de statu religioso, felix necessitas. p.447.c.1
Voto religionis, Deo anima consecratur. p.462.c.2
Vota religiosa non sunt laquei. p.447.c.2
Vota quomodo sint laquei hominibus. ibid.
Votum, gratiæ & meriti adiicit incrementum. p.472.c.1
Votum emissum est negotium sanctitatis animæ procurandæ. p.473.c.1
Vota religiosa totum hominem perficiunt. p.484. col.1
Votum de profitenda vita religiosa Deum præsupponit cœlitus inspirantem. p.473.c.1
Vota religiosa tribus partibus Philosophiæ correspondent. p.484.c.1

Vsus.

Vsus promiscuus omnium planè rerum non hominibus singulis indulgetur. p.85.c.2

Vsusfructus.

Vsusfructus, quænam res apud Iurisperitos hoc nomine nuncupetur. p.162.c.1. & 2

Vti & frui.

Vti & frui quomodo distinguantur. p.85.c.1
Vti fruendis, & frui vtendis, ex Augustino genus est maximæ prauitatis. ibid.

X

Ximenes.

Ximenes Cardinalis Prorex Hispaniæ quare Complutum vrbem ab omnis tributi onere vindicauit. p.614.c.1

Z

Zamolxis.

Zamolxis industria, qua mediante plebi imposuit, ita famam Numinis aucupatus. p.256.c.1

Zeno.

Zeno Imperator libidinis obscœnæ pœnas effugit propter eleemosynas largiter erogatas. p.67.c.2

ERRATA,

QVÆ HALLVCINANTE PRÆLO IN CONTEXTVRAM huius operis irrepserunt.

Pagina 77. columna 2. linea 3. compellat, *lege* compellit. pag. 82. col. 2. lin. 10. Æræ, *lege* Æte, pag. 82. col. 2. lin. 17. qui, *lege* quæ. pag. 202. col. 2. lin. 6. exuendo, *lege* exerendo. pag. 322. col. 2. lin. 2. Tropicorum, *lege* Topicorum. pag. 323. col. 2. lin. 51. homines, *lege* hominis. pag. 504. col. 1. in margine, col. 1. lin. 9. vanitatem, *lege* vnitatem. pag. 676. col. 1. lin. 39. illato, *lege* illatam.

FINIS.

ANT 131550

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

H19.

Digitized by Google

Digitized by Google